


FRANCISCI
DE MENDOÇA
OLISIPONENSIS,
E SOCIETATE IESV
Doctoris Theologi,
IN EBORENSI ACADEMIA
quondam sacrarum Literarum
Interpretis,
Commentariorum
IN IV. LIBROS REGVM
Tomus secundus.
Indicibus necessariis illustratus.
LVGDVNI,
Sumptibus Iacobi Cardon
&
Petri Cauellat.
M. DC. XXV.
David
Salomon
Roboam



EXCELLENTISSIMÒ PRINCIPI

D. D. IOANNI,

DVCI BARCELLENSI;

EXCELLENTISSIMI PRINCIPIS

D. D. THEODOSII SECVNDI,

DVCIS BRIGANTINI,

FILIO PRIMOGENITO,

FRANCISCVS DE MENDOCA E SOCIETATE IESV ſempiternam felicitatem.



NIHIL optimi parentes indigniùs ferunt, Princeps Excellentiſſime, quàm honores ſibi præſtitos filiis denegari: ſe debitis ſalutationibus coli, filios inſalutatos præteriri. Exemplo ſit & argumento Theodoſius ſecundus, æternæ recordationis Imperator Auguſtiſſimus: qui, cùm in hæreticos Arianos leniùs & clementiùs ageret, quàm eorum malitia & perfidia poſtularet: immò ſemel admonitus, vt eos pro meritis tunderet; adhuc (quæ erat illius humanitas & benignitas) parcior cunctaretur: tandem ingenioſa

ã 2 quadam

quadam persuasione conuictus, de illis puniendis seriò deliberauit. Nam Amphilochius admirabili vir ingenio & doctrina, artificiosam telam, qua Imperatorem ad vindictam traheret, in hunc modum dicitur texuisse. Ingressus ad Imperatorem, cui eius filius Arcadius nuper ad imperium euectus assistebat; parentem quidem Theodosium, debito honoris obsequio salutauit; filium tamen Arcadium absque vlla honoris præfatione insalutatum prætermisit. Rem indignissimè ferenti, vt par erat, Theodosio, excogitatum consilium aperuit Amphilochius, ac telam fabrè contextam planiùs explicauit. Quid, inquit, ô Imperator, mihi succenses, quòd te veneratus, filium tuum non venerer? Et non succenses hæreticis Arianis, qui venerantur Æternum Parentem, & tamen Æternum eius Filium aspernantur? Illum sine principio Deum, & Creatorem fatentur: hunc in principio temporis natum, & proinde creaturam esse mentiuntur? Sensit optimus Imperator, vt erat ad intelligendum acerrimus, se artificioso dolo captum & irretitum. Quare sicut in Amphilochium excanduerat, qui se parentem, non suum filium salutauerat; ita & in hæreticos Arianos excanduit, qui in suprema Triade Patri, non Filio diuinos honores deferebant: testatus hoc suo iudicio & exemplo, parentibus omnibus iniucundum esse, suos cum suis filiis honores minimè communicari.

Theod. lib. 5. cap. 16.

Quorsum hæc tendant, pronum est intelligere. Nam, cùm primum Tomum in Libros Regum, Excellentissimo Principi Theodosio, Parenti tuo dignissimo nuncuparim: timui, ne si tibi hunc secundum non offerrem, tuus mihi Parens succenseret, & reuerentiam sibi, non tibi præstitam, iniuriam reputaret. Igitur hunc secundum laborum meorum fœtum tibi offero, Princeps Excellentissime, vt quo obsequio veneratus sum Parentem, pergam & Filium venerari. Idque eò facio libentiùs, quò illa virtutum decora, quæ in Excellentissimo Parente tuo mirabiliter elucent; in te vno paribus illustrata coloribus exprimantur. Æquum enim est, vt qui paribus virtutibus imbuuntur, paribus obsequiis decorentur. At, quis non videt, quanta tibi cum Parente tuo non modò cognatio sanguinis, sed etiam communicatio virtutis intercedat? Fateor, illum tibi eripuisse, ne in omni virtutum genere primus esses: sed contendo te illi eripuisse, ne esset solus. Hæc si naturæ prægressio excipiatur: cætera virtutum ornamenta haud inæquali tibi cum Parente tuo trutina partiuntur. Suum sequi poterat parentem Troianus ille Ascanius, non assequi; iuxta illud Mantuani, *Sequitúrque patrem non passibus æquis*. Neque enim infantiles gressus æquare poterant Gigantæos. Tibi verò, Princeps Inclyte, tanta virtus inest, vt non solùm post Parentem, sed etiam cum Parente pares ad omnia summa gradus moliaris. Monuit aliquando suum Honorium Claudianus, vt parentem Theodosium indueret: hoc

2. Æneid.

est,

eſt, eius mores arriperet & exprimeret: *Induemente patrem.* Tibi verò ſuadendum non fuit, vt parentem indueres: ſed potiùs, quòd indueris, gratulandum: tua quippe ſponte incitatus ad eius virtutes imitandas præuolaſti. Monitore non eguiſti, vt parentem imitarere; ſed, quòd imitatus fueris, laudatore. Miratus olim fuit *Romanæ fidicen* Liræ.

Quid poſſet Auguſti paternus
In pueros animus Nerones.

Cùm nimirum Cæſarem in Druſi mores quodammodo transfuſum; ſeu Druſum ad Cæſaris mores quodammodo tranſcriptum intueretur. Quid potiùs non mirer paternos in te mores ſic expreſſos, vt Parens in te viuere & ſpirare videatur: & tuus Parentem animus informare & animare iudicetur? 4. Car. 4.

Denique tanta morum ſimilitudo inter Parentem ac Filium efflorеſcit; vt oculato iudice opus ſit ad diſcernendum, vter alteri ad felicitatem expeditior præcurrat. Celebris fuit illa quondam inter Cambyſem Perſarum Regem, & eius amicos diſceptatio. Nam Regi percontanti, vtrùm feliciorem iudicarent, ſe, an parentem Cyrum; omnes, qui aderant, adulatores reſpondebant, Rem eſſe indubitatam, quæſtionem ſine lite, illum ſine dubio parenti ſuo præſtitiſſe; nec minùs quàm ſolaris ſplendor ſuperat lunarem, paternam felicitatem ſuperaſſe. Vnus tamen Crœſus adulatorum maximus, cùm videretur minimus: Abſit, inquit: ſed planè tuus tibi præit felicitate parens. Mirantibus cunctis dicentis libertatem, rationem ſubdit: Quia, inquit, te genuit filium: cui tu parem non habebis; quantumuis natura theſauros ſuos omnes exhauriat & effundat. Hæc ſi cuiquam Principum felicitas debeatur, excellentiſſimo Parenti tuo Theodoſio tribuetur: qui te genuit Filium, à nemine poſterorum ſuperandum; neſcio, an ab aliquo exæquandum. Verùm, ſi mea me ſpes non fallit, neque hanc felicitatem tibi præripiet Parens tuus, Princeps Clariſſime, nate Dux, & geniture Ducem;

---------*Quo ſoſpite nunquàm*
Res equidem Lyſiæ *victas, aut regna fatebor.* Æneid. 8.

Nam, ſicut Parentem tuum moribus expreſſiſti; ita felicitate prolis exæquabis, per eam ad viuum exprimendus, vt non magis in te Pater, quàm ipſe in Filio vigere ac perennare videaris.

Sed vnde, quæſo, tantum tibi cum virtute commercium, tanta cum probitate neceſſitudo, niſi ab ea, qua ſub optimo Parente, educatione floruiſti; dum armorum & literarum ac virtutum ſtudia diligenter frequentaſti? Paterna Curia tibi fuit, nō deliciarum ſentina, vt aliis Principibus eſſe ſolet, ſed armorum officina, quibus te feliciter exercuiſti. Non Orcheſtra fabularum, vbi Principes ſeria negotia ſcenicis otiis corrumpunt; ſed Palæſtra literarum, vbi

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2. ã 3 naturæ

naturæ ingenium artis præsidio clariùs illustrasti. Non aula profana vitiorum; vbi, proh dolor! *Dedecorant bene nata culpæ:* sed Ecclesia sacerrima virtutum; vbi animum proauorum sanguine augustum, virtutum splendore augustiorem reddidisti. Age verò, Princeps Excellētissime, libenter patere, vt in hæc adyta curiosus penetrem explorator. In illam armorum officinam vbi irruo, quid aspicio? Delicatum Principem, an bellicosum Martem? Ades in primis egregia forma iuuenis, sublimi corpore, erecto capite, micanti vultu, neruoso pectore, torosis brachiis; torus, vel ipsis, si adessent, bellatricibus furiis metuendus. Quis te Lanista fortior? Quis te Athleta firmior? Quis te Pancratiastes robustior? Si cursu contendis, præuolas: si saltu, vincis: si disco, superas: si pugilatu, triumphas: si quouis alio certaminum genere, nullus te gloriosior Olympionices coronatur. Amplissimas tibi vires contulit ad hos ludos militares, tum natura, quæ te ad bellica negotia quàm aptissimum instruxit: tum paterna disciplina, quæ nullis te deliciis emolliuit; sed Martiis semper exercitamentis roborauit. Nam, vt olim Theodosius Imperator suo filio Honorio, ita & nunc parens tuus Theodosius,

Horat. 4. Car. 4.

Claud.

Non tibi delicias molles, nec marcida luxu
Otia, nec somnos Genitor permisit inertes:
Sed noua per duros instruxit membra labores,
Et cruda teneras exercuit indole vires.

Sed, quid equestres pugnas? Equum natiua superbia ferocientem quàm feliciter domas? quàm molliter frangis? quàm acriter incitas? quàm leuiter reuocas? quàm fortiter sistis? quàm volubiliter circumagis, trahis, retrahis, laxas, vrges, ac denique tuum ad nutum moderaris? Plaudunt, qui te vident tam feliciter equitantem, fauentésque bene precantur, eat, irruat, lacessat, *Et* Mauros *feroces vexet eques metuendus hasta.* Nec mirum, Bone Princeps, si tam prospera tibi cedant equestrium certaminum auspicia. Nam in die sacra sanctissimo Iacobo, bellorum in Hispania Præsidi, ac tutelari Diuo, cùm duos annos vix expleueris, primùm equum conscendisti: & quantùm infantiles artus conari poterant, gestiendo exiliendóque ad cursum concitasti. Sub illa auspicatissima luce tuus te parens Theodosius Iacobo in militiam tradidit, bello erudiendum, ludísque equestribus inaugurandum; illa fortè precatione, qua olim Rex Euander suum Æneæ Pallanta mancipauit. En tibi, ô Iacobe, bellorum arbiter & Patrone,

Æneid. 8.

Spes & solatia nostri
Ioannem *adiungo: sub te tolerare Magistro*
Militiam, & graue Martis opus, tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.

Et quidem feliciori auspicio traditus es Iacobo in militare sacramentum,

mentum, quàm Pallas traditus fuerat Æneæ. Nam Pallas, quamuis duce & auspice Ænea, tandem ruit, *Et terram hostilem moriens petit ore cruento.* Æneid 10. Te verò, Iacobo patrocinante, nullum sequetur infortunium; sed potiùs victrices palmæ, & immortales laureæ coronabunt.

At efficacius è cælo mihi videris adhuc patrocinium sortitus. Nam sub augustissima Virginis conceptæ celebritate, cùm septennis tantùm esses, sublimis in equo apparuisti, & certamen, quod Troianum vocant, in immaculatæ Virginis honorem primò decertasti. Non te venatricis Dianæ pharetra, nec bellatricis Mineruæ iaculum; sed auxiliatricis Mariæ clypeus, omnis armatura fortium, protexit. Illa te suum militem, illa te suum equitem cooptauit. Et sicut nunc diuino planè inuento selectissimos è primaria nobilitate milites conscribit, & vnum in ordinem componit, & pontificia auctoritate præmunit, & dominicæ Crucis symbolo insignit; qui suum honorem contra omnes fidei perduelles tueantur: ita planè te à primis annis ad suam immaculatam puritatem defendendam, & ad suam illibatam innocentiam propugnandam, Militem atque Equitem inaugurauit; vt iam ab illa tua prima ætate vnus pro his omnibus fuisse, & instat omnium in sanctissimæ Virginis honorem militasse videaris.

Sed iam tuam ingredior Palæstram literarum. Vbi miror, quàm nouus te habitus exornet, militiam cum sapientia mirabiliter alternantem. Nam Marte quodammodo exuto, Mercurium induis: bellico puluere vix deterso, literarium colligis: militari paludamento nondum penitùs reiecto, iam pallium philosophicum assumis: mox vbi manus iaculis venatoriis exarmas, statim radiis astronomicis exornas: cùm primùm tubas bellorum hortatrices audire desinis, extemplò Musas studiorum adiutrices meditaris. Quid plura? Cum thorace librum, cum gladio calamum, cum palatio gymnasium commutas. Immò non commutas, sed coniungis; incredibiliter delectatus, *Inter victrices hederam tibi serpere lauros.* Virg. Eclog. 8. Vt vel ab ipso Augusto augustos animos traxisse videare. Nam, vt ille & metandis castris, & meditandis astris non vulgariter intentus, Lucan.

Media inter prælia semper
Stellarum, cælique plagis, Superisque vacabat:

Ita mihi videris, Princeps optime, inter militares ludos literariis incumbere; inter literarios militaribus non deesse, & quasi ambidexter, militare inter Philosophos, philosophari inter milites: ac denique vtranque laurum, & qua vates, & qua duces coronantur, quarum *dolet altera vinci*, in te vno tam amicè sociare, vt neutra ab Statius. altera superetur.

Iam verò antiquitatis historias quanto studio contendis *Nocturna versare manu, versare diurna.* Horat. in Arte. Vnde populorum mores, nationum

ã 4 ritus,

ritus, prouinciarum leges, regnorum instituta, ac denique omnia singularum Gentium solennia feliciùs didicisti, historias perlegendo, Homer. Ouid. quàm Vlysses, *qui mores multorum vidit, & vrbes*, totum orbem pererrando. Nam Vlyssi diu peregrinanti, *seris venit vsus ab annis*: tibi Iuuen. libros consulenti, *rerum prudentia maior Ante pilos venit*; qui in iuuenili ætate ad senilem prudentiam euasisti. Nec immeritò: nam Tullius. sicut historiæ ignarus, quantumuis senescat, puer est: *Nescire enim*, inquit Tullius, *quid, antequàm natus fueris, actum sit; est, semper esse puerum*: ita historiæ peritus, quantumuis ætate iuuenis, senili consilio maturescit. Quare, quod in Lucullo celebrauit antiquitas, qui militandi peritiam non tam pugnas exercendo, quàm historias volutando adeptus est; id tibi non mediocri laudi tribuetur, qui militarem scientiam, si non hostes debellando, certè libros euoluendo comparasti. Itaque paterna Curia tibi fuit bonarum schola literarum. Psal. 126. Beatum vocat ille diuinus Olor eum virum, *qui impleuit desiderium suum ex ipsis*, nempe filiis; seu, vt Chaldæus transcribit, qui impleuit *scholam suam*: paterna enim domus schola esse debet; in qua non tam filij à patre nutriantur, quàm discipuli à præceptore informentur. Quid Theodosium non appellem rer & ampliùs bearum, qui suum palatium in gymnasium, suam Curiam in scholam commutauit; in qua boni Principes bonas artes tam diligenrer, quàm feliciter hauserunt?

Tandem verò, Optime Princeps, tua me iam vocat, dicámne, Regia, an Ecclesia? in qua natus & educatus, non minùs pietate, quàm ætate profecisti. Augustissimus ille & Religiosissimus Imperator Theodosius, auctore Socrate, Lib 7.c.22. *Palatium sic disposuit, vt haud alienum esset à Monasterio.* Talem tibi instituit Parens tuus Theodosius, non profanam aulam, in qua vitia tumultuantur: sed sacratam ædem, in qua virtutes exerceantur. Quantus te pietatis amor, iam inde à primis annis occupauit? Triennis christianam catechesim latinis verbis tam Lib.1 de vita Moysis. facilè didicisti; vt quod de suo docuit Moyse Philo Alexandrinus, *Institutionem præcurreres; & non discere, sed reminisci videreris.* Quadriennis non crepundia, sed altaria curabas; quibus excolendis expoliendísque totos dies impendebas: imita1.Reg.2.& 3. tor Samuelis, non in foro pueriliter salientis, sed in ministerio tabernaculi iugiter excubantis. Septennis precariam sanctissimæ Virginis Coronam, eius ante aram procumbens in genua, singulis diebus recitabas: & monitus, vt tenelli corporis lassitudini consuleres; negabas, te in ea precatione farigari: magnum illum non corpore, sed spiritu Ioannem tui cognominem imitatus; quem tibi ætate parem diuturna oratio non frangebat, sed roborabat. Paulò adultior, cùm in Verbi nascentis peruigilio ægrotares: deferri te nihilominùs in sacellum multis precibus contendebas;

ne sub

ne sub pretioso stragulo decumberes,quando Verbum infans pauperculo in stabulo recumbebat: egregius Dauidis æmulator, qui 2. Reg. 7. 2.
Arca Dei sub pellibus commorante, ipse commorari sub laquearibus cedrinis erubescebat. Grauiori morbo aliquando impeditus, diuinam opem efficaciùs, quàm humanam implorabas; Confessarium diligentiùs, quàm Medicum consulebas; tuam per sacrificia salutem potiùs, quàm per pharmaca consequi sperabas: nec irrito voto; breui, scilicet,ex graui malo recreatus; longè felicior,quàm Rex Asa, qui *in Medicorum arte confisus* miseram animam exhalauit. 2. Par. 16. 12. Diuinum cultum sic amare, sic tractare consueuisti, vt vel ipsos musicos numeros, quibus sacra Deo carmina in tuo sacello iugiter canerentur, non vt discipulus arriperes, sed vt magister edoceres: cum Dauide non immeritò comparandus, qui non modò cantoribus diuinas laudes in tabernaculo modulantibus præibat; sed etiam totam canendi peritiam, tanquàm egregius Choraules, inculcabat.


Denique quis te in colloquiis maturior, in consiliis secretior, in promissionibus veracior, in omni virtutum genere abundantior? Quis te in pauperes liberalior,in Religiosos officiosior,in parentes obsequentior,in subditos benignior & humanior? Quis te in adulatores rigidior, in detractores seuerior, in intemperantes vehementior, in cæteros malorum greges,pietatis osores & corrosores, durior & austerior? His moribus in palatio, tanquàm in Cœnobio nutritus mirabiliter floruisti:nihilo impar Dauidi,de quo D. Chrysostomus, *In regali*, inquit, *culmine Monachi vitam imitabatur.* Et In Ps. 50. quasi parum esset imitari, addit alibi Chrysostomus, *In purpura & diademate Monachorum vitam transcendebat.* Hom. 30. in Gen. Talem,Princeps Clarissime, vitam instituis; tuæ dominationis celsitate cum summis Principibus comparandus; tuæ consuetudinis pietate cum ipsis Monachis conferendus. Ex vtroque capite, vt vno verbo dicam, *Vera Patris soboles:* à quo & dominandi maiestatem, & viuendi integritatem hausisti & expressisti. Ille tibi Parens fuit, & Magister: sicut olim Theodosius Imperator suo filio Honorio; cui, teste Nicephoro, Lib. 13. c. 1. nihil impensiùs commendabat dictis & factis, quàm vnam pietatem,per quam illi promittebat,fore vt secundis rebus in præsenti vita frueretur, æternis tandem bonis in futura cumulandus. Hanc ergo pietatem tuus tibi Parens efficaciter inculcat verbis, & efficaciùs exemplis: quibus tam firmiter insistis; vt ne latum quidem vnguem vel filius à Parente, vel Discipulus à Magistro resilire videaris.

Hæc me ratio mouit, vt te Parenti tuo simillimum simili vellem obsequio demereri. Quare, sicut ei primum mearum lucubrationum Tomum nuncupaui; vt sub eius patrocinio securus euulgaretur:ita & secundum tibi nuncupo;vt suo tuo iucundissimo

Fauonio

Fauonio publicam lucem intueatur. Accipe igitur hoc munuſculum pro tua excellentia paruum: pro mea in te obſeruantia non contemnendum: quod tibi ſi placeat, nemini diſplicebit: ſi à te benignis oculis aſpiciatur, à nemine malignis deſpicietur. Accipe, inquam, ô *Mæcenas*, veriùs, quàm ille Horatianus, *atauis*, ſeu potiùs abauis, qui propiores ſunt, *edite Regibus*, (tuus enim abauus fuit inuictiſſimus totius Luſitaniæ Rex, ac totius Aſiæ Domitor feliciſſimus Emmanuel) Accipe hoc munuſculum: & ſicut Excellentiſſimum Principem Theodoſium, Parentem tuum digniſſimum, in cæteris virtutibus optimo Principe dignis imitatus es; ita & in hac erga bonarum artium Profeſſores & cultores beneuolentia imitare. Vnde ſicut ille priorem huius Operis Tomum tam beneuolè complexus eſt, vt antiquis Mæcenatibus ſuperior videretur: ita & ipſe hunc poſteriorem tam beneuolè complectere, vt ne Parente quidem tuo inferior videare. Interim, Optime Princeps, creſce, & humanis ac diuinis felicitatibus augere: non diſſimilis Ioſepho; cui Iacobus parens, vt geminam felicitatem, temporariam, ac ſempiternam precaretur, *Filius*, inquit, *accreſcens Ioſeph, filius accreſcens.* (*Gen. 49. 22.*) Cum Ioſepho Iacobi filio comparat D. Ambroſius Honorium (*In orat. fun. de obitu Theod.*) filium Theodoſij Imperatoris: quem ſperat, non minùs quàm Ioſephum, ſemel atque iterum accreſcentem, ad geminam gloriam, tam humanam, quàm diuinam feliciter euaſurum. Quid te, Princeps Excellentiſſime, Excellentiſsimi Theodoſij Proles, eidem non conferam Ioſepho, ad vtranque gloriam feliciter euehendum? Filius ſemel accreſcens ad temporariam felicitatem: filius iterum accreſcens ad ſempiternam. Creſce igitur ad vtranque gloriam: feliciter creſce, & augere; vt tecum pariter noſtrum munuſculum, tecum noſtra Societas, tecum noſtra Luſitania creſcat & augeatur.

* * *



A D



AD LECTOREM.



ABES, humaniſſime Lector, quòd mecum expoſtules: vtinam habere mihi liceat, quo me excuſem, ac tibi ſatisfaciam. Expoſtulas, quòd pollicitus in primo Tomo, hunc ſecundum propediem euulgandum; tertius annus circiter expleatur, ex quo promiſſa retardentur. In primis pro hac expoſtulatione gratiam tibi ago, quantam poſſum, & quantam debeo: dum enim mecum ſic expoſtulas; meos mihi videris Commentarios poſtulare ac deſiderare, planéque ſignificare, tibi non iniucundos, quorum dilationem iniucundè patiaris. Quo neſcio, an mihi præſtare potuiſſes maius præmium, maius lucrum, maius oblectamentum. Quæris deinde, quid excuſationis obtendam, quo tam diuturnæ moræ ab vlla culpa vendicentur? Benignus audi.

Multa, niſi fallor, ab ea me promiſſione liberarunt: à quibus, vt tuo conſulam faſtidio, ſuperſedeo. Inſtar omnium ſatis ſit, otium mihi defuiſſe; ſine quo ſcribendi labor non procedit. Illam cùm promiſi feſtinationem, erant mihi fateor, Alcedonia, in quibus, ſi duraſſent, proculdubiò ſperabam, mihi celeriter nidificandum. Sed iis ſubitò euaneſcentibus, nidum, quem fingere cœperam, interrupi. Nam ad Eborenſem Academiam regreſſus, & continuis ſcholarum fluctibus iterum interfuſus, & antiquo me includere ludo, *vnde tam prodieram, coactus; alias rerum curas moliri cœpi, alias animo lucubrationes meditari. Et quamuis in his Commentariis componendis & poliendis, multùm iam à me laboratum fuerat, ac deſudatum: tamen vt Opus prælo maturum redderetur; multa reſtabant adhuc elaboranda, multa interpungenda. Si enim carmen reprehenditur,*

quod non
Multa dies, & multa litura coërcuit; atque *Horat. in Art.*
Præſectum decies non caſtigauit ad vnguem:

Quid probari poterunt Commentarij ſacri, qui ſæpiùs non vocentur ad limam; non trahantur ad ſpongiam? Quem genium habere poterit ſacrarum Commentationum liber, qui ad libram ſæpiùs non exigatur; ſæpiùs ad vnguem cenſorium non caſtigetur? Sarcire neceſſe eſt, ac ſæpiùs reſarcire Commentarios, publico iudicio exponendos, & communi calculo approbandos. Cùm enim tibi videntur, ſuam iam tempeſtiuitatem conſequuti; multa ſubitò apparent, digniſſima profectò, quæ diutiùs recoquantur. Liber in lucem euulgandus, nauis eſt in altum deducenda; in qua paratis iam omnibus ad nauigandum; ecce tibi plura occurrunt, vlteriùs reparanda: & vbi nulla iam mora putatur; annus eſt, antequàm ſingula expediantur. Cùm igitur ſeceſſu opus fuerit, ad ea, quæ vtcunque excolueram, recolenda; & quæ vtcunque expolieram, interpolanda: præſtare id non potui, ea, qua volueram, celeritate, in publica totius Academiæ luce conſtitutus. Quærenda fuit vmbra, interponenda mora, in qua fœtus ſuo tandem partui tempeſtiuus naſceretur.

En tibi meæ cunctationis ratio. Hanc excludis? Accipe fortiorem. Magna profectò eſt in ſacris


in sacris Commentariis scribendis difficultas. Nam profana scientia, instar lactis, facillimè sugitur, breuissimè concoquitur: sacra, instar solidi cibi, difficiliùs manditur, tardiùs in nutrimentum elaboratur. Ad profanos libros scribendos, pars vitæ longa esse potest: ad sacros, tota, quamuis Nestorea, breuissima. Naturali Philosophiæ illustrandæ sufficere potest diurnus labor: diuinæ, etiamsi addatur nocturnus, paruus est. Immensa profectò laborum seges illi metenda est, qui ad sacram doctrinam colligendam falcem immiserit. Testor Apostolorum Principem, qui non vt vanus suarum laudum ostentator; sed vt ve-
1.Cor.15.10. *rus suorum laborum ad totius ædificationem Ecclesiæ scriptor*, Abundantiùs, *inquit*,
omnibus laboraui. *Quid ais, Paule? si nouissimus vna hora fecisti; quo iure te præfer-*
Matth.10.12. & 23. *re audes cæteris Apostolis, qui portarunt pondus diei, & æstus? Præterea cæteri Apostoli Christo Domino conuiuentes, calicem Domini cum Domino biberunt; & pares*
Luc.22.27. *cum Christo laborante labores deuorarunt: ipso Domino asserente*, Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. *Quid ergo te illis in laboribus anteponis; qui illum laborum calicem cum Domino, ne prælibasti quidem; scilicet, nondum Apostolus: sed potiùs aliis propinasti; qui persequutus es Ecclesiam Dei? Quòd si in Aposto-*
1.Cor.15.9. *licum Collegium conscriptus, leuissimum mortis genus subiisti, vno ictu iugulatus; certè alij Apostoli per acerbiores cruciatus se morti deuouerunt. Petrus inuerso corpore cruci affixus: Andreas biduo è patibulo suspensus: Bartholomæus totius pelle corporis exutus: Thomas multis iaculis confossus: Iacobus lapidatus, præcipitatus, excerebratus: & sic alij per alia tormenta, nihilo mitiora occubuére. Quid ergo tuos labores cæterorum Apostolorum laboribus anteponis: qui nec duriorem vitam egisti, nec diriorem mortem tolerasti?*

Multa sunt, quæ sacri Interpretes commentantur, vt ostendant Paulum cæteris Apostolis abundantiùs laborasse. Quidam id conuincunt ex grauitate laborum, quos per-
1.Cor.15. Hom.2. de laudibus Pauli. *pessus est, singulos tam graues, vt singulæ mortes viderentur:* Quotidie, *inquit*, morior propter vestram salutem, fratres. *Quod expendens D. Chrysostomus*, Paulus,
Rom.15. *inquit*, semetipsum per singulos dies immolabat, quotidie moriens, & consummans voluntate martyrium. *Alij ex immensitate terrarum, quas peragrauit:* Ab Ierusalem, *inquit*, per circuitum vsque ad Illyricum repleui Euangelium. *Distantissimos terminos, non per compendia, sed per circuitus, vt via fieret longior, obibat. Vnde D. Thomas*, Nullus, *inquit*, Apostolus per tot loca prædicauit & annuntiauit
D.Thom. Christum, vt Paulus. *Alij ex celeritate cursus, quo orbem perlustrauit*, Orate, *inquit*,
2.Thess.3.1. pro nobis, vt sermo Dei currat. *Quam celeritatem D. Chrysostomus vbi suprà admiratus*, Apostolus, *inquit*, totam sub cœlo regionem, quanta quanta est, volitando circumiuit. *Et paulò pòst*, Tanquàm pennatus totum docendo orbem
Rom.15. peruolauit. *Alij ex indocilitate Gentium, quas docuit & erudiuit.* Prædicaui, *inquit*, Euangelium, non vbi nominatus est Christus: sed quibus non est annuntiatum de eo. *Ad quem locum D. Chrysostomus*, Vides, *inquit*, accurrentem, vbi plùs erat
Hom.29. laboris, vbi plùs sudoris. *Alij ab eminentissima paupertate, quam prædicando conseruauit. Nam cæteri Apostoli ex Euangelio victitabant: tamen Paulus sine sumptu ponebat Euangelium.* Nunquid, *inquit*, non habemus potestatem manducandi & bi-
1.Cor.9. bendi, sicut cæteri Apostoli? *&c.* Sed non vsi sumus hac potestate; ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. *Alias alij rationes meditantur, quibus ostendant Pauli labores, omnium, quos cæteri Apostoli subierunt, maximos extitisse.*

In Ps.130. *Sed optimam ad præsens institutum rationem colligo ex D. Augustino, Paulum abundantiùs omnibus laborasse, quia copiosiùs omnibus scripsit. Nam, cùm plerique Apostolorum nihil scripserint; alij paucas tantùm scripserint Epistolas; Petrus, duas; Ioannes,*

tres;

tres; Iacobus, vnam; Thaddæus, alteram; omnes simul septem: solus Paulus duplicato labore scripsit quatuordecim. Immò ex duobus noui Testamenti Scriptoribus, qui longissimi fuerunt, Ioannes omnia sua scripta quinquaginta capitibus inclusit: Lucas ad quinquaginta duo processit. At verò Paulus vtroque longior, ad centum capita excurrit. Hinc igitur facilè conuincitur, Paulum ommibus abundantiùs laborasse. Alij enim, *inquit Augustinus*, non scripserunt: alij nec tantùm, nec tanta gratia scripserunt. *Vbi ergo plùs scribitur, plùs laboratur. Quasi vnus scribendi labor tantus sit, vt nullus alius, quantumuis importunus, cum illo conferendus videatur. Quod cùm ita sit: habes, humanissime Lector, præcipuam meæ cunctationis rationem. Immensus scribendi labor immensum studendi spatium requirebat. Quare tibi videri non debeo tardasse, quantascunque moras interposuerim: sed dum eas tandem abrupi, festinasse. Vnde mihi opus non est, vt mea à me cunctatio excusetur: sed potiùs, ne mea à te festinatio arguatur.*



Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.   ẽ   *FACVL*

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS in Lusitania.

PEtrus Nouais è Societate IESV, in Prouincia Lusitana Prouincialis, potestate ad id mihi facta à R. admodum Patre nostro Generali, Mutio Vetellescho, facultatem concedo, vt secundus Tomus Commentariorum in primum Librum Regum à Patre Francisco de Mendoça D. Theologo, in Eborensi Academia sacrarum Literarum Professore compositus, & grauium doctorúmque virorum nostræ Societatis iudicio approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has literas manu nostra subscriptas, sigillóque nostro munitas dedimus. Eboræ 9. die Nouembris, anni 1623.

PETRVS NOVAIS

CENSORVM IVDICIA.

R. P. STEPHANVS COVTO E SOCIETATE IESV, Doctor Theologus, & Eborensis Academiæ Cancellarius.

EN Volumen alterum Commentariorum in Libros Regum, à sapientissimo P. D. Francisco de Mendoça Societatis IESV, in Academia Eborensi sacrarum Literarum Interprete, summa elaboratum industria, felici partum ingenio, concionatoriis fœtum conceptibus, nitore venustatéque orationis æquè atque sanctorum Patrum eruditissimis sententiis, cælestiúmque oraculorum interpretationibus mirabiliter excultum; in lucem, in oculos, in manus omnium se se dat. Quod ego, de mandato Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Episcopi D. D. Ferdinandi Martinij Mascareñæ, in causis Fidei pro Lusitania Quæsitoris Generalis, diligenter attentéque recognoscens: Censeo, cum Fide orthodoxa, honestísque moribus apprimè concinere; dignúmque esse, quòd & literatorum excipiatur plausu, & in maximam Reipublicæ Christianæ vtilitatem, typis procudatur. Eboræ in Collegio Societatis IESV, pridie Non. Nouemb. anno 1623.

R. P. Simon Aluerez è Societate IESV, Doctor Theologus, & in Eborensi Academia primarius Theologiæ Professor.

DE mandato Illustrissimi & Reuerendissimi Domini Episcopi, D. Ferdinandi Martinz Mascareñas, Inquisitoris supremi in Regnis Lusitaniæ, studiosè legi secundum Volumen Commentariorum in Libros Regum à sapientissimo Doctore, Patre Francisco de Mendoça Societatis IESV, in Eborensi Academia sacrarum Literarum Professore accuratissimè elaboratum. A Fidei veritate, Patrum doctrina, morúmque probitate, nihil in eo alienum. Opus mihi visum est (vt numero dicam) omnibus numeris absolutum, dignissimúmque iudico, quod typis mandetur, & præ oculis ac manibus semper habeatur. Eboræ septimo die Nouemb. 1623.

R. P. LVDO

R. P. LVDOVICVS BRANDAM è societate IESV, Doctor Theologus, & in Eborensi Academia vespertarius Theologiæ Professor.

EVolui, qua potui diligentia, secundum Tomum Commentariorum in primum Librum Regum, egregium sanè Opus Religiosissimi Patris Francisci de Mendoça, pariter ac sapientissimi Doctoris, in hac Eborensi Academia sacrarũ Literarum Interpretis dignissimi. Iudico laudatorem potiùs, quàm censorem postulare: in eo enim præter eximij styli felicitatem; dum Interpretem agit, singulare Authoris ingenium in eruendis sacrarum Literarum arcanis sensibus elucet; dum Commentatorem præstat, exquisita eruditio in adducendis sanctorum Patrum testimoniis refulget; in vtroque verò solidam doctrinam, & principiis fidei valdè consentaneam, & instituendis moribus maximè accommodatam, nemo est, qui non videat. Quapropter in omnium vtilitatem omnium gratulatione excudendum censeo. In Collegio Eborensi Societatis IESV, 9. die Nouembr. anno 1623.

Facultas Illustrissimi & Reuerendissimi D. D. Ferdinandi Martini Mascarenæ, supremi Fidei Quæsitoris.

SPectatis informationibus potest imprimi hic secundus Tomus, de quo in illis agitur. Olisipone 12. Nouembr. ann. 1623.

Episcopus Quæsitor Generalis.

FACVLTAS ORDINARII.

DE mandato Illustrissimi Archiepiscopi Eborensis, D. Iosephi à Mello, vidi, qua potui diligentia, hunc secundum Tomum Reuerendi admodum Patris ac Doctoris Francisci de Mendoça in primum Librum Regum. Nihil in eo inueni, quod discrepet à Fide catholica: vnde potest typis mandari. Eboræ 16. Decembr. ann. 1623.

D. EMMANVEL Episc. Fessensis.

FACVLTAS REGII SENATVS.

IMprimi potest hic Tomus, spectatis sanctæ Inquisitionis, & Ordinarij facultatibus: & non euulgetur, antequàm ad hanc mensam referatur, vt taxetur.

D. DE MELLO. ARAVIO.

Facultas supremi Quæsitoris, vt euulgetur.

CVm hic Liber cum Originali cohæreat; facultatem concedimus, vt euulgetur. Olisipone 11. Iulij ann. 1624.

Episcopus Quæsitor Generalis.

APPROBATIO THEOLOGORVM.

NOs infrà ſcripti ſanctæ Theologiæ Doctores fidem facimus, vidiſſe & perlegiſſe Librum, cui inſcriptio, *Franciſci de Mendoça, è Societate IESV Theologi, Commentariorum in quatuor Libros Regum Tomus ſecundus*, omniáque in illis, iuxta orthodoxam Catholicæ, Apoſtolicæ ac Romanæ Eccleſiæ & ſanctorum Patrum ſanam doctrinam, ſumma cum eruditione exponi. Lugduni 28. Maij 1625.

Fr. Robertvs Berthelot Epiſc.Damaſci.

Deville.

R. D.D. DE MESCHATIN LA FAYE *huius Libri imprimendi facultas.*

THomas de Meschatin la Faye, Comes, Canonicus & Camerarius Eccleſiæ Lugdunenſis, in ſuprema Dombarum Parlamenti Curia Conſiliarius, Galliarum Primariæ Officialis, & in Archiepiſcopatu Lugdunenſi Vicarius Generalis, Librum inſcriptum, *Franciſci de Mendoça, è Societate IESV Theologi, Commentariorum in quatuor Libros Regum Tomus ſecundus*, & à Theologis recognitum typis mandari permittimus. Lugduni 31. Maij 1625.

Meschatin la Faye.

INDEX



INDEX
ANNOTATIONVM ET SECTIONVM,
QVÆ IN HOC SECVNDO VOLVMINE CONTINENTVR.

ANNO

FINIS.

COM



COMMENTARII IN QVATVOR REGVM LIBROS.

AVCTORE P. FRANCISCO DE MENDOÇA, è Societate IESV, Doctore Theologo.

PROOEMIVM.



PRODIT in lucem hic secundus Tomus; secundo quidem Numine, vt mea meum animum spes alit: quia prodit sub tua luce, ô alma mundi lux, VIRGO Deipara, primam in lucem edita. Nam in augustissimo peruigilio illius sanctissimi diei, quo primùm materna in aluo concepta es, & virgineum mundo caput extulisti, tandem maturuit; & Prælo datus, cœpit vulgarem lucem intueri: tecum feliciter conceptus; tecum, vti spero, feliciter nasciturus. Vt quoto tempore, ipsa quidem, ô noua mundo, & digna Deo proles, Virgo sanctissima, materno in vtero fouêris, nutriris, vegetaris, ac tandem in maturum partum adolescis: toto & hic fœtus in suo Prælo formetur, animetur, poliatur, excudatur, & ad suum tandem vmbilicum fastigietur; & qui tecum sub octauum Decembris diem feliciter concipitur, tecum ad octauum circiter Septembris diem, tibi quodammodo geminus feliciter oriatur. I.

Cum B. Virgine concepta in lucem prodit hoc Opus.

Felix auspicium: & mihi certè haud infirmum argumentum, fore, vt in luce hominum non erubescat Liber hic, quem nascentem tua lux, ô Solis lux, Virgo Deipara, feliciter exoriens afflauit. Quid enim de tua luce bonorum omnium altrice non sperem, à qua II.
2. Esd. 1. 1. tam fertiles cælestium munerum segetes enutriantur? Mensis ille, in quo olim Nehemias de instauranda Ierosolyma, & resarciendo templo cogitabat, apud Hebræos [illegible] *Chisleu*,
Beda lib. 3. in Esdr. c. 15. dicebatur: hoc est, Beda interprete, *Spes*: quasi nouus aliquis bonæ spei fons ab eo mense nasceretur. Nec immeritò. Magnam enim apud omnes cælestium bonorum spem concipi oportebat in eo mense; in quo Ierosolyma, illa pacis vrbs, illa aula Dei, illa ara cæli, illa veræ pietatis, ac religionis officina debitum Deo cultum præstitura, erigebatur. Fuit igitur mensis ille, si vel ipsa historia spectetur, mensis bonæ spei, in quo non vulgaria emolumenta ex vrbe condita, templóque extructo, ab Israëlitico populo separabantur.

Bonum auspicium ex astro virgineo.
Chisleu, mensis bonæ spei.
Ex conscientione regia aula spes magna affulsit mortalibus.

Verùm, si altior mystagogia expendatur; maior nobis bene sperandi occasio consurgit. Nam ille Hebræorum mensis, vt idem obseruat Beda, nostrum incidit in Decembrem. December verò, quis non videt, quanto maiora habeat rerum bene sperandarum fundamenta? In quo non terrestris, sed cælestis Ierosolyma, ciuitas magna Deo, Virgo sanctissima construitur; & templum illud Solymæo longè augustius, ac diuinius, nempe, virgineum corpus in sanctissimum Æterni VERBI domicilium consecratur. Quid ergo de te, ô Spes nostra, non liceat, non libeat sperare, cùm vel ipsum tuum nomen san- III.
D. Epiph. in orat. De laud. Virg. ctissimum, MARIA, hoc est, interprete D. Epiphanio, *Spes*, certam nobis de totius mundi salute spem polliceatur?

December melioris spei mensis.

D. Bern. serm. 3. de Annunt. Florem appellat D. Bernardus, *Spem fructus*. Erumpe iam, ô flos de radice Iesse, feliciter IV.
erumpe; vt tecum nobis immensa cælestium fructuum spes concipiatur. Auroram vocat
D. Greg. 4. Mor. 14. D. Gregor. pari dicendi venustate, *Spem Solis*. Consurge, Stella matutina, consurge feliciter, vt tecum consurgente, nobis Æterni spes Solis, in hoc tuo mense nasciturí, pariter consurgat. Fortunatum igitur ter & ampliùs Decembrem; non in Iudæa tantùm, vt illum

B. Virgo flos, spes fructus. Aurora spes Solis.

illum veterem, sed in toto orbe bonæ spei mensem, faustis acclamationibus salutandum: in quo nobis per te, *ô Mater sancta spei*, primùm concepta, tam ingens bonæ spei cumulus aperitur! Eccl. 24. 24. Serarius, Ios. 9. q. 15.

V.
Menses à præcipuis festis Reges dicebantur.
December à conceptione B. Virginis Rex.

Fortunatum, inquam, mensem: imò & coronatum. Nam illos menses, in quos olim præcipuæ quædam celebritates incidebãt, veteres Hebræi מלכים *Melachim*, id est, Reges appellabant: & Regum nomine, mensium dignitatem exprimebant. Quæ verò maior celebritas, quàm illa, in qua Virgo parens, primam in lucem edita, cælo, terráque plaudente, omnium maxima Reginarum feliciter inauguratur? Quare mensis tam celebri festo coronatus, dignissimus censeri debet, qui tanquam Rex inter cæteros anni menses coronetur: & cui Psal. 64. 12. veluti coronæ anni multiplex à Deo benedictio impertiatur. Prodi igitur in lucem, parue fœtus, tuum per Auctorem informis, & impolite; sed tuam per fautricem formande, & poliende. Prodi feliciter: & in bonæ spei mense, & cum bonæ spei flore, & sub bonæ spei sydere, viue, & animare. Quid enim non speres tam felici spe nutritus? Quos hominum fauores tibi facilè non impetres, cui ipsa Angelorum Regina beneuolè patrocinetur?

VI.
Operis dignitas ab argumento, à tẽpore, à patrona, sanctissima Deipara.

Quin etiam caput sublimius attolle, ac tuis è tenebris erectus, regios in animos assurge: tum, quia totum baiulas regnum Israëlis, cuius historiam euoluis: tum, quia regio nasceris in mense, quem conceptæ Deiparæ celebritas regali diademate coronat: tum præcipuè, quia sub Augustissima Regina procul ab omni labe originalis culpæ sanctissimè, & felicissimè concepta, tuum tibi natalem feliciter auspicaris. Suum Iobus pro corona gerebat Iob. 31. 36. librum, à quo sibi videbatur coronari: *Quis mihi tribuat*, inquit, *vt circumdem illum quasi coronam mihi*. Tu verò caueas, vt tuum velis Auctorem coronare: à quo tantum honorem, qui non videat alienum, cæcus erit. Potiùs ergo à sanctissima Regina coronatus, beneficium agnosce, & illius ante pedes humiliter abiectus, immortaliter gratulare.

VII.
B. Virgo duplici nomine Regina.
Duplex Virginis corona.

Te verò, ô Regina Israëlis, beneuolam, ac propitiam experiatur noster labor. Versatur enim Israëlitico in regno: cuius imperium duplici nomine sortitis, & nata regibus, & genitura Regem Israël. Tui te Patres regio diademate coronarunt. Nam *Gloria filiorum*, in- Prou. 17. 6. quit Sapiens, *patres eorum*. Tuus te filius tibi in regni societatem cooptauit. Nam *corona senum*, eodem Parœmiasta concinente, *filij* eorum. Hoc est, filij coronant parentes suos, & suos honores cum illis non modò communes faciunt, sed eosdem. Vtroque igitur fulguras diademate; vno, quod filia à parentibus hæreditasti; altero, quod mater à Filio suscepisti. Vtrunque è pulcherrimis gemmis arte factum, haud scio, an tuam illam coronam triumphalem è duodecim stellis solertissimè confectam obscurare videatur.

VIII.
Prior Virginis corona à parentibus.
Posterior Virginis corona à Filio.
Iesus pulcherrima gemma.
Iesus, augustum nomen, quàm Iobenale.

In priori, quod tibi natura fabrefecit, clarescunt Patriarchæ, vt adamantes; flammescũt reges, vt pyropi; virescunt Principes, vt smaragdi; tota Proauorum series gemmea quadam venustate insignis splendescit. In posteriori, quod tibi diuina gratia conflauit, pro omnibus gemmis, quæ terra, marique pretiosissimæ nutriuntur, vt egregiè Clemens Alexandrinus; *Pulcherrima gemma, ipse est pulcherrimus* IESVS. Quod enim potuit in hac corona clariùs Clem. Alex. in exhortat. ad Gent. splendescere margaritum? imò, quod astrum fulgentiùs coruscare? In eo nomine ineffabili, quod olim summus Sacerdos aureæ coronæ insculptum præferebat, erãt, inquit Siracides, Eccli. 45. 14. *desideria oculorum ornata*: quasi diceret; Quidquid gratum, & iucundum; quidquid pulchrum, & elegans oculi aspicere cupiebant; totum id in eo nomine quodammodo expressum cernebatur. Quantò pulchrius Iesu nomen? In quo mihi videntur esse non modò desideria oculorum, sed etiam Angelorum: quia in Iesum non modò oculi, sed etiam An- 1. Petr. 1. 12. geli desiderant prospicere; cùm hæc vna gemma omnium gemmarum, imò & stellarum, superet venustates.

IX.
Facultas Reginæ Israëlis ad regnum Israëlis obeũdum imploratur.
Sacra volumina, regna.
Affectus in Reginã Deiparam.

Itaque, ô Deipara, duplicem in regnum Israëliticum coronam, alteram à parentibus pulchram, alteram à Filio pulchriorem comparasti: vnde totum hoc regnum semel, atque iterum tuum est. Absit igitur, vt iniussu tuo, tuo in regno spatiemur. Quare, vt huc pedem inferamus; & huius tui regni historiam diligenter euentilemus; feliciter annue: te annuente, vt spero, *non erimus regno indecores*. Regno, inquam, non Iudæorum, quod suis iam sce- Virg. 7. Æneid. leribus dirutum, & collapsum, quis nesciat indecorum, & proinde indignum, quod vllis encomiis decoretur? sed librorum, qui huius regni historiam complectuntur: sacra enim volumina, D. Hieronymus regna quædam esse interpretatur. Huic igitur regno, te fauen- D. Hier. in c. 21. Matt. te, te auspicante, non erimus indecores; quia in eo pro viribus explicando, nostra nunquam industria obdormiscet. Te verò Reginam, non modo Israëlis, sed Orbis, præcipuis studiis prosequemur; illud omnibus votis exoptantes, vt quam Israëlitici regni angustiæ non capiunt; tota creaturarum vniuersitas facilè Principem, atque Imperatricem veneretur.

LIBER



LIBER PRIMVS REGVM.

CAPVT TERTIVM.

1. PVER autem Samuel ministrabat Domino coram Heli, & sermo Domini
erat pretiosus in diebus illis, non erat visio manifesta.
2. Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in loco suo, & oculi eius
caligauerant; nec poterat videre.
3. Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, vbi erat Arca Dei.
4. Et vocauit Dominus Samuel. Qui respondens, ait: ecce ego.
5. Et cucurrit ad Heli, & dixit, Ecce ego; vocasti enim me. Qui dixit: non vocaui: reuertere, & dormi. Et abiit, & dormiuit.
6. Et adiecit Dominus rursum vocare Samuelem. Consurgénsque Samuel abiit ad Heli, & dixit: ecce ego: quia vocasti me. Qui respondit: non vocaui te, fili mi: reuertere, & dormi.
7. Porrò Samuel necdum sciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei sermo Domini.
8. Et adiecit Dominus, & vocauit adhuc Samuelem tertiò. Qui consurgens abiit ad Heli.
9. Et ait: ecce ego, quia vocasti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum: & ait ad Samuelem: vade, & dormi: & si deinceps vocauerit te, dices: loquere Domine, quia audit seruus tuus. Abiit ergo Samuel, & dormiuit in loco suo.
10. Et venit Dominus, & stetit: & vocauit, sicut vocauerat secundò, Samuel, Samuel. Et ait Samuel: loquere, Domine, quia audit seruus tuus.
11. Et dixit Dominus ad Samuelem: ecce ego facio verbum in Israël, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius.
12. In die illa suscitabo aduersùm Heli omnia, quæ loquutus sum super domum eius: incipiam, & complebo.
13. Prædixi enim ei, quòd iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem, eò quòd nouerat indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.
14. Idcircò iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum.
15. Dormiuit autem Samuel vsque manè, aperuitque ostia domus Domini. Et Samuel timebat indicare visionem Heli.
16. Vocauit ergo Heli Samuelem, & dixit: Samuel fili mi. Qui respondens ait: Præsto sum.
17. Et interrogauit eum: Quis est sermo, quem loquutus est Dominus ad te? Oro te, ne celaueris me. Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem ex omnibus verbis, quæ dicta sunt tibi.
18. Indicauit itaque ei Samuel vniuersos sermones, & non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat.
19. Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.
20. Et cognouit vniuersus Israël à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini.
21. Et addidit Dominus, vt appareret in Silo, quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, iuxta verbum Domini. Et euenit sermo Samuelis vniuerso Israëli.

CAPITIS TERTII
ARGVMENTVM.

I. *Partitio capitis.*

TERVM agitur in hoc capite de pœna Heli Sacerdotis; etsi aliqua ex parte acrioribus verbis exprimatur; nec iam per externum Prophetam, sed per domesticum Samuelem denuntietur. In tres igitur partes totum caput diuiditur. Primo loco reuelatur hæc pœna Samueli. Secundo, per Samuelem prædicitur Sacerdoti Heli. Tertio, in totum populum Israëliticum euulgatur. Quæ tria suis quæque locis explicabuntur ad literam, & sicubi opus erit, ad mores illustrabuntur.

Num. I. Puer autem Samuel ministrabat Domino coram Heli: & sermo Domini erat pretiosus in diebus illis: non erat visio manifesta.

EXPOSITIO LITERÆ.

II. *Pueritia Samuelis secundùm historiam.* PVer autem Samuel, &c. Dicitur Samuel puer, & secundùm historiam, & secundùm mysterium. Secundùm historiam quidem, quia exiguæ erat ætatis. Nam in Hebræo est נער *Naghar*: in Græco *παιδάριον*: quæ vocabula plerunque pro iuniore vsurpantur. Vnde Diuus Ignatius, & Theodoretus (D. Ignat. Theodor.) locis statim citandis, *puerum paruulum*, & *adolescentulum* appellant. Diuus Chrysostom. (D. Chrys.) sermon. Ne desperemus, si in bene operando tardi fuimus, in 5. tomo, ait, Deum Samueli apparuisse *in primæua ætate.* Et lib. 3. De Prouidentia, docet, *antequam ad viriles annos euaderet, inter mirabiles Prophetas fuisse inscriptum.* Et lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monasticæ, addit, Samuelem, & virtutem, & prophetiam instituisse, non solùm, *cùm ad maturam ætatem peruenisset, sed etiam, cùm puer adhuc esset.* Sic loquitur D. Ephrem (D. Ephrem.) parænesi 15. & 21. & alij communiter. Dubium tamen est, quotum ageret ætatis annum? Philo (Philo Biblicus.) in Antiquitat. Biblicis, docet, agere octauum. Theodoretus (Theod.) in prooemio ad Epistolas Pauli, adhuc eum iuniorem videtur significare. *Samuel*, inquit, *Domini Dei vocem auribus accepit, cùm, quid Deus esset, nondum didicisset.* Sic ille. (*Samuel duodennis à Deo vocatur.*) Quasi nondum excessisset è rudibus annis, in quibus, ligato rationis vsu, nulla de Deo notitia habetur. Nihilominùs duodecimum annum agere, probabiliùs sentiunt Suidas verbo, *Samuel*, Cedrenus, Zonaras, & ante illos Iosephus lib. 5. Antiq. cap. 11. aliàs 15. quibus Abul. Torniel. & Serarius subscribunt. (Suidas. Cedrenus. Zonaras. Iosephus. Abul. Torniel. Serarius.)

III. (Theod. D. Ignat. *Ætas Samuelis impugnatur.* Serarius. Procop.) Sed obiicies: Heli tunc agebat annum octogesimum sextum, vt docet Theodoretus q. 12. aut nonagesimum, vt D. Ignatius in Epistola 6. ad Magnesianos expressit; aut etiam nonagesimum octauum, in qua ætate mortuus est, infrà cap. 4. n. 15. vt vult noster Serarius, existimans, hanc reuelationem Samueli factam esse, quando Heli erat in extremo vitæ suę anno; & citare pro se potuit Procopium, id expresse asserentem: ergo Samuel tunc duodennis esse non potuit, sed multò senior esse debuit. Probatur consequutio: quia, si Samuel erat duodennis, quando Heli annum octogesimum sextum agebat, sequitur, mortuo Heli, post duodecim annos, quibus expleuit nonaginta octo, quos vixit, Samuelem annum agere vigesimum quartum: & post viginti annos, quos à morte Heli iudicauit, agere annum quadragesimum quartum: in qua ætate nullo modo potuit senex appellari; cùm tamen infrà c. 8. n. 1. sub id temporis dicatur, senuisse. Quæ consequutio clarior erit, si Samuel erat duodennis, quando Heli erat nonagenarius: quia tunc, mortuo Heli, post octo annos, agebat Samuel annum vigesimum: & post illos viginti suæ præfecturæ, quadragesimum: in qua ætate nemo dicitur senex. Clarissima tandem, si Samuel erat duodennis, quando Heli nonagesimum octauum agebat annum, in quo mortuus est: quia tunc post illos viginti, quos Samuel à morte Heli iudicauit, solos triginta duos explebat annos: in qua ætate quis dici potest, senuisse?

IV. *Hebræorum solutio reiicitur.* Fortasse propter hoc argumentum dicunt Hebræi in Sedar cap. 13. quos citat Serarius, Samuelem fuisse tunc quadraginta annorum. Sed hoc esse non potest propter auctoritatem Scripturæ, & Patrum, eum puerum appellantium. Respondeo igitur, (*Germana responsio.*) Heli, cùm hæc acta sunt, septuagenarium, aut octogenarium fuisse, iuxta id, quod diximus cap. 2. num. 22. §. 6. scilicet, Samuelem triginta, aut quadraginta annos vixisse cum Heli. Nam, si vixit triginta annos, erat tunc Heli octogenarius, victurus adhuc decem & octo annos vsque ad nonaginta octo, in quibus obiit, qui decem & octo additi illis duodecim Samuelis, efficiunt triginta. Si verò Samoel vixit cum Heli quadraginta annos: erat tunc Heli septuagenarius, victurus adhuc viginti octo annos, qui cum illis duodecim Samuelis, quadraginta absoluunt. Vnde tandem efficitur, post illos viginti annos suæ præfecturæ, quos Samuel à morte Heli iudicauit, sexaginta, aut quinquaginta annos expleuisse: in qua ætate iam potuit senex appellari. Atque hæc de pueritia Samuelis secundùm ætatem. Secundùm mysterium verò dicitur Samuel puer, (*Pueritia Samuelis secundùm mysterium.*) vt ostendatur Deus non curare discrimen ætatis, sed probitatis. Siquidem ad Pontificem, ac Iudicem totius Israëlis, seueriùs, quàm antea, arguendum, non virum annis grauem, sed puerum moribus præmaturum delegauit. (*Præferebat Deus virtutis, an ætatis antiquitate prouectos.*) Quod paucis illustrabo.

Maturitas ætatis apud Deum, non tam annis, quàm moribus æstimatur.

V. *Iuuenes boni præferuntur senibus.* SÆpè à Deo iuuenes magno pretio æstimantur; senes verò pro nihilo habentur: quia hi morum leuitate repuerascunt; illi, virtutum maturitate consenescunt. Patet in primis in Heli octogenario, & Samuele duodenni: quos Deus ita distinxit, vt iuniorem prætulerit seniori, quia hunc puerilis ignauia contemptibilem reddiderat; illum senilis constantia venerandum. De qua re Theodoret. (Theod.) quæst. 12. *Ad arguendum*, inquit, *Pontificem, qui senuerat, adolescentulus dignus est habitus, cui Deus appareret.* Et paulò post: *Eam ætatem* (scilicet puerilem) *antiquæ prætulit Deus: & eum, qui octoginta & sex annos vixerat, & quadraginta annos duplici magistratus honore dignus fuerat habitus, (erat enim & Iudex, & Pontifex) despiciens; loquutus est cum paruo puero; docens, quantum canitie est melior iuuentus ornata virtute.* Quod rursus idem Theodor. (Theod.) obseruat in prooemio ad Epistolas Pauli. *Samueli*, inquit, *Prophetæ, cùm esset adhuc adolescentulus, ne postremum quidem*

dem ministerium à Sacerdotibus obire permissum est: immatura enim ætas eum à munere obeundo arcebat; tamen, vt ei Deus appareret, assequutus est, diuinæq; visionis fructum percepit, & Domini Dei vocem auribus accepit, cum, quid Deus esset, nondum didicisset. Et iterum Orat. 1. in Danielem, ostendens, quanta beneuolentia Deus in Danielem adhuc puerum vsus fuerit: *Hinc etiam*, inquit, *docemur, Auctorem omnium rerum Deum, nullam ætatis rationem habere; sed pietatem tantum, ac religionis studium requirere, qua in iuuene comperta, multis eum natu maioribus anteponit. Quod erga Ioseph ipsum fecisse comperimus: nec nō erga Samuelem Prophetam. Nam puero admodum iuueni apparuit, & iussit seni supplicia prædicere: vt ea re, & senio confectum accusaret; & gratiam in adolescentulo vigentem ostenderet.*

Theod. *Ætas assimatur moribus.*

VI. D. Chrys. *Maturitas in puero.*

Eandem doctrinam D. Chrysostom. inculcat lib. 3. De prouidentia, ante medium. *Is*, inquit, nempe Samuel, *à puero nutritus in templo, Deo semper charus, & gratissimus fuit; tantáque virtutis indicia à prima statim ætate prætulit, vt antequam ad viriles annos euaderet, inter mirabiles Prophetas inscriberetur: idque cùm ea res tunc defecisse omninò videretur. Non enim erat, inquit, visio dirimens, verbúmque pretiosum.* Nec minùs disertè loquitur idem D. Chrysostom. lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monasticæ: *Adeò*, inquit, *magnus, & strenuus adolescens factus est; vt Deum, cum illam Hebræorum Gentem ob effusam latè malitiam execraretur; nec iam illis vteretur, nec visionem vllam eis reuelaret, rursus eximiæ virtutis meritis attraxerit, persuaseritque, ea omnia, quæ antea solebat exhibere, prophetiámque, quæ diu abuolarat, restituere. Nec ista tunc modò valuit, cùm ad maturam ætatem peruenisset; sed etiam cùm puer adhuc esset. Non enim erat, inquit, visio comprimens, & verbum pretiosum non erat. Cúmque ista talia, ac tanta essent, illum Deus ingiter alloquio familiari dignabatur; ac per illum frequens oracula edebat.* Hæc Chrysostomus. Ex quibus constat, nec Samueli obfuisse pueritiam, nec Heli profuisse senectutem; quominùs hic à Deo parui, ille magni penderetur.

D. Chrys.

VII. D. Ignat. *Authoritas non comparatur annis, sed moribus.*

Sed & D. Ignatius, vtroque, scilicet, Theodoreto, & Chrysostomo antiquior, in Epistola 6. ad Magnesianos, pluribus exemplis suadet, non tam adolescentiam, quàm prudentiam spectandam. *Nec enim*, inquit, *annosi, sapientes continuò sunt: nec senes intelligentiam possident; sed spiritus, qui in hominibus est. Daniel enim ille sapiens, cùm duodecim esset annorum, spiritu Dei afflatus erat, & senes frustrà canos ferentes calumniatores, & aliena forma appetentes esse coarguit. Samuel autem puer paruulus Heli nonagenarium reprehendit, quòd suos filios, plusquàm Deum honoraret.* Et post alia exempla Ieremiæ, Salomonis, & Iosiæ, qui admodum iuuenes, res præclaras ediderunt, concludit: *Adolescentia igitur non est contemnenda, quoties Deo dedita, consecratáque fuerit: verùm is contemnendus est, qui prauo est animo; tametsi malorum dierum tempore plenus sit.*

Senes intemperantes pueri dicuntur.

VIII. *Senectus puerilis.*

HInc est illa frequens sacrarum Literarum consuetudo, vt seniores propter morum intemperantiam pueri dicantur: iuniores propter virtutum excellentiam senes appellentur. Quasi nulla annorum, sed morum ratio habeatur. Quod rectè obseruauit Philo Hebr. lib. de his verbis: Resipuit Noe: *Hic certè*, in-

Philo Heb.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

A quit, *mos est legislatoris, vt & prouectos ætate appellet iuuenes; & eos, qui nondum senuerunt, seniores; non respiciens annorum numerum, aut tempus breue, longúmve; sed potentias animæ, quæ mouetur meliùs, aut deteriùs.* Id, quod pluribus exemplis illustrat. Nam in primis iuniorum nomina tribui senioribus, si malis moribus imbuantur; probat primò exemplo Cham, qui inter filios Noe dicitur *minor*, non ætate, sed leuitate. *Iuniorem*, inquit, *filium dicens, non ætatis nomen scribit; sed qualibus moribus præditi sint, rerum nouarum amatores indicat.*

IX.

Probat deinde exemplo Ismaëlis, qui Gen. 21. numer. 14. 15. & 16. appellatur *puer*, seu, vt ipse legit, *puerulus*; cùm tamen vigesimum annum iam attingeret; vt ipse ex Scriptura deducit: puer, inquam, non annis, sed moribus. *Ismaelem*, inquit, *penè vigesimum annum agentem cum Isaac virtutibus perfecto collatum, nominat puerulum: Sumpsit panes, & vtrem aquæ, imposuitque super humerum eius; & puerulum. Rursum: Proiecit puerulum sub vna abiete. Et non videbo mortem pueruli. Atqui ante natum Isaac, annum tertium decimum egressus Ismael circuncisus est; & post alterius iam septennis ablactationem, ne spurius cum legitimo ex æquo luderet, vnà cum matre pulsus est; & tamen, quamuis iuuenis, vocatur puerulus.* Vbi interim non disputo de hac Philonis collectione, & de illa pueri septennis ablactatione: de qua re in 1. tom. cap. 1. numer. 22. dictum est. Satis nobis est, Ismaelem ætate seniorem, quàm Isaac; tamen improbitate vocari iuniorem.

Seniores cur dicantur pueri.

X. *Iudæi in senectute pueri.*

Tandem confirmat exemplo omnium Hebræorum, inter quos, cùm multi essent annis graues; erant tamen moribus tam leues, vt pueri dicerentur. *Peccauerunt ei*, inquit Moyses, *& non filij eius*: seu, vt Philo vertit, *pueri eius*. Deuteron. 32. numer. 5. Quod statim expendens, *In Cantico*, inquit, *maiore populum vniuersum ad res nouas proclinantem; insipientis, & infantis ætatis nomine pueros vocat. Iustus, inquit, & sanctus Dominus: peccauerunt ei pueri eius reprehensibiles*, &c. *An non aptè alloquitur homines probrum habentes in anima, per stultitiam, ac dementiam sæpè labentes; non puerilem ætatem corporis aspiciens; sed mentis infantiam expertem rationis, ac veritatis?* Atque his, aliísque exemplis, tandem concludit: *Satis demonstratum puto, iuuenem in sacris Literis sæpè vocari, non ætate vigentem; sed eum, qui habet animam temerariam, & nouarum rerum cupidam.*

Pueri optimè morati, senes appellantur.

XI. *Virtus in pueritia, conciliat autoritatem senilē.*

COntrà verò, eos, qui virtutibus procedunt, quamuis annis adhuc repent, seniores appellari, non paucioribus, neque obscurioribus exemplis demonstratur. *Iam ostendemus*, inquit Philo citatus, *non ætate, sed honore præstantes, nominari seniores.* Et in primis ab illis duobus coniugibus, sanctissimis Patriarchis, Abraham, & Sara exorditur; qui omnium primi in Scriptura senes appellantur. *Erant*, inquit Textus, *ambo senes, prouectaq; ætatis.* Genes. 18. numer. 11. Non, quòd ætate; sed, quòd sanctitate aliis præcellerint. Et rursùs de Abraham dicitur: *Erat autem Abraham senex, dierúmque multorum; & Dominus in cunctis benedixerat ei.* Genes. 24. numer. primo: ad quem locum alludens Philo: *Quis ignorat*, inquit, *quòd ille sapientissimus Abraham, breuioris æui, quàm vllus*

Abraham, & Sara primi in Scriptura dicuntur senes.

penè omnium maiorum suorum inducitur? Illorum tamen, qui diutissime vixerunt, nemo, quòd sciam, sed solus hic scribitur senior. Dicunt igitur sacra Oracula, quod Abraham erat senior ætatis prouectæ. Et Dominus benedixit Abraham, rebúsque ipsius omnibus. Quod mihi videtur subiunctum tanquam causa præcedentium, cur senior dicatur ille sapiens. Cum enim à benigno Deo bene afficitur animæ pars rationalis; nec vnam modò, sed omnes benedictionis species accipit, seniliter sapit, atque ita fit senior. Itaque Abrahamo, & Sara, cùm multis antiquis Patriarchis ætate fuerint iuniores, omnium tamen primi senes appellantur; vt matura illis fuisse, non tam ætatis, quàm sanctitatis; neque tam annorum, quàm benefactorum senectus ostenderetur.

XII.
Philo Heb. Pueri bene morati dicuntur senes.

Quam doctrinam de his quoque Patriarchis expressit idem Philo lib. De Abraham, seu de legibus non scriptis, versùs finem. *Hunc*, inquit, scilicet, Abrahamum, *primum nominant* diuina Oracula *seniorem; quamuis maiores eius, tripla, & amplius longæuiores fuerint: quorum neminem legimus hac appellatione dignum habitum. Et merito: nam reuera senior, non ex longitudine temporis, sed ex laudata vita spectatur. Siquidem, qui multum ætatis in corpore vixerunt sine probitate, longæui pueri dicendi sunt; quia nunquam disciplinas attigerunt dignas canitie. Amator autem prudentiæ, sapientiæq; iuste senior, siue primus vocari potest. Nam reuerà primus est sapiens in humano genere, sicut gubernator in naui, magistratus in ciuitate, Imperator in exercitu, anima in corpore, mens in anima, cœlum in mundo, in cœlo Deus.* Et paulò post concludit: *Itaque senior, & primus vir bonus dicendus est: omnis autem malus extremus, & nouissimus, vt nouator, & tractans res extremi ordinis.*

XIII.
Origen. Nemo ante Abrahamũ, & Saram senex dicitur.

Philonem sequutus Origenes homil. 4. in Genes. *Quantum*, inquit, *ad ætatem corporis pertinet, multi ante ipsos numerosioribus annis duxerant vitam; nemo tamen presbyter* (hoc est, senex) *appellatus est; vnde videtur, nomen hoc sanctis, non longæuitatis ratione, sed maturitatis adscribi.*

D. Hieron.

Sed & Diuus Hieronym. in Psalm. 91. numer. 11. ibi: *Et senectus mea in misericordia vberi*: mihi videtur, hanc interpretationem ab his fontibus hausisse. *Diligenter*, inquit, *attendo in Scripturis, vbi primum legerim senectutem. Adam nongentis triginta annis vixit; & tamen senex non dicitur. Mathusalem nongentis sexaginta nouem annis vixit; & senex non dicitur. Venio vsque ad diluuium, & post diluuium per annos ferè tria millia, & nullum inuenio, qui dictus est senex. Primus Abraham senex dicitur. Et certè multò minoris ætatis fuit, quàm Mathusalem, sed propterea dicitur senex, quoniam senectus ipsius inuncta fuit oleo vberi*: hoc est, bonis charitatis, & misericordiæ operibus circumfusa. Vides igitur non plurium annorum, sed præstantium morum senecturem in Scriptura commendari? Consule eundem Diuum Hieronym. in cap. 3. Isai. num. 2. ibi: *Ariolum, & senem*, eandem doctrinam de Abrahamo sene replicantem, aliósque exemplis illustrantem.

D. Hieron.

XIV.
Maturitas, non ætas, senes facit.

Pergit verò Philo citatus, suam hanc sententiam aliis sacrarum Literarum testimoniis confirmare. Nam ad Moysen Deus: *Congrega*, inquit, *mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quòd senes populi sint*. Numer. 11. numer. 16. Vbi planè senes nominat non ab ætate, quos omnes norunt, sed à probitate, quos solus Moyses distinguebat. Sic enim ex A citatis verbis rectè colligit Philo: *Ergo*, inquit, *non eos, quos vulgus senes existimat; sed quos solus hic sapiens nouit, seniorum appellatione dignatur. Quos enim hic reprobauerit, tanquam bonus mensarius, falsam virtutis monetam habentes, iuuenils, temerarioque sunt omnes animo: quos autem commendare voluerit, probati & iuxta prudentiam seniores censendi sunt.* Quam Philonis interpretationem sequutus Diuus Ambrosius sermon. 2. in Psalm. 118. vlteriùs docet, optimos Prælatorum electores, non tam ad corporis, quàm ad mentis senectutem, hoc est, prudentiam, consilium, probitatem spectare. *Et nunc*, inquit, *quibus hoc committitur officium, vt eligant seniores viros; eligunt sine dubio inter seniores* B *iuuenem corrigentem viam suam in custodiendo verba Dei. Et si senioris ætatis virum elegerint, non quasi longæuum vtique elegerunt; sed quasi custodientem verba Dei. Quod si reperitur in iuuene, vtique & ipse est eligendus.* Quod probat exemplo Moysis, iuniores senioribus præferentis. *Moyses*, inquit, *Iesum Naue, & Caleb iuuenes præ cæteris approbabat; quorum consilium in terræ electione, magis quàm multorum seniorum, & ipse sequutus est; & Deus prætulit.* Itaque seniores dicuntur, non qui annorum longæuitate; sed qui virtutum sanctitate in maius promouentur.

D. Ambros.

Iuuentus bene morata præfertur.

XV.
Non senior, sed melior filius dicitur primogenitus.

Duæ illæ vxores, *Dilecta, & Odiosa*, quarum meminit Scriptura, Deuter. 21. numer. 15. ita se habuerunt, vt Dilecta priùs peperisse, quàm C Odiosa intelligatur, iuxta Septuaginta, qui prius Dilectæ, quàm Odiosæ partum descripserunt; & tamen non Dilectæ, sed Odiosæ filius primogenitus nuncupatur: quòd hic virtutis, ille voluptatis filius significetur. *Obseruasti*, inquit Philo, *quod Dilecta filium nunquam seniorem vocat, aut primogenitum: Odiosæ vero filium, sæpiùs: atqui prior ille natus; Odiosæ verò filius, posterior. Attamen prioris partus, quanquàm antiquior, à rectè iudicante iunior decernitur: posterioris verò filius, quamuis prærogatiua temporis careat, maiore, antiquioréque portione dignus habetur. Quam ob rem? Quoniam harum mulierum, alteram dilectam, voluptatis; alteram odiosam, prudentiæ significatiuam dicimus.* Et statim: *Voluptatis studium, partus im-* D *perfectus est, & nunquàm non puer; etiamsi ad annosam ætatem perueniat. E diuerso virtutis amor ab incunabulis in prudentia senatum adlegitur, nunquam sensurus senium.* Itaque vera senectus est, quæ à moribus sortitur auctoritatem, neque ab annis patitur detrimentum. Vide eundem Philonem lib. De sacrific. Abel & Cain, vbi proximam interpretationem de his duabus vxoribus inculcat.

Eadem res aliis exemplis illustratur.

XVI.
Frater minor præfertur maiori ob virtutem.
D. Ambr.

Eleganter de hac re Diuus Ambros. multis in locis philosophatur. Priùs quidem ortus Caini, quam Abelis, proditur in Scriptura: sed tamen priùs Abelis, quàm Caini officium re- E censetur. *Fuit*, inquit Textus, *Abel pastor ouium, & Cain agricola.* Genes. 4. numer. 2. Quod magno cum mysterio factum credit Diuus Ambros. lib. 1. de his fratribus, capit. 3. *Non est*, inquit, *otiosum, quòd cum antè generatus sit Cain, vt lectio docet, prælatus sit hoc loco Abel; nec idem sit ordo nominum, qui est ordo naturæ.* Et post pauca, aptam ad præsens institutum huius commutationis rationem reddit: *Rectè*, inquit, *vbi nascuntur hi fratres, seruatur etiam in prædicando ordo naturæ: vbi verò exprimitur disciplina viuendi, seniori iunior antefertur: quia etsi tempore iunior,*

unior, virtute præstantior est. Innocentia enim tempore posterior est, quàm malitia; sed meritorum nobilitate antiquior. Vbi ergo generatio exprimitur, præueniat Cain; vbi disciplinarum sit prædicatio, præcurrat Abel. Quam doctrinam D. Ambros. desumpsit ex Philone lib. De Sacrif. Abel, & Cain, vbi eam paribus fermè non modò sententiis, sed etiam verbis expressit, dicens: *Virtutem à vitio antiquitate quidem superari; viribus autem, ac dignitate præpollere.* Et statim: *Ergo quando*, inquit, *de amborum natiuitate agitur, Cain præcurrat prior: quando verò conferuntur, & examinantur vtriusque studia, Abel præcedat.* Vnde paulò pòst concludit: *Ita vitium iuxta temporis prærogatiuam fit antiquius; iuxta dignitatem verò, honorem, atque gloriam, virtus est potior.*

Philo Heb.

XVII. D. Ambr. *Prudentia senilis in iuuene.*

Miratur D. Ambros. senilem Dauidis prudentiam iuuenili adhuc in pectore fulgurantem: qui à iuuenilibus lusibus, ac voluptatibus abstractus, maturo quodam iudicio diuinam erga iustos prouidentiam contemplabatur. *Iunior*, inquit, *fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum.* Psal. 36. n. 25. Quasi diceret, iam inde à iuuentute mea vsque ad senectutem obseruaui, nunquam diuinam erga seruos suos beneuolentiam defecisse. Itaque non solùm senex, sed etiam iuuenis in hoc studium incumbebat. *Quomodo*, inquit D. Ambros. *iuuenis Dauid hoc potuit comprehendere? Iuuenis enim magis temporalia, quàm æterna considerat; quia ætas ea propendet ad vitia.* Et respondet apte ad rem præsentem: *Sunt quidam*, inquit, *in iuuentute senes, & alij iuuenes in senectute. Sunt, inquam, viri, quorum animi senili grauitate censentur; in quibus ætas senectutis sit vita immaculata; in quibus vigeat incana prudentia.* Quod pluribus confirmat exemplis.

XVIII. *Iuuenes probi senibus æquandi.*

Certè D. Ioannes non minùs iuuenilem, quàm senilem ætatem commendat: quando paribus vtraque virtutum præsidiis incanescit: *Scribo vobis*, inquit, *patres, quoniam cognouistis eum, qui ab initio est. Scribo vobis, adolescentes, quoniam vicistis malignum. Scribo vobis, infantes, quoniam cognouistis patrem. Scribo vobis, iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis*, &c. 1. Ioan. 2. n. 13. & 14. Vbi non solùm senes, sed etiam iuuenes; imò hos pluribus, grandioribusque laudum encomiis illustrat. Nam, vt bene D. Ambros. in Psal. citatum: *Virtutum*, inquit, *ista, non infirmitatis ætates sunt. Neque enim sine virtute puer est, qui cognouit patrem Deum virtutum.* Et statim docet, hos pueros ab illo hausisse vires, qui antequam sciret vocare matrem, aut patrem, accepit virtutem Damasci, & spolia Samariæ: & proinde ipsis viris, strenuisque bellatoribus fortiores esse: *Adeò*, inquit, *vigor animi infirmitatem excludit ætatis.* Quod post pauca illustribus exemplis locupletans: *Habes*, inquit, *& Christum, qui in pueritia sua aui maturos vicerit: vt Daniel puer spiritu valido seniores illos redarguit Iudæorum, & de victoria iure deiecit in mortem.* Vbi plura de hac re.

XIX. D. Ambr.

Pueri boni redarguunt senes.

Et rursùs idem D. Ambros. serm. 2. in Psal. 118. de eodem Daniele loquutus. *Daniel*, inquit, *cùm puer esset, accepit spiritum, quo dignus senectutis primitiis haberetur, vt redargueret senes: ipse non senior longæuitate, sed gratia. Erat enim in illo ætas senectutis vita immaculata. Cui competit Dauidicum illud, super senes intellexi. Ideòque tanquam de veterani consilij, & senilis conscientiæ viro, diuinum pronuntiauit Oraculum. Quis prudentior, quàm Daniel?* Sic enim legit D. Ambros. illum vulgatæ locum: *Ecce sapientior es tu Daniele.* Ezech. 28. n. 3. Vbi Propheta loquitur de Rege Tyri, qui se Deo exæquabat, immò se Deum faciebat, dicens: *Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi in corde maris.* Ibidem numer. 2. Hunc igitur Propheta ironicè appellat Daniele prudentiorem. Quasi nihil esse posset absurdius, quàm cuiusque hominum sapientiam cum sapientia Danielis comparari. Adeò vnius pueri doctrina senilem doctrinam superabat. Laudat Dauid adolescentem, qui corrigit viam suam custodiendo sermones diuinos. Psal. 118. numer. 9. Nec immeritò, inquit ibi D. Ambr. cùm hic *iunior sit ætate, non moribus; & habeat in primo flore iuuentutis suæ senilem intellectum.* Vnde, cùm Salomon totius apex sapientiæ viam viri in adolescentia se ignorare fateatur, Prouerb. 30. numer. 18. tamen hic adolescens non tam annis, quàm moribus maturus, dicitur viam suam corrigere, seu, vt legit D. Ambros. viam suam scire. Quasi non ab ætate, sed à probitate sapientia hauriatur; qua vel ipsi senes superentur. Quemadmodum Dauid: *Super senes*, inquit, *intellexi, quia mandata tua quæsiui*; Psalm. 118. numet. 100. Vbi D. Ambr. serm. 13. *Dei gratia*, inquit, *erogata doctrina maturitatem ætatis supergreditur senilis. Cùm enim ætas senectutis vita immaculata sit; vtique doctrina vitæ immaculatæ senilem præstat ætatem.* Neque enim qui annis, sed qui virtutibus proficit, laudabiliter senescit. Vnde D. Ephrem serm. De timore Dei, in 3. tomo, metatur senectutem non à tremore corporis, sine succo, & sanguine frigentis; sed à timore animi Deum iudicem, ac vindicem formidantis. *Expers*, inquit, *timoris Domini securitas cogitationem puerilem parit. Et timor Domini etiam iuuenes senes reddit.* Et statim in exemplum adducit Samuelem.

Prudentia & probitas in pueritia.

D. Ambr.

D. Ephr.

XX. *Puer dici prohibetur Ieremias ob probitatem.*

Cæterùm Ieremias suam pueritiam excusans, ne prædicaret, à Deo reprehenditur. *Noli dicere, puer sum: quoniam ad omnia, quæ mittam te, ibis.* Ierem. 1. num. 7. Deus enim, inquit D. Ambrosius in Psal. 36. *Iuuenem non putauit, quem aptum prophetica gratia indicabat.* Et serm. 2. in Psalm. 118. *Et vtique*, inquit, *erat ætate iuuenis; sed prohibetur iuuenem se dicere, qui esset maturioris prudentiæ.* Et rursus serm. 13. in eundem Psalmum, docet, non fuisse puerum appellandum: *Eò quòd*, inquit, *non æstimaretur iuuenis definitione diuina, qui canam haberet prudentiam; qui sanctificationis cælestis gratia relucerет.* Ac tandem serm. 14. ad eundem Psalmum vberiùs, & elegantiùs: *Verecundè*, inquit, *Propheta ætatem corporis prætendebat, ne exequendis cælestibus imperatis impar esse adolescentia deprehenderetur. Sed Deus, vt qui morum magis, quàm annorum iudicaret ætatem considerandam, & in iuuenili corpore maturitatem robustæ sapientiæ in suo seruulo præuideret, ait: Noli dicere, puer sum. Prohibuit enim iuuenilis ætatis contemplatione vires suas perpendere; cui fides canitiem sapientiæ ministraret.*

XXI. D. Ambr. *Laudatur iuuentus matura.*

Non immeritò laudatur à D. Ambros. in Oratione funebri Valentinianus Imperator, tanquàm alter Ascanius: *Ante annos, animumq; gerens, curamq; virilem.* Æneid. 9. Erat etenim in eo *Annorum immaturitas, & consiliorum senectus*: & post multa: *Adolescentem videres senilem ferre sententiam*, &c. Quasi morum probitate, annorum maturitatem præueniret. Nec enim viriditas est adolescentiæ, vbi prudentiæ tempestiuitas reperitur. Ex illis duobus fratribus, de quibus Christus Dominus; adolescentior postulauit à patre portionem substantiæ, quæ illum contingebat. *Et diuisit illis substantiam.* Luc. 15. num. 12. Mirabitur aliquis, cur prudens pater suam filio iuniori hæreditatem largiatur; cùm

D. Ambr. meritò timere possit, ne ab adolescentulo malè A dissipetur? Sed mysterium agnoscens D. Ambros. ad eum locum: *Vides*, inquit, *quòd diuinum patrimonium petentibus datur. Nec potes culpam patris, quod adolescentiori dedit. Nulla Dei Regno infirma aetas, nec fides grauatur annis. Vtinam non recessisset a patre; impedimentum nesciuisset aetatis.*

Puerilis aetas non contemnenda, si adsit maturitas virilis.

XXII. Itaque non contemnitur à Deo puerilis aetas, quam spiritualis quaedam innocentia comitatur. Vnde Christus Dominus, pueros ad se venire cupiebat. *Sinite*, inquit, *pueros venire* B *ad me, & nolite vetare eos, talium est enim Regnum Dei*, Luc. 18. numer. 16. Vbi notat D. Ambros. non aetate, sed innocentia pueros mysticè designari. *Alioqui*, inquit, *obesset adolescere: videreturque, Deus vitae processum ad vitia dare, non ad incrementa virtutis.* Et statim: *Cur*, inquit, *pueros aptos Regno dicit esse caelorum? fortasse, quia malitiam nesciant, fraudare non nouerint, referire non audeant, scortari ignorent, opes, honorémque non appetant. Verum non ignorare ista virtus est, sed contemnere. Non igitur pueritia, sed aemula puerilis simplicitatis bonitas designatur.*

D. Ambr. *Adolescentes maturi bene morati sunt apti ad gubernandum.*

XXIII. Multò antè in lege veteri insinuatum est idem mysterium; cùm scilicet, praetermissis senioribus filiis Isai, Dauid omnium natu minimus C creatur in Regem, 1. Reg. 16. num. 13. vbi mirum non est, iuniorem senioribus anteferri. Nam, vt bene D. Chrysostom. in Psalm. 50. agens de his fratribus: *Non*, inquit, *in differentia aetatis virtus, ac malitia cognoscitur, sed in differentia mentis. Quòd, si fueris sobrius, nil tibi immatura nocebit aetas: & si fueris negligens, senectus tibi nil prodesse potest.* Luculentiùs hanc rem illustrat D. Chrysostom. in caput 3. Isai. numer. 4. ibi: *Et dabo pueros principes eorum, &c.* Vbi docet, nullum certum ab aetate ad virtutem desumi posse argumentum: *Contingit*, inquit, *iuuenes esse cordatos, ac prudentes: contrà videre licet, qui vnà cum stoliditate, ac deliciis consenuerint.* Et paulò pòst firmat exemplis: *Nam & Timotheus*, inquit, *iuuenis erat; is tamen Ecclesias, innumeris, qui senio incanuerant, sapientiùs moderatus est. Salomon quoque annos natus duodecim, disertè cum Deo sermocinabatur: senio autem confectus multum detraxit de pristina virtute. Sed huius pater Dauid graue illud commisit peccatum, non puer quidem, & adolescentulus; qui alioqui pusio, admirabile illud trophaeum erexit, barbaro in terram deiecto: nec aetas iuuenilis fuit impedimento, quominùs cum laude praeclaras hasce actiones conficeret. Ieremiae insuper munus propheticum deprecanti, obtentu tenerioris aetatulae, non consensit Deus, pronuntians, nihil illi esse impedimento teneritudinem aetatis, modò mens fuerit sana, & confirmatus animus. Hanc agens aetatem, quin potiùs inferiorem, Daniel, in Presbyteros illos sententiam ferebat damnationis. Sed & Iosias nondum decem annos natus, ad regale solium conscendit; iam tunc omnium ore celeber: post haec in socordiam, aliquantulum delapsus, corrupit pristinam animae virtutem. Quid verò Ioseph? Nónne admodum iuuenis durissimum illud strennè depugnauit bellum? Non quidem aduersùs homines, sed aduersùs ipsam naturae tyrannidem, nempe concupiscentiam pugnans, è medio camini, ac flamma Persicâ illi multo vehementioris exiliuit illaesus.* Hactenus D. Chrysostom. eleganter.

D. Chr.

Iuuenes maturi digni ad regimen. D. Chrys.

XXIV. Iam verò D. Hieronymus in Epist. 1. ad Heliodorum, sub finem, sicut neque dignitati, ita neque aetati, virtutum primas tribuendas censet. *Non facit*, inquit, *ecclesiastica dignitas Christianum. Cornelius Centurio adhuc Ethnicus dono sancti Spiritus mundatur: Presbyteros Daniel puer iudicat. Amos ruborum mora distringens repentè Propheta effectus est. Dauid pastor eligitur in Regem. Minimum discipulum Iesus amat plurimùm.* Vbi vides auctoritatem apud Deum, nec in dignitate, nec in aetate; sed in sola probitate, sanctitateque consistere. Vnde saepè Deus, senioribus exclusis, recipit iuniores, iuxta illud: *Conuertam manum meam ad paruulos.* Zachar. 13. num. 7. Quod Theodor. q. 108. in Genes. D. Hieronym. in cap. 25. Ezechiel. Rupertus, & alij, in filiis veterum Patriarcharum expendunt, quorum iuniores senioribus praelati sunt, non solùm vt significaretur noua Ecclesia veteri Synagogae praeferenda: sed etiam, vt primatus apud Deum non aetati, sed sanctitati deferendus probaretur: vt Philo Hebraeus lib. De Abrahamo, & lib. De sacrific. Abel & Cain, & lib. De his verbis: *Resipuit Noë*, testatur. Nam, vt docet D. Hieronym. in Epistola 104. ad Desiderium, quae est praefatio in Pentateucum, hominum ingenia non sunt, vt vina, probanda ab antiquitate, sed à sanctitate. *Senectus enim*, inquit Sapiens, *venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis, & aetas senectutis vita immaculata.* Sapient. 4. num. 8.

D. Hieron. *Dignitas nec aetati tribuenda, non annis.*

Theod. D. Hieron. Rupert.

Phil. Heb.

D. Hier.

XXV. In hac senectute genuit Iacob filium suum Ioseph, Genes. 37. numer. 3. vt Rupert. lib. 8. in Genes. capit. 19. interpretatur. Nam, si aetatem Iacobi attendas, non erat moltò senior, quando Iosephum, quàm quando alios priores genuit: siquidem, vt Perer. ibi Disp. 3. testatur, omnes intra septennium generauit: si verò spectes eiusdem probitatem, multò erat sanctior; quia magnis virtutum incrementis in singulos dies augebatur. Ex dictis igitur constat, puerilem aetatem, si magnis virtutum praesidiis fulciatur, nihilò à senili in auctoritate, & grauitate discriminandam, imò praeferendam. Vnde Dauid: *In quo corrigit*, inquit, *adolescentior viam* D *suam? in custodiendo sermones tuos.* Psal. 118. numer. 9. Hoc est, adolescens vitam, morésque suos probè instituit, diuinos sermones audiendo, & seruando. Sed, cur potiùs adolescentiori, quàm seniori tribuit hanc laudem? Respondet D. August. ad eum Psalmum, conc. 5. quia loquitur de puero, qui est nouus homo, seu in nouitatem spiritus conformatus, omnibus aetate senibus praeferendus. *Senior, inquit, est, qui portat imaginem terreni hominis; iunior, qui caelestis.* Et statim: *sic ergo, licèt quilibet quantùm ad aetatem pertinet corporis, annosa vetustate decrepitus, iunior erit apud Deum, percepta gratia nouitate conuersus.* Et paulò pòst: *Sed iste iunior populus, gratiae filius, homo nouus, cantator noui cantici, haeres testamenti noui; iste iunior, non Cain,* E *sed Abel; non Ismaël, sed Isaac; non Esau, sed Israël; non Manasses, sed Ephraim; non Heli, sed Samuel; non Saul, sed Dauid.*

Rupert.

Qui iustus est, iunior est.

D. Aug.

Iuuenes, vt plurimùm, à magisterio, & imperio arceantur.

XXVI. Fateor quidem, iuuenes, vt plurimùm, & à magisterio, & ab imperio remouendos; ne illa Sapientis comminatio incurratur: *Vae tibi terra, cuius Rex puer est, & cuius principes manè comedunt.* Ecclesiast. 10. numer. 16.

Magisterium & Imperium quam aetatem postulent.

D. Hieron. in quem locum rectè obseruat D. Hieronym, tam Æternum Patrem, Dan. 7. num. 9. quàm Æternum Filium, Apoc. 1. n. 14. cùm se vellent Mundi principes, gubernatorésque ostendere; non iuuenes, sed *antiquos dierum*, ac decora canitie venerandos apparuisse: vt ab ætate prouecta quandam suo muneri auctoritatem conciliarent. Et Christus Dominus duodecimum agens annum, in medio Doctorum inuentus est, non ad docendum, & imperandum, sed ad interrogandum, & audiendum. Luc. 2. n. 46. In quem locum Origen. hom. 19.

Origen. *Quia paruulus*, inquit, *erat*, *inuenitur in medio*; *non eos docens*, *sed interrogans*: *& hoc pro ætatis officio*, *vt nos doceret*, *quid pueris*, *quamuis sapientes*, *& eruditi sint*, *conueniret*: *vt audiant potius magistros*, *quàm docere desiderent*, *& se vana ostentatione non iactent*.

XXVII. Concionatores maturi. Nec priùs Christus Dominus ad docendum processit, quàm trigesimum expleret annum. *Et ipse Iesus*, inquit Euangelista, *erat incipiens quasi annorum triginta*. Luc. 3. n. 23. *Qua res*, inquit D. Gregor. Nazianz. Orat. 39. in sancta lumina, *nobis documento esse debet*, *non ante suscipiendam esse concionandi prouinciam*, *quàm ad spiritualis*, *& corporeæ ætatis perfectionem ventum fuerit*. Et paulò post inuehitur in eos, *Qui iuuenili*, inquit, *ætate confidunt*, *atque quoduis tempus ad docendum*, *aut ad Antistitis munus obeundum*, *idoneum esse arbitrantur*. *Iesus trigesimum annū agēs*, *& tu ante lanuginem senes doces*, *aut docere te posse credis*; *nec ab ætate*, *nec à moribus fortasse auctoritatem habens*? Sed omnium festiuissimè hanc sui temporis peruersitatem calumniatur D. Bernard. Epist. 42. *Scholares*, inquit, *pueri*, *& impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promouentur ad ecclesiasticas dignitates*, *& de sub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris*: *lætiores interim*, *quòd virgas euaserint*, *quàm quod meruerint principatum*: *nec tam illis blanditur adeptum*, *quàm ademptum magisterium*. Tales enim erant, vt adhuc essent sub magistris, cùm aliorum magistri creabantur; nec magis de subiectis discipulis, quàm de ablatis magistris lætarentur. Quibus verbis satis ostenditur horum pueritias: nam pueri, cùm verbera metuant, nihil magis optant, quàm vt à magistris eximantur.

D. Greg. Nazianz.

D. Bern. Dignitates non sunt conferendæ propter nobilitatem.

XXVIII. Iuuenes non excludantur à magisterio, nec ab imperio. Sed, quia in sacris literis, vt ex dictis constat, pueris aliquando magisteria, & imperia deferuntur; subdit Bernardus: *Nec dicimus quancunque ætatem Dei gratiæ prematuram*, *sicut nec seram*: *cùm multos videamus iuniorum super senes intelligere*, *moribus antiquare dies*, *præuenire tempora meritis*, *& quod ætati deest*, *compensare virtutibus*. Quod Samuelis, Ieremiæ, Danielisque exemplis confirmans, addit: *Sicubi huiuscemodi puer senex promotus inuenitur*, *opus Dei est*; *hos*, *qui tales non sunt*, *mirandum*, *non imitandum*. Hæc Bernardus. Quis ergo dubitet, Samuelem miraculi similem fuisse, qui in tam tenera ætate Doctoris munere functus fuerit, & puer duodennis senem nonagenarium instituerit. Ita enim à Deo sapientissimè consultum est; vt vbi senes ad puerilem stultitiam relabuntur, ibi pueri ad senilem sapientiam promouerentur.

XXIX. Perseuerantia in munere, & obedientia. Caiet. *Ministrabat Domino*, *&c.* Samuelis cura in ministrando coram Domino, iam superiori cap. n. 11. & 18. fuerat indicata. Tertiò repetitur hoc loco, vt, interprete Caietano, eius in suo munere perseuerantia declaretur. Nam, vt bene D. Greg. ad hunc locum: *Quidam*, inquit, *rudes obedium*: *sed cum paulò altius proficiunt*, *in eadem obedientia humilitate nequaquam persistunt*. Et rem illustrat exemplo Agar Ægyptiæ. Nam, sicut hæc ante conceptum humilis paruit, post conceptum

D. Greg.

A superba tumuit. Genes. 16. n. 4. ita illi ante acquisitam doctrinam, & auctoritatem humiliter obediunt: post vtramque verò comparatam superbè refragantur. Non ita Samuel. Semper idem. Et ineunte, & proficiente ætate semper obtemperabat: semper in tabernaculo sui præceptoris vel minimo nutui intentus permanebat. Imò, quò magis proficiebat, eò magis obtemperabat. Nam postquam superiori capite n. 26. dictum est de Samuele, quòd *Proficiebat*, *atque crescebat*, *& placebat tam Deo*, *quàm hominibus*: nunc additur, quòd *Ministrabat Domino coram Heli*. Ne propter sublimitatem perfectionis ab humilitate obedientiæ tecessisse videretur. In quo Samuel, inquit D. Greg. *electis auditoribus formam præbet*, *vt quò altiori vita*

D. Greg.

B *proficiunt*; *seruare bonum obedientiæ nunquam obliuiscantur*. *Nam tunc verè proficiunt*, *si ad altitudinem meritorum*, *& fortitudine conantur operis*, *& virtute humilitatis*.

XXX. D. Petr. Dam. Perseuerantia in templo. Quam in templo perseuerantiam non mediocriter commendat D. Pet. Dam. lib. 5. Ep. 9. *Puer*, inquit, *planè Samuel post ablactationem nequaquam domum cum parentibus remeat*, *sed circa templi ministerium ingiter perseuerat*. Cui Samuelis exemplo illud Ioannis Baptistæ adnectit, à publica hominum luce præpropere recedentis, & in inuia solitudine diutissimè commorantis: vt ex vtroque exemplo Ecclesiasticos confundat, magis otiari in foro quàm meditari in templo cupientes. *Ioannes*, inquit, *vt innocentis vita munditiam teneat*, *ad*

C *squalentis eremi solitudinem tenera adhuc ætate festinat*: *illicq*; *gratiam prophetica prædicationis accepit*, *quam in turbis popularibus degens*, *promereri non potuis*. *Nunc autem è contrà*, *hi*, *qui diuinis sunt ceremoniis mancipati*, *Ecclesiæ sacraria remota contemnunt*; *habitare verò inter forenses strepitus murmura concupiscunt*. Qua re quid indigniùs? cùm Ecclesiastici viri nullas domos familiariùs, quàm Ecclesias adire debeant, nullas studiosiùs frequentare. Quid enim segnius in noua lege, quàm in veteri, sacra loca, à sacris hominibus habitentur? Atqui olim tabernaculo perpetuò assidere iubebantur, iuxta illud: *Leuitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria*. Num. 1. n. 53. Absit igitur, vt modò procul à templo euagentur. Quo ex loco efficaciter argumen-

Ecclesiastici in templo.

D tatur citatus Damianus: *Si*, inquit, *ex precepto Domini Leuitæ castra sua iuxta tabernaculum figunt*; *nec secedere tabernaculo*, *vel inter turbas habere hospitium permittuntur*, *cur nunc Clerici iuxta diuina constitutionis edictum*, *abhorrent apud Ecclesiam deg*[illegible] *tantò liberius*, *quantò quietius in sacri eloquij* [illegible] *meditatione vacare*? *Et saltem hoc præsent Ecclesiæ*, *quam euangelica gratia splendor illustrat*; *quod illi deferebant tabernaculo*, *quod sub ignorantiæ tenebris ænigmatum figura velabant*? *Et certè valdè præposterum est*, *si illa nunc denegetur reuerentia veritati*; *quæ tunc adumbrata deferebatur imagini*. Non sine mysterio Christus Dominus orare nos docuit illis verbis, *Pater noster*, *qui es in cælis*. Matth. 6. n. 9. Qui cælum & terram implet, dicitur nihilominùs in cælis sedem suam collocasse; vt in sanctioribus

E locis requirendus significetur. Ita Orig. lib. 2. Periar. c. 4. *Quid aliud*, inquit, *ostendere videtur*, *nisi Deum in melioribus mundi partibus requirendum*? Talia profectò loca sunt, non fora, sed templa. In his igitur excubandum; non in illis desidendum. Optimum igitur Samuel ecclesiasticis viris reliquit exemplum, nunquam à tabernaculo digressus, nunquam à suo ministerio feriatus.

XXXI. *Coram Heli*. Sed quid est, coram Heli? Chaldæus Paraphrastes: *In vita Heli*, sen, *viuente Heli*. Vatablus: *Præmonstrante*, *& instruente eum Heli*. Alij,

Vatab.

Alij, vt superiori cap. n. 11. iam diximus; *Imperante Heli.* Alij denique: *Præsente Heli.* Respicientes fortè ad originarium exemplar, in quo est: לִפְנֵי עֵלִי *Liphne Heli*: hoc est, *ad facies Heli*, quæ omnia veros, nec oppositos sensus habent. Sed, quid hoc? sempérne præsente Sacerdote? numquámne absente Samuel ministrabat? Non dubito quidem, etiam Sacerdote absente, aliquando ministrasse: sed triplici de causa ad mores, mysticósque sensus spectante, mihi videtur expressum; quòd, præsente, ministrarit.

Cur Samuel dicatur ministrare coram Heli.

XXXII. Vna, vt ostendatur Samuel adeò fuisse muneris sui studiosus, vt nihilo segnior absenti, quàm præsenti inseruierit; nec minorem eutam, & laborem in absentia, quàm in præsentia Sacerdotis collocatit. Scilicet, illud apostolicum præceptum: *Non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes; sed, vt serui Christi facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus.* Ad Ephes. 6. n. 6. & ad Coloss. 3. n. 22. illud, inquam, præceptum, antequàm audiret Samuel, exercebat. Seruilis planè est illa conditio rectè operantium in publico, perperam in secreto. Tales illi Presbyteri, qui adulteria in luce condemnabant, in tenebris ambiebant. *Ecce*, inquiunt, *ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt: assentire nobis.* Daniel. 13. n. 20. In quos D. Bernardus serm. 3. De Annunciatione, sic inuehitur: *Inueterati*, inquit, *dierum malorum, modò accusabatis adulterium, modò adulterium suadetis? Sed hæc est tota iniustia vestra; & quæ palam arguitis, eadem agitis in occulto.* Talis est illa mulier, quæ præsenti viro obedientiam præstabat; absenti insidias struebat. Nam ad fidem thori violandam, ex viri sui absentia inducebatur, dicens: *Non est enim vir in domo sua: abiit via longissima.* Prou. 7. n. 19. Quasi non tam Dei iniuriam, quàm viri notitiam præcaueret: in publico ad minimam culpam timida; io occulto ad omne facinus temeraria. Tales denique & illi, de quibus Dauid: *Ecce*, inquit, *loquentur in ore suo, & gladius in labiis eorum, quoniam quis audiuit?* Psalm. 58. n. 8. Hoc est, Pessima inter se consilia inibunt, & pessima opera molientur: hac vna spe freti, fore, vt à nemine audiantur. Sic exponit ibi Theodor. cum Symmac[illegible]: *F[illegible]uti*, inquit, *nemine prospiciente, nec exaudiente, nec pœnas exigente, hæc patrare audent.* Quare Deus aliquando iniquiùs ferebat latentem, quàm patentem idololatriam: hæc enim facilè extingui poterat; illa ex dolosis cineribus in subitas flammas erumpebat. Vnde ad Prophetam indignabundus: *Vides*, inquit, *fili hominis, quæ seniores domus Israël faciunt in tenebris; vnusquisque in abscondito cubili sui: dicunt enim: Non videt Dominus nos: dereliquit Dominus terram.* Ezech. 8. n. 12. Quæ maior dementia fingi potest, quam vana spe latendi Deum, in secretis locis crimina patrare, quæ in publicis maximè cauerentur? *Certè*, inquit D. Hieronym. ad eum locum, *quando peccamus, si cogitaremus, Deum videre, & esse præsentem, nunquam quod ei displicet, faceremus.*

Fidelitas in præsentia & absentia.

D. Bern.

Theod.

Peius aliquando latens, quàm patens peccatum.

D. Hier.

XXXIII. Ita planè cogitant, qui filialiter seruiunt. Suos sibi dominos semper adesse arbitrantur: nec aliter agunt illis absentibus, quàm si ab illis viderentur. Nam quando eos abesse sciunt, saltem ipsum Deum, cuius præcipuè amore seruiunt, sibi præsentissimum agnoscunt; & ab huios præsentiæ contemplatione omnes suas actiones moderantur. Quo de numero Dauid: *Prouidebam*, inquit, *Dominum in conspectu meo semper.* Psalm. 15. num. 8. Quem locum D. Basilius Reg. 5. ex fusiùs disputatis, eleganter declarat argumento fabri. Vt enim hic, quò perfectiùs imperatum sibi opus cudat, & elaboret; perpetuò versat ob oculos imperantem, ex cuius præscripto totam suam dirigit actionem. Ita & olim Dauid, & nunc optimus quisque Christianus, vt diuinam legem perfectissimè exequatur, diuinum in memoria legislatorem tenacissimè conseruat: ex cuius non solùm iussu, sed etiam nutu operatur. Quare Deus, cui nulla creatura per realem præsentiam abesse potest, vlterius præcipiebat Abrahæ, per obliuionem ne abesset. *Ambula*, inquit, *coram me, & esto perfectus.* Gen. 17. n. 2. Hoc est, nunquam me à tua memoria excidere patiaris; ne à mea perfectione longiùs peregrineris. Nam, vt ibi Caietanus: *Nullum*, inquit, *maius frænum, nulla efficacior ratio componendi gestus, motus, verba, actionesque hominis, quàm ambulare ante faciem principis.*

Fideles serui semper Dominũ præsentem habent.

D. Basil.

Caietanus.

Eandem ob causam Deus ad Moysem: *Pones*, inquit, *super mensam panes propositionis in conspectu meo semper.* Exod. 25. n. 30. Hebraicè: *Panes facierum*: ita dictos, interprete Caietano, quia fortè notati erant faciebus, seu characteribus duodecim filiorum Israël; ita vt iugis esset quasi assistentia filiorum Israël coram Domino. Sic ille loquitur. Quasi Deus, cùm illos panes singulis singularum tribuum faciebus signatos, seu inscriptos exigebat; nihil aliud, quàm perpetuam animorum præsentiam in conspectu suo postularet. Dicitur olim Aaron seruasse in tabernaculo, *coram Domino*, vrnam manna. Exodi 16. n. 33. Et paulò inferiùs dicuntur seniores conuenisse, vt comederent panem *coram Deo*: hoc est, in tabernaculo. Exod. 18. n. 12. Si litetam diligentiùs inspicias, deprehendes, nondum erectum fuisse tabernaculum, cùm postea cap. 26. à n. 1. fieri iubeatur. Quo pacto igitur in tabernaculo coram Domino, aut manna reponi, aut seniores congregari potuerunt? Facit ad rem præsentem responsio D. Augustini q. 61. & 66. in Exod. Quia quidquid cum deuotione, & in Dei gloriam fieri solet, vbicunque fiat, coram Domino fieri censetur. Sic igitur & Samuel, etiam cùm abesset Heli, coram Heli, seu potiùs coram Domino, quem in Heli recognoscebat, ministrare dicebatur: cùm non minùs promptè, religiosè, ac perfectè absenti, quàm præsenti deseruiret. Vide quæ diximus cap. 2. n. 3. §. 30. & sequentibus, & infrà dicemus annot. 7. sect. 1. & 2.

XXXIV.

Dei præsentia.

Caiet.

D. Aug.

Altera ratio cur dicatur Samuel ministrare coram Heli, esse potest, vt cæca, ac simplex illius obedientia exprimatur: qui motes sui Prælati, alioqui negligentis, desidis, valdéque reprehensibilis, vt super. c. latissimè dictum est, non discernebat, non diiudicabat: sed nihilo segniùs ignauo, & iniquo iodici, quàm vigilantissimo, & sanctissimo parebat. Quam rationem eleganter expressit D. Gregor. in priori huius loci commentario: *Tunc Samuel*, inquit, *coram Heli Domino ministrare ostenditur; quando ipse de filiorum negligentia à Domino obiurgatur.* Et statim paulolùm digressus ad eos argnendos, qui secùs faciunt, qoi *Prælatorum suorum malunt esse seueri indices, quàm auditores pij; qui, si in eorum conuersatione, vel leuioris delicti maculas inueniunt, subdi eorum precepto obediendo renuunt.* Ad hos, inquam, digressus; tandem eos confundit exemplo Samuelis, etiam iniquo iudici obtemperantis. *Ecce*, inquit, *Heli aperta Dei sententia de negligentia sua perpetrata culpa reprehenditur; sed puer Domini Samuel coram eo ministrare Domino memoratur: vt profectò apud se colligat, qualis sit, qui in leniori culpa sibi Prælatum despicit; si ei Samuel se obediendo subdidit, quem omnipotens Deus sui examinis tanta districtione reprobauit.* Vnde inanis illa est imperfectorum excusatio, qui, vt suas culpas elevent,

XXXV.

Obedientia cæca.

D. Greg.

Etiam iniquo Prælato obtemperãdum.

A uent,& excusent: prælatorum suorum vitia causantur. Quos D. Ephrem in serm. De Timore Dei, post medium, in 3. tomo, optimè conuincit: *Noli*, inquit, *peccare; & patrem tuum ne causeris atque prætexas. Nam Samuel apud Heli permansit: & Giezi apud Helisæum* peccauit. Quam etiam doctrinam probe inculcat D. Petr. Damian. a nobis superiori cap. n. 12. §. 5. citatus.

D. Ephrem.

D. Petr. Dam.

XXXVI. *Obedientia Samuelis inter inobedientes.*

Nec solùm illustratur hæc Samuelis in obediendo cæcitas, ac simplicitas, ex eo, quòd malo iudici parebat: sed etiam, ex eo, quòd inter malos cõseruos ministrabat. Nam filij Heli, quamuis parentis imperio rebelles, ceruicosi, & refractarij, suo tamen malo exemplo efficere non potuerunt, vt suam secum in rebellionem aucherent, & B abriperent Samuelem: qui Prælato suo, etiam ab improbis filiis contempto, & irriso, constantissimus, & officiosissimus obtemperabat. Vnde rectè monet D. Ephrem in parænesi 31. ne quis sua peccata exeuset ob prauam aliquorum societatem: *Forte*, inquit, *cupis dicere: Homines isti cogitationem meam peruerterunt*, &c. Et statim: *Vis ostendam tibi, charissime, ex nostra ignauia id ortum esse? Lot in Sodomis habitabat, & non cum his periit. Giezi Propheta Elisæo seruiebat, & peccauit. Similitérque Samuel apud Heli permanebat, & simul cum filiis ipsius versatus est; illi ceciderunt, hic autem saluatus est, quia in veritate dilexit Dominum. Iudas verò Iscariotes cum discipulis sequebatur Dominum; & tradidit magistrum, ac Dominum gloriæ in manus impiorum.*

D. Ephrem.

Societas malorum non excusat.

C Non igitur ex malorum societate, sed ex propria cuiusque iniquitate præcipuè efficitur, vt quis in vitia effundatur: siquidem Scripturæ patet exemplis, alios quidem inter malos, virtutes amplecti: alios verò inter bonos, in flagitia prolabi: *Vnusquisque ergo*, addit D. Ephrem, *sibi ipsi attendere debet, siue cum iustis conuersetur, siue cum peccatoribus. Inter iustos, & bonos, dum commoramur, iustè, & sanctè viuamus: at si peccatoribus cohabitemus, demus operam, vt à nobis illi in viam pertrahantur salutis.* Quam doctrinam D. Augustinus Epist. 162. ad finem illustrat pluribus exemplis sanctissimorum virorum inter impios conuersantium, imò eorum iniurias sustinentium, quin eorum fæcibus, & corruptelis inquinarentur. *Tolerat*, inquit, *Aaron multitudinem idolum exigentem, & fabricantem, &* D *adorantem. Tolerat Moyses aduersus Deum tot millia murmurantia, & toties offendentia sanctum nomen eius. Tolerat David Saülem persequutorem suum, sceleratis moribus cælestia deserentem, & magicis artibus inferna quærentem. Tolerat Samuel nefandos filios Heli, peruersósque filios suos.* Et sic de multis aliis, quos prosequitur: *Cum quibus tamen*, inquit, *illius temporis sacramenta communicantes, non solum non inquinabantur, sed etiam laudabiliter sustinebant*, &c. Sicut igitur colores inter vmbras non obscurantur, sed emicant clariores; ita & Samuelis obedientia inter filiorum Heli rebelliones non deficiebat, sed illustrior fulgurabat.

D. Aug.

XXXVII. *Veritas fidei ex vtroque Testamento.*

Tertia tandem ratio mystica, cur Samuel coram Heli ministrare exprimatur, illa est, vt noui E Testamenti Prædicator, quem Samuel agebat, coram veteris Testamenti assertore, quem Heli repræsentabat, suam doctrinam proponere, fulcire, & confirmare significetur, & ex vtroque Testamento fidei nostræ veritas clarior elicіatur. Ita D. Greg. in posteriori huius loci commentario: nam postquam nouos Prædicatores per Samuelis ministerium significari dixit: suam hanc explicationem interponit. *Ministerium*, inquit, *Samuel coram Heli Domino impendisse dicitur: quia quidquid de religione noua fidei, nouus Prædicatorũ ordo asseruit; hoc*

D. Greg.

A *Patrum veterum auctoritate roborauit.* Quod duplici testimonio vtriusque Principis Apostolorum confirmat. Nam D. Paulus, nouus Euangelij Prædicator, Gentium ad fidem concursum denuntians, illis verbis: *Gentes autem super misericordia honorare Deum*, &c. statim prouocat ad Testamentum vetus, quo suum testimonium confirmet: *Sicut*, inquit, *scriptum est: Propterea confitebor tibi in Gentibus, Domine*, &c. Psal. 17. n. 50. aliáque adducit loca suæ doctrinæ adstipulantia, Rom. 15. num. 7. Item D. Petrus euangelicæ veritatis nouus præco, Christi Domini resurrectionem testatus illa prædicatione: *Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni*, &c. Act. 2. n. 24. statim veterem Psalmographum suæ doctrinæ locupletissimum testem lau- B dat, dicentem: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Psal. 15. n. 10. Et innumera sunt huius generis loca, in quibus noui Testamenti doctrina, veteris testimonio confirmetur: *Coram Heli itaque*, inquit D. Greg. *Samuel ministrare Domino aptè dicitur; quia electi sanctæ Ecclesiæ Prædicatores, dum statum nouæ fidei prædicando erigerent, quod ratione asserere conati sunt, Patrum veterum auctoritate firmauerunt.* Vnde sumitur mira vtriusque Testamenti concordia; vt sicut adamas adamante politur, ita nouum veteri confirmetur.

Et sermo Domini erat pretiosus, &c. Explicata circumstantia personæ, cui facienda erat reuelatio; explicatur vlteriùs circumstantia temporis, in quo C fit, nempe quando sermo Domini erat pretiosus. In qua re triplex est difficultas. Vna, quid significet sermo pretiosus? Altera, cur sermo in diebus illis fuerit pretiosus? Tertia, cur hoc loco dicatur fuisse pretiosus.

Quo tempore fiat hæc reuelatio.

Prima difficultas. Quid significet sermo pretiosus?

QVod ad primam attinet, tollenda in primis est quædam apud D. Chrysostomum pugna, vt videtur contradictoria. Nam D. Chrysost. in c. 3. Isai. tom. 1. & serm. Ne desperemus, &c. in tom. 5. legit: *Erat verbum pretiosum.* Rursus lib. 3. De Prouidentia, in 5. tom. & lib. 3. contra vituperato- D res vitæ monasticæ, etiam in 5. tom. legit. *Non erat verbum pretiosum.* At quis non videt: *Erat*, &, *Non erat*, contradictoriè pugnare? Sed facilè dirimitur pugna: tum, quia in priori propositione affirmatiua, *Pretiosum*, sumitur à parte prædicati; vt loquuntur Logici, sic; verbum erat pretiosum, hoc est, rarum, vt statim dicam: in posteriori negatiua, sumitur à parte subiecti, sic; verbum pretiosum, seu propheticum non erat, scilicet frequens, aut vsitatum: cùm verò extrema propositionis variantur, contradictio non persistit: tum etiam, quia, *Pretiosum*, in illa propositione affirmatiua sumitur translatè pro raro: in hac autem negatiua, propriè pro re magno pretio æstimabili, vt statim explicabo: contradictio verò non perseuerat, vbi æquiuo- E catio admiscetur. Sed iam, vt præcipua difficultas expediatur, Pretiosum in primis sumitur propriè pro re magni pretij, tam apud profanos auctores: *Ingenium quondã fuerat pretiosius auro:* quàm apud sacros: *Pretiosior est cunctis opibus sapientia.* Prouer. 3. n. 15. In qua significatione rectè potest sermo Domini pretiosus appellari absolutè: sunt enim diuina oracula magno in pretio habenda; iuxta illud: *In via testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis.* Psal. 118. num. 14. seu, vt habet Chaldæus, *Sicut in suprema omnium fortuna.* Non tamen appositè ad literam huius loci, in quo non

XXXVIII. *Pugna vt videtur in D. Chrys. tollitur.*

Propria pretiosi acceptio pro re magni pretij.
Ouid.

id

id agitur, vt diuinis oraculis magnum pretium statuatur: tum, quia is sensus nullum cum antecedentibus, aut consequentibus nexum habet: tum, quia illa determinatio, *In diebus illis*, non conuenit huic significationi; cùm sermo Domini omni tempore pretiosus, seu magno pretio æstimabilis sit. Quamuis D. Gregor. etiam propriè pretiosum fuisse dicat, ad indicandum, *bonorum ardens studium subditorum: cum etsi non habent, qui eis frequenter de thesauro sacri eloquij superna prædicet, hoc tantùm, quod aliquando scire potuerunt, mira deuotione complectuntur: & velut rem ineffabiliter pretiosam custodiunt; dum per bona opera in cælo collocant; vbi fures, qui id auferre valeant, nequaquam appropinquant.* Quæ licèt verè dicantur, tamen ad literam huius loci necessaria non videntur.

XXXIX. *Trãslata pretiosi acceptio pro raro.* Secundò igitur sumitur, *Pretiosum*, translatè, hoc est, rarum; quæ significatio vulgaris, & frequens est, tam in sacris Literis, quàm in profanis: in profanis quidem, iuxta illud Epigrammatarij, lib. 4. Epigr. 29. alibi 22. (Mart.)

Rara iuuant; primis sic maior gratia pomis;
Hyberna pretium sic meruêre rosa.

In sacris verò, iuxta illud: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.* Psal. 115. n. 15. hoc est, *rara*: vel, quia rariores sunt, qui in Domino moriuntur; vel, quia, vt Rabbini apud Genebrardum interpretantur, (Genebr.) rarò permittuntur à Deo iusti impunè trucidari: *Custodit* enim *Dominus animas*, hoc est, vitas, *sanctorum suorum; de manu peccatoris liberabit eos.* Psal. 96. num. 10. Item iuxta illud: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus.* Psal. 138. n. 17. Quod ex Hebræo transferri potest: Mihi autem *nimis pretiosi*, seu, *nimis rari* facti sunt amici tui, Deus. Quia in tanta scelerum colluuione rari admodum erant, qui amicitiam cum Deo initam conseruarent. Verti potest & hoc modo: Mihi autem nimis pretiosæ, seu nimis raræ factæ sunt *cogitationes tuæ*, Deus. Sic enim vertit Interl. Regiæ editionis: nam רֵעַ *reagh* idem est, quòd, *amicus*, seu, *cogitatio*, à verbo רָעָה *raghah*, quod est, *amare*, seu, *cogitare*. (*Iusti, cogitationes Dei; & Deus, cogitatio iustorum.*) Vnde est illud cælestis sponsæ suum sponsum describentis: *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus.* Cant. 5. n. 16. Legi potest: *Et ipse est cogitatio mea.* Vt sicut iusti sunt Dei cogitationes; ita vicissim & Deus sit iustorum cogitatio. Sed germanus Dauidis sensus, & ad rem præsentem, est: (*Consilia Dei secreta.*) Ex tuis consilijs, Domine, rara sunt, quæ hominibus innotescant, adeò sunt abdita, & secreta. Eadem loquutione, & significatione vtitur Isaias. Vaticinatus enim Babylonis supplicia, hominum clades, vrbium solitudines, subdit: *Pretiosior erit vir auro; & homo mundo obrizo.* Isai. 13. n. 12. Quasi diceret: homines ex tanta clade superstites, non minùs rari, quàm aurum in domo paupere, apparebunt. Nam, vt ibi D. Hieron. ex vulgari parœmia: (D. Hieron.) *Pretiosum*, inquit, *dicitur omne, quod rarum est.* Et subscribit D. Isidor. lib. 16. Etymol. cap. 6. (D. Isidor.) nec aliter Lyra, & vtraque Glossa interpretantur. (Lyra. Gloss.) Optimus ad hanc significationem indicandam est ille locus Parœmiastæ: (*Amicorum domus non sunt nimiùm frequentandæ.*) *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui; ne quando satiatus oderit te.* Prou. 25. num. 17. Ex Hebræo legi potest: *Pretiosum fac pedem tuum in domo amici tui.* Ex Græco autem: *Rarum*, &c. Nam, sicut assiduus aduentus amici ad amicum fastidiosus est; ita rarus, pretiosus. Quod D. Hier. in Epist. 2. ad Nepotianum (D. Hieron.) sub finem, Clericis eleganter inculcat: *Facilè*, inquit, *contemnitur Clericus, qui sæpè vocatus ad prandium, non recusat: nunquam petentes, rarò accipiamus rogati. Nesciò enim quomodo etiam ipse, qui de-* A *precatur, vt tribuat; cùm acceperis, viliorem te iudicat: & mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plus te posterius veneratur.* Rara igitur plerunque pretiosa sunt; & vice versa.

Huc pertinet illud Philonis, lib. Quòd omnis probus sit liber. XL. (Philo. *Bona, rara: mala, crebra.*) *Diuitum*, inquit, *illustrium, voluptariorum, terra, marique plena sunt omnia: prudentium autem, iustorum, proborum, exiguus numerus. Pulchra verò sunt quidem rara.* Sic ille. Eòdem collimat & Tert. lib. De habitu muliebri, cap. 7. (Tert.) vbi loquutus de pretio gemmarum, quæ partim è marinis conchis, partim è draconum capitibus, partim è piscium cerebris eruuntur: (*Gemmis, & auro raritas pretium dedit.*) *Hæc omnia*, inquit, *de raritate, & peregrinitate sola gratiam possident. Denique intra terminos suos patrios non* B *tanti habentur. Semper abundantia contumeliosa in semetipsa est. Apud Barbaros quosdam, quia vernaculum est aurum, & copiosum, auro vinctos in ergastulis habent, & diuitiis malos onerant; tantò locupletiores, quantò nocentiores.* Et rursus capit. 9. sequenti: (*Ex auro compedes.*) *Raritas*, inquit, *& peregrinitas apud extraneos semper gratiam inueniens, concupiscentiam concitat habendi.* Ac tandem lib. De cultu fœminarum, cap. 10. *Aurum*, inquit, *ipsum, cuius vos gloria occupat, cuidam genti ad vincula seruire referũt Gentilium litera. Adeò non veritate bona sunt, sed raritate.* Adde huius consuetudinis assertorem D. Hier. in Epist. (D. Hieron.) 85. ad Euagrium: *Omne*, inquit, *quod rarum est, plus appetitur. Pulegium apud Indos, pipere pretiosius est. Diaconos paucitas honorabiles; Presbyteros turba con-* C *temptibiles facit.* Ad eandem parœmiam alludit D. Bernard. Epist. 248. (D. Bern. *Bonus Princeps, rarus.*) vbi agens de bono Principe, ac Pastore, qui rarus omninò est, *Si*, inquit, *rebus pretium raritas facit, nihil in Ecclesia pretiosius, nihil optabilius bono, vtilique Pastore. Proinde sicubi talis reperiatur; confestim iniicienda sunt manus, & totis viribus satagendum, ne qua vi, ne qua arte malitia fructuosa promotio valeat præpediri.*

In hac igitur significatione dicitur hoc loco sermo Domini pretiosus, hoc est, rarus. XLI. (*Verbum propheticum sub Samuele rarum.* Chald.) Chaldæus legit: Verbum Domini erat *absconsum*. In Hebræo est יָקָר *Iacbar*, in Græco τίμιον, quod Lyra, & Abulensis interpretantur, (Lyra. Abul.) *Obturatum, prohibitum absconditum, & insitatum*: quia reuerà sub id tẽporis nusquàm Prophetæ occurrebant, nusquam D vaticinia audiebantur. Vnde D. Petrus in sua illa celebri concione, *Omnes*, inquit, *Prophetæ à Samuel, & deinceps, qui loquuti sunt, annuntiauerunt dies istos.* Act. 3. numer. 3. 24. vbi incipit numerare Prophetas à Samuele: quia ante illum rariores erant, cùm deinceps esse cœperint crebriores. Pretiosus igitur erat sermo Domini, quia rarus. (D. Chrys. Auct. quæst. Magist. hist. D. Greg. Beda. Rupert. Raban. Hugo Car. Dion. Angel. Lyr. Abul.) Sic exponunt D. Chrysost. in c. 3. Isai. Auctor quæst. Hebraic. Magister historiæ, D. Gregor. in priori huius loci commentario, Beda, Rupert. Raban. Hugo Cardin. Dionys. Carth. Angel. Lyra, Abul. & alij. Et colligitur ex determinatione sequenti, *In diebus illis*, minimè ponenda, si de pretio, non de raritate sermonis ageretur; cùm sermo Domini omni tempore E pretiosus sit: in diebus autem illis seorsim, rarus.

Secunda difficultas: Cur sermo Domini fuerit pretiosus?

XLII. (*Sermo Domini rarus ob occultas diuinæ prouidentiæ rationes.* Dion.) Altera difficultas, cur sermo Domini in diebus illis fuerit pretiosus, tripliciter explicari potest. Primò ex Dionysio Carthusiano, ad occultas diuinæ prouidentiæ rationes confugiente. Nam sicut Deus aliquando crebriora, aliquando rariora miracula operatur, secundùm statas, ac immutabiles suæ sapientiæ leges, quæ vbi, & quando,

D. Aug.

Deus loquitur quando, & quid vult.

Effectus gratiæ, sicut & naturæ, alij alijs temporibus apparent.

quando, & quomodo ea fieri oporteat, inuariabiliter decernit; vt ex D. Aug. in lib. De Ciuit. Dei (loco tamen non designato) confirmat: ita planè, inquit, determinat, ac definit, quo loco, modo, ac tempore, & per quas personas oracula prophetica edantur. *Spiritus* enim, *vbi vult, spirat*. Ioan. 3. num. 8. *Et vnicuique Deus diuisit mensuram fidei.* Rom. 12. num. 3. Ac denique: *Hæc omnia operatur vnus, atque idem spiritus diuidens singulis prout vult.* 1. Corinth. 12. num. 11. Et certè, quemadmodum in mundo sublunari, naturales effectus non sunt omnes omnium temporum, sed singuli singulorum; cælo nunc hyemante, nunc æstuante; terra modò in fructus aperiente sinus, modò claudente; mari nauigantibus quandoque peruio, quandoque inuio; has vices arcana quadam naturæ vi determinante: ita planè in spirituali diuinæ prouidentiæ ordine aliæ aliis temporibus gratiæ gratis datæ conferuntur, nunc Ecclesia coruscante miraculis, nunc oraculis detonante; nunc aliis atque aliis supernaturalibus donis efflorescente: ita Deo sua beneficia quando, & quibus, & quomodo vult, liberaliter cõmunicãte. Sed hæc responsio rationem propositæ difficultatis nõ tam reddit, quàm nescire se fatetur. Eam tamen nos (vtinam, qua humilitate oportet) exploramus.

XLIII.

Sermo Dei nimietate vilescit.

Hug. Card. Carthus.

Secundò igitur dicunt aliqui apud Hugonem Cardin. quibus assentitur Carthusianus in art. De mor. intellectu, fuisse pretiosum, siue rarum sermonem Domini illis diebus, ne vilesceret. Nam ex copia res alioqui pretiosæ sæpenumerò viluerunt. Vt argentum sub Rege Salomone ob nimiam abundantiam pluris non æstimabatur, quam lapides platearum. 3. Reg. 10. numer. 27. Vnde inuehuntur hi Auctores in multitudinem & longitudinem concionum, quæ hodie in Ecclesia audiuntur; rati, eas, si rariores & breuiores fuissent, vtiliores quoque auditoribus futuras.

D. Greg. Naz.

Sermo Dei vt cibus nimietate obruit, moderate nutrit.

Quod D. Gregorius Nazianzenus duplici similitudine videtur confirmare. Nam in suo Apologetico, quæ est prima oratio ante medium, loquens de munere concionandi, & alludens ad illud Diui Pauli: *Lac vobis potum dedi, non escam.* 1. Corinth. 3. num. 2. seu ad illud eiusdem Apostoli: *Facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.* Hebr. 5. num. 12. docet, sermonem Dei similem esse cibo: vt enim hic, si temperatus sit, nutrit; si immodicus, obruit: ita ille, si rarior ac breuior sit, animi vires alit, si crebrior & longior, opprimit & extinguit.

XLIV.

Sermo Dei sicut imber lenis alit; vehemens perdit.

At verò oratione in plagam grandinis, quæ est 15. sub initium, alludens fortasse ad illud Apostoli: *Terra venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo*, Hebr. 6. n. 7. comparat sermonem Dei, non quidem pluuiæ largiter effusæ; sed imbri molliter defluenti. Nam *quemadmodum*, inquit, *ingens pluuia nequaquam maiorem vtilitatem parit, quam ea, quæ minore copia labitur, quippe cum illa vehementia sua terram deuoluat ac distrahat, forteq; etiam ipsa agricolam mulctet; hæc autem leniter ac tranquillè defluens, altissiméque illabens pinguiorem terram efficit, & cultorem iuuat, spicamq; ad maturum fructum nutrit: eodem modo nec copiosa verbisq; affluens oratio, sapiente oratione vtilior censenda est. Illa enim exigua fortasse voluptate affectum auditorem relinquit, simulque cum percusso aere dissoluitur; nec quidquam aliud virium habet, quàm, vt verborum lenocinio, quasi præstigiis quibusdam auidas hominum aures deliniat: hæc verò mentem penetrat, dilatatámque os spiritu implet; nec in ipso ortu extinguitur, sed frugem ingentem paucis syllabis gignit.* Ita ille, in *Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.*

A ea saltem editione, in qua illam primùm consului; quamuis in aliis paululùm differat, non quidem sensu, sed verbis.

XLV.

D. Hieron.

Conciones moderatæ.

Sed & D. Hieronymus apud Dionysium, & Hugonem citatus, cum magistro suo Nazianzeno consentit: nam supposita illa similitudine pluuiæ vberioris ac tenuioris, ex quibus hæc prodest, illa obest: docet conciones non esse omninò tollendas, neque nimis frequentandas; sed spatiis intermittendas. *Prædicatio*, inquit, *si rara est, non sufficit; si assidua, vilescit.* Quid ergo? Opus est, vt iustis interuallis alternetur, quò vtiliùs audiatur: immò tunc non debet in tantum spatium prorogari, vt audientium intentio defatigetur.

Reprehensio, consolatio.

Vnde D. Paulus, postquàm Hebræos acriter reprehendit, *Rogo*, inquit, *vos, fratres, vt sufferatis verbum solatij; etenim perpaucis scripsi vobis.* Hebr. 13. n. 22. Vbi in primis reprehensionem, consolationem vocat: neque enim vana adulatio, sed vera obiurgatio consolatur. Deinde asperitatem reprehensionis compensandam esse censet orationis breuitate: *Etenim*, inquit, *perpaucis scripsi vobis.* Nam, vt ibi D. Th.

D. Thom.

Sermones breues, gratiores.

Reprehensio breuis, tolerabilior.

Sermones, inquit, *breues valdè accepti sunt; quia, si sunt boni, auidiùs audiuntur; si verò mali, parùm grauant.* Quod præcipuè verum est, quàndo sermones ad reprehensionem tendunt. Vnde olim summus Sacerdos Azarias, verissimè quidem, sed breuissimè reprehendit sacrilegum Regem Oziam: *Non est*, inquit, *tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domino.* 2. Paralip. 26. n. 18. In quem locum D. Chrysost. homil. 5. De verbis Isaiæ:

D. Chrys.

Non dixit, inquit, *ô impie, ô sceleratissime, omnia subuertisti, cõfudistique, ad extremam impietatem prorupisti: neque sermonem accusationis in longum produxit: sed quemadmodum hi qui secant, hoc breuiter facere student, celeritate sectionis, cruciatus sensum fallentes; itidem & hic asperitatem obiurgationis paucis verbis constringens, Regis iracundiam cohibuit.*

XLVI.

Sermones suo tempore, & loco proferendi.

D. Hieron.

Eandem temperantiam reliqui sermones seruare debent. Idcircò Malachias cap. 2. n. 7. *Labia*, inquit, *Sacerdotis custodient scientiam.* Non dixit, proferent, sed, custodient: vt significetur, interprete D. Hieronymo, non quidem auara custodia, sed sobria traditio. Non enim debet Prædicator totum sapientiæ thesaurum temerè effundere; sed prudentiæ clauibus custoditum in tempore dispensare: nec nisi, spectata audientium dispositione, verba facere; ne si importunus loquatur, loquutionis fructu priuetur. Vnde Sapiens: *In auribus*, inquit, *insipientium, ne loquaris; quia despicient doctrinam eloquij tui.* Prou. 23. n. 9. & rursus: *Vbi*, inquit, *auditus non est, non effundas sermonem; & importunè noli extolli in sapientia tua.* Eccl. 32. n. 6. Quid enim absurdius, quàm plurima verba ingerere illis auribus, quæ etiam paucissima respuunt, ac refundunt? Illud Dei præconium: *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum*, Iob. 26. n. 8. de Apostolis, & Prędicatoribus mysticè interpretatur D. Greg. lib. 17. Moral. cap. 14.

Auditoribus accommodandus sermo.

D. Greg.

Nam, *Si scientiã*, inquit, *sanctam, quæ hic aquæ nomine designatur, vt hauriebat corde, ita ore funderẽt; immensitate eius, auditores suos opprimerent, potiùs quã rigarent. Vt igitur auditores rudes, non inundatione scientiæ, sed moderata prædicationis distillatione foueantur; ligat Deus aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorsum; quia Doctorum prædicationem temperat, vt auditorum infirmitas, Doctorum rore nutrita conualescat.* Ita ille. Vbi plura de hac re.

Loquutio cũ Deo frequẽs, cum hominibus moderata.

Nec aliter D. Paulus suã prędicationẽ temperauit: *Siue*, inquit, *mente excedimus Deo, siue sobrij sumus vobis.* 2. Corinth. 5. n. 13. Effusus erat erga Deum, sobrius erga homines; vt ostenderet, affectionem

B quidem

quidem erga Deum effundendam; prædicationem verò apud homines, temperandam; iuxta illud: *Sint pauci sermones tui.* Eccl. 5. num. 1. ne verborum multitudine auditores obruantur. Iuxta hanc interpretationem rarus erat sermo Domini in illis diebus, ne veniret in contemptum; sed in pretio haberetur. Nihilominùs, cùm sceleratissimus illius Reipublicæ status, non tam cautione, quàm punitione indigeret; germanior est sequens interpretatio.

XLVII. D. Chr. D. Greg. Angel. Raban. Hug. Lyra. Abul.

Tertiò igitur dicendum cum D. Chrysostomo in cap. 3. Isai. D. Greg. in priori Commentario huius loci, Angelomo, Rabano, Hugone, Lyra, Abulense, & aliis, fuisse sermonem Domini rarum, in pœnam Heli, & filiorum eius; addunt Angelomus, & Rabanus, & totius populi: qui B communi Principum pœna pariter inuoluebatur.

Sermo Dei rarus in pœnam Heli, & filiorum. Dion. D. Thom.

Non placet hæc interpretatio Dionysiorum, quia pœna spirituali nemo punitur propter alienam culpam, vt ex D. Thom. 1. 2. quæst. 87. art. 8. docent communiter Theologi: tum, quia tempore Manasses multa fuerunt populi peccata, nec tamen deerant Prophetæ, & oracula diuina. 4. Reg. 21. numer. 10. & 2. Paralip. 33. numer. 10. Sed neutra obiectio conuincit. Non prior, quia licèt propter alienam culpam nemo subiici possit pœnæ, vt pœnæ: subiici tamen potest pœnæ, vt medicinæ; vt docet D. Thomas citatus: quo pacto etiam nunc in Ecclesia propter vnius culpam multi innocentes nonnullis interdicti effectibus pœnalibus subiiciuntur. Non posterior: C quia opus non est, vt semper Deus eodem supplicij genere vtatur: cùm liberum ei sit, nunc has, nunc illas pœnas, prout diuinæ prouidentiæ ratio postulat, inferre: nunc pestem, nunc famem, nunc bellum, nunc alia, atque alia supplicia, & si quando ei placuerit, silentium Prophetarum, cessationémque oraculorum inducendo.

Peccata impediunt diuina responsa.

Solebat igitur Deus in scelerum odium aliquando claudere diuina oracula; & interposito silentio, improbos homines à suo colloquio arcere. Vnde peccante Ionatha: *Consuluit*, inquit Textus, *Saul Dominum, & non respondit ei in die illa.* 1. Reg. 14. numer. 37. Quasi vnius peccatum sermonem Dei in totum populum impediret. Quamuis de hoc silentio aliter alij opinentur, vt suo loco dicam. D Item Saul in multa scelera deuolutus, *Consuluit Dominum*, vt est in litera, *& non respondit ei, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.* 1. Reg. 28. num. 6. Rex enim Deo contrarius, indignus erat, qui ad Dei colloquium admitteretur.

Diuina oracula silent in pœnam peccati.

Sic olim, viuente improbo Rege Ozia, diuina oracula clausa sunt, eodem moriente, reserata, iuxta illud: *In anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum.* Isai. 6. numer. 1. In quem locum Diuus Chrysost. hom. 4. de his verbis, hoc mysterium deprehendit: *Dicturus sum*, inquit, *quam ob causam, cùm omnes Prophetæ tempus Regum enarrare soleant, quo vixerint: hoc loco ea consuetudo prætermissa sit. Nec enim dicit: In diebus Oziæ, sed in morte Oziæ.* E Et paulò pòst quæstionem soluit: docet enim viuente impio Rege, nulla fuisse oracula; sed, moriente, incœpisse: & propterea Isaiam non à vita, sed à morte Regis, suam prophetiam inchoasse: *Silet*, inquit, *Spiritus gratia, eo quod sub impuro illo non erat gratia, non adueniebat Deus, non apparebat, non visiones exhibebat, non Prophetæ loquebantur: silentium erat, ac simultas inter Deum, & hominem. Cùm igitur ille mortuus esset, tunc vidi Dominum: nam anteà non videbam nobis irasum: venit mors impuri, & soluit iram. Hanc ob causam, cùm vbique Regum vitam commemoret, hîc mortem dixit Oziæ.*

D. Chrys. *Peccata Regis Prophetis silentium inducunt.*

A Quam expositionem iterum inculcat in cap. 6. Enarrationis in Isaiam. Et eodem modo interpretatur D. Hieronym. in Epist. 142. ad Damasum, sub initium: *Viuente*, inquit, *leproso Rege; & quantum in se est, sacerdotium dissipante, Isaias visionem videre non potuit. Quandiu ille regnum tenuit in Iudæa, Propheta oculos non leuauit ad cælum, non sunt ei reserata cælestia, non apparuit Dominus Sabbaoth, nec in mysterio fideliter sancti nomen auditum est. Quando verò ille mortuus est, vniuersa, quæ subsequens sermo monstrauit, aperto se se lumine prodiderunt.* Hæc ille. Vbi alia affert exempla non dissimilia.

D. Hieron.

B Addit verò D. Chrysostomus homil. 5. De verbis Isai. mitissimum fuisse hoc pœnæ genus: *Considera*, inquit, *Dei humanitatem. Non enim subuertit ciuitatem, neque perdidit inhabitantes: sed quod amici faciunt erga æquales amicos, quoties habent aliquid, quod meritò expostulent; obiter silentio ferunt expectantes. Hoc & Deus erga gentem facit maiori pœna, suppliciòque dignam.* Nam & Rex grauissimè peccarat, in sacerdotale munus sacrilego ausu inuolando & totus populus iniustissimè deliquerat, Regem leprosum intra ciuitatis mœnia retinendo; decernente lege diuina, vt leprosi, ne contagio serperet, procul ab vrbe agerentur: vtrunque verò peccatum grauioribus dignum suppliciis, Deus sola Regis lepra, & Prophetarum silentio mulctauit. C Quod supplicium leuius erat, quàm tantis sceleribus deberetur.

XLVIII. D. Chrys. *Deus mitissimo supplicio punit.* *Rex peccans & populus consentiens puniuntur.*

Nihilominùs haud dubito, quin hoc silentium satis graue supplicium censeri debeat. Vnde olim Deus magni supplicij loco minabatur, ablaturum se esse ab Ierusalem, *Prophetam, & ariolum, & senem.* Isai. 3. numer. 2. hoc est, viros, qui à Deo instructi & afflati diuinas monitiones eloquerentur. Vbi idem D. Chrysostom. *Non parua*, inquit, *est species hæc indignationis diuinæ, quòd Prophetarum oracula defecerint; quandoquidem Deus auersatus est Iudaicum populum propter peccata filiorum Heli, obq; populi nequitiam defecit prophetia.* Quo pacto enim stare posset illa vrbs, in qua rueret D cælestis doctrina, & à qua sermo propheticus, qui totius mundi præsidium esse solet, auferretur? Certè Dauid huius supplicij acerbitatem lamentatus: *Signa*, inquit, *nostra non vidimus: iam non est Propheta, & nos non cognoscet ampliùs.* Psal. 73. n. 9. Nempe, ipse Deus. Quasi vbi primùm aliqua Respublica caret Prophetis, à quibus erudiatur, statim à Deo contemni ac deseri existimetur. Hinc colligunt D. Basilius, & Theodoretus, multò grauiorem, & acerbiorem fuisse Iudæorum captiuitatem per Romanos factam, quàm reliquas superiores per Babylonios, aliosque infensissimos hostes editas: in his enim non deerant Prophetæ, qui captiuos erudirent: in illa, ne vnus quidem apparebat, cuius oraculis miseri Iudæi regerentur. E

XLIX. *Silentiū Dei cum hominibus grauis pœna.* D. Chrys. *Defectus Prophetarum grauis punitio.* D. Basil. Theod. *Captiuitas Iudæorum per Romanos, grauissima.*

L.

Ex eodem Prophetarum silentio ostendit Propheta Oseas extremam populi Israëlitici calamitatem: *Et corrues*, inquit, *hodie, & corruet etiam Propheta tecum: nocte tacere feci matrem tuam.* Oseæ 4. n. 5. Ad quem locum D. Cyril. Alex. D. Hier. Theod. Rup. Theoph. & alij notarunt hoc Prophetarum silentium in magnum Iudæorum supplicium cessisse. Et confirmat Cyril. ex illis Dei verbis ad Ezechiel. c. 3. n. 26. *Et linguam tuā adhærere faciā palato tuo, & eris mutus: nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est.* Vbi in grauissimam pœnam domus

D. Cyril. D. Hieron. Theod. Rupert. Theoph.

exaspe

Lapides Rationalis fulgurare desinunt in Iudaeorum pœnam.
Iosephus.

exasperantis, id est, Synagogæ, Deum suis peccatis ad iracundiam prouocantis, indicitur silentium Prophetæ. Sic tandem grauissime punitus est totus populus, cùm illa miracula, & oracula cessarunt, quibus Deus Israelitas de futuris rebus præmonebat. Nam illi duodecim lapides pretiosi, qui erant in Rationali summi Pontificis, ac ad felices bellorum euentus prænuntiandos insolito quodam splendore fulgurabant, propter Iudæorum scelera fulgurare in posterum desierunt; vt Ioseph. lib. 3. Antiq. c. 12. testatur. Quasi puniri acerbiùs non possent; quàm si diuinis illis præmonitionibus, & tanquam alloquutionibus priuarentur. Satis igitur graue fuit hoc supplicium, quo Prophetarum oracula propter Heli, & filiorum eius peccata siluerunt. Ex dictis patet B solutio propositæ difficultatis: scilicet, ad patrem negligentem, & filios inobedientes, & qui illorum vestigiis insisterent, puniendos, verbum Domini fuisse in diebus illis pretiosum.

Tertia difficultas: Cur exprimatur hoc loco sermo Domini fuisse pretiosus?

LI.
Prophetia à circunstantia temporis vocatur.

TErtia tandem difficultas, cur exprimatur hoc loco sermo Domini fuisse pretiosus, seu rarus, facilè soluitur. Primò, quia historiæ lex id postulabat, vt præcipuæ temporis circunstantiæ, in quo illud oraculum acciderat, panderentur: qualis erat illa Prophetarum taciturnitas, & illa cælestium apparitionum intermissio, ex qua C præsens oraculum, mirabilius & illustrius reddebatur. Secundò, vt hinc Samuelis sanctitas clarior eluceret, quem Deus cæteris à suo colloquio exclusis propter effusam illius temporis malitiam, tamen propter singularem pueri sanctitatem ad suum colloquium familiariter aduocabat. Sic Vatablus. Tertiò ex Abulensi, vt daretur ratio, cur Samuel ter à Domino vocatus, non à Domino, sed ab Heli se vocari existimarit; proindéque non ad Dominum, sed ad Sacerdotem se contulerit? Nam, cùm sermo Domini rarus fuerit, nec Samuel aliquem vnquàm audierit ad sermonem cum Deo miscendum fuisse euocatum; planè ignorabat, se à Domino excitari, & ad colloquium accersi; proindéque non ad Dominum, sed ad Sacerdotem D accurrebat. Nec obstat, quòd hæc huius rei ratio, paulò inferiùs numer. 7. reddatur, illis verbis: *Porrò Samuel necdum sciebat Dominum*, &c. Nam illa Samuelis ignorantia fuit immediata ratio adeundi Sacerdotis: hæc autem oraculorũ raritas fuit quodammodò mediata: nam ex raritate sermonis diuini se à Deo vocari ignorabat: ex hac autem ignorantia non ad Dominum, sed ad Heli se conferebat.

Declaratur à Deo Samuelis sanctitas.

Vatabl.
Abul.
Samuel vocatus à Deo cur ad Heli recurrat?

LII.
D. Chrys.
Multiplex lectio.

Non erat visio manifesta. D. Chrysostomus multipliciter legit. Nam homil. 5. De verbis Isai. *Non erat visio præcipiens*: lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monasticæ: *Non erat visio comprimens*: lib. 3. De Prouidentia: *Non erat visio dirimens*: E serm. *Ne desperemus*, &c. in 5. tom. & enarratione in cap. 3. Isai. in 1. tomo: *Non erat visio distinguens*. Quod vltimo modo legunt Septuaginta, διαστέλλουσα, hoc est, *Distinguens*, à verbo διαστέλλω, hoc est, *Distinguo, explico, aperio, patefacio*. Nec à fonte dissentiunt, vbi est, נִפְרָץ *Nipras*, hoc est, *Aperta*, à verbo פרץ *Paràs*, quod est, *Diuidere*, seu *aperire*, & per translationem, *manifestare*. Non erat igitur visio manifesta, hoc est, non erat prophetia, saltem cognita, vt talis: quæ, vt ex cap. 9. n. 9. clariùs patebit, visio appellatur.

LIII.
D. Greg.
Sermo prophetiæ, & doctrinæ.

A Sed quæres: An idem sit hoc loco prophetia, atque paulò antè, *Sermo Domini?* Negare videtur D. Greg. in priori huius loci commentario, docens, illum sermonem esse doctrinæ, quem Prædicatores ad populum effundunt: hanc autem visionem esse prophetiæ, quam Prophetæ hauriunt à Deo: vtrunque verò fuisse rarum; sermonem quidem doctrinæ: *Quia dum rarus*, inquit, *esset qui summa contemplando cerneret, frequens esse non poterat, qui bona loquendo prædicaret.* Vbi significat, optimos Prædicatores esse debere optimos contemplatores: & proptereà etiam nunc in Ecclesia raros esse, qui fructuosè prædicent; quia rari sunt, qui studiosè contemplentur: & *quia non quærunt*, inquit, *superna, quæ dicant; sed terrena, quæ agant.* Hos ait, non immeritò appellari, *canes mutos*, non valentes *latrare*. Isai. 56. numer. 10. Et rectè obseruat, non dici, non volentes, sed non valentes. Volentes quidem sunt: *Quia dum*, inquit, *mundi gloriam ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & virtute diligunt; vellent populo sublimia dicere, vt etiam de sublimitate verbi possent gloriam habere.* Nihilominùs non sunt valentes: *Quia dum*, inquit, *prauo corde terrena meditantur; occulta veritatis, quæ proferant, reuelatione nulla comprehendunt.* Concludit igitur, sermonem doctrinæ rarum fuisse. Nec minùs rarum sermonem prophetiæ, seu diuinas apparitiones, & illustrationes: quia cùm Heli non faceret iam cognita; non merebatur cognoscere vlteriùs facienda. *Nam dum rector*, inquit, *agenda quæ nouit, despicit, agitur cum eo, districto iudicio, vt agenda non videat; quia implere noluit, quod videbat. Manifesta namque visio negligentis Pastoris non est, sed amantis.* Quod probat ex verbis Christi Domini: *Qui diligit me*, &c. *manifestabo ei me ipsum*, Ioann. 14. numer. 21. Et statim: *Si veritas*, inquit, *merito dilectionis ostenditur; iis, qui torpent à bono opere, dignissimè occultatur: quia signum amoris non est in affectione animi, sed in studio bonæ operationis.*

Optimus Prædicator sit optimus contemplator.

Prædicatores vani.

Qui non facit, quæ didicit, non meretur vlteriùs discere, quæ faciat.

LIV.
Expositio D. Gregor. mystica.

Itaque ex mente Diui Gregorij duplex hoc loco sermo, doctrinalis, & propheticus distinguitur: vterque rarus fuisse dicitur: doctrinalis, quia nemo apud Deum contemplabatur, quæ populum doceret: propheticus, quia nemo apud populum agebat, quæ à Deo docebatur. Quæ quidem rectissimè ad mores dicta sunt. Nihilominùs, si litera ipsa spectetur, de solo sermone prophetico agitur hoc loco, vt rectè Caietanus obseruat. Et ratio est, quia ille sermo dicitur hoc loco pretiosus, seu rarus, qui à Deo paulò inferiùs suppletur, seu communicatur: idcircò enim dicitur rarus, vt statim dicatur à Deo cælitùs infusus: atqui sermo à Deo suppletus, & communicatus, fuit propheticus; Samuele diuinitùs illustrato, & & ad propheticam notitiam euecto, vt ex dicendis patebit: ergo de solo sermone prophetiæ agitur hoc loco: quamuis negandum non sit etiam sermonem doctrinæ rarum fuisse, propter rationes traditas à Diuo Gregorio. Vnde duplex illa propositio, sermo Domini erat pretiosus, & non erat visio manifesta; eódem tendunt; vnáque per alteram clarior explicatur, vt Angel. Lyra, & Abulensis interpretantur.

Literalis expositio de solo sermone prophetico.

Angel.
Lyra.
Abul.

LV.
D. Basil.
Prophetia dicitur visio propter certitudinem.

Supersunt breues quædam dubitatiunculæ. Prima, cur prophetia appelletur visio? Respondeo cum D. Basilio in c. 1. Isaiæ, propter certitudinem, quæ in visione maior est, quàm in cæteris notitiis

A quidem erga Deum effundendam; prædicationem verò apud homines, temperandam; iuxta illud: *Sint pauci sermones tui.* Eccl. 5. num. 1. ne verborum multitudine auditores obruantur. Iuxta hanc interpretationem rarus erat sermo Domini in illis diebus, ne veniret in contemptum; sed in pretio baberetur. Nihilominùs, cùm sceleratissimus illius Reipublicæ status, non tam cautione, quàm punitione indigeret; germanior est sequens interpretatio.

XLVII. *(D. Chr. D. Greg. Angel. Raban. Hug. Lyra. Abul.)* Tertiò igitur dicendum cum D. Chrysostomo in cap. 3. Isai. D. Greg. in priori Commentario huius loci, Angelomo, Rabano, Hugone, Lyra, Abulense, & aliis, fuisse sermonem Domini rarum, in pœnam Heli, & filiorum eius; addunt Angelomus, & Rabanus, & totius populi: qui B communi Principum pœna pariter inuoluebatur.

Sermo Dei rarus in pœnam Heli, & filiorum.

(Dion. D. Thom.) Non placet hæc interpretatio Dionysio-rum, quia pœna spirituali nemo punitur propter alienam culpam, vt ex D. Thom. 1. 2. quæst. 87. art. 8. docent communiter Theologi: tum, quia tempore Manasses multa fuerunt populi peccata, nec tamen deerant Prophetæ, & oracula diuina. 4. Reg. 21. numer. 10. & 2. Paralip. 33. numer. 10. Sed neutra obiectio conuincit. Non prior, quia licèt propter alienam culpam nemo subiici possit pœnæ, vt pœnæ: subiici tamen potest pœnæ, vt medicinæ; vt docet D. Thomas citatus: quo pacto etiam nunc in Ecclesia propter vnius culpam multi innocentes nonnullis interdicti effectibus pœnalibus subiiciuntur. Non posterior: C quia opus non est, vt semper Deus eodem supplicij genere vtatur; cùm liberum ei sit, nunc has, nunc illas pœnas, prout diuinæ prouidentiæ ratio postulat, inferre: nunc pestem, nunc famem, nunc bellum, nunc alia, atque alia supplicia, & si quando ei placuerit, silentium Prophetarum, cessationémque oraculorum inducendo.

Peccata impediunt diuina responsa.

Solebat igitur Deus in scelerum odium aliquando claudere diuina oracula; & interposito silentio, improbos homines à suo colloquio arcere. Vnde peccante Ionatha: *Consuluit*, inquit Textus, *Saul Dominum, & non respondit ei in die illa.* 1. Reg. 14. numer. 37. Quasi vnius peccatum sermonem Dei in totum populum impediret. Quamuis de hoc silentio aliter alij opinentur, vt suo loco dicam. D Item Saul in multa scelera deuolutus, *Consuluit Dominum*, vt est in litera, *& non respondit ei, neque per somnia, neque per Sacerdotes, neque per Prophetas.* 1. Reg. 28. num. 6. Rex enim Deo contrarius, indignus erat, qui ad Dei colloquium admitteretur.

Diuina oracula silent in pœnam peccati.

Sic olim, viuente improbo Rege Ozia, diuina oracula clausa sunt, eodem moriente, reserata, iuxta illud: *In anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum.* Isai. 6. numer. 1. In quem locum Diuus Chrysost. hom. 4. de his verbis, hoc mysterium deprehendit *(D. Chrys.)*: *Dicturus sum*, inquit, *quam ob causam, cùm omnes Prophetæ tempus Regum enarrare soleant, quo vixerint: hoc loco ea consuetudo prætermissa sit. Nec enim dicit: In diebus Oziæ, sed in morte Oziæ.* E Et paulò pòst quæstionem soluit: docet enim viuente impio Rege, nulla fuisse oracula; sed, moriente, incœpisse: & propterea Isaiam non à vita, sed à morte Regis, suam prophetiam inchoasse: *Silet*, inquit, *Spiritus gratiæ, eò quod sub impuro illo non erat gratia, non adueniebat Deus, non apparebat, non visiones exhibebat, non Prophetæ loquebantur: silentium erat, ac simultas inter Deum, & hominem. Cùm igitur ille mortuus esset, tunc vidi Dominum: nam anteà non videbam nobis iratum: venit mors impuri, & soluit iram. Hanc ob causam, cum vbique Regum vitam commemoret, hîc mortem dixit Oziæ.*

Peccata Regis Prophetis silentium inducunt.

A Quam expositionem iterum inculcat in cap. 6. Enarrationis in Isaiam. Et eodem modo interpretatur D. Hieronym. *(D. Hieron.)* in Epist. 142. ad Damasum, sub initium: *Viuente*, inquit, *leproso Rege; & quantùm in se est, sacerdotium dissipante, Isaias visionem videre non potuit. Quandiu ille regnum tenuit in Iudæa, Propheta oculos non leuauit ad cælum, non sunt ei reserata cælestia, non apparuit Dominus Sabbaoth, nec in mysterio fideliter sancti nomen auditum est. Quando verò ille mortuus est, vniuersa, quæ subsequens sermo monstrauit, aperto se se lumine prodiderunt.* Hæc ille. Vbi alia affert exempla non dissimilia.

XLVIII. *(D. Chrys.)* B Addit verò D. Chrysostomus homil. 5. De verbis Isai. mitissimum fuisse hoc pœnæ genus: *Considera*, inquit, *Dei humanitatem. Non enim subuertit ciuitatem, neque perdidit inhabitantes: sed quod amici faciunt erga æquales amicos, quoties habent aliquid, quod meritò expostulent; obiter silentio ferunt expectantes. Hoc & Deus erga gentem facit maiori pœna, suppliciòque dignam.*

Deus mitissimo supplicio punit.

Nam & Rex grauissimè peccarat, in sacerdotale munus sacrilego ausu inuolando & totus populus iniustissime deliquerat, Regem leprosum intra ciuitatis mœnia retinendo; decernente lege diuina, vt leprosi, ne contagio serperet, procul ab vrbe agerentur: vtrunque verò peccatum grauioribus dignum suppliciis, Deus sola C Regis lepra, & Prophetarum silentio mulctauit. Quod supplicium leuius erat, quàm tantis sceleribus deberetur.

Rex peccans & populus consentiens puniuntur.

XLIX. Nihilominùs haud dubito, quin hoc silentium satis graue supplicium censeri debeat. Vnde olim Deus magni supplicij loco minabatur, ablaturum se esse ab Ierusalem, *Prophetam, & ariolum, & senem.* Isai. 3. numer. 2. hoc est, viros, qui à Deo instructi & afflati diuinas monitiones eloquerentur.

Silentiũ Dei cum hominibus grauis pœna.

(D. Chrys.) Vbi idem D. Chrysostom. *Non parua*, inquit, *est species hæc indignationis diuinæ, quòd Prophetarum oracula defecerint; quandoquidem Deus auersatus est Iudaicum populum propter peccata filiorum Heli, obq; populi nequitiam defecit prophetia.* Quo pacto enim stare posset illa vrbs, in qua rueret D cælestis doctrina, & à qua sermo propheticus, qui totius mundi præsidium esse solet, auferretur? Certè Dauid huius supplicij acerbitatem lamentatus: *Signa*, inquit, *nostra non vidimus: iam non est Propheta, & nos non cognoscet ampliùs.* Psal. 73. n. 9. Nempe, ipse Deus.

Defectus Prophetarum grauis punitio.

Quasi vbi primùm aliqua Respublica caret Prophetis, à quibus erudiatur, statim à Deo contemni ac deseri existimetur. *(D. Basil. Theod.)* Hinc colligunt D. Basilius, & Theodoretus, multò grauiorem, & acerbiorem fuisse Iudæorum captiuitatem per Romanos factam, quàm reliquas superiores per Babylonios, aliosque infensissimos hostes editas: in his enim non deerant Prophetæ, qui captiuos erudirent: in illa, ne vnus quidem apparebat, cuius oraculis miseri Iudæi regerentur. E

Captiuitas Iudæorum per Romanos, grauissima.

L. Ex eodem Prophetarum silentio ostendit Propheta Oseas extremam populi Israëlitici calamitatem: *Et corrues*, inquit, *hodie, & corruet etiam Propheta tecum: nocte tacere feci matrem tuam.* Oseæ 4. n. 5. *(D. Cyril. D. Hieron. Theod. Rupert. Theoph.)* Ad quem locum D. Cyril. Alex. D. Hier. Theod. Rup. Theoph. & alij notarunt hoc Prophetarum silentium in magnum Iudæorum supplicium cessisse. Et confirmat Cyril. ex illis Dei verbis ad Ezechiel. c. 3. n. 26. *Et linguam tuã adhærere faciã palato tuo, & eris mutus: nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est.* Vbi in grauissimam pœnam domus

exaspe

A exasperantis, id est, Synagogæ, Deum suis peccatis ad iracundiam prouocantis, indicitur silentium Prophetæ. Sic tandem grauissimè punitus est totus populus, cùm illa miracula, & oracula cessarunt, quibus Deus Israelitas de futuris rebus præmonebat. Nam illi duodecim lapides pretiosi, qui erant in Rationali summi Pontificis, ac ad felices bellorum euentus prenuntiandos insolito quodam splendore folgurabant, propter Iudæorum scelera fulgurare in posterum desierunt; vt Ioseph. lib. 3. Antiq. c. 12. testatur. Quasi puniri acerbiùs non possent, quàm si diuinis illis præmonitionibus, & tanquam alloqutionibus priuarentur. Satis igitur graue fuit hoc supplicium, quo Prophetarum oracula propter Heli, & filiorum eius peccata siluerunt. Ex dictis patet B solutio propositæ difficultatis: scilicet, ad patrem negligentem, & filios inobedientes, & qui illorum vestigiis insisterent, puniendos, verbum Domini fuisse in diebus illis pretiosum.

Lapides Rationalis fulgurare desinunt in Iudæorum pœnam.
Iosephus.

Tertia difficultas: Cur exprimatur hoc loco sermo Domini fuisse pretiosus?

LI.
Prophetia à circunstantia temporis notatur.

TErtia tandem difficultas, cur exprimatur hoc loco sermo Domini fuisse pretiosus, seu rarus, facilè soluitur. Primò, quia historiæ lex id postulabat, vt præcipuæ temporis circunstantiæ, in quo illud oraculum acciderat, panderentur: qualis erat illa Prophetarum taciturnitas, & illa cælestium apparitionum intermissio, ex qua C præsens oraculum, mirabilius & illustrius reddebatur. Secundò, vt hinc Samuelis sanctitas clarior eluceret, quem Deus cæteris à suo colloquio exclusis propter effusam illius temporis malitiam, tamen propter singularem pueri sanctitatem ad suum colloquium familiariter aduocabat. Sic Vatablus. Tertiò ex Abulensi, vt daretur ratio, cur Samuel ter à Domino vocatus, non a Domino, sed ab Heli se vocari existimarit; proindéque non ad Dominum, sed ad Sacerdotem se contulerit? Nam, cùm sermo Domini rarus fuerit, nec Samuel aliquem vnquàm audierit ad sermonem cum Deo miscendum fuisse euocatum; plane ignorabat, se à Domino D excitari, & ad colloquium accersi; proindéque non ad Dominum, sed ad Sacerdotem accurrebat. Nec obstat, quòd hæc huius rei ratio, paulò inferiùs numer. 7. reddatur, illis verbis: *Porrò Samuel nec dum sciebat Dominum*, &c. Nam illa Samuelis ignorantia fuit immediata ratio adeundi Sacerdotis: hæc autem oraculorũ raritas fuit quodammodò mediata: nam ex raritate sermonis diuini se à Deo vocari ignorabat: ex hac autem ignorantia non ad Dominum, sed ad Heli se conferebat.

Declaratur à Deo Samuelis sanctitas.
Vatabl.
Abul.
Samuel vocatur à Deo cur ad Heli recurrat?

LII.
D. Chrys.
Multiplex lectio.

Non erat visio manifesta. D. Chrysostomus multipliciter legit. Nam homil. 5. De verbis Isai. *Non erat visio præcipiens*: lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monasticæ: *Non erat visio comprimens*: E lib. 3. De Prouidentia: *Non erat visio dirimens*: serm. *Ne desperemus*, &c. in 5. tom. & enarratione in cap. 3. Isai. in 1. tomo: *Non erat visio distinguens.* Quod vltimo modo legunt Septuaginta, *διαστέλλουσα*, hoc est, *Distinguens*, à verbo *διαστέλλω*, hoc est, *Distinguo, explico, aperio, patefacio.* Nec à fonte dissentiunt, vbi est, נִפְרָץ *Nipras*, hoc est, *Aperta*, à verbo פָּרַץ *Paras*, quod est, *Diuidere*, seu *aperire*, & per translationem, *manifestare.* Non erat igitur visio manifesta, hoc est, non erat prophetia, saltem cognita, vt talis: quæ, vt ex cap. 9. n. 9. clariùs patebit, visio appellatur.

LIII.
D. Greg.
Sermo prophetiæ, & doctrinæ.

Sed quæres: An idem sit hoc loco prophetia, atque paulò antè, *Sermo Domini?* Negare videtur D. Greg. in priori huius loci commentario, docens, illum sermonem esse doctrinæ, quem Prædicatores ad populum effundunt: hanc autem visionem esse prophetiæ, quam Prophetæ hauriunt à Deo: vtrumque verò fuisse rarum; sermonem quidem doctrinæ: *Quia dum rarus*, inquit, *esset qui summa contemplando cerneret, frequens esse non poterat, qui bona loquendo prædicaret.* Vbi significat, optimos Prædicatores esse debere optimos contemplatores: & propterea etiam nunc in Ecclesia raros esse, qui fructuosè prædicent; quia rari sunt, qui studiose contemplentur: & quia *non quærunt*, inquit, *superna, quæ dicant; sed terrena, quæ agant.* Hos ait, non immeritò appellari, *canes mutos*, non valentes *latrare.* Isai. 56. numer. 10. Et rectè obseruat, non dici, non volentes, sed non valentes. Volentes quidem sunt: *Quia dum*, inquit, *mundi gloriam ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota mente, & virtute diligunt; vellent populo sublimia dicere, vt etiam de sublimitate verbi possent gloriam habere.* Nihilominùs non sunt valentes: *Quia dum*, inquit, *prano corde terrena meditantur; occulta veritatis, quæ proferant, reuelatione nulla comprehendunt.* Concludit igitur, sermonem doctrinæ rarum fuisse. Nec minùs rarum sermonem prophetiæ, seu diuinas apparitiones, & illustrationes: quia cùm Heli non faceret iam cognita; non merebatur cognoscere vlteriùs facienda. *Nam dum rector*, inquit, *agenda quæ nouit, despicit, agitur cum eo, districto iudicio, vt agenda non videat; quia implere noluit, quod videbat. Manifesta namque visio negligentis Pastoris non est, sed amantis.* Quod probat ex verbis Christi Domini: *Qui diligit me*, &c. *manifestabo ei me ipsum*, Ioann. 14. numer. 21. Et statim: *Si veritas*, inquit, *merito dilectionis ostenditur; iis, qui torpent à bono opere, dignissimè occultatur: quia signum amoris non est in affectione animi, sed in studio bonæ operationis.*

Optimus Prædicator sit optimus contemplator.
Prædicatores muti.
Qui non facit quæ didicit, non meretur vlteriùs discere, quæ faciat.

LIV.
Expositio D. Gregor. mystica.

Itaque ex mente Diui Gregorij duplex hoc loco sermo, doctrinalis, & propheticus distinguitur: vterque rarus fuisse dicitur: doctrinalis, quia nemo apud Deum contemplabatur, quæ populum doceret: propheticus, quia nemo apud populum agebat, quæ à Deo docebatur. Quæ quidem rectissimè ad mores dicta sunt. Nihilominùs, si litera ipsa spectetur, de solo sermone prophetico agitur hoc loco, vt rectè Caietanus obseruat. Et ratio est, quia ille sermo dicitur hoc loco pretiosus, seu rarus, qui à Deo paulò inferiùs suppletur, seu communicatur: idcircò enim dicitur rarus, vt statim dicatur à Deo cælitùs infusus: atqui sermo à Deo suppletus, & communicatus, fuit propheticus; Samuele diuinitùs illustrato, & & ad propheticam notitiam euecto, vt ex dicendis patebit: ergo de solo sermone prophetiæ agitur hoc loco: quamuis negandum non sit etiam sermonem doctrinæ rarum fuisse, propter rationes traditas à Diuo Gregorio. Vnde duplex illa propositio, sermo Domini erat pretiosus, & non erat visio manifesta; eòdem tendunt, vnáque per alteram clarior explicatur, vt Angel. Lyra, & Abulensis interpretantur.

Literalis expositio de solo sermone prophetico.
Angel.
Lyra.
Abul.

LV.
D. Basil.
Prophetia dicitur visio propter certitudinem.

Supersunt breues quędam dubitatiunculæ. Prima, cur prophetia appelletur visio? Respondeo cum D. Basilio in c. 1. Isaiæ, propter certitudinem, quæ in visione maior est, quàm in cæteris

notitiis sensitiuis, vt ad c. 9. n. 9. latiùs explicabo. Secunda, vtrum prophetia sit visio purè intellectiua, an etiam imaginaria? Respondeo cùm D. Thoma 2. 2. quæst. 174. art. 1. & 3. vtramque esse posse: intellectiuam quidem, quando ipsa res absque vllis signis imaginatione apprehensis, intellectui reuelatur: imaginariam verò, quando per signa imaginatione apprehensa, ad rem ipsam cognoscendam inducitur intellectus: & purè quidem intellectiuam, quæ dicitur fuisse in Dauid, 2. Reg. 23. num. 4. &, vt aliqui existimant, in Moyse, Numer. 12. numer. 8. esse nobiliorem notitiam; sed imaginariam, esse magis propriè prophetiam, propter maiorem obscuritatem, & remotionem ab intelligibili obiecto, qoam prophetia semper importat.

D Thom. *Prophetia est visio in intellectu, vel in imaginatione.*

Visio intellectiua, perfectior, sed imaginaria magis propriè prophetia.

LVI. Tertia, si prophetia, auctore D. Thoma, aliquam obscuritatem importat; quo pacto dicitur hoc loco, tanquàm res nooa, non fuisse in illis diebus visio manifesta: quasi supponatur aliqua manifesta esse potuisse? Facilè se expedionr Hebræl, transferentes; *Non erat visio multiplicata*: occasionem illis dante verbo originali, נפרצ *Nipras*: hoc est, *multiplicata*, à verbo פרצ *Paras*, quod non solùm significat, diuidere, & aperite, vt dictum est, sed etiam multiplicare. Vnde sensus efficitur, Non erat visio frequens, crebra, & vsitata, seu, vt legit Vatablus in eodem sensu, *vulgaris*: sed rara, & pretiosa. Nihilominùs respondere oportet iuxta Latinam editionem. Alij igitur nimis theologicè respondebunt, prophetiam habere semper, vt docet Caietanus 2. 2. q. 1. art. 4. aut saltem habere posse, vt docet Suar. in Opere De fide, Disp. 8. sect. 5. euidentiam attestantis: qualem habuit prophetia in Christo Domino, cùm ipse verus Propheta fuerit. Deut. 18. n. 15. Matth. 21. n. 11. Marc. 6. num. 4. Luc. 7. n. 16. Ioann. 4. n. 19. & passim alibi. Nec tamen cognitionem haboerit obscuram, & ineuidentem, vt Theologi in 3. dist. 14. & 3. p. q. 11. & sequentibus communiter testantur. At verò in illis diebus, nollam fuisse prophetiam, qoæ talem euidentiam haberet. Vnde quamuis non dicatur absolutè nullus fuisse sermo Domini, sed tantùm rarus, ac proinde aliquis: tamen absolutè dici, non fuisse visionem manifestam; quia quamuis esset aliqua prophetia, nullam tamen habebat euidentiam in attestante.

An sit prophetia manifesta.

Responsio Hebræorum.

Vatab. *Aliquorum Theologorum responsio.* Caiet. Suar.

LVII. Sed hæc responsio, vt vera sit, certè literalis non est. Quia reuelationes sine hac euidentia Prophetis communiter fiebant, vt ostendit Suarius citatus, quin propterea illi à Deo puniri censerentur: proindéque, si in illis diebus nihil deerat in prophetia, nisi euidentia attestantis; certè nihil noui contingebat; nec vlla pœna propter peccata Heli à Deo inferebatur. Vnde vlteriùs fit, hanc responsionem non solùm à litera, sed etiam à veritate alienam esse, quia solam negat euidentiam in attestante; eáque sublata, plures prophetias admittit, quas tamen litera excludit. Igitur simpliciùs, & literaliùs respondeo, visionem manifestam hoc loco noo esse tantùm euidentem in attestante; sed omnem, de qua inter homines constaret, veram esse prophetiam; & hanc illis diebus defuisse. Aliàs etiam Heli, vt cap. 1. numer. 17. iam diximus, immò & ille vir Dei, qui venit ad Heli, cap. 2. num. 27. prophetarunt: de quorum tamen prophetiis inter homines volgò non constabat. Quod exiguum non erat illius populi supplicium, carentis optima regula, qua ad salutem regerentur.

Impugnatur responsio. Suar.

Germana responsio.

LVIII. Quarta, & vltima dubitatio, vtrùm visio significet quamlibet prophetiam, siue læta, siue tristia nuntiantem? D. Hieronymus in cap. 13. & 15. Isai. sub initium, & in cap. 23. Ieremiæ ad finem, docet, visionem significare prophetiam prospera nontiantem: sicut onus, siue pondus prophetiam nuntiantem tristia, & infausta. Si ita est, meritò hoc loco non pondus, sed visio fuisse negatur; quasi non tam tristes, quàm lætæ prophetiæ defecissent. Verùm hæc distinctio, etsi placeat Cantapetrensi lib. 4. Hypotyposeon, cap. 2. displicet Riberæ in cap. 1. Oseæ à numer. 7. vbi Diuum Hieronymum in bonum sensum interpretatur: ita scilicet has voces plerunque, non tamen semper in sacris Literis distingui. Nam aliquando visio infausta comminatur. *Visio Abdiæ*, inquit Propheta numer. 1. *Hæc dicit Dominus Deus ad Edom*, &c. Et statim: *Consurgamus aduersus eum in prælium.* Vbi Rupertus vocat hanc visionem propheticam *valdè duram*; quòd sub ea, noo nisi clades, & strages Idumæorum prænuntientur. Contrà verò onus aliquaodo à prosperis exorditur: *Onus Ægypti*, inquit Propheta. Et statim: *Hæc Dominus ascendit super nubem leuem; & ingredietur Ægyptum.* Isai. 19. num. 1. Quodnam est, obsecro, istud onus, quod per nubem leuem significatur? præsertim, cùm in ea non Ægypti calamitas, sed mundi felicitas imputetur? Nam illa nubes sacrosanctam Christi Domini humanitatem repræsentabat, quam sibi induens Æternum Verbum Ægyptum conscendebat: quæ planè erat suprema illius regionis beatitudo. *Quid enim Ægyptus*, inquit ibi Procopius, *quàm quòd in ea peregrinatus est Dominus, beatiùs habebat?* Graue igitur non erat hoc Ægypti onus, sed planè leue; non deprimebat, sed erigebat; non tristia, sed felicia sigoificabat.

An visio prophetica sit tantùm de prosperis. D. Hieron. *Distinctio inter visionem, & onus.*

Cantapet. Riber. *Visio non semper de lætis.*

Rupert.

Onus non semper de duris.

Procop.

Num. II. Factum est ergo in die quadam, Heli iacebat in loco suo; & oculi eius caligauerant: nec poterat videre.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Factum est ergo, &c.* Vulgatissimus Hebraïsmus est, ויהי *Et fuit.* Septuaginta vertunt, καὶ ἐγένετο, quod Latinus plerunque reddit: *Et factum est.* Nec est aliud, quàm nexus quidam, quo antecedentia cum conseqoentibus coniunguntur. Addunt Septuaginta, ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, *in die illa*; sequuti fontem ביום ההוא baiom hahu, *in die illa.* Sed, quia nulla certa dies designatur, vertit Latinus: *In die quadam*: intellige, naturali; ne excludatur nox, in qua hæc reuelatio contigit, vt statim dicetur. Vnde Vatablus transfert: *quodam tempore*: vt à diurno, nocturnóque abstractiùs. Quamuis D. Gregorios ad mysticos sensus, vt solet, digressus, duplici mysterio arbitretur, dictum fuisse, *In die.* Vno, vt ostendatur perfectio Samuelis, qui non in nocte, vt Salomon; sed in die ad colloqoium cum Deo euocatur. *In die*, inquit, *vocatur, qui pro sua, & aliorum salute ad superna sapientiæ scienda secreta sustollitur.* Contrà verò Salomon sapientiam in nocte percepit. 3. Reg. 3. num. 5. *Vt caligo temporis indicaret, quia eandem sapientiam non perseueraturus acciperet.* Altero, vt magna Heli cæcitas explicetur, qui etiam in die, in qua omnia solari luce perfusa clariùs cernuntur, caligabat.

Hebræa, Græca, & Latina lectio.

Vatab.

D. Greg. *Vocatio in die perfectior, quàm in nocte.*

Cæcus in luce veritatis misere.

caligabat: *Positione*, inquit, *diei ostenditur magnitudo cæcitatis Heli: quia profectò magnas tenebras habuit, qui in die non vidit.* Hoc autem Sacerdote cæciores esse dicit illos Prælatos, qui in lege Euangelij, vbi Christus est lux mundi, Ioan. 8. n. 12. cæcutiunt. *Magnas ergo*, inquit, *tenebras pastor sustinet, si is, qui Ecclesiæ oculus esse per officium noscitur, in gratia tantæ lucis visionem non habet.*

Cæcus in luce Euangelij peior quam Heli.

II. *Heli iacebat*, &c. Fortè vigilans: vel quia senex, qui solet esse somni parcior: vel quia plenus curarum, quæ solent somnos abigere. Nihilominùs Septuaginta in Regia Complutensi, & Sixtiana transferunt: ἐκάθευδεν, hoc est, *dormiebat*, à verbo καθεύδω, hoc est, *dormio*. Et eodem modo legunt Vatablus, & Pagninus; & sic habetur in textu Glossæ ordinariæ ad marginem, quin etiam verbum שכב *Sacab*, quod est in fonte, non solùm significat, cubare; sed etiam dormire. *Ecce nunc in puluere dormiam.* Iob. 7. num. 21. *Si dormiatis inter medios cleros.* Psal. 67. num. 14. *Terram, in qua dormis, tibi dabo.* Genes. 28. num. 13. Quibus in locis idem verbum reperitur. Sicut & paulò inferiùs, n. 3. *Samuel dormiebat.* Et num. 5. *Reuertere, & dormi.* Sed cùm Heli grauissimo diuinæ comminationis telo paulò antè percussus sit per virum Dei, qui ad eum arguendum missus est; non sine mysterio dicitur initio huius capitis dormire. Duplici de causa, ni fallor. Vna ad ostendendam eius tristitiam ex illa comminatione conceptam. Solet enim tristitia somnos conciliare, iuxta illud Sallustianum in Iugurth. *Ægrum animum, vti solet, somnus cœpit.* Vnde illi duo Poëtarum apices, Homerus Iliad. 23. & Virgilius Æneid. 8. prudenter induxerunt suos illos duces, Achillem, & Æneam tristium curarum æstu fatigatos, deinde in somnum resolutos. Sic olim: *Et Ionas descendit ad interiora nauis; & dormiebat sopore graui.* Ion. 1. num. 5. Vbi D. Hieronymus: *Descendit*, inquit, *ad interiora nauis, & tristis absconditur: ne quasi Dei vindices fluctus aduersum se videret intumescere. Quod autem dormit, non securitatis est; sed mæroris. Nam & Apostolos legimus, in Domini passione præ tristitia magnitudine, somno fuisse depressos.*

Heli fortè vigilabat. Probabilius, quòd dormiebat.

Vatabl. Pagn.

Somnus ex tristitia.

Sallust.

Homer. Virg.

D. Hieron.

III. Altera ad ostendendam eius negligentiam, & remissionem animi; qui tam grauibus minis, veluti quibusdam tonitruis de cælo territus non vigilarit. Pari ratione Mercurius apud Virgilium 4. Æneid. miratur Æneam somno indulgentem, quem paulò antè diuina oracula grauiter perterruerant:

Nate Deo, potes hoc sub casu ducere somnos?

Lusit non inscitè Augustus in quendam, qui multo pressus ære alieno in vtranque aurem dormiebat: nam eius demortui culcitram emendam curauit; dicens, non posse non aliquam vim soporiferam illi inesse, quæ homini tam multis curis impedito somnos conciliasset. Quantò maior incuria, ac desidia huius Pontificis; qui plurimis nominibus Deo debitor, quietus dormiret, & tanquàm alter Ionas, vt loquitur D. Hieronymus citatus, profundissimum somnum *rencho ore* sonaret? Neque eo solo nomine, quòd debitor erga Deum esset, debuit vigilare; sed vlteriùs, quòd Pontifex, & Iudex erga homines. Qui enim aliis præsunt, non debent somni tyrannidi subiacere. Quod ex profanis, & sacris Literis facile illustratur.

Somnus ex ignauia.

Virg.

Sueton.

Et indicandus, & Iudex vigilent.

D. Hieron.

Principem somnolentia non decet, sed vigilantia.

IV. PAssim adstipulantur profanæ literæ. Nam, vt est in veteri parœmia; *Non decet Principem solidam dormire noctem.* Immò solidam vigilabat Annibal, teste Polybio lib. 3. De quo Silius lib. 1. *Noctémque vigil ducebat in armis.* Troianus dux apud Maronem celebratur, 1. Æneidos, *Per noctem plurima voluens.* Et apud Homer. Iliad. 2. fingitur vnus Iupiter cæteris dormientibus insomnis. At verò Agamemnon, Iliad. 7. omnibus Græcis consopitis solus excubabat. Quam ob causam laudatur Agesilaus in libello de eius laudibus, à Xenophonte, quòd somno, non vt domino, sed vt mancipio vteretur. Nec minori laude dignus fuit Thebanus dux Epaminondas, qui, vt refert Plutarchus libello aduersùs ducem imperitum, dormientibus ciuibus, lustrabat vrbem, & muros obambulabat: rogatus verò, cur id faceret? respondebat: vt cęteri dormirent. Idcircò Rex Persarum, teste eodem Plutarcho, cubicularium assiduum habebat, à quo summo mane his vocibus excitaretur: *Rex, vigila, & negotia cura.*

Principes vigilare debent.

Polybius. Silius. Virg. Homer.

Xenoph.

V. Et quidem nocturnas vigilias ad consilia incunda quàm aptissimas esse, satis indicat Græcum illud verbum, ἐν νυκτὶ βουλή, hoc est, *In nocte consilium.* Quò allusit Crassus ille Tullianus 1. de Orat. cùm ad Antonium ex malo Oratore bonum repentè factum: *Nox*, inquit, *te nobis, Antoni, expoliuit, hominémque reddidit.* Vnde, cùm apud Lacedæmonios, & diurno, & nocturno tempore iudicia celebrarentur, facilioribus causis ad diurna iudicia remissis, difficiliores ad nocturna aduocabantur; vt Plato apud Plutarchum in Symposiacis restatur. Quasi vbi oculus nocturnis tenebris redditur obtusior, ibi animus maturis consiliis perspicacior efficiatur. Quæ est causa, cur antiquitas noctem appellauerit εὐφρόνην, *Euphronem*, hoc est, bene sapientem, vt docet Clemens Alexandrinus libr. 4. Stromat. *Quoniam*, inquit, *anima tunc cessans conuertitur ad se ipsam, & est magis prudentiæ particeps.* Vnde Flaccus 6. Argon. de nocte loquutus: *Consiliis*, inquit, *vacat alta mouendis.*

Nocturnæ vigiliæ consiliis capiendis aptissimæ.

Tullius.

Plato.

Clem. Alex.

Flaccus.

VI. Neque pauciora nobis suppetunt ex sacris Literis suffragia ad idem institutum confirmandum. Nam in primis supremus mundi Princeps, & Rector Deus antonomasticè *vigil* appellatur. *Videbam*, inquit Nabuchodonosor, *in visione capitis mei super stratum meum; & ecce vigil, & sanctus de cælo descendit.* Dan. 4. num. 10. Vigil dicitur, quòd in suorum custodiam nunquàm obdormiscat. *Non enim dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel.* Psalm. 120. num. 4. Immò dormire, seu dissimulare volentem, si quando velit, nostra eum excitant, ne dicam, vellicant, malefacta; iuxta illud: *Vigilauit iugum iniquitatum mearum in manu eius.* Thren. 1. num. 14. seu, vt legi potest ex Hebræo, *pupugit*, seu, *stimulauit manum eius.* Quasi nostra peccata, infixis quodammodo aculeis Deum excitent ad vindictam. Iam verò Angeli mundi præsides, immò & homines animarum custodes, vigiles dicuntur. *Inuenerunt me vigiles*, inquit Sponsa, *qui custodiunt ciuitatem.* Cant. 4. n. 3. vbi D. Bern. ser. 77. *Bene*, inquit, *tecum agitur, ô mater Ecclesia, bene tecum agitur in loco peregrinationis tuæ; de cælo, & de terra venit auxilium tibi. Qui custodiunt te, non dormitant, neque dormiunt custodes tui Angeli sancti, vigiles tui spiritus, & animæ iustorum.* De vtrisque in Ecclesiæ tutelam, & custodiam inuigilantibus, est illud propheticum, vt D. Bernardus ibidem notat: *Super muros tuos Hierusalem constitui custodes tota die, & tota nocte in perpetuum non tacebunt.* Isai. 62. num. 6. Nec immeritò homines

Sũmus mundi Princeps Deus, vigilat.

Angeli vigiles.

D. Bern.

Hominis per vigilã fiunt Angelis pares.

vigilando pares Angelis efficiuntur. Nam, vt bene Clem. Alexand. lib. 2. pædagogi, cap. 9. *Anima*, inquit, *Deum mente semper versans, per continuam consuetudinem corpori vigiliam inferens, exæquat hominem angelica gratia, vitæ æternitatem ex meditatione vigiliæ suscipiens:*

VII. *Homines qui aliis præsunt, vigiles.*

Rabbi Dauid.
Vatab.

Sed, Angelis interim omissis; in quibus vigilia naturalis est; etiam homines, qui aliis præsunt, seorsim vigiles dicuntur. Vnde illud: *Disperdet Dominus virum, qui fecerit hoc; magistrum, & discipulum.* Malach. 2. num. 12. Rabbi Dauid, quem sequitur Vatablus, transfert: *Disperdet Dominus vigilantem, & respondentem.* Vbi vides pro magistro reddi vigilantem; quasi magistri nomine, ac munere indignus sit, qui nocturnas vigilias non agat. Vnde olim Helias discipulo B suo Helisæo, quem magisterij sui hæredem apud Israëlitas relinquebat, nihil priùs, quàm vigilias inculcare visus est. Nam duplicem ab eo spiritum postulanti respondit: *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petisti.* 4. Reg. 2. n. 10. Quasi diceret: Mihi in magisterium succedis: sed spiritum tanto muneri necessarium recipies, si videris me, hoc est, si vigilaueris; vt D. Chrysost. hom. 1. in Acta exponit. *Non enim*, inquit, *datur gratia nisi vigilanti.* Vbi vel sermo est de prima gratia sanctificante, ad quam nostræ vigiliæ disponunt; vel de secunda, quam merentur. Talem profectò se prebuit magistrum amantissimum, scilicet vigiliarum, D. Hieronymus, qui de se ipso loquutus: (quamuis locum diu quæsitum hactenus inuenire non C potui) *Consuetudinem*, inquit, *meam nosti, breuissimo somno vtor, & quasi interuigilio. Satis vigilare desiuisse: aliquando dormiuisse me sentio, aliquando suspicor.* Quod optimum fuit documentum Clem. Alex. lib. 2. pædagogi, cap. 9. *Non oportet*, inquit, *somnum esse perfectam corporis solutionem, sed tantum remissionem. Et ideò dico, eum esse adsumendum non ad otium, & socordiam, sed ad negotiorum & actionum quietem.*

D. Chrys.
D. Hieronymus somni parcissimus.
Clem. Alex.

VIII. *Vigiliæ D. Pauli multæ.*

Iam verò Doctor Gentium D. Paulus, cùm suorum periculorum ac laborum lõgam seriem euoluat, nullos nominatim appellat multos prætérquàm vigilias, & ieiunia, quæ vigilias inducunt: *In vigiliis*, inquit, *multis, in ieiuniis multis.* 2. Corinth. 11. n. 27. Quasi vigiliarum labores, multò quàm D alios vtiliores Gentibus fuisse credat. Quod D. Hieronymus, si ille est, in Epist. 36. De obseruatione vigiliarum, quæ in nono eius operum tomo circunfertur, videtur expendisse. *Ipse*, inquit, *vigilantis quoque exemplum ponens in catalogo virtutum suarum, functum se vigiliis multis apud Corinthios gloriatur.* Et quidem fructuosa extitit hæc vigilia Magistri, nõ solùm discipulis auscultantibus, sed etiã dormientibus; nimirum adolescenti Eutycho præ nimio sopore cadenti de tertio cœnaculo deorsum, & morienti, quo tempore D. Paulus sermonem de rebus diuinis ad populum vsque ad mediam noctem protrahebat: quem enim prædicantis clamor à somno non excitauerat, vigilantis oratio ab ipsa morte liberauit. Act. 20. n. 9. & se- E quentibus, vt citatus Auctor, dictus Hieronymus, obseruat. Tandem communis totius mundi Magister & Doctor Christus Dominus, *pernoctabat in oratione Dei.* Luc. 6. n. 12. In quem locum D. Ambros. serm. 20. in Psalm. 118. *Non*, inquit, *ideò pernoctauit, quasi qui aliter Patrem nobis reconciliare non posset. Sed vt qualis aduocatus esse debeat, demonstraret: qualis Sacerdos, vt non solùm diebus, sed etiam noctibus pro grege Christi debeat precator assistere.*

D. Hier.
Vigilia D. Pauli vtilis.
D. Ambr.
Christus in oratione pernoctabat ad Prælatorum exemplum.

IX.

Sed & in lege veteri quantam præbuit Iacobus vigilantiam? *Die*, inquit, *noctúque æstu vrebar, &* A *gelu; fugiebátque somnus ab oculis meis.* Genes. 31. n. 40. vbi Diuus Chrysostomus homil. 22. ad popul. *Quæ*, inquit, *ipsius vigilia ratio, ne vlla ouis fera captiua fieret? Si verò tanta de irrationali pecude cura; quales esse decet, de rationali anima sollicitudinem gerentes?* Nec degenerauit Dauid: *Si dedero*, inquit, *somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domini, tabernaculum Deo Iacob.* Psalm. 131. à num. 4. In quem locum ille sub nomine Hieronymi, vbi supra: *Quis*, inquit, *tantum non stupeat Dei amorem, & animi deuotionem, vt somnum sibi, sine quo humana vtique corpora deficiunt, penitùs interdixerit, donec locum ad templum Domino fabricandum reperiret? Quæ res nos* B *debet firmiter admonere; vt, si ipsi locus Domini esse volumus, & tabernaculum eius, ac templum cupimus haberi, in quantum possumus exemplo Sanctorum vigilias diligamus.*

Vigiliæ Iacobi pro ouibus suadent vigilias pro animabus.
D. Chr.
Vigiliæ Dauidis ad tabernaculum Deo fabricandum, suadent vigilias ad præparandum animũ Deo.

X. *Orationi in nocte vigilandum.*

A Dauide cælestium rerum mysteria iugiter contemplante, totásque in ea meditatione noctes transigente, vel ipso testante: *Memor fui nocte nominis tui, Domine.* Psalm. 118. numer. 55. desumendum censet documentum D. Ambros. serm. 7. in eundem Psalm. ne vnquàm ab hac meditatione feriemur; sed noctem somno auferamus, vt Deo fœneremur. *Hoc nomen IESVS*, inquit, *inuocetur diebus ac noctibus, nullúmque tempus prædicandi vacuum sinat sancta deuotio præterire.* Et optimo ad rem persuadendam vtitur argumento: *Si* C *studentes*, inquit, *doctrinis secularibus perparum somno indulgent; quanto magis, qui Deum cupiunt cognoscere, non debent somno corporis impediri, nisi quantùm naturæ satis est?*

D. Ambr.
Si studio, cur non potiùs orationi vigiletur.

XI. *In vigilia, felicitas.*

In hac vigilia Dauid non solùm voluptatem, sed etiam felicitatem constituendam censet. Vocat enim beatum virum, qui *in lege* Domini *meditatur die, ac nocte.* Psal. 1. numer. 2. Sic enim D. Hieronymus in Regula Monachorum, titulo De vigiliis, obseruat: vbi retexens longam seriem commodorum, quæ ex vigiliis oriuntur. *Vigilando*, inquit, *omnis timor excluditur, fiducia nascitur, caro maceratur, vitia tabescunt, charitas roboratur, recedit stultitia, accedit prudentia, mens acuitur, error obtunditur, criminum caput Diabolus gladio spiri-* D *tus vulneratur.* Et statim: *Quid hac delectatione suauius? Quid hac felicitate beatius? teste etiam Propheta, qui beatum virum describens, summam eius beatitudinem in hoc versiculo collocauit, si in lege Dei meditatur die, ac nocte.*

D. Hieron.

XII. *Dormientes, mortui; vigilantes, viui.*

Felices igitur Principes, non qui etiam dies dormiunt, sed qui etiam noctes vigilant. Hi enim planè viuunt: illi thalamo, tanquàm tumulo immersi moriuntur. Nam, vt bene Diuus Chrysologus ser. 24. *Plus*, inquit, *vigilare, plus viuere est. Quid tam mortis simile, quàm dormientis aspectus? Quid tam vita plenum, quàm forma vigilantis?* Et ante eum Clem. Alexandrinus 2. pædagogi, cap. 9. *Nullius*, inquit, *homo dormiens vllius est pretij, magis quàm qui non viuit.* Et paulò pòst: *Somnus*, inquit, *non se-* E *cus ac publicanus, dimidium vitæ tempus nobiscum diuidit.* Quid ergo somnum, hoc est, mortem, ambiunt, qui vitam amant? In huius rei typum animalia tam Ezechieli, quàm Ioanni obiecta, erant plena oculis, Ezech. 1. num. 18. & Apoc. 4. num. 8. vt Pastores hominum repræsentarent quosdam veluti spirituales Argos, multis luminibus in suarum ouium tutelam excubantes. Aliàs similes erunt pastoribus Babyloniis, de quibus est illud: *Dormitauerunt pastores tui, Rex Assur; sepelientur principes tui.* Nahum 3. num. 18. Quem locum aliter dispungunt ac transferunt Septuaginta: *Dormi*

D. Chrysol.
Clem. Alex.
Pastores, spirituales Argi, pleni oculis.

Dormitauerunt, inquiunt, *pastores tui*. Et hic infixo puncto, orationem sic continuant: *Rex Assur consopiuns fortes tuos*. Quod D. Hieronymus de diabolo Prælatos sopiente, mysticè interpretatur. *Scit*, inquit, *Rex Assyrius, non posse se oues decipere, nisi pastores ante consopierit; semper diabolo studium est, vigilantes animas consopire. Denique in passione Domini Apostolorum oculos graui sopore premit.*

D. Hier.

XIII. *Heli ignauia nō modò dormiendo, sed etiam iacendo commendatur.* D. Greg.

Vt igitur Heli suam proderet negligentiam, dormiens introducitur: immò, vt vulgatus transtulit, iacens: *Heli*, inquit, *iacebat*. Ex quo situ maior incuria arguitur. Nam, vt bene D. Gregor. in priori commentario: *Iacere*, inquit, *ad remissioris vitæ negligentiam pertinet*; sicut stare ad perfectioris studium; quod pluribus illustrans exemplis, subdit: *Tunc itaque Heli iacet in loco suo, cum in lapsu prauitatis reprobus Prædicator requiescit in sede iusti*. Maior adhuc Sacerdotis ignauia colligetur, si in die dormisse cum Diuo Gregorio dicatur. Quid enim eo desidiosius, qui non solùm nocte non vigilabat, vt par erat; sed etiam die dormiebat? *Longè absit*, inquit Clemens Alexandr. citatus; *vt permittatur interdiu dormire iis, qui maximam partem noctis ad vigilias resecant*. Verùm interpretatio mystica est: germana, vt paulò antè diximus, & sequenti numero dicemus, dormisse nocte, quæ diei naturalis nomine continetur. Nam pastoribus dictum est: *Natus est vobis hodie Saluator*. Luc. 2. n. 11. Qui tamen, *cùm nox in suo cursu medium iter haberet, in mediam exterminij terram prosiliuit*. Sap. 18. n. 15. Quem locum ad Christi Domini natalem sub mediam noctem explicandum Ecclesia vsurpat.

Dormiens in die negligentior arguitur. Clem. Alex. *Ad literam dicitur dormiisse in die, etiam qui in nocte dormit.*

XIV. *Locus Heli dormientis, nō intra, sed iuxta tabernaculum.*

In loco suo. Ita est in Hebræo, Chaldæo, & Græco exemplari. Hunc locum, existimat Abulensis, fuisse intra Sanctuarium. Si intelligit intra Sancta Sanctorum; aut etiam intra Sancta, non assentior: quia ibi nullus profanus vsus permittebatur. Si intra atrium, probabiliter loquitur cum Vatablo: in cuius, inquit, interiori parte Sacerdotes, in exteriori Leuitæ dormiebant. Sed probabilius mihi videtur dicendum cum Magistro histor. hoc loco; non intra, sed iuxta tabernaculum fuisse hunc locum; in aliqua scilicet exhedra tabernaculo proxima, ad quam se recipiebant Sacerdotes, qui in tabernaculo ministrabant.

XV. *Locus dormiendi mollis ignauiam arguit.*

Cæterùm in aliquibus Bibliis, Regiis, Complutensibus, Vatabl. & aliis est: *In lecto*, seu, *In lectulo suo*. Quod fortasse ad Sacerdotis ignauiam spectat, qui molliùs, quàm decebat vigilem, & excubitorem totius populi, dormiebat. Nam, vt rectè notat Clem. Alexand. citatus: *Ita est dormitandum, vt facilè excitemur*: qui verò molliter cubant, difficilè expergiscuntur. Quare Philosophi Cynici, vt ad vigilias promptiores redderentur, thoris herbaceis cubabant: Diomedem imitati, qui substrato bouis tergo, dormiturus incumbebat, vt promptior euigilaret. A qua disciplina alienus non erat Troianus dux Æneas, qui

Strenui durè locis quærunt ad cubandū.

——*In ripa, gelidáque sub etherii axe*
Procubuit, seràmque dedit per membra quietem.

Quid Vlysses, qui duro lapide pro molli thoro vtebatur? vt obseruauit Clemens Alexandrinus, vbi suprà: *Tanta*, inquit, *frugalitas non solùm apud priuatos, sed etiam apud veterum Græcorum Præfectos exercebatur.*

Clem. Alex.

XVI. *Sic delicias lecti fugiunt infideles, quid de fidelibus dicēdū?* D. Bern.

Quòd si Ethnici has delicias oderant, quid non eas fideles detestentur? *In lectulo meo*, inquit Sponsa, *per noctes quæsiui, quem diligit anima mea: quæsiui illum, & non inueni*. Cant. 3. numer. 1. Cur non inuenerit, inquirit ibi D. Bernardus serm. 75. & alludens ad Marias, quæ Dominum in sepulcro non inuenerunt, iam in cælo triumphantem: *In tu*, inquit, *quærebas, qui se iam in sua receperat. Non videras filium hominis ascendentem, vbi erat prius: iam celum tumulo commutauit, & stabulo. Et tu illum, in tuo adhuc lectulo quæris? introiuit in potentias Domini, decorem induit, & fortitudinem. Ex hoc iam non iacet, sed sedet.* Verùm accommodatiùs ad sem præsentem Theodoretus ibi docet, non inueniri in lecto molli quiescentem, sed in Sole & puluere laborantem. Et consentit D. Ambrof. libr. de Isaac, & anima, cap. 5. *Multi*, inquit, *sunt qui in stio quærunt Christum, & non inueniunt: & quærunt eum in persequutionibus, & citò inueniunt.* Nec immeritò: nam, si de humana scientia cecinit Poëta:

Theod. *Diuina sapientia Christus Dominus non iacet in molli lecto.* D. Ambr.

Non iacet in molli veneranda scientia lecto:
quid dicendum de sapientia diuina, quæ non aureos thoros, non delicatos thalamos in hac vita requisiuit, sed nascitura stabulum, moritura patibulum elegit?

Ouidius.

In Principes molliter quiescentes cum gemitu inuehitur Propheta: *Væ*, inquit, *qui dormitis in lectis eburneis*, &c. Amos 6. num. 4. In quem locum D. Chrysostomus hom. 22. ad pop. *Miles*, inquit, *dormit, non in lecto, sed humi. Et pastor sub dio stans noctem consummat. Operarius ille Iacob lapidem ad caput sibi posuit dormiens; vt intellectualem per somnos lapidem videret. Quam verò lectus eburneus vtilitatem habet? Vis videre lectum Regium, virtutibus plenum? Respice lectum Dauidis, in quo tanquam margaritis super subsellium per singulas noctes erant congelatæ Prophetæ lacrymæ.* Vbi vides, lacrymas, quibus obruebatur lectulus Prophetæ vigilantis, pretiosiores esse, quàm gemmas, quibus Regum dormientium lectuli picturantur.

XVII. *Qui molliter cubant, deplorandi.* D. Chrys.

Lectus non gemmis, sed lacrymis ornatus.

Mirum igitur non est, si Deus non Pontificem in lectulo suo cubantem; sed Samuelem in templo Domini, & fortasse humi iacentem alloquatur. Nam & Iacobo non inter paternas delicias quiescenti, sed super duros lapides contemplanti cælestia mysteria patuerunt. De quia re Clemens Alexādr. sæpiùs citatus libr. illo 2. pæd. c. 9. *Iacob*, inquit, *humi dormiebat, & lapis erat ei puluinar; atque visum videre dignus est habitus, quod captum hominis superabat.* Sic ille. Et in eodem loco molles decubitus reprehendit, neque mentibus, neque corporibus salutares: & cubilia, *vel ipse somno molliora*, vt appellat, valere iubet. *Nam præterquam quod*, inquit, *est probrosum hæc mollis & sensum titillans voluptas, in lanuginosis plumis dormire; est noxium corporibus, tanquam in vastum quendam hiatum cadentibus: neque eos, qui in eis versantur, contineret propterea quod ex vtraque parte corporis, cubile aggeris instar assurgit: neque, vt cibi coquantur, permittunt, sed potiùs incendunt; quod quidem alimentum corrumpit. In planis autem & æquatis cubilibus, decubitus, qui sunt somni velùti naturale gymnasium, conferunt ad alimenti digestionem.* Et paulò pòst: *Nimis curiose, & exquisitu tornatura in lectis, sunt sæpe reptilium semita animantium, dum incisuris artis circumaguntur, & minimè dilabuntur. Cubilis mollitiem, virilem esse oportet, & masculam.* Vbi plura de hac re.

XVIII. *Deus non alloquitur molliter cubantē, sed duriter iacentem.* Clem. Alex.

Molles decubitus reprehenduntur.

Certè illi veteres seuerioris disciplinæ, & alumni, & altores, sicut profundos somnos, ita delicatos thoros fugiebant, & pro mollibus stratis rigidas χαμευνίας, chameunias, hoc est, humi cubationes præoptabant. Vnde D. Gregor. Naz. orat. 11. sororē suam Gorgoniam non mediocriter commendat, quòd spiritualibus animi morbis medicandis præsentissimū chameuniæ pharmacum adhiberet. Et Diuus Ephrem in vita

XIX. *Sancti delicatos thoros fugiebāt, duros optabant.* D. Gregor. Naz.

D. Ephrem.

 Abrahæ

Abrahæ Eremitæ, quæ lib. 1. De vitis Patrum circonfertur; sanctissimum virum laudat, quòd continuis ieiuniis, vigiliis & chameuniis corpua dnmuerit; & quod miraculum dixeris, nunquam lassatus, nunquàm infirmatus: sed ad grauiora indies onera promptus, & erectus. Diuus Ephrem in vita Mariæ, neptis prædicti Abrahæ, quæ à virgineo statu in meretricium dilapsa fuerat, optimum cum illa auum sic loquentem introducit: *O filia mea, quis te interfecit? Ubi est ille habitus angelicus, quem habebas? ubi continentia? ubi fletus? ubi vigiliæ? ubi chamendia?* &c. Itaque thnri vilitate, & asperitate, veteres illi pietatis cultores vtebantur, vt faciliores ad vigilias excitarentur. Qua lecti duritie si hic Sacerdos vteretur, diligentior fortasse in totius populi salutem excubaret.

XX. *Cæcitatem Heli mysticam fuisse aliqui existimant.* Georg. Venetus.

Et oculi eius caligauerant. Quæres primò: Qualis fuerit hæc cæcitas? propriáne, an mystica? Georg. Venet. tom. 1. De histor. sacra, problem. 441. mysticam interpretatur: hoc est; & prauam affectionem erga filios, quorum mala nec videbat, nec corripiebat, & diuinarũ rerum ignorantiam, qua laborabat. Erat enim tunc sermo Domini pretiosus. Eadem est Diui Gregorij interpretatio, dicentis in priori Commentario, illorum Prælatorum oculos caligare, *Qui in arce pastoralis culminis non exequuntur virtutis opera, sed remissioris vitæ blanditiis immerguntur.* Et in posteriori Commentario, addentis, Heli in loco suo caligare: *Quia in lege, & Prophetis non habebat statum luminis, sed lapsum cæcitatis.* Consentiunt & Hebræi existimantes, hîc non agi de vera oculorum cæcitate; cùm non sit, cur de illa sermo habeatur: sed de mystica, qua Heli in prauis filiorum moribus dignoscendis, ac diuinis oraculis contemplandis, caligabat. Sic è contrario tempore Ezechiæ Regis optimi, *Non caligabunt*, inquit Textus, *oculi videntium.* Isai. 32. num. 3. Quia futurum erat, interprete Lyrano, vt sub id temporis Isaias, aliique Prophetæ multas, & claras visiones obtinerent. Et quidem si Sacerdos suo munere rectè fungitor, tantùm abest, vt cæcutiat; vt potiùs oculus perspicacissimus videatur. Vnde D. Isidorus Pelusiota lib. 2. Epist. 151. *Dei Sacerdos*, inquit, *quoniam ad Deum appropinquat, animalium illorum multis oculis preditorum in morem, omni ex parte oculus esse debet, eorum instar nihil nesciens.*

D. Greg. Hebr. Lyra. D. Isidor. Pelusiota.

Propriã fuisse iuxta litteram probabilius.

Nihilominùs dicendum est, de propria cæcitate sermonem esse, quia verborum, quibus Textus vtitur, tanta est simplicitas, & perspicuitas, vt ad improprios, & alienos significatus digredi minimè patiatur. Nec deest ratio, cur hic potiùs vera cæcitas, quàm mystica significetur: vt paulò inferiùs Quæsito vltimo ostendam.

XXI. *Cæcitas Heli perfecta, an inchoata?*

Quæres secundò: perfectáne fuerit hæc cæcitas Heli, seu totalis, vt ita loquar: an solùm imperfecta, seu inchoata? Illud priùs indicat editio Latina, exprimẽs statim caliginis illius qualitatẽ, absolutè addendo: *Non poterat videre.* Quo pacto enim clariùs perfectam cæcitatem indicaret? Hoc posterius Hebræi, Chaldæi & Græci Codices significant, sic habẽtes: *Oculi eius cœperunt caligare.* Quibus verbis inchoata tantùm cæcitas exprimi videtur. Sed vtrumuis fuerit, certè neutra ratio conuincit.

Neutra pars conuincitur ex littera.

Non prior, quia licèt illud, *Non poterat videre*, absolutè ponatur absque vlla particula ex parte obiecti determinante; satis tamen potest determinari ex circunstantia temporis nocturni, quod hîc significatur, ita vt sensus sit. Non poterat videre nocturno tempore, propter exiguitatem luminis: quamuis diurno, propter maiorem claritatem, poterat. Non posterior: quia verbum incipiendi aliquando in Scriptura perfectum actum significat, vt ostendam paulò inferiùs num. 12. ibi: *Incipiam & complebo.* Vnde *cœperunt caligare*, esse potest, absolutè, & omninò caligarunt.

Opinio Auctoris, fuisse inchoatam. Caiet. Aristot. *Lusciosus quisnam sit.*

Crediderim nihilominùs cum Caietano, Heli non fuisse omninò cæcum, sed lusciosum. Est autem lusciosus, seu luscitiosus, vt docet Aristoteles in problematis, sect. 31. probl. 8. & 15. qui obtusis, & imbecillis est oculis; siue sit ille, qui non videt, nisi in multa luce, qualis est diurna; in vespertina autem nihil videt, vt Varr. l. 8. disciplinarum, Diuus Isidorus lib. 20. & Orig. existimant; siue è contra, qui sub multa luce nihil videt lædente sensum sensibili vehementi, sub exigua videt; vt Festus libr. 10. Fulgentius in libello, De prisco sermone, Senec. lib. 5. De beneficiis, sub initium, & alij apud Brissonium lib. 10. De verborum significatione testantur. Quo vitio, qui laborant, μύωπες à Græcis appellantor. Eodem verò laborasse Tyberium Imperatorem, Auctor est Suetonius in eius vita, cap. 68. & alij: quamuis id non vitio, sed acumini oculorum ab his Auctoribus referatur, quòd in nocturnis tenebris videret. Caligabat igitur Heli, quia non perfecta oculorum acie vtebatur. Et argumento esse potest verbum originale כהה *Cahah*, pro quo Latinus vertit, *Caligauerant*: quod non tam significat priuari visu, quàm debilitari.

Varro. D. Isidor. Festus. Fulgent. Seneca. Brissonius. *Myopes, qui dicantur.* Suet. *Confirmatur opinio ex Hebræo.*

XXII. *Prior responsio, cæcitatem Heli fuisse naturalem.* Interl. Angel. Hugo Car. Abul. Rupert. *Posterior, fuisse diuinitùs immissam in pœnam Heli.* *Vtraque conciliatur.* D. Hieron.

Quæres tertiò: Vtrùm hæc cæcitas naturaliter contigerit per ætatem: an potiùs diuinitùs immissa fuerit in vindictam? Priorem partem tenent Interl. Angelomus, Hugo Cardin. & Abulensis. Posteriorem nonnulli apud Rupertum libr. 1. in Reges cap. 11. dicentes, eum, qui animo cæcus fuerat, propter nimium in filios affectum, non immeritò corporis cæcitate in sceleris pœnam laborasse. Sed nulla mihi videtur inter eos pugna. Nam ea, quæ naturaliter contingunt, possunt ad peculiares fines diuinæ prouidentiæ ordinari. Patet, quia Isaac cæcus fuit, & quia senuit; vt litera, Genes. 27. numer. 1. insinuat; & quia voluit Deus, ne videret filium, quem primum benedicebat, vt D. Hieronymus in Epistol. 125. ad Damasum testatur: *Ego*, inquit, *puto diuinæ dispensationis fuisse, vt oculis cæcaretur, & non intelligeret, minorem esse filium, qui ad benedictionem patris præreptor adstiterat.*

Ex malis naturæ bona gratiæ aliquando colliguntur. *Diuina in puniendo humanitas.*

Nam ex malis naturæ aliquando bona gratiæ colliguntur; ex pœnis, medicinæ; ex corporum morbis, animorum sanitates. Sic igitur Heli, vt naturæ pariter, ac diuinæ iustitiæ debito satisfaceret, caligauit. In quo licet Dei clementiam admirari, qui ne plagas duplicet, eodem naturæ flagro, quo necesse erat hominem flagellari, vtitur ad flagellandum peccatorem.

XXIII. *Pœna cæcitatis modestè ferenda.* D. Ambr.

Nec indignetur peccator ferens hanc pœnam, quam aliquando & iustus modestè patitur. Qualis fuit Tobias, qui cæcus factus non ingemuit: sed potiùs, vt docet D. Ambrosius lib. De Tobia, cap. 2. *Fraudari*, inquit, *magis se doluit obsequiorum, quàm oculorum munere: nec cæcitatem pœnam, sed impedimentum putabat.* Quasi Tobias oculos sibi eripi non doleret.

Oculos non ad videndũ, sed ad benefaciendum. D. Hieron. *Habere oculos communes cum bestiolis bonum.* *Philosophi sibi eruerunt oculos ad cõtemplandum.*

Vnde D. Hieronymus in Epistola 32. ad Abigaum cæcum, eum de sua cæcitate consolatur. *Ne doleas*, inquit, *si hoc non habeas, quod formicula, & musca, & serpentes habent, id est, carnis oculos: sed illum te oculũ habere, lætare, de quo in Cantico dicitur Canticorum, vulnerasti me, soror sponsa, vno de oculis tuis; quo Deus videtur.* Et paulò pòst: *Denique quosdam etiam mundi Philosophos legimus, vt totam cogitationem ad mentis cogerent puritatem sibi oculos eruisse.* Immò & magnus Antonius Archimandrita eodem modo consolatus est

Didy

Didymus cæcus, & doctissimus.

D. Hier.

Didymum illum Alexandrinum, oculis quidem, non mente captum; erat enim vir eruditissimus. Percontatus igitur eum, an de sua cæcitate tristis esset, & illo primò modestè reticente, sed tandem ingenuè affirmante, subiecit Antonius, vt refert D. Hieron. in Epistol. 33. ad Castrutium: *Miror,* ait, *prudentem virum eius rei dolere damno, quam formicæ, & muscæ, & culices habent: & non lætari illius possessione, quam sancti soli, & Apostoli meruerunt.* Quibus verbis consolatur D. Hieronymus eundem Castrutium pari oculorum cæcitate laborantem. *Ex quo,* inquit, *peruides, quòd multò melius sit spiritu videre, quam carne; & illos oculos possidere, in quos peccati festuca non possit incidere.* De hoc Didymo eadem scripserunt D. Athanasius in vita Antonij, Nicephorus libr. 9. capit. 17. Ruffinus libr. 2. cap. 7. Soctares libr. 4. cap. 26. Theodoret. lib. 4. cap. 27. Sozomen. libro 3. cap. 14. Et rursus D. Hieronymus de Scriptoribus ecclesiasticis, vbi multis eius lucubrationibus commemoratis, addit, *infinita alia scripsisse.*

D. Athan. Nicephor. Ruffin. Soctat. Theod. Sozomen.

D. Hieron.

XXIV. *Cæci bonarũ artium peritissimi.*

Adde, hoc cæcitatis incommodum, non solùm sanctis hominibus, sed etiam Philosophis naturalibus, leuiter tolerandum; cùm ne cæci quidem à præclaris artibus exercendis retardentur. Vt vel ipse Tullius libr. 5. Tuscul. quæst. ad finem, egregiè philosophatur. Nam Appium multos annos cæcum, & ex magistratibus, & ex rebus gestis constat, nec priuato, nec publico muneri defuisse. Ad Drusum consulendum, quamuis cæcum, multi vndique confluebant; & qui oculati sua non videbant, cæco duce, regebantur. Aufidius vir prætorius poterat, quamuis cæcus, & in Senatu sententiam dicere, & Græcam historiam scribere, & amicis consulentibus patrocinari, & in solis literis videre. Diodorus Stoicus cæcitate minimè impediebatur, quominùs in Philosophia, musica, & historia assiduè versaretur. Immò, quod sine oculis vix fieri posse videtur, Geometriæ munus tuebatur, verbis præcipiens discentibus, vnde, quò, quámque lineam ducerent. Democritus, luminibus amissis, alba, & atra discernere non poterat: at verò bona, mala; æqua, iniqua; honesta, turpia; vtilia, inutilia, poterat. Et cùm alij sæpè, quod ante pedes esset, non viderent; ille infinitatem omnem peregrinabatur. Quid Homerus? Cæcus poeticam picturam, seu pictam poesim condidit. Quæ regio, inquit Tullius, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ species formæ: quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus est, vt quæ ipse non viderit, nos vt videremus, effecerit? Iam verò Tiresias, quem Poëtæ fingunt sapientem, nunquàm dicitur, cæcitatem suam deplorasse: quippe quam sciebat mentis acumini impedimento esse non posse. Vnus Polyphemus Cyclops, id est, vnoculus, seu vnum tantùm habens oculum, qui *torua sub fronte latebat*; cui tãdem astu Vlyssis ipsum solum, quod habebat, *lumen ademptum*: hic, inquam, cùm esset barbaris, ac ferinis moribus suam cęcitatẽ lamentabatur: querimoniásque suas, vt cecinit Homerus, apud arietem deponebat, cuius laudabat, inuidebátque fortunas, quòd quà vellet, ingredi posset. Verè, inquit Tullius, nihilò erat ipse Cyclops, quàm aries ille, prudentior: pecus, qui cum pecude fabulabatur; & quidem lanigera. Nam, teste Plinio, inter alias bestias, lanatæ, seu lanigeræ stolidissimæ censentur.

Tullius.

Sapiens non deflet cæcitatẽ suam: barbarus deflet.

Virg.

Homerus.

Plinius.

XXV. *Cur hic memoretur cæcitas Heli.*

Quæres vltimò: Cur hoc loco fiat mentio de cæcitate Heli? Respondet Abulensis, vt insinuetur ratio, ob quam Samuël coram arca Domini excubarit, eámque custodierit. Nam Heli, ad quem hoc munus potiùs spectabat, propter ætatem, & cæcitatem inhabilis ad illud reddebatur. Et confirmari potest, quòd cæcus non solùm in lege noua, sed etiam in veteri irregularis haberetur. Leuit. 21. num. 18. Non videtur tamen congrua hæc ratio, quia munus excubandi coram arca non erat summi Sacerdotis, sed Leuitarum. Numer. 3. num. 6. Et si esset, planè per vnum puerum Leuitam, qualis erat Samuel, minimè suppleretur. Potiùs igitur dixerim cum eodem Abulensi, fieri mentionem de cæcitate, vt ab hoc signò prouecta Sacerdotis ætas indicetur, in qua à Deo despicitur, non illo, sed paruulo Samuele in diuinum colloquium euocato: palámque fiat, apud Deum non tam ætatis, quàm sanctitatis haberi rationem, vt superiori numero latiùs ostendi.

Prior Abulensis responsio reiicitur. Abul.

Posterior approbatur.

XXVI. *Prima huius loci expositio, non poterat videre lucernam.*

Nec poterat videre. In his verbis transferendis, & dispungendis triplicem inuenio diuersitatem. Primò, nonnulli codices Latini iungunt hæc verba cum sequentibus, sic: *Nec poterat videre lucernam Dei, antequàm extingueretur.* Ita legunt D. Ephrem in Apologia de Heli, D. Isidorus in Epistola ad Messanum de lapsu Sacerdotis, & D. Bonauent. in cap. 12. Ecclesiast. Nec parùm fauet Dionysius Carthusianus. Et in hac lectione Rupertus, Eucher. Rabanus, Beda, Angel. Hug. Card. Caiet. & Abulensis magis conquiescunt. Immò Marianus Victorius Episcopus Amerinus interpres Diui Hieronymi in 1. lib. aduersùs Iouinianum, num. 44. eos, qui aliter legunt, vocat, *Non intelligentes.* Eodem modo legit Erasmus ibidem, quamuis abstineat à contumelia. Huius lectionis multiplex sensus esse potest, licèt parùm diuersus. Primus. Adeò caligabat, vt ne lucernam quidem clarè lucentem, antequàm extingueretur, videre posset. Quid ergo? Poterátne videre, postquàm extingueretur? Minimè. Neque enim qui negat aliquid antecedenter factum, concedere tenetur factum consequenter, vt luculenter probat Diuus Hieronymus contra Heluidium non procul ab initio, circa illa verba, *Non cognoscebat eam, donec peperit,* &c. Matth. 1. numero 25. Alter sensus. Nec omninò cæcus, nec omninò perspicax erat, sed medias inter nebulas videbat: ita vt non posset videre lucernam, proximo tempore antequàm extingueretur, cùm iam lux deficere incipiebat, quamuis videre illam posset, cùm adhuc procul aberat ab extinctione, & plena luce radiabat. Tertius sensus, per lucernas accensas veluti à signo noctem intelligendo, sic explicatur: Ita caligabat, vt quamuis aliquid diurno, nihil tamen nocturno tempore videret: seu quamuis aliquid Solis, nihil tamen ignis perfusum luce intueretur. Vltimus sensus. Non poterat videre lucernam, antequàm ipse Sacerdos extingueretur, seu moreretur: hoc est, quandiu vixit cæcus fuit. Neque sequitur, vt dixi, quòd post mortem visum recuperarit. Si huius lectionis defensoribus obiicias, in Hebræo esse: *Nec poterat videre & lucernam Dei,* &c. Quæ coniunctio, *Et,* cùm ibi nihil aliud coniungere possit, quàm sententias, planè supponit, eas esse diuersas. Facilè respondebũt, dictionem Latinam, *Et,* & Hebræam ו *Vau*, aut more Hebræorum redundare; quod Ribera in cap. 2. Abacuc num. 28. pluribus exemplis illustrat: aut significare, *etiam*, ad Sacerdotis cæcitatem exaggerandam; in hunc sensum: Adeò caligabat, vt etiam lucernam Dei, antequam extingueretur, quæ est maximè visibilis, videre non posset.

D. Ephrem. D. Isidor. D. Bonau. Dionys. Rupert. Eucher. Raban. Beda. Angel. Hugo. Caietanus. Abul. Victorius. Erasmus.

Quadruplex huius expositionis sensus.

D. Hieron.

Coniunctiones aliquando redundãt.

Myistica



XXVII. D Greg. Beda. Angel. *Iudæi nō videbant lucernam: nempe Christū Dominum, vel Scripturam.* D.Cyril.

Mysticà verò huius lectionis expositio quadrat primò iuxta D.Greg. Bed.Angel. & alios, in populum Iudaïcum, qui totius mundi lucernam Christum Dominum coram se lucentem, & ardentem videre præ inuidia non valebat, seu potiùs nolebat; quem tamen in cruce mortuum, & extinctum, multi eorum cognouerunt. Esse verò Christum Dominum lucernam, canit Dauid Psal. 118.num.105. *Lucerna pedibus meis Verbum tuum:* Imò D.Cyrillus Alex.lib.10. De Adoratione, qui est de tabernaculo, Christum Dominum mysticè repræsentatum sentit in ea lucerna, quæ in tabernaculo lucebat, & quam Heli non videbat. Nec multùm interest, si nomine lucernæ Scriptura, quam Iudæus ignorat, intelligatur. Nam *mandatum*, inquit Sapiens, *lucerna est; & lex, lux.* B Prouerb.6.num.23. Vnde D.Gregor.in posteriori commentario: *Iudaicum*, inquit, *sacerdotium, quia virtutem sanctæ Scripturæ nesciens, ad statum fidei non erigitur; lucernam Dei videre non posse memoratur.*

D. Greg. *Inuidi non vident aliorū bona: mala vident.* Lyra. D.Bonau.

Quadrat secundò in omnes inuidos, qui tanquàm noctuæ in luce cæcæ, in tenebris perspicaces aliorum mala vident, bona tamē non agnoscunt. Vt Lyranus in Mor. aduertit; & latiùs D. Bonau. tom.6. in Diæta salutis, titul.1. cap. 4. *Similis est*, inquit, *inuidus noctuæ, & igni Græco: noctua enim de nocte videt, & de die excæcatur: & ignis Græcus in aqua fortiùs inardescit, sine succenditur. Sic inuidia in aquis gratiarum fortiùs exardescit, vnde deberet extingui: & ad modum noctuæ à luce excæcatur, vnde deberet illuminari. Sicut Heli, qui non poterat videre lucernam Domini.* Atque hæc de prima huius sententiæ lectione.

XXVIII. *Altera huius loci expositio: Non poterat videre, aut videri lucerna.*

Secundò. Alij ita coniungunt hunc versiculum cum sequenti, vt nomen *Lucerna*, in primo casu nominandi retineatur: quod adhoc faciunt dupliciter, actiuè, & passiuè. Actiuè quidem, sic: *Nec videre poterat lucerna Domini:* Passiuè autem: *Nec videri poterat lucerna Domini*: iuxta priorem lectionem, sensus est: Nec videre poterat Heli, qui erat lucerna Domini.

D.Greg. *Malus Sacerdos, lucerna non videns.*

Quod D.Gregor. refert ad maiorem Heli condemnationem: imprimis quia, cùm esset lucerna, caligabat. Quid miserius, quàm lucerna sine luce? *Nam qui*, inquit, *lucerna Dei appellatione fungitur, & videre non posse perhibetur; deridetur potiùs tanto nomine, quo censetur.* D

Immò nō potens videre similis damnato.

Deinde, quia non solùm videndi actu, sed etiam potentia priuabatur; quasi reprobis iam in termino constitutis, quibus non est regressus ad lucem, similis redderetur. *Cùm*, inquit, *reprobus Prædicator in isto adhuc seculo viuens, videre non posse dicitur; damnato iam in perpetuum impio in cæcitate similatur.* Iuxta posteriorem lectionem, aut sensus est: *Non poterat videri lucerna*, scilicet, ab ipso Heli. Et tunc hæc lectio quoad sensum cum illa prima recurrit: Non poterat Heli videre lucernam, voce tantùm actiua in passiuam commutata.

Malus Sacerdos, lucerna in tenebris condita, qui videri non potest; D.Greg.

Aut: Non poterat videri lucerna, scilicet ipse Heli, qui adhoc lucernæ nomine significatur. Nimirum per suam ignauiam, ac desidiam in eas tenebras abditus, & inclusus, ex quibus E suum pastorale munus gerere à nemine cerneretur. Nescio, an hunc sensum D. Gregorius insinuet: *Prædicator*, inquit, *carnalis dicitur lucerna per officium, cæca per intentionem: quia dignitate fungitur præbendi luminis, sed mentem figit in tenebris vanitatis.* Et paulò inferiùs: *Lucerna*, inquit, *Dei videri non potest*, (ita est in exemplari Parisiensi, quo vtor; quamuis Lucas Brugensis legat, *videre*) *cùm is, qui pastorali dignitate præeminet, tanta spissitate secularis amoris premitur, vt ad interna claritatis intuitum nulla gratiæ inspiratione subleuetur.*

A Quibus verbis significat ignauum Prælatum non potentem in subditorum salutem incumbere; sed latentem ad suam voluptatem desidere.

XXIX. *Tertia huius loci expositio: Non poterat videre absolutè.* D. Hieron. Auct. quæst. Magister histor. Theod. Procop. Hug.Vict. Isid. Clar. Lyr. Luc. Brug. Georg. Ven. Marian. Serar. Salian.

Tertio tandem modo alij sic transferunt, & interpungunt: *Nec poterat videre*: puncto hic infixo; tanquam hic sententia finiatur. Deinde pergunt: *Lucerna Dei antequàm extingueretur, &c.* Ita est in fonte Hebræo, Chaldæo, & Græco: & quod litem perorat, in Latina editione nouissimè correcta, à qua discedere non licet. Atque ita legunt D.Hieronymus lib.1. citat. aduersùs Iouinianum, Auctor quæst.Hebraïc. Magister historiæ, Theodoret. Procopius, Hugo Victor. in Annotationibus, Isidorus Clarius, Lyra, Lucas Brugensis, Georg.Venet. Nostri, Marian. Serar. Salian. plurésque alij. B Clauditur igitur hoc versiculo sententia, qua Heli cæcitas declaratur. Et quæ sequuntur, ad circunstantiam loci, ac temporis, quo Samuel à Deo vocatur, referuntur.

Num. III. Lucerna Dei antequàm extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini, vbi erat arca Dei.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. D.Greg. D.Isidor. *Heli bonus, lucerna lucens; malus, lucerna extincta.*

LVcerna Dei, *&c.* Lucernæ nomine Sacerdotem Heli intelligit non solùm D. Gregor. C proximè citatus, sed etiam D. Isidorus in Epist. ad Massanum De lapsu Sacerdotis. Vbi loquutus de Heli: *Lucerna*, inquit, *Dei fuerat, quando dignitate sacerdotali pollens, iustitiæ claritate fulgebat. Extinctam Propheta asserit, dum ob scelera filiorum, Sacerdotis potestatem, meritorúmque lumen amisit.* Quam interpretationem quidam apud Rup. hoc loco cap. 11. sequuti, sic literam exponunt. *Ipse*, inquiunt, scilicet Heli, *qui propriæ vitæ meritis, & dignitate sacerdotij lucerna Dei erat, antequàm pro peccato filiorum, lucida Dei gratia priuatus extingueretur, non poterat videre; sicut in mente præ inordinato filiorum suorum amore, ita & in corpore præ nimia senectute caligans.*

Ruper. Geor. Venet.

Mirum in modum placet hæc interpretatio Georgio Veneto, quamuis D lucernam, iuxta ea, quæ superiori numero diximus, non cum antecedentibus, sed cum consequentibus coniungat. Sic enim exponit: *Antequam Heli, qui erat lucerna Dei, extingueretur, seu moreretur; Samuel pro illo suffectus erat in sacerdotium.* Et subdit, hunc esse verum literæ sensum, *dicant alij quidquid velint.*

Lucerna non sumitur hoc loco mysticè pro Sacerdote.

Sed nos cum bona illius venia, quam ipse nobis offert, dicimus eum sensum non esse literalem: tum, quia Samuel nunquam in sacerdotium successit, vt tom. I. Annotatione 17. latiùs ostendimus; & multò minùs eo tempore, quo solùm coram Heli ministrare dicebatur: tum etiam, quia, cùm proprium lucernæ significatum retinere possimus, non est, cur ad impropriam dilaE bamur.

II. *Sumitur lucerna propriè.* *A signo describitur nox.*

Propriè igitur sumitur hoc loco lucerna Dei pro ea, quæ in tabernaculo coram Domino accendebatur: & ab ea describitur tempus, quo Samuel dormiebat, scilicet, nocturnum. Nam in his verbis: *Antequàm lucerna Dei extingueretur*, quædam noctis periphrasis, seu circumloquutio continetur desumpta à signo satis cognito Sacerdotibus, & Leuitis; de quibus sermo erat. Quemadmodum & illa apud Maronem in Alexi:

Virg.

Aspice aratra iugo referunt suspensa iuuenci.

Et illa in Tityro:

Et

Et iam summa procul villarum culmina fumant: desumitur a noctis signo vulgari inter rusticos, de quibus agebatur. Sed, vt hæc periphrasis intelligatur, sciendum, in tabernaculo Moysis fuisse candelabrum *heptamixon*, seu *septisidum*, vt Latinus Theodoreti Interpres quæst. 60. in Exodum transtulit; hoc est, septem habens lucernas, vt videre est, Exod. 25. num. 37. cuius simile vidit Zacharias cap. 4. num. 2. Nec fortasse dissimilia fuerunt illa septem candelabra, quæ vidit Ioannes Apocalyp. 1. numer. 13. nam vel omnia in vnum coïbant, vt Ruper. significare videtur: vel singula septenis lucernis radiabant, vt non solùm in tota Ecclesia vniuersali, sed etiam in singulis Ecclesiis priuatis septiformis Spiritus sancti gratia collucere significaretur.

Candelabrũ septisidum in tabernaculo. Theod.

Rupert. *Septem lucernæ septem Spiritus sancti dona.*

A

III. *Aliquæ lucernæ accendebantur vesperè, extinguebantur manè.*

Notandum præterea, aliquas saltem lucernas huius candelabri olim in tabernaculo solitas fuisse accendi vesperè, & extingui manè: vt colligitur ex illis verbis: *Ponet eas Aaron a vespere vsque in mane coram Domino.* Leuit. 24. num. 3. Et ex illis: *Collocabunt eam* (nempe lucernam, sumpto singulari, pro plurali, vt sæpè fit) *Aaron, & filij eius; vt vsque mane luceat coram Domino.* Exod. 27. num. 21. Quibus locis solùm dicuntur hæ lucernæ, nocturno tempore ardere, ac si diurno extinguerentur. Quod argumentum, etsi, spectata litera, validum non sit; neque enim qui dicit, arsisse nocturno tempore, negat, arsisse diurno; vt patet ex iis, quæ superiori numero aduertimus: tamen, accedente noua auctoritate, validum reddetur. Nam in primis Septuaginta citatis locis pro illis verbis, *Ponent*, & *collocabunt*, transferunt, *Accendent.* Si igitur lucernæ accendebantur vesperè: ergo diurno tempore ante vesperum non erant accensæ, sed extinctæ. Deinde Philo Hebræus lib. De victimas offerentibus, circa medium, docet, lucernas in tabernaculo, vesperè accendi solitas, vt diurnæ luci nocturna lumina, tanquàm Soli sydera succederent: &, vt pro diurnis sacrificiis, lucernæ tanquàm nocturnæ quædam victimæ reponerentur: quod autem alteri succedit, & quod pro altero reponitur, manifestum est, non præfuisse, sed denuò aduenire: non erant igitur omnes illæ lucernæ diurno tempore accensæ, sed nocturno accendebantur. Tandem Iosephus illius temporis Scriptor, & harum rerum peritissimus lib 3. Antiquit. cap. 12. disertissimè scribit, ex septem lucernis, quæ erant in candelabro, tres tantum per diem, omnes per noctem ardere solitas: vnde quatuor accendebantur vesperè: totidem manè extinguebantur. Et fauere videtur locus ille Exod. 30. n. 7. & 8. *Adolebit incensum Aaron manè. Quando componet lucernas, incendet illud: & quando collocabit eas ad vesperum, vret thymiama.* Vbi dicitur, Aaron collocare, seu, vt habent Septuaginta, accendere lucernas ad vesperum; vtique diurno tempore extinctas: quas rursus dicitur, manè componere; emungendo alias, alias verò extinguendo. Itaque vespertino tempore aliquot saltem lucernæ accendebantur, quæ rursus extinguebantur matutino. Rectè igitur hoc loco à lucerna nondum extincta nocturnum tempus significatur, vt Interpretes ad finem superioris Num. citati aduertunt.

B

Philo. *Lucernæ in tabernaculo erant nocturnæ victimæ.*

C

Iosephus. *Septẽ lucernæ per noctem, tres per diem ardebant.*

D

E

Ad lucernam nondum extinctã significatur tempus nocturnum.

IV. *Quæ noctis pars significetur? Priorem insinuant 70.* Theodor.

Solum dubitabis: quota noctis pars præcipuè significetur? viciniórne vespertino tempori, an matutino? Fuisse priorem noctis partem, significare videntur Septuaginta in Bibliis Sixtianis, transferentes: *Lucerna Dei, antequàm esset instructa:* hoc est, ante mediam noctem, vt Theodor. quæst. 11. interpretatur. *Significat*, inquit, *oratio, quòd statim post vesperam, cùm ipsi cœpissent dormire, apparuit Samueli Dominus Deus. Vesperè enim solens accendere sacram lucernam: circa mediam noctem iniiciebant oleum. Volens ergo Scriptor significare tempus, dixit, lucernam nondum fuisse instructam.* Quam interpretationem Procopius iisdem ferè verbis à Theodoreto mutuatur. Et est probabilis, vt superesse posset tempus nocturnum ad sequentes vocationes per sua interualla repetitas: & ad illum vltimum somnum, quem dicitur Samuel post initum cum Deo colloquium vsque mane protraxisse. Nihilominùs posteriorem noctis partem fuisse, sibi aliqui Rabbinorum persuadent, eo argumento, quòd somnia sub auroram veriora censeantur. Sic enim Academici, & Peripatetici Philosophi docuerunt. Ad quos alludens Tertull. lib. De Anima, cap. 48. *Certiora,* inquit, *& clariora somniari affirmant sub extimis noctibus, iam emergente animarum vigore, producto sopore.* Concinentibus Poëtis, Theocrito idyl. 2. vbi loquutus de aurora, subdit: εὖτε καὶ ἀτρεκέων ποιμαίνεται ἔθνος ὀνείρων, hoc est, *cùm & verorum pascitur turba somniorum.* Ouid. lib. Heroïd. Epist. 18. ad Leandrum:

Procop.

Posteriorem sentiũt Rabbini. Rabbini.

Somnia sub auroram veriora credebantur. Tert.

Theocr.

Ouidius.

Nanque sub auroram, iam dormitante lucerna,
Tempore quo cerni somnia vera solent.

Horat. 1. Satyr. 10.

Horat.

——vetuit me tali voce Quirinus
Post mediam noctem visus, cùm somnia vera.

Verùm huius assertionis ratio inepta est: tum, quia somnia diuinitùs immissa nullis temporum circumstantiis determinantur: tum, quia reuelatio facta Samueli non fuit per somnium, sed in vigilia, vt sequenti numero patebit. Assertio verò ipsa non est improbabilis, cùm dicatur in litera, vocatus à Deo Samuel, *antequàm lucerna Dei extingueretur*: quæ loquutio significare videtur, non multò, sed paulò ante extinctionem, vt Auctor quæst. Hebraïc. interpretatur. Res incerta est: vtramuis defendas partem, literam non offendes. Philo, aut quisquis ille est, in Biblicis Antiquitatibus, inter extremas opiniones medius, docet, hanc Samuelis vocationem media nocte contigisse.

Ratio Rabbinorum futilis: assertio ipsa probabilis.

Auctor qu. *Vtrũlibet dici potest.* Philo Biblicus. *Media expositio.*

Samuel dormiebat. Non eandem censuram meretur Samuel dormiens, quam Heli. Primò, quia Heli Prælatus erat, cuius proprium est, sollicitum vigilare: Samuel verò subditus, cuius proprium est, securum dormire. Nam & Iacob adhuc filiusfamiliâs etiam inter lapides securus dormiebat, Genes. 28. n. 11. quod erat quieti ac pacati animi indicium, vt D. Ambr. lib. 2. De Iacob & vita beata, cap. 4. testatur. Idem verò paterfamiliâs effectus, vigilabat, & luctabatur cum Angelo vsque manè, Gen. 32. num. 24. Et propterea ibi nomen meruit Israelis, quod interpretatur, *Princeps cum Deo*: vt Rupert. lib. 8. in Genes. cap. 5. obseruat: quasi peruigilio emerit imperium, vt palam fieret, eum tantùm, qui vigilem se præbet, Principem esse debere. Meritò Iacob filium suum Iudam, ad cuius tribum sceptrum Israëlis reuocandum esse præcognouit, cum leone comparauit. *Catulus leonis Iuda; ad prædam, fili mi, ascendisti: requiescens accubuisti vt leo.* Genes. 49. numer. 9. Nam quemadmodum leo symbolũ est vigilantiæ, siue, quòd perpetua vigilia vtatur, vt aliqui crediderunt; siue, quòd, apertis oculis, dormiat; ac si vigilare etiam dormiens videatur; vt refert Pierius lib. 1. non procul ab initio, & ante illum D. Epiphanius ad Physiologũ De ferarum, & volucrum natura, c. 2. & plures alij, quos ibi citat eius Scholiastes; immò addit Epiphanius, dormientis leonis

V. *Heli dormiens, malè audit, quia Prælatus: non Samuel, quia subditus.*

D. Ambr. *Iacob filiusfamiliâs dormiebat, pater vigilabat.*

Rupert.

Iudas Rex futurus, leoni vigilanti comparatur.

Leo, symbolũ vigilantiæ.

Pierius.

D. Epiph.

leonis oculos ita euigilare, vt venatorem ab septem stadiis præsentiat, & fugiat: quemadmodum, inquam, leo est symbolum vigilantiæ; ita oportebat, vt Iudas, eiúsque posteri, principes futuri, parùm somno, multùm vigiliæ indulgerent.

VI. Rabbini. Midras. *David, seu potius Messias antelucanus vigilabat.*

Certè Dauid de Iudæ stirpe satus, seu potiùs sub Dauidis nomine Messias ab vtroque genitus: *Exurgam*, inquit, *diluculo*. Psal. 56. num. 9. Et quidem tam diluculo, vt transferant Rabbini: *Excitabo*, seu *Expergefaciam auroram*. Addántque, vt notat Midras, adeò matutinum euigilare solitum, vt nunquàm eum aurora inuenerit dormientem, nunquam eum à somno excitarit, sed potiùs ipsa ab eo excitaretur. Quid ad hæc Demosthenes? qui apud Ciceronem 5. Tusc. dolere se dicebat, quoties antelucana fabrorum industria vinceretur: cùm Dauid, & Christus Dominus non solùm opificum vigilias, sed etiam ipsius auroræ cursus anteuertant? Notat D. Hieronym. in Regula Monachorum, si ille eius Auctor est in titulo De Vigiliis, laudari à Salomone fœminam, *Quæ pensa & lanificium ad lucernam vigilanter exercet*. Prouerb. 31. à numer. 15. Addique ab eodem Salomone: *Quod ex hoc laus viro eius, & gloria magna nascatur.* Ibidem, numer. 13. Quòd si materfamiliâs vigilare debet ad temporalem suorum gubernationem; quid paterfamilias ad spiritualem? Proprium est itaque Prælatorum, vigilare. At verò subditi per eorum vigilias securè dormiunt: iuxta illud: *Dulcis est somnus operanti.* Ecclesiast. 5. num. 11. seu, vt habent Septuaginta, quos sequitur D. Ambros. lib. de Naboth, cap. 6. *Dulcis est somnus serui:* hoc est, obedientis. Si enim *somnos abrumpit cura salubres*; vt cecinit Mantuanus, 3. Georg. ille, qui se ab omni cura liberauit; immò sequutos Regij Vatis consilium, *iactauit super Dominum curam suam*, Psal. 54. num. 23. cur non dormiat pacatissimus?

Cicero.

David, & Messias Demosthene vigilantiores. D. Hier.

Materfamiliâs vigilans laudatur. A fortiori pater.

Subditi obedientes pacatissime dormiunt. D. Ambros.

Virg.

VII. *Heli non solù dicitur dormire, sed iacere. Samuel solùm dormire.*

Secundò, quia Samuel solùm dicitur dormire; at verò Heli dicitur vlteriùs & iacere; quod malè audit, vt D. Gregor. ibi citatus obseruat: & vlteriùs expendit, iacentem Heli, & dormientem Samuelem distinguendo: *Bene*, inquit, *reprobus Prælatus non dormire, sed iacere dicitur: puer autem subditus & electus, non iacere, sed dormire: quia dormire aliquando in bonam partem accipitur, iacere autem, ferè semper in malam.* Exempla sunt in promptu. Nam & Christus Dominus inter procellas, Matth. 8. numer. 24. Et D. Petrus inter catenas, Act. 12. num. 6. Et Iacobus inter lapides, Genes. 28. num. 11. dicuntur, laudabiliter dormire. At verò Noë inter pocula, Genes. 9. num. 21. Et Holophernes inter conuiuia, Iudith 13. numer. 4. & Saul inter milites, 1. Reg. 26. numer. 7. dicuntur, culpabiliter iacere: nam hoc ignauiæ, vel ebrietatis est; illud temperantiæ, & necessitatis.

Dormire, in bonã partem; iacere, in malum.

VIII. D. Bern. *Desidiosè & incompositè dormiens arguitur.*

Quare D. Bernardus De vita solitaria, circa medium: *Caue*, inquit, *in quantum potes, serue Dei, ne totus aliquando dormias; ne sit somnus tuus, non requies lassi, sed sepultura corporis fatigati; non reparatio, sed extinctio spiritus tui.* Vbi dici potest totus dormire, qui nimis desidiosus, & incompositus cubando, *toto prostrarit pectore somnũ*. Vnde Thomas à Kempis lib. 2. De disciplina claustrali, c. 11. rectè monet, vt dormiturus, honestè & verecundè membra sua componat, nec se crebrò vertit: *Memor Christi in cruce pendentis, qui in patibulo, non in molli lecto moriens, obdormiuit.* Quibus verbis adhortatur, vt non in morem iacentis in lecto; sed pendentis in patibulo dormiamus. Certè Magnus ille Arsenius, vt refert Daniel Abbas apud Ruffinũ, lib. 3. De Vitis Patrum, num. 211. noctes orando ducebat insomnes; & propè diluculo, cùm vellet pro naturæ fragilitate parum quiescere, dicebat somno: *Veni, male serue*; & mox claudens oculos, subripiebat parum somni, sedendo; & statim exurgebat. Affine est, quod de Dorothæo narrat Palladius lib. 8. De Vitis Patrum, capit. 2. eum nunquàm pedes extendisse; nunquàm dedita opera dormisse; nunquàm super lectum iacuisse: sed totam noctem trãsegisse, laborando, & vix paululùm, sedendo, dormitasse: & rogatum, vt aliquantulùm super stoream iaceret, respondisse, cùm id Angelis persuaderi posset, tunc virtutis studioso persuadendum.

Thomas à Kempis. *Modestè & honestè dormiendum, vt in cruce cum Christo.*

Arsenius sedendo, non iacendo dormiebat. Ruffin.

Sõnus, malus seruus.

Palladius. *Dorothæus somni parcissimus, & modestissimus.*

IX. D. Greg. *Dormire in templo Domini mysticè, laudabile.*

Tertiò, quia Heli in lecto suo; at verò Samuel in templo Domini, vbi erat arca Dei, dormiebat. De qua re D. Gregor. *In somno*, inquit, *pueri perfecti vniuscuiusque subditi à prauo opere requies designatur. In templo quippe, & vbi est arca, dormit; qui in cælesti desiderio, atque in sacra Scriptura meditatione occupatus, ad ea, quæ ad peruersitatem pertinent, non intendit.* Et in posteriori Commentario mysticè interpretatur hunc Samuelis somnum de requie contemplationis, quam iustus vir externis negotiis interponit. *Dormit*, inquit, *Prædicator in templo, dum repulsa à se penitus mundana sollicitudine, se se per considerationem rerum spiritualium recondit in mente, &c.* Et in hanc sententiam adducit illud documentum D. Petri: *Non est æquum, nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Act. 6. n. 2. hoc est, ab interna contemplatione ad externam negotiationem transire. Et illud Iethronis consilium ad Moysem, ne stulto labore consumeretur; semper apud homines per actionis laborem vigilando; nunquàm apud Deum per contemplationis somnum quiescendo. Exod. 18. num. 18. Et illam Pauli ad Corinthios doctrinam, vt fraudem pati mallent vacando Deo, quam immunes se à fraudibus seruare, litibus incumbendo. Et ibidem aduertit, non dici de Samuele, *Dormiuit*, sed *Dormiebat*; *quia nimirum*, inquit, *eandem mentis suæ circunspectionem, non in transitu seruare studuit, sed in diuturnitate perseuerantiæ.* Vnde fit, nihil esse in hoc Samuelis somno, quod meritò arguatur. Addo, non solùm fuisse excusabilem Samuelis dormitionem, sed etiam laudabilem: siquidem etiam inter dormiendum promptissimus fuit ad obtemperandum. Nec soporis vis, quæ in pueris solet esse arctior, eum tenuit, quominùs ad diuinam vocationem euigilaret: vt ex dicendis patebit. Nam, vt bene D. Ambros. in Epist. 60. ad Antium; *Est*, inquit, *sanctorum etiam somnus operarius; secundum quod scriptum est: Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cant. 5. n. 2.

Samuel etiã inter dormiẽdum, promptus.

D. Ambros.

X. *An Samuel dormierit in templo.*

In templo Domini, &c. Difficultas est, quo pacto Samuel dormierit in templo Domini, quod ab omni profano vsu alienum esse oportebat. Facilè se expedit Auctor quæst. Hebraic. transponendo verba, & totum versiculum in hunc modum concinnando: *Antequàm lucerna Dei extingueretur in templo Domini, vbi erat arca; Samuel dormiebat.* Vbi refert ad templum Domini non dormitionem Samuelis, sed extinctionem lucernæ. Quasi non Samuel in templo dormire, sed lucerna in templo extingui referatur. Pari facilitate se expedit Paraphrastes Chaldæus, transferendo sic: *Samuel cubans in atrio Leuitarum; & vox Domini è templo Domini, vbi erat arca Domini.* Quibus verbis non Samuelis somnum; sed Domini vocem cum templo Domini coniungit. Nihilominùs vulgata Biblia tam clarè significant Samuelem in templo dormiisse, vt clariùs significari non posse videatur;

Auctor quæst. *Negant aliqui, aliter verba transponentes.*

Chald.

Affirmandũ cũ vulgata.

videatur; & verba ipsa tam apertè cohærent, vt A fine violentia illam transpositionem minimè patiantur.

XI. *Quo pacto intelligatur, dormisse in templo.*

Vulgata igitur editio tenenda, dicendúmque iuxta illam, Samuelem dormiisse in templo Domini: id tamen non esse intelligédum de interiori parte tabernaculi, quę dicebatur *Sancta Sanctorum*: & in qua arca fœderis custodiebatur: neq; etiam de altera parte exteriori, quæ dicebatur *Sancta*. Nam si ibi dormire, ne summo quidem Pontifici licebat, vt superiori numero diximus, quo pacto liceret Samueli, simplici Leuitæ? Neque tandem de proprio atrio tabernaculi, in quo erat altare holocaustorum: cùm hæc etiam pars diuino cultoi consecrata profanos vsus excluserit. Intelligendum igitur est de aliqua domo tabernaculo B vicina; & illi parti, in qua erat arca, adhærente. Vnde Chaldæus vertit, *in atrio Leuitarum*. Atque ita præter aliquot Rabbinos Magister historiæ, Lyta, Hugo, Dion. plurésque alij docuerunt, illud, *in templo*, exponentes, *iuxta templum*, in aliqua cella, siue exhedra propinqua.

Chaldæus. Rabbini. Magister historiæ. Lyta. Hugo. Dion.

XII. *Circa templi atrium exhedra ad varios vsus.*

Nam circa atrium templi Salomonici (& idem cum proportione dicendum de atrio tabernaculi Mosaici, de hoc hic agimus) erant aliquot exhedræ, non solùm ad seruandos thesauros, vt patet 1. Paralip. 28. n. 11. & 12. verùm etiam ad recipiendos in hospitium Sacerdotes, & Leuitas, qui ordine vicis suæ in Sanctuario ministrabant, vt patet ex illis verbis 1. Paralip. 9. n. 27. *Per gyrũ*, inquit, *templi Domini morabantur in custodiis suis,* C *vt cùm tempus fuisset, ipsi manè aperirent fores.* Et paulò inferiùs num. 33. *Hi sunt Principes Cantorum per familias Leuitarũ, qui in exhedris morabantur, vt die ac nocte iugiter suo ministerio deseruirent.* Ita ibi. Et quidem Leuitæ in his locis commorati, tum aliis ministeriis vacabant; tum etiam diuinis laudibus, non solùm diurno, sed etiam nocturno tempore canendis incumbebant. Sicut enim aliqua sacrificia tota nocte durabat, quale fuit Agni holocaustum, de quo est illud: *Hæc est lex holocausti; cremabitur in altari tota nocte vsque manè.* Leuit. 6. n. 9. Ita etiã diuinæ laudes tota nocte canebantur, vt tradit Abulensis 1. Paralip. 9. q. 15. & vlteriùs probatur ex illis verbis: *Leuitæ stent manè ad confitendum & canendum Domino; similiterq; ad* D *vesperam, tam in oblatione holocaustorum Domini, quam in Sabbatis & Calendis, & solennitatibus reliquis, iuxta numerum, & ceremonias vniuscuiusque rei, iugiter coram Domino.* 1. Paralipomen. 23. numer. 30.

Leuitæ tota nocte diuinas laudes decãtabant.

XIII. *Cantus in atriis tabernaculi frequentissimi.*

Ad quos fortasse cantus Psalmographus alludit: *Circuiui*, inquit, *& immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis.* Psal. 26. n. 6. Ad hos cantus Leuitas hortabatur: *Qui statis in domo Domini, in atriis domus Dei nostri, in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino.* Psal. 133. n. 1. Ad hæc atria ex imo corde suspirabat: *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Psal. 83. n. 3. Et paulò pòst, n. 11. *Melior est dies vna in atriis tuis super millia.* Quasi illis atriis conueniret, quod E cælum empyreum sibi iure postulabat: vbi vna dies præstat millibos, & mille anni sunt, *tanquam dies hesterna, quæ præteriit* Psal. 89. n. 4. Ad hæc igitur, ac similia tabernaculi ministeria etiam nocturno tempore obeunda, necesse erat, vt Sacerdotes ac Leuitæ præstò adessent, & proximè morarentur: Sacerdotes quidem ad Orientem, quò templi ianua spectabat, Num. 3. n. 30. Leuitæ circa reliqua latera: ad Meridiem, *Caathitæ*, ibidem, n. 29. *Merarita*, ad Septentrionem, ibidem, n. 35. *Gersonita*, ad Occidentem, ibidem, n. 24.

Sacerdotes & Leuitæ circa latera tabernaculi distributi.

Vnde, cùm Samuel esset ex Caathitis, ad Meridiem excubabat, proximiùs Sacerdoti, qui excubabat ad Orientem. Vnde facilis erat vnius ad alterum recursus. Hoc igitur atrium, seu domus, in qua Samuel dormiebat, dicebatur templum Domini, vel, quia propè aderat, vel, quia ad templum spectabat, cuius proprium nomen ad circumiacentes exhedras extendebatur: vel, si mysticè interpretari velis, quia per Samuelis præsentiam templum quodammodo reddebatur.

Domus Samuelis, templum.

XIV. *Vbi arca, ibi oraculorum veritas.*

Vbi erat arca Dei. Non satis fuit dicere: *In templo Domini*: sed additur: *Vbi erat arca Dei*; vt nexus sit cum sequenti historia, nouum oraculum narratura: cuius oraculi veritas ac diuinitas, à loco, in quo erat arca, probaretur. Nam ex propitiatorio, quod erat super arcam, promisit Deus, se Moysi loquuturum. *Inde*, inquit, *præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super arcam.* Exod. 25. n. 22. Et reuerà inde loquebatur, iuxta illud: *Cumq; ingrederetur Moyses tabernaculum fœderis, vt consuleret oraculum; audiebat vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super arcam, &c.* Num. 7. n. 89. Ne igitur vanum putaretur hoc oraculum, à loco, in quo erat arca Dei, ex qua diuina responsa fieri solebant, confirmatur. Sed quo pacto ex propitiatorio vox respondentis formaretur? cur ex medio Cherubinorum propitiatorium ambientium prodiret? an quoties loquutio ad aures, toties loquentis imago aliqua ad oculos se offerret? vtrùm consulentibus tantùm, an etiam non consulentibus sua sponte oracula redderentur? aliæque huiusmodi quæstiones sunt, quas interim omitto, apud Thytræum nostrum De Apparitionibus lib. 2. c. 9. requirendas, & à nobis sequenti numero breuiter prælibandas. D. Greg. hunc locũ mysticè interpretatus, templum, & locum, vbi est arca, ita distinguit, vt illud vulgatiorem quandam contemplationem; hic secretiorem, & perfectiorem importet. Et concludit: *Samuel, qui non solùm in templo, sed coram arca Dei dormire dicitur, eruditos pariter, & electos subditos designat; quia, dum amoris sui flammas de sacro eloquio frequentiùs meditando hauriunt, ad superna patria desiderium altiùs assumuntur; & velut intima templi ad somnum eligunt, dum eò longiùs separantur à publico terreni operis; quò secretiùs per meditationem reconduntur in sacrario interna visionis.*

Varia dubia.

Thytræus.

D. Greg. Templum, & locus arca, vulgatior, & profundior contemplatio.

Num. IV. Et vocauit Dominus Samuel. Qui respondens ait: Ecce ego.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Triplex difficultas.*

ET *vocauit Dominus, &c.* Explicatis loci ac temporis circumstantiis, quibus reuelatio facta est; explicatur iam ipsa reuelatio. In qua tria occurrunt explicanda, Coi, à quo, & quomodo facta sit? Coi? Samueli. *Et vocauit*, inquit, *Dominus Samuel.* Sed, cur non potiùs Sacerdoti Heli? Respondet Theodoretus n. 1. iam citatus: *Ad arguendum Pontificem, qui senuerat, adolescentulus dignus est habitus, cui Deus appareret.* Satis enim arguebatur senex, cui puer præferebatur. Itaque in maiorem ignominiam Heli, & gloriam Samuelis ad diuinum colloquiũ hic admittitur, ille excluditur. Quid enim magistro ignominiosius esse potest, quàm discipulo posthaberi? Quid discipulo gloriosius, quàm magistro anteponi? Et certè quàm se auersum & alienum ab Heli ostenderit Deus, eum prætereũdo, & Samuelem alloquẽdo;

Theod. Reuelatio facta Samueli, non Heli, in pœnã huius, & laudem illius.

C disser

D. Chryſ.

diſertiſſimè expreſſit D. Chryſoſt. lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monaſticæ: *Audi*, inquit, *quid ad diſcipulum de magiſtro loquutus ſit Deus: quippe & diſcipulo, & Propheta alteri, & cunctis penitus eius clades reuelare, & loqui, quàm illi maluit: adeo illum auerſabatur, atque oderat.* Quantam verò beneuolentiam erga Samuelem oſtenderit, eum familiariter alloquendo, ad finem ſequentis difficultatis, paucis illuſtrabo.

Altera difficultas: A quo facta ſit hæc reuelatio?

II.
Communis difficultas, Ab Angelóne, an à Deo fiant apparitiones, & reuelationes diuinæ.
Ribera. Perer. Pined. Barrad. Lorin. Thyræus Delrius. Molin. Vaſq. Valent. Suar.

COmmunis eſt hæc difficultas omnibus apparitionibus & alloquutionibus diuinis, quæ in ſacris Literis ſcribuntur, Ab Angelóne vicem Dei tenente, an ab ipſo Deo immediatè oriantur? Eam noſtri Interpretes & Doctores fusè & eruditè tractarunt. Riber. in c. 2. Epiſt. ad Hebr à n. 3. Perer. in c. 32. Geneſ. diſp. 1. & in c. 3. Exod. diſp. 6. & lib. 3. in Daniel. ibi: *Species quarti ſimilis filio Dei.* Pined. in c. 1. Iob. verſ. 6. ad finem, & in præuio Salomone lib. 3. c. 8. Barrad. tom. 1. concord. lib. 1. c. 15. Lorin. in c. 7. Act. n. 30. Petrus Thyræus lib. De ſpirituum apparitionibus, c. 4. & lib. 1. De apparitione viſibili, c. 24. & lib. 2. De apparitione vocali, c. 15. & lib. 3. De apparitione imaginaria, c. 15. Delrius De Magia, lib. 4 c. 1. q. 1. Item ex Scholaſticis Mol. 1. p. q. 51. diſp. 2. §. *Quod attinet.* Vaſq. ibidem, diſp. 185. Valent. tom. 1. diſp. 4. q. 1. punct. 2. Suar. De legibus, lib. 9. c. 2. & nouiſſimè, & diſertiſſimè in Opere de Angelis, lib. 6. c. 10. §. 25. & ſequentibus, & alij. Quare, cùm illi totum hoc argumentum feliciter expleuerint, actum ne agamus, non eſt nobis in eadem re otioſiùs cunctandum. Ipſi interim cõſulantur. Qui omnes, vt paucis dicam, tanquam probabilius definiunt, Deum non ſe ipſo immediatè, ſed miniſterio Angelorum veteres Patriarchas allocutũ. Idque ex ſacris Literis, Patribus, ac rationibus confirmant. Quibus & nos pariter aſſentimur. Vnde fit, vt nõ ipſe Deus, ſed Angelus Samuelem hoc loco euocarit. Aduertendum tamen eſt, ſermonem hic eſſe de apparitionibus, ſeu loquutionibus diuinis, ſenſibilibus, ſeu, quæ fiunt ad ſenſum tam internum, quàm externũ. Nam de purè intellectualibus, an fiant immediatè à Deo, an etiam opera Angelorum, eſt peculiaris dubitatio, quam ſequenti difficultate perſtringemus.

Communis reſolutio, non à Deo, ſed ab Angelo fieri apparitiones, & reuelationes. Intelligenda eſt reſolutio de apparitionibus ſenſibilibus, non de purè intellectualibus.

III.
Obiectio.

Sed obiiciet aliquis, in Hebræo eſſe; vocauit יהוה *Iehouah* Samuelem: nomen autem *Iehouah*, quod ſignificat fontem totius entitatis, vt vocant, eſſe proprium ipſius Dei, & incommunicabile creaturis; idcircò enim reprehenduntur illi homines, qui *affectui, aut Regibus deſeruientes, incommunicabile nomen lapidibus & lignis impoſuerunt.* Sap. 14. n. 21. Ergo non eſſe hoc loco ſub nomine *Iehouah*, vllum Angelum, ſed ipſum Deum intelligendum. Et augetur difficultas ex doctrina quorundam Patrum, qui ingenuè confitentes, homines aliquando in Scriptura vocari Deos; tamen aut dubitant, aut negant, vllum diuinitatis nomen Angelis ſimpliciter accommodari. Nam in primis Tert lib. De Trinit. cap. 26. apertè aſſerit, Dei nomen nunquam fuiſſe Angelis conceſſum. D. Auguſt. in Pſalm. 135. ſub initium, huiuſmodi proponit quæſtionem: *Quæritur*, inquit, *ſi homines, ad quos ſermo Dei factus eſt, Dij vocantur; vtrùm & Angeli vocandi ſint Dij, cùm hominibus iuſtis & ſanctis maximum præmium promittatur æqualitas Angelorum?* Et reſpondet: *Neſcio*, inquit, *vtrùm, vel poſſit, vel facilè poſſit in Scripturis reperiri, apertè dictos Angelos, Deos.* Et paulò pòſt rationem reddit, cur Angelis Dei nomen non imponatur. *Si nuſquam*, inquit, *in eloquiis diuinis reperitur, ſanctos Angelos appellatos Deos; ea mihi cauſa potiſſimùm occurrit, ne homines in iſto nomine, miniſterium, vel ſeruitium religionis, quæ Græcè latria dicitur, ſanctis Angelis exhiberent: quod nec ipſi exhiberi ab hominibus volunt, niſi illi Deo, qui & ipſorum, & hominum Deus eſt.*

Sunt qui putent, Angelos in Scriptura nunquam vocari Deos.

Tert.

D. Auguſt.

Ratio, vt tolleretur periculum idololatriæ.

IV.
Sunt etiã qui negent vocari Angelos in Scriptura filios Dei.
D. Chryſ.

Eodem modo negant alij, Angelos in ſacris Literis appellari filios Dei. Nam D. Chryſoſtom. homil. 22. in Geneſ. impugnans eos, qui illum locum Geneſ. 6. numer. 2. *Videntes filij Dei filias hominum*, &c. de Angelis interpretantur: *Oſtendant*, inquit, *vbi Angeli filij Dei appellati ſint. Sed non potuerunt vſque monſtrare. Homines quidem filij Dei dicti ſunt; Angeli autem nunquam. De Angelis dicit: Qui facit Angelos ſuos ſpiritus; & miniſtros ſuos, flammam ignis.* Pſal. 103. n. 4. *De hominibus autem: Ego dixi: Dij eſtis, & filij Excelſi omnes.* Pſ. 81. n. 6. Quaſi maior honor hominibus, quàm Angelis in Scriptura habeatur; vel propter myſterium Incarnationis, ex quo homines Angelis præferuntur; vel propter periculum idololatriæ, quod maius eſſet, ſi Angeli, quàm ſi homines filij Dei vocarentur: illis enim, quia multò præſtantioris naturæ ſunt, faciliùs diuinitas tribueretur. Et poteſt confirmari ex verbis Apoſtoli: *Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu?* Hebr. 1. n. 5. Quaſi reſponderet: nemini. *Angelus igitur*, concludit Chryſoſtomus, *nuſquàm vocatus eſt filius, neque filius Dei.* Cui Theophylactus ſtatim citandus aſſentitur.

Cur hominibus nobilior appellatio, quã Angelis tribuatur.

Theoph.

V.
Sunt, qui dubitent, vel negent, Angelos vocari Dei imagines.
D. Ambr.

Tandem alij, vel dubitant, vel negant, Angelos in ſacris Literis Dei imagines & ſimilitudines appellari. Nam D. Ambroſ. ſerm. 10. in Pſal. 148. *Angeli*, inquit, *ad miniſterium, homo ad imaginem.* Et ſtatim: *Eſto*, inquit, *vt & Angeli ad imaginem: Scriptura tamen de homine loquuta eſt, quod ſit ad imaginem.* Vbi minimũ ſignificat, Angelos nõ exprimi in Scriptura Dei imagines. Sic & D. Anaſtaſius Sinaïta lib. 7. in Exameron, De Dei nomine duplicato, ſub initiũ, quærit: cur potiùs homo, quàm Angelus, factus dicatur ad imaginem & ſimilitudinem Dei? Quaſi ſupponens, Angelũ imaginem ac ſimilitudinem Dei non appellari. Et reſpondet, propter Chriſtum, cui homo in vtraque natura corporis, & animæ ſimilior euaſit. Clariùs Theophylactus in cap. 1. Epiſt. ad Coloſ. n. 15. ibi: *Qui eſt imago Dei inuiſibilis*; non ſolùm negat, Angelos in Scriptura Dei imagines dici; ſed etiam rationem, cur Dei imagines non dicantur, adducit: *Contemplare*, inquit, *accuratam Scripturæ formam. Hominem nominat imaginem Dei & Filium Dei: Angelum autem nuſquam. Illic enim angelicæ naturæ altitudo ſtatim ad impietatem homines præcipitaſſet; exiſtimantes, eiuſdem eſſe dignitatis cum Deo; in homine autem tenuitas, & humilitas munit nos, firmátque, ne tale quiddam ſuſpicemur.* Quæ ratio optima eſt ad nobilitatem angelicam, & vilitatem humanam exprimendam. Hæc enim tanta eſt, vt quantumuis exornetur, nunquàm ſuperbiẽdi materiam habere videatur: illa tam excellens, vt niſi deprimatur, ad diuinam accedere naturam exiſtimetur. Cùm igitur Angeli in Scriptura, nullum nomen, quod diuinitatem redoleat, ſortiantur, multò minùs nomine illo ineffabili, יהוה *Iehouah*, quod totũ erat ad diuinitatẽ exprimendã, appellabũtur: & proinde qui hoc loco dicitur *Iehouah*, Samuelémq; alloquitur, videtur planè ipſe Deus, non verò Angelus fuiſſe.

D. Anaſt.
Cur potiùs homo, quàm Angelus Dei imago vocari exiſtimetur.

Theoph.

Nobilitas Angelorum, ignobilitas hominum.

VI.
D. Hieron.

Nihilominùs dicendum cum D. Hieronymo

in c. 3.

Origen. D.Cyril. Clem.Rom. D.Ambr. *Solum obedientià Angeli in Scriptura vocari imagines & filios Dei, immò & Deos.* *Angeli, imagines Dei.* D.Hieron. D.August. Orig. Tert.

in cap. 3.Daniel. Orig. hom.8. in Exod. D.Cyrill. Alex.lib 3 in Ioan.c. 3.& lib.2. contra Iulianum, Clem.Rom. lib.2. Recognitionum ad finem: D. Ambr.lib.de Noë,c.4.& aliis Angelos in Scriptura,& imagines Dei, & Deos aliquando nūcupari. Imagines quidem, siue similitudines, Dan. 3. n. 92. *Species quarti similis filio Dei* : seu, vt legit D. Hier.*Similitudo filij Dei*. Quod de Angelo intelligitur,cū de illo statim dicatur , n.95. *Misit Angelum suum , & eruit seruos suos , qui crediderunt in eum*. Sic & Lucifer,ex sententia D.Hieron.in c.4. & 54.Isai. D.August.lib.11. De ciuit. c.15. Orig. homil.13.in Ezech. Tert.2.contra Marc. c.10. & aliorum , dicitur non modò similitudo Dei , vt homo , sed etiā *signaculum similitudinis*.Ezech.28.

D.Isidor.

n.12. Quod D.Isid. lib.1.sent. siue de summo bono, c.10. nescio quid expressiùs significare arbitratur. *Quantò*,inquit,*subtilior est eius natura , tantò pleniùs extitit ad similitudinem diuinitatis expressa*. Nam , vt regiam auctoritatem non tam Regis syngrapha , quàm sigillum repræsentat : ita diuinam perfectionem non tam humana natura, quæ est quædam illius similitudo,quàm angelica,quæ est signaculum huius similitudinis, expressit. Vnde D. Dionys. Areop. De diuinis nominibus , c.4.

D.Dion. Areop.

Imago,inquit, *Dei est Angelus , manifestatio inuisibilis lucis,speculum purum,lucidissimum, nitidum, incoinquinatum,immaculatum, suscipiens in se totam,si fas est dicere , pulchritudinem diuinæ speciei*.

VII. *Angeli, filij Dei* D.Greg.

Filios autem Dei appellari, constat ex aliis locis : *Cum venissent filij Dei , vt assisterent coram Domino*.Iob.1.n.6.vbi D.Greg.lib.2. moral. c.2. *Qui*, inquit,*Dei filij,nisi electi Angeli vocātur?* Et rursus: *Cum me laudarent simul astra matutina,& iubilarent omnes filij Dei*. Iob. 38.n.7.vbi idem D.Greg. filios Dei *Angelos* interpretatur:fauentibus Septuaginta,dum transferunt : *Laudauerunt me voce magna omnes Angeli mei*. Sic etiam & Dauid;*Quis in nubibus æquabitur Domino?similis erit Deo in filiis Dei?* Psal.88.n.7.Hoc est : *In Angelis*,interprete Lyrano. Sed & cælestis sponsa:*Sicut malus*,inquit,*inter ligna syluarum,sic dilectus meus inter filios*. Cant. 2.n.3.seu,vt vertit Chaldæus : *Inter Angelos*:quibus etiam cælestis sponsus,Orig.interprete hom. 3.antefertur. Vnde non immeritò ex Deo *omnis paternitas in cælis , & in terra nominatur*. Ephes. 3. n.15.vt Deus,interprete D.Hieronym.suos vtrobique habere filios , homines, & Angelos, significetur. Quòd si D. Paulus negat vllum Angelorum filium appellatum , illis verbis:*Cui dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu?* Hebr.1. n.5. loquitur ex communi Interpretum consensu , de filio naturali , qui solus est Christus Dominus; non de adoptiuo , cùm adoptiua filiatio non minùs Angelis , quàm hominibus conueniat , vt D. Thom. 3.p.quæst.23. art.3.ad 2. & Theologi ibidem communiter testantur.

Lyra. Orig. D.Hieron. *Solum Christum, filium naturalem, Angelis non minùs quàm hominibus, adoptiui.* D.Thom.

VIII. *Angeli, Dy vocantur.*

Tandem appellari Deos, vulgare est,& passim obuium. *Deus stetit in Synagoga Deorum*. Psal.81. num.1.seu Angelorum. *Deus magnus super omnes Deos*. Psal.94.n.3.vel super omnes Angelos. *Adorate eum omnes Angeli eius*. Psal.96. n.8. Vel omnes Dij. Nam in his , similibúsque locis ponitur nomen אלהים *Elohim* ; quod veteres Hebræi, immò & D.Hieronymus,nunc Deos,nunc Angelos interpretantur. Vnde illud:*Minuisti eum paulominùs ab Angelis*, Psal.8. n.6. verti potest : *Paulominùs à Deo*.Sic enim D.Hieronymus,& ante illum Theodotio transtulerunt. Quare D.Paulus : *Etsi*, inquit , *sunt qui dicantur Dy , siue in cælo , siue in terra* (*siquidem sunt Dy multi , & Domini multi*) *nobis tamen vnus Deus*.1. Corinth.8. n.5. Quibus

D. Hier. D. Hieron. Theodot.

A verbis satis indicat , non solùm homines in terra, sed etiā Angelos in cælo,Deos nuncupari:quanuis vnus tantùm per naturam Deus sit , & habeatur. Constat igitur,Angelos in Scriptura aliquando vocari Deos. Quod tandem conuincit locus D.Dionysij Areopag.De cælesti hierarchia, c.12. vbi etiam optimam rationem huius nuncupationis adducit. *Inuenies*,inquit, *cælestes illas , angelicásque substantias in sacris Literis Deos quoque appellari:sanctos item viros,& Dei familiaritate dignissimos, Deos dici. Et certè,cùm diuinum illud secretum exceptum ab omnibus,& super omnia locatū sit, nihilque in rerum natura simile illi dici propriè,& per omnia possit : si tamen quæcunque spiritalis , rationalisque,*

D. Dion. Areop. *Cur Angeli, & homines iusti, dicantur Dy.*

B *substantia totis viribus contendit , vt ei coniuncta, vnum cum illo fiat;atque ad diuinos eius fulgores hauriendos,quantum fas est,indesinenti studio,ac desiderio adspirat, quod Deum pro viribus (si dici licet) imitari pergat : diuino quoque cognomine digna censetur*.

Vltimò addendum , vt obiectio illa , cuius ratione hæc disseruimus,dissoluatur , etiam nomen יהוה *Iehouah*,quod est propriū ipsius Dei,aliquando Angelo communicari : saltem quando Angelus gerit vicem Dei,non quòd illi personaliter,vt ita dicam, sed repræsentatiuè tantùm conueniat, vt patet , cùm ex iis exemplis, quæ affert Pineda citatus in Iobum : tum etiam ex pluribus aliis; nam Angelus , qui loquutus est cum Agar. Gen. 16.num.13.& qui legem dedit Moysi.Exod.20.n. 2.& qui apparuit Gedeoni.Iud.6.n.16.& qui dixit

IX. *Nomen Iehouah , aliquando Angelis accommodatur.* Pined.

C ad Satan : *Increpet Dominus in te , Satan*. Zach.3. n.2. & plures alij, nomine *Iehouah*, significantur. Et confirmatur ex loco citato Iobi , c.1. n.6. *Cum venissent filij Dei , vt assisterent coram Domino*. Hebraicè : *Coram Iehouah*. cùm tamen illi concilio non Deus,sed Angelus præfuerit, vt D.Athanas. q.8. in sacram Scripturam testatur dicens : *Quod per sanctum aliquem Angelum Diabolo Deus est loquutus:quemadmodum etiam Reges per hominem aliquem intermedium suum alloquuntur aduersarium*. Vnde illam regulam Orig. homil. 14.in Num. sub initium,dicētis: Quoties in Scriptura nomen *Iehouah* repetitur ; verum Deum intelligendum: sic expono , vt verus Deus , aut aliquis eius vicem gerens intelligatur. Quare,licèt hoc loco di-

D. Athan. Origen. *Regula Origenis exponitur.*

D catur Iehouah Samuelem euocasse ; non est tamen de ipso Deo immediatè per se vocante , sed de Angelo,vices tamē Dei gerente,intelligēdum. Quòd si aliquis assentiatur aliis Patribus apud citatos Doctores , tribuentibus huiusmodi loquutiones ipsi Deo immediatè , saltem cùm is, qui loquitur , dicitur *Iehouah* , dicātque Samuelem ab ipso Deo immediatè euocatum : is poterit hoc ad eximiam Samuelis laudem reuocare. Nam,cùm ad Heli senem,iudicem,& Pontificem mittatur vir Dei , hoc est , Propheta aliquis , seu plurimùm aliquis Angelus ; vt diximus c.2.n.27. tamen ad puerum Leuitam alloquendum Deus

Angelus fuit , qui Samuelem vocauit , licèt dicatur Iehouah. X. *Immensa Samuelis laus, si ab ipso Deo immediatè vocatur ad colloquium.*

E ipse per se accedit. Ac si libentiùs cum puero innocente , quàm cū sene negligente, quibuscúmque dignitatis gradibus emineat , colloquatur. Vnde illud:*Cum simplicibus sermocinatio eius*. Prouerb.3. n.32.seu,vt est in Hebræo , ואת־ישרים סודו *Veeth Iesarim sodo*:hoc est, *& cū rectis secretum eius*. Cùm enim à Deo diuina mysteria sunt alicui reuelanda , potiùs rectitudo morum , quàm altitudo honorum spectatur.Concinit Dauid : *Firmamentum*, inquit,*est Dominus timentibus eum,& testamentum suum,vt manifestetur illis*.Ps.24.n.14.In Hebræo similiter est , *Secretū Domini timentibus eum, & pactum suum ostendit eis*. Quasi non aliis diuina mysteria,quàm iis,qui Deum timent,cōmunicentur.

Colloquiū & secretum Dei cum simplicibus & rectis.

C 2 Significa

XI.

Familiaritas Dei cum Sanctis.

Theod.

Significauit hoc Deus per Isaiam: *Secretum meum mihi, secretum meum mihi.* Isai. 24. n. 16. In quibusdã codicibus, vt referunt Scholia Sixtiana, est: τὸ μυστήριόν μου ἐμοί, καὶ τοῖς ἐμοῖς, hoc est, *mysterium mihi, & meis.* Atque ita legit Theodoret. in Psal. proxime citatum, nisi quòd *mysteria* pluraliter transferat. Et subdit: *Hæc non temerè omnibus; verùm timentibus aperit, diuinorúmque oraculorum propositum demonstrat.* Vbi vides, quàm familiariter Deus sua suis arcana manifestet. Et seorsim nota, vbi vulgata dixit, *Mihi*, transtulisse Theodoretum, *Meis.* Quasi nullum discrimen inter Dominum, & seruos Domini, saltem ad diuina mysteria cognoscenda interponat. Quid dico seruos, cùm Christus Dominus amicos appellarit? *Iam non dicam vos seruos, quia seruus nescit, quod faciat Dominus eius: vos autem dixi amicos; quia omnia, quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ioan. 15. n. 15. Nam, vt bene D. Greg. lib. 27. Moral. c. 8. *Amicus*, inquit, *animæ custos dicitur.* Sicut enim res custoditæ suum latere nequeunt custodem; ita neque Dei arcana Dei amicum.

Seruus Domini, idem cum Domino.

D. Greg.

Amicus, animæ custos.

XII.

Humilibus diuina mysteria reuelantur: superbis absconduntur.

D. Greg.

De qua re Christus Dominus Æterno Patri gratulatur: *Confiteor*, inquit, *tibi, Pater Domine cæli & terræ, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis.* Matth. 11. n. 25. Vbi D. Greg. lib. proximè citato, cap. 7. egregiè notat, *paruulis* dixisse, non stultis. *Qui*, inquit, *non subiunxit, reuelasti ea stultis, sed paruulis; tumorem se damnasse innuit, non acumen.* Diuinis enim mysteriis cognoscendis, non ingenij felicitas, sed mentis cæcitas, diuities & arrogantia aditum præcludit. Vnde est illud: *Immanibus abscondit lucem, & annuntiat de ea amico suo.* Iob. 36. num. 31. Hoc est, vt Diuus Greg. Hugo & Lyran. interpretantur, Magnatibus, superbis & fastuosis, qui à diuinis secretis agnoscendis repelluntur; ad quæ tamen humiles audienda atque intelligenda euocantur. Igitur Deus præterit Heli magistrum veteranum, adit verò Samuelem discipulum elementarium. Nam Heli senex sicut corpore ad lucernam Dei, ita animo ad diuinam reuelationem præ incuria & inertia caligabat. Samuel verò sicut corporales oculos ad externa ministeria; ita spirituales ad interna mysteria acuebat. Atque hæc de secunda difficultate.

D. Greg. Hugo. Lyra.

Samuel discipulus præfertur magistro Heli.

Tertia difficultas. Quomodo facta sit hæc reuelatio?

XIII.

Triplex reuelatio seu manifestatio.

MVltipliciter olim fiebat Prophetis reuelatio, iuxta illud: *Ego*, inquit Deus, *visionem multiplicaui, & in manu Prophetarum assimilatus sum.* Oseæ 12. n. 10. Quod Diuus Paulus posteà interpretatus: *Multifariam*, inquit, *multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, &c.* Hebr. 1. n. 1. Sed, vt in pauca conferam, triplex erat hæc manifestatio. Vna purè intellectiua, quæ non habebat ortum à sensibus; quando intellectus primariò illustrabatur; siue absque vlla conuersione ad phantasmata, qui erat modus sublimior; siue cum concursu ad illa, qui erat modus naturalior: ita tamen, vt non phantasia intellectum, sed vice versa intellectus phantasiam moueret, ac secum ferret. Et vtrouis modo contingeret hæc reuelatio, cæteris, quas dicam, nobilitate præstabat, vtpote abstractior & spiritualior, vt D. Thom. 2. 2. q. 174. a. 2. & 3. testatur. Contingere autẽ poterat, vel in vigilia, vel in somno, cùm non minùs in hoc, quàm in illa possit intellectus diuinitùs moueri, vt abstractè à sensibus operetur: nunquam tamen somnium dici po-

Prima, purè intellectiua.

Duplex huius reuelationis modus.

D. Thom.

Fiebat in vigilia, vel in somno.

A terat; cùm hoc, *imaginationis operatio* communi Philosophorum consensu definiatur; illa verò pertineat ad intellectum. Auctor huius manifestationis intellectiuæ, sine dubio Deus est. Nam, si aliæ apparitiones diuinæ, quæ fiunt ad sensum, Deo tribuuntur, vt superiori difficultate dictum est; hanc, quæ est nobilior & excellentior, quis dubitet, Deo tribuendam?

Non erat somnium.

Auctor huius reuelationis Deus.

XIV.

Quo pacto Deus sit huius reuelationis auctor.

Duplex reuelatio purè intellectiua.

Dubium tamen est, an Deus sit immediatus illius auctor, omni angelico ministerio excluso? an per Angelos, vt de cæteris dictum est, illam operetur? Breuiter respondeo, duplicem esse posse hanc manifestationem: Vnam de rebus secundùm se naturalibus, ad quam proinde non requiruntur nouæ species, sed nouus præexistentium
B vsus satis est; neque nouum aliquod lumen supernaturale exigitur, sed tantùm sufficit naturale, loquentis industria roboratum, vt fieri solet in discipulis, operâ magistrorum: Alteram de rebus, quarum species non habemus, & quibus cognoscendis non sufficit lumen naturale, ad quas proinde cognoscendas, & nouæ species infunduntur, & nouum lumen supernaturale communicatur. Priorem docet Thyræus lib. 4. De Apparitione intellectuali, cap. 12. fieri per se ab Angelo, cùm illius facultatem non excedat; & proinde ita Deo tribuendam, vt immediatum Angelorum ministerium non excludat. Verùm, si intelligit, fieri ab Angelo, directè & immediatè mouendo hominis intellectum, non assentior;
C cùm Angelus hoc modo nihil possit in intellectu humano operari; vt Suar. lib. 6. De Angelis, c. 16. n. 20. ostendit. Si indirectè & mediatè excitando priùs, & ordinando phantasmata, ex quibus hæc cognitio in intellectu oriatur, fateor, id posse ab Angelo præstari, vt Suarius citatus à n. 7. concedit: nego tamen hanc apparitionem, seu manifestationem esse purè intellectualem, de qua hic agimus. Nam purè intellectualis ortum non habet à sensibus; sed primariò in intellectu excitatur, vt docet idem Suar. De Fide, disp. 8. sect. 6. n. 2. proindéque necesse est, inter imaginarias numerari, quæ primò fiunt in phantasia, quamuis cognitio deinceps ad intellectum deriuetur.

Priorem dicunt aliqui fieri immediatè ab Angelo.

Thyræus.

Impugnatur.

Suar.

XV.

Vera opinio, etiam priorē reuelationem fieri à Deo immediatè.

Posteriorem manifestationem certius est à Deo immediatè fieri.

Vnde vlteriùs concludo, Angelum non esse au-
D ctorem apparitionis purè intellectualis; quamuis ad illam nouæ species & nouum lumen minimè requirantur; sed à solo Deo tanquàm immediato auctore emanare. Posteriorem verò apparitionem, certius est, à solo Deo immediatè proficisci; cùm nouas species & nouum lumen supernaturale requirat, quæ non ab Angelo, sed à solo Deo infunduntur. Quare, cùm Prophetæ supernaturalia mysteria per nouas species & nouum lumen purè intellectualiter cognoscebant, non ab Angelo, sed ab Ipso Deo immediatè illustrabantur. Et sic, beatissimam Virginem agnouisse præcipuas mysterij Incarnationis circumstantias, non ab Angelo, sed immediatè ab ipso Deo eius intellectum per nouum lumen illustrante, mihi
E videtur significare Diuus Bernard. Epistol. 77. *Modum*, inquit, *illum tam incomprehensibilem, quem & Virgo sollicita requisiuit, vnde quæso docere queam, Angelis fuisse præcognitum? Mihi verò videtur, ne ipsi quidem (vt pace eius dixerim) qui nuntiabat. Quod & ipse fatetur, si eius verba diligenter aduertimus. Respondens quippe: Spiritus sanctus superueniet in te: nónne apertè mittit ad magisterium Spiritus sancti, cuius vnctione doceatur, quorum ipse sibi non præsumit scientiam?* Qua in re hæc reuelatio purè intellectualis diuersam ab aliis conditionem ex parte auctoris sortiebatur,

B. Virgo per reuelationem purè intellectiuam à Deo immediatè illustrata.

D. Bern.

cùm

cùm non miniſterio Angelorum, vt illæ; ſed ab ipſo Deo immediatè perficerentur.

XVI. *Secunda reuelatio, ſeu manifeſtatio imaginaria.*

Altera imaginaria, quando ipſa phantaſia primariò mouebatur; ſiue per modum apparitionis, vt Iſai.6.n.1. Ezech.1.n.4. Dan.7.n.2. & paſſim alibi; ſiue per modum lectionis, vt contigit Ieremiæ, qui non videre, nec audire, ſed legere ſibi videbatur, quod prophetabat, vt poſteà narrauit Baruch eius Scriba: *Ex ore*, inquit, *ſuo loquebatur quaſi legens ad me omnes ſermones iſtos.* Ierem. 36. n.18. ſiue per modum loquutionis, iuxta illud: *Ecce Angelus, qui loquebatur in me*, &c. Zach. 2. n.3. qui modus frequentior erat, vt Prophetas legenti planum erit. Contingebat autem tam in vigilia, quàm in ſomno, vt D.Thom.2.2.q.174.art.3. colligit ex illis verbis Dei ad Aaronem & Mariam: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum.* Numer. 12. numer.6. In ſomno quidem apparuit Deus Abrahæ, Geneſ. 22.n.3. Iſaac, Geneſ. 26.n.24. Iacob, Gen.28.n.12. Gedeoni, Iud.6.n.25. Samueli, 1.Reg.15.à n.10. Salomoni, 3. Reg. 3.n.5. Danieli, Dan.2.n.19. Et paſſim alibi.

In ſõno fieri ſolebat hæc manifeſtatio. D.Thom.

XVII. *Fieri etiam poterat in vigilia.*

In vigilia difficilior eſt hæc apparitio, cùm difficilius ſit, hominem vigilantem, & circa ſenſibilia externa occupatum ad hanc imaginariam cognitionem auocare; quàm dormientem, & à ſenſibilibus externis feriantem, vt D.Thom. proximè citatus aduertit: non eſt tamen impoſſibilis, quia phantaſia in operando non ita à ſenſibus externis dependet, vt ſine illis nequeat operari: vt patet in ſomno; vbi ſopitis & ligatis externis ſenſibus, operatur: Ergo etiam in vigilia, præſertim cæcis oculis, aut nocte circunfuſis; aut etiam propter vehemẽtem applicationem phantaſiæ, non operantibus, poteſt ipſa operari. Dices: Intellectus nõ poteſt in hac vita naturaliter operari ſine phantaſia, vt docet D.Thom. citatus art. 4. ad 4. Ergo neque phantaſia ſine ſenſu externo: cur enim maior ſit illa dependentia, quàm hæc?

Obiectio.

Prima reſponſio.

Reſpondetur in primis, hoc argumentum non magis procedere contra apparitionem imaginariam in vigilia, quàm in ſomno: quare, aut vtranque negandam, ſi quid valet; aut, ſi nihil valet, vtranque concedendam. Deinde verò negatur conſequentia: & ad probationem reſpondetur ex D.Thom.1.p.qu.84.artic.7. ad 2. rationem eſſe, quia, cùm intellectus non ſit informatus ſpecie rei ſingularis, neceſſariò conuertitur ad phantaſma, per quod determinetur: phantaſia tamen, cùm in ſe habeat ſingularium ſpecies, ad externum ſenſum non recurrit. Verùm, quia hæc ratio non procedit in opinione eorum, qui ſpecies intelligibiles rerum ſingularium admittunt; neque etiam cùm intellectus ſolùm circa obiecta communia occupatur. Addendum vlteriùs, intellectum & phantaſiam non ſolùm eſſe potentias radicatas in eadem anima, ſed etiam abſtractiuas; & propterea, vna operante, operari & alteram, cùm id poſtulet illa naturalis radicatio; neque ex diuerſo modo operandi abſtractiuè & intuitiuè impediatur: at verò phantaſiam & ſenſum externum, quãuis in eadem anima radicentur; tamen ita ſe habere, vt ſenſus intuitiuè tantùm, phantaſia etiam abſtractiuè operetur: vnde, illo non operante propter abſentiam obiecti, poteſt hæc nihilominùs operari, propter abſtractiuam operandi vim, quam habet. Vnde fit, etiam in vigilia poſſe dari imaginariam apparitionem, operante phantaſia, & ſenſu penitùs otiante.

Secunda reſponſio. D.Thom.

Tertia reſponſio.

XVIII. *Apparitio imaginaria non excludit omnẽ operationẽ ſenſus externi.*

Addo, vt detur imaginaria apparitio, non oportere, vt ſenſus externus ab omni cognitione ferietur; quemadmodum ad intellectualem apparitionem non requiritur ceſſatio cognitionis imaginariæ: ſolum igitur opus eſt, vt primò à Deo moueatur illa potentia, cui fit apparitio. Si eſt intellectualis, vt primò moueatur intellectus per aliquam nouæ ſpeciei, aut noui luminis impreſſionem, aut noui concurſus exhibitionem; quamuis inde aliqua cognitio in phantaſiam reſultet, aut per accidens in phantaſia præexiſtat: ſi eſt imaginaria, vt moueatur primò ipſa phantaſia, ſiue per impreſſionem nouarum ſpecierum, ſiue per excitationem & ordinationem præexiſtentium; quamuis ſenſus externus circa aliquod obiectum præſens occupetur. Ex quibus patet, poſſibilem eſſe hanc in vigilia imaginariam apparitionem. Contigiſſe verò aliquando, ratio ſuadet: quia opus non erat, vt ſemper aſſumerentur externa corpora, quæ externis ſenſibus obiicerentur: præſertim quando Propheta, cæcis oculis, aut nocturna caligine circunfuſis, multa ſibi videre videbatur. Neque etiam oportebat, vt ſemper intellectus primariò moueretur, præſertim quando materialitas rei viſæ immaterialem potentiam non poſtulabat: ergo ſatis erat, vt ipſa phantaſia ad imaginariam notitiam excitaretur. Et poteſt eſſe exemplum in Propheta Michæa, qui vidit *vniuerſum Iſrael diſperſum in montibus.* Et rurſus: Vidit *Dominum ſedentem in ſolio ſuo, & omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei.* 2. Paralip.18.n.16.& 18. Quæ apparitio, & in vigilia fuit, & imaginaria, vt ibidem Abul. teſtatur. Et de hoc genere eſſe potuerunt multæ aliæ, quæ Prophetis narrantur contigiſſe.

Apparitionẽ imaginariam de facto in vigilia contigiſſe, probatur ratione, & exemplo.

Abul.

XIX. Thyræus. *Apparitio imaginaria ordinario modo fiebat ab Angelo.*

Auctorem harum apparitionum eſſe Angelum ex communi Scholaſticorum doctrina, docet Thyræus lib.3. De apparitione imaginaria, c.15. cui aſſentior, ſi loquatur de ordinario modo, quo tales apparitiones fiunt, ſcilicet per excitationem, ordinationémque phantaſmatum, quæ in phantaſia præexiſtunt. Hæc enim phantaſmatum excitatio, & ordinatio, motis localiter ſubiectis, quibus inhærent, Angelorum actiuitati non repugnat, vt D.Thom. 1. part. quæſt.111. art.3. oſtendit. Si tamen noua aliqua ſpecies in phantaſia producenda ſit, cùm hæc ab Angelo naturaliter produci nequeat, vt Suar. in Metaph. diſp. 35. ſect. 6. & lib.4. De Angelis, cap. 26. latiùs oſtendit; neceſſe eſt, vt à ſolo Deo producatur: atque adeò hæc ſaltem imaginaria apparitio extraordinario modo facta, ab ipſo Deo immediatè orietur: quemadmodum de intellectiua dictum eſt. Quod non tollit, quominùs Angelus ad vtranque hanc apparitionem, tam intellectiuam, quàm imaginariam præſtandam, poſſit diuinitùs eleuari.

D.Thom. *Extraordinaria à ſolo Deo.* Suar.

XX. *Tertia apparitio externa; quando ipſe externus ſenſus primò immutatur.*

Tertia demùm apparitio externa, quam ocularem & auricularem appellant, quando ipſe externus viſos & auditus primariò percipiebat obiecta; vt contigit Abrahamo, quando vidit, & audiuit Angelos, apud ſe in corporibus aſſumptis diuerſatos, Gen.18.à n.1. Iacobo, quando vidit, & audiuit Angelum, cum quo luctabatur, Gen.32.à n.25. Balaamo, quãdo vidit, & audiuit Angelum, euaginato gladio, in via ſtantem, Num.22.n.31. Ioſuè, quando vidit, & audiuit Angelum ſtantem contra ſe, & euaginatum gladium tenentem, Ioſ. 5.num.13. Manuë, eiuſque vxori, quando viderunt & audierũt Angelum, à quo naſciturum ſibi filium Samſonem didicerunt, Iudic. 13.à n.3. Et multis aliis Prophetarum paſſim. Quod verò de viſu & auditu dictum eſt; de aliis quoque ſenſibus mihi videtur pariter dicendum. Quamuis enim

apparitiones diuinæ, quæ odorandi, gustandi, & tangendi sensibus obiiciuntur, in Scriptura rariores sint: tamen in historiis ecclesiasticis frequentissimè occurrunt; vt cùm ex nouo quodam, & insolito odore, ex mira quadam, cælestique dulcedine, ex suaui aliquo auræ, rorisve appulsu diuina hominibus præsentia innotescit.

XXI.
D. Basil.
Reiicitur opinio non admittens externas apparitiones.

Vnde miror, quod sentit D. Basilius in cap. 7. Isai. non procul ab initio: *Equidem*, inquit, *arbitror, Prophetas nō percepisse verbum Dei sensibili auditu per conformationem aeris; sed quando anima intellectu prædita, sua suppetebant aures, quæ è supernis nuntiabantur, citra vllam corporis vocem ad eorum pertingebant notitiam.* Miror, inquam, quia quamuis diuina reuelatio sæpè contigerit per internas tantùm illustrationes, vt ille asserit; non tamen semper: cùm planè constet, externas voces non solùm in veteri Testamento, vt diximus; sed etiam in nouo ad diuina mysteria reuelanda sonuisse: vt in Baptismo Christi Domini. Matth. 3. num. 17. In Transfiguratione. Matth. 17. num. 5. In sermone ante cœnam. Ioann. 12. num. 28. Et alibi nonnunquam. Et idem est de visione, quæ non solùm internis potentiis, sed etiam externis sensibus frequentissimè occurrebat. Sic in Resurrectione Domini, mulieres viderunt Angelum, cuius aspectus erat, *Sicut fulgur, & vestimenta, sicut nix.* Matth. 28. n. 3. Sic in Ascensione, Apostoli viderunt duos viros, hoc est, duos Angelos *in vestibus albis.* Act. 1. n. 10. Sic Petrus vidit carcerem inter nocturnas tenebras coruscantem; & sequutus est Angelum sibi per ignotas vias præeuntem. Act. 12. n. 7. & sequentibus.

XXII.
Reuelatio Samuelis fuit externa.
D Greg.
Dionys.
Abul.
Caietanus.
Thyræus.

His positis breuiter respondeo ad difficultatem in titulo propositam. Vocationem, & reuelationem Samuelis hoc tertio modo factam esse, per veram, ac propriam vocem ad eius aures appulsam eúmque è somno excitantem. Ita docent D. Gregor. Dionys. Abulensis, Caietanus, & alij. Quibus adde Thyræum lib. 2. De Apparitione vocali, cap. 4. Quamuis hic sequutus fortasse Dionysium, idem sentientem, facilè admittat tres priores Samuelis vocationes, non fuisse externas, proindéque fuisse imaginarias, vt Dionysius expressit. Nihilominùs omnes fuisse externas inde probatur: quia alioqui, vel non excitaretur à somno; vel excitatus facilè sibi persuaderet, somno se fuisse delusum; non autem à Sacerdote accersitum; præsertim cùm semel, atque iterum id ex Sacerdote didicisset. Tam clarè igitur externas voces percipiebat, vt nullum superesse locum sensuum elusionibus arbitraretur.

XXIII.
Serarius.
An apparitio Samuelis fuerit ocularis.

Quæres primò: An cum voce ad aures, aliqua ad oculos imago spectabilis perueniret? Affirmat Serarius, saltem in extrema vocatione, cum aliis ibi citandis. Colligitque ex num. 15. Samuel *timebat indicare visionem Heli*: vbi visionis nomen expendit; quasi non modò vocem auribus perceperit, sed etiam formam aliquam oculis vsurparit: additque, eam formam pulchram, & splendidam fuisse; iuxta illud ex n. 10. *Et venit Dominus:* seu, vt habet Paraphrastes: *Et reuelata est ei gloria Domini.*

Abul.
Pars negatiua probabilior.

Negat Abulēsis: non propter periculum aliquod idololatriæ, quod daretur, si aliquid spectandum appareret: vt aliqui somniarunt. Nam, si forma spectabilis apparuit Iosuë, Gedeoni, & matri Samsonis, sine hoc periculo; cur non posset apparere Samueli, non minori virtute præcellenti? Probat igitur Abulensis ex eo, quia, si quem vidisset Samuel, non recurrisset ad Heli, sed ad eum, quem videbat: quæ ratio probat in prioribus alloquutionibus; non autem in extrema, de qua præcipuè loquitur Serarius. De hac igitur aliter probatur: quia nullum est in litera indicium visionis ocularis, vt statim dicam: & alioqui insolens non erat in sacris Literis alloquutio prophetica, sine vllo obiecto visibili; iuxta illud Moysis ad populum: *Vocem verborum eius audistis, & formam penitus non vidistis.* Deuter. 4. n. 12. Ergo ita factum fuisse hoc loco credendum est.

Rationes contraria soluuntur.

Indicia visionis ocularis, quæ Serarius affert, parum vrgent. Prius quidem, quia visio prophetica in Scriptura non solùm id, quod cernitur; sed etiam id, quod auditur, comprehendit; vt ad c. 9. n. 9. latiùs ostendam. Et interim patet Isai. 1. n. 1. *Visio Isaia*, &c. Et statim: *Audite, cæli, & auribus percipe, terra, quoniam Dominus loquutus est.* Vbi videnda proponuntur, & audienda narrantur: quippe visionis nomine vtraque continentur. Posterius verò: quia *gloria Domini* non magis ad oculos pertinet, quàm ad aures. Vnde illud: *A finibus terræ laudes audiuimus, gloriam iusti.* Isai. 24. numer. 16. Vbi gloria dicitur auribus percepta. Credibilius igitur est, neminem Samuelis oculis obiectum; cùm nullo modo ex litera illud colligatur.

Hugo Vict.

Cui sententiæ Hugo Victor. in Annotationibus huius loci assentitur, dicens Samuelem vocatum, antequàm lucerna extingueretur; vt, cùm vocantem in clara luce neminem videret, intelligeret, se à Deo euocari.

Lucerna nondum extincta necessaria nō erat ad vidēdā formā spectabilem, si qua obiiceretur.

Verùm eius assertionem recipio, non tamen probationem: quia lucerna, seu candelabrum, de quo hîc agitur, non lucebat in domo, in qua Samuel dormiebat; quæ erat extra, licet prope tabernaculum: sed in secunda parte tabernaculi; quæ appellabatur sancta: vnde per illius lucem videre non poterat, ab aliquóne vox illa prodiret: an, nemine loquente, audiretur. Et prætereà necessaria non esset lux lucernæ ad videndam eam spectabilem formam, quæ maiori luce collustrata radiaret. Solùm igitur dicitur lucerna nondum extincta, vt nocturnum tempus significetur.

XXIV.
Phil. Hebr.
Hebræorum somnia, de voce, quæ Samuelem euocauit.

Quæres secundò: Qualis fuerit hæc vox? Philo Hebræus in Biblicis antiquitatibus, aut quisquis est illarum Auctor, multa circa has vocationes nugatur. Nam in prima vocatione ait, sonuisse vocem similem voci Heli: in secunda, similem Helcanæ: in tertia tandem, vocem quandam diuinam. Sed hæc sine fundamento dicūtur. Nam, si illa triplex vocum differentia sonuisset, non diceret semper Samuel ad Heli: *vocasti me:* vt reuerà dixit, n. 5. 6. & 9. Sed primò quidem: vocasti me. Rursum: vocauit me Helcana. Tandem: vocauit me Deus: aut aliquis eius nomine, cuius vocem non agnosco, maiestatem tamen coniicio, & suspicio.

D. Greg.
Caiet.
Vox, quæ Samuelem vocauit, similis voci Heli.

Respondet igitur D. Gregor. & Caietanus, talem fuisse eam vocem, vt voci Heli omninò similis videretur. Quod iidem interpretes rectè ex eo colligunt, quòd Samuel currebat ad Heli: quasi indicio vocis sibi notæ, ab eo se vocari non dubitaret.

Ratio literalis, & mystica.

Sed cur voce Heli potiùs, quàm alia quauis euocatur? Literalis ratio, quam D. Gregor. in priori commētatio attingit, est, vt curreret ad Heli, quem adire necesse erat, ob rationes sequenti numero ponendas. Mystica, vt ab hoc euentu discant subditi, vocem Superioris à Deo proficisci: & cùm homini obaudiunt, Deo se obaudire arbitrentur; iuxta illud *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. n. 16.

D Greg.
Vox prophetica à Deo est

Parùm differt interpretatio D. Gregorij in posteriori commentario, referētis hoc ad Prophetarū voces, quæ, cùm hominū esse videantur; à Deo tamen proficiscuntur. *Quid est*, inquit, *quòd diuinæ loquutionis vox ab Heli voce non differt; nisi quia & per patres veteres ipse loquutionem profert?*

proferi? Vox namque Heli Dei esse cognoscitur; quoniam electi Fratres quidquid per sacra eloquia loquuntur, non à semetipsis, sed à Domino acceperunt. Vnde notat frequenter in Scriptura à Prophetis inculcari. *Hæc dicit Dominus: vt ea*, inquit, *quæ Prophetæ oraculo vox resonat, sentiamus, non esse loquentis hominis, sed præcipientis Dei.* Quamuis igitur de Prophetarum oraculis D. Greg. loquatur; idem tamen est de Superiorum præceptis sentiendum: ab homine proficiscuntur, sed à Deo profecta existimantur. In quo sentio, veros obedientiæ professores Samueli præferendos. Nam Samuel Deum audiens, hominem sibi videbatur audire; à Deo vocatus, se homini sistebat: illi autem vice versa audientes hominem, audire sibi videntur ipsum Deum; ab homine vocati, ad Deum accurrunt. Sed totum hoc argumentum in Annotatione sequenti illustrabo.

Vox Prælati diuina.

XXV. *Deus nunc intensa, nunc remissa voce Prophetas alloquebatur.*

Quæres tertiò: Intensáne fuerit hæc diuina vox, an potiùs submissa? Ratio dubitandi est, quia Deus aliquando intensiùs, aliquando submissiùs loquebatur. Intensiùs quidem, cùm ad Abraham *clamauit*, ne extenderet manum suam super puerum. Gen. 22. n. 11. Licet enim ibi non Deus, sed Angelus clamasse dicatur; tamen Dei personam gerens sine dubio clamauit, vt patet ex sequentibus verbis: *Non pepercisti vnigenito filio tuo propter me.* Vnde ipsi Deo clamor ille tribuebatur. Submissiùs verò, cùm ad Heliam loquutus est *in sibilo auræ tenuis*, 3. Reg. 19. n. 12. cui sibilo diuina vox ad Prophetam facta, in suauitate ac tenuitate concinebat. Vt enim Tullianus ille Gracchus oraturus ad populum post se habebat lituum leniter præcinentem, cui se dicentis vox attemperabat: ita diuinum illud oraculum ad sibilum auræ tenuis se conformans, Prophetæ aures suauiter demulcebat. Hoc igitur loco planè crediderim, vocem potiùs tenuem, quàm vehementem sonuisse: tum, quia repræsentabat vocem Heli; quæ, vtpote senilis, blandior ad aures ferebatur: tum, quia ab vno tantùm Samuele audiri oportebat, cùm tamen, si vehementior esset, ad plures deferretur: tum denique, quia Samuel facillimus ad vigilandum, & promptissimus ad obediendum, grandiorem vocem non requirebat, qua excitaretur. Homines igitur diuino imperio rebelles, & ad diuinam vocationem surdastri, grandibus de cœlo clamoribus feriantur: quorum de numero se existimans D. August. in suis cum Deo soliloquiis, cap. 7. dicebat: *Intona, Domine, desuper voce grandi, & forti in interiorem aurem cordis mei.* Qui verò arrectis auribus quidquid loquatur in eis Dominus, auscultant, non diuinæ vocis tonitruo, sed sibilo mulceantur. Vnde D. Bernard. serm. de septem spiritibus, paulò inferiùs ad Num. 9. citandus significat, Samuelem hanc vocem audiendo, *Venas diuini susurri in silentio percepisse.* Quibus verbis huius tenuitatem vocis satis declarat.

Tullius.

Samuelem remissa voce alloquutur.

Verus obediens non requirit grandem vocem, qua excitetur.

D. Aug.

D. Bern.

XXVI. *Oracula ex propitiatorio prodibant.*

Quæres vltimò: Vnde, & quibus formata instrumentis prodierit hæc vox? Dicet aliquis, prodiisse ex propitiatorio, quod arcæ fœderis innitebatur: Probabit; quia propterea dictum videtur superiori Num. Samuelem dormiisse in templo Domini, *Vbi erat arca*; vt hinc vox illa edita fuisse ostenderetur. Scitum enim est, oracula ex propitiatorio edi solita, vt ad finem superioris Num. aduerti. Formabatur autem vox, quæ inde erumpebat, non ab aliquo corpore organico assumpto, ibique apparente; cùm ad hoc adstruendum nullum ex litera indicium, nullum argumentum desumatur: neque item ab aliis Cherubinorum inter se collisis, & concussis; cùm hæc instrumenta ad

Quo pacto, & quo loco formata fuerit vox, quæ Samuelem excitauit.

A articulatas voces exprimendas improportionata videantur: neque tandem ab ipso ore Cherubinorum; nam, cùm essent ex auro ductili rigentes, mobilitatem & flexibilitatem necessariam ad formandas articulandásque voces non habebant; nisi nouum, & magnum miraculum sine necessitate concedatur. Formabatur igitur modo inuisibili supra Cherubim, qui *multitudinem scientiæ* significant, interprete D. Hieronym. in cap. 28. Ezech. D. Chrysostomo homil. 3. De incomprehensibili Dei natura, & aliis passim; vt sapientissimè edita crederetur; indéque ad aures consulentium, & aliquando fortasse nihil tale cogitantium accedebat. Ab hoc igitur loco dicet aliquis, hoc oraculum exiisse, & Samuelis auribus B se insinuasse; quod verosimile crediderim, si in eodem loco Samuel sub id temporis dormiret: cum tamen extra tabernaculum in domo aliqua, licet vicina, moraretur, vt superiori Num. dictum est; in eadem dicendum est, formatam illam vocem, & Samuelis auribus appulsam.

Cherubim multitudo scientiæ. D. Hieron. D. Chrys.

XXVII. *Samuelis ad obediendum promptitudo.*

Ecce ego. Mira obedientis animi promptitudo. Neque intempestiuitas noctis, neque suauitas somni, neque iucunditas lecti, puetum tenere potuerunt, quominùs statim prosiliret, promptus ad obediendum: & quod magis mirêre, non imperatus, sed nominatus. Neque enim vox illa de cœlo imperauit, dicens: *Samuel, veni*: sed tantùm nominauit, dicens: *Samuel.* Id enim obedienti puero satis fuit, vt surgeret, & veniret. Et quidem nec C sæpè inclamarus, nec fortiter, sed leuiter vocatus, vt diximus; & semel duntaxat, vt est in vulgata; aut vt plurimùm, bis, repetito nomine, vt habent Septuaginta: *Samuel, Samuel*, quod videntur eruisse ex Num. 10. *Venit Dominus, & vocauit, sicut vocauerat secundò: Samuel, Samuel.* Vbi dicitur Samuel in vltima vocatione vocatus *secundò*, id est, bis, seu nomine repetito, sicut vocatus fuerat: proindéque supponitur etiã in prioribus vocationibus, iterato nomine, *Samuel, Samuel*, fuisse euocatus. Itaque non sæpiùs, sed vt plurimùm bis vocatur; idque magis propter studium vocantis, quàm propter segnitiem dormientis: is enim semel tantùm vocatus, sine dubio promptus euigilaret, & promptior responderet הִנֵּנִי *Hinení*: hoc est: *Ecce* D *ego.* Quæ loquutio promptum animum ad parendum significat. Sic Abraham à Deo vocatus, respondit: *Adsum.* Gen. 22. num. 1. Seu, vt est in Hebræo, & Græco: *Ecce ego.* Sic Ananias similiter vocatus à Deo, subdit: *Ecce ego, Domine.* Act. 9. num. 10. Sic & Isaias audiens à Deo: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Promptus occurrit: *Ecce ego, mitte me.* Isai. 6. num. 8. Qua promptitudine nihil Deo gratius esse solet. Vnde D. Ambros. serm. 14. ad illa verba: *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine.* Psalm. 118. numer. 108. quærit, cur Deus ad illam legationem non miserit Isaiam, antequam ille sua sponte ad eam se obtulerit? aptéque respondet ad rem præsentem: *Vtique*, inquit, *seruulo suo poterat imperare;* E *quem dignum, quis mitteretur, inuenerat: sed maluit, eum spontaneæ oblationis non fraudare mercede, qui, vt ipse se offerret, præstolatus est. Et quamuis eius sciret affectum, expectauit tamen vocem, vt cumularet gratiam.* Sed de hac re plura in Annotatione.

Prompta obedientis responsio.

D. Ambr.

Spontanea obedientia.

* * *

Num. V. Et cucurrit ad Heli, & dixit: Ecce ego: vocasti enim me. Qui dixit: Non vocaui: reuertere, & dormi. Et abiit, & dormiuit.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. ET *cucurrit ad Heli.* Affectum parendi sequitur effectus. Quàm promptus extitit animo, tam impiger exiuit in opus. Hanc Samuelis obedientiam multis colligere possumus argumentis. Primò, quia statim euigilauit ad primam vocem, etiam submissam, vt dixi. Nam, si intensa foret, ab Heli, qui non procul aberat, audiretur. B Sic olim dormiebat sponsa inter sponsi brachia; læuo, tanquàm puluino, innixa; dextero, tanquàm stragulo, cooperta. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Cant. 2. numer. 6. Magno silentio indicto comitibus lateralibus, *ne* suscitarent, *neque euigilare* facerent *dilectam.* Ibidem, num. 7. Quis non crederet, tam molliter consopitam vix magnis clamoribus excitandam? Et tamen ad primam sponsi vocem illicò euigilauit: *Vox*, inquit, *dilecti mei.* Et rursum: *En dilectus meus loquitur mihi.* Ibidem, numer. 8. & 10. Quam vocem vigilantes comites non perceperant, ipsa dormiens exaudiuit. Hanc dormientis promptitudinem D. Bernardus serm. 52. in Cant. C admiratus: *Istius*, inquit, *vitalis, vigilque sopor sensum interiorem illuminat: re vera dormitio est, quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat.* Vigilem appellat soporem, quia etiam cùm à negotiando dormiebat, ad parendum vigilabat.

Verus obediens ad primam vocantis vocem euigilat.

Etiam dormiens imperantis vocem exaudit.

D. Bern.

II. Nec mirum, ad vocem sponsi excitari, quæ ad solam eius voluntatem excitabatur; quasi illam etiam dormiendo præsentiret, & quodammodo prædiuinaret. *Ne suscitetis*, inquit sponsus, *neque euigilare faciatis dilectam, quoad vsque ipsa velit.* Cantic. 2. num. 7. sed quo pacto velle potest, quę dormit? Nam dormientes liberam habere nequeunt surgendi è somno voluntatem. Planè non sua, quam habebat ligatam & impeditam; sed sui sponsi voluntate volebat. Vnde, cùm sponsus vellet, vt excitaretur; ipsa pariter volens excitabatur. D Cui interpretationi fauet Chaldæus Paraphrastes pro illis verbis, *Quoad vsque ipsa velit*, transferens, *Donec sit voluntas à facie Domini*: vt non tam sponsæ, quàm sponso hanc voluntatem tribuere videatur: cui nonnulli Patres adhærentes, Orig. hom. 3. D. Greg. Nyssenus hom. 4. Theod. & alij legunt: *Donec ipse*, scilicet sponsus, *velit.* Nec sibi videntur Scripturæ aduersari; dum quod ille tribuit sponsæ, ipsi tribuant sponso; quòd vtriusque voluntas non diuersa, sed vna atque eadem quodammodo censeatur: & quidquid sponsus velit, pariter & sponsa velle significetur. Igitur sponsa sponsi sui voluntate tanquam sua, & dormiebat, & vigilabat. Non aliter & Samuel, E quoties ille vellet, cuius voluntatem pro sua gerebat, è somno excitabatur.

Obediens non modò ad vocem, sed etiã ad voluntatem iubentis excitatur.

Eadem obedientis, & iubentis voluntas.

Chaldæus.

Orig. D. Greg. Nyssen. Theodor.

III. Secundò diligens fuit, quia non hæsit somnolentus in lecto, neque cunctabundus expectauit, an eadem vox geminaretur; ne fortè prima vocis imagine ludificatus operam perderet, & laborem: sed statim è lecto se proripuit festinus, parum sollicitus de suo labore, irritúsne euaderet, nécne; dummodo periculum retardandæ obedientiæ tolleretur. Igitur *in auditu auris obediuit*, Psalm. 17. num. 45. hoc est, ad primam vocem, antequàm secunda ad aures rediret, festinauit. Nam, vt loqui- A tur D. Bernardus serm. De virtute obedientiæ, *Vno, eodemq; momento procedit, & imperantis imperium, & obsequium obsequentis.* Nec immeritò, quia Samuel tanquàm agnus è grege dominico, pastoris sui vocem cognoscebat, & sequebatur. Ioan. 10. num. 4. Et quemadmodum eas quisque voces semper audire sibi videtur, quibus assuescit, & delectatur; vt videre est in vtroque Israelitici populi ductore, Moyse, & Iosue: nam tumultuante populo, Iosue, qui bellicosus miles erat: *Vlulatus*, inquit, *pugnæ auditur in castris*, Exod. 32. numer. 17. At verò Moyses, qui erat pacificus legislator: *Non est*, inquit, *clamor adhortantium ad pugnam; sed vocem cantantium ego audio.* Ibidem, n. 18. Quasi sua cuique voluptas, eas voces, quibus B delectabatur, effingeret: ita Samuel, qui nullas voces promptiùs & iucundiùs quàm sui Superioris auscultabat, facilè eas sibi effingebat; tunc autem certissimè sibi audire videbatur. Et, ne primam parendi occasionem in prima voce oblatam prætermitteret, secundam non expectauit. Recordatus fortasse illam sententiam: *Semel loquitur Deus, & secundo id ipsum non repetit*, Iob. 33. num. 14. Quia diuinæ vocis maiestas tanta est, vt timendum sit, ne si cuius aures aliquando præterlabatur, nunquàm ampliùs iteretur; vel saltem, ne qui priorem Dei vocem misericorditer vocantem non audiuit, audiat posteriorem terribiliter minitantem: vt contigit Nabuchodonosori, quem diuinæ reuelationis contemptorem diuina perterruit C comminatio: *Tibi dicitur, Nabuchodonosor Rex: regnum transibit à te, &c.* Dan. 4. num. 28. Ad primam igitur vocem Samuel obtemperauit; ne aut secunda vocatione indignus esset, aut pro vocatione comminationem audiret.

Verus obediẽs semel vocantem, non cunctatur.

D. Bern.

Quas quisque voces amat, semper sibi videtur audire.

Samuel nullas voces, quã sui iubentis, libentiùs audiebat.

Qui primam Dei vocem non audiunt, periclitantur.

IV. Tertiò fuit diligens, quia non dicitur priùs surrexisse è lecto, deinde induisse sibi tunicam, tandem fores habitaculi aperuisse; sed absolutè cucurrisse: quasi tanta celeritate vsus fuerit, vt illas intermedias actiones transiliuerit, & ad extremam præuolarit. Non sic olim sponsa, quæ à cælesti sponso euocata, malè cauta, & ineptè prudens moras prætexuit, respondens; *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. num. 3. Sed carò D illi constitit hæc cunctatio: nam quando post illas moras tandem surrexit, vt aperiret dilecto suo; *ille declinauerat atque transierat.* Ibidem, num. 6. In quem locum rectè Theodor. *Quantùm*, inquit, *detrimenti pigritia pariat, & quantùm laboris afferat ignauis, hinc perdiscamus. Dum enim excusat se sponsa, nec statim sponso ianuam vult aperire; cogitur paulò pòst, non solum ad ianuam vsque progredi, sed ciuitatem percurrere, & plateas circumire, atque in custodes incidere, à quibus vulnera etiam accepit, & vix sponsum inuenit exoptatum. Quod si statim vocanti paruisset, hæc omnia incommoda euitasset.* Fateor quidem, D. Petrum audientem ex Ioanne: *Dominus est:* antequàm se mitteret in mare priùs se tunica succinxisse: *Erat enim nudus.* Ioan. 21. num. E 7. Sed nihil mirum; quia, cùm iam de illius celeritate constaret, qui non vt alij, nauigando, sed ambulando super aquas ad Christum Dominum festinarit, Matth. 14. n. 29. solùm oportebat, vt verecunda eius modestia inculcaretur. At verò de Samuele, qui futurus erat Princeps illius populi, nihil prius, quàm celeritatem ad parendum opus erat prædicari: ideóque sacer Scriptor breuitate narrandi, quam tenuit, celeritatem parendi, qua Samuel vsus fuerat, expressit. Quò enim quis aptior est ad imperandum, eò expeditior esse debet ad parendum.

Verus obediẽs etiam necessarias moras rumpere videtur.

Tarditas ad obediendum, periculis plena.

Theod.

D. Petrus priusquàm ad Christum veniret, tunica succinxit se, vt modestia consuleret.

Samuel non dicitur priùs se induisse, vt eius festina obedientia proderetur.

Diuerso

V. *Quò quis nobilior, eò obedientior esse debet.*

Diuerso modo explicauit Moyses lucis & firmamenti creationem. De luce, sic: *Fiat lux, & facta est lux.* Gen. 1. num. 3. Vbi inter, *Fiat*, &, *Facta est*, nihil interiacet, dictum ac factum. De firmamento autem sic: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diuisitque aquas, quæ erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum. Et factum est ita.* Ibidem, num. 6. & 7. vbi inter, *Fiat*, & *Factum est*, multa intercedunt: vt quadam narrandi tarditate difficultatem parendi quodammodo explicaret. Ac si non statim ab illo imperio vocali, *Fiat*, sequeretur obsequium, *Factum est*, nisi interuenitet media quædam operatio diuina, *Fecit Deus*, qua suum tandem imperium exequeretur. Cur igitur lux ad vnam tantùm Dei vocem in medium prodit; firmamentum verò nescio, quam vlteriùs vim requirit, vt suo tandem loco statuatur? Mysticè, aptèque ad rem præsentem D. Aug. totum hunc locum interpretatur. Nam lib. 2. De Gen. ad literam, cap. 8. & passim alibi, lucis nomine creaturam angelicam intelligit. Deinde docet, vt refert Glos. paucioribus verbis Angelorum, quàm corporum creationem narrari, vt promptior illorum, qui nobiliores sunt, quàm horum, quæ sunt rudiora & crassiora, obedientia exprimatur. *Notandum*, inquit, *est, quòd prima die, cùm facta est lux, dictum est tantùm, Fiat lux, in verbo: & facta est lux, in opere: statimque adhæsit increata luci lux creata, vt vicinior, & omni creatura capacior: in secunda autem die quadam mora est, & verborum multiplicatio, vt intelligamus istas naturas ad deficiendum pronas, esse ad obediendum minùs aptas.* Quibus verbis satis declarat, quò quis naturæ dignitate nobilior est; eò debere esse ad obediendum promptiorem. Sic igitur & Samuel dignitatis suæ non immemor, omnes moras, quæ obedientiam retardare poterant, abrumpebat.

D. Aug.

Lucis nomine natura angelica significatur.

Gloss.

VI. *Verus obediens non solùm vadit, sed currit.*

Vltimò diligentem se præbuit Samuel: quia non solùm rupit moras ad eundum; sed etiam in ipsa itione festinauit. Cucurrit ad Heli; angelicam profectò non solùm viuendi sanctitatem, sed etiam parendi velocitatem imitatus. Angeli non tantùm vulgò, sed etiam in sacris Literis alati & nudis pedibus depinguntur. Isai. 6. num. 2. Ezech. 1. n. 6. & sequentibus. Apoc. 4. numer. 8. Non sine mysterio, vt D. Dionys. Areopag. De cælesti Hierarchia, cap. 15. testatur; scilicet, vt eorum celeritas ad parendum (sunt enim omnes ministratorij spiritus, Hebr. 1. n. 14.) ostendatur. *Pedes*, inquit, *mobilitatem, celeritatem, atque cursum insinuant sempiterni motus ad diuina tendentis.* Sed quasi parùm esset pedibus currere, nisi alis etiam volarent, subdit: *Pennatos sanctorum Spirituum pedes Theologia effingit: quippe alis signatur celeritas alta conscendens.* Et statim: *Alarum*, inquit, *leuitas id in sanctis Angelis indicat, quod terrenis corporis sarcina liberi, toti absque vlla admixtione, vel pondere ad celsa ferantur. Quod autem nudi & discalceati describuntur, hoc signat, quod liberi & absoluti & expediti, atque exterioris omnis adiectionis labe sint puri, & ad diuinæ simplicitatis similitudinem pro viribus tendant.* Sic ille in exemplari, quo familiariùs vtor; aliis paululùm dissidentibus. Itaque velox Angelorum obedientia, & à pedibus & ab alis & ab ipsa pedum nuditate declaratur; quam Samuel vt in se ipso exprimeret, cucurrit. Eandem ob causam summus Sacerdos toto corpore eleganter indutus, tamen pedibus discalceatus in Sanctuarium intrabat, vt ex eo colligitur, quòd Exodi 28. vbi singulis eius membris singula indumenta describuntur, nullum pedibus ornamentum assignatur.

Angeli cum alis & nudis pedibus sua obedientiæ celeritatem ostendunt.

D. Dion. Areopag.

Summus Sacerdos sine calceis, vt expeditior esset.

De qua re D. Greg. Nyssenus lib. De vita Moysis, longe post medium: *Ita induto*, inquit, *vestitoq; Sacerdoti nullum calceamentum imponitur, ne tardior ad currendum sit, aut vix mobilis, pelles secum attrahens animalium mortuorum: nam impedimento calcei fuerant Moysi, cùm ad ardentem rubum accederet.*

D. Greg. Nyssen.

VII. *Verus obediens præstat oculis, quod non potest pedibus.*

Sed & Abraham, quia seniles gressus nō poterat vrgere ad locum sacrificij, tanta celeritate, quanta optabat, oculis saltem anteibat; vt vbi primùm locum videret, filium animo immolaret, posteà ipso opere immolandum. *Eleuatis oculis*, inquit, Textus, *vidit locum procul.* Gen. 22. n. 4. In quem locum D. Ambros. lib. 1. De Abraham. c. 8. *Sollicitè*, inquit, *explorat, qui properat implere. Quamuis senilem studio celeraret gradum; tamen hoc serum putans, præcedebat oculis: vigebant singulorum officia membrorum, licèt senilia membra non possent vigere. Solet hebescere visus senum, vt etiam propinqua non facilè conspiciant. Hic non solùm vidit locum, sed etiam longè positum aspexit.* Quasi promptitudo ad immolandum, oculos illi acueret ad locum immolationis videndum; & membris omnibus præ senectute languentibus, tamen membrorum omnium ministeria præ studio parendi omnia perfectissima atque integerrima præstarentur. Vnde D. Bernard. serm. De gradibus obedientiæ, loquutus de hoc Patriarcha: *In morte*, inquit, *filij pia crudelitate festinas.* Vbi plura de obedientiæ festinatione: *Velociter*, inquit, *currit homo Dei, & velocem habere desiderat sequentem. Viam mandatorum tuorum cucurri, inquit Dauid. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totum se colligit, vt imperantis colligat voluntatem.* Quod statim exemplo Zachæi illustrat. *Vide*, inquit, *Dominum festinanter præcipientem, & hominem festinanter obedientem Zachæe, inquit, festinans descende, & festinanter descendit.* Luc. 19. num. 5. Hæc Bern. Hinc illa Ionæ ad obediendum Deo festinatio. *Niniue*, inquit Textus, *erat ciuitas magna itinere trium dierum; & cœpit Ionas introire ciuitatem itinere vnius diei.* Ionæ 3. n. 3. & 4. Vbi D. Hieronymus: *Præcepti*, inquit, *memor viam trium dierum vnius diei festinatione complenit.* Sed de obedientia plura in sequentibus Num. & Annotatione sequenti.

D. Ambr.

In vero obediente senescunt membra, non tamē officia membrorum.

D. Bern. *Obedientis celeritas.*

D. Hieron.

VIII. *Samuel promptius ad parendum, semel vocatus, bis se offert.*

Ecce ego: vocasti enim me. Iteruō se offert præsens, qui iam se obtulerat absens. Semel tantùm vocatus, bis se obtulit; vt eorum arguat desidiam, qui bis & ampliùs vocati, vix se offerunt semel. Ratio autem, cur se puer sisteret coram sene, illa est, quam assignat; *Vocasti enim me.* Neminem alium videbat, à quo vocaretur: simillimam voci Heli vocem audiebat; & fortasse tali vocationi non parùm assuetus, qui frequenter à Sacerdote plura senectutis, & insomniæ, & valetudinis incommoda patiente ad aliquod ministerium de nocte vocabatur: ab eo igitur vocari, sibi omninò persuasit; & propterea ad eum promptissimus accurrit. Atque hæc est proxima ratio, cur puer existimarit, se vocari ab Heli; & ad putatam illius vocem sedulus festinarit.

Cur se ab Heli vocatum existimarit.

Duplex ratio, cur Samuel à Deo vocatus ad Sacerdotem properarit?

IX. *Cucurrit ad Heli, vt ab illo instrueretur.*

ALtior tamen ac superior diuinæ prouidentiæ ratio cur Samuel à Deo vocatus ad Heli properarit, duplex fuit: vna ex parte ipsius Samuelis, altera ex parte Sacerdotis Heli. Prior fuit, vt puer cum Deo loquuturus, priùs ab homine instrueretur, de modo, quo se deberet ad diuinam

loquutio

magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. Et paulò pòst: *Ego, inquit, de me expertus sum, quod dico, & facilius possum imperare, & securius possum præesse aliis multis, quàm soli mihi.* Cùm igitur nemo sibi bonus magister esse possit, neque à Deo immediatè doceri debeat, ne infletur: meritò Samuel diuino spiritu ducitur ad Heli, priusquàm Deum alloquatur, vt ab eo, & humiliùs, & vtiliùs discat, quo pacto Deum audiat, Deo respondeat, & quidquid à Deo imperetur, diligenter exequatur. Atque hæc de priori ratione. De qua paulò inferiùs n.17. iterum dicendi occasio redibit.

Facilius quis quæ aliis, quàm sibi præest.

XVII. *Samuel vocatus à Deo recurrit ad Heli, vt maior oraculo fides haberetur.* Theod.

Posterior ratio ex parte Heli fuit, vt Sacerdos videns puerum sæpè deceptum, non dubitaret, fuisse à Deo euocatum, & proinde eius dictis, tanquam ex oraculo editis fidem haberet. Ita docuit Theod. ad hunc locum, q.9. *Quoniam, inquit, Deus erat mala prædicturus Heli per Samuelem, ne videretur Samuel finxisse reuelationem; Deus ita rem dispensat, vt cùm Heli quidem crederet, quòd Deus vocaret Samuelem, non esset suspectus Samuel, tanquam qui finxisset; sed ei fides haberetur, vtpote, cui diuina facta esset reuelatio.* In eandem interpretationem conspitat Abulensis. Non multò aliter Rup. hic c.11. sentit abiisse Samuelem ad Heli, non solùm, vt Heli posteà crederet, quæ à Samuele accepisset: sed etiam, vt Samuel manifestare facilius auderet, quæ à Deo auscultasset: *Dominus, inquit, in illum,* nempe Samuelem, *ita sua moderatus est gratiam vocationis, vt prius it, contra quem mittebatur, vocatum illum esse à Domino, sciret, quàm ipse, qui vocatus est: sicq; factum est, vt is, qui visionem indicare timuisset, celare non auderet, tacere non posset.* In quibus expositionibus in primis nota, quàm difficiles sint Principes ad credenda ea, quæ sibi pariunt dolorem: nisi enim ea à Deo reuelata certò sciant, figmēta credunt. Deinde quantoperè à Deo suorum Prophetarum auctoritas curetur: de illa enim ne quis dubitet, se illis familiarissimum ostendit, idque aliis notum esse vult, & exploratum, ne mentitos putent eos, cum quibus sciant, Deum familiariter sermocinatum. Tandem quanto timore subditi auertantur à suis Prælatis admonendis, veriti, ne illis infensi, molestique efficiantur: ita vt, nisi Deo facilè ad id aditum aperiente, semper timeant, semper retardentur. Quæ omnia suis posteà locis illustrabuntur.

Abul. Rupe.c. *Imò vt ipse Samuel audentior fieret ad oraculum reuelandum.*

Principes difficiles ad credenda iniucunda.

Prophetarum auctoritas à Deo curatur.

Subditi verentur suos Principes admonere.

XVIII. *Obedientia cæca magis credit verbo Prælati, quàm proprio experimento.*

Non vocaui, &c. Non minor mihi videtur obedientia Samuelis, in hoc regressu ad cubitū, quàm in illo primo progressu ad Sacerdotem. Primò, quia progrediens, voluntatem obedientiæ subiecit: at verò regrediens etiam intellectum, qui difficiliùs patitur imperium. Patet, quia cùm ipse certo experimento cognouisset, se euocatum fuisse ab Heli: nihilominùs ab eo audiens non euocatum, *Non vocaui:* statim acquieuit, & potiùs credidit Sacerdotis verbo, quàm proprio experimento. Hoc illud est biuium satis anceps, ad quod se redactum sensit Abraham, & ex quo sola eum obedientia expediuit. Audierat à Deo non solùm magnam sibi posteritatē fore, Gen.15.n.4. sed etiam nasciturum sibi filium Isaac, eiusque sobolem feliciter propagandam. Gen.17.n.19. & Genes. 21. n.13. Posteà verò audit illum vnicum, ex quo tota propagationis spes pendebat, iugulādum, & comburendum Domino in holocaustum. Gen. 22.n.2. Quid igitur Patriarcha inter promissiones, & præceptiones adeò repugnantes constitutus? *In spem,* inquit, *Apostolus, contra spem credidit, vt fieret pater multarum gentium.* Rom. 4.num. 18.

Abraham inter promissa, & præcepta contraria cæcus obediuit.

XIX. Theod.

Laudat quidem Theod.q.72. in Gen. huius viri obedientiam, quòd obedientiæ legibus contra leges naturæ satisfecerit: *Patriarcha, inquit, inter naturam & fidem constitutus, cùm virinque prehensaretur, fidei dedit palmam victoriæ.* Magna quidem laus. Nam & patrem se illius pueri, & seruum Dei recognoscebat: patrem à filij nece naturalis amor reuocabat; seruum ad eandem necem diuinum imperium impellebat: in eodem parentis animo natura, & obedientia luctabantur. Sed tandem cessit natura, palmam obedientia reportauit. Certè mirum non est de natura obedientiam triumphasse; cùm hæc diuinas ad pugnandum vires, illa tantùm humanas sortiatur. At obedientia contra obedientiam, fide contra fidem, spe contra spem (vt in prima statim facie videbatur) congrediente; quis tandem pugnæ finis? quis victoriæ modus esse posset? B Nullus planè: nisi ab illo adhiberetur, qui in obsequium fidei, & obedientiæ, intellectum captiuauit. Talis Abraham credidit promittenti, & paruit præcipienti, nihil curans, nec attendens, an promissa præceptis repugnarent.

Obedientia contra naturam.

Obedientia contra obedientiam, fides cōtra fidē quodammodo pugnat, & vincit.

XX. *Samuel in vocem contra vocem obediuit.*

Sic igitur & Samuel. In vocem contra vocem obediuit. Nam & vocatum se agnouit, & non vocatum sibi persuasit: nec tam sibi, quàm suo credidit præceptori; immò pugnantia inter se imperia à somno euocantis, & ad somnum remittentis non attendit: non quidem, quia puer (quidquid sentiat Abul.) qui has difficultates non curat; sed quia obediens, qui sibi imperata non discernit. Vnde D. Greg. in priori huius loci commentario: *Puer, inquit, humiliter homini subiectus, atque obedientiæ ardua arce sublimatus, dum vocatus accessit,* C *iussus rediit: quid aliud nobis præbet, nisi altissimæ formam obedientiæ? Vera nãque obedientia nec præceptorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire.* Et paulò pòst: *Quis, inquit, nostrum se se à murmuratione compesceret? quis ab ira temperaret, si vocatum se bis, & ter audiret; & tamen ex vocantis responso perciperet, quia vocatus minimè fuisset? Puer autem Samuel nec vocatus, nec repulsus offenditur, quia vocantis aut repellentis animum videre noluit, qui in hoc solo gaudere nouerat, quòd obediuit.*

Abul. D.Greg. *Verum obediēs nec iudicat, nec discernit.*

XXI. D. Petr. Dam. *Samuel verus obediens non calumniatur Prælatum, etiam negligentem.*

Alium non minùs laudabilem candorem, ac simplicitatem in Samuelis obedientia deprehendit D.Petr.Dam.lib.6.Epist.26. qui senem in filios D tam remissum, in se verò tam rigidum expertus non accusarit: *Caue, inquit, ne dum obedire detrectas, in negligentem, quod absit, Præpositum calumniam querula mordacitate deuoluas. Samuel ergo ad memoriam redeat, qui desidem inertēmque magistrum, tam patienter, tam humiliter coluit; & intempestæ noctis silentio ter vocatus accurreret, totiésque interrupti soporis excubias non doleret. Poterat enim modo, velut expostulans obiicere; cur, inquiens, non vereris extraneo tanta auctoritate præcipere, qui segnis es, filiis imperare? Qui tamen, Scriptura teste, non tumuit, non querulus sugillauit; sed ad iubentis imperium perniciter peruolans, simpliciter ait: Ecce ego.* Itaque Samuel in iubentis imperium adeò conspirabat, vt ne minimùm quidem contra eius auctoritatem sibi iudicium obrepere pateretur. E

XXII. *Samuel velocius lectū deseruit, quam repetiit.*

Secundò, optimum obedientiæ documentum præbuit, quia velocior fuit ad deserendum lectum, quàm ad repetendum. Nam vocatus è cubitu, dicitur cucurrisse: *Cucurrit ad Heli,* à verbo רוץ quod est, *Rus,* currere ac festinare: ad cubitum autem remissus, dicitur solùm abiisse: *Abiit, & dormiuit,* à verbo הלך *Halac,* quod est ambulare, seu incedere. Verus enim obediens, etsi in omnibus obtemperet, tamen ad laborem celeriter volat, ad quietem pedetentim ambulat: ad sublimia tardus, ad humilia festinus. Vnde D. Greg. lib.35. Mor.c. 10. *Cum*

Verus obediēs ad suauia tardus, ad ardua festinus. D.Greg.

c.10. *Cùm*,inquit, *huius mundi successus præcipitur, cùm locus superior imperatur; is, qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Rursum,cùm mundi despectus præcipitur;cùm probra & contumeliæ iubentur;nisi ex se ipso animus hæc appetat, obedientiæ sibi meritum minuit; quia ad ea,quæ in hac vita despecta sunt,inuitus nolensq; descendit.*

XXIII.

D. Paulus ad labores missus volabat.

Quod exemplo Moysis, ac D. Pauli illustrat. Nam Paulus missus ad laborãdum Hierosolymis, alatos pedes gerere videbatur, adeò celeriter volabat. *Ego*, inquit, *non solùm alligari, sed etiam mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Actor.21.n.13. At verò Moyses missus ad imperandum in Ægyptô, pedes gerebat quodammodo plumbatos;adeò tardè incedebat. *Quis*, inquit, *sum ego,vt vadam ad Pharaonem*,&c. Exodi 3.n.11.vbi multis aliis excusationibus tergiuersatur,& reluctatur,ne tã speciosã suscipiat prouinciam.

Moyses ad honores missus cunctabatur.

Obediens ab honoribus se excusans, suã meretur laudem.

Concludit igitur D.Greg. *Præeunte ergo vtrorunque ducum infracta virtute instituimur, vt si obedientiæ palmam apprehendere veraciter nitimur, prosperis huius sæculi ex sola iussione; aduersis autem ex deuotione militemus.* Vnde D.Petrum ab honore se excusantem: *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Ioan.13.n. 8.vocat D. Cyril.Alex.*reuerenter inobedientem*.

D. Cyril.

Et illam inobedientiam,vt sic appellem, Ieremiæ,munus propheticum recusantis: *Nescio loqui,quia puer ego sum*,Ier.1.n.6.docet D. Hieron. fuisse *egregiè pudore decoratam*.

D. Hieron.

Et illotum cæcorum, qui a Christo Domino sanati, miraculum cum sui capitis periculo contra Christi comminationem prædicarunt,Matt.9.n.31.vocat Theoph. *gratam inobedientiam*.

Theoph.

Meritò igitur Samuel, qui ad laborandum velociter cucurrit, ad quiescendum pedetentim ambulauit. In quo se præbuit non segniter,sed humiliter obedientem.

XXIV.

Samuel facilius è lecto extrahitur, quàm ad lectum reducitur.

Tertiò, singulariter obediens fuit,quia minori vi indiguit,vt extraheretur è lecto, quàm vt ad lectum reduceretur. Nam vt extraheretur, satis fuit nominari, *Samuel*, quin vllum præceptum adderetur,*Veni*: vt superiori num.aduerti. At verò,vt reduceretur;imperio opus fuit:*Reuertere,& dormi.* Quò enim promptior erat ad laborem, quàm ad quietem, eò minori vi ad laborem,subeondum, quàm ad quietem repetendam, indigebat.

Abraham maiori vi impellitur ad iugulandum filium, quàm ad seruandũ.

Optimus Abrahæ imitator,quem,vt Deus ad iugulandum filium excitaret, etiam dormientem;nullis clamoribus vsus est,sed miti & placida voce,*dixit ad eum: Abraham, Abraham.* Gen. 22.n. 1.vt autem à iugulando filio reuocaret, etiam vigilantem;*de cælo clamauit*.Ibidem,num. 11. minùs enim calcar ad difficilia,quàm ad facilia præcepta exequenda requirebat. Vt eorum præposteram inobedientiam confunderet,qui ad delectabilia vocati solo nutu præuolant,ad ardua tamen,ac laboriosa missi,vix vi trahuntur.

XXV.

Samuel etiam in re facili obediuit.

Quartò,& vltimò,obedientem se exhibuit Samuel,etiam facile,& delectabile opus,qualis fuit regressus ad somnum,exequendo. Perfectio enim obedientiæ non tam difficultatem operis, quàm auctoritatem iubentis,intuetur;siue enim magna, siue parua iubeantur,dummodò præcipientis auctoritas præcipuè attendatur, perfecta obedientia exercetur. Vnde D. Greg. in priori Commentatio: *Præceptum*, inquit, *in hoc solo pensari debet, quòd maioris præceptum est; & qui obedientiæ bonum exequitur, non iniunctum opus debet considerare, sed fructum: quia ad promerenda æternæ vitæ gaudia non exquiritur qualitas operis,sed exequutio alienæ voluntatis.* Quod egregiè confirmat ex Apostolo: *Circuncisio nihil est, & præputium nihil est: sed obseruatio mandatorum Dei.* 1.Corin. 7. num. 19. Neque enim difficultas circuncisionis augebat meritum,neque facilitas præputij minuebat:sed vbicunque daretur exequutio diuini præcepti, siue difficilis,siue facilis obedientia coronabatur.

D.Greg.

Obedientia spectatur non penes difficultatem rei imperatæ,sed penes voluntatem obtemperantis.

Nónne primus parens ex facilis præcepti transgressione magnam traxit ruinam? Quid ergo mirum,si obediens ex facilis præcepti exequotione magnam gloriam consequatur? Sic ex hoc loco D. Greg. argumentatur: *Si parua*, inquit, *maiorum imperia contempta,ab æternis gaudiis separant: etiam minima, quæ perficiuntur,vitam parant.* Et paulò pòst: *Nec magna*, inquit, *lucra ieiunij, nec aspera vitæ studia deuotis Christi militibus in maiorum præcepto valdè pensanda sunt. Maioris etenim est meriti, coniuncta refectio, ieiunio propria deliberatione suscepto. Qui enim iussus carnem reficit,ieiunij præmium deuotione promeruit, & ampliorem mercedem obedientiæ manducando conquisiuit.* Sic igitur & Samuel maiorem coronam reportauit ex obedientia dormiendo, quàm alij ex propria voluntate vigilando.

Sicut transgressio facilis præcepti magnum malum molitur; ita obseruatio magnum bonum.

Præstat refectio ex obedientia,quàm ieiunium ex propria voluntate.

Num. VI. Et adiecit Dominus rursùm vocare Samuelem, consurgénsque Samuel, abiit ad Heli, & dixit: Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit: Non vocaui te,fili mi; reuertere, & dormi.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.

Hebraismus.

ET *adiecit Dominus,&c.* Iterum à Deo vocatur Samuel. Iterum abit ad Heli. Iterum ad dormiendum remittitur. Quæ omnia ex præcedenti versiculo iam innotescunt. Illud noui in singulis membris perstringendum: In primo quidem,Hebraïsmum esse illum,*Adiecit Dominus vocare*,pro; *Iterum vocauit*, vt transtulit Varablus. Quemadmodum Isai.7.num. 10. *Adiecit Dominus loqui ad Achaz*,id est,Iterum loquutus est ad Achaz, Isai. 52.n.1.*Non adiiciet vltrà,vt pertranseat per te incircuncisus*: id est, Non pertransibit iterum.Iob.39. num. 31. *Adiecit Dominus, & loquutus est ad Iob*: id est, Loquutus est iterum. Nahum. 1.num. 15. *Non adiecit vltrà,vt pertranseat in te Belial*: id est, Iterum non pertransibit.Psalm.40.num. 9. *Numquid qui dormit,non adiiciet,vt resurgat?* id est,Iterum non resurget. Et sic de aliis frequenter. Nec minùs frequens est illud,Addidit facere,pro, iterum fecit:vt videre est in fine huius capitis,n. 21. *Addidit Dominus vt appareret*:hoc est,Iterum apparuit,vt ibi iterum obseruabimus.

II.

Obedientia Samuelis perseuerans.

Consurgénsque Samuel,&c. In secundo huius versiculi membro obseruanda est, non solùm obedientia,sed etiam prudentia Samuelis. Obedientia quidem,quia semel deceptus non timuit, ne iterum deciperetur:sed iterum somnum abrupit,iterum è lecto exiliit,iterum se obtulit Sacerdoti; mallens errare bis,quàm semel non obtemperare. Septuaginta exprimunt,Samuelem abiisse ad Heli, τὸ δεύτερον, id est, secundò: sed is sensus, & ex fonte, & ex vulgata apertè colligitur; quamuis non exprimatur. Prudentia verò, quia iterum vocatus, non dicitur, statim respondisse è lecto,vt anteà;sed tacitum surrexisse:nec vt anteà cucurrisse ad Heli; sed solùm abiisse. Quid ergò? Prima illa ad obediendum celeritas elanguit? Absit. Immò potiùs hac in re,& nullam obedientis pueri diligentiam requiro; & prudentiam ætate maiorem suspicio, & admiror. Veritus

Prudentia Samuelis,obedientiæ feruorem temperauit.

loquutionem comparare. Nam sicut in ordine A hierarchico Angelorum inferiores per superiores illuminantur: ita fieri à Deo solet inter homines, vt iuuenes per senes, ignari per sapientes, laici per Sacerdotes, subditi per suos Prælatos illustrentur. Ita fere sentit D. Gregor. in vtroque Commentatio huius loci. Nam in priori: *Vocauit*, inquit, *Deus puerum, sed voce magistro simuli, vt profectò modum suæ loquutionis indicaret. Causam vocationis tacuit, vt electus puer, qua humilitate obedientia esset, sublimis ostenderet. Ire ad præceptorem pertulit, vt deuotionis suæ munus offerret.* Itaque Deus, & expressit vocem Heli, & suppressit causam vocationis, vt discipulus ad magistrum docendus festinaret. In posteriori verò: *Vocatus*, inquit, *à Domino Samuel, ad Heli cucurrit, quia Ordo Prædicatorum* B *in omni, quod spirituali reuelatione didicit, Patrum veterum dicta consuluit; vt tunc demum à Domino sibi fuisse reuelatum crederet, cum ab eo, quod in sacra Scriptura legebat, nequaquam differre cognouisset. Nam facilè fallitur, qui hoc, quod occulta contemplatione colligit, in præclara sanctæ Scripturæ veritate nescit discutere, quale sit.* Præsertim, transfigurante se Satana *in Angelum lucis* 2. Corint. 11. num. 14 vt falsa pro veris ingerat, & obtrudat.

D. Greg.

X. *Cedendum proprio iudicio, & maiorũ acquiescendũ.* Cassian.

Clariùs hanc rationem expressit Abbas ille Moyses apud Cassianum collat. 2. c. 14. Hortatus enim, vt suo quisque cedat, & maiorum suorum iudicio innitatur, subdit: *In tantum*, inquit, *placita Deo hæc sententia comprobatur, vt puerum Samuelem iudicio prælectum suo, nollet per semetipsum diuini colloquij disciplina Dominus erudire, sed* C *recurrere semel & iterum pateretur ad senem, cumq́; quem ad suum vocabat alloquium, & quem sua vocatione dignissimum indicarat, etiam illius, qui offenderat Deum, senioris mallet institutione formari; vt scilicet, & illius, qui ad diuinum ministerium vocabatur, probaretur humilitas, & iunioribus forma subiectionis, huius proponeretur exemplo.* Quæ res pluribus potest exemplis & argumentis illustrari. Saulum vocauit de cælo Dominus; non tamen de rebus agendis pleniùs informauit: sed ad Ananiam informandum remisit. *Surge*, inquit, *& ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Actor. 9. n. 7. Cur, quæso, per semetipsum ad pietatem non instruxit, quem per semetipsum reuocauit ab D impietate? Benè idem Abbas Moyses loco citato, cap. 5. *Mittit*, inquit, *hunc ad seniorem, eumq́; illius potius doctrina, quam sua censet institui; ne, scilicet, quod rectè gestum fuisset in Paulo, posteris malum præsumptionis præberet exemplum: dum vnusquisque sibimet persuaderet, similis modo se quoque debere Dei solius magisterio, atque doctrina potius quàm seniorum institutione formari.*

Deus non per se, sed per seniores erudit iuniores.

Saulus vocatur à Deo, vt remittatur instruendus ad Ananiam.

Moyses Abbas.

XI. *Paulus non solùm nouitius, sed etiam veteranus Apostolos consulebat.*

Et quis miretur, nouitium Religionis alumnum ad veteranum sacrorum Antistitem remitti? cùm etiam ipse Paulus multa iam cælestium mysteriorum luce perfusus, & frequentium miraculorum potestate celebratus, Hierosolymam conscenderit, suum cum Apostolis Euangelium collaturus, *ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset.* Galat. 2. E n. 2. Cuius humilem prudentiam, prudentémque humilitatem admiratus Moyses, vbi suprà, in eos inuehitur, qui à suo se iudicio regi, & abduci patiuntur. *Quis ergo*, inquit, *tam præsumptor & cæcus sit, qui se audeat suo iudicio ac discretioni committere, cùm Vas electionis indiguisse se Coapostolorum suorum collatione, testetur?* Eandem doctrinam inculcat, & pluribus exemplis confirmat D. August. in prologo primi libri De doctrina christiana, agens de illis, qui se ab aliis diuinas literas doceri non sinunt; sed præsumunt fore, vt earum notitiam,

Moyses.

D. Aug. *Diuinæ literæ ab aliis discendæ sunt.*

vel ex suo iudicio, vel ex diuino oraculo assequantur. *Non tentemus*, inquit, *Deum, vt ad Euangelium discendum nolimus ire in Ecclesias, aut prædicantem hominem audire. Non expectemus rapi vsque ad tertium cælum, & ibi audire ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui; aut ibi videre Dominum Iesum Christum, & ab illo potiùs quàm ab hominibus audire Euangelium: caueamus tales tentationes superbissimas, & periculosissimas; magisque cogitemus, & ipsum Apostolum Paulum, licèt diuina & cælesti voce prostratum, & instructum; ad hominem tamen missum esse, vt Sacramenta perciperet, & copularetur Ecclesiæ.* Act. 9. num. 7. *Et Centurionem Cornelium, quamuis exauditas orationes eius, eleemosynásque respectas et Angelus nunciauerit: Petro tamen tradidum imbuendum.* Act. 10. n. 5. Sic ille. Vbi plura affert exempla de Eunucho per Philippum, Act. 8. num. 30. de Moyse per Iethro, Exodi 18. n. 18. non verò per Angelum edocto. Et statim duas adducit causas, ob quas expediat, homines per homines edoceri. Vnam, ad conseruandam humanæ naturæ dignitatem; quæ planè abiecta esset, nisi ad docendum assumeretur. *Et poterant vtique*, inquit, *omnia per Angelum fieri: sed abiecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur. Quomodo enim verum esset, quod dictum est, Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* 1. Corin. 3. n. 17. *si Deus de humano templo responsa non redderet; & totum, quod discendum hominibus tradi vellet, de cælo, atque per Angelos personaret?* Alteram, ad stabiliendam inter homines charitatem, quæ facilè deperiret, nisi docentium ac discentium vinculis necteretur. *Ipsa charitas*, inquit, *quæ sibi inuicem homines nodo vnitatis astringit, non haberet aditum refundendorum, & quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent.*

Duplex causa, cur homines per homines doceri oporteat.

Quid ergo absurdius, quàm velle hominem absque homine edoceri, cùm rectus diuinæ prouidentiæ ordo postulet, vt homo per hominem doceatur? D. Hieronymus in Epist. 4. ad Rusticum Monachum, De forma viuendi, huiusmodi excitat, ac definit quæstionem. *Tractandum*, inquit, *est, vtrum solus, an cum aliis in Monasterio viuere debeas? Mihi quidem placet, vt habeas sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absque Doctore ingrediaris viam, quam nunquam ingressus es; statimque tibi in partem alteram declinandum sit, & errori pateas.* Et paulò pòst: *Nulla ars*, inquit, *absque magistro discitur. Etiam muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos.* Quod multis illustrans exemplis, tandem concludit: *Per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum: sed viuere debere in Monasterio sub vnius disciplina patris, consortióque multorum, vt ab illo discas humilitatem, ab alio patientiam; hic te silentium, ille doceat mansuetudinem, &c.* Quod cùm ita sit, miratur D. Nilus Abbas in libro ascetico, in 5. tom. Bibl. secundæ editionis, esse aliquem, qui sine magistro speret à se artem omnium difficillimam, religiosam nempe disciplinam, comparandam. *Nulla*, inquit, *ars sine tempore discitur, & absque præceptore. Ars artium sola sine magistro percipitur? Agriculturam non profitebitur illius ignarus: medicæ facultatis imperitus, opus medicum non attinget: solam Religionis disciplinam, vt rerum omnium facillimam, cùm sit omnium longè difficillima, audent indocti profiteri: & quod Paulus ait, nondum se comprehendisse,* Philip. 3. n. 13. *isti se planè cognitum, atque perfectum habere confirmant, qui ne id quidem sciunt, se nihil scire.* In eandem sententiam conspirat Abbas ille Moyses apud Cassianum collat. 2.

XII. *Absurdum velle hominẽ sine homine doceri.* D. Hieron.

Singulas virtutes, à singulis discendas esse.

Religiosa disciplina sine magistro non comparatur.

Cassianus.

c. 11.

c. 11. *Nullo,*inquit, *alio vitio tam præcipitem Diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam,cum eum,neglectis conſiliis ſeniorum,ſuo iudicio perſuaſerit, definitionique confidere. Etenim, cùm omnes artes ac diſciplinæ humano ingenio repertæ, & quæ nihil ampliùs,quàm vitæ huius commodis proſunt, licèt manu palpari queant, & oculis peruideri; rectè tamen à quoquam ſine inſtituentis doctrina nequeant comprehendi: quàm ineptum eſt credere, hanc ſolam non egere Doctore,quæ & inuiſibilis,& occulta eſt, & quæ non ſolùm oculis, ſed ne animo quidem, niſi corde puriſſimo perſpici poterit; cuius error non temporale, damnum,nec quod facilè reparetur, ſed animæ perditionem parit,mortemq́; perpetuam?* Plura de hac re D. Bonau. De alis Seraphin.cap.1.& 2.& Caſſianus lib.4.Inſt.c.9.D.Greg.Naz.orat.1.

D.Bonau. Caſſian. D. Greg. Naz.

XIII. *Cæleſtis ſponſa ad paſtores inſtruenda remittitur.*

B Nemo igitur virtutis viam tutò aggreditur, niſi præeuntem magiſtrum inſequatur. Hinc eſt, quòd cæleſtis ſponſa ſcire cupiens ab ipſo Deo, *vbi paſcat, vbi cubet in meridie:* ad paſtores conſulendos remittatur: *Abi,*inquit,*poſt veſtigia gregum tuorum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Cant.1.n.8.Quaſi diceret: Paſtoricia tabernacula tibi eſſe poterunt diuina oracula, ex quibus quidquid ſcire cupias,ſi non feliciùs quàm ex me,certè humiliùs,& proinde tibi vtiliùs auſcultes. Non procul abeſt ab hac interpretatione Theodor. qui pro tabernaculis paſtorum,*apoſtolicas Eccleſias* intelligit, ex quibus credendi ac viuendi documenta hauriantur. Ad hos igitur paſtores conſulendos abeat,neceſſe eſt, quiſquis ad C perfectam ſui, Deique notitiam acquirendam enitatur. Mirum eſt, quod lib. 10. De Vitis Patrum,c. 199. auctore Ioanne Moſcho, narratur, Abbatem quendam eximiæ virum ſanctitatis & ſimplicitatis,cui Angeli inter ſacrificandum viſibiles aſſiſtebant, de errore quodam ab Hæreticis per ignorantiam hauſto, quem in Miſſa incurrebat,à ſuo Diacono admonitum, parum de admonitione curaſſe,ratum, ſi quid in ſacrificio peccatum eſſet,ab Angelis,qui aderant, admonendum fuiſſe:illis autem tacentibus,ſignum eſſe, nulla in re ſacrorum ritum violatum:ſed iterum ac ſæpiùs Diacono obteſtante,vt ſuum illum deponeret errorem,tandem conſuluiſſe Angelos, qui aderant ſacrificanti; quibus dicentibus, vt Diacono bene D monenti acquieſceret,ſubdidiſſe Abbatem: *Quare vos non dixiſtis mihi?* reſpondiſſe verò Angelos: *Deus ita diſpoſuit,vt homines ab hominibus corrigantur.*

Theod.

Singulare exemplum de diuina prouidentia homines per homines docente. Ioannes Moſchus.

XIV. *Ad contemplandum neceſſarius eſt magiſtrorum ductus.*

Huius diuinæ prouidentiæ non obſcurum argumentum colligitur ex Moyſe, ad quem diuinum oraculum: *aſcende,*inquit,*ad Dominum,tu & Aaron, Nadab & Abiu & ſeptuaginta ſenes ex Iſraël,*&c. Exodi 24. num. 1. Cur,quæſo,dum ad contemplationem euocatur,cum tanto comitatu aſcendere iubetur,qui potiùs ſolitarius,vtpote ad contẽplandum,profecturus fuiſſe videbatur? Aptè reſpondet ad rem præſentem Philo Hebræus lib. De migratione Abrahæ: *Enimverò,* Inquit,*periculoſum eſt,animam incomitatam ad contemplationem* E *eius, Qui eſt,aſcendere,ſi viam neſciens tale quid audeat, quòd ex ignorantia, temeritateque magni caſus proueniant.* Et paulò pòſt: *Præſtat hic manere oberrando inter mortales,ſicut magna pars humani generis, quam ad cælum à ſe ipſis elatos ſubuerti per arrogantiam,ſicut multis Sophiſtis contigit.* Vides, vt etiam Moyſes contemplandi periti ſſimus ſuos contemplandi duces ac magiſtros proſequatur? Quis ignorat,Moyſem in ſolitudine,Deum,ſeu Angelum, ſeu columnam ſuperno quodam miniſterio præeuntem, ſui itineris ducem habuiſſe? & nihilominùs Hobab virum Madianitam obſecrabat, vt ſibi ducem in eo itinere præſtaret. *Noli,* inquit, *nos relinquere. Tu enim noſti, in quibus locis per deſertum caſtra ponere debeamus:& eris ductor noſter.* Numer. 10. num. 31. Vbi Lyra in expoſitione morali: *Quamuis,* inquit, *Deus eſſet dux illius populi; tamen Moyſes volebat habere directionem hominis periti. Ex quo docemur, quod licèt nos Deus dirigat in via morum; tamen non debemus negligere adiutorium humanum.*

Philo.

Moyſes doctus à Deo, adhuc tamen ab homine doceri cupiebat,

XV. *Magi ab Oriente diuinitùs ducti, adhuc tamen ad Bethlehem per homines deducuntur.* D. Petr. Chryſol.

Sed & Magi, qui ab Oriente venerunt Hieroſolymam,ſtella prælucente, & diuino Spiritu afflante,ab Hieroſolyma Bethlehẽ vſque peruenerunt,prius ab hominibus percontati: *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum?* Matth.2. num. 2. Qua de re miratus D. Petrus Chryſol. ſerm. 156. *Quid,* inquit, *ab hominibus quærunt, qui per Deum nouerant, quod quærebant? Vt quid illis ad hoc, humanæ demonſtrationis officium,quibus ad hoc cæli ſydera ſeruiebant? Quò illis lucerna templi, quibus cæli ſydus mirabile perlucebat?* Sed mirandum non eſt, cùm diuinæ prouidentiæ ratio poſtularit, vt homines per homines ducerentur; & aſſueſcerent primi fidei poſſeſſores, non ſolùm per internos de cælo afflatus,ſed per externos de terra auditus, humiliùs ac ſecuriùs gubernari.Non immeritò ſe Deus, ducendo Iſraelitico populo ſubtraxit,& Angelum prę́fecit,quẽ Caiet.interpretatur ipſum Moyſem, à populo manifeſtè audiendum: *Ecce ego mittam Angelum meum,*&c. *audi vocem eius,*&c.Exod. 23. num.20.& 21.Et quidquid ſit de illa Caiet. interpretatione,certè ille populus,quãuis à Deo peculiariter inſtructus; tamen externo Moyſis imperio regebatur: ne qua ſuperbia elatus ſupra hominem ſibi videretur. Vnde D. Ioan.Clim.in primo gradu ſuę ſcalæ: *Quicunque,*inquit,*ex Ægypto egredi,Pharaonemq́; cupimus effugere,prorſus Moyſe aliquo ad Deum,ac poſt Deum, mediatore nobis opus eſt,qui pro nobis medius inter actionem & contemplationem ſtans, manus extendat ad Deum, vt hoc duce directi peccatorum traiiciamus mare, atque Amalech vitiorum Principem fugemus. Seducti igitur ſunt,qui ſibi ipſis confidentes,nullo ſibi duce opus eſſe, arbitrati ſunt.* Sic ille.Et affert exemplum Lot,qui non,niſi duce Angelo in virilem habitum induto, de Sodomis exiuit. Gen.19.num.14.

Caietanus. *Moyſes Angelus.* *Populus à Deo inſtructus, adhuc tamẽ à Moyſe inſtruebatur.* D. Ioan. Climacus. *Egredienti de Ægypto ſuus cuique Moyſes neceſſarius.*

XVI. *Proprium iudicium multis cauſa errandi.*

Hos igitur viæ ſuæ duces ac magiſtros nemo contemnat. Quid enim cauſæ eſt,quòd multi homines paſſim errent,niſi quòd ſuo potiùs iudicio, quàm alieno, cui ſubiici debebant, abducantur? *Omnes nos,* inquit Propheta, *quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit.* Iſai. 53. num. 6. Daturus enim rationem,ob quam omnes aberrauerint,dicit,vnumquemque in viam ſuam declinaſſe, hoc eſt, iudicio ſuo adhæſiſſe. In multos enim errores incidat, neceſſe eſt, qui non alium, quàm ſe ipſum ſibi conſtituit magiſtrum. Quare D. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 1. Monachos ad maiores conſulendos adhortatur: *Ne dum,*inquit, *ſe quiſque ſancto Spiritu impletum præſumit, diſcipulus hominis eſſe deſpiciat,& magiſter erroris fiat.*Quid enim niſi errorem docere poteſt, qui veram doctrinam diſcere dedignatur? Vnde D. Bernardus Epiſt. 87. ad Ogerium, magnoperè eum laudat, quòd repudiato Abbatis munere, maluerit aliorum magiſterio ſubeſſe,quàm prę́eſſe. *De magiſtro,* inquit,*fieri denuò diſcipulus non erubuiſti: nam cùm paſtorali vinculo ſolutus poſſes tui remanere iuris; tu tamen ſicut aliis dominari renueras, ſic tibi quoque præeſſe timuiſti;quiq́; vt magiſter eſſes aliorũ, minùs te iudicabas idoneum, nec te quidem tibi credens, tuus fieri diſcipulus contempſiſti. Et meritò,quia qui ſe ſibi magiſtrum*

D.Greg.

D. Bern. *Magiſter fieri diſcipulus non erubeſcas.*

inquitionem comparate. Nam sicut in ordine hierarchico Angelorum inferiores per superiores illuminantur: ita fieri à Deo solet inter homines, vt iuuenes per senes, ignari per sapientes, laici per Sacerdotes, subditi per suos Prælatos illustrentur. Ita ferè sentit D. Gregor. in vtroque Commentario huius loci. Nam in priori: *Vocauit*, inquit, *Deus puerum, sed voce magistro simuli, vt profectò modum suæ loquutionis indicaret. Causam vocationis tacuit, vt electus puer, qua humilitate obedientiæ esset, sublimis ostenderet. Ire ad præceptorem pertulit, vt deuotionis suæ munus offerret.* Itaque Deus, & expressit vocem Heli, & suppressit causam vocationis, vt discipulus ad magistrum docendus festinaret. In posteriori verò: *Vocatus*, inquit, *à Domino Samuel, ad Heli cucurrit, quia Ordo Prædicatorum in omni, quod spirituali reuelatione didicit, Patrum veterum dicta consulit; vt tunc demum à Domino sibi fuisse reuelatum crederet, cùm ab eo, quod in sacra Scriptura legebat, nequaquàm differre cognouisset. Nam facilè fallitur, qui hoc, quod occulta contemplatione colligit, in præclara sanctæ Scripturæ veritate nescit discutere, quale sit.* Præsertim, transfigurante se Satana *in Angelum lucis* 2. Corint. 11. num. 14 vt falsa pro veris ingerat, & obtrudat.

D. Greg.

X.

Cedendum proprio iudicio, & maiorū acquiescendū. Cassian.

Clariùs hanc rationem expressit Abbas ille Moyses apud Cassianum collat. 2. c. 14. Hortatus enim, vt suo quisque cedat, & maiorum suorum indicio innitatur, subdit: *In tantum*, inquit, *placita Deo hæc sententia comprobatur, vt puerum Samuelem iudicio prælectum suo, nollet per semetipsum diuini colloquij disciplina Dominus erudire, sed recurrere semel & iterum pateretur ad senem, eumq́; quem ad suum vocabat alloquium, & quem sua vocatione dignissimum indicarat, etiam illius, qui offenderat Deum, senioris mallet institutione formari; vt scilicet, & illius, qui ad diuinum ministerium vocabatur, probaretur humilitas, & iunioribus forma subiectionis, huius proponeretur exemplo.* Quæ res pluribus potest exemplis & argumentis illustrari. Saulum vocauit de cælo Dominus; non tamen de rebus agendis pleniùs informauit: sed ad Ananiam informandum remisit. *Surge*, inquit, *& ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Actor. 9. n. 7. Cur, quæso, per semetipsum ad pietatem non instruxit, quem per semetipsum reuocauit ab impietate? Bene idem Abbas Moyses loco citato, cap. 15. *Mittit*, inquit, *hunc ad seniorem, eumq́; illius potius doctrina, quàm sua censet institui; ne, scilicet, quod rectè gestum fuisset in Paulo, posteris malum præsumptionis præberet exemplum: dum vnusquisque sibimet persuaderet, simili modo se quoque debere Dei solius magisterio, atque doctrina potius quàm seniorum institutione formari.*

Deus non per se, sed per seniores erudit iuniores.

Saulus vocatur à Deo, vt remittatur instruendus ad Ananiam.

Moyses Abbas.

XI.

Paulus non solùm nouitius, sed etiam veteranus Apostolos consulebat.

Et quis miretur, nouitium Religionis alumnum ad veteranum sacrorum Antistitem remitti? cùm etiam ipse Paulus multa iam cælestium mysteriorum luce perfusus, & frequentium miraculorum potestate celebratus, Hierosolymam conscenderit, suum cum Apostolis Euangelium collaturus, *ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset.* Galat. 2. n. 2. Cuius humilem prudentiam, prudentémque humilitatem admiratus Moyses, vbi suprà, in eos inuehitur, qui à suo se iudicio regi, & abduci patiuntur. *Quis ergo*, inquit, *tam præsumptor & cæcus sit, qui se audeat suo iudicio ac discretioni committere, cùm Vas electionis indiguisse se Coapostolorum suorum collatione, testetur?* Eandem doctrinam inculcat, & pluribus exemplis confirmat D. August. in prologo primi libri De doctrina christiana, agens de illis, qui se ab aliis diuinas literas doceri non sinunt; sed præsumunt fore, vt earum notitiam,

Moyses.

D. Aug.

Diuinæ literæ ab aliis discendæ sunt.

A vel ex suo iudicio, vel ex diuino oraculo assequantur. *Non tentemus*, inquit, *Deum, vt ad Euangelium discendum nolimus ire in Ecclesias, aut prædicantem hominem audire. Non expectemus rapi vsque ad tertium cælum, & ibi audire ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui; aut ibi videre Dominum Iesum Christum, & ab illo potiùs quàm ab hominibus audire Euangelium: caueamus tales tentationes superbissimas, & periculosissimas; magísque cogitemus, & ipsum Apostolum Paulum, licet diuina & cælesti voce prostratum, & instructum; ad hominem tamen missum esse, vt Sacramenta perciperet, & copularetur Ecclesiæ.* Act. 9. num. 7. *Et Centurionem Cornelium, quamuis exauditas orationes eius, eleemosynásque respectas ei Angelus nunciauerit: Petro tamen traditum imbuendum.* Act. 10. n. 5. Sic ille. Vbi plura affert exempla de Eunucho per Philippum, Act. 8. num. 30. de Moyse per Iethro, Exodi 18. n. 18. non verò per Angelum edocto. Et statim duas adducit causas, ob quas expediat, homines per homines edoceri. Vnam, ad conseruandam humanæ naturæ dignitatem; quæ planè abiecta esset, nisi ad docendum assumeretur. *Et poterant vtique*, inquit, *omnia per Angelum fieri: sed abiecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur. Quomodo enim verum esset, quod dictum est, Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* 1. Corin. 3. n. 17. *si Deus de humano templo responsa non redderet; & totum, quod discendum hominibus tradi vellet, de cælo, atque per Angelos personaret?* Alteram, ad stabiliendam inter homines charitatem, quæ facilè deperiret, nisi docentium ac discentium vinculis necteretur. *Ipsa charitas*, inquit, *quæ sibi inuicem homines nodo vnitatis astringit, non haberet aditum refundendorum, & quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent.*

Duplex causa, cur homines per homines doceri oporteat.

B … C (marginal section letters)

XII.

Absurdum velle hominē sine homine doceri.

D. Hieron.

Quid ergo absurdius, quàm velle hominem absque homine edoceri, cùm rectus diuinæ prouidentiæ ordo postulet, vt homo per hominem doceatur? D. Hieronymus in Epist. 4. ad Rusticum Monachum, De forma viuendi, huiusmodi excitat, ac definit quæstionem. *Tractandum*, inquit, *est, vtrùm solus, an cum aliis in Monasterio viuere debeas? Mihi quidem placet, vt habeas sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absque Doctore ingrediaris viam, quam nunquàm ingressus es; statimque tibi in partem alteram declinandum sit, & errori pateas.* Et paulò pòst: *Nulla ars*, inquit, *absque magistro discitur. Etiam muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos.* Quod multis illustrans exemplis, tandem concludit: *Per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum; sed viuere debere in Monasterio sub vnius disciplina patris, consortióque multorum, vt ab illo discas humilitatem, ab alio patientiam; hic te silentium, ille doceat mansuetudinem, &c.* Quod cùm ita sit, miratur D. Nilus Abbas in libro ascetico, in 5. tom. Bibl. secundæ editionis, esse aliquem, qui sine magistro speret à se artem omnium difficillimam, religiosam nempe disciplinam, comparandam. *Nulla*, inquit, *ars sine tempore discitur, & absque præceptore. Ars artium sola sine magistro percipitur? Agriculturam non profitebitur illius ignarus: medicæ facultatis imperitus, opus medicum non attinget: solam Religionis disciplinam, vt rerum omnium facillimam, cùm sit omnium longè difficillima, audent indocti profiteri: & quod Paulus ait, nondum se comprehendisse*, Philip. 3. n. 13. *isti se planè cognitum, atque perfectum habere confirmant, qui ne id quidem sciunt, se nihil scire.* In eandem sententiam conspirat Abbas ille Moyses apud Cassianum collat. 2. c. 11.

Singulas virtutes, à singulis discendas esse.

Religiosa disciplina sine magistro non comparatur.

Cassianus.

c. 11. *Nullo*, inquit, *alio vitio tam præcipitem Diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam, cum eum, neglectis consiliis seniorum, suo iudicio persuaserit, definitionique confidere. Etenim, cùm omnes artes ac disciplinæ humano ingenio repertæ, & quæ nihil amplius, quàm vitæ huius commodo prosunt, licèt manu palpari queant, & oculis peruideri; rectè tamen à quoquam sine instituente doctrina nequeant comprehendi: quàm ineptum est credere, hanc solam non egere Doctore, quæ & inuisibilis, & occulta est, & quæ non solùm oculis, sed ne animo quidem, nisi corde purissimo perspici poterit; cuius error non temporale, damnum, nec quod facilè reparetur, sed animæ perditionem parit, mortemq́; perpetuam?* Plura de hac re D. Bonau. De alis Seraphin. cap. 1. & 2. & Cassianus lib. 4. Inst. c. 9. D. Greg. Naz. orat. 1.

D. Bonau. Cassian. D. Greg. Naz.

B

XIII. *Cœlestis sponsa ad pastores instruenda remittitur.*

Nemo igitur virtutis viam tutò aggreditur, nisi præeuntem magistrum insequatur. Hinc est, quòd cœlestis sponsa scire cupiens ab ipso Deo, *vbi pascat, vbi cubet in meridie*: ad pastores consulendos remittitur: *Abi*, inquit, *post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum*. Cant. 1. n. 8. Quasi diceret: Pastoricia tabernacula tibi esse poterunt diuina oracula, ex quibus quidquid scire cupias, si non feliciùs quàm ex me, certè humiliùs, & proinde tibi vtiliùs auscultes. Non procul abest ab hac interpretatione Theodor. qui pro tabernaculis pastorum, *apostolicas Ecclesias* intelligit, ex quibus credendi ac viuendi documenta hauriantur. Ad hos igitur pastores consulendos abeat, necesse est, quisquis ad perfectam sui, Deique notitiam acquirendam enitatur. Mirum est, quod lib. 10. De Vitis Patrum, c. 199. auctore Ioanne Moscho, narratur, Abbatem quendam eximiæ virum sanctitatis & simplicitatis, cui Angeli inter sacrificandum visibiles assistebant, de errore quodam ab Hæreticis per ignorantiam hausto, quem in Missa incurrebat, à suo Diacono admonitum, parum de admonitione curasse, ratum, si quid in sacrificio peccatum esset, ab Angelis, qui aderant, admonendum fuisse: illis autem tacentibus, signum esse, nulla in re factorum ritum violatum: sed iterum ac sæpius Diacono obtestante, vt suum illum deponeret errorem, tandem consuluisse Angelos, qui aderant sacrificanti; quibus dicentibus, vt Diacono bene monenti acquiesceret, subdidisse Abbatem: *Quare vos non dixistis mihi?* respondisse verò Angelos: *Deus ita disposuit, vt homines ab hominibus corrigantur.*

Theod.

C

Singulare exemplum de diuina prouidentia homines per homines docente. Ioannes Moschus.

D

XIV. *Ad contemplandum necessarius est magistrorum ductus.*

Huius diuinæ prouidentiæ non obscurum argumentum colligitur ex Moyse, ad quem diuinum oraculum: *Ascende*, inquit, *ad Dominum, tu & Aaron, Nadab & Abiu & septuaginta senes ex Israël*, &c. Exodi 24. num. 1. Cur, quæso, dum ad contemplationem euocatur, cum tanto comitatu ascendere iubetur, qui potiùs solitarius, vtpote ad contēplandum, profecturus fuisse videbatur? Aptè respondet ad rem præsentem Philo Hebræus lib. De migratione Abrahæ: *Enimverò*, inquit, *periculosum est, animam incomitatam ad contemplationem eius, Qui est, ascendere, si viam nesciens vale quid audeat, quòd ex ignorantia, temeritateque magna casus proueniant.* Et paulò pòst: *Præstat hic manere oberrando inter mortales, sicut magna pars humani generis, quam ad cœlum à se ipsis elatos subuerti per arrogantiam, sicut multis Sophistis contigit.* Vides, vt etiam Moyses contemplandi peritissimus suos contemplandi duces ac magistros prosequatur? Quis ignorat, Moysem in solitudine, Deum, seu Angelum, seu columnam superno quodam ministerio præeuntem, sui itineris ducem habuisse? & nihilominùs Hobab virum Madianitam obsecrabat, vt sibi ducem in eo itinere præstaret. *Noli*, inquit, *nos relinquere. Tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus: & eris ductor noster.* Numer. 10. num. 31. Vbi Lyra in expositione morali: *Quamuis*, inquit, *Deus esset dux illius populi; tamen Moyses volebat habere directionem hominis periti. Ex quo docemur, quod licèt nos Deus dirigat in via morum; tamen non debemus negligere adiutorium humanum.*

Philo.

E

Moyses doctus à Deo, adhuc tamen ab homine doceri cupiebat.

A

Sed & Magi, qui ab Oriente venerunt Hierosolymam, stella prælucente, & diuino Spiritu afflante, ab Hierosolyma Bethlehē vsque peruenerunt, priùs ab hominibus percontati: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Matth. 2. num. 2. Qua de re miratus D. Petrus Chrysol. serm. 156. *Quid*, inquit, *ab hominibus quærunt, qui per Deum nouerant, quod quærebant? Vt quid illis ad hoc, humanæ demonstrationis officium, quibus ad hoc cœli sydera ferwebant? Quò illis lucerna templi, quibus cœli sydus mirabile perlucebat?* Sed mirandum non est, cùm diuinæ prouidentiæ ratio postularit, vt homines per homines ducerentur; & assuescerent primi fidei possessores, non solùm per internos de cœlo afflatus, sed per externos de terra auditus, humiliùs ac securiùs gubernari. Non immeritò se Deus, ducendo Israëlitico populo subtraxit, & Angelum præfecit, quē Caiet. interpretatur ipsum Moysem, à populo manifestè audiendum: *Ecce ego mittam Angelum meum*, &c. *audi vocem eius*, &c. Exod. 23. num. 20. & 21. Et quidquid sit de illa Caiet. interpretatione, certè ille populus, quāuis à Deo peculiariter instructus; tamen externo Moysis imperio regebatur: ne qua superbia elatus supra hominem sibi videretur. Vnde D. Ioan. Clim. in primo gradu suę scalæ: *Quicunque*, inquit, *ex Ægypto egredi, Pharaonemq́; cupiunt effugere, prorsus Moyse aliquo ad Deum, ac post Deum, mediatore nobis opus est, qui pro nobis medius inter actionem & contemplationem stans, manus extendat ad Deum, vt hoc duce directi peccatorum traiiciamus mare, atque Amalech vitiorum Principem fugemus. Seducti igitur sunt, qui sibi ipsis confidentes, nullo sibi duce opus esse, arbitrati sunt.* Sic ille. Et affert exemplum Lot, qui non, nisi duce Angelo in virilem habitum induto, de Sodomis exiuit. Gen. 19. num. 14.

XV. *Magi ab Oriente diuinitùs ducti, adhuc tamen ad Bethlehem per homines deducantur.* D. Petr. Chrysol.

Caietanus. *Moyses Angelus.* *Populus à Deo instructus, adhuc tamē à Moyse instruebatur.* D. Ioan. Climacus. *Egredientis de Ægypto suus cuique Moyses necessarius.*

Hos igitur viæ suæ duces ac magistros nemo contemnat. Quid enim causæ est, quòd multi homines passim errent, nisi quòd suo potiùs iudicio, quàm alieno, cui subiici debebant, abducantur? *Omnes nos*, inquit Propheta, *quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit.* Isai. 53. num. 6. Datur enim rationem, ob quam omnes aberrauerint, dicit, vnumquenque in viam suam declinasse, hoc est, iudicio suo adhæsisse. In multos enim errores incidat, necesse est, qui non alium, quàm se ipsum sibi constituit magistrum. Quare D. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 1. Monachos ad maiores consulendos adhortatur: *Ne dum*, inquit, *se quisque sancto Spiritu impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & magister erroris fiat.* Quid enim nisi errorem docere potest, qui veram doctrinam discere dedignatur? Vnde D. Bernardus Epist. 87. ad Ogerium, magnoperè eum laudat, quòd repudiato Abbatis munere, maluerit aliorum magisterio subesse, quàm præesse. *De magistro*, inquit, *fieri denuo discipulus non erubuisti: nam cùm pastorali vinculo solutus posses tui remanere iuris; tu tamen sicut aliis dominari renueras, sic tibi quoque præesse timuisti, quiq́; vt magister esses aliorū, minus te iudicabas idoneum, nec te quidem tibi credens, tum fieri discipulus contempsisti. Et meritò, quia qui se sibi magistrum*

XVI. *Proprium iudicium multis causa errandi.*

D. Greg.

D. Bern. *Magister fieri discipulus non erubescas.*

loquutionem comparare. Nam sicut in ordine hierarchico Angelorum inferiores per superiores illuminantur : ita fieri à Deo solet inter homines, vt iuuenes per senes, ignari per sapientes, laici per Sacerdotes, subditi per suos Prælatos illustrentur. Ita ferè sentit D. Gregor. in vtroque Commentario huius loci. Nam in priori: *Vocauit*, inquit, *Deus puerum, sed voce magistro simili, vt profectò modum suæ loquutionis indicaret. Causam vocationis tacuit, vt electus puer, quæ humilitate obedientia esset, sublimis ostenderet. Ire ad præceptorem pertulit, vt deuotionis suæ munus offerret.* Itaque Deus, & expressit vocem Heli, & suppressit causam vocationis, vt discipulus ad magistrum docendus festinaret. In posteriori verò: *Vocatus*, inquit, *à Domino Samuel, ad Heli cucurrit, quia Ordo Prædicatorum in omni, quod spirituali reuelatione didicit, Patrum veterum dicta consulat; vt tunc demum à Domino sibi fuisse reuelatum crederet, cum ab eo, quod in sacra Scriptura legebat, nequaquam differre cognouisset. Nam facilè fallitur, qui hoc, quod occulta contemplatione colligit, in præclara sanctæ Scripturæ veritate nescit discernere, quale sit.* Præsertim, transfigurante se Satana *in Angelum lucis* 2. Corint. 11. num. 14 vt falsa pro veris ingerat, & obtrudat.

D. Greg.

X. Clariùs hanc rationem expressit Abbas ille Moyses apud Cassianum collat. 2. c. 14. Hortatus enim, vt suo quisque cedat, & maiorum suorum iudicio innitatur, subdit: *In tantum*, inquit, *placita Deo hæc sententia comprobatur, vt puerum Samuelem iudicio prælectum suo, nollet per semetipsum diuini colloquij disciplina Dominus erudire, sed recurrere semel & iterum pateretur ad senem, cumq́; quem ad suum vocabat alloquium, & quem sua vocatione dignissimum indicarat, etiam illius, qui offenderat Deum, senioris mallet institutione formari; vt scilicet, & illius, qui ad diuinum ministerium vocabatur, probaretur humilitas, & iunioribus forma subiectionis, huius proponeretur exemplo.* Quæ res pluribus potest exemplis & argumentis illustrari. Saulum vocauit de cælo Dominus; non tamen de rebus agendis pleniùs informauit : sed ad Ananiam informandum remisit. *Surge*, inquit, *& ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Actor. 9. n. 7. Cur, quæso, per semetipsum ad pietatem non instruxit, quem per semetipsum reuocauit ab impietate? Benè idem Abbas Moyses loco citato, cap. 15. *Misit*, inquit, *hunc ad seniorem, eumq́; illius potiùs doctrina, quàm sua censet instituì; ne, scilicet, quod rectè gestum fuisset in Paulo, posteris malum præsumptionis præberet exemplum, dum vnusquisque sibimet persuaderet, simili modo se quoque debere Dei solius magisterio, atque doctrina potius quàm seniorum institutione formari.*

Cedendum proprio iudicio, & maiorum acquiescendum. Cassian.

Deus non per se, sed per seniores erudit iuniores.

Saulus vocatur à Deo, vt remittatur instruendus ad Ananiam.

Moyses Abbas.

XI. Et quis miretur, nouitium Religionis alumnum ad veteranum sacrorum Antistitem remitti? cùm etiam ipse Paulus multa iam cælestium mysteriorum luce perfusus, & frequentium miraculorum potestate celebratus, Hierosolymam conscenderit, suum cum Apostolis Euangelium collaturus, *ne fortè in vacuum curreret, aut cucurrisset.* Galat. 2. n. 2. Cuius humilem prudentiam, prudentémque humilitatem admiratus Moyses, vbi suprà, in eos inuehitur, qui à suo se iudicio regi, & abduci patiuntur. *Quis ergo*, inquit, *tam præsumptor & cæcus sit, qui se audeat suo iudicio ac discretioni committere, cùm Vas electionis indiguisse se Coapostolorum suorum collatione, testetur?* Eandem doctrinam inculcat, & pluribus exemplis confirmat D. August. in prologo primi libri De doctrina christiana, agens de illis, qui se ab aliis diuinas literas doceri non sinunt; sed præsumunt fore, vt earum notitiam,

Paulus non solùm nouitium, sed etiam veteranus Apostolos consulebat.

Moyses.

D. Aug. *Diuinæ literæ ab aliis discendæ sunt.*

A vel ex suo iudicio, vel ex diuino oraculo assequantur. *Non tentemus*, inquit, *Deum, vt ad Euangelium discendum nolimus ire in Ecclesias, aut prædicantem hominem audire. Non expectemus rapi vsque ad tertium cælum, & ibi audire ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui; aut ibi videre Dominum Iesum Christum, & ab illo potiùs quàm ab hominibus audire Euangelium : caueamus tales tentationes superbissimas, & periculosissimas; magísque cogitemus, & ipsum Apostolum Paulum, licet diuina & cælesti voce prostratum, & instructum; ad hominem tamen missum esse, vt Sacramenta perciperet, & copularetur Ecclesiæ.* Act. 9. num. 7. *Et Centurionem Cornelium, quamuis exauditas orationes eius, eleemosynásque respectas ei Angelus nunciauerit : Petro tamen traditum imbuendum.* Act. 10. n. 5. Sic ille. Vbi plura affert exempla de Eunucho per Philippum, Act. 8. num. 30. de Moyse per Iethro, Exodi 18. n. 18. non verò per Angelum edocto. Et statim duas adducit causas, ob quas expediat, homines per homines edoceri. Vnam, ad conseruandam humanæ naturæ dignitatem; quæ planè abiecta esset, nisi ad docendum assumeretur. *Et poterant vtique*, inquit, *omnia per Angelum fieri : sed abiecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur. Quomodo enim verum esset, quod dictum est, Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* 1. Corin. 3. n. 17. *si Deus de humano templo responsa non redderet; & totum, quod discendum hominibus tradi vellet, de cælo, atque per Angelos personaret?* Alteram, ad stabiliendam inter homines charitatem, quæ facilè deperiret, nisi docentium ac discentium vinculis necteretur. *Ipsa charitas*, inquit, *quæ sibi inuicem homines nodo vnitatis astringit, non haberet aditum refundendorum, & quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent.*

Duplex causa, cur homines per homines doceri oporteat.

XII. Quid ergo absurdius, quàm velle hominem absque homine edoceri, cùm rectus diuinæ prouidentiæ ordo postulet, vt homo per hominem doceatur? D. Hieronymus in Epist. 4. ad Rusticum Monachum, De forma viuendi, huiusmodi excitat, ac definit quæstionem. *Tractandum*, inquit, *est, vtrùm solus, an cum aliis in Monasterio viuere debeas? Mihi quidem placet, vt habeas sanctorum contubernium, nec ipse te doceas, & absque Doctore ingrediaris viam, quam nunquàm ingressus es; statimque tibi in partem alteram declinandum sit, & errori pateas.* Et paulò pòst: *Nulla ars*, inquit, *absque magistro discitur. Etiam muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos.* Quod multis illustrans exemplis, tandem concludit: *Per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere debere in Monasterio sub vnius disciplina patris, consortióque multorum, vt ab illo discas humilitatem, ab alio patientiam; hic te silentium, ille doceat mansuetudinem, &c.* Quod cùm ita sit, miratur D. Nilus Abbas in libro ascetico, in 5. tom. Bibl. secundæ editionis, esse aliquem, qui sine magistro speret à se artem omnium difficillimam, religiosam nempe disciplinam, comparandam. *Nulla*, inquit, *ars sine tempore discitur, & absque præceptore. Ars artium sola sine magistro percipitur? Agriculturam non profitebitur illius ignarus : medicæ facultatis imperitus, opus medicum non attinget : solam Religionis disciplinam, vt rerum omnium facillimam, cùm sit omnium longè difficillima, audent indocti profiteri: & quod Paulus ait, nondum se comprehendisse*, Philip. 3. n. 13. *isti se planè cognitum, atque perfectam habere confirmant, qui ne id quidem sciunt, se nihil scire.* In eandem sententiam conspirat Abbas ille Moyses apud Cassianum collat. 2. c. 11.

Absurdum velle hominẽ sine homine doceri. D. Hieron.

Singulas virtutes, à singulis discendas esse.

Religiosa disciplina sine magistro non comparatur.

Cassianus.

c. 11. *Nullo*, inquit, *alio vitio tam præcipitem Diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam, cum eum, neglectis consiliis seniorum, suo iudicio persuaserit, definitionique considere. Etenim, cum omnes artes ac disciplinæ humano ingenio repertæ, & quæ nihil amplius, quàm vitæ huius commodis prosunt, licèt manu palpari queant, & oculis peruideri; rectè tamen à quoquam sine instituentis doctrina nequeant comprehendi: quàm ineptum est credere, hanc solam non egere Doctore, quæ & inuisibilis, & occulta est, & quæ non solùm oculis, sed ne animo quidem, nisi corde purissimo perspici poterit; cuius error non temporale, damnum, nec quod facilè reparetur, sed animæ perditionem parit, mortemq; perpetuam?* Plura de hac re D. Bonau. De alis Seraphin. cap. 1. & 2. & Cassianus lib. 4. Inst. c. 9. D. Greg. Naz. orat. 1.

D. Bonau. Cassian. D. Greg. Naz.

XIII. *Cælestis sponsa ad pastores instruenda remittitur.*

B Nemo igitur virtutis viam tutò aggreditur, nisi præeuntem magistrum insequatur. Hinc est, quòd cælestis sponsa scire cupiens ab ipso Deo, *vbi pascat, vbi cubet in meridie*: ad pastores consulendos remittatur: *Abi*, inquit, *post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Cant. 1. n. 8. Quasi diceret: Pastoricia tabernacula tibi esse poterunt diuina oracula, ex quibus quidquid scire cupias, si non feliciùs quàm ex me, certè humiliùs, & proinde tibi vtiliùs auscultes. Non procul abest ab hac interpretatione Theodor. qui pro tabernaculis pastorum, *apostolicas Ecclesias* intelligit, ex quibus credendi ac viuendi documenta hauriantur. Ad hos igitur pastores consulendos abeat, necesse est, quisquis ad
C perfectam sui, Deique notitiam acquirendam enitatur. Mirum est, quod lib. 10. De Vitis Patrum, c. 199. auctore Ioanne Moscho, narratur, Abbatem quendam eximiæ virum sanctitatis & simplicitatis, cui Angeli inter sacrificandum visibiles assistebant, de errore quodam ab Hæreticis per ignorantiam hausto, quem in Missa incurrebat, a suo Diacono admonitum, parum de admonitione curasse, ratum, si quid in sacrificio peccatum esset, ab Angelis, qui aderant, admonendum fuisse: illis autem tacentibus, signum esse, nulla in re sacrorum rituum violatum: sed iterum ac sæpiùs Diacono obtestante, vt suum illum deponeret errorem, tandem consuluisse Angelos, qui aderant sacrificanti; quibus dicentibus, vt Diacono bene
D monenti acquiesceret, subdidisse Abbatem: *Quare vos non dixistis mihi?* respondisse verò Angelos: *Deus ita disposuit, vt homines ab hominibus corrigantur.*

Theod.

Singulare exemplum de diuina prouidentia homines per homines docente. Ioannes Moschus.

XIV. *Ad contemplandum necessarius est magistrorum ductus.*

Huius diuinæ prouidentiæ non obscurum argumentum colligitur ex Moyse, ad quem diuinum oraculum: *Ascende*, inquit, *ad Dominum, tu & Aaron, Nadab & Abiu & septuaginta senes ex Israël*, &c. Exodi 24. num. 1. Cur, quæso, dum ad contemplationem euocatur, cum tanto comitatu ascendere iubetur, qui potiùs solitarius, vtpote ad contẽplandum, profecturus fuisse videbatur? Aptè respondet ad rem præsentem Philo Hebræus lib. De migratione Abrahæ: *Enimverò*, inquit, *periculosum est, animam incomitatam ad contemplationem
E eius, Qui est, ascendere, si viam nesciens tale quid audeat, quòd ex ignorantia, temeritatéque magni casus proueniant.* Et paulò pòst: *Præstat hic manere oberrando inter mortales, sicut magna pars humani generis, quam ad cælum à se ipsis elatos subuerti per arrogantiam, sicut multis Sophistis contigit.* Vides, vt etiam Moyses contemplandi peritissimus suos contemplandi duces ac magistros prosequatur? Quis ignorat, Moysem in solitudine, Deum, seu Angelum, seu columnam superno quodam ministerio præeuntem, sui itineris ducem habuisse? & ni-

Philo.

Moyses doctus à Deo, adhuc tamen ab homine doceri cupiebat.

A hilominùs Hobab virum Madianitam obsecrabat, vt sibi ducem in eo itinere præstaret. *Noli*, inquit, *nos relinquere. Tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus: & eris ductor noster.* Numer. 10. num. 31. Vbi Lyra in expositione morali: *Quamuis*, inquit, *Deus esset dux illius populi; tamen Moyses volebat habere directionem hominis periti. Ex quo docemur, quòd licèt nos Deus dirigat in via morum; tamen non debemus negligere adiutorium humanum.*

Sed & Magi, qui ab Oriente venerunt Hierosolymam, stella prælucente, & diuino Spiritu afflante, ab Hierosolyma Bethlehē vsque peruenerunt, priùs ab hominibus percontati: *Ubi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Matth. 2. num. 2. Qua de
B re miratus D. Petrus Chrysol. serm. 156. *Quid*, inquit, *ab hominibus quærunt, qui per Deum nouerant, quod quærebant? Vt quid illis ad hoc, humanæ demonstrationis officium, quibus ad hoc cæli sydera seruiebant? Quò illis lucerna templi, quibus cæli sydus mirabile perlucebat?* Sed mirandum non est, cùm diuinæ prouidentiæ ratio postularit, vt homines per homines ducerentur; & assuescerent primi fidei possessores, non solùm per internos de cælo afflatos, sed per externos de terra auditus, humiliùs ac securiùs gubernari. Non immeritò se Deus, ducendo Israelitico populo subtraxit, & Angelum præfecit, quē Caiet. interpretatur ipsum Moysem, à populo manifestè audiendum: *Ecce ego mittam Angelum meum*, &c. *audi vocem eius*, &c. Exod. 23.
C num. 20. & 21. Et quidquid sit de illa Caiet. interpretatione, certè ille populus, quāuis à Deo peculiariter instructus; tamen externo Moysis imperio regebatur: ne qua superbia elatus supra hominem sibi videretur. Vnde D. Ioan. Clim. in primo gradu suę scalæ: *Quicunque*, inquit, *ex Ægypto egredi, Pharaonemq; cupimus effugere, prorsus Moyse aliquo ad Deum, ac post Deum, mediatore nobis opus est, qui pro nobis medius inter actionem & contemplationem stans, manus extendat ad Deum, vt hoc duce directi peccatorum traiiciamus mare, atque Amalech vitiorum Principem fugemus. Seducti igitur sunt, qui sibi ipsis confidentes, nullo sibi duce opus esse, arbitrati sunt.* Sic ille. Et affert exemplum Lot, qui non, nisi duce Angelo in virilem habitum induto, de So-
D domis exiuit. Gen. 19. num. 14.

XV. *Magi ab Oriente diuinitùs ducti; adhuc tamen ad Bethlehem per homines deducuntur.* D. Petr. Chrysol.

Caietanus. *Moyses Angelus.* *Populus à Deo instructus, adhuc tamē à Moyse instruebatur.* D. Ioan. Climacus. *Egredientibus de Ægypto suus cuique Moyses necessarius.*

Hos igitur viæ suæ duces ac magistros nemo contemnat. Quid enim causæ est, quòd multi homines passim errent, nisi quòd suo potiùs iudicio, quàm alieno, cui subiici debebant, abducantur? *Omnes nos*, inquit Propheta, *quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit.* Isai. 53. num. 6. Daturus enim rationem, ob quam omnes aberrauerint, dicit, vnumquenque in viam suam declinasse, hoc est, iudicio suo adhæsisse. In multos enim errores incidat, necesse est, qui non alium, quàm se ipsum sibi constituit magistrum. Quare D. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 1. Monachos ad maiores consulendos adhortatur: *Ne dum*, inquit, *se quisque sancto Spiritu impletum præsumit, discipu-
E lus hominis esse despiciat, & magister erroris fiat.* Quid enim nisi errorem docere potest, qui veram doctrinam discere dedignatur? Vnde D. Bernardus Epist. 87. ad Ogerium, magnoperè eum laudat, quòd repudiato Abbatis munere, maluerit aliorum magisterio subesse, quàm præesse. *De magistro*, inquit, *fieri denuò discipulus non erubuisti: nam cùm pastorali vinculo solutus posses tui remanere iuris; tu tamen sicut aliis dominari renueras, sic tibi quoque præesse timuisti; quiq; vt magister esses aliorū, minùs te iudicabas idoneum, nec te quidem tibi credens, tuus fieri discipulus contempsisti. Et meritò, quia qui se sibi*

XVI. *Proprium iudicium multis causa errandi.*

D. Greg.

D. Bern. *Magister fieri discipulus non erubescat.*

magistrum

A loquutionem comparare. Nam sicut in ordine hierarchico Angelorum inferiores per superiores illuminantur: ita fieri à Deo solet inter homines, vt iuuenes per senes, ignari per sapientes, laïci per Sacerdotes, subditi per suos Prælatos illustrentur. Ita fere sentit D. Gregor. in vtroque Commentario huius loci. Nam in priori: *Vocauit*, inquit, *Deus puerum, sed voce magistro simili, vt profectò modum suæ loquutionis indicaret. Causam vocationis tacuit, vt electus puer, qua humilitate obedientiæ esset, sublimis ostenderet. Ire ad præceptorem pertulit, vt deuotionis suæ munus offerret.* Itaque Deus, & expressit vocem Heli, & suppressit causam vocationis, vt discipulus ad magistrum docendus festinaret. In posteriori verò: *Vocatus*, inquit, *à Domino Samuel, ad Heli cucurrit, quia Ordo Prædicatorum* B *in omni, quod spirituali reuelatione didicit, Patrum veterum dicta consuluit; vt tunc demum à Domino sibi fuisse reuelatum crederet, cum ab eo, quod in sacra Scriptura legebat, nequaquam differre cognouisset. Nam facilè fallitur, qui hoc, quod occulta contemplatione colligit, in præclara sanctæ Scripturæ veritate nescit discutere, quale sit.* Præsertim, transfigurante se Satana *in Angelum lucis* 2. Corint. 11. num. 14 vt falsa pro veris ingerat, & obtrudat.

D. Greg.

X. Clariùs hanc rationem expressit Abbas ille Moyses apud Cassianum collat. 2. c. 14. Hortatus enim, vt suo quisque cedat, & maiorum suorum iudicio innitatur, subdit: *In tantum*, inquit, *placita Deo hæc sententia comprobatur, vt puerum Samuelem iudicio prælectum suo, nollet per semet-* C *ipsum diuini colloquij disciplina Dominus erudire, sed recurrere semel & iterum pateretur ad senem, eumq; quem ad suum vocabat alloquium, & quem sua vocatione dignissimum iudicarat, etiam illius, qui offenderat Deum, senioris mallet institutione formari; vt scilicet, & illius, qui ad diuinum ministerium vocabatur, probaretur humilitas, & iunioribus forma subiectionis, huius proponeretur exemplo.* Quæ res pluribus potest exemplis & argumentis illustrari. Saulum vocauit de cælo Dominus; non tamen de rebus agendis pleniùs informauit: sed ad Ananiam informandum remisit. *Surge*, inquit, *& ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.* Actor. 9. n. 7. Cur, quæso, per semetipsum ad pietatem non instruxit, quem per semetipsum reuocauit ab D impietate? Bene idem Abbas Moyses loco citato, cap. 15. *Misit*, inquit, *hunc ad seniorem, eumq; illius potius doctrina, quam sua censuit instrui; ne, scilicet, quod rectè gestum fuisset in Paulo, posteris malum præsumptionis præberet exemplum, dum vnusquisque sibimet persuaderet, simili modo se quoque debere Dei solius magisterio, atque doctrina potius quàm seniorum institutione formari.*

Cedendum proprio iudicio, & maiorū acquiescendū. Cassian.

Deus non per se, sed per seniores erudit iuniores.

Saulus vocatur à Deo, vt remittatur instruendus ad Ananiam.

Moyses Abbas.

XI. Et quis miretur, nouitium Religionis alumnum ad veteranum sacrorum Antistitem remitti? cùm etiam ipse Paulus multa iam cælestium mysteriorum luce perfusus, & frequentium miraculorum potestate celebratus, Hierosolymam conscenderit, suum cum Apostolis Euangelium collaturus, *ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset.* Galat. 2. E n. 2. Cuius humilem prudentiam, prudentémque humilitatem admiratus Moyses, vbi suprà, in eos inuehitur, qui à suo se iudicio regi, & abduci patiuntur. *Quis ergo*, inquit, *tam præsumptor & cæcus sit, qui se audeat suo iudicio ac discretioni committere, cùm Vas electionis indiguisse se Coapostolorum suorum collatione, testetur?* Eandem doctrinam inculcat, & pluribus exemplis confirmat D. August. in prologo primi libri De doctrina christiana, agens de illis, qui se ab aliis diuinas literas doceri non sinunt; sed præsumunt fore, vt earum notitiam,

Paulus non solùm nouitium, sed etiam veteranus Apostolos consulebat.

Moyses.

D. Aug. *Diuinæ literæ ab aliis discendæ sunt.*

A vel ex suo iudicio, vel ex diuino oraculo assequantur. *Non tentemus*, inquit, *Deum, vt ad Euangelium discendum nolimus ire in Ecclesias, aut prædicantem hominem audire. Non expectemus rapi vsque ad tertium cælum, & ibi audire ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui; aut ibi videre Dominum Iesum Christum, & ab illo potius quam ab hominibus audire Euangelium: caueamus tales tentationes superbissimas, & periculosissimas; magisque cogitemus, & ipsum Apostolum Paulum, licèt diuina & cælesti voce prostratum, & instructum; ad hominem tamen missum esse, vt Sacramenta perciperet, & copularetur Ecclesiæ.* Act. 9. num. 7. *Et Centurionem Cornelium, quamuis exauditas orationes eius, eleemosynásque respectas ei Angelus nunciauerit: Petro tamen traditum imbuen-* B *dum.* Act. 10. n. 5. Sic ille. Vbi plura affert exempla de Eunucho per Philippum, Act. 8. num. 30. de Moyse per Iethro, Exodi 18. n. 18. non verò per Angelum edocto. Et statim duas adducit causas, ob quas expediat, homines per homines edoceri. Vnam, ad conseruandam humanæ naturæ dignitatem; quæ planè abiecta esset, nisi ad docendum assumeretur. *Et poterant vtique*, inquit, *omnia per Angelum fieri: sed abiecta esset humana conditio, si per homines hominibus verbum suum Deus ministrare nolle videretur. Quomodo enim verum esset, quod dictum est, Templum Dei sanctum est, quod estis vos.* 1. Corin. 3. n. 17. *si Deus de humano templo responsa non redderet; & totum, quod discendum hominibus tradi vellet, de cælo, atque per Angelos personaret?* C Alteram, ad stabiliendam inter homines charitatem, quæ facilè deperiret, nisi docentium ac discentium vinculis necteretur. *Ipsa charitas*, inquit, *quæ sibi inuicem homines nodo vnitatis astringit, non haberet aditum refundendorum, & quasi miscendorum sibimet animorum, si homines per homines nihil discerent.*

Duplex causa, cur homines per homines doceri oporteat.

XII. Quid ergo absurdius, quàm velle hominem absque homine edoceri, cùm rectus diuinæ prouidentiæ ordo postulet, vt homo per hominem doceatur? D. Hieronymus in Epist. 4. ad Rusticum Monachum, De forma viuendi, huiusmodi excitat, ac definit quæstionem. *Tractandum*, inquit, *est, vtrum solus, an cum aliis in Monasterio viuere debeas? Mihi quidem placet, vt habeas sanctorum con-* D *tubernium, nec ipse te doceas, & absque Doctore ingrediaris viam, quam nunquàm ingressus es; statimque tibi in partem alteram declinandum sit, & errori pateas.* Et paulò pòst: *Nulla ars*, inquit, *absque magistro discitur. Etiam muta animalia, & ferarum greges ductores sequuntur suos.* Quod multis illustrans exemplis, tandem concludit. *Per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum; sed viuere debere in Monasterio sub vnius disciplina patris, consortióque multorum, vt ab illo discas humilitatem, ab alio patientiam; hic te silentium, ille doceat mansuetudinem, &c.* Quod cùm ita sit, miratur D. Nilus Abbas in libro ascetico, in 5. tom. Bibl. secundæ editionis, esse aliquem, qui sine magistro speret à se artem omnium difficilli- E mam, religiosam nempe disciplinam, comparandam. *Nulla*, inquit, *ars sine tempore discitur, & absque præceptore. Ars artium sola sine magistro percipitur? Agriculturam non profitebitur illius ignarus: medica facultatis imperitus, opus medicum non attinget: solam Religionis disciplinam, vt rerum omnium facillimam, cùm sit omnium longè difficillima, audent indocti profiteri: & quod Paulus ait, nondum se comprehendisse,* Philip. 3. n. 13. *isti se planè cognitum, atque perfectum habere confirmant, qui ne id quidem sciunt, se nihil scire.* In eandem sententiam conspirat Abbas ille Moyses apud Cassianum collat. 2.

Absurdum velle hominē sine homine doceri. D. Hieron.

Singulas virtutes, à singulis discendas esse.

Religiosa disciplina sine magistro non comparatur.

Cassianus.

c. 11.

c. 11. *Nullo*, inquit, *alio vitio tam præcipitem Diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam, cum eum, neglectis consiliis seniorum, suo iudicio persuaserit, definitionique confidere. Etenim, cùm omnes artes ac disciplinæ humano ingenio repertæ, & quæ nihil ampliùs, quàm vitæ huius commodis prosunt, licèt manu palpari queant, & oculis perviderì; rectè tamen à quoquam sine instituentis doctrina nequeant comprehendi: quàm ineptum est credere, hanc solam non egere Doctore, quæ & inuisibilis, & occulta est, & quæ non solùm oculis, sed ne animo quidem, nisi corde purissimo perspici poterit; cuius error non temporale damnum, nec quod facilè reparetur, sed animæ perditionem paris, mortemq; perpetuam?* Plura de hac re D. Bonau. De alis Seraphin. cap. 1. & 2. & Cassianus lib. 4. Inst. c. 9. D. Greg. Naz. orat. 1.

D. Bonau. Cassian. D. Greg. Naz.

XIII. *Cælestis sponsa ad pastores instruenda remittitur.*

Nemo igitur virtutis viam tutò aggreditur, nisi præeuntem magistrum insequatur. Hinc est, quòd cælestis sponsa scite cupiens ab ipso Deo, *vbi pascas, vbi cubet in meridie*: ad pastores consulendos remittatur: *Abi*, inquit, *post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum*. Cant. 1. n. 8. Quasi diceret: Pastoricia tabernacula tibi esse poterunt diuina oracula, ex quibus quidquid scire cupias, si non feliciùs quàm ex me, certè humiliùs, & proinde tibi vtiliùs auscultes. Non procul abest ab hac interpretatiooe Theodor. qui pro tabernaculis pastorum, *apostolicas Ecclesias* intelligit, ex quibos credendi ac viuendi documenta hauriantur.. Ad hos igitur pastores consulendos abeat, necesse est, quisquis ad perfectam sui, Deique notitiam acquirendam enitator. Mirum est, quod lib. 1 n. De Vitis Patrum, c. 199. auctore Ioanne Moscho, narratur, Abbatem quendam eximiæ vitum sanctitatis & simplicitatis, cui Angeli inter sacrificandum visibiles assistebant, de errore quodam ab Hæreticis per ignorantiam hausto, quem in Missa incurrebat, à suo Diacono admonitum, parum de admonitione curasse, ratum, si quid in sacrificio peccatum esset, ab Angelis, qui aderant, admonendum fuisse: illis autem tacentibus, signum esse, nulla in re sacrorum ritum violatum: sed iterum ac sæpiùs Diacono obtestante, vt suum illum deponeret errorem, tandem coosuluisse Angelos, qui aderant sacrificanti; quibus dicentibos, vt Diacono bene monenti acquiesceret, subdidisse Abbatem: *Quare vos non dixistis mihi?* respondisse verò Angelos: *Deus ita disposuit, vt homines ab hominibus corrigantur.*

Theod.

Singulare exemplum de diuina prouidentia homines per homines docente. Ioannes Moschus.

XIV. *Ad contemplandum necessarium est magistrorum ductum.*

Huius diuinæ prouidentiæ non obscurum argumentum colligitur ex Moyse, ad quem diuinum oraculum: *Ascende*, inquit, *ad Dominum, tu & Aaron, Nadab & Abiu & septuaginta senes ex Israël*, &c. Exodi 24. num. 1. Cur, quæso, dum ad contemplationem euocatur, cum tanto comitatu ascendere iubetur, qui potiùs solitarius, vtpote ad contẽplandum, profecturus fuisse videbatur? Aptè respondet ad rem præsentem Philo Hebræus lib. De migratione Abrahæ: *Enimverò*, inquit, *periculosum est, animam incomitatam ad contemplationem eius, Qui est, ascendere, si viam nesciens tale quid audeat, quòd ex ignorantia, temeritatéque magni casus proueniant.* Et paulò pòst: *Præstat hic manere oberrando inter mortales, sicut magna pars humani generis, quam ad cælum à se ipsis elatos subuerti per arrogantiam, sicut multis Sophistis contigit.* Vides, vt etiam Moyses contemplandi peritissimus suos contemplandi duces ac magistros prosequatur? Quis ignorat, Moysem in solitudine, Deum, seu Angelum, seu columnam superno quodam ministerio præeuntem, sui itineris ducem habuisse? & ni-

Philo.

Moyses doctus à Deo, adhuc tamen ab homine doceri cupiebat.

A hilominùs Hobab virum Madianitam obsecrabat, vt sibi ducem in eo itinere præstaret. *Noli*, inquit, *nos relinquere. Tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus: & eris ductor noster.* Numer. 10. num. 31. Vbi Lyra in expositione morali: *Quamuis*, inquit, *Deus esset dux illius populi; tamen Moyses volebat habere directionem hominis periti. Ex quo docemur, quòd licèt nos Deus dirigat in via morum; tamen non debemus negligere adiutorium humanum.*

Sed & Magi, qui ab Oriente venerunt Hierosolymam, stella præluceute, & diuino Spiritu afflante, ab Hierosolyma Bethlehẽ vsque peruenerunt, priùs ab hominibus percontati: *Vbi est, qui natus est Rex Iudæorum?* Matth. 2. num. 2. Qua de
B re miratus D. Petrus Chrysol. serm. 156. *Quid*, inquit, *ab hominibus quærunt, qui per Deum nouerant, quod quærebant? Vt quid illis ad hoc, humanæ demonstrationis officium, quibus ad hoc cæli sydera seruiebant? Quò illis lucerna templi, quibus cæli sydus mirabile perlucebat?* Sed mirandum non est, cùm diuinæ prouidentiæ ratio postularit, vt homines per homines ducerentur; & assuescerent primi fidei possessores, non solùm per internos de cælo afflatus, sed per externos de terra auditus, humiliùs ac securiùs gubernari. Non immeritò se Deus, ducendo Israëlitico populo subtraxit, & Angelum præfecit, quẽ Caiet. interpretatur ipsum Moysem, à populo manifestè audiendum: *Ecce ego mittam Angelum meum*, &c. *audi vocem eius*, &c. Exod. 23.
C num. 20. & 21. Et quidquid sit de illa Caiet. interpretatione, certè ille populus, quãuis à Deo peculiariter instructus; tamen externo Moysis imperio regebatur: ne qua superbia elatus supra hominem sibi videretur. Vnde D. Ioan. Clim. in primo gradu suę scalæ: *Quicunque*, inquit, *ex Ægypto egredi, Pharaonemq; cupimus effugere, prorsus Moyse aliquo ad Deum, ac post Deum, mediatore nobis opus est, qui pro nobis medius inter actionem & contemplationem stans, manus extendat ad Deum, vt hoc duce directi peccatorum traiiciamus mare, atque Amalech vitiorum Principem fugemus. Seducti igitur sunt, qui sibi ipsis confidentes, nullo sibi duce opus esse, arbitrati sunt.* Sic ille. Et affert exemplum Lot, qui non, nisi duce Angelo in vitilem habitum induto, de Sodomis exiuit. Gen. 19. num. 14.
D

XV. *Magi ab Oriente diuinitùs ducti, adhuc tamen ad Bethlehem per homines deducuntur.* D. Petr. Chrysol.

Caietanus. *Moyses Angelus.* *Populus à Deo instructus, adhuc tamẽ à Moyse instruebatur.* D. Ioan. Climacus. *Egredientis de Ægypto suus cuique Moyses necessarius.*

Hos igitur viæ suæ duces ac magistros nemo contemnat. Quid enim causæ est, quòd multi homines passim errent, nisi quòd suo potiùs iudicio, quàm alieno, cui subiici debebant, abducantur? *Omnes nos*, inquit Propheta, *quasi oues errauimus, vnusquisque in viam suam declinauit.* Isai. 53. num. 6. Daturus enim rationem, ob quam omnes aberrauerint, dicit, vnumquenque in viam suam declinasse, hoc est, iudicio suo adhæsisse. In multos enim errores incidat, necesse est, qui non alium, quàm se ipsum sibi constituit magistrum. Quare D. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. 1. Monachos ad maiores consulendos adhortatur: *Ne dum*, inquit, *se quisque sancto Spiritu impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & magister erroris fiat.* Quid
E enim nisi errorem docere potest, qui veram doctrinam discere dedignatur? Vnde D. Bernardus Epist. 87. ad Ogerium, magnoperè eum laudat, quòd repudiato Abbatis munere, maluerit aliorum magisterio subesse, quàm præesse. *De magistro*, inquit, *fieri denuò discipulus non erubuisti: nam cùm pastorali vinculo solutus posses tui remanere iuris; tu tamen sicut aliis dominari renueras, sic tibi quoque præesse timuisti; quiq; vt magister esses aliorũ, minùs te iudicabas idoneum, nec te quidem tibi credens, tuus fieri discipulus contempsisti. Et meritò, quia qui se sibi*

XVI. *Proprium iudicium multis causa errandi.*

D. Greg.

D. Bern. *Magister fieri discipulus non erubescat.*

magistrum

magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. Et paulò pòst: *Ego*, inquit, *de me expertus sum, quod dico; & faciliùs possum imperare, & securius possum præesse aliis multis, quàm soli mihi.* Cùm igitur nemo sibi bonus magister esse possit, neque à Deo immediatè doceri debeat, ne infletur: meritò Samuel diuino spiritu ducitur ad Heli, priusquàm Deum alloquatur, vt ab eo, & humiliùs, & vtiliùs discat, quo pacto Deum audiat, Deo respondeat, & quidquid a Deo imperetur, diligenter exequatur. Atque hæc de priori ratione. De qua paulò inferiùs n. 17. iterum dicendi occasio redibit.

Faciliùs quisque aliis, quàm sibi præest.

XVII. *Samuel vocatus à Deo recurrit ad Heli, vt maior oraculo fides habeatur.* Theod.

Posterior ratio ex parte Heli fuit, vt Sacerdos videns puerum sæpè deceptum, non dubitaret, fuisse à Deo euocatum, & proinde eius dictis, tanquam ex oraculo editis fidem haberet. Ita docuit Theod. ad hunc locum, q. 9. *Quoniam*, inquit, *Deus erat mala prædicturus Heli per Samuelem, ne videretur Samuel finxisse reuelationem; Deus ita rem dispensat, vt cùm Heli quidem crederet, quòd Deus vocaret Samuelem; non esset suspectus Samuel, tanquàm qui finxisset; sed ei fides haberetur, vtpote, cui diuina facta esset reuelatio.* In eandem interpretationem conspirat Abulensis. Non multò aliter Rup. hic c. 11. sentit abiisse Samuelem ad Heli, non solùm, vt Heli posteà crederet, quæ à Samuele accepisset: sed etiam, vt Samuel manifestare faciliùs auderet, quę à Deo auscultasset: *Dominus*, inquit, *in illum*, nempe Samuelem, *ita sua moderatus est gratiam vocationis, vt priùs is, contra quem mittebatur, vocatum illum esse à Domino, sciret, quàm ipse, qui vocatus est: sicq́ factum est, vt is, qui visionem indicare timuisset, celare non auderet, tacere non posset.* In quibus expositionibus in primis nota, quàm difficiles sint Principes ad credenda ea, quæ sibi pariunt dolorem: nisi enim ea à Deo reuelata certò sciant, figmēta credunt. Deinde quantoperè à Deo suorum Prophetarum auctoritas curetur: de illa enim ne quis dubitet, se illis familiarissimum ostendit, idq́ue aliis notum esse vult, & exploratum, ne mentitos putent eos, cum quibus sciant, Deum familiariter sermocinatum. Tandem quanto timore subditi auertantur à suis Prælatis admonendis, vetiti, ne illis infensi, molestique efficiantur: ita vt, nisi Deo facilè ad id aditum aperiente, semper timeant, semper retardentur. Quæ omnia suis posteà locis illustrabuntur.

Abul.
Rupert.
Imò vt ipse Samuel audentior fieret ad oraculum reuelandum.

Principes difficiles ad credenda iniucunda.

Prophetarum auctoritas à Deo curatur.

Subditi verentur suos Principes admonere.

XVIII. *Obedientia cæca magis credit verbo Prælati, quàm proprio experimento.*

Non vocaui, &c. Non minor mihi videtur obedientia Samuelis, in hoc regressu ad cubitū, quàm in illo primo progressu ad Sacerdotem. Primò, quia progrediens, voluntatem obedientiæ subiecit: at verò regrediens etiam intellectum, qui difficiliùs patitur imperium. Patet, quia cùm ipse certo experimento cognouisset, se euocatum fuisse ab Heli: nihilominùs ab eo audiens non euocatum, *Non vocaui*: statim acquieuit, & potiùs credidit Sacerdotis verbo, quàm proprio experimento. Hoc illud est biuium satis anceps, ad quod se redactum sensit Abraham, & ex quo sola eum obedientia expediuit. Audierat à Deo non solùm magnam sibi posteritatē fore, Gen. 15. n. 4. sed etiam nasciturum sibi filium Isaac, eiusque sobolem feliciter propagandam. Gen. 17. n. 19. & Genes. 21. n. 13. Posteà verò audit illum vnicum, ex quo tota propagationis spes pendebat, iugulādum, & comburendum Domino in holocaustum. Gen. 22. n. 1. Quid igitur Patriarcha inter promissiones, & pręceptiones adeò repugnantes constitutus? *In spem*, inquit, *Apostolus, contra spem credidit, vt fieret pater multarum gentium.* Rom. 4. num. 18.

Abraham inter promissa, & præcepta contraria cæcus obediuit.

XIX. Theod.

Laudat quidem Theod. q. 72. in Gen. huius viri obedientiam, quòd obedientiæ legibus contra le-
A ges naturæ satisfecerit: *Patriarcha*, inquit, *inter naturam & fidem constitutus, cùm vtrinque prehensaretur, fidei dedit palmam victoriæ.* Magna quidem laus. Nam & patrem se illius pueri, & seruum Dei recognoscebat: patrem à filij nece naturalis amor reuocabat; seruum ad eandem necem diuinum imperium impellebat: in eodem parentis animo natura, & obedientia luctabantur. Sed tandem cessit natura, palmam obedientia reportauit. Certè mirum non est de natura obedientiam triumphasse; cùm hæc diuinas ad pugnandum vires, illa tantùm humanas sortiatur. At obedientia contra obedientiam, fide contra fidem, spe contra spem (vt in prima statim facie videbatur) congrediente; quis tandem pugnæ finis? quis victoriæ modus esse posset?
B Nullus planè: nisi ab illo adhiberetur, qui in obsequium fidei, & obedientiæ, intellectum captiuauit. Talis Abraham credidit promittenti, & paruit præcipienti, nihil curans, nec attendens, an promissa præceptis repugnarent.

Obedientia contra naturam.

Obedientia contra obedientiam, fides cōtra fidē quodammodo pugnat, & vincit.

XX. *Samuel in vocem contra vocem obediuit.*

Sic igitur & Samuel. In vocem contra vocem obediuit. Nam & vocatum se agnouit, & non vocatum sibi persuasit: nec tam sibi, quàm suo credidit præceptori; immò pugnantia inter se imperia à somno euocantis, & ad somnum remittentis non attendit: non quidem, quia puer (quidquid sentiat Abul.) qui has difficultates non curat; sed quia obediens, qui sibi imperata non discernit. Vnde D. Greg. in priori huius loci commentario: *Puer*, inquit, *humiliter homini subiectus, atque obe-*
C *dientiæ ardua arce sublimatus, dum vocatus accessit, iussus rediit: quid aliud nobis præbet, nisi altissimā formam obedientiæ? Vera nāque obedientia nec præceptorum intentionem discutit, nec præcepta discernit: nescit enim iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire.* Et paulò pòst: *Quis*, inquit, *nostrum se se à murmuratione compesceret? quis ab ira temperaret, si vocatum se bis, & ter audiret; & tamen ex vocantis responso perciperet, quia vocatus minimè fuisset? Puer autem Samuel nec vocatus, nec repulsus offenditur, quia vocantis aut repellentis animum videre noluit, qui in hoc solo gaudere nouerat, quòd obediuit.*

Abul.

D.Greg.

Verus obediēs nec iudicat, nec discernit.

XXI. D. Petr. Dam. *Samuel verus obediens non calumniatur Prælatum, etiam negligentem.*

Alium non minùs laudabilem candorem, ac simplicitatem in Samuelis obedientia deprehendit D. Petr. Dam. lib. 6. Epist. 26. qui senem in filios
D tam remissum, in se verò tam rigidum expertus non accusarit: *Caue*, inquit, *ne dum obedire detrectas, in negligentem, quod absit, Præpositum calumniam querula mordacitate deuoluas. Samuel ergo ad memoriam redeat, qui desidem inertémque magistrum, tam patienter, tam humiliter coluit; & intempesta noctis silentio ter vocatus accurreret, totiésque interrupti soporis excubias non doleret. Poterat enim modò, velut expostulans obiicere; cur, inquiens, non vereris extraneo tam auctoritate præcipere, qui segnis es, filiis imperare? Qui tamen, Scriptura teste, non tumuit, non querulus sugillauit; sed ad iubentis imperium perniciter peruolans, simpliciter ait: Ecce ego.* Itaque Samuel in iubentis imperium adeò conspirabat, vt ne minimùm quidem contra eius auctoritatem sibi iu-
E dicium obrepere pateretur.

XXII. *Samuel velociùs lectū deseruit, quàm repetiit.*

Secundò, optimum obedientiæ documentum præbuit, quia velocior fuit ad deserendum lectum, quàm ad repetendum. Nam vocatus è cubitu, dicitur cucurrisse: *Cucurrit ad Heli*, à verbo רוץ quod est, *Ruts*, currere ac festinare: ad cubitum autem remissus, dicitur solùm abiisse: *Abiit, & dormiuit*, à verbo הָלַךְ *Halac*, quod est ambulare, seu incedere. Verus enim obediens, etsi in omnibus obtemperet: tamen ad laborem celeriter volat, ad quietem pedetentim ambulat: ad sublimia tardus, ad humilia festinus. Vnde D. Greg. lib. 35. Mor. c. 10. *Cùm*

Verus obediēs ad suauia tardus, ad ardua festinus. D.Greg.

c.10. *Cùm*, inquit, *huius mundi successus præcipitur, cùm locus superior imperatur; is, qui ad percipienda hæc obedit, obedientiæ sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Rursùm, cùm mundi despectus præcipitur; cùm probra & contumeliæ iubentur, nisi ex se ipso animus hæc appetat, obedientiæ sibi meritum minuit; quia ad ea, quæ in hac vita despecta sunt, inuitus nolensq; descendit.* A

XXIII. *D. Paulus ad labores missus volabat.*

Quod exemplo Moysis, ac D. Pauli illustrat. Nam Paulus missus ad laborãdum Hierosolymis, alatos pedes gerere videbatur, adeò celeriter volabat. *Ego*, inquit, *non solùm alligari, sed etiam mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Actor.21.n.13. At verò Moyses missus ad imperandum in Ægyptũ, pedes gerebat quodammodo plumbatos; adeò tardè incedebat. *Quis*, inquit, *sum ego, vt vadam ad Pharaonem*, &c. Exodi 3.n.11. vbi multis aliis excusationibus tergiuersatur, & reluctatur, ne tã speciosã suscipiat prouinciam. Concludit igitur D.Greg. *Præeunte ergo vtrorunque ducum infracta virtute instituimur, vt si obedientiæ palmam apprehendere veraciter aitimur, prosperis huius seculi ex sola iussione; aduersis autem ex deuotione militemus.* Vnde D.Petrum ab honore se excusantem: *Non lauabis mihi pedes in æternum.* Ioan.13.n.8. vocat D. Cyril. Alex. *reuerenter inobedientem.* Et illam inobedientiam, vt sic appellem, Ieremiæ, munus propheticum recusantis: *Nescio loqui, quia puer ego sum*, Ier.1.n.6. docet D. Hieron. fuisse *egregie pudore decoratam.* Et illorum cæcorum, qui a Christo Domino sanati, miraculum cum sui capitis periculo contra Christi comminationem prædicarunt, Matt.9.n.31. vocat Theoph. *gratam inobedientiam.* Meritò igitur Samuel, qui ad laborandum velociter cucurrit, ad quiescendum pedetentim ambulauit. In quo se præbuit non segniter, sed humiliter obedientem.

Moyses ad honores missus cunctabatur. B

Obediens ab honoribus se excusans, suã meretur laudem.

D. Cyril.

D. Hieron.

C

Theoph.

XXIV. *Samuel facilius è lecto extrahitur, quàm ad lectum reducitur.*

Tertiò, singulariter obediens fuit, quia minori vi indiguit, vt extraheretur è lecto, quàm vt ad lectum reduceretur. Nam vt extraheretur, satis fuit nominari, *Samuel*, quin vllum præceptum adderetur, *Veni*: vt superiori num. aduerti. At verò, vt reduceretur, imperio opus fuit: *Reuertere, & dormi.* Quò enim promptior erat ad laborem, quàm ad quietem, eò minori vi ad laborem subeundum, quàm ad quietem repetendam, indigebat. Optimus Abrahæ imitator, quem, vt Deus ad iugulandum filium excitaret, etiam dormientem; nullis clamoribus vsus est, sed miti & placida voce, *dixit ad eum: Abraham, Abraham.* Gen. 22.n.1. vt autem à iugulando filio reuocaret, etiam vigilantem; *de cælo clamauit.* Ibidem, num. 11. minùs enim calcar ad difficilia, quàm ad facilia præcepta exequenda requirebat. Vt eorum præposteram inobedientiam confunderet, qui ad delectabilia vocati solo nutu præuolant, ad ardua tamen, ac laboriosa missi, vix vi trahuntur. D

Abraham maiori vi impellitur ad iugulandum filium, quàm ad seruandũ.

XXV. *Samuel etiam in re facili obediuit.*

Quartò, & vltimò, obedientem se exhibuit Samuel, etiam facile, & delectabile opus, qualis fuit regressus ad somnum, exequendo. Perfectio enim obedientiæ non tam difficultatem operis, quàm auctoritatem iubentis, intuetur; siue enim magna, siue parua iubeantur, dummodò præcipientis auctoritas præcipuè attendatur, perfecta obedientia exercetur. Vnde D. Greg. in priori Commentario: *Præceptum*, inquit, *in hoc solo pensari debet, quòd maioris præceptum est; & qui obedientia bonum exequitur, non iniunctum opus debet considerare, sed fructum: quia ad promerenda æterna vitæ gaudia non exquiritur qualitas operis, sed executio alienæ voluntatis.* Quod egregiè confirmat ex Apostolo: *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est: sed obseruatio mandatorum Dei.* 1. Corin. 7. num. 19. Neque enim difficultas circuncisionis augebat meritum, neque facilitas præputij minuebat: sed vbicunque daretur executio diuini præcepti, siue difficilis, siue facilis obedientia coronabatur. Nónne primus parens ex facilis præcepti transgressione magnam traxit ruinam? Quid ergo mirum, si obediens ex facilis præcepti exequutione magnam gloriam consequatur? Sic ex hoc loco D. Greg. argumentatur: *Si parua*, inquit, *maiorum imperia contempta, ab æternis gaudiis separant: etiam minima, quæ perficiuntur, vitam parant.* Et paulò pòst: *Nec magna*, inquit, *lucra ieiunij, nec aspera vitæ studia deuotis Christi militibus in maiorum præcepto valdè pensanda sunt. Maioris etenim est meriti, coniuncta refectio, ieiunio propria deliberatione suscepto. Qui enim iussus carnem reficit, ieiunij præmium deuotione promeruit, & ampliorem mercedem obedientia manducando conquisiuit.* Sic igitur & Samuel maiorem coronam reportauit ex obedientia dormiendo, quàm alij ex propria voluntate vigilando.

D.Greg.

Obedientia spectatur non penes difficultatem rei imperatæ, sed penes voluntatem obtemperantis. E

Sicut transgressio facilis præcepti magnum malum molitur; ita obseruatio magnum bonum.

Præstat refectio ex obedientia, quàm ieiunium ex propria voluntate.

Num. VI. Et adiecit Dominus rursùm vocare Samuelem, consurgénsque Samuel, abiit ad Heli, & dixit: Ecce ego, quia vocasti me. Qui respondit: Non vocaui te, fili mi; reuertere, & dormi.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Hebraismus.*

ET *adiecit Dominus, &c.* Iterum à Deo vocatur Samuel. Iterum abit ad Heli. Iterum ad dormiendum remittitur. Quæ omnia ex præcedenti versiculo iam innotescunt. Illud noui in singulis membris perstringendum: In primo quidem, Hebraïsmum esse illum, *Adiecit Dominus vocare*, pro; *Iterum vocauit*, vt transtulit Vatablus. Quemadmodum Isai.7.num. 10. *Adiecit Dominus loqui ad Achaz*, id est, iterum loquutus est ad Achaz, Isai. 52.n.1. *Non adiiciet vltra, vt pertranseat per te incircuncisus*: id est, Non pertransibit iterum. Iob. 39. num. 31. *Adiecit Dominus, & loquutus est ad Iob*: id est, Loquutus est iterum. Nahum. 1.num. 15. *Non adiiciet vltrà, vt pertranseat in te Belial*: id est, Iterum non pertransibit. Psalm.40.num. 9. *Nunquid qui dormit, non adiiciet, vt resurgat?* id est, Iterum non resurget. Et sic de aliis frequenter. Nec minùs frequens est illud, Addidit facere, pro, iterum fecit: vt videre est in fine huius capitis, n. 21. *Addidit Dominus vt appareret*: hoc est, iterum apparuit, vt ibi iterum obseruabimus.

II. *Obedientia Samuelis perseuerans.*

Consurgénsque Samuel, &c. In secundo huius versiculi membro obseruanda est, non solùm obedientia, sed etiam prudentia Samuelis. Obedientia quidem, quia semel deceptus non timuit, ne iterum deciperetur: sed iterum somnum abrupit, iterum è lecto exiliit, iterum se obtulit Sacerdoti; mallens errare bis, quàm semel non obtemperare. Septuaginta exprimunt, Samuelem abiisse ad Heli, τὸ δεύτερον, id est, secundò: sed is sensus, & ex fonte, & ex vulgata apertè colligitur; quamuis non exprimatur. Prudentia verò, quia iterum vocatus, non dicitur, statim respondisse è lecto, vt anteà; sed tacitum surrexisse: nec vt anteà cucurrisse ad Heli; sed solùm abiisse. Quid ergò? Prima illa ad obediendum celeritas elanguit? Absit. Immò potiùs hac in re, & nullam obedientis pueri diligentiam requiro; & prudentiam ætate maiorem suspicio, & admiror. Veritus

Prudentia Samuelis obedientiæ feruorem temperauit.

enim puer, ne Sacerdoti molestus foret, si eum iterum interpellaret, à quo fortè, vt anteà, minimè vocaretur; obedientiæ feruorem prudentia temperauit. Lentius igitur processit, quietiùs adfuit, submissiùs dixit: *Ecce ego.* Ne fortè dormientem, & non vocantem senem, è somno excitaret. Necesse enim est, vt sicut aliæ virtutes, ita & obedientia prudentiæ legibus temperetur.

Nouitij Religionis in virtutibus imprudentes, dū volunt esse nimis iusti. D. Bernar.

III. Quod aliquando Nouitij Religionis professores, tam in aliis virtutibus, quàm in obedientia minùs diligenter obseruant. In aliis quidem virtutibus, iuxta illud: *Adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Canticor. 1. num. 3. vbi D. Bernard. serm. 19. expendit illud *Nimis.* Quasi dum ad cæteras virtutes consequendas auidiùs, quàm par est, effunduntur, à recto obedientiæ tramite resilire non vereantur: *Ex obliquo,* inquit, *vos, qui nuper venistis, tangit spiritualis sermo: vestram illam, quam & nos frequenter reprimere conati sumus, minùs discretam vehementiam, immò intemperantiam prorsùs nimiùm obstinatam redarguens. Non vultis esse communi contenti vita; non sufficit vobis regulare ieiunium, non solennes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura, quam vobis partimur in vestimentis & alimentis. Priuata præfertis communibus. Qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursum de vobis vos intromittitis? Nam illam, qua toties Deum, conscientiis vestris testibus, offendistis, propriam scilicet voluntatem vestram, ecce nunc iterum magistrum habetis, non me.*

Imprudentes in obedientia, dū suos Prælatos importunè consulunt. D. Bernar.

IV. In obedientia verò, quia dum nimis obedientes esse volunt, suos Prælatos sæpiùs & importuniùs consulendo inquietant. Vnde est illa per Angelos obtestatio: *Adiuro vos per capreas, ceruósque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam.* Cant. 2. num. 7. vbi D. Bernardus serm. 52. *Quid sibi vult,* inquit, *adiuratio facta per istos? Profectò ne inquieta adolescentula audeant leui ex causa euocare dilectam à tam reuerendo collegio, cui toties admiscetur, quoties contemplando excedis; horum auctoritate terrentur.* Et paulò pòst de suis conqueritur subditis, sæpiùs se, quàm oportebat, interpellantibus: *Sunt,* inquit, *de hic sedentibus, qui vtinam præsens capitulum attentiùs obseruarent. Cogitarent certè, quanta Præpositis reuerentia debeatur, quos temerè inquietando, cæli quoque ciuibus se reddunt infestos, & nobis fortè plusculum solito parcere demum inciperent, nec tam irreuerenter leuitérque se ingererent, cùm vacamus.* Hæc Diuus Bernardus. Quamuis statim (quæ illius erat eximia charitas erga subditos) liberam omnibus, & omni tempore se adeundi faciat potestatem. *Ne quis fortè,* inquit, *pusillanimis supra vires dissimulet à necessitatibus suis, dum me inquietare veretur: ipsi me vtantur, vt libet; tantùm vt salui fiant. Parcent mihi, si non pepercerint; & in eo potiùs requiescam, si non me inquietare timuerint pro necessitatibus suis,* &c. Sic ille. Igitur Samuel, ne hac in suum Prælatum irreuerentia vteretur, priorem celeritatem aliqua tarditate temperauit. Non cucurrit præceps, non irruit temerarius; ne, si non vocatus adesset, senem inquietaret: maturè tamen adfuit, ne suo muneri deesse videretur.

Charitas erga subditos.

Prælatorum beneuolentia fouet obedientiam subditorum.

V. *Qui respondit,* &c. In tertio tandem membro aduerte, respondisse Heli iisdem verbis, quibus anteà responderat: illis tamen additis, quæ anteà non apposuerat: *Fili mi:* vt Samuelis promptam obedientiam, semel & iterum repetitam, beneuolis & amicis verbis compensaret. Prælatorum enim beneuolentia fouet, augétque obedientiam subditorum. Immò tunc erit perfecta obedientia, cùm imperia & obsequia, non tanquàm inter dominos & seruos, sed tanquàm inter patres & filios exercebuntur. Nam, qui dominos se in subditos præbent, illos negligunt. Vnde olim Deus Hebræorum culpis irritatus: *Pactum,* inquit, *irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum.* Ierem. 31. numer. 32. Septuaginta transferunt: *Quoniam ipsi non manserunt in testamento meo; & ego neglexi eos.* Quasi cùm Deus se ostenderit illius populi dominatorem, pariter ostenderit & contemptorem. Idcircò Moysem laudat D. Hieronymus in Epist. 62. ad Theophilum; ex qua plura verba huc etiam spectantia, cap. 1. numer. 3. §. 16. iam citaui: laudat, inquam, Moysem, quòd non tanquàm Dominus imperare, sed tanquàm pater amare videretur. *Dux,* inquit, *ille Isräelitici exercitus, qui decem plagis afflixerat Ægyptum, & ad cuius imperium cælum & terra & maria seruiebant, inter cunctos homines, quos tunc terra generauit, mansuetissimus prædicatur; & ideò per quadraginta annos obtinuit principatum, quia potestatis superbiam lenitate & mansuetudine temperabat.* Ac si ille, qui ad amandum pronus est, aptus sit ad imperandum. Vnde in Scriptura Reges & Principes frequenter dicuntur pastores; quia, vt tradit D. Hieronym. in cap. 38. Ezech. *Superbum nomen imperij, pastoris vocabulo mitigatur.* Immò pastores, & amatores eisdem literis Hebraicè scribuntur, vt Diuus Hieronymus in Epist. 125. ad Damasum, respondens ad secundam eius quæstionem, in fine, testatur. Pastores enim dicuntur רֹעִים *Roghim:* amatores verò רֵעִים *Reghim:* vbi vocabula literis eadem vno tantùm puncto distinguuntur: quia totum pastoris munus, sicut & amatoris, esse debet suos amare. Quare D. Petro non priùs potestas in oues, agnósque committitur, quàm ab eo charitas exigatur. Ioan. 21. num. 15. & sequentibus. Ruit enim potestas, quam charitas non sustentat.

Qui dominātur aspernantur.

D. Hieron.

Moyses non vt dominus, sed pater feliciter gubernauit.

Reges ad declinandā tumidum dicūtur pastores. D. Hieron.

Pastores, amatores.

Prælatis amare debent subditi redamare.

VI. Quòd si paternus amor requiritur in Prælatis, non debet filialis amor in subditis desiderari, iuxta illud: *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis.* 1. Petri 1. n. 22. Nam hæc sola obedientia animas castificat, seu, vt est in Græco, *sanctificat:* hæc sola seruitute liberat, & libertate donat, & filios facit ex seruis. Propterea Apostolus, vt loquitur D. Bernardus, Tract. De præcepto, & dispensatione, *hanc obedientiam sequestrat ab illa inerti & seruili obedientia, nec charitati prompta, sed obnoxia necessitati.* Igitur, cùm Samuel filium se præstiterit erga Heli; mirum non est, si Heli erga Samuelem se exhibuerit parentem.

D. Bernar.

Num. VII. Porro Samuel nec dum sciebat Dominum, neque reuelatus fuerat ei sermo Domini.

EXPOSITIO LITERÆ.

Triplicitèr Deus ignoratur, sed nullo modo à Samuele.

I. **N**Ec dum sciebat Dominum, &c. Non dicitur Samuel nescire Deū per infantiā, aut perfidiā, aut prauam affectionē, qui sunt tres modi, quibus Deus potest ignorari: nam prima ignorantia non cadebat in puerum duodennem, qualem tūc agebat Samuel, vt Num. 1. diximus. Secunda non cadebat in Israëlitem, sub id temporis, veri Nominis cultorem, qualis erat Samuel; sed in gentes vario idolorum cultui mancipatas. Tertia denique non cadebat in optimum adolescentem, egregiis moribus instructum, qualem fuisse Samuelem, patet ex dictis, patebitque ampliùs ex dicendis: sed in improbos iuuenes, quales erant filij Heli, *Nescientes Dominum, neque officium*

Sacer

Sacerdotum: vt cap. præcedenti, num. 12. explicauimus.

II. *Samuel duplicem de Deo habuit ignorantiam.*

Dupliciter igitur dici potest, Samuel Deum ignorasse. Primò, clarè, & quidditatiuè, vt Theologi loquuntur. Secundò, experimentaliter, & propheticè. Prior ignorantia omnibus hominibus in hac vita communis est. Nam Deus *lucem inhabitat inaccessibilem.* 1. Timoth. 6. n. 16. Quia, vt notat D. Chrysostomus hom. 3. De incomprehensibili Dei natura, non solùm ipse Deus, verùm etiam Dei domus nostram superat cognitioné, nedum comprehensionem. Immò, vt cecinit Dauid, *Posuit tenebras latibulum suum.* Psal. 17. n. 12. Quia licèt natura diuina, vt docet D. Gregorius Nazianz. orat. 2. De Theologia, propter infinitam entitatem splendidissima lux sit; tamen ob eius incomprehensibilitatem, tenebræ appellatur. Et quamuis, eius domus, si magnificentia spectetur, augustissimum sit palatium: tamen, si ignorantia, quæ de illo habetur, attendatur, occultissimum ac penitissimum latibulum videtur. Ideireò Deus ad Moysem: *Venio*, inquit, *ad te in caligine nubis.* Exodi 19. n. 9. quia nunquam in hac vita clarè cognoscitur. Nam, vt bene idem D. Greg. Naz. in Apologetico: *Quantùm*, inquit, *Deus percipitur, tantundem se subducit; amantesq; sui ex eo, quòd fugit, ac velut iam comprehensus se proripit, ad superna illicit.*

D. Chrys. *Quidditatiua de Deo ignorantia omnibus hominibus in hac vita communis.* D. Greg. Naz. D. Greg. Naz.

III. *Deus quò magis inuestigatur, eò magis ignoratur.*

Eandem diuinæ naturæ conditionem, quò magis inuestigatur, eò magis omnem creatam inuestigationem superantis, significauit olim Ethnicus Poëta & Philosophus Simonides, de quo cùm quæsisset Hiero Rex Syracusanus, quid, aut qualis esset Deus; deliberandi causa, diem postulauit: cùm idem ex eo postridie quæreret; biduum petiuit: cùm sæpiùs duplicaret numerum dierum, admitansque Hiero quæreret, cur id faceret? Quia, inquit, quantò diutiùs cogito, tantò mihi res videtur obscurior. Ita refert Tullius lib. 1. De natura Deorum. Simile quid tribuit Thaleti Tertullianus in Apol. c. 46. *Quid*, inquit, *Thales ille Princeps Physicorum sciscitanti Crœso de diuinitate, certum renuntiauit, commeatus deliberandi sæpè frustratus?* Quasi diceret, etsi largas ad deliberandum moras postularet, & plures, pluresque in dies responsum differret; nullum tamen satis certum de natura diuina reddere potuit. Nec immeritò: cùm etiam Plato, vt ibidem refert Tertullianus, affirmarit: *Factitatorem vniuersitatis, neque inueniri facilem, & inuentum enarrari in omnes difficilem.*

Tullius. Tert.

IV. *Deus ignorando cognoscitur.* D. Dionys. Areop.

Vnde non aliter à nobis, quàm ignoratione cognoscitur Deus, vt tradit D. Dionysius Areopagita cap. 7. De diuinis nominibus; cùm non quid sit, sed potiùs quid non sit, à nobis cognoscatur. *Neque enim*, inquit, *est aliquid eorum, quæ sunt; neque in aliqua creatura cognoscitur, & in omnibus omnia est, atque in nihilo nihil: & ex omnibus, cunctis agnoscitur; vt ex nullo, nemini.* Vbi Deum in primis vocat omnia, & nihil omnia, quia eminenter omnia continet: nihil, quia formaliter nihil est eorum, quæ existunt. Deinde addit, ex omnibus creaturis notum, & ex nulla notum esse: ex omnibus quidem notum, imperfectè; ex nulla notum, perfectissimè. In quem sensum Tertullianus in Apolog. cap. 17. *Deum*, inquit, *vis magnitudinis, & notum hominibus obiecit, & ignotum.* Quasi diceret, tanta est magnitudo diuina, vt nemo ignorare possit, quòd sit: nemo scire, quid sit. Rursus idem D. Dionysius Areopagita lib. De mystica Theologia, cap. 2. docet, sicut hominis simulacrum ex ligno fit, cædendo & detrahendo, excauando & amputando; ita Dei similitudinem à

Deus omnia, & nihil, ex omnibus creaturis notus, & ex nulla. Tert. D. Dionys. Areop.

A nobis efformari, negando de illo quidquid creatum est; sed cum hoc discrimine, quia per illam detractionem ex ligno tandem resultat naturale hominis simulacrum: per hanc autem negationem de Deo, nulla propria Dei similitudo, sed valdè imperfecta, & aliena efformatur.

V. *Si nomen Dei admirabile, quantò admirabilior substantia.*

Hæc apud se Regius Vates contemplatus, admirabundus exclamat: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* Psal. 8. num. 1. In quem locum D. Chrysostomus: *Vbi sunt, inquit, qui Dei naturam curiosè peruestigant? Si enim, cùm nomen eius dixisset, adeò admiratus est, vt obstupesceret; quomodo venia eis dabitur, qui se dicunt nosse Dei essentiam, cùm Propheta, nec quàm admirabile sit eius nomen, cognoscere potuerit?* Hinc **B** Sophar vnus è tribus Iobi amicis diuinam incomprehensibilitatem ostensurus: *Forsitan*, inquit, *vestigia Dei comprehendes? & vsque ad perfectum omnipotentem reperies? Excelsior cælo est; & quid facies? profundior inferno; & vnde cognosces? Longior terra mensura eius, & latior mari.* Iob. 11. num. 7. & seqq. Nam cùm omnis nostra cognitio certis terminis ac limitibus definiatur, Deum comprehendere non potest, qui nullis terminis ac limitibus continetur. Cui definitioni consentit illa, quam tradit D. Gregor. Naz. orat. 49. quæ est De Fide, circa medium: *Certè*, inquit, *hoc est Deus, quod, cùm dicitur, non potest dici; cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm definitur, ipsa definitione crescit; quem omnia nesciunt, & metuendo sciunt.*

Dei descriptio, seu definitio.

VI. *Vtilissima scientia, scire de Deo, quòd sciri nequeat.*

C Hoc igitur de Deo scire, quòd à nobis perfectè sciri non possit, vtilissima est scientia, nostram vt vilitatem agnoscamus. Quare, cùm Dauid lumine prophetico illustratus, incomprehensibilem Dei sublimitatem admiraretur; statim suam vilitatem multò clariùs quàm anteà perspexit. *Credidi*, inquit, *propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.* Psal. 115. n. 1. In quem locum D. Chrysostomus: *Quisquis*, inquit, *indicibilem Dei maiestatem oculo cordis cõtemplatur, & cognoscit Deũ homine tantò sublimiorem, quantò cælum formica sublimius; nil mirum, si obstupescat intra se, & dicat: Ego autem humiliatus sum nimis. Vnde & Abraham in comparatione Dei, terram se esse, & cinerem dicebat.* Genes. 18. num. 27. Contrà verò, quia nescitur **D** Dominus, nascitur superbia, Scriptura testante: *Initium superbiæ est, nescire Deum.* Eccles. 10. n. 17. Sic Chrysostomus. Vbi legit: *Nescire Deum*, pro, *apostatare à Deo*, vt est in vulgata. Consentit D. Gregor. lib. 18. Moral. c. 27. *Sancti*, inquit, *omnes quantò magis diuinitatis interna conspiciunt; tantò magis se nihil esse cognoscunt. Nusquam quippe legitur, quòd Abraham cinerem & puluerem se esse professus est, nisi cùm habere Dei meruit collocutionem. Esse enim se aliquem fortasse crederet, si veracem essentiam, quæ super ipsum est, minimè sensisset.*

D. Chrys. *Vbi cognoscitur diuina sublimitas, humana vilitas agnoscitur.* D. Greg.

VII. *Non solùm homines, sed etiam Angeli coram Deo caligant.*

Sed quid mirum, hominum oculos ad diuinæ perfectionis lucem caligare, cùm etiã caligare videantur & Angelorum? Ante Deũ olim Seraphim stabant, & volabant. Isai. 6. n. 2. In quem locum D. **E** Cyprianus in Prologo de cardinalibus operibus Christi; aut quisquis est ille Auctor: *Inaccessibilem*, inquit, *naturam hinc & inde Seraphim statu & volatu circumeunt: statu, immobilitatẽ æternitatis monstrantes: volatu verò, altitudinem eius sic eleuatam, vt quantumlibet ad cor altum homo ascendat, exaltetur Deus, & comprehensionis importunitatem euadat.* Vbi quãuis ex solo Angelorum volatu altitudinem naturæ diuinæ omnes eorũ conatus facilè superantis ostẽdat; tamẽ non incongruè ostendi potest ex eorum statu pariter & volatu; quasi diceret, Angelos stare & volare; quia quò altius ad Deum contem-

D. Cyprian.

plandum erigebantur, eò humiliùs in sua ignoratione consistebant. Quasi cùm iam diceres, eos omnia perlustrasse; tamen illi nihil adhuc attigisse sibi viderentur. Quò fortasse Dauid allusit, dicens: *Satiabor, cum apparuerit gloria tua.* Pſ. 16. numer. 15. Seu, vt est in Hebræo: *Cùm euigilauerit similitudo tua.* Similitudo, inquit, Dei, non ipse Deus: quia quamuis reuerà ipse Deus facie ad faciem videndus sit; tamen quemadmodum qui similitudinem videt, non cognoscit omnia, quæ sunt in eo, cuius illa est similitudo; sed multa adhuc ei supersunt cognoscenda: ita qui Deum clarè intuentur, non omnia, quæ de Deo sciri possunt, cognitione assequuntur, cùm adhuc ipse Deus infinitè perfectiùs à se ipso cognoscatur; immò & in infinitum perfectiùs ab aliis atque aliis cognosci queat. Si igitur vel ipsi comprehensores, Deum, quantùm cognosci potest, non cognoscunt; quid mirum, si eum non solùm Samuel, sed reliqui etiam ignorent viatores? Verùm de hac ignorantia non est hoc loco sermo, vt ex dicendis patebit.

Cur dicatur in patria videri similitudo Dei; cùm tamen ipse Deum clarè videatur.

VIII. Posterior ignorantia illa est, quam habent illi, qui propheticas reuelationes non suscipiunt, seu qui lumine prophetico de rebus occultis non illustrantur. Qualem habebat Iacob dicēs: *Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* Gen. 28. n. 16. Sciebat quidem per fidem adesse ibi Dominum præsentem; sed nesciebat per experientiam propheticam. Et propterea inquit D. Greg. *Ignoraſſe se illum perhibuit, cum familiariùs non agnouit.* Sic & Helisæus hanc se habere ignorantiam fatebatur, loquutus de Sunamite: *Anima, inquit, eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi.* 4. Reg. 4. n. 27. Externum quidem afflictionis signum oculis videbat: occultam causam ignorabat. Eadem laborabat ignorantia Ieremias exclamans: *A, A, A, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Ierem. 1. n. 6. seu, vt Chaldæus interpretatur, *Nescio vaticinari.* Et sunt, qui dicant, triplex illud A, balbutientis infantiæ signum, à Propheta non sine mysterio adiunctum, vt ostenderet, inscium se esse mysterij Trinitatis, cui nondum fuerat reuelatum. Sed quo pacto significare potuit ignorantiam de mysterio Trinitatis, qui nullam de illo notitiā habuisset? Tandem illi quoque Deum propheticè & experimentaliter ignorabant, de quibus Deus: *Me, inquit, de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt, quasi gens, quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit.* Isai. 58. n. 2. Quasi diceret, volunt quidem futurorum reuelationes habere; cùm tamen ipsi peccatorum tenebris inuoluantur. Nam, vt ibi D. Cyrillus Alexandrinus: *Cupiebant, inquit, bellorum, quæ denuntiabantur, exitus prescire, quasi populus iustitiam faciens, & iudicium Dei sui non deserens: id est, quasi legitimè versantes, & ministeriorum sibi traditorum optimi custodes, ac vitam agentes inculpatam, & conuersationis sanctæ ornamentis vestiti.* Vbi aduerte, quamuis spiritus propheticus aliquando etiam impiis hominibus conferatur: vt Balaamo, Num. 23. n. 7. Caiphæ, Ioan. 11. n. 52. ac denique multis in die Iudicij reprobandis, Matth. 7. n. 22. tamen impudentes esse, qui sceleru conscij, futurorum præscij esse volunt, eámque gratiam à Deo impetrare conantur, cùm tamen ipsi pessimam vitam, quam viuunt, non detestentur.

Deum ignorare dicuntur, qui prophetico lumine non illustrantur.

D. Greg.

Chaldæus. *Mysterium Trinitatis ignoratum ante lumen propheticum.*

D. Cyrill.

Impudenter appetūt spiritum propheticum, qui diabolicum habent.

IX. Dicuntur autem homines prophetici spiritus expertes, Deum nescire. Primò, figuratè, in effectu reuelato, quia nihil à Deo reuelatum agnoscunt. Secundò, propriè, in ipso principio reuelante, non quòd Deum absolutè ignorent, sed Deum reuelantem; quem sibi aliquid reuelare non experiuntur: cùm tamen veri Prophetæ non solùm de re sibi reuelata, sed etiam de Deo reuelante certissimi reddantur: vt D. Th. 2. 2. q. 171. art. 5. testatur. Tertiò, quia sicut Prophetæ per excellentiam dicūtur, Deum scire, quia cùm familiariùs cū Deo ineant commercium, illúmque coram audire, & videre sibi videantur, iuxta illud Sibyllæ 6. Æneid. prophetare volentis: *Deus, ecce Deus:* & illud Dei de Moyse propheticè illustrato: *Ore ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Num. 12. n. 8. Vnde D. Greg. ad hunc locum in illa Iacobi verba proximè citata: *Dominus est in loco isto, & ego nesciebam:* notitiam fidei, & prophetiæ ita distinguit, vt illam abstractiuam, hanc quodammodo intuitiuam & experimentalem facere videatur: *Dum, inquit Iacobus, eam, ad quam nouiter est assumptus, internæ lucis miratur speciem; quantum ante nescierit, experientia reuelatæ pulchritudinis agnoscit. Fide etenim velut fama, Deū cognoscimus; amore autem contemplationis, is, qui fama innotuit, nobis velut ex ostensione præsentia reuelatur.* Sicut, inquam, Prophetæ per excellentiam dicuntur, Deum scire: quia illa maximè familiari & experimentali de Deo notitia fruuntur: ita non Prophetæ Deum ignorare; non quòd simpliciter Dei ignoratione laborent; sed, quòd illa experimentali notitia & veluti ostensiua illustratiune, quam Prophetæ habent, destituantur.

Qui Prophetæ non sunt, Deū triplici ter ignorant.

D. Thom.

Virg.

D. Greg.

A B C D

De hac igitur ignorantia intelligendus est hic locus, vt docent communiter interpretes, Auctor quæst. hebr. D. Gregor. Rupert. Interlin. vterque Hugo, Victor & Cardin. Magist. hist. Dionys. Angel. Abul. Caiet. Sà, Serar. Marianus, & alij quibus adde Philonem in Antiquit. Biblicis. Et facilè probatur: tū, quia dicitur: *Nec dum sciebat:* quasi posteà cognituros, vtique propheticè; nam illa prior Dei notitia quidditatiua in hac vita nunquàm cōparatur: tum, quia ex ignoratione Dei redditur ratio, cur Samuel toties recurreret ad Heli; vt Abul. & Caiet. aduertunt, quæ non ex illa priori, sed ex hac posteriori ignoratione desumi potest; quasi sensus sit: cùm diuinā vocem nunquàm anteà audiuerit; nōn à Deo, sed ab Heli se vocatum existimabat: tum denique, quia statim: *Neque reuelatum fuerat ei sermo Domini;* seu, vt clariùs habet Chaldæus: *verbum prophetiæ:* vt in quo illa ignorantia Dei constiterit, explicaretur. Solet enim Scriptura, quod subobscurè dixerat, statim apertiùs explicare; vt Oleaster in procemio Pentateuchi, can. 5. plūribus exemplis illustrat. Quare D. Gregor. in priori Commentario, recolens, dictum fuisse initio huius capitis de Samuele, quòd *ministrabat Domino:* & inquirens, quomodo ministrare posset ei quē ignoraret, difficultatem ita soluit: *Quem, inquit, amore & ministerio nouerat, sermonis eius reuelatione nesciebat; nondum enim sic vocantem audierat, quem se cognouisse, & deuotione ministerij, & virtute testabatur amoris.* Igitur Samuel nondum ea familiaritate, qua Prophetæ solent, Dominum sciebat.

X. *Samuel Deū ex lumine prophetico ignorabat.*

Auctor. qu. D. Greg. Rupert. Interlin. Hugo Vict. Hugo Car. Magist. hist. Dionys. Angel. Abul. Caiet. Sà. Serar. Marian. Philo Biblicus.

Oleast.

D. Greg. *Samuel Deū per affectum nouerat, quem per lumen propheticum nesciebat.*

E

Num. VIII. Et adiecit Dominus, & vocauit adhuc Samuelem tertiò. Qui consurgens abiit ad Heli.

EXPOSITIO LITERÆ.

ET vocauit tertiò. Patent omnia ex dictis. Solùm inquiro, cur toties vocetur Samuel à Deo subobscurè, antequā Deus illū manifestè alloquatur? Triplex ratio assignari potest. Prima quæ ad literā magis

I. *Prima ratio, cur Samuel à Deo toties vocatur, et tam*

stos de eius spiritu prophetico.

magis accedit,& quę ad historiam continuandam propius spectat,est illa eadem,quā paulò superiùs n.5.§.16.ex Theod. & Ahul. reddidi,cur Samuel toties recurreret ad Heli: ob eandem enim caussam literalem sæpiùs à Deo vocatur,& sæpiùs ad Heli recurrit;nimirum,vt Heli videns Samuelem sæpiùs excitatum,sibi persuadeat,non fuisse deceptum vano aliquo spectro ac ludibrio insomniorum,quæ non solent tam ordinatè iterari, ac tam vniformiter redire; sed potiùs credat diuino oraculo excitum,proindéque non dubitet,ei,tanquā Prophetę Domini,fidem habere,in iis,quæ postea denuntiarit.Sic expressit Abul.Cæterùm Philo in Antiq.Biblicis,nescio, in quas nugas digreditur, dicens,vocationem,quæ semel atque iterum tantùm fiat,esse ab aliquo pessimo spiritu;quæ autem tertiò repetatur,esse à bono Angelo.Vnde significare videtur Samuelem tertiò euocatum, ne vlla relinqueretur suspicio, quin à bono spiritu vocaretur.Sed hoc commento quid vanius?An illa vocatio,quæ facta est ad Abraham secundò; *Vocauit autem Angelus Domini Abraham secundo de cælo.* Genes.22. n.15. & illa apparitio,quæ facta est ad Salomonem secundò: *Apparuit ei Dominus secundò,sicut apparuerat ei in Gabaon.*3.Reg.9.n.2.& illa alloquutio, quæ facta est ad Ieremiam secundò; *Factum est verbum Domini secundò ad me,dicens.* Ierem.1.n.13.& similes,à malo spiritu processêre? Quis sic insaniat,vt hoc dicere audeat? Opus igitur non est, vt diuina vocatio ter repetatur: cùm aliquando semel tantùm fiat;aliquando semel atque iterum duntaxat repetatur,vt Prophetas consulenti facilè erit inuenire.

Abul.
Philo Bibl.
Ratio Hebræorum commentitia.

II.
Lyra.
D.Greg.
Secunda ratio,quia Deus ab obscurioribus reuelationibus ad clariores processit.

Secunda ratio,ex Lyrano est; quia sicut ars, & natura ab imperfectis ad perfecta sensim progrediuntur:ita Deus paulatim ab obscurioribus reuelationibus ad clariores procedit. Non est ab hac ratione alienus D.Greg.lib.1.in Reges, c. 4. *Etsi,* inquit,*magna sint merita inchoantis subditi, quia tamen adhuc non in perfectione esse, sed in profectu conuersationis agnoscitur, ad eam loquutionem,qua omnipotens Deus per semetipsum loquitur, non pertingit. Per se quidem omnipotens Deus summus,& incircunscriptus spiritus magnis viris, & spiritualibus spiritualiter loquitur,cùm eorum mentibus indicat,& agenda,qua agant,& loquenda,qua sciant.* Quibus verbis significat processum diuinę cognitionis fieri iuxta processum virtutis:& sicut hæc à paruis initiis ad magna incrementa paulatim assurgit; ita & illa.

Deus paulatim se manifestauit Samueli.

Cui rationi fauere videtur Philo citatus in Antiquitat.Biblicis,dicens,Deum sub initium noluisse apparere Samueli sub aliqua diuinitatis specie, neque sermones cum eo miscere sub augustiori aliqua voce,quàm humana;ne puerum diuinarum reuelationum adhuc inexpertū perterreret. Nam si Moyses octogenarius,cùm Deum per ignem ex rubo auscultaret,expauit. Exod. 3.n. 3.quo pacto, inquit,Samuel adhuc puer,& octauum agens annum,vt ipse putat, Deum loquentem sustineret? Quare primò,nota hominis voce puerum excitauit:deinde ad diuinam vocem audiendam iam instructum & confirmatum palàm alloquutus est. Itaque Deus suam hominibus præsentiam non statim pandit,neque sub primo aspectu sua omnia mysteria euulgat: sed paulatim à minimis ad maxima deducit; & à paruis orsis, felices progressus feliciorésque exitus molitur.

III.
Prophetia per sua temporis interualla augebatur.

Quod non solum ratione Prophetarum,sed etiam ratione temporum illustrari potest. Temporum quidem: quia prophetia per singulas ætates maiora semper suscepit incrementa. Nam Moyses plus cognouit de Deo, quàm Abraham, Isaac &

A Iacob:postquam enim Deus suum nomen Moysi manifestauit, subdit: *Ego Dominus, qui apparui Abraham,Isaac & Iacob in Deo omnipotente,& nomen meum Adonai non indicaui eis.* Exodi 6.num.3. Quasi maior de Deo cognitio fuerit in Moyse, quam in antiquis Patribus præfuerit. Dauid plus cognouit,quàm Moyses, iuxta illud: *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.Super senes intellexi,quia mandata tua quæsiui* Psal.118.n.99.& 100. Apostoli plusquàm Dauid,cæterique Prophetæ, iuxta illud: *Multi Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt,& audire quæ auditis,& non audierunt.* Luc.10.n.24.Vnde est illud:*Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.*Dan.12.n.4.Nam,vt bene

B D. Greg.hom. 16. in Ezech. vbi totum hoc argumentum vberiùs illustrat: *Quantò,*inquit,*mundus ad extremitatem ducitur; tanto nobis æterna scientia aditus largiùs aperitur.*

D.Greg.

IV.
Animalia Ezechielis quaternas alas; Ioannis senas habebant: vt maior in lege noua, quàm in veteri cognitio significetur.

Hinc est,quòd animalia Ezechieli visa quaternas haberent pennas. Ezech. 1. num. 6. Quæ autem Ioannes vidit, senas alas. Apoc. 4. num. 8. vt maior rerum diuinarum intelligentia in statu gratiæ, quàm in statu legis significaretur. Vnde olim Deus in caligine nubis loquebatur.Exod.19. num. 9. At verò nunc in linguis igneis. Act. 2. num. 3. Quia quæ olim clàm insinuabat,nunc palam manifestat. Quò pertinet illa Dei promissio: *Pro ære,*inquit, *afferam aurum,& pro ferro afferam argentum.*Isa.60.n.17.Vbi D. Cyril. Alexand.

Idem aliis confirmatur argumentis.
D. Cyril.

C æris ac ferri nomine, legalem de Deo cognitionem;nomine autem argenti & auri euangelicam interpretatur; & quantùm aurum ære,argentum ferro pretiosius est, tantò asserit euangelicam de Deo scientiam esse legali pretiosiorem.

V.
Prophetæ sensim illustrabantur.

Iam verò in singulis Prophetis idem ostendi potest. Nam Ezechiel diuinorum mysteriorum fluuium ingressus, demergi sibi videbatur primū vsque ad talos:deinde vsque ad genua: posteà vsque ad renes:tandem ad eam altitudinem aquarum peruenire, quæ transuadari non posset. Ezech.47.à num. 3. quia ab exiguis diuinæ scientiæ guttulis prælibandis ad immensos gurgites hauriendos procedebat. Vnde D. Gregorius lib. 22. Moral. cap. 14. *Ipsa,* inquit, *sapientia, quæ*

D.Greg.

D *bonorum operum solet esse magistra, anhelanti menti per incrementa tribuitur.* Quia scilicet non tota simul,sed sua per interualla confertur.Immò perfectissima de Deo cognitio in angustias nostri cordis guttatim instillata,facilè recipitur:quæ tamen si vbertim infunditur,necesse est,vt ex nostra exiguitate tantam immensitatem non capiente,hac, illac refundatur. Eódem pertinet illa Christi Domini parabola regnum cælorum cum terra seminata comparantis: *Vltro enim,* inquit, *terra fructificat,primum herbam,deinde spicam,deinde plenum frumentum in spica.* Marc. 4. n.28.Vt enim segetes non repentè maturescunt;sed à paruis initiis per successiua incrementa suam tandem maturitatem assequuntur: ita Dei verbum sensim augescit;cùm tenuiter primùm infunditur,& posteà

Lux prophetica, vt seges paulatim crescit.

E copiosiùs communicatur.

VI.
Verbum Dei primùm onerat, posteà coronat.
D. Greg.

Vnde Iob euangelicæ doctrinæ studio inflammatus: *Quis,*inquit,*mihi tribuat, vt librum scribat ipse qui iudicat, vt in humero meo portem illum, & circundem illum,quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pronuntiabo illum.*Iob 31.à n.36.Vbi hunc diuini verbi progressum dupliciter ostendit. Primò, quia priùs in numero tanquā pondus,deinde in capite,tanquam diadema imponitur: vt ibi D. Greg. aduertit: *Quia,*inquit,*sacri eloquij mandata, si modò bene portantur in opere; post nobis coronam*

victoria exhibent in retributione. Secundò, quia per gradus suos illum pronuntiare desiderat. *Neque enim*, inquit D.Greg. *repentè ad summa peruenitur, sed ad virtutum celsitudinem per incrementa mens ducitur.* Vnde Dauid: *Deus*, inquit, *in domibus eius cognoscetur.* Ps.47.n. 4. seu, vt D.Ambr. D. Aug. & D. Greg. citatus legunt: Deus *in gradibus eius* cognoscetur. Quasi non repentè; sed gradatim per sua interualla diuina cognitio hominum animis infundatur. Et quidē hoc expertus est, vt alios omittam, ipse Dauid, qui aliquādo Prophetam Natham audiebat, & vix intelligebat. 2. Reg. 1 x. à n. 1. quasi in ignorationis tenebras demersus: aliquando verò ipsum Deum in media luce videre, & audire sibi videbatur. *Dixit*, inquit, *Deus Israel mihi, loquutus est fortis Israel, Dominator hominū, iustus Dominator in timore Dei; sicut lux auroræ, oriente Sole, manè absque nubibus rutilat.* 2. Reg. 23. n. 3. adeò clarā de Deo notitiā hauriebat. Non aliter igitur Samuel per hos gradus, primū quidē ad obscurius, deinde ad clarius cū Deo colloquiū excitatur. Bona quidē est hæc ratio. Quāuis existimē cū Abul. non esse principaliter intentam. Neque enim id agitur hoc loco, vt Samuel per sua interualla doceatur; sed vt Heli de veritate oraculi certificetur.

Verbum Dei per gradus ascendit. D. Ambr. D. Aug. D. Greg. *Dauid gradatim instructus.* *Bona ratio, sed non litteralis.* Abul.

VII. D.Greg. *Tertia ratio: vt Samuelis obedientia exerceatur. Ostenditur obedientia Samuelis. Primò. Secundò. Tertiò.*

Tertia ratio ex D.Gregor. est, vt Samuelis obedientia exerceatur, ac manifestetur. Quod multipliciter contingit. Primò, quia nesciēs ad quid vocetur, accurrit paratus ad omnia. *Vocauit*, inquit D.Greg. *Deus puerum, sed causam vocationis tacuit, vt electus puer, qua humilitate obedientia esset, sublimius ostenderet.* Secondò, quia sæpius vocatus non indignè tulit. *Iteratò*, inquit, *excitat, vt eum, quem in forma electorū ponere volebat, ostenderet, quia nec imperiorum instantia fatigaret.* Tertiò, quia videns semel atque iterum suo se labore frustratum, nō desiit obedire; immò coniicere noluit, se tertiò frustrandū. *Nescit enim*, inquit, *iudicare, quisquis perfectè didicerit obedire: quia hoc tātum bonū putat, si præceptis obediat.* Quartò, quia Prælato etiā negligenti diligentē famulatū præstare non dubitauit. *Vt profectò sciamus*, inquit, *quia maiorū imperia tunc etiam veneranda sunt; cùm ipsi laudabilem nō habent vitam: quia eorū doctrina, quæ praua operatione potest superbis vilescere, humiles auditores facit ad diuinæ familiaritatis celsitudinē peruenire.* Quintò, quia somnos abrūpere, vt è lecto surgere, & per intēpestæ noctis tenebras ire redireq; iubetur; quæ sunt omnia difficillima ætati puerili, cùm maximè diligat nutrimenta somni, appetat fomenta lecti, timeat terriculamenta noctis. De qua re multa D. Greg. iam in superioribus citata, & in inferioribus citanda.

Quartò, Quintò.

VIII. D. Ephrem. *Samuel sæpè vocatus, nec semel cunctatur. Obedientia Samuelis cum imperfectorū inobedientia confertur.*

Concinit D. Ephrem parænes. 21. vbi Monachum ad vigiliam hortatus: *Tu*, inquit, *Frater, vide, ne negligas te sobrium ac vigilantem præbere in omnibus. Nonne audisti, quòd sæpius vocatus Propheta Samuel, neque semel cunctatus sit surgere, quantumuis adhuc puer esset?* Samuel in multis præceptis exequendis, ne vnam quidem negligentiam incurrit; cum improbi vice versa multas contrahant culpas in vno præcepto subeundo. Ille rumpebat somnum, & deserebat lectum, vt ad obedientiæ opus festinaret; cùm hi contrà opus obedientiæ deserant, vt somnos repetant, suisque lectulis immergantur. Ille in puerili ætate somni amantissima, necessario se somno defraudabat; cùm hi etiam in ætate virili, vigiliæ patiente, superfluo somno obruantur.

IX. *Somnolentia imperfectorū Monachorum arguitur.*

Pergit verò Diuus Ephrem, somnolentis Monachis, piscatorum, multorúmque opificum vigilias exprobrare. Nam piscatores inter vndas, turbines & procellas vigilant integras noctes, vt modicum quid lucrentur. Opifices fabrilem artem exercentes inter caminos, malleos & incudes nocturnum somnum oculis non vident, vt tenuem victum consequantur; veriti, ne si nocte dormire velint, die compellantur esurire. In quem sensum detorquet illud Dauidicum: *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt in manibus suis.* Ps.75.n.6. Quia, qui somno indulgent, decidunt in paupertatem: *At nos*, inquit Ephrem, *quorum corpora, neque fumo, vel cinere, ac puluere vexantur, neque aliud quippiam simile sustinemus; sed consistentes in loco mundo & sanctificato coram Domino nostro in pace multa, in psalmis, & hymnis, canticisq; spiritualibus, cur torpescimus?* Itaque his omnibus modis Samuelis obedientia à puero exercetur, vt vir factus imperio dignissimus censeatur. Nam ad imperandum nullo alio modo meliùs præluditur, quàm obediendo. Quod hic paucis illustro.

Somnus parit inopiam.

Imperaturus priùs obediat.

X. *Nescit imperare, qui non didicerit obedire.* D. Greg.

NEcesse fuit, Samuelis promptitudinem ad obediendum spectari, vt quàm aptus esset ad imperandum, probaretur. Non enim posset vtiliter imperare, nisi priùs disceret humiliter obedire. Sic D.Gregorius lib.1. Dialog.c. 1. expressit: *Vsus*, inquit, *rectæ conuersationis est, vt præesse non audeat, qui subesse non didicerit; nec obedientiam subiectis imperet, quam Prælatis non nouerit exhibere.* Quam rem egregiè illustrat D. Bern. Epist.42. *Vt securè*, inquit, *præesse possitis; subesse & vos, si cui debetis, non dedignemini. Dedignatio quippe subiectionis, prælationis reddit indignum. Videant in vobis subditi, quod redhibeant.* Et paulò pòst, Centurionis exemplo vtitur, priùs de suo obsequio, quàm de suo imperio loquentis. *Quàm pulchrè*, inquit, *loquutus est beatus ille Centurio? Et ego, inquit, homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites,* Matth. 8.n.9. *Dicturus quippe, habens sub me milites: præmisit, homo sum sub potestate. Iam quidquid subinferat, suspectam non habemus iactantiam. Præmissa siquidem est humilitas, ne altitudo præcipitet. Nec enim locum inuenit arrogantia, vbi tam clarum humilitatis insigne processit. Quia non confusus est de subiectione; iure ex prælatione meruit honorari. Non erubuit super se potestatem; & ideò dignus qui haberet & sub se milites. Dedit priùs honorem præpositis, vt iam à subditis iustè reciperet.* Hactenus Bernard. vbi plura addit eleganter, quibus omnibus rectè ostendit, in humilitatem obedientis, dignitatem imperantis aptissimè conuenire.

D. Bern.

XI. *Optima consuetudo, ne inter Monachos imperēt, qui priùs perfectè non obedierint.* Cassian.

Hinc illa fuit veterum Monachorum consuetudo, vt nemini imperium in subditos deferrent, nisi ei, qui suis maioribus singulare obsequium præstitisset; vt Cassianus lib.2. De institutis Monachorum, cap. 3. ostendit. *Nullus*, inquit, *Congregationi Fratrum præfuturus eligitur; priusquàm idem, quid obtemperaturis oporteat imperare, obediendo didicerit; & quid iunioribus tradere debeat institutis seniorum fuerit assequutus.* Et statim addit, propterea multas sæpè Monachorum familias à religiosa obseruantia degenerare: *Quod*, inquit, *plerunque seniorum institutionis expertes, Monasteriis præesse audemus; & Abbates nos, antequàm discipulos, professi, quod libitum fuerit, statuimus: promptiores nostrorum inuentorum exigere custodiam, quàm examinatam maiorum seruare doctrinam.* Vnde Christus Dominus totius Ecclesiæ gubernaculum D. Petro commissurus, appellauit eum Simonem, id est, obedientem: *Simon*, inquit, *Ioannis, diligis me plus his?* Ioan.21.n.15. Vt obediētiam Prælatis necessariam esse significaret. Sic enim D.Th. ibi interpretatur.

Petrus principatum suscepturus, dicitur Simon, id est, obediens. D. Thom.

terpretatur. Nam *qui*, inquit, *nescit superioribus obedire, inferioribus nescit imperare.*

XII. *Adam prius suscepit præceptû, quàm imperium.*

Præfecturus Deos hominem cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus cæli, priùs eum sibi per impositum præceptum obedientiæ subiecit. Nam Genes. 2. numer. 6. præcepit ei, dicens: *Ex omni ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni & mali, ne comedas.* Et paulò pòst numer. 19. *Adduxit animalia ad Adam, vt videret, quid vocaret ea.* Qua in re illorum dominum eum constituit, cùm ius imponendi nomina ad dominos spectet: vt capit. 1. nuoier. 10. §. 4. iam ostendimus. Quamuis enim Deus ante præcepti impositionem ius homini in bestias dederit, voce tenus, Gen. 1. num. 28. nunc tamen post impositionem præcepti, illud videtur re ipsa tradidisse. Meritò igitur Deus, priusquàm homini imperium cõmitteret, obsequium ab eo postulauit: quia qui hoc præstare nescit, illud exercere non potest. Et propterea, cùm homo debitum Deo obsequium denegauit, collato non solùm in belluas, sed etiam in proprium corpus imperio spoliatus est.

XIII. D. Chrys. *Homo nõ seruãs Dei præceptû, imperium in belluas amisit.*

In belluas quidem, vt testatur D. Chrysostomus in Psalm. 3. *Vide*, inquit, *Adam, cùm nondum peccasset, bestias, tanquam seruas & obedientes habentem, & eis tanquam seruis nomina imponentem; postquàm autem aspectum peccato commaculauit, tunc bestiæ eum non agnoscebant, & quæ seruæ erant ei, hostes euaserunt.* Quod statim egregia similitudine illustrat, quam in 1. Tom. Annotat. 4. sect. 3. §. 51. iam retulimus. In proprium verò corpus, vt obseruat Diuus Gregor. lib. 35. Moral. capit. 13. *Adam*, inquit, *quia auctori suo esse subditus noluit, ius carnis suæ, quam regebat, amisit; vt in se ipso inobedientia sua confusio redundaret, & superatus disceret, quid elatus amisisset.* Hanc verò proprij corporis rebellionem non Adamus tantùm, sed etiam eius posteri Deo inobedientes experiuntur, vt notat D. Bernard. serm. 1. in festo omnium Sanctorum. *Anima*, inquit, *si regnare desiderat super membra sua, necesse est, vt sit ipsa Superiori suo subiecta, quoniam tale inueniet inferius suum, qualem se exhibuerit Superiori. Armatur enim creatura ad vlciscendam sui iniuriam Creatoris. Et ideò nouerit anima, quæ rebellem sibi inuenit carnem suam, se quoque minus, quàm oporteat, superioribus potestatibus esse subiectam.* Eleganter verò D. Aug. in Psal. 143. in hanc sententiam argumentatur: *Agnosce*, inquit, *ordinem. Tu Deo, tibi caro,* (scilicet obediat.) *Quid iustius? quid pulchrius? Tu maiori, minor tibi. Serui tu ei, qui fecit te; vt tibi seruiat, quod est factum propter te. Si autem contemnis tu seruire Deo, nunquàm efficies, vt tibi caro. Qui non obtemperas Domino, torqueris à seruo.* Quod mihi videtur D. Petrus insinuasse, dicens: *Animas vestras castificantes in obedientia charitatis.* 1. Petr. 1. n. 22. Quo pacto enim animæ per ubedientiam castificantur; nisi quia dum obediunt Deo, suos quoque appetitus sibi obedientes experiuntur, ex qua appetituum obedientia singularis quædam animæ, & corporis castitas effloréscit? Itaque nemo feliciùs imperat, quàm qui humiliùs obedit.

D. Greg. *Neque suo corpori imperat, qui Deo suo nõ obedit.*

D. Bern.

D. August.

Quo pacto obedientia castificet animas.

XIV. *Abraham ex obedientia meruit imperium*

Singularem Deo obedientiam præstitit Abraham, qui primus dicitur in sacris Literis Deo credidisse, hoc est, obedisse. *Credidit Abram Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Genes. 15. n. 6. Quid inde factum? Plane vt ad eximium in homines principatum eueheretur; iuxta illud Hethæorum: *Princeps Dei es apud nos.* Gen. 23. num. 6. Quod rectè notauit Philo Hebr. De nobilitate: *Primus*, inquit, *credidisse Deo dicitur, qui primus*

Philo.

A *inconcussam fidem tenuit. Adeptus autem hanc virtutem præstantissimam, simul acquisiuit cunctas alias, vt apud hospites suos auctoritatem haberet regiam.* Sed clariùs hoc expressit D. Paulus loquutus de Abrahamo: *Qui*, inquit, *contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium.* Roman. 4. num. 18. Quasi diceret: Quia Deo credidit & obediuit, dignus fuit, vt multis gentibus imperaret. Prius Reges de stirpe Esaü in Idumæa, quàm Reges de stirpe Iacob in Iudæa à Moyse commemorantur. *Reges*, inquit, *qui regnauerunt in terra Edom, antequam haberent Regem filij Israel, fuerunt hi.* Genes. 36. num. 31. Cur, quæso, dicet aliquis, prius filij Esaü, quàm filij Iacobi, ad regnum euaserunt; cùm potiùs vice versa hi priùs quàm B illi regnare debuissent: siquidem Iacob paternam benedictionem fratri præripuerat, illóque expulso, in paternam hæreditatem fuerat cooptatus? Mitto alias rationes: illa est ad rem præsentem: Quia Esaü priùs obedientiam præstare, seruitutémque seruire à parente suo iubetur: iuxta illam eius benedictionem: *Maior seruiet minori.* Genes. 25. numer. 23. Et rursus: *Fratri tuo seruies.* Genes. 27. numer. 40. Qui autem priùs se exhibet seruum; dignus est, qui prior, tanquàm dominus salutetur.

Esaü priùs regnauit, quã Iacob, quia priùs obedire iussus est.

XV. *Iosuë, quia fuit minister Moysis, fuit & successor.*

Appellatur sæpè Iosuë in sacris Literis, *Minister Moysis.* Exodi 24. num. 13. Numer. 11. num. 28. Deut. 1. n. 38. Quid ergo mirum, si is posteà constituatur & successor? Numer. 27. numer. 18. C Nam ad imperandum feliciter populo, nemo aptior erat, quàm qui suo Prælato humiliter deseruisset. Vnde D. Ephrem Tract. De Virtute, c. 2. *Iesus*, inquit, *filius Naue perfecta sua obedientia tantum donum promeruit, vt Moysis successor fieret.* Quin etiam eundem Iosuë gubernare iam aggredientem non tam efficaciter hortatur Deus ad imperandum, quàm ad parendum. Nam ad imperandum: *Confortare*, inquit, *& esto robustus: tu enim sorte diuides populo terram,* &c. Ios. 1. n. 6. At verò ad parendum: *Confortare*, inquit, *& esto robustus valdè, vt custodias, & facias omnem legem, quam præcepit tibi Moyses seruus meus.* Ibidem, n. 7. Robustus quidem esse iubetur ad exercenda imperia, sed ad præstanda obsequia, robustus valdè. D Quasi diceret, interprete Caietano: *Hoc à te exigitur, vt erga obseruationem legis inualescas vniuerso conatu, & roboris magnanimitate te ipsum confirmes, non mediocriter, sed valdè.* Naoi si te totum diuino imperio subdideris; facilè à tuis subditis debita obsequia impetrabis. Helia per turbinem in cælum abeunte, exclamat de terra Helisæus: *Pater mi, pater mi, currus Israel, & auriga eius.* 4. Reg. 2. n. 12. Currum appellat simul, & aurigam: currum, qui regitur; & aurigam, qui regit: vt ostenderet, eum optimi Principis munia expleuisse, quòd oon solùm alios prudenter regeret, sed etiam se ipsum ab ipso Deo regi facilè pateretur. Vnde Lyranus in Commentario morali ad 4. Reg. 9. *Currus*, inquit, *qui ducitur, hîc ponitur primò: & auriga, qui ducit, secundò: ad ostendendum, quòd ille bene ducit regendo, qui primò fuit ductilis in obediendo.*

D. Ephr.

Efficatius parendi, quàm imperandi munus inculcatur.

Caiet.

Bene regit, qui regi patitur.

Lyra.

XVI. *Digni supplicio, qui hominibus imperant; Deo nõ parent.*

Quare præcipuo quodam supplicio digni sunt, qui cùm aliis dominentur, Deo tamen non obsequuntur. Sæpiùs inculcaui illam in summo Sacerdote initiando ceremoniam, qua sanguine tingi eius auricula dextera iubebatur. Exod. 29. num. 20. ex qua multiplex mysterium erui potest: sed aptum ad rem præsentem eruit Oleaster ad eum locum: *Voluit*, inquit, *hac ceremonia Dominus Sacerdotes admonere, daturos se pœnas sanguinis,*

Oleast.

si negligentiores in audiendis mandatis eius se exhiberent. Sic ille. Nam Sacerdotes, ad quos pertinebat cæteris hominibus imperare, præcipuo quodam studio obedire Deo tenebantur. Rhamnus ille in Regem cæterarum arborum creatus omnes ad parendum euocauit. At cedris tantùm, si forsitan obedire neglexissent, incendium minatus est: *Venite*, inquit ille ad omnes arbores, *& sub vmbra mea requiescite: si autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret cedros Libani,* Iud. 9. num. 15. Cur omnibus obedire recusantibus, solas cedros incendio condemnat? Planè, quia cedri, sicut suapte natura sunt aliarum arborum Reginæ; ita Principes, ac Reges, & cuiusque potestatis homines significant, quos, si suis maioribus non obediant, acrior pœna consequetur. Proniores enim esse debent ad parendum, qui potentiores sunt ad imperandum. Alioqui nunquàm suo imperio subditos coercebunt, qui maiorum imperio coërceri se non patiuntur, vt sequenti ex argumento palàm erit.

XVII. *Cham patri suo inobediēs inobediente filio punitur.* Theod.

Peccauit olim Cham in parentem suum Noë, & nihilominùs Noë, non in filiū, sed in nepotem irruit Chanaan. *Maledictus*, inquit, *puer Chanaan.* Genes. 9. numer. 25. Præter alias rationes, quas alibi tradidimus, duplicem reddit Theodor. quæst. 58. in Gen. Vnam, ne filius post diluuium à Deo benedictus, à patre malediceretur: *Temerarium*, inquit, *existimauit Noe, maledictionem illi inferre, qui benedictionem diuinam consequutus erat: quamobrem eius filio maledictionem intulit.* Alteram, ad rem nostram, vt Cham parùm officiosus in parentem, in se quoque parùm officiosum filium expertus iusto talione puniretur. *Quia*, inquit, *Cham, cum filius esset, in patrem deliquit; ob id per filij maledictionem pœnas luit.* Vbi per maledictionem, tanquàm per effectum, mihi videtur indicasse ipsam filij improbitatem, maledictione dignam: hac enim filij improbitate punita est improbitas parentis. Quod D. Ambros. lib. De Arca, & Noë, cap. 28. clariùs expressit, vbi loquutus de Cham: *Ideò*, inquit, *improbum habere meruit filium, quia improbus fuerat patri.* Æquum enim est, vt qui se in maiores suus parùm exhibet obseruantem, is in se ipsum subditos suos parùm obseruantes experiatur; vt in qua mensura mensus est, remetiatur ei.

Qui benedicitur à Deo, non maledicitur ab homine.

D. Ambros.

XVIII. *Reges obediētiā Deo præstēt, vt a subditis impetrent.*

Ob eandem causam exclamat Debora: *Audite, Reges; auribus percipite, Principes.* Iud. 5. num. 3. Quasi diceret: vos sensim hortor, qui aliis imperatis, vt vnum Deum prompti & alacres ad parendum auscultetis. Vnde Dauid, postquàm Reges intelligere, & erudiri iubet; in quo hæc eruditio consistat, declarat, dicens: *Apprehendite disciplinam.* Psal. 2. num. 12. hoc est: Obedientiam in Deum colite. Nam in fonte est: *Osculamini filium.* Hoc est, iuxta veterem adorandi ritum, manum exosculando, vt D. Hieronymus in cap. 31. Iob, & in cap. 13. Oseæ interpretatur, reuerentiam & obedientiam Deo exhibere. Vt enim in vestros subditos Reges sitis, necesse est, vt vos seruos erga supremum Regem vestrum præbeatis. Rectè igitur Samuel, antequàm suam præfecturam aggrediatur, suam obedientiam exercere, & manifestare iubetur. Et quia ter vocatus obediuit; idcircò dicunt aliqui, tria munera prophetandi, iudicandi, & sacrificandi accepisse. Fuit enim, inquiunt, non solùm Propheta, & Iudex; sed etiam Sacerdos: si non ex lege, vt capit. 2. num. 11. iam diximus; saltem ex priuilegio, quatenùs aliquando obtulit Deo sacrificium, vt infrà cap. 7. Num. 9. patebit. Itaque huius trinæ voca-

D. Hieron.

Samuel ante præfecturam, obedientiam exercet.

Quia ter obediuit, ter honoratur.

A tionis præmium fuisse triplex illud munus, referunt Gloss. Interl. Magist. histor. Dionys. Hugo Cardin. Angel. & Nauclerus tom. 1. Generat. 31. Ex quibus plerique citant Iosephum, apud quem tamen circa hunc locum id non reperio.

Interlin. Mag. hist. Dionys. Hug. Angel. Naucler.

Num. IX. Et ait: Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum: & ait ad Samuelem: Vade, & dormi: & si deinceps vocauerit te, dices; Loquere, Domine, quia audit seruus tuus. Abiit ergo Samuel, & dormiuit in loco suo.

B

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Aliter in aliis Bibliis hæc verba dispunguntur.*

ET ait: *Ecce ego, quia vocasti me. Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum.* Hæc verba in Bibliis regiis pertinent ad finem præcedentis versiculi, non ad initium huius præsentis. Sed vtrouis modo versiculi dispungantur, nulla in sensu diuersitas reperitur. In verbis Samuelis mira simplicitas, & ingenuitas, & puerilis innocentiæ, atque obedientiæ candor elucescit. Nam iisdem verbis, quibus se primò & secundò obtulerat, offert & tertiò, nihilò inquietior aut perturbatior, nihilò impatientior, quòd semel atque iterum elusus, tertiò euocetur. Certè Diuus C Petrus semel atque iterum rogatus à Christo Domino, an se diligeret eodem modo respondit: *Etiam, Domine; tu scis, quia amo te.* Ioann. 21. n. 15. & 16. nihilominùs rogatus tertiò, contristatus est, & responsionem variauit: haud dubiè, quia subito perculsus metu, ratiocinari cœpit, quò illa tertia interrogatio spectaret. At verò Samuel eâdem semper in responsione persistit: quia propter eximiam obedientiam idem semper & dicere & facere paratissimam, vbi eadem Prælati vox insonuisset; nullas in cogitationes distrahitur, nullas in ratiocinationes distorquetur, suo se magistro sistit, eadem semper & voce & mente ad omnia imperia promptissimus.

Constans Samuelis obedientia.

II. *Hæc cognitio Heli fuit humano discursu comparata.*

Intellexit ergo Heli, &c. Vnde intellexit? ex illustratione diuina, an ex ratiocinatione humana? D Illud prius insinuare videtur Salianus, & magis approbare Rancolius. Sed hoc posterius mihi videtur literæ congruentius. Nam, supposita illa trina vocatione, & festinatione Samuelis, subdit: *Intellexit ergo Heli,* &c. Quasi ex illo antecedente, hæc consequutio de intelligentia Heli colligeretur. Atque ita sentire videtur Abulensis sæpiùs dicens, Heli existimasse, Samuelis vocationem esse diuinam: existimatio autem est cognitio, non per reuelationem diuinam, sed per rationem humanam comparata. Et confirmatur: tum ex iis, quæ suprà diximus ex Theodoreto, Ruperto, Abulens. & aliis, Samuelem ter euocatum recurrisse ad Heli, vt Heli intelligeret, vocationem E illam esse diuinam: Ergo ex proprio discursu id intellexit: nam, si ex reuelatione diuina id intelligeret, necessaria non esset illa trina vocatio, & ille trinus ad Pontificem recursus: tum etiam, quia, vt suprà ex Patribus diximus, Deus in hoc discipulum magistro anteposuit; quòd, hoc prætermisso, illum conueniret: ergo nihil magistro per se, sed per discipulum reuelauit. Hoc autem intelligendum est de propria reuelatione, qua Heli certificaretur, vocationem illam Samuelis fuisse à Deo profectam: nam tacitam aliquam & occultam illustrationem,

Salian. Rancol.

Abul.

ſtrationem, ſeu inſpirationem, qua humanus diſcurſus iuuaretur, excitareturque, quod fortaſſe citati Auctores duntaxat voluerunt, non dubitauerim habuiſſe. A

Ratiocinatio Sacerdotis Heli.

Sic igitur mihi videtur Heli ratiocinatus. Hic puer, quamuis ſemel atque iterum aliquo errore inter ſomniandum decipi potuiſſet: tamen tertiò, moraliter loquendo, non potuit eludi: ergo verè ab aliquo vocatus eſt. Non à me, vt mihi conſtat: non ab vllo homine, cùm nullus adſit; & quamuis adeſſet, non haberet nocte intempeſta, cur vocaret: aut, ſi vocaret, ego planè, qui inſomnis vigilo, audirem: non a Dæmone, quia huic neque ingreſſus in templum, neque congreſſus cum innocente puero permitteretur: non eſt alius, a quo potuerit vocari: ergo ab ipſo Deo vocatus eſt; præſertim, cùm ipſe puer ſua innocentia, humilitate, manſuetudine, cæteriſque virtutibus videatur digniſſimus, quem Deus alloquatur. Hinc ergo *intellexit Heli, quia Dominus vocaret puerum.* B

III.

Samuelem à Dæmone vocatum, quidā ſomniarunt.

Rabbi Salom.

Philo Biblicus.

Quòd ſi aliquis contendat, exiſtimare potuiſſe Heli, vocationem illam à Diabolo profectam eſſe; vt deliraſſe videtur Rabbi Salomon, tribuens hanc exiſtimationem Samueli diſcipulo, & proinde ſignificans, illam in ipſum magiſtrum Heli referendam eſſe; & clariùs Philo Iudæus in Antiquitat. Biblicis, dicens, timuiſſe Heli, ne ſpiritus immundus ſeduceret Samuelem: ſi quis, inquam, ita contendat, dicatque: Si Diabolus ad tentandum primum hominem, Paradiſum terreſtrem introiuit, & ad præcipitandum Chriſtum Dominum, templi pinnaculum conſcendit; C cur ab ingreſſu tabernaculi abſtineret, aut innocentiam Samuelis formidaret? Facilè occurri poteſt,

Impugnatur.

Diabolum non fuiſſe prohibitū ab ingreſſu templi propter loci ſanctitatem; cùm in lege gratiæ, à templis, quæ ſanctiora ſunt, non arceatur; vt facti paſſim Hiſtorici prodiderunt; ſed fortaſſe propter periculū idololatriæ, quod modò nullum eſt, tunc erat maximum. Item, non fuiſſe prohibitum à congreſſu cum Samuele, propter pueri innocentiam; alioqui cum Adamo & Chriſto Domino, qui innocentiores erant, congredi non auderet: ſed fortaſſe propter pueri infirmitatem, quam diuina prouidentia indulgentiùs tuebatur. Quæ omnia, quantùm ad illud temporis ſpectare D poterant, probe contemplatus Heli, Samuelem à Domino vocatum eſſe intellexit.

IV.

Triplex ratio, cur Heli cognouerit vocationem fuiſſe diuinā, non ipſe Samuel.

His poſitis, dubitabis, cur Heli potiùs, quàm Samuel, diuinam eſſe illam vocationem intellexerit? Triplex ratio poteſt aſſignari. *Prima.* Vna, quia Heli non habebat, cui illam referret, niſi Deo, vt proximè diximus: Samuel autem illam referre poterat Sacerdoti, cuius veram vocem à ſe auditam iudicabat. *Secunda.* Altera, quia Samuel erat verè humilis, qui nihil de ſe altum ac ſublime ſuſpicabatur; ſed ſuam ſemper indignitatem intuebatur. Vnde nihil minùs, quàm Deum ſibi adeſſe, & diuina ſecum arcana communicare velle cogitabat. Proprium enim eſt humilium, omnem à ſe honorem peregrinum & alienum iudicare; omne E dedecus proprium ſibi, ac natiuum. *Tertia.* Tertia, quia Samuel ſubditus erat, Heli Prælatus, ad quem pertinet ſuorum ſubditorum res acutiùs intueri. Nam quemadmodum decet, cum, qui regitur, cæcum eſſe; ita eum, qui regit, oculatum ac perſpicacem. Ex his rationibus, prima ad literam propior accedit: duas ſequentes ad mores breuiter illuſtrabo.

Secunda ratio illuſtratur.

Humiles nihil de ſe magnificum ſuſpicantur.

V.

Samuel propter ingenij acumen colligere potuit ſe diuinitùs vocatum.

EXemplo eſſe poteſt, & quidem illuſtriſſimo, vnus Samuel. Nam & ipſe, cùm puer eſſet ingenioſus, potuit quemadmodum & Heli, in hunc ferè modum ratiocinari. Ego quidem procul dubiò vocatus ſum, vt meo didici experimento: non ab Heli, vt ipſe mihi ſemel atque iterum, ac tandem tertiò affirmauit: non ab alio, cùm nullus adſit: ergo à Deo. Atque adeò diuinam eſſe vocationem ſuam, facilè potuit conijcere. Idque ſequi videtur Hugo Victorinus, dicens, Samuelem vocatum eſſe, antequàm lucerna extingueretur, vt cùm ipſe, *Lucerna lucente, nullum alium in templo, præter Heli, eſſe videret; cùmque ipſum Heli nequaquam loquutū didiciſſet; Dei vocem hanc eſſe non dubitaret.* Fateor quidem ita contingere potuiſſe.

Hug. Vict.

Sed neque diſcurrit, propter obedientiam: neque præſumpſit, propter humilitatem.

Nihilominùs, quia Samuel perfectam obedientiam colebat, quæ tanquàm fides non ratiocinatur; & quia veram humilitatem amabat, quæ nihil de ſe magnum præſumit, nihil excellens ſuſpicatur: probabilius mihi eſt, humilem & obedientem puerum, nulla fuiſſe vſum coniectura; ſed promptiorem ſe ad parendum, quàm ad diſcernendum præbuiſſe. Nam, vt bene D. Bernardus in Epiſtol. De vita ſolitaria ad fratres de Monte Dei, aut quiſquis eſt illius Operis Auctor, aliquantulum poſt initium: *Perfecta,* inquit, *obedientia maximè in incipiente indiſcreta eſt.* Et ſtatim: *Cenſura diſcretionis eſt penes Patrem ſpiritualem, qui diiudicat omnia; ipſe verò à nemine iudicatur. Ipſius eſt diſcernere, aliorum eſt obedire.* Et paulò pòſt, adducto exemplo de Adamo circa diuinum præceptum diſcurrente, proptereàque in exilium abeunte: *Sic,* inquit, *& animalem diſcretum, nouitium prudentem, inſipientem ſapientem, in cella diu poſſe conſiſtere, in congregatione durare, impoſſibile eſt. Stultus fiat, vt ſit ſapiens; & hæc omnis ſit eius diſcretio, vt in hoc nulla ſit ei diſcretio.* Simile eſt illud Diui Baſilij homil. 26. De Martyre Mamante ad illa verba: *Oues meæ vocem meam audiunt.* Ioann. 10. n. 16. *Audiunt,* inquit, *non diſputant: hoc eſt, non ſunt inobedientes, non contendunt.* Quare Samueli nihil aliud veniebat in mentem, quàm id, quod audiebat; nihil de ſua dignitate cogitabat.

D. Bern.

Perfectus obediens, indiſcretus.

D. Baſil.

VI.

Moyſes præ humilitate non curabat oris ſui ſplendorem.

Ita ſolent verè humiles; gloriam habent, & ignorant. Nam Moyſes, cùm de monte deſcenderet, facie coruſcante, *Ignorabat, quòd cornuta eſſet facies ſua ex conſortio ſermonis Domini.* Exod. 34. n. 29. Quod planè mirum eſt. Nam licèt ſplendorem in facie exiſtentem videre non poſſet, vt notat Abulenſis; radios tamen inde emicantes non poſſet non videre. Quemadmodum licèt quis non videat Solem exiſtentem à tergo; radios tamen inde in vlteriorem partem eiaculatos intuetur. Quo pacto igitur ignorabat? an ſolùm ignorabat lucis cauſam; quòd ſcilicet ex conſortio ſermonis Domini proueniret; non tamen ipſam lucem? Sed ne id quidem ignorare poſſet, cùm ſciret, conſortium præceſſiſſe, & ſufficientem illius ſplendoris cauſam fuiſſe, nulla poſſet ratione probabili dubitare. Vnde igitur hæc ignoratio? Fortè, quia præ humilitate ad gloriam vultus ſui, non aduertebat: vel, ſi non poterat non aduertere ad tam inſolitæ lucis ſplendorem; ſaltem, quia non curabat, non iactabat, non oſtentabat; nec de illa gloria magis exultabat, quàm ſi non haberet, aut habere penitùs ignoraret. Quod Oleaſter expendit, dicens, alios homines

Abul.

Oleaſt.

mines suas laudes passim prædicare; Moysem verò etiam nescire.

VII. *Non se putabat idoneum ad exorandũ Deum, alios interponebat oratores.*

Idem Moyses, cùm à Deo audiret: *Dimitte, vt irascatur furor meus contra eos.* Exod. 32. n. 10. atque ex his verbis dignissimus ad Deum exorandum significaretur; nihilominùs ipse quasi suam dignitatem non agnosceret, alios oratores proponebat; quos ad placandum Deum efficaciores indicabat: *Recordare*, inquit, *Abraham & Isaac & Israel seruorum tuorum.* Exodi 32. n. 13. Rem egregiè obseruauit Theodoret. q. 67. in Exodum: *Moyses*, inquit, *quamuis Deus hæc sufficere dixisset*, (nimirum vota & preces solius Moysis ad diuinam iram mitigandam) *non tamen se idoneum existimauit ad placandam iram Dei; sed, preces etiam obtulit, faciens Patriarcharum mentionem.* Quasi suas laudes etiam à Deo propositas & explicatas ignoraret. Denique idem Moyses, cùm à Deo ad Pharaonem legaretur, tanquàm dignissimus ad hanc legationem obeundam; ipse nihilominùs ter & ampliùs suam indignitatem causabatur. Exod. 3. à numer. 10. Et cùm haberet secum, inquit Philo lib. 1. De eius vita, instrumenta prodigiorum, manum, & baculum, quibus armatus Pharaonis tyrannidem, & Ægypti superbiam facilè tunderet, & superaret; adhuc nihilominùs se inermem reputabat: & vt loquitur idem Philo: *Verecundo ingenio præditus subtrahebat se grauiori, quàm pro viribus, vt putabat, oneri; rogabatque, vt alius eligeretur ad exequenda mandata magis idoneus.* Sic ei humilitas ad propria dona intuenda oculos præcludebat.

Theodor.

Legatione ad Pharaonem se indignum indicabat.

Philo.

VIII. *Iosephus suũ inter stellas honorem non attendens fratribus seruiebat.*

Diuinum illud somnium, quo Ioseph vidit, se à Sole, ac Luna, vndecimque stellis adorari, Gen. 37. num. 9. eum suorum parentum, ac fratrum dominium fore declarabat: & nihilominùs ipse, quasi dignitatem suam penitùs ignoraret, se vtrique tanquàm obsequentissimum seruum exhibebat, vt citato loco à num. 13. videre est. Quam eius humilitatem D. Ambrosius lib. 1. De officiis, cap. 17. admiratus: *Ioseph*, inquit, *cùm somniasset, quod Sol & Luna & stellæ adorarent eum; sedulum tamen obsequium deferebat patri.* Non enim dignitatem sibi in somnio præmonstratam attendebat; sed propriam seruitutem à se humiliter seruiendam spectabat.

D. Ambr.

IX. *Dauid in Regis generum vocatus, suã tenuitatem prædicabat.*

Dauid in tantam dignitatem electus, vt in generum Saülis Regis optaretur; nihil præter suam vilitatem contemplabatur; *Quis*, inquit, *ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, vt fiam gener Regis.* 1. Reg. 18. num. 18. Et rursus ad seruos Saülis: *Num parum*, inquit, *videtur vobis generum esse Regis? Ego autem sum vir pauper, & tenuis.* Ibidem, n. 23. Quod D. Chrysost. hom. 1. De Dauide & Saüle expendens, *Dauid*, inquit, *pro sua modestia, res æstimans, recusauit coniugium; non deterritus periculis, aut hostium metu; sed, quòd existimaret se indignum affinitate regia:* Et paulò pòst: *Debebatur*, inquit, *hoc honoris, vt merces laborum. Verùm vsque adeò cor habebat contritum, vt post tot res cum laude gestas, post adeò splendidam victoriam, post expressam promissionem, indignum se iudicaret, qui debitam reciperet mercedem.* Quid humilius, quàm dignitatem tam multis nominibus sibi debitam non intueri, & ad solam vilitatem suam, attenta mentis acie spectare?

D. Chrys.

X. *Spõsa audiẽs suas laudes, suam profert vilitatem.*

Hanc seruauit humilitatem cælestis sponsa, etiam à suo sponso singulariter commendata. Nam, cum illam sponsus tanquàm sponsam familiariter alloqueretur, & mirificè laudaret, dicens: *Pulchra sunt genæ tuæ sicut turturis: collũ tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, ver-* A *miculatas argento.* Cant. 1. num. 10. Ipsa ad suam se humilitatem contrahens, humiliter respondet: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Ibidẽ, num. 12. Vbi in primis non vt sponsa sponsum; sed vt ancilla Regem humiliter appellat. Deinde nardo se comparat, quæ cùm sit humilis herba, interprete D. Bernardo, serm. 42. in Cant. humilitatem repræsentat. Vnde tam humilem animum inter tam sublimes laudes Diuus Bernard. citatus suspicit, & commendat. *Audierat*, inquit, *Pulchra sunt genæ tuæ*, &c. *Acceperat & repromissionem ornatus aurei: Murenulas aureas faciemus tibi*, &c. *Et nihilominus tamen cum humilitate respondet: & quantò maiorem se audit, tantò humilias se in omnibus. Non gloriatur in meritis, nec* B *inter laudes suas humilitatis obliuiscitur, quam & humiliter confitetur sub nardi nomine.* Mira profectò humilitas, quæ à propriis laudibus audiendis, ad suam vilitatem considerandam, immò & confitendam auocabat.

D. Bern.

XI. *Iusti laudati à Christo in iudicio, se laudabiles nõ agnoscent.*

Denique omnes Iusti in extremo Iudicio à Christo Domino laudati, adhuc se laudabiles non agnoscent. Nam laudanti eos Christo Domino, ac dicenti: *Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere*, &c. Matth. 25. num. 35. ipsi, quasi tantarum laudum sibi conscij non essent, respondebunt: *Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te: sitientem, & dedimus tibi potum?* &c. Ibidem, num. 37. Non omninò quidem suas virtutes ignorabunt; sed quasi ignora- C rent, præ humilitate omnes illas dissimulabunt. Vnde D. Chrysostom. hom. 54. in Matth. admirabundus exclamat. *O humilitas*, inquit, *Iustorum, quæ nec post mortem deficiet! Homo enim malus etiam falsis laudibus delectatur: vir autem bonus etiam debitam sibi laudem fugit. Ecce, si per errorem personæ veniens aliquis pro altero, alteri vano homini gratias agit pro beneficio quodam; quamuis in conscientia sua cognoscat, se nihil tale fecisse; tamen tacet, & congaudet, audiens quæ non sunt sua. Si verò bono alicui gratias agit; quamuis bonus ille intelligat, verum esse quod de se dicitur; tamen refugit, & repellit audire etiam ea, quæ sibi debentur.*

D. Chrys.

XII. *Sanctitatis principium, humilitas.*

Itaque Iusti nihil minùs, quàm sua ornamenta considerant; nihil frequentiùs, quàm sua de- D decora meditantur. Vnde olim Deus volens Synagogam ad sanctitatem reuocare: *Scito*, inquit, *iniquitatẽ tuam.* Ierem. 3. n. 13. Vbi Theodoretus: *Sanctitatis*, inquit, *principium est, infirmitatem sentire.* Quam humilem de se opinionem solet statim Deus remunerare. Non aduertit Iacobus filiorum suorum Sichimitas debellantium strenuitatem; sed paucitatem: *Nos*, inquit, *pauci sumus: illi congregati percutient me; & delebor ego, & domus mea.* Genes. 34. numer. 30. Adeò grata fuit Deo hæc humilitas Iacobi, suam potiùs tenuitatem, quàm firmitatem attendentis, vt statim ipso Deo illi apparente magnificè donaretur. *Ego*, inquit, *Deus omnipotens, cresce, & multiplicare, gentes & populi nationum ex te erunt, Reges de lumbis* E *tuis egredientur.* Genes. 35. n. 11. Rem aduertit D. Chrysost. hom. 60. in Genes. *Quoniam*, inquit, *dicebat: In paruo numero sum ego*, &c. *propterea misericors Dominus mox dicit ad eum: Cresce, & multiplicare*, &c. Quasi eò dignior Deo videretur, quem magnis beneficiis cumularet; quò ille sibi indignior videbatur.

Theod.

Humilis de se opinio à Deo remuneratur.

Iacobus de se humiliter sẽtiens à Deo extollitur.

D. Chrys.

XIII. *Spõsa humilẽ se confessa dignum sibi sponsum conciliauit.*

Maius adhuc præmium à Deo cælestis sponsa propter animum de se humiliter sentientem impetrauit. Nam, cùm ipsa ab sponso suo singulariter laudaretur, vt paulò antè aduertimus; humiliter respondit; *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus*

dus mea dedit odorem suum. Cant. 1. num. 12. Vbi nardi nomine, quæ est humilis herba, suam expressit humilitatem, vt ibi ex D. Bernardo admonuimus, qui subdit: *Bonus humilitatis odor, qui de hac valle plorationis ascendens, perfusis circunquaque vicinis regionibus, ipsum quoque regium accubitum grata suauitate respergat.* En humilitatis meritum. Sed vbi præmium? sequitur: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Ibidem, num. 13. Quasi Æternus ille Rex humilitatis odore recreatus ex Empyreo ad exilium, è cælo ad solum, è sede maiestatis suæ ad crucem humilitatis nostræ euocaretur: recordatus ita à se quondam promissum fuisse, ac iuratum: *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.* Psal. 11. n. 6. Perinde ac si ad erigendam hominum humilitatem è cælo in terras deuolarit.

D. Bern.

XIV. *Ad sponsæ humilitatem sponsi maiestas inclinatur.* D. Bern.

Ita ferè D. Bernardus serm. illo 42. & multò clariùs serm. 43. sequenti, interpretatur: *Ante*, inquit, *Rex, modo dilectus; ante in accubitu regio, modò inter sponsæ vbera. Magna humilitatis virtus, cui etiam maiestas deitatis tam facilè se inclinat. Citò reuerentiæ nomen in vocabulum amicitiæ mutatum est: & qui longè erat, in breui factus est propè.* Propter eandem sponsæ, seu primitiuæ Ecclesiæ humilitatem docet idem Bernardus serm. 42. citatus, magna illa gratiarum fluenta in die Pentecostes super Apostolos humiliter sedentes, & orantes, defluxisse: *Patuit*, inquit, *omnibus in eodem loco manentibus, quàm gratus humilitatis, & quàm beneplacitus odor ascenderat, cui mox tam copiosa, & gloriosa remuneratione responsum est.* Non aliter eum Samuele actum est. Sua ipse humilitate silens, & nihil de se sublime cogitans, Deum quodammodo traxit, seu elicuit ad colloquium. Quæ humilitas eò gratior Deo fuit, quò ille diuino colloquio propter eximiam innocentiam dignior existebat. Nam humilitas in innocente & rarior, & difficilior censetur, vt paucis illustro.

In Apostolos humiliter sedentes, cælestium gratiarum fluenta patuerunt.

Humilitas in innocente rarior, ac difficilior.

XV. *Humilitas in sublimitate operum rarior, & mirabilior.* D. Bern.

IN hoc Samuelis humilitas non mediocriter excellnit, quòd cum eximia innocentia iuncta fuerit, & cum sublimitate factorũ mirabiliter sociata. Quod planè est difficillimum. Nam, vt bene D. Bernard. serm. 13. in Cant. *Magna*, inquit, *& rara profectò virtus est, vt magna licet operantem, magnum te nescias; & manifestam omnibus, tuam te solum latere sanctitatem: mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare: Hoc ergo ipsis virtutibus mirabilius iudico.* Vnde Christi Domini humilitas suprema fuit, quæ in suprema illius innocentia coruscarit. Quamuis enim nullam peccati labem habuerit, ex qua vilis & sordidus potuerit apparere, sed potiùs summam omnium virtutum claritatem, ex qua dignissimus erat, vt in summo honore ab omnibus haberetur: nihilominùs perfectissimam semper humilitatem conseruauit, non eam quidem, *quam veritas parit, sed quam charitas format*; vt loquitur D. Bernard. sermone 42. in Cant. *Non enim*, inquit, *quomodo ego, vel tu, inuenimus nos in veritate dignos dedecore, & contemptu, ita & ille. Humilis videlicet illa humilitate, quam cordis suasit affectio, non quam extorsit discussio veritatis.* Nihil in se humile iudicabat, & humilem se omnibus exhibebat. Ad hanc humilitatem filij proximè accessit humilitas matris, cùm in se nullam culpæ vilitatem agnosceret; tamen singularem mentis humilitatem conseruabat.

Christi humilitas excelsior, quia sine vilitate peccati.

D. Bern.

Humilitas B. Virginis, nihil habētis humile, & de se humiliter sentientis.

A Quod D. Bern. serm. 45. in Cant. meritò admiratus: *Sancta Maria*, inquit, *sanctimoniam non amisit, & humilitate non caruit. Et ideo concupiuit Rex decorem eius, quia humilitatem innocentiæ sociauit.* Et post pauca: *Meritò*, inquit, *admiranda, cui sanctitas amissa humilitatem non attulit, sed seruata admisit.*

D. Bern.

XVI. *Humilitas post peccatum facilis; ante peccatum difficilis.*

Facile quidem est, post peccatum humilitatem retinere; ante peccatum, difficillimum. Nam ipsa proprij peccati cognitio humilitatem conciliat, quam sæpenumerò conscientia propriæ sanctitatis excludit. Confirmari hoc potest exemplo Dauidis, quem pœnitentia humiliorem reddidit, quàm reddiderat innocentia. Vnde ipse sui conscius sceleris: *Asperges me*, inquit, *hyssopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor.*
B Psal. 50. num. 9. Quem locum D. Bern. serm. 45. in Cant. expendens; & nomine hyssopi, quæ est humilis herba, humilitatem exponens, subdit: *Hac*, nempe, humilitate, *se post grauem lapsum Rex, & Propheta lauare confidit, & sic niueum quemdam innocentiæ recuperare candorem. Verùm in eo, qui grauiter peccauit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas: at si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem iungit; nonne is tibi videtur, geminum animæ possidere decorem?* Et paulò pòst: *Rara, inquit, auis in terris, aut sanctitatem non perdere; aut humilitatem sanctimonia non excludi.*

D. Bern.

Dauid post lapsum humilis, probandus, sed non admirandus.

XVII. *Magdalena pœnitens in præsentia laudatur; Ioannes innocens in absentia.*

C Mirum est, quòd Christus Dominus Magdalenam publicè peccatricem, & præsentem, & audientem magis laudibus commendarit. Luc. 7. à num. 44. & Matth. 26. à num. 10. At verò Baptistam, qui illibatum innocentiæ candorem semper conseruarat, non solùm non laudarit in os; verùm etiam neque eius discipulis audientibus. Nam, *illis abeuntibus, cœpit Iesus dicere de Ioanne*, &c. Matth. 11. à n. 7. Diuersa ratio mihi videtur esse, quia Ioannes ex suis laudibus, vel in præsentia auditis, vel per internuntios delatis, faciliùs posset ad superbiam tentari, quàm Magdalena. Nam hæc suorum peccatorum veluti ponderibus librata, nullius laudationis flatibus è solo humilitatis, vbi defixa erat, moueretur: at verò ille suæ innocentiæ & eximiæ sanctitatis alis optimè instructus, quamlibet laudationis auram
D faciliùs colligeret, qua in superbiam impelleretur. Optimus igitur Magister pœnitentem in præsentia laudat; innocentem in absentia: quia pœnitens nullum arrogantiæ periculum in suis laudibus; innocens verò maximum inueniret.

XVIII. *Homo creaturarum vltimus conditus est, ne ex innocentia superbiret.* D. Thom. D. Dion. Areop. D. Irenæus. D. Chrys.

Condidit olim Deus primum hominem in statu gratiæ, vt non solùm Theologi, duce D. Thom. 1. part. quæst. 95. art. 1. multò probabiliùs tuentur; sed etiam Patres, D. Dionys. De cælest. hierarch. cap. 3. D. Iren. lib. 5. contra hæreses, cap. 20. D. Chrysost. hom. 8. & 9. in Gen. & plerique alij, tam ex Græcis, quàm ex Latinis arbitrantur. Verùm, quia sanctitas & humilitas difficilè retinentur, vide, quantis eum præsidiis, ne in superbiam euanesceret, stabiliuit. Nam in primis illum sexto die omnium creaturarum nouissimum
E produxit. Gen. 1. num. 27. Cur non potiùs constituit omnium primogenitum? Respondet optimè Procopius: *Ne glorietur, & se quasi iactaret cooperatorem Dei.* Addo etiam, vt postremo loco natiuitatis, ad postremum humilitatis obtinendum admoneretur. Quemadmodum enim in domo paterna filius natu minimus, inter fratres natu maiores, humili & demisso capite versatur: ita oportebat, vt homo inter cæteras creaturas versaretur humilis & postremus; & quas dignitate præibat, humilitate sequeretur.

Procop.

Deinde

XIX. Deinde in eodem sexto die, quo hominem creauit, condidit *& iumenta, & reptilia, & bestias terræ.* Genes. 1. n. 24. Quæ animalia, vt notat D. Aug. lib. imperfecto de Genesi ad literam, c. 16. *imperfectiora, & magis noxia fuêre.* Cur igitur hominem æquandum Angelis, cum bestiis terræ sociauit? Credo, vt illum debita in humilitate conseruaret; & quantùm se homo ex futura inter Angelos dignitate erigeret, tantùm se ex præsenti inter bestias vilitate deprimeret. Ad hæc, postquàm 1. cap. n. 27. dictum est: *Creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam:* statim additur cap. seq. num. 7. *Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ:* seu, vt est in Hebræo, *De puluere terræ.* Et quidem iuxta D. Chrysostomum, *tenuissimo ac vilissimo:* vel iuxta Procopium: *De parte inutili ac superflua terræ:* vt, si fortè intumesceret ex creatione animæ, simili creationi Angelorum; statim ex formatione corporis, simili formationi vasorum fictilium detumesceret. Sic enim opus fuit, inquit D. Chrysostomus homil. 12. in Gen. *Ne ignorando homo quomodo constitutus sit, magnus sibi videatur, & præscriptos sibi limites transeat.* Quis enim præ superbia caput erigat, & inter sydera condat, qui se ex vilissimo puluere formatum contempletur? *Nam, cùm cogitauerimus,* addit Chrysostomus, *vnde constitutionis suæ initium natura nostra susceperit; etiamsi sexcenties supercilia surrigamus, ea deprimemus, & humiliabimur, & substantia nostra qualitatem perpendentes, modestiam discemus.*

Conditur cū iumentis, & reptilibus, vt humilietur. D. Aug.

Conditur ex vilissima materia, vt humilitatem conseruet. D. Chrys. Procop.

XX. Præterea cæteræ creaturæ, vt ex diuino opificio nouæ recentésque prodibant, statim à Deo laudabantur, vt patet ex Genes. 1. à nom. 4. vbi de singulis dicitur: *Vidit Deus, quòd esset bona.* Solus homo ex sui artificis manibus abiit illaudatus. Cur ita? Solúsne homo imperfectus euasit? In solóne homine sui artificis industria elanguit, quæ in cæteris rebus desudauit? Absit. Immò D. Chrys. hom. 11. ad populum, hominem appellat non tam fictilem, quàm *auream statuam, splendidè fulgentem.* Et totius hominis non tam fabricam, quàm *harmoniam* longa oratione admiratur. Et Philo Hebr. lib. De Mundi opificio, primum hominem vocat *sacratum templum,* rerum omnium præstantissimum, & pulcherrimi exemplaris *pulcherrimam imaginem;* tantò meliorem cæteris hominibus, quantò ipse meliorem habuit auctorem: At verò D. Ambr. lib. 6. Examer. cap 8. admirabundus exclamat: *Pictus es, ô homo; & pictus à Domino Deo tuo. Bonum habes artificem, atque pictorem. Noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentem; non cera expressam, sed gratia.* Vbi dum hominem pictum vocat, alludere potest ad Regium Vatem, qui de fabrica hominis in vtero materno loquutus: *Et substantia mea,* inquit, *in inferioribus terræ* Psal. 138. num. 15. seu, vt ex Hebræo elici potest: *Acu pictus sum:* seu *variè contextus, & variegatus sum,* ac veluti opere Phrygio distinctus. Tanta est enim humani corporis pulchritudo, vt Phrygianum quoddam stragulum multicoloribus filis intertextum referre videatur. Cur igitur homo tam multis nominibus laudabilis, solus ex omnibus creaturis à Deo prætermittitur illaudatus? Mitto alias rationes, quas Diuus Ambros. lib. De Instit. Virg. c. 3. eleganter prosequitur. Illa mihi videtur ad rem præsentem, quòd cæteræ creaturæ, cùm essent sanctitatis expertes, non possent ex diuina laudatione superbire: at verò homo singulari imbutus sanctimonia, si insuper à Deo laudaretur, exponeretur periculo incredibili intumescendi.

Laudantur à Deo cætera creaturæ, non homo, ne superbiat.

D. Chrys.

Humani corporis perfectio.

Philo.

D. Ambr. *Homo à Deo pictus.*

D. Ambr.

XXI. Tandem inquiret aliquis: Si Adam omnibus animalibus nomina imposuit, Gen. 2. n. 19. cur sibi vni nomē nō assumpserit? Respondet quidem Phil. Hebr. lib. 1. allegor. ne in re propria erraret. Nam *mens,* inquit, *quæ inest nostrûm vnicuique, cætera potest comprehendere: se ipsam nosse nō potest: quemadmodum enim oculus alia videt, se ipse non videns; sic & mens intelligit alia, se ipsam non comprehendit.* Quasi homo faciliùs alia, quàm se ipsum cognoscat: nam in rebus propriis quilibet hallucinatur, qui in alienis acutissimè intuetur. Addo, quia fortasse sanctitatis suæ præstantia tumidus, non sibi nomen Adamo imponeret: nam Adam terram significat; primus autem homo sibi complacens, non se terram vocaret, sed cælum; non se hominem diceret, sed Cherubinum. Tantus oritur ex sanctitate fastus, tanta pullulat ex innocentia arrogantia. Eadem causa fuit, cur homo multis corporis incommodis à Deo implicetur, ne ex animi ornamentis ad superbiam erigatur. Quod D. Chrysostomus hom. 11. ad populum obseruat: *Deus,* inquit, *multis* hominem *obuinxit necessitatibus, non perosus, neque auersatus; sed consulens, & nascentem ab initio superbiam prohibens, nec vlteriùs procedere permittens; sed per ipsam rerum experientiam monens eum, quod mortalis & corruptibilis esset.*

Adam cæteris animalibus nomen imposuit, non sibi, ne angustius imponeret, quàm oportebat. Philo.

Homo corporis miseriis implicatur, ne animo dotibus intumescat. D. Chrys.

XXII. Et ne vnquam putaret homo, ex Diaboli persuasione, se posse fieri Deum, factus est puluis, multis non solùm corporis, sed etiam animi calamitatibus immersus. Vnde D. Chrysost. citatus: *Morbosum,* inquit, *& ærumnosum ipsius corpus Deus effecit, per ipsam docens naturam, ne vnquam talem conciperet cogitationem.* Et paulò pòst: *Animam verò obliuioni, & ignorantiæ, & tristitiæ, & curis obnoxiam reddidit; ne ad propriam generositatem respiciens, maiorem propria dignitate opinionem conciperet.* Itaque multis superbiæ periculis obiicitur, qui magnis innocentiæ dotibus exornatur. Quis igitur Samuelis humilitatem non admiretur, qui, cùm innocentissimus esset, & ad diuinum colloquium aptissimus; tamen ipse, neque se innocentem, neque diuino colloquio dignum iudicabat?

Nō modò corporis, sed animi vitiis immergitur homo, ne ad superbiam erigatur.

Humilitas Samuelis, multis eu meritis non superbientis.

Tertia ratio confirmatur.

Prælati circa res subditorum pleniùs illustrantur.

XXIII. Ratio tertio loco assignata, erit potiùs Heli, quàm Samuel eam vocationem à Deo profectam esse cognouerit, erat, quia Samuel subditum agebat; Heli autem Prælati munere fungebatur. Ad Prælatum autem pertinet, sootum subditorum res acutiùs intueri, & circa illas clariùs illustrari. Patet in primis in Abrahamo, ad quem Dominus: *Num,* inquit, *celare potero Abraham, quæ gesturus sum; cùm futurus sit in gentem magnam ac robustissimam,* &c. *& præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se?* &c. Genes. 18. numer. 17. vbi, vt notat D. Thomas, aut quisquis est ille Auctor Commentariorum in Genes. qui sub eius nomine circunferuntur, tota huius reuelationis ratio, non alia fuisse dicitur, quam *præsidentia sui regiminis, propter quam decebat, sibi, sicut aliorum Rectori & Doctori, plura Dei arcana reuelari.* Sic etiam, cùm Iosephus adhue puer somnia sua semel atque iterum narraret, nec quò illa euaderent, intelligeret, Iacobus *Pater rem tacitus considerabat.* Genes. 37. n. 11. Immò, vt notat Iosephus lib. 2. Antiquit. capit. 2. somniorum mysteria animo

Abraham, vt multarū gentiū pater clariùs à Deo illustratur.

D. Thom.

Iosephus habebat sui sōnij experientiā, sed pater Iacobus intelligentiam. Iosephus.

animo præuidebat; & prædicebat: ad patrem enim spectabat, quam filius de se felicitatem nesciebat, & conspicere, & euulgare. Idem Iacobus corpore quidem cæcus erat præ nimia senectute; animo autem perspicacior quam filius Iosephus, vt patet ex Gen. 48 n. 10. Vnde D. Ambr. lib. 2. De Iacob, & vita beata, c. 9. *Iacob*, inquit, *videbat futura, qui æstimabatur non videre præsentia. Denique errauit & ipse Ioseph, vt ad dexteram eius applicaret filium suum seniorem, & ad sinistram ipsius filium iuniorem.* Quem proinde videntem filium cæcus pater emendauit. *Adeò*, addit Ambros. *licet impedito corporis aspectu, melius videbat, vt videntem doceret errasse.* Sic & Moyses acutior fuit in audiendo, quàm Iosuë. Nam, cùm hic diceret: *Vlulatus pugnæ auditur in castris.* Exod. 32. n. 17. sua opinione falsus est: ille autem cùm diceret: *Vocem cantantium ego audio.* Ibidem, n. 18. in id, quod res erat, collimauit. Quia Prælatus rem clarior subdito attingebat. Non minùs hoc ipsum cernitur in Helisæo, eiúsque ministro. Hic enim nihil aliud videbat, quàm exercitum hostilem in circuitu ciuitatis: ille autem in circuitu suo montem plenum equorum, & curruum igneorum intuebatur. 4. Reg. 6. à num. 15. Prælatus enim erat, ad quem pertinebat, suorum res subditorum acutiùs contemplari. Et propterea, vt loquitur D. Chrysostom. serm. De Helisæo: *Sedebat in monte altior mundo, propior cælo: iacentia infra se despiciens, superna iam deuotus attendens.*

Iacobus senex acutius videbat, quã Iosephus iuuenis. D. Ambr. *Moyses acutior, quàm Iosuë.* *Helisæus perspicacior, quã eius minister.* D. Chrys.

XXIV. *Etiam malis Prælatis ampla rerũ intelligentia communicatur.* Addo, non solùm optimis, sed etiam improbis Prælatis, maiorem rerum intelligentiam à Deo communicari. Darius olim Rex super omnes Satrapas regni sui, constituit Principes tres, ex quibus Daniel vnus erat. Daniel. 6. numer. 2. Additor verò statim numer. 3. *Igitur Daniel superabat omnes Principes & Satrapas, quia spiritus Dei amplior erat in illo.* Vbi Theodoretus egregiè ponderat verbum illud, *Amplior.* Nam, dum in Daniele fuisse dicitur spiritus Dei amplior; planè supponitur in cæteris gubernationis sociis, quamuis idololatris, saltem amplus Dei spiritus fuisse. *Discimus*, inquit, *ex hoc loco, iis, quibus ad vitam ciuium instituendam magistratus mandatur; etiamsi pietatis expertes fuerint, quoddam tamen sapientiæ munus ad subiectum sibi populum gubernandum diuinitus concedi.*

Theod.

XXV. *Nabuchodonosor prior vidit in fornace similem filio Dei.* Vnde, quæso, illa lux suborta est Nabuchodonosori, vt primus omnium in fornace ignis ardentis similem filio Dei intueretur? *Ecce ego*, inquit, *video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est: & species quarti similis filio Dei.* Daniel. 3. numer. 92. Theodoretus respondet, quia Nabuchodonosor omnium pessimus erat, vt inde diuinam bonitatem magis commendet. *O ineffabilem*, inquit, *bonitatem! Ecce istum, qui tanto fastu elatus tantam adhibuerat crudelitatem; quique diuinum cultum sibi vsurpare summa ope nixus fuerat, & Dei cultores crudeliter atque atrociter punire conatus; ad pietatem perducit, eique virtutem suam, qua mirabilia efficit, ostendit.* Nec immeritò: quia, cùm ille similis filio Dei repræsentauerit Verbum diuinum pro peccatoribus naturam humanam assumpturum; priùs debuit peccatoribus manifestari, ne illi se putarent ab hoc beneficio exclusos.

Theodor. *Ratio Theodoreti, ad cõmendandam bonitatem Dei, qui se peccatori videndum ostẽdebat.*

XXVI. Rupert. *Ratio Ruperti, ad Regem prius instruẽ.* Sed Rupertus lib. 6. De victoria Verbi, cap. 22. aptiùs ad rem præsentem mihi videtur respondere: nempe idcircò Nabuchodonosorem omnium primum vidisse, & ostendisse filium Dei,

A quia Rex erat, ad quem pertinebat, suos subditos maiori cum auctoritate edocere. *Speciosa*, inquit, *fuit hæc victoria, & insigne præconium filij Dei, quòd illum manifesta confessione prius confessus est inimicus, quam amicus; persequutor, quàm sectator, Gentilis, quàm Iudæus. Quis ex omnibus Prophetis tam aperte nomen illud expressit, appellans filium Dei? Per hunc autem Regem summum ex mundi Principibus, quem Iudæus, aut Gentilis arguere non posset; cuius opprimere os non auderet mundus; hoc nomen filij Dei primitus enuntiatum & euulgatum est.* Quasi diceret: Idcircò Regi maior lux diuinitùs affulsit ad cognoscendum Deum: quia maior illi erat auctoritas ad docendum populum.

dum, alios instructurũ.

XXVII. *Heli quoad sapientiam Prælato necessariam Samueli præfertur.* Quamuis igitur Heli ratione innocentiæ non B sit cum Samuele comparandus; tamen ratione sapientiæ, quam vt Prælatus obtinebat, videtur illi præferendus. Vnde eum de vocatione diuina potuit edocere. Æquum enim est, vt à capite in cætera membra, cælestis doctrinæ pietatísque flumina deriuentur, iuxta illud: *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron: quod descendit in oram vestimenti eius.* Psal. 132. n. 2. vbi Diuus Basilius hunc Prælatorum in subditos illapsum & influxum egregiè expendit: *Quemadmodum*, inquit, *à capite vsque ad barbam & summitatem indumenti, sacrum vnguentum decurrens, Sacerdotem bona fragrantia replebat: sic à Principe vsque ad subditos concordia vtilitas descendit.*

A Principe in populum doctrina deriuatur. D. Basilius.

XXVIII. *Prælati & Doctores dentibus similes, qui cibũ spiritualem animæ præparãt.* Quò respexit Salomon, cùm Ecclesiæ Princi- C pes & Doctores dentibus comparauit: *Dentes*, inquit, *tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus.* Cant. 4. n. 2. Nam sicut dentes molitum & extenuatum cibum nutriendo corpori præparant; ita Doctores & Pastores instituendo populo sanam doctrinam meditantur. Vnde Psellius ad eum locum: *Dentes*, inquit, *intelligito diuinos Doctores sacrosanctam nobis Scripturam interpretantes; qui, detonsi reiectisque carnis sollicitudinibus, & conscientiæ lauacro mundati, tum animi, tum corporis puritatem, quasi gemellos fœtus habere dicuntur.* Eodem mysterio Christus Dominus celebre conuiuium facturus, *Dedit discipulis panes; discipuli autem turbis.* Matth. 14 numer. 19. Cuius rationem assignat D. D Hilarius ad eum locum, can. 14. *Quia per Apostolos*, inquit, *erant diuina gratiæ dona inferioribus hominibus reddenda.* Sic igitur Sacerdoti Heli diuinitùs communicantur, quæ per eum ad Samuelem transfunduntur.

Psellius. *Sicut per Apostolos panes ministrati sunt turbis, ita per Prælatos doctrina.* D. Hilar.

XXIX. *Vade, & dormi.* Iam non respondet Heli, vt semel atque iterum responderat: *Non vocaui.* Nam respondendo: *Non vocaui*: significare volebat absolutè, Samuelem à nemine vocatum; sed aliquo insomnio delusum, surrexisse & accurrisse. Nunc igitur abstinet ab his verbis, quia reuerà intellexerat, Samuelem, si non à se, saltem à Deo euocatum: quare vocari non negat; sed à quo vocetur, insinuat. Quod antequàm faciat, præmittit illa verba, quæ semel atque iterum iam dixerat: E *Vade, & dormi.* Vbi & obedientia Samuelis, & prudentia Heli mihi videntur non mediocriter collucere. Obedientia quidem Samuelis, quia ter vocatus ad Heli accessit; nunquàm iniussus ab eo recessit: sed postquàm ab eo audisset: *Vade, & dormi.* Quod expendens Thomas à Kempis p. 1. serm. 3. ad Nouitios: *In omnibus* inquit, *agendis & consulendis Sacerdoti suo, tanquam Vicario Dei studuit incunctanter obedire; vt ne ad dormiendum quidem sine eius licentia ire præsumeret.* Poterat quidem vbi se minimè vocatum resciebat, etiam iniussus ad cubitum redire; sed vt

Obedientia Samuelis, qui nunquã iniussus à magistro suo recessit. Thom. à Kempis.

animum parendi studiosum præberet, præceptoris sui imperium expectabat. Quam Samuelis obedientiam imitatus fuit Religiosus quidam adolescens, qui in Speculo exemplorum, exemplo 6. de obedientia refertur. Nam Monachus senex in Thebaïde discipulum habebat, solitum non ire ad cubitum, antequàm a magistro dimitteretur. Sed, cùm magister somno præoccupatus illum aliquando non dimisisset, discipulus iuxta illum vsque ad mediam noctem vigilauit; & septies à somno tentatus, vt etiam a magistro iniussus dormitū iret, strenuus repugnauit; quousque magistro euigilante, tandem dimissus recessit. Sed magister statim actus in ecstasim vidit illustrem locum, & gloriosam sedem, & septem coronas: & percontatus, cui tanta præmia pararentur; audiit, suo discipulo, omnia nocte illa promerenti. Quem, cùm interrogaret, quid ea nocte fecisset; respondere primum præ animi candore nescientem, tandem nihil aliud egisse deprehendit, quàm septies restitisse somno, quo ad petendum cubitum etiam iniussus vrgebatur. Ex quo aperte nouit, hanc septemplicem victoriam illa septemplice corona remuneratam. Prudentia verò Heli, quia non dixit: vade, & vigila: vt alicui fortasse dicturus videretur; quò Samuel diuinæ reuelationi suscipiendæ promptior adesset: sed, vade, & dormi; quia diuina reuelatio non erat ambitiosè quęrenda, sed modestè, si quando fieret, acceptanda. Præstabat, humilem dormire, quàm superbum pernoctare. De hac prudentia in reuelationibus fugiendis potiùs, quàm aucupandis rectè disseruit Delrius noster lib. 4. disq. mag. quæst. 3. sect. 1. totam rem Patrum testimoniis, exemplisque illustrans.

Exemplum obedientiæ.

Prudentia Heli, significantis, reuelationes non esse ambitiosè quærendas.

Delrius.

XXX. *Et si deinceps vocauerit te, &c.* Dupliciter exponi potest. Primò iuxta Vatablum, si ille, quisquis est, qui te hactenus vocauit, deinceps vocauerit te, dices, &c. Quo sensu non aperuit Heli suam existimationem Samueli: tum, ne illum periculo superbiendi exponeret, atque ad loquutionem cum Deo ineundam, ineptum redderet. Nam, vt bene D. Chrysostomus in Psalmos, ad illa verba: *Non est oblitus clamorem pauperum.* Psal. 9. num. 13. *Orationis*, inquit, *vehiculum est humilitas*: iuxta illud: *Oratio humiliantis se nubes penetrabit.* Eccles. 35. num. 21. tum etiam, ne se exponeret periculo decipiendi, si fortè aliter, quàm cogitabat, euenisset. Vnde D. Basilius in Regulis breuioribus, interrogatione 245. *Prudens*, inquit, *vt serpens is est, qui in doctrina tradenda ita se moderatur, vt adhibita circumspectione consideratione que omnia faciat*; iuxta illud: *Aurum tuum & argentum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frenos ori tuo rectos.* Eccles. 28. numer. 29. A ratione enim alienum est, vt veritatis Doctor, falsitatis periculo se exponat; & deceptionem inducat, qui omnem de medio tollere deceptionem tenetur.

Vatablus. Duplex expositio.

Humilitas ad loquendū cū Deo necessaria.

D. Chrys.

Veritas in doctrina maximè requirenda.

D. Basil.

XXXI. Secundò exponi potest, iuxta Caietanum & Abulens. supplendo hæc verba: Non vocaui te; sed Dominus te vocauit. Et tunc rectè sequitur: si deinceps vocauerit te, dices, &c. Quo sensu manifestauit Heli suam existimationem Samueli. Cur enim non crederet animi sui sensa, cui diuina oracula credenda existimabat? Hic posteriòr sensus magis placet. Nam Heli neque de existimatione sua dubitabat, adeò certus ex illo suo indicio reddebatur; præsertim accedente aliqua illustratione diuina, quam paulò superiùs, § 2. diximus habuisse: neque de Samuelis humilitate diffidebat; adeò illam habebat cognitam, multisque experimentis iam diu exploratam. Itaque magistrum se præbuit, & docendo puerum de præterita vocatione, & præmonendo ad futuram. Nam ad indicandos Spiritus sancti accessus & recessus, qui secretissimi esse solent, solerti magisterio opus est. Vnde D. Bernardus sermon. 17. in Cant. *Quando*, inquit, *veniat, vel quando vadat Spiritus, periculosissime ignoratur. Cum enim hæ Spiritus sancti circa nos vicissitudines non obseruantur, fit, vt nec absentem desideres, nec præsentem glorifices: nempe, qui idcircò recedit, vt auidiùs requiratur; quonam modo, si abesse nescitur, requiratur?* Et rursum: *Qui dignanter ad hoc redit, vt consoletur; qualiter dignè pro sua maiestate suscipitur, si nec adesse sentitur? Mens ergo, quæ ignorat abscessum, patet seductioni; & quæ reditum non obseruat, erit ingrata visitationi.* Hæc D. Bern. dilucidè & argutè. Quare Heli opportunus adfuit inexperto discipulo magister. Sed quid eum docuit? Dices, inquit:

Caiet. Abul. Heli suam existimationem aperuit Samueli.

D. Bern.

Accessus, & recessus Spiritus sancti, diligenter obseruandus.

XXXII. *Loquere, Domine; quia audit seruus tuus.* Duo docet. Vnum, vt diuinam loquutionem petat. *Loquere, Domine.* Alterum, vt propriam attētionem promittat. *Quia audit seruus tuus.* Vtrunque notauit D. Gregor. in priori Commentario huius loci: *Doctus*, inquit, *est, non solum per internæ visitationis gratiam, loquentem Dominum deuote audire; sed silentem etiam, vt loqui dignaretur, magnis desideriis implorare.* Sed vtrunque seorsim ac breuiter illustrabo.

Duo docetur Samuel, vt petat loquutionem; & promittat attentionem.

D. Greg.

Docetur Samuel, diuinam loquutionem postulare.

XXXIII. QVod ad primum attinet. Sæpiùs à Deo postulabant Sancti, internum ac diuinum aliquem affatum, quo instruerentur. Dauid: *Dic animæ meæ, salus tua ego sum.* Psalm. 34. num. 3. *Bonitatem, & disciplinam, & scientiam doce me.* Psal. 118 numer. 66. *Doce me facere voluntatem tuam.* Psal. 142. num. 10. Cælestis Sponsa: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Cant. 1. num. 7. D. Aug. in soliloquiis, cap. 7. *Intona, Domine, desuper voce grandi & forti, in interiorem aurem cordis mei.* Sic igitur & Samuel diuinam aliquam alloquutionem postulat, qua doceatur. Sed dices: Si Deus volebat reuelare, quorsum ab eo reuelationem postulare oportebat? Facilè respondebit, qui Deum nouerit volentem implorari, etiam cùm dare vult. Nam in quem Æternus Pater liberaliorem se præberet, quam in Filium? Et nihilominus: *Postula*, inquit, *à me, & dabo tibi gentes, hæreditatem tuam* Psalm. 2. n. 8. Quasi Deus ideò velit implorari, vt ne ipsi quidem Filio, nisi petenti largiatur. Angelo populū percutienti dixit olim Dominus: *Sufficit, nunc contine manum tuam.* 2. Reg. 24. n. 16. Et nihilominùs Angelus cædere perrexit, quousque Dauid Dominum deprecatus: *Ego*, inquit, *sum, qui peccaui; ego iniquè egi; isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me.* Ibid. n. 17. Non dubitauerim, hanc Dauidis petitionē priorem fuisse, quàm illam supplicij cessationem; quamuis per recapitulationem posterior referatur. Verùm D. Ambr. in Ps. 37. oppositum sentiens, quæstionem excitat, & soluit apte ad præsens institutum: *Si mandauerat*, inquit, *Dominus Angelo, vt parceret; quomodo feriebat adhuc Angelus? Nisi, quia Dominus, etsi vult ignoscere, vult rogari, & vt rogetur, hortatur.* Itaque Deus etiam postquàm suam parcendi voluntatem expresserat; adhuc tamen, vt parceret, Dauidis orationem expectabat.

Sancti diuinā loquutionem petere solent.

D. August.

Deus vult implorari, etiam cùm vult dare.

Deus parcere volens preces adhuc expectat.

D. Ambr.

Subtraxit

XXXIV. *Deus volens redire, adhuc tamen vult renocari.* D. Bern.

Subtraxit se olim diuinus sponsus à cælesti A sponsa, quæ statim iusa in preces: *Reuertere*, inquit, *dilecte mi.* Cant. 2. n. 17. Cur, obsecro, ab illa anima recessit, quæ illi tanto amoris glutino adhærebat? Optime D. Bernard. serm. 74. *Forte*, inquit, *ideò se subtraxit, quo auidiùs renocaretur, teneretur fortiùs.* Quod duplici confirmat exemplo. Vno, discipulorum laborantium in remigando, quos Christus Dominus *volebat praeterire.* Marc. 6. numer. 48. Altero, discipulorum euntium in Emaüs, quibus castello appropinquantibus, *finxit se longiùs ire.* Luc. 24. n. 28. Vbi D. Bern. *Ne tunc quidem*, inquit, *istud volebat; sed magis probare fidem, & elicere precem.* Adesse quidē suis volebat, sed adesse rogatus exoptabat.

Deus vult à se peti beneficia, quæ antiquè promiserat.

Multa Deus benefi- B cia Dauidi promisit, tam ipsi, quàm eius posteris conferenda, quæ, cùm ille audiret omnia, rursus omnia postulauit. *Nunc ergo*, inquit, *Domine Deus, verbum, quod loqutus es super seruum tuum, & super domum eius, suscita in sempiternum*, &c. 2. Reg. 7. num. 24. An dubitauit Rex Dauid, reuocandáne foret illa promissio? Neqoaquàm. Propheta enim erat, & absolutam nouerat, quæ reuocari non potest. Cur igitur importunus rediit orator? Respondet Lyra: *Quia licèt Deus*, inquit, *velit dare beneficia in futuro; vult tamen super hoc deprecari, vt recipientes mereantur.*

Lyra.

XXXV. *Deus pluuiam dare volens, lacrymas Heliæ expectabat.*

Famem illam, qua Deus Israëliticum populum afflixerat, soluere volebat. Solas tamen Heliæ preces expectabat; ne aliter quàm rogatus suam misericordiam ostendisse videretur. Sed C cùm Helias à precibus abstineret, mirum est, quanto ambitu illum Deus ad preces effundendas prouocarit: vt D. Chrysostomus serm. 1. De Helia, in 1. tomo eleganter obseruat. In primis, inquit Chrysostomus: *Prophetam vnà cum populo punit, vt dum etiam ipse in famis supplicio comprehenditur, aliquid misericordiæ in relaxando sententia sua iuramento addiscat.*

D. Chrys. *Varij modi, quibus Deus Heliā ad deprecādum pro populo impellebat.*

Sed cùm adhuc Helias ad Deum pro populo deprecando minimè flecteretur, pascitur à Deo per coruos suapte natura immites & immisericordes, 3. Reg. 17. num. 6. vt eorum exemplo mitesceret, & feris humanitatem induentibus, homo feritatem non indueret. Quasi diceret, inquit D. Chrysost. *Absurdum est, ô Helia, quòd apud te misericordia mea* D *patrociaantur corui; ta autem pro Iudais, in quos sanio, non intercedis. Erubesce, & vel coruorum exemplo Iudais esto clementior.* Sed nondum Helias ad effundendas preces inclinatus, coruorum auxilio destituitur: *Vt fame victus*, inquit Chrysostomus, *sententiam ipse soluere cogatur*; & preces fundere pro sterilitate auertenda excitetur. Sed ne fame quidem à Propheta orationem extorquente, mittitur in Sarepta Sidoniorum, à fœmina Gentili sustentandus: magno planè incitamento, vt ad precandum pro populo traheretur. *Nam, cùm Iudæis*, inquit Chrysost. *interdictum sit habere commercium cum Gentilibus, volens eum ad misericordiam prouocare, prædixit ei futurum, vt à* E *muliere Gentili pasceretur. Quò mox, vt audiret Gentilis nomen, ab alimento ab ea sumendo abhorreret, & vel sic Deum pro effundendo imbre imploraret.* Sed, cùm adhuc Propheta ab offerendis precibus resiliret, noua in eum struitur machinatio. Occiditur filius viduæ, à qua ipse misericordiam acceperat, vt cùm Propheta pro illo misericordiam à Deo impetraret, etiam ipse à Deo misericordiam in populum conferre admoneretur. Quod planè artificium Propheta non ignorauit, vt eum Diuus Chrysostomus ingenuè fatentem introducit, ac dicentem: *Heu mihi, Domine, vidua,* A *apud quam ego habito, tu occidisti filium. Non est mors illa natura eueniens, tuum opus est, tuæ technæ, quibus me in misericordiæ necessitatem adigis. Ad misericordiam me compellis. Sentio artes tuas. Hoc agis, Domine, vt si dixero tibi; Salua filium viduæ mortuum: tu mihi ex aduerso respondeas; Filium meum Israel tu fame occisum misericordia dignare. Petis à me gratiam, petitur vicissim & à te gratia. Solue famis sententiam, & soluam mortis calculum.* En quanta sollicitudine Deus Sanctorum preces ambit & extorquet, vt etiam quod dare vult, non nisi rogatus dare videatur, vt plus aliquid meriti nobis accumuletur.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

XXXVI. *Idololatris parcere volebat Deus; at tamen nisi priùs rogatus.* Oleast.

Populo in solitudine vitulum aureum conflanti & adoranti parcere volebat Deus: sed ante il- B lius preces quodammodo renuebat. Quid ergo? *Depone*, inquit, *ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi.* Exod. 33. numer. 5. Quasi diceret: Flagellaturus adsum; tu quoque paratus in verbera mihi nudus ades flagellandus. Quò istæ tendebant minæ? Oleaster ibi: Volebat, inquit, Deus, vt Israel nudum & spoliatum vestibus se illi verberandum obiectaret; vt videns eum sic paratum, misericordia motus condonaret peccatum. Addo, voluisse Deum non solùm, vt populus se compararet ad pœnam; sed etiam vt ad misericordiam prouocaret, & pro venia impetranda in preces effunderetur. Volebat quidem misereri, sed nolebat suam misericordiam, nisi precibus emptam elargiri.

XXXVII. *Deus promittit, vt ab eo promissio requiratur.*

C Multæ in sacris Literis promissiones diuinæ continentur, quas proinde D. Paulus Hebr. 7. num. 6. & passim alibi *repromissiones* appellat: fortè, quòd non semel fiant, sed sæpiùs iterentur. At, cur tam multa, & tam sæpè à Deo promittuntur, antequàm donentur? Sanè, vt ipse Deus magis obligetur, vt ita loquar, ad donandum; & homines minùs erubescant, immò magis excitentur ad petendum. Quare Diuus Bernardus homil. 4. super Missus est, expendens illud beatæ Virginis: *Fiat mihi secundum verbum tuum*, Luc. 1. numer. 38. notat illud, *Fiat*, esse verbum, non tam permittentis, aut concedentis, quàm orantis, ac deprecantis. Et statim: *Vult*, inquit, *à se requiri Deus, etiam quod pollicetur. Et* D *ideò fortè multa, quæ dare disposuit, priùs pollicetur, vt ex promissione deuotio excitetur; sicq;, quod gratis daturus erat, deuota oratio promereatur. Sic pius Dominus, qui omnes homines vult saluos fieri, merita nostra extorquet à nobis: & dum nos præuenit, tribuendo, quod retribuat; gratis agit, ne gratis tribuat.* Quasi Deus suis se promissis obligare velit, vt nos audaciores quodammodo efficiat ad petendum: ac si non gratuita dona, sed quædam veluti debita repetamus; & ipse non dare, sed quodammodo soluere videatur.

D. Bern. *Incarnatione Verbi voluit Deus à se peti.*

Delectatur Deus, cùm ab eo quod exigitur. D. Chrys.

Nec aliter D. Chrys. hom. 15. in Matth. ad finem: *Ipsum*, inquit, *Deum tene, ipsum exige debitorem: hac enim exactione delectatur.* Et statim: *Se igitur principalem debitorem tuum, seq; vult esse vadem, præbens tibi occasiones in-* E *numeras exigendi.* Quò pertinet illud Diui Petri Chrysologi ser. 25. *Homo*, inquit, *homini exigua chartula obligatione constringitur: Deus tot ac tantis voluminibus cauet, & tamen debitor non tenetur?* Quasi diceret: Quæ isthæc nostra est incuria, cùm Deum multis nominibus debitorem habeamos; neque tamen illius esse velimus exactores?

D. Petrus Chrysol.

XXXVIII. *Heli typus populi Christiani.*

Quare, cùm Heli hanc diuinam propensionem probè agnosceret, meritò hortatus est Samuelem, vt illam ipsam postularet prophetiam, seu loquutionem, quam Deum conferre velle non dubitabat. *Dices*, inquit: *Loquere, Domine.* Quibus

verbis Samuel, non Iudaici quidem, sed Christiani populi typum expressit. Nam ille non a Deo, sed a Moyse volebat erudiri, dicens: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Exod.20. num. 19. Hic autem vice versa, ab ipso Deo potiùs, quàm ab vllo Prophetarum erudiri cupiebat; iuxta illud: *Osculetur me osculo oris sui.* Cant. 1. n.1. seu, vt ex Hebræo transferri potest: *Doceat me doctrina oris sui.* Nam verbum נשק *Nasach*, quod ibi ponitur, significat osculari, & docere; iuxta illud: *Apprehendite disciplinam.* Psal.2.n.12. seu, vt Pagninus & Vatablus, aliique ex Hebræo transferunt: *Osculamini Filium.* Quasi idem sit, Filium osculari, atque eius doctrinæ erudiendos subiici. Osculetur igitur me: perinde est, ac, doceat me. A solo enim Christo Christianus populus desiderat erudiri. Vnde, vt testatur Clem. Alexand. lib.1. pædag. c.7. veteris quidem populi Moyses; noui autem Christus extitit pædagogus. *Re vera enim*, inquit, *erat Dominus per Moysem pædagogus veteris populi: per se ipsum autem populi noui dux facie ad faciem.* Et paulò pòst: *Veteri populo vetus erat Testamentum, & lex cum metu populum erudiebat, & verbum erat Angelus: nouo autem, & recenti populo nouum ac recens Testamentum datum est, & verbum fuit genitum, & metus in dilectionem conuersus est, & mysticus ille Angelus Iesus paritur.* In huius igitur Christiani populi figuram, Samuel ad Deum, *Loquere*, inquit, *Domine.* Atque hæc de primo.

Populus Iudaicus doceri volebat, nō à Christo, sed à Moyse. Christianus non à Moyse, sed à Christo.

Pagninus. Vatablus.

Clem. Alex.

Iubetur Samuel, propriam attentionem polliceri.

XXXIX. *Nostra attentio loquenti Deo, maximè necessaria.* *D. Bern.*

QVod attinet ad secundum: suam attentionem Samuel promittere iubetur, hisce verbis: *Quia audit seruus tuus.* Quorum non solùm interpres, sed etiam egregius illustrator, vnus pro omnibus esse potest Diuus Bernardus. Nam in primis Epist. 107. ad Thomam de relinquendo seculo cogitantem: *Tu*, inquit, *ô charissime, huic voci Dei tui dulciori super mel & fauum si praeparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, vt expedito & vacante interno sensu, dicas & tu cum Samuele: Loquere, Domine; quia audit seruus tuus. Vox hæc non sonat in foro; sed nec auditur in publico. Secretum consilium, secretum quærit auditum.* Et paulò pòst in illud Christi Domini ad discipulos: *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Ioan. 15. num. 3. *Ergo*, inquit, *qui hunc sermonem non audiunt, immundi sunt.* Vbi obiter aduerte, verbum Dei habere vim mundandi animos. Quod etiam rectè obseruauit D. Ambrosius in præfatione Psalmi 45. vbi referens citata verba Christi Domini: *Iam vos mundi estis*, &c. *Loquere*, inquit, *Domine Iesu; verbum tuum medicina est: verbum tuum lumen est: verbum tuum nostræ colluuionis ablutio est: verbum tuum fons est. Tu loqueris, & culpa lauatur.* Sic D. Ambros.

Sermo Dei mundat.

D. Ambr.

XL. *D. Bern. Insania est loquenti Deo non audire.*

Sed iterum idem D. Bernardus serm. de septem spiritibus: *Quantæ*, inquit, *temeritatis, immò quanta insaniæ est, si fortè dum alloquitur nos Dominus maiestatis, nos insensati auertamus aurem, & ad nescio quas ineptias conuertamur! Quanta est hæc iniuria, & quàm grauiter vindicanda, cùm vilissimus vermis clamantem ad se audire dedignatur Creatorem vniuersitatis? Quanta verò & quàm inestabilis diuina dignatio bonitatis, quæ quotidie conspicit nos infelices, auertentes aures, obdurantes corda, & nihilominùs clamat ad nos, & iugiter clamitat in plateis? Et verè in plateis, quia in latitudine charita-*

Clementia Dei loquentis nō volentibus audire.

tis. Vbi alludit ad illud: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam.* Prou. 1. n. 20. Et paulò pòst: *Felix*, inquit, *& beata anima, quæ venas susurri diuini percipit in silentio, frequenter iterans illud Samuelis: Loquere, Domine; quia audit seruus tuus.*

Iam verò serm. 28. in Cantica, agens de illo auditu, quo dicuntur beati, *qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Luc. 11. n. 28. subdit: *Talem*, inquit, *requirit auditum, qui mandat: Audi, Israel.* Deut. 6. n. 3. *Talem offert, qui ait: Loquere, Domine; quia audit seruus tuus.* 1. Reg. 3. n. 9. & 10. *Talem spondet, qui dicit: Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* Psal. 84. n. 9. Tandem sermo 1. in Septuagesima docet, eum, qui verbum Dei audit, manifestum suæ salutis indicium habere: *Inter ea*, inquit, *quæ fiduciam præstant, & materiam spei, vnum illud maximum est, de quo nunc cœpimus loqui: Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Ioann. 8. n. 47. Et statim inuehens in eos, qui verba Dei non audiunt, tanquam manifesto salutis signo destitutos: *Nonnullos*, inquit, *sive interdum audientes inuenies, ac si nihil omninò ad eos pertineant, quæ dicuntur: non intrare cor suum, non discutere mores suos, non cogitare, ne fortè quod audiunt, dictum sit propter eos. Magis autem, si sermo Dei viuus & efficax aduersus vitia illa processerit, quibus se se illi sentiunt obligatos; dissimulant & auertunt oculos cordis, aut qualibet adinuentione palliant vitia, & seducunt miseri semetipsos. In his ergo salutis signa non video. Magis autem vereor, ne fortè propterea non audiant verbum Dei, quia non sunt ipsi ex Deo.* Cæterùm, quia verbum audiendi multa significat, præcipuas significationes, quas hoc loco habere potest, breuiter expendo. XLI.

Audire verbū Dei, est signum salutis.

Prima verbi audiendi significatio.

PRimò: *Audit seruus tuus:* id est, *Credit.* Nec fortasse à litera admodùm alienum: quia hic nihil faciendum præcipitur Samueli, sed credendum, vt ex dicendis patebit. Rectè verò audire dicitur, qui credit; nam *Fides ex auditu.* Rom. 10. n. 17. Et meritò: quia auditus in Scriptura certissimus est omnium sensuum externorum. Quod facilè ostendi potest. Vidit Centurio Christum Dominum patientem, non agnouit: audiuit clamantem, illicò agnouit. *Videns, quia sic clamans expirasset, ait: Verè hic homo Filius Dei erat.* Marc. 15. numer. 39. Vbi Diuus Bernardus, serm. 28. in Cantica. *Ex voce*, inquit, *agnouit Filium Dei, & non ex facie. Erat enim fortasse ex ouibus eius, quæ vocem eius audiunt. Auditus inuenit, quod non visus: oculum species fefellit: auri veritas se infudit. Oculus pronuntiabat infirmum, oculus fœdum, oculus miserum, oculus morte turpissima condemnatum: auri Dei Filius, auri formosus innotuit.* Sed, quid dico Centurionem, hominem externum? Vna ex domesticis Magdalena redituum cernebat, & non agnoscebat; sed hortulanum existimabat. Audiuit dicentem, *Maria*: & cognouit, statimque vt magistrum salutauit. Ioan. 20. numer. 16. Et ne iterum in aliorum sensuum errores se infunderet, Dominum tangere prohibetur. *Noli*, inquit, *me tangere.* Quasi diceret, inquit Diuus Bernardus vbi supra: *Diffuesce seducibili sensui, innitere verbo, fidei assuesce. Fides nescia falli, fides inuisibilia comprehendens sensus penuriam non sentit.* XLII.

Audire, id est, credere.

Centurio Christum agnouit audiendo, non videndo. *D. Bern.*

Magdalena Christum agnouit audiendo, non videndo.

D. Bern.

Parùm est, vnum auditum solo visu certiorem esse: addo vlteriùs, reliquis sensibus certitudine præstare. Patet in Isaac, qui aliis quidem sensibus errabat: XLIII.

Auditus cæteris sensibus certior.

erranbat viſu, quia *caligauerant oculi eius*: odoratu, quia percipiens odorem Iacobi, dicebat: *Ecce odor filij mei*, nempe Eſaü, *ſicut odor agri pleni*: goſtu, quia domeſticos cibos pro venaticis guſtabat: tactu, quia pelles hœdinas pro piloſis Eſaü manibus tangebat; & nihilominùs auditu ad ipſam rei veritatem collimabat. *Vox quidem, vox Iacob eſt*. Gen.27.n.22. Vbi D.Bernard. citato loco: *Sapiens*, inquit, *fuit Iſaac, ſed tamen errauit in ſenſibus: ſolus habet auditus verum, qui percipit verbum.*

D.Bern.

XLIV. D.Ambr. *Credulitas, & fides, firmamentum.*

Non vacat myſterio ille character, ſeu titulus ○ *Samech*, quo Dauid octonarium decimumquintum Pſalmi 118. prænotauit. Nam, interprete Diuo Ambroſio ibidem, duo ſignificat: *Auditum*, & *Firmamentum*. Non otioſè, inquit Diuus B Ambroſ. *Niſi enim vnuſquiſque audierit, quod ſequi debeat, nemo firmatur: in officio igitur audiendi omnium firmamentum eſt.* Quod quidem rectè in obedientiam quadrat: ſed rectiſſimè quadrare mihi videretur & in fidem: quæ neque vacillat, neque ſibi adhærentes patitur vacillare. Audit igitur fidelis Samuel, hoc eſt, Credit. Audi ergo & tu, inquit D. Ambroſius citato loco, id eſt, Crede. *Ne ſi te videat negligentem, veniat Petrus, arripiat gladium, abſcindat auriculam tuam; quod ſuperflue habens aurem corporis, audire non noueris.*

XLV. *Dos animæ fides.* D.Chryſ.

Quare cæleſtis ſponſus nihil priùs ab ſponſa, quàm vt audiret, hoc eſt, vt crederet, poſtulabat: *Audi*, inquit, *filia*. Pſalm.44. num.11. hoc eſt, Crede; vt D. Chryſoſtomus homil. 10 Eutro- C pium, in 1. tom. interpretatur, ſubiiciens: *Dos ſponſæ in auditu erat. Quid eſt in auditu? In fide, non in fruitione.* Nam, ſicut D.Paulus accedentem ad Deum iubet credere, Hebr.11.numer.6. ita & cæleſtis ſponſus acceſſuram ad immaculati thalami nuptias ſponſam audire iubet: perinde enim eſt. Quin etiam totum populum Iſraëliticum à fide ſæpiſſimè peregrinantem reuocabat Deus, & ad audiendum, hoc eſt, ad credendum hortabatur, dicens: *Audi, populus meus, & loquar; Iſrael, & teſtificabor tibi; Deus, Deus tuus ego ſum.* Pſal. 49.n.7. Vbi nota, quanto inter ſe diſcrimine fidelis Samuel, & infidelis populus diſtinguantur. Nam Samuel loquutionem à Deo poſtulabat, & ſuam auditionem promittebat; quia promptiſſi- D mus & paratiſſimus erat ad credendum, quidquid ei à Deo credendum proponeretur: populus verò non ita: ſed potiùs vice verſa, Deus ab eo auditionem poſtulabat, & ſuam ei loquutionem promittebat; quia, vt notat D. Chryſoſt. *Erant pigri ac negligentes, & ne tantillum quidem legum lectioni quietam præbebant audientiam.* Et paulò pòſt obſeruat duplicatam illam vocem: *Deus, Deus tuus ego ſum. Quia erant*, inquit, *ſurdi, & nullo ſenſu præditi*: ſcilicet, ad credendum obiectum fidei, quod eis proponebatur.

Populus Iſraeliticus ad fidem vocatur.

D.Chryſ. *Iudæi pigri ad audiendũ.*

Secunda verbi audiendi *ſignificatio.*

XLVI. *Audire, id eſt, obedire.*

SEcundò: *Audit ſeruus tuus*: id eſt: *Obedit*. Et quidem literæ valdè affine. Licèt enim hoc loco Samueli credenda tantùm proponerentur, dubitare tamen ille potuit, an etiam proponerentur & agenda. Vnde ad vtrunque paratus reſpondit: *Audit*, ſeu, *obedit ſeruus tuus*. In eundem quoque ſenſum cæleſtis ſponſus, ſponſam non ſolùm ad fidem, ſed etiam ad obedientiam hortatus: *Audi*, inquit, *filia*: quod non ſolùm eſt idem, quod, *Crede*; vt paulò antè ex D.Chryſoſtomo diximus: ſed etiam idem, quod, *Obedi*: eodem ſancto Doctore interprete, ad finem homil. citatæ. Vbi no-

A tat, poſtquam ſponſus ab ſponſa obedientiam requiſiuit, ſtatim loco ingentis præmij internam animæ pulchritudinem promiſiſſe. *Et concupiſcet*, inquit, *Rex decorem tuum*. Pſal.44.n.12. *Pulchritudo enim animæ*, inquit D. Chryſ. *pendet ab obedientia erga Deum: anima enim quamlibet deformis, ſi quidem obtemperauerit Deo, deponit peccatum, & ſpecioſa redditur.* Quod variis illuſtrat exemplis. Nam D.Paulus de cœlo à Chriſto Domino euocatus, Act.9. n.4. *Obediuit*, inquit, *& obedientia ipſa deformem prius animam, apprime formoſam reddidit.* Deinde Matthæus Chriſtum Dominum ſequi iuſſus, Matth.9.n.9. *Surrexit*, inquit, *publicanus, & factus eſt Apoſtolus. Vtque anima deformis venuſtatem recepit formæ. Vnde? Ab obedientia.* B Tandem cæteri Apoſtoli ad relinquenda retia præmoniti obtemperarunt. *Et proinde*, inquit, *eorum mens maiore formæ irradiauit, virtute obedientiæ.*

Obedientia animæ pulchritudo.

D.Chryſ.

XLVII. *Pulchritudo obedientia Deum allicit ad colloquiũ.*

Si igitur deformes animæ virtute obedientiæ venuſtantur, anima Samuelis aliis iam virtutibus decora, quam tandem venuſtatem ex ſua promptiſſima obedientia conſequetur? Talem profectò; vt Deum familiare illiciat ad colloquium. Nam, qui ſic paratus eſt ad obediendum, dignus eſt, quem Deus familiariter alloquatur. Vnde olim Deus familiares ſibi amicos ad colloquium vocaturus: *Ad quem*, inquit, *reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Iſai.66.num.2. Chaldæus, pro, *trementem ſermones meos*, legit: *Mutantem ſe propter ſermonem meum.* Quaſi diuina familiaritas C illi tantùm promittatur, qui ad diuini ſermonis imperium facilè huc illuc circunfertur. Neque ſolùm ad familiaritatem cum Deo in via, ſed etiam in patria verus obediens euocatur. *Audi, filia*, inquit Pſaltes: & ſtatim: *Et vide*. Pſal. 44. num.11. Quaſi diceret, inquit D. Bernardus ſer. 41. in Cant. *Videre deſideras, ſed audi prius. Gradus eſt auditus ad viſum. Proinde audi, & inclina aurem tuam, vt per auditus obedientiam ad gloriam perueniat viſionis.* Contrà verò, qui Deo non obediunt, digni ſunt, qui à diuino colloquio repellantur. Vnde illa Dei cum populo expoſtulatio: *Iſrael*, inquit, *non intendis mihi*, Pſal.80.n.12. ſeu, vt eſt in fonte, *non voluit me*: ſeu, vt Chaldæus legit: *Non obediuit verbo meo.* Hæc enim omnia parum inter D ſe diſcriminantur. Quid deinde? Sequitur ſtatim: *Et dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum*. Quaſi diceret: Qui verbis meis non obtemperant, à meis colloquiis arcebuntur.

Cæca obedientia ad diuinã erigitur viſionem.

D. Bern.

Qui non obediunt, repelluntur.

XLVIII. *Verus obediens nõ expectat imperiũ, ſed nutum. Promptus obediens obſequio præuenit imperium.*

Audit igitur Samuel, hoc eſt, obedit. Vbi tria expendi poſſunt. Vnum, quòd non dixerit: *Præcipe*, quia audit, ſeu obedit ſeruus tuus; ſed, *Loquere*. Nam verus obediens imperium non expectat, ſed nutum. Sic & D.Paulus: *Domine*, inquit, *quid me vis facere?* Act.9.n.6. Quid vis, inquit, non quid iubes? Quia diuina potiùs voluntate, quàm poteſtate flectebatur. Alterum, quòd non dixerit: *Loquere, quia audiet*, ſeu *obediet* ſeruus tuus, de futuro: ſed de præſenti, *quia audit*, ſeu *obedit*. Mira E promptitudo: quaſi obſequio præueniret imperium, & antequàm Deus imperaret, ipſe obediret. Nam, vt ſuprà n.5. ex D. Bernardo retuli: *Fidelis obediens præripit præcipientem.* Sicut enim Deus aliquando preces noſtras præoccupat, & antequàm inuocetur, iam adeſt; iuxta illud: *Dixi: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino: & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Pſal.31. num.5. Vbi D. Auguſtin. Dauidem loquentem introducens: *Vox*, inquit, *mea in ore nondum erat, ſed auris Dei iam in corde erat.* De qua re cap.1.num.27. nonnihil diximus. Ita planè & obediens adeò promptus

D. Bern. *Deus præuenit preces.*

D. Aug.

est, vt imperio nondum audito, iam præcurrat: imitatus Angelos *Facientes*, vt canit Dauid, *verbum illius ad audiendam vocem sermonum eius.* Psal. 101. numer. 20. hoc est, vt cap. 1. n. 3. iam aduertimus, priùs offerentes obsequia, quam imperia audientes.

XLIX. *Verè obedientis paratus ad omnia obsequia, non determinatum vnum.* D Bern.

Tertium, quòd non dixerit: *Loquere* hoc, aut illud certum, ac determinatum verbum: sed absolutè: *Loquere*, nempe, quidquid volueris: *quia audit seruus tuus.* Non vnum tantum, aut alterum determinatum imperium; sed omnia, quæ mihi imposueris, diligenter obiturus. Vnde D. Bernardus sermon. 1. De conuersione Diui Pauli, comparat Apostolum dicentem: *Domine, quid me vis facere?* cum Samuele dicente: *Loquere, Domine; quia audit seruus tuus:* quòd vterque paratissimum se ostenderit, ad exequenda non solùm ea, quæ ipsis essent in votis; sed omnia omninò, quæ ipsis à Deo mandarentur. Nam verbum illud Apostoli non mediocriter commendans, *O verbum* inquit, *breue, sed plenum, sed viuum, sed efficax, sed dignum omni acceptione! Quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui suam ita abiecerint voluntatem, vt ne ipsum quidem cor proprium habeant, vt non quid ipsi, sed quid Dominus velit, omni hora requirant, dicentes sine intermissione: Domine, quid me vis facere? Et illud Samuelis: Loquere, Domine, quia audit seruus tuus.* Et statim inuehitur in eos, qui non promittūt cum Apostolo, & Samuele, se facturos quidquid Deus velit; sed optant cum euangelico illo cæco, Luc. 18. numer. 40. vt Deus faciat, quidquid ipsi volunt: *Heu*, inquit, *plures habemus euangelici illius cæci, quam noui Apostoli imitatores! Quid vis, ait Dominus ad cæcum illum, vt faciam tibi? Quanta est miseratio tua, Domine? quanta dignatio tua! Siccine Dominus quærit, vt serui faciat voluntatem? Verè cæcus ille, quia non considerauit, non expauit, non exclamauit: Absit hoc, Domine: tu magis dic, quid me facere velis. Sic enim decet, sic omninò dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri & fieri voluntatem.*

Obediens nō est, qui vult suam potiùs, quàm diuinā fieri voluntatem.

Tertia verbi audiendi *significatio.*

L. *Audire, id est, discere.*

TErtiò: *Audit seruus tuus:* id est, *Discit.* Samuel enim in Deum, vt discipulus in magistrum intendebat. Nam Deus omnibus Prophetis magistrum se præbebat. Vnde illud: *Dominus erigit manè, manè erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum.* Isai. 50. n. 4. Immò, de suo magisterio, magis quàm de suo dominio gloriabatur. Vnde Magdalena diuinæ voluntatis non ignara, cùm eum, quem hortulanum existimabat, Dominum appellasset, *Domine*, inquit, *si tu sustulisti eum, dicito mihi:* tamen eum, quem iam Deum recognoscebat, magistrum appellauit: *Conuersa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur, Magister.* Ioan. 20. num. 16. Vbi D. Augustin. tract. 121. in Ioan. *Nemo*, inquit, *calumnietur mulieri, quòd hortulanum dixerit Dominum; & Iesum, magistrum. Ibi enim honorabat hominem, à quo beneficium postulabat; hic recolebat Doctorem, à quo discernere humana & diuina discebat.* Quasi diceret: Suis quemque nominibus, nec indebitis appellauit: hortulanum quidem Dominum; Iesum verò, magistrum. Nam quò minor est homo Deo, & quò minus beneficium ab homine, quàm à Deo acceptum; eò minùs honoris præstitit homini, vocando Dominum, quàm Deo, vocando magistrum. Sub hoc igitur magistro Samuel adeò profecit, vt ipsius Heli, cuius discipulus erat, magister efficeretur. Immò non est aliud, discipulum esse vnius Dei, quàm magistrum totius orbis. Vnde est illud Isai. 50. n. 5. *Dominus Deus aperuit mihi aurem.* hoc est, me sibi discipulum assumpsit. Chaldæus legit: *Dominus meus misit me ad prophetandum:* hoc est, misit me ad docendum, seu magistrum totius orbis me constituit. Quasi idem sit, & Dei auditor, & mundi Doctor.

Deus magister Prophetarum.
De suo magisterio magis, quàm de suo dominio gloriatur.
D August.

LI. *Dei schola, secreta, non publica.*

Sed duo hic aduerte. Vnum, huius magistri scholam, publicam non esse, sed secretam: nec in ea discipulos argumentantes, sed auscultantes inueniri: qualis Samuel, *Audit*, inquit, *seruus tuus:* nimirum in noctis silentio, & in cubiculi recessu. Vnde D. Hier. in Regula Monachorum, c. 22. si eius illud Opus, alludens ad eum locum 3. Reg. 19. n. 11. & 12. in quo Deus non in commotione, sed in sibilo auræ tenuis dicitur apparuisse, agénsque de sanctissimis illis Monachis huius scholæ professoribus: *Plures*, inquit, *me reperisse non ambigo, qui per septennium nullum prorsus verbum homini alteri emiserant; scientes, quòd non in commotione Dominus potest haberi.* De hac profectò schola, ab hominum consortio separata, erat ille studiosissimus auditor, de quo Ieremias: *Sedebit*, inquit, *solitarius, & tacebit.* Thren. 3. num. 28. Cuius solitariam mentem à terrenis tumultibus abductam, cælestibus dignam reuelationibus, non immeritò iudicat Diuus Ambrosius sermon 2. in Psalm. 118. *Feriatus*, inquit, *ab omni interpellatione mundanæ sollicitudinis & voluptatis, diuinis vacabit oraculis, quæ solent singulariter sedentibus reuelari.* Et paulò pòst: *Reuelationes illi diuinæ gratiæ refulgebant; quia à iuuentute sua iugum verbi suscipiendum putauit.* Vbi *iugum verbi* appellare videtur non solùm onus diuini verbi exequendi; sed etiam studium auscultandi. Qui enim huic studio incumbit, diuinis reuelationibus edocetur. Et in exemplum adducit Dauidem & Heliam; è quibus illum *singulariter in spe* constitutum, Psalm. 4. numer. 10. hunc autem *in torrente Carith* absconditum, 3. Reg. 17. numer. 3. diuinæ reuelationes erudiebant. Talis igitur & hic, de quo Ieremias: *Sedebit*, inquit, *solitarius, & tacebit: vt totus possit intendere*, addit Diuus Ambrosius, *seniorum præceptis, Prophetarum oraculis, Apostolorum magisteriis: laudandus, eò quòd priùs vult loquenda cognoscere, quàm proferre, quæ sentiat, antequàm loqui discat; timens, ne multiloquio peccatum contrahat.* Nec mirum, scholam, in qua cælestia arcana discuntur, tanto silentio obrutam esse; cùm etiam ea, in qua profana literatura inculcatur, silentes potiùs, quàm loquentes desideret auditores. *Vnde puto*, inquit Diuus Ambrosius citatus, *Pythagoram instituisse sectam, vt discipuli sui quinquennio non loquentes, tanto silentio loqui discerent.* In silentio igitur, & in secessu diuinum Samuel oraculum auscultauit.

Sub Deo magistro discitur, non loquendo, sed audiendo.
D. Hier.
D. Ambr.
Etiam profana schola silentium requirit.

LII. *Vberior doctrina à Christi schola, quàm à profana hauritur.* D. Bern.

Alterum, vberiores doctrinæ latices ab hac solitaria schola, quàm à quauis frequentissima Academia hauriri, vel ipso teste Samuele, qui in ea versatus, *super docentes se*, hoc est, supra magistrum suum Heli, vt sæpiùs dixi, *intellexit.* Vnde Diuus Bernardus Epistol. 106. ad Henricum, non dubitat, multò vberiorem doctrinam ex hac solitaria palæstra, quàm ex amplissima Bibliotheca deriuari: *Experto*, inquit, *crede: aliquid amplius inuenies in syluis, quàm in libris. An non putas, posse te sugere mel de petra, oleúmque de saxo durissimo? An non montes stillant dulcedinem, & colles fluunt lac & mel, & valles abundant frumento? &c.* Quibus omnibus metaphoris, singularis

Solitudo contemplationi apta.

singularis doctrinæ & vbertas & suauitas, quæ in contemplationis solitudine percipitur, explicatur. Quare, cùm olim Deus non posset Synagogam inter Ægyptias Academias, quamuis omniũ disciplinarum genere excultissimas, satis erudire; illam transferendam curauit in hanc solitariam scholam, vbi pleniùs & perfectiùs edoceretur: *Ducam, inquit, eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Oseæ 2. n. 14. quasi in eremo facilè doceretur, quæ in Ægypto ignorabat. Septuaginta significantiùs transtulerunt: *Ponam eam quasi desertum,* vt significarent, Synagogam, & quæ sub ea intelligitur, contemplatricem animam, non solùm in desertum deducendam, sed etiam instar deserti transformandam, vt tam externis tumultibus, quàm internis perturbationibus libera, docenti magistro liberalior vacaret. Quod desertum D. Hieronymus in Regulis Monachorum, titulo De laudibus eremi, admiratus, *O desertum,* inquit, *Christi floribus vernans! O solitudo, in qua illi nascuntur lapides, de quibus ciuitas magni Regis construitur! O eremus familiariùs Deo gaudens!*

D.Hieron.

LIII. *In eremo, Doctor, & doctrina Dein.*

Et quid in hac schola non discatur, vbi Deus est pariter Doctor, & doctrina? *Introduxit me,* inquit Sponsa, *in domum vinariam.* Cant. 2. n. 4. Chaldæus transfert: *Introduxit me Dominus in domum gymnasij doctrinæ, vt discerem legem ex ore Moysis.* Ita quondam fuit Synagoga: Doctorem habuit Moysem, doctrinam legem. Sed perfectiùs in gymnasium Ecclesiæ, & quælibet perfecta anima introducitur, à Deo, ac Deum ipsum edocenda. Quod eleganter expendit D. Petrus Damianus Opusc. 11. cap. 19. De laudibus vitæ eremiticæ: *Solitaria,* inquit, *vita cælestis doctrinæ schola est, ac diuinarum artium disciplina. Illic enim Deus est totum, quod discitur: via, qua tenditur, per quam ad summa veritatis notitiam peruenitur.* Et postquàm in huius vitæ laudes latissimè spatiatur, concludit: *Vnum pro certo scio, ò vita benedicta, quia quisquis in amoris tui desiderio perseuerare studuerit, ipse quidem habitator est tuus; sed eius inhabitator est Deus.* Quasi non iam Deus animam in gymnasium introducat: sed ipse in animam, tanquàm in gymnasium introducatur, vt deinceps anima non externum quærat magistrum, auribus obloquentem; sed internum habeat Doctorem, cordi se insinuantem.

D.Pet.Dam

Vltima verbi audiendi significatio.

LIV. *Philo Bibl. Audire, in sensu propter. Hebræorum figmenta.*

VLtimò, *Audit seruus tuus,* proprium retinere potest significatum: promptas ad audiendum aures arrigit. Quamuis Philo Hebræus, aut quisquis ille est, in Antiq. Biblicis, referat Samuelem admonitum ab Heli, *vt aure dextra intenderet, sinistra taceret.* Sic enim à Phinea prædictum esse, Dominum per noctem dextra aure, Angelum sinistra audiendum; præcepisseque Heli Samueli, vt si aure dextra audisset, adderet: *Loquere, quia audit seruus tuus:* si verò sinistra; ad ipsum Heli recurreret. Et, cùm Samuel Deum vocantem dextra aure audierit, eius vlteriùs colloquium postulasse, eique audiendo promptiorem intendisse. Sed hæc, quis non videt, esse mera nugamenta, nullum fundamentum in sacris Literis habentia? Promptas igitur ad audiendum aures intendere Samuel iubetur. Et loquitur in præsenti, *Audit:* vel quia Samuel de præsenti audiebat illam loquutionem, qua à Deo excitabatur, simul enim Deus vocabat: *Samuel, Samuel:* & Samuel respondebat: *Audit seruus tuus:* adeò promptus ad primam loquentis vocem euigilabat: vel quia de præsenti paratus erat ad audienda, quæ deinceps loqueretur. Qui-

Cor de præsenti dicat, Audit.

A bus verbis exprimitur & velocitas audientis, & humilitas respondentis.

LV. *Velocitas & tardius audiendi verbi Dei*

Velocitas quidem, quia non dicit: Audiet; sed, Audit. Longè tardior fuit primus homo ad diuinam vocem audiendam: *Cum audisset,* inquit textus, *vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem.* Gen. 3. n. 8. Ad quem locum D. Ambr. lib. De Paradiso, c. 14. particulam illam, *Post meridiem,* seu, vt ipse cum Septuaginta legit, *Ad vesperam,* non coniungit cum Deo deambulante; sed cum Adamo audiente: ita vt sensus sit; cùm ad vesperam audiset vocem Dei deambulantis: quasi Deus sub auroram vocaret; & Adamus, non nisi ad vesperam audiret. Vnde subdit D. Ambr. *Quid est,* inquit, *ad vesperam? nisi, quia culpam suam serò cognoscit, & serò venit quædam erroris præteriti verecundia, quæ errorem præuenire debuerat? Nam dum culpa feruet in corpore, Deum sensus errantis non audit.* Quare rectè monet D. Iacob. in sua canonica, c. 1. n. 19. *Sit,* inquit, *omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum.* Cuius monitionis optimam rationem tradit D. August. tract. 57. in Ioan. *Tutius enim,* inquit, *veritas auditur, quàm prædicatur: quoniam cùm auditur, humilitas custoditur; cùm autem prædicatur, vix non subrepit cuiuis hominum quantulacunque iactantia, in qua vitiqne pedes inquinantur.*

D Ambros. B *Tutius auditur veritas, quàm prædicatur.* *D.August.*

LVI. *Qui audit, stat, non vero qui loquitur, ruina proximus est.*

Quod mihi videtur innuisse D. Ioannes Baptista, dicens: *Amicus sponsi stat, & audit eum.* Ioan. 3. n. 29. Nam, vt D. August. in Ps. 50. ad illa verba: C *Auditui meo,* &c. rectè expendit, verbum standi cum verbo audiendi coniunxit. *Stantem,* inquit, *se fecit & audientem; non cadentem, & loquentem.* Quasi auditores immunes sint à ruina, cui Prædicatores exponuntur. Vnde idem D. August. ibid. *Feliciores, inquit, sunt, qui audiunt; quàm qui loquuntur: qui enim discit, humilis est; qui docet, laborat, vt non sit superbus.* Et propterea Christus Dominus surdum & mutum sanaturus, priùs aures, quàm linguam expediuit: *Apertæ, inquit, sunt aures eius, & solutum est vinculum linguæ eius.* Marc. 7. num. 35. Vt significaret eum ad audiendum, quàm ad loquendum promptiorem esse oportere: vt rectè Salmeron tom. 6. tract. 30. obseruat. Feliciter audiuit D. Paulus vocem illam: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Act. D 9. num. 4. dum statim ita caligauit, vt apertis oculis nihil videret. Ibidem, num. 8. Nam, vt bene D. Ambrosius libr. 2. De Abraham, cap. 9. *Desinit videre secularia, qui incipit audire diuina.*

D. Aug. *Promtior debet esse homo ad audiendum, quàm ad loquendum.* *Salmer.* *D.Ambr.*

LVII. *Seruum se nominat Samuel, cùm amicus censeatur.*

Iam verò humilitas respondentis ex eo patet: quia, *Audit,* inquit, *seruus tuus:* cùm ad familiare colloquium euocatur, adhuc se nihilominùs seruũ confitetur. Certè Christus Dominus seruos non dicebat, sed amicos, quibus sua arcana reuelabat: *Iam non dicam,* inquit, *vos seruos: quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* Ioan. 15. num. 15. Quo nomine nullum gloriosius, vt notat D. Cyrillus Alexandrinus libr. 10. in Ioan. cap. 23. *Quid autem, inquit, maius, quid clarius,* E *quàm Christi amicum & esse, & appellari? Excedit hæc certè dignitas, naturæ humanæ terminos.* Et nihilominùs Samuel, cùm ad hanc dignitatem eueheretur, se ad humiliorem seruitutis conditionem contrahebat: *Audit, inquit, seruus tuus.*

Dici amicum Dei, honorificum. *D.Cyril.*

LVIII. *Humilis cordi Deo loquente cadit.*

Huius quoque humilitatis exemplum non solùm voce tenus, sed etiam facto ipso præbuit Ezechiel. Nam, cùm diuinam reuelationem acciperet, dicitur corruisse: *Et vidi, inquit, & cecidi in faciem meam, & audiui vocem loquentis.* Ezech. 2. n. 1. Non cecidit quidem per culpam: vt enim proximè diximus, qui Deum audiunt, in culpam non ruunt;

iuunt; sed in gratia consistunt. Cecidit ergo per humilitatem: vt ibi D.Hier. exponit. *Non est*, inquit, *elatus visionum magnitudine, sed conscientia fragilitatis humanæ procidit in faciem suam.* Quod rectè confirmat ex litera. Nam statim Deus ad eum: *Sta*, inquit, *super pedes tuos, & loquar tecum.* Vt significaret, non fuisse Prophetæ superbum animum, quem deprimeret; sed humilem, quem excitaret. Nimirum, inquit D. Hieronymus: *quia non peccato, sed humilitate corruerat: à Domino subleuatur, & verba eius iubetur audire.* Et illustrat exemplu Abrahæ, qui, cùm Deum loquentem audiret, *cecidit pronus in faciem*, Gen. 17. num. 3. Vt quò sublimiùs ad colloquium cum Deo vocabatur, eò ipse humiliùs ad suam tenuitatem contemplandam deprimeretur.

D Hieron.

LIX. *Mira Samuelis simplicitas.* *Abiit ergo Samuel, & dormiuit in loco suo.* Hæc verba ex dictis num. 3. & sequentibus iam patent, & ex dicendis num. 15. illustrabuntur. Mira quidem fuit pueri simplicitas. Non enim inquieto & curioso animo pernoctauit, sed humili & tranquillo obdormiuit; vt Sacerdoti ac Prælato suo dormitum remittenti obtemperaret. Nam, quamuis verbum שכב *Sacab*, quod est in fonte, non solùm significet, dormire: sed etiam cubare, & quiescere: vnde alij, *Cubuit*, alij, *Quieuit*, transtulerunt: tamen hic in dormiendi significatione sumendum est, cùm à Latino vulgatóque Interprete transferatur: *Dormiuit.* Peius igitur & antiquius habuit Samuel maiorum suorum præceptionibus studere, quam diuinis reuelationibus inhiare, quas non esse ambitiosè quærendas, sed potiùs modestè detrectandas paulò antè §. 28. ex Delrio obseruaui.

Num. X. Et venit Dominus, & stetit: & vocauit, sicut vocauerat secundò: Samuel, Samuel. Et ait Samuel: Loquere, Domine; quia audit seruus tuus.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Deum apparuisse Samueli sub forma visibili, probant aliqui Primò.* ET *venit Dominus, & stetit.* Hæc duo verba, *Venit*, & *Stetit*, quæ in Hebræo, Græco & Latino exemplari habentur, solùm in hac vltima vocatione exprimuntur. Cuius rei duplex ratio esse potest. Prior, vt significetur Deus, siue Angelus, non solùm voce sensibili, vt anteà, euocasse; sed etiam forma spectabili tunc primùm apparuisse. Ita sentiunt Rab. Dauid & Rabbi Kimi, & consentit Vatablus: immò & ex nostris Emmanuel Sa, Serar. Marian. & Salian. assentiuntur. Et moueri potuerunt primò ex num. 15. vbi vocatio dicitur *Visio*, quasi non solùm auribus per vocem, sed etiam oculis per formam aliquam visibilem subiecta. Secundò, ex paraphrasi Chaldaïca, quæ sic habet: *Et reuelata est ei gloria Domini, & stetit*, &c. Non apparet autem, quo pacto gloria Domini reuelari potuerit Samueli, nisi ei obiecta fuerit aliqua saltem externa claritas, quæ solet in Scriptura gloria Domini appellari: vt videre est Exod. 40. num. 32. Num. 14. n. 10. 3. Reg. 8. n. 11. & passim alibi. Vnde illa *claritas Dei*, quæ circunfulsit pastores, Luc. 2. n. 9. Græcè *gloria Domini* appellatur. Tertiò, ex verbo *Standi*, quod de illis dici solet, non qui audiuntur tantùm, sed etiam qui oculis obiiciuntur. Sic Abraham vidit tres viros *stantes* prope eum, Genes. 18. num. 2. Sic Balaam vidit Angelum *stantem* in via. Num. 22. n. 31. Sic Stephanus vidit filium hominis stantem à dextris virtutis Dei, Actor. 7. à num. 56. & sic de aliis. Cùm igitur Dominus hoc loco dicatur, *stetisse*: planè videtur & in corpore assumpto Samuelis oculis se manifestasse.

Rabbi Dauid. Rabbi Kimi. Vatabl. Sa. Serar. Marian. Salian. Secundò. Tertiò.

II. *Probabilis responsio: sed opposita probabilior.* Est probabilis responsio, & Samuelis obedientiæ conueniens: qui enim homini loquenti obediuit, dignus fuit, qui Deum præsentem intueretur; iuxta illud Christi Domini: *Nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?* Ioan. 11. n. 40. Nihilominùs illud me ab ea retraxit iam in superioribus, n. 4. §. 13. quòd nullum appareat hoc loco visionis ocularis sufficiens fundamentum. Nam illa duo priora ibi soluta sunt: hoc tertium paulò inferiùs soluetur. Quando igitur Scripturæ veritas faciliori modo defendi potest, quorsum maior aliqua nouitas inducatur? Sed & nunc iterum illud me ab ea retrahit, quòd veteres Prophetæ, quando loquentes secum Angelos videbant, proni in terram adorabant, aut saltem aliquod reuerentiæ signum foris exhibebant; vt patet non solum ex locis proximè citatis, sed etiam ex Genes. 17. num. 3. & 19. num. 1. Ios. 5. num. 14. Iud. 13. num. 20. & passim alibi. Samuel autem nihil tale fecisse dicitur; quasi neminem videret, sed audiret. Probabilius igitur mihi est, fuisse hanc reuelationem solùm auricularem, nulla re oculis obiecta. Quales multę alię fuerunt, quibus Deus Moysem alloquebatur, Exod. 20. num. 1. Num. 7. num. 4. Deuter. 34. num. 1. & sic de aliis frequentissimè.

Prophetæ videntes Angelos cadebant in terram.

III. D. Greg. Abul. Caiet. *Dicitur Deus, venire, & stare, vt eius præsentia, & perseuerantia ostendatur.* Posterior ratio ex D.Greg. Abul. & Caiet. est, vt ostendatur non solùm præsentia Angeli vocantis, sed etiam perseuerantia. Præsentia quidem, cùm dicitur: *Venit Deus.* Nam priores vocationes erant, tanquàm ab aliquo existente procul, vnde Sacerdoti absenti à puero tribuebantur; hæc autem, tanquàm ab aliquo existente propè, vnde ipsi Domino præsenti referebatur. Et propterea iuxta Chaldæum, vt diximus: *Reuelata est gloria Domini* Samueli; quia non iam Heli absentem, sed Dominum præsentem vocationis suæ auctorem recognoscebat. Perseuerantia verò, cùm additur: *Et stetit.* Nam priores vocationes erant per modum transeuntis; quia vocato Samuele, silebat Dominus, nec plura addebat: hæc autem per modum perseuerantis; quia vocato Samueli plurima reuelauit, diutiùs cum eo colloquutus. Vnde illud, *Stetit*, idem est, atque, adfuit perseueranter: non autem idem, atque, apparuit visibiliter. Neque enim quoties Deus stare dicitur, visibiliter apparere significatur: vt patet ex illis verbis Dei ad Moysem, virga percussurũ petram, ex qua flueret aqua: *En ego*, inquit, *stabo ibi coram te supra petram Horeb*, &c. Exod. 17. n. 6. Vbi Dominus peculiariter quidem adfuit, miraculum illud operando; sed non apparuit visibiliter, oculis se obiiciendo, vt omnes facilè confitentur. Atque hinc corruit illud tertium fundamentum, quo prior illa responsio nitebatur. Quia quando Dominus in Scriptura stare dicitur, non semper significatur, visibiliter apparere: sed peculiari tantùm modo, vel auxilio se manifestare.

Stare non est visibiliter apparere.

IV. D Greg. *Deus recedit à malis, perseuerat in bonis.* *Recessit ab antiquis Prophetis, perseuerat in nouis Prædicatoribus.* Mysticè refert hoc D.Gregorius in priori Commentario ad imperfectas animas, & perfectas. Ad illas enim ita venit Dominus, vt per earum negligentiam repulsus, statim recedat: ad has autem ita venit, vt per earum charitatem receptus, diu perseueret. In posteriori autem Commentario hoc refert ad veteres Prophetas, & nouos Prædicatores. Nam ad illos venit Dominus, sed recessurus: cum his autem stetit vsque ad finem seculi permansurus.

V. *Et vocauit, sicut vocauerat secundò*, &c. Particula, *Sicut*, similitudinem constituit inter hanc & præcedentes

Triplex huius vocationis cũ cæteris similitudo.

cedentes vocationes. Primò, quia omnes fuerunt auriculares, vt diximus. Secundò, quia omnes fuerunt per modum excitantis a somno, vt Caietanus aduertit. Tertiò, quia omnes fuerunt per repetitionem nominis, *Samuel*, vt Abulensis obseruat; licèt Caietanus contradicat, & hanc nominis repetitionem tertiæ tantùm vocationi tribuendam censeat: fortè, quia in ea sola nomen, *Samuel*, in litera duplicatur. Dubitabis, an etiam similitudo in eo fuerit, quòd sicut priores voces vocem Heli omninò referebant, vt suprà Num. 4. §. 14. diximus; ita & hæc vltima referret? Respondeo, nihil ex litera, vel interpretibus constare: probabilius tamen mihi esse, hanc similitudinem in hac postrema vocatione non interfuisse; quia iam opus non erat, vt Samuel vocis similitudine ductus, recurreret ad Heli; sed potius, vt vocationem diuinam esse intelligeret, & Angelum sibi præsentem, & loquentem auscultaret. Igitur Angelus iam non Sacerdotis voce, sed alia augustiori, quàm humana loquebatur; & gloriam Domini, seu præsentiam diuinam sublimioris vocis indicio Samueli palam manifestabat.

In vltima vocatione non vox Heli, sed alia augustior audiebatur.

VI.

Cur hæc Samuelis vocatio dicatur secunda, cùm sit quarta.

Maior difficultas est in altera particula, *Secundò*. Nam, cùm Deus iam tertiò vocauerit Samuelem, vt ex Num. 8. constat; potius dicendum videretur hoc loco: Et vocauit, sicut vocauerat, *quartò*: hæc enim iam erat quarta vocatio. Triplex modus respondendi esse potest. Primus particulam, *Secundo*, non esse aduerbium ordinale, sed tantùm consequutiuum; hoc est, quandam temporis consequentiam importans, quasi diceretur: Deinde, seu, posteà. Quem significatum habere videtur, iuxta varias de illo interpretationes, Iud. 5. num. 1. Isai. 11. n. 11. Ierem. 1. num. 13. Zachar. 4. num. 12. & sic de aliis: in quibus locis vel non ordinantur actiones, vel non significantur semel tantùm repetitæ, cùm iam sæpiùs fuerint iteratæ: sed quandam in tempore consequutionem habuisse demonstrantur. Non esset improprius hic respondendi modus; si hoc loco in Hebræo esset aduerbium, שנית *Scenith*, & in Græco *δεύτερον*, hoc est, *Iterum*: quo vtimur non solùm cùm res bis, sed etiam cùm sæpiùs iteratur. Nihilominùs in Hebræo est כפעם בפעם *Chepag'am bepagham*, hoc est, *sicut vice in vice*: & in Græco, *ὡς ἅπαξ, καὶ ἅπαξ*, hoc est, *Sicut semel, & semel*: quæ loquendi formæ duplicem tantùm vocationem exprimere videntur, cùm tamen iam hæc sit quarta vocatio.

Primus modus respondendi, Secundò, non esse aduerbiũ ordinale, sed consequutiuũ.

Impugnatur.

VII.

Secundus, hic duo tantùm vocationum genera distingui: & hanc vltimam in secundo genere reponi.

Confirmatur.

Alter igitur respondendi modus esse potest, hoc loco distingui vocationes magis inter se dissimiles, & quæ diuersos exitus habuerunt, quales fuerunt duæ tantùm; nimirum tres priores, quæ cùm nihil magni momenti inter se diuersum habuerint, vnius nomine comprehenduntur: & hæc postrema, quæ est iuxta hunc ordinem secunda, in qua sola Deus se puero manifestauit. Similis difficultas est 3. Reg. 9. n. 2. vbi dicitur Dominus, Salomoni apparuisse *secundò*: cùm tamen constet, illam apparitionem fuisse tertiam: iam enim vna cap. 3. eiusdem libri, n. 3. & altera cap. 6. n. 11. præcesserat; vnde hæc numero tertia erat. Sed responsio eadem esse potest: quia licèt fuerint tres numero apparitiones, tamen duæ tantùm fuerunt specie quodammodo distinctæ; vna in vigilia, quæ fuit media; & duæ, nimirum extremæ, in somniis, quæ proinde habent alterius tantùm rationem: postrema igitur comparata cum media, quæ sola diuersa fuit, secunda dicitur.

VIII.

Tertius, Secundo, nõ referri ad vocationem, sed ad nomen Samuelis.

Tertius tandem modus respondendi, quem Lyra, Abul. & alij magis probant, est, particulam, A *Secundò*, non esse referendam ad priores vocationes, quæ tres iam fuerant; sed ad expressionem nominis, *Samuelis*, quod semel & iterum profertur. Ita vt sensus sit, vocauit bis, *Samuel, Samuel*. Nec nouum est in Scriptura, aduerbium ordinale, vt vocant Grammatici, poni pro numerali: nempe, secundò, pro, bis: vt patet ex illis verbis Dei ad Iosue: *Circumcide secundo filios Israël*. Iosue 5. num. 2. Quo in loco particula, *Secundò*, non est aduerbium ordinale, cùm nunquam fuerint filij Israel circumcisi primò à Iosue: sed est aduerbium numerale; quasi sensus sit: Circumcide bis, seu per duas vices; semel vnam partem exercitus, & iterum alteram; vt ibi Caietanus interpretatur, reddens pariter huius præcepti rationem: B *Ne tanta*, inquit, *multitudo simul affecta dolore vulneris esset.*

Caiet.

IX.

Dei miseratio dolentis ne condolentis.

Et vide obiter miserationem Dei. Noluit omnes simul circumcidi, ne tantum cruorem simul effusum oculis spectaret; quasi ipse dolorem omnium, singulorúmque doleret: & ne omnibus simul dolentibus & ægrotantibus deesset, qui medederetur; quasi nemini vellet imponi plagam, quin statim adhiberetur & medicina. Fateor tamen, hunc locum aliter ab aliis exponi. Nam quidam exponunt iuxta primum respondendi modum: *Fac tibi cultros lapideos, & circumcido secundò*: hoc est, & deinde circumcide. Alij propriè: *Circumcide secundò*: in ordine ad primam circuncisionem, quam fecit Abraham. Genes. 17. C num. 23. vt Lyra & Masius interpretantur: aut si hæc non est filiorum Israël, qui posteà à Iacobo descenderunt; saltem in ordine ad primam circuncisionem, quam fecit Moyses in Ægypto, regressus de Madian; vt Burgens. & idem Masius ex Hebræis testantur. Sed quidquid sit de his expositionibus, quæ fortasse sunt literæ propiores; illa Caietani non est aliena: & certè ad hunc locum explicandum non parum accommodata.

Lyra. Masius.

X.

Appellatio ex nomine beneuolentiam significat.

D. Greg.

Sed quò pertinet illa nominis duplicatio: *Samuel, Samuel?* Respondeo, in primis eò tendere, vt Deus beneuolum se ostenderet erga Samuelem. Nam appellatio ex nomine beneuolentiam testatur, vt D. Gregor. in priori Commentario obseruat. Sic olim Deus primum hominem peccan- D tem proprio nomine compellauit, Gen. 3. n. 9. De qua re D. Chrysost. hom. 7. ad populum. *Ex suo*, inquit, *ipsum nomine appellans, & dicens: Adam, vbi es? amorem suum, & multam circa ipsum curam ostendit. Iam enim omnes nostis, quòd hoc est legitimæ amicitiæ indicium. Sic & mortuos reuocantes facere consueuerunt; continuè ipsorum nomina versantes: sicut vicissim odio habentes, & inimicè erga quospiam affecti, nec nomina eorum, qui se læserunt, ferunt commemorare.* Vbi alludit ad veterum consuetudinem, qui amoris testandi gratia amicos, & cognatos morientes proprio nomine inclamabant. Sic Didonem apud Virgil. Æneid. 4. eius soror *morientem nomine clamat*. Singulare enim erat amoris argumentum, suo quenque nomine appellare.

D. Chrys.

XI.

Appellatio ex nomine collatio beneficij.

D. Greg.

E Christus Dominus Magdalenam appellauit, & communi vocabulo mulierem: *Mulier, quid ploras?* & proprio nomine, *Mariam*. Ioan. 20. num. 15. & 16. Quæ fuerit beneuolentior appellatio, patet ex euentu, vt notat D. Gregorius homil. 25. in Euangel. *Postquam eam*, inquit, *communi vocabulo appellauit ex sexu, & agnitus non est; vocat eam ex nomine: ac si ei apertè dicat: Recognosce eum, à quo recognosceris. Maria ergo, quia vocatur ex nomine, recognoscit auctorem.* Quasi posterior appellatio tantò fuerit beneuolentior, quantò perfectior de Deo notitia ex illa prodierit. Olim Deus ad

Appellatio ex nomine supponit gratiã, & existat ad spem gloria. ad Moysen: *Noui*, inquit, *te ex nomine.* Exod. 33.n.12.Quasi diceret, vt notat D. Gregorius citatus: Non te generaliter, vt cæteros; sed specialiter scio. Quid deinde? subdit: *Et inuenisti gratiam coram me.* Quasi non sit aliud, à Deo ex nomine cognosci; & gratiam coram Deo inuenire. Nam, vt ibi D. August. q. 153. *Præ omnibus*, inquit, *Moysen Deus sciebat, quia Deo præ omnibus placebat.* Ex quo fauore tantam fiduciam hausit Moyses, vt statim ausus fuerit, interprete Oleastro, diuinorum secretorum notitiam postulare, dicens: *Ostende mihi faciem tuam, vt sciam te.* Ibidem, num. 13. Ac si nihil debear ignorare, qui à Deo ex nomine cognoscitur.

D. Greg. D. Aug. Oleast.

XII. *Familiaris Deo, qui ab eo ex nomine appellatur.* Familiarissimus Deo fuit Beseleel, quem Deus ad tabernaculum construendum multis sapientiæ dotibus instruxit: hanc autem familiaritatem vt Deus significaret: *Ecce*, inquit, *vocaui ex nomine Beseleel.* Exod. 31.n.2. Quasi nihil euidentius mutuam inter illum ac Deum familiaritatem testaretur, quàm ab ipso Deo ex nomine appellari. Addit Caietanus, propterea sic à Deo nominarum, ne quis illi se opponere auderet. Ac si nullius inuidiam sibi conflare posset, qui tantam Dei beneuolentiam consequatur. Ad Israelem olim Deus, seu potiùs, Israëlis nomine, ad populum Christianum: *Noli*, inquit, *timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo.* Isai. 43.n. 1. Ad quem locum D. Cyrillus Alexandr. testatur in alia scriptura, vt ipse loquitur, dici: *Vocaui te nomine meo.* Quasi non minor honor sit, vocari à Deo aliquem populum ex nomine proprio, quam si diuinum ei nomen communicaretur; & vtrouis modo appellatio intelligatur, omnem timorem excludit, animumque perfectissimè serenat.

Caiet. *Tuetur Deus, quem ex nomine appellat.* *Vocari à Deo ex nomine proprio, non minùs gloriosum, quã vocari ex diuino.*

XIII. D. Greg. *Duplicatio nominis maiorem arguit amorem & fauorem.* Iam verò nominis duplicatio maioris esse solet & amoris & fauoris argumentum. Vnde D. Greg. in priori huius loci Commentario: *Nomen*, inquit, *iteratur, cùm in magnam familiaritatem interna maiestatis, mens videntis exçipitur, & feruentibus desideriis ad amorem se vocantis eleuatur, vt præter id, quod audit, nihil libeat, atque in lætitia auditus sui immorari perpetuò concupiscat.* Talis fuit illa vocatio: *Saule, Saule.* Actor. 9. n. 4. Et illa: *Moyses, Moyses.* Exod. 3.n.4. Et illa: *Abraham, Abraham.* Genes. 22. n.1. De qua D. Chrysost. homil. 47. in Genes. *Quid*, inquit, *vult verbi duplicatio? magnæ beneuolentiæ erga Patriarcham argumentum est. Et monstrabat ei vocatione ipsa, quòd magnum aliquid ostensurus esset. Vt igitur attentiorem redderet, vocationem geminabat.* Quibus verbis ostendit, hanc nominis repetitionem, non solùm eò spectare, vt beneuolentiam exhibeat; sed etiam vt exigat attentionem. Vtranque igitur ob causam geminatur hoc loco, *Samuel, Samuel*; vt attentissimus reddatur, & amantissimus Deo significetur.

D. Chrys.

XIV. D. Greg. *Alia mystica rationes.* Ad alias causas digreditur D. Greg. in posteriori Commentario: in primis geminari Samuelis nomen per ordinem ad Synagogam, & Ecclesiam. *Vt videlicet*, inquit, *Synagoga superbiam repellendo contereret, & humilitatem Gentilitatis ad fidem vocando subleuaret.* Deinde per ordinem ad veterem & nouum hominem. Vocatur nempe semel atque iterum: *Quia*, inquit, *in destructionem veteris hominis, atque in noui ædificationem excitatur.* Vocatur semel, *vt peccata in peccatorum cordibus deleret.* Vocatur iterum, *vt destructa impietatis ædificatione, nouam sanctarum virtutum fabricam erigeret.* Quibus rationibus facilè possunt aliæ mysticæ attexi, si quis paululùm animum intendat.

XV. *Loquere, Domine, quia audit seruus tuus.* De his verbis superiori numero satis diximus: vna tan-

A tùm superest difficultas. Nam hic in Hebræo & in Chaldæo non est nomen illud, *Domine*; sed tantùm, *Loquere; quia audit seruus tuus.* Cuius rei inquiritur ratio. Rabbi Salomon apud Abulensem existimat, id fuisse, quia Samuel ignorabat, Deúsne, an Dæmon secum loqueretur. Sed planè desipuit Rabbinus; & cùm diuinare voluit, delirauit. Nam, si Samuel non dixit: *Loquere, Domine*: ne fortè Diabolum dominum appellaret; etiam non diceret: *Quia audit seruus tuus*: ne se Diaboli seruum profiteretur. Quo enim pacto seruum se diceret illius, quem dominum dicere non audebat? Non igitur dubitauit Samuel, Deum, siue bonum Angelum esse, qui sibi loqueretur.

Delirium Rabbi Salomonis impugnatur.

B Quod faciliùs vt ostendam, fateor in primis, internos motus, ab Angelone, an ab homine oriantur, difficillimè internosci. Vnde D. Bernard. ser. 32. in Cant. *Quis*, inquit, *ita vigil ac diligens est obseruator motionum internarum suarum, sine in se, siue ex se factarum, vt liquidò ad quæque illicita sensu cordis sui discernat, inter morbum mentis, & morsum serpentis?* Et paulò pòst: *Non poterit*, inquit, *ad purum in se dignoscere, discernerevè ab inuicem malum innatum, & malum seminatum.* XVI.

Interni motus difficili discernuntur. D. Bern.

Fateor deinde, non minùs difficile cognitu esse, quid nobis à bono, quid à malo Spiritu suggeratur. Nam & hic *transfigurat se in Angelum lucis.* 2. Cor. 11. n. 14. Nec desunt, teste Lyrano, qui existiment, etiam primis parentibus, virgineo & gratioso ore Diabolum occurrisse, vt eos faciliùs de-C cipetet. Vnde D. Petrus Damianus lib. 2. epistol. epist. 7. & in ordine 28. Iosue factum rectè obseruat. *Iesu*, inquit, *Naue, cùm Angelum cerneret, & tentationes aliquando huiusmodi visionibus inesse nullatenus dubitaret, protinùs ab eo, qui apparebat, requisiuit, dicens: Noster es, an aduersariorum?* Iof. 5. n. 13. Vbi etiam notat, desertum *Sin*, in quo Dominus apparuit Moysi, interpretari, tentationem. *Solet enim*, inquit, *sæpius & in visionibus interuenire tentatio.* Addo nihilominùs, non deesse satis probabilia iudicia, quibus huiusmodi fallaciæ detegantur. De quibus Peltanus De Purgat. cap. 5. Petrus Thyræus lib. 1. De Spiritum apparitionibus, c. 16. Delrius lib. 2. magic. disquisit. q. 26. sect. 3. & lib. 4. q. 3. sect. 5. & 6. Pined. in Iob. c. 4. n. 16. & cap. 33. D n. 23. Cantapett. lib. 9. hypotypos. Regula 16. latè & eruditè disseruerunt. XVII.

Bonus, & malus Angelus difficile internoscuntur. Lyra. D. Petr. Dam. *Iudicia, quibus bonus & malus Angelus discernuntur.* Peltan. Pet. Thyr. Delrius. Pined. Cantapet.

Tandem concludo, inter diuersas Spirituum apparitiones neminem incedere tutiorem, quàm qui ducitur maiorum iudicio, eorúmque definitionibus adhærescit. Vt patet in cælesti sponsa, quæ dilectum suum per vicos & plateas ciuitatis quæsiuit, sed non inuenit. Cant. 3. n. 2. Credo, quia sine duce, cuius magisterio & imperio subderetur, quæsiuit. Nam postquàm vigiles, qui custodiunt ciuitatem, consuluit: hoc est, postquàm Prælatos suos adiit, eorúmque ad arbitrium se totam conformauit, statim incidit in dilectum, quem inquirebat: *Paululùm*, inquit, *cùm pertransissem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Ibidem, n. 4. Quo ex E loco D. Bernardus serm. 77. in Cantica, rectè monet, ne quis sine duce viam spiritualem aggrediatur. *Audiant*, inquit, *hoc, qui sine duce & preceptore vias vitæ ingredi non formidant. Ipsi sunt in arte spirituali, & discipuli pariter, & magistri. Quàm multi ex hoc à recto tramite periculosissimè aberrasse comperti sunt: nimirum ignorantes astutias Satanæ, & cogitationes ipsius, edocti turpiter, lapsi damnabiliter? Videant, qui eiusmodi sunt, quomodo cautè ambulent, & de sponsa exemplum sumant, quæ non priùs ad eum, quem desiderabat, vllo modo valuit peruenire, quàm sibi occurrerent, quorum magisterio vteretur.* XVIII.

Nemo tutior apparitiones, quàm qui ducitur iudicio Superiorum. D. Bern.

Sed

XIX. *Periculosissimè errant, qui viam spiritualem sine duce insistũt.* Delrius. Cassian.

Sed de hac re Num. 5. §. 9. plura diximus. Interim consulatur Delrius posteriori loco citato, vbi pluribus exemplis ostendit, quàm periculosè errarint, qui sine duce viam spiritualem instituerunt. Quod argumentum Abbas Moyses apud Cassianum tota collatione 2. latiùs confirmat, vbi cap. 5. refert, Monachum Heronem quinquagenarium eremi cultorem, quia potius Dæmonum illusionibus, quàm seniorum monitionibus confidebat, se in puteum præcipitasse; inde, vt falsò putabat, in testimonium suæ eximiæ sanctitatis, Angelorum manibus eruendum. Vt interim omittam eos Hæreticos Donatistas, quos à pagis circumeundis, *Circumcilliones*, appellabant, pluresque alios, qui de vanis apparitionibus nimis iactabundi, tandem se in aquas, & in flammas, & in abrupta præcipitia, Diabolo impellente, pessundabant: vt Eusebius lib. 5. historiæ ecclesiast. c. 15. & D. August. lib. De hæresibus, hæresi 96. & lib. 2. contra secundam epistolam Gaudentij, cap. 10. testantur. (Eusebius. D. Aug.)

XX. *Samuel à magistro bene instructus, nõ errauit.*

His positis, cùm Samuel in hac reuelatione nihil egerit inconsulto Sacerdote; neque suo iudicio ductus fuerit, sed illius, quem in omnibus sequi ducem tenebatur: necesse planè erat, vt neque Dæmonis insidias timeret, neque Deum sibi loquentem adesse dubitaret, maximè à magistro suo bene animatus, & in hanc spem fiducialiter erectus. Cur igitur non dixerit; *Loquere, Domine*? Respondeo, dixisse quidem: tum, quia in vulgata sic exprimitur; & sic in editione Regia, & Complutensi Septuaginta reddiderunt: tum, quia Samuel tanquam verus obediens verba sibi a magistro tradita, & perfectè edidicit, & perfectè retulit; præsertim, cùm iam esset omninò expergefactus, quæ illius erat ad parendum sedulitas, vt Caietanus aduertit. Nec obstat, taceri illud verbum in fonte; iam enim præcedenti Numer. expressum fuerat: neque opus est, vt omnia omnibus locis repetantur. Immò Septuaginta in Bibliis Sixtianis, neque in præsenti, neque in præcedenti numero illud, *Domine*, reposuerunt. Quod tamen non est argumẽtum, illud, *Domine*, non esse de litera: sed tantùm Septuaginta compendio studuisse. Atque hactenus de præparatione Samuelis ad diuinam reuelationem prompta aure & mente suscipiendam. Quam deinceps illustremus.

Vulgata retinenda. *Verus obediẽs nihil in præcepto mutat.* Caiet.

ANNOTATIO PRIMA CIRCA LITERAM.

Obedientia Samuelis ex conditione Prælati, cui obediuit, illustratur.

I. *Samuelis obedientia tripliciter elucet.*

INTER alia morum documenta, quæ ex litera hactenus explicata eruuntur, principem locum mihi videtur obtinere obedientia Samuelis, quæ triplici ex capite mirabiliter elucet. Primo, ex conditione Prælati, cui se humiliter subiecit. Secundo, ex natura rerum, in quibus obtemperauit. Tertio, ex modo, quo obediuit. Et quamuis hæc tria ex dictis in litera satis superque explicata sint, & magna ex parte ad mores illustrata: tamen vberioris doctrinæ gratia adhuc fusiùs illustrabuntur, singula singulis annotationibus distincta. In hac igitur prima, ex Samuelis exemplo duo breuiter illustranda desumentur: vnum, Prælatos etiam indignos obedienter auscultandos: alterum, dignos Prælatos, non quia dignos, sed quia Prælatos, humiliter audiendos.

SECTIO I.

Prælatos etiam indignos obedienter auscultandos.

II. *Samuel indigno Prælato obtemperauit.*

MAgna laus obedientis est, non curare sui Prælati facta, sed iussa; nec attendere, quam vitam agat, sed quam personam gerat; nec loquentem hominem in se, sed imperantem Deum in homine venerari. En prima Samuelis laus. Nam, cùm in præcedenti capite describatur Heli, & negligens sui muneris, & reprehensus à Propheta, & à Deo reprobatus; nihilominùs initio huius capitis describitur diligentissimus eius imperij auditor & exequutor. *Samuel*, inquit textus, *ministrabat Domino coram Heli*. Hoc est, vt ibi explicauimus, ad imperium Heli, seu imperante Heli: nihil curans, à dignóne, an ab indigno Prælato iuberetur: vt tam ibi, quàm num. 5. versùs finem, & num. 8. §. 7. satis illustrauimus. Quare Samuelis exemplum è locis citatis eruatur. Interim totum hoc argumentum paucis illustremus.

III. *Quicunque Prælatus loco Dei obseruandus.*

Prælatum, quicunque sit, loco ipsius Dei obseruandum esse, passim Scriptura testatur. Ad discipulos suos Christus Dominus: *Qui recipit*, inquit, *vos, me recipit; & qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Matth. 10. n. 40. Et iterum: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. num. 16. Et rursum: *Amen, amen dico vobis, qui accipit si quem misero, me accipit.* Ioan. 13. n. 20. D. Paulus de se ac de suis successoribus loquutus: *Pro Christo*, inquit, *legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* 2. Corinth. 5. num. 20. Et iterum: *Obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo.* Ephes. 6. num. 6. Ac rursum: *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino; & non hominibus.* Coloss. 3. num. 23. Et sic de aliis, quæ passim occurrunt, in quibus omnibus præcipitur, vt homini quidem, tanquam Deo obtemperetur.

IV. *Prælatus etiã ignobilis venerandus.*

Sed quid, si Prælatus sit ignobilis? Nihilominùs & ignobilis obseruetur. Amasis Ægyptius ex plebe ad regnum euectus, sed ab omnibus propter generis humilitatem contemptus; vt à se iniuriam auerteret, ex pelui lauandis pedibus destinata, fecit simulacrum in sacris altaribus collocandum: quod cùm videret, ab omnibus adorari, non curantibus materiæ vilitatem, sed figuræ sanctitatem attendentibus: Ergo, inquit, & me colite: neque obscuritatem generis, sed claritatem muneris obseruate. Ita refert Herodotus lib. 2. sub finem, Arist. 1. Politic. cap. vltimo, Plutarch. in conuiuio septem Sapientum, & alij. Quo paradigmate ingeniosè demonstrauit, in Prælatis non tam nobilitatem sanguinis, quàm dignitatem muneris obseruandam. Quare sicut olim generosæ plantæ, oliuæ, ficus, vites, immò & cedri Libani, se se humili rhamno subdiderunt. Iud. 9. num. 15. Et sicut Sichimitæ Abimelech ex omnibus filiis Gedeonis abiectissimum, quippe quem editum ex concubina & ancilla, sibi in Regem cooptarunt. Ibidem, num. 6. Et sicut Ægyptij debitam Iosepho obseruantiam non denegarunt, etiam postquàm illum cognouerunt de genere pastorum, quos ipsi tanquàm humiles & abiectos detestabantur. Gen. 46. num. (Herodot. Aristot. Plutarc.)

46. num. 34. Ita planè & verè obedientes nihilò magis nobili, quàm ignobili, dummodo Prælato, obsequuntur.

V. *Prælatus, etiā insipiens audiendus.* Hug. Car. Th. Angl. Glossa. Lorin.

Quid verò, si Prælatus sit insipiens? Etiam insipiens audiatur, iuxta illam Apostoli admonitionem: *Serui, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* 1. Petr. 2. num. 18. Quid, quæso, est, *dyscolis?* Hugo Cardin. Thom. Anglicus, Glossa ordinaria ex Beda, quibus non repugnat Lorinus ad eum locum existimant, idem esse quòd barbaris, rudibus & agrestibus; &, vt ipsius etymon nominis insinuare videtur, extra scholas constitutis, vel certè ab omni cultura alienis. Nam & illis Prælatis, quibus natura, vel ars, scientiam & prudentiam denegauit, non est obedientia deneganda. In cuius rei typum stolidum animal audiuit Balaam. Num. 22. num. 28. Rudi Madianitæ acquieuit Moyses. Exodi 18. num. 24. Imperitos nautas obseruauit Ionas. Ion. cap. 1. à num. 10. Vbi Theodoretus: *Eo vsque,* inquit, *turpe est, non obedire Deo, vt Propheta aliorum præceptor, non se ab insipientibus reprehendi recuset.* Denique totus orbis, non sapientibus Oratoribus, sed rudibus piscatoribus obtemperauit: optima quidem ratione, inquit D. Ambros. lib. 5. in Lucam, cap. 6. *vt veritatis ratio, non disputationis veritas præualeret.*

Theod.

D. Ambr.

VI. *Prælatus, etiā adolescens, auscultandus.* Cassian.

Quid deinde, si Prælatus sit adolescens? Etiam tunc *nemo adolescentiam eius contemnat,* vt D. Paulus 1. Timoth. 4. num. 12. adhortatur. Vnde Cassianus lib. 2. De Cœnobiorum Institutis, cap. 3. loquens de illo, qui religiosam vitam exorditur: *Sic obedire,* inquit, *cunctis debet, vt redeundum sibi ad infantiam pristinam nouerit, & nihil sibi consideratione ani, vel annorum numerositate præsumens, subdere se etiam iunioribus non moretur.* Non sine mysterio Iacob ita filium suum Iudam salutauit: *Catulus leonis Iuda; requiescens accubuisti, vt leo.* Gen. 49. n. 9. Cur filium, cui regnum committendum erat, & ex quo præuidebat, posterorum Regum ordinem nasciturum, catulum simul appellauit, & leonem, perinde ac si puerum simul, & virum appellaret? Planè, vt ostenderet, non esse minùs timendum catulum, quàm leonem; hoc est, non esse minùs obseruandum puerum Regem, quàm senem; ac proinde posteros Iudæ Reges, quamlibet ætatem, siue pubescentem, siue canescentem attigissent, dignos fore, quibus obsequium præstaretur; neque esse in Principe ætatem, sed dignitatem à subditis spectandam.

VII. *Prælatus, etiā austerus & rigidus ametur.* D. Athan.

Sed quid, si Prælatus austerus sit, ac planè rigidus? Is quidem facili ceruice subditorum molliatur. Morosos ac difficiles Prælatos veteres Monachi desiderabant, teste D. Athanasio in vita Magni Antonij Abbatis; vt quo illi grauiori supercilio imperarent, eò isti molliori ceruice obedirent, atque adeò vberiores obedientiæ fructus obtinerent. Quis durior in subditum, quàm Pilatus in Christum Dominum? Qui tamen ei adeò facilem se exhibuit, vt illi vitulo tenerrimo, quem Abraham suis hospitibus proposuit epulandum, Gen. 18. n. 7. non immeritò comparetur à D. Ambrosio lib. 1. de Patriarcha Abraham, cap. 5. *Tenerrimus,* inquit, *quia non dura ceruice, sed molli iugum legis agnouit, Crucis patibulum non recusauit.*

VIII. *Dauid in Regem sibi durissimum mitissimus.*

Saül durissimum se præbuit in Dauidem. Nam in eum aliquando non solùm dura verba, sed etiam dira tela iaculatus: *Nisus est,* inquit textus, *configere Dauid lancea in pariete.* 1. Reg. 19. n. 10. Quid verò Dauid: mitissimum se præbuit in Saülem. Nam exiguo pòst tempore, cùm Saüli dormienti scyphum & hastam eripuerit, scyphum
A quidem sibi retinuit; hastam verò ad Saülem continuò remisit: *Ecce,* inquit, *hasta Regis: transeat vnus de pueris Regis, & tollat eam.* 1. Reg. 26. n. 22. Cur non scyphum restituit, sed hastam: Credo, quia in hasta potiùs Regis inclementiam expertus fuerat. Quasi diceret: Hastam, qua mihi durus extitisti, tibi restituo mansuetus: tene tuam in me seueritatem; ego meam in te facilitatem retinebo. Quis non videt, vel ex hoc loco, quanto iure Dauid, *tenerrimus ligni vermiculus* appelletur? 2. Reg. 23. n. 8. Nam durities Saülis tanquàm immanis cuiusdam trunci, teneritudine Dauidis, tanquàm mollissimæ cuiusdam tineæ frangebatur. Durissimum fuit illud eiusdem Saülis imperium, quo Dauidi præcepit, vt centum occideret Philisthi-
B nos: non quidem, vt victori gloriam afferret; sed vt aggressori mortem machinaretur. At facillimum fuit illud Dauidis obsequium, quo ducentos trucidauit, 1. Reg. 18. n. 27. vt improbitas rigidi Imperatoris, facilitate boni exequutoris vinceretur.

IX. *Iosephus in subditos austerus amanter ab illis accipitur.*

Iosephus in suos subditos humanum se præbuit; non inficior: sed & ipse se præbuit in tempore non mediocriter austerum; iuxta illud vaticinium Iacobi de eodem: *Inde,* inquit, *pastor egressus est lapis Israël.* Gen. 49. num. 24. Pascebat quidem omnes humaniter, vt pastor; sed & duriter tractabat, vt lapis: vt patet in illa seuerissima exactione, in qua Iosephus pascebat quidem Ægyptios extrema fame laborantes; non tamen gratis, sed pro
C alimento, pretia, pecora, prædia, immò & corpora eorum in seruitutem regiam traducenda seuerissimus exactor repetebat. Gen. 47. à n. 19. Quid verò subditi? Oculos ab ea seueritate remouebant, & solam eius humanitatem intuebantur. Nam in primis, cùm Iosephus ad supremam dignitatem euectus est, *clamauerunt omnes coram eo,* אברך *Abrech.* Gen. 41. n. 43. hoc est, interprete D. Hieronymo, in quæst. hebr. *Pater tener, Pater tener.* Patrem appellabant, quia sibi Prælatum recognoscebant: tenerum, non solùm, quia iuuenem, cui etiam vt tali obedientiam iurabant; sed etiam, quia facilem & humanum. Posteà verò omnibus iam bonis per Iosephum expoliati, & in seruitutem regiam coniecti; adhuc nihilomi-
D nùs gratulabundi suo liberatori applaudebant, dicentes: *Salus nostra in manu tua est.* Gen. 47. n. 25. seu, vt est in Hebræo: *Viuificasti nos.* Non dicebant: Expoliasti nos, miseram in seruitutem abiecisti nos: sed, viuificasti nos: ac si totam eius seueritatem immemores præterirent; & solam eius humanitatem beneuolis vocibus prædicarent, & gratis animis recordarentur. Secùs quàm faciunt multi subditorum, qui ex vnica punctione, quam semel acceperunt, semper stimulati, infinitas propemodùm vnctiones, quibus sæpè deliniti sunt, obliuiscuntur.

D Hieron.

X. *Prælatus etiā nullis naturæ dotibus instructus audiatur.*

Quid prætereà, si Prælatus nullis naturæ dotibus excellentior præcurrat? Huius etiam nutibus humiliter obsequendum. Nouus planè ordo ille
E est, quo Ezechielis animalia, c. 10. n. 14. referuntur. *Facies,* inquit, *vna, facies Cherub: & facies secunda, facies hominis: & in tertio facies leonis: & in quarto facies aquilæ.* Vbi, quæso, est facies *bouis,* quæ in aliis locis recensetur? Planè illa est, quæ primo loco cherubica appellatur. En, vt bos tardus ac piger, nec generositate cum leone, nec velocitate cum aquila, nec mentis subtilitate cum homine comparandus, præit omnibus, non iam bos, sed factus de boue Cherubinus, quem cætera animalia, quamuis præstantiora, tamen tanquàm famulantia ponè subsequantur. Vt palam fiat, si quis

inter

inter homines ex infimo gradu ad supremum erigatur, eum licèt omnibus naturæ præsidiis destitutum, non iam, vt anteà, tanquàm bouem onerarium, contemnendum; sed tanquàm Cherubinum honorabilem, humiliter obseruandum.

XI. *Subditi natura superiores, vt inferiores obsequuntur.* Abraham iure maritali superior erat Saræ, & nihilominùs, vt illi obtemperaret, à Deo hisce verbis obligabatur. *Omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Gen. 21. n. 12. Aaron iure primogenituræ antecedebat Moysi, vt patet Exod. 7 n. 7. & tamen se illi, tanquàm seruus Domino, submittebat. *Ne indigneris, inquit, Dominus meus,* &c. Exod. 32. numer. 22. Iacobus iure paterno filium suum Iosephum anteibat; & tamen eum, tanquàm subditus Prælatum, venerabatur. Vnde moriturus cæteris filiis imperauit, vt se in patrio sepulcro, non in Ægypto sepelirent. *Præcepit eis, dicens: sepelite me,* &c. Gen. 49. n. 29. solum Iosephum rogauit. *Facies, inquit, mihi misericordiam, & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto,* &c. Gen. 47. num. 29. Cur autem, dicet aliquis, hunc rogauit, illis imperauit? Cur iuniorem nudis precibus; seniores etiam præceptis obstrinxit? Abulensis in priorem locum Genes. citatum, inter alias rationes hanc vnam reddit; quia alios filios, vt sibi subditos respiciebat; solum Iosephum, vt sibi Prælatum obseruabat. Itaque, quos natura aliis præposuit; eosdem obedientia naturâ superior subiecit. Abul.

XII. *Prælatus etiā impius loco Numinis habeatur.* Quid tandem, si Prælatus improbus sit, & sceleratus? Hic etiam loco Numinis habendus est, ac venerandus. Quod multis illustrari potest argumentis. Cùm multi sint in Ecclesia pastores, boni, mali, proprij, mercenarij; quo pacto Christus Dominus illos omnes vnum vocat? *Fiat, inquit, vnum ouile, & vnus pastor.* Ioann. 10. num. 16. Respondet Diuus August. tract. 46. in Ioan. quia omnes etiam mali vnum pastorem Christum Dominum repræsentant. Et subdit: *Per eos vox Christi auditur, & sequuntur oues, non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium.* Si igitur omnes Prælati, etiam improbi, vnum Christum repræsentant; cur non omnibus tanquàm vni Christo obtemperemus? Hæc est enim D. Pauli optima consequutio: *Patres quidem, inquit, carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri spirituum, & viuemus?* Hebr. 12. n. 9. Quasi diceret: Si carnalibus patribus obedientiam præstitimus; cur spiritualibus, qui omnes in Christo vnus sunt, obedientiam non præstamus? Quem locum expendens D. Petrus Damianus Opusc. 13. c. 20. *Nolite, inquit, de Priorum vestrorum perperàm forte viuentium meritis disputare: & non qua via gradiantur, sed cuius vice fungantur, attendentes; illis in Christo humiliter obedite.* Et statim citato Apostoli testimonio vsus, tandem pergit ad Samuelis ac Danidis exemplum: *Samuel, inquit, quamuis reprobo Sacerdoti, quia tamen humiliter paruit, oraculum mox diuinæ reuelationis accepit. Superbum Saülem nequam spiritus vexat, & ei Dauid obsequi pulsando cytharam non recusat.* Apostolos suos, qui futuri erant Mundi principes ac rectores, vocat Christus Dominus *palmites.* Ioan. 15. n. 5. Nam vt palmites, quandiu vigent, licèt inter spinas serpant, de vite viuunt: ita Pastores, dum præsunt, licèt peccatis inuoluantur, Christi voce loquuntur: & propterea, licèt non sint imitanda eorum facta; sunt auscultanda eorum verba. De qua re eleganter D August. citato loco: *Botrum, inquit, carpe, spinam caue: non enim spinam vitis attulit, sed spinis palmes incubuit. Noli interrogare, nisi radices. Quare radicem spinæ, extrà inuenies à vite: quære originem vuæ; vitis hanc protulit ex radice. Pharisæorum mores spinæ erant; doctrina verò palmes in sepe Botruta inter spinas carnis lege; ne dum quæris fructum, lacerès manum, & cùm audis bona dicentem, ne imiteris mala facientem.* Quasi mali mores Prælatorum à patre Diabolo; boni sermones à Christo Domino oriantur: illi quidem à subditis prætereundi, hi verò diligenter auscultandi.

D. Aug. D. Petr. Dam. D. August.

XIII. *Ex malis Prælatis bona documenta.* Quid, quæso, aridius osse? ex quo, si cum altero affricetur, facilè ignis propter ariditatem excudatur. Quò pertinere potuit illud Psalmographi: *Ossa mea sicut cremium aruerunt.* Psalm. 101. num. 4. seu, vt legit Symmachus: *Sicut torris.* Quòd nimirum ossa inter se attrita, sicut torres inter se coniuncti & exsufflati, facillimè ignescant. Quid deinde fœtidius leonis ore? Iuxta illud Epigrammatarij lib. 6. ad finem: Symmach.

Tam malè Thais olet, quantùm non ora leonis. Martial.

Vnde D. Ambros. lib. 6. Hexam. cap. 3. loquens de leone: *Cibum, inquit, fastidit hesternum, & ipsas sua escæ reliquias auersatur.* Non aliam ob causam, nisi quia tam tetro odore ex suo halitu illas imbuit, vt eas nec repetere velit, nec sustinere possit. Quò allusit Iobus, cibos suos detestatus. *Quæ, inquit, priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt.* Iob. 6. num. 7. seu, vt habent Septuaginta: *Fœtorem video escas meas, sicut est odor leonis.* Quasi diceret: E meis cibis non minùs teter odor, quàm ex ore leonis exhalat. Et nihilominùs Samson ex arida asini mandibula copiosos latices hausit, & ex graueolente leonis ore mellis suauissima collegit. Iud. 14. n. 9. & 19. vt planè indicaret, etiam ex malis Prælatis documenta audienda, vt bona; & exequenda, vt salubria. Rem ferè expendit Diuus Petrus Damianus in libello gratissimo, cap. 21. qui in tertio tomo Biblioth. secundæ editionis continetur, & in proprio Opusculorũ tomo est Opusculum sextum: nisi, quòd in pigro asino Prælatum remissum, & in acri leone Prælatum seuerum recognoscit: & vtrique docet, vtiliter obtemperandum; quin ex vno desidia, ex altero ferocia discatur. *Samson, inquit, de ore mortui leonis fauum mellis eduxit; & ex arente mandibula asini, aquis se profluentibus satiauit: sed nec asellis in aqua desidiam, nec belluinam gustauit in melle ferociam. Vtrobique nimirum, quod sumptum est, iuxta proprietatem suam in ore sapuit; vnde sumptum fuerit, non magnoperè discreuit.* D. Ambr. D. Petr. Dam.

XIV. *Impius Prælatus, vlmus arbor infructuosa, fructiferis tamen fructuosus.* Gabaonitas illos, qui non erant de populo Israëlis, & tamen populo Israëlis seruiebant, comparauit Origen. hom. 10. in Iosue, cum vlmo, planta quidem infructifera, sed plantam fructiferam sustentante: *Vlmus, inquit, quæ fructum non affert, portat tamen vitem, quæ affert plurimum fructum; & ex eo, quòd adminiculo est viti, quæ eius viribus nitens, vel afferre, vel seruare potest plurimum fructum; etiam vlmus, quæ infructuosa est, necessaria videtur, & vtilis; ex hoc ipso, quòd frugifera deseruiat viti. Tale aliquid intellige in Gabaonitis, qui non deposuerunt quidem veterem hominem cum actibus suis; ministrant tamen sanctis, & seruiunt, & aliquid vtilitatis impendunt.* Hæc Origenes eleganter. Sed non minori elegantia conferre posset cum eadem vlmo indignos Prælatos, qui in se quidem infrugiferi sunt & infœcundi, & nihilominùs frugiferos & fœcundos subditos suis præceptionibus & admonitionibus sustentant. Si fructuosa quidem vitis infructuosam vlmum despiceret, eiusque nollet inter brachia serpendo assurgere; nonne ipsa fragilis & imbecilla ad terram ruere, Origen.

ret, ipsaque vlmo sterilior & inutilior redderetur? Haud aliter, si quis subditus Prælatum indignum contemnat, eiusque nolit proficere ex imperio; sine dubio bonorum operum fructibus denudatus exarescet, peiorque fiet ipso Prælato, quem ipse superbus, & arrogans dedignatur.

XV.
Ex rubo, hoc est, ex malo Prælato loquitur Deus.

Quid rubo aridior, & infœcundior, qui nullis frondibus, aut fructibus lætus, sed totus sentibus & spinis armatus inhorrescit? Et nihilominùs Deus olim cum Moyse loquuturus, non aliam amœniorem feliciorémque plantam, ex qua loqueretur, elegit. *Apparuit*, inquit, *ei Dominus de medio rubi.* Et rursum: *Vocauit eum de medio rubi.* Exod. 3. num. 2. & 4. Fortassè, vt hoc etiam, de quo agimus, documentum hominibus inculcaret; nimirum etiam voces de rubo, hoc est, de spinoso & infructuoso Prælato editas, non minùs, quàm si de cælesti oraculo ederentur, auscultandas. Sic enim D. Ambrosius lib. De Virginibus, sub initium, interpretatur: *Cur*, inquit, *desperandum, quòd Dominus loquatur in hominibus; qui est loquutus in sentibus, nec rubum est dedignatus?* Et statim, quæ illius singularis est humilitas, huic se rubo similem testatus; fore nihilominùs haud dubitat, vt ex eo diuinæ voces aliis profuturæ audiantur: *Atque vtinam*, inquit, *meas quoque illuminet spinas. Erunt fortasse, qui etiam in nostris sentibus aliquem mirentur lucere fulgorem, quos spina nostra non vrat: erunt, quibus de rubo audita vox nostra soluat de pedibus calceamentum, vt impedimentis corporalibus exuatur mentis incessus.*

XVI.
Per coruos, id est, malos Prælatos bona alimenta ministrantur.

Inter volucres, quæ est, obsecro, infelicior & inauspicatior coruo? Et nihilominùs Deus huius ope vsus est ad Prophetam sanctissimum Heliam sustentandum. *Corui*, inquit Textus, *deferebant ei panem & carnes manè; similiter panem & carnes vesperi.* 3. Reg. 17. n. 6. Vt sub hoc symbolo indicaret spiritualia alimenta ad bonos mores conseruandos, & perditos restituendos, etiam per iniquos ministros, & indignos rectores animarum posse suppeditari. Quod rectè obseruauit D. Isidorus Pelus. lib. 2. epist. 37. vbi ostendens, optimos effectus etiam per pessimos ministros diuinitùs conferri, concludit: *Si quid etiam, quod magis mirandum sit, intelligere cupis; per coruum, hoc est, immundam auem, calipetam illum Heliam pascebat. Quocirca ne dubites, quin per flagitiosos quosdam Sacerdotes, diuina, & natura sublimiora beneficia tribuantur.*

D. Isidor. Pelus.

XVII.
De sede Moysis audiendus etiam malus. Quid ni ex sede Christi?
D. Chrys.

Huc pertinet illa Christi Domini & denuntiatio, & exhortatio: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite: secundum opera verò eorum nolite facere.* Matth. 23. n. 2. Quo ex loco rectè argumentatur D. Chrys. in cap. 1. Epist. ad Coloss. hom. 3. sub finem: *Si Moysis*, inquit, *sedes adeò veneranda fuit, vt propter ipsam audire oportuerit Sacerdotem, multò magis sedes Christi.* Et intelligendus est de Sacerdote etiam malo, quem Christus Dominus audiendum præcipiebat. Statim verò alludens ad illud Pauli: *Pro Christo legatione fungimur; tanquàm Deo exhortante per nos.* 2. Corinth. 5. n. 20. optimum à Legatis argumētum ducit: *Legati*, inquit, *qualescunque tandem sint, propter legationis prærogatiuam multo potiuntur honore. In mediam Barbarorum terram inter hostes soli ingrediuntur: & quoniam plurimùm valet legationis lex; omnes eos honorant, omnes in eos intendunt, omnes cum fiducia & liberè dimittunt.* Deinde verò hanc omnium gentium consensionem, & consuetudinem ad Prælatos ecclesiasticos traducit: *Iam & nos*, inquit, *legationis sermonem accepimus: hoc enim est Episcopatus dignitas. Honore verò potiri volumus; non propter nos; absit: scimus enim nostram vilitatem: sed propter vos; vt quæ à nobis dicuntur, diligentiùs audiatis.* Itaque sicut Legati, licèt pessimis moribus vtantur; magno tamen in honore ab omnibus habentur: ita & Prælati, quamuis vitam habeant contemptibilem; dignitatem tamen præferunt omnibus subditis venerabilem.

Prælati, vt Legati, obseruandi.

XVIII.
Prælati etiā mali à Deo instruuntur.
D. Chrys.

Et cur mali Prælati diligenter non audiantur à subditis, cùm etiam à Deo familiariter edoceantur? Vnde D. Chrys. proximè citatus alludens ad Balaamum, & eius asinum, vtruoque diuinitùs instructum, Numer. 22. n. 12. & 28. *Si in asino*, inquit, *& diuinatore operata est gratia Dei propter dispensationem, & vtilitatem Israelitarum; manifestum est, quòd neque in nobis operari detrectabit: sed & hoc facere sustinebit propter vos. Nemo itaque dicat, se nnē esse me, & humilē, & nulla ratione dignum. Vel sic me obseruato. Sum enim talis. Sed perpetuus Dei mos est, multorum gratia etiam talibus se applicare. Et, vt hoc discatis, ad Cain loqui dignatus est propter Abel; diabolo propter Iob; Pharaoni propter Ioseph; Nabuchodonosor propter Danielem; Balthasaro propter eundem.* Ita D. Chrys. vbi plura de hac re. Atque eadem ferè repetit hom. 66. in Ioan. sub finem.

Deus malos alloquitur.

XIX.
Saülem non solùm bonū, sed etiā iam malū bonus imbuit Spiritus.

Saülem adhuc bonum diuinus imbuit Spiritus. 1. Reg. 10. n. 10. Eundem iam malum idem Spiritus non deseruit. 1. Reg. 19. n. 24. vtrobique enim dicitur prophetasse. Quia in Principe, quamuis mutetur probitas, tamen perseuerat auctoritas, tatione cuius dignus est, qui à subditis honoretur. Et quamuis aliquando malus Spiritus Saülem, vt malum inuaderet. 1. Reg. 16. n. 14 bonus tamen saltem, vt Regem non omninò deserebat: vt quem honorem malus Princeps, prout malus, non meretur; saltem prout Princeps, consequatur. Quod expendens D. Petrus Damianus lib. 8. epist. epist. 11. ad Florentinos: *Maior*, inquit, *est Ecclesia, quàm Ramatha: maior est Christus, quàm Samuel. Si ergo in Saul, quem malus exagitare Spiritus consueuerat; cùm venisset in Ramatha, vbi Samuel cum Dauid prophetabat, Spiritus insiluit; ita vt se vestimentis exueret, & nudus tota die ac nocte cum cæteris concinens prophetaret: quid mirum, si Spiritus sanctus in Ecclesia super quemlibet reprobum veniat, & non per eius meritum, sed per eius ministerium in alios charismatis sui dona transfundat?* Itaque malus Prælatus, sicut à Deo instruitur, ita & à subditis auscultetur.

D. Petr. Dam.

XX.
Mali Prælati, quamuis aliis prosint, sibi ipsis obsunt.
Auctor Oper. imp.

Cōsulat nihilominùs ipse sibi, ne hominibus benè imperās, Deo perperā obsequatur. Vnde rectè eum monet Auctor Operis imperfecti in Matth. hom. 43. *Bene*, inquit, *viuendo, & bene docendo populum instruis, quomodo debeat viuere: bene autem docendo, & male viuendo, Deum instruis, quomodo te debeat condemnare.* Viperis comparabantur olim Pharisæi, Matth. 3. n. 7. & c. 12. n. 34. & c. 23. n. 33. Eisdem verò comparari possunt hodie mali Prælati. Et rationem inculcat ad præsens institutum quàm aptissimam D. Petrus Damianus libello gratissimo iam citato, c. 28. *Quia*, inquit, *viperarum more, dum filios pariunt, ipsæ moriuntur.* Eosdem comparat D. Gregor. homil. 17. in Euangel. cum aqua baptismali: *Quæ*, inquit, *peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cæleste mittit; & ipsa posteà in cloacas descendit.* Atque hæc de indignis Prælatis. Ex quibus patet eximia Samuelis obedientia, qui Pontificem, & Iudicem Heli, vtroque munere indignum, non minùs quàm si dignissimus esset, humiliter audiebat ac reuerebatur.

D. Petr. Dam.
Mali Prælati viperis similes; quæ parientes pereunt.
D. Greg.
Similes aquæ baptismali, quæ alios diluens, inquinatur.

SECTIO

SECTIO II.

Dignos Prælatos, non vt dignos, sed vt Prælatos, humiliter audiendos.

I. *In bonis Prælatis, nō quod sunt, sed quod repræsentant, intuendum.* SVnt quidam Prælati tam multis à natura dotibus instructi, vt nati ad præfecturam videantur. Quid ergo de his sentiendum? sūntne audiendi propter id, quod sunt? Absit. Sed propter id, quod repræsentant. Repræsentant verò ipsum Deum, à quo est omnis potestas: propter Deum igitur in eis relucentem audiantur.

II. *In Baptista nihil aliud quàm quòd esset Dei vox, attendēdum.* Quæret aliquis, cur olim Baptista honorificos titulos reiecerit, & abiurauerit, illud vnum confessus: *Ego vox clamantis.* Ioann. 1. numer. 23. Rationem esse credo, vt neque sacerdotalis dignitas, neque prophetalis auctoritas, neque angelica sanctitas in eo attenderetur: sed hoc vnum, quòd esset Dei vox; seu, quòd Dei voce loqueretur: ratus, eam tantùm rationem satis esse, vt eius verbis fides, eius imperiis obedientia ab omnibus præstaretur. Rectè monet Tertulian. lib. De Pœnit. cap. 4. in diuino præcepto non tam bonitatem, aut vtilitatem, aut honestatem spectandam esse, quàm quòd diuinum sit, seu ab ipso Deo imponatur. *Audaciam*, inquit, *existimo, de bono diuini præcepti disputare. Neque enim, quia bonum est, idcirco auscultare debemus; sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequij prior est maiestas diuinæ potestatis: prior est auctoritas imperantis, quàm vtilitas seruientis.* Haud secùs, qui in Prælato bonitatem potiùs, quàm ipsam auctoritatem attendit, vt obtemperet; eo ipso censetur non obedire: nec quò potestas impellit, sed quò voluntas trahit, inclinare.

Tert. In præcepto non tam quòd bonū sit, quā quòd diuinū, considerādum.

III. *Obedientia, quæ homini propter eius excellentiam præstatur, carnalis est.* Acriter inuehitur D. Paulus in Corinthios: *Adhuc*, inquit, *carnales estis*. 1. Corinth. 3. num. 2. Vnde, quæso, tam vehemens censura? Subdit: *Cùm enim sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis, & secundùm hominem ambulatis?* At quis fuit iste zelus & contentio, vt tantam posset notam Corinthiis inurere? Pergit Apostolus: *Cùm enim*, inquit, *quis dicat; Ego quidem sum Pauli: alius autem; Ego Apollo: nonne homines estis? Quid igitur est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri eius, cui credidistis.* Ita ille. Quasi diceret: Obedientes quidem estis, sed Paulo, sed Apollo, de quorum seruitute gloriamini; non autem Deo. Obedientia verò, quæ non Deo propter eius bonitatem; sed homini propter eius præstantiam exhibetur, carnalis est, non spiritualis. Quem in locum rectè obseruat Diuus Chrysostomus, non dixisse Apostolum, eos carnales esse propter adulteria, & luxurias, similésque intemperantias, quæ hominem propriè efficiunt carnalem; sed propter obedientiam, magis hominem, quàm Deum in homine respicientem: quasi hæc obedientia nihilò ab illis vitiis carnalibus distingueretur. Itaque qui Prælato fauet, vel adhæret, quia sapiens, quia bonus, quia magnis dotibus insignis; is quidem amicus carnalis est, non fidelis seruus: Deo non obtemperat, sed amico morigeratur. Vnde ne Paulo quidem obediendum est, vt Paulo; sed vt Apostolo vicem Dei gerenti: vt rectè obseruat idem Diuus Chrys. hom. 2. in 2. ad Timot. vbi monens, ne quis suo Prælato, tanquàm homini obediat, subdit: *Plus aliquid dicam: Ne Paulo quidem obedire oportet, si quid dixerit proprium, si quid humanum; sed Apostolo circumferenti Christum in se loquentem.*

D. Chrys.

IV. Hinc est, quòd apud imperfectos obedientes

A opus sit, Prælatos commendare, vt ad obediendum inducantur: at verò apud perfectos, satis superque sit, designare, vt statim ad parendum excitentur. Quis nescit, tardissimos fuisse ad obediendum Israelitas? Quid ergo Deus? Curauit, vt Iosuë vniuerso populo post Moysen præfuturus, priùs coram omnibus commendaretur. Sic enim Deus ad Moysen: *Tolle*, inquit, *Iosue, filium Nun, virum, in quo est spiritus Dei; & pone manum tuam super eum; & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ.* Num. 27. numer. 18. En vt intùs ac foris, mente & corpore commendetur. Nam in mente spiritum Dei, seu spiritum propheticum habere dicitur; in corpore gloriam Moysis; siue illa sit Moysis humili- B tas, vt Oleaster eruit ex Hebræo, vbi sic legit: *Pones de descensu tuo super eum*: hoc est, tuam illi humilitatem communicabis: quasi Prælatorum gloria sit humilitas; siue potiùs sit Moysis auctoritas & potestas, vt Abulensis interpretatur; siue tandem sit ille splendor, qui ex ore Moysis emicabat, & in faciem Iosuë resiliebat, vt malunt aliqui Rabbinorum. Quorsum verò tam multa ornamenta Iosuë conferuntur, & vniuerso populo manifestantur? Rem attingit ipsa Litera: *Vt audiat*, inquit, *eum omnis Synagoga filiorum Israel.* Quasi diceret Deus: Scio, hunc populum carnalem esse; nihil valere apud eum diuinam auctoritatem, plurimùm verò humanam maiestatem: ergo Principem ei præpone non despicabilem, quem proinde ipsi vel inuiti admirentur ac reuereantur. Similis est ille locus, C in quo Deus apud Mariam & Aaronem de suo Prælato Moyse detrahentes, eum incredibiliter laudauit, & cæteris Prophetis antepofuit: *Si quis fuerit*, inquit, *inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: ore enim ad os loquor ei; & palam, & non per ænigmata & figuras Dominum videt.* Num. 12. num. 6. & 7. Quorsum verò tam ingens commendatio? Nisi vt imperfecti illi subditi, si minùs in suo Prælato diuina iussa, saltem gloriosa encomia venerarentur.

Imperfectis subditis vt obediant, indigent commendatione Prælatorum.

Iosuē commendatur apud eos, vt obediant.

Oleast.

Prælatorum gloria, humilitas.

Abul.

Rabbin.

Moyses commendatur apud fratres, vt eum obseruent.

V. *Perfectus subditus cō-mendatione Prælatorū nō indiget; sed sola designatione.* Contrà verò perfectus obediens sui Prælati D commendatione non indiget, cùm nihil in eo magis, quàm Prælati nomen reueretur. Talis fuit Cornelius ille Centurio, religiosus ac timens Deum, ad quem Angelus Dei: *Mitte*, inquit, *viros in Ioppem, & accersi Simonem quendam, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur apud Simonem quendam Coriarium, cuius est domus iuxta mare; qui dicet tibi, quid te oporteat facere.* Actor. 10. n. 5. & 6. Vides, vt nihil magnum enunciet de Petro? Non ait esse fundamentum Ecclesiæ, habere claues regni cœlorum, Dei locum in terris obtinere, & his similia: sed planè significat, esse humilem. *Accersi*, inquit: quasi non esset à nobili Centurione conueniendus, vt Princeps; sed euocandus, vt seruus. Prætereà esse contemptibi- E lem & ignotum: *Simonem*, inquit, *quendam*: quod pronomen in Latino sermone vilitatis ac tenuitatis nota est. Sic enim interpretatur Diuus Ambrof. lib. 10. in Luc. cap. 21. illud Christi Domini: *Ite in ciuitatem ad quendam.* Matth. 26. num. 18. *Ideò*, inquit, *sine nomine designatur, vt ignobilis æstimetur.* Sed quidquid sit de hac interpretatione, cui cæteri Interpretes communiter repugnant: certè Latini vilem & abiectum hominem contemptus causâ appellant, *quendam*: vt apud Comicos, Plautum ac Terentium, videre est. Tandem esse pauperem & vilioris notæ homun- cionem:

D. Petrus etiam ell... datus observatur a Cornelio.

D. Ambr. Pronomen Quidā, nota contemptus.

cionem: *Qui hospitatur*, inquit, *apud Simonem quendam Coriarium.* Ac si ptoptiam domum non haberet, sed in alienas diuerteret; eásque non diuitom Regias, sed paupetum tabernas & officinas. Quid verò Cornelius? Contempsit hominem? Minimè profectò: immò potiùs vt sibi Prælatum officiosissimè obseruauit. *Vocauit*, inquit textus, *duos domesticos suos, quibus cum narrasset omnia, misit illos in Ioppen.* Ibidem, numer. 8. In quem locum egregiè D. Chrysostom. hom. 22. (D. Chrys.) *Vide*, inquit, *quàm alienus est à fastu: non dixit: Vocate mihi Petrum: sed ita vt persuaderet, narrauit omnia. Non enim volebat sola auctoritate præcipere & accersere; tam moderatus erat vir: tametsi nihil magnum cogitari poterat de viro, qui apud Coriarium diuerterat.* Sic ille; quasi diceret: Petrum, etsi nullis titulis commendabilem, eo tantùm nomine, quòd sibi Doctor à Deo proponeretur, adeò obseruabat, vt euocare eum non auderet; vix dum rogare.

VI.

Tota obediendi ratio est, quòd Prælatus Deum repræsentet.

Nulla igitur alia in Prælato obediendi ratio inquiratur, quàm quòd Deũ repræsentet. Absint reliquæ: hæc vna, si modò superstes sit, obedientiam imperat & extotquet. Quid enim iustius, & rationi congruentius esse potest, quàm vt Deo, &, quod teliquum est, homini eius locum habenti obedientia præstetur? Condituius Deus primos parentes: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Gen. 1. n. 26. Quærit ibi Theod. q. 20. in quo hæc imago similitudóq; consistat: Et respondet cum aliis, quos citat, consistere in officio dominandi. (Theodor. *Similitudo hominis cum Deo, vnde desumitur.*) Probat ex verbis, quæ sequuntur: *Et dominetur piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis terræ.* Quasi homo Deo similis in eo videatur, quòd sicut Deus rebus omnibus; ita homo saltem aliquibus dominetur. Confirmat ex D. Paulo, qui potiùs hominem, quàm mulierem, Dei imaginem appellauit, 1. Corinth. 11. num. 7. (*Homo potiùs, quã mulier, Dei imago dicitur.*) quia ad hominem potiùs quàm ad mulierem imperium pertinebat. Itaque iurisdictio in alios est similitudo cum Deo; & qui seruo imperat, Deum repræsentat. Nec immeritò: vt qui homini obediunt, Deo sibi persuadeant obedire. Angelus ille fuit, qui monuit Agar Ægyptiam è domo Saræ fugientem, vt reuerteretur ad dominam suam, & sub manu illius humiliaretur: cui illa promptissima obtemperauit; (*Agar Angelo, vt Deo, obtemperat.*) quia non vt Angelum, sed vt Deum recognouit. *Tu*, inquit, *Deus, qui vidisti me.* Genes. 16. num. 13. Non ait, Tu Angelus; sed, Tu Deus, non quòd Angelum esse ignoraret, sed quòd Deũ in Angelo audiret: suámque deuotionem, interprete Caietano, non erga Angelum (Caiet.) denuntiantem, sed erga Deum imperantem exhiberet. Apparuerunt Abrahæ tres viri, quos ille vnius nomine compellauit: *Domine*, inquit, *si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum.* Gen. 18. num. 3. Mysterio non caret, quòd tres, vt vnum alloquatur. (*Abrahami hospitalitas.*) Dixerit aliquis, Abrahamum adeò fuisse liberalem & hospitalem, vt tres hospites, vnum teputaret; cùm tamen auari, vnum plurimos arbitrentur. Altiùs ad mysterium respiciunt Patres, D. Ambr. D. Cyril. D. Gregor. Magn. Euseb. & alij, qui sacrosanctæ Triados mysterium hoc loco reuelatum fuisse arbitrantur. (D. Ambr. D. Cyril. D. Greg. Euseb. *Trinitatis mysterium.*) Sed quidquid sit de ea re; aptè ad præsens institutum D. Aug. q. 33. in Gen. (D August.) *In Angelis*, inquit, *Dominum sentiens, Domino potiùs, quam Angelis loqui elegit.* Quasi diceret: Non sistebat in Angelis à Deo missis: sed in Deum, cuius illi auctoritate mittebantur, animum & cogitationem transferebat: (*Abraham Deũ in Angelis attendebat.*) vt haberent posteri documentum, ne Prælatos suos, vt homines, sed vt Deum venerarentur. Sic & Lot ad duos Angelos, quos vt homines hospitio excepit, singulariter loquutus: (*Lot in Angelis Deũ venerabatur.*) *Quæso*, inquit, *Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiam tuam*, &c. Gen. 19. n. 18. Quod iterum expendens D. Augustin. (D. August.) lib. 16. Ciuit. cap. 29. *Abraham*, inquit, *in tribus, & Lot in duobus viris Dominum agnoscebant; cui per singularem numerum loquebantur, etiam cùm eos homines esse arbitrarentur.* Et paulò pòst: *Ita excellebant*, scilicet, illi tres viri, & duo viri, *vt in eis esse Dominum*, Abtaham & Lot, *dubitare non possent.* Itaque ab externa hominum forma, quam videbant; ad arcanam diuini Numinis maiestatem, quam in illis hominibus venerabantur, cogitationes suas reuocabant, (*Ita Deus in Prælatis obseruandus.*) vt suo exemplo subditos inducerent, ad ipsum Deum suis semper in Prælatis recognoscendum, & obseruandum.

VII.

Mandatum obseruandi parentes, dicitur primũ, triplici causa.

Præceptum obediendi maioribus, vocat Diuus Paulus primum: *Honora*, inquit, *patrem tuum, & matrem tuam; quod est mandatum primum in promissione, vt bene sit tibi, & longæuus sis super terram.* Ephes. 6. n. 2. Quæri solet, cur appelletur primum, quod in ordine est quartum: vt videre est Exod. 20. n. 12. & Deut. 5. n. 16. Aliter alij respondent. D. Hieron. lib. 3. Comment. ad eum locum, tripliciter soluit. (D. Hier. *Primum in promissione.*) Primò, quia hoc mandatum in promissione primum est, seu potiùs vnicum: nam alia præcepta non habent annexas promissiones; hoc autem maximè, nempe felicitatem & longæuitatem: quasi difficultas parendi hominibus tanta sit, vt sola inter alias promissionibus superanda videatur. Secundò, quia vnumquodque (*Primum in dignitate.*) mandatum Decalogi primum est appellandum, ad comparationem eorum præceptorum, quæ posteà in lege conscripta sunt. Quod intelligo non solùm ratione temporis, sed etiam ratione dignitatis; quæ tanta est in singulis Decalogi præceptis, vt quodlibet eorum primatum quodammodo inter alia obtinere censeatur. Tertiò, (*Primũ in 2. tabula.*) quia est primum in secunda tabula; sicut præceptum colendi Deum, primum est in prima. Vt hinc intelligas, tam similia esse inter se hæc duo præcepta, Deo & Prælato obediendi, vt suus cuique primatus tribuatur. Addo vlteriùs, absolutè primum dici posse: quia sicut Deum obseruare, (*Mandatum colẽdi Deũ, & homines propter Deũ, idem quodammodo.*) est mandatum simpliciter primum; ita & obseruare maiores, cum hi loco ipsius Dei habeantur; & qui homini obedit propter Deum, Deo sine dubio obedire existimetur. Vnde D. Bernard. (D Bern.) De præcepto & dispensatione: *Quidquid*, inquit, *vice Dei præcipit homo, haud secus accipiendum est, quàm si præcipiat Deus.* Immò cùm in Leuitico, Decalogi præcepta repetantur; (*Præceptũ colendi maiores, aliquando præponitur præcepto colendi Deum.*) primo loco proponitur præceptum de obseruantia erga maiores; secundo autem de obseruantia erga Deum. *Vnusquisque*, inquit Dominus, *patrem suum & matrem suam timeat.* Et statim: *Sabbata mea custodite, ego Dominus Deus vester. Nolite conuerti ad idola*, &c. Leuit. 19. n. 3. & 4. Quasi Deus non magis velit, vt sibi, quàm vt hominibus à se præpositis obedientia & obseruantia deferatur.

VIII.

D. Petrus propter obedientiã Christo quodãmodo æquatur.

In solutione tributi sibi Christus Dominus Petrum exæquauit: loquutus enim cum Petro de statere inueniendo in ore piscis: *Illum*, inquit, *sumens, da eis pro me, & te.* Matth. 17. numer. 27. Vnde Petro tantus honor, vt homo Deo non solùm comparetur, sed etiam quodammodo exæquetur? D. Chrysostom. hom. 59. ad eum locum, (D. Chrys.) existimat, hunc honorem obedientiæ præmium fuisse. *Qui*, inquit, *ad rem natura incredibilem illicò paruit, fidei retributionem confestim habuit, Christo in solutione tributi coniunctus.* Dignus enim est,

vt

vt qui ad obediendum se demittit, quandam veluti æqualitatem cum Deo sortiatur. Cæterùm D. Augustinus q. 75. ea nouo Testamento, respicit ad dignitatem Diui Petri, parem quodammodo cum Christi Domini dignitate: *Saluator*, inquit, *cùm pro se & Petro dari iubet, pro omnibus exoluisse videtur, quia sicut in Saluatore erant omnes causa magisterij; ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur: ipsum enim constituit, esse caput eorum, vt Pastor esset gregis Dominici.* Vides, vt Christus Dominus suam cum Prælato communicet dignitatem? Quis ergo dubitet, fore, vt Prælati obseruantia, Christi obseruantia censeatur; & Prælati offensio, Christi offensio iudicetur?

D. August.
Petrus, quodammodo Christus, vt hic in illo obseruatur.

IX. Quid, si dicam, grauius malum esse, Prælato, quàm Deo non obedire? Id planè testatur Clemens Alexand. *Rem*, inquit, *dicturus sum mirabilem; sed inde omninò no hæsites. Expedit in Deum magis peccare, quàm in ducem nostrum. Nam, si Deum ad iracundiam prouocaueris, dux noster illum reconciliare potest: si vero ducem ipsum perturbauerimus, nullum habebimus, qui nobis illum propitium faciat.* Neque desunt ea sacris Literis argumenta, quibus assertio confirmetur. Aaronem contra Deum peccantem ad aquas contradictionis, paulò post egressum ab Ægypto, Num. 20. numer. 10. serò diuina vltio compressit; nimirum quadraginta pòst annis, paulò ante ingressum in terram promissionis, Num. 33. numer. 38. Contrà verò Dathan & Abirun, aliósque eiusdem gregis homines de suis Prælatis detrahentes, subita punitio coercuit, haustos repentino terræ hiatu, Num. 16. numer. 32. Cur in illum adeò tardauit, in hos autem adeò festinauit punitio? Planè, quia ille in Deum; hi verò in suum Prælatum rebellarunt. Hæc autem inobedientia sicut Deo videtur iniquiùs ferenda, ita & velociùs castiganda.

Clem. Alex.
Grauius malum, Prælato, quàm Deo nõ obedire.

Citiùs, qui Prælatum, quàm qui Deum offendunt, puniuntur.

X. Deum quondam audire noluerunt Israëlitæ, quin propterea à Deo punirentur; immò potiùs laudarentur. Nam, dicente populo ad Moysen: *Si audierimus vltra vocem Domini Dei nostri, moriemur. Tu magis accede & audi cuncta, quæ dixerit Dominus noster tibi, loquerísq; ad nos.* Deut. 5. n. 25. & 27. Seu clariùs, & apertiùs: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Exod. 20. n. 19. Hæc, inquam, dicente populo, & diuinam vocem audire renuente, nullum in eos statuitur supplicium; immò encomium longè maximum confertur, dicente Domino ad Moysen: *Bene omnia sunt loquuti.* Deut. 5. n. 28. At verò illis, qui Prophetam à Deo constitutum audire recusassent, grauissimæ à Deo pœnæ imponuntur. *Prophetam*, inquit Deus, *suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loquetúrque ad eos omnia, quæ præcepero illi: qui autem verba eius audire noluerit; ego vltor existam.* Deuteron. 18. n. 18. Quasi faciliùs iniuriæ in Deum, quàm in Prælatum commissæ remittantur; & mitiùs inobedientia Deo, quàm homini præstita condonetur.

Faciliùs iniuria in Deũ, quã in Prælatum remittuntur.

XI. Testis est ille blasphemus in Deum, & maledicus in Moysen, apud eundem Moysen accusatus; de cuius supplicio cùm aliquando ipse Deus à Moyse consuleretur, sic respondit, iuxta septuaginta Interpretes: *Educ eum, qui maledixit extra castra; & lapidet eum populus vniuersus.* Leuit. 24. num. 14. Cur non dixit: Educ illum, qui Deum blasphemauit: sed illum, qui Moysi maledixit? Optimè Isidorus Clarius: *Deus*, inquit, *cui sui cura sunt, magis voluit vlcisci iniuriam Moysis, quàm propriam contumeliam. Ideò dixit: Educ maledicum: & non dixit: Educ blasphemum.* Deum in hac re

Maledicus in Moysẽ potius quã blasphemus in Deũ lapidatur.

Isid. Clar.

A imitatus Rex Dauid, iniurias sibi factas à Saüle, à Semei, à Nabal, ab Absalon, à multis aliis patienter remittebat: iniurias verò factas suis Legatis acriter vindicabat. Nam cùm sciret, Legatos suos à Rege Ammonitarum Hanon graui contumelia affectos, & semirasis barbis, vestibúsque mediis vsque ad nates indecorè præcisis, in vrbem remissos esse, 2. Regum 10. numer. 4. & 1. Paralip. 19. numer. 4. sic exarsit, vt statim contra eum in arma ruerit & quadraginta millia equitum interfecerit; quinquaginta verò & octo millia in fugam verterit, reliquos autem omnes suam coëgerit in seruitutem, vt citatis locis videre est. Quas ergo pœnas Æternus Imperator Deus ab illis non reposcat, qui in suos
B Prælatos diuina apud homines legatione fungentes aliquid iniuriarum moliuntur? Suas profectò iniurias dissimulabit, suorum acriter vlciscetur.

Dauid Deũ imitatus non sua suas, quã suorũ Legatorũ iniurias vindicabat.

XII. Quare, quamuis illud Diui Petri verissimum sit: *Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.* Act. 5. num. 29. tamen nisi homines manifesta mala imperent; diuina obsequia aliquando paulisper intermittenda sunt, & humana alacriter exequenda. Certè Christus Dominus, vt hoc tandem expediam argumentum, nobis in hac re singulare præbuit exemplum. Nam obsequium Æterno Patri debitum bona cum illius venia intermisit; vt debitam Virgini Matri obedientiam præstaret. Voluntas Patris erat, vt Christus
C Dominus, adhuc puer, Ierosolymis in templo esset, Doctores audiens & interrogans; iuxta illud: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Luc. 2. num. 49. Voluntas Matris diuinam voluntatem nondum apertè cognoscentis, erat, vt filius secum Nazareth, in patriam domum regrederetur; iuxta illud: *Fili, quid fecisti nobis sic?* Ibidem, num. 48. Quid ergo Christus Dominus inter Patris & Matris obsequia quodammodo opposita constitutus? Quam in partem pronior inclinet? Cui velocior ac diligentior obsequatur? Patris obsequia differt, vt Matris obsequia maturet. *Descendit*, inquit Euangelista, *cum eis: & venit Nazareth; & erat subditus illis.* Vbi suprà, numer. 51. In quem locum Diuus Ber-
D nard. serm. 19. in Cant. *An*, inquit, *ignoratis, quia melior est obedientia, quàm victima? Non legistis in Euangelio, quam formam obediendi puer Iesus pueris sanctis tradiderit? Nam cùm remansisset in Ierusalem, & dixisset: In his, quæ Patris sui erant, oportere se esse: non acquiescentibus parentibus eius, sequi illos in Nazareth non despexit; magister discipulos, Deus homines, Verbum & Sapientia, fabrum & fœminam.* Et rursus hanc singularem obedientiam admiratus serm. 3. in die Paschæ: *Attende*, inquit, *quid fecerit magni consilij Angelus: quomodo consilium suum postposuerit consilio, vel magis voluntati mulieris vnius (beatam Virginem loquor) & fabri pauperis; ipse est Ioseph. Bonum erat illud consilium: In his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse:*
E *sed, quia illi non intellexerunt; mutauit illud consilium, vt nos mundaret ab ea lepra, quæ proprij consilij est: exemplum enim dedit nobis, vt & nos ita faciamus. Quis iam non erubescat obstinatus esse in consilio suo, quando suum sapientia ipsa deseruit?* Hæc Bernardus eleganter.

Dei præceptũ aliquãdo intermittendũ, & Prælati obeundum.

Exemplum Christi Domini matri obedientis.

D. Bern.

Propriũ consilium deserendum, sequẽdum Prælatorum.

* * *

ANNOTATIO II.
CIRCA LITERAM.

Illustratur obedientia Samuelis ex natura rerum, in quibus obtemperauit.

I. *Vera obedientia in facilibus, ac difficilibus.*



SAMVEL euocatus è cubitu, & ad cubitum reuocatus promptissimus obediuit. Nec difficultatem deserendi lectum exhorruit; nec facilitatem repetendi contempsit: sed verum se obedientem in facilibus, ac difficilibus demonstrauit: in facilibus, quia iussus è vigilia se retulit ad soporem: in difficilibus, quia euocatus, ex sopore se proripuit ad vigiliam. Vtrinque meruit magnam laudem, quia non suo commodo, vel incommodo; sed præcipientis arbitrio ducebatur. Quod Samuelis exemplum iam in Litera satis explicatum & illustratum: nunc omnibus imitandum proponetur; imitaturis profectò, si neque in facilibus deficiant, neque in difficilibus succumbant; sed vtraque, facilia pariter, ac difficilia feliciter exequantur. B

SECTIO I.

Vera obedientia in facilibus quoque præceptis spectatur. C

II. *In solo peccato manifeste non parendū: in dubio acquiescendum Prælato.*

NVllos obediendi fines perfectus obediens agnoscit: quidquid præcipitur, si peccatum manifestum excipias, promptus est, vt exequatur. Excipio peccatum manifestum: nam in dubiis etiam Prælato acquiescendum: vt patet in Iacobo, qui imperanti matri, vt simulato habitu Esaü benedictionem à patre extorqueret, intrepidus acquieuit. Genes. 27. numer. 14. Et cùm dubitare posset, an ea res sibi liceret; tamen propriam dubitationem imperantis auctoritas exclusit. Si culpam igitur excipias, nihil in aliis præceptis perfectus obediens cunctatur. Vnde D. Bernard. Tract. De præcepto & dispensatione: *Perfecta*, inquit, *obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis; & ad omne, quod iniungitur, spontanea, vigore liberalis alacrisque animi, modum non considerans in infinitam libertatem extenditur.* D. Bern. D

III. *Seraphini ad facilia, ac difficilia parati.*

Hanc obedientiam ad omnia promptissimam profiteri videbantur illi Seraphini, qui ante Dei solium stabant & volabant, non quidem illis alis, quas ad capita habebant, ne ad sublimia tantùm anhelare viderentur; neque illis, quas habebant ad pedes, ne viderentur ad sola infima determinari: sed illis, quas habebant ad mediam cordis sedem. Isai 6. num. 2. *Ad designandum*, inquit Lyranus, *quòd Angeli semper sunt parati ad diuina ascendere, & ad inferiora descendere, secundùm Domini voluntatem.* Sic enim fiebat, vt nullum præceptum diuinum, siue facile, siue difficile; siue gloriosum, siue onerosum detrectarent: sed ad omnia promptissimi accingerentur. Quamuis igitur vera obedientia ad omnia imperata extendatur; possunt nihilominùs charitatis gratia ad duas rerum classes reuocari ea omnia, in quibus obedientia exercetur. Nam, quædam sunt faciles, & obedientis genio conformes: aliæ difficiles, & ab illius natura penitùs abhorrentes. In Lyra. E

Duo genera præceptorum facilium, ac difficilium.

A vtrisque perfecta obedientia spectatur. Sed in præsenti Sect. de prioribus, in sequenti de posterioribus agendum.

IV. *Facilia non propter facilitatem, sed propter auctoritatem exequenda. Tert.*

Suum habet pretium obedientia in facilibus; cùm perfectus obediens non ex facilitate rei imperatæ, sed ex auctoritate Prælati imperantis ad obediendum inducatur; iuxta illud Tertullian. lib. De Pœnitentia, cap. 4. *Ad exhibitionem obsequij prior est auctoritas imperantis, quàm vtilitas seruientis.* Adamus in Paradiso constitutus duplici obedientiæ præcepto tenebatur, vno comedendi, altero abstinendi, si vera est sententia D. Thom. 1. p. quæst. 97. art. 3. ad tertium, & Opusc. 2. c. 188. quam ille sibi videtur ex Litera confirmare. Vbi sic: *Præcepit ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede: de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas.* Gen. 2. n. 16. Germana enim interpretandi ratio exigere videtur, vt præcipiendi verbum tam ad affirmationē, quàm ad negationem pariter extendatur. Atque adeò sicut homo ad abstinendum ex vno tenebatur; ita ad comedendum ex omni, non quidem copulatiuè, vt loquuntur; id enim esset intemperans & iniucundum, ne dicam, impossibile; sed disiunctiuè ex hoc, vel illo; seu, quod potiùs reor, data hac interpretatione, ex omni quod voluisset: ita vt sola actio comedendi caderet sub præceptum: quantitas autem, aut determinatio rei comedendæ sub arbitrium. Quæ expositio sic declarata, & sancti Doctoris firmata iudicio non videtur improbabilis. B

D. Thom. Duplex præceptum comedendi, & abstinendi impositum Adamo.

V. *Cur Adamo facile, ac difficile præceptum imponatur.*

C Ex ea tamen oritur difficultas. Nam, quamuis ad abstinendum, tanquàm ad rem difficilem, necessarium fuerit præceptum; quorsum imponi debuit ad comedendum, cùm ad hoc tanquàm ad rem facillimam homo suapte sponte moueretur? Dupliciter potest responderi. Primò, difficilibus præceptis facilia fuisse præmittenda; vt his animus quodammodo inescatus, illa promptior aggrederetur. Quod significare videtur D. Greg. lib. 35. Moral. c. 10. *Qui*, inquit, *ab vno bono subiectos vetat, necesse est, vt multa concedat, ne obedientis mens funditùs intereat, si à bonis omnibus penitùs repulsa ieiunet. Omnes autem Paradisi arbores ad esum Dominus concessit, cùm ab vna prohibuit; vt creaturam suam, quam non volebat extingui, sed proueli; tantò faciliùs ab vna restringeret, quantò ad cunctas latiùs relaxaret.* Nihilominùs hæc responsio non satisfacit. Quia non oportuit primum hominem ad difficilia præcepta præceptis facilibus inescari; cùm potius absque præceptis per sola priuilegia, concessiones & immunitates inescari potuisset; de quibus tantùm loquitur D. Greg. neque enim præceptum, sed solam concessionem comedendi admittit. Secundò igitur respondeo aptiùs ad rem præsentem, ideò hominem, & comedendi, & abstinendi præceptis addictum fuisse in terrestri Paradiso; vt nihil ibi, siue facile, siue difficile, nisi ex obedientiæ legibus ad maius gratiæ incrementum aggrederetur. Vnde illis, qui in Religionis Paradiso posteà victuri erant, relinqueretur documentum; ne quid ex proprio gustu, sed omnia ex alieno iussu molirentur. Adeò fructuosa est in rebus quoque facilibus obedientia. D E

Prima responsio, vt ex facilibus præceptis ad difficilia illiceretur.

D. Greg.

Secunda responsio, vt omnia, tam facilia, quàm difficilia, ex obedientia aggrederetur.

VI. *Noë nec ingredi, nec egredi voluit ex arca, sine diuino præcepto.*

Noë quondam, Deo imperante, in arcam ingressus est: *Ingredere*, inquit, *tu & omnis domus tua in arcam.* Gen. 7. n. 1. sed & idem, Deo quoque imperante, ex arca egressus est: *Egredere*, inquit, *de arca tu & vxor tua, &c.* Gen. 8. n. 16. Mirum non est ad ingressum, tanquàm ad rem arduam ac difficilem, diuinum expectasse præceptum; at verò ad egressum, qui solet esse nautis post diuturnam nauigationem optatissimus,

Vt

Vt sale tabentes artus in littore ponant: quid præcepto opus fuit? cur statim non exiliit, non erupit, non eniicuit in arenam? sed diuinum imperium cunctabundus expectauit? Aptissimè quidem D. Ambrosius lib. De Noe & Arca, c. 21. D. Amb. *Iustus*, inquit, *nihil sibi arrogat, sed totum se diuino committit imperio. Et maximè, qui calesti fuerat ingressus oraculo, cælestè debuit, vt egrederetur, expectare responsum. Verecunda enim iustitia est, quia inuerecunda iniquitas, quæ vsurpat indebita, nec veneretur auctorem.* Quasi diceret: Perfectus obediens neque difficilia exhorrescit, neque facilia concupiscit; sed pari celeritate ad hæc illáque impellitur, solo obedientiæ stimolo incitatus.

VII. *Iacobus iussu abiit ex patrio.* Vt Iacobus è paterna domo egrederetur, vtriusque parentis imperium expectauit. Matris quidem: *Fuge*, inquit, *ad Laban fratrem meum*. Genes. 27. n. 43. Patris verò: *Vade*, inquit, *& proficiscere in Mesopotamiam Syriæ*. Genes. 28. 0. 2. Vbi obiter nota, matrem dixisse, *Fuge*: patrem verò dixisse, *Vade*: tum, quia, ad Literam, mater sciebat insidias Esaü, quas pater ignorabat; & propterea illa ad insidias euitandas in morem fugientis; hic autem solùm ad nuptias in Mesopotamiam contrahendas, in morem euntis, seu iter agentis hortabatur: tum, quia, ad mores, vterque parens vnius perfectissimi Prælati similitudinem præferebat, qui non solùm debet suos subditos separare à malis per fugam, sed etiam in bonis per prosequutionem collocare: tum denique, quia matres esse solent timidiores pro damno, & feruentiores pro gratia & vtilitate filiorum, quàm ipsi patres. Peruenit tandem in Mesopotamiam Iacobus, diu ibi fuit, seruiuit, laborauit: sed negotiis iam expeditis, nondum in patriam remigrabat. Neque plane remigraret, nisi priùs ab ipso Deo admoneretur: *Reuertere*, inquit, *in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eróque tecum*. Genes. 31. num. 3. Quid hoc est? In exilium abire noluisse, nisi parentum imperio præeunte, mirum non est: erat enim res difficilis, ad quam non propria sponte, sed externa vi compelleretur. At verò ab exilio in patriam redire, cur, obsecro, iniussus recusabat, cùm nihil esse soleat hominibus gratius & iucundius, quàm natale solum repetere, & exilium cum patria commutare?

Mater iubet, vt fugiat, pater, vt vadat.

Iussus in patriam rediit.

VIII. *Ratio, vt nihil, siue difficile, siue facile, sine obedientia præstaret.* Olcast. Aptè ad rem præsentem Oleaster: *Nihil*, inquit, *viris sanctis sine Numine agendum est. Iacob enim, licèt reditum summè desideraret; non tamen recedere sine Dei imperio ausus est.* Voluit nimirum etiam in rebus facillimis & optatissimis diuino imperio subiacere: vt quod meritum obtinere non posset, ex operis difficultate, quæ nulla erat; saltem ex virtute obedientiæ, quæ est optima meritorum conciliatrix, assequeretur. Quid aptius ad persuadendum subditis, nihil eis, siue gratum, siue ingratum, nisi ex obedientiæ præscripto subeundum, vt operandi meritum multò cumulatiùs augeatur? Adde obiter, Iacobum ad exitum è patria humano tantùm imperio inductum fuisse: at verò ad reditum, diuino non solùm imperio, sed etiam præmio excitatum, vt patet ex citatis verbis: quia perfectus obediens efficacius requirit incitamentum ad iucunda ac facilia imperata, quàm ad iniucunda ac difficilia exequenda: vt iam in Litera, & Samuelis, & Abrahami exemplo confirmaui: è quibus illum sola vox, existimata Sacerdotis, euocauit è lecto: non tamen sola vox, sed etiam imperium ad lectum reuocauit. Hunc autem placidus quidam sermo accelerauit ad iugulandum filium: at verò ab eodem iogulando, non nisi ingens è cælo clamor retardauit.

Exiit è patria humano imperio, rediit diuino; promptior ad difficilia, quàm ad facilia subeunda.

A Idem Iacobus senior iam effœtus, sua sponte descendere voluit in Ægyptum, vt filium suum Iosephum, quem, vt mortuum iam defleuerat, & tunc viuum ac superstitem certò cognouerat, gratulabundus salutaret. *Vadam*, inquit, *& videbo illum, antequàm moriar*. Gen. 45. n. 28. Profectus igitur cum magno gaudio, ecce tibi in ipsa via nescio quo timore perculsus hæret, & cunctatur, adeò vt opus fuerit, ab ipso Deo animari & vigeri. *Iacob, Iacob, noli timere, descende in Ægyptum*. Gen. 46. n. 2. & 3. Vnde, quæso, tantus timor? Mitto alias rationes, quas io 1. tom. Annot. 3. Sect. 9. §. 12. prælibaui: hanc vnam addo ad rem præsentem. Timuit profectò, quòd Deum priùs non consuluerit, quòd diuinum imperium non expectarit: sed propriam B sequutus voluntatem ac voluptatem, quas suspectas habebat, se tradiderit in viam. Ac si ita secum loqueretur: Quò mea me trahit voluntas? quò mea me voluptas impellit? Iouenis diuinæ semper parui voluntati; senex audeo parere meæ? Olim nihil egi, inconsulto Numine; nunc me solum tanti itineris ducem sequor? Ex diuina auctoritate meas quondam actiones dirigebam: nunc ex mea voluptate præcipitari eas sino? Absit hoc à me. Hinc vlteriùs non progrediar, nisi progredi, mihi à Deo imperetur. Præstat, filium non videre, quàm Deo non obedire. Ita Iacobus. Et quidem voluntari videndi filium, qua maximè vrgebatur, penitùs renuntiaret, nisi statim à Deo confirmaretur, illis verbis: *Noli timere, descende in Ægyptum.* C Itaque perfectus obediens, sicut, Deo imperante, nihil, quamuis arduum ac difficile, perhorrescit: ita, Deo non imperante, nihil, quamuis facile ac iucundum, concupiscit. Totum se ad diuinum nutum & arbitrium componit, vt in omnibus quæ agit, non suæ, sed diuinæ voluntati obsequatur.

IX. *Iacobus timuit proprio arbitrio, & non diuino imperio descendere in Ægyptum.*

Quare in minimis quoque ac facillimis præceptis inuiolatam seruare oportet obedientiam. X.
Vnde Christus Dominus: *Iota vnum*, inquit, *aut vnus apex non præteribit a lege*. Matth. 5. n. 18. Vt D. Hier. docerer, ne minimum quidem præceptum contemnendum. Nam, vt bene D. Hieronymus in Regula Monachorum, titulo, De obedientia: *Non leue, inquit, est, Deum in exiguo contemnere; qui non tantum ad qualitatem peccati respicit, quantùm ad* D *personæ contemptum: propter quod non solùm homini intendendum est, quale sit, quod iubetur; sed etiam, quantus sit ille, qui iubet.* Et in epistola 14. ad Celantiam: *Nescio, inquit, an possimus leue aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur. Estq; ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod iussum sit, quàm illum qui iusserit; nec quantitatem imperii, sed imperantis cogitat dignitatem.* Notat verò Rabbanus in catena aurea D. Thomæ, iota apud Græcos, quia est minima litera, significare minimum præceptum: sed quia est numeralis nota denarij, significare totum Decalogum: non immeritò autem in eodem symbolo, seu charactere, & minimum præceptum, & totum Decalogum adumbrari; quia, *qui offendit in vno, factus est omnium reus*. E Iacob. 2. n. 10. Ac si non minùs esset ab vnius præcepti etiam leuioris, quàm ab omnium, etiam grauiorum, transgressione formidandum. Addit Christus Dominus: *Qui soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum*. Ibidem, n. 19. Quid ergo, qui soluerit vnum de mandatis maximis? minimus etiam vocabitur: neque enim minor minimo esse potest. Non quidem, quòd transgressio par sit: sed quia, qui priorem incurrit, proximos est, vt in posteriorem prolabatur; iuxta illud: *Qui spernit modica, paulatim decidet*. Eccles. 19. num. 1

Parua præcepta, magni facienda.

Raban. *In iota vno totus Decalogus quodammodo continetur.*

Qui minimi mandati solutor, minimus est: qui maximum, qualis erit?

Vide, quantum sit minima spernentis infortunium, vt spernenti maxima quodammodo exæquetur.

XI. *Præst. in hac vita esse minorem, quàm in futura minimum.* D. Bern.

Quid ergo inconsultius esse potest, quàm, vt ne minor sis in hac vita, minimis te præceptis subijciendo eligere, vt minimus euadas in futura? Certè hanc imprudentiam ingeniosè, vt solet, reprehendit D. Bernardus epist. 42. vbi loquens de superbo Prælato, volente omnibus imperare, & ne vni quidem obedire: *Si*, inquit, *tui putas iniuriam prioratus, minorem summis videri Sacerdotibus; non magis indignum æstimandum est, minimum vocari in regno cælorum? Si multùm superbus es, plus minimus, quam minor vocari, confundere: minor quippe vilitas est, minorem videri, quàm minimum.* Quasi diceret: Dum parua contemnis, de magnis teneberis; & B dum recusas à summo paululùm deflectere, in imo penitùs subsistes. Ita enim fit, vt parua sæpè transgressio facilioris præcepti, ingentes ruinas machinetur: contrà verò parua eiusdem obseruatio magnos bonorum cumulos assequatur.

XII. *Qui in facillimo præcepto labitur, maximè arguendus.* D. Chrys.

Adami in facillimo præcepto, & de leuissima materia offendentis, non eleuatur culpa, sed aggrauatur: vt rectè D. Chrysost. homil. 17. in Genes. expendit, ad illa verba: *Quis indicauit tibi, quòd nudus esses; nisi quòd ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* Gen. 3. n. 11. vbi D. Chrys. sequutus Septuaginta in Biblijs regijs, addit: *De quo solo præceperam tibi:* Et illud, *De quo solo*, rectè ponderat: *Non caret*, inquit, *emphasi & latenti quadam vi, quòd dicit: De quo solo. Quasi diceret: Num adeò* C *angustos fruendorum bonorum limites tibi præscripsi? Nonne omnem copiam præbui? Nonne omnium, quæ in Paradiso sunt, potestatem tibi dedi; & duntaxat ab hoc vno, vt abstineres, præcepi, vt scire posses, te sub domino quodam esse, cui obedientiam debes? Quæ igitur negligentia illa, vt tantis fructibus non contentus, ab hoc vno abstinere nolueris?*

Præceptum ex leuitate materiæ non contemnendum.

Quis ergo contemnat facilitatem præcepti in leuissima materia impositi, cùm ex illius violatione tam grauis culpa contrahatur? Et certè mirandum est, ex vnico præcepto circa leuissimam materiam seruando, aut violando, totius mundi salutem, aut ruinam pependisse. Quod tamen mihi videtur Deus ita voluisse, ne quis leuitate materiæ inductus, ad obedientiam contemnendam induceretur. D

XIII. *Minimi præcepti obseruatio, optima: transgressio, pessima.*

Quid leuius Samsonis crine, quem facilè vnusquisque iudicaret, aut impunè resecandum, aut inutiliter nutriendum? Et nihilominùs huius minimi præcepti de illo crine conseruando, obseruatio, maximas victorias retulit; transgressio maximas strages intulit: vt videre est Iud. 16. à n. 17. Qua de re Auctor De mirabilibus Scripturæ, Diui

D. August.

August. nomine inscriptus, lib. 2. c. 6. *Non*, inquit, *insensibili capillo virtus inerat; sed mandati diuini obseruatio donum fortitudinis conseruabat. Quandiu igitur in mandati diuini custodia permanserat; Spiritus sancti munere maximam fortitudinem habebat: cùm muliebri persuasione præcepti dominici transgressionem adinuenit; eum spiritualis fortitudinis donum, quod habuerat, statim recessit.* Hic est ille crinis in E collo sponsæ, de quo sponsus: *Vulnerasti*, inquit, *cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Cant. 4. n. 9. seu, vt habent Biblia Sixtiana: *Cor nobis abstulisti.* Nam vel vnius præcepti obseruatio Deum incredibiliter delectat, & ad vindictam, de qua iam cogitabat, quodammodo exarmat.

XIV. *Magni præcepti transgressor, exigui cultor, Deum placauit.*

Vnde Ezechias, quamuis naturalem legem violauerit, de suis opibus nimiùm superbiendo; tamen quia ceremonialem obseruabat, vt ipse Deo proponebat, dicens: *Memento, quæso, quomodo* A *ambulauerim coram te in veritate*, &c. 4. Reg. 20. n. 3. vtique legali, cui diligenter studuerat, Deum quodammodo tenuit ac ligauit, ne in vindictam solueretur. Mirum fuit, quod olim contigit Samaritanis: nam in illos idololatriæ seruientes, *immisit Dominus leones, qui interficiebant eos.* 4. Reg. 17. num. 25. sed vbi primùm adfuit Sacerdos, ex quo aliquas ceremonias legales didicerunt & coluerunt; statim leones repulsi sunt, vt Auctor De mirabilibus Scripturę, lib. 2. c. 27. testatur: *Accepto*, inquit, *Leuitica stirpis Sacerdote, quamuis Gentili superstitione minùs relicta, plaga cessauit.* Quasi illa minima diuinæ legis obseruantia, licèt multis superstitionibus inuoluta, satis foret ad exterrendos leones, ne deinceps in miseros homines insi- B lirent

Minima obseruantia magnas clades vitat.

Auctor mirabilium.

XV. *Parua fides, & obedientia, magnis è periculis liberat.*

Difficile non fuit Gabaonitis credere, hostes Israëlitici nominis à Iosuë tandem expugnandos; cùm illos ipsa experientia cognouissent, magna ex parte iam expugnatos. Et nihilominùs, quia id tandem non tam diuinis oraculis, quàm proprijs experimentis quodammodo conuicti crediderunt; vitam, qua indigni erant, à Iosuë impetrarunt. Iosuë 9. n. 10. Vt D. Aug. in Iosuë q. 13. expendit: *Crediderant*, inquit, *Deo, quem audierant suo populo promisisse; quòd illas gentes subuerteret, earumq; terram obtineret: & hanc eorum fidem, non eos perdendo, remunerauit quodammodo Iosuë.* Vbi vides tam exiguam fidem, ac tam facilem obedientiam, quam ipsa penè rerum euidentia extorquebat, C tam ingenti præmio remuneratam. Vt nemo dubitet, quantum emolumentum ex obedientia, etiam in rebus facillimis præstita, colligatur.

D. Aug.

XVI. *Abraham minimam inobedientiæ maculã præcauit.*

Hinc fuit illa Abrahæ diligentia, non solùm in maximis, sed etiam in minimis præceptis exequendis. Nam sacrificaturus filium suum, priùs illum dicitur colligasse. Gen. 22. n. 9. Rationem reddit D. Aug. serm. 73. De Tempore: *Vincitur*, inquit, *innocens hostia, ne offerentis deuotio putaret, se minùs aliquid exhibere, si impatientia doloris victima calcitraret.* Nec multò aliter D. Ambr. lib. 1. De Abraham, cap. 8. *Nectit*, inquit, *filio manibus suis vincula pater; ne refugiendo filius, & vi ignis exustus peccatum incurreret.* Quasi inuoluntarius quoque motus, vt etiam Caietanus aduertit, & D naturalis quædam trepidatio totam illam obedientiam reddere imperfectam videretur. Addo, quamuis nihil simile timeretur, vt reuerà timendum non esset de puero ad ferendam mortem tam impigro & constante & plusquam viriliter animato; adhuc nihilominùs sine dubio fore, vt pater filium colligaret; ne minimam illam holocausti ceremoniam, iuxta quam animalia immolari solita ligabantur, etiam cùm necessaria non esset, præteriret; vt ibi Lyranus obseruat. Tanti momenti existimauit, ne in minimis quidem obedientiæ legibus defecisse. Addit D. Ambr. lib. 1. Offic. c. 25. ex hac in minimis ceremonijs obseruantia meruisse Abrahamum, vt filius sacrificio superesset. *Tenebat*, inquit, *iustus & pietatis modum, & exequutionis ordinem, dum sacrificio necessaria vehit, dum ignem adolet, dum filium ligat, dum* E *gladium educit: hoc immolandi ordine meruit, vt filium reseruaret.* Quasi non minoris meriti censenda sit hæc in minimis circunstantijs, quàm illa in maximo facto obseruantia.

D. Aug.

D. Ambr.

Caiet.

Minimam sui sacrificij ceremoniã colait.

Lyra.

D. Ambr.

Minima patris obseruantia filium à morte liberauit.

XVII. *Helisæus non solùm à tactu, sed etiam à visu leprosi abstinuit, vt legem perfectiùs obseruaret.*

Naamano remedium pro lepra sua exigenti renuntiare iussit Helisæus: *Vade*, inquit, *& lauare septies in Iordane; & recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis.* 4. Reg. 5. n. 10. Vbi in primis quæro, cur Propheta non per se, sed per internuntium obuiam processerit Naamann? Respondet

Theodor. ſpondet Theodoret. q. 19. ad eum locum, vt legem ſeruaret, quæ commercia cum leproſis prohibebat. Quamuis enim ea lex, Leuit. 13. num. 3. & Numer. 5. n. 2. non viſum, ſed tactum, & familiare aliquod commercium prohiberet: tamen Propheta, ne in minimis negligentior videretur, etiam à viſu voluit abſtinere. Deinde quæro, cur difficilia remedia ſperanti, adeò facilia impoſuerit? Reſpondeo, ad eius obedientiam probandam, ne magnis tantùm præceptis obſeruandis, & paruis contemnendis aſſueſceret: ſed non minùs in his, quàm in illis ſuam ſalutem conſtitutam eſſe ſibi certò perſuaderet. Quam expoſitionem probauit euentus. Principio enim Naamanus facilia præcepta contemnens, & indignans recedebat: ſed ea poſteà ſuſcipiens & exercens in priſtinam rediit ſanitatem: vt deinceps quanta in paruis præceptis obſeruandis vtilitas ſita eſſet, vniuerſo orbi teſtaretur.

Leuia remedia Naamano proponuntur, vt eius obedientia exerceatur.

XVIII. D. Chryſ. *Leuium preceptorũ tranſgreſſiones arguuntur.*

Vnde D. Chryſoſt. homil. 87. in Matth. iuſtiſſimè inuehitur in facilium præceptorum contemptores: quaſi parùm perfectionis in eorum obſeruantia poſitum eſſe arbitretur. *Nullus*, inquit, *friuola ſe illa ratione conſoletur, qua vniuerſa proteruitas in animam inducitur, dicens: Quid hoc eſt, aut illud? Mille certè hinc mala oriuntur. Veterator enim malorũ Diabolus à minimis plerunque incipit.* Quod deinde pluribus exemplis illuſtrat. Nam vt Diabolus Saülem in extremam cum Deo inimicitiam, deteſtandámque ſub Pythoniſſa ſeruitutem induceret, 1. Reg. 18. n. 7. eum paulatim à Samuelis obedientia priùs abſtraxit, 1. Reg. 13. n. 9. & 1. Reg. 15. n. 9. *Dum*, inquit, *Samueli non obtemperauit, paulatim atque paulatim labens non ſtetit; quouſque ad ipſum perditionis barathrum ſe ipſum immiſit.* Quaſi diceret: Dum Prælatum vicem Dei tenentem in leuioribus præceptis non audiuit; Pythoniſſam Diabolum in corde geſtantem in grauiſſimis obſeruauit.

A minimis ad maxima deuenitur.

XIX. *Cainus contemnendo minora, patrauit maxima.*

Deinde alterum exemplum à Caïno deſumit, modica primùm ſpernente; ſed poſteà in profundam ſe malorum voraginem præcipitante. *Non enim*, inquit, *confeſtim cædem fratris illi Diabolus ſuggeſſit, ne magnitudine rei commotus tam ſceleſtum facinus abominaretur; ſed prius perſuaſit deteriora offerre, nullum id eſſe dicens peccatum: deinde inuidiæ veneno ſuccedit, nihil etiam hinc mali ſequuturum perſuadendo: ita ſenſim in eum illapſus, ad cædem fratris, & ad negationem ſceleris impulit, nec priùs ceſſauit, quàm malorum omnium verticem impoſuit.* Vides, vt minorum tranſgreſſio ad tranſgreſſionem maiorum viam muniat? & ex inobedientia in paruis, inobedientia in magnis ſubſequatur? Tandem ab exemplo Iudæ ac Iudæorum argumentatus, oſtendit, eos primùm in facilium præceptorum obſeruantia claudicaſſe; poſteà in maximorum deſpicientia penitùs periiſſe. *Niſi enim*, inquit, *Iudas putaſſet, paruum eſſe peccatum, pecuniam inopum ſurripere; in tantam proteruitatem non deueniſſet. Iudæi quoque, niſi putaſſent inanis gloriæ delictum minimum eſſe, vſque ad cædem Chriſti lapſi non fuiſſent. Nemo enim repentè ad extremam improbitatem inſilit. Habet enim anima inſitum quendam pudorem atque innatum, quem ſubitò calcare atque proiicere non poteſt, ſed ſenſim ex negligentia perit.*

Iudas, & Iudæi in minimis claudicãtes, in maximo ceciderũt.

XX. *Leuis tranſgreſſio grani pœna frenatur.*

Quare leuiores culpæ in facilioribus præceptis violandis, ne in grauiores proſiliant, opportunè comprimantur. Accuſatus eſt apud Moyſen, & capitali ſententia damnatus ille, qui in Sabbato ligna colligebat. Numer. 15. à n. 32. Quæ acrior punitio? & quæ leuior tranſgreſſio? præſertim, cùm in Hebræo dicatur, vt iam alibi aduerti, non A ſimpliciter ligna, ſed *minutula* tantùm *ligna* collegiſſe? Sed non immeritò grauis ſequitur pœna leuem, vt aliquis fortè iudicaret, tranſgreſſionem: Primò, quia recentem legem, qualis illa erat, quamuis leuiter violare, grauis erat culpa, non niſi graui ſupplicio coërcenda; ne cæteris tranſgrediendi occaſio daretur. Sic Theodor. q. 18. & 31. in Num. & D. Chryſoſt. in Pſal. 6. interpretantur. Secundò, vt ſibi quiſque perſuadeat, etiam parua magnò conſtare, & minimas leges ſpernentem, ad maximas pœnas repoſcendum, ne ex tranſgreſſione minorum ad maiorum tranſgreſſionem, vt ſæpè fit, progrediatur. Vnde D. Chryſoſt. hom. 11. in Acta, ex hoc loco rectè argumentatus: *Si*, inquit, *ligna quædam in Sabbato colligens lapidatus eſt;* B *qui multò grauiora collectione illa operatur, & onus peccatorum colligit, quid non ſuſtinebit?*

Primò. Theod. D. Chryſ. *Secundò.*

XXI. *Periculoſiùs aliquando in paruis quàm in magnis peccatur.* D. Chryſ.

Quamuis fatear, periculoſius eſſe aliquando in paruis, quàm in magnis delinquere: vt Diuus Chryſoſt. homil. 87. in Matth. iam citata affirmat: *Mirabile*, inquit, *quiddam atque inauditum dicere audeo: ſolet mihi nonnunquàm non tanto ſtudio magna peccata videri euitanda; quanto parua & vilia: illa enim vt auerſemur, ipſa peccati natura efficit; hæc autem, hac ipſa re, quia parua ſunt, deſides reddunt; & dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generosè inſurgere. Vnde citò ex paruis maxima fiunt negligentia noſtrâ.* In eundem modum de hac re philoſophatur D. Greg. Magn. 3. p. Paſtoral. admonit. 34. *Nonnunquàm*, inquit, *deteriùs in* C *parua, quàm in magna culpa peccatur. Maior enim quò citiùs agnoſcitur, eò etiam celeriùs emendatur: minor verò, dum quaſi nulla creditur, eò peiùs, quò & ſecuriùs in vſu retinetur.* Sic ille. Vbi plura de hac re. Itaque in paruis præceptis aliquando periculoſiùs obedientia violatur, & nonnunquàm fructuoſiùs cuſtoditur: æquum igitur eſt, vt ea quoque perfectiſſimè obſeruentur.

D. Greg.

SECTIO II.

Illuſtrior in difficilibus præceptis obedientia exhibetur.

I. *Cultor facilium præceptorum fit aptior ad colenda difficilia.*

D ILlud vtilitatis inter alia habet obedientia, in facilibus rebus exercita, vt ſit quædam veluti proluſio ad eandem in difficilibus exercendam. Abrahamo multa Deus præcepit leuiora, antequàm præciperet, vt filium ſuum Iſaac, quem vnicè diligebat, iugularet. Nam præcepit, vt egrederetur de terra ſua. Gen. 12. num. 1. vt nepoti ſuo Lot potiores terræ partes cederet. Geneſ. 13. n. 9. vt pugnaret contra Reges Aſſyriorum. Gen. 14. n. 15. vt de illorum præda nihil ſibi vſurparet. Ibidem, n. 22. vt ſe ac familiares ſuos circunciderent. Gen. 17. n. 10. vt filium ſuum Iſmaëlem cum eius matre Agar domo eiiceret. Gen. 21. n. 12. & alia id genus, quæ licèt per ſe ardua ac difficilia, tamen cum præcepto iugulandi filium vnigenitum E comparata, facillima videbantur: tandem eò proceſſit, vt ipſum, quem vnicè diligebat, vnigenitum, ſacrificandum imperaret. Gen. 22. n. 2. Quorſum tam multa leuiora præcipiuntur, antequàm vnum grauiſſimum imperetur; niſi vt in facilioribus præludat, priuſquàm ad difficiliora perueniat; & in leuioribus feliciter exercitus, ad grauiora feliciùs exercendus progrediatur? Sic exponit D. Ambroſ. lib. 1. De Abraham, c. 8. *Sanctum*, inquit, *Abraham probauit* Deus *antè; & ſic tentauit, ne ſi antè tentaret, quàm probaſſet, grauaret.* Et paulò pòſt: *Probatum igitur, quaſi fortiorem, tentandum putauit maioribus,*

Abrahamo multa faciliora imperantur, vt vnum difficillimum imperetur.

D. Ambr.

maioribus, & quibusdam imperiis durioribus: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac. Præuia igitur esse debet in facilibus præceptis obedientia, vt posteà in difficilibus promptior subsequatur.

II.
Obedientia in arduis perfectior.
D. Bern.

Dubium verò non est, quin obedientiæ sub grauiori præceptorum mole laboranti, cæteris paribus, primæ deferantur. D. Bernard. serm. quodam in laudem D. Martini, incredibiliter commendat elementorum, Angelorúmque obedientiam: sed statim introducit aduersarium in hunc modum sibi obiicientem: *Quid tu*, inquit, *mihi elementorum proponis obedientiam? quasi verò aut sensus vllus in eis, aut vlla vigeat deliberatio rationis; & non potius agi ipsa, quam agere videantur? Quid verò vel ipsorum Angelorum obedientiam sic commendas? Sentiunt quidem Angeli, sed delectabilia sola; obedientes equidem Creatori, sed tam felici, quàm facili voluntate. Quid ni obediant?* Quasi diceret: Admiranda admodum non est, nec immodicis laudibus euehenda illa obedientia, in qua nulla difficultas reperitur. Sed statim D. Bernardus, vt aduersarium conuincat, prouocat ad veteres Patriarchas & Prophetas: *Obedientes*, inquit, *ex voluntate, obedientes contra propriam voluntatem.* Quasi illa tantùm obedientia laudem referat, in qua difficultas, immò & voluntas voluntate iugulatur.

Obedientia elementorum, & Angelorum.

Obedientia ex voluntate, & contra voluntatem.

III.
Obedientia opibus præferenda.

Quid verò difficilius hominibus videtur, quàm id, quod opibus, vitæ & honori aduersatur? Sed his omnibus verus obediens parendi studium anteponit. Nam in primis opes nihil curat, dummodo opus obedientiæ impleatur. Ad obedientiam opum contemptricem euocauit Deus Abrahamum, dicens: *Egredere de terra tua, &c.* Genes. 12. n. 1. In quo egressu separationem ab omnibus temporalibus bonis, quibus Abraham in patria fruebatur, imperauit: vt iam inde disceret Patriarcha suam obedientiam temporali opulentiæ anteferre. Vnde D. Chrysost. homil. 31. in Gen. *Ab initio*, inquit, *exercetur iustus, vt eligat non apparentia præ apparentibus, & futura præ iis, quæ in manibus sunt.* Quod ille tam feliciter exercuit, vt ne de viatico quidem secum ferendo cogitarit: vt notat D. Chrysostomus: *Respiciens*, nimirum, *ad magnitudinem eorum, quæ imperata erant, iis, quæ in manibus habebat, incerta præferebat.* Vt enim diuino præcepto promptior obediret, non solùm opulento patrimonio, sed etiam exiguo viatico renuntiauit: expeditior ad parendum volaturus, cùm temporalibus bonis exueretur.

Abraham opibus renuntiat, vt obediat.
D. Chryſ.

IV.
Deus Abrahamo promisit opes, & inopiam inflixit, vt obedientiã probaret.

Sed mysterio plenum est, quod sequitur. Nam Deus magnis præmiis sollicitauit Abrahamum, vt de patria sua egrederetur: *Faciam*, inquit, *te in Gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, &c.* Genes. 12. n. 2. Id est, magnis te opibus & felicitatibus cumulabo. Paruit Abraham. Venit in regionem sibi à Deo præmonstratam. Sequitur in litera: *Facta est autem fames in terra, descenditq; Abram in Ægyptũ, vt peregrinaretur ibi: prææualuerat enim fames in terra.* Ibidem, n. 10. Vbi, quæso, illæ sunt diuinæ promissiones? Illæ spes diuitiarum, quò irritæ abierunt? Respondet Lyranus, permissam à Deo fuisse illam famem, vt Abrahæ fides ostenderetur, quem neque incitabat felicitas, neque reuocabat calamitas; sed prompta tantùm voluntas ad parendum inflammabat. Nam, cùm Abraham illis promissionibus acceptis de patria exiret; spe lucri ductus exiisse putaretur. Quid ergo Deus? Manifestare voluit eius animum, qui non obediuit, vt ditesceret; immò omnibus diuitiis libens renuntiaret, vt obediret. Permisit igitur famem, & in ea constantiam A Abrahæ demonstrati, qui penuriam libentissimè ferebat, vt obedientiam perfectissimè cõseruaret.

Lyra.

V.
Obedientia non cauponatur.

Vnde D. Chrysostomus hom. 3. in 2. Cor. 1. hanc animi generositatem & celsitatem admiratus: *Abraham*, inquit, *non cauponabatur Dei bonitatem.* Quasi diceret: Non erat instar cauponis, aut serui mercenarij, qui non priùs vendit suas merces, aut collocat suas operas, quàm certo pretio, suam ad vtilitatem spectante paciscatur. Idem Patriarcha prodiit in certamen aduersùs quatuor Reges, de nepote suo Lot, regionéque Pentapoli victores. Gen. 14. à n. 14. Quos vbi omninò profligauit, à Deo audiuit: *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.* Genes. 15. n. 1. Quæres, cur non fuerit promissum à Deo illud præmium ante pugnam, B vt pugnaturum excitaret? Facilis est responsio, quia Abraham non parebat Deo propter diuitias; immò, vt Deo pareret, omnibus se diuitiis denudaret. Argumento, quòd nihil de opima præda accipere voluerit: ne potiùs lucrandi, quàm obtemperandi animo pugnasse videretur. Qua de re eleganter D. Ambr. lib. 2. De Abraham, c. 8. *Minùs mirabile*, inquit, *faceret Abraham, si sequutus promissum Dei, esset hostem adorsus. Propositam piæ mentis mercedem non expetit: sed pro mercede habet boni facti conscientiam, & iusti operis effectum. Angustæ mentes incitentur promissis, erigantur speratis mercedibus. Bona mens, quæ sine responsi cælestis syngrapha, certamen arripuit; geminæ laudis fructum acquirit sibi, & confidentissimæ fortitudinis, & plenissimæ deuotionis.* C Itaque veri obedientis vnicum lucrum est, diuinum obsequium.

Abrahamo non promittitur præmium, antequã obediat, ne spe lucri obedire videatur.

D. Amb.

VI.
Isaac descendere in Ægyptum prohibetur, duplici de causa.

Parentẽ Abrahamum imitatus est filius Isaac. Nam, cùm habitaret in Geraris, & ibi fame valida vrgente descendere vellet in Ægyptum, vt sibi suæque familiæ, quæ magna erat, consuleret, à Deo retinetur: *Ne descendas*, inquit, *in Ægyptum, sed quiesce in terra, quam dixero tibi.* Gen. 26. n. 2. Huius prohibitionis causa duplex esse potuit. Vna, quam tradunt Hebræi apud Lyranum, quia decens non erat, vt Isaac Domino in monte consecratus, exiret de terra promissionis, & descenderet in Ægyptum. Quemadmodum decens non est, vt qui Deo in Religione deuouentur, iterum in seculi turbas ac tumultus refundantur. Nihilominùs D hæc ratio vera esse non potest propter id, quod tunc erat terra Chanaan; non minoribus, scilicet, idololatriis tunc imbuta, quàm Ægyptus: sed fortasse propter id, quod futurum erat; quando in ea verus Dei cultus erigeretur: aut certè propter id, quod repræsentabat, nimirum, nouam Ecclesiam, in qua sola iusti congregantur & commorantur. Altera, vt obedientia Isaac ostenderetur, qui potiùs diuinis præceptis audiendis, quàm opibus etiam necessariis comparandis studebat; malebátque cum obedientia esurire, quàm sine obedientia epulari. Meminerat parentem suum Abrahamum, in terra Chanaan non mediocriter eguisse. Gen. 12. n. 10. In Ægypto verò non vulgariter abondasse. Gen. 13. n. 2. Idem sibi euenturum E non dubitabat, vt inter Chananæos penuria laboraret, inter Ægyptios opulentia frueretur. Et nihilominùs diuinum præceptum proprio commodo præferendum ratus, maluit mendicare in terra Chanaan, quàm in terra Ægypti locupletari. *Quare*, inquit Lyranus, *confidens de Deo, & volens illi obedire, remansit.* Cæterùm, bona temporalia propter diuinum obsequium deserenti, nequaquàm ea bona defuerunt. Subditur enim in Litera: *Seuit autem Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum.* Ibidem, num. 12. Vbi emphaticè dicitur: *In terra illa, & in ipso anno.* Quia quo loco,

Prima, ne Deo consecratus in Ægypto profanaretur.

Secunda, vt eius obedientia ostenderetur, contemptrix opum, quas in Ægypto habere poterat.

Lyra.
Obediens etiã temporalibus abundat.

Obedienti obediunt elementa.

loco, & quo tempore erat aliis sterilitas, eodem summa fœcunditas obedienti Isaac prouenieba. Æquum enim erat, vt sicut Isaac Deo obedierat, ita & ipsi elementa obedirent: vt insinuare videtur D.Chrysostomus homil. 52.in Genes.*Elementa*, inquit, *ipsi obedientia conseruis monstrabant, quam beneuole Dominus erga illos afficiebatur.* A

D.Chrys.

VII. *Iacobus pauper à patre, & ditatur à Domino dimittitur.*

Sed quid Iacobus? Non minus sanè, quàm pater & auus, diuitias contempsit, vt Deo obtemperaret. Misit Abraham in Mesopotamiam seruum suum Eliezer, diuitem, magnisque muneribus onustum. Gen. 24. n. 10. At verò Isaac in eandem regionem misit filium suum Iacobum, pauperem, & rerum omnium egenum. Gen. 28. a n. 2. Cur, quæso, liberaliùs cum seruo, quàm cum filio actum est? Negabit aliquis ita factum: quia Isaac filio profectuto suam benedictionem impertiuit: *Benedixit eum.* Gen. 28. n. 1. & à Deo bonorum omnium affluentiam illi precatus est: *Deus omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, &c.* Ibidem, n. 3. Hæc autem duo præponderate videntur illis muneribus, quibus Abraham seruum suum cumulauit. Fateor ita esse: dirior enim Iacob paterna benedictione, & spe diuina fretus, licet bonis temporalibus destitutus, è paterna domo excessit, quàm ille alius seruus Abrahæ multis opibus oneratus. Sed quia hæc mystice dicta sunt: addo nihilominus seruum à Domino cum muneribus, filium autem à patre sine muneribus abire iussum; quia illius obedientia seruilis erat, huius autem filialis: & proinde seruus propria vtilitate, filios autem sola voluntate paterna ducebatur. B

Benedictio paterna præstat opibus.

Obedientia filialis spe nō requirit.

VIII. *Saul opū cupiditate ductus obedientiā contempsit.*

Vtinam Saül ad parendum, quàm ad lucrandum promptior aduersùs Amalec præliaretur. *Vade*, inquit ad eum Samuel, *& percute Amalec, & demolire vniuersa eius: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid.* 1. Reg. 15. num. 3. Vides, vt Propheta cupiditatem interdicat, ne Saul obedientiam contemnat? Quasi hæc profectò inde exulet, vbi illa dominatur. Quid verò Saül? Vrbem quidem funditùs euertit, Regem tamen Agag incolumem cōseruauit. Sed cur potiùs Regem, quàm plebeium? Lyranus: *Quia*, inquit, *cupiditate ductus sperabat habere de Rege magnam redemptionem, vel per eum occulti thesauri reuelationem.* Infelix profectò opum amor, qui parendi studium exclusit, cùm tamen hoc, si perfectum sit, nulla cupiditate superetur. Sed carò Saüli constitit obedientiæ contemptus: nam, qui Regem Amalecitam contra diuinum imperium seruauit, vt ditesceret; à milite quodam Amalecita, immò & filio Regis Agag, si verum refert Philo Hebræus in Antiquit. Biblicis, interfectus est, & spoliatus; ipsomet apud Regem Dauidem ingenuè confitente: *Stans*, inquit, *super eum, occidi illum, & tuli diadema, quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius.* 2. Reg. 1. num. 10.

Lyra.

Seruās Amalecitam cōtra obedientiam, ab Amalecita occiditur. Philo Biblicus.

IX. *Qui obedientiam violat, vt viuat, vt ditescat, vitā quæ amittit.* Iosephus.

Et quamuis aliqui Interpretes existiment, hunc iuuenem adulatorio more, vt à Dauide gratiam iniret, mentitum esse; neque Saülem à quouis alio, sed à se ipso interfectum: nihilominùs Iosephus lib. 6. Antiquit. cap. vlt. existimat, verum esse loquutum, dicens, Saülem intendisse quidem sibi gladium, sed præ imbecillitate adigere non potuisse; hunc autem iuuenem ab eo rogatum, vi Saülem in gladium impulisse: non sine mysterio, vt qui Amalecitam inobedienter seruarat, ab Amalecita crudeliter necaretur; & qui ditari voluit à patre obedientiam violando, spoliaretur à filio inobedientiæ pœnas subeundo. Iustissima sanè punitio. Nam pro obedientia seruanda, tam vita, quàm diuitiæ in discrimen adduci debent; non autem vice versa pro vita, & diuitiis omsltiplicandis, obedientia contemni. Quare qui obedientiam negligit, vt viuat, vt ditescat; dignus est, qui nec viuere, nec ditescere permittatur. Ad hæc, ille Aman, qui tempore Assueri, Iudæos omnes maximè exosos habebat, ferròque ac flamma insequebatur, dicitur fuisse de stirpe Agag Regis Amalecitæ. Esth. 3. num. 1. Eodem planè mysterio, vt etiam posteri Agag Amalecitæ, qui à Saüle inobedienter seruatus est, posteros eiusdem Saülis inobedientis acriter persequerentur. Quas io calamitates Saül cum suis posteris non laberetur, si suæ cupiditati diuinam obedientiam anteferret, vt anteferre solent, qui de nulla re magis, quàm de obedientia gloriantur. C

Aman Amalecita persequitur Iudæos; quia Saül Amalecitam contra obedientiam seruauit.

X. *Verus obediens vita contemnitur.*

Iam verò ipsam vitam in apertum discrimen verus obediens profundit, ne obedientia negligatur. Vineam extorquere voluit Rex Achab à vicino suo Naboth Iezraëlita. Quid verò Naboth? *Propitius*, inquit, *sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi.* 3. Reg. 21. n. 3. Cur, quæso, dare noluit? nam danti promittebatur à Rege melior vinea, vt videre est eodem loco; neganti mors sine dubio intendebatur, vt successus posteà ostendit: atque adeò Regi morigerando, & lucrum reportabat, & mortis periculum effugiebat. Cur igitur Regis voluntati repugnauit? Planè, vt diuinæ obediret, cuius illud decretum erat: *Terra non vendetur in perpetuum; quia mea est.* Leuit. 25. n. 23. Atque adeò neque spes lucri, neque mortis timor obedientis animum expugnare potuerunt. Vnde D. Ambr. in Ps. 16. *Absit*, inquit, *vt apud mentem Domino seruientem præponderarit magis pœna formido, quàm forma pietatis.* Immò lib. 3. offic. c. 9. loquutus de Naboth: *Maluit*, inquit, *periculum cum honestate, quàm vtilitatem cum opprobrio.* Itaque verum obedientem à præcepto exequendo, neque lucrum auocat, neque periculum exterret. D

D Ambr.

XI. *Qui mortem propter obedientiam non timet, euadit.*

Vnde sæpe fit, vt quò audentior in periculum ruit, eò securior à periculo euadat; Deo generosam obedientiam, mortisque impauidam protegente. Misit olim Ochozias Rex Israel ad Prophetam Heliam tres Principes *quinquagenarios*, vt appellant, hoc est, quinquaginta militibus præfectos, qui Prophetam ad se accerserent. Primum & secundum, Helia imperante, ignis è cælo lapsus deuorauit: tertius incolumis euasit, 4. Reg. 1. à n. 9. Quæri solet, cur potiùs in illos, quàm in hunc flamma desæuierit? D. Aug. aut quisquis ille est, lib. 2. De mirabilibus Scripturæ, cap. 20. existimat: quia illi duo priores cum fastu ac supercilio ad Prophetam accesserant: tertius autem humilis & precabundus. *Helias*, inquit, *superbos interemptis cum humiliato, & supplice ad Regem perrexit.* Addo, quia tertius euidentiùs agnouit vitæ suæ periculum, quàm priores: viderat enim aliorum mortes, in quas illi improuidi & incauti irruerunt; & tamen ne Regi imperanti contrairet, manifesto vitæ periculo se deuouit. Meritò igitur euasit mortem, qui vitam pro obedientia profudit. Quòd si ille, qui Regi idololatræ obtemperat, dum se morti exponit, vitam lucratur; quid de illo, qui vni Deo præstat obedientiam? quam mortem timebit? quam vitam non assequetur? E

Auctor mirabilium.

XII. *Isaac diutius vixit, quàm alij Patriarchæ, quia vitam suā Deo per obedientiam consecrauit.*

Ex tribus Patriarchis, Abraham, Isaac & Iacob, longiorem vitam duxit Isaac. Nam Iacob vixit annos centum & quadragintaseptem, vt patet ex Gen. 47. n. 28. Abraham vixit annos centum & septuagintaquinque, vt constat ex Genes. 25. n. 7. At verò Isaac vixit annos centum & octoginta, vt videre est, Genes. 35. num. 28. Cur ergo vnius Isaac vita longior propagatur, quàm aliorum Patriar

Parriarcharum? Dicet aliquis, quia Isaac maiorem continentiam, quàm cæteri, seruauit: fuit enim monogamus, cæteri polygami. Fateor, continentiam multùm semper ad longiorem vitam contulisse: sed vlteriùs addo, ad rem præsentem, Isaac diutiùs quàm alios vixisse; quia vitam suam per obedientiam Deo imperanti in holocaustum consecrauit. Dignus enim est longiùs viuere, qui non recusat pro obedientia mori. Nec immeritò: nam, si mors per inobedientiam introiuit in mundum, cur vita per obedientiam non intrabit? Quod egregiè obseruat D. Gregor. lib. 2. in libros Reg. c. 4. de Samuelis obedientia loquutus: *Obedientia*, inquit, *vnicum bonum est ad recuperationem vitæ, sicut inobedientiæ culpa malum sufficiens fuit ad perpetrandam mortem. Si ergo in malo inobedientiæ mors præualuit, toties vitæ reddimur, quoties obedimus.*

Continentia longioris vitæ causa.

Mors per inobedientiam, vita per obedientiam.

D. Greg.

XIII. *Isaac propter obedientiam ante mortem immortalis.*

Immò immortalitatis præmia meretur, qui mortem pro obedientia non formidat. Dicebatur olim Deus in Scriptura Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Sed si rem probè expendas, nunquàm sibi hoc nomen vsurpauit, saltem respectu Abrahami & Iacobi, nisi postquàm illi è viuis excesserunt; quia per hoc nomen significare volebat, eos, licèt è vita decessissent, tamen non esse mortuos, sed immortales. Hoc enim argumento Christus Dominus vsus est aduersùs Sadducæos, negantes immortalitatem animarum: *Non legistis*, inquit, *quod dictum est à Deo: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob: non est Deus mortuorum, sed viuentium.* Matth. 22. n. 31. Marc. 12. n. 26. Luc. 20. n. 37. Quasi diceret: Si Deus illorum Patriarcharum se Deum appellauit; non sunt illi omninò mortui, & extincti, vt vos putatis, sed planè immortales. Itaque non solebat Deus se appellare Deum Patriarcharum, cùm adhuc morti subiacebant; sed postquàm immortalitate donabantur. Et nihilominùs semel Deus se appellauit Deum vnius Isaac, adhuc viuentis. Loquutus enim cum Iacobo, in Mesopotamiam abeunte, & patrem suum Isaac adhuc viuum relinquente: *Ego*, inquit, *sum Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac.* Gen. 28. n. 13. Quæro igitur, si Deus non se appellabat Deum aliorum Patriarcharum adhuc viuentium; sed iam ab hac vita in æternam commigrantium, vt sic eorum immortalitatem testaretur: cur se nominat Deum vnius Isaac, dum adhuc viuit, & mortali corpore detinetur? Ratio mihi videtur, quia Isaac, dum se Deo obtulit in sacrificium, voluntate sua mortuus iam erat, & obedientiæ merito immortalis. Quare qui mortem pro obedientia non timet, ante mortem consequitur immortalitatem.

XIV. *Obediens mortem non timet.*

Hinc est, quòd perfecti obedientes, quasi iam essent immortalitate donati, nihil mortem formidarent. Noë præcepit Deus, vt colligeret, induceretque in arcam omnia belluarum genera, ciccurum & ferarum, vrsos, tygres, leones. Quis non videt, quanto se periculo exponeret, dum illas feras in syluis captaret? Nam, si Monachus ille, cuius meminit parens noster sanctus Ignatius in Epistola De obedientia, miraculum edidit, cùm iussus à Superiore vnam feram capere, & adducere; cœpit, & adduxit: necesse planè est, vt Noë quot feras cœpit, tot miracula edidisse censeatur. Quis item non videt, quantum periculum subiret, dum cum illis feris in arca versaretur? Quid enim magis cæteri homines inter vndas, quàm vnus Noë inter feras, periclitabantur? Nihilominùs Noë, perinde ac si immortalis esset, mortem contempsit, & ad obediendum Deo festinauit. *Fecit igitur Noe*, inquit Textus, *omnia quæ præcepit illi*

A *Deus.* Gen. 6. num. 22. Vbi D. Chrysost. homil. 25. *Ego*, inquit, *virtutem iusti admiror, quando considero, quomodo potuerit versari in medio bestiarum, leonum, dico, & pardorum, & aliarum immitium ferarum.* Itaque Noë, vt Deo promptus obediret, libens se ferarum morsibus laniandum exponebat; & vnam obedientiam pluris, quàm vitam ipsam æstimabat. Effecit nihilominùs Deus, vt sicut Adamus per inobedientiam immortalitatem amisit; ita Noë per obedientiam quodammodo recuperaret: & sicut ille rebellando contra Deum, ferarum rebelliones passus est; ita hic parendo Deo, à ferarum incursibus immunis redderetur. Quod D. Chrysost. citatus expendens: *Recordare*, inquit, *quanta dignitatis fuerit Protoplastus ante inobedientiã.* B Et statim: *Postquàm prævaricatio hanc potestatem* (scilicet, coërcendi feras) *nobis datam mutilauerit, & imminuerat, inuenit bonus Deus alium virum, qui potuit innouare imaginem pristinam*, &c. Et post pauca: *Virtus itaque iusti primum reparauit dominium, agnoueruntque bestiæ iterum subiectionem. Cùm enim illæ viderint iustum, obliuiscentur naturæ suæ, & insitam ferociam in mansuetudinem conuertunt.* Itaque verus obediens libenter se morti exponebat, nisi illum obedientia redderet immortalem.

D. Chrys.

Noë per obedientiã quodammodo immortalis.

XV. *Moyses obedientia mortis contemptricem à Deo docetur.*

Sic & Moyses hanc obedientiam timoris expertem, & cuiusque periculi contemptricem à Domino edocetur. Vocauit olim Deus è rubo Moysen. Sed quid primùm imperauit: *Solue*, inquit, *calceamentum de pedibus tuis.* Exod. 3. n. 5. C In quem locum Orig. homil. De Elcana: *Moyses*, inquit, *ab Ægypto exiens, calceamenta gestabat de pellibus mortuis, quidam veluti mortalitate constrictus: cùm verò cœpit proficere ad virtutem, & ascendere ad montem Dei, atque immortalibus ministrare; tunc dicitur ad eum, vt indicia mortalitatis abiiciat.* Quasi diceret: Quandiu Moyses erat sui iuris, calceos habebat; quia mortem, quæ per illos significatur, formidabat; postquàm verò se Deo in seruitutem & obedientiam perpetuam consecrauit: calceos abiecit, quia mortis timorem penitùs exclusit. Quasi ad obediendum Deo, etiam in mortis periculis sibi videretur immortalis.

Origen.

XVI. *Quadruplex Moysis apud Deum excusatio.*

Neque desunt argumenta, quibus hæc Moysis constantia ad mortem pro obedientia contemD nendam efficaciter confirmetur. Mittebatur à Deo Moyses in Ægyptum, grauem illam causam pro libertate populi ad Pharaonem suscepturus. Sed Moyses eam legationem suis viribus maiorem esse ratus, quãtuor se rationibus apud Deum excusabat, vt Caiet. aduertit. Prima, ex imparitate sua: *Quis*, inquit, *sum ego, vt vadam ad Pharaonem?* Exod. 3. n. 11. Secunda, ex ignoto Dei nomine: *Si*, inquit, *dixerint mihi, quod est nomen eius? quid dicam eis?* Ibid. n. 13. Tertia, ex incredulitate populi. *Non credent*, inquit, *mihi, neque exaudient vocem meam.* Exod. 4. num. 1. Quarta, ex negata sibi facundia: *Non sum*, inquit, *eloquens ab heri, & nudius tertius.* Ibidem, num. 10. Sed, cùm tandem vidit, nihil effecisse apud Deum eas excusaE tiones: ad supplicationes conuolauit: *Obsecro, Domine, mitte quem missurus es.* Ibidem, num. 13. Quasi diceret: Excusationes meas omnes iam exhausi; nulla mihi superest, quam obtendam: quare me ad preces confero. Obsecro, vt hanc legationem non mihi, sed vero Messiæ Christo Domino committas. Quid hoc est, bone Moyses? Iam excusationes tuas omnes expendisti, & dissipasti? Et quasi nullam reliquam iam habeas, ad vnicum precationum confugis asylum? Atqui mihi videtur vna tibi excusatio omnium validissima superesse. Dic, te olim in Ægypto homicidium

Prima. Caiet.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Vnum mortis periculum non causatur.

co nmi

commisisse, proptes quod te Pharau ad supplicium requirebat: si modò repetas Ægyptum, fore sine dubio, vt agnoscaris, vt comprehendaris, vt arguaris, ac tandem, vt e patibulo suspendaris. Quare mortem ne incurras, pete, vt ab ea legatione absolueris.

XVII.
Mortem verus obediens non timet.

Quid Moyses ad hæc? Ita mihi videtur respondisse. Absit à me hæc excusatio. Illam quidem scio, sed non obtendo. Pluris facio obedientiam, quàm vitam. Imperium propter meam commoditatem non detrecto, sed propter meam indignitatem: si sola mors exequendis mandatis obstitisset; iam impauidus ad iussa capescenda inuolassem. Deo seruiturus, mortis metum cum calceis iam deposui, nunquàm ampliùs resumendum.

Moyses semel exuens calceos, nunquã ampliùs induit.

B Hic planè mihi videtur fuisse Moysis animus, quem deinceps tota vita ad diuina præcepta exequẽda intrepidum conseruauit. Dicitur enim à D. Greg. Nisseno orat. 11. in Cant. calceos, quos semel exuit, nunquàm amplius induisse: hoc est, timorem mortis, quem ad parendum Deo semel ex animo deposuit, nunquàm ampliùs in animum reuocasse. *Ne Moyses quidem*, inquit, *postquam ex diuino mandato semel cadaueroso pellium tegumento pedes exoluit, calcamentis pedes deinceps cinxisse traditur.* Mirabile quidem dictu est, Principem tanti exercitus per vastam solitudinem totos quadraginta annos nudis pedibus incessisse, vt diuinum præceptum exequeretur. Sed planè mirabilius, hominem ita calceos, hoc est, mortis metum, ex diuino imperio abiecisse, vt nunquàm ampliùs in quibusque mortis periculis, quæ in ea solitudine occurrebant, formidaret. Tales fuerunt & Apostoli, qui sine calceis totum orbem peragrarunt. *Nolite portare calceamenta.* Luc. 10. n. 4. *Vt pedes*, inquit Orig. citatus, *qui currebant ad annuntiandam vitam æternam, omninò carerent mortalitatis indicio.* Quasi virtus obedientiæ, quæ illos deducebat, non solùm mortis metu eos eriperet, sed etiam immortalitatis dono solidaret.

D.Greg. Nissen.

Apostoli sine mortis metu obedientes.

Orig.

XVIII.
Moyses pro obedientia in mortem inuolauit.

Sed, vt ad Moysen reuertar: mirum non est, mortis pericula ex diuino imperio contempsisse, qui in mortem ipsam intrepidus inuolauit. Loquutus enim ad illum Deus: *Vlciscere*, inquit, *prius filios Israel de Madianitis: & sic colligêris ad populum tuum.* Num. 31. n. 2. Imperauit illi priùs hostium vindictam, & post eam futurum statim eius interitum denuntiauit. Vnde integrum erat Moysi sibi viuẽdi tempus, vel amputare, vel propagare. Nam, si vindictam differret, vitam extenderet: si verò statim in hostium vindictam erumperet; in suum quoque interitũ pari festinatione insiliret. Quid faceret? Sine obedientia vitã, an cũ obedientia mortem præoptaret? Maluit ad obedientiã festinus illicò mori, quàm ad inobedientiam ignauus diutiùs viuere. Sequitur enim in Litera: *Statimque Moyses; Armate*, inquit, *ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de Madianitis.* Ibidem, n. 3. Ad quem locum Lysanus, eandem, quam nos, Moysis obedientiam, ipsius mortis contemptricem admiratus: *Ex quo*, inquit, *patet fidelitas & obedientia Moysis ad Deum: quia audierat dilationem mortis suæ vsque ad interfectionem Madianitarum: & tamen non propter hoc distulit pugnam contra eos, sed magis accelerauit.*

XIX.
Filia Iephte morti se obtulit, ne obedientia deesset.

Verùm, quid memoro Moysen, exacta iam & effœta senectute capularem, cùm vna filia Iephte in ipso ætatis flore se immaturæ morti consecrarit, ne debitam Deo obedientiam præteriret? Victima Deo iam deuota, liberè abire permittitur, & montes sine vlla custodia circumuagari.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom 2.

A Iudic. 11. num. 37. Credo, non sine magno mysterio. Nam, licèt aliæ victimæ Deo in sacrificium offerendæ ligari consueuerint; ne mortis metu restefactæ, à sacrificio se proriperent: tamen vna filia Iephte, soluta & incustodita ante sacrificium vagabatur; ad sacrificium suo tempore sine dubio reditura, quia minùs mortem, quàm inobedientiam formidabat. Quare, *expletis duobus mensibus*, inquit Textus, *reuersa est ad patrem suum; & fecit ei, sicut vouerat.* Ibidem, num. 39. Quam virginis constantiam puellari celsiorem, Diuus Ambros. lib. 3. Offic. cap. 12. immortaliter commendat, & duobus illis Pythagoræis anteponit, quorum vnus pro altero abeunte, nisi in tempore rediret, se morti deuouit; hic autem pro illo è morte liberando in tempore adfuit moriturus. *Quod ergo*, inquit Ambrosius, *in spectatis & eruditis viris plenum miraculi est; hoc in virgine multò magnificentius, multòque illustrius deprehenditur.* Et paulò pòst: *Nec fletus*, inquit, *æqualium mouit puellam, nec dolor inflexit, nec gemitus retardauit, nec dies præteriit, nec fefellit hora. Rediit ad patrem, quasi ad votum rediret, & voluntate propria cunctantem impulit, fecitque arbitratu spontaneo, vt quod erat impietatis fortuitum, fieret pietatis sacrificium.*

D. Amb.

XX.
Abraham & Isaac mortis pro obediẽtia contemptores.

Adsint iam duo illa Patriarcharum lumina longè clarissima, Abraham, & Isaac. Non fuit mors terribilior filio eam passuro, quàm patri eam illaturo; & tamen vterque pro diuino imperio libens accingitur ad mortem, vnus patiẽdam, alter inferendam. Genes. 22. à n. 1. Parem in vtroque constantiam, parem obediẽtiam, parem charitatem, qua mortem alter inferre, alter perferre aggrediebatur, miratur D. Chrysost. ser. De fide Abraham, & immolatione Isaac, in 1. tom. *Ostendit*, inquit, *Abraham charissimum quidem sibi esse filium; sed multò chariorem filio existere Dominum: nec dulcedinem, aut affectus pignoris respiciebat, qui iussionem vt perficeret, cogitabat.* Et paulò pòst: *Adest*, inquit, *Isaac patri quidem ætate dissimilis; sed fide ac deuotione æqualis. Erat in vtrisque vnus animus, par sensus, & similis circa Deum affectus, vt generositatem patris in filium transfusam conspiceres, & innocentiã filij patri non deesse videres.* Deinde mutua vtriusque colloquia subscribit; patris exhortantis filium ad mortem libenter tolerandam, filij exhortantis patrẽ ad mortẽ fortiter exequendam: vt non solùm sua quisque; sed alterius alter obedientia illustrior redderetur. Abraham igitur: *Patere*, inquit, *mi fili, patere, votum perficere: patere per te iussionẽ Domini explere. Deus enim, qui te cõdidit, expetit; qui dedit, quærit; qui te creauit, se sibi desiderat immolari. Nõ est enim hoc parricidium, non est crudelitatis admissum, quia votũ est. Nec tibi, fili, à genitore mors miseranda infertur, sed vtrisque nobis salubriter prouidetur. Tantò eris acceptabilis hostia, quantò libẽter gloriosa mortis exceperis beneficia.* Quid ad hæc Isaac? Indignari, reluctari, deprecari? Immò in patris votum, factúmque libentissimè conspirare. *Quod*, inquit, *iussus es, pater, perfice: quod disponis, constãter adimple. Ego enim nec renuo, nec recuso: quod volueris, volo; quod optas, exopto; quod desideras, & ipse desidero. Denique eo voto istã mortẽ excipio; quo te eam mihi inferre velle cognosco.* Quæ poterant esse clariora perfectæ obedientiæ mortem contemnẽtis simulacra? Suum quidem Archetypum, etiã antequàm videsent, optimè imitata: *Qui factus est obediens vsque ad mortem, mortẽ autẽ crucis.* Phil. 2. n. 8.

D Chrys.

Mutua patris Abraham & filij Isaac ante sacrificium colloquia.

XXI.
Verus obediẽs honorem contemnit.

Tandem, quæ honori aduersantur, verus obediens nõ recusat. Quid, quæso, Angelo sublimius? Quid sciniphe abiectius? Et tamen Deus vtrunque quodammodo exæquauit; dum paria vtrique

mandata imposuit subeunda. Nam sicut imperauit scyniphi, vt Ægyptiam superbiam humiliaret. Exod. 8. a n. 16. Ita imperauit Angelo, vt Assyriam potentiam demoliretur. 4. Reg. 19 num. 35. Qua in re D. Chrys. in Psal. 148. diuinam potentiam admiratur, quæ non minùs paruis, quàm magnis instrumentis supremas humanarum virium moles funditus euertit. Ego interim Angelorum obedientiam admiror, totius fastus, & honoris contemptricem. Non enim dedignantur, se vilissimis animalculis exæquari. Neque cum Deo expostulant, dicentes: Aut illis minora impera, aut maiora nobis: & sicut nos ab illis naturæ præstantia separasti; ita, & officiorum dignitate distingue. Absit hæc expostulatio ab Angelis. Qui suæ nobilitatis immemores, in quælibet obsequia, siue decora sint, siue indecora pari celeritate rapiuntur.

D. Chrys. Angelorum obedientia honoris contemptrix.

XXII. Simile est illud exemplum, quo etiam Angeli demonstrantur, diuino potiùs nutui, quàm proprio fastui inseruisse: & potiùs obedientiam erga Deum, quàm propriam excellentiam spectasse. Nam ad Heliam sustentandum corui à Deo deputantur: *Coruis*, inquit, *præcepi, vt pascant te*. 3. Reg. 18. n. 4. Ad eundem iterum reficiendum Angelus pariter destinatur: *Ecce Angelus Domini tetigit eum*, &c. *Et ecce ad caput suum subcinericius panis, & vas aquæ*. 3. Reg. 19. n. 5. & 6. An indignatur Angelus, se in idem cum coruo ministerium designari, & in eandem seruitutem cum abiectissima volucre includi? An in querimonias effunditur, & indignissimè secum agi criminatur? Minimè profectò. Nihil enim sibi gloriosius putat, quam obedire: & quò humilius in obsequium se expendit, eò sublimius in munus se erigi arbitratur.

Alterum angelicæ obedientiæ exemplum.

XXIII. Nec mirum, paria cum brutis ministeria subiisse, qui paria cum Dæmonibus ministeria exequuntur. Nam sicut malis, ita & bonis Angelis puniendi impios ministeria demandantur. Malis, qui Ægyptum flagellarunt, iuxta illud: *Immissiones per Angelos malos*. Psal. 77. n. 49. Bonis, qui Sodomam euerterunt, ibi: *Venerunt duo Angeli Sodomam*, &c. Genes. 19. n. 1. Rursum, vnus è malis Saülem exagitauit. 1. Reg. 16. n. 4. Alter è bonis in Heliodorum acriter impegit. 2. Machab. 3. n. 25. Tandem è malis Angelis fuerunt, qui duos illos hæreticos Hymenæum & Alexandrum excruciarunt. 1. Timoth. 1. n. 20. E bonis, qui duos illos senes coniugalis pudicitiæ insidiatores, medios secuerunt. Dan. 13. n. 55. & 59. Et sic de aliis. Itaque ad torquēdos impios boni pariter, & mali Angeli emittuntur. Quid ergo boni? Indignantúrne, vel dedignantur humilibus ministeriis addici, & malis Angelis pares reddi, & iis, quos felicitate superant, humilitate obsequiorum adæquari? Nequaquam. Sed propriam dignitatem nihil pendunt, vt in diuinam voluntatem totos se impendant: tunc se honoratos ac decoratos esse rati, cùm diuina iussa, siue humilia, siue sublimia exequuntur: immò quò vilioribus officiis ex diuino imperio incumbunt, eò se nobiliores & illustriores arbitrantur.

Angeli paria non solùm cum brutis, sed etiam cum Dæmonibus ministeria subeunt.

XXIV. Sed quid loquor Angelos, qui nulla possunt iam ignominia ac dedecore laborare? Homines quoque, quorum magis fama periclitatur, sui honoris discrimina libenter subeunt, & sui nominis dispendia constanter patiuntur, vt iubenti Deo fortiter obsequantur. Patriarcham Noë seruaturus Deus è diluuio, vnam in arcam illum inclusit pariter cum brutis, non solùm generosis, tygribus & leonibus, sed etiam abiectissimis, iumentis & reptilibus terræ. Genes. 6. à n. 19. Sed cur eum

Verus obediens, licèt hominum Princeps, inter vilissimas bestias versari non dedignatur.

A inter sæuiores bestias constituerit, paulò ante diximus; nimirum, vt strenui obedientis daretur exemplum, qui inter mortis pericula constitutus mortem non perhorrescit. At, cur inter vilissima pecora & reptilia? Illa mihi videtur ratio, vt humilis cuiusdam obedientis imago exprimeretur. Nouerat se Noë omnium bestiarum Principem, & rectorem, & nihilominus à Deo iussus, etiam cum vilissimis & abiectissimis intra eandem caueam inclusus conuiuebat. Neque enim perfectus obediens, quid suæ congruat dignitati; sed quid diuinæ placeat voluntati, attendit, vt exequatur. Locum non curat, primatū non ambit, honores nō aucupatur: gloriosum & honorificum existimat, quidquid sibi, licèt vilissimū, imperetur.

B Non paruo sui honoris periculo exponebatur Abraham, cùm è terra sua exire iubebatur, & inter alienas exulare: præsertim ductus secum vxorem suam Saram, cuius pudori certissimas insidias ab hostibus machinandas præuidebat. Et nihilominùs promptus obediuit, Genes. 12. n. 4. de sui honoris dispendio minimè sollicitus, vt Dei imperantis auctoritas inuiolata seruaretur. Vnde D. Ambr. lib. 1. Offic. c. 24. *Nonne*, inquit, *considerabat vxorem imbecillem ad labores, teneram ad iniurias, decoram ad incentiua insolentiū, sine summo non posse duci periculo? Et tamen subire omnia, quàm excusare, consultius iudicauit.* Quid ignominiosius, & non solùm Propheta, sed etiam honesto viro indignius, quàm coniugium cum meretrice contractum? Hoc tamen præceptum vbi

XXV. *Abraham sui honoris periculo se exponit, vt obediret.*

D. Ambr.

C Oseas à Deo accepit, sine vlla cunctatione obtemperauit. Oseæ 1. n. 2. & 3. Qua in re, inquit ibi Rupertus, *Non est Propheta culpandus sed laudandus, quòd non sua libidini, sed superno imperio seruierit: quo iubente, etiam eorum, quæ turpia vel inhonesta videntur, nihil fieri, turpe aut inhonestum est.*

Oseas cū periculo sui honoris obediuit.

Rupert.

Ad Isaiam olim Dominus: *Vade*, inquit, *& solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tolle de pedibus tuis*. Isai. 20. n. 2. Quid nobili Propheta, qualis erat Isaias, indignius? Et tamen sequitur statim: *Et fecit sic, vadens nudus & discalceatus.* In quem locum D. Hieronym. *Mira*, inquit, *obedientia Prophetæ. Solo cilicio induebatur vir nobilissimus, cuius filiam, vt tradūt Hebræi, Manasses Rex accepit vxo-*

XXVI. *Isaias nō curauit infamiam, vt feruaret obedientiam.*

D. Hier.

D *rem. Non tamen erubuit nudus incedere, nihil honestius indicans, quam obedire præceptis diuinis.* Denique perfectus obediens tam promptus esse debet ad vilissima munia, quàntumuis honoris existimationi aduersentur; vt dicat D. Basilius in Constit. monasticis, cap. 24. *Licèt sarcinaria sequi iumenta oporteat, recusare non debet.* Et probat exemplo Apostolorum, qui missi ad soluendam adducendámque asinam cum pullo eius, *Alacriter*, inquit, *Domino paruerunt.* Matth. 21. n. 6. Sentit verò D. Basilius, hos duos Apostolos, quibus iumentorum cura commissa est, fuisse ex illis, qui *fratres Domini* dicuntur, Matth. 13. num. 55. Quasi Christus Dominus propinquioribus suis humiliora officia demandarit, vt in hac re & suam erga illos

Apostoli etiā abiectissima ministeria sequendo iumenta subierunt.

D. Basil.

D. Basil.

Nec alij, quā fratres Domini.

E beneuolentiam ostendat, & illorum erga se obedientiam declaret.

Tandem, quid videtur à natura magis alienum, quàm vt senilis maturitas pueriliter tractetur? Et tamen seniores iunioribus à Deo exæquari non indignantur; sed paribus omnes obsequiis subiiciuntur. Quis maiori auctoritate præditus, quàm Abrahā senex nonagintanouem annorum? Quis minori auctoritate dignus, quàm infans octo dierum? Et tamen vtrique eodem tempore imponitur à Deo præceptum circumcisionis. Gen. 17. n. 11. & 12. Neque senex erupit in querimonias,

XXVII. *Senes obedientes pueriliter tractari non indignantur.*

Abraham pueriliter tractatus videbat. nias, quòd à Deo, tanquàm infans, tractatetur; A
immò potiùs paulò pòst n. 17. dicitur, *risisse*, quia
neque doloris sensus in perferendo vulnere; ne-
que honotis iactura in puerili præcepro subeun-
do debitam obediendi alacritatem illi adime-
bant. Quam quidem tam promptus exhibuit, vt
ipse primus præceptum impletet. Licèt enim id
D. Chrys. in Liteta nō exprimatur: tamen à D. Chrys. hom.
39. in Genes. insinuari videtur. *Abraham*, inquit,
*in tali ætate circūciditur; vt posteris omnibus lex qua-
dā & regula fierent ea, quæ Patriarcha prior fecerat.*

XXVIII. *Paulus vt puer colaphizatus, non indignatur.* Iam verò D. Pauli quanta fuit auctoritas, cùm
ob alias causas, tum etiam ob multitudinem re-
uelationum, quas habebat? Et tamen à Deo pue-
rilibus pœnis, nempe colaphis, tanquàm puer
subiiciebatur. *Datus*, inquit, *est mihi Angelus Sa-* B
tanæ, vt me colaphizet. 2. Corinth. 12. n. 7. Quod
Beda. Beda ad eum locum rectè ponderauit: *Paulus*, in-
quit, *ne extolleretur tanquàm iuuenis, colaphizatur
tanquàm puer.* Neque tamen Apostolus indigna-
tur, se à Deo pueriliter tractati. Imperauit olim
Rex Achab, dux puerorū factus non erubuit. Deus Achabo Regi Israël, vt contra Syrios vali-
do exercitu Samariam circundantes, puerorum
agmen in aciem educeret; quibus ipse præiret
dux. 3. Reg. 20. à n. 13. Quis Rex non indignè fer-
ret, ductorem se fieri puerorum? Obediuit nihilo-
minùs Achab: & dum ex diuino præcepto paucis
pueris se parem fecit, innumeros hostes profli-
gauit: vt eodem cap. videre est. Fallitur ergo, qui
obediens in rebus puerilibus, puerum se fieri ar-
Pueri obediendo, fiunt viri. bitratur. Immò pueri obediendo viri euadunt. Nā C
illis pueris, de quibus diximus, à Rege Achabo in
aciem eductis, statim Syrij renuntiarūt suo Regi
Benadad: *Viri*, inquiunt, *egressi sunt de Samaria.*
Ibidem, n. 17. Quasi illi, qui ex ætate pueri erant,
viri ex obedientia viderentur. Pueri dicuntur in
Scriptura, qui Regi Babylonis oblati sunt. *Pueris
autem his*, inquit Textus, *dedit Deus scientiam, &
disciplinam.* Dan. 1. n. 17. Sed postquàm Deo pa-
ruerunt, & diuinam legem obseruarunt; viri ap-
pellantur. *Nónne tres viros*, inquit Rex, *misimus in
medium ignis?* Dan. 3. n. 91. Quasi ab ipsis flammis,
quas propter diuinæ legis obseruantiam subie-
rant, virilis ætas & auctoritas duceretur. Vnde
Deus ad Ieremiam: *Noli dicere, puer sum: quoniam
ad omnia quæ mittam te, ibis.* Ierem. 1. n. 7. Ac si de- D
sinat esse puer, qui incipit obedire: tantùm abest,
vt senex obediendo repuerascat. Certissimum igi-
Obedire est esse virum. tur est illud oraculum: *Deum time, & mandata eius
obserua: hoc est enim omnis homo.* Eccles. 12. n. 13.
Ex quo facilè intelliges, tantæ auctoritatis esse
Deo semper obedire, vt in obedientia seruanda
nunquàm puerilitas, semper virilitas spectetur.

ANNOTATIO III.

CIRCA LITERAM.

Tandem illustratur obedientia Samuelis, ex modo, quo obediuit. E

I. *Triplex vera obedientiæ conditio.* AMVELIS obedientia fuit cæca,
spontanea & diligens; quæ est illa
triplex obedientiæ perfectio, quæ
in intellectu, voluntate & exe-
quutione spectatur; & ratione
cuius dicunt aliqui, cælestē sponsam à suo sponso
ter euocatam illis verbis: *Veni de Libano, Sponsa
mea; veni de Libano; veni.* Cant. 4. n. 8. Quas om-
nes perfectæ obedientiæ conditiones Samuel in
sua obedientia perfectissimè coluit & obseruauit; A
vt in Litera satis explicaui, & illustraui. Et nunc
alia per exempla euagādo paulò fusiùs illustrabo.

SECTIO I.

Cæca obedientia, perfectissima.

TAlis fuit obedientia Samuelis, qui siue vllo II.
mentis discursu, solo corpore currebat ad *Samuelis & D. Pauli obedientia cæca.*
senem, & recurrebat ad lectum; non expendens,
essétne illa vocatio, an deceptio. Sic olim D. Pau-
lus, *Apertis oculis nihil videbat.* Act. 9. n. 8. Quia
licèt diuina imperia agnosceret; quò tamen illa
spectarent, non explorabat. Vnde D. Bern. serm. 1. D. Bern.
B De Pauli conuersione: *Felix*, inquit, *cæcitas, qua
malè quondam illuminati in præuaricatione, tandem
in conuersione oculi salubriter excæcantur.* Talem *Veri obedientes priùs faciunt præcepta, quam intelligant.*
obedientiam Israëlitæ promittebant, dicentes:
Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus.
Exod. 24. num. 3. Vbi Septuaginta addunt: *Et au-
diemus.* Ad quem locum Aug. q. 96. in Exodum, D. August.
inquirit, cur dixerint: Faciemus, & audiemus;
Cùm videatur, inquit, *ordo postulare, vt diceretur,
audiemus, & faciemus?* Et soluit ad præsens insti-
tutum, si pro verbo audiendi, verbum intelli-
gendi reponatur. *Si audiemus*, inquit, *pro eo posi-
tum est, quod est, intelligemus: priùs oportet verbo Dei
reddere faciendi seruitutem; vt ad intelligentiam ea-
rum rerum, quæ ipso præcipiente fiunt, merito deuo-
C tionis ipse perducat.* Neque enim verus obediens
priùs intelligere desiderat, quæ iubentur: sed præ-
cepta cæcus exequitur, vt præceptorum posteà
rationes assequatur.

Quo mysterio Leuitæ arcam fœderis, & cæ- III.
tera vasa Sanctuarij suis tecta inuolucris depor- *Arca tecta portabatur: sic præcepta, quin intelligantur, exequenda.*
tabant; ne illa viderent, quæ solis Sacerdotibus,
& videre, & inuoluere licebat. *Alij*, inquit Deus,
*nulla curiositate videant, quæ sunt in Sanctuario,
priusquam inuoluantur, alioqui morientur.* Numer. 4.
numer. 20. Id enim eò spectabat, vt soli Prælati
rationes præceptorum intelligerent; subditi verò
ipsa præcepta cæcis oculis exequerentur; vt
Orig. homil. 5. in Num. sub initium, interpreta- Orig.
tur. *Cùm*, inquit, *perfecti Doctores opera populis in-
D iungunt; & plebs agit & implet, quæ mandantur; non
tamen eorum, quæ geruntur, intelligit rationem: quid
aliud geritur, nisi operta & velata Sancta Sanctorum
super humeros portantur?* Vnde Christus Dominus *Priùs obedire, quàm intelligere oportet.*
ad Petrum nescientem rationes illius humilita-
tis, & charitatis, qua discipulorum pedes lauabat;
& propterea suos quoque lauari recusantem:
Quod ego facio, inquit, *tu nescis modo: scies autem
posteà.* Ioan. 13. n. 7. Vbi huius intelligentiam my-
sterij non priùs cōmunicat, vt Petrus cæcus obe-
diat; ne si priùs intellectis obedientiæ rationibus
obediret, ipsum obedientiæ meritum euacuaret:
vt ibi Cardin. Tolet. aduertit. Imperfecta enim Tolet.
est obedientia, quæ præceptorum rationes, ante-
quàm obeat, speculatur.

E Quod D. Bernardus Tract. De præcepto, & IV.
dispensatione, eleganter expressit. *Imperfecti*, in- D. Bern.
quit, *& infirmæ prorsus voluntatis indicium est, sta- *Imperfectus obediens, qui obediendi rationes speculatur.*
tuta seniorum studiosius discutere; hærere ad singu-
la, quæ iniunguntur; exigere de quibusque rationem,
& malè suspicari de omni præcepto, cuius causa la-
tuerit; nec vnquàm libenter obedire, nisi cùm audire
contigerit, quod fortè libuerit: aut quod non aliter li-
cere, vel expedire monstrauit, vel aperta ratio, vel
indubitata auctoritas. Delicata satis, immò nimis mo-
lesta est huiuscemodi obedientia. Non planè hæc illa est,
quæ ex regula traditur, obedientia sine mora. Dis-*

putare profectò, est in astu cordis, non in auditu auris obedire. Ita ille eleganter.

V. *D. Paulus praecepta diuinis rationes non examinabat.* D Chrys.

Quare D. Paulus in diuinis præceptis, nihil magis rationes, quam si rationis expers esset, inquirebat. Nam ad Romanos scribens: *Sæpe*, inquit, *proposui venire ad vos, & prohibitus sum vsque adhuc.* Rom. 1. n. 13. In quem locum D. Chrysostom. hom. 2. *Vide*, inquit, *seruilis obedientiæ modum. Quod fuerit prohibitus, dicit: quam ob rem autem, non item. Neque enim examinat Domini mandatum, sed paret tantùm.* Et quidem non deerant rationes dubitandi & admirandi, cur Romam venire prohiberetur, ad illam totius orbis arcem expugnandam; qua semel capta, facilis ad totum orbem conuertendum via panderetur. Sed tamen addit D. Chrys. *Nihil horum Paulus curiosè indagat; quin potius incomprehensibili prouidentiæ cedit: partim animi sui moderationem spectatā faciēs: partim nos omnes erudiens, à Deo nunquam exigendam esse, eorum, quæ facit, rationem; etiamsi ea multorum animos turbare videantur. Domini enim solius est iubere, famulorum parere.* Non exiguam quoque in hac re habuit laudem Philippus ille Diaconus, ad quem Angelus: *Surge*, inquit, *& vade contra meridianum*, &c. Act. 8. n. 26. Et cùm Angelus neque terminum, neque causam itineris explicaret; tamen ille, addit Textus, *Surgens abiit.* Et quod laudabilius est, inquit Catthus. *Promptè obediens, nec causam iussionis inquirens. Quo informamur, vt subditi Superioribus sine superflua inquisitione statim obediant.* Quod veterum Sanctorum exemplo confirmat; qui etiam in his, quæ irrationabilia vel inutilia videbantur, celeriter obtemperabant.

Philippus Diaconus praecepti rationes nō inquirens obediebat.

Catthus.

VI. *Non indagare rationes praecepti, est Deum glorificare.*

Sed, quid ille eximius obedientiæ magister Abraham? Pugnantia inter se oracula accipiens; vnum de propagatione sui seminis, Genes. 17. n. 6. alterum de immolatione sui filij, Gen. 22. n. 2. difficultatem non discussit: sed vtrâque partem sine vllo discursu cæca quadam obedientia complectens, teste Apostolo, *Contra spem in spem credidit.* Rom. 4. num. 18. Vnde statim sequitur: *Confortatus est fide, dans gloriam Deo.* Ibidem, n. 20. Vbi quærit D. Chrysostomus homil. 8. Quam Deo gloriam dederit Abrahā; cùm nullam ibi hostiam immolasse, nullum carmen in gratiarum actionem cecinisse, referatur? Et respondet: *Hoc ipsum, non curiosè indagare, est Deum glorificare; sicut curiosè indagare, est peccare.* Vnde ab hoc Abrahæ exemplo nos ipsos monet homil. 2. in Epist. ad Roman. vt in diuinis præceptis rationem non quæramus, sed ad nutum obtemperemus. Et statim: *Quid enim, quæso, inquit, absurdius fuerit, quàm parentem singulare vnigenitum suum filium? sed tamen iussus ille id facere iussus, non curiosè de mandato sciscitatus est, sed iubentis dignitate perpensa, mandatum duntaxat admisit.*

D. Chrys.

VII. *Oculi columbarū in lacte nihil introspiciunt.* D. Greg.

De cælestis Sponsi oculis canit Sponsa: *Oculi eius, sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lota.* Cant. 5. n. 12. At, si riuuli aquarū aderant, suapte natura ad lauandum aptiores, quorsum lactis lauacrum requirebat? Respondet D. Gregor. Nissen. orat. 13. in Cant. ad finē, probè ad rem præsentem: *In lacte, inquit, obseruatum est, solū inter humida proprietatem hanc habere, quòd in eo nullius rei simulacrum ac similitudo conspiciatur. Quo fit, vt hæc oculorum Ecclesia sit laus perfectissima: quòd nihil, quod non subsistat in rerum natura, nihil erroneū, nihil vanum, præter ipsam rerum veritatem, velut vmbratili quodam simulacro fraudulenter repræsentent; sed ipsissimam veritatem intueantur; erroneis huius vitæ spectris & imaginationibus nequaquam admissis.* Sicut igitur fideles, ita & obedientes viri dicuntur lacte oculos lauare, pari vtrique ratione. Nam sicut fideles firmiter credunt, quidquid proponitur ad credendum, nihil vlterius curiosè speculantes: ita & qui se obedientiæ subiiciunt, quidquid imperatur, exequuntur; nihil amplius, quàm quod præcipitur, intuentes; nec vllas præterea sui præcepti rationes examinantes.

Sic fideliū, & obedientium oculi in diuinis præceptis nihil speculantur.

VIII. *D. August. Fides, & obedientia similes.* D. Greg.

Vnde rectè inter se fides, & obedientia comparantur; iuxta illud D. August. in Psal. 70. *Sola est, quæ fidei meritum possidet, obedientia.* Nam, sicut fides cæca est, nec rationes eius, quod credit, manifestas intuetur; alioqui desineret esse fides, iuxta illud D. Gregor. hom. 26. in Euang. *Nec*, inquit, *fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Ita & obedientia cæca esse debet. Nam, si oculata sit, supernaturalis obedientia esse desinet, & plerumque fiet prudentia temporalis, ne dicam imprudentia carnalis; quæ sæpissimè impingit & corruit. Nam, qui sua potiùs prudentia, quam maiorum suorum obedientia ducuntur; falluntur passim, & hallucinantur: & vbi se putant, rectam veritatis viam insistere, toto cælo aberrant. Quod difficile non erit pluribus exemplis demonstrare.

IX. *Oculata obedientia impingit & errat.*

Noluit Ionas ire Niniuem, quò ad prædicandum à Deo mittebatur, duplici timore: vno, ne in extremam illius ciuitatis malitiam incideret; cuius sibi aliquam labem & contagionem aspergeret: altero, ne aliqua prophetici nominis infamia laboraret, prædicens plagas, quæ statim populo pœnitente, ac Deo miserante, reuocatæ, falsitatis arguerent verum haruspicem, non verum Prophetam. Sed vnde se eripere voluit, illuc se intrusit. Nam in primis, vt est in Litera, *Descendit in Ioppem, & inuenit nauem euntem in Tharsis; & dedit naulum eius, & descendit in eam.* Ion. 1. n. 3. Nanis Tharsis, vt iam in 1. tom. Annot. 3. Sect. 8. ex sactis Literis & Patribus ostendimus, prouerbium erat, quo vastissima quæque & plenissima scelerum vorago significabatur. Ionas igitur suo iudicio innixus, incidit in hanc Scyllam vitiorum, cupiens illam scelerum Charybdim euitare; qui, si diuino præcepto duceretur, ab vtraque tutissimus euasisset. Deinde, qui nauem illam ingressus fuit Dei Propheta; in eadem declaratus est à Deo transfuga. *Cognouerunt enim viri*, inquit Textus, *quod à facie Domini fugeret.* Ion. 1. n. 10. Igitur, qui suo iudicio cauere voluit, ne videretur falsitatis nuntius; suo planè iudicio effecit, vt crederetur iniquitatis artifex.

Nauis Tharsis, typus magnorum vitiorum.

X. *Lot proprio consilio dānat, periculum, quod fugiebat, incurrit.*

Lot è Sodomis liberatus ad montem mittebatur. *In monte*, inquiunt Angeli, *saluum te fac.* Genes. 19. n. 17. Quid verò ille? montem intutum esse arbitratus postulauit, vt ad vrbem patuam ac vicinam potiùs mitteretur. *Non possum*, inquit, *in monte saluari. Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum ire, parua, & saluabor in ea.* Ibidem, n. 20. Sed vide hominis cæcitatem, suum potiùs arbitrium, quàm Angelorum imperium sectantis. Nam illa vrbs, quæ Segor dicebatur, ad quam ire malebat, frequentibus terræ motibus agitabatur; ita vt sæpiùs inter terræ hiatus collapsa fuisse diceretur: vt Hebræi apud D. Hieronymum in Quæst. hebraic. testantur. Lot igitur diuino præcepto missus ad montem tutissimum; proprio ductus consilio vrbem manifesto periculo expositam præoptauit; vt quem diuinum imperium liberabat, eundem proprium consilium præcipitaret. Sed vlteriùs vide proprij iudicij errorem. Nam, cùm ei Deus morem gereret, & quam vrbem postulauerat, concederet, in eâque securitatem ab omni periculo præstaret, dicens: *Non subuertam vrbem, pro qua loquutus*

D. Hier.

Ignem fugiēs in concupiscentiam incidit.

loquutus es:festina,& saluare ibi. Ibidem,n.21. Ille rursus diuino imperio reluctatus, & ad proprium iudicium regressus: *Ascendit de Segor, & mansit in monte.* Vbi sup.n.30. Ac si ab eo loco, in quo ex diuina obedientia fuerat collocatus, vellet ex propria prudentia in tutiorem euolare. Sed inde planè factum est, vt propriæ inobedientiæ pœnas daret: fugiens enim flammas ignis, quas in vrbe formidabat; incidit in flammas concupiscentiæ & incæstus, quibus in monte æstuauit. Nam,

D.Hieron.

vt Hebræi apud Diuum Hieronymum citatum testantur, ille incæstus in monte, fuit pœna inobedientiæ in vrbe: permittente Deo, vt qui proprio arbitrio pœnam fugiebat, rueret in culpam; cùm tamen, si diuino imperio paruisset, vtranque facilè euitasset: ac tandem intelligeret, tutiorem se futurum fuisse, si cæca obedientia, quàm si oculata prudentia duceretur.

XI.

Exploratores Chanaan, suo ducti arbitrio perierunt.

Sæpè Deus promiserat, terram Chanaan ab Israëlitis occupandam. Sed exploratores, qui illam obierant, naturæ situm, & militum præsidia contemplati, suo potiùs iudicio, quàm diuino oraculo adhæserunt, & difficilem, ne dicam, impossibilem, in eam fore aditum renuntiarunt. *Terra*, inquiunt, *quam lustrauimus, deuorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, procera statura est. Ibi vidimus monstra quadam filiorum Enac de genere Giganteo, quibus comparati, quasi locusta videbamur.* Numer.13.num.33. Acutiùs, quàm par erat, videre voluerunt: & diuinum imperium ad humanæ prudentiæ libram reuocarunt. Quid effectum? Omnes viri illi, vt est in Litera, *Mortui sunt, atque percussi in conspectu Domini.* Num.14.

D.Chrys.

num.37. In quem locum D.Chrysost. hom. 2. in Epist.ad Rom.sub finem: *Quia*, inquit, *victoria modum disquisière; omnes nullo bello, nulla instructa acie perierunt.* Nam, qui in diuino obsequio prudenter oculati esse volunt, diuinitùs excæcantur.

XII.

Obedientia cæca periculū fugit, oculata prudentia incurrit.

Postulauit olim quidam Propheta in sermone Domini, ab vno & altero viro, vt se percuterent: *Percute*, inquit, *me.* Sed prior proprio iudicio rem expendens, & indignam factu iudicans, noluit obedire: posterior autem cæca quadam obedientia promptus vulnerari postulantem vulnerauit. Quid deinde? Prior ille inobediens traditur à Deo leoni occidendus: posterior obediens ab omni supplicio liberatur. 3.Reg.20.à num.35.

D.Chrys.

Quem locum Diuus Chrysostomus citatus dum expendit, rectè concludit: *Cùm hæc*, inquit, *ita se habere cognoscamus; à Deo, eorum, quæ aguntur, rationem nunquàm exigamus. Verùm, quidquid ordinauerit, id omne admittamus, nihil anxiè indagantes, nihil curiose perscrutantes; licèt in humani animi rationem non cadat, quod ille mandauerit.* Denique

Primi parentes proprium sequentes arbitrium perierunt.

primi parentes in diuino præcepto obseruando non cæci, vt par erat, sed perspicaces esse voluerunt; & mortem euasuros, si ex ligno vetito comederent, sperarunt, suo potiùs arbitrio, quàm diuino oraculo adhærentes. Genes. 3. numer. 6. Quid factum? Dum à proprio iudicio, ad immortalitatem consequendam, abripi se sinunt; de ipsa immortalitate obedientibus promissa delabuntur. Quod rectè aduertit Tertulian. libr. de

Tert.

Trinit. cap.1. loquutus de Adamo: *Cùm*, inquit, *mortalitatem de obedientia posset euadere, in eandem incurrit, dum ex consilio peruerso Deus esse festinat.* Ex his patet, quantis erroribus oculata obedientia implicetur.

XIII.

Cæca obedientia Dauidem oculauit.

Sed vide quàm rectè in veritatis scopum cæca obedientia collimet. Dauid, *Prudentem*, inquit, *me fecisti mandato tuo.* Psal.118.n.98. Et rursum: *Super*

A *senes intellexi, quia mandata tua quæsiui.* Ibidem, num.100. Ac tandem: *A mandatis tuis intellexi.* Eodem Psalm. num. 104. Quasi diceret: Excæcauit me prudentia oculata: verùm cæca me obedientia oculauit. Quis cæcior Abrahamo, cùm ad sacrificandum filium perrexit? vt sæpè in superioribus aduertimus. Et tamen in terram visionis ire iubetur. *Vade*, inquit, *in terram visionis.* Genes.22. numer. 2. seu, vt ex Hebræo transtulit Burgensis: *In terram doctrina*: quia dum in cæcam obedientiam se coniiciebat, diuinæ sapientiæ claritate fulgurabat. Filium quidem immolandum ante oculos positum quodammodo non videbat; adeò non solùm siccis, sed etiam cæcis oculis ferebatur: & tamen Christum Dominum

Cæca obedientia duxit Abrahamum in terram visionis.

Burg.

B multis pòst seculis ex eo nasciturum illustrata diuinitùs mente considerabat. *Leuauit oculos*, inquit Textus, *viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus.* Genes. 12.num. 13. Et in ariete, inquit Procopius, Christi Domini passionem præcognouit. Nam, qui ad filium præsentem intuendum cæcus fuit; ad Christum Dominum post multa secula futurum, lumine prophetico contemplandum, extitit oculatus.

Procop.

XIV.

Abraham filium præ obedientia non videns, Christū prævidit.

Quod Christus Dominus significauit. *Abrahā*, inquit, *exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.* Ioan.8. num.56. Nam in ariete Christum Dominum, in virgulto Crucis patibulum agnouit, vt D. Ambrosius lib.1. De Abraham, cap.8. rectè interpretatur: æquum enim erat, vt

D. Ambr.

C qui cæcam obedientiam exhibuerat, perfectam rerum intelligentiam assequeretur. Et vlteriùs attende, quanta de cælo intelligentia cæcus obediens illustretur. Solus redire ad famulos decreuerat Abraham, filio immolato. Et nihilominùs ait: *Reuertemur ad vos.* Genes.22. n.5. Cæcus quodammodo loquebatur: sed ex obedientia illustratus euasit. Nam, vt bene D.Ambrosius proximè citatus. *Prophetauit*, inquit, *quod ignorabat: ipse solus disponebat redire, immolato filio; sed Dominus per os eius loquutus est, quod parabat.* Quò enim profundiores in tenebras veri obedientes se immergunt, captiuantes intellectum in obsequium, non solùm fidei, sed etiam obedientiæ; eò apertiùs in lumen, non solùm naturalis intelli-

Dum cæcus obedit, oculatus prophetat.

D.Ambr.

D gentiæ, sed etiam propheticæ diuinitùs educūtur.

XV.

Vbi cæca obedientia præstatur, ibi diuina oracula panduntur.

Neque solùm cæcus obediens; sed etiam locus, in quo talem se præstitit, à Deo illustratur. Rebecca de futura conditione filiorum, quos in vtero gestabat, sollicita *Perrexit*, inquit Text. *vt consideret Dominum.* Gen.25.n.22. Sed quò perrexit, cùm nondum essent Prophetæ, & Sacerdotes,

D.August.

quos consuleret? Respondet D.August. q. 72. in Genes. *Forsitan*, inquit, *ad locum, vbi aram constituit Abraham in monte Moria.* Quasi locus ille, in quo Patriarcha diuinum præceptum cæca quadam obedientia impleuerat, aptissimus maneret, in quo deinceps diuina oracula panderentur. Quemadmodum & Galgala locus sacer, & diuinis oraculis audiendis accommodatus credebatur; teste Lyrano in 4.Reg. 2. quòd in eo præce-

Obedientia locum sanctificat.

E ptum circumcisionis ab Israëlitis impleretur.

Lyra.

Ios.5. n.9. Cæca enim obedientia & expiabat locum profanum, & obscurum illustrabat.

XVI.

Duplex ratio, ob quam Sara, non Rebecca insidias patiatur.

Sed quis vnquam in diuinis præceptis se excæcando aberrauit? Sara breui tempore in Geraris peregrinata, statim passa est insidias incolarum, eam viro suo Abrahæ auferentium, deferentiúmque ad Regem Abimelech. Gen.20.n.2. At verò Rebecca in eadem regione diutissimè commorata, Gen 26.n.8. nullas ab incolis insidias, nullum suæ pudicitiæ; periculū incurrit: vt ibidem videre

Vna, propter supplicia incolarum.

est. Ratio discriminis duplex esse potest. Vna, quòd Gerarıtæ, quamuis Ethnici, tamen ex præteritis suppliciis propter Sarã illatis fuerint tam emendatiores. Ex quo loco creari potest verecundia Christianis, qui multis a Deo suppliciis admoniti, nondum è suis flagitiis resipiscunt.

Altera, propter obedientiã Rebeccæ.

Altera ad rem præsentem, quòd Sara cum viro suo Abraham, non quidem, Deo imperante, sed sponte sua illò descenderat: at verò Rebecca cum viro suo Isaac præceptum a Deo acceperat illic quiescendi. *Quiesce*, inquit Deus, *in terra, quam dixero tibi*. Gen. 26. n. 2. Et quia diuino præcepto innixa, periculo suo non timuit; libera à periculo euasit. Et quod magis mirere, ipso Rege Abimelech securitatem conferente, & in ipsos Rebeccæ insidiatores, si qui forent, capitale supplicium comminante. *Præcepitq; omni populo*, inquit Textus, *dicens: Qui tetigerit hominis huius vxorem, morte morietur*. Gen. 26. n. 11. Sic enim oportebat, vt coniuges Deo obtemperãtes, diuina prouidentia tuerentur, vt notat D. Chrys. hom. 51. in Gen.

D. Chrys.

Qui, inquit, *dixerat ei: ne descendas in Ægyptum: ille erat, qui iustum in tanta constituebat securitate.*

XVII.

D. Ambr.

Abrahã impeditur ab occidendo filio, nõ Iephte: quia non hic, sed ille ex obedientia ferebatur.

D. August.

Abraham ab immolando filio diuinitùs fuit impeditus, Gen. 22. n. 12. Non autem Iephte à filia immolanda, Iud. 11. n. 39 Diuersas vtrobique rationes assignat D. Ambros. lib. 3. De Virginibus; quarum vnam tom. 1. Annot. 12. Sect. 4. iam inculcaui. Sed illa est ad rem præsentem, quam tradit D. August. q. 49. in Iudices: *Quoniam*, inquit, *Abraham iussus obtulit filium; Iephte autem fecit, quod nullo speciali iubebatur imperio.* Quasi diceret: Vterque parens ad necandum filium pergebat: sed Abraham ex obedientia cæcus; Iephte ex humana prudentia videns: idcircò Deus permisit, non cæcum, sed videntem aberrare; vt certior tandem cæca obedientia, quàm videns prudẽtia crederetur.

Aaronis vitulum multi adorarunt; serpentem Moysis, nemo: quia hic ex obedientia, nõ ille, processit.

Aaron vitulum fecit conflatilem, quem nullum miraculum operantem, & nullum diuinitatis indicium habentem, magna populi pars tanquàm verum Numen adorauit. Exod. 32. à n. 4. At verò Moyses fecit *serpentem eneũ, & posuit eum pro signo, quem cum percussi aspicerent, sanabantur.* Num. 21. n. 9. Et tamen hunc tam multa miracula edentem, tam multa diuinitatis indicia spirantem, nullus Hebræorum dicitur adorasse, aut Deum credidisse. Ratio mihi videtur in prono: quia illum formauit Aaron ex humana quadam prudentia, popolo instigante, hunc autem fecit Moyses ex cæca obedientia, diuino imperio obsequente. Vbi autem cæca obedientia intercedit, erroris periculum præcauetur. Consule Tertul. lib. de Idololatria, c. 5. & lib. 2. contra Marcion. c. 22. & lib. 3. contra eundem, c. 18.

Tert.

Lapides ex obedientia erecti, idololatriæ causa non fuerunt.

Sic olim in lapidibus erigendis magnum idololatriæ periculum timebatur: vnde illa prohibitio: *Nec insignem lapidem ponetis in terra vestra.* Leu. 26. n. 1. & tamen Iosuë, Ios. c. 24. n. 26. & Samuel infrà, c. 7. n. 12. lapides erexerũt: quorum occasione nemo vnquàm dicitur idololatriam incurrisse. Ratio quidem est: quia vterque diuino agebatur imperio; cui qui cæcus insistit, omne peccandi errandive periculum euadit.

XVIII.

Rahab fides, & obediẽtia ab excidio liberauit.

Sola Rahab meretrix ex Ierichuntino excidio euasit. Sed quæ illam virtus tanto è periculo liberauit? Beneficentiáne in peregrinos, quos in domum suam liberaliter recepit, & periclitantes abscondit, & incolumes emisit? Ios. 2. à n. 1. An obedientia in Deum, cuius verbis officiosa obtemperauit? vt ipsamet fatetur, dicens: *Noui, quòd Dominus tradiderit vobis terram, &c. Audiuimus, quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quando egressi estis ex Ægypto, & quæ feceritis duobus Amorrhæorum Regibus, qui erãt trans Iordanem, Sehon & Og, quos interfecistis. Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum: Dominus enim Deus vester ipse est Deus in cælo sursum, & in terra deorsum.* Ios. 2. à n. 9. Quibus verbis satis ostendit, quantam diuinis verbis fidem, & obedientiam præstiterit: quæ, cùm nullius miraculi ex dictis testis oculata fuerit; omnia tamen sola auditione firmissimè credebat: ac tandem diuino imperio libentissimè obtemperabat. Quæ igitur illam virtus tanto ex incendio eduxit? Beneficentiáne in homines, an obedientia in Deũ? Certe D. Paulus eius incolumitatem, fidei, obedientiæque adscribit. *Fide*, inquit, *Rahab meretrix non periit cũ incredulis.* Hebr. 11. n. 31. Quia quamuis multas rationes pro tuendis ciuibus; paucas pro admittendis hostibus, saltem claras & manifestas inueniret; tamen se in obsequium fidei, & obedientiæ excæcauit; suisque hospitibus, etsi erroneus viderentur, tamen vt erroris expertibus acquieuit. Qua de re D. Chrys. hom. 2. citat. in Epist. ad Romanos: *Non interiit*, inquit, *quia secum ipsa non dixit: Quî poterunt hi, cùm sint captiui, fugitiui, exules, vitámque erroneum agant; ipsos nos vrbis, mænium, ac turrium dominos sub suam victos potestatem cogere? Quandoquidem, si hæc secum loquuta fuisset, & se ipsam, & illos vnà perdidisset.*

D. Chrys.

XIX.

Gabaonitas obedientia seruauit incolumes.

Non dissimile quidem est Gabaonitarum exemplum. Duplici nomine Gabaonitæ capitali supplicio obnoxij fuerunt: tum, quia idololatræ, & rebelles in Deum; quos Deus delendos præceperat: tum, quia mendaces & fallaces in Iosuë, quod crimen sola morte eluendum videbatur. Et tamen Iosuë viuos eos conseruauit, *Reseruentur*, inquit, *vt viuant.* Iosuë 9. num. 20. Qui tamen cæteros omnes incolas Chanaan priori tantùm ex capite trucidandos, extrema internecione deleuit. Cur igitur minùs nocentibus occisis, alios nocentiores conseruat? Ratio illa est: quia priores proprio iudicio adhærentes, diuinis verbis neque credere, neque parere voluerunt. At verò Gabaonitæ, inquit D. August. quæst. 13. in Iosuë, *Crediderant Deo, quem audierant suo populo promisisse, quòd illas gentes subuerteret, eorúmque terram obtineret: & hanc eorum fidem, non eos perdendo remunerauit.* Vbi enim cæca diuinis verbis obedientia præstatur; ibi certa ab omnibus periculis securitas confertur.

D. August.

XX.

Qui se ex obedientia in carcerem tradit, ad regnũ excitatur.

D. Hier.

Tandem Ioachin, seu Iechonias, Rex Iuda cum omni domo sua se tradidit Regi Babylonis Nabuchodonosori, 4. Reg. 24. num. 12. ductus consilio Ieremiæ, & imperio Dei; vt D. Hieronymus in c. 24. Ierem. testatur. Quis non diceret, hunc Regem insaniisse, qui sua sponte regnum carcere commutauit? Sed vide, quàm illustris ex cæca obedientia euentus consequatur. Paulò pòst, Euilmerodach Rex Babylonis, filios Nabuchodonosoris, *Subleuauit caput Ioachin Regis Iuda de carcere, & loquutus est ei benignè, & posuit thronum eius super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone, &c.* 4. Reg. vlt. num. 17. & 28. Vt qui ex obedientia se in contemptum præcipitauit; ex obedientia ad maiores honores erigeretur. Adeò non impingunt, nec aberrant, qui se ab obedientia trahi, ac retrahi patiuntur.

* * *

SECTIO

SECTIO II.

Obedientia spontanea laudatur.

I. *In lege Domini non tantũ manum, sed etiam voluntas reponenda.*

FVit quidem obedientia Samuelis spontanea; quia quater se obrulit Sacerdoti, dicens: *Ecce ego*: quin vnquam eius voluntati etiam ineptè imperanti repugnaret. De qua re satis in Litera dictum est. Talis est perfectus obediens: in lege Domini habet, non manum tantùm, exequendo; sed voluntatem, amando. *In lege Domini*, inquit Dauid, *voluntas eius*. Psal. 1. n. 2. Vbi D. Ambrosius: *In quo*, inquit, *definitio beati viri à pecude discernitur: quia vir sapiens subditus legi est, voluntate, non necessitate. Plurimùm enim refert: quia in voluntate, mercedis est fructus; in necessitate dispensationis obsequium. Ita enim docuit Apostolus: Si volens hoc ago, mercedem habeo; si inuitus, dispensatio est mihi.* 1. Corinth. 9. num. 17. Hæc D. Ambrosius.

D. Amb.

Lex diuina amanda.

Vbi etiam notat, diuinæ legis exordium ab amore desumi: *Diliges Dominum Deum tuum.* Deuteron. 6, n. 5. Et rursus per Salomonem, eundem legis amorem inculcari: *Concupiscite sermones meos, diligite illos.* Sap. 6. num. 12. Quia lex non seruatur, nisi ametur. Vnde Dauid: *Custodiuit anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer.* Psal. 118. n. 167. Vbi illa particula, *Et*, videtur causalis, vt sæpè aliàs: Custodiuit, quia dilexit: aut certè sensum auget, vt vult D. Ambrosius serm. 21. in eum Psalm. *Plus*, inquit, *est diligere, quàm custodire; quia custodire interdum necessitatis est, vel timoris; diligere, charitatis. Ideò, cùm hic dixisset, Custodiuit; adiecit, Dilexit: vt custodia amantis fueris, non timentis.* Quare suos Apostolos dicebat Christus Dominus non seruos, sed amicos: *Iam non dico vos seruos: vos autem dixi amicos.* Ioan. 15. num. 15. Ne seruiendo coactè, sed amando spontaneè, obedirent. Quod egregiè notauit D. Ambros. in Psalm. 118. serm. 13. *Dominus*, inquit, *operationes seruulorum suorum spontaneas probat, potiùs quam coactas. Ideò ex seruis liberos facit; vt magis voluntatum nostrarum munera, quàm necessitatum obsequia conferamus.*

D. Ambr.

D. Amb.

C

II. *Filij Ionadab sponte obedientes.*

In hac spontanea obedientia maximè excelluerunt filij Ionadab. Nam præceptum de non bibendo vino à patre suo acceptum, non vi, sed sponte obseruarunt. Immò tentati à Ieremia, seu potiùs ab ipso Domino, ad vinum bibendum; non quidem, vt expugnaretur eorum propositum, sed, vt inexpugnabile, in aliorum exemplum probaretur; fortiter & constanter renuerunt. Non aliam reddentes causam; nisi, *quia Ionadab*, inquiunt, *pater noster præcepit nobis, dicens: Non bibetis vinum.* Ierem. 35. n. 6. Vnde non sine mysterio dicuntur filij Ionadab, qui, vt docet D. Aug. concione 1. in Psal. 70. *spontaneus* interpretatur. Et statim ad hanc spontaneam obedientiam hortatur ex verbis Apostoli: *Cum bona voluntate seruientes*, &c. Ephes. 6. num. 7. *Si*, inquit, *disciplina apostolica seruum monet, vt homini domino suo, non tanquàm ex necessitate, sed ex voluntate seruiat; & libenter seruiendo se in corde liberum faciat: quantò magis Deo tota, & plena, & libenti voluntate seruiendum est, qui videt ipsam voluntatem tuam?*

D

D Aug. *Si homini sponte seruiendum est, quantò magis Deo?*

E

III. *Ad tabernaculi fabricam spontanei artifices.*

Ad fabricandum tabernaculum non nisi spontaneos artifices Moyses inquisiuit. *Cumque vocasset*, inquit Textus, *Moyses omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, & qui sponte obtulerant se ad faciendum opus*, &c. Exod. 36. num. 2. Vbi non minùs promptam ad operandum voluntatem, quàm ipsam operandi facultatem exoptauit.

A

Quid enim prodest facultas, si voluntas desideretur? Vnde D. August. in Exod. quæst. 170. *Laudandus*, inquit, *est in his omnibus non attractus ad opus seruiliter animus: sed liberaliter & sponte deuotus.* Quòd si ad veteris tabernaculi fabricam voluntarij ministri requiruntur: quid ad euangelicæ domus structuram? Omnes quidem vocat Dauid: *Audite hæc, omnes gentes: auribus percipite, omnes qui habitatis orbem. Quique terrigenæ, & filij hominum, simul in vnum diues & pauper.* Psalm. 48. num. 2. & 3. Quia licèt operandi facultates non omnes habere queant; omnes tamen habere possunt voluntates ministrandi, quæ in euangelicæ perfectionis ædificio præcipuè spectantur. Vnde D. Ambros. ibi: *Nec diues*, inquit, *auertitur, nec pauper excluditur: quia sapientia non facultates discriminat, sed voluntates. Ille aptior, qui prior affectu, & promptior disciplina.*

D. August.

In Ecclesia voluntarij ministri requiruntur.

D. Amb.

B

IV. *Voluntas in Leuitis pro facto reputatur.*

Qui hanc habet ad parendum voluntatem, etiam antequàm obediat, creditur obedire; voluntate ipsa pro facto reputata. Ad Leuitas omnes magnam stragem in idololatris ex diuino imperio facientes, ait Moyses: *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Exod. 32. n. 29. Quasi diceret: Filios, & fratres vestros occidendo, gratissimi Deo euasistis. Sed quo pacto Leuitæ filios, & fratres suos occidere potuerunt? Nam Moyses conuocauit ad se omnes Leuitas ad idololatras occidendos, vt ex eodem cap. n. 26. palàm est: filij verò, & fratres Leuitarum erant etiam Leuitæ. Ergo nullus Leuita fuit occisus, sed omnes fuerunt occisores. Aliter atque aliter respondent Lyra, Abulens. Caiet. Oleast. cæterique Interpretes. Sed facilior mihi videtur, & ad præsens institutum accommodatior hæc responsio, Leuitas non facto, sed voto, fuisse suorum fratrum, & filiorum occisores. Adeò enim prompti erant ad parendum Deo, & interficiendum etiam fratrem, & filium, & quencunque alium Deus imperasset; vt quamuis non interfecerint, interfecisse nihilominùs viderentur.

C

Lyra. Abul. Caiet. Oleast.

V. *Abraham nõ facto, sed voto filium iugulauit.*

Quo pacto Deus olim ad Abrahamum: *Quia*, inquit, *fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me.* Gen. 22. num. 16. Nam etsi filium re ipsa non occiderit; tamen, vt loquitur D. Hieronymus in epistola 34. ad Iulianum: *Voluntate iugulauit.* Vnde D. Chrysost. hom. 47. in Genes. *Considera*, inquit, *misericordiam Domini. Non pepercisti, inquit, filio tuo. Attamen viuum ipsum reduxit. Non euentum considerat: sed voluntatem, qua faciebat mandata citra ratiocinationem curiosam. Quantùm enim ad voluntatem attinet, cruentauerat dexteram Patriarcha, & per ceruicem pueri immiserat gladium, perfectùmque obtulerat sacrificium. Idcirco & Dominus quasi sacrificio consummato laudat iustum. Tu quidem non pepercisti propter meum mandatum; ego autem peperci propter tuam obedientiam.* Itaque non facto ipso, sed solo voto filium suum Patriarcha immolauit. Hæc autem prompta voluntas apud Deum pro facto ipso æstimatur.

D

D. Hier. D. Chrys.

E

VI. *Abraham naturalem erga filiũ amorem exuisse videbatur.*

Et quidem eò laudabilior est voluntas parendi, quò ipsa ex naturali propensione opus iniunctum magis fastidit, refugit & auersatur. Talis fuit in Abrahamo, cui nihil molestius ac durius esse poterat, quàm filium, quem diligebat, iugulare. Et nihilominùs sic ad eum iugulandum, quasi non diligeret, ferebatur. *Tolle*, inquit Deus, *filium tuum vnigenitum, quem diligis.* Gen. 22. num. 2. In Hebræo & Græco est: *Quem dilexisti.* Quam lectionem sequutus D. Ambros. lib. 1. De Abraham, c. 8. Subdit. *Quasi iam non diligat immolandum.*

D. Amb.

dum. Adeò enim obfirmatum pareodi animum induerat, vt diceses naturalem iam affectum exuisse: adeò promptus erat ad exequendam dilecti filij mortem, vt iam illius vitam nullo modo diligere videretur; & quantam olim voluntatem fouendo filio impendebat, tantam modò iam exprompserat ad necandum.

VII. *Abraham nullis blanditiis ab occidendo filio retrahebatur.* Vnde nullis vocibus, quamuis tenerrimis, & ad paternum affectum excitandum validissimis ab exequendo sacrificio emollescebat. Qualis illa erat edita à filio: *Pater mi*: & illa reddita à patre: *Fili mi.* De priori quidem D. Chrysost. serm. in beatos Iob & Abraham, in 1. tom. *Cogita*, inquit, *qualis sit hæc vox apud patrem amantem filium. Nos balantis ouiculæ, quæ inarticulatam vocem emittit, miseremur sacrificaturi: cogita quantùm hæc ouis mouerent, si cum pusillo animo loqueretur.* De posteriori autem D. Ambrosius libr. 1. De Abraham, cap. 8. *Inflexibilis, inquit, à studio deuotionis minister vocare filium frequenter non timet: ita erat intentionis soliditate fundatus, & hoc se meliorem patrem putabat; hoc sibi in perenne mansurum iudicabat filium, si eum immolaret Deo.* Itaque neque audiens: *Pater mi*: neque referens: *Fili mi*: fortissimus ille ad parendum animus liquescebat. Hinc est, quòd Angelus volens pateotem ab occisione filij reuocare, *clamauit de cælo, dicens: Abraham, Abraham.* Ibidem, num. 11. Vbi in primis nota, non vocasse leniter, sed clamasse fortiter. Neque enim promptissima ad iugulandum manus aliter quàm ingenti clamore sisteretur. Deinde clamasse *de cœlo*: hoc est, de longinquo: ne, si priùs aduolaret, quàm clamaret, in illa breuissima mora, qua adueniret, impediturus, ne iugularetur; iugulatum inueniret. Tandem iterasse nomen, *Abraham, Abraham*; veritum, inquit D. Ambrosf. citatus, *Ne præueniretur studio deuotionis, & vna vox impetum ferientis reuocare non posset.* En quanta voluntate feratur perfectus obediens ad ea quoque exercenda, quæ naturaliter auersatur.

D. Chrys. D. Ambr. *Cur Angelus clamando reuocet Abrahamum.* D. Amb.

VIII. *Spontanea obedientia in Apostolis ad res naturæ contrarias.* Enituit in Apostolis hæc voluntas ad contraria iis, quæ naturaliter optauerant, paratissima. Accesserunt ad Christum Dominum duo filij Zebedæi, regnandi studio non mediocriter inflammati: & quod consequens erat, odio tolerandi labores, & iniurias, & neces non vulgariter incensi: pro quibus mater deprecata: *Dic, inquit, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Matth. 20. num. 21. Quibus Christus Dominus tantùm absuit, vt regnum, quod ambiebant, promitteret; vt potiùs calicem, quem refugiebant, propinaret. *Calicem quidem*, inquit, *meum bibetis.* Ibid. n. 23. Quid verò illi? Turbari? tristari? promissa asperoari? Minimè verò: immò potius multò magis, quàm si postulata accepissent, triumphare, exultare, & quodammodo tripudiare. Quod D. Basil. in Const. monast. c. 23. rectè expendens: *Illi*, inquit, *re audita spei sua summè contraria, nequaquam dixerunt: Alia adducti spe, ad te accesseramus, & tu contraria nobis, atque sperauimus, imperas? Nos quietem sperauimus, & tu nos in pericula protrudis? Honores nobis proposuimus, & tu ex transuerso ignominias ingeris? Regnum expectaueramus, & tu, vt exagitemur, & omnium serui simus, iubes? Horum nihil omninò dixerunt: sed his auditis, submissa mentis ceruice obedientiæ iugum subierunt; alacrique animo in pericula, in contumelias, in cruces, in varias neces processere. Gaudebant enim, quòd digni habiti sunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Actor. 5. num. 41. Sic Basilius: vbi plura in hanc sententiam. Hæc planè efficacitas est obedientiæ, quæ vota & studia voluntatis à

D. Basil.

A desideratis rebus ad oppositas detorquet & inflectit: facitque vt facile quis amet, quæ oderat; appetat, quæ fastidiebat; amplectatur, quæ detestabatur. Vnde Apostolus, qui diuinæ legi anteà repugnabat, vocatus tandem à Christo Domino: *Condelector*, inquit, *legi secundùm interiorem hominem.* Roman. 7. num. 22. Quasi illa prompta volontas ad res etiam difficillimas amplectendas, summa illi voluptas redderetur. Nam, vt bene D. Augustin. lib. 1. De nuptiis & concupiscentia, cap. 30. *Non est*, inquit, *timor torquens, sed amor libens. Ibi summus veraciter liberi, vbi non delectamur inuiti.*

Iniucunda per obedientiam dulcescunt. D. August.

IX. *Laudat Deus opera sua, ne à subditis omnia Prælatorum opera carpentibus arguantur.* Quid ad hæc, qui ad omnia imperata nauseant & fastidiunt, ne dicam, renituntur & reluctantur? Et, cùm nihil sit, cur displiceant, quæ iubentur; solùm displicent, quòd iubeantur? Certè hunc præposterum affectum voluit Deus iam ab ipsis mundi exordiis anteuertere; cùm omnia, quæ in lucem producebat, sigillatim approbabat, videns, seu iudicans, seu enuntians, quòd singula essent bona. Gen. 1. à num. 4. Præbuit enim se Deus suarum creaturarum encomiastem & laudatorem, inquit D. Chrysost. hom. 6. in Genes. *Vt omnem amputaret occasionem eorum, qui accusare audent, quæ ab illo facta sunt.* Nouerat futura hominum ingenia, qui in iis, quæ à suis Prælatis imperantur, seuerissimos se præbent Criticos & Aristarchos: laudat igitur singula, vt ea tanti auctoritate Principis approbata carpere, & vngue censorio perstringere deterreantur.

B D. Chrys. C

X. *Prælatorum detractores.* Philo. Sed illi adhuc impudentiùs, qui non solùm præcepta, sed etiam præceptores ipsos, ac Prælatos mordere & corrodere aggrediuntur. Ad quos frænandos egregia mihi videtur illa Philonis de diuina prouidentia contemplatio, lib. De specialibus legibus. *Ille*, inquit, *rerum parens & conditor, cuius nullum opus est superuacuum, dentes, non vt cætera membra nascenti statim addidit; ne infantem lacte nutriendum grauarent inutiliter, & fontes vberum, per quos alimenta deriuantur, vexarent inter sugendum.* Vbi duplicem assignat rationem, cur dentes à natura paruulis denegentur: vnam, ne sint otiosi in puerulis lactentibus; quorsum enim dentibus indigeant, qui non duris epulis inter dentes præmolendis, sed solo lacte nutriuntur? alteram, ne sint perniciosi nutricibus lactantibus, si eorum vberibus ab infantulis inter sugendum infigantur. Sed priori ratione omissa, posterior est ad rem præsentem. Sicut enim inter opera naturalia nullum videretur absurdius, quàm dentibus pungi & stimulari nutricem ab alumno; idque ne contingeret, natura spoliauit dentibus infantem: ita planè inter opera moralia nullum iniquius esse potest, quàm Prælatum à subdito morderi, & alterem ab alumno cruentari. Quo enim iure sanguinem illius fundas, à quo doctrinæ lacte saginaris?

D *Infans sine dentibus, subditus, sine murmuratione.*

XI. *Imperfecti ut obedientes præceptum & præceptorem criminatur.* Lyra. Procul ab hac iniuria non abfuit prima mulier dicens ad serpentem: *Præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Gen. 3. num. 3. Cur enim tactum, quem Deus non interdixerat, queritur interdictum? Lyranus: *Istud*, inquit, *addidit, ex displicentia præcepti: quia ille, cui displicet præceptum impositum, referendo illud, libenter aggrauat.* Accusando enim præceptum, accusat quodammodo præceptorem. Contrà verò Agar, iosta fuisse creditur à Procopio, ea potissimum de causa, quòd afflicta à Sara domina sua, nullas contra illam querelas excitarit. *A facie*, inquit, *Sarai dominæ meæ ego fugio.* Gen. 16. num. 8. Immò magno cum honore ac reuerentia

E *Perfectus obsistens à querelis.* Procop.

rentia dominam suam nuncupaoit. Vbi Procopius: *Illius*, inquit, *iustitia & æquitas hinc quoque elucet, quod nihil Saram criminetur.* Verus igitur erit obediens, qui imperata & imperantem amore & honote prosequatur.

SECTIO III.

Diligens obedientia commendatur.

I.
Nobiles ad parendum promptiores.

FVit tandem obedientia Samuelis diligens; quia vocatus festinauit & cucurrit ad Heli: vt iam io Litera multis illustraui. Sic olim filij Dauid dicebantur *Primi ad manum Regis.* 1. Paral. 18. n. 17. hoc est, promptissimi omniom ad Regis imperiom explendum. Nam, qui priori erant in honoribus, vt ait Lyra, primi ad Regis nutum obtemperabant. Neque Helisæus suo discipulo Giezi, 4. Reg. 4. num. 29. neque Christus Dominus Apostolis, Luc. 10. num. 4. permiserunt, vt quenquam in via salutarent: non quòd salutationes malæ essent; sed ne venirent ad fabulationes, atque ita extraherent tempus fabulando, quod impendi oportebat obediendo. Adde, quamuis nulla misceretur fabulatio; adhuc nihilominùs illam temporis moram satis exiguam, quam breuis salutatio consumeret, rumpendam esse; ne illud opus ex obedientia implendum, vel breuissimè retardaretur. Quam rationem præter alias inculeat D. Ambros. lib. 7. in Luc. cap. 10. vbi in primis loquutus de Helisæo: *Festinato*, inquit, *iubebat ad eum contendere; vt celebranda resurrectionis exequeretur officium; ne confabulatione alicuius obuij, mandato reflecteretur à munere.* Et statim regressus ad Apostolos, de quibus ex instituto agebat: *Ergo*, inquit, *& hîc non salutationis officium aufertur; sed obstaculum impediendæ deuotionis aboletur; vt quando diuina mandantur, paulisper sequestrentur humana. Pulchra est salutatio; sed eò pulchrior, quò præceptorum maturior exequutio diuinorum, quæ per moram sæpè trahit offensam.*

Lyra.

D. Ambr.

II.
Abrahæ ad parendū velocitas.

Sæpiùs iam Abrahæ obedientiam decantauimos: sed in ea laudanda exordiri quisque potest; nemo tamen perorare. Igitur illa eius ad parendum velocitas cui nō mirabilis videatur? Vocatus à Deo ad sacrificandum filium, nullas traxit moras; sed *de nocte consurgens* abiit. Gen. 22. n. 3. scilicet, vt notat D. Chrysost. serm. iam citato de Fide Abraham, & immolatione Isaac, *Verebatur, ne votum mora offenderet; aut iussionem tarditas impediret.* Seu, vt loquitur D. Ambr. lib. 1. De Abraham, c. 8. De nocte consurgit, non sequenti die, *Ne attulisse nox moras studio festinantis patris videretur.* Et quod magis mirere, consilio cum Sara minime communicato. Rationem reddit Procopius: *Ne Sara materna comploratione totam negotium anteuerteret.* Sed, vt hoc sanctissimæ fœminæ concedamus, illam quoque obedientiam Deo, & consensum viri in immolatione filij præstituram fuisse; adhuc nihilominùs videtur Abraham suum ei consilium communicare noluisse, ne aliqua mora in communicando duceretur. Quam eius constantiam & promptitudinem laudat D. Chrysost. hom. 54. in Gen. Deum cum Isaac loquentem introducens. *Neque*, inquit, *turbatus est mente, neque rem communicauit matri tuæ, neque pueris, neque tibi ipsi à se sacrificando: sed forti mente, & contenta alacritate festinauit, vt mandatum meum impleret.*

D. Chrys.

D. Ambr.
Abrahā sui de filio sacrificandi consilium Saræ non communicauit.
Procop.

D. Chrys.

III.
Moysis festina obedientia.

Quid verò Moyses? Quàm promptus ad diuinam vocem accurrit? *Esto paratus manè*, inquit ad eum Deus, *vt ascendas statim in montem Sinai.* Exodi 34. n. 2. Quid verò ille? Sequitur statim: A *Et de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, sicut præceperat ei Dominus.* Ibidem, n. 4. Ad ascendendum manè vocabatur: & ille nihilominùs de nocte surrexit, & antelucanus ascendit, qui tantùm matutinus ascendere iubebatur; vt imperium obsequio præueniret. Vel certe de nocte surrexit; si non ad ascendendum de nocte, ne citiùs, quam Deus vellet ac iuberet, improuidus ac temerarius ascenderet; saltem vt promptus & peruigil adesset, vt cùm primùm ascendendi tempus adueniret, nihil cunctatus euolaret. Nihilò segnior extitit & populus, cùm dixit: *Omnia verba Domini, quæ loquutus est, faciemus, &c.* vt addunt Septuaginta, *audiemus.* Exod. 24. num. 3. vt iam Sect. 1. huius Annotat. aduerti. In quæ verba Philo Hebræus B lib. De confusione linguarum, sicut & D. Aug. suprà, illum præposterum verborum ordinem expendit: *Faciemus, & audiemus;* cùm potiùs recto ordine dicturi essent: Audiemus, & faciemus. Sed hinc populi studium ad obediendum paratissimi interpretatus: *Ad facta*, inquit, *magis, quàm ad verba properant. Cùm enim alij audita faciant; isti, quod mirandum est, præ diuino quodam impetu aiunt, facturos se priùs; deinde audituros: vt non propter doctrinam & admonitionem, sed vltro & suapte sponte videantur ad bona opera accurrere.*

Populi ad obediendum festinatio.

Philo.

IV.
Aaron citiùs, quàm iubebatur, obediuit.

In medios ignes pergere iubebatur Aaron, deprecaturus pro populo. *Tolle thuribulum*, inquit Moyses, *& hausto igne de altari mitte incensum desuper; pergens citò ad populum, vt roges pro eis.* Num. C 16. n. 46. Ille verò non solum perrexit, sed etiam cucurrit. Sequitur enim: *Quod cùm fecisset Aaron, & cucurrisset in mediam multitudinem, &c.* Ibidem, n. 47. Non timuit ignes, obedientiæ clypeo armatus; & promptior fuit ad obsequium, quàm vrgebat imperium. Nec tanta alij celeritate incendium effugerant, viuendi studio stimulante: quanta ipse promptitudine incendium intrauit; parendi animo impellente. Quid Apostoli? qui vix à Christo Domino vocati, *Continuò, relictis retibus, sequuti sunt eum?* Matth. 4. n. 20. Et quidem retibus in mare iactis, iam iam extrahendis cum piscium captura. Nam Christus Dominus vidit illos *mittentes rete in mare.* Ibidem, n. 18. Itaque retia priùs extrahere noluerunt; sed statim post D Christum Dominum, illis in mari relictis, conuolarunt: quia, si in extrahendis retibus tantulam moram consumerent; tardare sibi ad diuinum imperium viderentur.

Apostolorum ad Christum sequendum promptitudo.

V.
D. Chrys.
Humana ministeria interrumpenda, vt diuina exerceantur.

Quod D. Chrysostomus ibi homil. 14. obseruans: *Perpende*, inquit, *& fidem, & obedientiam vocatorum: siquidem in medio ipsius operis constituti (scitis autem quàm auida res sit piscatio) cùm illum audissent iubentem, nihil distulerunt, nihil omninò cunctati sunt. Non dixerunt: Reuertemur domum, loquemur propinquis: sed cuncta illicò relinquentes fecerunt, quod Helisæus quoque sub Helia legitur implesse.* 3. Reg. 19. num. 20. *Talem quippe à nobis obedientiam Christus efflagitat, vt neque punctum temporis differamus; etiamsi nos aliquid necessarium vrgere videatur.* E Vbi quidem aptissimo vtitur exemplo Helisæi, qui inchoatum arandi opus interrupit, & incustoditos boues, quibus arabat, dereliquit: (neque enim, vt ex Litera patet, alius quisquam aderat, qui relictos boues custodiret) ne tardare ad vocantis non tam vocem, quàm nutum videretur. Reuerà enim Helisæus sequutus est Heliam, non vocantem clara voce; sed innuentem obscuro signo. *Misit*, inquit, *Helias palliam suum super illum, qui statim, relictis bobus, cucurrit post Heliam.* Perfectus enim obediens imperium nō expectat: sed quouis eius indicio ad parendum excitatur.

Non modò ad vocem, sed etiam ad nutum vocati festinandum.

Quid

VI. *Etiam mortui ad obediendum festinant.*

Quid, quòd etiam mortuus obedire non desistit: sed tanta celeritate ad obediendum rapitur, quanta viuus raperetur? Lazarum Christus Dominus de sepulcro, in quo quatriduanus iacuerat, foras venire iubet. *Et statim*, inquit Textus, *prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis.* &c. Ioan. 11. n. 44. Sed, cur illis nexibus & vinculis exsolutus non exiuit? Credo, vt promptior ad imperantis vocem festinaret; & ne breuissimam illam moram, qua suis se nodis expediret, in sepulcro cunctaretur. Ita planè sentit D. Chrysostomus: *Lazarus*, inquit, *exiuit de sepulcro cum linteaminibus, ne mors tarda iussionibus Dei notaretur, si vel breuissimum tempus in soluendis linteaminibus consumeret.* Nescio, an Samuel hanc quoque in obediendo celeritatem mortuus expresserit, quam semper viuus expressisset: nam, sicut viuus, cùm è lecto vocaretur, cucurrit ad Heli; ita mortuus, cùm vocaretur è sepulcro, festinauit ad Saülem, dicens: *Quare inquietasti me, vt suscitarer?* 1. Reg. 28. n. 15. vt viuus, ac mortuus eandem semper ad parendum promptitudinem conseruaret.

D. Chrys.

Samuel, vt viuus, sic & mortuus, obedint.

VII. *Angeli equi ad parendum veloces.* *D. Dion. Areop.*

Tandem Angeli ad parendum quàm sunt prompti? Equis in Scriptura comparantur, 4. Reg. 6. n. 17. Zach. 6. à n. 1. Apoc. 6. n. 2. & passim alibi. Rationem reddit D. Dionys. Areopag. lib. De cælesti Hierach. cap. 15. vt eorum velox obedientia ostendatur. *Equorum*, inquit, *figura obedientiam in sanctis Angelis significat, qua diuinis obtemperant iussis.* Vt enim equi in velocitatis symbola assumuntur: ita ad promptissimam Angelorum obedientiam repræsentandam aptissimi censentur. Sed cælestis sponsus non quibuscunque equis; sed equis Pharaonis suam sponsam comparauit. *Equitatui meo*, inquit, *in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea.* Cant. 1. n. 9. Notissimum est ex 3. Reg. 4. & 10. & 2. Paralip. 1. & 9. & ex Iosepho lib. 3. Antiq. cap. 1. & 7. Salomonem velocissimos equos, & habilissimos currus ex Pharaone Ægyptio Rege sibi comparasse. His ergo assimilatur sponsa; quia non minori celeritate in diuina obsequia ferebatur. Quamuis Orig. hom. 1. in Cant. non solùm ad celeritatem, sed ad docilitatem patendi respiciat. *Beatæ*, inquit, *sunt illæ animæ, quæ dorsum suum curuauerunt, vt suscipiant sessorem verbum Dei super se; & frena eius patiuntur, vt quocunque ipse voluerit, flectat & agat habenis præceptorum suorum; quia iam non propria voluntate incedunt, sed ad omnia ducuntur & reducuntur voluntate sessoris.*

Equi Pharaonis velociores.

Iosephus.

Origen. *Obedientes equi propter celeritatem, & docilitatem.*

VIII. *Quanta sit obedientium celeritas.*

Verùm hæc obedientium celeritas tanta est, vt non solùm equis & quadrigis, vt aiunt: sed etiam fulguribus comparetur. Vnde Iob ad Deum: *Mittes*, inquit, *fulgura, & ibunt; & reuertentia dicent tibi: Adsumus.* Iob. 38. n. 35. Vides, vt semper sint in promptu? Eunt, & reuertuntur: immò priùs eunt, & reuertuntur; quàm dicant, *Adsumus*: quia tam celeriter mandata exequuntur, vt cùm se offerunt ad exequendum, iam exequuta fuisse videantur. Rectè fulgura, non tonitrua: hæc enim tardiùs ad aures, quàm illa ad oculos perlabuntur. Sed totum hoc argumentum vt concludam, appono verba D. Ambros. lib. 3. Hexamer. c. 1. qui ad illa verba: *Congregentur aquæ.* Genes. 1. num. 9. promptiores ad parendum Deo insensibiles creaturas, quàm homines esse lamentatur. *Dictum est*, inquit, *congregetur aqua, & congregata est: & frequenter dicitur: congregetur populus, & non congregatur. Non mediocris pudor est, imperio Dei insensibilia elementa parere, & homines non obedire.* Et cap. vlt. eiusdem libri, postquàm omnium creaturarum in obediendo di-

Obedientes fulgura.

D. Amb.

Promptiores belluæ, quàm homines ad parendum Deo.

A ligentiam expendit: *Surdiora*, inquit, *corda hominum sunt, quàm dura saxorum. Terra indebitos fructus nobis ministrat, dum obsecundat auctori: nos debitum munus negamus, dum non veneramur auctorem.* Sed hac de re dicendi occasio alibi redibit. Nunc ad historiam.

Num. XI. Et dixit Dominus ad Samuelem: Ecce ego facio verbum in Israël, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Expositio Caietani.* *Caiet.*

ET *dixit Dominus ad Samuelem.* Loquutionéne externa ad aures, an interna ad intellectum, dubitabis. Hoc posterius sentit Caietanus. Nam licèt insinuare videatur, priores tres vocationes; immò & hanc quartam, quoad eius initium, quo Samuel bis vocatus est; fuisse externas & sensibiles per modum excitantis à somno; vt nos iam in superioribus probabilius esse diximus: tamen existimat, hanc reliquam huius quartæ reuelationis dictionem fuisse internam: ita vt postquàm Deus Samuelem sensibiliter vocauit, & excitauit à somno; deinceps cum eo iam excitato non ad aurem, sed ad intellectum loqueretur. Probat, quia paulò inferiùs, Num. 15. hæc loquutio appellatur *visio*: quod nomen in internam tantùm loquutionem quadrare arbitratur. Atque hinc Samuelem laudat, cui puero perfectissima prophetia communicata est: qualis est illa, quæ in interna loquutione ad intellectum consistit, vt iam suprà Num. 1. & 4. ex D. Thom. tradidimus. Nihilominùs nullum video huius assertionis fundamentum. Cur enim Deus sensibiliter excitet; & statim cum excitato intellectualiter loquatur? Aut cur nos ita factum liberè affirmemus; cùm nullum in Litera indicium huius transitus ab externa ad internam loquutionem inueniamus? Nam indicium Caietani desumptum ex nomine *visionis* nihil efficit: quia visio ex vi nominis potiùs externam apparitionem significat, quàm internam loquutionem: vnde ex ea sumebant argumentum Auctores in superioribus citati, ad asserendum, hanc vocationem factam fuisse, interuentu non solùm vocis sensibilis; sed etiam formæ spectabilis. Ex vsu autem Scripturæ, ad quamlibet notitiam certam & infallibilem significandam vsurpatur: nec opus est, vt ad solam intellectiuam limitetur. Quare & Literæ, & Expositoribus congruentius iudico, totam hanc & vocationem, & loquutionem externam fuisse: ita tamen temperatam, vt à solo Samuele audiretur; siue, quia vox erat submissa; siue, quia aberant auditores; siue, quia species audibiles facilè poterant ab Angelo loquente impediri, ne ad alium, quàm ad Samuelem funderentur.

Impugnatur.

Loquutio Dei cum Samuele fuit externa.

II. *Puero senili consilio maturi.*

Neque hinc sua Samueli tollitur commendatio; immò adhuc inconcussa perseuerat, quòd illum Deus adhuc puerum familiariter alloquatur; vt Num. 1. huius capitis latè ostendi, & hîc obiter confirmo. Quia natura aliquando puerile ingenium ad consilium senile format & componit: iuxta illud Persianum, Satyra quarta:

Sunt quibus ingenium, & rerum prudentia velox
Ante pilos venit.

Persius.

Et illud Ouidianum 1. De Arte.

Cæsaribus virtus contigit ante diem.

Ouid.

Et illud Virgilianum de suo Ascanio 9. Æneid.

Virg.

Ante

Ante annos, animúmque gerens, curámque virilem. Vnde Nestor apud Homerum Iliad. 9. dicebat, iuuenem Diomedem inter Argiuos Reges *natu minimum, consilio maximum.* Quod Romani non ignorabant, ætatem viginti annorum consularem, seu aptam gerendo consulatui interdum ex lege definientes, vt ostenderent, inquit Tullius Philippica 5. *Virtutis cursum celeriorem esse posse, quàm ætatis.* Si igitur natura in puerili ætate senilem grauitatem sic maturat; quid minùs præstabit gratia?

Homerus. Tullius.

III. Iosephum nemo ignorat, fuisse parenti suo cæteris filiis chariorem, *eò quòd in senectute genuisset eum.* Gen. 37. n. 3. seu, quod idem est, *eò quod filius senectutis esset ei:* vt Septuagiota ex Hebræo transferunt. Quod aliqui Rabbini apud Abulensem accommodatè ad rem præsentem sic interpretan- B tur: *Eò quòd esset loquens senectutes:* hoc est, res senili prudentia dignas. Quasi puer ideò amaretur præ cæteris, quòd non leuiter, & pueriliter; sed grauiter, & seniliter loqueretur. Et clariùs vertit Chaldæus: *Eò quòd filius sapiens esset ei.* Quasi Iosephus ætate puer, maturitate senex, sua illa senectute iuuenili, aut senili iuuentute totum patris amorem in se transferret. Quid igitur mirum, si Deus pari ratione erga Samuelem afficiatur & animetur, & in illa annorum viriditate, annutom maturitatem amet, foueat, suscipiat, & peculiari quadam beneuolentia prosequatur?

Iosephus in pueritia Patri charus, quia moribus senex.

Samuel etiam puer placebat Deo, vt prudens senex.

IV. *Ecce ego facio verbum in Israel.* Suam reuelationem orditur Angelus à celeritate supplicij: sicut ille vir Dei superiori cap. n. 31. *Ecce dies veniunt.* C Eodem enim modo vtrobique interpretare. Sed loquutionem expende: *Ecce ego facio verbum in Israel.* In primis ipse Deus se huius supplicij auctorem profitetur. Ne quis putaret, illas plagas casu & fortuitò, aut ordinario tantùm secundarum causarum progressu contigisse: sed à Deo peculiari suæ prouidentiæ consilio immissas esse non dubitaret. Eadem emphasi Christus Dominus apud Dauidem dixit: *Ego dormiui, & soporatus sum.* Psal. 3. n. 6. Vbi vtitur pronomine *Ego: Ad significandum*, inquit ibi D. Augustinus, *quòd sua voluntate mortem sustinuit; secundùm illud: Ego pono animam meam.* Ioan. 10. num. 17. *Non ergo vos me tanquàm inuitum cæpistis, & occidistis: sed ego dormiui, & somnum cæpi.* Sic igitur hoc loco non casu D eueniet hoc supplicium; sed illius ego auctor existam. Deus enim sicut præmia in bonos; ita & supplicia in malos à se ipso prodire palam testatur; vt mali eum timeant, quem non possint euadere punitorem. Vnde Rupert. lib. 4. De victoria Verbi, c. 10. *Missum est*, inquit, *contra illum* (nempe, Sacerdotem Heli) *verbum Domini, cum quo, vel per quod Iudices, vel seniores omnes tam veteres, quàm noui, meruerunt sedere coronati.* Vt scilicet eundem debeant & iusti amare coronatorem, & iniusti punitorem formidare.

Deus se vltorem profitetur.

D. August. Rupert.

V. Deinde, *Facio*, inquit, pro, *Faciam.* Sic enim est vsus Prophetarum, teste D. Ambr. serm. 8. in Psal. 118. ad illa verba: *Misericordia tua, Domine, plena est terra:* vt præsens accipiant pro futuro; tum ad E certitudinem; tum ad celeritatem rerum, quas prophetant, indicandam. Quo pacto ad stultum illum diuitem dictum est: *Stulte, hac nocte repetunt animam tuam à te.* Luc. 12. n. 20. pro, *repetent.* Immò aliquando Prophetæ verba de præterito, futuróque simul coniungunt; vt videre est in Ps. 3. num. 6. proximè citato, iuxta Septuaginta: *Surrexi, quia Dominus suscipiet me;* seu, *sustentabit me.* Vbi D. Augost. quærit, cur dicat, *Surrexi*, de præterito; & *Suscipiet*, de futuro; *Cùm resurgere vtique sine illa susceptione non posset.* Et respondet in prophetia A misceri futura præteritis. *Quia ea*, inquit, *quæ ventura prophetantur, secundùm tempus futura sunt: secundum verò scientiam prophetantium, iam pro factis habenda.* Sic igitur hoc loco: *Ecce*, inquit, *ego facio*, de præsenti: & paulò pòst n. sequenti: *In die illa suscitabo*, de futuro. Vt supplicium, & futurum secundùm tempus, & celeriter atque infallibiliter futurum secundùm scientiam, significetur.

D. Amb. *Certitudo, & celeritas diuini supplicij.*

D. Aug.

VI. Sed quid facit? Seu, quid faciendum meditatur? *Verbum*, inquit, *in Israel:* hoc est: Ingens, prodigiosúmque supplicium. Nouum enim non est in Scriptura, verbum pro facto vsurpari, vt c. 1. n. 23. iam ostendi. Difficultas tamen est, quod supplicium hoc loco significetur. Lyra existimat, significari captiuitatem Arcæ per Philisthæos: ductus fortasse, quia additur: *In Israel:* quasi de supplicio publico, quale hoc erat; non autem de aliquo priuato ageretur. Abulensis verò putat, significari cladem in filiis Heli, eorúmque posteris exercendam: motus, quia aliter Sacerdos facilè sibi persuaderet, ea supplicia non pro suis, ac filiorum suorum sceleribus, sed pro communibus totius populi criminibus euenire.

Ingens supplicium significatur. *Quidam putant captiuitatem Arcæ.* Lyr.

Abul. *Alij, mortem filiorũ Heli.*

VII. Nihilominùs Auctor Quæst. hebr. Dionys. & Salianus, quibus assentior, probabiliùs tenent vtrunque supplicium indicari; immò quidquid calamitatis tam publicæ, quàm priuatæ, c. sequenti enarratur. Moueri potuerunt: tum, quia maiestas verborum; quibus hoc supplicium prædicitur, non videtur ad vnum tantùm limitanda; sed C ad omnia, quæ acciderunt extendenda: tum, quia sicut peccatum omnibus iam commune erat; siquidem impuri Sacerdotes transgredi fecerant populum Domini, vt præcedenti cap. n. 24. dictum est, ita illud supplicium prędici debuit, quod ad omnes pertineret: tum denique, quia Septuaginta pluraliter loquuntur: *Ecce ego facio verba.* Et, vt addunt Biblia Sixtiana, *Verba mea:* vt non tantùm supplicium; sed omnia, quæ sub id temporis contigerunt, significare videantur. Nec potuit Heli existimare, quod timuit Abulensis; nimirum propria ipsius non esse peccata, quæ communi supplicio plecterentur. Nam, si vnius priuati hominis peccatum in totam communitatem redundat; vt patet in Achan, quo solo peccante, ac D furante de præda Ierichuntina; nihilominùs absolutè dicitur Iosue 7. num. 1. *Filij autem Israel preuaricati sunt mandatum, & vsurpauerunt de anathemate.* Et in Benjamin, in cuius tantùm sacco scyphus argenteus deprehensus est; & tamen Iosephus ad omnes eius fratres: *Cur*, inquit, *sic agere voluistis? &c.* Genes. 44. num. 15. Et in Iuda, quo solo de liberalitate ac religione Magdalenæ erga Christum Dominum murmurante, vt patet ex Ioan. 12. n. 4. tamen absolutè dicitur Matth. 26. n. 8. *Videntes autem discipuli, indignati sunt dicentes: Vt quid perditio hæc?* Et sic de aliis. Cuius rei typus præcessit in serpente; quo solo primis parentibus insidiante; tamen omnes bestiæ terræ diuina benedictione piscibus & auibus commu- E nicata spoliantur. Vt videre est Genes. 1. n. 22. & 25. Confirmátque D. Anastas. Synaïta lib. 6. Hexamer. dicens, *bestias terra priuatas fuisse benedictione; quoniam in eis erat serpens, Eua, seu potiùs sancta Ecclesiæ hostis & insidiator.* Quasi vnius culpa, in omnes bestias propter naturæ, societatísque commercium refunderetur.

Probabilius, vtrunque, immò & plura alia.

Vnius priuati culpa in communitatẽ redundat.

D. Anast.

VIII. Si igitur vnius priuati hominis peccatum in totam communitatem peruadit, eámque pœnis subeundis exponit; quid mirum, si culpa Principis ita spargatur in vulgus, vt non minùs hoc, quàm ille suppliciis inuoluatur? Sic propter Pharaonis

Peccatum Principis in populum refunditur.

A raonis & Abimelech incontinentiam in Saram, tota vtriusque domus flagellatur. Gen. 12. n. 17. & Gen. 20. n. 18. Sic propter Saülis perfidiam in Gabaonitas, tota eius posteritas ad supplicium reposcitur. 2. Reg. 21. n. 5. Sic propter superbiam & elarionem Dauidis populum numerare iubentis, ac de eius multitudine gloriantis; in totum regnum immissa à Deo pestilentia deseuiit. 2. Reg. 24. n. 15. Quod ipse Dauid non ignorauit, Deum sic deprecatus: *Ego sum*, inquit, *qui peccaui, & ego inique egi: isti qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Ibidem, n. 17. Nescire igitur non debuit, nec potuit Heli, ex sua illa negligentia & ignauia in filios, tanquàm ex fonte, tam multa illa scelerum, B suppliciorúmque flumina totam in rempublicam sedundasse.

IX.
Cur hæc denuntiatio à beneficiis, vt præcedens non exorditur.

Vnum superest dubium, Cur diuerso modo ille vir Dei ad Heli, de quo superiori cap. n. 27. dictum est: & hic Angelus ad Samuelem exordiatur. Nam ille incepit à beneficiis collatis domui Heli: *Nunquid*, inquit, *non apertè reuelatus sum domui patris tui?* &c. Hic autem à suppliciis vniuerso populo inferendis exorditur: *Ecce ego*, inquit, *facio verbum in Israël*, &c. Tota hæc dubitatio cessaret, si vera esset translatio Philonis in Antiquitatibus Biblicis: vbi hic Angelus cum Samuele loquutus, non minùs quàm ille vir Dei loquutos cum Heli, exorditur à beneficiis in totum populum Israëliticum, & in tribum Leuiticam, & in domum Aaronicam C collatis. Et fortasse ita fuit, quamuis sacer Scriptor compendio vsus, ea omiserit, quæ facilè poterant ex præcedentibus subintelligi. Nihilominùs, si non aliud habuit exordium, quàm in exemplaribus Latinis, Græcis & Hebræis exprimatur, difficultas stat. Ad quam duplex responsio esse potest. Vna, propterea diuersis vtrumque exordiis vsum esse, vt hic Angelus comminatione pœnarum frangeret, quem ille vir Dei non potuit recordatione beneficiorum emollire: atque adeò processus in diuinis monitionibus à lenioribus ad seueriores ostenderetur. Altera, vt nouos Propheta Samuel disceret, qualem deinceps se deberet in suos subditos præstare; audiénsque primam à Deo comminationem adeò terribilem, non lenitatem D magistri sui in obiurgando, sed diuinam seueritatem imitaretur. Atque adeò integritate suare pataret, quod Heli sua facilitate labefecit.

Philo Biblicus.

Duplex responsio.

X.
Sensus causalis horum verborum, iuxta Septuaginta.

Quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius. Septuaginta in Bibliis Regiis & Complutensibus, illud, *Quod*, vertunt in, *ὥστε*, hoc est, *vt*; atque adeò videtur efficere sensum causalem in hunc modum: Ecce ego cogito supplicium in Israëlem, vt omnis, qui illud audierit, à simili supplicio sibi timeat ac perhorrescat. Et eodem modo loquitur vulgatus, 4. Reg. 21. n. 12. *Ecce ego inducam mala super Hierusalem, & Iudam; vt quicunque audierit, tinniant ambæ aures eius.* Pulchra autem est metaphora, qua hic metus explicatur, ducta ab aurium tinnitu. Nam, quemad- E modum à cymbalo pulsato, vel à tormento explοso, vel à tonitruo è nubibus eliso, magni existunt fragores, quibus aures complentur & obtunduntur; ita vt sonitu iam euanescente, adhuc aures circumstrepere videantur: quod experiuntur populi Catadupi, qui, teste Plinio lib. 5. nat. hist. c. 9. nimio fragore Nili inter immensos scopulos potiùs ruentis, quàm fluentis, obsurdescunt. Ita ex suppliciis, quæ aliquibus à Deo in vindictam infliguntur, ingens resultat metus, quo aliorum animi in medicinam consternentur: adeò vt etiam postquàm supplicia abiêre; adhuc timores altè in

Pulchra metaphora.

Plinius.
Catadupi Nili fragore surdi.

animo reponantur. Itaque Deus quosdam punit, vt alios terreat, & sic omnes in officio contineat. Quod paucis illustro.

Vnius punitio, multorum correctio.

XI.
Pœna paucos afficiat, multis proficiat.

EXiguus esset pœnarum fructus, si solas in malis culpas corriperent; & non pariter in bonis virtutes excitarent. Quare sic dirigi debent, vt cùm paucos afficiant, multis proficiant. Quo pacto olim Romani suas legiones aliquod flagitium ex communi consensu admittentes decimabant; hoc est, in decimum quenque militem sortitione deprehensum animaduertebant: *Vt metus*, inquit Tullius pro Cluentio, *ad omnes, pœna ad paucos perueniret.* In quem sensum D. Cyprian. serm. 5. de lapsis post medium, loquutus de suppliciis, quæ à Deo in hâc vita inferuntur: *Plectuntur*, inquit, *interim quidam, vt cæteri corrigantur. Exempla sunt omnium, tormenta paucorum.* Ad hanc rem explicandam mihi videtur opportunè inseruire, quod D. Ambros. lib. 2. de Caïn & Abel, c. 2. rectè ponderauit, de hominum industria in feris cicurandis. Nam, cùm non audeant diriores belluas verbere coercere, ne irritentur; coërcent metu. *Toruos*, inquit, *leones cernimus, naturalem feritatem imperata mutare mansuetudine, suam rabiem deponere, nostros mores sumere. Et cùm sint ipsi terribiles, discunt timere. Caditur canis, vt pauescat leo: & qui sua iniuria exasperatur, coërcetur aliena, alteriúsque exemplo frangitur.* Quemadmodum igitur generosæ animantes non tam propriis, quàm alienis verberibus franguntur: Ita planè homines liberali ingenio prædlti non tam sua supplicia sentientes, quàm metuentes aliena, in officio continentur. Cæditur impius, vt pauescat iustus: vel etiam aliquando vice versa, cæditur innocens, vt pauescat nocens. Cùm enim nocentes, tanquàm leones, propriis plagis irritentur & efferentur; necesse est, vt innocentium plagas, tanquàm catulorum, intuentes, timere discant, & paulatim ad mansuetudinem reducantur.

Tullius.

D. Cypr.

D. Ambr.

Leones non flagro, sed metu cicurantur.

XII.
Ex Pharaonis pœna multorum medicina.

Eandem doctrinam inculcat idem D. Ambros. in Apostolum Paulum ad illa verba: *Dicit enim Scriptura Pharaoni: Quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam, & vt annuntietur nomen meum in vniuersa terra.* Rom. 9. n. 17. Vbi docet Pharaonem à Deo flagellatum, vt ex vnius vindicta fieret multorum medicina; & ex illius pœna aliorum culpæ emendarentur. *Suscitatus*, inquit, *est, vt esset in cuius pœnam, omnes, qui sine Deo erant, metu territi, hunc solũ Deũ esse cum admiratione maxima faterentur: à quo hæ vindictæ sunt.* Quod statim declarat optima similitudine, desumpta à veterum consuetudine Medicorum. *Antiqui Medici*, inquit, *in hominibus morte dignis, vel mortis sententiam consequutis, requirebant, quomodo prodessent viuis, quæ in homine latebant: vt apertis his, cognoscerent causas ægritudinis; vt pœna morientis proficiat ad salutem viuentis.* Non aliter in malorum plagis habent iusti, quid timeant; & vnde ad perfectionis vitæ culmen enitantur.

D. Ambr.

Optima similitudo ex arte anatomica.

XIII.
Flagellantur Ægyptij, vt erudiantur Hebræi.

Flagellauit Deus Ægyptios, vt Iudæos erudiret. Nam *plaga Ægyptiorum*, inquit D. August. *eruditio est filiorum Israel.* Vnde illud Prou. 19. n. 25. *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Et illud Prou. 21. n. 11. *Mulctato pestilente sapientior erit paruulus.* Iubebat olim Deus, vt filius proteruus & contumax & inobediens parentibus, lapidaretur. Et rationem reddit: *Vt auferatis*, inquit, *malum de medio vestri, & omnis Israël audiens pertimescat.* Deut. 21. n. 21. Vbi Lyra docet, hanc mortem non solùm illi profuisse, quatenus ei malo-

D. Aug.

Lapidabatur malus filius, vt totus populus emendaretur.

Lyra.

ruoi

rum augendorum occaſionem præcidebat; ſed etiam aliis. *Quia per hoc*, inquit, *dabatur eis correctionis exemplum.* Et eodem modo interpretatur D.Ioann.Damaſ. lib. 3. Paral.c.62. vbi eius Scholiaſtes plura loca D.Greg.Nazian. colligit in eandem ſententiam. *Proximorum plagâ caſtigari, atque emendari oportet, ac per aliena mala ſuis rebus probè conſulere.* Et rurſus: *Ex alienis calamitatibus hoc commodi capiendum eſt, vt noſtris rebus rectè proſpiciamus.* Ac tandem: *Pœna ſæpè eos, qui peccant, meliores reddit; ſin minùs, eos, qui ad ipſos accedunt: etenim aliorum cruciatus, multos ad meliorem frugem conuertunt, metuentes, ne eadem patiantur.*

D. Damaſ. D. Greg. Naz. Quorundam calamitas, aliorum ſanitas.

XIV. Percuſſit olim Abraham quatuor Reges Aſſyriorum, & opima ſpolia retulit ex certamine. Gen. 14. num. 15. Nihilominùs gaudio, vt videbatur, triumphaturus cœpit timere; ita vt à Deo opus fuerit animari: *Noli timere, Abraham: ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Gen. 15. n. 1. Quid times, Abraham? Tuta ſunt omnia. Victus ceſſit tuus hoſtis: victor triumphat tuus miles. Quid times? Caietanus exiſtimat, timuiſſe hoſtes ſine dubio redituros. Lyra, timuiſſe præſentem felicitatem, ne ſibi fortaſſe à Deo in præmium pro aliquibus benefactis, æternæ mercedis loco reponeretur. Ego, ad rem præſentem, timuiſſe ex aliena calamitate. Vidit nanque ſuperbos Reges, glorioſos milites, victrices acies, quæ paulò antè de quinque Regibus triumpharant; nunc, mutata belli alea, ingentem cladem ſubiiſſe. Timuit, ne quid ſimile aliquando ſibi eueniret. *Cæditur enim canis, vt paueſcat leo.* Quorundam vindicta eſſe debet medicina aliorum; & morientium volnera, viuentium pharmaca.

Abrahã victor timebat. Duplex timendi ratio. Caiet. Lyra. Tertia ad rẽ præſentem.

XV. Victores exierunt de mari rubro Iſraëlitæ, *Et viderunt*, inquit Textus, *Ægyptios mortuos ſuper littus maris.* Exod. 14. n. 31. Quid deinde? Sequitur ſtatim: *Timuitque populus Dominum.* Timor hic intempeſtiuus fortaſſe alicui videretur: nam timuiſſe, cùm haſtati vrgebant hoſtes; mirum non fuit: at verò timuiſſe, cùm exanimati iacebant; res planè inaudita. Dices, Iſraëlitas non timuiſſe quidem Ægyptios, ſed Dominum, vt videtur ipſa Litera expreſſiſſe. Optimè quidem. Quaſi timere Deum tunc inceperint, quando homines timere deſierunt. Vt enim qui nimiùm timent homines, non timẽt Deum; ita qui ab humano timore liberantur, diuino arctiùs conſtringuntur. Sed aptiùs reſpondeo ad præſens inſtitutum, ex alieno infortunio timuiſſe. Mecũ ſentit Oleaſter. *Qui*, inquit, *gaudere debuiſſent de ſuffocatis hoſtibus, timere dicuntur: nam qui propter nos deſtruit inimicos, nos etiam ſuffocabit, ſi ex amicis inimici ſiamus.* Vides, vt ex alienis malis ſalubris metus à iuſtis hauriatur, quo ſuæ conſcientiæ morbis medeantur?

Iſraëlitæ de mari rubro egreſſi timuerunt. Vbi non timetur homo, timẽdus Deus. Fortunatus ex alieno infortunio formidet. Oleaſt.

XVI. Multus fuit olim Deus in Ioſuë animando, cùm eum in Moyſis locum ſubſtituit, & vniuerſo populo præfecit. Nam vno, eodémque cap. ter illa verba inculcauit: *Confortare, & eſto robuſtus.* Et quidem vltimo loco cum vehementi exaggeratione: *Ecce*, inquit, *præcipio tibi: confortare, & eſto robuſtus: noli metuere, & noli timere.* Ioſuë 1. num. 9. Arguit planè tam vehemens adhortatio, fuiſſe Ioſuë incredibili metu perculſum. Sed vnde tantus timor? Planè ex recenti ſupplicio illato Moyſi, adhuc ambæ aures eius tinniebant. Optimè Lyra: *Viderat*, inquit, *Ioſue, quòd Moyſes ſanctiſſimus malitia perturbatus peccauerat in aquis contradictionis; propter quod priuatus fuerat ingreſſu terræ promiſſionis: & ideò meritò timebat, ne ſibi aliquid ſimile accideret.* Tres illi Iobi amici, *Sederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum.* Iob 2. num. 13. Quò ſpectabat tam profundum ſilentium? Optime ad rem præſentem Orig. lib. 3. in Iobum, ſiue Polychronius: *Tacebant*, inquit, *ſolliciti de ſe ipſis, metuentes, quid de ſe ipſis agerentur.* Videntes enim tam acres pœnas exigi à viro ſanctiſſimo, metuebant, ne à ſe ipſis maiores repeterentur.

Ioſuë ex Moyſis ſupplicio timebat. Lyra. Iobi amici ex Iobi calamitate formidabant. Orig. Polychr.

XVII. Sæpè Chriſtus Dominus Phariſæos obiurgabat & perterrebat, non tam vt illos à peccatis auerteret, quos ſciebat obſtinatos; quàm vt diſcipulos ad virtutes excitaret; vt Auctor imperfecti Operis in Matth. homil. 43. rectè ponderauit: *Poſtquàm Dominus*, inquit, *impios Sacerdotes ſuper ſe irruentes, quaſi feroces beſtias quodam venabulo acutiſſimæ reſponſionis proſtrauit, & incorrigibilem conditionem eorum oſtendit: nam laïci delinquentes facilè emendantur; Clerici autem, ſi mali fuerint, inemendabiles ſunt: tunc conuertit ſermonem ſuum ad Apoſtolos; vt illorum confuſio, iſtorum fieret diſciplina. Infructuoſum nanque eſt verbum, in quo ſic alter confunditur, vt alter non erudiatur. Nam & Deus non propter malos caſtigationem ſuper terram tranſmittit; ſed propter bonos. Scit enim, quia malos flagella non corrigunt; ſed malos caſtigat, vt corrigat bonos: quia bonus, niſi admonitus fuerit, per negligentiam euaneſcit.* Vnde D.Paulus ſuum diſcipulum ad debitam ſeueritatem exercendam adhortatus: *Peccantes*, inquit, *coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant.* 1. Timoth. 5. n. 20. Quaſi optimus punitionis fructus, ſit timor aliorum.

Arguebãtur Phariſæi, vt Apoſtoli deterrentur. Auctor Operis imperf.

XVIII. Vtinam noſtris auribus hic diuinorum ſuppliciorum tinnitus inhæreret: ab illis proculdubiò ille, de quo agit Apoſtolus 2. Tim. 4. num. 3. inanium fabularum pruritus exularet. Vnde D.Gregorius ad hunc locum, per ambas aures tinnientes, & temporalem, & ſpiritualem intentionem intelligens: *Cùm*, inquit, *ſummorum virorum ruina oſtenditur, electorum intentio vtraque turbatur: quia & pauenti corde ad contemplanda æterna ſe erigunt; & ſine ingenti formidine temporalia non diſponunt.* Neque ſolùm ad iuſtos, ſed etiam ad peccatores terrendos diuina ſupplicia infliguntur. Hinc illud: *Thronus eius flamma ignis: rota eius ignis accenſus: fluuius igneus, rapidúſque egrediebatur à facie eius.* Dan. 7. num. 9. Vbi D. Hieronymus: *Omnia*, inquit, *Dei flamma ſunt; vt peccatores tormentorum magnitudinem pertimeſcant.* Eodem pertinet illud Dei præceptum: *Omnis, qui tetigerit montem, morte morietur: ſiue iumentum fuerit, ſiue homo, non viuet.* Exod. 19. num. 12. Cur enim etiam bruta pœnis obſtrinxit? *Vt homines*, inquit Oleaſter, *à peccatis deterreret: & ſcirent, ſe propter peccata meritas pœnas daturos; poſtquàm viderent, animalibus brutis & ſine ratione non parci.* Denique, cur Deus olim tam duras pœnas ab Ægyptiis, Chananæis & Babyloniis popoſcit; niſi vt alios ſui nominis hoſtes, quominùs rebelles exiſterent, perterreret? Nam, vt bene Diuus Auguſtinus epiſtol. 50. ad Bonifacium: *Sicut*, inquit, *meliores ſunt, quos dirigit amor; ita plures ſunt, quos corrigit timor.* Atque hæc de ſenſu cauſali.

Suppliciorum tinnitus excindit pruritũ fabularũ. D. Greg. Peccatores per aliena ſupplicia corriguntur. D.Hieron. Oleaſt. D.Auguſt.

Proprius Literæ ſenſus.

XIX. QVamuis ſenſus cauſalis, hactenus explicatus & illuſtratus, Literæ non repugnet; ſed congruat & cohæreat, optimámque ad mores doctrinam ſubminiſtret: nihilominùs vulgata, & Chaldæus, immò & Septuaginta in Bibliis Sixtianis, excludentes illud, *Vt*, & relatiuum, *Quod* retinentes, ſenſum efficiũt oſtenſiuum, ſeu conſequutiuum. Facio verbum, quod omnes qui audierint,

Senſus conſequutiuus vulgatæ conformior.

audierint, pertimescant. Similem ferè sensum facit Ieremias c.19.n.3. *Ecce ego inducam afflictionem super locum istum; ita vt omnis, qui audierit illam, tinniant aures eius.* Vbi particula, *Ut*, non est causalis, vt paret: sed demonstratiua, seu expositoria, seu potiùs exaggeratiua. Igitur, quorundam suppliciis auditis, consequenter alij perterrentur. Sic, audita Ægyptiorum calamitate, *Conturbati sunt Principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan.* Exod.15.n.15. Horum item strage audita, statim, inquit Rahab, *Pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiritus ad introitum vestrum.* Ios.2.n.11. Hostibus prætereà Dauidis profligatis, ad omnes se timor effudit: *Commota est, & contremuit terra: fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt; quoniam iratus est eis.* Psal.17.n.8. Denique euersa Tyro, vicinæ insulæ tremuerunt, & à suis commerciis cessarunt; iuxta illud: *A sonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur classes: descendent de nauibus suis omnes, qui tenebant remum.* Ezech. 27.n.28. Hoc est, suis negotiationibus renunciabunt, vel Tyriis condolentes, vel sibi timentes: vt Lyra interpretatur. Sic igitur hoc loco: Facio verbum, hoc est, supplicium, inquit Dominus: quo audito, tinnient aures audientium, tanquàm æra pulsata, quorum proprium est tinnire, iuxta illud Catulli De nuptiis Pelei, *tinnitus ære ciebãt.* Græcè, ἠχήσει, id est, *Resonabunt*: à verbo ἠχέω, quod est, *Resono.* Hebraïcè תצלינה *Thetsilenah*, hoc est, *Pauebunt, contremiscent*: à verbo, צלל, *Tsalal*, quod est, *tinnire*, seu, *pauere*: cùm enim ex terribili aliquo sonitu aures tinniant, vt initio diximus; ab effectu tinniendi pauor ipse metonymicè declaratur.

Audita quorundam clade, alij consequenter perterrentur.

Tinnire aures, quid.

Num. XII. In die illa suscitabo aduersùm Heli omnia, quæ loquutus sum super domum eius. Incipiam, & complebo.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.
Dies illa de bona, & malo per antonomasiam dicitur.

IN *die illa suscitabo.* &c. Dies magnæ felicitatis, & magnæ calamitatis per antonomasiam dicitur in Scriptura dies illa. Illud prius patet Isai.4. n.2. *In die illa erit germen Domini in magnificentia, & gloria.* Ioëlis 3.n.18. *In die illa stillabunt montes dulcedinem.* Zach.13.n.1. *In die illa erit fons patens domui Dauid.* Et passim alibi. Hoc posterius patet Isai.22.n.12. *In die illa vocabit Dominus ad fletum, & ad planctũ.* Ierem.4.n.9. *In die illa peribit cor Regis, & cor Principũ.* Oseæ 1.n.5. *In die illa conteram arcum Israel in valle Iezrabel.* Et alibi frequenter. Vnde D. Paulus diem iudicij felicissimum bonis, & calamitosissimum malis, eodem tropo appellat diem illum. *Potens est*, inquit, *depositum meum seruare in illum diem.* 2.Timoth.1.num.12. Et iterum: *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* 2. Timoth.4. num.8. Ait igitur hoc loco Dominus: *In die illa*, non designando certam diem: sed diei calamitatem indicando.

II.
Illa dies, non ad vnam tantum determinanda.

Vnde non oportet referre hunc diem ad illum tantùm, in quo Arca Dei capta, & Heli mortuus est: sed ad totum tempus, quo prædictæ procellæ in posteritatẽ Heli detonuêre: vt patet ex verbis sequentibus: *Suscitabo*, inquit, seu, vt legit Chaldæus: *Firmabo aduersùm Heli omnia, quæ loquutus sum super domum eius.* Nam hæc omnia, non vno die, sed longo tempore implenda erant. Quæ autem fuerint hæc supplicia, ex superiori cap. à Num.30. iam constat, vbi à viro Dei Sacerdoti prædicuntur. Quoto autem anno ab hac denuntiatione hoc supplicium inceperit, ex iis, quæ diximus initio huius capitis, Num 1. §. 2. constare potest: nempe, anno pòst vigesimooctauo; si Heli erat septuagenarius, quando Samuel habuit hanc reuelationem: aut decimooctauo; si Heli erat iam octogenarius: cùm enim Heli nonaginta & octo annorum esset, cùm mortuus fuerit; aut illi nunc supererant viginti octo anni, si erat septuagenarius; aut decem & octo, si erat octogenarius: post quam annorum summã plaga incepit, capta Arca, & Heli mortuus est. Vnde patet, quantum temporis Deus inter minas, & pœnas interponat; vt tandem constet, quanta maturitate ad supplicium feratur, & quanto spatio dissimulet peccata hominum, & eorum pœnitentiam præstoletur.

Quoto anno inceperint hæc supplicia.

Deus pœnas differt.

III.
Deus nõ manifestat diem supplicij, vt semper timeatur.

Si quæras, cur Deus certum huius punitionis tempus non prædixerit, facilis est responsio. Vt Sacerdotem Heli, eiúsque posteros magis pauidos contineret. Cùm enim scirent futura supplicia; sed quo tempore nescirent: omni prorsus cogebantur formidare. Quo pacto Deus suum cuique mortis diẽ voluit esse ignotum, vt perpetuò timeretur. Eandem ob causam Rup. lib.9. De operibus Spiritus sancti, c.2. existimat, primum & vltimum diem seculi, iudicio ac supplicio destinatos esse. Nam in vltimo iudicabuntur, & punientur mali homines: in primo iudicati sunt, & puniti mali Angeli. Sic enim exponit illa verba; *Diuisit lucem à tenebris.* Genes.1.n.4. hoc est, bonos Angelos à malis separauit. Et subdit: *Consideremus admirabilem operum Dei dispositionem, qui quasi æditnum terribilem posuit timorem ad custodiendum introitum & exitum operum suorum: vt quisquis ad cognoscendum Deum ingreditur; & in introitu inueniat, cur valdè timeat, & in exitu audiat, quid multò maximè contremiscat.* Itaque Deus hominem intra duos timores, tanquàm intra duos muros, hinc atque inde circunclusit; vt nunquàm timere desineret: sed quocunque se verteret, inueniret, quod summoperè formidaret. Hanc igitur ob causam voluit Deus Sacerdotem Heli, eiúsque posteros, certos facere de supplicio subeundo: de tempore autem supplicij relinquere incertos, vt perpetuo timore afficerentur.

Rupert. Primus & vltimus dies seculi, iudicio & supplicio destinatus, vt semper timeatur.

IV.
Sensus obuius, vulgata congruus, puniendi diligentiam, & perseuerantiã indicat.

Incipiam, & complebo. Primus sensus statim obuius, & in quo omnes Interpretes conquiescunt, est: Non solùm diligens ero in inchoando, sed etiam constans in perficiendo. Aggrediar punitionem hanc, eámque ad exitum perducã. Nec, vt sæpè aliàs, misericordia motus ab vltione desistam; sed eam prorsus consummabo. Qui sensus mihi videtur latinæ & vulgatæ editioni satis congruus & germanus: nec video, quid magni momenti cõtra illum obiiciatur. Nihilominùs, si veritas Hebræa & Chaldæa consulatur, fortasse non tam celeritas suppliciorum hoc loco proponitur; quàm sola perseuerantia, & quodammodo vltima & consummata executio. Nam de celeritate satis dictum fuerat, & c. superiori, num. 31. *Ecce dies veniunt.* & cap. præsenti, num. 11. *Ecce ego facio verbum*: vt vtrobique aduertimus. Sola igitur perseuerantia in exequenda vindicta supererat inculcanda: quæ hoc loco geminatione verborum idem ferè significantium inculcatur. Nam *Incipiam*, in fonte, idem esse potest atque *Conficiam*, & *Complebo.* Non enim semper significat inchoationem; sed aliqoando perfectionem, vt iam initio huius capitis, num. 2. aduerti, & in hunc locum dicturus latiùs reseruaui.

Sensus Hebrão conformis solã perseuerantiam.

Probatur

V.
Incipiam, in Hebræo, significat compl etiam actionem.

Probatur igitur in primis ex Hebræo, vbi est
A verbum חיל *Chul*, seu חָלַל *Chalal*, quod nō solùm significat incipere, sed etiam permanere, & conquiescere: atque adeò non solùm inchoatam, sed etiam consummatam actionem, vt patet Iob. 20. n. 21. *Nihil permanebit de bonis eius.* Et Ierem. 30. n. 23. *Ecce turbo Domini, furor egrediēs, procella ruēs, in capite impiorum conquiescet.* Vtrobique enim idem verbum Hebræum reperitur.

Idē significat in Chaldæo.

Deinde ex Chaldæo transferente: *Conficiam, & consummabo.* Nam verbum גְּמַר *Gamar*, quo vtitur pro *Incipiā*, significat *Conficere*, seu *perficere*: à quo גמיר *Guemir*, idem est, quòd *perfectissimus*; seu, *absolutissimus*; seu, *doctissimus*. 1. Esdr. 7. n. 12. & גמירה *Guemira*, id est, *totum*, seu, *vniuersum*; seu, *absolutio*, seu, *corona*. Vnde Dauid: *Dominus retribuet pro me.* Psal. 137.
B n. 8. Hebraïcè יִגְמֹר *jigmor*, ab eodē verbo, *Gamar*, hoc est, perficiet, & absoluet, aut coronā imponet.

VI.
Immò & in vulgata eandem retinet significationē.
Genebr.

Sed in vulgata editione eandem significationem retinere videtur verbū, *Incipiendi*, vt exemplis patebit. Nam ab orbe condito vsque ad diluuium, teste Geneb. in Chronologia, plusquàm mille, & sexcēti anni defluxêre, in quibus magna facta est hominum multiplicatio. Et nihilominùs de tempore centum annis ante diluuiū, ait Moyses: *Cúmque cœpissent homines multiplicari super terram.* Gen. 6. n. 1. Vbi propagationis inceptionem vocat, quæ potiùs erat immensa hominum propagatio. Cum Deo loqoutus Abraham: *Quia*, inquit, *semel cœpi, loquar ad Dominum meum.* Gen. 18.
C n. 27. Chaldæus legit: *Multùm loquutus sum coram Domino.* Et quamuis mysticè dicere possis, tam diuersæ trāslationis causam fuisse; vel, quia initiū

Oratio efficax & suauis.

orationis adeò efficax est, ac si esset multa oratio: vel quia multa oratio adeò suauis est, expérsque fastidij, ac si esset orationis initium: tamen faciliùs dici debet, ipsam loquendi inceptionem pro lōga continuatione vsurpari.

Superbiendi occasio tollitur.

Inter Iudices Israëlis, nescio, an vllus gloriosiùs, quàm Samson suum populum ab hostibus liberarit: & tamen Angelus ad eius matrē solùm dixit: *Ipse incipiet liberare Israel de manu Philisthinorum.* Iudic. 13. n. 5. Dices ita loquutum, vt superbiendi ansam Samsoni eriperet. Rectè quidem ad mores. Sed planiùs ad Literam dici potest, sic loquutum: quia illa inchoatio non
D minùs significabat, quàm perfecta liberatio.

VII.
Deus ad hominū peccata serò quodam modo nauseat & irascitur.

Multos iam annos populus Israeliticus in peccatis consumpserat, vnde maximum Deo tædium contingere necesse erat: & tamē Scriptura: *In diebus*, inquit, *illis cœpit Dominus tædere super Israel.* 4. Reg. 10. n. 10. Quamuis enim dicere quis possit, Deum adeò esse patiētem, vt tardè nimis incipiat ad hominum peccata nauseare, & tardiùs in supplicia illis debita prodire: tamen propiùs ad Literam dici potest, illud tædium inchoatum sumi pro consummato. Multis iam cladibus attrita & afflicta fuerat Samaria; & nihilominùs Propheta: *Cœpit*, inquit, *gladius in ciuitatibus eius.* Oseæ 11.

Antiqua supplicia cur incipere dicantur.

n. 6. An, quia sic puniebatur, ac si nunquàm anteà puniretur? An, quia tolerata iam supplicia, inceptio quædam erat præ tolerandis? Sed faciliùs secundum hunc Hebraïsmum, quo incipere dicuntur, quæ consummantur.

Christus grauissimè contristatus, cur cœpit contristari.
D. Thom.

Christus Dominus suam passionem ingressurus, intēsissimum habuit mœrorem, vt D. Thom. 3. p. q. 46. art. 6. ad 4. testatur. Et tamen Euangelista: *Cœpit*, inquit, *contristari, & mœstus esse.* Matth. 26. n. 37. An quia quantumcunque pro hominibus pateretur, nunquam sibi consummare; sed tantùm exordiri: nec patiendi desiderium explere; sed ad plura patienda irritare quodammodo videbatur? Sit hoc mysterium. Litera tamen esse potest, illa quoque mœroris in-

A ceptione consummationem quandam indicari.

VIII.
Vehemens inceptio, consummatio reputatur.

Cæterùm huius significationis ratio illa fortasse est, quòd incipere sæpè significat, magno cum studio & conatu aliquid inchoare. Gen. 11. n. 6. *Cœperúntque hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis; donec eas opere compleant.* Ion. 3. n. 4. *Cœpit Ionas introire ciuitatem itinere vnius diei.* Matth. 11. n. 7. *Cœpit Iesus dicere ad turbas de Ioanne.* Quibus locis diligens quædam & feruens inchoatio significatur. Quia verò, quæ cum huiusmodi feruore inchoantur, plerunque perficiuntur; iuxta illud Horatianum: *Dimidium facti, qui bene cœpit, habet*: inde factum esse potuit, vt incipere, pro, perficere accipiatur. Minatur igitur Deus, se ab hoc supplicio non destiturum, vt sæpè
B aliàs fecerat; sed illud sine dubio exequutioni mandaturum. Idque vt vehementiùs minitetur, duplicat verba idem significantia, iuxta prædictum sensum: *Incipiam, & complebo.*

Num. XIII. Prædixi enim ei, quòd iudicaturus essem domum eius in æternum, propter iniquitatem: eò quòd nouerat, indignè agere filios suos, & non corripuerit eos.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.
Absoluta prædictio irrenocabilis.

PRedixi enim ei. Prædictione absoluta, quæ re-
C uocari non potest. Redditur enim hæc prædictio, tanquàm ratio à posteriori, supplicij exequendi. Quasi diceret: Ideircò incipiam, & complebo: quia absolutè prædixi.

Comminatio conditionata sæpè reuocatur.
Ruper.

Quamuis enim diuina comminatio sæpenumerò reuocetur, vt significat ille gladius versatilis, quo armatus Cherubinus Paradisi terrestris aditum defendebat, Gen. 3. n. 24. qui, interprete Rup. lib. 3. c. 32. sententiam diuini iudicij repræsentabat talem, vt si homo maturè conuertatur, ipsa statim reuocetur: quamuis, inquam, diuina comminatio sæpissimè reuocari soleat; nunquam tamen, si absolutè intendatur; vt reuerà intenditur, quando Deus videt peccatorem, cui minatur, non esse ad frugem rediturum. Chaldæus in futuro vertit: *Et osten-*
D *dam ei, quòd vleiscens ego*, &c. Sed videtur respicere ad effectum prædictionis, qui adhuc futurus erat: non autem ad ipsam prædictionem, quæ iam erat præterita, & superiori cap. à n. 30. facta. Et eodem fortè sensu est in Hebræo: *Indicabo ei, quod indicans ego.* Vt iam ipso effectu vltoris Dei iudicium ostendatur.

II.
Iudicare, idē sæpè, quòd condemnare.

Sed quid prædixit? *Quòd*, inquit, *iudicaturus essem domum eius in æternum*: hoc est, Condemnaturus, seu puniturus: nam iudicare frequenter sumitur in Scriptura pro, cōdemnare, seu punire. Ioan. 3. n. 18. *Qui credit in eum, non iudicatur.* Ioan. 16. n. 11. *Princeps huius mundi iam iudicatus est.* Hebr. 13. num. 4. *Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Vnde D. Paul. iudiciū posuit, pro, supplicio.
E 1. Corinth. 11. n. 29. *Qui enim*, inquit, *manducat, & bibit indignè; iudiciū sibi manducat, & bibit.* Immò & Christus Dominus Ioan. 5. n. 24. *Qui*, inquit, *verbum meū audit, in iudicium non venit.* Et paulò pòst num. 29. *Procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Hoc igitur modo ait Deus, se iudicaturum, seu condemnaturum domum Heli.

Non intenditur pœna æterna alterius vitæ.

Vnde Septuaginta propriam huius verbi significationem hoc loco exprimentes transferunt: *Enuntiaui, quòd vlciscar* pœna vtique temporali, de qua superiori etiam dixi: nam æternam credibile nō est omnibus

H 2 posteris

posteris Heli fuisse infligendam; immò nec Sacerdoti Heli inflictam esse, sequenti capite ostendemus. Dicitur nihilominùs æterna, non alterius vitæ, sed huius vitæ: quia illius posteri semel à summo sacerdotio expulsi, nunquàm ampliùs ad illud redierunt, nec redibunt.

III. *Iniquitas filiorum gratiter peccātiū, & patris leviter corripientis denunciatur punienda.*

Propter iniquitatem, &c. Scilicet, filiorum cum respectu ad patrem scientem, nec emendantem. Ita Hebræus: *In peruersitate, quam nouit, nec vetuit.* Et Chaldæus: *In peccatis, quæ cognouit, & non prohibuit.* Et Græcus: *In iniquitatibus*, seu *iniustitiis filiorum eius, quas nouit, & non admonebat eos.* In quibus exemplaribus, *In*, id est, *propter*, vt tandem Latinus expressit: *Propter iniquitatem*, &c. Itaque hæc cōminatio inflicta dicitur, & propter filios grauissimè peccantes; & propter patrem leuissimè corripientem. De vtraque re, scilicet, de malitia filiorum, & de ignauia parentis, superiori cap. latissimè dictum est. Hic igitur ea tantùm, quæ ad præsentem locum explicandum requiruntur, breuiter perstringenda: quo pacto, scilicet, & filiorum malitia, & patris ignauia hoc loco exprimatur.

IV. *Diuersa lectio.*

Eò quòd nouerat indignè agere filios suos. Aliter alij codices hanc filiorum iniquitatem expresserunt. Hebræus sic: כִּי־מְקַלְלִים לָהֶם בָּנָיו *Chi mecallim lahem banai*: hoc est, *Quia maledicentes ipsis filij eius.* Chaldæus: *Quoniam prouocantes sibi filij eius.* Septuaginta: ὅτι κακολογοῦντες θεὸν, hoc est, *Quoniam maledicentes Deum filij eius.* Vatablus: *Quoniam contemnentes se ipsos filij eius.* Et quidem in verbo illo tam Hebræo קָלַל *Chalal*, quàm Græco, κακολογέω, non est diuersitas, quia vtrunque significat, maledicere, blasphemare, contemnere, prouocare, seu, irritare: quæ omnes significationes aptæ sunt ad peccata filiorum Heli exprimenda. Maior diuersitas est in casu verbi: nam in Græco est, *Maledicentes Deum*: in Hebræo autē, *Maledicentes ipsis.* Non enim ponitur לוֹ *Lo*, hoc est, *ei*, in singulari; quod pronomen posset referri ad Deum: sed ponitur, לָהֶם *Lahem*, hoc est, *eis*, in plurali; quod referri potest, vel ad alios Sacerdotes, quos superbi filij Heli suis iniurijs contemnebant, & ad iracūdiam prouocabant, vt vult Caietanus; vel potiùs, quia de aliis Sacerdotibus nulla hìc fit mentio; ad ipsos filios Heli, qui suis malefactis se ipsos contemptibiles efficiebant.

Filij Heli maledicebāt, iuxta 70. Deum; iuxta Hebræum, se ipsos.

V. *Caiet.* *Blasphemiā in Deū Hebræus subobscurè indicabant.* Galatin.

Nihilominùs sensus idem est. Nam, cùm filij Heli suis sceleribus Deum reuerà prouocassent & blasphemassent, contempsissent & maledixissent, vt Septuaginta palàm expresserunt. Hebræi tamen id obscuriùs insinuarunt, dicentes, maledixisse sibi ipsis: quod sæpè aliàs facere solebant: vt Galatinus lib. 1. contra Iudæos, cap. 8. ostendit. Et quidem duplici de causa: Vna, quia propter reuerentiam Deo debitam; ne verbis quidem exprimere audebant aliquas in Deum blasphemias, aut maledictiones iactatas esse. Vnde pro verbo maledicendi Deo, vtebantur verbo benedicendi, vt rem maximè execrandam honestiori vocabulo significarent: quod paulò inferiùs Num. 17. fusiùs illustrabo. Atque adeò dicere nō audentes, modestiæ & reuerentiæ causa, filios Heli Deo maledixisse; dixerunt, maledixisse sibimetipsis.

Primò, propter reuerentiam Deo debitam.

VI. *Secundò, vt significarent, maledictio nes in Deum iactatas, in maledicentē redundi.*

Altera, vt significarent, sacrilegos illos filios Heli, suis peccatis, non tam Deo, quàm sibimetipsis nocuisse; Deū maledicendo & contemnēdo, se ipsos maledictos & contemptibiles declarasse. Neque enim peccatum in detrimentum Dei, contra quem committitur; sed ipsius peccatoris, à quo committitur, terminatur, vt iam superiori cap. Num. 25. §. 28. ostendi, ex illo Moysis ver-

A siculo: *Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus.* Deuter. 32. numer. 5. seu, vt ibi legit Diuus Augustin. *Peccauerunt non ei filij eius vituperabiles.* Et rationem reddit: *Quoniam*, inquit, *qui peccat, non peccat ei, id est, non Deo nocet, sed sibi ipsi.* Et congruit Chaldæus, transferens: *Dissipauerunt se ipsos*: & non, *illum*. Vnde est illud Eliu; *Si peccaueris, quid ei nocebis?* Iob 35. numer. 6. Nullum enim Deo, maximum autem peccatori ex suo peccato infertur nocumentum. Quòd si Diuus Gregor. Nazian. orat. 12. dicit: *Prolapsionibus nostris Deum nostrum afficimus detrimento*: tamen statim rationem reddit: *Nam Deus*, inquit, *pro diuitiis nos habet.* Vbi sicut nos metaphoricè

D. August. Qui peccat, sibi, non Deo nocet.

D. Greg. Nazian.

B diuitias Dei vocauit: ita Deum ex nostris culpis affici detrimento, impropriè dixit. Quamuis hoc detrimentum, quodcunque sit, potiùs ipsarum diuitiarum est, quæ miserè disperduntur; quàm ipsius Dei, qui nullis externis opibus indiget, infinitis ibi intrinsecis abundans.

VII. *D. Chrys. Idololatra nō diuinam, sed suam gloriā perdit.*

Non obscurè hoc significauit ipse Deus, de Iudæorum idololatria loquutus: *Populus*, inquit, *meus mutauit gloriam suam in idolum.* Ierem. 2. numer. 11. Vbi Diuus Chrysostom. orat. 1. aduersùs Iudæos, in 5. tom. *Non dixit*, inquit, *mutastis Deum vestrum; Deus enim non mutatur: sed, mutastis gloriam vestram. Neque enim me læsistis*, inquit, *neque vlla noxa ad me peruenit. Vosmetipsos affecistis ignominia: meam gloriam non imminuistis, sed vestram ipsorum.* In eandem sententiam con-

C spirat Diuus Paulus, qui postquàm innumera Gentium peccata commemorauit, subdidit: *Seruierunt creaturæ potiùs, quàm Creatori, qui est benedictus in secula, Amen.* Roman. 1. num. 25. Vbi postquàm Deum multis hominum iniuriis, & opprobriis, & maledictionibus impetitum esse dixit; tunc benedictum in secula appellauit: vt significaret, Deum, ex tam multis iniuriis nullam sui gloriosi nominis iacturam incurrisse; neque minùs quàm cælestibus laudationibus benedictū coruscasse. Quod D. Chrysost. hom. 3. in Epist. ad Rom. rectè expendit: *Quanquàm illi*, inquit, *iniuriam fecerunt; tamen ipse non accepit: neque enim eius gloria aliqua ex parte lacera ac mutila facta est; sed manet ipse omninò laudandus.* Non ergo læditur

Deus à peccatoribus maledictus, adhuc est benedictus.

D. Chrys.

D Deus peccatorum iaculis: immò sagittæ, quas in Deum iaciunt peccatores, in ipsos retorquentur.

VIII. *Aduersari Deo, magis aduersatur malum.*

Inter grauissima mala, quæ Dauid Iudæ postetis imprecatur, vnum est: *Fiant contra Dominum semper.* Psal. 108. n. 15. Atqui hoc, dicet aliquis, potiùs est Deo, quàm hominibus malum imprecari. Absit profectò. Immò nulla esse potest acerbior in homines imprecatio. Dum enim contra Deum insurgunt; Deo prorsus illæso, ipsi infinitis malis substernuntur. Non aliter igitur filij Heli, dum Deum, iuxta phrasim Hebræam, maledicebant; innumera sibi ipsis maledicta imprecabantur: dum Deum prouocabant, multa sibi supplicia congerebant: dum cōtemnebant auctorem

Filij Heli maledicentes Deo, sibi ipsis maledicebāt.

E suum, ipsi viliores & contēptibiliores reddebantur. Hæc mala filiorum Heli, per verba maledicendi, prouocandi, & contemnendi Deum, aliis exemplaribus declarata, rectè expressit vulgatus Interpres per verbum indignè agendi: sub quo illa omnia peccata, de quibus superiori cap. à n. 12. latissimè disseruimus, continentur. Iam de patris ignauia.

IX. *Ignauia Heli, sciēti malitiā filiorū, & non corripientis.*

Et non corripuerit eos. His verbis declaratur ignauia Heli in filiorum peccatis corripiendis, supposita eorum notitia, quam habebat, vt constat ex præcedentibus verbis: *Eò quòd nouerat*, &c. Nam licèt Biblia Sixtiana nihil habeat de hac notitia:

notitia: immò in eorum Scholiis referatur Lucifer transferens: *Propter iniquitatem filiorum eius, quam ego sciο*: hoc est, ipse Deus, qui cum Samuele loquebatur: tamen in aliis libris satis exprimitur: vt ipsa etiam Scholia citata obseruant: alioqui non puniretur Heli, propter filiorum culpas, quas ipse inculpabiliter ignorabat. Ignauus igitur fuit, quòd sciens filiorum scelera, non corripuerit eos. Sed quo pacto non corripuerit, quos grauissima oratione à peccando deterruit, vt ex cap. præcedenti à num. 23. constat, iam latè ostendimus in 1. tomo, Annotat. 21. Sect. 2. vbi etiam hæc verba: *Et non corripuerit eos.* §. 21. explicaulmus. Et in summa, non corripuit; quia cum impudentissimis & profligatissimis adolescentibus egit solis verbis, acturus verberibus: immò & exquisitissimis suppliciis effrænatos animos reuocaturus. Ad quem sensum congruenter legit magnus ille sanctus Antonius Abbas lib. 2. serm. 10. De bonis pastoribus: *Filij eius maledicebāt Deo, nec illos castigauit.* Nam qui suppliciis dignos, solis verbis perstringit, corripere non censetur: vt D. Chryſ. lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monasticæ, hoc exemplo confirmat: *Certè*, inquit, *corripuerat; sed hanc Deus pro correptione non suscepit. Adeò illum, quòd vehementia & inuectione caruisset, reprehendit.* Vnde dignissimus fuit, vt pœnas, quas filiis non intulit, ipse à Deo pateretur.

Heli non corripuit filios, quia mitiùs cum illis egit, quàm oportebat.

S. Anton. Abbas.

D. Chryſ.

X.

Negligens Princeps, reus, & culpæ, & pœnæ subditorum.

Nam sicut negligens ac remissus Princeps auctor censetur omnium culparum, quas subditi committunt: ita & reus tenetur omnium pœnarum, quæ subditis debentur. Idcircò vniuerso populo Israëlitico peccante, Deus ad Moysen: *Tolle*, inquit, *cunctos Principes populi: & suspende eos contra Solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel.* Num. 25. n. 4. Vbi D. Petrus Damianus lib. 4. epist. 15. *Quid est*, inquit, *quòd populus in luxuriæ voraginem labitur; & in eorum Præpositos vindicatur? Subditis delinquunt; & Principes in patibulis suspenduntur? Scilicet, alius est, qui peccat: alius ille, qui vapulat. Cur hoc, nisi, quia culpa subditorum in Præpositorum redundat opprobrium: & quod ab ouibus erratur, negligentiæ Pastoris adscribitur?* Et vide quàm formidolosa sit conditio præsidentium; vt non modò pro suis, sed etiam pro subditorum puniantur offensis. Quod in Heli satis perspicuum est, quem D. Chrysost. lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monasticæ, docet, sine querela texisse Hebræos: immò tantis virtutibus clarùisse, vt admirandus in cæteris videtur. *Et tamen*, inquit, *quia illis cura non fuerat, & diligentissima, & vehemens salutis liberorum; nihil excusare eum potuit, quominùs, & miserè, & infeliciter periret.* Et statim de hac erga filios negligentia: *Instar*, inquit, *fluctus terri & ingentis, virtutes eius cunctas transiliuit, vniuersáque rectè facta, sua magnitudine operuit.* Ex qua doctrina rectè ad cæteros parentes argumentatur. Nam, si vnus Heli propriis moribus insignis, & de alienis filiorum aliqua ex parte sollicitus, quia saltem verbis grauissimis eos instituendos curauit; tamen, quia debitis suppliciis non repressit, extremas ipse cum filiis pœnas luit: quod tandem in barathrum suppliciorum deuoluentur illi parentes, qui, peccantibus filiis, neque debitis suppliciis obsistunt, neque salutaribus documentis prospiciunt, neque bonis exemplis prælucent; immò tantùm abest, vt eos à peccatis abstrahant, vt potiùs in peccata impellant, neque inde reuelli patiantur? Hos enim appellat, vel ipsis hostibus immaniores: *Hostium enim*, inquit, *atrocitas & feritas vsque ad seruitium & captiuitatem, corporisque incommoda & mala sæuit: vos autem ipsum animum*

D. Petr. Dam.

D. Chryſ.

Heli sua ignauia multas obruit virtutes.

Quanta ignauis parentibus pœna debeatur.

Ignaui parentes hostibus saeuiores.

A *in seruitutem abducitis; & veluti captiuum quendam vincientes, nequissimis Dæmonibus traditis.* Vbi plura de hac re, & de suppliciis, quæ à Deo ipsis parentibus infliguntur.

XI. *Ignaui Principes, Dæmonis ministri.*

Quo ex loco colliges, ignauos Principes & parentes, potiùs Dæmonis ministros & adiutores esse; quàm suorum subditorum ac filiorum consules & curatores. Quod etiam colligi potest ex D. Paulo, qui de legitimo Principe loquutus: *Non enim*, inquit, *sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Rom. 13. n. 4. Ex quibus verbis probè argumentatus D. Petrus Dam. lib. 7. epist. 11. *Si Dei*, inquit, *minister est, qui mala facientes in iram vindicat; Diaboli procul dubio minister est, qui criminosos ac reprobos suauiter palpat: & sicut Deo præbet obsequium, qui peruersos vlciscitur; sic minister est aduersarij, qui perpetrantibus iniqua blanditur.* Dæmonis igitur partes agit ac tuetur, qui falsa pietate erga malefactores afficitur: contrà verò pro Deo pugnat, qui debita seueritate armatus eius aduersarios inuadit.

D. Petr. Dam.

B

XII. *Petrus à Christo reprehenditur, vt reprehendere discat.*

Vnde Christus Dominus Petrum suum ministrum, & Ecclesiæ Principem creaturus, eum grauissimè reprehendit: *Vade*, inquit, *post me, Satana: scandalū es mihi, quia non sapis, quæ Dei sunt.* Matth. 16. n. 23. vt suo exemplo eum ad debitam seueritatem erga suos subditos exercendam hortaretur. Quod D. Petrus Dam. loco citato rectè expendit: *Saluator noster*, inquit, *qui tanquam mitis agnus apparuit, mox vt Petro cæli terræq; iura commisit, protinus eum dura redargutione corripuit. Vade post me, Satana*, &c. Et statim rationem reddit: *Quia in hac mortalitate*, inquit, *rectè non viuitur; si blandis ac mollibus asperitas non miscetur. Nam vbi penitus disciplina postponitur; necesse est, vt prona semper ad malum fragilitatis humanæ conditio relaxetur.* Et post pauca: *Inordinata pietas Principis, quid est aliud, quàm confusio plebis? Nam dum ille à moderanda regiminis habena reprimitur; subiecti quoque velut effrænes equi per abrupta raptantur.*

D. Petrus Dam.

C

Seueritas valdè necessaria.

XIII. *Egregium seueritatis exemplum.*

Et inter alia exempla iustissimæ seueritatis, quibus totum hoc argumētum illustrat, vnum ab Imperatore Ottone desumit, qui viginti annos natus, *Inter insignia*, inquit, *multa, & præclara, qua gessit, tribus regni Proceribus atque Comitibus oculos eruit. In quo decore iustitia, sic omnium aliena diripientium viscera tremefecit, sic totum regnum in securitatu & pacis tranquillitate composuit; vt omnes ferè intra compendij sui limitem se formidolosè reprimerēt, nec iuris proprij terminos per insolentiam transilirent. Vnde per ora populi hæc se præconij fama diffuderat: In euulsione sex oculorum, vnum pacatum est regnum. Tres facti sunt cæci; & omni populo quietis optata lumen infulsit.* Hæc ille. Vbi pluta de hac re, & narrat, & philosophatur eleganter.

D

XIV. *Prælatis non satis est benè agere, sed benè corripere.*

Igitur bonus Princeps non in suis tantùm, sed etiam in suorum subditorum moribus incolendis inuigilare debet, & insudare: nec adulterina quadam pietate aliena peccata molliter nutrire; sed legitima seueritate fortiter coërcere. Nō sine mysterio turtures & pulli columbarum sacrificari olim iubebantur, retorto ad collum capite, Leuit. 1. n. 15. hoc est, ore ad alas reductο; vt significaretur, Prælatis non satis esse bona opera ad bene viuendum, sed etiam bona verba ad alios bene informādos. Quod mysterium in Heli deprehendit D. Hieron. in c. Marci, sub initium: *Multi*, inquit, *bene agunt, sed non bene corrigunt; vt fuit Heli: & multi bene corrigunt, sed non bene agunt; vt fuerunt Scribæ & Pharisæi, qui sedebant super cathedram Moysis. Vnde os turturis in lege ad ascellas*

E

D. Hieron.

retorqueri iubetur: ne separetur os ab opere, & opus nostrum non diuidatur ab ore.

XV. D. Petr. Dam. *Episcopus studiosus sui, negligēs suorum reprehenditur.*

Quare D. Petrus Dam. lib. 4. epist. 3. & in ordine 55. quendam Episcopum studiosum sui, negligentem aliorum comparat cum Angelo, seu Episcopo Thyatiræ, qui de sua probitate sollicitus erat, de probitate aliorum non curabat. *Quamuis*, inquit, *temetipsum prabeas vernantis pudicitia candore conspicuum; permittis tamen, vt in Clero tuo, tanquàm cruenta illa Iezabel, obtineat luxuria principatum. De qua dicitur Angelo Thyatira: Habeo aduersùs te pauca: quia permittis mulierem Iezabel, qua se dicit Propheten; docere, & seducere seruos meos fornicari, & manducare de idolothytis.* Apoc. 2. n. 20. *Authentica certè est illa sententia, qua dicitur: Facti culpam habet, qui quod potest, negligit emendare.* Cum qua sentētia iunge illum senariulū Tragici in Troade: *Qui non vetat peccare, cùm possit, iubet.* Immò illud oraculum Apostoli: *Digni sunt morte non solùm, qui ea faciunt; sed etiā qui consentiunt facientibus.* Rom. 1. n. 32. Quod tandem huius Sacerdotis exemplo confirmat Damianus: *Quid enim*, inquit, *profuit Heli, quia in luxuriam ipse non corruit; sed fornicantes filios paterna quidem pietate, non autem sacerdotali auctoritate corripuit.*

Seneca.

XVI. D. Petrus Dam. *Heli duobus filiis non consulens perijt: quid Prælati innumeris nō consulentes?*

Ex hac doctrina idem D. Petrus Damianus libr. 1. epist. 6. ad Nicolaum Pontificem, Prælatos sui temporis deterret; & possent etiam nostri deterreri: *Si*, inquit, *Heli propter duos duntaxat filios, quos non ea, qua digni erant, inuectione corripuit; cum eis simul, & cum tot hominum multitudine perijt: qua arbitramur, dignos esse sententia, qui in aula ecclesiastica, & soliis iudicantium prasident; & super non ignotis prauorum hominum criminibus tacent? Qui, dum dehonestare homines in publico metuunt, ad contumeliam superni Iudicis, diuina legis mandata confundunt; & dum perditis hominibus amittendi honoris officium seruant, ipsum ecclesiastica dignitatis auctorem crudeliter inhonorant.* Sed de tota hac re superiori cap. multa dicta sunt.

Num. XIV. Idcircò iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis, & muneribus vsque in æternum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Vana impunitatis spes.*

IDcircò iuraui, &c. Septuaginta his verbis præmittunt hæc, καὶ οὐδ' οὕτως, seu, καὶ οὐχ οὕτως: hoc est, *Et neque sic:* seu, *Et non sic.* Sensus verò esse potest: & non sic erit, vt ipsi putant, qui sperant se impunè abituros. Cum tamen sine dubio futurum sit, vt acriter puniantur: *Idcircò iuraui*, &c. vt si meo iuramento increduli esse nolint; certò sciant, non fore impunitos. Sed tota huius Literæ explicatio triplici difficultate absoluetur.

II. *Prima difficultas. Respondetur primò.*

Vna, Quando hoc à Deo iuratum sit? Nā in illa prædictione viri Dei ad Heli, quæ super. c. explicata est, nullum interponitur iuramentum. Respondeo in primis, hic suppleri, quod illic omissum fuit: vt sæpissimè in Scriptura contingere c. 1. n. 21. & c. 2. n. 30. iam ostendi. Quibus adde hæc exempla. Nam Dauid: *Iurauit*, inquit, *Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ps. 131. n. 11. Et tamen huiusmodi iuramentum nūquàm in libris historicis reperitur, vt Burg. ad Psal. citatum obseruat. Deinde ipse Dauid: *Iurauit*, inquit, Dominus, (id est, Pater ad Filium) *& non pœnitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum.* Psalm. 109. n. 4. Nec tamen in Historiis sacris tale iuramentum occurrit. Tandem Moyses ad Deum: *Non*, inquit, *indicas mihi quem missurus es mecum; præsertim, cùm dixeris: Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me.* Exod. 33. num. 12. Et tamen id nusquàm anteà legitur, à Deo dictum esse. Nouum igitur non est in Scriptura, vt ex posterioribus locis suppleantur, quæ in prioribus omittuntur.

Burg.

Respondetur secundò.

Respondeo deinde, in illa prædictione viri Dei ad Heli, non solùm interpositum fuisse iusiurandum, vt ex hoc supplemento constat; sed fortasse etiam ab Scriptore canonico commemoratum. Nam, licèt illud in vulgatis exemplaribus non inueniamus, illud tamen in codicibus, quibus vtebantur, deprehendisse videntur D. Cyril. Alex. D. Ioannes Damasc. & Bachiarius, vt c. 2. n. 30. §. 2. iam diximus.

D. Cyril. D. Damasc. Bachiar. *Respondetur tertiò.* Philo. *Dei verba iuramenta.*

Tandem respondeo cum Philone lib. 2. Allegoriarum, versùs finem, *Ipsa Dei verba, iuramenta esse, legésque diuinas, & iura sacratissima.* Idque statim probat: *Quòd effectu*, inquit, *non caret, quidquid ille dixerit; id quod iuramenti est proprium. Vnde consequitur, omnes Dei sermones esse iuramenta per effectus suos confirmata.* Quare, cùm Deus hanc punitionem prædixerit; quid mirum, si iurauerit, cùm quidquid ab eo prædicitur, iuramentum censeatur?

III. *Secunda difficultas.* Suar. *Deus non iurat propriè, sed quoad modum.*

Altera difficultas, Quo pacto Deus iuret? Res est theologica: sed quia tota ex sacris Literis à Theologis declaratur; vt videre est apud Suar. lib. 1. De iuramento, c. 14. idcircò breuiter respōdeo, Deum non iurare re ipsa: tum, quia iuramentum est actus religionis, cuius Deus capax nō est: tum, quia est confirmatio dicti, quam summa & infallibilis veritas non recipit: iurare tamen quoad modum, vt patet ex multis locis Scripturæ, Gen. 22. n. 16. Ps. 88. n. 4. Ps. 94. n. 11. Ps. 109. n. 4. Isai. 14. n. 24. Ierem. 22. num. 5. Amos 6. n. 8. Actor. n. 30. & passim alibi. Immò & aliquo modo quoad effectū iuramenti, vt sumitur ex D. Paulo, Hebr. 6. num. 17. vbi sic: *Abundantius*, inquit, *volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem cōsilii sui, interposuit iusiurandum; vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.*

Iuramentum ad duos effectus etiam in Deo valet.

Quibus verbis significat, iusiurandum ad duos effectus assumi: vnum, ad certitudinem rei iuratæ indicandam: alterum, ad fidem audientis, seu credentis erigendam: & ad vtrunque conducere diuinum iusiurandum: ad priorem quidem, quia licèt iuramentum non possit addere confirmationem dictis diuinis, vt diximus; tamen ostendit promissionem, seu comminationem, esse absolutam; & proinde infallibiliter euenturam; quod non præstat simplex assertio, quæ potest esse conditionata: vel certè ostendit quoad nos, rem iuratam infallibiliùs futuram; quemadmodum quæ iurantur ab homine, ex modo iurandi certiora videntur, quamuis in se, siue iurata, siue non iurata parem aliquando certitudinem sortiantur. Ad posteriorem, quia facilliùs, ac suauiùs hominibus persuadet; cùm ad modum persuadendi inter homines vsitatum magis accedat. Vnde Deus ad Isaac: *Semini tuo*, inquit, *dabo vniuersas regiones has; complens iuramentum, quod spopondi Abraham patri tuo.* Genes. 26. numer. 3. Ad quem locum D. Chrysost. hom. 51. *Vides*, inquit, *Dei misericordiam; non ad propriam dignitatem respiciens loquitur, sed ad nostram descendens infirmitatem. Nam quia homines illa perficere student, non qua simpliciter promiserunt alicui; sed qua cum iuramento promiserunt: simili modo Deus iusto plenam fidem faciens iurauit.* Quasi diceret: Eodem modo voluit Deus hominibus persuadere;

Ad certitudinem rei iurata. *Ad fidem audientis.* D. Chrysost.

suadere; quo homo homini persuadet: nempe, iurando: vt humano se commercio magis accommodaret, & maiori cum hominibus familiaritate vteretur.

IV.
Philo.
Dei iuramento nostra infirmitas roboratur.

Sed de hac re mihi videtur Philo Hebræus lib. De sacrif. Abel, & Caïn, versùs finem, non solùm vt Philosophus, sed etiam vt Theologus egregiè ratiocinatus. Nam ad illa verba Moysis: *Cum introduxerit te Dominus in terram, quam iurauit patribus suis.* Exod. 13. n. 5. *Homines*, inquit, *vt fides ipsis habeatur, ad iusiurandum confugiunt: Deus vel simpliciter loquens fide dignus est. Itaque verba eius, quantùm ad certitudinem, nihil à iuramento differunt. Cur igitur Vati nostro visum est, iurantem eum introducere? Vt infirmitatem creaturæ coargueret, & conuictam consolaretur.*

Dei verbo iuramento.

Non potest enim anima nostra semper in promptu habere præcipuam illam de Deo sententiam; non esse eum homini similem; vt transcendamus quidquid prædicatur de homine: sed quia maxima ex parte affines sumus rerum mortalium, & præter eas nihil cogitare possumus; ideò ei affingimus affectus, nihil ad auctorem illum summum pertinentes, in quibus & iusiurandum est, quo subleuatur nostra infirmitas. Itaque iuramentum diuinum, quamuis obiectum certius non faciat; nobis tamen illud certiùs ostendit: & quamuis naturam diuinam rectè contemplantibus efficaciùs non persuadeat; à nobis tamen eam imperfectè & humano more cognoscentibus fidem efficaciùs extorquet.

V.
Deus iurat vel absolutè, vel per nomen suum, vel per animam suã, vel per semetipsum.

Modus autem, quo Deus iurat, vel est absolutè, non exprimendo, per quid iuret, vt Psal. 109. n. 4. *Iurauit Dominus, & nõ pœnitebit eum.* Vel per nomen suum, vt Ierem. 44. n. 26. *Ecce ego iuraui in nomine meo magno.* Vel per animam suam, vt Amos 6. n. 8. *Iurauit Dominus Deus in anima sua.* Vel denique per se ipsum, vt Gen. 22. n. 16. *Per memetipsum iuraui.* Sed hæc omnia eòdem recidunt. Nomen enim, & anima Dei, ab ipso Deo non distinguuntur: vt citatis locis Interpretes aduertunt.

Non iurat per alium à se.

Neque enim Deus per alium, quàm per semetipsum iurat, vt nullum alium præter se, Deum esse testetur, vt c. 2. Num. 2. §. 21. ex Tertul. iam dixi. Et D. Paulus expressit: *Quoniam*, inquit, *neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum.* Hebr. 6. num. 13.

VI.
Deus, iurando promissiones, misericordiã manifestat.

Illud etiam hic aduerte: sicut Dominus iurando promissiones suas, ingentem suæ misericordiæ affectum ostendit, vt patet in iuramentis factis Abrahæ, Gen. 22. n. 16. Dauidi, Ps. 88. n. 4. Synagogæ, Ezech. 16. num. 8. vbi ex singulari beneuolentiæ affectu non solùm beneficia promittit, sed etiam promissa iuramento confirmat: ita planè iurando, suas comminationes ingentem suæ iustitiæ affectum manifestare: vt Psalm. 94. num. 11. *Quibus iuraui in ira mea.* Et Deuter. 32. num. 40. iuxta Septuaginta: *Leuabo ad cælum manum meam, & iurabo dextera mea; & dicam: Viuo ego in æternum.* Ac tandem hoc loco: *Iuraui domui Heli*, &c. Ad quem postremum locum D. Chrysost. lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monasticæ: *Cum*, inquit, *crimen prosequutus fuisset: tum verò ingenti cum iracundia cruciatum adiecit: Iuraui*, &c. Et paulò pòst: *Vidistine ingentem indignationem, cruciatumq́; vehementissimum & omnino spe veniæ exclusum? Prorsus illum perire necesse est: nec ipsum modo, vel eius filios, verùm cum illo domum quoque vniuersam. nullúmque medicamentum erit, quod vulnus istud curare possit.*

Iurando comminationes, iustitiam ostendit.

D. Chrys.

VII.
Tertia difficultas.

Quòd non expietur, &c. Hæc est tertia difficultas cæteris maior. Quam, vt expediam, aduerte in Hebræo esse אם יכפר *Im jithchaper*: hoc est, *Si expiabitur.* Et eodem modo transtulisse Septuaginta, *is ἐξιλασθήσεται*; id est, *Si placabitur.* Sed sensum esse eundem. Nam אם *Im*, hoc est, *Si*, apud Hebræos iunctum cum verbis iurandi, aut affirmandi valet, *Quòd non*: vt multis patet exemplis: *Quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Psalm. 94 num. 11. *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar.* Psalm. 88. num. 36. *Votum vouit Dei Iacob, si introiero in tabernaculum domus meæ.* Psal. 131. n. 2. *Viuit anima tua Rex, si noui.* 1. Reg. 17. n. 55. *Iurauit Dominus in superbia Iacob: si oblitus fuerit vsque ad finem opera eorum.* Amos 8. num. 7. *Amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum.* Marc. 8. num. 12. Et sic de aliis, In quibus locis, pro, *Si*, reponendum est, *Quòd non.* Quam phrasim nostri Interpretes Bellarmin. Riber. Lorin. & alij, ad citata loca inculcant. Pro quibus omnibus satis esset vnus vulgatus Interpres, pro illa originali phrasi: *Iuraui, si expiabitur.* transferens: *Iuraui, quòd non expietur.*

Dictio, Si, in Scriptura, idem est ac, Quòd non.

Bellar. Riber. Lorin.

VIII.
Difficultas explicatur & augetur.

Quibus præmissis difficultas manet, Quo pacto stare possit veritas huius iuramenti; nempe, quòd non expietur iniquitas domus Heli victimis & muneribus vsque in æternum? Et ratio dubitandi est: quia, vel hæc sacrificia sumuntur secundùm externas tantùm ceremonias; vel etiam secundùm internos ac debitos affectus animorum, fidei, charitatis, pœnitentiæ: priori modo nullum peccatum possunt expiare, vt docet D. Ireneus lib. 4. cap. 32. & 34. & patet in populo Israëlitico, externas quidem sacrificiorum ceremonias obeunte, sed internas animorum dispositiones ad placandum Deum necessarias non adhibente, de quo dicitur: *In gregibus suis, & in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient: ablatus est ab eis.* Oseæ 5. num. 6. Posteriori autem modo omnia peccata expiabant, vt ex dicendis patebit. Cur igitur sic accepta, vt hoc loco sumi debent, peccatum Heli ac domus eius non expiabunt?

D. Iren.

IX.
D. Petr. Dam.
Ex difficultate venia colligitur grauitas culpæ.

Certè ex hoc loco colligit D. Petrus Damianus, quantam culpam contraxerit Heli ex illa sua erga suos filios ignauia. Nam lib. 1. epist. 6. alludens ad hunc locum: *Si victimis*, inquit, *& muneribus omnia crimina diluuntur; sola autem falsa in Episcopis pietas veniam non meretur: videat, qui eorum diiudicare mala dissimulat; quàm dura sententia apud districtum Iudicem se obnoxium reddat.* Et lib. 7. epist. 11. *Perpende*, inquit, *quale est, quòd victima simul, ac munera, quæ peccata principaliter abluunt; habitam erga subiectos negligentiam expiare non possũt. Multi, nempe, falsæ pietatis errore decepti; vnde se Deo placere insipienter autumant, inde aduersùs eum crudeliter pugnant; & ex eo merentur iram, vnde se adepturos opinati sunt gratiam; & dum aliis veniam falsæ pietatis impertiunt, ipsi motum diuinæ indignationis incurrunt.* Ex quibus tamen verbis nulla redditur ad difficultatem ratio; sed ingens additur admiratio, Cur hæc peccata, quæ non sunt omnium maxima, victimis & sacrificiis non eluantur?

X.
Anton. de Molin.
Quæ peccata in sacrificiis commissa, expientur sacrificiis.

Primò igitur respondet Antonius de Molin. Tract. 2. De Sacerdotio, c. 20. quia peccata in sacrificiis commissa, qualia fuerunt peccata filiorum Heli, sacrificiis non expiantur: sed videtur, horum peccatorum grauitatem exaggerare voluisse. Alioqui omnia peccata quibuscunque circunstantiis commissa, sacrificiis ritè oblatis, si non ratione externi operis saltem ratione contriti cordis expiabantur. Nam quamuis sacrificia, in quibus quis sciens peccabat; siue nouas culpas perpetrando; siue antiquas, quibus volens adhærebat, retinendo; tales culpas non expiarent,

Si adsit voluntas peccãdi, nulla. Si vera detestatio, omnia.

iuxta illud: *Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?* Ierem. 11. n. 15. Talia enim sacrificia Deū non placabant, sed irritabant; iuxta illam Dei querelam: *Incensum abominatio est mihi*, &c. Isai. 1. n. 13. Nec minùs erāt Deo ingrata, quàm quæ de rebus lege prohibitis offerebantur: vt D. Irenæus proximè citatus aduertit, iuxta illud: (D. Iren.) *Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum; qui mactat pecus, quasi qui excerebret canem; qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat; qui recordatur thuris, quasi qui benedicat idolo.* Isai. 66. n. 3. Quamuis, inquam, hæc sacrificia sacrificantium maculas non expurgarent; tamen sacrificia, quæ cum debito mentis affectu offerebantur, omnia peccata etiam in sacrificiis alioqui commissa eluebant.

XI. (D. August. *Antiqua sacrificia, secundum se infirma: secundum res significatas efficacia.*)

Vnde D. Aug. q. 25. in cap. 15. Num. loquens de sacrificiis Legis veteris: *Quæ*, inquit, *si per se ipsa attendantur, nulli peccato possunt mederi: si autem res, quarum hæc sacramenta sunt, inquirantur:* (nempe, charitas, contritio, pœnitentia, & super omnia Christi Domini meritum) *in eis inueniri potest purgatio peccatorum.* Nempe, omnium, siue extra sacrificia, siue in sacrificiis committantur. Nec immeritò. Nam, si illa quondam Achillis hasta vulnerare pariter, & sanare dicebatur; iuxta illud Ouidianum: (Ouidius.)

Vulnus Achillæo quæ quondam fecerat hosti,
Vulneris auxilium Pelias hasta tulit:

quid mirum, si illi, qui in sacrificiis peccabant, sacrificiis expiarentur? Quare de Christi Domini sanguine, à quo omnia sacrificia, & externa, & interna vires acceperunt, rectè D. August. in Psal. 58. (D. August. *Sanguis Christi etiam suos effusores abluit.*) *Christus*, inquit, *sic voluit mori, vt sanguine suo effusores eiusdem sanguinis redimeret.* Et in Psal. 109. *Hoc etiam*, inquit, *valuit ad ægroti medicamentum, quòd Medicum occidit ægrotus. Venit visitare, occisus est, vt sanaret.* Et serm. 9. De verbis Apost. loquutus de Iudæis: *Medicum*, inquit, *non solùm cædebant, sed etiam occidebant. Ille autem etiam, cùm occideretur, Medicus erat. Vapulabat, & curabat: patiebatur phreneticum, nec deserebat ægrotum.* Et paucis interiectis: *Illi perdita mente sæuiebant, & Medici sanguinem sæuiendo fundebant: hic autem etiam de ipso sanguine suo ægrotis medicamenta faciebat.*

XII. (D. Bern. *Christus etiā occisores, & crucifixores suos curat.*)

Eleganter in hanc sententiam concinit D. Bernardus serm. De Passione feriæ 4. maioris hebdomadæ, expendens illa verba Christi Domini in Cruce: *Pater, dimitte illis.* Luc. 23. n. 34. *Mira res*, inquit, *ille clamat, Ignosce: Iudæi, Crucifige. Molliti sunt sermones eius super oleum, & isti sunt iacula.* Et statim in Iudæos indignabundus: *O Iudæi, lapides estis: sed lapidem percutitis molliorem: de quo resonat tinnitum pietatis, & ebullit oleum charitatis. Quomodo potabis, Domine IESV, desiderantes te, torrente voluptatis tuæ; qui sic perfundis crucifigentes te oleo misericordiæ tuæ?* Vbi vides profusum Christi Domini sanguinem, etiam sui profusoribus, si sanari vellent, profuturum. Mirabatur olim hæreticus Abailardus, quo pacto Christus Dominus in (*Hæresis Abailardi putantis peccatum occidentium Christum, esse indelebile.* D. Bern.) homines placaretur, cùm ab hominibus necaretur: dicebatque, si peccatum Adæ expiari non potuit, nisi morte Christi; peccatum, quò ipsa mors Christi facta est, quam expiationem habebit? Ad quem D. Bernardus epist. 190. *Ipsum*, inquit, *sanguinem, quem fuderunt.* Et statim: *Fuit sanguis, qui effusus est, tam multus ad ignoscendum, vt ipsum quoque peccatum maximum, quo factum est, vt effunderetur, deleret.*

XIII. (D. Cypr.)

Quam Dei erga suos occisores misericordiam admiratus D. Cypr. libello De bono patientiæ, si is

A est illius Auctor: *Quid*, inquit, *potest patientius, quid benignius dici? Viuificatur Christi sanguine, etiam qui effudit sanguinem Christi.* Adeò vt sanguis Christi, (*Sanguis Christi magis esse interficientium quàm ipsius interfecti videbatur.*) non tam ad ipsum Christum, quàm ad occisores Christi pertinere videatur: nec tam ipsius Christi, quàm hominum, in quorum gratiam effusus est, sanguis appelletur; iuxta illud: *Aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea.* Isai. 63. n. 3. Dicturus enim erat: *Aspersus est sanguis meus.* Et dixit, *Eorum*, id est, Iudæorum, in quorum vtilitatem totus effundebatur. Hinc est, quòd Christus Dominus in horto auriculam Malcho restituerit. (*Auricula Malcho restituitur, vt audiens conuertatur & sanetur.* D. Ambr.) Luc. 22. num. 51. *Demonstrans*, inquit ibi D. Ambrosius, *& ipsos, si conuertantur, posse sanari; qui in passione Domini vulnerati sunt: eo quod omne peccatum fidei mysteriis abluatur.* B Ex quibus constat, non talia fuisse Heli, & filiorum eius peccata, licèt in sacrificiis commissa; vt non potuerint contriti cordis sacrificiis expiari: cùm omnia peccata in hac vita, si vera adsit pœnitentia, eluantur, vt cap. 2. n. 25. §. 30. latiùs ostendi.

XIV. (*Aliqua peccata dicuntur non posse expiari; vel hyperbolicè, vel humano remedio.*)

Secundò igitur responderi potest, hanc comminationem procedere in sensu figurato, & hyperbolico: & quod difficillimè expiatur, hyperbolicè dici, inexpiabile: vel, si propriè procedat, subintelligendum esse; non posse expiari humano remedio, & absque diuina gratia; quamuis respectu huius quælibet iniquitas, quantumuis pessima, expiabilis sit: & in vtrouis sensu esse intelligenda alia Scripturæ loca, nempe, Eccles. 28. C num. 30. *Attende, ne fortè sit casus tuus insanabilis in mortem.* Et Ierem. 30. num. 12. *Hæc dicit Dominus: Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua.* Non enim dicitur hæc iniquitas insanabilis, quòd absolutè non possit sanari: sed vel, quòd nullo modo ab homine; sed à solo Deo sanari possit. Non est aliena hæc responsio: libénsque eam admitterem, si ad eam me cogeret loci difficultas: nec alia facilior appareret, qua tota difficultas tolleretur, vt ex dicendis patebit.

XV. (*Peccatū Heli non solū fuit delebile; sed etiam de facto deletum.*)

Tertiò, respondebit aliquis, Deum non iurasse, illa peccata non posse expiari, sed non esse de facto expianda, vt patet in Litera: *Iuraui, quòd non expietur.* Non autem quòd expiari non possit. Sed contrà, quia neque hoc verum fuit. Nam Heli de D facto suorum peccatorum veniam, & æternam salutem reportauit: vt præcedenti Num. diximus, & sequenti capite fusiùs dicemus: & credibile est, aliquos ex eadem posteritate fore eiusdem beatitudinis consortes. Et quamuis verum esset, non deberet à Deo cum iuramento affirmari: alioquin Heli in particulari, eiúsque posteris, finalem eorum impœnitentiam, & æternam damnationem reuelaret; idque absoluta prædictione, qualis hæc fuit, quam illi ex diuino iuramento facilè internoscerent: vnde in desperandi occasionem adducerentur.

XVI. (*Deus non potest reuelare in hac vita, saltem de potentia ordinaria, peccatū finale alicui in particulari.* Suar.)

Quod diuinæ prouidentiæ in statu viæ sic repugnat, vt dicant aliqui Theologi, talem reuelationem, nec de potentia absoluta fieri posse, vel E saltem de potentia ordinaria, vt alij probabiliùs loquuntur: quibus Suarius in Tract. De Spe, disp. 2. sect. 2. assentitur. Nam, si Christus Dominus Pharisæis æternam eorum damnationem absolutè reuelauit, dicens: *In peccato vestro moriemini.* Ioan. 8. n. 21. tamen cùm iuramentum non adhibuerit, nec quenquam in particulari nominauerit; semper cogitare potuerunt, vel conditionatam esse prædictionem, scilicet, nisi crederent; vel ad nullum seorsim, & in particulari spectare, cùm Christus Dominus neminem in indiuiduo determinauerit, vel denique reuelanti non crederent,

vt aliis

vt aliis quoque in rebus non credebant: vnde deſperandi occaſionem non haberent. Quæ quidem in hac reuelatione non procedunt, quæ fiebat abſoluta; & vt talis, cognita credentibus, & in particulari nominatis, ſaltem Heli, & duobus eius filiis.

XVII. *Inhabilitates legales ſicut non erāt culpa, ita pœnitentia non tollebantur.*

Quartò, dicet aliquis, hîc non agi de culpa mortali, quæ ſi non externis, ſaltem internis cordis ſacrificiis ſemper expiatur: ſed de immunditia quadam legali, ſeu de quadam inhabilitate, & irregularitate ad ſacra myſteria tractanda per legem poſitiuam introducta: quæ ſicut culpa non erat, ita per pœnitentiam non delebatur. Et quamuis per externas victimas elui conſueuerit; tamen à Deo in odium Heli, & filiorum eius nullis ſacrificiis expiandam reuelari. Quod fieri potuit ſine vllo diuinæ bonitatis, ac miſericordiæ detrimento. Nam huiuſmodi inhabilitates, cùm ad pœnas potiùs, quàm ad culpas pertinerent, liberè à Deo, vel tollebantur, vel inducebantur. Nihilominùs multò acrior fuit hæc in domum Heli comminatio, quàm vt terminari cenſeatur ad ſolas inhabilitates, quæ ſæpè ex ſolis corporis vitiis reſultabant: vt videre eſt Leuit. 21. à num. 17. Cùm igitur filij Heli peſſimis moribus execrabiles redderentur, ſeueriores ex diuino iudicio ſententias contra illos fulminari oportebat.

XVIII. *Nomine iniquitatis intelligitur pœna.*

Vltimò igitur dicendum cenſeo, nomine, *iniquitatis*, ſignificari hoc loco non quidem culpam moralem, neque illam tantùm immunditiam legalem; ſed pœnas grauiſſimas, mortes, ſtrages, captiuitates, bonorum honorúmque iacturas, aliáſque id genus, quas Heli, eiúſque poſteri incurrerunt, nec vllis ſacrificiis declinarunt. Licèt enim culpa ſemper in hac vita expiari poſſit; pœnam tamen aliquando non poſſe, patet in Moyſe, Dauide, Ioſia, & pluribus aliis; qui, expiatis culpis in hac vita, pœnas nihilominùs ſubierunt. Nouum autem non eſt in ſacris Literis, iniquitatem pro pœnis vſurpari: vt patet Geneſ. 15. n. 16. Leuit. 24. num. 15. Pſalm. 7. n. 17. Zach. 14. n. 19. Malach. 2. n. 16. & paſſim alibi. Cui reſponſioni Dionyſius, Lyra, Abul. Salian. & alij ſubſeribunt. Vide Salmer. in vlt. tom. in quadam Epiſt. ad Doctorem Aſtudillum: in qua agit de peccatis, quæ poterant, & quæ non poterant ſacrificiis expiari. Atque hæc de prima huius capitis parte, in qua pœna Heli Samueli reuelatur. Eſſet hoc loco illuſtranda grauitas culpæ, & pœnæ huius Sacerdotis; niſi de vtraque latiſſimè egiſſem cap. ſuperiori: de culpa quidem à Num. 12. de pœna verò à Num. 27. Quare ad alteram huius capitis partem progrediamur.

Pœna aliquādo etiā in hac vita inexpiabilis.

Dion. Lyra. Abul. Salian. Salm.

Num. XV. Dormiuit autem Samuel vſque manè, aperuitque oſtia domus Domini. Et Samuel timebat indicare viſionem Heli.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Duplex ſenſus. Vnus, quieuit tantùm. Alter, etiam dormiuit.*

D*Ormiuit autem Samuel, &c.* Hæc eſt altera huius capitis pars. In qua ſua Sacerdoti Heli pœna, per Samuelem reuelatur. Verbum Hebraïcum, שָׁכַב *Sacab*, quod hoc loco ponitur, ſignificat cubare, & dormire, vt iam in ſuperioribus monuimus. Vnde duplex eruitur huius loci ſenſus. Prior: Quieuit, & cubuit in lecto vſque manè; quamuis non dormierit. Quieuit quidem, quia non ſurrexit ampliùs è lecto, quemadmodum in vocationibus præcedentibus: non dormiuit autem, quia credibile non eſt, optimum diſcipulum, auditis tot ſuppliciis in caput ſui magiſtri deuoluendis, ſomnum capere potuiſſe. Poſterior: Non ſolùm quieuit, ſed reuerà etiam dormiuit: tum, quia puer ſuapte natura ſomnolentus; & ex multa iam vigilia fatigatus: tum, quia optima conſcientia, qua Samuel fruebatur, etiam inter pericula ſomnum inducit: tum, quia diuinæ reuelationes, ac dæmoniacæ in eo diſtinguuntur; quòd hæ timorem afferunt, illæ auferunt; ſublato autem timore ſomnus facilè conciliatur.

II. *Poſterior ſenſus præfertur.*

Ex his ſenſibus poſteriorem præfero: tum propter rationes poſitas: tum, quia hunc Græca & Latina exemplaria potiùs expreſſerunt: hæc dum transferunt: *Dormiuit*: illa, dum vertunt: κοιμᾶται, à verbo κοιμάω, ſeu, κοιμάομαι, quod eſt propriè, dormire. Quieuit autem Samuel, ſeu, dormiuit, non ad multam lucem, ſed ad primum mane: tum, vt fores tabernaculi aperiret; erant enim Leuitæ ianitores, vt patet ex 1. Paralipom. 23. num. 5. tum, vt ſtaret manè ad confitendum, & canendum Domino: hoc enim munus proprium erat Leuitarum, vt patet ex eodem loco, n. 30. tum denique, vt apertis tabernaculi foribus, ſacrificium matutinum celebraretur: de quo agitur Exod. 29. n. 38.

III. *Samuelis diligentia.*

Ex quibus eruitur duplex Samuelis laus. Vna, diligentia ad ſua miniſteria obeunda: quamuis enim magnam noctis partem traduxerit inſomnem; non tamen illam matutino ſomno cenſuit compenſandam: ſed promptus euigilauit, etiam à nemine euocatus; ne ſuo muneri deeſſet. Altera, humilitas ad priſtina officia repetenda: quamuis enim ad ſublimiorem gradum propheticæ dignitatis euectus fuerit, cum Deo familiariter colloquutus, ac de rebus ſuo Magiſtro euenturis certiſſimè edoctus; tamen nec tanto honore tumidus, nec tanta ſcientia inflatus, ad eadem miniſteria, quæ anteà humilis exercebat, humilior recurrit.

Samuelis humilitas.

IV. *Bonus prædicator, antequàm exeat in verbum prædicationis, vacet ſomno contemplationis.*

Myſticè verò notat D. Gregor. in poſteriori huius loci Commentario, Samuelem dormiuiſſe, antequàm Sacerdoti Heli ſuam viſionem indicaſſet: quia bonus Prædicator non priùs debet in prædicationis negotium prodire; quàm in contemplationis otio conquieſcat; vt hinc hauriat, quæ illic effundat. Immò, quamuis ſacris Literis ſtudendo, tanquàm loquendo cum Deo, didicerit, quæ prædicanda ſunt; adhuc tamen ea diſponere ac digerere debet contemplando: ne inutiliter ſpargat in vulgus, quæ vtiliter à Deo accepiſſet. Nam & Samuel à Deo accepit, quæ ſuo magiſtro prædicaret: ea tamen, antequàm ad opus prædicationis exiret, contemplationis ſomno vſque ad mane concoxit. In quam ſententiam adducit illud propheticum: *Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere. Surgite, poſtquam ſederitis.* Pſ. 126. num. 2. Vana eſt enim antelucana prædicatio, quam antelucana contemplatio non præcedit.

V. *Timor Samuelis accuſatur.*

Et Samuel timebat, &c. Sunt, qui vitio vertant Samueli hunc timorem, dicantque illum non omni prorſus culpa caruiſſe. Quod probare poſſunt duplici ratione: vna ex parte Dei reuelantis, qui propterea ſuis Prophetis arcana reſerat, vt ea per Prophetas, aliis, ad quos pertinent, communicentur: altera ex parte Sacerdotis, in ſua ignauia torpentis; ad quem excitandum, fraterna monitione, ac correctione opus eſſe, ipſa naturalis charitas dictabat. Nihilominùs condemnare non audeo, quem neque Scriptura, neque antiqui Patres, neque ſacri Interpretes condemnant. Et mouet me ratio: tum, quia Deus non præcepit Samueli; vt

Rectiùs excuſatur.

Heli

Heli suam visionem indicaret; quamuis autem hoc præceptum necessarium non esset aliis Prophetis probè scientibus, diuinas reuelationes ideò fieri, vt aliis communicarentur; tamen Samueli adhuc puero, & reuelationum inexperto, & quò illæ tenderent, adhuc ignaro, necessarium videbatur: tum, quia necessitas correptionis, qua Sacerdos indigebat, non erat admodum nota Samueli, vtpote puero, & simplici, & sui magistri culpas minimè speculanti;& proinde nec obligatin admonendi, quæ illi incumbebat: potuit igitur sine culpa eam admonitionem præterire;præsertim exiguo tempore, quo solo tacuit, dum commodam admonendi occasionem captabat.

Immò & laudatur. Addo, hunc Samoelis timorem non solùm irreprehensibilem fuisse, sed etiam maximè laodabilem; vt ex causis timendi, quas habuit, statim assignandis, patebit. Multiplex aotem esse potuit huius timoris causa: singulas seorsum assignabo.

Prima timoris causa, dignitas Heli.

VI. *Principes nolunt sibi iniucunda obnũtiari.* Timebat primò propter dignitatem Heli. Erat enim Iudex, & Pontifex. Qui autem hiscè honoribus præcellunt, res iniucundas, licèt veras, nunquàm sibi nuntiari patiuntur. Vt facilè ostendi potest, vel in ipsis Regibus Israël. *Saul occidit Magos ingrata enuntiantes.* *Saül*, inquit Textus, *abstulit Magos,& ariolos de terra,& interfecit eos, qui Pythones habebant in ventre.* 1. Reg. 28. n. 3. *Lyra.* Dicunt Hebræi apud Lyranom, ea de causa illos diuinos, & aruspices à Saule de medio sublatos, quòd ei prædicerent, eius familiam euertendam esse,& regnum ad Dauidem transferendum. Adeò indigne ferebat, sibi læuos & ingratos rerum euentus obnuntiari. Sed paulò pòst ipse Saül, mutato habito, consuluit vnam, quam superstitem reliquerat, Pythonissam. *Mutato habitu consulunt Pythonissam, vt veritatem extorqueret.* *Mutauit*, inquit Textus, *habitum suum, vestitúsque est aliis vestimentis, & abiit ipse ad mulierem*, &c. Ibidem, n. 8. Cur, quæso, non aperto ore, sed distorto ac personato abiit ad consulendum? Credo, quia veritatem à fœmina extorquere cupiebat, quam illa non auderet Regi in os enuntiare, sciens, veritatem à Regibus molestissimè exaudiri.

VII. *Idem contigit vxori Ieroboam Regis.* Sic olim & Ieroboam Rex Israël, scire volens ex diuino oraculo, essétne filius eius Abia, ex eo morbo, quo premebatur, moriturus, præmisit Reginam vxorem suam ad Prophetam Ahiam consulendum. *Surge*, inquit, *& commuta habitum, ne cognoscaris, quod sis vxor Ieroboam; & vade in Silo, vbi est Ahias Propheta, qui loquutus est mihi, quòd regnaturus essem super populum hunc.* 3. Reg. 14. n. 2. Vbi in primis nota, Reginam, mutato habitu, ire iussisse: *Quia timebat*, inquit Lyra, *Lyra.* *ne Propheta, si eam agnosceret, negaret responsum, vel veritatem celaret.* Adeò timidi esse solent etiam Prophetæ ad veritatem Regibus indicandam. *Rex eum consulit Prophetam, qui bona nunciabat.* Nota præterea, non alium Prophetam consuli voluisse, quàm Ahiam, qui sibi regnum prophetarat: quasi alios Prophetas audire nollet, quàm eos, qui sibi fausta & felicia præsagirent. Quo pacto & nunc improbi homines, eos libentiùs audiunt Prædicatores, qui sibi ad aures iucundiùs blandiuntur; eos adeunt propensiùs Confessores, qui secum mitiùs agunt, & grandes culparum sarcinas leuibus pœnarum oneribus compensant; eos frequentiùs consulunt Doctores, qui dubias conscientiæ quæstiones, non tam ad veritatem, quàm ad commoditatem consulentis audaciùs interpretantur.

VIII. Notum est ex sacris Literis, Ieroboamum adhue hominem priuatum contra Regem Salomonem rebellasse. *Salomon veritatis audiendæ impatiens.* *Ieroboam*, inquit Textus, *filium Nabat, Ephratæum, seruum Salomonis, leuauit manum contra Regem.* 3. Reg. 11. n. 26. Sed rebellionis causa non admodum aperta. Rabbi Salomon eam fuisse credit, quòd Ieroboam fuerat à Rege in exilium relegatus. At quam ob culpam? Subdit: Quia Ieroboam reprehenderat Salomonem, eò quòd claudebat locum illum, *Mello*, quem Dauid dimiserat apertum, propter deuotionem venientiom in Hierusalem, ac per illum transeuntium: vt patet ex 3. Reg. 9. n. 24. En vt Salomon veritatis audiendæ impatiens, seruum alioqui *fortem, & potentem*, vt Litera appellat, aula & vrbe interdicit. Quis non timeat, in Regum Curiis agere præconem veritatis, quæ audita non prodest audientibus; dicta verò in dicentium exilium, immò & exitium redundat?

IX. *Achab multos Pseudoprophetas cõsulnit; vnum Prophetam consulere noluit.* Celebre est de hac re illud exemplum Regis Achab eum Propheta Michæa. Erant olim in Samaria quadringenti circiter Pseudoprophetæ, inter quos vnus tantùm Propheta verus nomine Michæas. Illos omnes in consilium vocaoit Rex Achab, hunc solùm præteriuit: tam multos falsos patientissimè, immò & libentissimè audiuit; vnum tantùm verum nec libenter, nec patienter audire voluit. Quis non miretur tam incultas Regis aures, innumeris mendaciis diabolicis apertas; vni tantùm oraculo diuino obseratas? Sed statim, cur tam multis Pseudoprophetis admissis, vnum tantùm Prophetam excluserit, Rex ipse declarauit. *Rex veratem odit monstrorum.* *Ego*, inquit, *odi eum, quia non prophetat mihi bonum, sed malum.* 3. Reg. 22. n. 8. Vbi nota illud, *Prophetat*, idem esse, atque prophetare solet. Vnde paulò pòst ait idem Rex: *Nunquid non dixi tibi, quia non prophetat mihi bonum; sed semper malum.* Ibidem, n. 18. *Quisemel ingrata nũtiat, semper nunciare reputatur.* Sed hinc exurgit quæstio. Nam, si sacram Historiam diligenter expendas; semel tantùm inuenies, Michæam Regi Achab mala denuntiasse: nimirum 3. Reg. 20. n. 24. Quid ergo inquit, *solet mihi prophetare*; aut, *semper prophetat mihi malum?* Nunquid semel est semper? Aut vna tantùm malorum denuntiatio, est frequens & multiplex? Ita planè videtur iniquis Regibus, veritatis osoribus: adeò enim veritatem execrantur, vt si eam semel audierint, semper audire arbitrentur.

X. *Michæas veriñ dicere Regi molestissimè auditure non audebat.* Sed vlteriùs vide prudentiam Prophetæ. Consultus tandem à Rege de euentu belli, quod suscepturat contra vrbem Ramoth, ironicè respondit: *Ascende, inquit, & vade prosperè; & tradet Dominus in manus Regis.* 3. Reg. 22. n. 15. Cur statim non indicauit tristem euentum, quem futurum præsciebat? Planè, quia nonerat, molestissimè à Rege audiendum. Immò posteà non nisi ab ipso Rege iterum atque iterum adiuratus, vt verum loqueretur, malum euentum prophetauit. Tunc enim adiurationem ne contemneret: *Vidi*, inquit, *cunctum Israël dispersum in montibus, quasi oues non habentes pastorem.* Ibidem, num. 17. Ad quem locum Theodor. q. 65. *Expectauit*, inquit, *Propheta, vt iureiurando adigeretur, & deinde verum diceret. Nam, quia Achab existimabat, Prophetam propter odium dicere molesta, priùs dixit iucunda: deinde iureiurando adactus, diuina ostendit.* Ac si Michæas noller aperire Regi veritatem, quam molestam & infructuosam illi fore cognoscebat, nisi priùs iuramento cogeretur: imitatus fortasse Samuelis prudentiam, qui non nisi ab Heli interrogatus, suam ei visionem indicaoit: vt si audiens molestè ferret, sibi potiùs interroganti, quàm discipulo respondenti succenseret.

XI. Eandem ob causam Helisæus à Benadad Rege Syriæ consultus per Azaëlem internuntium, an

ex eo

Holofans grata regi nuntiat, molesta nuntiare non audet.

ex eo morbo, quo tenebatur, esset moriturus, A respondit: *Vade, dic ei, sanaberis.* 4. Reg. 8. n. 10. Et statim conuersus ad Azaelem, eique veluti ad aurem insusurrans: *Porro*, inquit, *ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Quid hoc est, Propheta? Non vides, te pugnantia loquutum, dum ais: *Sanaberis*, & statim: *Morietur?* Absit, vt Propheta falsa ac deceptoria loquatur. Viderat enim sanandum ex morbo; sed statim morte violenta opprimendum. Illud prius, vt iucundum Regi denuntiat; hoc posterius internuntio quidem priuatim aperit, qui propheticæ veritatis fidem faceret, & certissimum fuisse eius oraculum testaretur. Regi tamen, vt molestum ac minimè profuturum, denuntiare non audet: adeò à suis malis audiendis Regum ingenia abhorrent.

XII. *Daniel molesta regi nuntiaturus turbatur.*

Quod profectò Daniel non ignorauit. Nam explicaturus Nabuchodonosori somnium, quod Regis exitium portendebat: *Cœpit*, inquit Textus, *intra semetipsum tacitus cogitare quasi vna hora, & cogitationes eius conturbabant eum.* Dan. 4. n. 16. seu, vt ibi loquitur D. Hieronymus: *Timorem cordis, vultus pallore signabat.* Vnde, quæso, hic tantus timor, non solùm corde conceptus, sed etiam ore proditus? Bene Theodoretus ibi: *Ostendenda enim*, inquit, *erat humana imbecillitas.* Quid enim non timeret, qui regiæ potestati propriam infirmitatem obnuntiabat? Certè sic timebat, vt à beneuolentissimis verbis sibi exordiendum putaret; ne totam Regis indignationem in se transferret. *Domine mi*, inquit, *somnium his, qui te oderunt, & interpretatio eius hostibus tuis sit.* Ibidem. Vbi idem rursus Theodoretus obseruat, opus fuisse, vt Propheta molestissima nuntiaturus, mollissimis verbis ordiretur; vt auditurum Regem sibi conciliaret. Sic auersæ sunt à vero audiendo Regum aures; vt nisi priùs molliter ac suauiter titillentur; statim respuant, quidquid durum atque asperum ingeratur.

D. Hier.

Theod.

Nuntiaturus dura à mollissimis verbis exorditur.

XIII. *Alexander Macedo adulatorem repellebat, obiurgatorem exoptabat.*

Quamuis non dubitem, esse aliquos, qui se ab aliis bene admoneri patiantur. Fertur quidem Alexander Macedo, quendam Philosophum, quo anteà familiariter vtebatur, à suo consortio repulisse; quòd nunquam Regem obiurgasset, dicens: Si mala, quæ facio, non intelligit; est insipiens: si intelligit, & non arguit; est maleuolus adulator. Vtroque nomine planè dignus, qui à regia familiaritate arceatur. De hoc ordine sine dubio Dauid, de quo illa quæstio frequens excitatur, Cur Ioab multis criminibus conuictum ipse adhuc viuens non occiderit, sed filio suo Salomoni tradiderit occidendum.

Cur Dauid Ioabum mortis reum non occiderit.

XIV. *Prima ratio, vt in pace occisor, à Rege pacifico Salomone in pace occideretur.*

Dices primò, quia æquum erat, vt Ioab egregios duces Amasam & Abner in pace occidens, non à Dauide Rege bellatore, sed à Salomone Rege pacifico occideretur, vt pœna culpæ responderet: & qui incautis ac nihil de morte cogitantibus mortem intulit, mortem ipse quoque incautus ac nihil de morte cogitans subiret. Dices secundò, quia voluit prudens pater, vt filius Salomon, quem mollioris ac lenioris ingenij esse nouerat, ab effundendo sanguine inchoaret imperium: vt inter regni initia fortiter præludendo, postea in coercendis criminibus minimè flueret & langueret. Dico nihilominùs tertiò aptè ad rem præsentem, quia Ioab Regem Dauidem diuinæ legi aduersantem, & populum ex quadam superbia recensere cupientem, probè admonuit, ne laberetur. Illum enim constanter aggressus: *Augeat*, inquit, *Dominus populum suum centuplum, quàm sunt: nónne, Domine mi Rex, omnes serui tui sunt? Quare hoc quærit Dominus meus, quod in peccatum reputetur Israeli?* 1. Paral. 21. n. 3. Quid ergo Dauid? Bene monentem, inquit, non occidam. Optimum consilium pessimo exitio non rependam. Viuet, quandiu vixero, Ioab: illius vitam, qui meæ consuluit, non profundam. Vides, vt beneuolum se præstiterit monitori?

Secunda, quia voluit, vt pacificus Salomonis supplicio inchoaret imperium.

Tertia, quia Ioabum optimum suum monitorem occidere non audebat.

XV. *Balthasar nō modò non occidit, sed etiā honorauit suum monitorem.*

Sed, quid mirum, cùm talem se præstiterit & Balthasar, Rex impius & idololatra? Nam postquàm illi Daniel totius regni perniciem & interitum nuntiauit: *Tunc iubente Rege*, inquit Textus, *indutus est Daniel purpura; & circundata est torques aurea collo eius; & prædicatum est de eo, quod haberet potestatem tertius in regno suo.* Dan. 5. n. 29. Cur non potiùs Rex impius sacco se induit in morem pœnitentis, quàm Danielem auro excoluit in morem triumphantis? Fortè, quia gratius Deo futurum iudicauit, honorare Prophetam bene B monentem, quàm se peccantem macerare. Vnde D. Hieronymus ad eum locum: *Non mirum*, inquit, *si Balthasar audiens tristia, soluerit præmium, quod pollicitus est; quia dum Prophetam Dei honorat, sperat, se veniam consequuturum. Et quidem ita foret, si hoc ille ex animo præstaret.* Hanc facilitatem suos monitores bene audiendi forsitan habebat & Heli. Nihilominùs Samuel communem Principum conditionem contemplatus, infelicem exitum denuntiare formidabat: non ignauus quidem monitor, sed prudens; qui vtilitatem vtiliter admonendi expectabat, cùm ab ipso Heli interrogaretur; vt reuerà statim interrogandum certissimè con- C iiciebat.

Præstat, audire bene monentem, quàm se ipsum peccantem macerare.

D. Hier.

Samuel non ignauus monitor, sed prudens.

Altera timoris causa, ætas Heli.

XVI. *Senex doceri, & puer docere non debent.*

SEcundò timebat Samuel, suam magistro visionem indicare, propter ætatem nimis maturam, ac planè senilem Sacerdotis. Quo pacto enim senem septuagenarium, aut etiam octogenarium, qualem tunc agebat Heli, vt initio huius capitis diximus, admonere non recusaret vnus puer duodennis: cùm & hic ineptus sit, vt doceat; ille vt doceatur? Vtrunque significauit D. Paulus illis verbis: *Seniorem ne increpaueris.* 1. Tim. 5. num. 1. Quasi diceret: Neque tu aptus es, vt increpes; quia iunior: neque ille, vt increpetur; quia senior. Et D quidem, quòd iuuenis docere non debeat, in 4. ratione ostendam. Interim verò doceri senem, res est, aut difficilis, aut superuacua. Difficilis quidem, si senex sit imperitus. De hoc enim sene dicere solebat Diogenes, *Mortuo mederi, & senem docere*, idem esse. Quare stultus ille senex apud Theognem, non patiebatur, se ab alio doceri, dicens: *Ne doceas, ætas me facit indocilem.* Quibus assentitur Seneca lib. 3. epist. 25. *Grandior ætas*, inquit, *dura & intractabilis, non potest reformari: tenera finguntur.*

Senex imperitus difficillimè docetur.

Diogen.

Theognes.

Seneca.

XVII. *Iuuentus optimum vitæ tempus, quia aptum disciplinis.*

De proprio Philosophiæ penu suum illud hexametron deprompsit Mantuanus 10. Æneidos.

Optima quæque dies miseris mortalibus æui
Prima fugit.

Virg.

E Vbi primam ætatis diem, hoc est, primam iuuentutem, optimam appellauit. Rationem inculcat Seneca lib. 9. epist. 109. quia sola iuuentus disciplinæ capax est, non senectus. *Quare*, inquit, *optima? Quia iuuenes possumus discere: hoc tempus idoneum est agitandis per studia ingeniis. Quod superest, segnius & languidius est.* Quasi optima vitæ pars illa sit, in qua discimus; pessima, in qua à discendo languescimus, & otiamur: qualem esse imperitam senectutem Philosophus hic testatur. Vnde illa parœmia: *Senex psittacus negligit ferulam.* Nam, vt Apuleius lib. 2. Floridorum, & Plinius

Psittacus senex non docetur.

Apuleius.

Plinius.

lib. 10.

lib. 10. nat. hist. c. 42. memoriæ prodiderunt: Psittacus in primo vitæ biennio facile addiscit, quidquid suggeritur: in senio sic obstupescit, vt quantumuis flagelletur, nunquam doceatur. Eandem difficultatem fatetur D. Hieronymus præfatione in Euangelia: *Periculosa*, inquit, *præsumptio est, senis mutare linguam, & canescentem mundum ad initia retrahere paruulorum.*

D. Hieron.

XVIII. *Senum propria sapientia.* Seneca.

Superuacua verò res est, doceri senem, si ille parem habeat cum canitie sapientiam; vt habere æquum est. Alioqui, vt optimè Seneca lib. 1. De tranquillit. vitæ, c. 3. *Nihil turpius*, inquit, *est, quàm grandis natu senex, qui nullum aliud habet argumentum, quo se probet diu vixisse, præter ætatem.* Cùm alia multò clariora habere debuisset, nempe experientiam, & sapientiam, quæ seris ab annis colliguntur. Vnde illud: *Corona senum, multa peritia.* Ecclesi. 25. n. 8. Qua de re D. Hieron. in epist. 2. ad Nepotianum: *Omnes*, inquit, *penè virtutes corporis mutantur in senibus; & crescente sola sapientia decrescunt cætera virtutes.* Quò pertinet illud Socratis in Symposio Platonis: *Tunc*, inquit, *mentis oculus acutè incipit cernere, cùm primùm corporis oculus deflorescit.* Quare Tullius in Catone, *Temeritas*, inquit, *est florescentis ætatis; prudentia senectutis.* Ob quam prudentiam Quintilianus quadam in declamatione: *Militem*, inquit, *eligimus iuuenem; Imperatorem facimus senem.*

D. Hier. — Socrates. — Tullius. — Quintil.

XIX. *Dauid in senectute sapiens.* D. Hier.

In huius rei typum Dauid, postquàm senuit, vxorem duxit Abisag Sunamitidem, 3. Reg. 1. n. 3. quæ sapientiam senilis ætatis propriam repræsentat. Nam *Abisag*, interprete D. Hieronymo proximè citato, idem est, quòd, *abundans*; & quòd, *rugitus. In senibus autem*, inquit, *abundantissimum, & vltra humanam vocem diuini sermonis tonitruum commoratur.* Quo pacto igitur quis audeat docere senem, qui vel incapax doctrinæ sit, vel doctrina largiter abundet? Hæc ratio non parùm reuocabat Samuelem à sene admonendo, non quòd illum imperitum, & proinde indocilem iudicaret: sed potiùs, quòd illum crederet & prudentem, & scientem, immò & reuelationis, quæ illi à viro Dei facta fuerat, non immemorem. Vnde timere poterat, ne superuacuum omninò foret, senem paulò antè diuinitùs edoctum, iterum edocere.

Senex doctus superuacuè docetur.

Tertia timoris causa, humilitas Samuelis.

XX. *Reuelationes diuinæ humiliter custodienda; non leuiter euulganda.* D. Bern.

SIcut dignitas monendi Sacerdotis; ita & humilitas monituri Leuitæ, Samuelem deterrebat, ne suam visionem indicaret. Nam reuelationes diuinæ eò debent humiliùs occultari, quò à Deo liberaliùs communicantur: ne quid humanæ laudis inde vsurpetur, quod in diuinam gloriam non transferatur. Vnde D. Bernar. serm. 4. in Aduentu Domini, non leuiter eum reprehendit, qui hanc gratiam sibi diuinitus communicatam inaniter euulgat. *Insipiens*, inquit, *tu, qui merces congregas in saccum pertusum: qui thesaurum tuum alieno in ore constituis. Quantò meliùs sapiunt, qui thesaurum suum ipsi sibi seruant, & aliis non committunt?* Et paulò pòst, optimam à mendicis similitudinem mutuatus, qui de suis potiùs miseriis, quas promunt; quàm de suis diuitiis, quas condunt, gloriantur: *Vtile est*, inquit, *abscondere magis, quàm ostentare, si quid habemus boni: sicut & mendici, cùm eleemosynam petunt, non pretiosas vestes ostendunt; sed seminuda membra, aut vlcera, si habuerint; vt citiùs ad misericordiam videntis animus inclinetur.* Quid igitur facit humana necessitas, cur diuina humilitas non præstabit?

Optima à mendicis similitudo.

XXI. Somnia diuinitùs immissa habuit olim, fateor,

A Iosephus, quæ ille patri ac fratribus manifestauit, Gen. 37. n. 6. & 9. Erunt fortasse, qui hanc somniorum manifestationem ad puerilem referant leuitatem & vanitatem: quod tamen Diuus Bernardus De gradibus humilitatis, in primo gradu, non admittit, existimans potiùs mysterio, aut simplicitati puerili tribuendam: addit tamen, si quam in ea manifestatione iactantiam incurrit, non impunè tulisse; non solùm à patre obiurgatum: *Increpauit* enim *eum pater suus.* Ibidem, n. 10. Sed etiam venditum in Ægyptum, & in carcerem coniectum, & innumeris vexationibus afflictum. Quasi illa modica iactantia in diuinis somniis euulgandis, digna esset, quę tam multis calamitatibus purgaretur. *Quod si quis*, inquit Bernardus, *contendat* B *in eo, quòd somnia sua adhuc adolescentulus narrabat, vanitatem posse notari: ego tamen mysterio magis, siue simplicitati pueri deputandum arbitror, quàm vanitati; quæ tamen, si qua fuit, per ea, quæ passus legitur, potuit expiari.* Non leuis igitur culpa erat, quam non nisi tanta laborum inundatio expiabat.

Iosephus sua somnia manifestauit non impunè. D. Bern.

XXII. *Agar suam reuelationem humiliter occultauit.*

Illustre de hac re exemplum prębuit Agar, quę, cùm ab Angelo familiariter salutaretur, & de beneficiis diuinitùs accipiendis disertissimè edoceretur; tamen domum regressa, nihil de illa reuelatione sanctissimis coniugibus, Abrahæ & Saræ manifestauit, vt videre est Gen. 16. à n. 7. humili potiùs silentio, quàm vano colloquio diuinum illud oraculum venerata. Qua in re mihi videtur clarissimum sanctissimæ Virginis Deiparæ symbolum C protulisse, quæ cum Angelo familiariter colloquuta, & de Incarnationis mysterio edocta, ac tandem Dei Mater singulari beneficio diuinitùs effecta; tamen sic conticuit, vt ne sanctissimo quidem eius sponso Iosepho quidquam detegere ausa fuerit: malens, aliquo infamiæ periculo apud coniugem laborare; quam creditam sibi tanti mysterij gratiam cum aliquo iactantiæ næuo aperire.

B. Virginis illustrius in hac re exemplum.

XXIII. *B. Virginis gratiam priùs diuinus Spiritus prodidit, quàm ipsa virgo.* Ruper.

Quin etiam paulò pòst ingressa domum Zachariæ, *Salutauit Elisabeth*, nulla facta huius sui tam eximij fauoris mentione: antequàm ipsa Elisabeth se illius præsciam exclamaret, dicens: *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me.* Luc. 1. n. 43. Quod egregiè ponderauit Rupertus D lib. 1. in Cant. ad illa verba ex cap. 1. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Vbi notat, priùs Elisabetham à diuino Spiritu interiùs afflante, quàm à beata Virgine exteriùs loquente, huius mysterij sublimitatem agnouisse. *Verè*, inquit, *pulcherrimus & optimus explanationis modus; vbi verecunda puella prolocutor sit ipse Deus.* Et paulò pòst: *Tu*, inquit, *beata Virgo verè fidelis fuisti, non solùm, quia credidisti Angelo euangelizanti: verùm etiam, quia secretum istud custodisti, neque properasti aliquando cuiquam tuæ admirationem facere felicitatis, vt diceres, quid fecisset tibi Deus, nisi ei, cui prior ipse Deus, vel Spiritus sanctus reuelauit.*

XXIV. *D. Paulus suarum reuelationum secretissimus custos.*

Eiusdem humilitatis exemplum præbuit D. Paulus singulare, cùm plurimas à Deo reuela- E tiones acceptas perpetuo silentio inuoluit, & vix vnam diuturno pòst tempore manifestauit. *Veniam*, inquit, *ad visiones & reuelationes Domini. Scio, hominem in Christo ante annos quatuordecim, siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum, &c.* 2. Corinth. 12. à n. 1. Vbi à pluribus visionibus & reuelationibus exorsus, vnicam enarrat; ad vnam quidem euulgandam, necessitate cogente: à pluribus autem manifestandis, humilitate reuocante. Quam Apostoli modestiam in 1. tom. Annot. 3. Sect. 1. & c. 2. Num. 3. §. 21. paucis perstrinxi, & in tom.

seq.

ſeq. ad cap. 12. fuſiùs illuſtrabo. In quibus locis A plura de hac re. Timent igitur Sancti, communicatas ſibi à Deo gratias ac reuelationes euulgare; certi, quò illas ipſi humiliùs occultauerint; eò ipſas a Deo glorioſiùs manifeſtandas: qui Dauide teſte, *Educet quaſi lumen iuſtitiam tuam: & iudicium tuum, tanquam meridiem.* Pſal. 36. n. 6. Vbi D. Ambroſius, *Deus*, inquit, *lux eſt: ſi tu velis tuam occultare iuſtitiam, Deus eam educet in lumen*, &c. Hos igitur Samuel imitatus timebat viſionem ſuam indicare, ne quam iactantiam incurrere videretur.

Quas quis reuelationes humiliter occultat, Deus glorioſè manifeſtat.
D. Ambr.

Quarta timoris cauſa, ætas Samuelis.

XXV. *Puer ad docendum ineptus.*

QVartò, puerilis ætas timidum faciebat Samuelem ad ſenem admonendum, cùm nihil B à puerili ætate longius abeſſe videatur, quàm auctoritas docendi. Nam pueris inſita eſt, atque innata ſtultitia; iuxta illud: *Poſſidebunt paruuli ſtultitiam.* Prouerb. 14. n. 18. Et illud: *Stultitia colligata eſt in corde pueri.* Prou. 22. num. 15. Vnde ad extremam perniciem & cæcitatem Iſraëliticæ Gentis exprimendam, ait Propheta: *Dabo pueros Principes eorum.* Iſai. 3. n. 4. Quod alius eleganti metaphora declarauit: *Maiores*, inquit, *miſerunt minores ad aquam. Venerunt ad hauriendum, & non inuenerunt. Reportauerunt vaſa ſua vacua: confuſi ſunt, & afflicti, & operuerunt capita ſua.* Ierem. 14. n. 3.

D. Hieron. In quem locum D. Hieronym. per illos minores intelligit iuniores, in quibus cani ſapientiæ non C ſunt: & tamen docendo, erudiendóque populo præficiuntur; cui propterea non poſſunt doctrinæ fontes miniſtrare. Vnde neceſſe eſt, vt totus populus ad doctrinam quidem auidus, ſed doctrina deſtitutus exareſcat. De qua aviditate D. Hieron. paulò inferiùs: *Siccitas hæc*, inquit, *ſæpè accidit in Eccleſiis, quando cerui & onagri inueniuntur in populis, (hoc eſt, homines doctrinæ auidiſſimi) & magiſtrorum penuria contabeſcunt. Sunt, qui poſſunt diſcere; & non ſunt, qui poſſunt docere.* Adſunt quidem iuuenes clauum tenentes; ſed non Doctores, neceſſariam populo doctrinam ſuppeditantes: cùm iuuenes nullo minùs, quàm Doctoris munere fungantur.

Ex penuria magiſtrorum ariditas in Eccleſia.

XXVI. *Puer [illegible] à docendo reuocatur.*

Vnde Iacobus filio ſuo Ioſepho iuniori ma- D gnam felicitatem precaturus; *Filius*, inquit, *accreſcens Ioſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu: filiæ diſcurrerunt ſuper murum.* Gen. 49. n. 21. Quẽ locũ Septuaginta longè aliter tranſtulerunt: *Filius auctus Ioſeph, filius auctus; deſiderabilis filius meus iunior, ad me reuertere.* In quibus vltimis verbis expende, iuniori filio optimum conſiliũ præſtitum à parente: *Ad me reuertere.* Quaſi diceret: Quandiu puer es, à paterna doctrina non diſcedas: & qui docendo nondũ maturus es per ætatẽ; fac, vt diſcendo matureſcas: ſicut enim corporis; ita & ſapientiæ ad docendum neceſſariæ incrementa non ſimul, ſed paulatim acquiruntur. Quod S. Theophilus Antiochenus lib. 2. ad Autolycum rectè exprimens: *Indecorum eſt*, inquit, *pueros antequam puerilem egreſſi fuerint ætatem ſupra ætatem ſapere. Quemadmodum enim ætas, & ſtatura incrementum ſumit paulatim; ſic etiam prudẽtia pedetentim augetur.*

Septuag.

Theoph.

XXVII. *Sublato virtutis periculo, puer timidus ſit ad docendum; poſito, promptus.*

Dum igitur Samuel intelligeret, ſe propter pueritiam ineptum eſſe, vt moneret, & Heli propter ſenectutem, vt moneretur; timebat ſuam illi reuelationẽ indicare: maximè cum nullo hactenus ad eam indicandam præcepto teneretur: neque poſitiuo, quia Deus illi non præceperat, vt Sacerdoti, quæ audierat, reuelaret: neque naturali, quia non putabat, periculum aliquod ſpirituale eſſe in mora reuelandi, præſertim exigua, A quam trahebat. Nam, cùm aliquod virtutis periculum incurritur, debet iunior ſubditus Prælatum ſeniorem admonere; vt D. Gregor. paulò inferiùs citandus aduertit: ea tamen cautione, vt neque ſubditi admonentis humilitas amittatur; neque Prælati admoniti auctoritas obſcuretur.

XXVIII. *Iuuenis, ſi ex officio teneatur, conſtanter arguat, etiã ſeniores.*
D. Bern.

Iam verò, ſi iunior ex proprio officio vrgeatur, audentior eſſe debet ad arguendum etiam ſeniorem. Vnde D. Bernardus epiſtola 201. Balduinum Abbatem, qui propter ſuam iuuentutem ſeniores arguere non audebat, ſic ſtimulat: *Noli*, inquit, *fruſtra aſſumere excuſationem, quaſi de tui nouitate, aut imperitia: quod fortè putas vel ſimulas. Nam nec ſterilis verecundia grata eſt; nec humilitas præter veritatem laudabilis. Pelle pudorem* B *conſideratione officij: age vt magiſter: nouus, ſed debitor. Nunquid nouitas excuſabit apud creditorem damna lucrorum?* Hæc Bernardus, ſequutus Apoſtolum, qui moniturus iuuenem Timotheum, vt argueret & increparet, 2. Tim. 4. num. 2. præmiſit: *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat.* 1. Timoth. 4. num. 12. ne ex illius adoleſcentia, ſubditis peccandi audacia; Prælato refrænandi ſocordia naſceretur.

Quinta & vltima timoris ratio, ingenuus pudor, ac debita Prælato reuerentia.

XXIX. *Ingenuus pudor Samuelis.*

QVintò, timebat Samuel aggredi Heli, diſcipulus magiſtrum, ſubditus Prælatum, Le- C uita Sacerdotem, puer ſenem, triſti quadam & inſuaui legatione propter ingenuum pudorem, quem à natura inſitum habebat; & reuerentiam, qua Heli proſequebatur. Vnde D. Gregor. in priori huius loci Commentario: *Timor*, inquit, *Samuelis non pauorem ſeruilem inſinuat, ſed reuerentiam debitam culmini paſtorali. Nam etſi negligens Prædicator reprehenſionem & minas ex reatu meretur proprio; timorem reuerentiæ exigit eius ordinis celſitudo.* Et paulò antè inuehitur in eos, qui ad Prælatos ſuos arguendos, non ex diuina reuelatione, ſed ex propria voluntate rapiuntur. *Si*, inquit, *ij, quibus omnipotens Deus loquitur, Prælatis ſuis loqui metuunt; ij, quibus nequaquàm loquutus eſt Deus,* D *recondere ſe ſub lingua ſua ſilentio, quanto terrore debuerunt?* Nec aliter de hac re philoſophatur D. Ephrem Syrus parænesi 15. vbi loquutus de humilitate & reuerentia ſubditorum erga Prælatos: *Exemplum*, inquit, *humilitatis, Fratres mei, in Samuele Propheta habetis. Non enim exaltatum eſt cor eius aduerſus Heli Sacerdotem; quamuis etiam à Deo audiuiſſet de viro iſto*, &c. ſcilicet, grauiter peccaſſe, & grauiter puniendum. Nec ab alio, quàm ab ipſo Deo: cui credens, vt reuerà credidit, occaſionem habuit ſuum Prælatum deſpiciendi; quem tamen debita reuerentia nunquam defraudauit.

D. Greg.
Prælatus magna cũ reuerentia admonendus.

D. Ephrem.

XXX. *Prælati à ſubditis tolerandi, à ſolo Deo iudicandi.*
D. Greg.

Eandem doctrinam lib. 25. Moral. cap. 14. aliàs 20. latiùs inculcat: vbi loquutus de malo Prælato, duo tradit: vnum, eum à nobis, quoad fieri E poterit, tolerandum; cùm ſæpè nobis à Deo in noſtrorum vindictam criminum imponatur: *Nullus*, inquit, *qui talem rectorem patitur, accuſet: quia nimirum ſui fuit meriti, peruerſi rectoris ſubiacere ditioni. Culpam ergo proprij magis accuſet operis, quàm iniuſtitiam gubernantis.* Quod faciliùs vt perſuadeat, aduertit, Prælatos Deum Iudicem habere; qui tam grauiter in eorum peccata vlciſcatur, vt opus non ſit, à ſubditis condemnari. *Quia*, inquit, *rectores habent Iudicem ſuum, magna cautela ſubditorum eſt, non temerè vitam iudicare regentium. Neque enim fruſtra per ſemetipsũ Dominus æs nũmulariorum*

I fudit,

fudit, & cathedras vendentium columbas euertit. Matth. 21. n. 12. *Nimirum, significans, quia per magistros quidem vitam iudicat plebium, sed per semetipsum facta examinat magistrorum.*

XXXI. *In casu necessitatis monendus Prælatus a subdito, sed cum magna humilitate.*

Alterum, si necessitas omninò postulet, vt malus Prælatus à subdito admoneatur; id magna cũ humilitate præstandum. *Dum*, inquit, *salua fide, res agitur, virtutis est meritum, si quidquid Prioris est, toleratur. Debet tamen humiliter suggeri, si fortasse valeat, quod displicet, emendari. Sed curandum summopere est, ne in superbiam transeat iustitia inordinata defensione: dum rectitudo incautè diligitur, ipsa magistra rectitudinis humilitas amittatur. Ne enim sibi præesse quisque despiciat, quem fortasse cõtingit, vt in aliqua actione reprehendat.* Ad hæc egregiè notat idẽ D. Greg. lib. cit. cap. sequenti, malos etiam Prælatos venerandos quidem esse, nunquam tamẽ imitandos: quod in duobus Noë filiis expressum putat: qui, auersis oculis, parentem indecenter nudum operuerunt. Gen. 9. n. 23. Tegebant quidem, vt venerarentur; sed non videbant, ne imitarentur: dum auertebant oculos, sibi factum displicere significabant; dum iniiciebant pallium, se parenti suo officiosos esse testabantur. *Hoc est*, inquit, *solerter intuendum, ne aut quem venerari necesse est, imitari appetas; aut quem imitari despicis, venerari contemnas.* Et statim de Noë filiis, qui parentis sui veneratores, non imitatores extiterunt: *Operimentum*, inquit, *auersi deferunt; quia indicantes factum, & venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt.* Hoc est, nolunt imitari, quem venerantur.

D. Greg. Prælatus etiã malus venerandus, non imitandus. Exemplum filiorum Noë.

XXXII. *Filiorũ Noe erga patrem reuerentia.* D. Ambr.

Ex eodem loco colligit D. Ambr. lib. De Noë & Arca, cap. 31. hanc filiorum in parentem reuerentiam. *Nudatum*, inquit, *amictu patrem boni filij videre cauerunt; ne paterna reuerentia vel ipso minueretur aspectu. Siquidem, etiam tacito vultu, pietas frequenter offenditur.* Quod veteri Romanorum illustrat exemplo: *Vnde etiam Romæ*, inquit, *vetus fuisse vsus dicitur, ne filij cum parentibus, & maximè puberes, intrarent lauacrum.* Et paulò inferiùs obseruat, filium illum iuniorẽ paternæ reuerentiæ immemorem, magis ebrium, quam parentem extitisse. *Qui enim*, inquit, *neque præteritam generationis gratiam, neque præsentem reuerentiam patris, neque futuram pœnam paternæ iniuriæ considerabat, verè ebrius erat; & quod putabat videre se, non videbat. Erat in illo profunda cæcitas, qui patrẽ videre non poterat. Nam si vidisset patrem, non vtique risisset. Neque enim ridendus, sed verendus est pater.*

Cham magis ebrius quam pater.

XXXIII. *Grauissima culpa, patribus, seu Prælatis maledicere.*

Si igitur paterna reuerentia leui quodam risu ac ioco violatur; quid, si procaci verbo & conuicio vulneretur? Pharisæus ille, cuius mentio fit Luc. 18. à n. 10. templum fortè iustus intrauit; ieiunabat enim, decimas dabat, & à peccatis, quibus alij implicantur homines, vacabat: & nihilominùs de templo iniustus exiuit. Id enim significant illa Christi Domini verba, Pharisæum cũ Publicano conferentis: *Descendit hic iustificatus ab illo.* Cur ergo in templo iustitiam amisit, quam in templum importauit? Rationem reddit D. Chrys. hom. De colendis Sacerdotibus, quæ in 4. tom. post Commentarios in Epistolam ad Romanos, circumfertur: quia Publicanum breuissimè perstrinxit, dicens: *Non sum velut hic Publicanus.* Vnde rectè ad rem præsentem argumentatus: *Si is*, inquit, *qui Publicano maledixit, pœnam non effugit: nos qui patribus maledicere solemus, qua nos apologia tuebimur?* Idémque argumentum deducit ex sorore Moysis, vnum tantum probrum in fratrem iaciente, eáque de causa grauissimam pœnam subeunte, Num. 12. à n. 1. *Si Maria*, inquit, *quæ fratrem blasphemauit semel, tantam dedit pœ-*

D. Chrys.

Vna in fratrẽ iniuria, grauissime est: quid multa in patrem?

A *nam; cuius nobis salutis spes, qui quotidie Principes infinitis conuiciis, vt aiunt, abluimus?*

XXXIV. *Ne malis quidem Prælatis maledicendum.* D. Chrys.

At sunt mali Principes, & Prælati. Debéntne propterea à subditis acerbiori aliquo verbo exulcerari? Minime, inquit Chrysostomus citatus. *Si malos haberetis patres, & molestos magistros; neque sic eis maledicere, vobis securum, & absque graui periculo.* Quod ex Siracide confirmat, qui de carnalibus parentibus loquutus: *Fili*, inquit, *suscipe senectam patris tui, & ne contristes eum in vita illius; & si defecerit sensu, veniam da.* Eccles. 3. n. 15. Si tanta igitur carnalibus parentibus reuerentia debetur, quis dubitet nihilo minorem spiritualibus præstandam? Vt rectè Diuus Chrysostomus deducit. Hæc igitur omnia Samuelem vehementer B perterrebant, ne in parentem, ac magistrum, & Prælatum suum obiurgator insurgeret: dúmque necessitas non vrgebat, aut opportunitas non instabat, cunctabatur.

Samuelis prudens timor.

Num. XVI. Vocauit ergo Heli Samuelem, & dixit: Samuel fili mi? Qui respondens, ait: Præsto sum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Deus Prophetarum pudori consulebat.*

VOcauit ergo, &c. Consuluit Deus pudori & timori Samuelis. Nam, vt Abulensis quæst. 5. sentit, incitauit senem, vt puerum vocaret, & interrogaret; ne Samuel cũ timore ac rubore ista C ei denuntiare cogeretur. Sic olim Deus Ezechielẽ vera prædicare erubescentẽ, & formidantẽ, animauit: *Ecce*, inquit, *dedi faciem tuã valentiorẽ faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum: vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam; ne timeas eos, neque metuas à facie eorum.* Ezech. 3. n. 8. & 9. Quid est, frontem duriorem frontibus eorum? D. Hieronymus interpretatur, frontem quæ nullo pudore superetur. Nam sicut populus Israeliticus attrita fronte erat, vt paulò antè dicitur; & frontem habebat meretricis, quæ nescit erubescere, vt Ierem. 3. n. 3. habetur: ita Prædicatore indigebat, quẽ nullus pudor à veritate dicenda retardaret. Vnde rectè subdit D. Hier. *Ex quo*, inquit, *discimus, interdum gratiæ Dei esse, impudentiæ resistere; & cum res poposcerit, frontẽ fronte concutere: ne nostra verecundia, & humanus pudor pertimescat insidias æmulorum.* Nam, vt verè sentit Tert. D bene impudens est, qui malè impudentes frangit; & honesta est inuerecũdia, quæ veritatem enuntiat, nec vllius faciem reueretur. Quo etiam in sensu D. Chrys. hom. 53. in Matthæum appellauit Chananæam, *pulchra inuerecundia inuerecundam.* Quid enim verecundius, quàm Christum Dominum palàm confiteri, ac de illius probris sine vlla verecundia gloriari? Addit Propheta: *Faciem, vt adamantem.* Interpretes communiter exponunt: Faciem ad omnes euentus intrepidam & impauidam. Nam adamas, vt Plin. lib. 37. nat. hist. cap. 4. scribit, vanos timores abigit, & expellit. Itaque Deus Prophetam ad prædicandũm E pudore ac timore liberauit. Et sicut olim Ezechielem, ita & modò liberat Samuelem: quamuis illum efficaciter, & per se, audentiorem fecerit; hunc autem suauiter, & per ipsum Sacerdotem reprehendendum. Et ratio discriminis est aperta: quia Ezechiel agebat cum extremę dementiæ hominibus, qui sibi vera nuntiari nullo modo patiebantur: at verò Samuel cum Heli, qui licet aliorum negligens, sui tamen non erat obliuiosus; et si aliis vera non prædicabat, libenter tamen ex aliis audiebat.

D. Hier. Iuuat in arguendis malis non pudescere.

Tert. Bona impudentia.

D. Chrys.

Facies Prophetæ, vt adamas, sine timore.

Cur Ezechiel, & Samuel diuerso modo à timore liberentur.

II. *Prælati ſubditos appellant filios.*

Samuel fili mi,&c. Prælati & magiſtri ſuos ſubditos ac diſcipulos appellare ſolent filios. Sic olim Ioſephus appellauit Beniaminum, Gen.43. n.29. Sic Heli militem de bello redeuntem, 1. Reg 4. n.16.Sic Saül Dauidem, 1. Reg.24.n.17. & c.26.n.17.21.& 25.Sic Ioab Sacerdotem Achimaas,2. Reg.18.n.22. Sic Chriſtus Dominus paralyticum,Matth.9.n.2. Et quamuis hoc nomen etiam malis ſubditis ac diſcipulis tribuatur,vt videre eſt Gen.6.n.2.Ierem.3.n.14.Ioan.11.n.52.& paſſim alibi: tamen bonis peculiari iure debetur. Vnde Chriſtus Dominus, quamuis ſemper fuerit Æterni Patris Filius; tamen in Reſurrectione, poſtquàm eius voluntatem perfectiſſimè impleuit,peculiari ratione ab ipſo Patre Filius & agnoſcitur, & appellatur. *Filius*, inquit, *meus es tu:ego hodie genui te.*Pſal.2.n.7.in quem locum D.Ambr. lib.3.De Sacr.c.1. *Pulchrè*, inquit, *Pater dicit ad Filium: Ego hodie genui te:hoc eſt: Quando redemiſti populum,quando ad cœli regnum vocaſti, quando impleſti voluntatem meam;probaſti meum te eſſe Filium.* Vide Æterni Patris in hominum genus charitatem, qui naturalem ſibi filium tunc quodammodo recognoſcit, quando ſibi plures filios adoptiuos lucratus eſt.Rurſus idem D.Ambroſ. in Pſal. 40.n.13. ad illa verba: *Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti*; quæ de Chriſto ad cælos redeunte, & Patrem alloquente interpretatur: *Suſcepit*, inquit, *eum reſurgentem:quia nulla eum offenſio prolapſionis aſperſit.Vnde dicit ei Pater: Filius meus es tu; ego hodie genui te: hoc eſt:Generationis meæ in te priuilegium recognoſco, quem nulla macula potuit inquinare peccati. Inter peccatores verſatus es, peccata omnium ſuſcepiſti, peccatum pro omnibus factus es, ſed nullus vſus potuit ad te tranſire peccati. Ita inter homines verſatus es, quaſi inter Angelos verſareris. Feciſti, terram eſſe, quod cælum eſt: vt & ibi peccatum tolleres. Hodie te genui; in quo complacui. Probaſti te Filium,quia impleſti in omnibus Patris voluntatem.*Quaſi ab æterna filiatione non degenerauerit; quòd perpetuam in terris perfectionem coluerit,& conſeruarit.Igitur Samuel,qui tam diligenter ſuum Prælatum ac magiſtrum obſeruabat,meritò dicitur filius,non quidem natura, ſed amore,vt iam ſuprà Num.6. aduerti.

Filij nomen, malis ſubditis aliquando tribuitur, ſed bonis magis debetur.

D.Ambr. *Chriſtus in Reſurrectione peculiariter dicitur filius.*

D.Amb. *Sic & in Aſcenſione.*

III. *Prælati, & magiſtri dicuntur patres.*

Virgil.

Adde, pari ratione Prælatos, & magiſtros appellãdos eſſe patres. Quod in profanis literis vulgatiſſimũ eſt. Vnde illud de Ænea: *Inde toro pater Æneas.* Et illud de Romano Imperatore: *Imperiumque pater Romanus habebit.* Et illud de Rege Latino: *Fer ſacra,pater,& concipe fœdus.* Sed & in ſacris frequentiſſimum,vt iam in 1. tom. Annot. 12. Sect.2. obſeruaui. Sic olim Saül à Dauide appellatus eſt,1.Reg.24.n.12.Sic Helias ab Heliſæo, 4.Reg.2.n.12. Sic Naamanus à ſeruis, 4. Reg.5. num.13. Sic Heliſæus à Ioaſ.4. Reg.13. num.14. Sic Hiram à Salomone, 2. Paralip.4. n.16. Vnde Samuel ad populum: *Si non audieritis*,inquit, *vocem Domini, ſed exaſperaueritis ſermones eius, erit manus Domini ſuper vos, & ſuper patres veſtros.* 1.Reg.12.n.15. Septuaginta transferunt: *Et ſuper Regem veſtrum.* Quia Reges,vt ibi Caietanus aduertit, debent patres eſſe. Et obiter nota, Latinam editionem habere *patres* in plurali; at verò Græcam, *Regem* in ſingulari: quòd vnus Rex multorum patrum inſtar eſſe debeat: ſeu tam multos patres gerere, quàm multos ſubditos complectatur. Quare non ſine myſterio ſummus Sacerdos tempore Dauidis dicebatur *Achimelech*, 1.Reg. 21. num. 1. ſeu, vt habent Septuaginta in Bibliis Sixtianis, *Abimelech.* Nam *Abimelech* idem eſt,quod,*Pater meus Rex.* Rex,qui regat,pater,qui paſcat. *Achimelech* verò idem,quòd, *Frater meus Rex.* Omnia planè debet eſſe populi moderator. Rex,propter dignitatem; pater, propter charitatem; frater,propter æqualitatem. Nam & æqualitas cum ſubditis in Principe requirenda eſt,iuxta illud: *Rectorem te poſuerunt; noli extolli: eſto in illis,quaſi vnus ex ipſis.*Eccleſ.32.n.1.Quare Heli,vt non ſolùm Iudicem, ſed etiam patrem ſe præſtaret Samueli,vocauit eum: *Fili mi.*

Caietan.

Vnus Rex vice multorum patrum habere debet.

Rex pater, & frater.

IV. *Propria obedientium voces.*

*Qui reſpondens ait: Præſto ſum.*Hæ loquutiones, *Ecce ego, Adſum, Præſto ſum*, omnes inter ſe coincidunt,& frequenter in ſacris Literis occurrunt; ac promptum ad obediendum animum oſtẽdunt. Hanc vltimam,vt de aliis taceam,Gen.37.n.13.& 1.Reg.22.n.12.& Hebr.10. n.11. & paſſim alibi inuenies. Sed cur non dixit Samuel: *Præſto ſum, pater mi*:ita enim dicendum videbatur,vt reſponſioni conueniret; & patrem diceret, à quo filius diceretur? Dicet aliquis, quia dedignabatur, patrem vocare eum, quem ex diuino oraculo didicerat propter ſacerdotium malè geſtum à ſacerdotio remouendum. Sed non aſſentior: quandiu enim Heli à Deo tolerabatur; pariter tolerabatur à Samuele: qui, vt obediret;non perſonæ ſanctitatem, ſed auctoritatem attendebat, vt iam diximus. Nam, ſi Dauid Saülem à Deo reprobatum, honoris cauſa patrem appellabat: *Quin potiùs*,inquit,*pater mi, vide, & cognoſce oram chlamydis tuæ in manu mea.* 1.Reg.24.n.12. Cur Samuel eadem erga ſuum Prælatum obſeruantia non vteretur? Immò,ſi Abrahã auarum diuitem,iam apud inferos damnatum, vocauit filium,dicens: *Fili,recordare,*&c.Luc.16.n.25. quia ab eo fuerat vocatus, pater, dicente: *Pater Abraham,miſerere mei.* Ibid. n.24. adeò æquum fore exiſtimauit,vt honor honore etiam apud immerentem rependeretur:cur Samuel non vocaret patrem,à quo fuerat vocatus filius? Alia igitur quærenda ratio,cur non dixerit: *Præſto ſum,pater mi?* Reſpondeo,fortè dixiſſe,quãuis ab Scriptura taceatur,vt ſæpè fit. Vel, ſi non dixit, voluiſſe conſulere breuitati verborum, vt ſuam ad exequendam mandata celeritatem indicaret. Ac ſi ne minimam quidem morulam, quæ in vno verbo pronuntiando trahitur, vellet implendis obſequiis interponi. Quemadmodum & Chriſtus Dominus, vt ſuprà diximus, Apoſtolis iter agentibus mutua ſalutandi officia interdixit; ne ſaltem vno verbo proferendo obſequium retardaretur. Vel ſaltem maiorem erga Sacerdotem reuerentiam indicare. Nam ſicut filius propter familiaritatem cum patre, ſolet vti his verbis: *Pater mi*:ita ſeruus propter reuerentiam erga dominum, abſtinere.

Cur Samuel Sacerdotẽ nõ vocat patrẽ.

Prima reſpõſio impugnatur.

Abſit à ſubdito Prælati contemptus.

Secunda reſponſio admittitur.

Obedientia, & reuerentia in Prælatum.

Num. XVII. Et interrogauit eum: Quis eſt ſermo, quem loquutus eſt Dominus ad te: Oro te,ne celaueris me. Hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, ſi abſconderis à me ſermonem ex omnibus verbis,quæ dicta ſunt tibi.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Prudentia, & humilitas Sacerdotis Heli.*

ET interrogauit eum, &c. Senex, magiſter, & Prælatus, puerum,diſcipulum, ac ſubditum interrogauit. Mira planè prudentia,& humilitas, cum conſulere, qui nullis cum conſulente partibus comparandus videbatur. Vnde Theod. q.12. cùm ex aliis indiciis, de quibus infrà,tum præcipuè ex hoc colligit huius Sacerdotis probitatem.

A *Quia non puduit*, inquit, *eum rogare adolescentem, vt ei declararet, quæ à Deo fuerant annuntiata*. Sed hoc argumentum infrà annot. 5. fusiùs illustrabo.

II.

Vnde cognouit Heli Deũ cum Samuele loquentem.

Prima responsio.

Interim tamen quæres, vnde scire potuit Heli, Deum eum Samuele loquutum? Primò, dicet aliquis: quia audiebat vocem loquentis, quẽ propter solitudinem loci, alium esse nõ posse, quã Deum, iudicabat, quamuis ipsam loquutionem nõ intelligeret: quo pacto olim, loquente Deo cũ Moyse in cacumine montis, *Cunctus populus* ex montis radicibus *videbat*, seu, *audiebat voces*, quas non intelligebat. Exod. 20. n. 18. Nec obstat, priores vocationes non audiuisse: id enim esse potuit, quia ad illas non intendebat aures tanta sedulitate, quanta hanc postremam loquutionem captare cupiebat. Hanc responsionem impugnat Abul.

Abul. *Impugnatur.*

B sed vt à nobis est explicata, non expugnat. Aliter igitur potest expugnari, quia reuelationes diuinæ nimis secretæ esse solent, nec ad alios, quã quibus fiunt, transfunduntur: nisi peculiaris aliqua ratio occurrat; qualis fuit in exemplo citato, perfidia & incredulitas populi, qui nisi certo experimento disceret, Deum cum Moyse colloquutum; ad fidem ei habendam vix adduceretur. Quæ ratio in Heli non militabat, prompto ac facili ad credendum diuinis verbis, præsertim tam multis iam indiciis edocto, illa à Deo proficisci. Itaque Heli loquutionem Dei cum Samuele nec intelligebat, nec audiebat; vt Num. 11. §. 1. iam dixi. Secundò igitur respondeo, quamuis Heli hanc reuelationem experimento non cognouerit, eam tamen

Secunda responsio vera.

C nonnullis coniecturis assequutum: tum, quia credebat, non de nihilo fuisse puerum ter à Deo euocatum: tum, quia ipse puer oris habitu præferebat, tristem aliquem euentum à Deo accepisse: tum denique, quia propria eũ conscientia ad hoc suspicandum impellebat. Nam sicut paulò antè à viro Dei suum ipse supplicium audiuerat; ita & nunc à Deo reuelatum fuisse Samueli suspicabatur.

III.

Cur Heli interrogauerit Samuelem?

Prima responsio.

Quæres præterea, cur interrogauerit? Respondeo primò: quia maximo studio tenebatur reuelationis cognoscẽdæ: tum, quia diuina: tum, quia de futuris: tum, quia de rebus ad se pertinentibus, vt suspicabatur. Nam res diuinas scire, quis non appetat? *Concupiuit*, inquit Dauid, *anima mea desiderare iustificationes tuas*. Psalm. 118. n. 20. Hebraïcè,

Cupiditas sciendi res diuinas maxima.

D *Exarsit*: hoc est, summo & vehementissimo desiderio flagrauit. At verò ad res futuras sciendas quis non stimuletur, cùm magna inde recreatio hauriatur? Vnde Saraias dicitur *Princeps prophetiæ*. Ier. 51. n. 59. seu, vt legit Vatab. *Princeps recreationis*. Tandẽ de rebus ad se pertinentibus quis nõ desideret edoceri, cũ olim profani Reges, earum notitiam non solùm ex diuinis oraculis, sed etiam ex dæmoniacis latibulis eruere conarentur? vt Saül, 1. Reg. 18. n. 7. Achab, 3. Reg. 22. n. 6. Ochozias, 4. Reg. 1. n. 2. Quasi illud Iunonium quilibet eorum sacrilego ore immurmuraret:

Res futuras sciẽdi ardor.

Vatablus.

Suas quisque res sciẽdi cupido insita.

Virgil.

Flectere si nequeo Superos, Acheronta mouebo.

Secunda responsio.

E Tanta erat igitur anxietas Heli, malum sibi impendere suspicantis; vt illud iam scire, immò & subire cuperet; ne illius timore, quem ipso malo peiorem iudicabat, diutiùs torqueretur. Respondeo secundò, quia hanc ipsam Sacerdotis auiditatem ad sciendum, augebat Deus ad interrogandum; vt vtroque veluti calcari stimulatus Samuelem consuleret, à quo tandem plenissimè ac disertissimè de suo infortunio certior redderetur. Vt superiori Num. ex Abulensi iam ostendi.

IV.

Philo Bibl.

Oro te, ne celaueris me. Orationem, qua Heli ad Samuelẽ vsus fuit, Litera prætermisit; eam tamen

A Philo in Antiquit. Biblicis expressit: sed quia liberè & ex suo marte, referre desino. Igitur Heli orauit, non imperauit, duplici de causa. Vna literali: quia hîc non occurrebat materia præcepti humani: tum, quia erat res interna, de qua non iudicat Ecclesia: tum, quia reuelatio sicut diuina est; ita ex diuino tantùm imperio debet aliis manifestari; vnde licèt Heli posset imperare Samueli vt Leuitæ, non tamen vt Prophetæ. Atque ita sentit Abulensis. Ex hac modestia huius Sacerdotis, vltrà quàm potuit, nihil imperantis, moueantur Iudices suæ potestatis fines non transilire; ne de illis quilibet subditorum conqueratur: *Quare persequimini me sicut Deus?* Iob 19. n. 22. qui omnia potest pro suo arbitrio imperare. Altera my-

Heli non imperauit, sed rogauit.

Non erat hic materia præcepti.

Abul.

B stica, seu moralis: vt prudentia Sacerdotis, & obedientia Leuitæ ostenderetur. Nam etiam, cùm materia præcepti occurrit, decet prudentem Prælatum agere cum obediente subdito, potiùs orando, quam imperando. Vt deinceps breuiter illustrabo.

Decet prudẽtem Prælatũ, aliquando rogare, non imperare.

Prudens Prælatus obedienti subdito non tam iubendo, quàm petendo persuadet.

V.

Verus obediẽs non imperium requirit.

PErfectus obediens, qualis erat Samuel, imperium non requirebat; iuxta illud: *Iusto non est lex posita*. 1. Tim. 1. num. 9. Quia solo nutu, etiam absque vllo iussu ad volũtarem Prælati exequendam ferebatur. Prudens igitur Prælatus, cùm tales

Prudẽs Prælatus bonos subditos non vrget imperio.

C subditos reperit, ab imperiis abstinet; & quancunque in partem vult, solis precibus impellit, & non importunis. Idcircò Iacobus filio suo Iosepho, quem ad obediendum promptissimum esse nouerat, non imperauit, vt se in terra Promissionis sepeliret, sed tantùm rogauit: vt videre est Gen. 47. n. 29. Nã, vt bene D. Hier. epist. 62. ad Theophilum: *Citò*, inquit, *indignatur libertas, si opprimitur. Nemo plus impetrat a libero, quam qui seruire non cogit*. Non vulgariter excelluit in hac prudentia Dauid, cùm dixit ad omnẽ populum Israel: *Si placet vobis, & à Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquor; mittamus ad fratres nostros*, &c. 1. Paral. 13. n. 2. Ad quem locum Carth. postquàm consulentis prudentiam commendauit; cõmen-

Exemplum Iacobi.

D. Hieron.

Exemplum Dauidis.

Carthus.

D dat etiam & humilitatẽ alloquentis: *Ecce*, inquit, *quàm humiliter loquitur subditis & ministris: non procaciter iubet, nec per se absolutè determinat; sed sub conditione loquens inferiorum iudicio verba sui commitit propositi. Quo multorum indiscretio, atque elatio reprimuntur, qui statim in verba iussionis prorumpũt, & gladium sua educunt auctoritatis sine necessitate; immò frequenter in grande periculum subditorũ*. Clariùs hanc humilem prudentiam, & prudentem humilitatem expressit D. Paul. Epist. ad Philemonem, n. 8. *Multam*, inquit, *fiduciam habẽs in Christo Iesu, imperandi tibi, quod ad rem pertinet; propter charitatem magis obsecro*. Quasi diceret, vt ibi Theod. paraphrasticè exponit; *Cùm possim audacter tecum agere, vt qui ardenter credideris; & instar magistri*

Exemplum D. Pauli.

Theod.

E *iubere: hoc quidem non facio, sed adhortationem affero.*

VI.

Cur D. Paulus non imperet.

Sed vide rationem, ob quam D. Paulus abstinet ab imperando: subdit enim statim: *Cùm sis talis, vt Paulus senex: nunc autem & vinctus Iesu Christi*. In Græco est: *Cùm sim talis*. Et iuxta duplicem lectionem duplex sensus efficitur. Prior secundùm Græcam. Non impero, sed rogo; quia ego & propter nomẽ Pauli, & propter ætatẽ senectutis, & propter labores Christi amore toleratos, dignus sum, vt meis nõ tantùm imperiis, sed etiam nudis precibus acquiescas. *Vide*, inquit Theodor. *quis sit, qui petit. Sufficit nominis mentio, vt reuereatur*,

Bonus Prælatus, dignus cui obediatur, etiam nõ imperanti.

Theod.

reatur, vel maximè aduersarius. Qui enim Paulum audit, audit Prædicatorem totius orbis terræ, terræ marisque cultorem, & vas electionis; & alia, ad quæ narranda, vel decies mille linguis opus esset. Adiecit etiam senem: ea etiam ratione fide dignam efficiens orationem. Adiunxit tandem vinctum Iesu Christi. Reuerere igitur Paulum, reuerere senem, reuerere vincula, quibus, vt veritatis Prædicator, adstrictus est. Posterior sensus secundùm Latinam, magis est ad tem præsentẽ. Non impero, sed rogo: quia tu & probitate, & senectute, & laborum tolerantia patẽ mecum laudẽ promeretis. Sic exponit D. Ambr. *Dignũ*, inquit, *erat imperare discipulo magistrũ, fiducia apostolicæ auctoritatis: sed, quia vir bonus erat Philemon, per affectum illũ prouocat obaudire, quasi coæuum ætatis, & vinctum Christi Iesu.* Ac si bonus subditus non sit imperio cogendus, sed prece exorandus.

Bonus subditus præcepto non indiget, vt obediat.
D. Ambr.

VII. Vnde idẽ D. Paul. 1. Tim. 1. n. 3. *Rogaui*, inquit, *te, vt remaneres Ephesi.* Vbi D. Chrys. *Audi*, inquit, *quàm gratè, quàm placidè? Non magistri vtitur voce, sed supplicis.* Et paulò pòst: *Non tamen*, inquit, *ad omnes discipulos affectus iste seruandus est; verùm ad eos, qui & mansuetudine, & virtute sunt præditi.* Hic modus precandi potiùs, quàm imperandi, valdè familiaris fuit omnibus Apostolis, vt facile patebit eorum epistolas consulenti: præsertim in multis locis, quos diligenter colligit Lor. in 1. Petr. 2. n. 11. Sic enim omnibus Prælatis singularẽ quandam formam humiliter imperãdi præscribebant. Vnde D. Hieron. ad illa verba Apostoli: *Fratres, obsecro vos*, &c. Gal 4. n. 12. *Quæ quidem*, inquit, (nempe, verba rogandi, non imperandi) *& nos ad humilitatem prouocant, & supercilium decutiunt Episcoporum, qui velut in aliqua sublimi specula constituti, vix dignantur videre mortales, & alloqui seruos suos. Discant ab Apostolo errantes & insipientes Galatas, fratres vocare: discant post increpationem blanda verba dicentis: Obsecro vos.*

D. Chrys.
D. Paulus nõ quẽlibet subditũ, sed bonũ rogabat.
Rogandi vsus omnibus Apostolis familiaris.
Lorin.
D. Hier.
Episcopi discant humilitatem, & humanitatem.

VIII. Quid dico Apostolos? Eadem modestia imperandi Christus Dominus vtebatur. Nam ascẽdẽs in nauim *Simonis, rogauit eum à terra reducere pusillum.* Luc. 5. n. 3. Vbi Theophylactus: *Vide*, inquit, *Christi mansuetudinem, quomodo obsecrat Petrum, vt à terra abducat. Vide & quomodo Petrus morigerus fuerit: ita vt homini, quem nõ viderat, in omnibus obedierit.* Quasi illa Christi Domini, non imperandi sublimitas, sed humilitas rogãdi, facilem à D. Petro obedientiam impetrarit. Idcircò alibi sine vllo imperio dicebat: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.* Matth. 16. n. 24. Vbi D. Chrysost. hom. 56. *Perpende*, inquit, *quomodo nullo pacto cogit oratio: non enim dixit, oportere illos pati, vellent, nollent. Sed quid? Si quis, ait, post me venire vult. Non impello, non vrgeo: sed liberam singulorum voluntatem efficiens, dico: Si quis vult.* Quod licèt referri soleat ad materiam subiectam, consilio, quàm imperio aptiorem: potest nihilominus & ad Christi Domini beneuolentiam reuocari, qui suos ad se, etiam cùm posset, non imperando trahebat, sed rogando inuitabat.

Christus non semper imperabat, aliquando rogabat.
Theoph.
Facilitas Prælatis imperat obedientiã à subdito.
D. Chrys.

IX. Quin etiam iã in cælo triumphans consiliis potiùs agit, quã imperiis, iuxta illud ad Angelũ, seu Episcopũ Laodiceæ: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Apoc. 3. n. 18. Non ait, iubeo, sed suadeo. Nam, vt bene D. Chrys. proximè citatus: *Sicut*, inquit, *qui vim affert, plerunque auertit: sic qui liberos audientes constituit, multò magis attrahit: potentior enim est oratio mitis, quàm violenta.* Vnde Seneca lib. 1. De clementia, cap. 24. ait, humanos animos faciliùs sequi, quàm duci: vt generosos atque nobiles equos, qui facili fræno meliùs reguntur. Et paulò pòst: *Remissius, inquit, imperanti melius*

Christus è cælo suadet, non vrget.
D. Chrys.
Sponte potiùs quàm vi trahuntur subditi.
Seneca.

A *paretur.* Quare non sine mysterio dicitur Christus Dominus, in medio hominum stetisse, *Medius vestrùm stetit, quem vos nescitis.* Ioan. 1. n. 26. Quia non iubendo, vt Rex; sed suadẽdo, vt frater, hominum voluntates impellebat. Quod à Deo multò antè prædictũ est: *Seruus meus David Princeps in medio eorum.* Ezech. 34. num. 24. Quod de Christo sub nomine Dauidis ad literam intelligitur; qui facilitate imperandi, non superior, sed medius, & par subditis videbatur. Vnde Samuel Dauidem in Regem vnxit, in medio fratrum eius. 1. Reg. 16. n. 13. Vt significaret Christum Dominum inter homines, non vt Iudicem, & superiorem; sed vt fratrem, & æqualem versaturum.

Princeps subditis par.

X. Denique, & ipse Deus non iam in forma humilitatis nostræ, sed etiam B in forma diuinitatis suæ subditos suos reueretur; iuxta illud: *Tu autem, Dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia disponis nos.* Sap. 12. num. 18. Et illos Pastores, qui secùs faciunt, obiurgat ac terret. *Quia*, inquit, *cum austeritate imperabatis, & cum potentia.* Ezechiel. 34. num. 4. Et quidem meritò illos reprehendit: quia nunquàm meliùs humilia obsequia offeruntur, quàm cùm superba imperia remouentur. Quare, Princeps Apostolorum hanc imperandi humilitatem omnibus viris apostolicis præscribit, monens, vt gregem Dei pascant, *non coactè, sed spontaneè, neque vt dominantes in Cleris, sed vt forma facti gregis ex animo.* 1. Petr. 5. num. 2. & 3. Hoc est: non per duras leges, C sed per suaues preces: neque vt superiores, sed vt æquales. Quam doctrinam ne quis respueret, Christi passionum testem se esse dixit; significans, se in hac re nihil aliud inculcare, quàm quod à Christo Domino testis auritus auscultasset, & quod in Christo Domino testis oculatus vidisset. Sic enim eum viderat imperantem, monendo potiùs, quàm vrgendo: sic eum audierat docentem, ne dominarentur vt Reges; sed hortarentur vt patres. Ex quibus D. Bernard. lib. 2. De consideratione ad Eugenium, ironicè concludit: *I ergo tu, & tibi vsurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Ab alterutro prohiberis: si vtrunque habere voles,* (hoc est, Apostolatum, & dominatum) *perdes vtrunque.* Et paulò pòst: *Forma* D *apostolica hæc est; dominatio interdicitur, indicitur ministratio.*

Deus suos quoque subditos reueretur.
Faciliùs paretur ei, qui humiliùs imperat.
Christi doctrina, & exemplum in facilitate imperandi.
D. Bern.

XI. Cæterùm, hæc facilitas imperandi cum illis exercenda est, quibus prompta est facilitas obẽdiendi. Nam cum duris duriter agendũ, vt docet D. Greg. lib. 1. Registri, epist. 24. *Necesse est*, inquit, *vt Prælatus, & bene agentibus sit per humilitatem socius; & contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus: quatenùs & bonis in nullo se præferat; & cum delinquentium culpa exigit, prioratus sui potestatem agnoscat.* Et statim in exemplum adducit vtrũque Principem Apostolorum. Nam D. Petr. cum Anania & Saphira rebellibus duriter egit, vt Iudex. Act. 5. à n. 1. Cum Centurione humili perhumaniter, vt frater. Act. 10. n. 26. Cur ita? *Quia hic*, E inquit Greg. (hoc est, in Centurione) *communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis. Illic* (hoc est, in Anania, & Saphira) *zelus actionis viam aperuit potestatis.* Et statim Pauli exemplo non minùs efficaciter cõfirmat: *Paulus*, inquit, *bene agentibus fratribus Prælatum se esse nesciebat, dicens: Non dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri: nã fide statis.* 2. Cor. 1. n. 24. Ac si diceret: Ideò non dominamur, quia fide statis: æquales enim vobis sumus, in quo vos stare cognoscimus. Sed, cùm culpã, quæ corrigi debuisset, agnouit: illicò se magistrũ recoluit, dicẽs: *Quid vultis? in virga veniam ad*

D. Greg.
Cum bonis subditis suauiter, cũ malis duriter agendum.
Exemplum D. Petri.
Exemplum D. Pauli.

vis? 1 Cor.4.n.21. Sūmus itaque locus tunc bene regitur, cùm is, qui præest, vitiis potiùs, quàm fratribus dominatur. Hæc D.Greg. Quare cùm Heli ingenuitatem ac docilitatem Samuelis probè nouerit; orauit, non imperauit.

XII. *Heli adiurat Samuelem.*

Hac faciat tibi Deus, & hec addat, &c. Adiurat Heli hisce verbis Samuelem, vt sibi veritatem fateatur. Quem locum vt intelligas, tria breuiter expedienda sunt: Quid sit? Quotuplex sit? & Quam obligationem inducat adiuratio? Quod ad primum spectat: Adiuratio, prout attinet ad præsens institutum, est obtestatio alicuius rei ab aliquo per aliquem, seu propter aliquem. Quo pacto Deus per se ipsum, & per Sanctos: Angeli verò, homines, ac Dæmones, per Deum, & per alias res sacras adiurantur, vt patet ex vsu Scripturæ multis locis, Gen.24. n.3. Exod.32. n.13.2. Paralip.18.n.15.1.Esdr.vlt.n.5.Tob.8.n.23.Cant. 2.n.7.Matth.26.n.63.Marc.5.n.7.& passim alibi. Atque ita Patres, Lactant.lib.4.inst. c.27. Tertul. in Apolog. c.32. D. Cypr.lib. De vanitate Idolorum, & Scholastici 2.2. q.90.quos refert Suar.lib. 4.De adiuratione, c.1.interpretantur.

Quid sit adiuratio. *Varia Scriptura loca, in quibus adiuratio continetur.* Lactan. Tert. D.Cypr. Suarius.

XIII. *Duplex adiuratio.* *Vna, sine cōminatione.*

Quod ad secundum attinet: Adiuratio, quæ fit ad hominem propter Deum; seu, in qua homo per Deum adiuratur, de qua tantùm hoc loco agimus; est duplex. Vna, in qua diuina auctoritas simpliciter interponitur, absque vlla comminatione in eum, qui adiurationi non obsequatur: qualis fuit illa Caiphæ ad Christum Dominum: *Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus Filius Dei:* Et reliquę ferè omnes, quæ citatis Scripturæ locis continentur. Ad quam pertinet celebris illa adiurandi forma, qua Iosue olim Achan sacrilegum adiurauit: *Fili mi,* inquit, *da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi, quid feceris.* Ios.7.n.19. Quasi diceret: Per diuinam gloriam, quam Domino præstabis vera dicendo, te obtestor & adiuro, mihi vt verum fateatis. Vbi obiter nota, quod rectè expendit Caietanus: *Manifestat,* inquit, *quod indicare, quid feceris, erit ponere honorem Deo, & dare confessionem laudis illi.* Vide quanti momenti sit confessio veritatis, quæ tota ad diuinam gloriam refertur. Eadem adiuratione vsi fuerunt olim Pharisæi ad cæcum dicentes: *Da gloriam Deo: nos scimus, quia hic homo peccator est,* &c. Ioan. 9. n. 24. Quasi dicerent: Veritatem confitere, vt debitam Deo gloriam rependas. In vtroque enim loco Salmeron. Tolet. Maldonat. Iansen. Serar. Ios.7.q.25.& Suar.lib.4.De iuram.c. vlt. solennem adiurandi formam per diuinā gloriam agnoscunt. Nec immeritò illa forma adiurandi inuenta est: nam qui veritatem in legitimo iudicio tam interno, quā externo confitētur; Deo grates & laudes modulantur. Vnde D.Chry. hom. 3. in Matth. *Vis,* inquit, *quemadmodū vera Deo gratia referantur, agnoscere? Audi tres pueros in medio ignis loquentes: Peccauimus, iniquè gessimus.* Dan. 3. num.29. *Hoc est enim referre gratias Deo; peccatā ei propria confiteri: vt cum se aliquis reum mille fateatur malorum; nulla tamen satis magna se pro his arbitretur ferre supplicia.*

Caiet. *Confessio veritatis, Dei gloria.* Salmer. Tolet. Maldon. Iansen. Serar. Suar. D.Chrys.

XIV. *Altera cum cōminatione.*

Altera adiuratio est comminatoria, seu, in qua diuina auctoritas interponitur cum aliqua comminatione in eum, qui adiuratus deliquerit, vel noluerit parere. Qualis illa est Saülis ad Ionathan: *Hac faciat mihi Deus, & hac addat: quia morte morieris, Ionatha.* 1.Reg.14.n.44. Hoc est: magna mihi à Deo supplicia infligantur, nisi tu, Ionatha, capitali supplicio poniare. Talis & illa Iezabelis ad Heliam: *Hec mihi faciant Dii, & hec addant: nisi hac hora cras posuero animā tuā, sicut animā vnius ex illis.* 3.Reg.19.n.2. Talis & illa Ioram Regis Israël ad Helisæum: *Hac mihi faciat Deus, & hec addat: si steterit caput Helisai filij Saphat super ipsum hodie.* 4. Reg.6.num.31. Quamuis, vt verum fatear, in his similibúsque verbis, qualia inueniuntur Ruth 1. num.17.2. Reg.3. n.3. & 35.2. Reg.19. n.13. 3. Reg.2.n.23.& 3.Reg.20.n.10. non mihi videantur proponi exempla adiurationis. Nam adiuratio semper est vnius ad alium; non autem eiusdem ad se ipsum, vt patet ex illius definitione: Est enim vnius ab alio per aliquem obtestatio. Solùm igitur proponuntur exempla execratoriæ cuiusdam imprecationis, qua quis sibi ipsi malū per Deum imprecatur; vt patebit singula loca citata consulenti, in quibus non vnus ab alio per alium precatur sub comminatione, nisi aliquid concedat: sed sibi ipsi malum imprecatur, nisi aliquid faciat.

Discrimē inter adiurationē, & imprecationem execratoriā.

XV. *Dauidica nō adiuratio, sed imprecatio.*

Neque illa etiam loquendi forma, qua vsus est Dauid, dicens: *Hac faciat Deus inimicis Dauid, & hac addat: si reliquero de omnibus, qua ad ipsum pertinent,* &c. 1. Reg.25. n.22. mihi videtur propria adiuratio, cùm neminem à se diuersum obtestetur: sed tantùm quædam execratio, qua, nisi ipse faciat, quod statuit, malum non sibi, sed inimicis suis imprecatur. Vbi diligenter expende Dauidis erga inimicos suos charitatem. Nam homines in huiusmodi execrationibus, sibi, rebúsque sibi charissimis, vtpote filiis, parentibus & cognatis mala imprecantur, nisi faciāt, quod decernunt: vt quanta contentione feruntur ad sua, suorúmque mala præcauenda; tanto conatu ferantur ad res sibi propositas obeundas. At Dauid mala inimicis suis imprecatur, nisi faciat, quod efficaciter proponit: quòd non possit ad hoc exequendum ardentiùs rapi; quàm ad suorum inimicorum mala propulsanda rapiatur.

Dauidis charitas erga inimicos.

XVI. *Vnicum adiurationis comminatoria exemplum.*

Sed, vt redeam ad institutum: ex omnibus locis citatis, sola, quæ hoc loco continetur, mihi videtur propria adiuratio comminatoria, qua Heli Samuelem ad vera sibi omnia manifestanda sub grauibus pœnis obtestatur. Sed quamuis nullum aliud exemplum adiurationis comminatoriæ sub hac forma in sacris Literis inueniam: tamen non dubito, hanc fuisse solennem formam, qua veteres Hebræi adiurare consueuerant: tum, quia sicut illi sub hac forma malum sibi ipsis, nisi aliquid facerent, frequenter imprecabantur, vt patet ex citatis exemplis; ita credibile est, alios sub eadem forma ad aliquid agendum obtestari consueuisse; quamuis huius consuetudinis exēplum, nullum præter hoc in sacris Literis occurrat: tum, quia Interpretes communiter, Vatabl. Dionys. Lyran. Abul. Caiet. Sà, & alij vulgarem adiurandi formam apud Hebræos in his verbis recognoscunt. Ex quibus Dionysius addendam existimat hanc conditionem: *Si diuinæ iustitiæ placuerit:* ne, si adiuratio cōmminatoria absolutè proferatur, illicita euadat, & violet charitatem. Quod magis ex dicendis in tertia difficultate patebit.

Solennis adiurandi forma apud Hebræos. Vatabl. Dion. Lyra. Abul. Caiet. Sà. *Cōditio comminatoria adiurationi addenda.*

XVII. *Sub his verbis, Hæc faciat, Hęc addat, supplicia intelliguntur.* *An supplicia exprimi consueuerint ab adiurante?* Abul. Marian. *Probabilius negandum.*

Cæterùm, quid est: *Hæc faciat, Hæc addat?* Quænam sunt hæc facienda, & addenda? Respondeo cum communi Interpretum consensu, esse supplicia & infortunia aliqua, quæ sub illo demonstratiuo, *Hæc*, insinuantur. Neque exprimuntur saltem ab ipso canonico Scriptore. An verò expressa fuerint ab ipso adiurante, dubitatur. Affirmant Abulens. & Marian. qui existimant, Heli expressisse: *Ne crescas, citò moriaris*: vel aliquid simile: *nisi mihi reuelaueris, quod audisti.* Sed non assentiunt: quia, cùm hæc adiuratio fuerit figurata & solennis apud Hebræos, vt ex statim dicendis patebit, omnibus tam scribentibus, quàm loquentibus

A tibus communis erat; omnes illa pariter vtebantur. Itaque tam scriptor, quàm adiutans, nihil aliud, quam demonstratiuum, *Hæc*, expresserunt: & sub eo infligenda supplicia insinuarunt.

XVIII. *Nulla pœna exprimebatur, vt omnes timerentur.*

Quod duplici de causa factũ est. Vna, vt nullæ tã diræ pœnæ animo occurrant, quin adhuc grauiores timeantur. Simile est illud Dei ad Israëlem: *Hæc faciam tibi, Israël.* Amos 4. n. 12. Vbi D. Hieronymus (D. Hier.): *Cùm*, inquit, *dixerit: Hæc faciam tibi; quid facturus sit, tacet: vt dum ad singula pœnarum genera Israel pendet incertus (quæ ideò terribiliora sunt, quia omnia suspicantur) agat pœnitentiam, ne Deus inferat, quæ minatur.* Altera, quia hic modus loquendi est proprius Hebraïsmus.

Hebraïsmus, relatiuũ sine antecedente.

Solebant enim Hebræi, ponere relatiuum sine antecedente. Sic Dauid: *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Psal. 86. num. 1. B cùm tamen non præcedat aliquid, ad quod illud, *Eius*, referatur, vt ibi Cardin. Bellarminus (Bellar.), & Lorinus (Lorin.) aduertunt: sed subintelligendum est nomen ciuitatis, quam Propheta mente concipiebat, nec voce exprimebat; continuans loquutionem internam, cum externa. Sic Dominus occurrit Moysi in diuersorio. *Et volebat occidere eum.* Exod. 4. n. 24. nempe, filium Moysis; de quo sermo non præcesserat: vt ibi D. Aug. (D. Aug.) q. 11. interpretatur, exemplo citati Psalmi rem confirmans. Sic iterum Dauid: *Ecce*, inquit, *audiuimus eam in Ephrata.* Psal. 136. n. 6. Hoc est: Arcam fœderis, vt Bellar. (Bellar.) exponit; de qua tamen Propheta nihil egerat. Sic sponsa ad vigiles ciuitatis: *Num*, inquit, *quem diligit anima mea, vidistis?* Cant. 3. n. C 3. *Quasi verò*, inquit D. Bernardus (D. Bern.) ibi, Serm. 79. *hi sciant, quid cogitet ipsa*: cùm ad eos, nihil antè de suo sponso loquuta fuerit. Sic Magdalena ad hortulanum, vt putabat: *Domine*, inquit, *si tu sustulisti eum*, &c. Ioan. 20. n. 15. nempe, Christum Dominum; de quo tamen ad eum nihil anteà dixerat. Vbi D. Greg. (D. Greg.) hom. 25. *Vis*, inquit, *amoris hoc agere solet in animo, vt quem ipse semper cogitat, nullum alium ignorare credat. Rectè ergo hæc mulier, quem quærit, non dicit; quia alteri non putat incognitum.* Quamuis enim hi duo Patres ad vim amoris recurrant: tamen ad vulgarem Hebraïsmum faciliùs recurrere potuerunt.

XIX. *Res tristes apud Hebræos sæpè non exprimuntur propriis nominibus.*

Præcipuum verò locum habet hic Hebraïsmus, D quando res tristes & acerbæ significantur: tales enim sæpenumerò non exprimuntur suis nominibus, sed aliquo relatiuo inuoluuntur. Vnde illud: *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem.* Psal. 35. n. 13. Illud, *Ibi*, id est, in Gehenna: de qua tamen anteà non erat sermo, vt Genebrardus (Genebr.) aduertit. Et illud: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* Iob 1. n. 21. Aduerbium, *Illuc*, non est, in vterum matris; sed in sepulturam: de qua tamen nullam anteà fecerat mentionem; vt videre est apud Pinedam (Pined.). Et illud, *Hæc faciam tibi, Israël*, &c. Amos 4. n. 12. Pronomen, *Hæc*, vt paulò antè dicebam, ingentes calamitates insinuat; quas tamen Scriptura non exprimit, boni omnis causa, & præ timore ac detestatione illarum: vt ibi Ribera (Ribera.) obseruat. E Vnde etiam est illud: *Dixit Cain ad Abel fratrem suum: Egrediamur foras.* Gen. 4. n. 4. In Hebræo, vt notat D. Hieron. (D. Hier.) in Quæst. hebraïcis, non sunt illa verba: *Egrediamur foras*: sed tantùm illa: *Dixit Cain ad Abel.* Quid autem dixerit, tacetur. Et ratio est, quia Caïn dixit aliquas iniurias in Abelem, vt tradunt Hebræi apud Lyranum (Lyra.); & aliquas blasphemias in Deum, vt docet Chaldæus (Chald.) Paraphrastes apud Burgens. Addit. 4. Hebræi verò tales res tristes, & auditu iniucundas insinuabant quidem, non exprimebant.

XX. *Crucis nomen Hebræi non exprimebant.*

A Eòdem fortasse pertinet illud de Ioseph: *Accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Gen. 37. n. 2. In Hebræo non est, *Crimine pessimo*: sed tantùm accusauit, seu detraxit fratribus suis: vt ibi notat Paulus Burg. (Burg.) Addit. 1. Quasi Hebræi vellent ab illis ingratis verbis abstinere. Hinc etiam est, quòd Hebræi olim, crucem, quæ apud illos erat turpissimum patibuli genus, proprio nomine non exprimebant, sed cõmuni vocabulo, עץ *Ghets*, hoc est, lignum, seu arborem dicebant: aut certè periphrasi vtentes, *lignum geminum* appellabant, vt Septuaginta videntur insinuasse ad illa verba: *Regem Hai suspendit in patibulo.* Iosu. 8. n. 29. seu, vt est in Hebræo, על העץ *Ghal haghets*, hoc est, *super ligno gemino*: hoc est, in cruce, duplici ex ligno B confecta. Cuius vocabulum Hebræi, tanquàm sibi ingratum & inamœnum subticebant; vt ibi Andr. Masius aduertit.

XXI. *Euphemismus, cùm res odiosæ honestis vocabulis significantur.*

Ex hac consuetudine ortus ille *εὐφημισμὸς*, vt vocant, id est, bona ominatio, sacris in Literis non infrequens, cùm res odiosæ honestis vocabulis induuntur, & occultantur. Vnde Sapiens ad blasphemiam indicandam, quam nominare non audebat, periphrasi vsus est. *Est*, inquit, *& alia loquela contraria morti.* Eccles. 23. num. 15. nempe blasphemia, quæ Leu. 24. n. 16. morte puniebatur. Et proptereà, *Cùm Michaël Archangelus cum Diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore; non est ausus iudicium inferre blasphemiæ: sed dixit: Imperet tibi Dominus.* Vt docet Apostolus Iudas in sua Cano- C nica, n. 9. Quæ verba D. Hieron. (D. Hier.) in c. 3. Epist. ad Titum, expendens: *Merebatur*, inquit, *Diabolus maledictum: sed per Archangeli os blasphemia exire non debuit.*

XXII. *Benedicere, pro maledicere.*

Quin etiam ipse Diabolus sub optimo benedicendi verbo pessimum maledicendi occultauit: *Tange*, inquit, *cuncta quæ possidet; nisi in faciem benedixerit tibi.* Iob. 1. n. 11. In quem locum Didymus (Didymus.) citatus in catena Græca: *Verbum*, inquit, *adhibuit speciosum; ne Deum verbo asperiore figere videretur.* Et Olympiodorus (Olymp.) ibidem: *Ne*, inquit, *Scriptura diceret, blasphemabit; honesto vsa vocabulo dixit, benedicet: sicut de Naboth scriptum est: Benedixit Deum, & Regem.* 3. Reg. 21. n. 10. Sic & D. Chrysost. (D. Chrys.) homil. 4. De patientia Iobi: *Bene-* D *dixerit*, inquit, *id est, maledixerit. Etenim Scriptura benedictis maledicta velauit.* Quod statim ad morum doctrinam transferens: *Et quare*, inquit, *hæc scripta sunt? Vt tu fidelis discas, cùm alieni mali turpia narraueris, eadem verborum honestate velare: neque honestè iis turpibus operam præbens, sed turpium loquutionem fugiens.*

Turpia vocabula fugienda.

Iuxta illud Apostoli: *Deponite turpem sermonem de ore vestro* Coloss. 3. n. 9. Similiter interpretatur Titelmanus (Titelm.): additque idem contigisse in aliis rebus detestandis; quales sunt morbi grauiores ac terribiliores, *Epidemia*, & *Apoplexia*: è quibus illam, *Dei donum*; hanc, *regium morbum*, veteres appellabant; ne propriis nominibus rerum execrabilium vterentur. Quam interpretationem sequitur Pineda (Pineda.) Iob. 1. n. 5. & E 11. Nec video, cur nostro Martino Roa (Roa.) lib. 1. singul. locor. c. 9. Append. 1. cum hac communi interpretatione, vt ipse loquitur, non conueniat; cùm expositio per antiphrasim & contrarium sensum, nec insolens, nec infrequens sit in sacris Literis, vt c. 1. Num. 5. §. 3. pluribus exemplis iam ostendi. Igitur Hebræi, iuxta hanc loquendi formam, mala, quæ in admirationibus imprecabantur, innuebant quidem dicentes: *Hæc faciat Deus, & hæc addat*: non tamen exprimebant, aut nominabant; ne mala fando, malè ominarentur. Vt hinc etiam discamus, ioter loquendum ab in-

faustis verbis, & molestiam auditori allaturis A abstinere; & omnem inciuilem, atque illotum sermonem ab humanis, ac ferius colloquiis amputare.

XXIII. D. Greg. *An adiuratio obligauerit Samuelem.* Quod attinet ad tertium dubium, D. Greg. lib. 2. in Reges, c. 4. sentire videtur, Samuelem ex hac adiuratione obligatum remansisse ad visionem Sacerdoti manifestandam. Et ex hoc capite eum laudat, quòd non nisi obligatus & coactus suum Prælatum reprehendere ausus fuerit. Contrà quam faciunt multi subditorum: *Qui*, inquit, *adeò sunt præcipites, vt ad Prælatorum suorum reprehensionem facilè prorumpant, atque eorum erratis minari futura supplicia non pauescant.* Vbi plura de hac re paulò superiùs, Num. 15. iam citata. Quamuis, si eius verba lib. 3. c. 1. attendantur, hanc obligationem non tam imperio, quàm prece inductam B significare videatur. Clariùs hanc sententiam expressit Abulensis, dicens, Samuelem à interrogata respondisse, & quia adiuratus, & quia iussus fuerat à domino suo: *Cui peccatum erat mentiri.* Videtur tamen oblitus, quòd paulò antè dixerat, Heli in hac re non fuisse Samueli Superiorem, nec ei imperare potuisse; & propterea rogasse. Sed vt res tota breuiter explicetur:

Subditi in Prælatorum accusationem præcipites.

Abul.

XXIV. *Adiuratio à Superiori in re graui obligat.* Suar. Sanch. Dicendum primò. Quando adiuratio est imperatiua, seu facta à Superiori, vt sic, in re graui, inducit obligationem respondendi, seu faciendi id, quod imperatur. Est communis inter Theologos, quos Suar. tom. 2. De Relig. lib. 4. cap. 4. & Sanches in Decal. lib. 2. cap. 42. concl. 2. referunt, ac C sequuntur. Vtrùm verò ea obligatio sit tantùm in materia obedientiæ propter potestatem adiurantis; an etiam in materia religionis propter autoritatem Dei, quæ interponitur; ita vt qui adiurationi non satisfecerit, contra vtranque virtutem peccare censeatur: quæstio est scholastica, quam proinde Theologis remitto, consulendis apud citatos Doctores, eandem pro priori parte probabiliùs dirimentes.

XXV. *Adiuratio purè deprecatiua, seu, quæ non fit à Superiori, vt sic, non obligat grauiter.* Dicendum secundò. Quando adiuratio non est imperatiua, sed purè deprecatiua, quia non fit à Superiori, vt sic, & cum imperio adiurante, non inducit grauem obligationem. Nam sola reuerentia ad Dei nomen, præsertim ab eo, qui legitimam potestatem non exercet, interpositum, etsi D sufficiat, vt res magis deceat & expediat; non tamen, vt obligationem inducat: vt ibidem Suar. ostendit. Aliqui mendici alios per Deum adiurantes ad eleemosynam faciendam, sub graui culpa eos obligarent, ex sola vi adiurationis, & omnibus aliis circunstantiis, quæ possent obligationem inducere, sublatis: quod tamen falsum est ex communi Doctorum sensu, & fidelium praxi.

XXVI. *Samuel ex vi huius adiurationis non fuit obligatus.* Dicendum tertiò, quod ex præcedentibus sequitur, Samuelem ex vi huius adiurationis præcisè non fuisse obligatum ad respondendum Sacerdoti. Nam Sacerdos in ea materia non erat legitimus Prælatus, vt paulò superius in hoc Num. §. 4. ex Abulensi iam ostendi: & propterea Sacerdos non addidit comminationem absolutam, E sed conditionatam, vt paulò antè §. 16. ex Carthusiano notaui, alioqui mala absolutè imprecatus fine potestate, charitatem violaret. Dixi, *præcisè ex vi adiurationis*: quæ, nisi fit à Prælato, vt sic præceptum non includit. Nam, si aliàs ex diuina reuelatione Samuel agnoscebat, diuinam esse voluntatem, vt Sacerdoti, saltem interroganti, omnia aperiret, aut necessitas aperiendi ex parte Sacerdotis, correctione indigentis, occurrebat, tenebatur. Et in hoc sensu vera esse potest sententia Diui Gregorij proximè citati.

Num. XVIII. Indicauit itaque ei Samuel vniuersos sermones, & non abscondit ab eo. Et ille respondit: Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat.

EXPOSITIO LITERÆ.

INdicauit itaque, &c. Quamuis Samuel proprio præcepto ex vi adiurationis non teneretur, vt patet ex proximè dictis, tamen ex reuerentia adiurantis, quia aliquo modo erat Prælatus, & Sacerdos; & multò magis diuinæ auctoritatis interpositæ, per quam adiuratur (vt intesim alias mittam rationes indicandi proximè tactas) statim omnia indicauit. Vnde D. Gregorius in priori Commentario: *Samuel*, inquit, *electi subditi formam ostendit, qui reuerenter tacuit; sed tacere, loqui iussus, expauit. Itaque gemina luce conuersationis enituit: dum qui filialis timoris virtute siluit, loquendo vtilitatem, loquendo conquisiuit.* Et in posteriori Commentario ostendit, Samuelem eò præcipuè spectasse, vt magistro suo Heli spiritualiter prodesset. *Omnia*, inquit, *ei visa indicauit; vt magnitudo formidinis ad sollicitudinem eum conuerteret impetrandæ diuinæ miserationis. Vniuersos ei Domini sermones indicauit: vt, dum in vetustate sua se proiectum cognosceret, per pœnitentiæ lacrymas ad vera fidei renouationem festinaret.* Dicitur autem indicasse vniuersos sermones, & non abscondisse more Hebræorum, qui maioris confirmationis gratia, non solùm rem affirmabant, sed etiam eius contrariam negabant. Sic Isai. 39. n. 4. *Omnia, quæ sunt in domo mea viderunt: non fuit res, quam non ostenderim eis.* Sic Ierem. 24. n. 4. *Omne verbum, quodcunque responderit mihi, indicabo vobis; nec celabo vos quicquam.* Sic Ezech. 18. num. 21. *Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet, & non morietur.* Quem Hebraïsmum sæpè Ioannes imitatur: *Omnia per ipsum facta sunt; & sine ipso factum est nihil* c. 1. n. 3. *Confessus est, & non negauit.* Eodem c. n. 20. *Deus lux est; & tenebræ in eo non sunt vlla.* 1. Epist. 1. n. 5. Ita ergo & Samuel hoc loco, *Indicauit, & non abscondit.* Fateor tamen hanc loquutionem emphasis plenam esse: vt scilicet hac eiusdem sententiæ repetitione ostenderetur, quantùm Samuel ab adulatorio mendacio recesserit; & integræ veritati detegendæ incubuerit.

I. *Samuel ex reuerentia adiurantis, & diuini nominis interpositi, respondet.*

D. Greg.

Spiritualem Sacerdotis vtilitatem Samuel curauit.

Hebraïsmus. Affirmatio, & negatio.

Quo ex loco erubescat ille Prædicator, qui integram veritatem non inculcat; sed aliqua vera detegit, vt suo muneri satisfaciat; pleraque occultat, vt hominum auribus blandiatur. In quem proinde quadrat illud, quod Tertul. olim dixit in Marcionem, lib. de Carne Christi, c. 5. *Quid*, inquit, *dimidias mendacio Christum? Totus veritas fuit.* Significans, non vnam tantùm de Christo Domino; sed omnem prorsus veritatem confitendam: & similiter non vnam tantùm auditori veritatem; sed omnem omninò, cuius indiget, prędicandam. Ne & auditori damnum, & veritati ipsi probrum ingeratur. Nam, vt bene ibi Tert. aduersus Valentinianos, c. 3. *Nihil*, inquit, *veritas erubescit, nisi solummodo abscondi.*

II. *Ineptus Prædicator, qui integram veritatem non inculcat.* Theod.

Quæret aliquis, cur Samuel exorsus non fuerit suam prophetiam ab illis solennibus Prophetarum verbis: *Hæc dicit Dominus*: quemadmodum vir Dei superiori cap. num. 27. & 30. vt ibi aduerti? Respondet Theod. præf. in Danielem, illud exordium non fuisse à Prophetis perpetuò obseruatum. Nam Daniel inde non exorditur. Vnde in eos, qui Danielem à Prophetarum choro excludebant, quòd ab illis solennibus verbis non auspicaretur,

III. *Cur Samuel solenne Prophetarum exordium non præmiserit.* Theod. *Responsio Theodoreti.*

ſpicaretur, ſic inuehitur. *Dicant*, inquit, *quid tale dixerit Abraham Patriarcha, qui ab omnium rerum auctore Deo, Propheta nuncupatus eſt, ibi: Redde uxorem viro ſuo, quia Propheta eſt?* Gen. 20. n. 7. *Quid tale, maximus Propheta Samuel, qui pranoſcendi, intelligendi, & prædicendi munere donatus eſt? Cum illis igitur palam contendite, eóſque è Prophetarum cœtu apertè eiicite. Quod ſi in illos debacchari veremini, in hunc quoque cauete, ne calumniam inferatis.*

IV. *Duæ aliæ reſponſiones.* Adde, cùm Samuel interrogatus fuerit ab Heli de verbis Domini, ſuperuacaneum fuiſſe illud exordium, quod iam in ipſo interrogante quodammodo præceſſiſſet. Præterea tunc erat illud exordium neceſſarium, cùm vel Propheta erat ignotus, vel auditores increduli: at neque prophetia Samuelis apud Heli; neque fides Heli apud Samuelem, vlla ſuſpicione laborabant. Quare opus non fuit, vt ab illis verbis Samuel inchoaret: quamuis reuerà aliter inchoaſſe, ex Litera conuinci nequeat: quia non deſcribitur manifeſtatio prophetiæ, vt facta fuit: ſed ſolùm dicitur facta fuiſſe. Vnde mirum non eſt, ſi illa verba: *Hæc dicit Dominus*: licèt adhibita fuerint, taceantur.

V. *Hæc verba in malã partem nonnulli interpretantur.* *D. Ephrem.* *Peccator inſenſibilis.* *Et reſpondit: Dominus eſt*, &c. Sunt, qui hanc reſponſionem in malam partem interpretentur, ſentiántque fuiſſe hominis parum dolentis de culpa ſua, & nimiùm præſumentis de miſericordia diuina. Ita in primis tenet D. Ephrem in Apologia de Heli. Nam expendens hanc reſponſionem, exclamat: *O mentis*, inquit, *imbecillitatem ad obſeruationem mandatorum Dei! O iniquam erga iniquos filios indulgentiam! Quomodo non exhorruit caro eius ſuper auditu? Quomodo renes eius non contremuerunt? Quomodo non adduxit animum ad pœnas de impiis filiis ſumendas exemplo zeli Phinees ſibi ante oculos poſito? Quomodo ſua non diſcidit veſtimenta, pernoctauitque in ſacco & cilicio ſuper prolata aduerſus eum condemnationis nota? Sed ne commotus eſt quidem. Dominus, inquit, eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat. Ego vero filiis meis moleſtiam inferre non poſſum.*

VI. Conſentit D. Gregorius in priori Commentario: *Iſta*, inquit, *reſponſionis humilitas, ſi ſubtiliter inſpiciatur, vera humilitas non eſt. Verè eſſet humilis, ſi ſe ad emendationem culpæ, pro qua arguebatur, abtuliſſet. Dum ergo dicit: Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat: potiùs elegit minarum Dei cauſas incurrere, quàm de perpetratis iniquitatibus filios condemnare.* Et ſtatim inuehitur in eos, *Qui hominibus*, inquit, *diſplicere trepidant, & diuinæ indignationis minas incurrere non formidant: & dum inimicitias hominum, velut implacabiles metuunt; de Dei miſericordia etiam peccando confidunt.* Et paulò pòſt, addit: *Peccatorem incorreptum, & in culpæ ſuæ propoſito perdurantem, de ordinatiſſima Dei miſericordia inordinatè confidere.* Immò ſubdit: *Peccare, & de Dei Creatoris clementia præſumere, pelago iuſtitiæ eius exponi eſt.* Ita ille. Vbi plura in hanc ſententiam, quam vlteriùs confirmat: quia ſi Heli corde verè contrito & humiliato reſpondiſſet; Deus ſuas minas reuocaſſet: vt ſanè reuocauit, cùm Niniuitæ, Ion. 3. num. 10. & Ezechias, Iſai. 38. n. 5. ad veram pœnitentiam confugerunt.

Præſumptio de diuina miſericordia.

VII. *Rex Achab Sacerdoti Heli præfertur.* Tandem Rupertus lib. 1. ad hunc locum, cap. 12. in hanc ſententiam conſpirat: *Meliùs*, inquit, *atque conſultiùs Achab, licèt aliàs impius: qui, cùm audiſſet ſermones Domini in Helia, dicentis: Ecce ego inducam ſuper te malum, &c. ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque, ac dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* 3. Reg. 21. n. 21. & 27. *Idcircò ille quidem in diebus ſuis non vidit inductum domui ſuæ malum: hic autem, & vidit, &*

A *ipſe ſuſtinuit: cecidit enim, audito triſti nuntio; & fractis ceruicibus, mortuus eſt.* Quibus verbis non ſolùm condemnat Sacerdotem Heli; ſed etiam Achabo Regi ſceleratiſſimo poſtponit.

VIII. *Alio um interpretatio in bonam partem.* *Theod.* *Procop.* *D. Chryſ.* Nihilominùs plures alij in bonam partem verba hæc interpretantur. Nam Theodoretus quæſt. 12. ex hac reſponſione, huius Sacerdotis probitatem confirmat: *Cùm*, inquit, *latam didiciſſet ſententiam, laude dignam emiſit vocem: Dominus eſt: quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat.* Cui Procopius eiſdem pene verbis ſubſcribit. D. Chryſoſtomus lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monaſticæ, loquutus de Heli, ſua ſupplicia audiente. *Cùm*, inquit, *iſta omnia audiſſet, séque ad ſupremum cruciatum peruenisse conſpiceret, non acerbè, non grauiter, non indi-*
B *gnanter tulit. Non dixit: Quidnam iſtud eſt? vt feciſſent plurimi. Num ego dominus ſum aliorum voluntatis? Peccatorum meorum pœnas perſoluere habeo. Filij ætatem habent, ipſique ſoli merentur cruciari. Nihil omninò horum dixit; ne cogitauit quidem. Cæterùm, vt ſeruus fidelis, & gratus, & qui vnum tantum ſibi obſeruãdum nouit; vt quæcunque Dominus ſuus ei intulerit, æquanimiter & faciliter ferat, quantumlibet illa triſtia & acerba ſint; iſta pleniſſima Philoſophiæ verba edidit: Dominus eſt: quod gratum eſt in conſpectu ſuo, faciat.* Idem Chryſoſt. hom. 2. in epiſt. ad Philemonem, poſtquàm multorum replicauit exempla, qui pœnas diuinitùs immiſſas æquo animo tolerarunt, ſubdit: *Heli etiam, Dominus, inquit, eſt; quod gratum eſt in oculis ſuis, faciat. Iſtud ſuis con-*
C *gruit fidelibus ſeruit, non modo inter beneficia, ſed in ipſis quoque ſuppliciis & cruciatibus, Deo gratias agere, eique omnia accepta referre.* Hoc ipſum mihi videtur ſignificare idem Chryſoſt. lib. 3. De prouidentia, dicens, Heli ſuæ culpæ conſcium, poſt ingentes illas & terribiles minas dixiſſe: *Dominus eſt: quod bonum eſt, &c.* Nam, ſi ſuam culpam agnouit; ſine dubio, bonus alioqui vir, & deplorauit. Pro hac ſententia referri poſſunt illi Patres, qui dicunt, Heli, excepta hac in filios indulgentia, in reliquis omnibus vitæ ſuæ actionibus, fuiſſe ſanctum, iuſtum, religioſum, admirabilem, irreprehenſibilem; ex quibus eſt D. Baſilius procemio in Ethica, & orat. 3. De peccato, & alij, tam ex Græcis, quàm ex Latinis, quos in 1. tom. Annot. 21. *D. Baſil.*
D Sect. 1. citauimus. Si igitur nullam in tota eius vita labem agnoſcunt, præter illam in filios indulgentiam, nullam quoque in his verbis culpam deprehendunt.

IX. *Patribus ſubſcribunt Interpretes.* *Dion.* *Lyra.* Accedunt Interpretes, Dionyſius Carthuſ. art. 7. *Ex hac*, inquit, *tam patienti & humili reſponſione Heli, eliciunt aliqui, quòd acceptando ſuper ſe, & ſuper ſuos diuinæ ſententiæ æquitatem, meruit, mediante ſua contritione, peccatorum ſuorum remiſſionem, & pro eis temporaliter eſt punitus, non æternaliter damnatus.* Lyranus ad hæc verba: *Ex quo*, inquit, *videtur, quòd licèt in perſona propria, & filiis punitus fuerit ad pœnam temporalem; ipſe tamen in perſona propria euaſit æternam: quia in acceptione diuinæ iuſtitiæ videtur veraciter pœni-*
E *tuiſſe.* Abulenſis ad hunc locum: *Ex hoc*, inquit, *apparet, quòd Heli erat vir bonus, & quanquàm ipſe peccaſſet; quia, cùm potuit, non corripuit filios ſuos, quantum debuit: tamen tunc patienter ſuſtinebat, quòd Deus talia mala de eo prænuntiaſſet. Ideò ex iſta pœna nemo arguere poteſt, quòd æternaliter damnatus ſit: ſed magis è contrario dicetur, quòd pœnituerit de peccato ſuo, cùm patienter pœnam ſuſtulerit.* Tandem Caietan. verba hæc: *Dominus eſt*, &c. expendens: *Verba*, inquit, *optima patientiæ ſunt: agnoſcit enim ipſum eſſe fontem omnis eſſe; & humiliter ſuſtinendum fatetur, quidquid bonum cenſetur diuino iudicio.* *Abulenſ.* *Caiet.*

Subſcri

Serar. Salian. Subscribũt è nostris Serarius & Salianus: ille quidem vocans hoc Heli responsum, *præclarum*: hic autem apertiùs hanc partem confirmans. Quibus adde Stellam in cap. 10. Lucæ, ibi: *Ita, Pater, quoniam sic placitum fuit ante te*, &c. Vbi hanc Heli responsionem adeò in bonam partem interpretatur, vt dicat, eum propter hęc verba saluum fuisse. Stella.

X. Approbatur, & confirmatur hæc interpretatio. Hanc interpretationem libentiùs amplector. Et confirmo. Nam, vel Heli peccauit, proferendo hæc verba, quia culpam non agnouit: vel, quia pœnam contempsit: vel, quia de diuina misericordia præsumpsit. Nihil horum ex illius verbis colligi potest. Non primum: quia, dum pœnæ se offert, culpam fatetur; vt insinuat D. Chrysostom. lib. 3. De prouidentia, citatus: immò & culpam detestatur, vt prædicti Doctores tradiderunt. Quòd, si culpam non emendauit, filios, vt par erat, castigando; id fuit, vt Lyra rectè obseruat, quia & ille propter ætatem iam debilis erat, & magis timidus, quàm timendus: & filij propter improbam peccandi consuetudinem iam indociles, seu effrenes: & tempus ad eam correctionem faciendam ante illius mortem peranguslum. Vnde filiorum emendatio respectu parentis erat moraliter impossibilis, ideoque ab eo iam exigi non poterat. Culpam non ignorauit. D. Chrys. Lyra.

Pœnam non contempsit. Non secundum: quia, vel contempsit pœnam, vt iniquam; vel, vt inanem & minimè euenturam: non, vt iniquam, quia bonam appellauit, *Quod bonum est*, inquit: non, vt inanem, seu in irritum abituram; quia confessus est, eam à supremo Domino inferendam, *Dominus*, inquit, *est*. Quo pacto igitur contemnit pœnam, vt iniquam, vel inanem; qui fatetur, eam à Principe, & bonitatem, & potestatem habente profecturam? Nam, si Christus Dominus diuinæ prouidentiæ ordinem venerabatur, illis verbis: *Confiteor tibi, Pater, Domine cæli & terræ*. Luc. 10. num. 21. Quasi diceret, vt ibi Cardin. Tolet. aduertit, summa obseruantia dignum esse, quidquid à bono Patre, in quem non cadit iniquitas, & à supremo Domino, in quem non cadit infirmitas, emanarit: quo pacto igitur Heli, & bonitatem, & potestatem Deo vltori tribuens, eius vltionem contemnere censeatur? Non tertium: quia qui præsumit, nec culpam cauet, nec pœnam timet. Vtrumque verò ab Heli, vt ex dictis constat, procul exulauit. Quare tantùm abest, vt ex his verbis sit arguendus; vt potiùs maximè videatur commendandus, vt ex Annot. 6. patebit. Tolet. De diuina misericordia non præsumpsit.

XI. Conciliantur exemplaria. Atque hæc de intentione proferentis hæc verba. Quod attinet ad significationem verborum: *Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat*: parum different exemplaria Hebræa, Chaldæa & Græca. Omnia dicunt: *Dominus ipse*, sine verbo: quod Latina reponunt: *Dominus est*; sed eodem sensu. Illud, *Bonum in oculis suis*, in Hebræis tantùm, & Latinis reperitur. Nam Chaldæa habent: *Rectum ante ipsum*. Græca, in Regiis & Complutensibus: *Placitum coram eo*. In Sixtianis: *Bonum in conspectu suo*. Sed quis non videt, tam exigua esse hæc discrimina, vt diuersos sensus non inducant? Tribuitur igitur in his verbis summa Deo potentia ad faciendum quidquid volet: & proinde summa à nobis exigitur obedientia & indifferentia ad assentiendum Deo, & quidquid ille iusserit, amplectendum. Quò pertinet illud Sapientis ad Deum: *Quis enim*, inquit, *dicet tibi: Quid fecisti? Aut quis stabit contra iudicium tuum? Aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum?* Sapient. 12. n. 12. Hoc est: Quis tuas sententias, aut examinabit, aut reuocabit, aut vindicabit? Inferiores quidem Iudices superiorum censuræ subiiciuntur: vt, si malè quidem iudicauerint, ab illis corrigantur & puniantur. Tu verò, qui supremus Iudex es, nullum habere potes tui iudicij censorem. Vnde sanctus Iob: *Sicut Domino*, inquit, *placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum*. Iob. 1. n. 21. Et rursum: *Hæc mihi sit consolatio, vt non contradicam sermonibus sancti*. Iob. 6. n. 10. Nec aliter Iudas Machab. *Sicut fuerit voluntas in cælo, sic fiat*. 1. Machab. 3. n. 60. Immò & Christus Dominus: *Non mea, sed tua voluntas fiat*. Luc. 22. n. 42. Proprium igitur solius est Dei, quidquid voluerit, sanctissimè operari. Vnde D. Anselm. lib. De similitudinibus, c. 8. *Sicut, inquit, corona soli Regi competit: sic propria voluntas soli Deo*. Sed quo pacto Heli in tam multis pœnis subeundis se diuinæ voluntati conformare teneretur; quæstio est theologica. Superest, vt quæ hactenus explicata sunt ad Literam; vberiùs ad mores illustrentur. Deo potentia tribuitur in his verbis: à nobis obedientia exigitur. D. Anselm.

ANNOTATIO IV.

CIRCA LITERAM.

Inter bonam, & malam conscientiam discrimen.

I. In Samuele bona conscientia: in Heli mala exprimuntur. AD hanc digressionem faciendam, occasionem præbuerunt, quæ diximus de Samuele, Num. 15. & de Heli, Num. 17. In hoc enim malæ conscientiæ, in illo bonæ simulacrum nobis proponitur. Nam Samuel terribiles illas minas ex diuino oraculo accipiens, dicitur nihilominus vsque manè dormiisse: optima eum conscientia, vt fieri solet, inter pericula sopiente. Heli verò seueram aliquam ex diuino oraculo sententiam suspicatus, dicitur, interrogasse & adiurasse Samuelem, vt sibi omnia reuelaret: mala eum conscientia exagitante; & ante supplicia, suppliciorum timorem ingerente. De vtraque igitur conscientia, mala nunquam non pauida, & bona semper secura, vberiùs disserendum.

SECTIO I.

Mala conscientia perturbatio.

II. Conscientia frænum, & flagrum. QVid mala conscientia duriùs ac diriùs esse potest? Conscientia ait quidam ex profanis, sed Christianis Scriptoribus: *Ante peccatum est frænum: post peccatum est flagrum*. Bene Plutarchus: *Improbitas, inquit, ex se ipsa sibi supplicium struit*: & quidem morte ipsa atrocius. Vnde Tiberius apud Tranquillum, cap. 67. *Dij, inquit, me perdant, quem quotidie perire sentio*. Consentit Seneca epist. 97. ad Lucilium, *Prima, inquit, & maxima pœna peccantium est, peccasse. Nec vllum scelus impunitum est; quoniam sceleris in scelere supplicium est*. Concinit & Satyrographus Satyra 13. Lipsius. Plutar. Sueton. Seneca. Iuuenal.

Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet autori: prima hæc est vltio, quòd se
Iudice, nemo nocens absoluitur, improba quamuis
Gratia fallacis Prætoris vicerit vrnam.

Et ibidem: ——*Cur tamen hos tu*
Euasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos, & surdo verbere cædit;
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Illustris

Tullius.

Illustris est ad hanc rem explicandam locus ille Ciceronis pro Roscio Amerino: *Nolite*, inquit, *putare, quemadmodum in fabulis sæpenumerò videtis, eos, qui aliquid impiè sceleratéque commiserunt, agitari & perterreri furiarum tædis ardentibus: sua quemque fraus, & suus terror maximè vexat: suum quemque scelus agitat, amentiáque afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiaq; animi terrent. Hæ sunt impiis assiduæ, domesticæq; furiæ*, &c. Sic ille.

III. D.Chryf. *Vitium, est supplicium.*

Mitto plura ex prophanis, vt tota res ex diuinis luculentiùs illustretur. Diuus Chrysost. in Psalm. 124. *Ante supplicium*, inquit, *vitium supplicium infligit; peccatum in se continet pœnam, antequàm puniatur.* Vberiùs idem D. Chrysost. hom. 3. De verbis Isai loquutus de adultero: *Omnia*, inquit, *pauet metuitque, qui talis est; vmbras, parietes, ipsos lapides, tanquam vocem emittentes, omnia obseruat, omnes habet suspectos, famulos, vicinos, amicos, hostes, eos, qui norunt omnia, eos, qui nihil norunt. Quin potiùs, si voles, tollantur hæc omnia; ponamus nulli notum esse flagitium, præterquam ipsi vni; quomodo feret conscientiam redarguentem, acerbam, & amarulentam accusatricem secum ferens? Quemadmodum enim seipsum nemo potest effugere; ita nec illam eius Curiæ sententiam. Hoc enim tribunal non pecunia corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eò quòd diuinum est, & à Deo nostris impositum mentibus.*

Timor adulteri.

Conscientia tribunal.

IV. *Conscientia cruciatus.* D. Hier.

Certè D. Hieronymus in illud Dei oraculum ad Hierosolymam: *Ergo & tu porta confusionem tuam, qua vicisti sorores tuas peccatis tuis.* Ezech. 16. n. 52. *Portat*, inquit, *tormentum suum, qui propria torquetur conscientia: & in isto seculo sustinet propria voluntate cruciatum.* Quo nullus acerbior esse potest, vt notat D. Ambros. lib. 3. offic. c. 4. *Quæ*, inquit, *pœna grauior, quàm interioris vulnus conscientiæ? Quod seuerius iudicium, quàm domesticum, quo vnusquisque sibi est reus?* Et cap. 5. sequenti, notat, iustum magis timere conscientiam, quàm infamiam; & propterea nolle peccare, etiamsi possit latere. Et rationem reddit: *Sibi enim*, inquit, *est reus, priusquàm cæteris; nec tam pudenda apud Deum publicatio flagitij, quàm conscientia.* Quod egregiè confirmat ex annulo Gygæo, cuius pala ad palmam manus conuersa gestantem sic occultabat, vt à nemine videretur. *Da*, inquit, *hunc annulum sapienti, vt beneficio eius possit latere, cùm deliquerit: non minùs fugiet peccatorum contagium, quàm si non possit latere. Non enim latebra sapienti spes impunitatis, sed innocentia est.* Hæc enim si absit, etiam aliis occultus, à propria conscientia laceratur.

D. Amb.

Conscientia magis timenda, quàm infamia.

V. *Conscientia peccata, vermes.* D.Ambr.

Quæres, cur peccata malæ conscientiæ, & ab Isaia c. 66. num. 24. & à Christo Domino, Marc. 9. num. 44. vermibus comparentur. *Vermis*, inquiût, *eorum non moritur.* Respondet D. Ambros. lib. 7. in Luc. c. 14. ad finem: *Eo quòd*, inquit, *irrationabilis animæ peccata mentem Rei, sensúmque compungunt, & quadam exedunt, viscera conscientiæ; quæ tanquàm vermes ex vnoquoque nascuntur, tanquam ex corpore peccatoris.* Quasi diceret: Vermes carnis, & culpæ mentis in eo sunt similes: quia sicut caro gignit vermes, quibus ipsa lanietur; ita & conscientia edit culpas, quibus ipsa exedatur. His conscientiæ punctionibus stimulatus Iobus, in figuram peccatoris, seu peccator sub Iobi nomine: *O custos hominum*, inquit, *quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimetipsi grauis?* Iob 7. n. 20. Non de alio contrario, quàm de se ipso conqueritur, à quo magis, quàm à quouis alio externo pungitur & exulceratur. Vnde D. Bernard. lib. 5. ad Eugenium, expendens eum locum, inter alia: *Nullus*, inquit, *molestior oculus suo cuiusque. Non est*

Peccator sibi contrarius.

D. Bern.

A *aspectus, quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minus possit.*

VI. *Quo pacto peccatoris multa sint flagella, & nulla?*

Ideircò Dauid: *Multa*, inquit, *flagella peccatoris.* Psal. 31. num. 10. Sed vide, ô Dauid, ne pugnantia tecum loqui videaris, qui alibi de peccatoribus cecinisti: *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur.* Psal 72. n. 5. Absit, inquit D. Bernard. sermon. 23. in Cant. & in sua declamatione De verbis Petri: *Ecce nos reliquimus omnia.* Absit, vt Propheta secum pugnet. *Nam qui in labore hominum non sunt, in labore Dæmonum erunt: & qui cum hominibus non flagellantur, cum Dæmonibus flagellabuntur.* Rectè quidem ista: sed illud ad rem præsentem accommodatum; multa esse flagella peccatoris, si non ab hoste, persequutoréque externo, saltem ab interno carnifice, ac tortore; qualem se illi præbet sceleris conscientia. Vnde D. Chrys. conc. 4. De Lazaro: *Conscientia*, inquit, *quouis stimulo acriùs pungere consueuit peccatorem. Nam scortator, adulter, aut fur, non modò cùm accusatur ipse; verùm etiam, cùm audit alios eadem ausos accusari, ipse sibi videtur flagris cædi: alius quidem vocatur in ius, hic verò flagellatur.*

D.Bern. *Nulli humana, multa diabolica.*

B

Nulla externa, multa interna.

D. Chrys.

VII. *Absalon à conscientia flagellatus.* D.Chrys.

Testis Absalon, qui diu antequàm moreretur, è quercu suspensus laborauit, 2. Reg. 18. n. 9. Rationem reddit D. Chrysost. in Psal. 7. *Non statim*, inquit, *de medio sublatus est: sed tanquàm in iudicio priùs suspensus est, & ligno affixus, & Deo è superis ferente sententiam, longo tempore pependit, à conscientia deinceps flagellatus.* Quæ internæ plagæ etiam inter externas delicias infliguntur; vt bene D. Ambros. lib. 1. offic. cap. 12. *Peccator*, inquit, *quamuis foris abundet, deliciis diffluat, odoribus fragret; in amaritudine animæ vitam exigit.* Et paulò pòst: *Vides conuiuium peccatoris: interroga conscientiam eius. Nonne grauiùs fœtet omnibus sepulchris? Intueris lætitiam eius: introspice vlcera & vibices animæ eius, cordísque mœstitudinem.* Neque verò plagas leues ac faciles existimes. Nam, vt bene D. Aug. in Psal. 45. *Inter omnes*, inquit, *tribulationes humanæ animæ, nulla est maior tribulatio, quàm conscientia delictorum.* Quod ibi latiùs confirmat. Idque adeò verum iudicat D. Ambros. proximè citatus, vt dicat: *Ipsam, quæ videtur, etiam dum viuunt, impiorum requiem, in inferno esse. Viuentes enim in inferna descendunt.* Quasi non minùs à propria conscientia, quàm ab ipsa gehenna crucientur. Breuiùs & apertiùs D. Bernard. ser. 4. de Assumpt. Virginis: *Infernus quidam*, inquit, *& carcer animæ, rea conscientia*, &c. Eadémque ferè paulò antè ser. 2. de eodem festo iam præmiserat.

C

Deliciatur corpus, torquetur animus. D. Ambr.

Nulla maior plaga, quam peccati conscientia. D. August. D. Amb. *Mala conscientia, infernus.*

D

D. Bern.

VIII. *Terrores malæ conscientiæ.*

Hinc illi terrores, quibus malæ conscientiæ perpetuò quatiuntur; iuxta illud Dei Oraculum de Hebræis: *Dabo*, inquit, *pauorem in cordibus eorum: terrebit eos sonitus folij volantis, & ita fugient, quasi gladium: cadent, nullo persequente.* Leuit. 26. n. 36. Vbi consule Lorinum, & Cornelium ad malæ conscientiæ terrores longiùs digredientem. Cui & illud affine est: *Dabit*, inquit, *tibi Dominus cor pauidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore. Timebis nocte & die. Manè dices: Quis mihi det vesperam? Et vespere: Quis mihi det manè? Propter cordis tui formidinem, qua terreberis.* Deut. 28. à n. 65. Eódem spectat illud de impio vaticinium: *Sonitus*, inquit, *terroris semper in auribus illius; & cùm pax sit, ille semper insidias suspicatur. Non credit, quòd reuerti possit de tenebris ad lucem, circumspectans vndique gladium.* Iob. 15. à num. 21. Denique colludit Sapiens: *Cùm*, inquit, *sit timida nequitia, dat testimonium condemnationis: semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia.* Sap. 17. n. 10. Hinc illa impij fuga, de qua Salomon:

Lorin. Cornel.

E

oion: *Fugit impius, nemine persequente.* Prou. 28. A num. 1. In quibus locis tantas terrorum procellas mala conscientia excitauit.

IX.
Diuitem epulonem conscientia terrebat, vt Iudex, torquebat, vt carnifex.
D. Chrys.

Vnde D. Chrysost. conc. 1. De Lazaro, sub finem, loquutus de diuite epulone: *Explica*, inquit, *mihi istius conscientiam; & videbis intus grauem peccatorum tumultum, ingem metum, tempestatem, turbationem. Videbis velut in Curia mentem ad thronum conscientiæ conscendisse regalem; & tanquam Iudicem sedentem; & cogitationes loco carnificum adhibentem, in equuleo suspendentem, lateráque conscientia radentem vngulis.* Et paulò pòst: *Voluptas quidem temporaria est, dolor perpetuus. Timor vndique ac tremor, suspicio & anxietas: angulos metuit, vmbras ipsas formidat, suos ipsius famulos, conscios, inscios; illam ipsam, quam corrupit; & virum, quem affecit contumelia.* B *Obambulat amarum accusatorem circunferens conscientiam: cùm sit suo ipsius iudicio damnatus, nec vel ad breue tempus possit respirare.*

X.
Cur mala conscientia obuersetur gladius, non gladiator.

Er obiter nota, in locis Leuitici, & Iobi citatis, obuersari malæ conscientiæ gladium, non gladiatorem; vt ineuitabilis supplicij, & minimè præuisi timot significetur. Nam, si occurreret gladiator, euitari posser, aut placari: at verò cùm gladius iam impendeat; supplicium proponitur, velis, nolis, subeundum: iuxta illud: *Veniet super te malum, & nescies ortum eius: & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare: veniet super te repentè miseria, quam nescies.* Isai. 47. num. 11. Gladio autem impiorum ceruicibus impendente, quantus terror animos occupabit? Iuxta illum Dionysij C Tyranni apologum, de quo Tullius libr. 5. Tuscul. Quem Lyricus volgari tetrastico breuiter & eleganter collegit 3. car. 1. sed iam exemplis rem ipsam illustremus.

Tullius.
Horatius.

SECTIO II.

Perturbatæ conscientiæ exempla.

I.
Adam post peccatum timuit conscientiam.
D. Chrys.

A Primo peccatore primum desumatur exemplum. Peccauit olim Adamus. Quid statim? *Vocem*, inquit, *tuam audiui in Paradiso, & timui: eò quod nudus essem, & abscondi me.* Gen. 3. num. 10. D In quem locum D. Chrysost. hom. 17. *Quare*, inquit, *dic, oro?* scilicet, timuit. *Quoniam videbat sibi trucem stare accusatorem, conscientiam dico. Neque enim alium obiurgatorem habebat, & testem peccatorum, sed vnicum illum, quem intrinsecùs circunferebat.*

Conscientia, Iudex, & Medicus, & carnifex.

Et ibidem vocat conscientiam, Iudicem incorruptum, qui ante oculos scribit peccatorum magnitudinem: perpetuam accusatricem, quam nemo latere possit, vbique & semper nobis occursantem: Medicum optimum, qui non cessat sua apponere medicamenta: quamuis à nobis sæpiùs repellatur: durum carnificem, qui mentem nostram flagellat, & cor lancinat. Vnde concludit, si tanto conscientiæ præsidio muniti, adhuc ruimus ac deficimus; quid, si illius tutela ac patrocinio de- E stituti iaceremus? Et obiter nota, Adamum etiam in Paradiso timuisse: quia nullus est locus tam sacer, quem, si peccator inuadat, timor quoquo ac terror, peccati vindex & vltor, non expugnet.

II.
Tremor Caini post peccatū.
D. Hieron.

Quis timidior Caïno post peccatum? Tremebat toto corpore; huc, illuc profugus oberrabat; & ad plagam orientalem *Edem*, hoc est, interprete D. Hier. ad terram instabilem & fluctuantem recedebat: vt iam in 1. tom. Annot. 4. Sect. 3. §. 49. obseruaui. Quò hæc omnia spectabant; nisi, vt territum eius animum, & conscientiæ stimulis A agitatum indicarent? Vnde D. Ambros. lib. 7. epistolarum, epist. 44. *Sibi*, inquit, *vnusquisque animum suum seuerum Iudicem, sui vltorem sceleris, & vindicem criminis habet. Timens & tremens oberrabat Caïn, parricidalis facinoris luens pœnas, vt ei remedio sua mors fuerit. Nemo igitur vel solus, vel cum altero aliquid turpe faxit. Et si solus est, se ipsum præ cæteris erubescat.*

D. Ambr.

III.
Rupert.
Caïn ciuitatem ædificauit, qua se contra conscientiæ terrores tueretur.

Sed, cur Caïn inter hos terrores, *ædificauit ciuitatem?* Gen. 4. n. 17. Respondet Rupertus lib. 4. in Genesim, c. 10. quia occiderat fratrem suum, & ob hoc omnibus odiosus, vagus & profugus erat; idcircò ciuitatem, qua se tutaretur, ædificauit. At quem timebat, cùm nemo, à quo occideretur, superesset? Immò quem non timebat? Timebat in B primis ipsum agrum, in quo peccarat, tanquàm sceleris sui conscium, & quodammodo oculatum testem; ideò ab illo se in vrbem colligebat. Plures alias timendi causas ex Procopio retuli io 1. tom. Annotat. 24. Sect. 2. §. 10. Er plures apud D. Ambr. lib. 2. De Caïn & Abel, c. 9. inuenies, quas mala conscientia, quolibet hoste & carnifice crudelior, illi metuendas proponebat. A quibus se vt expediret, ciuitatem, in quam se reciperet ac muniret, ædificabat. Sed præ omnibus aduersatiis, si plutimos & infensissimos habuisse fingeremus, suam ipse conscientiam metuebat, quam multò ægriùs ac difficiliùs, quàm ipsam mortem tolerabat.

IV.
Caïn prohibetur occidi, vt viuendo grauius puniatur.
Philo.

Vnde quæret aliquis, cur Dominus meritissimum mortis reum morte absoluerit; & dicenti: C *Omnis, qui inuenerit me, occidet me:* responderit: *Nequaquàm ita fiet:* ac tandem impresserit io eo signum, *vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum?* Gen. 4. n. 14. & 15. Respondet Philo Hebr. lib. De profugis: *Caïn*, inquit, *impudentis fratricidæ mors nunquam in lege inuenitur: immò extat de illo hoc oraculum, ne quis eum inuentum interimeret. Cur ita? Opinor, quia impietas malum est infinitum; quod semel accensum, nunquàm extingui potest.* Quasi diceret: Atrox illa culpa fratricidij, atrociorem pœnam, quàm mortem, merebatur. Idcircò illi Dominus vitam conscientiæ tettoribus obnoxiam prorogauit; vt non vnam tantùm crucem semel moriendo, sed infinitas propemodum diu viuendo sustineret.

V.
D. Ambr.
Vita ob conscientiæ cruciatus laboriosior, quam mors.

D Nec aliter respondet D. Ambr. lib. 2. de Caïn & Abel, c. 9. dicens, in vita impij, perpetuis conscientiæ terroribus agitati, plùs esse ærumnæ, quàm voluptatis: *Mors enim*, inquit, *vna est in secessione animæ & corporis, quæ simul, vt venit, omnes corporis dolores auferre, non augere consueuit: metus verò, qui hanc vitam viuentibus frequenter ingruunt, plurimas etiam mortes inferunt, vt ista mors remedium esse videatur, non pœna.* Ac tandem post multa de hac re, concludit de Caïno: *Ergo & isti Caïn longanitas indulta, vindicta est: eò quòd vixit in metu, & prolixum spatium cucurrit, multo & infructuoso labore.* Quam sententiam in Psalmum 35. iterum inculcat, vbi loquutus de Caïno: *Cùm*, inquit, *adhuc à Domino pœna cessaret, torquebat eum suorum conscientia peccatorum.* E *Latebat miser tremens & timens; & cùm adhuc percussor deesset, ipsa se se iniusti vita cruciabat. Acceperat signum, ne eum aliquis occideret: non vt vita suauitate frueretur, sed ne mors auferret ærumnam, vt percussorem suum quotidie timendo pateretur. Meruerat quidem, vt percussor inhiberetur: sed sine vlla intermissione ipse sibi suus carnifex erat, ipse percussor.*

VI.
Lamechum sua conscientia accusauit, & condemnauit.

Lamech, qui, vt alibi retulimus ex Hebræis, proauum suum Caïnum per imprudentiam inter venandum occiderat; nemine prodente, se prodidit; nemine condemnante, se condemnauit: Occidi,

Occidi, inquit, *virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum. Septuplum vltio datur de Cain: de Lamech autem septuagies septies.* Genes.4. n.23. In quem locum D.Chrysost. hom 20. *Quis*, inquit, *istum, dic, obsecro, talem ad confessionem adegit? Nullus alius, quam conscientia, & incorruptus ille Iudex. Nam simul ac in peccatum declinaras, statim insurrexit conscientia, inclamánsque & ostendens peccatorum magnitudinem, omnibus se ipsam pœnis obnoxiam fecit. ita enim se habet peccatum, vt priusquàm fiat, obtenebret ac decipiat mentem: postquam autem consummatum fuerit, manifestè suam nobis absurditatem proferat & ostendat.*

D. Chrys.

VII. Sed vlterius vide pauentem animũ. *Septuplum*, inquit, *vltio datur de Cain: de Lamech autè septuagies septies.* Quasi diceret: Caïn occisor Abelis septies, id est, grauiter pœnas luet: at verò Lamech occisor Caïni septuagies septies, id est, multò grauiùs punietur. Quid ais, ô Lamech? Occisor Caïni prædicitur à Deo septies tantùm puniendus: *Omnis*, inquit, *qui occiderit Cain, septuplum punietur.* Gen.4. n.15. Si igitur Caïnum occidisti, septies tantùm punieris, iuxta latam à Deo sententiam. Ergo, quid times, fore vt septuagies septies puniatis? Minor pœna tibi decernitur; quid maiorem formidas? O præsagã maioris mali conscientiam, quàm re ipsa patiatur! Septenis addicta flagris, adhuc vlterius septuagena perhorrescit. Optimè D.Chrys. cit. loco: *Peccator*, inquit, *habens acrem illum accusatorē, conscientiã, nunquàm sic in solitudine versatur, quin suspiciones timeat, vmbras tremiscat, & eos, qui conscij sunt, & qui non sunt. Perpetua in animo eius tempestas est, & reciprocantes ac contrarij fluctus. Insuper neque somnus ei suauis, sed terrore & formidine plenus; neque cibus voluptatem prebet; neque amicorum colloquia talem refocillare, vel liberare ab vrgente anxietate possunt: sed quasi carnificem circungestat, se lancinantem & flagellantem continuò: ita post absurdum facinus obambulat, nullo conscio, sustinens intolerabiles pœnas illas, & Iudex sui factus, & accusator.*

Mala cõscientia grauiora timet, quàm patiatur.

D. Chrys.

VIII. Hunc suæ conscientiæ cruciatum experiebatur Dauid, cùm in lacrymas fusus dicebat: *Peccatum meum contra me est semper.* Psalm. 50. n.5. Quasi neque dies, neque noctes à sui peccati formidine liberas traduceret; sed in perpetuo timore versaretur. Vnde D. Ambr. in Psal. 35. *Offenditur enim*, inquit, *nobis vltrix nostri imago peccati, nec quietum reum suum esse permittit, inferens miseram seruitutem; atque in sua vincula trahit, vt enodare se non queat; quoniam volens ipse se vendidit, cui liberum erat, delictorum æra non capere, & libertatem innocentiæ reseruare. Itaque cùm oramus, peccatum offunditur: vbi somnus sensum corporis laxauerit, peccatum recurrit. Semper nobis error noster, tanquàm malus exactor, occurrit, vel tanquàm improbus fænerator, conueniens debitorem.* Si igitur Dauid, qui pœnitentiæ lacrymis, tanquàm suauissimo vnguento suã conscientiam oblinere & demulcere cessabat; adhuc nihilominùs sui peccati stimulos & aculeos sentiebat: quid illi, qui exulceratam conscientiam nullo cælestis consolationis medicamine fouent, nullo pœnitentiæ fomento medicantur?

Dauid continuũ sui peccati tormentũ sentiebat.

D. Ambr.

Si Dauid pœnitens, quid impœnitètes?

IX. Saül olim de spelunca egrediens, tribus hominum millibus stipatus incedebat: & nihilominùs adotabundus ac precabundus Danidem penè solum ac fugitiuum sic implorabat: *Iura*, inquit, *mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei.* 1.Reg.24.n.22. Quid, quæso, potentem Regem tremefecit, ac planè impulit ad vnum militem profugum implorandum; nisi illa, quæ intus animum subigebat, conscientia: Nam vt bene Theod. q.56. ad eum locum: *Tanta*, inquit, *est vitij imbecillitas. Qui erat Dux & Imperator tam multorum militum, rogabat fugitiuum; & qui erat cum multitudine militum, rogabat eum, qui aufugiebat, vt ipsum impertiret benignitate ac clementia.* Quin etiam Dauid, qui ante adulterium, terrebat externos hostes; post adulterium, militem Vriam metuebat: vt videre est 2.Reg.11.à n.6. Vnde, quæso, iste timor? Rectè D.Chrysost. in Psal. 50. *Videte*, inquit, *& admiramini, Fratres, quantum mali sit, delictis obnoxium fieri. Rex militem timet, & formidat subditum: Imperator coronam e capite gestabat, & confusionis opprobria metuebat. Nonne tu Imperator? Nonne gladij potestatem habes? Habeo, inquit: sed conscientiam peccati mei timeo, formidinis matrem. O ignominiosa accusatrix!*

Saül mala conscientia turbatus Dauidem metuebat.

Theod.

Dauid ante peccatũ formidabilis, post peccatum militem Vriã formidabat.

D. Chrys.

X. Regem Achabum rapinæ feruientem Propheta Helias acriter reprehendit. Quid verò Rex? Pauens, ac tremens; *Num*, inquit, *inuenisti me inimicum tibi?* 3.Reg.21.n.20. Miratur hunc Regis pauorem D.Ambros. lib. De Naboth, c.12. *Quam misera*, inquit, *conscientia, quæ se proditam doluit! Rex erat Achab, & Rex Samariæ: Helias pauper, & indigens pane; cui victus defecisset substantia, nisi corui alimoniam ministrassent. Adeo tamē deiecta erat conscientia peccatoris; vt nec regalis potentia fastu attolleretur.* Quis potentior & arrogantior Nabuchodonosore? Sed cùm ex vno Daniele captiuo suorum scelerum pœnas audiuisset: *Cecidit*, inquit Textus, *in faciem suam, & Danielem adorauit.* Dan.2. n.46. Quem in locum Theodoret. *Considera*, inquit, *arrogantem illum insania morbo correptum; qui etiã Deum se esse existimauerat; qui omnes homines in suam ditionem redegerat; eò adductũ esse, vt captiuum adoret Iudæum, in mancipiorum ordinem redactum.* Quasi scelerum conscientia in timorem deiecisset eum Regem, quē paulò antè scelerum ignorantia in tumorem & superbiam erexisset.

Rex Achab sua terrente conscientia tremebat coram Helia.

D. Amb.

Nabuchodonosor perturbata cõscientia ad Danielis pedes abiecit.

Theod.

XI. Peccantes comparat Scriptura cum parturientibus. Nam de peccatore loquutus Iob c.15. n.35. *Concepit*, inquit, *dolorem, & peperit iniquitatem, & vterus eius praeparat dolos.* De iniquis Isaias c.59. n.4. *Conceperunt*, inquit, *dolorem, & pepererunt iniquitatem.* Tandem Dauid de impio: *Ecce*, inquit, *parturiit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Psal.7. n.15. Rationem huius loquutionis reddit D.Chrys. in Psal. citatum. *Quia quemadmodum*, inquit, *mulieres parturientes à doloribus discerpuntur: ita etiam, qui facit dolum, discerpitur, & non leui aliquo, sed vehementissimo dolore afficitur.* Et paulò pòst ostendens, non posse hunc dolorem deliniri: *Non interit*, inquit, *iudicium conscientiæ: est enim naturale, & à Deo insitum: etiamsi quis millies se ambitiose iactet, & glorietur, instat illud vociferans, castigans, condemnans: & nemo est eorum, qui viuunt in scelere, qui non innumerabiles dolores sustineat, & de malis consultans, & consilium exequens.*

Peccãtes doloribus parturientiũ discerpuntur.

D. Chrys.

XII. Ex quibus hoc discrimen colligitur; quòd mulieris dolor vehementissimus sit in partu; peccatoris, etiam ante patratum scelus, statim post cogitatum, seu conceptum. *Concepit*, inquit, *dolorem.* Et propterea prius dixit Dauid: *Ecce parturiit*, quàm *concepit*, vt notat D.Chrysostom. *Quia hic dolor*, inquit, *est à principio. Simul ac enim quisquam de malo consultauit, tumultus, ac turba est in cogitatione.* Testis Achab, qui etiamantequàm alienam vineam raperet, solùm cogitans de rapienda, cruciabatur. *Venit*, inquit, *in domum suam indignans, & frendens, & proiiciens se in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* 3.Reg.21. n.4. Vbi D.Chrysostomus citatus: *Considera*,

Mulier in partu, peccator etiã ante partũ, seu exequutionẽ peccati torquetur.

D.Chrys.

Achab cogitãs de peccato faciendo cruciabatur.

A *Confidera*, ioquit, *cùm ille vineam concupiſſet, quantum dolorem ſenſerit. Quoniam conſcientia non ferebat ſententiam, ingreſſus eſt triſtis, humi procumbens, confuſus, vel ipſo aſpectu præſeferens conſcientiæ condemnationem.*

XIII. *Mulier poſt partum lætatur; peccator poſt cõmiſſam culpã magis torquetur.* D. Chryſ. D. Ambr.

Adde & alterum diſcrimen. Nam *mulier*, inquit Chriſtus Dominus, *cùm pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium.* Ioan. 16. num. 21. At verò in dolore ex peccato longè aliter contingit, vt notat D. Chryſoſt. conc. 4. De Lazaro. *Nam peccatum*, inquit, *ſimul atque commiſſum eſt, tum demum, extincta voluptate, amarus pœnitentiæ ſtimulus ſuccedit, contrà quam accidere ſolet parturientibus*, &c. Et conſentit D. Ambr. lib. 2. De Abraham, c. 4. *Dum*, inquit, *in quadam ſumus delinquendi libidine; nebulis quibuſdam conſcientiæ* B *mens obducitur, ne videat eorum, quæ concupiſcit, deformitatem. Sed cũ omnis nebula tranſierit, grauia tormenta exercentur in quodam malè conſcij ſecretario.*

XIV. *Iudas faciliùs duxit patibulũ, quã conſcientiæ cruciatum.* D. Chryſ.

Cernere hoc eſt in Iuda proditore ſe poſt peccatum miſerabiliter ſuſpendente, Matth. 27. n. 5. De quo Diuus Chryſoſt. in Pſal. 7. *Cùm*, inquit, *non poſſet ferre iudicij conſcientiæ dolorem, adaptato ſibi laqueo, vitam finiuit.* Quaſi ſatiùs ſibi duceret, ruptis viſceribus, efflare animam; quàm incluſo in animo dolore, vitam propagare. Vnde fit, fraudes ac dolos, cæteráſque animi noxas, non ſolùm ſimiles eſſe fœtibus viperinis, vt ibi vult Diuus Chryſoſtomus; ſed etiam multò deteriores: nam hi vterum diſcerpunt, cùm naſcuntur; illæ verò etiam iam natæ conſcientiam la- C cerant ac diſrumpunt. Immò longo pòſt tempore, adhuc hærent altiùs in memoria, ſuos auctores perpetuò cruciaturæ. Quod luculentiſſimè demonſtrat Philo Hebræus in Flaccũ, dum in Inſula Andro, ſuorũ peccatorum terroribus agitatus exulauit. *Adeò*, inquit, *trepidabat, vt non aliter, quàm inſanus proſiliret, ac vltrò, citróque diſcurreret, manus complodens, femora percutiens, humi ſe affligens, & clamitans.* Et ſtatim longiſſimam referens eius orationem ſuas miſerias deplorantis, inter alia: *Interemi*, aiebat, *quoſdam; interimunt me alij: me conniuente, quidam lapidibus ſunt obruti, quidam viui combuſti, quidam raptati per medium forum, horum facinorum pœna me manent, & diræ iam ſtant, tanquàm in carceribus, vt* D *obice rupto properent in meam perniciem; immò iam in horas præmorior, multas mortes ſuſtinens ante illam vltimam.* Vbi latiſſimè ſpatiatur in exprimenda huius improbi quondam Præſidis, tunc exulis conſcientia, ſcelerum furiis deuota, & peccatorum aculeis cruentatã.

Peccata, peiora, quã fœtus viperini.

Philo. *Peccator præ dolore conſcientiæ lymphatus.*

XV. *Conſcientiæ ſtimuli in morte grauiores.*

Quòd ſi viuentes peccatores his conſcientiæ ſtimulis agitantur, quibus, quæſo, agitabuntur morientes? Moriturus olim Saül, vt citiùs occideretur, à milite quodam Amalecita poſtulauit: *Sta*, inquit, *ſuper me, & interfice me.* 2. Reg. 1. n. 9. Res planè mira. Nam Reges morituri ſibi diutiùs viuendi præſidia requirunt: cur igitur Saül remedium ſibi poſtulat citiùs moriendi? *Quoniam*, inquit, *tenent me anguſtiæ.* Ex Hebræo E legit Abulenſis: *Quoniam*, inquit, *tenent me ora veſtimenti ſacerdotalis.* Quaſi diceret: Recordor Sacerdotum, quos olim ſacerdotalibus veſtibus indutos interfeci. 1. Reg. 22. n. 18. eáque recordatione adeò excrucior, vt vita mihi amarior, quàm mors ipſa videatur. Sic exponit Abulenſis q. 5. ad eum locum: *Videbatur*, inquit, *ſibi Saül, quòd propinquus morti videret Sacerdotes Domini, accuſantes eum in iudicio coram Deo.* En vt conſcientiæ flagra diriora morientibus videantur, quàm enſis vulnera.

Abul. *Morituri præterita vitæ peccata obuerſantur, diriora, quàm vulnera.*

XVI. *Antiochus moriturus, conſcientiæ ſtimulis exulceratur.*

A Non aliter & Rex Antiochus morti proximus. *Vocauit*, inquit Textus, *omnes amicos ſuos, & dixit illis: Receſſit ſomnus ab oculis meis, & concidi, & corrui corde præ ſollicitudine; & dixi in corde meo: In quantam tribulationem deueni, & in quos fluctus triſtitiæ, in qua nunc ſum, qui iucundus eram, & dilectus in poteſtate mea?* 1. Machab. 6. num. 10. Quænam erat hæc triſtitia, quæ dormientem excitabat, & morientem obruebat? Subdit: *Nũc verò reminiſcor malorum, quæ feci in Hieruſalem*, &c. Ibid. n. 12. Quaſi diceret: meorum conſcientia peccatorum, meum mihi animum corrodit: dolores, quibus corpus moriturum affligitur, vix ſentio. Sed illos conſcientiæ cruciatus, quibus eliditur anima iam exhalanda, nequeo tolerare. Adeò B ſunt conſcientiæ dolores omnibus corporis doloribus diriores.

XVII. *Nihil magis in morte timendũ, quàm mala conſcientia.* Chald. D. Chryſ.

Vnde Dauid nihil magis in hora mortis, quàm hos conſcientiæ ſtimulos formidabat. *Cur*, inquit, *timebo in die mala?* Pſal. 48. n. 6. Seu, vt habet Chaldæus: *In die tempeſtatis*: hoc eſt, in die mortis. Subdit: *Iniquitas calcanei mei circundabit me.* Quaſi diceret; vt ibi notat D. Chryſ. *Vnum tantùm timebo, ne fortè vita mea iniquitas me circundet.* Nam ſicut in tempeſtate nihil magis terret naufragos, quàm vitæ iactura; ita & in morte nihil magis terret morituros, quàm vnius periculum conſcientiæ: leuis eſt humanæ felicitatis ruina, niſi æterna incurratur. Hic eſt maximus in morte cruciatus. Vnde iuſtos, inquit Sapiens c. 3. n. 1. C *Non tanget tormentum mortis.* Quia, licet multis ſæpe doloribus in morte crucientur: illo tamen conſcientiæ tormento, qui per antonomaſiam tormentum mortis dicitur, non tanguntur.

XVIII. *Mala cõſcientiæ cruciatus morte non finitur.* D. Bern.

Ad hæc illud accedit, quòd cæteri huius vitæ cruciatus, tandem morte finiuntur. At verò malæ conſcientiæ tormenta poſt mortem atrociora recrudeſcunt; &, quod peius eſt, in æternum perennabunt. Vnde D. Bernardus lib. 5. De conſideratione ad Eugenium, alludens ad eum locum: *Vermis eorum non morietur.* Iſai. 66. n. 24. *Hic eſt*, inquit, *vermis, qui non moritur, memoria præteritorum. Semel iniectus, vel potiùs innatus per peccatum, hæſit firmiter, ne vnquàm deinceps auellendus; nec ceſſat rodere conſcientiam, eáque paſtus, eſca vtique incon-* D *ſumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem viuacem. Horreo incidere in manus mortis viuentis, & vitæ morientis. Hæc eſt ſecunda mors, quæ nũquàm peroccidit, ſed ſemper occidit. Quis det illis ſemel mori, vt nõ moriantur in æternum? Quid niſi mortem mortis beneficio, aut finire, aut euadere volunt? Denique inuocabunt mortem, & non veniet.* Apoc. 9. n. 6. Hæc Bernard. Ex quibus patet, quàm miſera ſit malæ conſcientiæ carnificina.

XIX. *Inſenſibilis, quem mala conſcientia non cruciat.* Theod.

Quòd ſi quis peccator ſceleris conſcientia non mordetur; profectò de illorum numero eſt, qui, vt docet D. Paul. 1. Timot. 4. num. 2. *Cauteriatam habent conſcientiam*: hoc eſt, interprete Theodoreto, *extremum mentis ſtuporem.* De quibus eſt illud: *Percuſſiſti eos, & non doluerunt.* Ierem. E 5. num. 3. Quod ipſemet peccator impudenter confitetur: *Verberauerunt*, inquit, *me, ſed non dolui: traxerunt me, & ego non ſenſi.* Prouerb. 23. n. 35. Hæc eſt illa inſenſibilitas Eſaü: qui *comedit, & bibit, & abiit, paruipendens, quòd primogenita vendidiſſet.* Geneſ. 25. n. 34. Hic eſt ille ſtupor Balaami, qui aſinam humana voce loquentem intrepidus audiebat, Numer. 22. n. 28. tam familiaribus Dæmonum colloquiis, belluarum miniſterio editis, tanquàm veneficus vtebatur. Hæc eſt illa inuerecundia Iudæ proditoris, de quo D. Hieronymus ad illa verba Chriſti Domini: *Qui intingit*

D. Hier.

tingit mecum manum in paropside, &c. Matth.26. n.23. *Iudas, inquit, cæteris conuiuitatis, & retrahentibus manum, & interdicentibus cibos ori suo; temeritate & impudentia, qua proditurus erat, etiam manum cum magistro mittit in paropsidem; vt audacia bonam conscientiam mentiretur.* Itaque non propter innocentiam, sed propter impudentiam profligatissimi peccatores aliquando à conscientiæ terroribus liberantur.

X X. Quare tuta non est, sed insidiosa hæc tranquillitas. Vnde meritò dicitur peccator esse, *Sicut dormiens in medio mari; & quasi sopitus gubernator, amisso clauo.* Prouerb. 23. num. 34. Nam, sicut dormiens inter procellas propior est periculo, quàm vigilans: ita qui plagas conscientiæ non sentit, magis periclitatur, quam qui illas subinde experitur. Quare D. Hieronymus in epistola 1. ad Heliodorum: *Erras, inquit, Frater, erras; si putas vnquam Christianum persequutionem non pati. Tunc maximè oppugnaris, si te oppugnari nescis. Aduersarius noster, tanquam leo rugiens, circuit*, &c. *Et tu pacem putas? Insidiatur in occulto, sicut leo in spelunca sua insidiatur, vt rapiat pauperem: & tu frondosæ arboris tectus vmbraculo, molles somnos futurus prada carpis?* Et paulò pòst: *Licèt, inquit, in modum stagni fusum æquor arrideat; licèt vix summa iacentis elementi spiritu terga crispentur: intus inclusum est periculum; intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite, crux antenna figatur in frontibus: tranquillitas ista tempestas est.* Atque hæc de mala conscientia in Heli repræsentata.

Qui non deles conscientiæ plagas, periculo propior.

D. Hier.

Vbi maior tranquillitas, maior tempestas.

SECTIO III.

Bonæ conscientiæ tranquillitas.

I. VEnio ad bonam conscientiam, quæ veram tranquillitatem, ac securitatem præstitit Samueli intet acres minas dormienti. Rectè quidem Horatius 1. epistolarum, loquutus de bona conscientia, murum vocat:

Bona conscientia, murus. *Horat.*

Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

D.Bernard. Singulare plauè est illud oraculum Diui Bernardi lib. De interiori domo, c.23. quod posteà eisdem D fere verbis in lib. De conscientia, repetiuit; si eius *Hugo. Vict.* sunt hæc Opera; & quod totidem verbis Hugo *Præconia bonæ cõscientiæ.* Victor. lib.3. De Anima, c.11. transcripsit. *Conscientia, inquit, bona titulus est Religionis, templum Salomonis, ager benedictionis, hortus deliciarum, aureum reclinatorium, gaudium Angelorum, arcâ fœderis, thesaurus Regis, aula Dei, habitaculum Spiritus sancti, liber signatus & clausus, & in die iudicij aperiendus.* Ita ille eleganter.

I I. Sed, vt reliqua præconia, quæ accumulat, omittam; duo tantùm priora obiter expendo: *Titulus, inquit, est Religionis.* Nam, vt hæreditas, quæcunque sit, amittitur; nisi legitimus eius possidendæ titulus exhibeatur: ita & Religio deperditur, nisi bona conscientia conseruetur. At quid bonæ con- E scientiæ cum templo Salomonis? Certè non parum. Nam sicut in illo templo nulli malleorum ictus, nulli marmorum crepitus audiebantur, 3.Reg.6.num 7. ita in bona conscientia nullus peccatorum horror, nulla passionum tempestas, nullus metus, nulla anxietas tumultuatur. Vnde pergit D.Bernardus: *Nihil, inquit, est iucundius, nihil tutius, nihil ditius bonâ conscientiâ: premat corpus, trahat mundus, terreat Diabolus, illa erit secura. Bona conscientia secura erit, cùm corpus morietur: secura, cùm anima coram Deo præsentabitur:*

Cur bona cõscientia, titulus Religionis dicatur.

Cur templû Salomonis.

D.Bern. Iucunditas, & securitas bonæ conscientiæ.

A *secura, cùm vtrumque in die iudicij ante tribunal terrificum iusti Iudicis statuetur. Futura benedictionis nõ est vtilius remedium, nec certius testimonium bonâ conscientiâ. Cum Mundus omni volubilitate circumrotetur, ploret, rideat, pereat, transeat, nunquàm marcescit bona conscientia. Subijciatur corpus in pœna, in iniuriis maceretur, verberibus lanietur, equuleo distendatur, gladio trucidetur, crucis patibulo affigatur; secura erit conscientia.* Hactenus Bernardus. Et quidem huius bonæ conscientiæ securitatem eleganter expressit Paræmiastes, dicens: *secura mens, quasi iuge conuiuium.* Prou.15.n.15. si enim, dum conuiuium est, securitas est; qui iugiter conuiuantur, iugi securitate perfruuntur. Atqui bonam habentes conscientiam iugi virtutum epulo sagi-

B nantur. Vt enim D. Ambros. in Psal.45. *Quis, inquit, puritate & simplicitate pectoris dulcior fructus? Quis cibus suauior, quàm is, quem animus bene sibi conscij, & mens innocentur epulatur?*

En illud Dauidicum Psalm.67.n.14. *Si dormiatis inter medios cleros.* Hoc est: si quietam & pacatam conscientiam inter media pericula habeatis, cùm extremæ sortes de vita, ac salute vestra iaciuntur. Quid tandem erit? *Penna columbæ deargentata, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Quod dupliciter expono. Primò: Nullus pallor, nulla oris mutatio, nullum timoris indicium in fronte apparebit: sed potiùs argenteus quidam candor, & aureus quidam fulgor, internæ securitatis testis, & iudex, toto ex ore emicabit. Sic

III. *Non pallescit ore, qui bonã conscientiam conseruat corde.*

C olim Stephanus inter suos criminatores constitutus, non expalluit vt reus; sed vt Angelus fulgurauit. *Omnes, inquit Textus, qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.* Act.6. num. 15. Vt angelicus oris fulgor angelicam mentis puritatem inter tot calumnias testaretur. Secundò: Eritis velut columba Assyriorum, de quibus agitur in hoc Pslamo. Nam, vt Assyrij columbam, quam loco Numinis venerabantur, lædere non audebant, vt Crinitus lib. 24. De honesta disciplina, cap.2. testatur. Quò pertinet illud de Hebræis; *Auolabunt quasi aues ex Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum.* Oseæ 11. n. 11. Nam sicut aues in Deorum numerum relatæ, liberè & impunè volitare ab Ethnicis permittebantur: ita viri conscientiæ pace, tranquillitatéque fruentes, omnibus periculis & casibus altiores gradiuntur.

Omnia fugit pericula, qui bonâ retinet conscientiam.

Nec mirum, cùm in bona conscientia, tanquàm in arce munitissima cõmoretur ipse Deus, qui bellicos inde tumultus auertat, & hostilem insolentiam retundat, & internam animi pacem foueat, ac tueatur; iuxta illud: *Factus est in pace locus eius, & habitatio eius in Sion. Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium, & bellum.* Psal.75. num. 3. & 4. Quod quamuis literaliter intelligatur de templo Hierosolymis sito, eámque vrbem contra hostium incursus muniente: spiritualiter tamen intelligitur de ipso Deo, bonam conscientiam inhabitante, & contra diabolicas vires atque insidias protegente. Sic enim D. Ambros. lib. De Naboth, c.14. exponit: *Vbi, inquit, quietus affectus nullis diuersarum cupiditatum exagitatur fluctibus, nullis auaritia turbatur procellis, nullis quærendarum diuitiarum ignescit incendiis: ipse est, qui speculatur æterna, & habitat in Sion; confringens omnia spiritualium instrumenta bellorum; conterens arma, quibus Diabolus ignita diriges iacula, graues pectoribus hominum solet inurere passiones.* Quem ergo timeat bona conscientia, tanti Imperatoris munita præsidio? Fremant licèt hostes, circunstrepant arma, secura consistet.

IV. *Bona conscientia turris à Deo custodita.*

V. *Isaias bona conscientia fretus periculosæ legationi se offerebat.* D.Hier.

Celebris est illa quæstio, cur Isaias ad illustrem A legationem obeundam se obtulerit? *Ecce ego*, inquit, *mitte me*. Isai. 6. n. 8. Moyses verò à legatione non minùs illustri suscipienda se excusarit. Exod. 3. n. 11. & deinceps. Rem multipliciter versat ac definit D. Hieron. in epistola 142. ad Damasum, sub finem, ex quodam Rabbino, præceptore suo: Ac tandem accommodatè ad præsens institutum concludit. *Qui*, inquit, *assertor est Isaiæ, illa proferet, Prophetam, non tam sui merito, quàm misericordia Dei confisum, postquam à Seraphim audierat, Ecce tetigit hoc labia tua, & abstulit iniquitates tuas; otio noluisse torpere: sed vltrò in ministerium Dei, quasi à peccatis liberum, zelo se obtulisse fidei. Moysem verò, quia secularibus eruditus fuerat disciplinis; & interfecto Ægyptio, conscientia eius aliqua ex parte sorduerat:* B *vnde & vox ad eum de rubo facta sit, dicens: Ne accesseris huc: solue calceamenta de pedibus tuis: locus enim, in quo stas, terra sancta est: se excusasse.* Quasi mala conscientia, seu potiùs malæ conscientiæ leuis suspicio timidum faceret Moysen: bona verò conscientia Isaiam redderet confidentem.

Moyses bo. micidij conscientia tactus difficilē legationem formidabat.

VI. *Noë requies, quia extinctis per diluuium peccatis conscientia requieuit.*

Non sine mysterio est, quòd Lamech filium suum appellauerit, *Noe*, id est, Requiem, dicens: *Iste consolabitur nos ab operibus, & laboribus manuū nostrarum.* Gen. 5. n. 29. seu, vt transferunt Septuaginta: *Iste requiescere nos faciet ab operibus nostris.* At quæ fuit ista requies, & non potiùs pernicies: cùm sub Noë vniuersum hominum genus, effuso diluuio, interierit? Planè fuit requies, non corporum, sed conscientiarum. Nam etsi illata per C diluuium pœna defatigauit corpora; tamen ablata per idem diluuium culpa, exonerauit, & quietas reddidit conscientias. Vnde Diuus Ambros. lib. de Noë, c. 1. de hac requie loquutus: *Si ad ea*, inquit, *quæ facta sunt, referendum putes; cùm diluuium sub Noe factum sit, non requies hominibus, sed interitus videatur illatus; nec remissio malorum, sed cumulus miseriarum. Verùm, si iusti viri mentem consideres; aduertes, iustitiam solam esse, quæ nos requiescere facit ab operibus iniquitatis; quia dum ea, quæ iusta sunt, gerimus; nihil timemus pura conscientiæ securitate.* Quare, qui veram requiem Mundo intulit, conscientias à peccato expiando; licèt extrema pernicie Mundum labefecerit, corpora diluuij fluctibus obruendo; non immeritò debuit D Noë, id est, requies nuncupari. Sola enim vera requies illa est, qua bonam conscientiam habentes perfruuntur.

D.Ambr.

VII. *Bona cōscientia requies beatifica simillima.* D. Ambr. D. Bern.

Parum est, quietam possidere animam; possident & beatam, qui bona conscientia vtuntur. Vnde Diuus Ambros. lib. 2. offic. cap. 1. *Vitam*, inquit, *beatam efficiunt tranquillitas conscientiæ, & securitas innocentiæ.* Et quidem Diuus Bernard. sermon. De Magdalena, ostendens, omnia Mundi gaudia esse vana, inania ac fallacia; solum, quod ex bona conscientia hauritur, firmissimum esse, & beatifico simillimum testatur. *Absit*, inquit, *vt in terra suauiter viuentium, gaudiorum inueniatur materia; cùm tantis alternationibus tota Mundi facies immutetur. Sed est gaudium continua sibi iu-* E *cunditate firmissimum, quod perfectus animus de secura sibi conscientia pollicetur. Mens enim ab huius Mundi aspergine purè detersa, & in diuina contemplationis acumen, totum desiderij sui figens affectum, minas aspernatur, nescit timorem, spem falsam eludit, & omnium scandalorum immunis, in pace in id ipsum dormiens, requiescit.* Huius beatæ tranquillitatis causam reddens Hugo Victorinus lib. 3. De anima, c. 9. *Recta*, inquit, *conscientia tranquilla est; quia omnibus est dulcis, & nulli grauis; viens amico ad gratiam, inimico ad patientiam: cunctis ad beneuolentiam, & quibus potest ad beneficentiam.* Vnde sicut beata anima, ita & bona conscientia nullis externis aduersitatibus perturbatur.

Hugo Vict.

VIII. *Bona cōscientia speculum diuinæ imaginis.*

Pura igitur conscientia conseruetur, vt in ea creatrix imago resplendens perpetuam animo conferat felicitatem. Rectè illam cum speculo Hugo citatus cap. 11. comparauit. *Speculum*, inquit, *clarum & purum totius Religionis, bona conscientia. Sicut enim mulier, quæ viro suo placere desiderat, in contuitu speculi imaginem oppositam reddentis, decorem & pulchritudinem faciei componit: sic anima, in quibus ab imagine veritatis discedit, vel in quibus vestigia creatricis imaginis recipiat, in conscientia relegit, & intelligit.* Itaque dum anima conscientiam suam bonam intuetur, & in ea diuinam imaginem tanquàm in speculo relucentem speculatur; quandam in hac vita beatitudinem sortitur. Et sicut mala conscientia sibi infernus est; ita & bona Paradisus. Cauendum ergo, ne puritas bonæ conscientiæ diuinam nobis imaginem repræsentantis, infusis peccatorum sordibus, obstruatur: & si obstructa est, curandum, vt expurgetur. *Cuius rei typum*, inquit Diuus Dorotheus serm. 3. De conscientia, *gerebant putei, quos erուderant Iacob (vt Patres asseruère) & Philisthiim aggere oppleuerant.* Nam sicut Iacob, inquit ille, dicturus potius Isaac; curauit, vt putei, quos Philisthini ruderibus oppleuerant, explerentur. Genes. 26. n. 18. Ita iustis hominibus curandum est; vt conscientiæ, quas Dæmones, offusis scelerum maculis obruunt; & obscurant; ne diuina in illis resplendeat imago; magno studio exhauriantur, & expurgentur, vt pristino decori ac pulchritudini restitutæ, nobis quoddam exhibeant æternæ speculum felicitatis.

Speculū bonæ conscientiæ purū, ac tersum conseruandum. D.Doroth.

Conscientia putei Isaac.

SECTIO IV.

Tranquillæ conscientiæ exempla.

I. D.Hier. *Malchus inter extrema pericula conscientia muro tectus.*

Mirum est, quod narrat Diuus Hieronymus in vita Malchi, de ipso Malcho, eiúsque vxore. Erant honestissimi coniuges in faucibus cuiusdam speluncæ; in cuius interiori recessu rugiebant leones exertis vnguibus ad rapinam: & in cuius exteriori vestibulo fremebant, & sæuiebant homines districtis ensibus ad lanienam. Quid verò illi? *Inter tot pericula*, inquit Diuus Hieronymus, *pudicitiæ tantùm conscientia pro muro septi, euentum rei præstolabantur.* Et quidem bona eos conscientia ab vtroque periculo expediuit; leonibus in hostes sæuientibus, & vtrique coniugi parcentibus.

II. D. Hier. *Mulieri Vercellensi bona conscientia inter tormēta securam præstat.*

Mirabilius est, quod idem Diuus Hieronymus epist. 49. ad Innocentium, narrat de muliere Vercellensi, quam maritus innoxiam detulerat adulterij. Nam cùm ad peccatum confitendum duris quæstionibus vrgeretur; flamma corpus exurente, & ferro excarnificante, suam semper innocentiam constantissima defendit: *Et à dolore corporis*, inquit D. Hieronym. *spiritu separato, dum conscientia bono fruitur, vetuit circa se sæuire tormenta.* Tandem ad extremum supplicium elata, sæpiùs à tortore percutitur, nunquam iugulatur: mucrone circa ceruicem innoxiam languente. *Itaque furens, & anhelans lictor*, addit Hieron. *paludamento in ceruicem retorto, dum totas expedit vires: fibulam quæ chlamydis mordebat oras, in humum excussit, ignarúsque rei ensem librabat in vulnus. En tibi, ait mulier, ex humero aurū ruit: collige, multo quæsitum labore ne pereat. Proh! rogo, quæ est ista securitas?*

ritas? Impendentem non timet mortem; lætatur percussa, carnifex pallet: oculi gladium non videntes, fibulam vincunt. Et ne parum esset, quòd non formidabat interitum, præstat beneficium sentienti. Denique bona conscientia plusquam septemplice clypeo armata sic stetit, vt cōtra minaces ictus impetuia atq; impenetrabilis videretur. Nihil ergo timeat, quisquis bonæ conscientiæ clypeo muniatur.

III. *David inter pericula bona conscientia securus.*

Quid, quæso, Dauidem humana ope destitutum in difficillimis congressibus cum Saüle, nisi bona conscientia roborauit? *Loquebar*, inquit, *de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar.* Psal. 118. n. 46. Quid eundem regiis insignibus ornatum à facie vnius Absalonis, nisi mala conscientia tremefecit? vt patet ex 2. Reg. cap. 15. à n. 14. Vnde Theodoretus in Psal. citatum: *Vita*, inquit, *secundùm legem acta fiduciam affert. Et huius rei testis est magnus David. Nam ante peccatum cum multa fiducia cum Saüle sermocinabatur; post peccatum parricidam fugitans filium, prospiciens in terram, capútque operiens ambulabat.* Sic praua conscientia fortem alioqui, & strenuum Regem suis viribus eneruat, & exarmat: bona verò etiam infirmum & imbecillum, maiori securitate, quàm humana præsidia præstare possint, roborat & confirmat.

Theod.

IV. *Iacob ex prouidētia vigilans, ex bona conscientia dormiens.*

Mirari satis nequeo, naturam illius timoris, quo affligebatur Iacob, fratri suo Esaü obuiā processurus. Nā, timuit valdè, & perterritus diuisit populum, qui secum erat, Gen. 32. n. 7. quo pacto subditur, n. 21. *Ipse verò mansit nocte illa in castris?* seu, vt est in Græco Hebræóque autographo: *Ipse verò dormiuit nocte illa in castris?* Nam timor vigiliam inducit, nō conciliat soporem. Sed mirari desino: quia ille timor non fuit conscientiæ, sed prouidentiæ. Vnde postquàm Iacob suæ familiæ diligentissimè prouidit, præmissis muneribus ad placandum Esaü, & partito suæ Gentis agmine, ne vnico pariter exitio vtrunque inuolueretur: postquàm, inquam, prouidentiæ partes egit; tunc sua conscientia securus totam noctem edormiuit. Nā, vt bene D. Ambr. lib. 2. De Iacob & vita beata, c. 6. *Perfecta*, inquit, *virtus habet mentis tranquillitatem, & stabilitatem. Perfectorum est enim non facilè mundanis moueri, non turbari metu, non exagitari suspicione, non terrore concuti, non dolore vexari: sed quasi in littore tutissimo aduersus insurgentes fluctus secularium procellarum mentem immobilē fida statione placidare.*

D. Amb.

V. *Aliena conscientia mala turbat, bona tranquillat.*

Neque solùm propria, sed etiam aliena conscientia, si mala est, terret: si bona, tranquillat & serenat. Quem non timebat Iacob, cùm ad filios dicebat: *Turbastis me, & odiosum me fecistis Chananæis, & Pheresæis, habitatoribus terræ huius. Nos pauci sumus, illi congregati percutient me.* Gen. 34. n. 30. Sed cōtra hos terrores vna illi superesse videbatur sacra anchora; optima suorū familiariū cōsciētia. Ad hanc ergo confugiēdum iubet: *Abiicite*, inquit, *Deos alienos, qui in medio vestri sunt: & mundamini, ac mutate vestimenta vestra: surgite, & ascendamus Bethel, vt faciamus ibi altare Deo.* Gen. 35. n. 2. His ita constitutis, quid deinde factū? Ecce tibi Iacob timere desinit, timeri incipit. Subditur enim statim: *Cumq; profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates; & non sunt ausi persequi recedentes.* Ibid. n. 5. Vnde tam subita mutatio? Inde planè, quòd Iacob anteà, vt Rupert. lib. 8. c. 12. obseruat, non tam propter externos hostes, quàm propter alienos Deos, & internas suorum culpas turbabatur: posteà verò eiectis Diis, & subter terebinthum defossis, conscientiísque suorum ritè expiatis, ingentes animos capiebat. Ac si mala suorum conscientia sanctissimum Patriarcham exanimaret: bona verò, contra omnes hostium vires firmissimè præmuniret.

Ruper.

VI. *Inter maiora pericula maior bona conscientia tranquillitas.*

Adde, quò maiora ingruūt pericula, eò bonam conscientiam confidentius tranquillari. Ingressuri olim Iosue & reliqui filij Israel terrā Promissionis, *venerunt ad Iordanem, & morati sunt ibi per tres dies.* Ios. 3. n. 1. Quorsum fuit hæc mora triduana in ripis fluminis, antequàm Iordanem transuadarēt? Responderi potest ex his, quæ docet Abul. q. 2. & 3. ad eum locum, vt fluuium per eos dies intumescētem, antequàm ingrederentur, spectarēt; & quò maiorē difficultatem in superando alueo inuenirent, eò maiorem fidem & spem de potentia diuina posteà ostendēda conciperent, mundóq; manifestarent. At quid egerūt toto illo triduo Israelitæ? *Morati sunt ibi*, inquit vulgata: neque ampliùs quidquam explicat. Hebræa tamen habet: *Dormierunt ibi per tres dies.* Non sine mysterio, vt credo: quia tam pacato ac trāquillato animo spectabant fluctus illos in immēsam altitudinem excrescentes, vt nullo modo vigilare, sed planè dormire viderētur: neque enim minax vnda sollicitare poterat, quos bona conscientia, ac de Deo bene sperās serenabat. Hinc Dauid, cùm à Saöle grauiter premeretur: *Super aqua*, inquit, *refectionis educauit me.* Psalm. 22. n. 2. Ex Hebræo legi potest: *Super aquam requietum*, seu, *consolationum.* Quia inter extrema pericula constitutus, bonæ tamen conscientiæ patrocinio munitus, in summa tranquillitate & quiete positus sibi videbatur. Vnde Amb. in Psal. 36. *Hæc refectio*, inquit, *spiritualis est: hæc refectio requies est mentis internæ.* Neque enim Dauid iuxta Ambrosium de externa corporis refectione, sed de interna conscientiæ pace, quæ reuerà animum reficit ac sustentat, loquebatur.

Abul.

Bona conscientia Dauidem inter magna discrimina trāquillabat.

D. Ambr.

VII. *D. Petrus flagellādus dormiebat, vt se intrepidū ad futura supplicia ostēderet: D. Paulus flagellatus vigilabat, vt se gratum pro præteritis indicaret.*

Erat olim D. Petrus in carcere inter duos milites cōstitutus, vinctus catenis duabus, postero die ad extremum supplicium offerēdus: nihilominùs tam arctè dormiebat, vt neque ad ingressum, neq; ad vocatum, neque ad fulgorem Angeli euigilaret; sed tandē opus fuerit, vt percusso latere è somno excitaretur. Act. 12. à n. 5. At verò D. Paulus & Silas in Macedonia comprehensi, datíque in custodiam, & ad lignum, vt mos erat, alligati, media nocte orantes, & laudantes Deum vigilabant. Act. 16. à n. 23. Cur, quæso, tā dissimiles actiones ex tam similibus mentibus oriuntur? Non difficilis quidem discriminis ratio eruetur, si Litera vtriusque loci diligenter expēdatur. Nam D. Paulus & Silas missi sunt in carcerem iam flagellati: *Iusserunt*, inquit Textus, *eos virgis cædi; & cùm multas plagas eis imposuissent, miserunt eos in carcerem.* Act. 16. n. 23. iam citato. At verò D. Petrus missus est in carcerem posteà flagellādus, seu potiùs crucifigendus. *Cùm autem*, inquit Textus, *producturus eum esset Herodes*: scilicet ad patibulum. Act. 12. n. 6. Itaque D. Paulus sua iam supplicia superauerat: D. autem Petrus sua adhuc expectabat toleranda. Vt igitur D. Paulus gratum se ostenderet pro suppliciis, tanquàm pro beneficiis susceptis, media nocte Deum laudans vigilabat: at verò D. Petrus, vt se intrepidum ostenderet pro suscipiendis, iactans sui curam in Deum, tota nocte dormiebat. Ita mihi videtur, hanc quæstionem diremisse D. Chrysost. hom. 8. in epist. ad Ephesios: *Hi*, inquit, (nēpe Paulus & Silas) *vigilabāt, & hymnos canebāt, quoniā iam flagris cæsi fuerant, & totū eorū negotium confectū erat: Petrum verò futuri expectatio cōturbare poterat; & ideò dormit corpore, corde ad Deū vigilat.* Tantùm enim abest, vt imminēs periculum excitet, sollicitétque eū, qui bona fruitur conscientia; vt potiùs eum pacare & tranquillare videatur.

D. Chrys.

VIII. *Christus inter procellas dormiebat, in typum bonæ conscientiæ inter pericula quiescentis.* Theoph. Barrad. D.Bern. D.Ambr.

Ascendente Christo Domino in nauim, facta est procella magna. *Et erat ipse in puppi super ceruical dormiens.* Marc.4.n.38. Quid est, super ceruical? Adeone molles ac delicatos cubitus diligebat, qui viuendi temperantiam & austeritatem prædicabat? Euthymius & Theophylactus, vt ab hoc se dubio expediant, non lineum fuisse illud ceruical, sed ligneum contendunt. Verùm, quia parum illis fauet Græcum exemplar, vbi est nomeo, προσκεφάλαιον, quod propriè significat puluinar capiti supponi solitum; potiùs secundùm mysterium res definiatur. Nam, vt Barrad.tom.1.lib.5.cap.16. rectè obseruat, puluinar illud molle & blandum bonam conscientiam repræsentat, in qua dum vir probus requiescit, quantomuis pericula vrgeant & circumstrepent, non turbatur: quemadmodum & *lectulus floridus* sponsæ, Cant.1.n.16. bonæ conscientiæ typus est, interprete D.Ber.ser.47.in Cant. *Lectulus*, inquit, *respersus floribus bona conscientia est, bonis referta operibus.* Hoc igitur mollissimo in lecto ita vir probus consopitur: vt quamuis acres existant turbines, & validæ sæuiant procellæ, nullo timore quatiatur. Vnde D. Ambros. lib. 5. epist. 32. *Didicimus*, inquit, *Christi seruuli non timere: non timentibus nunquam est grauis terror.* Quasi dominum securus, magistrum discipulus imitetur: & sicut illum infinita potentia, ita & hunc bona conscientia interritum efficiat inter terrores.

IX. *Ezechias bona conscientiæ recordatione, mortis timorem fugiebat.* D. Chrys. D. Bernard. *Conscientia potiùs, quàm scientia requirenda.*

Quare Ezechias, cùm omniũ terribilium terribilissima mors illi ante oculos versaretur; ad tutissimum bonæ conscientiæ asylum se recepit. *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto; & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Isai. 38. num. 3. In quem locum D. Chrysost. hom. 55. in Matthæum. *Non*, inquit, *mensa deliciarum plena recordabatur, non eximiæ gloriæ; sed iustæ ac rectæ conscientiæ.* Nam, vt bene notat idem D. Chrysostomus in illud Apostoli: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ.* 2. Corinth. 1. n. 12. *Bona conscientia non solùm sufficit ad solatium, sed etiam ad coronam.* Cùm igitur tãtam securitatem præstet bona conscientia, meritò indignatur D. Bernardus lib. De interiori domo, c. 21. in eos, qui illi non student. *Multi*, inquit, *quærunt scientiam: pauci verò conscientiam. Si tanto studio quæreretur conscientia, quanto quæritur scientia; & citiùs apprehenderetur, & vtiliùs retineretur.* Vbi plura de hac re. Quæ totidem verbis inuenies apud Hugonem Victorinum lib. 3. De Anima, cap. 10.

ANNOTATIO V.
CIRCA LITERAM.

Prudentia in iunioribus etiam, & rudioribus interrogandis commendatur.

I. *Prudentia, & humilitas Sacerdotis Heli in puero Samuele interrogando.*



Primum de hac re exemplum præbebit Heli, qui Pótifex, & senex septuagenarius, vel octogenarius, simplicem Leuitam, & puerũ duodennem interrogauit, vt iam in Litera aduerti. Et quamuis senẽ ad interrogandũ puerum impulerit; partim insita à natura cupiditas sciendi, quæ ad ipsum pertinebant; partim impressa à Deo voluntas interrogandi, quæ ignorabat, vt ex dictis in Literam iam constat; tamẽ ipsa quoque senis prudentia, & humilitas, eum prona A ac facilem reddebant, ad vestiganda, discendáque etiam ex puero, quæcunque scire oportebat. Quare hanc eius prudentiam exemplis vndique desumptis vberiùs illustremus.

SECTIO I.

Præcipua huius prudentiæ exempla à Deo, Christo Domino, beata Virgine, & Angelis desumpta.

II. *Deus sæpè dicitur interrogare.* *Interrogat Deus, quæ cognoscit; ne homines interrogare erubescant, quæ ignorant.*

Vt quisque sapientissimus est, ita facillimum se præbere debet ad interroganda, quæ ignorat. B Quis Deo sapientior? Et tamen sæpè dicitur in sacris Literis interrogasse. Nam interrogauit Adamum, vbi esset? Gen.3. num.9. Cainum, vbi esset frater eius Abel? Gen.4.n.9. Abrahamũ, vbi esset vxor eius Sara? Gen.18.n.9. Moysem, quid teneret in manu? Exod.4.n.2. Isaiam, quem mitteret? Isai.6.n.8. Ieremiam, quid videret? Ier. 1. num. 11. Heliam, quid ageret? 3.Reg.19.n.10. Diabolum, vnde veniret? Iob.1.n.7. Ac tandem in quo deciperet Regem Achab? 3.Reg.22.n.21. Et passim alibi. Cur, quæso, interrogat, quæ optimè cognoscit? Illa mihi ratio videtur optima, omnibus locis citatis, & aliis, quæ citari poterant, communis; vt interim alias omittam, quas Interpretes assignant aliis aliis locis congruentes; ne homines interrogare erubescant, quæ ignorant. Nam, si C Deus scientiarum Dominus, etiam quæ notissima & exploratissima habet, interrogare non dubitat; quis nos inurbanus & subrusticus pudor ab interrogandis, quæ ignoramus, auocabit?

III. *Christus Dominus ignorantiam, quã non habebat, simulauit; ne homines, quã habebant, dissimularẽt.* D. Amb. *Christi Domini erga suos beneuolentia.*

Quid verò Æterna Sapientia Christus Dominus? Non solùm frequenter interrogabat; vt euangelicam historiam consulenti facilè patebit: sed etiam palàm fatebatur, se ignorare. Nam Apostolis extremum iudicij diem scire cupientibus, respondit: *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* Mar.13.n.32. Quo autem iure diem vnum ignorare poterat ille, in quo thesauri scientiæ & sapientiæ Dei cõtinebantur? Scio, D.Ambr. libr.5. De fide, c.8. eximiã D Christi Domini erga suos discipulos beneuolẽtiã ex hoc loco collegisse: qui, ne id quod petebant Apostoli, negaret; potiùs dicere voluit, se ignorare. *Maluit*, inquit, *Dominus nimio in discipulos amore propensus videri ignorare, quod nouerat; quàm negare.* Sed illud est ad rem præsentem, voluisse Christum Dominum aliquam simulare ignorantiam, quam non habebat; ne homines, quam habebant, manifestare erubescerent. Nam, vt D. Ambros. citatus subdit de Christo Domino: *Plus amat nostram vtilitatem instruere, quàm suam potentiam demonstrare.*

IV. *B. Virgo studiosissimè discebat à pastoribus.* D. Ansel.

Cum filij prudentia, & humilitate coninngamus & matris: quæ & ab Angelis, & à diuino Spiritu, & ab ipso filio edocta; quippe quæ studiosiùs, E quã Magdalena, *Sedens secus pedes Domini audiebat verba illius.* Luc. 10. n. 39. tantam in scientiã & sapientiam excreuit; vt mirabilis fit illa Diui Anselmi consequutio in homil. super illud: *Intrauit Iesus in quoddam castellum.* Luc.10. quæ in tertio eius tomo habetur. *Quid*, inquit, *de Deo non sapiebat, in qua sapientia Dei latebat; & in cuius vtero corpus sibi aptabat?* Et statim syllogisticè ratiocinatus: *Christus est*, inquit, *vt ait Apostolus, Dei virtus, & Dei sapientia.* 1. Corinth. 1. num. 24. *Et in eo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi.* Colos. 2. n.3. *Christus autem in Maria*

Ergo

Ergo Dei virtus, & Dei sapientia, & omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ in Maria. Et nihilominùs, cùm tam sublimibus & cælestibus è fontibus suam sapientiam hauriret; nequaquam dubitauit, humiliores riuulos indagare, & pastores Bethlehemiticos consulere, & audire, conseruatéque omnia verba illorum, *Conferens in corde suo.* Luc. 2. n. 19.

D. Ambr.

Quod expendens D. Ambros. lib. 2. in Luc. *A pastoribus*, inquit, *etiam Maria fidem colligit.* Et post pauca: *Si Maria*, inquit, *à pastoribus discit; cur tu declinas discere à Sacerdotibus? Si Maria ante præcepta apostolica tacet; cur tu post apostolica præcepta magis cupis docere, quàm discere?*

V.

Angeli superiores se mutuò interrogant.

Iam verò Angeli superiores, qui perfectissima rerum naturalium & supernaturalium sapientia fruuntur; cùm à solo Deo illustrentur, nihilominùs se mutuò interrogare & consulere dicuntur: *Quis*, inquiunt ad inuicem, *est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ?* Isai. 63. n. 1.

D. Dionys. Areop.

In quem locum D. Dion. Areop. De cælesti Hierarchia, c. 7. angelicam ad interrogandum facilitatem admiratur. *Dignum*, inquit, *miraculo est, cur primæ illæ virtutes angelicæ, quæ cæteras diuinarum intelligentias rerum tanto celsitudinis honore transcendunt, quasi non summæ, sed mediæ sint, à Deo mediatè & reuerenter discere cupiant. Non enim ad ipsum statim verba dirigunt interrogantes: Quare rubra sunt vestimenta tua? Sed priùs inter se hærentes inquirunt: Quis est iste, qui venit de Edom? Vt ostendant quidem se discendi auidas, & diuini operis scientiam cupere: verùm hanc sibi nequaquam ante diuinæ illustrationis gratiam suo ordine procedentis vsurpare præsumere.* Vbi vides, Angelos non solùm se faciles præbuisse ad interrogandum communem omnium illustratorem & præceptorem Deum; sed etiam ad alios sibi æquales, & fortasse inferiores, consulendos: immò priùs hos riuulos, quàm illum fontem adiisse; vt non tam altè, quàm humiliter velle sapere viderentur.

VI.

Angeli etiam ex hominibus didicerunt.

D. Chrys.

Nec mirum Angelos ex Angelis didicisse, qui etiam ex hominibus didicerunt. Angelus cum Iacobo luctatus ad eundem Iacobum: *Quod*, inquit, *nomen est tibi?* Gen. 32. num. 27. Vbi D. Chrys. hom. 58. *Vide*, inquit, *quantùm se humiliet, & attemperet. Nam, si non interrogasset, nesciuisset iste nomen?* Quasi diceret: Minimè. Humilitas ergo fuit, quæ illum scientem ad interrogandum impulit. Quanto igitur magis illum impelleret nescientem? Tales se habuerunt reliqui Angeli; qui illa, quæ ignorabant, ex hominibus discere non dubitarunt: iuxta illud Apostoli: *Mihi*, inquit, *omnium Sanctorum minimo, data est gratia hæc in Gentibus euangelizare inuestigabiles diuitias Christi; vt innotescat principatibus, & potestatibus in cælestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* Eph. 3. n. 7.

Theod.

Nam, vt ibi Theod. *Ne potestates quidem sciebant mysterium: sed per dispensationem, quæ est in Ecclesia, ineffabilem Dei sapientiam didicerunt.* Et sic alij Patres & Interpretes loquuntur.

Quo pacto Angeli ex Apostolis didicerint.

Suar.

Sed quamuis Angeli ante prædicationem Apostolorum mysterium Incarnationis quoad substantiam non ignorarint; aliquos tamen eius fructus, effectus, & circunstantias ignorare potuerunt; de quibus posteà per Apostolorum prædicationem certi redderentur, vt Suar. in tom. De Angelis, lib. 5. cap. 6. à n. 20. latiùs ostendit. Nec erubuerunt ex humana prædicatione sibi innotuisse, quæ ignorabant.

VII.

Lucifer discere nolens, stultuit.

Hanc sciendi modestiam, si Lucifer tenuisset, à sua scientia in stultitiam nunquam degenerasset: vt planè degenerauit; iuxta illud: *In Angelis suis reperit prauitatem.* Iob. 4. n. 18. Seu, vt est in

A Hebræo: *In Angelis suis posuit stultitiam.* Stultus enim efficitur, qui discendo sapientior fieri non conatur. Vnde ad hanc eius stultam sapientiam respexit Deus, dicens: *Perdidi te, ô Cherub, protegens de medio lapidum ignitorum.* Ezech. 28. n. 16. Cur enim non dicitur potiùs Seraph, id est, flagrans diuino amore, quàm Cherub, id est, plenus scientia: cùm reuera probabilius sit inter Patres ac Theologos, Luciferum potiùs de seraphico, quàm de cherubico ordine fuisse: vt Suar. tom. cit. lib. 7. c. 16. à n. 8. vberiùs confirmat? Respondet Carthusianus super Areopagitam in c. 10. cælestis Hierarchiæ, art. 5. *Vt insinuetur*, inquit, *quid fuerit ei incitamentum ambitionis, & lapsus; quod fuit excellentia suæ scientiæ, non diuini amoris.*

Lucifer de seraphico ordine.

Suar.

Dion.

Sua eum perdidit scientia nolentem discere.

Nam, sicut alij diB uina Christi Domini mysteria, saltem quoad circunstantias prædictas, interrogando ac discendo, profecerunt: ita hic, eiúsque asseclæ, negligendo & ignorando à cælesti patria exularunt. Si igitur & Angeli boni, & ipsa Angelorum Regina Dei Mater, & vnus ille supremi consilij Angelus Christus Dominus; ac denique ipse Angelorum conditor, & parens Deus, consulunt, & interrogant, quæ non ignorant: quis inurbanus pudor ab interrogandis etiam rudioribus homines retardabit? Homines igitur, necesse est, vt præcipuo discendi, interrogandíque studio teneantur; vt deinceps illustrabo.

Ab exemplis conuincitur superbia hominum discere nolentium.

C

SECTIO II.

Plura eiusdem prudentiæ exempla ex diuinis Literis deprompta.

I.

Imprudens discendi pudor.

EXtremæ imprudentiæ est, suam imprudentiam, discendo interrogandóque, nolle exuere. Erubescendus ille pudor, quo quis iuniores, rudioréśve consulere & interrogare erubescit: in quem proinde profanus quoque inuehitur Poëta, dicens:

Cur nescire pudens prauè, quàm discere malo? Horatius.

Obscuritas Scripturæ, vt sit discendi humilitas.

D. Iren.

Auct. Oper. imp.

Quare nulli pudori, laborique parcendum est, vt suam quisque exuat ignorantiam, & perfectam rerum notitiam discendo consequatur. Diuinas D literas adeò obscuras voluit esse Deus; vt per librum septem sigillis signatum, Apoc. 5. num. 1. communiter intelligantur. Quorsum verò hæc obscuritas? Respondet D. Irenæus lib. 2. aduersùs hæreses, c. 47. *Vt semper*, inquit, *Deus doceat; homo autem semper discat, quæ sunt à Deo.* Tantùm momenti in docendi discendíque studio positum esse iudicauit. Addit Auctor Operis imperfecti in Matth. hom. 44. *Quia Deus*, inquit, *etiam ex hominibus, alios voluit esse Doctores, alios discipulos.* Neque enim homines solùm ex Deo, sed etiam alios ex aliis discere oportebat. Adeò necessaria sunt inter homines docendi & discendi munera, interrogandi respondendíque commercia; vt inE ter eos mutua charitas, & humilitas conseruetur.

D. Hier.

Mysteria Scripturarum, vincula.

Vnde D. Hieronymus in epist. 127. ad Fabiolam, de quadragintaduabus mansionibus; loquutus de vigesimaseptima mansione, *Moseroth*, qui locus *vincula*, seu *disciplinas* sonat: *Festino*, inquit, *gradu pergamus ad magistros, & eorum teramus limina & præcepta virtutum, ac mysteria Scripturarum, vincula putemus æterna.* Scilicet, quibus effrænes appetitus vinciantur, & implacabiles Dæmonum vires edomentur.

II.

Christum Dominum obscurè & parabolicè ad turbas loquentem, adierunt discipuli, interrogan-

Soli Apostolis doceatur; quia soli desiderant. *Theoph.*

tes, cur in parabolis loqueretur? Quibus ille: *Vobis*, inquit, *datum est nosse mysteria regni cælorum: illis autem non est datum.* Matth. 13. n. 11. Sed cur Apostolis potius, quàm turbis, illarum parabolarum intelligentia communicabatur? Respondet Theoph. ad eum locum: quia soli Apostoli studiū, & alacritatem interrogandi adhibebant. *Ille enim accipit, qui quærit: ideòque discipuli soli, qui interrogauerant, acceperunt.* Quasi sola interrogandi via ad arcem sapientiæ rectà contendat, & hoc solum studium sit pretium, quo sapientiæ thesaurus comparetur. Vnde quisquis illiberali inciuilique pudore impeditus à discendo retardatur: is planè, quæ scire oportebat, ignorando, efficitur erubescendus.

III. *Eunuchus ob discendi studium dicitur vir.* *D. Hier.*

Eunuchus ille Reginæ Candaces, quamuis nihil minùs, quàm viri nomen ex natura sua eurata mereretur, tamen Act. 8. n. 27. *Vir Æthiops* appellatur. Rationem quidem D. Hieronymus in epist. 103. ad Paulinū, illam esse significat, quòd discendi audiendique studio incensus, suam ignorantiam palam fateretur. *Tantus*, inquit, *amator legis, diuinæq; scientiæ fuit; vt etiam in vehiculo legeret Literas sacras.* Et tamen interrogatus à Philippo, an Prophetam Isaiam, quem legeret, intelligeret? Respondit: *Et quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi?* Ibidem, n. 31. Et statim doceri postulauit. Cuius humilitatis merito, vt notat D. Hieronymus: *Eadem hora credit, & baptizatur, & fidelis, & sanctus factus est; ac de discipulo magister plus in deserto fonte Ecclesiæ, quàm in aurato Synagogæ templo reperit.*

IV. *D. Chrys. Studiositas Eunuchi etiā in curru legentis.*

Eandem huius Eunuchi & studiositatem, & humilitatem non mediocriter commendat D. Chrysost. hom. 35. in Gen. studiositatem quidem, quia reuertebatur in domum suam, *Sedens super currum suum, legénsque Isaiam Prophetam.* Vbi suprà num. 28. *Audiant exemplum*, inquit Chrysostomus, *qui neque domi vt hoc faciant, persuaderi possunt. Ecce hic, Eunuchus & barbarus erat, quæ vtraque ad reddendum negligentiorem sufficiebant; & ad hæc dignitatis amplitudo & opum abundantia. Adde quòd & in itinere erat, & curru ferebatur. Hoc enim modò iter facienti, non est facile lectioni esse attentum; immò valdè molestum: attamen desiderium, & ingens studium, omnia obstacula è medio auferens, in lectione retinebat.* En studiositas. At humilitas non minor. *Quomodo*, inquit, *possum intelligere, nisi aliquis ostenderit mihi?* Quod rursum D. Chrysostomus expendens: *Non*, inquit, *egrè tulit, nec indignatus est, neque se contumelia affici existimauit, quod plerisque insulsis accidit, quos pudet ignorantiam suam confiteri, & ab iis discere, qui docere valeant; & frequenter malunt in perpetua versari ignorantia.* Non sic ille Eunuchus: *Curru vectus eum, qui vilis videbatur, & ex vestitu facilè contemptibilis, rogauit*, &c. Tanto discendi studio tenebatur, vt etiam vili contemptibilique magistro se traderet imbuendum. Consule eundem D. Chrys. conc. 3. de Lazaro, eadem ferè replicantem. Ex quibus vides, interrogandi munus puerile non esse, sed virile; nec pudorem afferre, sed decorem.

Humilitas Eunuchi sed ignorantiam fatentis, ac discere expetentis.

V. *D. Cyril. Philippus inter Apostolos rudior à Christo interrogatur.* *Exemplum interrogandi etiam rudiores.*

Ex duodecim Apostolis vnum Philippum, rudiorem hebetioremque fuisse, credit & probat D. Cyrillus Alex. lib. 3. in Ioan. c. 13. eò quòd multo tempore Saluatorem sequutus, nondum eum cognouisset. *Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis me?* Ioan. 14. num. 9. Et nihilominùs Christus Dominus, cæteris omissis, consuluit Philippum, dicens: *Vnde ememus panes, vt manducent hi?* Ioan. 6. num. 5. Cur hunc potiùs, quàm quemuis alium interrogauit? Dicet aliquis, vt consulendo rudiorem,

A maius nobis relinqueret suæ humilitatis exemplum, & efficacius nobis persuaderet, vt etiam rudiores & imperitiores consultum adiremus. Fateor, ita est. Sed vlterius addit Cyrillus: *Quia libenter*, inquit, *Philippus discebat, quærebátque sæpius.* Quasi diceret: Quia Christum Dominum consulebat, à Christo Domino consulebatur. Qui enim interrogando bonum se discipulum præstiterit, bonus docendo magister efficietur.

Diligens discipulus honoratur à Christo, & magister constituitur.

VI. *Magister non desinat esse discipulus.*

Immò iam magister constitutus, non desinat esse discipulus. Nam D. Paulus postquam 1. Timot. 3. n. 2. dixit: *Oportet Episcopum Doctorem esse.* Rursus 2. Tim. 2. n. 25. dicit: *Oportet Episcopum docibilem esse.* Quasi ex præsenti magisterio subtrahere se debeat aliquando, vt antiquo discipulorum ludo B se includat recoquendum. Vnde D. August. lib. 4. contra Donatistas, c. 5. refert ex D. Cypriano: *In Episcopo diligendum esse non solùm, vt scienter doceat, sed etiam vt patienter discat.* Et lib. 5. contra eosdem, cap. 26. *Ille*, inquit, *Episcopus meliùs docet, qui quotidie crescit & proficit discendo meliora.* Quare, si è duobus vnus eligendus est, doctus, an docilis; docilis sanè præoptandus: quemadmodum, si è duobus vnus reprobandus, indoctus, an indocilis; indocilis planè excludendus: auctore D. Aug. lib. 3. contra Academicos, c. 8. *Facilè*, inquit, *ostendam, quantò minus malum sit, indoctum esse, quàm indocilem.* Nam indoctus, cùm doceri possit, doctus euadet: indocilis, cùm doceri non patiatur, semper indoctus remanebit.

D. August.

VII. *Salomon non postulauit diuitias, sed docilitatem, vt doceretur.*

C Postulaturus Salomon à Deo sapientiam, vt posset iudicare populum, & discernere inter bonum & malum; postulauit docilitatem: *Dabis*, inquit, *seruo tuo cor docile.* 3. Reg. 3. n. 9. hoc est, cor facile, vt doceatur. Hebraicè: *Cor audiens.* Græcè: *Cor sapiens.* Qui enim ad discendum promptissimus est, ille planè ad docendum sapientissimus habetur. Certè Natura nos videtur effinxisse ad discendum, quàm ad docendum proniores. Nam, vt benè D. Basilius, lib. De vera virginitate, ante medium: *Natura*, inquit, *loquendi audiendique modum ad proportionis regulam metiens, duas aures, linguam vnam nobis effinxit: quasi & duplum disciplinæ causa audire debeamus; & ad ea, quæ rogamus, sesquialtera proportione contractum referre sermonem.*

D. Basilius. Natura duas aures, vnam linguā dedit, vt duplū audiamus, quā loquamur.

D Prudentissimus quidem D. Anselmus non solùm dicere, sed etiam testari solitus erat, quòd libentiùs vellet inter pueros sub virga magistri pauere; quam toti Britanniæ in conuentu populorum pontificali cathedræ præsidere: vt refert Edinerus Anglus lib. 2. De eius vita, sub initium.

D. Anselmus malebat discere, quàm præesse. *Edinerus.*

VIII. *Qui docet, discat.*

Suum librum clausit Ecclesiastes illis verbis: *Finem loquendi pariter omnes audiamus.* Eccl. 12. n. 13. Cur inquit, omnes: An ipse, qui orator hactenus fuerat Ecclesiastes, esse voluit deinceps elementarius auditor? Ita planè. Nam, vt benè Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. *Docens*, inquit, *aliquis plus discit: & dicens, sæpè vnà audit, cum iis, qui ipsum audiunt.* Vnde D. Paulus: *Ipse*, inquit, *dedit quosdam quidem Apostolos; quosdam autem Prophetas; alios E verò Euangelistas, alios autem Pastores, & Doctores.* Ephes. 4. num. 11. Cur, quæso, Doctores vltimo loco memorauit? Credo, vt ipsi intelligant, minimo se interuallo ab auditoribus distare. Quare D. Ambros. Doctor maximus libenter fieri cupiebat auditor minimus. Nam lib. 1. offic. *Diligentiam*, inquit, *circa Scripturas diuinas opto assequi, quam vltimam posuit Apostolus inter officia Sanctorum: & hanc ipsam, vt studio docendi possim discere.*

Clem. Alex.

D. Amb.

IX. *Deus eosdem constituit & Doctores, & discipulos.*

Præcepit olim Deus populo Israëlitico, vt filios suos doceret. *Erunt*, inquit, *verba hæc in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis.* Deut. 6. num. 7. vbi obiter aduerte,

A uerte, prius diuina verba præferenda esse in corde, quam in ore; prius meditanda, quam narranda. Sed rursus eidem populo præcepit, vt patres suos interrogaret. *Interroga*, inquit, *patrem tuum, & annuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.* Deut. 32. n. 7. Sunt, qui existiment, hæc duo præcepta ad diuersas personas spectare: prius quidem ad patres: posterius ad filios. Sed, cum Moyses vtrobique totum populum sine discrimine alloquatur: ad easdem personas mihi videtur vtrunque præceptum pertinere. Quid ergo? Qui prius magistri & Doctores facti fuerant; postea discipuli & auditores efficiuntur? Ita planè. Ne quis in docendi munere constitutus, se ab interrogandi onere exemptum arbitretur. Nam, vt bene D. Ambros.

D. Ambr.

B proximè citatus: *Quantumlibet*, inquit, *quisque profeceris; nemo est, qui doceri non egeat, dum viuit.*

X.

Isaias docebat populum, & discebat à Deo.

Gloriabatur olim Isaias, se à Deo factum esse totius populi magistrum & Doctorem: *Dominus*, inquit, *dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum, qui lapsus est verbo.* Isai. 50. n. 4. Sed quid statim? Planè fatetur, discipulum se quoque factum esse, & auditorem. *Erigis mane, manè erigit mihi aurem, vt audiam quasi magistrum.* Quorsum ita? De vtroque docendi, discendique munere Propheta gloriatur; ne qui doctum se existimat, interrogare alios, vt fiat doctior, erubescat. Sicut enim Prædicatoris lingua, nihilò magis, quàm verbo doctrinæ exornatur: ita eiusdem aures nulla re meliùs, quàm verbis disciplinæ decorantur: vt Clemens Alexand. lib. 2. pædag. c. 12. testatur. *Non alius*, inquit, *fuerit melior aurium ornatus, quàm vera catechesis: hoc est, quæ per auditum suscipitur institutio.* Et statim: *Oculi verbo inuncti, & aures ad sensum perforatæ, diuinarum rerum auditorem, & sanctarum rerum contemplatorem efficiunt.*

Optimus aurium ornatus, catechesis.

Cl. Alex.

XI.

Apollo Doctor, & discipulus.

Floruit olim in nascentis Ecclesiæ principiis Apollo, cuius laudes, tam in vita, quam in doctrina celeberrimæ, in Actis Apostolorum describuntur. Dicitur enim *Vir eloquens, & potens in Scripturis.* Et statim additur: *Hic erat edoctus viam Domini, & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea, quæ sunt Iesu.* Act. 18. n. 24. & 25. Quid ad vitæ, doctrinæque commendationem illustrius & gloriosius dici poterat? Et nihilominùs tantus vir libens se tradidit in disciplinam vnius vulgaris, non solùm hominis, sed etiam fœminæ: nempe, Priscillæ, & Aquilæ, vt ab vtroque coniuge, quæ circa Religionem christianam eatenus ignorabat, pleniùs edoceretur. Sequitur enim: *Quem cùm audissent Priscilla, & Aquila, assumpserunt eum, & diligentiùs exposuerunt ei viam Domini.* Ibid. n. 26. Quam discendi & auiditatem, & humilitatem expendens D. Hieronymus in epist. 140. ad Principiam, sub initium: *Apollo*, inquit, *virum apostolicum, & in lege doctissimum, Aquila, & Priscilla erudiunt, & instruunt eum de via Domini.* Vbi quamuis D. Hieronymus priùs meminerit ipsius viri, Aquilæ; tamen Scriptura priùs meminit vxoris, Priscillæ: vt videatur Apollo etiam ex fœmina primo loco discere voluisse: adeò ab omni fastu in discendo abhorrebat.

D. Hier.

Apollo priùs à fœmina, quàm à viro docetur.

XII.

Ioannes Euangelista à fœmina didicit.

Quis sapientior Ioanne, qui Christi Domini lateri incumbens, diuinæ Theologiæ fontes epotauit? & tamen mysteria Resurrectionis ab vna fœmina didicit, & ingenuo pudore confessus est, per quam profecerit, dicens: *Et hæc dixit mihi.* Ioan. 20. n. 28. Notat hoc D. Chrysostomus hom. 84. in Ioannem, loquens de Magdalena: *Omnia*, inquit, *discipulis nuntiat. Euangelista autem tanta laude mulierem non fraudauit; neque sibi dedecori arbitratus est, vt ab ea nostri profecta primùm hæc intelligeret.* Iam verò D. Paulus rapiendus ad tertium cælum, & in cælesti Academia Doctor Gentium inaugurandus; prius in terris, *Secus pedes Gamalielis eruditus est.* Act. 22. n. 3. Quod D. Hieron. in epist. 103. ad Paulinum expendens: *Paulus*, inquit, *Apostolus ad pedes Gamalielis legē Moysi & Prophetas didicisse se gloriatur; vt armatus spiritualibus telis postea diceret confidenter: Arma nostra militiæ non carnalia sunt, sed potentia Deo*, &c. 2. Corinth. 10. n. 4. Vbi fatetur Hieronym. Diuum Paulum, arma, quibus orbem expugnauit, non aliunde, quàm ex pedibus Gamalielis, ad quos abiectus humiliter legem didicit, deprompsisse. Tantùm præsidij in domo disciplinæ positum iudicabat. At verò D. Gregorius lib. 5. Comment. in Reges, c. 13. ad finem, sentit, hoc primum Apostoli gymnasium in terris secus pedes Gamalielis, fuisse ei tanquàm gradum ad sublimius gymnasium in cœlo inter choros Angelorum. *Paulus*, inquit, *vas electionis antè ad Gamalielis pedes instruitur, quàm rapiatur in Paradisum, vel ad cæli tertij altitudinem sublenetur. Et ideò fortasse per doctrinam alijs Apostolis excellit; quia futurus in cælestibus, terrena priùs studiosus didicit.* Et rectè quidem. Neque enim sublimitatem docendi quis assequitur, nisi priùs in humilitate discendi exerceatur.

D. Chryſ.

D. Paulus humilis Gamalielis discipulus, ad eius pedes.

D. Hier.

D. Greg.

D. Paulus, qui fuit discipulus ad pedes Gamalielis, constitutus est Doctor inter choros Angelorum.

XIII.

Laureatus in cælesti Academia, adhuc se in terris discipulum exhibebat.

Sed, quod magis mirere, Paulus iam inter Angelorum ordines Doctoris laurea coronatus: adhuc nihilominùs in terris Apostolorum se discipulum exhibebat. *Veni*, inquit, *Ierosolymam videre* C *Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.* Gal. 1. num. 18. Cur Petrum adierit, & cur diebus quindecim cum eo manserit, expendit D. Hieronymus in epist. citata ad Paulinum: *Hoc enim*, inquit, *mysterio hebdomadis, & ogdoadis, futurus Gentium Prædicator instruendus erat.* Quasi diceret: Petrum adiuit, vt ab eo instrueretur: & posuit apud eum dies quindecim, seu hebdomadem, & ogdoadem: hoc est, septenatium, & octonatium dierum: vt legem veterem, & nouam, quæ, interprete Erasmo, per illos numeros significantur, ab illo edoceretur. Et cap. seq. num. 2. fatetur idem Paulus, se post annos quatuordecim contulisse cum Apostolis Euangelium, quod prædicabat in Gentibus: ne fortè in vacuum curreret, aut cu- D currisset. Quasi munus Doctoris & Prædicatoris posset quodammodo euanescere: nisi sæpiùs interrogando, ac discipuli munus exercendo renouaretur. Quo ex loco Tertul. lib. 4. contra Marcionem, cap. 2. Prædicatores apostolicos monet, vt Apostolorum doctrinæ firmiter adhærescant. Et rationem reddit: *Quoniam*, inquit, *prædicatio discipulorum suspecta fieri posset de gloriæ studio, si non assistat illi auctoritas magistrorum: immò Christi, qui magistros Apostolos fecit.* Et statim loquutus de Paulo, qui fuit magister Lucæ Euangelistæ: *Si illuminator*, inquit, *Lucæ auctoritatem antecessorum, & fidei, & prædicationi suæ optauit; quantò magis eam Euangelio Lucæ expostulem, quæ Euangelio magistri eius fuit necessaria?* Vnde E optimum ad omnes Prædicatores desumitur argumentum. Nam, si Euangelio Lucæ necessaria fuit auctoritas Pauli, & prædicationi Pauli auctoritas Apostolorum: quis adeò erit temerarius, vt sua nixus auctoritate, absque vllius præsidio Doctoris prosiliat ad docendum?

D. Hier.

Tert.

S. Paulus Lucæ magister didicit, quid illi, qui sunt Lucæ discipuli?

XIV.

D. Petri humilitas ad interrogandum Ioannem.

Quid verò de ipso Apostolorum Principe D. Petro, qui ab Æterno Patre reuelante, diuina mysteria cognouit: Matth. 16. num. 17. Certè non minùs se, quàm Paulus humilem præbuit ad interrogandum. Nam in vltima Cœna scire cupiens proditorem; non quidem Christum Dominum,

num, sed Ioannem interrogauit. Ioan. 13. num. 24. Cur, quæso, non magistrum, sed condiscipulum adiuit? Aliis aliter respondentibus, hanc rationem iudico ad præsens institutum potiorem. Quia cùm paulò ante Christus Dominus singulare humilitatis exemplum præbuerit, discipulorum suorum pedes abluendo; imitari eum voluit discipulus, quoad potuit. Quid ergo fecit? Pedes non lauit, ne actum ageret. Apostolis non ministrauit; quia Christus Dominus totum sibi ministerium vsurparat. Ad pedes singulorum Christi manibus consecratos venerabundus non procubuit; quia parum hoc esse sibi videbatur. Quid ergo egit? Quantùm prestare potuit humilitatis exemplum, tantùm præstitit: senex iuuenem, discipulus condiscipulum interrogauit.

Hoc humilitatis exemplo illud Christi Domini in abluendis discipulorũ pedibus compensauit.

SECTIO III.

Postrema huius prudentiæ exempla ex sacris Doctoribus deriuata.

I.

D. Dionysius Areopagita Timotheum optat censorẽ.

CÆterùm, vt ab hóc Apostolorum culmine paululùm deflectamus, adsit in primis Apostolorum Synchronos, seu coætaneus D. Dionys. Areopagita, qui ad finem libri De diuinis nominibus, Timotheum alloquutus, quem alioqui *filium* sæpiùs nominarat; tanquàm recentiorem & rudiorem veræ fidei professorem obnixè precatur, vt suum illum librum eruditionis plenissimum corrigat & emendet. *Si hæc*, inquit, *aut minùs rectè, aut minùs plenè diximus; & à veritate, seu in toto, seu in parte deuiauimus: erit humanitatis tuæ corrigere non sponte ignorantem; scientiamq; tradere, discere cupienti; & curare nolentem ægrotare: & alia quidem ex te ipso inuenta, alia verò ab aliis mutuata, cuncta autem a summo bono accepta transfundere in nos.* Vbi vides, altorem ab alumno, magistrum à discipulo, patrem à filio optare, & rogare, vt doceatur.

II.

D. Augustinus doceri à puero anniculo paratus. Plura Augustini de hac re exempla.

Quis non miretur duo illa longè maxima totius Ecclesiæ lumina, Augustinum, & Hieronymum? Quorum ille epist. 75. & relatus in iure, Cap. Si habes 24. q. 3. *Senex*, inquit, *a iuuene, Episcopus tot annorum a collega nondum anniculo paratus sum doceri.* Et rursum alio loco: *Si posses*, inquit, *me docere, quod ignoro; libentissimè te sufferrem, non solum verbis increpantem, sed etiam verberibus castigantem.* Et conc. 2. in Psalm. 103. dubitans de quadam loquutione, an in sacris Literis inueniatur; eámque quibusdam adolescentulis inquirendam tradens, subdit: *Si inuenerint*, inquit, *& ad nos attulerint; gratulabimur adolescentium studiis otiosorum, occupati senes; vt ex eorum ministerio, & nos aliquid discamus.* Et illas octo quæstiones ad Dulcitium, claudit his verbis: *Ego*, inquit, *quod & suprà de me commemoraui, magis amo discere, quàm docere.*

D. Hieron. senex ab Hebræo Hebræas literas discebat.

At verò Hieronymus in Apologia contra Ruffinum, circa medium, ab illo reprehensus, quòd iam senex ab homine Hebræo Hebræas literas acceperit, sic respondet: *Quod*, inquit, *ille Demosthenes in vna litera fecit exprimenda, vt à cane, ρ, rho, disceret: tu in me criminaris, quare homo ab homine Hebræas literas didicerim. Inde est, quòd quidam ineruditè sapientes remanent; dum nolunt discere, quod ignorant. Nec Horatium audiunt*, in arte poëtica commonentem:

Horatius.

Cur nescire pudens prauè, quàm discere malo?

Plura D. Hier. in hac re testimonia.

Idem in epistol. 4. ad Rusticum Monachum: *Discas*, inquit, *quod possis docere: ne miles, antequàm tyro, ne priùs magister sis, quàm discipulus.* Et paulò inferiùs eundem hortatus, vt ex singulis Monachis singulas virtutes addiscat. *Nulla ars*, inquit, *absque magistro discitur. Etiam muta animalia, & ferarum greges, ductores sequuntur suos.* Quod postquam variis confirmauit exemplis, subdit. *Per hæc omnia*, inquit, *ad illud tendit oratio, vt doceam te, non tuo arbitrio dimittendum; sed viuere debere in Monasterio sub vnius disciplina Patris, consortióque multorum, vt ab alio discas humilitatem, ab alio patiẽtiam. Hic te silentium, ille doceat mansuetudinem.* Quasi illud sit præcipuum socialis vitæ lucrum, vt sint in ea, ex quibus virtutes addiscantur. Vnde in illud: *Tempus tacendi, & tempus loquendi:* Eccles. 3. num. 8. Pythagoricum in discendo silentium nobis ad imitandum proponens, rectè monet; vt discendi, docendíque tempora alternentur. *Discamus*, inquit, *& nos priùs non loqui; vt posteà ad loquendum ora referemus. Nihil nobis videatur, rectum esse, nisi quod discimus; vt post multum silentium de discipulis efficiamur magistri.* Nihilominùs ipse D. Hieronymus discendi, quàm docendi studiosior tempus non alternabat: sed totum discendo impendebat. Nam in epist. 65. ad Pammachium, & Oceanum: *Dum essem*, inquit, *iuuenis, miro discendi ferebar ardore: nec iuxta quorundam præsumptionem, ipse me docui.* Et paulò pòst: *Iam canis spargebatur caput, & magistrum potiùs quàm discipulum decebat. Perrexi tamen Alexandriam, audiui Didymum: in multis ei gratias ago. Quod nesciui, didici: quod sciebam, illo docente, non perdidi. Putabam me homines finem fecisse discendi. Veni rursum Hierosolymam, & Bethlehem. Quo labore? quo pretio Barrabanum nocturnum habui præceptorem? Timebat enim Iudæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum.* Itaque D. Hieronymus, qui ob eximiam doctrinam, singularémque eruditionem poterat totam vitam docendo impendere, totam impendere maluit discendo.

D. Hieronymus alternare docendi, discendíque tempus; ipse totum discendo impendebat.

III.

Discendum à discipulis, immò à bestiis.

D. Pet. Dam.

Ad vtrunque illud Ecclesiæ lumen, suam quoque facem addidit D. Petrus Damianus lib. 2. epist. 14. versùs finem: *Melius*, inquit, *certè est Doctoribus à discipulis discere, quàm superbè, quæ recta sunt, ignorare. Honestius est maiori, vt quæ nescit, addiscat; quàm, quæ discenda sunt, nesciat. O gloriosa virtus humilitatis, per quam homo verè discipulus efficitur Saluatoris!* Et eodem lib. epist. 18. quasi laudaret illud exemplum Demosthenis, etiam ex cane discere volentis; seu potiùs illud oraculum Salomonis: *Vade ad formicam, ò piger, & considera vias eius, & disce sapientiam.* Prouerb. 6. num. 6. docet, æquum esse, vt etiam brutis animalibus, tanquàm præceptoribus vtamur. Et latè, curiosèque prosequitur, quid in vnaquaque belluarum sit ab homine imitandum, quid cauendum. Lege epistolam, quæ non minùs continet vtilitatis, quàm voluptatis.

IV.

Superbia Abailardus suum iudiciũ omnium iudicio præferentis.

D. Bern.

Arguta D. Bernardi in hæreticum punctiones.

Quare D. Bernard. epist. 190. ad Innocentium Papam, inuehitur in hæreticum Petrum Abailardum, quòd neminem consuleret, sed suo semper sensu sibi abundare videretur: adeò vt ad confirmanda sua hæretica dogmata, vteretur hisce verbis: *Omnes quidem sic: sed non ego sic:* Quam intolerandam insolentiam D. Bernard. acuta & aculeata verborum mordacitate perstringit: *Omnes*, inquit, *sic, sed non ego sic? Quid ergo tu? Quid melius affers? Quid subtilius inuenis? Quid secretius tibi reuelatum iactas, quod tot præterierit Sanctos, effugerit sapientes? Aquas furtiuas & panes absconditos, puto, apponet nobis iste. Magister Gentium accepit à Domino, quod & tradidit nobis. Magister omnium suam doctrinam fatetur non esse suam: non enim, ait, à me ipso loquor. Tu verò de tuo nobis tradis, & quod à nemine accepisti.*

accepisti. Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Tibi proinde sint, quæ tua sunt. Ego Prophetas, & Apostolos audio, obedio Euangelio, sed non Euangelio secundum Petrum Abailardum. Quintum Ecclesia Euangelistam non recipit. Sic Bernard. festiuiter mordax, & mordaciter festiuus. A

V. D. Greg. *Stulti, qui ad magisterium festinant.*

Iam verò D. Greg. Nazian. In Apologetico, seu Orat. 1. de reditu suo, non minorem stomachum effundit in quosdam magis docendi, quàm discendi amatores: *Meo,* inquit, *iudicio admodum stultè, temereq; illi faciunt, qui prinsquam ipsi satis doctrina instructi sint, aliorum se magistros profitentur: stultè, si ne ignorantiam quidem suam præsentiunt: temerè, si cùm eam intelligant, hoc tamen negotium suscipere audent.* Et paulò pòst: *Tam malè,* inquit, *affecti sumus, vt maior pars nostrùm, ne dicam, omnes, prinsquam sacra volumina, vel de nomine nouerimus: si duas, aut tres pias voces edidicerimus; ac ne id quidem ex lectione, sed ex auditione: protinus Samuelem ab ipsis incunabulis sacrosanctum in ore habemus: protinus sapientes sumus, & præceptores, & rerum diuinarum sublimes, & Scribarum, & Legislatorum primi, nosq; ipsos calculo nostro cælestes designamus: ac vocari ab omnibus Rabbi expetimus; indignéque, ac molestè tulerimus, nisi mirificis laudibus in cælum efferamur.* B

VI. D. Hieron. *Ante pudum discatur, non docendum.*

In eosdem inuehitur D. Hier. in epistola 8. ad Demetriadem, De virginitate seruãda, sub finem. *Cùm,* inquit, *loqui nesciant, tacere non possunt; docentq; Scripturas, quas non intelligunt: & cum aliis persuaserint, eruditorum sibi assumunt supercilium; prius imperitorum magistri, quam Doctorum discipuli.* Quo quidem ordine quis deterior? teste D. Greg. Naz. orat. 32. nimirum, *priùs docere, ac posteà discere, non dicam diuina, & vsque adeo magna & sublimia: sed ne aliud quidem quidquã paruum, & contemnendum.* Quadrat in hos homines illud Senecæ Philosophi, De tranquillitate: *Puto,* inquit, *multos ad sapientiam peruenire potuisse, nisi putassent, se peruenisse.* Nam, cùm sapientissimus quisque, iuxta vulgare Socratis oraculum, hoc vnum sciat, se nihil scire: qui hoc vnum nescit, nihil omninò scit. Et quia sua opinione delusus, nihil ad scientiam enititur comparandam, quam existimat comparasse; in sua semper ignorantia detinetur. C

D. Greg. Naz.

Seneca. *Qui se putat scire, nescit.*

VII. *Sacerdotum studiu discendi etiam a Laicis.*

Non fuit de hoc numero Heli, qui suam ignorantiam fateri, & puerum interrogare non erubuit. Libens igitur interrogare debet optimus quisque etiam Sacerdos, libens audire: nec solùm Leuitam, vt Heli; sed etiam laïcos, vt monet D. Hieron. in c. 2. Aggæi, n. 12. Vbi de Sacerdotibus loquutus: *Discant,* inquit, *legem Dei, vt possint docere, quod didicerint; & augeant scientiam, magis quam opes: & non erubescant a laicis discere, qui nouerint ea, quæ ad officium pertinent Sacerdotum. Magisq; noctes & dies in Scripturarum tractatu, quàm in ratiociniis & supputatione consumant.* Quod discendi studium vterque veteris ac noui Testamenti Legislator commendarunt. Nam Moyses à verbo audiendi suam legem auspicatur, *Audi,* inquit, *Israel.* Deut. 6. num. 5. Vbi D. Ambros. lib. 1. Offic. c. 2. *Non dicit,* inquit, *loquere, sed audi. Prima vox Dei dicit tibi: Audi: si audis, custodis vias tuas.* At verò Rex, vt Legifer noster à Ioanne suum Euangelium exordiente Verbum dicitur: *In principio erat Verbum.* Quasi nullo magis nomine, quàm Verbi delectetur: vt ostendat, quàm gratum esse debeat auditori verbum præceptoris. Quod D. Gregorius Nazianz. in carmine Nicobuli, loquutus de præceptoris verbo, ita cecinit. D E

Discendi studium commendatur à Moyse.

D. Ambr. *Idem studium commendatur à Christo.*

Nomen Verbi Deo gratissimum, vt illud audiamus.

Munus magnificum, & dono præstantius omni:
Nam neque nominibus cùm multis ipse vocetur,
Vllum aliud nomen, quàm Verbi gratius audit.
Auribus arrectis, & tu mea percipe verba:
Consiliis nihil vtilius meliúsque paternis,
Pluráque canities nouit, quàm læta iuuentus.

Quasi diceret: non minori auiditate ad verbum doctrinæ, quàm ad ipsum diuinitatis Verbum, quod in illo proditur, inhiandum,

VIII. *Manna, Quid est hoc? significabat verbum doctrinæ; quo mentes nutriuntur.*

Quare manna, quo Israelitæ in deserto epulabantur; & quod cælestem doctrinam repræsentabat, qua saginantur mentes, interpretantur: *Quid est hoc?* Exod. 16. n. 16. Quia, vt ibi rectè Origen. hom. 8. *Ipsa,* inquit, *vis nominis ad discendum inuitat, vt cùm audis legem Dei recitari, inquiras semper, & dicas Doctoribus: Quid est hoc?* Et Auctor Operis imperfecti in Matth. hom. 51. *Manna,* inquit, *quod edebatur in eremo, figuram habebat verbi. Ideo dicebatur manna, quod interpretatur: Quid est hoc? vt quotiescunque audinimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere, Quid est hoc, quod audinimus?* Si quis ad illustrandum hoc argumentum de discendi & audiendi studio, ex humanioribus literis ludere velit; consulat Tiraquellum in præfatione de iure primogeniorum, à n. 99. multa copiosè disserentem.

Orig. Auctor Oper. imp.

Tiraq.

ANNOTATIO VI. CIRCA LITERAM.

Patientia in subeundis pœnis à Deo immissis, illustratur.

I. *Triplex Heli exemplum.*

MAgnam continent patientiam, & magnum cum diuina voluntate consensum verba Heli: *Dominus est: quod bonum est in oculis suis, faciat:* vt iam in Litera expendi. Nam & impositas sibi pœnas non recusauit: & Deo illas imponenti humiliter se subiecit: & Samuelem illas denunciantem patienter exaudiuit. Quorum singula singulis sectionibus breuiter illustro.

SECTIO I.

Pœnas à Deo impositas minimè recusandas.

II. *Qui non recusat pœnas, animam suam liberat.*

INgentis meriti est impositas à Deo pœnas humiliter sustinere. Eliu apud Iobum, introducens virum iustum ac pœnitentem: *Dicet,* inquit *peccaui, & verè deliqui; &, vt eram dignus, non recepi.* Iob. 33. num. 27. Non queritur maiora meritis supplicia recepisse; sed multò minora, quàm meruerat, tolerasse, gratulatur. Quid inde factum? Sequitur: *Liberauit animam suam, ne pergeret in interitum; sed viuens lucem videret.* Ibidem, num. 28. Hac humili patientia obtinuit, vt æternam mortem euaderet, vitámque æternam assequeretur. Thamar apud Iudam de adulterio accusata, & ab eo iam addicta supplicio capitali, ad mortem efferebatur, vt cremaretur. Sed, cùm eius animum ad mortem subeundam Iudas audiret; non solùm eam liberauit à morte, sed etiam exclamauit: *Iustior me est.* Gen. 38. num. 26. Cur, quæso, illam appellat se ipso iustiorem: quæ tamen multò grauiùs peccauerat, vt ex Litera facilè innotescit? Nam Thamar & incæstum & adulterium commiserat: ab vtroque tamen, formaliter loquendo, Iudas excusatur, cùm neque illam sibi cognatam, neque alteri coniu

Patientia in supplicio ferendo iustam reddidit Thamar.

coniugatam, sed potiùs solutam & meretricem arbitraretur? Respondeo, minorem appellari, & quia peccatum in Iuda ex circumstantia personæ dignioris augebatur, & in Thamar ex circumstantia personæ suam pœnam patienter tolerantis minuebatur. Illa enim vnius fœminæ patientia ad pœnam sibi impositam sustinendam efficiebat; vt eius culpa suapte natura grauior, tamen multò leuior videretur.

III. *Fratres Iosephi liberi à culpa iudicati, quia pœnas non recusârunt.*

Iosephus multis modis explorare nitebatur, vtrum aliqua culpa in suis fratribus hæreret? an forte Beniaminum absentem læderent? an præsenti, & magis honorato in conuiuio inuiderent? an conuicto de furto scyphi, & in vinculis detento subuenirent? Sed cùm tandem vidit, eos seruitutis pœnis se libenter subiecisse, dicentes: *En omnes serui sumus Domini mei, & nos, & apud quem inuentus est scyphus.* Genes. 44. n. 16. & ipsum Iudam se pro Beniamino seruituti offerentem. Ibidem, num. 32. sine dubio sibi persuasit, illos omni culpa liberos esse, & immunes. Nemo enim culpa magis vacat, quàm, qui pœnam non recusat.

IV. *Ezechias ferens pœnam impositam, euasit fortis & honoratus.*

Audiuit Rex Ezechias à Propheta Isaia pœnas sibi pro peccato superbiæ subeundas: *Ecce,* inquit Propheta, *dies venient; & auferentur omnia, quæ sunt in domo tua; & quæ condiderunt patres tui vsque in diē hanc in Babylonem, non remanebit quidquam,* &c. 4 Reg. 20. num. 17. Quid verò Ezechias ad hæc? Tulitne indignè? In iras exarsit? In blasphemias erupit? Absit. Sed placatus ac tranquillatus: *Bonus,* inquit, *sermo Domini, quem locutus es.* Ibidem, num. 19. Quasi diceret: Libens accipio, quæ in me supplicia a Deo, tanquàm ab æquissimo Iudice statuuntur. Vides Regis patientiam? Sed vlteriùs lege historiam, & inuenies statim, eius fortitudinem commendari. *Reliqua,* inquit Textus, *sermonum Ezechiæ, & omnis fortitudo eius,* &c. *nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum Regum Iuda?* Ibidem, numer. 20. Cur, quæso, memoratur hoc loco Ezechiæ fortitudo? Credo, quia memorata fuerat eiusdem in aduersis rebus tolerantia. Nulla enim manifestior esse potest generosi animi nota ac tesseri, quàm in subeundis suppliciis a Deo impositis patientia. Adde eum, qui ante mortem, suppliciis diuinis patiens succubuerit; post mortē cæteris Regibus post Dauidem gloriosiorem extitisse. *Dormiuit,* inquit Textus, *Ezechias cum patribus suis; & sepelierunt eum super sepulcra filiorum Dauid; & celebrauit eius exequias vniuersus Iuda.* 2. Paralip. 32. numer. 33. Vides, vt qui viuus pœnis à Deo impositis se subiecit; mortuos super alios Reges antecessores suos erigatur? Ita planè à Deo fit. Vt hinc palàm appareat, nullius honorem, subeundo pœnas à Deo impositas, obteri; sed excoli: nullius gloriam obscurari, sed potiùs multò effici clariorem.

V. D. Chrys. *Pater ferens naturale filij mortem, & Abraham inferens violentam, quodammodo pares in merito.*

Quis non miretur sanctimoniam Abrahami, suum filium Deo in sacrificium offerentis. Gen. 22. num. 10. Atqui D. Chrysost. hom. 4. in priorem Epistolam ad Thessalonicenses, illi comparat, & exæquat quemlibet parentem, sui filij iacturam patienter tolerantem. *Si quando,* inquit, *filium amittis, dilectum, vnigenitum, in multis diuitiis enutritum, spem bonam præbentem, se vnum hereditatem tuam percepturum; ne ingemiscas: sed gratias agas Deo, eùmque glorifices, qui illum accepit: & hactenus non eris deterior Abrahamo. Quemadmodum enim ille filium suum iubente ac postulante Deo dedit; ita tu, accipiente eo, non ingemuisti.* Et paulò pòst sanctissimum Iobum suis opibus diuinitùs spoliatum, cum eo confert, qui illas sua sponte pauperibus elargitur; asseritque illius patientiam cum

Iobus amittendo opes, & alius conferendo pauperibus, in merito comparantur.

huius charitate conferendam esse, & exæquandam. *Nihil,* inquit, *minus habet ab iis, qui eleemosynas contribuunt, Iob ille, qui tunc non dabat.* Idémque asserit de aliis, qui bonorum suorum iacturam patienter ferunt, comparatis cum iis, qui bona sua pauperibus liberaliter donant. *Neque dicas,* inquit, *nihil hinc habeo gratiæ; præter animi mei sententiam res ista facta est; me nec sciente, nec volente, bona mea fur abstulit: quæ mihi merces erit? Neque Iob quoque, vel sciente, vel volente, Diabolus bona abstulit: at nihilominus patienter tulit. Potes tu verò tantùm acquirere mercedis, quantùm, si sponte proiecisses.*

VI. *Iobus non minus meruit patiens mala, quàm faciens bona.*

Cæterùm hom. 5. De patientia Iobi, comparat D. Chrys. eundem Iobum multa bona operantem, cum eodē multa mala patiente: & quærit vtro ex capite clarior & gloriosior eius virtus enituerit: non dubitátque asserere, Iobum ex sua patientia, quàm ex sua beneficentia illustriorem euasisse: facilèque probat ex Litera; in qua Diabolus de Iobo bene operante malè suspicatus est, dicens: *Tange cuncta, quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Iob. 1. n. 11. Non tamen de Iobo bene patiente: illius enim patientiam vt vidit, non ampliùs ausus est ingerere calumnias. Quod D. Chrysost. disertissime expressit in hunc modum: *Vt discas, quoniam maiorem Diabolo plagam intulit, cùm sublatis sibi bonis gratias egit; quàm, cùm possidens miserabatur pauperum; audi. Cùm possidebat, vel suspicionem Diabolus habuit: quoniam non gratis te colit Iob. Vbi verò vniuersa surripuit, omnibúsque nudauit eum; hic verò eandem Deo seruauit mentem: tunc obstructum est turpe illius os; nec tunc quid habuit dicere. Clarior nanque quàm in prioribus iustus erat: clarior, quàm in deliciis viuens, eleemosynásque præbens. Surrepta enim bona generosè, & cum gratiarum actione tolerare; multo maius est. Nam secundis quidem rebus gratias referre Deo, non admodum mirabile: porrò cùm multus fuerit fluctus, cymbáque circumacta periclitatur; tunc magna atque excellens est patientia, atque bonæ voluntatis ostensio.*

D. Chrys. *Diabolus magis timuit Iobum fortiter patientem, quàm misericorditer operantem.*

VII. *Singula patientiæ opera singulis pietatis operibus conferuntur, & præferuntur.* D. Chrys.

Et in eadem homilia, maioris claritatis gratia latiùs spatiatur; singula pietatis opera, quæ Iobus egerat, cum singulis patientiæ actibus, quos exercuerat, comparando; & hos illis præferendo. *Quando,* inquit, *fuit illustrior? cùm domum cunctis aperuit: aut, cùm, eadem cadente, benedixit Deum, nulloque amaro sermone loquutus est? Quando alacrior fuit? cùm pro natis agebat sacrificium, atque concordiam adducebat: aut quando ipsis contumulatis, functísque vita amarissimo mortis genere, multa cum Philosophia casum tulit? Quando magis claruit? cùm de velleribus agnorum suorum calefacti sunt nudorum humeri: aut, cùm audiens de cælo ignem descendisse, gregémque consumpsisse cum pastoribus, non est turbatus, nec tumultuans quid peregit; sed mansuetè tulit calamitatem? Quando maior fuit? cùm ad oppressorum defensionem, corporis sanitate vtebatur, conterens molares iniquorum, & è medio dentium eorum prædam eripiens: an cùm hoc ipsum corpus, oppressorum scutum, consumi vermibus videbat; sedénsque in sterquilinio, saniem radebat, testam accipiens? Et illa quidem omnia præclarè gesta: hæc autem patibula, tormentáque erant. Sed tamen plùs hæc, quàm illa Iob clariorem ostenderunt. Siquidem cùm illa fiebant; contradixit tamen Diabolus, dicens: Nunquid frustra colit Deum Iob? His verò contingentibus se occultans, terga dedit.* Hactenus Chrysostomus eleganter.

VIII. *Iob flagellatus à Deo scidit vestimenta sua, maioribus se offerens flagellis.*

Cùm igitur tanta vtilitas ex pœnarum patientia colligatur; meritò iusti homines, cùm à Deo multis plagis percutiuntur, maioribus se obiiciunt percutiendos. Sic ipse, de quo agimus, Patriarcha Iobus. Nam, cùm suorum armentorum rapinas, &

seruorum

fetuorum clades,& filiorum cædes, quibus incredibiliter commoueri poterat,audiuisset, quid fecit? *Tunc*, inquit Textus, *surrexit Iob*, *& scidit vestimenta sua*. Iob. 1. n. 20. Quorsum hæc vestium scissio spectabat? Sex interpretationes adhibet Pineda, ad locum explicandum valdè accommodatas. Sed illa mihi videtur ad præsens institutum accommodatior, quam sexto loco leuiter attigit; & Origen. lib. 1. in Iobum clariùs expressit: *Conscidit*, inquit, *vestimenta sua, sine mora semetipsum ad ipsas preparans plagas: Ecce, inquiens, corpus nudum; ecce corpus detectum. Vos flagellate, inimici, tanquàm Dei satellites; ego autem sufferam. Vos verberate; ego autem sustinebo: dicens cum Ieremia: Dorsum meum dedi ad flagella.* En, vt innocens Patriarcha non modò se ab inflictis pœnis non excusat, sed etiam alias postulat acerbiores.

Pined.

Orig.

IX.

Totondit comã, paratus ad renũtiandũ bonis corporis.

Orig.

Sed cur eodem loco caput suum dicitur totondisse? Dupliciter respondet idem Origenes. Primò, vt paratum se ostenderet non solùm ad bona fortunæ, sed etiam ad bona corporis dimittenda: & qui minora libens tolerauerat, ad maiora toleranda se offerret. *Cùm*, inquit, *comam capitis sui totondisset, eam aduersariis proiecit: Ecce, inquiens, tollite & hanc. Arbor sum fructifera: omnia à me superflua proiicio, vt illibatus perfectum fructum offeram. Vitis sum bene maceriata; abscindo à me vniuersa supernacua, vt incongruis omnibus dicar purgatus, ac institia perferam perfectum fructum.* Secundò respondet, vt ostenderet, se ad plagas inflictas præ mœrore non concidisse; sed ad alias maiores infligendas præ lætitia exultasse. *Totondit*, inquit, *comam capitis, non vt lugens, sed vt luctum deponens, atque proiiciens, omnique luctu per tolerantiam superior existens: sicut Ioseph, cùm de carcere à Pharaone educeretur.* Gen. 41. num. 14. Vbi singularem Iobi patientiam expende. Nam, non minùs lætus ab antiqua gloria ad nouas pœnas ferebatur; quàm, qui à carcere ad palatium extrahuntur. Vt enim hi tondentur in signum eius lætitiæ, qua in libertatem vendicantur: ita ille tondebatur, vt proderet animum gestientem, quo se maioribus pœnis offerebat.

Singularem in suis plagis lætitiam ostendit.

X.

Trium puerorum ad patiendum alacritas.

Miram alacritatem præbuerunt tres pueri in fornacem Babylonicam mittendi: tum, quia introducendi ad mensam Regis, dicuntur *pueri*. Dan. 1. n. 4. Proiiciendi verò in caminum ignis, dicuntur *viri*. Dan. 3. num. 21. Quasi promptiores, ac fortiores ad pœnas, quàm ad epulas raperentur: tum, quia *vincti cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardentis.* Cur enim non potiùs hisce omnibus indumentis spoliati in ignem immittuntur? Credo, ne breuissimum quidem illud tempus se exuendi, postularet. Adeò suam in pœnam ac mortem festinabant. Vides alacritatem ad subeundam pœnam? Sed vide vlteriùs tarditatem ad eandem euitandam: quæ non obscurè colligitur: tum ex eo, quòd non priùs egressi sunt, quàm à Rege exire iuberentur: tum etiam, quòd non statim ad primam iubentis vocem foras eruperunt; sed repetitam expectarunt. *Egredimini*, inquit, *& venite.* Dan. 3. n. 93. Cur, quæso, ad ingrediendum locum supplicij properabant; ad deserẽdum cunctabantur? Optimè D. Chrys. hom. 8. in Epistolam ad Ephesios, versùs finem, hanc vnam fuisse rationem insinuat; quòd nihil eis dulcius, nihil suauius, quàm supplicij locus videretur. *Si*, inquit, *supplicij loco, quòd in caminum iniecti fuerant, habuissent: molesto quoque animo aduersùs eum fuissent, à quo in illum fuerant coniecti. Nunc verò nihil eorum præ se tulerunt: sed non aliter progressi sunt ex camino, quàm si ex ipso cælo prodirent.* Vides vt caminum sibi cælum esse arbitrentur? Et sicut in cælo, ita in camino esse, suauissimum: contrà verò sicut à cælo, ita à camino separari, amarissimum illis videatur?

Tres pueri ad ingrediẽdam fornacem promptiiad deserendam tardi.

D. Chrys.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

XI.

Adamus ad pœnã, quàm ad quietem promptior.

Nescio, quid simile mihi videtur, primo parenti Adamo contigisse. Nam ad laborandi pœnam semel tantùm eum Deus condemnauit: *In sudore*, inquit, *vultus tui vesceris pane tuo.* Gen. 3. n. 19. At verò ad quietem feriandi, seu vacandi à labore, non semel tantùm, sed sæpissimè eum obligauit. Nam præceptum seruandi Sabbatum, nullùmque opus seruile in eo exercendi, tam frequenter in lege imponitur; vt nesciam, an aliud frequentiùs imponatur: vt videre est Exod. 16. n. 23. Exod. 20. n. 8. Exod. 23. n. 12. Exod. 31. n. 14. Exod. 34. n. 21. Exodi 35. num. 2. & in aliis libris legalibus ac propheticis, frequentissimè. Cur igitur homo tam facilis ad laborem mittitur; & à labore tam difficilis reuocatur? Plures rationes coniungit Radulphus citatus in Gloss. ad cap. 23. Leuit. Vnam eruo ex illius verbis præsenti instituto accommodatam. *Quia homo*, inquit, *voluptati deputat laborem; qui ex Iudicis sententia laboris sustinet damnationem.* Quasi diceret: Illa pœna, ad quam homo ex supremi Iudicis sentẽtia damnatur; non labor illi videtur, sed fauor; non afflictio, sed voluptas; non supplicium, sed beneficium; non denique pœna, sed gloria: vnde cùm illam promptissimus admiserit; ab illa non nisi difficillimus separatur. Semel tantùm iussus labori se subiicit; à labore tamen se non eximit, nisi sæpissimè coactus.

Radulphus.

XII.

Dauidi sua pœna eligẽda proponitur; vt eã sua sponte amplectatur.

Hanc ad pœnas diuinitùs immissas promptitudinem Deus olim a Dauide requirebat, cùm eligendi è tribus propositis, quam mallet, optionem dabat. Sic enim ad eũ Propheta Gad: *Trium*, inquit, *tibi datur optio; elige vnum, quod volueris ex his, vt faciam tibi.* 2. Reg. 24. n. 12. Nam cùm electio à libera voluntate oriatur; noluit Deus pœnam Dauidi iniungere, nisi quam ille libera voluntate amplecteretur: alioqui non vt filius spontaneus, sed vt seruus inuitus puniretur. Quod fortasse D. Ambros. in Psal. 37. significauit: *Vide*, inquit, *quemadmodum ad pœnitentiam prouocat, vt nos offeramus iniuriæ, eligere pœnam mandans; vt in ipsa pœna, electionis quædam prærogatiua seruetur; & reo suo blandiatur.* Quasi diceret: Voluit Deus, vt Dauid sua se sponte iniuriæ, hoc est, pœnæ offerret, eam eligendo; vt, cùm esset voluntaria electio, esset & punitio salutaris.

D. Ambr.

XIII.

Dauid pœnã ex tribus propositis maiorem elegit; idcircò minimam subiit.

Quod Dauid egregiè præstitit, non solùm eligendo pœnam, sed etiam maiorem ex tribus propositis, nimirum, pestem eligendo: vt non modò voluntatem ad pœnam; sed etiam maiorem voluntatem ad maiorem pœnam indicaret: certus quò quis promptior fuerit ad pœnas subeundas; eò Deum clementiorem fore ad easdem remouendas: vt rectè obseruat D. Ambros. citatus in Glossa, 2. Reg. 24. de Dauide loquutus: *Contulit*, inquit, *se ad maiorem pœnam, vt posset prouocare clementiam.* Et paulò pòst: *Fidus de pietate terrentis, magnitudinem non contemplatus est vltionis.* Semper enim affectui peccatoris pœnam recipientis, respondet affectus ipsius Dei pœnam infligentis: vt si peccator libens pœnam accipiat, libentior ipse Deus pœnam auertat. Nec sua Dauidem fefellit opinio: maximam enim precatus pœnam, minimam tolerauit: vt in primo tomo, Annot. 16. Sect. 2. iam ostendi: Deo, ad patiendi voluntatem, quam peccator habet; puniendi seueritatem, quam ipse habebat, reuocante.

D. Ambr.

XIV. *Qui nouerit culpam, non sentiet pœnã.* D. Bernard.

Et quidem, si peccator suæ culpæ grauitatem recta trutina expendat, suæ pœnæ acerbitatem minimè recusabit: vt Diuus Bern. serm. 3. De altitudine cordis, obseruat *Quisquis*, inquit, *perfectè senserit onus peccati, & animæ læsionem interiorem, vtique aut parum sentiet, aut ex toto non sentiet corporis pœnam; nec reputabit laborem, quo peccata nouerit deleri præterita, futura caueri.* Qui sunt optimi huius patientiæ fructus, quos plane non referunt, qui pœnas à Deo impositas patiuntur quidem, sed impatientes: quoad externum effectum pœnas subeunt, quoad internum affectum renituntur.

Patiẽtes impatienter. Lyra.

Quales fuerunt olim Chananæi, de quibus Sapiens: *Patientes*, inquit, *indignabantur.* Sap. 12. n. 27. Vbi, interprete Lyrano, patientes dicuntur, non à patientia, quam non habebant; sed à passione, quam subire cogebantur: nec proinde in passione solatium habentes, nec ex passione lucrum aliquod reportantes.

XV. *Plaga minuunt culpas, nutriunt virtutes, augent merita.*

Adde, pœnas diuinitùs immissas non solùm à peccatoribus in culparum remedium; sed etiam à viris iustis in virtutum nutrimentũ, & incrementum meritorum, libentissimè suscipiendas. Prædixit aliquando Propheta Agabus D. Paulo, fore vt Hierosolymis in vincula & carceres truderetur. Quod eius discipuli audientes, precibus & lacrymis eum obsecrabant, ne Hierosolymã adiret. Ad quos Paulus: *Quid facitis*, inquit, *flentes, & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Act. 21. n. 13. Vbi duo nota. In primis Diui Pauli erga suos teneritudinem: nam qui ad suas plagas obduruerat, ad suorum lacrymas liquescebat. Sic enim D. Chrys. obseruat hom. 45. *Nihil*, inquit, *Paulo in amore indulgentius. Quia videbat lacrymantes, dolebat; qui in propriis tentationibus non patiebatur.*

D. Paulus ad suorũ lacrymas doluit, ad suas plagas obduruit. D. Chrys.

XVI. *D. Pauli ad labores auiditas.*

Deinde eiusdem Pauli ad proprias pœnas ac labores auiditatem. Nam, cùm vincula & carceres sibi propositos videret; ipse nihilominùs in vinculis & carceribus non sistebat; sed ad cruces ac mortes aspirabat: quasi leuioribus pœnis non contentus, grauiores auidissimè sitiret. Et expende modum, quo Agabus suos Paulo labores denuntiauit. *Tulit*, inquit Textus, *zonam Pauli, & alligans sibi pedes & manus dixit: Virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt Iudæi*, &c. Ibid. n. 11. Se ipsũ quidem, nõ Paulum alligauit; vt significaret, fore vt Paulus suos labores & cruciatus non magis sentiret, quàm si illos in aliena persona pateretur: tanta ad eos subeundos voluntate ferebatur: & proinde quoscunque audiebat, paruos iudicans, ad maiores exorbendos æstuabat. Quem ille alter Euangelij Præco, & Gentium Doctor, & Orientis Apostolus S. Franciscus Xauerius egregiè imitatus est, qui immensa laborum Iliade sibi à Deo proposita, adhuc veluti sitibundus exclamabat: *Non sat est, Domine; non sat est.*

S. Franc. Xauerius Pauli imitator.

• SECTIO II.

Deo pœnas imponenti humiliter consentiendum.

I. *Deo coronãti consentire, facile; flagellanti, difficile.*

CVm Deo pœnas intendente non expostulauit Heli, sed potiùs humiliter concordauit. *Dominus*, inquit, *est: quod bonum est in oculis suis, faciat.* In quo eius virtus non mediocriter enituit. Facile enim est, Deo coronanti consentire; flagellanti, difficillimum: nisi quis diligenter attendat, Deum appellari Verbum; seu, vt

A Græci loquuntur, *λόγον*; hoc est, Rationem, quòd nihil contra, aut præter rationem exequatur. Hinc se in suis laboribus consolabatur D. Greg. Nazian. epist. 63. *Gratias*, inquit, *ago, sicut in lætis rebus; ita etiam in acerbis: quandoquidem illud exploratum habeo, nihil rerum nostrarum apud summam Rationem expers rationis esse.*

Deus appellatur Ratio, ne sine illa punire existimetur. D. Greg. Naz.

II. *Pœna ex consideratione diuini beneplaciti dulcescunt.* D. Chrys.

Quare sanctissimi viri sub diuinæ voluntatis beneplacito suorum laborũ acerbitatem obruebant. Iobus à Diabolo spoliatus; nihilominùs dicebat: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Iob. 1. n. 21. quia non exequutorem attendebat, sed auctorem: vt notauit D. Chrys. hom. 5. in priorem Epistolam ad Thes. Vnde acerbitas pœnarum illi à Diabolo inflicta, in Deum, tanquàm in auctorem

B vltimum relata, sanctissimo viro dulcescebat. Ioseph venditus à fratribus suam venditionem in diuinam voluntatem referebat. *Nõ vestro*, inquit, *consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* Gen. 45. n. 8. Quare Deum suæ pœnæ auctorem veneratus; nec in fratres odio laborabat, nec seruitutis molestias sentiebat. Dauid à filio impetitus, & ab vrbe expulsus, & in fugam actus, mira cum modestia dixit ad Sacerdotem: *Reporta Arcã Dei in vrbem: si inuenero gratiam in oculis Domini; reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi: Non places. Præsto sum: faciat quod bonum est coram se.* 2. Reg. 15. n. 25. & 26. Siue beneficium, siue supplicium accepturus; totum se ad Dei placitum conformabat. Idem Dauid & conuitiis,

Qui Deũ suæ pœnæ auctorẽ veneratur, exequutores non odit.

C & lapidibus à Semei dilaceratus, non seruum maledicentem, sed Dominum maledicere imperantem respiciebat: *Dominus*, inquit, *præcipit ei, vt malediceret Dauid. Et quis est, qui audeat dicere, quare sic fecerit?* 2. Reg. 16. n. 10. Vnde neque in aduersariũ contumelias regerebat; neque pro cõtumeliis auditis à diuinis laudibus cessabat.

III. *Consensus cũ Deo in pœnis, à pœnis liberat.*

Præstat hic cum diuina voluntate consensus maximam à periculis immunitatem. Roboam Rex Israël, & cæteri regni Proceres, audientes à Propheta Semeïa, fore, vt Sesac Regi Ægyptio in seruitutem traderẽtur; hæc tantùm verba responderunt: *Iustus est Dominus.* 2. Paralip. 12. num. 6. Sed ea tantùm fuerunt satis, vt à Deo supplicia reuocarentur. Subdit enim statim Deus: *Quia*, inquit, *humiliati sunt, non disperdam eos.* Ibid. num. 7.

D Cùm enim humana voluntas diuinæ maximè se conformat; tunc potissimùm diuina voluntas humanæ morigeratur. Azarias per Nabuchodonosoris tyrannidem in flammas missus, sed per Dei beneuolentiam inter flammas illæsus, corde pariter, & ore decãtabat: *Iustus es, Domine, in omnibus, quæ fecisti nobis.* Dan. 3. n. 27. Quæ fortasse cum diuina voluntate conformitas, eum inter ignes ambulantem, tanquàm murus inter hostes tuebatur.

IV. *Azarias inter beneficia, & supplicia constitutus; hæc potiùs, quàm illa gratulatur.*

Sed obiter notanda Azariæ gratulatio. Nam, cùm esset inter supplicia, & beneficia constitutus: hinc damnatus ad flammas, illinc à flammis liberatus: ipse nihilominùs tacitis beneficiis, sola supplicia suscepit decantanda. *Tradidisti*, inquit, *nos in*

E *manibus inimicorum nostrorum iniquorum & pessimorum*, &c. Ibidem, à n. 32. Cur, ô Azaria, sicut Deo gratularis, te in hostiles manus traditum fuisse; pariter non gratularis, te ab iisdem mirabiliter ereptum? Audire mihi videor respondentem, vt non solùm in fauoribus, sed præcipua quadam ratione in laboribus cum diuina voluntate consentire videretur: & vt se non solùm Deo gratum pro beneficiis exhiberet; sed multò etiã pro suppliciis gratiorem; cùm non minor ex his, quàm ex illis vtilitas reportetur. Cui responsioni fauet Tertul. lib. De patientia, c. 11. *Si à Domino*, inquit, Tert.

nonnulla

nonnulla credimus incuti; cui magis patientiam, quàm Domino præbeamus? Quin insuper gratulari & gaudere nos docet, dignatione diuinæ castigationis: Ego, inquit, quos diligo, castigo. Apoc. 3. n. 19. *O seruum illum beatum, cuius emendationi Dominus instat: cui dignatur irasci: quem admonendi dissimulatione non decipit!*

V.
Diuina flagellandi potestas à Iacobo in morte adoratur.

In huius rei typum Iacobus moriturus *Adorauit Dominum, conuersus ad lectuli caput.* Gen. 47. n. 31. seu, vt D. Paulus transcripsit: *Adorauit fastigium virgæ eius.* Hebr. 11. n. 21. Nam, cùm in illa Iosephi virga diuinam ad flagellãdum potestatem mysticè recognosceret; ei se posterorum nomine percutiendum submittebat: vt ostenderet, quæcunque a Deo supplicia infligãtur, libenti animo amplectenda. Nec sine mysterio, quod in Genesi dicitur *lectulus*, à D. Paulo *virga* nominatur: quia probi & iusti homines non minùs inter diuinas virgas, quàm inter molles lectulos conquiescunt.

Virga, dicitur lectulus.

Quod mihi videtur exprimi in Esther, quæ tunc felicissimè regnauit, & Regis gratiam promeruit; cùm Assuerus *extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu: ipsáque accedẽs osculata est summitatem virgæ eius.* Esth. 5. n. 2. Nam illi è suppliciis diuinis faciliùs & feliciùs euadunt; qui supplicia diuina humiliùs & libentiùs amplectuntur.

VI.
Dauid contra culpas armatus, è contra pœnas non armabat.

Vnde Dauid, saluâ conscientia, cuius puritati præcipuè studebat, pœnas non admodum sollicitus euitabat. Quare fugiens Absalonem, passus non est, Arcam fœderis, vt aliàs fieri solebat, secũ in exercitu deportari; sed per Sacerdotem Sadoc in vrbem reportandam curauit; vt paulò antè ex 2. Reg. 15. n. 25. referebam: ne se videretur vnius Arcæ præsidio contra pœnas diuinitùs immissas obarmare; quibus alioqui se libenter feriendum exponebat.

D. Chrys.

Qua de re D. Chrysost. homil. 3. in Matth. *Cùm*, inquit, *illum tyrannum fratricidam, & patricidam pro se regnantem videret; nec sic quidem scandalũ mente concepit. Sed, si, inquit, hoc visum fuerit Deo, me quidem errare semper, & exulare; illum verò regnare: amplector, atque suscipio, & habeo pro innumeris, quæ mihi à Deo inferuntur, tribulationibus gratiam. Longè aliter quamplurimi impudentes pariter, & arrogantes: qui, cùm ne minimam quidem partem de illius virtute possideant; si quos videant prosperè agentes; se verò paruam sufferre mæstitiam animas suas non metuunt mille vulnerare blasphemiis.*

VII.
Sancti in suis pœnis Deum punitorem iustum confitentur.
David
D. Ambr.
Ieremias.

Hinc illa Dauidis vox, non solùm in hac calamitate, sed in omnibus, quibus se à Deo premi & vexari sentiebat: *Iustus es, Domine; & rectum iudicium tuum.* Psal. 118. n. 137. Vbi D. Ambros. ser. 18. *Vulgus*, inquit, *hominum iniustè se putat tolerare, quæ patitur. At verò vir iustus, qui se ipsum statim in exordio sermonis accusat; iustitiam Domini prædicat, quòd meritis suis digna patiatur.* Quod statim pluribus illustrat exemplis. Nam Ieremias, *cùm in luti voragine turpi necandus illuuie mergeretur, clamabat: Iustus es, Domine.* Licèt enim hæc confessio nõ inueniatur in vulgata, Ierem. 38. neque in Sixtiana, Ier. 45. quibus locis hæc historia narratur: nihilominùs eam fortasse codices, quibus vtebatur Ambrosius, continebant: aut certè Prophetæ patientia in suis pœnis subeundis eam nõn obscurè insinuabat. Rursus idem Propheta, *cùm vilis plebis miserandis seruitiis angeretur, clamabat: Iustus est Dominus; quia os eius ad iracundiam prouocaui.* Thren. 1. n. 18. Neque enim tantam cladem sine hominum culpis, quibus meritissimò deberetur, contigisse existimabat.

VIII.
Tres pueri in fornace.

Sic & Hebræi, *Cùm fornacis ardentis ambirentur incendiis, clamabant: Iustus es, Domine, in omnibus, quæ fecisti nobis.* Dan. 3. n. 27. Et ideò meruerunt, vt A illæsi *ignibus, Domini iustitias prædicarent.* Prætereà ipse Daniel semel atque iterum missus in lacum leonum, Dan. 6. n. 16. & Dan. 14. n. 30. *& immanium ferarum sæuitia, atque horrore circundatus, recta omnia esse in conspectu Domini imperterrito clamore iactabat.* Quod sanè Propheta in vtroque loco, & factis expressit, & verbis non obscuris prædicauit.

Daniel in lacu leonum

Denique, *Ionas inclusus vtero bestiali, vix habẽs anhelandi spiritus commeatum, iustus iniustorum sorte damnatus, clamabat de ventre ceti: Ego autem in voce laudis immolabo tibi.* Ion. 2. num. 10. Tantùm enim aberat à querelis in Deum iaciendis, vt totus in gratiarum actiones effunderetur.

Ionas in ventre ceti.

Tandem, *ipse pater fidei Abraham, cùm ad immolandum vnicus à sene filius posceretur, paternæ pietatis affectum, diuinæ* B *confessione iustitiæ temperabat, dicens: Iustus es, Domine. Non enim poscis alienum, sed tuum reposcis: ipsum tibi restituo, quem dedisti.* Sic enim credendum est, Abrahamum in illo suo sacrificio philosophatum, ac de sua voluntate depulsum, ad diuinam exequendam alacriter erectum.

Abraham in immolatione filij.

IX.
Iobus in suarum rerum iactura.

Quid plura? Concludit Ambrosius exemplo Iobi, amittentis quidẽ omnia externa bona; vnum tamen cum diuina voluntate consensum perpetuò retinentis: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Iob. 1. num. 21. Nam, si verum est illud Apostoli: *Quid habes, quod non accepisti?* 1. Cor. 4. n. 7. Cur indignatur iustus, se, quod acceperit, reddidisse? Quòd, si nostrum nihil est: profectò, inquit C Ambrosius, quæ videmur amittere, *reddimus, non amittimus. Iustus ergo Dominus in periculis, iustus in damnis, iustus in vltionibus est: non solùm, quia vnusquisque iusta pœna suæ culpas luit; verùm etiam, quia dum vnus punitur, plurimi corriguntur.* Absit itaque, vt optimus quisque punienti Deo renitatur; sed potiùs curet, vt illius voluntati ad amussim conformetur.

Iustus Dominus in pœnis, quas infert.

X.
Diuina supplicia effugiuntur, cùm patienter expectantur.
D. August.

Igitur Heli pœnas sibi à Deo infligendas non recusauit arrogans, sed humilis expectauit. Deum enim, quia Dominus erat, effugere non valebat: quia bonus, non volebat. Immò nunquam diuina supplicia meliùs effugiuntur, quam cùm patienter expectantur. Vnde D. Aug. *Si vis*, inquit, *à Deo fugere, ad Deum fuge.* Et in Psal. 138. num. 9. ibi: D *Si sumpsero pennas meas diluculo*, &c. Deũ alloquutus: *Possum*, inquit, *fugere à facie tua ad faciem tuam: & à facie irati ad faciem placati.* Concinit Clemens Alex. in Exhortatoria ad Gentes, in fine: *Pulchrum*, inquit, *est periculum ad Deum transfugere.* Nec aliter sentit Tert. lib. De fuga in persecutione, c. 10. *Vbicunque*, inquit, *fuero, in manus eius sum: faciat quod vult, non discedo: & si perire me volet, ipse me perdat; dum me ego seruo illi.* Nec immeritò: nam, si Græcus ille Achemenides, Troianorum manibus mactari cupiebat, dicens:

Clem. Al.
Tert.

Si pereo, manibus hominum periisse iuuabit:

Virg.
Patientia, & impatientia in pœnis, bonos malósque distinguunt.
D. August.

cur optimus quisque Dei manibus perire non exoptet? Lege D. Augustin. lib. 1. De Ciuit. cap. 8. vbi discrimen inter probos, improbósque constituit; quòd illi à Deo verberati patienter ferant: E hi verò impudenter & procaciter in blasphemias erumpant.

SECTIO III.

Veracem monitorem libenter audiendum.

I.
Heli erga monitorẽ suũ beneuolentia.

MOdestè tulit longæuus senex à puero ephebo reprehendi: immò, quod crediderim, eum posteà nõ solùm diligebat vt filium; sed etiã venerabatur vt parentem. Rara virtus, & maximè commendanda: non intueri obliquis oculis

eum, à quo censorio vngue perstringaris. Quod ex vtroque Testamento breuiter illustrabo. Ex veteri: Ioseph adhuc puer *accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Gen. 37. n. 2. Sunt, qui dicant apud Lyranum, nõ omnes fratres, sed vnum Ruben natu maximum fuisse à Iosepho accusatum, quòd thorum patris sui violarit; vt Gen. 35. n. 12. narratur: neque nouum esse in Scriptura, plures pro vno per Synecdochem vsurpari, vt ibi pluribus exemplis confirmant. Si ita est, vlteriùs inquiro, grauitérne tulerit Roben, se natu maiorem à fratre iuniore accusari? Minimè profectò, si litera rectè expendatur: immò potiùs peculiari eum studio & amore prosequebatur; vt multis potest indiciis confirmari. Primò, quia, cùm cæteri fratres ad Iosephum occidendum conspirassent, solus Ruben, vt est in Litera, *Nitebatur liberare eum de manibus eorum; & dicebat: Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem.* Gen. 37. n. 21. Secundò, quia, cùm posteà reliqui fratres de vendendo Iosepho cogitassent, solus Ruben aberat, impediturus planè eorum consiliũ, si adesset. Sed quò recesserat? Respondet Lyranus, abiisse *ad quærenda pascua meliora; vt fratres suos faceret elongare à fouea, in qua erat Ioseph; vt sic eis absentibus, meliùs posset eum extrahere, & reddere patri suo.* Tertiò, quia tandem reuersus, & puerum in cisterna, vbi eum reliquerat, non inueniens, scissis vestibus, exclamauit: *Puer non comparet, & ego quò ibo?* Gen. 37. num. 30. Quasi, cùm de Iosephi periculo dubitaret, de salute ac vita propria actum crederet. Quis vnquam suum defensorem tanto studio prosequutus est, quanto hic suum accusatorem adamauit?

Ruben beneuole tulit à fratre iuniore accusari.
Lyra.

Lyra.

II. Aliud addo exemplum vnius Moysis, qui suo socero Iethro arguenti, & increpanti non solùm indignatus non est, sed etiam humiliter est obsequutus. Quam eius humilitatem, apud Patres celebratissimam, D. Chrysostom De ferendis reprehensionibus, & Conuersione Pauli, in tertio tomo, omnium latissimè & elegantissimè versat & illustrat. Primò, à dignitate personæ reprehensæ. Erat enim Moyses *eruditus omni sapientia Ægyptiorum, potens in verbis, & in operibus suis.* Actor. 7. num. 22. Erat Deo familiarissimus: *Loquebatur* enim *Dominus* ad eum *facie ad faciem; sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Exod. 33. n. 11. Erat *mitissimus super omnes homines, qui morabãtur in terra,* Num. 12. num. 3. Et *in omni domo* Dei *fidelissimus.* Ibid. n. 7. & omnium Prophetarum, qui illatenus floruerant, præstantissimus: nam ad alios in visione, aut per somnium loquebatur Dominus: ad Moysem *ore ad os*: qui *palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum* videbat. Vbi suprà, n. 8. Erat denique eximius patrator miraculorum, qui omnia ad suum nutum elementa gubernabat. *Imperabat* enim, inquit Chrysostom. *creaturæ, quia amicus erat Domini creaturæ.* Tandem erat omnium ductor & Princeps, cui ab omnibus obsequium & reuerentia debebatur. Quis ergo Princeps tam multis nominibus colendus, se à quouis alio argui pateretur? Secundò, à vilitate personæ arguentis. *Erat* enim *Iethro*, inquit Chrysostomus, *homo alioqui barbarus & insipiens, quique in solitudine vitam egerat, neque vlli communicarat, qui populos legibus rexerat: & ad hæc impius erat, quo non est certius insipientiæ argumentum: nihil enim Gentilibus est insipientius.* Tertiò, à grauitate reprehensionis. Eum enim & de culpa, & de stultitia damnauit, dicens: *Non bonam rem facis, stulto labore consumeris.* Exodi 18. n. 18. Et, quod grauius est, hanc Moysi censuram palàm & coram omnibus

Moysis in audiendo socero humilitas, & benignitas.
D. Chrys.

Dignitas Moysis admoniti.

Vilitas Iethro admonentis.

Grauitas admonitionis.

A impegit, cùm scilicet Moyses sedebat, *vt iudicaret populum, qui assistebat ei.* Ibidem, n. 13. Quid autem durius & acerbius, quàm Prælatum coram subditis argui: sapientem de stultitia reprehendi: iustum de culpa damnari?

En difficultas huius reprehensionis tolerandæ, triplici ex capite longè maxima. Quid verò Moyses? *Et neque sic*, inquit Chrys. *exasperatus est ille sapiens, ille intelligens, ille tot myriadum Dux.* Iniquè non ferebat, se Principem à priuato argui: se sapientem à barbaro doceri: se iustum ab impio damnari: se miraculorum operatorem à cultore idolorum reprehendi. Ad hæc addit Chrysost. *Neque rubore suffundebatur, quòd tot præsentibus, iisque subditis, corrigeretur. Sed considerabat, quòd licet magna à se signa fierent; humana tamen particeps* B *esset natura, quam non rarò multa latent: atque ideò cũ mansuetudine consilium suscepit.* Et statim inuehitur in eos, qui ab hac Moysis humilitate longissimè recedentes, *Malunt vtilitate consilij carere, quàm suscepta admonitione peccatũ emendare: immò eligunt ignorare, potiùs quàm discere: quamuis sciant, non esse crimen ignorare; sed nolle discere: non indoctum esse; sed doctrinam respuere: non reprehendi; sed inemendabiliter peccare.* Non ita Moyses, non ita: sed longè aliam exorsus viam, ait Chrysostomus, *Non dixit intra semetipsum: Contemnent me subditi, si ab aliis, quid faciendum sit, didicero: sed obtemperauit.*

III.
Moyses passus fuit, se multis nominibus clarũ ab homine obscuro palàm reprehendi.

Aliam huius humilitatis circunstantiam expendit D. Chrysost. dignissimam, quæ omnium C linguis celebretur: quòd Moyses non solùm passus fuerit, se publice reprehendi; sed etiam suam ipse reprehensionem omnium posterorum memoriæ commendarit, literis eam consignando apud omnes perpetuò duraturis. *Moyses*, inquit, *tanquàm honestatus hac soceri admonitione, non illos solùm, qui tunc erant homines, sed etiam eos, qui vsque ad nostram ætatem sequuti sunt, & vsque ad Christi Aduentum erunt, per totum orbem factum hoc literis docuit: & quòd non potuerit animaduertere, quid facto opus fuerit; & quòd consilium & correctionem à socero acceperit.* Et statim inde digressus in vanos propriæ existimationis amatores: *Nos autem*, inquit, *si coram vno homine arguimur & corripimur, conturbamur totis visceribus, obstupescimus, & de vita hu-* D *ius summa periclitari nos putamus.*

IV.
Moyses suam reprehensionẽ verbis ad præsentes, & scriptis ad posteros euulgauit.

Magna sunt hæc, fateor, humilitatis, quã Moyses erga suum obiurgatorem exhibuit, monumenta. Vnum adhuc mihi videtur multò præclarius & mirabilius: non solùm enim reprehensionem modestè tulit, sed etiam reprehensorem honorauit. Nam ad Hobab, quem eundem esse cum Iethrone sentiunt multi; vt ad cap. 15. ostendemus: *Veni*, inquit, *nobiscum, vt benefaciamus tibi.* Numer. 10. n. 29. Illo autem renuente, iterum institit: *Noli*, inquit, *nos relinquere, &c. & eris ductor noster. Cùmque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi.* Ibid. à n. 31. Vbi non solùm preces adhibuit, vt veniret; sed etiam, vt eum exoraret, E promisit opes & honores, & illam denique felicitatem, quam in terra Promissionis sperabat. Cur, quæso, tam liberalem se præstitit in Iethronem? Credo, vt hanc eius admonitionem & obiurgationem hisce beneficiis compensaret. Admoneri enim & obiurgari, immortale beneficium existimauit, nullis vnquam opibus & honoribus satis dignè rependendum.

V.
Non modò reprehensionem modestè tulit; sed etiã reprehensorẽ honorauit.

Nec mirum, tam gratum se Moysen in suum obiurgatorem præsentem ac viuentem præbuisse; cùm etiam Saül longo pòst tẽpore in eius posteros se gratissimum exhibuerit: euersurus enim Amalecitas,

VI.
Saül beneuolum se exhibuit posteris huius monitoris, in gratiam huius monitionis.

lecitas, præcepit Cinæis, de Iethronis semioe propagatis, vt recederent de medio illorum, ne pari cum illis exitio inuoluerentur. Et rationem reddit: *Tu enim*, inquit, *fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cùm ascenderent de Ægypto.* 1. Reg. 15. num. 6. Quæ misericordia, interprete Ruperto lib. 2. in Num. c. 24. & aliis, ad eũ locum citandis, fuit illa obiurgatio, qua Iethro Moysis regimen arguit; & illud consilium, quo eundem Moysen ad vtiliorem gubernandi modum reuocauit. Si igitur Saul tam beneuolum ac beneficum se præbuit in Cinæos à Iethrone ortos, propter illam reprehensionem, qua olim eorum pater Iethro Moysen percusserat, & ab stulta gubernandi ratione ad congruentem prudentémque traduxerat: quid mirum, si ipse Moyses multis partibus Sauli præferendus suum reprehensorem diuitiis augeat, honoribus cumulet, omnibus officiis prosequatur ac veneretur?

Rupet.

VII. *David suam reprehensionẽ patienter & libenter audiuit.* D. Ambr.

Nõ minùs illustre fuit in hac re Dauidis exemplum. Nam, cùm eum Propheta Nathan acri obiurgatione pulsaret, dicens: *Quare ergo cõtempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo?* &c. 2. Reg. 12. n. 9. Dauid suam impatiens obiurgationem non reiecit; sed pœnitens auscultauit, dicens: *Peccaui Domino.* Ibid. n. 13. Qua de re D. Ambr. in Apol. 1. De Dauid, c. 2. *Ille Rex*, inquit, *tantus & potens, ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam; sed præmatura confessione, atque immenso dolore, reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi nunc facilè reperias honoratum ac diuitem, qui, si arguatur alicuius culpæ reus, non molestè ferat? At ille regio clarus imperio, tot diuinis probatus oraculis, cùm à priuato homine corriperetur, quòd grauiter deliquisset; non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit.*

VIII. *Suum reprehensorem, vt Deum obseruauit.* D. Epiph. *Optimo pædagogi munere nobilitauit.*

Nec solùm reprehensionem beneuolis auribus excepit; sed etiam ipsum reprehẽsorem omnibus beneuolentiæ studiis decorauit: vt testatur D. Epiphanius lib. De Prophetarum vita & interitu, in Nathan. *Honorabat*, inquit, *Dauid, & venerabatur hominem, tanquàm Numẽ, aut sanctum Dei.* Argumento, quòd filium, quem vnicè diligebat, Salomonem, in eius tradiderit pædagogiam: vt ex illis verbis, *Misit in manu Nathã Prophetæ.* 2. Reg. 12. n. 25. colligunt aliqui Interpretes: quamuis nõ admodum firma coniectura, vt Barrad. in tom. 1. conc. lib. 5. cap. 8. & Pineda lib. 1. De Salomone, cap. 19. aduertunt. Ex aliis tamen indiciis Pineda citatus id probabiliùs confirmat. Itaque Dauid suum reprehensorem filio suo pædagogum dedit: non solùm, vt filio consuleret, quem feliciter erudiendum ab eo, qui se acriter reprehenderat, non dubitabat; sed etiam, vt reprehensorem suum munere pædagogi, quo nullum erat in domo regia gloriosius, nobilitaret. Immò aliis eum honoribus impertiuit, aliis eum muneribus cumulauit, vt insinuare videtur Pineda, vbi suprà: quasi obiurgatorem suum non minori beneuolentia, quàm egregium benefactorem prosequeretur.

Barrad. Pined.

IX. *D. Paulus grauiter reprehendit D. Petrum.*

Iam verò ex nouo Testamento longè clarissimum desumitur exemplum. Nam D. Paulus minimus Apostolorum Petrum omniũ maximum aliquando acriter reprehendit. *In faciem*, inquit, *ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Galat. 2. n. 11. Et rursus: *Dixi*, inquit, *Cephæ coram omnibus: si tu, cùm Iudæus sis, gentiliter viuis, & non iudaicè; quomodo Gentes cogis iudaizare?* Ibid. num. 14. Vbi non immoror explicando, an, & quàm grauiter Petrus peccauerit, subtrahendo se à Gentilium commercio, ne Iudæi turbarentur: est enim hoc operosum, & à præsenti instituto alienum. Sed suppono ex Suario lib. 9. De legibus, c. 20. à n. 23. Petrum lethaliter nõ peccasse, cùm iam esset in gratia confirmatus; sed culpã tantùm venialem, aut etiã nullam omninò incurrisse; cùm neque operantis intentio, neque actio ipsa ex obiecto praua esset: fecisse tamen aliquid, quod non expediret, quamuis liceret: neque enim hæc repugnant; teste eodem Apostolo: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.* 1. Corinth. 6. num. 12. & in hoc tantùm defecisse; iudicando, magis expedire, quod minùs expediebat; quamuis semper ageret, quod liceret: atque ob hunc defectum tam exiguum fuisse à Paulo acriter reprehensum.

Suar. *Non ob culpã lethalem, & forte nec venialem.*

X. *D. Petrus reprehensionem humiliter tulit.* D. Cypr.

Ex quo singularis Petri humilitas colligitur; qui tam leuem ob defectum tam grauẽ reprehensionem patienter tolerauit. Vnde D. Cypr. epist. ad Quintum, De hæreticis baptizandis: *Nec Petrus*, inquit, *quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam; cùm secum Paulus de circuncisione postmodum disceptaret; vindicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit: vt diceret, se primatum tenere; & obtemperari à nouellis & posteris sibi potiùs oportere. Nec despexit Paulum, quòd Ecclesiæ priùs persecutor fuisset; sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quã Paulus vindicabat, consensit: documentum nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus; sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris vtiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potiùs nostra ducamus.* Sic & D. Greg. lib. 28. Moral. c. 6. aliàs 12. vbi D. Petri, & in repellendis improbis consiliis, & in admittendis probis, disciplinam admiratus: *Petrus*, inquit, *postquàm libertate vocis auctoritatem Principum pressit; per humilitatem cordis, de non circuncidendis Gentibus Pauli consiliũ audiuit. Sic enim semetipsum contra aduersarios ex auctoritate curabat erigere, vt tamen sibimetipsi non crederet in his, quæ non rectè sentiret: vt & libertate fortitudinis tumentes potestates excederet, & humilitate mansuetudinis obedientiam in recto consilio etiam minoribus fratribus exhiberet.*

D. Greg.

XI. *Reprehensorem suum, & dilexit, & laudauit.*

Sed illud est, quod in hac Petri humilitate ampliùs admirere; nempe, quòd nõ modò reprehensionem libenter audierit, sed etiam ipsum reprehensorem beneuolentiùs dilexerit. Tantùm enim abfuit, vt Petrus ex hac reprehensione Paulo redderetur infensus; vt eũ posteà incredibiliter commendaret. Nam scribens, tum ad alios, tum etiam ad eosdem Galatas: *Satagite*, inquit, *immaculati & inuiolati ei inueniri in pace; & Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini; sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis*, &c. 2. Petri 3. n. 14. & 15. Vbi charissimum fratrem vocat, à quo fuerat reprehensus. Veritas enim, quæ aliis odium parit, maiorem Petro charitatem ingerebat. Sapientiam è cælo datam illum habuisse confitetur, qui suam ignorantiam arguerat: vt eorum arrogantia frænetur, qui suam tantùm sapientiam venditantes; omnium qui se docere volunt, extremam etiam stultitiam arbitrantur.

XII. D. Greg. *D. Petrus laudãs suum reprehensorẽ, maximè laudandus, admirandus, imitandus.*

Quare D. Greg. hom. 18. in Ezechielem, citatũ Petri locum egregiè commentatus: *Ecce*, inquit, *Paulus in Epistolis suis scripsit Petrum reprehensibilem: & ecce Petrus in Epistolis suis asserit, Paulum in his quæ scripsit, admirandum.* Et paulò pòst, *Pensate ergo*, inquit, *in quo mentis vertice stetit, qui illas Epistolas laudauit, in quibus scriptum se vituperabilem inuenit? Quæ illa mansuetudo tanta esse potuit? Quæ quies animi, quæ soliditas, atque imperturbatio cogitationis? Ecce à minori suo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam reuocat, quòd*

eum, à quo censorio vngue perstringaris. Quod ex vtroque Testamento breuiter illustrabo. Ex veteri: Ioseph adhuc puer *accusauit fratres suos apud patrem crimine pessimo.* Gen. 37. n. 2. Sunt, qui dicant apud Lyranum, nõ omnes fratres, sed vnum Ruben natu maximum fuisse à Iosepho accusatum, quòd thorum patris sui violarit, vt Gen. 35. n. 22. narratur: neque nouum esse in Scriptura, plures pro vno per Synecdochem vsurpari, vt ibi pluribus exemplis confirmant. Si ita est, vlteriùs inquiro, grauitérne tulerit Ruben, se natu maiorem à fratre iuniore accusari? Minimè profectò, si litera rectè expendatur: immò potiùs peculiari cum studio & amore prosequebatur; vt multis potest indiciis confirmari. Primò, quia, cùm cæteri fratres ad Iosephum occidendum conspirassent, solus Ruben, vt est in Litera, *Nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem.* Gen. 37. n. 21. Secundò, quia, cùm posteà reliqui fratres de vendendo Iosepho cogitassent, solus Ruben aberat, impediturus planè eorum consiliũ, si adesset. Sed quò recesserat? Respondet Lyranus, abiisse *ad quærenda pascua meliora; vt fratres suos faceret elongare à fouea, in qua erat Ioseph, vt sic eis absentibus, meliùs posset eum extrahere, & reddere patri suo.* Tertiò, quia tandem reuersus, & puerum in cisterna, vbi eum reliquerat, non inueniens, scissis vestibus, exclamauit: *Puer non comparet, & ego quò ibo?* Gen. 37. num. 30. Quasi, cùm de Iosephi periculo dubitaret, de salute ac vita propria actum crederet. Quis vnquam suum defensorem tanto studio prosequutus est, quanto hic suum accusatorem adamauit?

Ruben beneuole tulit à fratre iuniore accusari.
Lyra.
Lyra.

II. Aliud addo exemplum vnius Moysis, qui suo socero Iethro arguenti, & increpanti non solùm indignatus non est, sed etiam humiliter est obsequutus. Quam eius humilitatem, apud Patres celebratissimam, D. Chrysostom De ferendis reprehensionibus, & Conuersione Pauli, in tertio tomo, omnium latissimè & elegantissimè versatus & illustrat. Primò, à dignitate personæ reprehensæ. Erat enim Moyses *eruditus omni sapientia Ægyptiorum, potens in verbis, & in operibus suis.* Actor. 7. num. 22. Erat Deo familiarissimus: *Loquebatur* enim *Dominus* ad eum *facie ad faciem; sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Exod. 33. n. 11. Erat *mitissimus super omnes homines, qui morabãtur in terra.* Num. 12. num. 3. Et *in omni domo* Dei *fidelissimus.* Ibid. n. 7. & omnium Prophetarum, qui illatenus floruerant, præstantissimus: nam ad alios in visione, aut per somnium loquebatur Dominus: ad Moysem *ore ad os*: qui *palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum* videbat. Vbi suprà, n. 8. Erat denique eximius patrator miraculorum, qui omnia ad suum nutum elementa gubernabat. *Imperabat* enim, inquit Chrysostom. *creaturæ, quia amicus erat Domini creaturæ.* Tandem erat omnium ductor & Princeps, cui ab omnibus obsequium & reuerentia debebatur. Quis ergo Princeps tam multis nominibus colendus, se à quouis alio argui pateretur? Secundò, à vilitate personæ arguentis. *Erat* enim *Iethro*, inquit Chrysostomus, *homo alioqui barbarus & insipiens, quique in solitudine vitam egerat, neque vlli communicarat, qui populos legibus rexerat: & ad hoc impius erat, quo non est certius insipientiæ argumentum: nihil enim Gentilibus est insipientius.* Tertiò, à grauitate reprehensionis. Eum enim & de culpa, & de stultitia damnauit, dicens: *Non bonam rem facis, stulto labore consumeris.* Exodi 18. n. 18. Et, quod grauius est, hanc Moysi censuram palàm & coram omnibus impegit, cùm scilicet Moyses sedebat, *vt iudicaret populum, qui assistebat ei.* Ibidem, n. 13. Quid autem durius & acerbius, quàm Prælatum coram subditis argui: sapientem de stultitia reprehendi: iustum de culpa damnari?

Moysis in audiendo socero humilitas, & benignitas.
D. Chrys.
Dignitas Moysis admoniti.
Vilitas Iethro admonentis.
Grauitas admonitionis.

III. En difficultas huius reprehensionis tolerandæ, triplici ex capite longè maxima. Quid verò Moyses? *Et neque sic*, inquit Chrys. *exasperatus est ille sapiens, ille intelligens, ille tot myriadum Dux.* Inique non ferebat, se Principem à priuato argui: se sapientem à barbaro doceri: se iustum ab impio damnari: se miraculorum operatorem à cultore idolorum reprehendi. Ad hæc addit Chrysost. *Neque rubore suffundebatur, quòd tot præsentibus, iisque subditis, corrigeretur. Sed considerabat, quòd licet magna à se signa fierent; humanæ tamen particeps esset naturæ, quam non rarò multa latent: atque ideò cũ mansuetudine consilium suscepit.* Et statim inuehitur in eos, qui ab hac Moysis humilitate longissimè recedentes, *Malunt vtilitate consilij carere, quàm suscepta admonitione peccatũ emendare: immò eligunt ignorare, potiùs quam discere: quamuis sciant, non esse crimen ignorare, sed nolle discere: non indoctum esse, sed doctrinam respuere: non reprehendi; sed inemendabiliter peccare.* Non ita Moyses, non ita: sed longè aliam exorsus viam, ait Chrysostomus, *Non dixit intra semetipsum: Contemnent me subditi, si ab aliis, quid faciendum sit, didicero: sed obtemperauit.*

Moyses passus fuit, se multis nominibus clarũ ab homine obscuro palàm reprehendi.

IV. Aliam huius humilitatis circunstantiam expendit D. Chrysost. dignissimam, quæ omnium linguis celebretur: quòd Moyses non solùm passus fuerit, se publicè reprehendi; sed etiam suam ipse reprehensionem omnium posterorum memoriæ commendarit, literis eam consignando apud omnes perpetuò duraturis. *Moyses*, inquit, *tanquàm honestatus hac soceri admonitione, non illos solùm, qui tunc erant homines, sed etiam eos, qui vsque ad nostram ætatem sequuti sunt, & vsque ad Christi Aduentum erunt, per totum orbem factum hoc literis docuit: & quòd non potueris animaduertere, quid facto opus fuerit; & quòd consilium & correctionem à socero acceperit.* Et statim inde digressus in vanos propriæ existimationis amatores: *Nos autem*, inquit, *si coram vno homine arguimur & corripimur, conturbamur totis visceribus, obstupescimus, & de vita huius summa periclitari nos putamus.*

Moyses suam reprehensionẽ verbis ad præsentes, & scriptis ad posteros euulgauit.

V. Magna sunt hæc, fateor, humilitatis, quã Moyses erga suum obiurgatorem exhibuit, monumenta. Vnum adhuc mihi videtur multò præclarius & mirabilius: non solùm enim reprehensionem modestè tulit, sed etiam reprehensorem honorauit. Nam ad Hobab, quem eundem esse cum Iethrone sentiunt multi; vt ad cap. 15. ostendemus: *Veni*, inquit, *nobiscum, vt benefaciamus tibi.* Numer. 10. n. 29. Illo autem renuente, iterum institit: *Noli*, inquit, *nos relinquere*, &c. *& eris ductor noster. Cùmque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi.* Ibid. à n. 31. Vbi non solùm preces adhibuit, vt veniret; sed etiam, vt eum exoraret, promisit opes & honores, & illam denique felicitatem, quam in terra Promissionis sperabat. Cur, quæso, tam liberalem se præstitit in Iethronem? Credo, vt hanc eius admonitionem & obiurgationem hisce beneficiis compensaret. Admoneri enim & obiurgari, immortale beneficium existimauit, nullis vnquam opibus & honoribus satis dignè rependendum.

Non modò reprehensionem modestè tulit: sed etiã reprehensorẽ honorauit.

VI. Nec mirum, tam gratum se Moysen in suum obiurgatorem præsentem ac viuentem præbuisse, cùm etiam Saül longo pòst tẽpore in eius posteros se gratissimum exhibuerit: euersurus enim Amalecitas,

Saül beneuolum se exhibuit posteris huius monitoris, in gratiam huius monitionis.

lecitas, præcepit Cinæis, de Iethronis semine propagatis, vt recederent de medio illorum, ne pari cum illis exitio inuoluerentur. Et rationem reddit: *Tu enim*, inquit, *fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cùm ascenderent de Ægypto*. 1. Reg. 15. num. 6. Quæ misericordia, interprete Ruperto lib. 2. in Num. c. 24. & aliis, ad eū locum citandis, fuit illa obiurgatio, qua Iethro Moysis regimen arguit; & illud consilium, quo eundem Moysen ad vtiliorem gubernandi modum reuocauit. Si igitur Saül tam beneuolum ac beneficum se præbuit in Cinæos à Iethrone ortos, propter illam reprehensionem, qua olim eorum pater Iethro Moysen percusserat, & ab stulta gubernandi ratione ad congruentem prudentémque traduxerat: quid mirum, si ipse Moyses multis partibus Sauli præferendus suum reprehensorem diuitiis augeat, honoribus cumulet, omnibus officiis prosequatur ac veneretur?

Rupert.

VII.

David suam reprehensionē patienter & libenter audiuit.

D. Ambr.

Nō minùs illustre fuit in hac re Dauidis exemplum. Nam, cùm eum Propheta Nathan acri obiurgatione pulsaret, dicens: *Quare ergo cōtempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo?* &c. 2. Reg. 12. n. 9. Dauid suam impatiens obiurgationem non reiecit; sed pœnitens auscultauit, dicens: *Peccaui Domino*. Ibid. n. 13. Qua de re D. Ambr. in Apol. 1. De Dauid, c. 2. *Ille Rex*, inquit, *tantus & potens, ne exiguo quidem momento manere penes se delicti passus est conscientiam; sed præmatura confessione, atque immenso dolore, reddidit peccatum suum Domino. Quem mihi nunc facilè reperias honoratum ac diuitem, qui, si arguatur alicuius culpæ reus, non molestè ferat? At ille regio clarus imperio, tot diuinis probatus oraculis, cùm à priuato homine corriperetur, quod grauiter deliquisset; non indignatus infremuit, sed confessus ingemuit.*

VIII.

Suum reprehensorem, vt Deum obseruauit.

D. Epiph.

Optimo pædagogi munere nobilitauit.

Nec solùm reprehensionem beneuolis auribus excepit; sed etiam ipsum reprehēsorem omnibus beneuolentiæ studiis decorauit: vt testatur D. Epiphanius lib. De Prophetarum vita & interitu, in Nathan. *Honorabat*, inquit, *Dauid, & venerabatur hominem, tanquàm Numē, aut sanctum Dei*. Argumento, quòd filium, quem vnicè diligebat, Salomonem, in eius tradiderit pædagogiam: vt ex illis verbis, *Misit in manu Nathā Prophetæ*. 2. Reg. 12. n. 25. colligunt aliqui Interpretes: quamuis nō admodum firma coniectura, vt Barrad. in tom. 1. conc. lib. 5. cap. 8. & Pineda lib. 1. De Salomone, cap. 19. aduertunt. Ex aliis tamen indiciis Pineda citatus id probabiliùs confirmat. Itaque Dauid suum reprehensorem filio suo pædagogum dedit: non solùm, vt filio consuleret, quem feliciter erudiendum ab eo, qui se acriter reprehenderat, non dubitabat; sed etiam, vt reprehensorem suum munere pædagogi, quo nullum erat in domo regia gloriosius, nobilitaret. Immò aliis eum honoribus impertiuit, aliis eum muneribus cumulauit, vt insinuare videtur Pineda, vbi suprà: quasi obiurgatorem suum non minori beneuolentia, quàm egregium benefactorem prosequeretur.

Barrad.

Pined.

IX.

D. Paulus grauiter reprehendit D. Petrum.

Iam verò ex nouo Testamento longè clarissimum desumitur exemplum. Nam D. Paulus minimus Apostolorum Petrum omniū maximum aliquando acriter reprehendit. *In faciem*, inquit, *ei restiti, quia reprehensibilis erat*. Galat. 2. n. 11. Et rursus: *Dixi*, inquit, *Cephæ coram omnibus: si tu, cùm Iudæus sis, gentiliter viuis, & non iudaicè; quomodo Gentes cogis iudaizare?* Ibid. num. 14. Vbi non immotor explicando, an, & quàm grauiter Petrus peccauerit, subtrahendo se à Gentilium commercio, ne Iudæi turbarētur: est enim hoc operosum, & à præsenti instituto alienum. Sed suppono ex

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

Suario lib. 9. De legibus, c. 20. à n. 23. Petrum lethaliter nō peccasse, cùm iam esset in gratia confirmatus; sed culpā tantùm venialem, aut etiā nullam omninò incurrisse; cùm neque operantis intentio, neque actio ipsa ex obiecto praua esset: fecisse tamen aliquid, quod non expediret, quamuis liceret: neque enim hæc repugnant; teste eodem Apostolo: *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. 1. Corinth. 6. num. 12. & in hoc tantùm defecisse; iudicando, magis expedire, quod minùs expediebat; quamuis semper ageret, quod liceret: atque ob hunc defectum tam exiguum fuisse à Paulo acriter reprehensum.

Suar.

Non ob culpā lethalem; & fortè nec venialem.

X.

D. Petrus reprehensionem humiliter tulit.

D. Cypr.

Ex quo singularis Petri humilitas colligitur; qui tam leuem ob defectum tam grauē reprehensionem patienter tolerauit. Vide D. Cypr. epist. ad Quintum, De hæreticis baptizandis: *Nec Petrus*, inquit, *quem primum Dominus elegit, & super quem ædificauit Ecclesiam suam; cùm secum Paulus de circuncisione postmodum disceptaret; vindicauit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumpsit: vt diceret, se primatum tenere; & obtemperari à nouellis & posteris sibi potiùs oportere. Nec despexit Paulum, quòd Ecclesiæ prius persecutor fuisset; sed consilium veritatis admisit, & rationi legitimæ, quā Paulus vindicabat, consensit: documentum nobis, & concordiæ, & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter nostra amemus; sed quæ aliquando à fratribus & collegis nostris vtiliter & salubriter suggeruntur, si sint vera & legitima, ipsa potiùs nostra ducamus.* Sic & D. Greg. lib. 28. Moral. c. 6. aliàs 12. vbi D. Petri, & in repellendis improbis consiliis, & in admittendis probis, disciplinam admiratus: *Petrus*, inquit, *postquàm libertate vocis auctoritatem Principum pressit; per humilitatem cordis, de non circuncidendis Gentibus Pauli consiliū audiuit. Sic enim semetipsum contra aduersarios ex auctoritate curabat erigere, vt tamen sibimetipsi non crederet in his, quæ non rectè sentiret: vt & libertate fortitudinis tumentes potestates excederet, & humilitate mansuetudinis obedientiam in recto consilio etiam minoribus fratribus exhiberet.*

D. Greg.

XI.

Reprehensorem suum, & dilexit, & laudauit.

Sed illud est, quod in hac Petri humilitate ampliùs admirere; nempe, quòd nō modò reprehensionem libenter audierit, sed etiam ipsum reprehensorem beneuolentiùs dilexerit. Tantùm enim abfuit, vt Petrus ex hac reprehensione Paulo redderetur infensus; vt eū posteà incredibiliter commendaret. Nam scribens, tum ad alios, tum etiam ad eosdem Galatas: *Satagite*, inquit, *immaculati & inuiolati ei inueniri in pace; & Domini nostri longanimitatem, salutem arbitremini; sicut & charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis*, &c. 2. Petri 3. n. 14. & 15. Vbi charissimum fratrem vocat, à quo fuerat reprehensus. Veritas enim, quæ aliis odium parit, maiorem Petro charitatem ingerebat. Sapientiam è cælo datam illum habuisse confitetur, qui suam ignorantiam arguerat: vt eorum arrogantia frænetur, qui suam tantùm sapientiam venditantes; omnium qui se docere volunt, extremam etiam stultitiam arbitrantur.

XII.

D. Greg.

D. Petrus laudās suum reprehensorē, maximè laudandus, admirandus, imitandus.

Quare D. Greg. hom. 18. in Ezechielem, citatū Petri locum egregiè commentatus: *Ecce*, inquit, *Paulus in Epistolis suis scripsit Petrum reprehensibilem: & ecce Petrus in Epistolis suis asserit, Paulum in his quæ scripsit, admirandum*. Et paulò pòst, *Pensate ergo*, inquit, *in quo mentis vertice steterit, qui illas Epistolas laudauit, in quibus scriptum se vituperabilem inuenit? Quæ illa mansuetudo tanta esse potuit? Quæ quies animi, quæ soliditas, atque imperturbatio cogitationis? Ecce à minori suo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam reuocat, quòd*

primus in Apostolatum vocatus est: non quòd claues regni cælestis acceperit: non quòd peccata, quacunque in terra solueris, essent soluta & in cælo; non quòd in mari pedibus ambulauerit: non quòd paralyticos in Iesu nomine iubendo erexerat: non quòd ægros corporis sui vmbra sanauerat: non quòd mentientes verbo occiderat: non quòd mortuos oratione suscitabat. Ne igitur increpationis verba dedignaretur audire, omnia bona, quæ acceperat, quasi à memoria repulit, vt vnum fortiter humilitatis donum teneret. Eundem locum paulò aliter expendit Diuus Petrus Damianus lib. 6. epist. 18. & in ordine 106. ad finem vbi multa de reprehensionibus inferendis, & patiendis, ad cap. 13. commodiùs replicanda. Et quidem de hac re iam in superioribus multa diximus, & plura in inferioribus dicemus.

D.Pet.Dam.

Num. XIX. Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo; & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Triplex Samuelis incrementum.*

CRenit autem Samuel, &c. Hæc est tertia huius capitis pars, in qua pœna Heli per Samuelem prædicta in totum populum euulgatur. Triplex verò incrementum dicitur Samuel hoc loco suscepisse: ætatis, cùm simpliciter creuisse dicitur: sanctitatis, cùm additur fuisse Dominus cum eo: auctoritatis, cùm tandem adiungitur, non C cecidisse ex omnibus verbis eius in terram. Singula breuiter perstringenda. Quod ad primum

Primum incrementum ætatis.

attinet: *Creuit*, inquit vulgata. Septuaginta vertunt, ἐμεγαλύνθη, hoc est, *Magnificatus est*: quod nō tam ad magnitudinem molis, quàm ad magnitudinem virtutis videtur referendum: sicut illud c. 2. n. 21. *Magnificatus est puer Samuel apud Dominum*: vt ibi explicauimus. Sic exponit Diuus Greg. in priori Comment. *Crescit*, inquit, *qui in virum perfectum mentis ætate proficit.* Et confirmat Scripturæ testimoniis. Nam Dauid de iustis proficientibus: *Ibunt*, inquit, *de virtute in virtutem*. Psal. 83. num 8. Diuus Paulus: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ephes. 4. n. 13. Hoc igitur modo, iuxta D hunc sensum, dicitur Samuel creuisse, plura in dies virtutum opera obeundo, & maiora sanctitatis exēpla proponendo. Nihilominùs hic sensus moralis est Historialis, vt idē D.Greg. fatetur, est de incremento ætatis Nā, cùm verbum Græcum, μεγαλύνω, & Hebræum, גָּדַל *Gadal*, indifferēs sit ad quodlibet incrementum significandum; hoc certè loco ad ætatis incremētum non immeritò determinatur: tum, quia alia incrementa sequentibus verbis satis explicantur: tum, quia hoc vnum debuit hoc loco explicari, vt Samuelis in virtutibus constantia non solùm puerilis, sed etiam iuuenilis, ac virilis ostenderetur: ne putaretur profecisse tantùm puer, vir autem effectus, defecisse.

D. Greg.

II. *Secūdum incrementum sanctitatis.*

Et Dominus erat cum eo, &c. Hinc sumitur E alterum sanctitatis incrementum: quam enim sanctitatem non haberet, qui Deum totius sanctitatis fontem in se ipso continebat? vt sequenti Annot. illustrabo. Dicitur autem Dominus fuisse cum Samuele; non solùm iuxta communem modum, quo est cum omnibus & in omnibus creaturis, eas conseruando, & promouendo, dirigendóque ad suos fines; & ad suas actiones adiuuando; sed etiam iuxta peculiarem prouidētiam & fauorem, quo illum prosequebatur. Quo pacto dicitur Dominus fuisse cum Isaac, Gen. 26. num. 28. multa

Dominus dicitur esse cum aliquo, dupliciter: sustentando, & amando.

A ei bona temporalia conferendo: & cum Iosepho, Gen. 39. num. 2. œconomica eum scientia, qua domum Domini sui feliciter administrabat, illustrando: & cum beata Virgine, Luc. 1. num. 28. innumeras cælestium bonorum diuitias in eam congerendo, quibus dignum Æterni Verbi templum efficeretur. Sic etiam vice versa sapiens & iustus cum Deo, & coram Deo esse dicuntur, interprete Diuo Augustino lib. 2. De ordine, capite 2. & libro 50. homiliarum, homilia 1. non modò secundùm vniuersalem rationem, qua omnes creaturæ Deo adsunt; nec sine Deo esse possunt: sed etiam secundùm peculiarem modum, quo Deum semper contemplantur, ac Deo semper obsequuntur. Dominus igitur erat cum B Samuele multis eum virtutum ornamentis excolendo, & locupletando. Quod Paraphrastes clariùs expressit, transferens: *Et dictum Domini fuit in auxilium eius.*

D.August.

III. *D. Greg. Samuel crescebat, non superbiebat.*

Cæterùm D.Greg. ex hoc loco singularem Samuelis in bono, & in humilitate constantiam venatur. Nam docens secundùm illam suam mysticam expositionem, de qua paulò antè, Samuelem creuisse in sanctitate interna, & in externa dignitate; addit non euanuisse in cogitationibus suis: alioqui non diceretur fuisse cum illo Dominus; qui semper aufert *se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu*. Sap. 1. num. 5. hoc est, à cogitationibus vanis ac superbis. Vnde in eos, qui secùs faciunt, inuehitur. In primis in eos, qui ex sanctitate su- C perbiunt. *Nonnulli sunt*, inquit, *qui dum virtutibus crescunt, elatione corruūt. Hi nimirum crescere videntur; sed tamen cum eis Dominus non est: quia à se eum, alta sentiendo de se, eiiciunt; quem in profectu virtutum positi, per humilitatem secum habere potuerunt.* Deinde in eos, qui ex dignitate euanescunt. *Plerique*, inquit, *in humiliori Ordine Religiosi sunt; sed cū subitò ad culmen sanctitatis peruenerint, prima opera cum humilitate derelinquunt. Samuel igitur profecit, & proficiens Dominum secum habuit. Vt profectò electorum Prædicatorum morem præferret; qui, cùm dona, & dignitates, quibus prosint aliis, assequuntur; de semetipsis placere Deo non negligunt.* Creuit igitur Samuel in sanctitate, sed in humilitate non decreuit: argumento, quòd secum Dominum retinue- D rit; cùm alioqui fieri soleat, vt qui humilitatem deserit, ab ipso Deo deseratur.

Incremētum virtutis aliquibus esse solet nutrimentum superbiæ.

IV. *Tertium incrementum auctoritatis.*

Et non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Hoc est tertium incremētum auctoritatis: in Hebræo est: *Et non fecit cadere ex omnibus verbis eius in terram*: hoc est, ipse Deus fecit, vt nullum Samuelis verbum in terram caderet. In Chaldæo: *Et non cessauit ex omnibus verbis eius vnum.* Græca exemplaria cum Latinis cohærent. Quæ vt omnia explicentur, triplex distingui potest horum verborum sensus, singuli seorsim proponendi; & primus ad mores obitèr illustrandus.

Primus verborum sensus.

V. *Samuel non loquebatur de terrenis.*

E *VErba Samuelis non cadebant in terram*: hoc est, Samuel non loquebantur de terrenis; sed de cælestibus: in cælestia, non in terrena Samuelis verba ferebantur. Ita exponit Hugo Card. Et videtur rectè consequi ex proximè dictis. Cū enim *ex abundantia cordis os loquatur*, Luc. 6. num. 45. si Deus erat cum Samuele, totúmque eius cor diuinæ gratiæ abundantia replebat, mirum non est, si Samuel de ipso Deo loqueretur. Aliud, quàm Deum loqui nescit, qui Deum toto pectore haurit, & includit. Quod paucis illustro.

Hugo Car.

VI. Optimè D.Bonau opusc. De perfectione vitæ, c. 4.

D.Bonau.

c.4. *Argumentum,* inquit, *quasi infallibile est; vt si sit homo in Theutonia, & non loquatur Theutonicè; videtur, quòd non sit Theutonicus. Sic qui est in mundo, & mundana non loquitur, euidenter demonstrat, se in mundo non esse: qui enim de terra est, de terra loquitur.* Ioan.3.num.31. Vnde D. Laurentius Iust. De perfectione monasticæ conuersationis, cap. 15. miratur Religiosos, qui Deum ex proprio instituto colunt, amant, ac toto animo amplectuntur, à colloquiis diuinis ad secularia dilabi. *Videmus,* inquit, *agricultores, cùm in vnum coadunantur, repentè, & sine tædio, de iis, quæ agriculturæ sunt, sermocinari. Artifices mechanicos de artificiis; mercatores de mercimoniis suis; oratores de suis facultatibus confabulari. Et proh dolor! soli Dei serui, quæ proprio congruunt statui, audire vel loqui non curant, aut ignorant.* Et statim: *Vt plurimùm tacent propria, & vtilia, & de alienis proloquuntur negotiis. Cùm vana audiunt, & scurrilia loquuntur, intenti sunt: cùm verò spiritualia, citò fatigantur, & persæpè miserabiliter merguntur somno.* Tandem Monachos ad diuina colloquia nauseantes, Hebræis similes esse dicit, qui cæleste manna fastidiebant; & ad Ægyptias ollas aspirabant. Quid absurdius, & à ratione alienius?

Qui de mundo non loquitur, de mundo non est.
D. Laur. Iust.
Si artifices de suis artibus loquuntur; cur serui Dei de Deo non loquantur?
Nauseantes ad colloquia diuina, similes Hebræis nauseantibus ad cælestes epulas.

VII.
Dei verba eructanda.

David de iustificationibus diuinis edoceri cupiebat; vt non alios, quàm diuinos sermones eructaret: quasi non posset non de Deo loqui, qui de Deo doceretur. *Eructabunt,* inquit, *labia mea hymnum, cùm docueris me iustificationes tuas.* Ps. 118. n. 171. Et statim, quasi non satis esset eructare; quod fit per discreta interualla: sed habere iugem & continuam de rebus diuinis orationem oporteret, subdit: *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum.* Ib. n. 172. Vt qui Deum perfectè disceret, Deum perpetuò loqueretur. Ad quem locum D. Ambr. serm. 22. *Qui,* inquit, *didicerit iustitias Dei, loquitur verbum Dei: otiosum verbum non loquitur.* Et statim docet verbum otiosum esse, quod de rebus profanis instituitur; immò periculosum: quale proinde Dauid effugiebat, dicens: *Non loquatur os meum opera hominum.* Psal. 16. n. 4. Et rationem reddit, cur hoc verbum periculosum arbitretur. *Non enim,* inquit, *mediocre periculum est, cùm habeas tanta eloquia Dei, & opera Dei, quæ fecit in Genesi, in Exodo, in Leuitico, & in cæteris Scripturæ libris; si illis prætermissis, loquaris, quæ seculi sunt.*

D. Ambr.
Serui Dei non loquuntur opera hominum.

VIII.
Iustum ab iniusto loquutio de Deo distinguit.
Tert.

Certè sicut nihil magis hominem à bellua distinguit, quàm loquutio: ita nihil magis pium ab impio discernit, quàm loquutio de Deo. Vnde Tertulianus lib. De resurrectione carnis, cap. 61. *Accepisti,* inquit, *homo os ad vorandum, atque potandum: cur non potiùs ad eloquendum; vt à cæteris animalibus distes? Cur non potiùs ad prædicandum Deum, vt etiam hominibus antistes?* Et exemplum ab Adamo desumit, cui datum est os, potiùs vt loqueretur, quàm vt vesceretur. Non enim vescendo, sed loquendo à belluis distinguebatur. Quin etiam os accepit, potiùs vt loqueretur de Deo; quàm vt vesceretur de pomis terræ: hoc enim omnibus hominibus commune erat; illud iustis tantùm singulare. *Denique Adam,* inquit, *antè nomina animalibus enuntiauit, quàm de arbore decerpsit: antè etiam prophetauit, quam vorauit.* Priùs enim erupit in illud oraculum: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Gen. 2. num. 23. quod Apostolus, Ephes. 5. num. 32. appellat *Sacramentum magnum in Christo, & in Ecclesia:* quàm de fructibus Paradisi vesceretur. Neque enim æquom erat, vt os iusti priùs cibos ederet, quàm meditaretur sapientiam; & lingua eius priùs gustaret poma terræ, quàm Dei iudicia loqueretur. Cui doctrinæ concinit D. Basilius in admonitione ad filium spiritualem: *Ne,* inquit, *ad maledicendum quempiam, assuescas linguam tuam; quæ ad benedicendum, & laudandum Dominum creata est.* Præuertit enim linguæ vsum, qui aliorsum eam dirigit, quàm ad Deum prædicandum.

Adami os potiùs ad loquendum de Deo, quàm ad vescendum de fructibus terræ.
D. Basil.
Lingua ad benedicendũ Deo condita, ne ad maledicendum detorqueatur.

IX.
Abraham ab Hethæis Princeps declaratur, propter verborũ eius sanctitatem.

Mirum est, quanto olim studio & obseruantia Hethæi prosequuti fuerint Abrahamum. Nam, cùm se Abrahamus aduenam & peregrinum inter eos ingenuè fateretur; humilisque ad eos accederet, & precabundus: ipsi nihilominùs eum apud se, tanquàm Dei Principem salutabant. *Audi,* inquiunt, *nos, Domine: Princeps Dei es apud nos.* Genes. 23. numer. 6. Vnde, quæso, Abrahamus tantùm auctoritatis sibi apud eos conciliauit? Vnde ipsi tantâ in Abrahamum reuerentia propenderunt? Totum hoc factum existimat Philò Hebræus lib. De nobilitate, propter maiestatem & sanctitatem verborum, quibus vtebatur Abrahamus. *Honorabant,* inquit, *eum, quasi suum Principem; suspicientes ingenium augustius humano fastigio: nec enim sermonibus vtebatur vulgaribus, sed diuinitatem quandam præ se ferentibus.* Nullum enim esse potest clarius internæ sanctitatis argumentum, quàm externum colloquium de rebus seriis, grauibus ac diuinis institutum.

Philo.

X.
Christus Dominus suam diuinitatem sanctis colloquiis confirmabat.

Quin etiam Christus Dominus suam diuinitatem non minùs sanctis colloquiis, quàm nouis miraculis euulgabat. Nam, cùm ingrederetur Synagogam, *stupebant in doctrina eius; quia in potestate erat sermo ipsius.* Luc. 4. num. 32. Tanta enim suauitate demulcebat aures, tantáque efficacitate penetrabat animos, vt omnes eius potestatem ac diuinitatem fateri & admirari quodammodo cogerentur. Sed & Diabolus ipse, qui tunc aderat, arreptitio è corpore exclamauit: *Scio te quis sis, sanctus Dei.* Ibidem, num. 32. Vnde verò Diabolus Christi sanctitatem, seu potiùs diuinitatem colligebat? Tertulian. lib. 4. contra Marc. cap. 7. sentit, non aliunde, quàm ex verbis. *At nunc,* inquit, *disceptο, quomodo eum cognouerit Dæmon? Quid iam tale ediderat, per quod posset Dei sanctus intelligi? Tantùm, quòd Synagogam introgressus, & nec sermone operatus est aliquid aduersùs Creatorem.* Illa enim Christi Domini de rebus diuinis oratio inoffenso pede semper decurrens, eiusdem sanctitatem spirabat, ac diuinitatem redolebat.

Diabolus Christũ Deũ esse ex verborum sanctitate colligebat.
Tert.

XI.
Christus loquens de regno Dei, suam diuinitatem ostendebat.
D. Amb.

Sic apud discipulos suam probaturus diuinitatem, *Loquebatur illis de regno Dei.* Luc. 9. num. 11. Non poterat enim non esse cælestis, qui non nisi de regno cælesti loquebatur. Vbi D. Ambr. *Cum ipsis,* inquit, *loquitur Dei Verbum, non de secularibus, sed de regno,* vtique cælesti. Nam de temporali audire cupientes, statim compressit, dicens: *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta,* &c. Act. 1. n. 7. Suo eus docens exemplo, ne & ipsi de rebus profanis apud suos auditores, quantumuis illarum auidus, loquerentur. Vnde de illis, qui accepturi erant Spiritum sanctum: *Linguis,* inquit, *loquentur nouis.* Marc. 16. n. 17. vt illa de rebus diuinis loquutio, ex ore proditura, facilè euulgaret eam gratiam, quæ intùs in animo latebat. Nam, vt benè Clem. Alex. lib. 1. pædag. c. 5. *Oportet,* inquit, *nouos esse illorum sermones, qui noui verbi fuerunt participes.* Et quidem ita contigit. Vbi primùm enim *repleti sunt Spiritu sancto, cœperunt loqui,* vt paulò inferiùs additur, *magnalia Dei.* Actor. 2. n. 4. & 11. Ille enim qui corda repleuerat Spiritus, in ora redundabat; & qui sermo foras prodibat, latentem intùs fermentum deregebat. Nam, vt loquitur D. Bern. serm. 2. in Octaua Paschæ: *Nouum superuenisse Spiritum certissimè conuersatio noua testatur.* Quòd si aliqua animo labes hæret; sacro eloquio, tanquàm

Qui Spiritum sanctum recipiunt, sanctè loquuntur.
Cl. Alex.
D. Bern.
Signum sanctitatis, loquutio de Deo.

Sermo Dei, igneus consumens peccata. D. Ambr. expurgatorio quodam igne detergitur & expiatur. Dauid, *ignitum*, inquit, *eloquium tuum vehementer*. Psal. 118. n. 140. Vbi D. Ambrosius: *Bonus*, inquit, *ignis, qui calefacere nouit, nescit exurere, nisi sola peccata. Mundat animum, consumit errorem.* Et paulò pòst alludens ad miraculum rubi incombusti, Exod. 3. n. 2. *Hoc igne*, inquit, *vrebatur rubus, & non exurebatur. Vrit enim sermo diuinus, vt corrigat conscientiam peccatoris, non exurit, vt perdat.* Itaque de Deo quisquis loquitur, sanctitatem, vel acquirit, vel manifestat; immò diuinitatem; iuxta illud Diui Dionys. Areop. de cælesti Hierarch. c. 2. ad Timoth. *Tu autem, ô fili, diuina dicendo, diuinus efficere.* *Loquens de Deo, diuinus efficitur. D. Dionys.*

XII. Vanus est, qui de vanis loquitur. D. Bern. Contrà verò, qui de rebus vanis loquuntur, vanam mentem aut reddunt, aut produnt; iuxta illud D. Bern. De interiori domo, cap. 43. *Vanus sermo citò polluit mentem. Facilè agitur, quod libenter auditur. Vanus sermo vanæ conscientiæ est index.* Quid autem vilius & abiectius, quàm vanam mentem aut facere, aut indicare; & parentem esse tam malæ prolis, aut prolem tam malæ parentis? Extremam Hebræis infelicitatem minabatur olim Rabsaces, dicens, fore vt comederent stercora sua. 4 Reg. 18. num. 27. Non minorem incurrere, qui de rebus profanis, ac de seculi fabulis loquuntur, testatur D. Chrysost. hom. 38. in Matth. post medium: *Quasi enim stercus*, inquit, *auribus vestris immittunt huiusmodi colloquia*: scilicet, profana & secularia. Et statim: *Quod Barbarus ille minabatur, dicens: Comedetis stercora vestra: id etiam nunc multi non verbo, sed re in vobis faciunt; immò etiam multo fœdius.* Peiora sunt enim talia colloquia, quàm stercora: hæc enim linguam inficiunt, illa mentem. *D. Chrys. Praua colloquia stercora.*

XIII. Vilescit, qui de terrenis loquitur. Interl. Hugo D. Cyril. Certè Isaias de Ierosolyma à pristina sanctitate in nouam prauitatem degenerante: *Humiliaberis*, inquit, *de terra loqueris: & de humo audietur eloquium tuum.* Isai. 29. num. 4. Vbi vides iuxta Interl. Hugonem & Diuum Cyril. Alex. magnam Ierosolymæ vilitatem in eo consistere; quòd de vilibus terræ negotiis loqueretur. Adde, improbos homines non solùm de terra loqui: sed quemadmodum diuina loquentes, diuini efficiuntur, vt paulò antè ex Areopagita dicebamus; ita & ipsos loquentes terrena, fieri terrenos, immò & ipsam terram. Terra enim fiat, necesse est, qui terram loquitur, qui terram amat, iuxta illud: *Facti sunt abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt.* Oseæ 9. n. 10. Rectè enim D. August. tract. 2. in Epist. Ioan. *Talis*, inquit, *est quisquis, qualis eius dilectio est. Terram diligis, terra es: Deum diligis, quid dicam? Deus eris.* Nam, sicut Chamæleontes induunt colores, quos aspiciunt; teste Philosopho 2. De historia animalium, c. 11. ita & peccatores in terram, quam diligunt, transformantur. Quare olim Deus ad serpentem: *Terram*, inquit, *comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Genes. 3. num. 14. Quem locum D. Gregor. in Psal. 4. pœnitentialem, & in ordine Psalterij 101. aptè ad rem nostram sic exponit: *Per terram*, inquit, *peccatores accipimus: antiquus enim hostis terram comedit; quia peccatores quosque in ventrem suæ malitiæ abscondit: ipse, hominum perditionem desiderans, quodammodo reficitur, dum prauis eorum operationibus delectatur.* *Terrena loquentes terreni, immò terra efficiuntur. D. Aug. Peccatores, Chamæleontes. Arist. Serpens, terram, id est peccatores, comedit. D. Greg.*

XIV. Populus Gentilis, populus terræ. Hinc est, quòd olim Gentilis populus ac legi diuinæ inimicus, populus terræ dicebatur. Cùm enim Hebræos de Babylonica captiuitate redeuntes, vrbemque & templum instaurantes, Ethnici ab ædificando prohiberent: *Factum est*, inquit Textus, *vt populus terræ impediret manus populi Iudæ.* 1. Esdr. 4. n. 4. Vbi Interl. *Bene*, inquit, *dicitur populus* A *terræ, qui operarios virtutis turbare, & opus celeste impedire tentat.* Et cùm Deuter. 7. n. 3. prohibeantur Hebræis coniugia cum infidelibus: tamen illi hanc legem violantes, dicuntur miscuisse *semen sanctum cum populis terrarum.* 1. Esdr. 9. num. 2. Vbi infideles terrarum populi appellantur; quòd terrenis rebus adhærescant, nihil de cælestibus meditentur. Ex quo patet vana illa ostentatio, quam præ se ferebant Magnates Holofernis. *Sciat*, inquiunt, *omnis gens, quoniam Nabuchodonosor Deus terræ est, & præter ipsum alius non est.* Iud. 5. n. 29. Nam, si Nabuchodonosorem solius terræ Deum esse fatebantur; alium esse Deum ipsius cæli oportebat. Cur ergo alium, quàm ipsum Nabuchodonosorem esse negabant? Planè, quia ita terram diligebant, vt cælum prorsus obliti viderentur: B atque adeò præter Deum terræ, nullum aliud cæli Numen venerabantur.

Cæterùm non solùm infideles, sed etiam fideles, terra fiunt, cùm terrenis negotiis immerguntur. De electoribus Regis Ioachaz est illud: *Tulit populus terræ Ioachaz filium Iosiæ, & vnxerunt eum, & constituerunt eum Regem pro patre suo.* 4. Reg. 23. n. 30. Vbi iniqui electores, interprete Lyrano, qui propriis commoditatibus obtemperantes, & personas hominum respicientes, abiecerunt seniorem Iosiæ filium, Ioachin, & iuniorem Ioachaz sibi in Regem præoptarunt; populus terræ nuncupantur. Sic & illi, qui Dauidi insidias tendebant, vt in eius regnum inuolarent; *Oculos suos*, C inquit Dauid, *statuerunt declinare in terram.* Psalm. 16. n. 11. Quippe regno cælesti renuntiantes, ad terrenum duntaxat adspirabant. Sed & fallaces ipsius Dauidis insidiatores, *In iracundia terræ loquentes dolos cogitabant.* Psal. 34. num. 20. Hoc est, Lyrano interprete, iuxta iracundiam hominum, qui propter terrenas affectiones, terra dicuntur. Denique & Moyses: *Cùmque vidisset*, inquit, *Deus terram esse corruptam.* Genes. 6. num. 12. Vbi Diuus Chrysostomus hom. 23. *Non de terra*, inquit, *sensibili loquitur, sed inhabitatores, terram vocat: eò quòd terrenis cogitationibus absumantur.* Quare sicut iustorum nomina scripta sunt in celo, Luc. 10. num. 20. quia cælum corde, cælum ore præferebant: ita impiorum nomina in terra; iuxta illud: *Recedentes à te, in terra scribentur.* Ierem. 17. n. 13. Quia nihil, D nisi terrenum amabant; nihil, nisi terrenum loquebantur. Igitur improbi homines, teste D. Paulo 1. Corinth. 15. n. 47. Sunt planè de terra terreni: sicut probi, ac iusti de cælo cælestes. De quorum numero erat Samuel, cuius nullum verbum de terrenis, omnia de cælestibus rebus audiebantur. XV. *Fideles terra fiunt, cùm terrenis negotiis immerguntur. Lyra. Lyra. D. Chrys.*

Secundus verborum sensus.

Secundus sensus. Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Hoc est: Non fuit sermo eius contemptibilis. Inde ducta metaphora, quòd ea, quæ contemnuntur, in terram abiiciuntur. Est autem sermo contemptibilis, qui docentis exemplo non firmatur. Sicut enim theses, quæ sine probationibus emittuntur, facilè repudiantur, & con- E temnuntur: ita planè documenta, quæ nullis fulciuntur exemplis, despicatui habentur. Verbum igitur Samuelis non cadebat in terram, quia doctrinam vitæ conformabat, & sermones moribus fulciebat. Sic exponit D. Gregorius. *In terram*, inquit, *verbum Prædicatoris cadit, cùm ex reproba Prædicatoris conuersatione vilescit.* Et paulò pòst docet, nec Samuelis, nec alterius cuiusque Prædicatoris verba in terram cadere, seu vilescere, *qui in ardua specula positus, & sapientes verbo erudit; & simplicibus iter ad æternam patriam operibus ostendit.* XVI. *Non erat contemptibilis sermo Samuelis. Sermo contemptibilis dicitur, qui vita exemplis non firmatur. D. Greg.*

Con

XVII. *Tria D. Hier. oracula, quæ docēt non esse pretiosam doctrinam, vitæ testimonio destitutam.*

Confirmant hanc expositionem tria D. Hieron. oracula, quibus satis ostendit, pretiosam non esse doctrinam, quæ sine vitæ testimonio proferatur. Primum, in epist. 2. ad Nepotianum: *Non confundant*, inquit, *opera tua sermonem tuum. Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat. Sacerdotis Christi os, mens, manúsque concordent.* Aliter, si quis bene moneat, & pessimè viuat; quis illius monita non contemnet? Secundum, in epistol. 16. ad Principiam, De Marcellæ Epitaphio: *Erubescit*, inquit, *quamuis præclara doctrina, quam propria reprehendit conscientia. Frustráque eius lingua prædicat paupertatem, qui Crœsi diuitiis tumet.* Quis enim non irrideat, non exsibilet, non explodat tam præposterum verborum cum operibus consensum? Tertium, in epist. 83. ad Oceanum: *Desiniunt*, inquit, *Rhetores Oratorem, qui sit vir bonus, docendi peritus. Perdit enim auctoritatem docendi, cuius sermo opere destruitur.* Nam, cùm efficaciora sint vitæ, quam linguæ testimonia, potiùs agenti credetur, quàm dicenti. Vnde fiet, vt quidquid bene loquendo struitur, malè faciendo destruatur.

XVIII. *Quæ vilescūt, in terram cadere dicūtur.*

Non esse hanc expositionem à Litera admodum alienam, illud potest suadere; quòd ea, quæ vilescunt, non modò in vulgari sermone, vt dicebamus; sed etiam in sacris Literis, in terram cadere dicuntur, iuxta illud: *Lux vultus mei non cadebat in terram.* Iob. 29. num. 24. Quasi diceret: Non erat contemptibilis frontis meæ hilaritudo; quia grauitatem in hilaritate conseruabam. Nam, vt bene

D. Greg. Prælatus debet arridens timeri, iratus amari.

D. Greg. ad eum locum: *Talis*, inquit, *esse debet dispensatio regiminis; vt is, qui præest, & arridens timeri debeat, & iratus amari.* Igitur sermo Samuelis non erat contemptibilis: quia, licet non esset *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*; erat tamen *in ostensione spiritus, & virtutis*: vt loquitur D. Paul. 1. Corinth. 2. num. 4. vbi emphaticum est illud: *In ostensione*: vt significetur spiritus, & virtus non modò verbis doceri, sed etiam factis monstrari. Prædicatori igitur, non tam verborum aucupia, quàm sententiarum pondera, & multò magis factorum exempla conciliant auctoritatem.

Tertius verborum sensus.

XIX. *Non fuit irritus sermo Samuelis.* Auctor, tradit. Rabban. Eucher. Dionys. Lyra. Abul. Caiet. Vatablus. Sà. Marian.

Tertius sensus. Non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Id est: Sermo eius propheticus non fuit irritus. Nihil prædixit, quod non eueniret. Sic exponunt cæteri Interpretes, Auctor tradit. Glossa ex Rabbano, Eucher. Dionysius, Lyra, Abulensis, Caiet. Vatabl. Sà, Mariana, & alij. Et est non infrequens in sacris Literis Hebraïsmus, vt Oleaster in suis Hebraïsmis, verbo, *Cadere*, aduertit. Vnde, cùm Deus multa promitteret Israëlitis, subdit Scriptura: *Ne vnum quidem verbum, quod illis præstiturum se esse promiserat, irritum fuit: sed rebus expleta sunt omnia.* Ios. 21. num. 43. In Hebræo, & Græco est: *Non cecidit verbum ex omnibus verbis bonis, quæ loquutus est Dominus.*

Verbum, quod impletur, dicitur non cadere.

Hoc pertinet illud Salomonis: *Non cecidit*, inquit, *ne vnum quidem sermo ex omnibus bonis, quæ loquutus est per Moysen seruum suum.* 3. Reg. 8. num. 56. Et illud Iehu: *Videte ergo nunc, quoniam non cecidit de sermonibus Domini in terram.* 4. Reg. 10. num. 10. Et illud Christi Domini: *Facilius*, inquit, *est, cælum & terram præterire, quàm de lege vnum apicem cadere.* Luc. 16. num. 17.

XX. *Infallibilitas verbi prophetici.*

Igitur ex omnibus verbis eius, nempe Samuelis; seu, vt alij malunt, ipsius Domini, nullum fuit, quod opere non compleretur; tam de his, quæ ad comminationem Heli pertinebant; quàm de aliis, quæ postea Samuel prophetauit, vt ex Num. 21. patebit. Certissimum enim illud est à Deo dictum per Isaiam: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Isai. 55. num. 11. Hoc est: Nunquam irritum abibit, nisi fortè conditionatum sit, aliquam requirens conditionem, quam homines ex sua voluntate non ponant: vt innuere videtur Isaias, dicens:

Verbum, quod non fructificat, cadit.

Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel. Isai. 9. num. 8. Vbi emphaticè dicitur, cecidisse; quia iniquis auribus ab Israele exceptum non fructificauit. Vnde Septuaginta trāstulerunt: *Mortem misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel.* Vbi verbum Dei ab effectu mors appellatur: quamuis enim illud verbum vitæ sit, & libenter obedienterque excipientibus vitam conferat; tamen respuentibus ac negligentibus mortem infert. Aut saltem, vt ibi Diuus Hieronymus iuxta vulgatam interpretatur: *Cecidit in impiis, quod statutū ad Sanctos directum erat.* Sua enim prauitate faciunt impij, vt Dei verbum cadat, seu irritum fiat: quia conditionem, quam ex eorum parte requirit, vt impleatur, non apponunt.

D. Hier.

Hi tres sensus veri: tertius literalis. Chald.

Ex his sensibus quilibet congruit veritati. Hic postremus ad Literam propior accedit, vt Chaldæus clarius expressit, transferens: *Non cessauit ex omnibus verbis eius vnum*: seu, vt Ios. 21. num. 43. vertit: *Non defecit.* Hoc est: irritum non abiit. Præcipua igitur auctoritas Samuelis, quam statim dicuntur omnes cognouisse, & suspexisse, ex dono prophetiæ desumpta est; quam omnes in eo fuisse, experimento ipso clarissimè cognouerunt: nullum eius oraculum in irritum abiisse perspicientes.

Num. XX. Et cognouit vniuersus Israël, à Dan vsque Bersabee; quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Vniuerso Israëli manifestatur supplicium Heli.*

ET cognouit, &c. Supplicium diuinum primò reuelatum Samueli per ipsum Deum: secundò reuelatum Sacerdoti Heli per ipsum Samuelem: tertiò nunc reuelatur vniuerso Israëli. Quod vt fiat illustrius, tria breuiter explicanda sunt, Quis, Quid, & Quomodo cognouerit: Quod ad primum attinet. *(cognouit* (seu, vt Septuaginta vertunt in plurali, ἔγνωσαν, *cognouerunt*) *vniuersus Israël, à Dan vsque Bersabee.* Hoc est: A principio vsque ad finem illius terræ sanctæ, quæ his terminis claudebatur: vt patet ex pluribus Scripturæ locis, in quibus hoc loquendi modo tota illa regio significatur.

Termini terræ sanctæ, Dā, & Bersabee.

Nam Iud. 20. num. 1. *Egressi sunt*, inquit Textus, *omnes filij Israël, & pariter congregati, quasi vir vnus, à Dan vsque Bersabee.* Rursus, 2. Reg. 3. num. 10. *Eleuetur thronus Dauid super Israel, & super Iudam, à Dan vsque Bersabee.* Deinde, 3. Reg. 4. num. 25. *Habitabátque Iuda & Israël absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, à Dan vsque Bersabee, cunctis diebus Salomonis.* Et passim alibi.

II. *Longitudo & latitudo terræ sanctæ.* Brocard.

Cuius loquutionis ratio vt clariùs explicetur, & totius terræ sanctæ descriptio sub vnum aspectum proponatur. Notandum primò, Terram sanctā secundùm longitudinem porrigi ab Austro ad Aquilonem, secundùm latitudinem ab ortu ad occasum. Et longitudinem quidem, iuxta Brocardum, qui regionem illam propriis oculis lustrauit, vix continere centum viginti leucas: latitudinem verò vigintisex leucas non excedere. Quum-

nis,

ois D.Hieronymus in epist.129.ad Dardanum,& Abul.in cap. 13. Num. quæst. 36. & alij Geographi, adhuc eam breuioribos terminis circunscribant. Notandum secundò, Totam eam regionem in tres prouincias distingui, vt latè prosequitur Galatza Episcopus Cauriensis lib. 6. euangelicarum Institutionum, à cap. 3. & latiùs Salmeron tom.1.in Euangelia, Prolog. 41. vbi totam hanc regionem latissimè describit: nempe, Iudæam, quæ est ad Austrum; Galilæam, quæ vergit ad Aquilonem; Samariam, quæ inter vtranque intercedit. Vnde Ioannes de Christo Domino: *Reliquit*, inquit, *Iudæam, & abiit iterum in Galilæam: oportebat autem, eum transire per Samariam.* Ioan. 4. num. 3. Vbi vides, Samariam in vtriusque prouinciæ, Iudææ & Galilææ, confinio, sitam esse. Notandum tertiò, In extrema parte Galilææ, versùs Aquilonem, positam esse vrbem, Dan, quæ à Theod.in cap. 4. Ieremiæ, *πανίας* dicitur: quamuis à D.Hieron.in locis Hebraïcis, quarto milliario à Paneade distinguatur, & consequenter à Cæsarea Philippi, Matth. 16. num. 13. quam idem D.Hier.ad eum locum docet, cum Paneade coincidere. Quod propterea aduerto, quòd aliqui Dan, & Cæsaream Philippi non distinguant: prætereà sitam esse inter duos fontes, *Ior*, & *Dan*; qui ante illius portam coëuntes, fluuium efficiunt Iordanem, ab Aquilone in Austrum per latus orientale decurrentem. In extrema verò parte Iudææ versùs Astrum, positam esse vrbem Bersabee, in qua olim habitabat Abraham, *& plantauit nemus, & inuocauit nomen Domini Dei æterni.* Gen. 21. num. 33. Quod Hebræi apud Lyranom fecisse dicunt ad recipiendos hospites, eósque non solùm loci amœnitate recreandos, sed etiam vera religione imbuendos: atque adeò, vt eos non solùm corporaliter pasceret, sed etiam spiritualiter saginaret.

Abul. — *Diuisio terra sancta in tres prouincias.* — *Galatza. Salmer.* — *Dan, in Galilæa, versùs Aquilonem.* — *Theod., D.Hier.* — *Iordanis nomen.* — *Bersabee, in Iudæa, versùs Austrum.* — *Lyra.* — *Hospitalitas Abraham corporalis, & spiritualis.*

III. Quare, cùm hæ duæ vrbes in extremis finibus terræ sanctæ collocentur, meritò per illas tota illa regio significatur. Vt D.Hieron. & cæteri Interpretes obseruant: & Septuaginta in Bibliis Sixtianis clariùs exprimunt, addentes: *Creditus est Samuel Propheta Domino in omnem Israel ab extremis terræ vsque ad extrema.* In totum igitur Israëlem Samuelis notitia percrebuit, à Dan vsque Bersabee: hoc est, à fine vsque ad finem. Æquum enim erat, vt quemadmodum pessima fama filiorum Heli vniuersum Israëlem peruaserat; vt superiori cap. dictum est: ita optima fama Samoelis totam illam regionem peragraret; vt vnius sanctitati, loco cederet iniquitas aliorum. Quamuis D. Greg. per vrbem Bersabee, sapientes & iustos; per Dan, simplices & peccatores interpretetur: & vtrisque dicat Prædicatoris vitam probandam esse, & commendandam. Sed obiicies: Deus promisit Hebræis terram spatiosam, Exod. 3. num. 8. cuius fines latissimi describuntur, Num. 34. à num. 3. Ergo vel terra promissionis his terminis Dan & Bersabee non definitur: vel hi termini non fuerunt tam angusti, vt à nobis explicantur. Hanc difficultatem iam expediui c.2. Num. 30. §.12. ex D. Hieronymo in epistola citata ad Dardanum: nempe, promissam fuisse à Deo Israelitis terram amplissimam, sub conditione, si illi diuinis præceptis obtemperassent: non obtemperantibus verò traditam, vt diximus, angustissimam; &, quod deterius est, plurimis hostibus interceptam; vt semper haberent, quos timerent; ac timendo, diuinam semper misericordiam implorarent.

Sicut infamia filiorum Heli totum Israëlem peruasit; ita & fama Samuelis. — *D. Hier.* — *D. Greg.* — *Obiectio. Ampliorem terram Hebræis promissam, quàm his terminis includatur.* — *Responsio. Promissa quidem sub conditione: sed non datam, conditionis defectu.*

IV. *Quòd fidelis Samuel*, &c. Quod ad secundum attinet: dicitur vniuersus Israël cognouisse, quòd fidelis Samuël esset Propheta Domini: hoc est, cognouisse, & veritatem doctrinæ, & sanctitatem vitæ, qua Samuel magis in dies efflorescebat. Pro cuius rei intelligentia tria distinguo Prophetarum genera. Nam alij diuino Spiritu minime agebantur: quales fuerunt Prophetæ Baal, & idolorum. 3. Reg. 18. à n. 19. Et illi, de quibus Deus: *Non mittebam*, inquit, *Prophetas, & ipsi currebant: non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Ierem. 23. n. 21. Hos autem necesse erat passim errare; iuxta illud: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta.* Thren. 2. n. 14. Cùm enim infallibili diuinæ veritatis regula minimè niterentur; fallebant pariter, & fallebantur. Alij diuino quidem Spiritu prophetabant, sed diabolico viuebant: quales Balaam, Num. 22. num. 5. Saül, 1. Reg. 10. num. 10. Caïphas, Ioan. 11. num. 51. ac denique illi tres amici Iob, qui diuinum Spiritum habebant ad aliqua diuina mysteria cognoscenda & euulganda; vt ex eorum disputationibus à cap. 4. Iob constare potest: & nihilominùs eo nonnunquàm abutebantur; vt patet ex illa obiurgatione diuina: *Non estis loquuti coram me rectum.* Iob. 42. num. 7. Vnde ab aliis quidem Prophetæ, à Diuo Chrysostomo peccatores appellantur. Pharaonem quoque prophetasse, cùm misit ad Iacobum, qui diceret: *Omnes opes Ægypti vestræ erunt.* Gen. 45. num. 20. nonnulli Rabbini apud Lyram eo loco testantur. Quasi illis verbis prædiceret spoliationem Ægypti per Hebræos faciendam. Nam, vt bene D. Augustinus lib. 2. De mirabilibus Scripturæ, cap. 10. aut quisquis est ille Auctor: *Spiritus*, inquit, *sancti verba, non dicentium merita pensantur; sed ipsius voluntate proferuntur: per quod tamen proferentium merita non augentur.* Alij tandem Prophetæ non minùs oraculorum diuinitate, quàm exemplorum sanctitate præcellebant: quales fuerunt illi, vt alios omittam, quos in sacro Prophetarum Canone legimus, & veneramur.

Cognitus Samuel vt verus Propheta. — *Tria Prophetarum genera.* — *Quidam & doctrina, & vita mali.* — *Alij doctrina boni, sed vita mali.* — *D. Chrys.* — *Lyra.* — *D. August.* — *Alij & doctrina, & vita boni.*

V. Igitur Samuel ab illo primo & secundo Prophetarum ordine exemptus, in hoc tertio choro sine dubio collocatur: quia & verè prophetabat ex diuino Spiritu; & iustè viuebat secundùm diuinam legem. Vtrunque dicitur hoc loco cognouisse vniuersus Israël. Prophetiæ quidem veritatem: cùm Samuel *fidelis*, appellatur: quasi non alia, quam quæ à Domino accepisset, fideliter prophetaret. Vitę autem sanctitatem, cùm dicitur *Propheta Domini.* Nam Pseudoprophetæ, non Domini, sed populi Prophetæ dicebantur: vt Lorin. in Ps. 104. num. 15. ad finem aduertit: non solùm, quia Domini oracula non edebant; sed etiam, quia Domini præcepta non obseruabant. Clariùs in Hebræo: *Cognouit, quòd fidelis esset, in Prophetam, Domino.* Non enim significat, aptum, vt in Prophetam assumeretur, de futuro; quidquid senserit Vatablus: sed Prophetam esse de præsenti, iuxta phrasim Hebræam: *Esto mihi in Deum protectorem.* Psal. 30. num. 2. *Factus est mihi in salutem.* Isai. 12. num. 2. *Factus est in caput anguli.* Psal. 117. num. 22. & cum emphasi dicitur, esse *in Prophetam Domino*: hoc est, quòd non tam sibi, quàm Domino prophetaret: seu, quòd non in se, sed in solum Deum, totam ex prophetandi munere gloriam transferret. Ex hoc loco colligit D. August. in lib. quæstionum ex veteri Testamento, quæst. 46. si is est illius operis Auctor, Samuelem non fuisse Sacerdotem, sed Prophetam, cùm hic Propheta, non Sacerdos appelletur. Et quidem affirmatio rectè probat; non tamen negatio, nisi res aliunde probaretur: vt in 1. tomo, Annot. 17. Sect. 2. latiùs probaui.

De tertio Prophetarum genere fuit Samuel, vita & doctrina bonus. — *Lorin.* — *Vatabl. Phrasis Hebræa.* — *D. Aug. Samuel Propheta, non Sacerdos.*

VI. Sed quid ad Origenem, qui hom. 1. in 4. cap. Iudic. sub initiū, docet, ex omnibus Iudicibus Israel solam

Obiectio.

Ex Iudicibus Israel, solam Deboram Prophetidem appellari.

solam Deboram Prophetidem appellari? Cùm, inquit, plurimi Iudices viri in Israel fuisse referantur, de nullo illorum dicitur, quia Propheta fuerit; nisi de Debora muliere. Præstat & in hoc non minimam consolationem mulierum sexui, etiā prima ipsius literæ facies; & prouocat eas, vti nequaquàm pro infirmitate sexus desperent, etiam prophetica gratia capaces se fieri posse: sed intelligant, & credant, quòd meretur hanc gratiam puritas mentis, non diuersitas sexus. Quibus verbis, cùm dicat ex Iudicibus Israël, nullum, excepta Debora, Prophetam appellari; negare videtur, etiam Samuelem hoc nomine insignitum. Nihilominùs oppositum tam apertè constat ex hoc loco, vt id Origenes nec negare posset, nec ignorare. Loquebatur igitur de illis tantùm Iudicibus, qui in Iudicum libro, quem explicabat, continebantur. Non B mediocris autem est Samuelis gloria, quòd inter omnes Iudices Israël solus Propheta nuncupetur.

Responsio. Ita esse, ex Iudicibus, qui in Iudicum libro continentur. Laus Samuelis, qui solus inter alios Iudices Propheta dicitur.

VII. Quod ad tertium attinet: Dubium est, Quo pacto vniuersus Israël cognouerit, Samuelem verum esse Prophetam: vtrùmne ex reuelatione diuina; an ex prædictione humana; an denique ex ipso euentu rerum, quas Samuel prædixit? In primis reuelatio diuina singulis facta, sine fundamento adstruetur: vt sequenti Numer. §. 2. attingam. Prædictionem verò humanam, factam non dubito, siue à Samuele, siue ab Heli, siue ab vtroque; qui quidem ea omnia, quæ à Deo audierant, ipso Deo instigante omnibus prædicebant: vt à peccatis abstinerent, & se ad futura supplicia, expiatis criminibus, præpararent. Nihilominùs addo, C eam tantùm prædictionem ad fidem faciendam satis non fuisse: præsertim, quòd totus populus peccatorum cœno immersus, & Prophetarum oraculis, quæ tunc rara erant, parum assuetus, difficilis redderetur ad credendum solis dictis; antequàm facta dictis responderent. Igitur ex euentu rerum prædictarum, palàm omnibus fuit, Samuelem verum fuisse Prophetam. Vnde per anticipationem, vt putat Abulensis, dicuntur hoc loco cognouisse, quod posteà, cùm tandem accidit, cognouerunt.

Cognouit totus Israël Prophetam esse, non ex reuelatione diuina; sed ex prædictione humana, & ex ipso rerum euentu.

VIII. Sic innotuit veritas prophetiæ, qua Samuel excellebat: sanctitas autem vitæ, qua enitebat, ex ipsarum splendore virtutum, quas in singulos dies clariores exercebat, ostendebatur, præsertim verò ex illa pietate, qua Saülis vicem dolebat, ac deplorabat, vt Diuus Bernardus serm. 12. in Cant. obseruat. Samuel, inquit, lugebat Saül, qui se quærebat occidere: & ad ignem charitatis incalescente pectore, liquefactus intus pietatis adeps foras emanabat per oculos. Ob bonum denique, quem circumquaque diffuderat, suæ opinionis odorem, refert de eo Scriptura, quia cognouerunt omnes à Dan vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini. Hinc Rupert. lib. 1. in Reg. c. 18. extremam huius populi malitiam rectè colligit; qui cùm Samuelem, iustum, sanctum, ac fidelem Prophetam cognouisset, Non in ambitionis vanitate, sed in spiritu Dei, & sermonis Domini veritate indicantem: eum tamen à principatu per summam iniuriam exclusit: vt ex cap. 8. E patebit.

Sanctitas Samuelis multis patuit exemplis. D. Bern. Præsertim ex beneuolentia erga Saülem.

Rupert. Extrema populi malitia, sanctum Prophetam cognoscentis, & repudiantis.

Num. XXI. Et addidit Dominus, vt appareret in Silo: quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, iuxta verbum Domini. Et venit sermo Samuelis vniuerso Israëli.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Hebraismus.* Et addidit Dominus &c. Hebraismus est, vt suprà Num. 6. iam aduerti. Quasi diceret: A Iterum apparuit similis illi: Et apposuerunt adhuc peccare ei. Ps. 77. num. 17. hoc est, iterum peccarunt. Alia exempla passim occurrunt, Iud. 3. num. 12. 1. Reg. 10. num. 17. 2. Reg. 5. num. 22. 4. Reg. 24. n. 7. Thren. 4. n. 15. Ezech. 36. num. 12. & sic de cæteris. Igitur Deus, qui Heli Sacerdoti nunquam apparuerat: Erat enim sermo Domini in diebus illis pretiosus: puero Samueli semel atque iterum apparet: vt notat D. Gregorius hoc loco: Cùm enim, inquit, optimus Prædicator ostenditur; apparere iterum Dominus perhibetur: quia nimirum cognitio diuini consilij, quæ absconditur reprobis, puritatis merito reuelatur electis. Et quidem voluit Deus puerum in prima apparitione obedientem, hac secunda remunerare. Sic enim remunerauit Abrahamum. Nam, cùm ei appareret, Gen. 17. num. 1. iterum ei apparet, Gen. 18. num. 1. Non aliam ob causam; nisi, quia exequentem omnia, quæ in priori apparitione præceperat; censuit hac posteriori remunerandum. Hunc enim in modum philosophatur D. Chrys. hom. 41. in Genes. Specta, inquit, Domini misericordiam. Postquam enim superius apparuit ei, & præter cætera etiam circumcisionis mandatum præcepit; eximius autem ille, quæ à Deo præcepta erant, diligenter perficere, reiecta omni mora, curauit, & circumcisus est ipse implens mandatum Domini, & Ismaelem circumcidit, & vernaculos omnes; & in summa miram declarauit obedientiam: iterum ei apparet. Talis enim Dominus est Dominus noster, vt si quando viderit nos in prioribus gratos, accumulet beneficia, & nunquàm à sua beneficentia desistat, remunerans obedientium gratitudinem. Propter hoc, quia obediuit, iterum apparuit ei. Ita D. Chrysostomus dilucidè ac disertè. Modus autem huius apparitionis, ex iis, quæ suprà ad Numer. 4. latè disseruimus, facilè colligetur.

Laus Samuelis, cui Deus semel atque iterum apparuit. Samuel in prima apparitione obediens, secunda remuneratus. D. Chrys. Idem euenit in Abrahamo.

II. Sed cui facta fuit hæc apparitio, seu reuelatio? In vulgata nemo exprimitur. Vnde fortasse D. Chrysost. lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monasticæ, occasionem sumpsit, vt diceret, factam fuisse vniuerso Israëli. Nam loquens ad Heli, eiùsque peccatum exaggerans: Deus, inquit, & discipulo, & Prophetæ alteri, & cunctis penitus eius clades reuelare, & loqui, quàm illi maluit: adeò illum auersabatur atque oderat. Quòd si ita est, discant Prælati, qui malè suo munere funguntur, tam execrabiles Deo fieri, vt omnes ac singuli subditorum, quibuscunque moribus viuant, illis à Deo præferantur. Nihilominùs factam existimo hanc reuelationem Samueli tantùm, quia Septuaginta addunt pronomen, Ei, hoc est, Samueli; de quo sermo præcesserat: tum, quia facta fuerat in Silo, vbi erat Samuel; non autem vniuersus Israël: tum, quia sicut prior reuelatio facta fuerat Samueli; ita & hæc posterior, quæ illi similis omninò fuit, vt statim dicamus: tum denique, quia Deus solitus non est per se ipsum immediatè, sed per internuntios populum admonere. Neque D. Chrysostomus mihi videtur loquutus assertiuè, sed ex suppositione quodammodo, si Deus loquuturus esset, aut cum populo, aut cum Sacerdote Heli; potiùs cum populo loqueretur.

Opinio D. Chrysostomi, Deum apparuisse vniuerso Israëli, potiùs quàm vni Heli; in odium mali Sacerdotis.

Vera opinio, apparuisse Samueli.

III. Quoniam reuelatus fuerat, &c. Dupliciter interpretor. Primò, vt illa particula, Quoniam, sit comparatiua, sicut, quemadmodum. Et est sensus: Ita apparuit Dominus iterum Samueli, sicut paulò antè apparuerat. Vnde colligitur vtriusque reuelationis inter se similitudo. Nam vtraque facta fuit eidem Samueli; vtraque in eodem loco Silo; vtraque circa eandem materiam, nempe statum illius populi. Quamuis Abulensis existimet, materiam

Prasens apparitio similis præcedenti, in persona, loco & materia.

Existimatio Abulensis.

teriam huius posterioris reuelationis, diuersam esse: & idcircò in Litera nō explicari, quia ad præsentem historiam non pertinebat. Sed non assentior: quia, si non oportuit explicari, non oportuit etiam reuelari, aut certe non oportuit indicari, reuelatum fuisse aliquid, quod explicandum non erat. Quare idcircò potiùs non exprimitur, quòd eadem fuisse supponatur. Et patet. Quia, si Samuel fidelis Propheta habitus est, ex euentu rerum, quas illi Deus reuelauit; & nihil aliud, quàm quod ad statum illius populi pertinebat, euenit: planè nihil aliud illi Deus reuelauit. Nisi fortè quis dicat, non solùm captiuitatem Arcæ, sequenti capite futuram: sed etiam eiusdem restitutionem, cap. 6. & 7. faciendam, in hac posteriori reuelatione indicatam. Quod quidem, si ita fuit, diuersam omninò materiam non inducit: sed adhuc ad statum illius populi maximè pertinentem. Probabile autem est, ita fuisse.

Non solùm captiuitas Arcæ, sed etiam restitutio Samueli reuelatur.

IV.
Deus minatur, & consolatur.
D.Greg.

Nàm Deus iustitiam, & misericordiam alternat, & post vnam reuelationem comminatoriam, statim alteram consolatoriam impendit; vt notat D. Gregorius: *Deus*, inquit, *qui electos suos de contemplatione iustitiæ suæ mirabiliter terret; etiam de ostensione gloriæ ineffabiliter demulcet.* Et paulò pòst, alludens ad columnam ignis & nubis, in qua Dominus Israëliticum exercitum de Ægypto egressum in solitudine præcedebat, Exod. 13. n. 21. docet, idcircò Deum olim apparuisse in igne, quia est typus iustitię; & in nube, quia est typus misericordiæ: vt vtranque simul suo populo exhiberet. *In igne*, inquit, *& nube per deserta gradientibus Dominus apparet; quia mentes contemplantium se in hac exilij peregrinatione, etsi aliquando terret de iustitia; pauore deiectas erigit blandimento protectionis. Dominus igitur Samueli apparuit, & addidit, vt appareret: quia qui in igne terroris aspicitur; in nube etiam dulcedinis exhibetur.* Et confirmat ex Dauide, qui postquàm territus fuit, exhilaratus dixit: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Psal. 30. n. 20. Quasi timorem iustitiæ, statim dulcedo misericordiæ subsequatur: seu timentes iustitiam, misericordiæ dulcedine mulceantur. *Qui*, inquit D. Gregorius, *ei in igne apparuit, addidit, vt appareret, quia suauitatem gloriæ, & dulcedinis suæ, ei etiam de nube propinauit.* Sed hæc res suo loco fusiùs illustrabitur.

Deus apparuit in igne iustitiæ, & in nube misericordiæ.

D.Greg.

V.
Deus ex vno beneficio collato inducitur ad aliud conferendum. Non ita profani Reges.

Secundò sic interpretor in sensu proprio; vt illa particula, *Quoniam*, sit causalis. Et est sensus: Propterea iterum apparuit, quia iam antè apparuerat. Nam apud Deum collatio vnius beneficij, est ratio alterius conferendi. In quo Deus à Rege terreno maximè discriminatur. Nam Rex eo ipso, quòd vnum beneficium contulit, cessat ab alio conferendo; vt videre est in Assuero, qui inquirens, an Mardochæus aliquid mercedis recepisset, pro singulari obsequio, quod erga Regem exhibuerat; & nihil accepisse reperiens: tunc beneficium contulit, Esth. 6. à num. 3. minimè profectò collaturus, si iam collatum agnouisset. Deus autem non ita: sed a beneficiis iam collatis ad noua conferenda excitatur. Quod obiter illustro.

VI.
Iacobus, vt nouum à Deo beneficium acciperet, acceptum proponit.

Iacob de Mesopotamia in patriam regrediens, Deum sic alloquitur: *In baculo meo transiui Iordanem istum; & nunc cum duabus turmis regredior: erue me de manu fratris mei Esaü.* Gen. 32. n. 10. & 11. Magnum accepturus à Deo beneficium, retulit illi in memoriam iam acceptum. Quasi diceret: Adeò ad benefaciendum effusus es, vt ex nulla re magis, quàm ex beneficio iam præstito ad alia præstanda mouearis. Quare, qui me rerum omnium egenum rebus omnibus ditasti; perge mihi vlteriùs benefacere, & priora beneficia posterioribus cumulare: *Libera me de manu fratris mei.* Moyses audiens à Domino se coram illo gratiam inuenisse, subdit: *Si ego inueni gratiam in conspectu tuo: ostende mihi faciem tuam.* Exod. 33. num. 13. Vbi Theod. q. 68. *Obsecrauit*, inquit, *Deum, ne conseruus pro duce daretur illis: sed Dominus ipse dux eorum esset. Cùm autem Deus optimus hanc illi gratiam se facturum promisisset; Moyses veluti amore quodam probo inebriatus, rogauit Deum, quod humanum captum superabat: nempe, vt naturam & substantiam diuinam, alioqui inuisibilem, videret.* Vbi planè mirum est, quanta ex vno beneficio iam accepto ad maiora deinceps accipienda proueniat spes, quanta fiducia erigatur.

Moyses ex vna gratia accepta aliam postulabat.
Theod.

VII.
Iosuë ex minori beneficio accepto processit ad maius postulandum.

Cùm olim Iosuë aduersùs quinque Reges Amorrhæorum pro tuendis Gabaonitis decertaret; magnum à Deo præsidium accepit contra eosdem Amorrhæos. Nam *Dominus*, inquit Textus, *misit super eos lapides magnos de cælo vsque ad Azeca: & mortui sunt multò plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserant filij Israel.* Ios. 10. num. 11. Quid ergo Iosuë tanto præsidio diuinitùs adiutus? De maioribúsne recipiendis desperauit? Absit. Immò potiùs ad maiora speranda & postulanda hausit animos. Quare non iam Deum precaturus, sed ipsum Solem ac Lunam suo imperio frænaturus aggreditur. *Sol*, inquit, *contra Gabaon ne mouearis; & Luna, cōtra vallem Aialon. Steteruntq́; Sol & Luna, donec vlcisceretur se Gens de inimicis suis.* Ibid. n. 12. & 13. Vbi Lyra: *Videns*, inquit, *primum signum datum de cælo aerio: ex hoc confidens petiuit secundum de cælo sydereo.* Quasi minora beneficia iam accepta animos subiicerent præstantissimo Duci ad maiora postulanda & impetranda. Non enim Deus nostris precibus fatigatur, sed recreatur: neque beneficentia diuina dando exhauritur; sed potiùs, quò plura dat, eò magis ad plura danda, si fas est dicere, ditescit.

Lyra.

VIII.
Dauid ex præteritis beneficiis spem concipiebat noua impetrandi.

Dauid olim cum Deo familiariter loquutus, post multa beneficia, quæ à Deo acceperat, commemorata, subiecit: *Propterea inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te oratione hac.* 2. Reg. 7. n. 27. Quasi diceret: Magnam in spem impetrandi, quæ postulat, excitatur; quia multa iam à te beneficia impetrauit: qui ex datis ad maiora danda prouocaris. Nam, sicut liberales homines beneficiis certant, ne alter ab altero vincatur: ita misericordiæ diuinæ quodammodo contendunt, ne posteriores à prioribus superentur. Populus Israëliticus postulans à Deo libertatem ex captiuitate Babylonica: vel potiùs ipse Dauid in montibus ac syluis erro & peregrinos, postulans à Deo in domum & patriam regressum: *Memor*, inquit, *ero tui de terra Iordanis, & Hermoniim à monte modico.* Psal. 41. n. 7. Quasi diceret: Vt hoc à te beneficium impetrem; illa vetera, quæ in Iordane & in deserto accepi, memorabo: certus de tua misericordia; qui nulla re faciliùs ad noua beneficia præstanda induceris, quàm si tibi vetera, quæ fecisti in memoriam reuocentur. Nam, vt bene D. Gregorius hom. 1. in Euangelia: *Sequentium rerum certitudo, est præteritorum exhibitio.* Quod ille de extremis iudicij signis intelligit; quorum posteriora prioribus infallibiliter succedunt: sed nos de beneficiis diuinis intelligamus; quorum posteriora ex prioribus certissimè consequuntur.

Ipse Dauid noua à Deo beneficia accepturus, accepta commemorabat.

D.Greg.

IX.
Daniel ex acceptis beneficiis, accipienda non tam petebat; sed quodammodo exigebat.

Sic & Daniel, postquàm texuit longam seriem beneficiorum, quæ à Deo acceperat, subdidit: *Nunc ergo exaudi, Deus noster, orationem serui tui, & preces eius: & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum.* Dan. 9. num. 19. Vbi emphaticum est illud,

Ergo.

Ergo. Quasi infallibilis esset illa à priori beneficio ad posterius consequutio: nec posset Propheta Deum efficaciùs inducere ad beneficia conferenda, quam reuocando illi in memoriam iam collata. Vnde, si vnum beneficium diuinitùs præstitum, alia atque alia amphora statim non sequerentur, incredibiliter Prophetæ tanquàm rem nouam, & prodigiosam admirabantur. Nam Isaias multis beneficiis, quæ diuinitùs acceperat, commemoratis, admirabundus exclamat: *Vbi est zelus tuus & fortitudo tua? multitudo viscerum tuorum & miserationum tuarum? Super me continuerunt se.* Isai. 63. num. 15. Quasi diceret: Rem nouam agis, & insolentem. Cum enim soleas ex vno beneficio, alia atque alia seriatim ducere; quid modò hanc telam interrumpis? cur non pergis nectere B hanc catenam? quorsum verò cessas tuis me beneficiis cumulare? Nec minùs admiratus Iob dicebat: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu: & sic repentè præcipitas me?* Iob. 10. n. 8. Ac si diceret: Quid istud noui est? Nam, si vnum beneficium præstitum te inducit ad alia præstanda; quid modò præter consuetudinem tuam agis? & me tam multis beneficiis cumulatum, in extremum supplicium detrudis?

Mirabantur Prophetæ, si ex beneficiis acceptis noua non sequerentur.

Magis mirabantur, si post beneficia, infligerentur supplicia.

X. Hanc diuinam beneficentiam, si non alij Reges, certè Dauid imitabatur: qui ex beneficio facto non elanguebat ad faciendum; sed alacrior exurgebat: teste vel ipso Saule; cui, cùm aliquando pepercerit Dauid; statim vt suis quoque posteris parceret, postulauit. *Iura*, inquit, *mihi in* C *Domino, ne deleas semen meum post me.* 1. Reg. 14. num. 22. Vbi Lyranus: *Videns*, inquit, *eum pronum ad misericordiam; habita pro se misericordia vna, petiit aliam pro semine suo.* Quasi Dauid Deum imitatus, ex vna misericordia præstita, ad aliam præstandam non retardaretur; sed excitaretur. Igitur Deus, quia summa beneuolentia vsus fuerat erga Samuelem, eum semel alloquendo; idcircò eum iterum, immò & sæpiùs, vt vult D. Gregorius, Caietanus & alij, alloquitur, maiorem erga eum beneuolentiam ostensurus.

Dauid diuinam beneficentiam imitatus, ex beneficio collato prouocabatur ad conferendum.

Lyra.

Deus ex vna apparitione Samueli facta excitatur ad plures faciendas.

D. Greg. Caiet.

XI. *Iuxta verbum Domini.* Difficilem reddunt Interpretes hunc locũ, dum hoc *verbum* multipliciter exponunt. Nam quidam apud Abulensem dicunt, oraculum fuisse de reuelatione Samue- D li facienda in Silo: iuxta quod, Dominum hoc loco Samueli apparuisse. Sed, cùm tale oraculum nusquàm appareat; fictitia est hæc expositio. D. Greg. verbum Domini intelligit illud, quod factum fuerat superiori cap. ad virum Dei de supplicio Heli: & iuxta hoc verbum, iterum hoc loco idem supplicium Samueli reuelatum. Cæterùm allusio ad illud verbum Domini viro Dei factum, non est cur potiùs fiat in hac posteriori, quàm in illa priori Samuelis reuelatione. Dionys. Carthus. respicit ad locum Deut. 18. n. 21. & 22. vbi Deus distinxit Prophetam à Pseudopropheta: quòd huius verba irrita euadant, illius rata ac firma compleantur. Igitur iuxta hoc verbum, seu oraculum diuinum, ait, apparuisse Domi- E num Samueli, constituendo illum verum Prophetam, quia omnia, quæ prædixerat, contigerunt. Vnde statim sequitur: *Et euenit sermo Samuelis vniuerso Israeli.* Sed nescio, an sit violenta, aut certè minimè necessaria hæc ad Deuteronomiũ allusio. Planior ac simplicior sensus mihi videtur colligi ex fonte Hebræo, vbi dicitur Dominus se manifestasse Samueli, בדבר יהוה *Bidbar Iehouah.* Hoc est: *In verbo Domini*: seu, *In verbo suo*, posito antecedẽte pro relatiuo. Vbi nulla fit comparatio, seu allusio ad aliud verbum; sed tantùm

Quodnam verbum intelligatur.

Prima expositio fictitia. Abul.

Secunda expositio reiicitur. D. Greg.

Tertia expositio violenta. Dion Carth.

Quarta expositio verior.

A quædam consequutio, seu continuatio historiæ, in hunc sensum: Manifestauit se Dominus Samueli in verbo suo prophetico; seu alloquendo illum, vt solet, alios Prophetas; seu reuelando illi arcana sua. Sic exponunt Vatablus, Sà, & Marian. & ex parte Caietanus. Et ad hunc sensum facilè trahitur, vel potiùs sponte sua sequitur Vulgata: *Iuxta verbum Domini.* Hoc est: Apparuit Samueli, eo modo, quo solet aliis Prophetis apparere. Vnde Samuelis reuelatio verè prophetica fuisse significatur.

Vatablus. Sà. Marian. Caiet.

Et euenit sermo Samuelis vniuerso Israeli. Septuaginta ab his verbis paululùm immutatis sequens caput exordiuntur. *Et factum est*, inquiunt, *verbum Samuel ad omnem Israël.* Immò etiam in Hebræo ad sequens caput hæc verba referuntur. *Et fuit*, inquit, *verbum Samuelis omni Israeli.* De qua re ibi agemus. Nihilominùs Chaldæus & Vulgata præsens caput claudunt his verbis, quorũ sensus apertus est: omnia, quæ Samuel prophetice acceperat & prædixerat, euenisse. Septuaginta in Bibliis Sixtianis duplicem adhuc periodum huic capiti annectunt. Vnam: *Et creditus est Samuel Propheta esse Domino in omnem Israël, ab extremis terræ, & vsque ad extrema.* Quæ quidem, vt in scholiis obseruatur, videtur interpretatio præcedẽtis illius sententiæ: *Ecce venit vniuersus Israël*, &c. Alteram: *Et Heli senex valdè, & filij eius euntes ibant: & maligna via eorum in conspectu Domini.* Quam eadem scholia referunt à Lucifero desumptam. Vbi & nimia senectus Heli replicatur, vt eius in coercendis filiis ignauia excusetur: erat enim iam præ senectute tam infirmus, vt filiis in ætatis flore vigentibus & valentibus refrænandis impar esset. Et extrema filiorum Heli peruersitas iterum inculcatur; qui, ne tam multis quidẽ oraculis diuinis iam in vulgus editis, & in eorum perniciem fulminantibus, resipiscere voluerunt: iuxta illud: *Prouerbium est; Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Prouerb. 22. num. 6. Atque hæc de tertij capitis historia satis sint.

XII. *Locus & sensus horum verborum.*

Duplex periodus huic capiti adiuncta.

Proponitur senectus Heli, vt impar comprimẽdis filiis significetur.

Proponitur malitia filiorum Heli, vt eorum obstinata improbitas exprimatur.

ANNOTATIO VII.

CIRCA LITERAM.

Diuina præsentia malorum expultrix, & bonorum conciliatrix.



IN tertia & vltima huius capitis parte hactenus explicata, duo præclara Samuelis decora & ornamenta continentur; nempe, quòd verissimè prophetasse, & sanctissimè vixisse ab omnibus crederetur: vtrunque sine dubio, non ab alio fonte, quàm à diuina præsentia deriuatum. Dicitur enim Dominus fuisse cum Samuele. Et statim illius in docendo veritas, & in viuendo sanctitas demonstratur: vt vtraque ab illo diuinæ præsentiæ fonte hausta significetur. Quare in hac Annotatione de diuina præsentia agemus, ostendemúsque illius præsidio mala omnia expelli, bona omnia conciliari. In sequenti de vtroque veritatis, & sanctitatis ornamento, quo Samuel excelluit, differemus.

I. *Samuelis virtutes ex diuina præsentia profectæ.*

* *

M SECTIO

SECTIO I.

Præsente Deo, mala omnia expelluntur.

II. *Duplex Dei præsentia.* *Dei præsentia realis vbique.*

DVplex in Deo præsentia distingui potest: vna, quatenus immensus est: altera, quatenus beneuolus est. Iuxta priorem omnibus rebus intime præsens est, omnes suo complexu fouet ac sustentat. Quæret aliquis, cùm thronus Dei ex cælo, terráque constituatur, iuxta illud: *Cælum sedes mea: terra autem scabellum pedum meorum.* Isai. 66. numer. 1. quo iure dicatur Deus, cœlos palmo ponderasse, & tribus digitis molem terræ appendisse? Isai. 40. numer. 12. nemo enim continet suam sedem, sed potius ab (B) ea continetur. *D. Hier.* Respondet Diuus Hieronymus in priorem locum Isaiæ citatum, rationem esse, ne arbitremur, cœlo ac terra Dei magnitudinem metiendam. *Per hæc*, inquit, *ostenditur Deus, & forinsecus, & extrinsecus; & infusus, & circumfusus: dum & solio ambiente non concluditur; & pugillo concludit, ac palmo.* *A reali Dei præsentia fugere nemo potest.* Vnde Regius Vates ab hac Dei præsentia fugere se posse desperabat. *Quo*, inquit, *ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Psalm. 138. num. 7. & 8. *D. Bern.* Ad quem locum D. Bernardus serm. 6. De Dedicatione Ecclesiæ, disertè & eleganter: *Deus*, inquit, *vbique est, non diuersus, sed diuersa distinguens: apud homines malos, præstolans atque dissimulans: apud electos, operans & seruans: apud superos, pascens & (C) cubans: apud inferos, arguens & condemnans.*

III. Quare quis sceleratus, viuens in Dei præsentia non erubescat, ne dicam, exhorrescat? *Clem. Alex.* Optima illa est admonitio Clementis Alexandrini, *Dei præsentia vbique timenda.* lib. 3. pædagog. cap. 5. *Oportet*, inquit, *domi, parentum & famulorum pudore affici: in viis autem, eorum qui fiunt obuiam: in solitudine, sui ipsius: vbique autem, Verbi, quod est vbique. Hoc enim solùm ratione fit, vt quis nunquam labatur, si Deum sibi ipsi semper adesse existimet.* *Philo.*Conuenit Philo Hebræus in lib. De virtutibus & legatione ad Caiú: vbi loquutus de nomine, *Israel*, quod interpretatur, *Videns Deum*, docet, singulare remedium ad peccata omnia euitanda habituros, qui (D) se in Dei conspectu degere perpetuò contemplentur. *Remedium cauendi peccata, consideratio diuinæ præsentiæ.* *Res*, inquit, *vt mihi videtur, pluris æstimanda, quam vllæ opes, vel priuatæ, vel publicæ. Nam, si seniorum, aut praeceptorum, aut magistratuum, vel parentum aspectus mouet ad reuerentiam & modestiam; & sua præsentia vitam, moresque corrigit: quantum putamus ad honestatem, virtutémque præsidium contingere animæ, si emergens super omnes creaturas, Deum increatum spectare didicerit?* Sed nos interim de hac diuina præsentia non agimus. De qua in hoc cap. Num. 1. §. 32. & sequentibus, & cap. 2. Num. 3. §. 30. & deinceps, nonnihil diximus: plura suis locis dicturi.

IV. *Dei præsentia moralis in Sanctis.*

Iuxta posteriorem, præsentissimus adest Deus, fauendo, indulgendo, repellendo mala, com- (E) municando bona: vt videre est in Samuele, de quo dicitur, Num. 19. *Dominus erat cum eo.* Ex quo fonte, Samuelis virtutes suis locis iam explicatæ, & deinceps explicandæ defluebant. Ex quo præsidio omnia mala, præsertim spiritualia, *Omnia pericula repellit.* menti aduersantia, à Samuele exulabant. Age verò, quàm procul omnia mala, Deo præsente, repellantur, intuere. Vt Scriptura significet iustus inter pericula securos, inter procellas quietos, inter flammas illæsos & incorruptos, ait, Deum illis præsentem interesse. *Cum ipso*, in- (A) quit, *sum in tribulatione, eripiam eum.* Psalm. 90. num. 15. *Descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* Sap. 10. num. 13. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Matth. 28. n. 20. nulla enim esse possunt tam sæua malorum iacula, quæ hoc vno clypeo excepta non facilè retorqueantur.

V. *Dauid Deo comite, inter mala non timebat.*

Vnde Dauid: *Si ambulauero*, inquit, *in medio vmbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es.* Psal. 22. num. 4. Vbi vmbram mortis appellat, vt ex Hebræo deducitur, loca tenebricosa, feris, præcipitiis, latronibus, atque omnibus periculis exposita. Sed per hæc omnia Dauid, Deo comitante, intrepidus vagabatur. Quid, quod D. *D. Bern.* *Ipsas quoque Inferni vmbras, Deo comite, nemo timebat.* Bern. epist. 42. per vmbram mortis, ipsas Inferni (B) vmbras intelligit? Et nihilominùs monet, vt eas iustus, Deo comite, fidens animi aggrediatur. Nam post alia innumera discrimina, *Ipsam denique*, inquit, *si necesse est, intrare gehennam, securus, medias penetrans flammas, læta decantet conscientia: Et si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala; quoniam tu mecum es.* *Ecclesiam procellæ, Deo præsente, non commouentur.* Quare ipse Dauid, cùm alibi describeret innumeras procellas in Ecclesiam debacchaturas, statim subdidit: *Deus in medio eius non commouebitur.* Psal. 45. num. 5. Quasi diceret: Non solùm non diruendam, verùm etiam nec commouendam eam vrbem; quæ, præsente Deo, fulciatur. *D. August.* *Sæuiat mare*, inquit D. Augustinus, *conturbentur montes; Deus in medio eius non commouebitur.*

VI. *Præsidiũ diuinæ præsentiæ magni faciendum.*

(C) Propter hoc præsidium monet Isaias, vt plurimæ Deo laudes decantentur: *Exulta*, inquit, *& lauda, habitatio Sion; quia magnus in medio tui sanctus Israel.* Isai. 12. n. 6. Quasi hoc vnum Dei præsentis patrocinium contra omnia pericula firmissimum illi præstare posset munimentum. *Reddit hominem inexpugnabilem.* Certè Ieremiam sola Dei præsentia reddidit inexpugnabilem. Ad illum enim Deus: *Ego*, inquit, *dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum, super omnem terram, Regibus Iuda, Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ: & bellabunt aduersùm te, & non præualebunt.* Ierem. 1. num. 18. Vnde tanta firmitas vni viro contra tot agmina bellatorum: Subdit statim: *Quia ego tecum sum, ait Dominus, vt (D) liberem te.* Ibidem, num. 19. Quasi ab hoc vno præsidio omnes hostium vires facilè frangantur, & eneruentur. *Tres pueros in fornace præsens Numen tuebatur illæsos.* Tres pueros in Babylonica fornace illæsos, præsens Numen tuebatur. Nam & tyrannus præsenti Deo videtur tribuisse puerorum incolumitatem: *Nónne*, inquit, *tres viros misimus in medium ignis compeditos?* Et statim: *Ecce video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis; & nihil corruptionis in eis est; & species quarti similis Filio Dei.* Dan. 3. num. 91. & 92. Quasi diceret: Quartus ille similis Filio Dei, sua præsentia efficit, ne hi tres ambientis flammæ voracitate consumantur. *D. Chrys.* Quod D. Chrysostomus homil. de tribus pueris, in primo tomo, ad finem, rectè expendens: *Adest*, inquit, *amica maiestas, vt (E) innocentia liberetur. Patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari; vt crescat gloria puerorum: insana enim mens in suis flammis parum crederet fortasse, si talem non disceret defensorem.* Quasi ipse tyrannus magis admiraretur præsentem & fauentem Deum, quàm torpentem & languentem ignem: hunc enim torpescere & languescere mirum non erat; cum ille fautor & auxiliator adfuisset.

VII. *Apostolos magis absentia Christi, quàm procella turbabat.*

Nauigabant olim Apostoli procul à terra. *Et tenebræ*, inquit Euangelista, *iam factæ erant: & non venerat ad eos Iesus: mare autem, vento magno flante,*

exurgebat

exurgebat. Ioann. 6. n. 17. Quid eos præcipuè in A tam aeri tempestate perterrebat? Optime D. Cyrillus Alexandrinus lib. 4. in Ioann. cap. 22. *Conturbat*, inquit, *tenebrarum multitudo, & conturbat nimia vis ventorum; & quod plus timoris inferebat, Christus non aderat.* Quasi grauiora pericula ex Christi absentia, quàm ex præsentia tempestatis prouenirent. Sed illo statim super mare ambulante, ac dicente: *Ego sum, nolite timere*: tota illa Apostolorum trepidatio conquieuit. *Cedit enim*, inquit D. Cyrillus cap. 23. *omnis perturbatio, cunctaque pericula desinunt, cùm Christus adsit.* Neque solùm timorem, sed etiam timoris causam cessasse, Christo appropinquante, probauit euentus. *Voluerunt enim*, subdit Euangelista, *accipere eum in nauim, & statim nauis fuit ad terram, in quam ibant.* Ibidem, n. 21. Non dixit, acceperunt: sed, *voluerunt accipere.* Ex hoc enim desiderio faciendi Christũ sibi præsentiorem; totum periculum absque vlla mora euitarunt: & absque vllo sudore ac labore ad optatum portum, qui longè aberat, momento temporis appulerunt. Quod D. Cyrillus c. 24. eleganter expendens: *Non dubitemus*, inquit, *multò maiora, quàm speramus, præstantioráque bona ex Christi præsentia nos consequuturos: & qui, absente ipso, laboramus; præsente eo, sine opera nostra quiescemus. Sic enim omnium periculorũ Christus solutio est.*

D. Cyrill.

Christo præsente trepidatio cõquieuit.

Periculum euanuit.

Christus præsens, periculorũ solutio est.

VIII. Mirabatur olim Holofernes, cùm cæteræ nationes sua sponte se illi subiicerent, solos Israëlitas ad resistendum animos habuisse. Quare diligenter inquirens, qua præcipuè fiducia niterentur, rem totam audit ex Achior Principe Ammonitarum, qui multa alia de Hebræorum viribus ac præsidiis præfatus: *Vbicunque*, inquit, *ingressi sunt sine arcu & sagitta, & absque scuto & gladio, Deus eorum pugnauit pro eis, & vicit. Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit à cultu Domini Dei sui.* Iudith 5. n. 16. Quasi diceret: Nihil mirum, si solus iste populus tuam potentiam non timeat, qui solus diuinã præsentiam fautricem & auxiliatricem experitur. Sed, cur dixit pugnasse absque armis, quos tamen constat, sæpè armatos decertasse? Respondet Lyra: *Quia licet*, inquit, *pugnauerunt cum Amalec in armis, & cum aliis septem Gentibus, quas expulerunt de terra Promissionis: tamen non habuerunt victoriam per arma, sed virtute diuina.* Quasi illa armorum præsidia, quantacunque fuerint, in irritum abirent, nisi auspicatrice Dei præsentia adiuuarentur. Pergit Achior, & consilium præbet verissimum Holoferni; *Nunc ergo*, inquit, *mi Domine, perquire, si est aliqua iniquitas eorũ in cõspectu Dei eorum: & ascendamus ad illos: quoniam tradens, tradet illos Deus eorum tibi, & subiugati erunt sub iugo potentiæ tuæ. Si verò non est offensio populi huius coram Deo suo, non poterimus resistere illis; quoniam Deus eorum defendet illos.* Ibidem, num. 24. & 25. Non monuit, vt æraria, mœnia, arma, & militum præsidia, aliáque bellorum machinamenta priùs exploraret; hæc enim omnia, si sola essent; non dubitabat Achior, Holofernis viribus subruenda. Sed monuit, vt priùs tentaret, an fortè per id temporis præsenti Numinis fauore ille populus vteretur. Nam, præsente Deo, superari non possent Israëlitæ; qui, absente, facilè vincerentur.

Israëlitæ diuina præsentia inexpugnabiles reddebat.

Lyra.

Præsentis Numinis fauor validior, quàm omniũ armorum apparatus.

IX. Quare Moyses milites ad bellum exituros, non aliunde efficaciùs, quàm à præsentia diuina hortabatur: *Si exieris*, inquit, *ad bellum contra hostes tuos, & videris equitatus, & currus, & maiorem, quàm tu habeas, aduersarij exercitus, multitudinem, non timebis eos; quia Dominus Deus tuus tecum est.* Deuter. 20. num. 1. Quid enim ei hostilis potentia nocebit, cui diuina præsentia patrocinatur? Prælio verò iam instante, Sacerdos alacriores animos subiiciebat, dicens: *Nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: quia Dominus Deus vester in medio vestri est; & pro vobis contra aduersarios dimicabit.* Ibidem, num. 3. Nullus enim hostilis impetus illum exercitum infringet, quem diuinæ præsentiæ clypeus obarmabit. In eundem sensum Dauid; *Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?* Psal. 26. num. 1. Pari alacritate Iobus: *Pone me*, inquit, *iuxta te; & cuiusvis manus pugnet contra me.* Iob. 17. num. 3. Non degeneres gestabat animos Ieremias, dicens: *Dominus mecum est, quasi bellator fortis: idcircò, qui persequuntur me, cadent, & infirmi erunt.* Ierem. 20. num. 11. B Itaque præsente ac fauente Numine, mala omnia euanescunt; & acerrima quæque tam hominum, quam Dæmonum terriculamenta vno veluti spiritu difflantur.

Milites ad praliũ, & in prælio nulla res magis, quã diuina præsentia animabat.

Deo præsente nihil veteres Prophetæ formidabant.

X. Hinc fit, vt res noua & incredibilis videatur, Deum adesse, & mala omnia non exulare. Cùm olim Hebræi à Madianitis & Amalecitis, bello grauiter premerentur; Gedeon de fuga capessenda cogitabat. Ecce tibi Angelus Domini fugiturum alloquitur: *Dominus*, inquit, *tecum, virorum fortissime.* Iud. 6. num. 12. Ironica visa est hæc loquutio Gedeoni; ne dicam pugnantia inuoluens. At in quo? Dices, quia virorum fortissimum appellabat, qui se ad fugam præ timore accingebat. Ita refert Abulensis. Sed planè maiorem adhuc C pugnam in verbis Angeli Gedeon mirabatur. Nempe, quòd diceret, adesse Dominum: *Dominus*, inquit, *tecum*: cùm tamen mala, quibus vndique premebatur, non abessent. Vnde statim Angelum admirabundus interrogauit: *Obsecro*, inquit, *mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hac omnia?* Ibidem, num. 13. Vbi rectè Caietanus: *Admirabatur*, inquit, *quòd starent simul duo hæc; videlicet, Deum esse cum eis; & pati eos tot mala.* Adeò enim certum est, ex diuina præsentia omnia mala propulsari; vt, si quando hæc instent, de illa dubitetur.

Incredibile Gedeoni videbatur, Deũ adesse, & mala omnia non abesse.

Abul.

XI. Nec sua Gedeonem opinio fefellit. Nam idem Angelus, qui illi denũtiauit, esse Dominum cum eo, denuntiauit pariter omnia mala ab eo procul D abigenda. *Vade*, inquit, *in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian.* Ibidem, numer. 14. Et rursum: *Ego*, inquit, *ero tecum; & percuties Madian, quasi vnum virum.* Vbi suprà, num. 16. Quasi diceret: Non falleris, dum existimas, præsente Deo, abesse mala: quare, dum tecum Deum esse denuntio; denuntio pariter omnia à te mala remouenda. Vnde rectè subdidit Gedeon: *Da mihi signum, quòd tu sis, qui loqueris ad me.* Num. 17. Non enim postulauit signum, quo certus redderetur de malis repellendis; sed quo certus redderetur de præsentia diuina. Nam certus de hac, de illis non dubitabat. Adeò verum est, omnes malorum tenebras ad diuinæ præsentiæ lucem euanescere: omnes procellas se- E renari: omnia bella consopiri.

Angelus denuntians præsentiam diuinã, denuntiauit & victoriam.

Gedeon non postulauit signum victoriæ; sed præsẽtiæ diuinæ: ex hac illam certissimè colligebat.

SECTIO II.

Præsente Deo, bona omnia conciliantur.

I. NOn solùm omnia mala Dei præsentia expellit, sed etiam bona omnia inducit. Ingresso Iacobo in domum Laban; ipse tandem Laban ingenuè confitetur, quid boni sibi eius

Præsentia Iacobi, Iosephi, & Arca fœderis profuit etiã Ethnicis: in typum præsẽtiæ diuinæ.

præsentia apportauerit: *Experimento*, inquit, *didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Gen. 30. num. 27. Translato Iosepho de terra Chanaan in domum Putiphar, subdit statim Textus: *Benedixitque Dominus domui Ægyptij propter Ioseph.* Gen. 39. n. 5. Introducta Arca fœderis in domum Obededon, addit sacra Historia: *Benedixit Dominus Obededon, & omnem domum eius.* 2. Reg. 6. n. 11. Si ergo Iacobi, Iosephi & Arcæ fœderis præsentia, benedictionem diuinam, sub qua omnium bonorum affluentia significatur, etiam in domos Ethnicorum importauit; quem bonorum cumulum diuina præsentia in populum fidelem non inducet?

II.

Cui promittitur diuina præsentia, omnia bona promittuntur. Philo.

Suam Deus præsentiam Abrahamo promittebat, dicens: *Ego protector tuus.* Gen. 15. n. 1. seu, vt Philo de migratione Abrahami legit: *Ego ero tecum.* Qua in promissione omnia bona promittebat, vt idem Philo obseruat: *Fons*, inquit, *vnde bona promanant, est cum benigno Deo familiaritas. Ideò quasi obsignans sua beneficia, dicit: Ero tecum.* Et statim: *Quid igitur boni defuerit, præsente omnipotente Deo? Tunc proueniunt aceruatim cuncta commoda.*

Iacobum ad pericula pauidum diuina præsentia confirmauit. D. Ambr.

Iacobum in Ægyptum descendere reformidantem hortatur Deus, hac voce: *Ego descendam tecum illuc: & ego inde adducam te reuertentem.* Genes. 46. num. 4. Quasi nihil ei posset occurrere formidandum, cui se Deus comitem adiunxisset. Vnde D. Ambrosius lib. 2. De Iacob & vita beata, cap. 9. *Quid igitur*, inquit, *ei deerat, cui Deus aderat? qui ei profecturo dixerat: Descendam tecū in Ægyptum?*

Nihil deest, cui Deus adest.

Eidem Iacobo è Mesopotamia in patriam redituro: *Reuertere*, inquit Deus, *in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam: eróque tecum.* Gen. 31. n. 3. Suam ei rursus præsentiam promittit: *Ostendens*, inquit Diuus Ambrosius citat. c. 5. *nihil ei deesse, cui adesset omnium plenitudo.* Huius diuinæ præsentiæ fauorem gratulatus Dauid: *Dominus*, inquit, *regit me, & nihil mihi deerit.* Psal. 22. num. 1. In quam gratulationem, inquit Philo Hebræus lib. De agricultura, ante medium, erumpere potest, quisquis Deum sibi præsentem experitur. *Impossibile est enim*, inquit, *deesse commodum aliquod, vbi Deus præsidet; solitus plena, perfectáque bona largiri rebus omnibus.*

Philo.

III.

Opes ex diuina præsentia multiplicantur.

Ex diuitiis Abrahæ rectè colligitur à posteriori Dei præsentia cum eo. Oleast.

Sic & ex diuitiis Isaac, diuina cum eo præsentia colligitur.

Quod verò bonum, siue temporale, siue spirituale fingi potest, quod ex diuina præsentia non promanet? Diuitias in primis temporales præsentia diuina multiplicat. Ad Abrahamum venit Abimelech amicitiam cum eo initurus: *Deus*, inquit, *tecum est, in vniuersis, quæ agis. Iura ergo per Deum, ne noceas mihi.* Gen 21. n. 22. & 23. Vnde, quæso, cognouit, Deum esse cum Abraham; nisi quia vidit illum bonis temporalibus cumulatum? *Erat enim*, inquit Textus, *diues valdè in possessione auri & argenti.* Gen. 13. num. 2. Hæc enim bona, diuinæ præsentiæ, à qua communicantur, signa sunt: vt Oleaster aduertit. *Cùm*, inquit, *videris iustum bonis etiam temporalibus abundare; cognosce eum, Deum apud se habere.* Non aliter ad Isaac de Geraris venerunt Rex Abimelech, & alij Primates dicentes: *Vidimus, tecum esse Dominum; & idcircò diximus: sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus.* Gen. 26. num. 28. Vnde rursus colligebant, Deum esse cum Isaac? Respondet Lyranus: *Per hoc*, inquit, *quòd tam citò multiplicauit illum in bonis.* Nam paulò antè dicitur de Isaac: *Benedixitque ei Dominus, & locupletatus est homo.* Ibidem, num. 13. Quasi non posset illa diuitiarum vbertas, nisi ex diuina præsentia prouenire.

Lyra.

IV.

Ex præsentia Iacobi, credūt Hebræi prouenisse Ægypto fertilitatē.

Grassante fame in toto orbe, ingressus est Iacobus in Ægyptum, vt patet ex Gen. 47. num. 13. Dicunt nihilominùs Hebræi, ad illius ingressum, statim Nilum exundasse; & terram ex siccitate infœcundam, infusa aqua, fertilem reddidisse. Sed quamuis hoc certum non sit; immò probabilius videatur, præsentiam Iacobi eam fertilitatem Ægypto non contulisse; vt rectè ostendit Lyra: tamen nihil mirum videri debet, si ex diuina præsentia, quæ est multis partibus efficacior, temporalium quoque bonorum flumina in genus hominum refundantur. Quod Iacobus prædixit, cùm de Christo venturo vaticinatus, subdit: *Ligans ad vineam pullum suum; & ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum.* Genes. 49. num. 11. Quasi diceret, iuxta communem Interpretum sensum: Tanta tunc erit fertilitas, vt ex singulis vitibus singula iumenta onerentur: tanta vini abundantia, vt non solùm ad bibendum, sed etiam ad lauandas vestes, si opus sit, superfuturum videatur.

Lyra.

Certius, ex diuina præsentia omnia bona temporalia redūdant.

V.

Honores ex diuina præsentia subsequuntur.

Patriarchas diuina præsentia nobilitauit.

Sed honores quoque diuina præsentia conciliat. Patet in prædictis Patriarchis, Abraham & Isaac, quorum amicitiam, vt maximè honorificam & gloriosam, Reges & Principes ambiebant; quia Deum illis fauentem ac præsentem adesse indicabant, vt citatis in locis videre est. Quid illustrius & præcellentius, quàm Reges illis subiici & substerni, quos Deus præsens comitatur?

Iosephus ex diuina præsentia subiit principatum.

Iosephus in domo Putiphar tenuit principatum. *Ecce*, inquit ille, *Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat, in domo sua: nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi.* Genes. 39. numer. 8. Cur, quæso, vir Ægyptius, Princeps, ac diues, vni puero, ignoto, vendito, & captiuo, omissis aliis vernis senioribus, & meliùs de illo meritis, tantam contulit dignitatem? Ratio planè illa est, quam Textus reddit: *Quia optimè*, inquit, *nouerat Dominum esse cum eo; & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius.* Ibidem, num. 3. Quasi ab hoc diuino comitatu ille principatus nasceretur.

Eundem Iosephū in carcere diuina præsentia cōstituit Principem.

Traditur posteà Iosephus ex falsa calumnia in carcerem. Sed & ibi clausus imperabat. Nam Princeps carceris, vt est in Litera, *tradidit in manu illius vniuersos vinctos, qui in custodia tenebantur, & quidquid fiebat, sub ipso erat: nec nouerat aliquid, cunctis ei creditis.* Ibidem, num. 22. Vnde tantus honor vni reo, qui ad supplicium, non ad imperium vocabatur? Additur in Littera: *Dominus erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.* num. 23.

Deo præsente, nihil differt ergastulum à palatio.

Vbi aduerte, non minores successus habuisse Iosephum in domo seruitutis, & in domo carceris; quàm in domo regia Pharaonis: nam sicut in hac, ita in illis gubernabat: nec mirum, quia in omnibus Deum comitem habebat. Vbi autem Deus adest; nihil differt ergastulum à palatio. Vide quæ de Iosepho diximus c. 2. n. 4. ad præsens institutum spectantia.

VI.

Victoria & triumphus ex præsentia diuina reportantur.

Iudith victricē reddit præsētia diuina. D. August.

At victoria & triumphus, vnde meliùs, quàm ex diuina præsentia reportantur? Parta victoria de Holoferne, regreditur Iudith ad ciues suos, & ingressura muros exclamat: *Aperite portas, quoniam nobiscum Deus.* Iudith 13. num. 13. Non dixit: Quoniam iugulatus est hostis, quoniam dissipatus exercitus, quoniam soluta obsidio, quoniam parta victoria, quoniam triumphus celebratus: sed, *Quoniam nobiscum Deus.* Nam ab hac causa omnes illos effectus consequentes manifestauit. Quos illa quidem præuidit, cùm Deum sibi affuturum præcognouit. Nam, vt bene D. August. serm. 218. De tẽpore: *Prodit*, inquit, *secura, vnius puellæ comitatu contenta, & securis gressibus hostium*

properanti

properauit in castra:intra muros sollicita fuit; secura fuit, dum ad timenda peruenit. Quasi diceret: Intra muros suorum ciuium malitia eam perterrebat:extra muros diuini Numinis præsentia eandem animabat.

VII.
Triumphus ex diuina præsentia sperandus.

Ad bellum misit Debora Barac præliaturum contra Sisaram. *Vade*, inquit, *& duc exercitum, &c.* Iud.4.num.6. Quid verò ille? *Si venis*, inquit, *mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam.* Ibidem, num.8. Si Dux ille non ignauus ex præsentia vnius fœminæ, virtute præcellentis, victoriam sperabat: quem non speraret ex diuina præsentia triumphum? Vnde ipsa Debora paulò pòst eundem Ducem congressurum, sic hortatur: *Surge*, inquit: *hæc est enim dies, in qua tradidit Dominus Sisaram in manus tuas. En ipse ductor est tuus.* Ibidem, num.14. seu, vt est in Hebræo: *En ipse prodiit ante faciem tuam.* De præterito loquitur: *Prodiit*: non *prodit*: vt ibi notat Montanus. Quasi diceret: Felices tibi exitus ominare: quia antequàm ad bellum descenderes; ipse Dominus pro te bellaturus præcucurrit.

Certissimè promittitur.

Montanus.

VIII.
Felicissimè repræsentatur. Præsens Numen non solùm fauet præliantı, sed etiam præliatur.

Nec aliter res euenit. *Perterruit enim Dominus*, inquit Textus, *Sisaram, & omnes currus eius, vniuersámque multitudinem in ore gladij ad conspectum Barac.* Ibidem, n.15. Vbi vides, Deum quidem pugnasse in ore gladij: at verò Barac solo suo conspectu terruisse. Nam præsens Numen non solùm fauet prælianti; sed etiam maiorem laboris partem in se recipit peragendam. Vnde fit, vt Duces, ac milites, Deo sibi patrocinante, non tam præliari, quàm oblectari sibi in pugna videantur: teste strenuissimo illo Duce Iuda Machabæo, cùm aduersùs potentissimum tyrannum Nicanoré conflixit. *Iudas*, inquit Textus, *& qui cum eo erant, inuocato Deo per orationes congressi sunt: manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes, prostrauerunt non minùs triginta quinque millia, præsentia Dei magnificè delectati.* 2.Mach.15.num.26. Hæc enim præsẽtia diuina inter bellorũ strepitus non modò securitatem præstabat, sed etiam voluptatem.

Milites Deo præsente non tam præliantur, quàm delectantur.

IX.
Vita, Deo comite, prorogatur.

Iam verò ipsa vita bonorum temporalium corona, Deo præsente, indulgetur. Quare Deus loquutus cum Abrahamo: *Reuertens*, inquit, *veniam ad te, tempore isto, vita comite.* Genes.18. num. 10. Hoc est: Quando veniam, adhuc viues. Non enim potest vita, cùm ego adsum, tibi deesse. Paulò ante tres illi Angeli, qui Abrahamo apparuerant, cum eo loquebantur, nec vitam pollicebantur. *Dixerunt*, inquit Textus, *ad eum*, &c. Nunc autem ille solus, qui Deũ repræsentabat, vt Caiet. aduertit, vitam promittebat: vt significaretur illa vita, de qua sermo erat, non per angelicam, sed per diuinam præsentiam conferenda. Cuius mysterij significandi gratia, non Giezi, sed Helisæi præsentia, vitam restituit filio Sunamitidis. 4. Reg.4. à num.29. De qua re D.Bernard. serm. 2. in Cant. *Sequatur*, inquit, *Deus nuntios suos; quia sine ipso possunt facere nihil. Misit puerum Helisæus, tulit baculum; & nec dum est vox, neque vita. Non surgo, non suscitor, non respiro, si non Propheta ipse descendat, & osculetur me osculo oris sui.*

Caiet.

Non Prophetarum, sed Christi præsentia restituit vitam.
D. Bern.

X.
Ezechias, quia in Dei præsentia vixerat, longiora viuendi spatia impetrauit. Henoch, & Helias ex diuina præsẽtia diuturnas vitas hauserunt.
Tert.

Certè Ezechias, cùm iam moriturus obiecit Domino, se in eius præsentia semper vixisse, dicens: *Memento, quæso, quomodo ambulauerim corã te.* Isai.38.num.3. statim à Deo obtinuit, vt in quindecim annos vitam prorogaret. Quasi diuina præsentia ei fuerit saluberrima vitæ propagandæ medicina. Illi verò duo *æternitatis candidati*, vt vocat Tert.lib. De resurrect.carnis cap.8. Henoch scilicet, & Helias, quo ex fonte tam diuturnas vitas, nisi ex diuina præsentia hauserunt? Nam de Henoch dicitur Genes.5. num.24. *Ambulauitque cum Deo, & non apparuit; quia tulit eum Deus:* seu, vt habet Paraphrastes Chaldæus: *Quia non mori fecit eum Deus.* Quasi ex præsentia Dei, cum quo ambulauit, non solùm vitæ diuturnitatem; sed ipsam quodammodo immortalitatem assequeretur. Helias verò Thesbites: *Viuit*, inquit, *Dominus Deus Israel, in cuius conspectu sto.* 3. Reg 17. num. 1. Dum ergo cum Deo viuente, se viuere profitetur, rapitur in Paradisum terrestrem vsque ad mundi finem victurus. 4. Reg. 2. num.11. Vt ostendatur Dei præsentiam hanc viuendi longitudinem illi contulisse.

Chald.

XI.
Bona spiritualia à diuina præsentia oriuntur.

Tandem bonorum spiritualium flumina ex hoc diuinæ præsentiæ fonte deriuantur. Seruus ille, qui debebat decem millia talenta, Matth.18. numer.24 in conspectu Domini sui multa bona egit, quæ Diuus Chrysostom.homil.20. ex variis in Matthæũ locis enumerat. *Nam & confessus est*, inquit, *& se redditurũ promisit debitũ, & procidit & supplicauit, propriáque damnauit peccata, & debiti magnitudinem agnouit.* Nec solùm bona præstitit, sed etiam reportauit, nempe, debitorum remissionem. *Misertus* enim *Dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Ibidem, num.27. Vt facile posset intelligere quanta ex diuina præsentia lucra compararentur. Vtinam à diuino conspectu non exiisset: profectò bona ibi collecta non dissipasset. Sed proh dolor! Egressus seruus ille maiores culpas contraxit, & seueriores pœnas incurrit. Vnde Theophylactus rectè aduertit, non ante se durum & immitem in conseruum præstitisse, quam à Domino egrederetur: *Nullus enim*, inquit, *qui in Deo manet, compassionis expers est: sed ille egressus erat, & à Deo nunc alienus erat.* Itaque Deo præsens multa bona spiritualia collegit: absens dissipauit. Similis Diabolo, qui in Dei præsentia malum facere non potuit: vt faceret, *Egressus est à facie Domini.* Iob.1. numer. 12. Vbi Olympiodorus in Catena Græca: *Satan*, inquit, *est egressus à facie Domini, quia omne malum est extra Dominum.* Et rursus ad cap.2. numer.7. Vbi eadem verba repetuntur: *Egressus est*, inquit, *Satan a facie Domini. Nullum enim studium improbum habet cum Deo commercium.* Quod iterum Didymus, Caïni Iudæque exemplis confirmat. Quorum vterque in extremum malorum barathrum ruituri à facie Domini exierunt; si in conspectu Domini perstitissent, summa bonorum affluentia cumulandi. Quis ergo dubitet à diuinæ præsentiæ fonte bona omnia hauriri?

D Chrys.
Seruus talentorũ debitor multa bona in Dei præsentia fecit, & accepit.

Egressus à diuina præsentia, in multa incidit mala.
Theophyl.

Diabolus in Dei præsentia nocere non potuit: egressus potuit.
Olymp.

Didymus.
Caïnus, & Iudas non præsentes, sed egredientes à Domino perierunt.

XII.
Ismaël bonus fuisse, ex diuina præsentia colligitur.
Caiet.

De Ismaele sacra Historia: *Creuit*, inquit, *& moratus est in solitudine, factúsque est vir sagittarius.* Genes.21.num.20. Ad quem locum dicunt Hebræi, Ismaelem non tam artem venandi, quàm latrocinandi, & viatores spoliandi exercuisse. Sed Hebræos refellit Caiet. ex hoc tantùm, quòd in eodem loco dicatur Deus fuisse cum Ismaële. *Et fuit*, inquit Textus, *Deus cum eo.* Vbi Caietanus: *Hinc apparet*, inquit, *nugas esse, quòd Ismael exercuerit latrocinia. Si enim Deus erat cum puero, longè erat à latrociniis.* Quasi non possent non exulare inde vitia, & regnare ibi virtutes, vbi præsens Numen suam sedem collocasset. Vnde nihil mirum, sitienti puero in deserto, fontem, ex quo hauriret, qui spiritualem vbertatem significaret, subitò apparuisse; vt ex eodem loco constat. Nam, vt bene D. Chrys.hom.46.in Genes. *Quando*, inquit, *amicum & beneuolum habemus Deum, etiamsi in deserto fuerimus, multò securiores viuemus, quàm ij, qui in ciuitatibus versantur; diuina gratia nobis omnia suppeditante.*

Puero sub diuina præsentia sitienti, statim fons apparuit.
D.Chrys.

XIII.

Duo Eunuchi ex paribus fere culpis dispares pœnas susceperunt, quia vnus aderat, alter aberat à Rege.

Sanctitas ad Eucharistiã.

Accidit olim in Ægypto, *vt peccarent duo Eunuchi, pincerna Regis, & pistor Domino suo.* Gen. 40. n. 1. At quod fuit vtriusque peccatum? In litera non exprimitur. Hebræi dicunt, pincernam deliquisse, quòd in potu regio musca inuenta fuerit: pistorem verò, quòd in pane regio inuentus fuerit lapis paruus. Vbi obiter aduerte, si tam leuis culpa in regio potu ac cibo commissa, Pharaonem tam grauiter offendit; quàm grauiter offendet Deum quæcunque culpa in eucharistico conuiuio patrata? At quæ pœna sequuta fuit delinquentes? Constat ex eodem capite, vtrunque fuisse in carcerem detrusum: & pistorem paulò pòst actum in crucem: pincernam verò è carcere ereptum, & pristino officio restitutum. Sed quæret aliquis non immeritò, si vtriusque culpa penè fuit par; cur tam dispar pœna vni, & alteri B assignetur? Ratio illa esse potest ad præsens institutum accommodata: quòd pistor coquinariis ministeriis addictus, procul aberat à conspectu Regis: vnde nihil mirum, si Rex nulla in eum misericordia flecteretur. At verò pincerna, qui in oculis Regis versabatur, faciliùs potuit Regi miserationem commouere. Si igitur tantùm profuit in vnius Regis præsentia versari, quanta ex præsentia & comitatu diuino vtilitas consequetur?

Argumẽtum à regia præsentia ad diuinam.

XIV.

Iosephus terram Gessen suis fratribus optauit.

Diligenter admodum curauit Ioseph, vt eius pater & fratres in Ægyptum venientes, non alibi, quàm in terra Gessen commorarentur: vt patet ex Genes. 45. num. 9. & 46. num. 34. & 47. num. 4. C Cur hanc potiùs terræ plagam, quàm aliam quancunque tantoperè expetiuit? Sunt, qui dicant, quia hæc vna regio palustris erat, herbosa, & pascualis: fratres autem Iosephi cùm essent pastores ouium, terram humano victui opportunam parum curabant: sed alendis pecoribus accommodatam ardenter expetebant: optimum ad Pastores animarum documentum transferentes; vt non tam suis, quàm suarum ouium commodis prouiderent. Dicunt alij, quia illa regio erat magis inuia Ægyptiis, & ab eorum commercio separata: volebat autem Iosephus nullum suis fratribus cum Ægyptiis esse consortium: ne aut ab illis læderentur in temporalibus; oderant enim Ægyptij pastores ouium: aut certè D in spiritualibus offenderentur; periculum enim erat, ne fratrum religio, Ægyptiorum superstitionibus deprauaretur. Tandem ad præsens institutum mysticè respondet Interlin: *Quia Gessen,* inquit, *interpretatur, propinquitas: Vnde patet, quia licet in Ægypto habitet Israel, non tamen longè est à Deo.* Quam vlteriùs rationem sic expono: Nolebat Ioseph fratres suos spiritualibus bonis defraudare, sed potiùs cumulare. Quam ergo insistit viam? Curat, vt in terra Gessen, hoc est, Deo propinqua ac vicina commorentur, vt suæ habitationis etymologia admoniti certò sciant, si Deo præsentes adsint, & acceptos diuinæ gratiæ riuos conseruandos esse, & alios atque alios indies largiores hauriendos. E

Prima ratio, propter omniũ pastum: in exemplum Prælatorum, vt non tam sibi, quã suis ouibus consulant.

Secunda, quia remotior ab Ægyptiis, quorum commercium euitare cupiebat.

Tertia mystica, quia interpretatur propinquitas; scilicet, cum Deo, à quo bona omnia sperabat.

XV.

Ecclesia cum vrbe regia comparatur.

Ecclesiæ pulchritudinem commendaturus Salomon: *Pulchra*, inquit, *es amica mea, suauis & decora, sicut Hierusalem.* Cant. 6. n. 3. seu, vt transferunt Septuaginta: *Pulchra es amica, sicut Thersa; & decora, sicut Hierusalem.* Vbi vides comparari Ecclesiam duplici vrbi regiæ, Thersæ, & Hierosolymæ, in quibus Reges Iuda commorabantur. Vtraque enim ciuitas regum in se habuit domicilium: Hierosolyma quidem, vt patet ex 2. Reg 5 n. 5. Thersa verò, vt constat ex 3. Regũ 15. numer. 33. vt plura alia loca, quibus id confirmari A potest, prætermittam. Quid igitur Ecclesiæ cum vrbe regia? Certè non parum. Quia, quemadmodum vrbis regiæ pulchritudo ex præsentia Regis, qui in ea habitat, deriuatur: ita spirituale totius Ecclesiæ decus & ornamentum ex præsentia ipsius Numinis, illi beneuolè fauẽtis & aspirantis proficiscitur. Pone in oppidulo aulam regiam; quàm primùm excrescet in emporiũ. Tolle eandem regiam ab emporio; quàm primùm deficiet in oppidulum. Non aliter quæuis anima ex præsentia, vel absentia diuina suum sumit, aut ponit splendorem.

Ratio: quia sicut vrbs regia à præsentia Regis, ita Ecclesia à præsẽtia Dei totam suam pulchritudinẽ mutuatur.

XVI.

Qui Deo propè adsunt, charissimi Deo sunt.

D. Cyril. Alexand.

Suos seruos sic alloquitur benignus Dominus: *Comedite, amici, & bibite, & inebriamini, charissimi.* Cant. 5. n. 1. D. Cyril. Alex. lib. 3. in Ioann. c. 16. le- B git: *Inebriamini, qui prope estis.* Vbi duo expende. Vnum, eos, qui Deo propè adsunt, seu quibus Deus propè adest, charissimos appellari. Quid maius, quam Dei charitas poterat ex hac diuina præsentia in homines deriuari? Alterum, bonorum omnium affluentiam, quam illud conuiuium, melle, vino & lacte refertissimum significabat, illis tantùm communicari, qui hac diuina præsentia fruuntur. Nam *qui elongant se à te, peribunt:* teste Dauid Psal. 72. n. 27. Vnde ipse clamabat: *Deus, ne elongeris à me.* Psal. 70. n. 12. Absente enim Deo, ingruunt mala; quæ præsente, euanescunt.

Qui Deo adsunt, bonis spiritualibus inebriantur.

XVII.

Moyses ex diuina præsentia ingentes bonorum spiritualium thesauros possidebat.

Moyses profugus & peregrinus tam multis donis cælestibus abundabat, vt ea thesauris Ægy- C ptiorum anteferret: teste Diuo Paulo, Hebr. 11. n. 26. Sed si ab eodem Apostolo exquiras, vnde sibi eas diuitias spirituales compararit? Respondebit: *Inuisibilem enim tanquàm videns sustinuit.* Ibidem, num. 27. Quasi diceret: Quia præsentem Deum sibi semper videre videbatur. *Et loquebatur Dominus cum eo facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum*: vt Exodi 33. n. 11. habetur: idcircò tam multas cælestium bonorum diuitias sibi thesaurizabat. Vnde Diuus Chrysost. hom. 26. in Epistol. citatam: *Si videmus*, inquit, *mente semper Deum; si semper in recordationem eius conuertimus mentem nostram, omnia nobis facilia apparebunt, omnia portabilia, omnia sustinebimus, omnibus superiores efficiemur.* Et paulò pòst a mino- D ri argumentatus: *Si quisquam*, inquit, *recordatus amici, erigit animam suam, delicians ex memoria illius, qui in mente habuerit eum, qui nos diligere verè dignatus est; quando poterit aliquam sentire tristitiam, aut terribile aliquid aut periculosum timere?*

D. Chrys.

Argumẽtum à minore.

XVIII.

Michas ex præsẽtia idolorum bona omnia sperabat.

Quid nõ speret Christianus ex præsẽtia diuina.

Lyra.

Sacerdotem Micham suis idolis seruientem Tribus Dan iisdem idolis spoliauit. Quid verò ille? Queribundus exclamat: *Deos meos, quos mihi feci, tulistis; & omnia, quæ habeo.* Iud. 18. num. 24. Atqui Tribus Dan nihil ampliùs ex tota supellectili, quàm Deos, eripuerat: quid igitur omnibus bonis se spoliatum esse quiritabat? Lyra respondet: Quia idola illa tanti faciebat, vt præ illis cætera omnia flocci penderet; in illis sua omnia bona inclusa existimaret. Addo, quia ex illis idolis, E tanquàm ex fontibus sibi omnium bonorum flumina oriri iudicabat: vnde, siccatis fontibus, metuebat, ne & flumina exarescerent. Si igitur ex vanis simulacris bona omnia Ethnicus ille sperabat: quid ex vero ac præsenti Numine non speret Christianus? Certè puer Baptista materno in vtero inclusus; sed ex præsentia Christi Domini in bonorum omnium spem erectus, *exultauit in gaudio.* Luc. 1. n. 44. Nam, vt bene D. Amb. lib. De Isaac & anima, c. 6. *Præsentia*, inquit, *Mariæ, cùm vtero grauis esset, erudiuit Ioannẽ, in vtero constitutum, adeò, vt exiliret, & exultaret, Domini præsentiam*

Baptista in vtero ad Christi præsentiam exultat.

D. Ambros.

præsentiam recognoscens. Quos enim bonorum fluuios non speraret, qui totius bonitatis fontem sibi adesse cognoscebat? Quare ter, & ampliùs felices, quibus præsens Numen patrocinatur.

XIX. *Synagoga ex diuina præsentia gloriabatur.*

Qua de re non immeritò gloriabatur olim Synagoga, dicens: *En populus sapiens, & intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Deut. 4 n 6. & 7. Aderant quidem idola, & respondebant suis cultoribus; sed plerunque decipiebant; & semper in eorum perniciem conspirabant. Deus autem ita præsens aderat Israelitis, vt & veraciter eruditet, & viriliter adiuuaret. Vnde Ier. 23. n. 23. *Putásne Deus è vicino ego sum, dicit Dominus; & non Deus de longè?* Seu, vt Septuaginta sine interrogatione transferunt: *Deus appropinquans ego sum; & non Deus à longè.* Quasi ab hoc munere, de quo maximè gloriabatur, sibi nomen vendicaret. Sed quantò præsentior adest Christianis, cum quibus non vocaliter, vt olim; sed corporaliter commoratur? At cur non audimus loquentem, vt olim; quem maximè præsentem non dubitamus? Respondet Oleaster in locum Deuter. citatum, ad maiorē cumulum misericordię vocales cum hominibus sermones non miscere. *Postquàm enim*, inquit, *nobis tā familiaris esse voluit: si nobis loqueretur, videns nos tā imperfectos, quid putas, nobis dicere posset, nisi peccata nostra? Piè ergo valde nobiscum moratur, & conuersatur: neque tamen loquitur; vt nostris miseriis succurrat; neque tamen statim arguat, sed dissimulet.* Quasi Deus sic hominibus adesse velit, vt malit ad eos patienter tacere, quàm cum eis acriter expostulare. Consule de hac diuina præsentia Lorin. in Psal. 15. n. 8. & in Acta c. 2. n. 25. & Barrad. tom. 3. concord. lib. 10. c. 21.

Gloriosior Ecclesia, cui præsentior adest Christus.

Christus nobis adest, sed non loquitur: ne mala nostra ad nos arguendos promoueretur.

Lorin. Barrad.

XX. *Deus homini adest, fauēdo: homo Deo, obsequendo.* D. Ambr.

Hactenus de præsentia Dei erga hominem, quæ fauendo & indulgendo spectatur. Nunc de præsentia hominis erga Deum, illud accipe, quod rectè inculcat D. Ambros. lib. De Isaac & anima, c. 5. ad illa verba: *Veni de Libano, veni.* Cant. 4. n. 8. Seu, vt ipse legit: *Ades à Libano, ades.* Vbi hanc animæ cum Deo præsentiam explicaturus: *Bene*, inquit, *repetiuit: quia siue præsens, siue absens, adesse & placere Domino Deo tuo debes. Adesto præsens, adesto absens, etsi adhuc in corpore es. Mihi enim omnes præsentes sunt; quorum fides mecum est. Adest mihi, qui exit de seculo. Adest mihi, qui me cogitat, me intuetur, de me sperat, cui ego portio sum. Adest mihi, qui abfuerit sibi. Adest mihi, qui se negauerit. Ille mecum est, qui intra se non est; quoniam, qui in carne est, non est in spiritu. Ille mecum est, qui ex se ipso egreditur. Ille iuxta me, qui extra se fuerit. Ille mihi integer, qui propter me perdiderit animam suam.* Hæc Ambros. disertè & eleganter.

Qui Deo præsentes sint.

ANNOTATIO VIII.
CIRCA LITERAM.

Doctrinæ veritas, & vitæ sanctitas.

I. *Duplex Samuelis decus, veritas, & sanctitas.*



Æc sunt duo Samuelis ornamenta, quibus singularem sibi ab omnibus, & beneuolentiam, & auctoritatem conciliauit. Dum enim omnes experimento cognoscebant, non aliter res euenire, quàm ipse prophetasset; nec aliter eum viuere, quàm ipse docuisset:

A optimam de illius doctrina ac vita opinionem concipiebant. Vtranque duplici Sectione breuiter illustrabo.

SECTIO I.

Samuelis in docendo veritas illustratur.

II. *Quis sit in doctrina fidelis.*

QVanta fuerit Samuelis in docendo veritas ac fidelitas, ex Litera Num. 19. & 20. patet: quanta verò esse debeat in quolibet ecclesiastico Doctore ac Prædicatore, nunc breuiter ex hoc loco illustrandum. Fidelem in doctrina appello illum, qui omnia, & sola, quæ à Deo accepit, inculcat, quamuis tristia & amara videantur. Nam qui tacet, quæ audit, vel loquitur, quæ non audit; infidelis est. Quales illi fuerunt, de quibus olim Deus: *Nolite*, inquit, *audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis, & decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, nō de ore Domini.* Ier. 23. n. 16. Hi enim eo solo nomine audiri prohibentur, tanquàm infideles, quia non quæ audiunt à Deo, sed quæ fingunt ex suo cerebro, loquuntur. Vnde est illud præceptum Domini: *Non addetis*, inquit, *ad verbum, quod vobis loquor; nec auferetis ex eo.* Deut. 4. n. 2. Et rursus Salomon: *Non est*, inquit, *minuere, neque adiicere.* Eccli. 18. n. 5. nempe, Scripturis sanctis, vt ibi Gloss. interpretatur. Et rationem reddit Salomon: *Ne addas*, inquit, *quicquam verbis illius; & arguaris, inueniarísque mendax.* Prou. 30. n. 6. Quasi dicat: verbis diuinis idcircò insistendum esse: quia, qui ab illis deflectit, in mendacia deerrat. Quare huius præcepti violatoribus graues pœnas minatur Ioannes Euangelista: *Si quis*, inquit, *apposuerit ad hæc; apponat Deus super illum plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius; auferet Deus partem eius de libro vitæ, & de ciuitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto.* Apoc. 22. à n. 18. Nec sine mysterio dicitur sæpè Christus Dominus consummasse sermones suos, Matt. 7. n. 28 & c. 11. n. 1. & c. 13. n. 53. & c. 26. n. 1. & sic de cęteris: quia adeò perfecti & completi erant, vt nihil esset, quod eis adderetur. Sic bene Procopius: *Verba*, inquit, *Dei, cùm plena & perfecta existant, nullum auctuarium admittunt.* Igitur fidelis Prædicator Samuelem imitetur, nec aliis, quàm diuinis sermonibus vtatur.

Quis infidelis?

Verbis diuinis nihil addendum, nihil auferendum.

Glossa.

Qui aliter faciunt grauiter puniuntur.

Sermones Christi consummati, hoc est perfecti. Procop.

III. *Non est fidelis in doctrina, qui adulatur.*

Quare fidelis non est primò, qui adulatoria loquitur ad fauorem captandum, non ad timorem incutiendum; siue occultādo tristia, siue suggerendo læta: sed qui meram, licèt amaram veritatem, quam solam à Deo accipit, suis auditoribus propinat. Nam, vt bene D. Bern. serm. 1. De septem panibus: *Euangelium*, inquit, *speculum veritatis, nemini blanditur, nullum seducit: talem in eo se quisque reperiet, qualis fuerit; vt nec ibi timore trepidet, vbi non est timor; nec lætetur, cùm malè fecerit.* Eadem loquendi metaphora vtitur D. Gregor. lib. 2. mor. c. 1. *Scriptura*, inquit, *sacra mentis oculis, quasi quoddam speculum opponitur: vt interna nostra facies in ipsa videatur. Ibi enim fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus, quantùm proficimus; ibi à profectu quàm longè distamus.* Consentit D. Ambr. serm. 20. in Psal. 118. circa medium. *Euangelium*, inquit, *non solùm fidei doctrina; sed etiam morum est magisterium, & speculum conuersationis.* Nec aliter Philo Hebræus lib. De vita contemplatiua ad finem; vbi loquutus de sacris Literis: *In quibus*, inquit, *rationalis anima egregiè se ipsam contemplatur tanquàm in speculo.* Atque ita demum loquuntur alij Patres, quos in 1. tom. Annot. 1. Sect. 2. §.

D. Bernard. *Euangelium, speculum veritatis.*

D. Greg.

D. Ambr.

Philo.

 29. &

A 29.& Sect. 3.§.10.& Annot.2.Sect.4.§.26.& Annot.12.Sect.3.§.9. citauimus; qui omnes verbum Dei, tam scriptum, quam vocale cum speculo comparant: vt enim speculum, quò puriùs est ac tersius; eò clarius & apertius omnes oris maculas detegit ac manifestat; ita verbum Dei, seu quisquis est illius minister, quò fidelior est & incorruptior; eò syncerior ac integrior, omnes animi noxas aperit, & sub oculos proponit. Et vt obiter dicam, sicut planè insaniret, qui stomacharetur in speculum, à quo oris maculæ produntur & indicantur; illúdque terræ allideret, frangeret & comminueret: ita demens esset, qui sua sibi scelera ab euangelico Præcone demonstrari & suggillari indignaretur.

Verbi Dei cū speculo similitudo.

Insanet, qui speculo oris labem indicanti indignatur: sic, &c.

IV.

Adulatores non Prædicatores, sed prædicatrices.

B Fidelis igitur Prædicator verè ad vtilitatem audientium, non adulatoriè ad voluptatem eloquatur. Nam, qui prædicando adulantur, Prædicatores appellari non debent, sed prædicatrices. Vnde Deus ad Ezechielem: *Et tu,* inquit, *fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, qui prophetant de corde suo, & vaticinare super eas, & dic: Hæc dicit Dominus: Væ, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas.* Ezech.13.num.17. Vbi in primis dicuntur consuere puluillos ad quiescendum, illi Prædicatores, qui non veris & comminatoriis verbis excitant homines è somno peccatorum, sed qui falsis & adulatoriis sententiis deiiciunt in sceleratum veternum. Præterea filiæ, non filij nuncupantur, vt eorum mollities & C segnities in prædicando arguatur. Quod Origen. hom.3.in Ezech. rectè ponderauit. *Potuit quidem,* inquit, *dicere Propheta, super filios populi tui. Sed quasi omnes, qui velamina contexant, & ceruicalia consuant sub omni cubito manus, mulieres sint; & nullus inter eos, viri nomine dignus habeatur; ait Propheta: Super filias populi tui. Effæminatæ quippe sunt eorum magistrorum & animæ, & voluntates, quæ semper sonantia, semper canora componunt: & vt, quod verum est, dicam; nihil forte, nihil virile, nihil Deo dignum est in his, qui iuxta gratiam & voluntatem audientium prædicant. Idcircò omnes filias potius, quàm filios dixit, assuentes ceruicalia.* Hæc Origenes eleganter. Quò pertinet illud Isaiæ 3.num.12.in Scribas & Phariseos, qui adulando populum spoliabant, tanquàm D duri exactores, & tanquàm fallaces meretriculæ palpando emungebant. *Populum,* inquit, *meum exactores sui spoliauerunt; & mulieres dominatæ sunt eis.* Viriles enim animos non habebant, qui in fœmineas blanditias degenerabant.

A peccato nō excitant; sed in peccato sopiunt.

Orig.

Mulieres sūt, non viri, Prædicatores, qui ad gratiam loquuntur.

Adulatores aurium, sed deprædatores cordium.

V.

Fideliū Prædicatorum verba stimuli, & claui.

D. Greg.

Verba hæreticorum paleæ inanes.

Procul absunt ab hac ignauia effœminatáque mollitie veri ac fideles Prædicatores, de quorum verbis rectè Salomon: *Verba,* inquit, *sapientium, sicut stimuli sunt, & quasi claui in altum defixi.* Eccles.12.num.11. In quem locum D.Greg. hom 6. in Euang. *Clauis,* inquit, *ac stimulis sapientium verba comparantur: quia culpas delinquentium nesciunt palpare, sed pungere.* Huc pertinet illud Dei per Ierem. *Quid paleis ad triticum, dicit Dominus? Nunquid non verba mea sunt, quasi ignis? dicit Dominus. Et quasi malleus conterens petram?* Ierem.23. num. 28.& 29. Vbi D.Hier. *Pulchrè,* inquit, *doctrina peruersa paleis comparatur, quæ medullam non habent, nec possunt nutrire credentium populos; sed de inanibus stipulis conteruntur.* Et statim docet, talem esse Hæreticorum doctrinam: *Qui omnes,* inquit, *auditores suos adulatione decipiunt.* Contrà verò fidelis Prædicator igni, & malleo comparator; quia ab omni adulationis specie remotissimus: *Nuntiat,* inquit, *futura supplicia, vt deterreat homines à peccando; & paleis peccatorum comminatur incendium: vt Hæreticorum corda, dura, & instar silicis indomabilia, sermonis sui malleo conterantur.*

D. Hier.

Verbo fideliū Prædicatorū igni, & malleo.

Singulare huius rei exemplum præbuit D.Paulus: *Neque enim,* inquit, *aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis.* 1. Thess. 2. num 5. Quod vt probet, ostendit, se neque auri cupidum, neque gloriæ appetentem fuisse. Nam, qui hæc duo contemnit, minimè adulator. Vnde D.Hier. epist. 9. ad Saluinam. *Vbi,* inquit, *vile olusculum, & cibarius panis, & cibus, potúsq; moderatus; vbi diuitiæ superuacuæ ibi nulla adulatio.* Cùm enim adulatio temporalium bonorum hamus sit, adulationem non curat, qui bona temporalia spernit. Seu, vt loquitur Diuus Hieronymus citatus: *Fidele est testimonium, quod causas non habet mentiendi.* Ex hoc Apostoli loco rectè monet Clemens Alex lib. 1. stromat. sub initium, vt qui ad prædicandum exit, neque popularis auræ gloriam, neque auditorum gratiam & fauorem aucupetur: sed *hanc solam accipiat mercedem, eorum, qui audiunt, salutem.* Et rectè quidem: quia, qui secus faciunt, Doctores & Prædicatores non sunt: sed deceptores & euersores, iuxta illud: *Populе meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Isai. 3. n. 11. De quo crimine D. Hieron. ibi, Scribas & Pharisæos condemnat: *Qui non solùm,* inquit, *peccatores non corripiebant: sed pro diuitiis efferebant laudibus, beatos vocantes & columnas domus Dei, & cætera, quæ solent adulatores dicere.* Cùm tamen ecclesiasticus Doctor ille sit: *Qui lacrymas,* inquit, *non risum mouet; qui corripit peccatores, qui nullum beatum, nullum dicit esse felicem; nec præuenit sententiam Iudicis sui, dicente Scriptura sancta; Ne beatum dicas quenquam hominem ante mortem.*

VI.

Qui cupidi, & ambitiosi non sunt, non adulantur.

D. Hier.

Clem. Alex.

Lucrum fidelium prædicatorum, salus animarū.

Qui adulantur, decipiunt.

Fidelis Prædicator lacrymas mouet, non risum.

Talem se præbuit Legislator Moyses, dum semper ad vera intendebat; nunquam in adulatoria degenerabat. Cuius mysterij declarandi gratia dicuntur eius manus graues fuisse; & ab Aarone & Hur hinc inde sustentatæ, Exod. 17 n.12. Graues quidem propter consilij in rebus agendis firmitatem, & constantiam: ab Aarone & Hur, id est, ratione, & lumine sustentatæ, propter eximiam cum æquitate & veritate concordiā, in qua semper perseuerabat; nec vlla hominum gratia ac fauore, se ab æquo veróque diuelli patiebatur. Sic allegoricè exponit Philo Hebræus lib. 2. Allegoriarum. *Cùm,* inquit, *hominis mali actiones leues sint; meritò sapientis graues habentur, immobiles, inconcussæq; Ideò fulciuntur ab Aarone, ratione; & ab Hur, lumine, id est, veritate; quòd nulla lux in rebus sit clarior veritate. Vult igitur Scriptura figuratè docere te, sapientis actiones, necessariò fulciri veritate, rationéque.* Et in eadem allegoria persistens, obseruat, Aaronem moriturum ex diuino imperio montem *Hor*, hoc est, lumen, seu veritatem conscendisse. Num. 20. n. 25. *Et hæc est causa,* inquit, *cur Aaron ad finem, hoc est, perfectionem tendens, montem Hor, hoc est, lucem, ascendit: finis enim rationis veritas est, quæ longius, quàm vllum lumen, splendorem suum emittit; in quam* E *ratio conatur ingredi.* Igitur fidelis Doctor sic veritatem amat, vt nullis eam adulationibus interuertat.

VII.

Moyses grauitatis, æquitatis, & veritatis in doctrina tenacissimus.

Philo.

Aaron egregius veritatis cultor.

Quod miro quodam exemplo illustrat D. Ambros. serm.12.in Psal. 118. de Propheta Isaia, qui maluit à vita quàm à veritate deficere; & excruciari, quàm adulari præoptauit. *Fertur,* inquit, *Propheta quidam (& plerique ferunt de Isaia in carcere posito) cùm mole imminentis vrgeretur exitij, dixisse Diabolum: Dic, quia non à Domino locutus es, quæ dixisti; & omnium in te mentes, affectúsque mutabo: et qui indignantur iniuriam, absolutionem conferant.*

VII.

Isaias maluit à vita, quàm à veritate deficere.

D. Ambr.

*rant. Sed ille gratius iudicauit pro veritate suppli-
cium, quàm pro adulatione beneficium.* Vbi singularis
Prophetæ constantia spectatur, qui nullo homi-
num fauore, immò nullo Dæmonum timore ad-
duci potuit, vt diuinas comminationes à se factas
recantaret; ne pessimas adulationes exerceret,
quibus veritas hominibus ingrata occultatur.

IX.
Fidelis non est Prædicator, qui nimiam verborũ elegantiã colit.

Secundò, fidelis Prædicator non est, qui venu-
statem sermonis sollicitè ambit, grauitatem do-
ctrinæ non admodum curat. Nam is eloquentiam
humanam efficacitati diuini sermonis anteponit,
contra Apostoli & præceptum, & exemplum, di-
centis, se missum fuisse ad euangelizandum, *Non
in sapientia verbi, vt non euacuetur Crux Christi.* 1.

D. Ambr.
Prædicatio apostolorũ, sermone humilis, virtute efficax.

Cor. 1. n. 17. vbi D. Ambr. *Prædicatio*, inquit, *Chri-
stiana non indiget pompa & cultu sermonis: ideoq; pi-
scatores homines imperiti, electi sunt, qui euangeliza-
rent; vt doctrina veritas se commendaret, teste virtute:
ne hominum versutia, & calliditate humana sapientia
acceptabilis videretur, non veritate: sicut disciplina ab
hominibus inuenta; in quibus non ratio, non virtus, sed
verborum quæritur compositio. Ac per hoc gloriam
suam quærit, qui fidem Christi verbis exornare vult.
Obscurat enim illam splendore verborum; vt non illa,
sed ipse laudetur.*

X.
D. Hier.
Expostulatio cum Prædicatoribus ad aures tantum demulcendas propensis.

Vnde est iustissima illa D. Hieron. obiurgatio
in Dialogo aduersùs Luciferianos: *Ex literatis*, in-
quit, *quicunque hodie ordinantur, id habent curæ, non
quomodo Scripturaram medullas ebibant; sed quomodo
aures populi declamatiouum flosculis mulceant.* Et in
præfatione lib. 3. ad Galat. *Ad auditoria*, inquit,
*conuenitur, vt oratio rhetorica Artis fucata mendacio,
quasi quædam meretricula procedat in publicum; non
tam eruditura populos, quàm fauorem populi quæsitura;
& in modum psalterij & tibiæ dulcè canentis, sensus
demulceat audientium. Vt verè illud Ezechielis 33. n.
32. nostris temporibus possit aptari, dicente Domino ad
eum: Et factus es eis quasi vox cytharæ suauè canentis,
& bene composita: & audiunt verba tua, & non fa-
ciunt ea.* Ita D. Hier. Quamuis hic Ezechielis locus
paulò aliter in Vulgata habeatur.

XI.
Nephthali fidelium Prædicatorũ typus. Prædicator, ceruus ad peragrandũ orbẽ velocissimus. Prædicator non prædicet, nisi à Deo iussus.

In quod vitium, ne vnquam laberetur euange-
licus Prædicator, suis eum coloribus depinxit Ia-
cobus moriturus, sub nomine filij sui Nephthali:
Nephthali, inquit, *ceruus emissus, & dans eloquia pul-
chritudinis.* Gen. 49. num. 21. Vbi in primis ceruum
appellat, currendi facultate pernicissimum, vt
Prædicatoris celeritas ad peragrandum orbem
ostendatur. Cuius nomine Dauid Psalm. 17. num.
34. *Perfecit pedes meos, quasi ceruorum.* Et Abacuc 3.
num. 19. *Ponet pedes meos, quasi ceruorum.* Addit,
emissum esse: quia germanus Prædicator non exit
ad prædicandum, antequàm mittatur: nec suo ar-
bitrio ducitur, sed diuinum expectat; ne illud au-
diat à Deo increpante, *Non mittebam Prophetas, &
ipsi currebant.* Ierem. 23. num. 21. Tandem ait, quod

Eloquia pulchritudinis, de Scripturis sanctis.

pertinet ad præsens institutum, eum dare eloquia
pulchritudinis. At quæ est hæc pulchritudo? Sanè
pulchritudo rerum potiùs esse debet, quàm verbo-
rum: cùm Nephthali, hoc est, fidelis Doctor, inter-
prete Lyrano, potiùs de sacris Scripturis, quàm de
vanis fabulis debeat prędicare. Nam momenta re-
rũ, quæ ex sacris Literis desumuntur, potiùs quàm
ornamenta verborum, quibus inanes fabulæ pi-
cturantur, veram orationi conciliant venustatem.

Verus Prædicator vanam eloquentiam contemnit.

Vnde non sine mysterio dicitur ciuitas Nephtha-
li in sinistro habere ciuitatem Sepbet, Tob. 1. num.
1. Nam Sephet ciuitas literarum vtique profana-
rum interpretatur. Optimus autem Prædicator,
qualem Nephthali significabat, vt ibi rectè In-
terlin. exponit, *Scientiam falsi nominis, sinistram, &
falsam, deputat; & mundanam Philosophiam damnat.*

XII.
Resecandos errores, vt pura scientia comparetur.

A Præcipiebat Deus olim Israëlitis, vt si quis mu-
lierem alienigenam bello captam vellet ducere
vxorem, non nisi sub hac lege eam duceret. *In-
troduces*, inquit, *eam in domum tuam: quæ radet cæsa-
riem, & circumcidet vngues, & deponet vestem, in qua
capta est, & postea erit vxor tua.* Deut. 21 à num. 12.
Quorsum hic ritus spectabat; nisi, vt ostenderet,
etiam naturales scientias, antequàm à nobis ad-
discantur, vanis errorum ac verborum inuolucris
exuendas? Sic enim D. Hieron. in epistol. 146. ad

D. Hier.

Damas. exponit: *Hoc*, inquit, *& nos facere sole-
mus, quando Philosophos legimus; quando in manus
nostras libri veniunt sapientiæ secularis; si quid in eis
vtile reperimus, ad nostrum dogma conuertimus: si quid
verò superfluum de idolis, de amore, de cura secularium
B rerũ, hæc radimus, his caluitium inducimus, hæc in vn-
guium morẽ ferro acutissimo desecamus.* Sic etiam ex-
posuerat in epist. 84. ad magnũ Oratorem Roma-
num, vbi proposito exẽplo de captiua alienigena
radenda, antequàm in Israëlitidem cooptaretur:

Scientia secularis vano verborum apparatu exuta, de ancilla fit libera.

Quid ergo mirum, inquit, *si & ego sapientiam secula-
rem propter eloquij venustatem, & membrorum pul-
chritudinem, de ancilla atque captiua Israelitidem fa-
cere cupio? Et si quidquid in ea mortuum est, idololatriæ,
voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado; &
mixtos purissimo corpori vernaculos ex ea genero Do-
mino Sabaoth?* Et in hunc sensum interpretatur di-
uinum illud oraculum, Isai. 7. numer. 20. quo
Assyrij *in nouacula conducta* radendi denuntiantur:
& illud diuinum præceptum, Ezech. 5. numer. 1.
C quo ipse Propheta *gladium acutum* ad radendum
sibi caput & barbam assumere iubetur: vt sub his
symbolis ostendatur secularis sapientia, quatenus
vanis verborum & errorum frondibus luxuriat;
attondenda esse: quatenus verò optimis præcepto-
rum & exemplorum fructibus germinat; ample-
ctenda.

XIII.
Qui vanam sectatur eloquentiam, grauiter punitur.

Nam, qui totam illam anilium fabularum cæ-
sariem, & inanium verborum capillaturam, qui-
bus profana sapientia inculta iacet, intonsáque
sordescit, amplectetur; non leuibus pœnis subij-
cietur. Miles ille Israëlita nomine Achan, de ana-
themate prædæ Ierichuntinæ, furatus est *regulam
auream*, posuitque eam in tabernaculo suo. Ios. 7.
num. 21. Seu, vt habent Septuaginta, & Chaldæus

Lingua aurea Achan, vana Prædicatoris eloquentia.
Origen.

D Paraphrastes, *linguam auream.* Quam ob culpam
non solùm ipse reus, sed etiam tota eius familia;
immò & totus populus Deum seuerissimum ha-
buit vltorem: vt eodem capite videre est. At cur
tam leue furtum tantam Deo iracundiam com-
mouit? Mysticè respondet Orig. hom. 7. in Iosuë, &
ad præsens institutum accommodatè. *Non puto*,
inquit, *in illo furto parui auri, tantam vim fuisse pec-
cati, vt tam numerosam Domini Ecclesiam macularet:
sed videamus, ne fortè interioris intelligentia sit tanta
& tam grauis acerbitas ista peccati. Multus decor est
in verbis, & multa in Philosophorum & Rhetorum
sermonibus pulchritudo. Si ergo inuenias apud Philoso-
phos peruersa dogmata, luculenti sermonis assertionibus
decorata: ista est lingua aurea. Sed vide, ne te decipiat
E fulgor operis, ne te rapiat sermonis aurei pulchritudo.

Profana eloquentia polluit omnem Ecclesiam.

Si linguam auream sustuleris, & posueris in taberna-
culo tuo, hoc est, introduxeris in cor tuum; pollues omnem
Ecclesiam Domini.*

XIV.
Qui vanis loquitur verbis, pessimis viuit moribus.
Origen.

Vide quanta in Ecclesiam pernicies ex hac ver-
borum infidelitate deriuetur. Nam, qui in verbis
infidelis est, parum abest, vt sit etiam & in factis.
Vnde Achan, qui linguam sustulit, dicitur etiam
sustulisse & argentum: seu, vt legit Origen. *pura
dextralia*, hoc est, argenteas armillas, seu manuum
ornamenta; quorum nomine Origen. intelligit
opera, *in quibus nihil diuinum admisceatur.* Vt inde
palàm

palam fiat;enim,qui vanis loquitur verbis,pessimis viuere & moribus; qui non minùs in animos audientium, quam verba in aures illabuntur: vnde necesse est,vt & Prædicator,& auditor,in exitium præcipitentur.

XV.
Præceptum Apostoli, non esse recumbendum in Idolio, hoc est, in profana eloquentia.
D. Hier.

Non immeritò præcipit Apostolus 1. Cor. 8. num. 10.ne quis fidelis *in Idolio*, hoc est,in idolorum loco recũbat: ne fortè ex desidioso recubitu, aut ipse,aut cæteri eius spectatores ad manducanda idolothyta proserpant. Quod præceptum D. Hier.in epist. 46.ad Damasum,allegoricè ad rem præsentem interpretatur: *Apostolus*, inquit, *prohibet,ne in Idolio quis recumbat. Nonne tibi videtur sub aliis verbis dicere,ne legas Philosophos,Oratores, Poëtas, nec in eorum lectione requiescas?* Et rationem huius prohibitionis reddit: *Ne putemur*, inquit, *probare,quæ dum legimus, non reprobamus.* Addo,ne prouocemur amare, in quibus legendis delectamur.

Procliuis via à profana lectione ad imitationem.

Procliuis enim via est à lectione ad imitationem:cùm sæpè fieri soleat, vt quæ libenter legimus,libẽtiùs imitemur. Quod idem Hieronymus se in Christi Sacerdotibus deprehendisse lamentatur. *Quos*,inquit,*omissis Euangeliis & Prophetis videmus Comœdias legere,amatoria bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium; & id,quod in pueris necessitatis est,crimen in se facere voluptatis.*

XVI.
Dæmonum cibus, carmina Poëtarũ, & Rhetorum verba.
D. Hier.

Quid miserius, quàm à suauissimis Apostolorum pascuis ad asperrima brutorum, vel potiùs Dæmonum dumeta transfugere? Quò se contulit infelix ille prodigus, qui *cupiebat implere ventrem suum de siliquis,quas porci manducabant?* Luc. 15. n. 16. Ad quem locum D. Hieronymus citatus: *Dæmonum*,inquit,*cibus est carmina Poëtarum: secularis sapientia, rhetoricorum pompa verborum. Hæc sua omnes suauitate delectant:& dum aures versibus dulci modulatione currentibus capiũt,animam quoque penetrant,& pectoris interna deuinciunt. Verum, vbi cum summo studio fuerint ac labore perlecta,nihil aliud,nisi inanem sonum, & sermonum strepitum suis lectoribus tribuũt:nulla ibi saturitas veritatis,nulla refectio iustitiæ reperitur.* Misera igitur voluptas, quæ semper irritatur appetentia,nunquàm exsaturatur. Miseri,qui solidis virtutum cibis non aluntur, sed vanis verborum siliquis ludificantur. Absit ergo, vt fidelis Prædicator, per inania Rhetorum prata; florum,quàm fructuum appetentior euagetur.

Plinius.
Prædicatorũ lingua, cedrus, non florens, sed fructificans.

Sit potiùs tanquàm cedrus,quæ auctore Plinio lib. 3. nat.hist cap.5. non floret,sed fructificat: proindéque verborum floribus non luxuriet,sed virtutum fructibus abundet.

XVII.
Eloquẽtia nõ omninò contemnenda,nõ tamen inaniter venditanda.
D. Hieron.

Fateor quidem, non esse verborum eloquentiam penitùs contemnendam:præsertim his temporibus, quibus Euangelium feliciter propagatum,iam non indiget miraculis,vt vlteriùs propagetur. Addo tamen, eam prudenter dissimulandam esse, non inaniter venditandam. Vnde D. Hieronymus in epist. 50.ad Pammachium,pro libris suis: *Ecclesiastica*,inquit, *interpretatio, etiamsi habet eloquij venustatem,dissimulare eam debet,& fugere;vt non otiosis Philosophorum scholis, paucisq; discipulis,sed vniuerso loquatur hominum generi.* Quare D.Paulus,vt loquitur idem D.Hieron.in lib. Apologiæ aduersùs Ruffinum, *Græcam facundiam contemnebat:vel certè quod erat humilitatis,dissimulabat; vt prædicatio eius non in persuasione verborum, sed in signorum virtute consisteret:spernens alienas opes, qui in suis diues erat.*

XVIII.
D.Paulus cum Græcis eloquentia tumidis, hebraicè,hoc est,barbarè loquebatur:vt eorum superbiam comprimeret, & suam simplicitatem retineret.
D. Chrys.

Ea causa fuit, cur Apostolus scriberet ad Corinthios: *Si quis non amat Dominum nostrum Iesum Christum,sit anathema,maranatha.* 1.Corinth. 12. n. 22.Vbi verbum, *Maranatha*, hebraïcum est, & interpretatur: *Quoniam venit*:quæ erat optima ratio Christum Dominum diligendi. At cur scribens ad Græcos profana eloquentia insignes, vocabulo vtitur hebraïco,quod illis barbarum videbatur:Respondet D.Chrys.hom.44. *Quia superbia*, inquit, *malorum istorum* (scilicet,quæ prædixerat) *causa fuit:superbiam verò peregrina sapientia pepererat:atque hoc caput mali erat; quod Corinthum maximè diuulsit. Hanc coërcens,non græca,sed hebraica linguà voluit vti:ostendens,non solum non fastidire se simplicitatem,sed vehementer etiam amare.* Quasi in ipsa humilitate sermonis, humilitas cordis maximè ostendatur. Non est igitur eloquentia superbè ostentanda, sed modestè dissimulanda.

Moyses, aulicus, & rusticus: vt vrbanitatem simplicitate temperaret.

Vnde Moyses futurus Israëlitici populi Prædicator & ductor, quadraginta annos vixit in palatio Pharaonis inter viros aulicos:totidem in deserto Madian inter rusticos pastores: vt illinc vrbanitatem disceret; hinc autem synceritatem compararet: hæc enim sine illa vilis est; illa sine hac prorsus inanis: altera alterius præsidio firmata, gratior & efficacior splendescit.

XIX.
Eloquentia potiùs à natura, quàm ab arte comparetur.
D. Aug.
Apostolus naturali,non artificiali eloquentia vtebatur.

Quin etiam curandum est, vt hæc eloquentia, si quam oportet adhibere,magis à natura, quàm ab arte prouenire videatur. Quod Diuus August. lib. 4. de doctrina Christiana,c.7.in D.Paulo maximè commendat: *Sicut*,inquit,*Apostolum præcepta eloquentiæ sequutum fuisse non dicimus; ita quòd eius sapientiam sequuta sit eloquentia,non negamus.* Quasi diceret:Non Paulus,eloquentiam;sed eloquentia Paulum sequebatur: ac si Apostolus natiuo, non fucato verborum apparatu vteretur. Talem profectò eloquentiam habebat Moyses,maturo quidem ingenio excultam,non artificioso dolo comparatam: vnde, cùm se apud Deum à legatione Ægyptiaca subtrahebat,dicens: *Obsecro,Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius; & ex quo loquutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ sum.* Exod. 4. num. 10.

Moyses non synceram, sed fucatam de se eloquentiam negabat.

Cùm,inquam, hæc dicebat;non illam pulchram,solidam ac maturam eloquentiam,sed hanc vanam, fallacem, præstigiatricémque negabat: quæ in diuino conspectu dediscitur,& apud profanos Reges exercetur. Ita mihi videtur significasse Philo Hebræus lib. De sactif. Abel & Caio: *Hoc*, inquit,*fortasse dicit, non esse sibi studium verborum probabilium, idq; accidisse sibi, ex quo Deus incepit cum ipso loqui,tanquàm cum famulo. Nam qui in huius vitæ tempestatem iactationemq; inciderunt,necesse debent rapi huc illuc, nullam firmam tenentes scientiam: sed pendentes à verisimilibus. Dei verò cultorem decet adhærere veritati;& verborum coniecturalium fabulositatibus extremum valedicere.*

Qui cum Deo loquitur, profanam eloquentiam contemnit.

XX.
Conciones sacra eloquentia, & sapientia exornanda.
D.Greg.

Adde, quod caput est, nudam eloquentiam nunquàm placere,nisi doctrinæ grauitate nitatur. Quam ob causam cælestis sponsus ad sponsam: *Murænulas*,inquit,*aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Cant. 1. num. 11. Murænulæ, interprete Diuo Gregorio, & aliis,sunt aurium ornamenta, sub quibus conciones, quæ auribus inseruiunt, indicantur. Hæ autem sunt auro argentóque distinctæ:quia & pretium habent ab auro solidæ doctrinæ; & gratiam ab ornatu pulchræ orationis. Vtroque præsidio culta prædicatio, & intellectum audientium capiet,& voluntatem expugnabit.

Prædicatio, vitta hyacinthina,rationale & superhumerale,hoc est, intellectũ & voluntatem deuincit.

Quod olim Deus significauit, cùm inter alia præcepta de vestibus sacerdotalibus hoc vnum tradidit. *Stringatur*,inquit,*rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina, vt maneat iunctura fabrefacta,& à se inuicem rationale & superhumerale nequeant separari.* Exod. 28. n. 28. vbi prædicatio mysticè appellatur vitta, seu catena: nam vt hæc suis filis æquabiliter ducitur,aut suis

annulis

A annulis seriatim conseritur, nunquàm soluta, nunquàm dissipata: ita & illa perpetuo rerum nexu catenatur, semper sibi congruens & cohærens. Dicitur præterea hyacinthina, hoc est, flores referens hyacinthos: quia non debent in prædicatione decentes verborum flores, quales referunt cærulei hyacinthi, desiderari. Prædicatio igitur & ex rebus sacræ Scripturæ, & ex verbis humanæ eloquentiæ affabrè contexta, rationale cum superhumerali connectit, hoc est, intellectum & voluntatem auditorum tenet, ligátque: quia dum intellectui veritatem persuadet, voluntatem ad charitatem inflammat.

XXI. *Prædicatoris labia, vitta coccinea.*

Vnde est illud cælestis sponsi ad sponsam animarum curatricem: *Sicut vitta coccinea labia tua.* Cant. 4. num. 3. B Quasi diceret: Prædicatio tua vittam coccineam refert: vittam quidem propter vinculum persuasionis: coccineam verò propter ardorem charitatis: vt D. Amb. ser. 8. in Psal. 118. interpretatur. (D. Ambr.) Sic enim culta prædicatio vtranque potentiam expugnat. Argumento sit magnus ille Apollo, qui à Luca dicitur *Vir eloquens, potens in Scripturis.* Act. 18. num. 24. Quia verborum eloquentiam cum sapientia Scripturarum coniungebat. Nam, vt bene D. Aug. lib. 4. De doctrina Christiana, cap. 5. (D. Aug. *Eloquentia cum sapientia coniuncta.*) *Sapienter,* inquit, *dicit homo, tanto magis, vel minus, quantò in Scripturis sanctis magis, minúsve profecit: quæ cum sapientia inseparabilem continent solidam eloquentiam.* Ex cuius prædicatione, verbis rebúsque eleganter & sapienter attemperata, C mirus fructus existebat. (*Prædicatio verbis, rebúsque decenter composita, magnum fructum edit.*) Vnde sequitur eodem cap. num. 27. *Contulit multum his qui crediderant.* Seu, vt habet Syrus: *Adiuuit multum per gratiam omnes fideles.* Per gratiam, inquam, interprete Caietano, hoc est, per elegantiam verborum, & scientiam Scripturarum. (Caietanus. *Præsertim si ex feruore spiritus erumpat.*) Ex vtraque enim mira ad dicendum & persuadendum gratia efflorescit; quæ quidem eò erit efficacior, quò ex maiori feruore spiritus erumpet; vt videre est in eodem Apollo: qui *feruens spiritu loquebatur.* Ibidem, num. 25. Vt mirum non sit, hominem, & spiritu feruentem, & luculentè prædicantem, tantùm vtilitatis suis auditoribus contulisse.

XXII. *Ex decore & feruore prædicationis, hic primas tenet.* D. Aug. *Sicut clauis aurea ad aperiendum necessaria non est; ita nec vana eloquentia ad persuadendum.* D. Cyril. *Aureum cocleare nihil conducit ad suauitatem potus: ita nec vana eloquentia, &c.*

Quòd si alterum à prædicatione deesse debeat, decor, aut feruor; facessat verborum decor, non D desideretur feruor charitatis. Egregiè namque D. Aug. citatus lib. 4. De doctr. Christiana, cap. 21. *Bonorum,* inquit, *ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clauis aurea, si aperire, quod volumus, non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest: quando nihil quærimus, nisi patere, quod clausum est?* Nec minus apposita metaphora rem declarat D. Cyrillus Alexandr. lib. 7. contra Iulianum, vbi fatetur, non esse Scripturas sermone nimis eleganti expolitas, vt omnibus, paruis & magnis, doctis & indoctis vtiles esse possint. Et subdit: *Nunquid si quis aureo cocleari helleborum infundat; & alter non aureo, sed ex vilissima materia apum laborem, hoc est, mel, imponat, & sorbere iubeat, quod placuerit; nunquid materias inspiciens palmam dabit deterioribus? vel rectè iudicans vtile nociuo* E *præferat, etiamsi in vilissimo proponatur vasculo?* Quasi dicat: Optimus rerum æstimator sine dubio vtilem potum, licèt in vili cyatho contentum, præferet noxio; licèt in pretioso calice propinetur. Haud secùs illa magis oratio placebit, non quæ eloquio niteat, sed quæ spiritu ferueat.

XXIII. D. Hieron. *In Prædicatore non tam decor, quàm feruor commendatur.*

Quare Diuus Hieronymus suum Nepotianum ad hunc orationis non decorem, sed feruorem adhortatus in epist. 2. *Docente,* inquit, *te in Ecclesia non clamor populi; sed gemitus suscitetur: Lacrymæ auditorum laudes tuæ sint. Verba soluere, & celeritate dicen-* A *di apud imperitum vulgus, admirationem sui facere, indoctorum hominum est. Nihil tam facile, quam vilem plebeculam, & indoctam concionem lingua volubilitate decipere, quæ quidquid non intelligit, plus miratur.* Et in epist. 22. ad Eustochium loquutus de Cœnobitis, ad quos communis omnium pater magnu cum spiritus feruore prædicabat: *Dicentis,* inquit, *laus in fletu est audientium. Tacitæ voluuntur per ora lacrymæ; & ne in singultus quidem erumpit dolor.* (*Plausus, & risus in concionibus fugiendus.*) Tantùm aberat, vt in plausus ac risus solueretur auditor. Vt enim rectè Sapiens: *Verba,* inquit, *sapientium audiuntur in silentio.* Eccl. 9. num. 17. Vbi idem Diuus Hieronymus: (D. Hier.) *Quencunque,* inquit, *videris in Ecclesia declamatorem, & cum quodam lenocinio ac venustate verborum excitare* B *plausum, ac risum excitare: scito signum esse insipientiæ, tam eius, qui loquitur, quàm eorum, qui audiunt. Verba quippe sapientium in quiete & moderato audiuntur silentio.*

XXIV. D. Bernard. *Prædicatoris vox gementi, quàm canenti similior.*

Cum D. Hieronymo consentit D. Bernar. serm. 59. in Cant. ad illa verba: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Cant. 2. num. 12. *Vox,* inquit, *turturis gementi, quàm canenti similior, peregrinationis nostræ nos admonet. Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moueat. Si persuadere vis, gemendo id magis, quàm declamando studeas.* Vbi vides, illum fructuosiùs prædicare, qui non verborum phaleras præferat, sed oculorum lacrymas profundat. Non simus igitur, vt cum Apostolo loquar, *Sicut plurimi adulterantes verbum Dei: sed ex* C *synceritate, sed sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquamur.* 2. Corint. 2. n. 17. Quasi diceret: Non imitemur eos, qui, vt in Græco est, *Cauponantur* verbum Dei, vera vanis diluentes; & pro vino integritatis & veritatis, venenum falsitatis & iniquitatis propinantes: sed potiùs quæ à Deo audiuimus, Deum habentes testem, & habituri Iudicem, fideliter doceamus. (*Verbum Dei cauponari, est vera vanis miscere.*)

SECTIO II.

Samuelis in viuendo sanctitas illustratur.

I. *Ethnici in Oratore morũ probitatem requirebant.*

D HActenus quo pacto esse debeat Prædicator in doctrina fidelis: superest, vt quàm perfectus in vita esse debeat, expendamus. Et quidem Samuelis de hac re exemplum patet in Litera. Nunc ex aliis res illustretur. Ipsi quoque Ethnici, vt breuiter ex profanis præludamus, viuendi sanctitatem cum docendi veritate coniungebant. Vnde Comicus in Pseudulo: (Plautus.) *Monendus,* inquit, *ne moneas.* Quasi diceret: Qui indiges aliena monitione, vt corrigaris; alios ne moneas, vt corrigantur: ne quod verbo struis, facto destruas. Idem in Truculento: *Sine virtute,* inquit, *argutum ciuem mihi habeam pro præfica.* (*Malus homo, & bonus Orator, præfica.*) Nam, vt præficæ, quia sine interno doloris sensu, externos ploratus effundebant; non fletus, sed risus in auditoribus excita- E bant: ita & qui de virtute sine virtute eloquuntur, aures audientium feriunt; nulla inserunt eorum animis semina pietatis.

II. *Artificium histrionis, vt moueret ad lacrymas spectatores.*

Probè hoc nouit Polus quidam Histrio Athenis, acturus in publico theatro Sophoclis Electram. Nam, tragœdia exigente, vt in scenam Electra induceretur plorabunda, simul cum vrna, in qua fingeret fratris sui Orestis ossa deportari, cuius immaturum interitum lamentaretur: Polus, vt personam ageret lamentatricis fœminæ, cum ea veritate, qua ad fletus traheret spectantes; filium non ita pridem vita functum, exhumandum

dum curauit; & cum eius ossibus in capsula inclusis, theatrum ingreditur, non iam fictis, sed planè veris eiulatibus complens omnia: ita veræ, non fictæ lacrymæ, ad lacrymas eos, qui aderant, efficaciùs prouocarunt: prouocaturæ sanè ad risus, si ex ficto & simulato animo funderentur. Intellexit nempe artificiosus histrio, suam sibi histrionatam peritutam, nisi ageret ex animo; & eum externis fletibus interni affectus consentirent.

III.
Quintil.
Oratoris verba, iacula; mores, amēta.

Non immeritò ille eloquentiæ magister Fabius eloquentiæ verba cum iaculis comparauit: mores autem Oratoris cum illis amentis, seu funibus, è quibus iacula cuibrantur: nam, vt iacula, quamuis acria sint & præacuta; tamen irrita cadent & incruenta, si tenui quodam funiculo, aut fragili quadam linea torqueantur: ita Oratoris verba, quamuis grauia sint, & expolita; tamen inaniter abibunt, si cum prauis moribus socientur. Oratorem virtutibus destitutum vocat idem Fabios, *Sigillum rasum, ac tersum, nullisque notulis inscriptum.* Nam, vt hoc quantiscunque viribus ceræ imprimatur, nullam figuram exprimit: ita & ille quantiscunque clamoribus circum aures tonet, nunquam in animos illabetur. Vnde rectè monuit Tullius, eosdem fuisse olim viuendi, atque docendi præceptores. Et rursum, Achillem à parente suo Peleo traditum fuisse in Phœnicis disciplinam, vt eum efficeret Oratorem verborum, actorémque rerum. Ac tandem improbum hominem cum eloquentia, esse furentem cum gladio. Vt enim hic in sui, aliorúmque perniciem suo gladio præceps ruit: ita & ille tam in sui, quam in aliorum exitium fuamet eloquentia præcipitatur.

Orator virtutis expers sigillum notulis destitutum.
Tullius.

Achilles Orator verborum, & actor rerum.

IV.
Peccator à prædicandi munere excludendus.

Tota hæc res ex sacris Literis clarior fiet, & illustrior. *Peccatori autem*, inquit Dauid, *dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Psal. 49. n. 16. Quasi nihil ipsi Deo videretur indignius, quam ad diuina verba prædicanda accedere illum, qui pessimis moribus vteretur. Vnde D. Isidorus Pelusiota lib. 3. epist. 39. *Impurum*, inquit, *ac sceleratum hominem nego, non modo de fidei doctrina, sed etiam de vlla re alia os aperire debere; quoad per synceram pœnitentiam animi maculas absterserit.* Quod probat ex Psal. citato: & confirmat optima ratione ab incommodo, ne ex Doctoris iniquitate, doctrinæ falsitas arguatur. *Solent enim*, inquit, *complures ab eorum, qui loquuntur, existimatione; de iis, quæ dicuntur, sententiam ferre.* Et rursus epist. 232. eiusdem libri: *Qui*, inquit, *sermonem de Deo excitaturus est, hunc vitæ ac morum virtutibus elucere oportet. Quo videlicet diuinis legibus contumelia inferatur, cùm per impuram & scelestam linguam proferuntur.* Et probat ex citato Dauidis loco: immò & ad sæcularem prouocans doctrinam: *Apud Lacedæmonios*, inquit, *qui sermones actionum vmbras esse non immeritò definierunt; ei, qui turpiter vixisset, ne probam quidem sententiam pronuntiare licebat.* Vbi Lacedæmonum & dictum, & factum non parum laudabile commemorat. Dictum quidem, quia sermones actionum vmbras dicebant: nam sicut vmbra corpus, ita sermo actionem imitatur: vel sicut vmbra corporis index est, ita & sermo actionis: vel tandem sicut è corpore vmbra iacitur, ita ex actione sermones oriuntur. Factum verò, quia iniquos Iudices etiam ab æquis sententiis proferendis excludebant; ne iustitia iniusti ore prolata macularetur.

D. Isidor. Pelus.

Malus Doctor etiam bonam doctrinam dehonestat.

Lacedæmonorum dictum & factum singulare.

V.
D. Epiph.
Laudabilis Origenis pudor ac dolor.

Multas olim in lacrymas & in lamenta citatus Psalmi versiculus Origenem soluit. Refert enim D. Epiphan lib. 2. contra hæreses, hæresi 64. Origenem, cùm olim Ierosolymis ad præfatum Dauidis locum explicandum accessisset; eo prælecto, subitò substitisse, & suborta lacrymarum vi, omnibus simul cum ipso plorantibus, miserabiliter eiulasse, nec fari vlterius quidquam præ dolore potuisse: quia recordatus fuerat, se Alexandriæ, paulò antè, non quidem sponte sua, sed tyrannorum minis perterritum, pauca thuris grana vanis Deorum simulacris obtulisse: atque hac recordatione non aliter fuisse perturbatum, quàm si cum illo Deus in hunc modum loqueretur: Quare tu enarras iustitias meas, qui tuas iniustitias non ignoras? Nihil enim Deus iniquiùs patitur, quàm diuina verba sonare in ore eius, in cuius pectore diabolica machinamenta delitescant.

VI.
Moyses & Aaron actores rerum, Oratorésque verborum.

Præfecit Dominus Israëlitico populo & Moysen, & Aaronem: illum quidem operatorem rerum; hunc autem verborum Oratorem: vt patet Exod. 4. à n. 14. vt ostenderet, vtrunque pariter ducem regendo populo adhibendum: neutrum verò sine altero profuturum, immò agendi ac loquendi ministeria noluit esse inter eos distributa, sed in vtrolibet sociata. Nam ad Moysen Deus: *Ego*, inquit, *ero in ore tuo, & in ore illius; & ostendam vobis quid agere debeatis.* Exod. 4. n. 15. Vbi vides, vtrunque & loquendi, & agendi ministrum fuisse à Deo constitutum: ac si non posset vni ministerio adesse, qui alteri defuisset. Sed cur Deus vtrunque ducem capitali supplicio omnium temporalium atrocissimo mulctauit? Ratio in Litera habetur: *Quia*, inquit, *non credidistis mihi: non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Num. 20. n. 12. Quasi diceret: Quia mihi promittenti aquam de petra non credidistis; priùs vos è vita egrediemini, quàm hic populus in terram Promissionis ingrediatur.

VII.
Moyses & Aaron culpa fuit, quòd ipsi increduli populum de incredulitate arguerent.

At dubitatio existit, quænam fuerit illa incredulitas? Nam Moyses & Aaron de potestate, aut veracitate diuina minimè dubitarunt; vt Interpretes communiter aduertunt. Si autem incredulitas fuit de ipsius populi debita dispositione ad tantum miraculum obtinendum; vel de modo, quo miraculum fieri oporteret, loquendóne, an percutiendo silicem: non videtur fuisse admodum culpabilis, sed plurimùm venialis. Cur igitur Deus ob leuissimam culpam, grauissimam pœnam inflixit? Mihi planè videtur vna circumstantia hanc Moysis & Aaronis culpam nimium aggrauasse: quòd scilicet ipsi aliquo saltem modo increduli populum de incredulitate reprehenderent: *Audite*, inquiunt, *rebelles, & increduli: num de petra hac aquā vobis poterimus elicere?* Ibidem, num. 10. Vides, vt ipsi incredulitatem in populo detestantur, à qua non erant omninò alieni? Non parum igitur eorum culpa ex hac circumstantia accreuit. Nam, qui aliquam culpam reprehendit, ab illa debet longissimè abesse. Quis enim illo iniquior, de quo Apostolus: *Qui alium doces, te ipsum non doces. Qui prædicas, non furandum, furaris: qui dicis, non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, sacrilegium facis: qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras?* Rom. 2. à n. 21. Quasi extrema sit hæc iniquitas, cùm bona agnoscentes & docentes in mala dilabuntur. Quo in sensu Eliphaz Themanites Iobum arguebat dicens: *Ecce docuisti multos, &c. Nunc autem venit super te plaga, & defecisti.* Iob. 4. à num. 3. Quasi diceret: Imprudentissimè egisti, in quo doctrina à vita, lingua à manu, sermones à moribus discordarunt: & cùm bene doceres, prauè desipuisti. Cùm igitur Moyses & Aaron eam culpam, quam in populo reprehendebant, à se ipsis penitùs non exclurerint; non leuiter peccarunt: proindéque in grauem pœnam inciderunt. Vt enim supra ex D. Hieronymo in epist. 2. ad Nepotianum

Prauus ordo, bona docere, & mala operari.

tianum retulimus: Non debent mala opera bonos sermones confundere: sed lingua, manúsque in bonum, loquendo & agendo conspirare.

VIII. *Dissidium inter vitam & doctrinam fugiendum.*

Hoc quidem loquendi agendique dissidium, ne vnquàm contingeret, Deus olim diligentissimè præcauebat: quod duplici exemplo sic confirmo. Contra virum quendam de blasphemia apud Moysen accusatum, hæc ex diuino tribunali sententia fulminauit: *Educ, inquit, blasphemum extra castra, & ponant omnes, qui audierunt, manus suas super caput eius, & lapidet eum populus vniuersus.* Leuit. 24. num. 14. Cur, quæso, tota multitudo in vnum reum lapidibus incurrit: cùm multò pauciores carnifices satis fuisse viderentur? Optima quidem ratio. Volebat Deus, vt illud peccatum blasphemiæ, de quo reus ille accusabatur, lóngissime ab eo populo exularet. Statuit igitur, vt totus populus esset illius criminis reprehensor & vltor. Ac ,i crederet, neminem fore adeò insanum, vt peccatū, quod in alio acriter puniret, ipse moueden perpetraret. Ita respondet ingeniosè Saluianus lib. 8. De prouidentia: *Vniuersus, inquit, sic testimonio est, vt damnare scilicet videretur reum iustitia, non potestate: exemplo scilicet ad cunctorum emendationem proficiente, vt ne quis postea admitteret, quod omnis in vno populus vindicasset.* Vbi duplicem distingit rationem huius supplicij omnium manibus exequendi: vnam, vt iusta videretur punitio, in quam totus simul populus paribus animis, & manibus consentiret: alteram, ad præsens institutum, ne quis posteà peccatum committeret, quod damnarat.

Totus populus tenetur blasphemum lapidare, vt totus caueat à peccato, quod punit.

Saluianus.

IX. *Sacrilegus à toto populo lapidatur, vt totius à sacrilegio abstineat.*

Simile est & alterum exemplum: nam aduersùs eum, qui in die Sabbati ligna collegit, hanc Deus sententiam promulgauit: *Morte, inquit, moriatur homo ille: obruat eum lapidibus omnis turba extra castra.* Num. 15. num. 35. At, cur totum robur exercitus in vnum miserum homunculum inuehatur, cùm mitiùs & humaniùs à paucioribus lapidari potuisset? Respondet Theodoret. quæst. 37. in Genes. *Vt illi, inquit, qui suis manibus de nocente supplicium sumpserant, deinde legem trāsgredi formidarent.* Quid enim iniquius esse potest, quàm committere peccatum, quod accuses? Qui igitur hominum peccata linguis arguunt, manibus ne exequantur: lingua cum manu, doctrina cum vita coniungatur. Vnde Parœmiastes: *Anima, inquit, laborantis laborat sibi; quia compulit eam os suum.* Prouerb. 16. numer. 26. Quem locum Diuus Gregorius, homil. 18. in Ezechiel. ad præsens institutum sic exponit. *Os, inquit, nostrum nos compellit ad laborem, quando per hoc, quod dicimus, à vitiis refrenamur. Quia turpe nimis est, ibi nos negligendo cadere, vnde prædicando conati sumus alios leuare.*

Theod.

D. Greg. *Prædicator ore suo compellitur ad agendum, quod docet.*

X. *Optimi Gedeonis milites, qui lingua, & manu vtentur: hoc est, dictis, & factis.*

Non sine mysterio præcepit Deus olim Gedeoni, vt eos tantùm milites ad bellum eligeret, *Qui lingua lamberint aquas, sicut solent canes.* Iud. 7. n. 5. seu, vt legunt Diuus Augustin. Origen. & alij in Bibliis Sixtianis citati: *Qui lamberint aquas manu, & lingua sua.* Et hunc esse germanum Vulgatæ sensum, inde palàm videtur esse: quia statim additur: *Fuit autem numerus eorum, qui manu ad os proiicientes lamberant aquas, trecenti viri.* Ibidem, num. 6. Quorsum ad bellum illi potiùs milites optantur, qui lingua pariter, & manu vterentur? Origenes homil. 9. in Iudices, mysterium, de quo agimus, hoc loco recognoscit: *Non, inquit, absque Sacramenti quadam significantia, hoc mihi videtur scriptum: scilicet, quod & manu, & lingua operari debent milites Christi; hoc est, opere & verbo: quia qui docet & facit, hic ma-*

D. August. Orig.

Origen.

gnus vocabitur in regno cælorum. Idem mysterium in eo cernitur, quòd hi milites accensis facibus & tubis corneis armati ad bellandum proficiscuntur, eodem cap. num. 16. Armati quidem facibus, quia, vt ibidem tradit Origen. *Pugnare decet Christi milites, luce operum refulgentes, & splendore gestorum.* Buccinis verò instruuntur; quia, eodem Origene interprete, mysteria regni cœlorum humanis auribus pandunt. Et statim concludit: *Præcedat ergo & nos operum lux, scientiæ virtus, diuini verbi prædicatio.* Quasi ex luce operum, & virtute verborum optima prædicatio efflorescat.

Tubæ & faces, hoc est, verba & exempla spiritales hostes expugnant.

XI. Helìam in cœlum ascendentem hisce vocibus sequebatur Helisæus: *Pater mi, pater mi, currus Israël, & auriga eius.* 4. Reg. 2. n. 12. Quorsum illum currum pariter & aurigam appellat, iam ad rem aliam n. 8. huius capitis cum Lyrano explicaui. Sed non minùs aptè ad rem præsentem explicat D. Greg. lib. 2. in Ezech. homil. 21. *Quid est, inquit, quòd Helias, currus Israël, & auriga dicitur; nisi quia auriga agitat, currus portat? Doctor ergo, qui mores populi, & per patientiam sustinet, & sacri eloquij verbis docet; & currus dicitur, & auriga: currus, quia tolerando portat; auriga, quia exhortādo agitat: currus, quia mala sustinet; auriga, quia populum bonis admonitionibus exercet.* Vbi vtrunque officium operandi, & gubernandi; faciendi, & docendi, in eodem Doctore, seu Prædicatore significatur.

Helias currus & auriga: quia laborabat & gubernabat, agebat & docebat. D. Greg.

XII. Huc pertinet illa mensarum structura, quæ in templo Ezechielis visebatur. *Labia, inquit, earum, vnius palmi.* Ezech. 40. n. 43. Vbi non sine mysterio labia cum palmo, lingua cum manu coniunguntur; vt significentur Prædicatoris verba cum factis, documenta cum exemplis coniungenda. Neque solùm lingua cum manu coniungitur, sed etiam, quod plus mysterij continet, lingua manu, seu, vt Scriptura loquitur, labia palmo mensurantur: quia verborum regula & mensura non alia esse debet, quàm sanctimonia factorum. Vnde D. Gregor. citato loco: *Doctor, inquit, quod docendo loquitur, hoc vigilanter operetur. Verbis ergo suis semetipsum conueniat: vbi itaque se conspicit, opere implere, quod dicit: ibi auditores admoneat, eorùmque animos ad studium bonæ operationis accingat. Vbi autem nec dum se videt impleße, quod loquitur ad bona, de quibus auditores admonet, se quoque pariter inflammet; vt ipse etiam simul discat in opere, quod per eum loquitur veritas in prædicatione.* Quasi diceret, nihil ampliùs docendum esse, quàm quod ipse Doctor diligenter exequatur.

Labia cum manu, id est, verba cum factis coniungenda.

Verba factis mensuranda. D. Greg.

XIII. Non offerebantur Deo in sacrificium turtures, & pulli columbarum, nisi retorto ad collum capite, Leuit. 1. n. 15. hoc est, ore ad alas reuocato: quia, vt supra num. 13. ex D. Hieronymo iam retuli, non placent Deo illi Prædicatores, qui linguam ad manum; verba ad opera non reducant. Cui expositioni consentit D. Gregor. hom. 7. in Ezech. *Caput, inquit, ad pennulas retorqueri præcipitur: vt ea, quæ dicis, facias, & os ad opera coniungas.* Accedit illud Dauidicum: *Benedicite Domino, omnes virtutes eius, ministri eius, qui facitis voluntatem eius.* Psalm. 102. num. 21. Vbi illi tantùm Domino benedicere iubentur, qui eius voluntatem exequuntur. Nam, vt bene ibi Diuus Augustinus: *Quid prodest, quia hymnum cantat lingua tua, si sacrilegium exhalat vita tua? Si ergo vis benedicere Dominum, fac verbum eius, fac voluntatem eius.* Quod Glossa citati Psalmi vlteriùs confirmat, citato Leuitici loco: *Os, inquit, turturis iubetur retorqueri ad ascellas, vt quod habet in ore, ostendat in opere.* Neque enim placent Deo

Non placent Deo Prædicatores, qui verba cum factis non coniungunt. D. Greg. *Deo benedicere iubentur, qui eius voluntatem obsequuntur.*

D. Aug.

Glossa.

bona verba, quæ bonis operibus destituuntur.

XIV.

Cur priores tabulæ franguntur, posteriores conseruentur?

Prima ratio.

Priores legis tabulas in vertice montis Sinaï acceptas ad radicem eiusdem mõtis statim Moyses confregit, Exod. 32. n. 19. Posteriores autem in Arca fœderis repositas diutiùs conseruauit. Discriminis ratio ad rem præsentem duplex excogitari potest. Vna, quia priores dicitur Moyses de monte retulisse facie minimè splendente: posteriores verò facie maximè coruscante: vt patet Exod. 34. à n. 29. Hinc enim palàm fit, eam tantùm doctrinam in auditorum animis diutiùs conseruari, quam Prædicatoris vita magnis virtutibus illustris & splendida commendat. Altera, quia priores tabulæ digito Dei scriptæ sunt. Exod. 31. n. 18. Posteriores autem digito ipsius Moysis. Exod. 34. n. 27. Vt hinc etiam innotescat, illam tantùm doctrinam ab auditoribus retinendam, quæ non solùm sit opus Dei, sed etiam opus hominis: seu, quæ non solùm ab ipso Deo imperetur, sed etiã ab ipso Prædicatore impleatur. Quod mihi videtur significasse D. August. quæst. 166. in Exodum, vbi post multa alia: *In illis*, inquit, *prioribus tabulis vetus Testamentum significatum est; quia Deus ibi præcepit: sed homo non fecit. In secundis autem tabulis homo per adiutorium Dei, tabulas fecit, atque conscripsit: quia noui Testamenti charitas legem fecit.* Quasi diceret: Lex solo præcepto tradita, perit: verbo autem & exemplo confirmata, manet: propterea vetus Testamentum à Deo quidem factum; sed ab homine non impletum, aboleuit: nouum autem & factum à Deo, & impletum ab homine, perennat.

Secunda ratio.

Non satis est diuinum præceptum: requiritur humanum exemplum.

XV.

Cur Christus Dominus nõ in Iordane, sed in Thabor audiri mandatur.

Abul.

Christo Domino baptizato in Iordane, & transfigurato in Thabor, vox Æterni Patris de cœlo intonuit: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Matth. 3. n. 17. & Matth. 17. n. 5. Sed in posteriori loco additur: *Ipsum audite*: non autem in priori. Cur ita factum sit, inquirit Abulensis in posteriorem Matth. locum, q. 90. & multipliciter respondet: ad cuius rationes duplicem adiungo: Vnam, quia Christus Dominus in Baptismo quandam peccatoris imaginem præferebat: in transfiguratione summam Prædicatoris sanctitatem repræsentabat. Quo ex discrimine significare voluit Æternus Parens, nullam labem, sed summam innocentiam in eo esse oportere, qui aliis audiendus proponatur. Alteram, quia ante Baptismum, nondum Christus Dominus vitæ suæ sanctitatem euulgarat, nec hominibus proposuerat imitandam: post Baptismum verò, sanctorum operum & magnarum virtutum luce quoquouersum diffusa radiabat. Ex quo etiam discrimine significauit, non esse spargenda verba doctrinæ, antequàm vitæ exempla manifestentur; neque audiendum esse vllum verborum Oratorem, nisi quem omnium oculi singularem rerum operatorem intueantur.

Prior ratio.

Posterior ratio.

XVI.

Deus prius quàm iubeat, facit: vt doceat exemplo prius facere, quàm iubere.

Hinc est, quòd ipse Deus, suam hominibus legem persuasurus, magnis operibus præludat: vt non tam imperanti, quàm operanti obedientia præstetur, & reuerentia deferatur. Quod D. Chrysost. hom. 14. in Matth. multis illustrat exemplis. Nam in primis dicturus, *Fiat lux, Fiat firmamentum*, &c. Gen. 1. n. 3. & 6. priùs, *Creauit cœlum & terram.* Ibid num. 1. vt opera præceptis, exempla documentis præirent. Deinde daturus legem Adamo, Gen. 2. num. 16. priùs orbem condidit suis omnibus partibus perfectum & absolutum, Genes. 1. à num 1. vt homo videns opera, imperia non recusaret. Daturus item legem Noë, alteri humani generis propagatori, Gen. 9. à num. 4. singularia potentiæ, & beneuolentiæ exempla apud illum collocauit; præsertim illum, vt de aliis taceam, à communi illa eluuione mirabiliter eruendo, Gen. 7. à num. 10. vt Noë beneficio deuinctus, imperio subiaceret. Rursus, legem Circumcisionis daturus Abrahæ, Gen. 17. num. 10. multa in eius gratiam & fauorem egregia opera patrauit, Pharaonis licentiam frænando, Gen. 12. num. 17. Assyriorum Regum audaciam subigendo, Gen. 14. n. 15 pluribus aliis è periculis eum liberando: vt Patriarcha diuinorum operum testis oculatus, cæcus vnius saltem præcepti exequutor redderetur.

XVII.

Tandem Israëlitico populo in monte Sinaï legem daturus, Exod. 20. à num. 1. iam inde à primo egressu de Ægypto innumeris signis & prodigiis coruscauit: vt toto Exodi lib. ab initio videre est: vt cùm populus Deum egregium rerum auctorem esse cognosceret, iustissimum quoque Legislatorem fore non dubitaret. Iam verò in nouo Testamento habiturus Christus Dominus longissimum ad turbas, suósque discipulos sermonem, in quo præcipua euangelicæ doctrinæ capita panderentur, Matth. 5. num. 1. priùs inquit Euangelista: *Obtulerunt ei omnes malè habentes variis languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunaticos, & paralyticos, & curauit omnes.* Matth. 4. num. 24. Cur verò tanta operum maiestate & sanctitate suæ voluit doctrinæ præire, & prælucere; nisi vt ex factis maiorem dictis auctoritatem conciliaret? Quod, vt verbis D. Chrys. clariùs exponam: *Priusquàm*, inquit, *sublimem quandam viuendi introducturus esset disciplinam, & quæ nunquàm ab illis fuisset audita, auctoritatem mandatis suis præstruxit claritate signorum.* Ex quibus patet semper ad verba factis præcurrendum: & nisi opera præluceant; fore sine dubio, vt dicta in irritum profundantur.

D. Chrys.

Si opera non præluceant, dicta in irritum abeunt.

XVIII.

D. Bern.

Prædicatores priùs vitam suam, quàm alienam excolere debent.

Quare D. Bernardus serm. de sancto Benedicto, loquutus de iis, qui priùs agunt de aliena vita, quàm de propria excolenda: *Sunt*, inquit, *aliqui, quorum fructus, quia nimis properè, minus prosperè oriuntur. Hi sunt, qui in initio conuersionis suæ aliis fructificare continuò velle præsumunt: contra legis decreta, arare in primogenito bouis, & ouis primogenita tondere festinantes.* Vbi alludit ad illud præceptum diuinum: *Non operaberis in primogenito bouis: & non tondebis primogenita ouium.* Deut. 15. num. 19. Vbi significantur nostrorum operum initia ad propriam salutem conferenda, non in publicam lucem, & communem doctrinam euulganda. Neque enim ad docendos alios prodire debent optimi Prædicatores, antequàm ipsi priuato studio ad rectè viuendum instruantur. Sic eum locum interpretatur D. Gregor. lib. 8. Moral. cap. 29. *In primogenito*, inquit, *bouis operari, est bonæ conuersationis primordia in exercitio publicæ actionis ostendere. Ouium primogenita tondere, est ab occultationis suæ tegmine humanis oculis inchoantia bona opera nostra denudare. In primogenito ergo bouis operari prohibemur, atque a primogenitis ouium detondendis compescimur; quia etsi quid robustum incipimus; exercere hoc in aperto citiùs non debemus: & cùm vita nostra simplex quid atque innocuum inchoat; dignum est, vt secreti sui velamina nõ relinquat.* Quæ omnia eò spectant, vt prima Doctorum & Prædicatorum cura in se ipsis per bona opera excolendis & expoliendis collocetur: secunda ad proximos per verba doctrinæ informandos & erudiendos trãsferatur. Eadem ferè repetit idem D. Greg. homil. 2. in Ezechielem, monens, ne quis ad prædicandum exeat, antequàm in eo virtutũ opera maturescant. *Ne dum*, inquit, *tenera opera citiùs ostendimus,*

D. Greg.

Prima cõuersionis opera non tam ad publicã, quã ad propriam vtilitatem spiritualem conferenda.

D. Greg.

ostendimus, amittamus. Exempla igitur in Doctore verbis præcurrant.

XIX. *D. Stephanus praluxit vt Angelus, pradicaturus vt homo.*

Cur olim facies Diui Stephani in Concilio, angelico fulgore collustrata resplenduit? *Nam intuentes eum omnes qui sedebant in Concilio, viderunt faciem eius, tanquam faciem Angeli.* Act. 6. n. 15. Mitto alias rationes. Illa mihi videtur optima ad rem præsentem: quia in eodem loco statim habiturus erat longissimam concionem; vt patet ex cap. 7. sequenti. *Nõ est aptus ad dicendum, qui vita exẽplis non coruscat.* Quasi non esset aptus ad concionandum, qui non priùs vitæ exemplis coruscaret. Immò, vt addit D. Chrysostom. hom. 15. in Acta, ille oris fulgor fecit Stephanum suis auditoribus amabilem, & gratiosum ad dicendum; & proinde auditores ipsos faciles & libentes ad auscultandum. *D. Chrys.* Nam dicentis facta tantam verbis auctoritatem conferunt, vt improbos etiam auditores, beneuolentes efficiant, aut certè patientes ad audiendum.

XX. *Cur Angelus, id est, Prædicator, è Sole clamare dicatur? Prima responsio. Secunda.*

Mirum est illud Ioannis oraculum, seu spectaculum: *Vidi*, inquit, *vnum Angelum stantem in Sole, & clamauit voce magna*, &c. Apoc. 19. num. 17. Cur à Sole, tanquàm è suggesto, nouus ille Prædicator exclamat? An, quia sicut Sol semper festinat, nunquàm conquiescit: ita euangelicus Prædicator totum orbem celerrimus circuit & peruagatur? An, quia sicut Sol omnibus beneficus, oritur super iustos & iniustos: ita euangelicus Prædicator, omnium, tam bonorum quàm malorum commodis, præsertim spiritualibus, incumbit? *Tertia.* C An tandem, quia sicut Sol totum orbem suo splendore collustrat, suo calore fœcundat: ita euangelicus Prædicator cæcas hominum mentes suis verbis illuminat, præposteras voluntates suis exemplis inflammat? Aptissimè quidem hæc omnia dicuntur: sed hæc postrema ratio nostrum egregiè conficit institutum. Proprium enim est optimi Prædicatoris non solùm illustrare docendo: sed etiam viuendo ædificare.

XXI. *Dominus Legislator legẽ in dextera preferebat, non tã verbis, quàm factis inculcãdam. Non in sinistra: sed in dextra apta ad agendũ. Moyses diuini Legislatoris imitator.*

Optimi Legislatoris simulacrum præbuit olim Deus, de quo Moyses: *In dextera*, inquit, *eius ignea lex.* Deut. 33. n. 2. Non ex ore prodibat, sed in dextera rutilabat; quia magis eam factis, quàm verbis exprimebat. Immò neque in sinistra ad agendum inhabili & inerte: sed in dextera ad D agendum prompta & expedita ferebatur: vt diuinus ille Legislator non deses & otiosus: sed gnauus & strenuus ad operandum ostenderetur. Ex Deo didicit Moyses non solùm ore, sed etiam manu præferre eam legem, quam inculcabat; iuxta illud Diui Pauli de lege veteri loquentis: *Ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Galat. 3. num. 19. Non enim satis erat, eam legem ab Angelis ordinari, seu inculcari, nisi pariter à Moyse impleretur. Plus enim auditoribus optima Prædicatorum facta, quàm ornatissima Angelorum verba persuadent.

XXII. *Nathan non eam lingua, quàm manu dicitur erudire Salomonem.*

Idcircò Dominus Salomoni instruendo magistrum elegit Prophetam Nathan, qui eum non solùm verbis, sed etiam factis erudiret. *Misit*, inquit Textus, (Dauidne, an Dominus, dubium est, E vter is fuerit, aptè ad hunc sensum) *misit*, inquam, *in manu Nathan Prophetæ; & vocauit nomen eius, Amabilis Domino.* 2. Reg. 12. num. 25. Vbi vides, traditum fuisse Salomonem, non in linguam, sed in manum Prophetæ; hoc est, non solùm ad illius documenta audienda, sed etiam ad illius facta imitanda. Sed omnium perfectissimè Christus Dominus *Cœpit facere, & docere.* Act. 1. num. 1. *D. Chrys. Christus Dominus factis dicta confirmabat.* Vbi D. Chrysost. hom. 1. *Considera*, inquit, *quo pacto Christus dictis suis per opera fidem conciliarit.* Docuit humilitatem: præstitit: *Di-*

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

A *scite à me*, inquit, *quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. num. 29. Docuit paupertatem: exhibuit; non habens *vbi caput suum reclinaret.* Matt. 8. num. 20. Docuit, vt inimicos diligeremus: dilexit, pro suis crucifixoribus deprecatus. Luc. 23. num. 34. Docuit, vt tollenti nobis tunicam, dimittamus & pallium. Matth. 5. num. 40. *Ipse verò*, inquit D. Chrysostomus, *non vestimenta tantùm, verum sanguinem quoque suum dedit.* Vnde Euangelista: *Lex*, inquit, *per Moysen data est, gratia & virtus per Iesum Christum facta est.* Ioann. 1. num. 17. Vbi Moyses dicitur dedisse legem; at verò Christus Dominus fecisse: quia non solum præcipiebat legem; sed etiam obseruabat.

XXIII. *Christus verbis & factis docendo suadebat.*

Hac ducendi ratione, non tam verbis, quàm B factis, ad perfectionis fastigium Christus Dominus suos discipulos faciliùs deducebat. Vnde ab illis interrogatus, vbi habitaret, respondit: *Venite, & videte.* Ioann. 1. numer. 38. Non loquendo, sed præeundo; non voce, sed opere ignotam viam patefecit, & ad optatum terminum perduxit. Hæc enim docendi ratio, & illi familiaris fuit, & auditoribus fructuosa; vt patuit ex euentu. Nam statim sequitur: *Venerunt, & viderunt, vbi maneret, & apud illum manserunt die illo.* Ibidem, numer. 39. Vbi vides illius doctrinæ cum exemplo coniunctæ vtilitatem. Si enim solo verbo doceret; domum quidem scirent discipuli, sed non intrarent: dum autem facta dictis coniunxit; habitationis eius locum, C & didicerunt, & introierunt. Et hunc fuisse scopum, ad quem Christus Dominus collimauerit, rectè obseruat Diuus Cyril. Alexandr. lib. 2. in Ioann. cap. 9. dicens, Christum Dominum non tam docuisse discipulos domum suam, quàm in domum suam induxisse. *D. Cyrill.* *Vt ostenderet*, inquit, *non sufficere, si quis vbi Christi domus, id est, Ecclesia fundata sit, didicerit: sed si per fidem in eam venerit; & quæ mysticè in ea peraguntur, feruente animo viderit.* Non modò igitur loquendo, sed etiam agendo docuit; quos voluit, non modò ad sciendum, sed etiam ad viuendum informare; totum mundum non modò documentis, sed multò magis exemplis informaturos.

XXIV. *Christum suo exemplo præeuntem sponsa faciliùs sequebatur.*

Quis, obsecro, Christum Dominum, non D modò ostendentem ad cœlum viam, sed etiam alacriter arripientem, non sequatur? Cælestis sponsa, quamuis nulla re magis, quàm sponsi sui Christi Domini præsentia delectaretur; ad eum nihilominus: *Fuge*, inquit, *dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum super montes aromatum.* Cant. 8. n. 14. Cur, obsecro, cælestis Anima, abire, & fugere à te postulabas, quem totis desideriis apud te habere, & retinere cupiebas? Credo, non postulasse sponsam, vt suus à se sponsus de terra abiret; sed vt cum suo ipsa sponso cœlum intraret. Quia verò sine tanti ducis exemplo difficilem arduàmque viam tentare non audebat; propterea vt ipse præiret, postulabat: certa sequi, quem suo exemplo præeuntem intue- E retur. Ita mihi videtur hunc locum exposuisse Diuus Ambrosius, lib. de bono mortis, c. 5. *D. Ambros.* *Hortatur*, inquit, *vt fugiat sponsus; quia iam sequi potest etiam ipsa, terrena fugientem.* Quasi diceret: Sponsa à terrenis cupiditatibus nondum penitùs auulsa, videre cupiebat sponsum suum ab iis cupiditatibus terrenis in cœlum liberè auolantem: vt ipsa illius confirmata exemplo, à suis se cupiditatibus expediret, & deserentem terrena faciliùs sequeretur. Postulat igitur, vt ille fugiat, quò & ipsa eius imitata exemplum alacrior subsequatur.

XXV. *Arguitur, qui videns Christi obedientiæ exemplum, illud nō imitatur.* D. Bern.

Mundum per inobedientiam collapsum, vt Christus Dominus per obedientiam instauraret; priùs obedientiæ exemplum edidit, quàm doctrinam. *Et erat*, inquit Euangelista, *subditus illis*. Luc.2.n.51. certus, faciliùs mundū suo obediendi exemplu, quàm ducumento erigendum. Vnde D.Bernard.hom.1. super Missus est, acriter inuehitur in eum, qui ne tanto quidem obedientiæ exemplo ad obediendum inducatur. *Disce*, inquit, *homo, obedire; disce, terra, subdi; disce, puluis, obtemperare. De auctore tuo loquens Euangelista: Et erat, inquit, subditus illis. Erubesce, superbe cinis. Deus se humiliat: & tu te exaltas? Deus se hominibus subdit: & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis auctori?* Quasi diceret: Rem agis indignissimam, dum efficacissimum ad obediendum incitamentum, nempe exemplum Christi obedientis, despicis & contemnis. Et statim: *Si hominis, ô homo, imitari dedignaris exemplum, certè non erit tibi indignum, sequi auctorem tuum.* Quem enim non suauiter alliciat, immò efficaciter non impellat ad obediendum, Christus Dominus, non modò obedientiam verbo docens, sed etiam facto ipso persuadens?

XXVI. *Prædicatorū pulpita sunt virtutum exempla.*

Hanc docendi formam, non modò verbis, sed etiam factis exercendam tenere debent, qui ad mundum docendum proponuntur. Vnde illud de Æterna Sapientia: *Misit ancillas suas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Prou.9.n.3. Septuaginta transferunt: *Misit seruos suos cum excelsa prædicatione.* Hoc est, Apostolos, cæterósque diuini verbi Præcones, qui propter infirmitatem, quam habebant, nisi à Deo firmarentur; ancillæ fœmineo vocabulo nuncupantur. Excelsa verò prædicatio illa mihi esse videtur, quæ præaltis bonorum exemplorum monumentis innititur, indéque ad aures perlabitur auditorū. Qualem Deus olim Prophetæ Isaiæ commendabat, dicens: *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ierusalem.* Isai.40.num.9. Vbi priùs iubetur montem ascendere, quàm vocem exaltare: vt priùs ad bene viuendum, quàm ad bene prædicandum admoneatur. Quod Diuus Gregorius 2.p. Past. c.3. egregiè expendens, notat Prophetam iussum fuisse montem ascendere: *Vt qui*, inquit, *cælesti prædicatione vtitur, ima iam terrenorum deserens in rerum culmine stare videatur; tantóque faciliùs subditos ad meliora pertrahat, quantò per vitæ meritum de supernis clamat.* Et eadem lib.1. epistolarum, epist.24. iterum inculcat. In eodem sensu Deus ad Ezechielem: *Fili hominis*, inquit, *speculatorem dedi te domui Israël.* Ezech.3. num. 17. Non prædicatorem, inquit, tantùm, sed speculatorem; vt rectè obseruat idem D.Gregor. hom.11. in Ezech. *Cui enim*, inquit, *aliena cura committitur, speculator vocatur, vt in mentis altitudine sedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator, qui in imo est. Speculator quippe in alto debet stare per vitam, vt possit prodesse per prouidentiam.* Vbi plura eleganter. Qui secùs faciunt, & in humili prædicant, hoc est, è cœno vitiorum, quibus immerguntur, ad virtutem suos auditores adhortantur; infideles sunt: iuxta illud: *Principes tui infideles.* Isai. 1. n. 23. seu, vt ibi legit Diuus Chrysostomus, *Principes tui non obediunt*: scilicet, diuinæ legi. Et statim præposteram bene docentium & malè operantium iniquitatem execratus, *Vehementissimi*, inquit, *morbi signum est, & obliquæ peruersitatis, quando ij, quorum est ex officio mederi, inferunt morbos. Principum enim est, licentiosam populi rebellionem comprimere, & in officio continere*, &c. *Iam quando isti deprehenduntur primi in præuaricatione legum; quonam pacto aliis esse poterunt Doctores?*

Sublimis ad prædicandum vita.

D.Greg.

D. Greg.

D.Chrys.

XXVII. *Pauci dicuntur in Euangelio non Doctores, non Prædicatores, sed operarij.* Caietanus.

Exemplis igitur præluceant, qui verbis docent. Tales profectò desiderat Christus Dominus in sua Ecclesia Prædicatores: tales abesse conqueritur, iuxta illud: *Messis quidem multa, operarij autem pauci.* Matth.9.num.37. vbi Caiet. *Non dicit*, inquit, *Sacerdotes, aut Scribæ pauci; sed operarij pauci: quia etsi magna est multitudo Sacerdotum, Doctorum, Prædicatorum; pauci tamen sunt operarij: quia pauci sunt, qui vita & doctrina student saluti animarum.* Quam olim querimoniam iactabat & Dauid: *Non est*, inquit, *qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Non dicit, ait D. Chrysost. Non est, qui loquatur: sed qui faciat. Loquentes enim bona passim perstrepunt; facientes rarò visuntur. Quare qui bonorum verborum semina spargunt; & malorum factorum zizania superseminant: Doctores dici non debent. *Nihil enim*, inquit D.Chrysost. hom.1. in Act. *Doctore frigidius, qui verbis duntaxat philosophatur. Neque enim hoc Doctoris est, sed histrionis & hypocritæ. Ideóque Apostoli priùs vitæ exemplis docebant, quàm verbis. Quin potiùs nec verbis erat opus, cùm clamarent opera.* Atque hæc de tertio Capite: quartum, Deo auspice, aggrediamur.

D.Chrys. *Quæritur Dauid, abesse, non qui loquatur; sed qui faciat bonum.*

D. Chrys. *Qui verbis, nō factis docet, nō est Doctor, sed histrio.*



LIBER

LIBER PRIMVS
REGVM.

CAPVT QVARTVM.

1 ET factum est in diebus illis, conuenerunt Philisthiim in pugnam: & egres-
sus est Israël obuiam Philisthiim in prælium, & castrametatus est iuxta
Lapidem adiutorij. Porrò Philisthiim venerunt in Aphec.
2. Et instruxerunt aciem contra Israël. Inito autem certamine, terga ver-
tit Israel Philisthæis: & cæsa sunt in illo certamine, passim per agros, quasi quatuor
millia virorum.
3. Et reuersus est populus ad castra: dixerúntque maiores natu de Israël: Quare percus-
sit nos Dominus hodie coram Philisthiim? Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis
Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum.
4. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum seden-
tis super Cherubim: erántque duo filij Heli cum Arca fœderis Dei, Ophni & Phinees.
5. Cúmque venisset Arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israël clamo-
re grandi, & personuit terra.
6. Et audierūt Philisthiim vocem clamoris, dixerúntque: Quænam est hæc vox clamoris
magni in castris Hebræorum? Et cognouerunt, quòd Arca Domini venisset in castra.
7. Timuerúntque Philisthiim, dicentes: Venit Deus in castra: & ingemuerunt, dicentes:
8. Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius: væ nobis. Quis nos sal-
uabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum
omni plaga, in deserto.
9. Confortamini, & estote viri, Philisthiim: ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruierunt
vobis: confortamini, & bellate.
10. Pugnauerunt ergo Philisthiim, & cæsus est Israël, & fugit vnusquisque in tabernacu-
lum suū: & facta est plaga magna nimis: & ceciderūt de Israël triginta millia peditum.
11. Et Arca Dei capta est: duo quoque filij Heli mortui sunt, Ophni & Phinees.
12. Currens autem vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, & con-
spersus puluere caput.
13. Cúmque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor
eius pauens pro Arca Dei. Vir autem ille, postquàm ingressus est, nuntiauit vrbi: &
vlulauit omnis ciuitas.
14. Et audiuit Heli sonitum clamoris, dixítque: Quis est hic sonitus tumultus huius? At
ille festinauit, & venit, & nuntiauit Heli.
15. Heli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non
poterat.
16. Et dixit ad Heli: Ego sum qui veni de prælio, & ego qui de acie fugi hodie. Cui ille
ait: Quid actum est, fili mi?
17. Respondens autem ille, qui nuntiabat: Fugit, inquit, Israël coram Philisthiim, & ruina
magna facta est in populo: insuper & duo filij tui mortui sunt, Ophni & Phinees: &
Arca Dei capta est.
18. Cúmque ille nominasset Arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis
ceruicibus mortuus est. Senex enim erat vir & grandæuus: & ipse iudicauit Israël qua-
draginta annis.
19. Nurus autem eius, vxor Phinees, prægnans erat, vicináque partui: & audito nuntio,
quòd capta esset Arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incuruauit se, &
peperit: irruerant enim in eam dolores subiti.
20. In ipso autem momento mortis eius, dixerunt ei quæ stabant circa eam: Ne timeas,
quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animaduertit.
21. Et vocauit puerum, Ichabod, dicens: Translata est gloria de Israël, quia capta est Arca
Dei, & pro socero suo, & pro viro suo.
22. Et ait: Translata est gloria ab Israël; eò quòd capta esset Arca Dei.



CAPITIS QVARTI ARGVMENTVM.

Pœnarum exequutio. *Triplex pœna infligitur. Prima.* *Secunda.* *Tertia.*



HACTENVS de reuelatione pœnarum propter peccata Heli, & filiorum eius vniuerso Israëli impendentium. Deinceps de exequutione illarum. Triplex igitur pœna in hoc cap. inflicta memoratur. Primo loco Israëlitæ à Philisthæis bello atteruntur, partim in fugam versi, partim ad quatuor circiter virorum millia occisi. Secundo loco, exercitum redintegrantes, & Arcæ præsidio munientes, bellum repetunt, infeliciori successu: nam & populus partim fugit, partim ad triginta peditum millia occumbit; & Arca fœderis ab hostibus capta in terram alienam exportatur; & duo filij Sacerdotis Heli in prælio occiduntur. Tertio tandem loco, tristis è bello nuntius in vrbem refertur; qui & ciues in lacrymas soluit; & Sacerdotem Heli in interitum dedit repentinum; & vxorem Phinees in partum impulit immaturum. Suis singula locis minutiùs explicabo, &, sicubi opus erit, illustrabo.

Num. I. Et factum est in diebus illis, conuenerunt Philisthiim in pugnam. Et egressus est Israël obuiam Philisthiim in prælium: & castrametatus est iuxta Lapidem adiutorij. Porrò Philisthiim venerunt in Aphec.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Triplex huius capitis exordium. Primum tripliciter explicatur.* Septuag. Vatab. Pagnin. Clarius. *Primò.*

ET *factum est*, &c. Aliter alij hoc Caput quartum exordiuntur. Primò, quidam vltima verba præcedentis Capitis reuocant ad initium sequentis, licèt paululùm immutata. *Et factum est*, inquiunt, *verbum Samuel ad omnem Israël.* Ita habent Septuaginta in Bibliis Regiis & Complutensibus, quos Vatab. Pagn. Isidorus Clarius, & alij sequuntur. Et potest tripliciter explicari. Primò, impletum est quidquid Samuel prophetarat. Ita colligitur ex Hebræo, vbi habetur: *Et fuit verbum Samuelis omni Israëli.* Hoc est: Euenit, quidquid prædixerat. Et videtur planior ac simplicior interpretatio, cui D. Greg. Carth. & alij subscribunt. (D. Greg. Carthus.)

II. *Secundò.* Auctor trad. Angelom.

Secundò. *Factum est verbum.* Hoc est: Prolatum est verbum à Samuele, fore vt populus à Philisthæis vinceretur. Ita Auctor traditionum, & Angelomus. Si hæc expositio vera est; & Samueli prædicenti Israël non acquieuit; non immeritò suæ perfidiæ pœnas dedit, ab hostibus superatus. Nam, si Iosue & seniores Israël, quando cum Gabaonitis pacem inierunt; omninò decepti sunt, quia *os Domini non interrogauerunt.* Iosue 9. numer. 14. quid mirum, si Israëlitæ modò decipiantur & puniantur; quia non solùm inconsulto Domino, sed etiam inuito, ad bellandum prodierunt? Paulò aliter Magister historiæ: *Factum*: hoc est, Prolatum est verbum à Samuele, quo præcepit Israëli, vt diuinos & ariolos, cæteràque & peccata, & peccandi nutrimenta, quæ habebat, procol amoueret: finiumis à Deo grauiter puniendus. Credibile est, (Magister histor.)

& illam prædictionem, & hanc admonitionem à Samuele factam, quamuis neutra in Litera exprimatur.

III. *Tertiò.* Rabbini. Vatab. Clarius. Marian. Salian.

Tertiò. *Factum est*, seu, prolatum est verbum à Samuele, quo populum ad bellandum contra Philisthinos ex diuino oraculo incitauit. Sic aliqui Rabbini, quibus Vatabl. & Isidorus Clar. & noster Mariana assentiuntur: nec Salianus in suis Annalibus refragatur. Colliguntque ex eo, quòd maiores natu Israël in bello superati, posteà dixerunt: *Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim?* numer. 3. sequenti. Quasi dicerent: Si, Deo iubente, hanc expeditionem suscepimus: cur eum nobis adeò contrarium experimur, vt ab hostibus superemur? Non est improbabilis expositio. Sæpè enim Deus ad pugnandum inducit, quos patitur in ipsa pugna superari: vt videre est Iudic. 20. à numer. 1. vbi Israëlitæ semel atque iterum ex diuino consilio contra Benjamitas decertarunt: & nihilominùs in vtroque prælio corruerunt, quadraginta hominum millibus, partim in vna, partim in altera pugna interfectis. (*Deus sæpè ad pugnā inducit, quos patitur in ipsa pugna superari.*)

IV. *Triplex ratio, cur Deus superari patiatur, quos ad pugnandū induxit. Prima ex Caietano. Secunda ex Lyra.*

Cuius euentus ratio multiplex ab Expositoribus inculcatur. Vna ex Caietano; quia Israëlitæ debitam diligentiam, humanam industriam, ac militarem prudentiam, vt par erat, non adhibuerunt. Deus autem quando imperat finem, vult, vt proportionata media applicentur: quare qui hæc negligit, illo frustratur. Secunda ex Lyrano: *Quia nimis*, inquit, *confidebant in sua multitudine & fortitudine; ideò Dominus permisit, eos bis in prælio debellari, vt humiliarentur, & ad Deum recurrerent, magis confidentes de diuina virtute, quàm de sua.* Nec immeritò. Quia nulla esse potest præsentior arrogantiæ medicina, quàm humiliatio. Tertia ex D. Gregorio lib. 14. Moral. cap. 13. Quia Israëlitæ bono quidem zelo peccata Benjamitarum vlcisci voluerunt: sed sua ipsi priùs non expiarunt; cùm tamen, qui aliena peccata corripit, priùs debeat in se ipso propria iugulare. (*Tertia ex D. Greg.*)

V. *Qui puniunt aliorū culpas, suis prægrauatis à Deo puniuntur.* *Pharisæi lapides mittere iubentur, qui suas à se culpas abiecerunt.*

Quid est, inquit Greg. *quòd in vltionem sceleris inflammatur Israël, & tamen priùs ipse prosternitur: nisi, quòd priùs ipsi purgandi sunt; per quos aliorum culpæ feriuntur: vt ipsi iam mundi per vltionem veniant, qui aliorum vitia corrigere festinant?* Et rem illustrat exemplo adulteræ, cuius accusatoribus dixit Christus Dominus: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* Ioan. 8. n. 7. De quibus Gregorius: *Ad aliena*, inquit, *punienda peccata ibant, & sua reliquerant. Reuocantur itaque intus ad conscientiam, vt priùs propria corrigant, & tunc aliena reprehendant.* Vbi obiter nota, malorum Prædicatorum impudentiam peiorem, quàm Pharisæorum. Nam hi suorum scelerum conscij, adulteram lapidare ausi non sunt: sed *vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus.* Ibid. numer. 9. At illi suorum peccatorum non ignari, aliena peccata insectantur. (*Prædicatores mali, qui aliorū mala criminantur, peiores Pharisæis.*)

VI. *Prædicatores arguere debent, more commiserantium, nō sæuientium.*

Sed ad hos pertinet illa Iudæ Apostoli admonitio in sua Canonica, numer. 22. vbi loquens de quibusdam Hæreticis arguendis, subdit: *Hos quidem arguite iudicatos*: seu, vt ex Græco legi potest: *Hos quidem commiseramini iudicati.* Vbi in primis aduerte, pro verbo *arguendi*, poni verbum *commiserandi*, vt palàm fiat, Prædicatores, seu Prælatos arguere debere more commiserantium, non autem more sæuientium. Deinde, eos esse ad arguendum aptiores, qui iam iudicati sunt, id est, castigati & emendati: tum, quia memores proprij iudicij, mitiores se exhibent in alieno: tum, quia propriis culpis expurgati, alienas accommoda (*Purgati à propriis culpis, ad arguendos alios accedant.*)

commodatiùs expurgent. Hos igitur, inquit A Apostolus, arguite, iudicati. Quasi diceret: Postquam iudicati & castigati & emendati fueritis, tunc ad alios iudicandos castigandósque accedite: cauete autem, ne antequàm propriis sceleribus renuncietis, alieoa arguatis.

VII.
D. Greg.
Nemo alium persequi, aut vlcisci debet, sicut Deus: quia nemo sanctus est, sicut Deus.

Huc pertinet illa Iobi cum suis amicis expostulatio: *Quare*, inqoit, *persequimini me, sicut Deus?* Iob. 19. num. 22. Quasi diceret, vt bene Diuus Gregorius lib. 14. Moral. cap. 24. interpretatur: *Deus*, inquit, *tantò iustiùs aliena vitia percutit; quantò in semetipso nihil habet vitiorū: homines verò, cùm per disciplinam alios feriunt; sic alienam infirmitatem debent percutere, vt etiam ad suam nouerint oculos reuocare. Vos autem ita me de infirmitatibus meis affligitis; ac si ipsi more Dei, de infirmitate nihil habeatis.* B Has igitur ob causas, aut alias similes Num. 3. sequenti attingendas, potuit Samuel ex diuino oraculo præcipere Israëlitis, vt cum Philisthæis bellum susciperent; quamuis futurum esset, vt bello opprimerentur. Atque hæc de primo huius capitis exordio.

VIII.
Secundum huius capitis exordium.

Secundò, alij, nullis verbis ex præcedente capite huc adductis; immò nonnullis, quæ in Vulgata præferuntur, amputatis, sic exordiuntur: *Egressus est nanque Israel obuiam Philisthiim in prælium.* Ita est in Hebræis & Chaldæis exemplaribus; immò & in Latinis, quæ in Bibliis Regiis & Complutensibus circunferuntur: & sic legendum esse, iuxta antiquos codices, ad marginem Glossæ ordinariæ insinuatur: quam lectionem C Diuus Gregorius & Angelomus sequuntur: & Lucas Burgensis acerrimè tuetur. Et probat ex particula, *Nanque, quā*; inquit, *exemplaria cōstanter habent*: qua non probatur, Philisthæos venisse ad bellum; sed euenisse, seu impletum fuisse verbum Samuelis, vt in fine præcedentis capitis habetur: ergo immediatè post illam assertionem sequi debuit, tanquàm illius confirmatio in principio huius capitis: & proinde aliud eius exordium, quod in aliis exemplaribus habetur, vocat, *assutitium*: & quod minùs ferendum est, addit, *futorem fuisse imperitum.*

D. Greg.
Angel.
Burgens.
Burgensis a-ctior huius exordij asser-tor reiicitur.
Pagnin.

Nihilominùs Burgensis ratio non conuincit: tum, quia particula, *Nanque*, non in omnibus exemplaribus constanter reperitur; D cùm absit à Græcis & Latinis vulgatis: immò neque ex Hebræis & Chaldæis libris, ad quos ille prouocat, necessariò colligatur: nam in illis est particula ו *Vau*, quæ plerunque est copulatiua; & fortè nunquàm est causalis: vt Pagn. lib. Instit. cap. 24. potiùs existimat. Et vt demus, hoc loco causalem esse: qui dicunt, Israëlitas Samuelis oratione excitatos bellum inchoasse; facilè admittent rationem reddi per eam particulam, cur Philisthini ad bellum venerint; quòd scilicet ab Israëlitis prouocarentur: vnde necessariò concedent aliud huius capitis exordium, in quo egressus Philisthinorum ad bellum contineatur.

IX.
Tertium, ac germanum huius capitis exordium, quod est in Vulgata.

Tertiò igitur dicendum, verum ac germanum huius capitis exordium esse, quod habetur in Vulgata; cuius auctoritas omnibus, quę in contrarium E adduci possunt, facilè præponderat. Immò Septuaginta in Bibliis Sixtianis eodē exordio vtuntur: & Lucifero, D. Athanasij synchrono, eius loci scholia illud attribuunt. Et Interpretes communiter illud tanquàm proprium interpretandum suscipiunt. Igitur illud, *Et factum est in diebus illis*, Hebraïsmus est in sacris Literis passim obuius; quem Euangelistæ frequenter imitantur, Matth. 9. num. 10. Marci 2. num. 15. Luc. 1. num. 8. & passim alibi. Cuius sensus est: Contigit autem in diebus illis. Sed, qui fuerunt illi dies? Abul. quæst 1. existimat, fuisse proximè sequentes. Dicit enim, pauco tempore post illam prophetiam superiori capite memoratam, hoc bellum insurrexisse.

Abul.

X.
Quo tempore hoc bellum contigerat.

Nihilominùs, cùm illa prophetia contigerit, Samuele duodenne: hoc autem bellum, in quo Heli mortuus est, factum fuerit, Samuele trigesimum, aut quadragesimum annum agente; vt ex dictis cap. 3. num. 1. §. 4. constat: necesse est, inter illam prophetiam, & hoc bellum, annos decem & octo, aut viginti & octo interfluxisse. Vnde, cùm hic dicitur: *Factum est in diebus illis*: noo intelligas proximè sequentes; sed eo interuallo, quo diximus, distantes. Dixi autem, *Bellum, in quo Heli mortuus est*: quia de priori bello, in quo quatuor millia ceciderunt, posset esse maior dubitatio: an statim post illam Samuelis prædictionem contigerit. Nihilominùs, cùm vtrunque bellum per modum vnius factum fuerit; nec vnum ab altero, nisi vno, vel altero die abfuerit; vt Abulensis citatus ex Litera ostendit: idem ferè de vtroque iudicium ferendum est.

Abul.

XI.
Tria explicanda.

Conuenerunt Philisthiim, &c. Describitur vtriusque exercitus, Philisthæi scilicet, & Israëlitici, ad bellandum concursus. Vbi tria sunt explicanda: Quinam fuerint Philisthini? Qui deinde in hoc bello aggressores? Quæ tandem huius belli suscipiendi causæ?

XII.
Philisthinorum genus.

Quod ad primum attinet: Philisthini, si genus spectes, fuerunt de stirpe Cham filij Noë: vt patet ex Genes. 10. num. 14. & 1. Paralipom. 1. num. 12. Non quidem per filium eius Chanaan, sed per filium eius Mesraïm propagati. Vnde dici non debent Chananæi, nisi vel propter regionem Chananæam, in qua habitabant: vel propter affinitatem, quam cum Chananæis contrahebant: vt Abul. ad locum Paral. proximè citatum quæst. 11. confirmat. Nati sunt proximè ex duobus populis *Phetrusim*, & *Chassum*; vt ex proximè citatis Scripturæ locis patet: qui suas inter se vxores liberè commutabant: vt sentiunt nonnulli Hebræorum: nescio, an aliqua in suos hostes maleuolentia suffusi. Nam Hebræos quidem Abul. ad locum Gen. citat. arguit falsitatis.

Abul.

XIII.
Philisthinorum patria.
Abul.

Patria illorum fuit Philisthæa, seu Philisthina, intra terminos terræ Promissionis inclusa; vt D Abul. hîc q. 2. & Exod. 13. q. 7. ostendit: quinque præcipuis vrbibus, seu prouinciis distincta, vt patet ex 1. Reg. 6. num. 5. quæ omnes ibidem, num. 17. & Ios. 13. num. 3. nominantur, & suis singulæ Regibus attribuuntur. Hæc autem regio maxima ex parte ad sortem Tribus Iudæ pertinebat, vt ex Iosue 15. à numer. 45. facilè colligitur: vbi præcipuæ vrbes Palæsthinæ in sorte Tribus Iuda recensentur: vt regia Tribus ex vicinitate hostium, quos subiicere non posset, & cautior, & humilior redderetur.

Philisthinorum religio.
Philo.

Philisthinorum religio fuit Idololatria. Innumera enim idola venerabantur. Vnde Philo Hebræus lib. De nobilitate, ad finem, vocat Palæsthinam *cultricem multorum Numinum.* Omnium famosissima fuerunt *Dagon*, id est, *frumentum*. E cap. sequent. num. 2. *Astaroth*, id est, *diuitiæ.* Iudic. 10. num. 6. *Beelzebub*, id est, *idolum muscarum*. 4. Reg. 1. num. 2. cui primas deferebant, & quem *Principem Dæmoniorum* appellabant. Luc. 11. num. 15. Vide in quantum miseriæ barathrum vana illa superstitio se præcipitauerit: quæ enim de sua potentia, & opulentia intumescebat; muscarum Deum omnium maximum iudicabat.

Philisthinorum etymologia.
D. Aug.
D. Greg.

Tandem Philisthini, si nominis etymologiam inquiras, *Potu cadentes* id est, *ebrij*, interpretātur: quia illos, vt docet D August. in Psalm. 82. *fecit ebrios luxuria secularis.* Quare D. Greg. hoc loc. in Philisthinis

 malos



CAPITIS QVARTI
ARGVMENTVM.

Pœnarum exequutio. *Triplex pœna infligitur.* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.*



HACTENVS de reuelatione pœnarum propter peccata Heli, & filiorum eius vniuerso Israëli impendentium. Deinceps de exequutione illarum. Triplex igitur pœna in hoc cap. inflicta memoratur. Primo loco Israëlitæ à Philisthæis bello atteruntur, partim in fugam versi, partim ad quatuor circiter virorum millia occisi. Secundo loco, exercitum redintegrantes, & Arcæ præsidio munientes, bellum repetunt, infeliciori successu: nam & populus partim fugit, partim ad triginta peditum millia occumbit; & Arca fœderis ab hostibus capta in terram alienam exportatur; & duo filij Sacerdotis Heli in prælio occiduntur. Tertio tandem loco, tristis è bello nuntius in vrbem refertur; qui & ciues in lacrymas soluit; & Sacerdotem Heli in interitum dedit repentinum; & vxorem Phinees in partum impulit immaturum. Suis singula locis minutiùs explicabo, &, sicubi opus erit, illustrabo.

Num. I. Et factum est in diebus illis, conuenerunt Philisthiim in pugnam. Et egressus est Israël obuiam Philisthiim in prælium: & castrametatus est iuxta Lapidem adiutorij. Porrò Philisthiim venerunt in Aphec.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Triplex huius capitis exordium. Primum tripliciter explicatur.* Septuag. Vatab. Pagnin. Clarius. *Primò.* D. Greg. Carthus.

ET *factum est*, &c. Aliter alij hoc Caput quartum exordiuntur. Primò, quidam vltima verba præcedentis Capitis reuocant ad initium sequentis, licèt paululùm immutata. *Et factum est*, inquiunt, *verbum Samuel ad omnem Israël.* Ita babent Septuaginta in Bibliis Regiis & Complutensibus, quos Vatab. Pagn. Isidorus Clarius, & alij sequuntur. Et potest tripliciter explicari. Primò, impletum est quidquid Samuel prophetarat. Ita colligitur ex Hebræo, vbi habetur: *Et fuit verbum Samuelis omni Israëli.* Hoc est: Euenit, quidquid prædixerat. Et videtur planior ac simplicior interpretatio, cui D. Greg. Carth. & alij subscribunt.

II. *Secundò.* Auctor trad. Angelom. Magister histor.

Secundò. *Factum est verbum.* Hoc est: Prolatum est verbum à Samuele, fore vt populus à Philisthæis vinceretur. Ita Auctor traditionum, & Angelomus. Si hæc expositio vera est; & Samueli prædicenti Israël non acquieuit; non immeritò suæ perfidiæ pœnas dedit, ab hostibus superatus. Nam, si Iosuë & seniores Israël, quando cum Gabaonitis pacem inierunt, omninò decepti sunt, quia *os Domini non interrogauerunt.* Iosue 9. numer. 14. quid mirum, si Israëlitæ modò decipiantur & puniantur; quia non solùm inconsulto Domino, sed etiam inuito, ad bellandum prodierunt? Paulò aliter Magister historiæ: *Factum*: hoc est, Prolatum est verbum à Samuele, quo præcepit Israëli, vt diuinos & ariolos, cæteráque & peccata, & peccandi nutrimenta, quæ habebat, procul amoueret: sin minùs à Deo grauiter puniendus. Credibile est,

A & illam prædictionem, & hanc admonitionem à Samuele factam, quamuis neutra in Litera exprimatur.

III. *Tertiò.* Rabbini. Vatab. Clarius. Marian. Salian.

Tertiò. *Factum est*, seu, prolatum est verbum à Samuele, quo populum ad bellandum contra Philisthinos ex diuino oraculo incitauit. Sic aliqui Rabbini, quibus Vatabl. & Isidorus Clar. & noster Mariana assentiuntur: nec Salianus in suis Annalibus refragatur. Colligúntque ex eo, quòd maiores natu Israël in bello superati, posteà dixerunt: *Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim?* numer. 3. sequent. Quasi dicerent: Si, Deo iubente, hanc expeditionem suscepimus: cur eum nobis adeò contrarium experimur, vt ab hostibus superemur? Non est im-

B probabilis expositio. *Deus sæpè ad pugnā inducit, quos patitur in ipsa pugna superari.* Sæpè enim Deus ad pugnandum inducit, quos patitur in ipsa pugna superari: vt videre est Iudic. 20. à numer. 1. vbi Israëlitæ semel atque iterum ex diuino consilio contra Benjamitas decertarunt: & nihilominùs in vtroque prælio corruerunt, quadraginta hominum millibus, partim in vna, partim in altera pugna interfectis.

IV. *Triplex ratio, cur Deus superari patiatur, quos ad pugnandū induxit. Prima ex Caietano. Secunda ex Lyra. Tertia ex D. Greg.*

Cuius euentus ratio multiplex ab Expositoribus inculcatur. Vna ex Caietano; quia Israëlitæ debitam diligentiam, humanam industriam, ac militarem prudentiam, vt par erat, non adhibuerunt. Deus autem quando imperat finem, vult, vt proportionata media applicentur: quare qui hæc negligit, illo frustratur. Secunda ex Lyra-

C no: *Quia nimis*, inquit, *confidebant in sua multitudine & fortitudine; ideo Dominus permisit, eos bis in prælio debellari, vt humiliarentur, & ad Deum recurrerent, magis confidentes de diuina virtute, quàm de sua.* Nec immeritò. Quia nulla esse potest præsentior arrogantiæ medicina, quam humiliatio. Tertia ex D. Gregorio lib. 14. Moral. cap. 13. Quia Israëlitæ bono quidem zelo peccata Benjamitarum vlcisci voluerunt: sed sua ipsi priùs non expiarunt; cùm tamen, qui aliena peccata corripit, priùs debeat in se ipso propria iugulare.

V. *Qui puniunt aliorū culpas, suis prægrauati à Deo puniuntur. Pharisæi lapides mittere iubentur, qui suas à se culpas abiecerunt. Prædicatores mali, qui aliorū mala criminantur, peiores Pharisæis.*

Quid est, inquit Greg. *quod in vltionem sceleris inflammatur Israël; & tamen prius ipse prosternitur: nisi, quòd priùs ipsi purgandi sunt; per quos aliorum culpæ feriuntur: vt ipsi iam mundi per vltionem ve-*

D *niant, qui aliorum vitia corrigere festinant?* Et rem illustrat exemplo adulteræ, cuius accusatoribus dixit Christus Dominus: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* Ioan. 8. n. 7. De quibus Gregorius: *Ad aliena*, inquit, *punienda peccata ibant, & sua reliquerant. Reuocantur itaque intus ad conscientiam, vt priùs propria corrigant, & tunc aliena reprehendant.* Vbi obiter nota, malorum Prædicatorum impudentiam peiorem, quàm Pharisæorum. Nam hi suorum scelerum conscij, adulteram lapidare ausi non sunt: sed *vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus.* Ibid. numer. 9. At illi suorum peccatorum non ignari, aliena peccata insectantur.

VI. *Prædicatores arguere debent, more miserantium, nō sæuientium. Purgati à propriis culpis, ad purgandos alios accedant.*

Sed ad hos pertinet illa Iudæ Apostoli admo-

E nitio in sua Canonica, numer. 22. vbi loquens de quibusdam Hæreticis arguendis, subdit: *Hos quidem arguite iudicatos*: seu, vt ex Græco legi potest: *Hos quidem commiseramini iudicati.* Vbi in primis aduerte, pro verbo *arguendi*, poni verbum *commiserandi*, vt palàm fiat, Prædicatores, seu Prælatos arguere debere more commiserantium, non autem more sæuientium. Deinde, eos esse ad arguendum aptiores, qui iam iudicati sunt, id est, castigati & emendati: tum, quia memores proprij iudicij, mitiores se exhibent in alieno: tum, quia propriis culpis expurgati, alienas ac-

commoda

commodatiùs expurgant. Hos igitur, inquit Apostolus, arguite, iudicati. Quasi diceret: Postquàm iudicati & castigati & emendati fueritis, tunc ad alios iudicandos castigandósque accedite: cauete autem, ne antequàm propriis sceleribus renuncietis, aliena arguatis.

VII. *D. Greg.* *Nemo alium persequi, aut vlcisci debet, sicut Deus: quia nemo sanctus est, sicut Deus.* Huc pertinet illa Iobi cum suis amicis expostulatio: *Quare*, inquit, *persequimini me, sicut Deus?* Iob. 19. num. 22. Quasi diceret, vt bene Diuus Gregorius lib. 14. Moral. cap. 24. interpretatur: *Deus*, inquit, *tantò iustiùs aliena vitia percutit; quantò in semetipso nihil habet vitiorū: homines verò, cùm per disciplinam alios feriunt; sic alienam infirmitatem debent percutere, vt etiam ad suam nouerint oculos reuocare. Vos autem ita me de infirmitatibus meis affligitis; ac si ipsi more Dei, de infirmitate nihil haberetis.* Has igitur ob causas, aut alias similes Num. 3. sequenti attingendas, potuit Samuel ex diuino oraculo præcipere Israelitis, vt cum Philisthæis bellum susciperent; quamuis futurum esset, vt bello opprimerentur. Atque hæc de primo huius capitis exordio.

VIII. *Secundum huius capitis exordium.* Secundò, alij, nullis verbis ex præcedente capite huc adductis; immò nonnullis, quæ in Vulgata præferuntur, amputatis, sic exordiuntur: *Egressus est nanque Israel obuiam Philisthiim in prælium.* Ita est in Hebræis & Chaldæis exemplaribus: immò & in Latinis, quæ in Bibliis Regiis & Complutensibus circumferuntur: & sic legendum esse, iuxta antiquos codices, ad marginem Glossæ ordinariæ insinuatur: quam lectionem Diuus Gregorius & Angelomus sequuntur: & Lucas Burgensis acerrimè tuetur. Et probat ex particula, *Nanque, quā*, inquit, *exemplaria cōstanter habent*: qua non probatur, Philisthæos venisse ad bellum; sed euenisse, seu impletum fuisse verbum Samuelis, vt in fine præcedentis capitis habetur: ergo immediatè post illam assertionem sequi debuit, tanquàm illius confirmatio in principio huius capitis: & proinde aliud eius exordium, quod in aliis exemplaribus habetur, vocat, *assutitium*: & quod minus ferendum est, addit, *futurem fuisse imperitum*. Nihilominùs Burgensis ratio non conuincit: tum, quia particula, *Nanque*, non in omnibus exemplaribus constanter reperitur; cùm absit à Græcis & Latinis vulgatis: immò neque ex Hebræis & Chaldæis libris, ad quos ille prouocat, necessariò colligatur: nam in illis est particula ו *Vau*, quæ plerunque est copulatiua; & fortè nunquàm est causalis: vt Pagn. lib. Instit. cap. 24. potiùs existimat. Et vt demus, hoc loco causalem esse: qui dicunt, Israelitas Samuelis oratione excitatos bellum inchoasse; facilè admittent rationem reddi per eam particulam, cur Philisthini ad bellum venerint; quòd scilicet ab Israelitis prouocarentur: vnde necessariò concedent aliud huius capitis exordium, in quo egressus Philisthinorum ad bellum contineatur.

D. Greg. *Angel.* *Burgens.*

Burgensis acrior huius exordij assertor reiicitur.

Pagnin.

IX. *Tertium, ac germanum huius capitis exordium, quod est in Vulgata.* Tertiò igitur dicendum, verum ac germanum huius capitis exordium esse, quod habetur in Vulgata: cuius auctoritas omnibus, quæ in contrarium adduci possunt, facilè præponderat. Immò Septuaginta in Bibliis Sixtianis eodē exordio vtuntur: & Lucifero, D. Athanasij synchrono, eius loci scholia illud attribuunt. Et Interpretes communiter illud tanquàm proprium interpretandum susceperunt. Igitur illud, *Et factum est in diebus illis*, Hebraïsmus est in sacris Literis passim obuius; quem Euangelistæ frequenter imitantur, Matth. 9. num. 10. Marci 2. num. 15. Luc. 1. num. 8. & passim alibi. Cuius sensus est: Contigit autem in diebus illis. Sed, qui fuerunt illi dies? Abul. quæst. 1.

Abul.

existimat, fuisse proximè sequentes. Dicit enim, pauco tempore post illam prophetiam superiori capite memoratam, hoc bellum insurrexisse.

X. *Quo tempore hoc bellum contigerit.* Nihilominùs, cùm illa prophetia contigerit, Samuele duodenne: hoc autem bellum, in quo Heli mortuus est, factum fuerit, Samuele trigesimum, aut quadragesimum annum agente; vt ex dictis cap. 3. num. 15. 4. constat: necesse est, inter illam prophetiam, & hoc bellum, annos decem & octo, aut viginti & octo interfluxisse. Vnde, cùm hic dicitur: *Factum est in diebus illis*: non intelligas proximè sequentes; sed eo interuallo, quo diximus, distantes. Dixi autem, *Bellum, in quo Heli mortuus est*: quia de priori bello, in quo quatuor millia ceciderunt, posset esse maior dubitatio: an statim post illam Samuelis prædictionem contigerit. Nihilominùs, cùm vtrunque bellum per modum vnius factum fuerit; nec vnum ab altero, nisi vno, vel altero die abfuerit; vt Abulensis citatus ex Litera ostendit: idem ferè de vtroque iudicium ferendum est. *Abul.*

XI. *Tria explicanda.* *Conuenerunt Philisthiim*, &c. Describitur vtriusque exercitus, Philisthæi scilicet, & Israelitici, ad bellandum concursus. Vbi tria sunt explicanda: Quinam fuerint Philisthini? Qui deinde in hoc bello aggressores? Quæ tandem huius belli suscipiendi causæ?

XII. *Philisthinorum genus.* Quod ad primum attinet: Philisthini, si genus spectes, fuerunt de stirpe Cham filij Noë: vt patet ex Genes. 10. num. 14. & 1. Paralipom. 1. num. 12. Non quidem per filium eius Chanaan, sed per filium eius Mesraïm propagati. Vnde dici non debent Chananæi, nisi vel propter regionem Chananæam, in qua habitabant: vel propter affinitatem, quam cum Chananæis contrahebant; vt Abul. ad locum Paral. proximè citatum quæst. 11. confirmat. Nati sunt proximè ex duobus populis *Phetrusim*, & *Chasluim*; vt ex proximè citatis Scripturæ locis patet: qui suas inter se vxores liberè commutabant: vt sentiunt nonnulli Hebræorum: nescio, an aliqua in suos hostes maleuolentia suffusi. Nam Hebræos quidem Abul. ad locum Gen. citat, arguit falsitatis. *Abul.*

XIII. *Philisthinorum patria.* *Abul.* Patria illorum fuit Philisthæa, seu Philisthina, intra terminos terræ Promissionis inclusa; vt Abul. hic q. 2. & Exod. 13. q. 7. ostendit: quinque præcipuis vrbibus, seu prouinciis distincta, vt patet ex 1. Reg. 6. num. 5. quæ omnes ibidem, num. 17. & Iosu. 13. num. 3. nominantur, & suis singulæ Regibus attribuuntur. Hæc autem regio maxima ex parte ad sortem Tribus Iudæ pertinebat, vt ex Iosue 15. à numer. 45. facilè colligitur: vbi præcipuæ vrbes Palæsthinæ in sorte Tribus Iuda recensentur: vt regia Tribus ex vicinitate hostium, quos subiicere non posset, & cautior, & humilior redderetur. Philisthinorum religio fuit Idololatria. Innumera enim idola venerabantur. Vnde Philo Hebræus lib. De nobilitate, ad finem, vocat Palæsthinam *cultricem multorum Numinum*. Omnium famosissima fuerunt *Dagon*, id est, *frumentum*. cap. sequent. num. 2. *Astaroth*, id est, *diuitiæ*. Iudic. 10. num. 6. *Beelzebub*, id est, *idolum muscarum*. 4. Reg. 1. num. 2. cui primas deferebant, & quem *Principem Dæmoniorum* appellabant. Luc. 11. num. 15. Vide in quantum miseriæ barathrum vana illa superstitio se præcipitauerit: quæ enim de sua potentia, & opolentia intumescebat; muscarum Deum omnium maximum iudicabat. Tandem Philisthini, si nominis etymologiam inquiras, *Potu cadentes* id est, *ebrij*, interpretatur: quia illos, vt docet D. August. in Psalm. 81. *fecit ebrios luxuria secularis*. Quare D. Greg. hoc loc. in Philisthinis

Philisthinorum religio. *Philo.*

Philisthinorum etymologia. *D. Aug.* *D. Greg.*



CAPITIS QVARTI
ARGVMENTVM.

Pœnarum exequutio. *Triplex pœna infligitur.* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.*



HACTENVS de reuelatione pœnarum propter peccata Heli,& filiorum eius vniuerso Israëli impendentium. Deinceps de exequutione illarum. Triplex igitur pœna in hoc cap.inflicta memoratur. Primo loco Israelitæ à Philisthæis bello atteruntur, partim in fugam versi, partim ad quatuor circiter virorum millia occisi. Secundo loco, exercitum redintegrantes, & Arcæ præsidio munientes, bellum repetunt, infeliciori successu:nam & populus partim fugit, partim ad triginta peditum millia occumbit; & Arca fœderis ab hostibus capta in terram alienam exportatur; & duo filij Sacerdotis Heli in prælio occiduntur. Tertio tandem loco, tristis e bello nuntius in vrbem refertur; qui & ciues in lacrymas soluit; & Sacerdotem Heli in interitum dedit repentinum,& vxorem Phinees in partum impulit immaturum. Suis singula locis minutiùs explicabo,&,sicubi opus erit,illustrabo.

Num. I. Et factum est in diebus illis, conuenerunt Philisthiim in pugnam. Et egressus est Israël obuiam Philisthiim in prælium: & castrametatus est iuxta Lapidem adiutorij. Porrò Philisthiim venerunt in Aphec. C

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Triplex huius capitis exordium.* *Primum tripliciter explicatur.* Septuag. Vatab. Pagnin. Clarius. *Primò.*

ET *factum est*, &c. Aliter alij hoc Caput quartum exordiuntur. Primò, quidam vltima verba præcedentis Capitis reuocant ad initium sequentis, licèt paululùm immutata. *Et factum est*, inquiunt, *verbum Samuel ad omnem Israël.* Ita habent Septuaginta in Bibliis Regiis & Com- D plutensibus, quos Vatab.Pagn. Isidorus Clarius, & alij sequuntur. Et potest tripliciter explicari. Primò, impletum est quidquid Samuel prophetarat. Ita colligitur ex Hebræo, vbi habetur: *Et fuit verbum Samuelis omni Israëli.* Hoc est: Euenit, quidquid prædixerat. Et videtur planior ac simplicior interpretatio, cui D.Greg. Carth.& alij subscribunt.

D. Greg. Carthus.

II. *Secundò.* Auctor trad. Angelom.

Secundò. *Factum est verbum.* Hoc est: Prolatum est verbum à Samuele, fore vt populus à Philisthæis vinceretur. Ita Auctor traditionum, & Angelomus. Si hæc expositio vera est; & Samueli prædicenti Israel non acquieuit; non immeritò suæ perfidiæ pœnas dedit, ab hostibus superatus. Nam, si Iosuë & seniores Israël, E quando cum Gabaonitis pacem inierunt; omninò decepti sunt, quia *os Domini non interrogauerunt.* Iosue 9. numer. 14. quid mirum, si Israelitæ modò decipiantur & puniantur; quia non solùm inconsulto Domino, sed etiam inuito, ad bellandum prodierunt? Paulò aliter Magister historiæ: *Factum*: hoc est, Prolatum est verbum à Samuele, quo præcepit Israëli, vt diuinos & ariolos, cæteráque & peccata, & peccandi nutrimenta, quæ habebat, procul amoueret: sin minùs à Deo grauiter puniendus. Credibile est,

Magister histor.

A & illam prædictionem, & hanc admonitionem à Samuele factam, quamuis neutra in Litera exprimatur.

Tertiò. *Factum est*, seu, prolatum est verbum III. à Samuele, quo populum ad bellandum contra *Tertiò.* Philisthinos ex diuino oraculo incitauit. Sic aliqui Rabbini, quibus Vatabl. & Isidorus Clar. & noster Mariana assentiuntur: nec Salianus in suis Annalibus refragatur. Colliguntque ex eo, quòd maiores natu Israel in bello superari, posteà dixerunt: *Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim?* numer. 3.sequenti. Quasi dicerent: Si, Deo iubente, hanc expeditionem suscepimus: cur eum nobis adeò contrarium experimur,vt ab hostibus superemur? Non est im- B probabilis expositio. Sæpè enim Deus ad pugnandum inducit, quos patitur in ipsa pugna superari: vt videre est Iudic. 20. à numer. 1. vbi Israëlitæ semel atque iterum ex diuino consilio contra Benjamitas decertarunt: & nihilominùs in vtroque prælio corruerunt, quadraginta hominum millibus, partim in vna, partim in altera pugna interfectis.

Rabbini. Vatab. Clarius. Marian. Salian.

Deus sæpè ad pugnã inducit, quos patitur in ipsa pugna superari.

Cuius euentus ratio multiplex ab Expositori- IV. bus inculcatur. Vna ex Caietano; quia Israëlitæ debitam diligentiam, humanam industriam, ac militarem prudentiam, vt par erat, non adhibuerunt. Deus autem quando imperat finem, vult, vt proportionata media applicentur: quare qui hæc negligit, illo frustratur. Secunda ex Lyra- C no: *Quia nimis*, inquit, *confidebant in sua multitudine & fortitudine; ideò Dominus permisit, eos bis in prælio debellari, vt humiliarentur, & ad Deum recurrerent, magis confidentes de diuina virtute, quàm de sua.* Nec immeritò. Quia nulla esse potest præsentior arrogantiæ medicina, quam humiliatio. Tertia ex D.Gregorio lib.14.Moral. cap.13.Quia Israëlitæ bono quidem zelo peccata Benjamitatum vlcisci voluerunt: sed sua ipsi priùs non expiarunt; cùm tamen, qui aliena peccata corripit, priùs debeat in se ipso propria iugulare.

Triplex ratio, cur Deus superari patiatur, quos ad pugnandũ induxit. *Prima ex Caietano.* *Secunda ex Lyra.*

Tertia ex D.Greg.

Quid est, inquit Greg. *quòd in vltionem sceleris* V. *inflammatur Israël; & tamen priùs ipse prosternitur: nisi, quòd priùs ipsi purgandi sunt; per quos aliorum culpæ feriuntur: vt ipsi iam mundi per vltionem ve-* D *niant, qui aliorum vitia corrigere festinant?* Et rem illustrat exemplo adulteræ, cuius accusatoribus dixit Christus Dominus: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* Ioan.8. n.7. De quibus Gregorius: *Ad aliena*, inquit, *punienda peccata ibant, & sua reliquerant. Reuocantur itaque intus ad conscientiam, vt priùs propria corrigant, & tunc aliena reprehendant.* Vbi obiter nota, malorum Prædicatorum impudentiam peiorem, quàm Pharisæorum. Nam hi suorum scelerum conscij, adulteram lapidare ausi non sunt: sed *vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus.* Ibid. numer.9. At illi suorum peccatorum non ignari, aliena peccata insectantur.

Qui puniunt aliorũ culpas, sua prægrauati a Deo puniuntur. *Pharisæi lapides mittere iubentur, qui suas à se culpas abiecerunt.*

Prædicatores mali, qui aliorũ mala criminantur, peiores Pharisæis.

Sed ad hos pertinet illa Iudæ Apostoli admo- VI. E nitio in sua Canonica, numer.22. vbi loquens de quibusdam Hæreticis arguendis, subdit: *Hos quidem arguite iudicatos*: seu, vt ex Græco legi potest: *Hos quidem commiseramini iudicati.* Vbi in primis aduerte, pro verbo *arguendi*, poni verbum *commiserandi*, vt palàm fiat, Prædicatores, seu Prælatus arguere debere more commiserantium, non autem more sæuientium. Deinde, eos esse ad arguendum aptiores, qui iam iudicati sunt, id est, castigati & emendati: tum, quia memores proprij iudicij, mitiores se exhibent in alieno: tum, quia propriis culpis expurgati, alienas accommoda

Prædicatores arguere debent, more miserantium, nõ sæuientium.

Purgati à propriis culpis, ad purgandos alios accedant.

commodatiùs expurgant. Hos igitur, inquit Apostolus, arguite, iudicati. Quasi diceret: Postquàm iudicati & castigati & emendati fueritis, tunc ad alios iudicandos castigandósque accedite: cauete autem, ne antequàm propriis sceleribus renuncietis, aliena arguatis.

VII. Huc pertinet illa Iobi cum suis amicis expostulatio: *Quare*, inquit, *persequimini me, sicut Deus?* Iob. 19. num. 22. Quasi diceret, vt bene Diuus Gregorius lib. 14. Moral. cap. 24. interpretatur: *Deus*, inquit, *tantò iustiùs aliena vitia percutit; quantò in semetipso nihil habet vitiorũ: homines verò, cùm per disciplinam alios feriunt; sic alienam infirmitatem debent percutere, vt etiam ad suam nouerint oculos reuocare. Vos autem ita me de infirmitatibus meis affligitis; ac si ipsi more Dei, de infirmitate nihil habeatis.* Has igitur ob causas, aut alias similes Num. 3. sequenti attingendas, potuit Samuel ex diuino oraculo præcipere Israëlitis, vt cum Philisthæis bellum susciperent; quamuis futurum esset, vt bello opprimerentur. Atque hæc de primo huius capitis exordio.

D. Greg.
Nemo alium persequi, aut vlcisci debet, sicut Deus: quia nemo sanctus est, sicut Deus.

VIII. Secundò, alij, nullis verbis ex præcedente capite huc adductis; immò nonnullis, quæ in Vulgata præferuntur, amputatis, sic exordiuntur: *Egressus est nanque Israel obuiam Philisthiim in prælium.* Ita est in Hebræis & Chaldæis exemplaribus: immò & in Latinis, quæ in Bibliis Regiis & Complutensibus circunferuntur: & sic legendum esse, iuxta antiquos codices, ad marginem Glossæ ordinariæ insinuatur: quam lectionem C Diuus Gregorius & Angelomus sequuntur: & Lucas Burgensis acerrimè tuetur. Et probat ex particula, *Nanque, quã*, inquit, *exemplaria cõstanter habent*: qua non probatur, Philisthæos venisse ad bellum; sed euenisse, seu impletum fuisse verbum Samuelis, vt in fine præcedentis capitis habetur: ergo immediatè post illam assertionem sequi debuit, tanquàm illius confirmatio in principio huius capitis: & proinde aliud eius exordium, quod in aliis exemplaribus habetur, vocat, *assutitium*: & quod minùs ferendum est, addit, *sutorem fuisse imperitum.* Nihilominùs Burgensis ratio non conuincit: tum, quia particula, *Nanque*, non in omnibus exemplaribus constanter reperitur; D cùm absit à Græcis & Latinis vulgatis; immò neque ex Hebræis & Chaldæis libris, ad quos ille prouocat, necessariò colligatur: nam in illis est particula ו *Vau*, quæ plerunque est copulatiua; & fortè nunquàm est causalis: vt Pagn. lib. Instit. cap. 24. potiùs existimat. Et vt demus, hoc loco causalem esse: qui dicunt, Israëlitas Samuelis oratione excitatos bellum inchoasse; facilè admittent rationem reddi per eam particulam, cur Philisthini ad bellum venerint; quòd scilicet ab Israëlitis prouocarentur: vnde necessariò concedent aliud huius capitis exordium, in quo egressus Philisthinorum ad bellum contineatur.

Secundum huius capitis exordium.

D. Greg.
Angel.
Burgens.

Burgensis acrior huius exordij assertor reijcitur.

Pagnin.

IX. Tertiò igitur dicendum, verum ac germanum huius capitis exordium esse, quod habetur in Vulgata: cuius auctoritas omnibus, quę in contrarium E adduci possunt, facilè præponderat. Immò Septuaginta in Bibliis Sixtianis eodẽ exordio vtuntur: & Lucifero, D. Athanasij synchrono, eius loci scholia illud attribuunt. Et Interpretes communiter illud tanquàm proprium interpretandum suscipiunt. Igitur illud, *Et factum est in diebus illis*, Hebraïsmus est in sacris Literis passim obuius; quem Euangelistæ frequenter imitantur, Matth. 9. num. 10. Marci 2. num. 15. Luc. 1. num. 8. & passim alibi. Cuius sensus est: Contigit autem in diebus illis. Sed, qui fuerunt illi dies? Abul. quæst. 1. A existimat, fuisse proximè sequentes. Dicit enim, pauco tempore post illam prophetiam superiori capite memoratam, hoc bellum insurrexisse.

Tertium, ac germanum huius capitis exordium, quod est in Vulgata.

Abul.

X. Nihilominùs, cùm illa prophetia contigerit, Samuele duodenne: hoc autem bellum, in quo Helì mortuus est, factum fuerit, Samuele trigesimum, aut quadragesimum annum agente; vt ex dictis cap. 3. num. 1. §. 4. constat: necesse est, inter illam prophetiam, & hoc bellum, annos decem & octo, aut viginti & octo interfluxisse. Vnde, cùm hic dicitur: *Factum est in diebus illis*: non intelligas proximè sequentes; sed eo interuallo, quo diximus, distantes. Dixi autem, *Bellum, in quo Heli mortuus est*: quia de priori bello, in quo quatuor millia ceciderunt, posset esse maior dubitatio: B an statim post illam Samuelis prædictionem contigerit. Nihilominùs, cùm vtrunque bellum per modum vnius factum fuerit; nec vnum ab altero, nisi vno, vel altero die abfuerit; vt Abulensis citatus ex Litera ostendit: idem ferè de vtroque iudicium ferendum est.

Quo tempore hoc bellum contigerit.

Abul.

XI. *Conuenerunt Philisthiim*, &c. Describitur vtriusque exercitus, Philisthæi scilicet, & Israëlitici, ad bellandum concursus. Vbi tria sunt explicanda: Quinam fuerint Philisthini? Qui deinde in hoc bello aggressores? Quæ tandem huius belli suscipiendi causæ?

Tria explicanda.

XII. Quod ad primum attinet: Philisthini, si genus spectes, fuerunt de stirpe Cham filij Noë: vt patet ex Genes. 10. num. 14. & 1. Paralipom. 1. num. 12. C Non quidem per filium eius Chanaan, sed per filium eius Mesraïm propagati. Vnde dici non debent Chananæi, nisi vel propter regionem Chananæam, in qua habitabant: vel propter affinitatem, quam cum Chananæis contrahebant: vt Abul. ad locum Paral. proximè citatum quæst. 11. confirmat. Nati sunt proximè ex duobus populis *Phetrusim, & Chassuim*; vt ex proximè citatis Scripturæ locis patet: qui suas inter se vxores liberè commutabant: vt sentiunt nonnulli Hebræorum: nescio, an aliqua in suos hostes maleuolentia suffusi. Nam Hebræos quidem Abul. ad locum Gen. citat. arguit falsitatis.

Philisthinorum genus.

Abul.

XIII. Patria illorum fuit Philisthæa, seu Philisthina, intra terminos terræ Promissionis inclusa; vt D Abul. hìc q. 2. & Exod. 13. q. 7. ostendit: quinque præcipuis vrbibus, seu prouinciis distincta, vt patet ex 1. Reg. 6. num. 5. quæ omnes ibidem, num. 17. & Ios. 13. num. 3. nominantur, & suis singulæ Regibus attribuuntur. Hæc autem regio maxima ex parte ad sortem Tribus Iudæ pertinebat, vt ex Iosue 15. à numer. 45. facilè colligitur: vbi præcipuæ vrbes Palæsthinæ in sorte Tribus Iuda recensentur: vt regia Tribus ex vicinitate hostium, quos subiicere noo posset, & cautior, & humilior redderetur. Philisthinorum religio fuit Idololatria. Innumera enim idola venerabantur. Vnde Philo Hebræus lib. De nobilitate, ad finem, vocat Palæsthinam *cultricem multorum Numinum.* Omnium famosissima fuerunt *Dagon*, id est, *frumen-* E *tum*. cap. sequent. num. 2. *Astaroth*, id est, *diuitiæ.* Iudic. 10. num. 6. *Beelzebub*, id est, *idolum muscarum.* 4. Reg. 1. num. 2. cui primas deferebant, & quem *Principem Dæmoniorum* appellabant. Luc. 11. num. 15. Vide in quantum miseriæ barathrum vana illa superstitio se præcipitauerit: quæ enim de sua potentia, & opulentia intumescebat; muscarum Deum omnium maximum iudicabat. Tandem Philisthini, si nominis etymologiam inquiras, *Potu cadentes* id est, *ebrij*, interpretãtur: quia illos, vt docet D. August. in Psalm. 82. *fecit ebrios luxuria secularis.* Quare D. Greg. hoc loc. in Philisthinis

Philisthinorum patria.
Abul.

Philisthinorum religio.
Philo.

Philisthinorum etymologia.
D. Aug.
D. Greg.



CAPITIS QVARTI ARGVMENTVM.

Pœnarum exequutio. *Triplex pœna infligitur.* *Prima.* *Secunda.* *Tertia.*



HACTENVS de reuelatione pœnarum propter peccata Heli, & filiorum eius vniuerso Israëli impendentium. Deinceps de exequutione illarum. Triplex igitur pœna in hoc cap. inflicta memoratur. Primo loco Israëlitæ à Philisthæis bello atteruntur, partim in fugam versi, partim ad quatuor circiter virorum millia occisi. Secundo loco, exercitum redintegrantes, & Areæ præsidio munientes, bellum repetunt, infeliciori successu: nam & populus partim fugit, partim ad triginta peditum millia occumbit; & Arca fœderis ab hostibus capta in terram alienam exportatur; & duo filij Sacerdotis Heli in prælio occiduntur. Tertio tandem loco, tristis è bello nuntius in vrbem refertur; qui & ciues in lacrymas soluit; & Sacerdotem Heli in interitum dedit repentinum; & vxorem Phinees in partum impulit immaturum. Suis singula locis minutiùs explicabo, &, sicubi opus erit, illustrabo.

Num. I. Et factum est in diebus illis, conuenerunt Philisthiim in pugnam. Et egressus est Israël obuiam Philisthiim in prælium: & castrametatus est iuxta Lapidem adiutorij. Porrò Philisthiim venerunt in Aphec.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Triplex huius capitis exordium.* *Primum tripliciter explicatur.* Septuag. Vatab. Pagnin. Clarius. *Primò.* D. Greg. Carthus.

ET *factum est*, &c. Aliter alij hoc Caput quartum exordiuntur. Primò, quidam vltima verba præcedentis Capitis reuocant ad initium sequentis, licèt paululùm immutata. *Et factum est*, inquiunt, *verbum Samuel ad omnem Israël.* Ita habent Septuaginta in Bibliis Regiis & Complutensibus, quos Vatab. Pagn. Isidorus Clarius, & alij sequuntur. Et potest tripliciter explicari. Primò, impletum est quidquid Samuel prophetarat. Ita colligitur ex Hebræo, vbi habetur: *Et fuit verbum Samuelis omni Israëli.* Hoc est: Euenit, quidquid prædixerat. Et videtur planior ac simplicior interpretatio, cui D. Greg. Carth. & alij subscribunt.

II. *Secundò.* Auctor trad. Angelom. Magister histor.

Secundò. *Factum est verbum.* Hoc est: Prolatum est verbum à Samuele, fore vt populus à Philisthæis vinceretur. Ita Auctor traditionum, & Angelomus. Si hæc expositio vera est; & Samueli prædicenti Israël non acquieuit; non immeritò suæ perfidiæ pœnas dedit, ab hostibus superatus. Nam, si Iosuë & seniores Israël, quando cum Gabaonitis pacem inierunt; omninò decepti sunt, quia *os Domini non interrogauerunt.* Iosue 9. numer. 14. quid mirum, si Israëlitæ modò decipiantur & puniantur; quia non solùm inconsulto Domino, sed etiam inuito, ad bellandum prodierunt? Paulò aliter Magister historiæ: *Factum*: hoc est, Prolatum est verbum à Samuele, quo præcepit Israëli, vt diuinos & ariolos, cæteráque & peccata, & peccandi nutrimenta, quæ habebat, procul amoueret: sin minùs à Deo grauiter puniendus. Credibile est,

A & illam prædictionem, & hanc admonitionem à Samuele factam, quamuis neutra in Litera exprimatur.

Tertiò. *Factum est*, seu, prolatum est verbum à Samuele, quo populum ad bellandum contra Philisthinos ex diuino oraculo incitauit. Sic aliqui Rabbini, quibus Vatabl. & Isidorus Clar. & noster Mariana assentiuntur: nec Salianus in suis Annalibus refragatur. Colliguntque ex eo, quòd maiores natu Israël in bello superati, posteà dixerunt: *Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim?* numer. 3. sequenti. Quasi dicerent: Si, Deo iubente, hanc expeditionem suscepimus: cur eum nobis adeò contrarium experimur, vt ab hostibus superemur? Non est im- III. *Tertiò.* Rabbini. Vatab. Clarius. Marian. Salian.

B probabilis expositio. Sæpè enim Deus ad pugnandum inducit, quos patitur in ipsa pugna superari: vt videre est Iudic. 20. à numer. 1. vbi Israëlitæ semel atque iterum ex diuino consilio contra Benjamitas decertarunt: & nihilominùs in vtroque prælio corruerunt, quadraginta hominum millibus, partim in vna, partim in altera pugna interfectis. *Deus sæpè ad pugnã inducit, quos patitur in ipsa pugna superari.*

Cuius euentus ratio multiplex ab Expositoribus inculcatur. Vna ex Caietano; quia Israëlitæ debitam diligentiam, humanam industriam, ac militarem prudentiam, vt par erat, non adhibuerunt. Deus autem quando imperat finem, vult, vt proportionata media applicentur: quare qui hæc negligit, illo frustratur. Secunda ex Lyra- IV. *Triplex ratio, cur Deus superari patiatur, quos ad pugnandũ induxit.* *Prima ex Caietano.* *Secunda ex Lyra.*

C no: *Quia nimis*, inquit, *confidebant in sua multitudine & fortitudine; ideò Dominus permisit, eos bis in prælio debellari, vt humiliarentur, & ad Deum recurrerent, magis confidentes de diuina virtute, quàm de sua.* Nec immeritò. Quia nulla esse potest præsentior arrogantiæ medicina, quàm humiliatio. Tertia ex D. Gregorio lib. 14. Moral. cap. 13. Quia Israëlitæ bono quidem zelo peccata Benjamitarum vlcisci voluerunt: sed sua ipsi priùs non expiarunt; cùm tamen, qui aliena peccata corripit, prius debeat in se ipso propria iugulare. *Tertia ex D. Greg.*

Quid est, inquit Greg. *quòd in vltionem sceleris inflammatur Israël; & tamen priùs ipse prosternitur: nisi, quòd priùs ipsi purgandi sunt; per quos aliorum culpæ feriuntur: vt ipsi iam mundi per vltionem ve-* V. *Qui puniunt aliorũ culpas, suis prægrauati à Deo puniuntur.*

D *niant, qui aliorum vitia corrigere festinant?* Et rem illustrat exemplo adulteræ, cuius accusatoribus dixit Christus Dominus: *Qui sine peccato est vestrûm, primus in illam lapidem mittat.* Ioan. 8. n. 7. De quibus Gregorius: *Ad aliena*, inquit, *punienda peccata ibant, & sua reliquerant. Reuocantur itaque intus ad conscientiam, vt priùs propria corrigant, & tunc aliena reprehendant.* Vbi obiter nota, malorum Prædicatorum impudentiam peiorem, quàm Pharisæorum. Nam hi suorum scelerum conscij, adulteram lapidare ausi non sunt: sed *vnus post vnum exibant, incipientes à senioribus.* Ibid. numer. 9. At illi suorum peccatorum non ignari, aliena peccata insectantur. *Pharisæi lapides mittere iubentur, qui suas à se culpas abiecerunt.* *Prædicatores mali, qui aliorũ mala criminantur, peiores Pharisæis.*

Sed ad hos pertinet illa Iudæ Apostoli admo- VI.

E nitio in sua Canonica, numer. 22. vbi loquens de quibusdam Hæreticis arguendis, subdit: *Hos quidem arguite iudicatos*: seu, vt ex Græco legi potest: *Hos quidem commiseramini iudicati.* Vbi in primis aduerte, pro verbo *arguendi*, poni verbum *commiserandi*, vt palàm fiat, Prædicatores, seu Prælatos arguere debere more commiserantium, non autem more sæuientium. Deinde, eos esse ad arguendum aptiores, qui iam iudicati sunt, id est, castigati & emendati: tum, quia memores proprij iudicij, mitiores se exhibent in alieno: tum, quia propriis culpis expurgati, alienas ac- *Prædicatores arguere debent, more miserantium, nõ sæuientium.* *Purgati à propriis culpis, ad purgandos alios accedant.*

commoda

commodatiùs expurgant. Hos igitur, inquit A Apostolus, arguite, iudicati. Quasi diceret: Postquàm iudicati & castigati & emendati fueritis, tunc ad alios iudicandos castigandósque accedite: cauete autem, ne antequàm propriis sceleribus renuncietis, aliena arguatis.

VII.
D.Greg.
Nemo alium persequi, aut vlcisci debet, sicut Deus: quia nemo sanctus est, sicut Deus.

Huc pertinet illa Iobi cum suis amicis expostulatio: *Quare*, inquit, *persequimini me, sicut Deus?* Iob. 19.num.22. Quasi diceret, vt bene Diuus Gregorius lib.14.Moral.cap. 24. interpretatur: *Deus*, inquit, *tantò iustiùs aliena vitia percutit; quantò in semetipso nihil habet vitiorũ: homines verè, cùm per disciplinam alios feriunt; sic alienam infirmitatem debent percutere, vt etiam ad suam nouerint oculos reuocare. Vos autem ita me de infirmitatibus meis affligitis; ac si ipsi more Dei, de infirmitate nihil habeatis.* B Has igitur ob causas, aut alias similes Num. 3. sequenti attingendas, potuit Samuel ex diuino oraculo præcipere Israëlitis, vt cum Philisthæis bellum susciperent; quamuis futurum esset, vt bello opprimerentur. Atque hæc de primo huius capitis exordio.

VIII.
Secundum huius capitis exordium.

Secundò, alij, nullis verbis ex præcedente capite huc adductis; immò nonnullis, quæ in Vulgata præferuntur, amputatis, sic exordiuntur: *Egressus est nanque Israel obuiam Philisthijm in prælium.* Ita est in Hebræis & Chaldæis exemplaribus: immò & in Latinis, quæ in Bibliis Regiis & Complutensibus circunferuntur: & sic legendum esse, iuxta antiquos codices, ad marginem Glossæ ordinariæ insinuatur: quam lectionem C Diuus Gregorius & Angelomus sequuntur: & Lucas Burgensis acerrimè tuetur. Et probat ex particula, *Nanque, quã*, inquit, *exemplaria cõstanter habent*: qua non probatur, Philisthæos venisse ad bellum; sed euenisse, seu impletum fuisse verbum Samuelis, vt in fine præcedentis capitis habetur: ergo immediatè post illam assertionem sequi debuit, tanquàm illius confirmatio in principio huius capitis: & proinde aliud eius exordium, quod in aliis exemplaribus habetur, vocat, *assutitium*: & quod minùs ferendum est, addit, *sutorem fuisse imperitum.* Nihilominùs Burgensis ratio non conuincit: tum, quia particula, *Nanque*, non in omnibus exemplaribus constanter reperitur; D cùm absit à Græcis & Latinis vulgatis; immò neque ex Hebræis & Chaldæis libris, ad quos ille prouocat, necessariò colligatur: nam in illis est particula ו *Vau*, quæ plerunque est copulatiua; & fortè nunquàm est causalis: vt Pagn. lib. Instit cap. 24. potiùs existimat. Et vt demus, hoc loco causalem esse: qui dicunt, Israëlitas Samuelis oratione excitatos bellum inchoasse; facilè admittent rationem reddi per eam particulam, cur Philisthini ad bellum venerint; quòd scilicet ab Israëlitis prouocarentur: vnde necessariò concedent aliud huius capitis exordium, in quo egressus Philisthinorum ad bellum contineatur.

D.Greg.
Angel.
Burgens.

Burgensis acrior huius exordij assertor reiicitur.

Pagnin.

IX.
Tertium, ac germanum huius capitis exordium, quod est in Vulgata.

Tertiò igitur dicendum, verum ac germanum huius capitis exordium esse, quod habetur in Vulgata; cuius auctoritas omnibus, quę in contrarium E adduci possunt, facilè præponderat. Immò Septuaginta in Bibliis Sixtianis eodẽ exordio vtuntur: & Lucifero, D. Athanasij synchrono, eius loci scholia illud attribuunt. Et Interpretes communiter illud tanquàm proprium interpretandum suscipiunt. Igitur illud, *Et factum est in diebus illis*, Hebraïsmus est in sacris Literis passim obuius; quem Euangelistæ frequenter imitantur, Matth. 9.num.10. Marci 2.num.15. Luc.1.num.8. & passim alibi. Cuius sensus est: Contigit autem in diebus illis. Sed, qui fuerunt illi dies? Abul. quæst 1. existimat, fuisse proximè sequentes. Dicit enim, pauco tempore post illam prophetiam superiori capite memoratam, hoc bellum insurrexisse.

Abul.

X.
Quo tempore hoc bellum contigerat.

Nihilominùs, cùm illa prophetia contigerit, Samuele duodenne: hoc autem bellum, in quo Heli mortuus est, factum fuerit, Samuele trigesimum, aut quadragesimum annum agente; vt ex dictis cap. 3.num.1.§.4. constat: necesse est, inter illam prophetiam, & hoc bellum, annos decem & octo, aut viginti & octo interfluxisse. Vnde, cùm hic dicitur: *Factum est in diebus illis*: non intelligas proximè sequentes; sed eo interuallo, quo diximus, distantes. Dixi autem, *Bellum, in quo Heli mortuus est*: quia de priori bello, in quo quatuor millia ceciderunt, posset esse maior dubitatio: an statim post illam Samuelis prædictionem contigerit. Nihilominùs, cùm vtrunque bellum per modum vnius factum fuerit; nec vnum ab altero, nisi vno, vel altero die abfuerit; vt Abulensis citatus ex Litera ostendit: idem ferè de vtroque iudicium ferendum est.

Abul.

XI.
Tria explicanda.

Conuenerunt Philisthiim, &c. Describitur vtriusque exercitus, Philisthæi scilicet, & Israëlitici, ad bellandum concursus. Vbi tria sunt explicanda: Quinam fuerint Philisthini? Qui deinde in hoc bello aggressores? Quæ tandem huius belli suscipiendi causæ?

XII.
Philisthinorum genus.

Quod ad primum attinet: Philisthini, si genus spectes, fuerunt de stirpe Cham filij Noë: vt patet ex Genes.10.num.14. & 1.Paralipom.1.num. 12. Non quidem per filium eius Chanaan, sed per filium eius Mesraïm propagati. Vnde dici non debent Chananæi, nisi vel propter regionem Chananæam, in qua habitabant: vel propter affinitatem, quam cum Chananæis contrahebant: vt Abul. ad locum Paral. proximè citatum quæst. 11. confirmat. Nati sunt proximè ex duobus populis *Phetrusim, & Chasluim*; vt ex proximè citatis Scripturæ locis patet: qui suas inter se vxores liberè commutabant: vt sentiunt nonnulli Hebræorum: nescio, an aliqua in suos hostes maleuolentia suffusi. Nam Hebræos quidem Abul. ad locum Gen. citat. arguit falsitatis.

Abul.

XIII.
Philisthinorum patria.
Abul.

Patria illorum fuit Philisthæa, seu Philisthina, intra terminos terræ Promissionis inclusa; vt Abul. hîc q.2. & Exod.13.q.7. ostendit: quinque præcipuis vrbibus, seu prouinciis distincta, vt patet ex 1.Reg.6.num.5. quæ omnes ibidem, num. 17. & Ios.13.num.3. nominantur, & suis singulæ Regibus attribuuntur. Hæc autem regio maxima ex parte ad sortem Tribus Iudæ pertinebat, vt ex Iosue 15. à numer. 45. facilè colligitur: vbi præcipuæ vrbes Palæsthinæ in sorte Tribus Iuda recensentur: vt regia Tribus ex vicinitate hostium, quos subiicere non posset, & cautior, & humilior redderetur. Philisthinorum religio fuit Idololatria. Innumera enim idola venerabantur. Vnde Philo Hebræus lib. De nobilitate, ad finem, vocat Palæsthinam *cultricem multorum Numinum.* Omnium famosissima fuerunt *Dagon*, id est, *frumentum*. cap. sequent. num. 2. *Astaroth*, id est, *diuitiæ*. Iudic.10.num.6. *Beelzebub*, id est, *idolum muscarum.* 4. Reg.1. num. 2. cui primas deferebant, & quem *Principem Dæmoniorum* appellabant. Luc. 11.num. 15. Vide in quantum miseriæ barathrum vana illa superstitio se præcipitauerit: quæ enim de sua potentia, & opulentia intumescebat; muscarum Deum omnium maximum iudicabat. Tandem Philisthini, si nominis etymologiam inquiras, *Potu cadentes* id est, *ebrij*, interpretãtur: quia illos, vt docet D August. in Psalm. 81. *fecit ebrios luxuria secularis.* Quare D. Greg. hoc loc. in Philisthinis

Philisthinorum religio.
Philo.

Philisthinorum etymologia.
D. Aug.
D. Greg.

N 4 malos

commodatiùs expurgant. Hos igitur, inquit A Apostolus, arguite, iudicati. Quasi diceret: Postquàm iudicati & castigati & emendati fueritis, tunc ad alios iudicandos castigandósque accedite: cauete autem, ne antequàm propriis sceleribus renuncietis, aliena arguatis.

VII. *D. Greg. Nemo alium persequi, aut vlcisci debet, sicut Deus: quia nemo sanctus est, sicut Deus.*

Huc pertinet illa Iobi cum suis amicis expostulatio: *Quare*, inquit, *persequimini me, sicut Deus?* Iob. 19. num. 22. Quasi diceret, vt bene Diuus Gregorius lib. 14. Moral. cap. 24. interpretatur: *Deus*, inquit, *tantò iustiùs aliena vitia percutit; quantò in semetipso nihil habet vitiorũ: homines verò, cùm per disciplinam alios feriunt; sic alienam infirmitatem debent percutere, vt etiam ad suam nouerint oculos reuocare. Vos autem ita me de infirmitatibus meis affligitis; ac si ipsi more Dei, de infirmitate nihil habeatis.* Has igitur ob causas, aot alias similes Num. 3. B sequenti attingendas, potuit Samuel ex diuino oraculo præcipere Israëlitis, vt cum Philisthæis bellum susciperent; quamuis futurum esset, vt bello opprimerentur. Atque hæc de primo huius capitis exordio.

VIII. *Secundum huius capitis exordium.*

Secundò, alij, nullis verbis ex præcedente capite huc adductis; immò nonnullis, quæ in Vulgata præferuntur, amputatis, sic exordiuntur: *Egressus est nanque Israel obuiam Philisthiim in prælium.* Ita est in Hebræis & Chaldæis exemplaribus; immò & in Latinis, quæ in Bibliis Regiis & Complutensibus circunferuntur: & sic legendum esse, iuxta antiquos codices, ad marginem Glossæ ordinariæ insinuatur: quam lectionem C Diuus Gregorius & Angelomus sequuntur: & Lucas Burgensis acerrimè tuetur. Et probat ex particula, *Nanque, quã*, inquit, *exemplaria cõstanter habent*: qua non probatur, Philisthæos venisse ad bellum; sed euenisse, seu impletum fuisse verbum Samuelis, vt in fine præcedentis capitis habetur: ergo immediatè post illam assertionem sequi debuit, tanquàm illius confirmatio in principio huius capitis: & proinde aliud eius exordium, quod in aliis exemplaribus habetur, vocat, *assutitium*: & quod minùs ferendum est, addit, *sutorem fuisse imperitum.* Nihilominùs Burgensis ratio non conuincit: tum, quia particula, *Nanque*, non in omnibus exemplaribus constanter reperitur; D cùm absit à Græcis & Latinis vulgatis: immò neque ex Hebræis & Chaldæis libris, ad quos ille prouocat, necessariò colligatur: nam in illis est particula ו *Van*, quæ plerunque est copulatiua; & fortè nunquàm est causalis: vt Pagn. lib. Instit. cap. 24. potiùs existimat. Et vt demus, hoc loco causalem esse: qui dicunt, Israelitas Samuelis oratione excitatos bellum inchoasse; facilè admittent rationem reddi per eam particulam, cur Philisthini ad bellum venerint; quòd scilicet ab Israëlitis prouocarentur: vnde necessariò concedent aliud huius capitis exordium, in quo egressus Philisthinorum ad bellum contineatur.

D. Greg. Angel. Burgens.

Burgensis acrior huius exordij assertor reiicitur.

Pagnin.

IX. *Tertium, ac germanum huius capitis exordium, quod est in Vulgata.*

Tertiò igitur dicendum, verum ac germanum huius capitis exordium esse, quod habetur in Vulgata: cuius auctoritas omnibus, quę in contrarium E adduci possunt, facilè præponderat. Immò Septuaginta in Bibliis Sixtianis eodẽ exordio vtuntur: & Lucifero, D. Athanasij synchrono, eius loci scholia illud attribuunt. Et Interpretes communiter illud tanquàm proprium interpretandum suscipiunt. Igitur illud, *Et factum est in diebus illis*, Hebraïsmus est in sacris Literis passim obuius; quem Euangelistæ frequenter imitantur, Matth. 9. num. 10. Marci 2. nom. 15. Luc. 1. num. 8. & passim alibi. Cuius sensus est: Contigit autem in diebus illis. Sed, qui fuerunt illi dies? Abul. quæst. 1. existimat, fuisse proximè sequentes. Dicit enim, pauco tempore post illam prophetiam superiori capite memoratam, hoc bellum insurrexisse.

Abul.

Nihilominùs, cùm illa prophetia contigerit, Samuele duodenne: hoc autem bellum, in quo Heli mortuus est, factum fuerit, Samuele trigesimum, aut quadragesimum annum agente; vt ex dictis cap. 3. num. 1. §. 4. constat: necesse est, inter illam prophetiam, & hoc bellum, annos decem & octo, aut viginti & octo interfluxisse. Vnde, cùm hic dicitur: *Factum est in diebus illis*: non intelligas proximè sequentes; sed eo interuallo, quo diximus, distantes. Dixi autem, *Bellum, in quo Heli mortuus est*: quia de priori bello, in quo quatuor millia ceciderunt, posset esse maior dubitatio: an statim post illam Samuelis prædictionem contigerit. Nihilominùs, cùm vtrunque bellum per modum vnius factum fuerit; nec vnum ab altero, nisi vno, vel altero die abfuerit; vt Abulensis citatus ex Litera ostendit: idem ferè de vtroque iudicium ferendum est. X.

Quo tempore hoc bellum contigerat.

Abul.

Conuenerunt Philisthiim, &c. Describitur vtriusque exercitus, Philisthæi scilicet, & Israëlitici, ad bellandum concorsus. Vbi tria sunt explicanda: Quinam fuerint Philisthini? Quideinde in hoc bello aggressores? Quæ tandem huius belli suscipiendi causæ? XI.

Tria explicanda.

Quod ad primum attinet: Philisthini, si genus spectes, fuerunt de stirpe Cham filij Noë: vt patet ex Genes. 10. num. 14. & 1. Paralipom. 1. num. 12. Non quidem per filium eius Chanaan, sed per filium eius Mesraïm propagati. Vnde dici non debent Chananæi, nisi vel propter regionem Chananæam, in qua habitabant: vel propter affinitatem, quam cum Chananæis contrahebant: vt Abul. ad locum Paral. proximè citatum quæst. 11. confirmat. Nati sunt proximè ex duobus populis *Phetrusim, & Chassuim*; vt ex proximè citatis Scripturæ locis patet: qui suas inter se vxores liberè commutabant: vt sentiunt nonnulli Hebræorum: nescio, an aliqua in suos hostes maleuolentia suffusi. Nam Hebræos quidem Abul. ad locum Gen. citat. arguit falsitatis. XII.

Philisthinorum genus.

Abul.

Patria illorum fuit Philisthæa, seu Philisthina, intra terminos terræ Promissionis inclusa; vt Abul. hic q. 2. & Exod. 13. q. 7. ostendit: quinque præcipuis vrbibus, seu prouinciis distincta, vt patet ex 1. Reg. 6. num. 5. quæ omnes ibidem, num. 17. & Ios. 13. num. 3. nominantur, & suis singulæ Regibus attribuuntur. Hæc autem regio maxima ex parte ad sortem Tribus Iudæ pertinebat, vt ex Iosue 15. à numer. 45. facilè colligitur: vbi præcipuæ vrbes Palæsthinæ in sorte Tribus Iuda recensentur: vt regia Tribus ex vicinitate hostium, quos subiicere non posset, & cautior, & humilior redderetur. Philisthinorum religio fuit Idololatria. Innumera enim idola venerabantur. Vnde Philo Hebræus lib. De nobilitate, ad finem, vocat Palæsthinam *cultricem multorum Numinum.* Omnium famosissima fuerunt *Dagon*, id est, *frumentum.* cap. sequent. num. 2. *Astaroth*, id est, *diuitiæ.* Iudic. 10. num. 6. *Beelzebub*, id est, *idolum muscarum.* 4. Reg. 1. num. 2. cui primas deferebant, & quem *Principem Dæmoniorum* appellabant. Luc. 11. num. 15. Vide in quantum miseriæ barathrum vana illa superstitio se præcipitauerit: quæ enim de sua potentia, & opulentia intumescebat; muscarum Deum omnium maximum iudicabat. Tandem Philisthini, si nominis etymologiam inquiras, *Potu cadentes* id est, *ebrij*, interpretãtur: quia illos, vt docet D. August. in Psalm. 82. *fecit ebrios luxuria secularis.* Quare D. Greg. hoc loc. in Philisthinis XIII.

Philisthinorum patria. Abul.

Philisthinorum religio. Philo.

Philisthinorum etymologia. D. Aug. D. Greg.

malos Angelos agnoscit, qui in veritate non steterunt tanquam ebrij; sed per abundantiorem potum superbiæ, perdiderunt statum æternæ vitæ.

XIV. *Philisthini sæpè dicuntur alienigenæ.* Sed notandum, Philisthinos in Scriptura frequenter alienigenas appellari. Psal. 59. n. 10. *Mihi alienigenæ subditi sunt.* Psal. 82. num. 8. *Alienigena cum habitantibus Tyrum.* Psal. 86. num. 4. *Ecce alienigenæ, & Tyrus*, &c. In quibus locis alienigenæ pro Philisthinis ponuntur, vt Interpretes aduertunt. Immò addit D. Hieron. in illa verba: *Super tribus sceleribus Gazæ.* Amos 1. n. 6. vbicunque in veteri Testamento Allophyli, id est, alienigenæ, leguntur; non esse commune nomen omnium externarum Gentium, sed proprium Philisthinorum. Quod an perperuò verum sit, interim non disputo. Certè Diuus Ambr. lib. 1. Offic. cap. 29. præsentem locum ita transtulit: *Conuenerunt alienigenæ ad pugnam*: hoc est, Philisthini.

D. Hier.

D. Ambr. *Ratio, vt honestiori vocabulo hostes nominantur.* Sed, cur iniquissimi hostes alienigenæ vocabantur, cùm hoc vocabulum in quoscunque homines externo solo natos, etiam iustissimos poterit conuenire? Optimam ad mores rationem reddit D. Ambrosius citatus: *Aduersarios, inquit, molli veteres appellatione nominabant. Hostes enim antiquo ritu peregrini dicebantur. Quod de nostris assumptum dicere possumus. Aduersarios enim suos Hebræi allophylos, hoc est, alienigenas, Latino appellabant vocabulo.* Vbi D. Ambr. in primis Gentilium hominum modestiam commendat; qui etiam suos hostes cum magna charitate ac reuerentia nuncupabant, iuxta illud Ciceronis lib. 1. Offic. *Hostis*, inquit, *apud maiores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.* Vt enim veteres à duriori hostis vocabulo abstinerent, mitiori vocabulo *peregrini* vtebantur. Deinde asserit, eam consuetudinem è sacris Literis defluxisse: quod sicut confirmat ex præsenti loco, in quo Philisthini, non hostes, sed alienigenæ dicuntur; ita ex multis aliis posset confirmare. Nam Dauid hostes sibi dirissimos humanioti vocabulo appellabat filios alienos: *Fily*, inquit, *alieni mentiti sunt mihi. Filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.* Psalm. 17. n. 46. Et iterum: *Erue me de manu filiorum alienorum, quorum os loquutum est vanitatem.* Psal. 143. numer. 11. Et passim alibi, non hostes appellat, sed filios; non crudeles & iniustos, sed tantùm alienos.

Ethnici suos hostes vocabant peregrinos.

Cicero.

Dauid aduersarios suos vocabat filios alienos

XV. *Etiam hostes, appellandi fratres.* Nec mirum, hostes tam miti vocabulo dici alienigenas; cùm etiam mitiori fratres debeant appellari. Vnde, cùm olim populus Israël Deum consuleret circa bellum contra Benjamitas suscipiendum: *Debeo*, inquit, *vltrà procedere ad dimicandum contra filios Benjamin, fratres meos, an non?* Iud. 20. num. 23. Vbi Lyranus: *Per hoc*, inquit, *quòd fratres vocarent illos, quos impugnant, ostenditur, quòd licet vitia sint punienda; natura tamen est diligenda.* Hebræorum Principes ac Dynastæ ex captiuitate Babylonica in patriam restituti, tanta populum tyrannide opprimebant, quanta illum ne ipsi quidem Babylonij oppresserunt. Quid ergo populus? *Factus est*, inquit Textus, *clamor populi, & vxorum eius magnus aduersus fratres suos.* 2. Esdr. 5. numer. 1. Vbi vides, populum tam multis iniuriis lacessitum, fratres appellasse eos homines, qui durissimam contra illum tyrannidem exercebant: ac si, ne hostiles quidem iniuriæ fraternam in animo charitatem obliterarent.

Lyra.

XVI. *Christus Dominus suos aduersarios fratres appellabat.* Certè Christus Dominus acerbissimis cruciatibus à Iudæis dilaniatus exclamabat: *Extraneus factus sum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ.* Psal. 68. num. 9. Fratres appellabat, quos non immeritò appellare posset durissimos carnifices ac tortores. Et vt intelligas, propter hominum in

A Christum Dominum crudelitatem, Christi Domini in homines charitatem non extingui; sed eò maiores in flammas amoris erumpere, quò maiores in flammas furoris homines excandescebant: aduerte, Christum Dominum, antequàm ab hominibus extremas iniurias actus in crucem pateretur, suum populum patruelis nomine affecisse: *Cantabo*, inquit, *dilecto meo canticum patruelis.* Isai. 5. num. 1. Quæ cognatio remotior est, quàm fraterna; patrueles enim filij sunt ex fratribus, non fratres: at verò postquàm ab hominibus iniquissimè tractatus est, & ad turpissimam crucis mortem condemnatus; tunc, cùm omne vinculum necessitudinis anteà cum homine contractæ, propter tam insignem perfidiam rescindendum videretur; maiori æstuasse amoris affectu, & arctiori cum homine cognatione se constrinxisse; nec iam patruelem, vt anteà, sed fratrem vocasse. Auctor enim salutis humanæ, inquit Apostolus, per passionem consummatus, *Non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis.* Hebr. 2. num. 11. & Psal. 21. num. 23.

Christus Dominus, nondum à Iudæis crucifixus, suum populum vocat patruelem; crucifixus fratrem.

B

XVII. *Olim in Ecclesia omnes fideles dicebantur fratres.* Cùm igitur hostes & à Sanctis, & à Sancto Sanctorum, Christo Domino, fratres appellentur; quid mirum, si domestici ac familiares debeant fratres appellari? Olim quidem sub initium nascentis Ecclesiæ omnes fideles, veluti per antonomasiam, fratres dicebantur: vt Tertul. in Apolog. cap. 39. & lib. De coronamilitis, cap. 1. & Clemens Alex. lib. 2. & 5. stromatum, pluresque alij testantur. Vnde est illud: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum, non ad mortem, petat, & dabitur ei vita.* Ioan. 5. numer. 16. Vbi D. August. tom. 4. lib. 1. De serm. Domini in monte, cap. 43. *Fratres*, inquit, *Christianos significari multis diuinarum Scripturarum documentis probari potest. Sed manifestissimum est illud, quod Apostolus ita ponit: Sanctificata est*, inquit, *mulier infidelis per virum fidelem.* 1. Corinth. 7. n. 14. seu, vt ipse August. legit: *Sanctificata est mulier infidelis in fratre*: hoc est, in Christiano, qui absolutè dicitur frater. Vnde paulò antè, num. 12. ait Apostolus: *Si quis frater vxorem habet infidelem*: hoc est, si quis Christianus. Et paulò pòst, n. 15. *Non*, inquit, *seruituti subiectus est frater, aut soror*: id est, Christianus, aut Christiana. Itaque germana charitas ad omnes se fundit & propagat; & non solùm domesticos, sed etiam hostes fratres appellat; aut saltem alienigenas, in quo vocabulo nihil odij, aut inuidiæ continetur.

Tert.

Cl. Alex.

C

D. August.

D

XVIII. *Altera res explicanda.* Quod ad secundum attinet: Dubitari potest, Israëlitæne, an Philisthini, priores ad bellum suos hostes prouocarint. Exemplaria in Bibliis Regiis & Complutensibus citata, significare videntur, Israëlitas fuisse aggressores, dum sic habent: *Egressus est nanque Israël*, &c. Nam illa particula causalis, *Nanque*, supponit, Philisthinos conuenisse in pugnam, non ad inferendam, sed ad repellendam iniuriam; neque suapte sponte ductos, sed ab Israëlitis prouocatos. Reddit enim rationem, cur Philisthini ad pugnam conuenerint: quia, scilicet, egressus fuerat Israël in prælium. Nihilominùs vulgata editio nouissimè emendata potiùs tribuere videtur initium huius belli Philisthinis: tum, quia Græcos & Hebraïcos fontes sequuta, vt paulò antè diximus, excludit illam particulam causalem, *Nanque*, & eius loco reponit copulatiuam, *Et rum*, quia priùs memorat, Philisthinos ad pugnam conuenisse, & posteà egressos fuisse Israëlitas, vt narrationis ordo rerum ordini responderet: tum, quia subdit, Israëlitas egressos fuisse obuiam Philisthinis: nemo autem dicitur, obuiam alteri procedere, nisi viam iam aggredienti: atque adeò

Israëlitas fuisse aggressores, quid probet?

E *Probabilius, fuisse Philisthinos.*

adeò priùs Philisthini, quàm Israëlitæ ad pugnandum concurrerunt.

XIX. *Confirmatur hoc pars.*

Quod mihi facilè persuadeo: quia Philisthini sub id temporis tanquàm acerrimi hostes, & strenuissimi bellatores arma tractabant; vt patebit ex sequentibus, præsertim c. 13. à n. 19. vbi dicuntur, omnem armorum vsum sibi vsurpasse: nullum Israelitis permisisse. At verò Israelitæ sequuti pessima exempla filiorum Heli, otio ac deliciis indulgebant. Nihil autem viriles animos magis emasculat & eneruat ad pugnandum, quàm voluptas: vt suo loco illustrabo. Vnde hostes prouocaro non auderent; sed satis superque facere sibi viderentur, si propulsarent. Et fortè, ne ad repellendam quidem iniuriam pares animos haberent; nisi ad id, Samuelis oratione, vt paulò antè ex Hebræis diximus, animarentur. Quare à Samuele stimulati, ex ea ignauia & socordia, in qua sepulti iacebant, edormierunt; & ad arma capessenda, vix vi gressus maturarunt.

XX. *Populi fortitudo Samueli tribuenda.*

Bonum pugnæ auspiciū, non expectare hostem, sed ei occurrere.

Vnde non eorum virtuti, sed Samuelis orationi mihi videtur tribuendum illud fortitudinis exemplum, quod in aggrediendo hoc prælio præbuerunt; dum hostem intra castra non expectarunt, sed aggredienti obuiam processerunt. Quod olim optimum pugnandi augurium, seu initium credebatur. Vnde Moyses ad Iosue contra Amalecitas pugnaturum: *Elige*, inquit, *viros; & egressus pugna contra Amalech.* Exod. 17. n. 9. Ac si feliciùs pugnaturus crederetur, si obuius suis hostibus exiret; quàm, si venientes expectaret. Hinc est, quòd Ionathas Philisthinos aggressurus hanc cum suo armigero inierit pactionem: *Cum*, inquit, *apparuerimus eis, si taliter loquuti fuerint ad nos; Manete, donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. Si autem dixerint; Ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris.* 1. Reg. 14. num. 9. & 10. Quasi hoc signum proponeret: si nobis obuij egredientur, feliciter dimicabunt; si intra suos limites manebunt, infeliciter: quare illos manentes oppugnemus; egredientes autem fugiamus. Et certè rei euentus probauit consilium: vt ibi iterum aduertemus.

XXI. *Duplici exemplo bonitas illius auspicij confirmatur.*

Pari ratione Timotheus castrametatus trans torrentem, & pugnaturus cum Iuda Machabæo, priùs cum suis militibus sic statuit: *Cum*, inquit, *appropinquauerit Iudas, & exercitus eius ad torrentem aquæ: si transierit ad nos prior; non poterimus sustinere eum; quia potens poterit aduersum nos: si verò timuerit transire, & posuerit castra extra flumen: transfretemus ad eos, & poterimus aduersùm illos* 1. Mach. 5. n. 40. Itaque feliciùs decertare credebatur, qui venienti hosti obuius occurrebat. Sic olim Achab Rex Israël à Propheta Domini admonitus, non se continuit intra muros Samariæ, quibus clausus tenebatur; nec Syrorum aggredientium impressionem suis septus mœnibus expectauit: sed cum exiguo puerorum agmine in apertam aciem prodiuit; tam prospero euentu, vt non solùm singuli pueri singulos hostes primùm obuios strauerint; sed immensas hostium phalanges cum suo quoque Rege Benadad, fuderint, disiecerint, fugarint. 3. Reg. 20. à 13. Tam felix pugnandi auspicium ab egressu de muris, seu castris in arenam desumebatur; nisi fortè, aduerso Numine, pugnaretur: vt planè contigit Israelitis. Qui quidem, quia bonæ conscientiæ præsidio destituti, Deóque offenso exarmati in puluerem descenderunt, infeliciter dimicarunt. Non procedit enim ausus humanus, quem diuinus non prouehit afflatus.

Offenso Numine præliantes, infeliciter præliantur.

XXII. Quæret aliquis sub quo duce egressus fuerit A Israel in prælium? Nam in Litera non exprimitur. Non fuit in primis Samuel, quia is nondum erat Iudex, futurus post obitum Heli: ad quem proinde belli faciendi, exercitúsque ductandi ius non pertinebat: nec videtur ad id muneris electus; cùm sub id temporis non arma, sed oracula tractaret. Non Heli, quia is, sicut in posteriori bello in vrbe remansit, vt ex Num. 13. patebit: ita videtur, in priori remansisse: præsertim sua eum & ætate, & cæcitate à bello exauctorante. Quis ergo? Alter fortasse ex eius filiis, aut quis similis, quem in re trepida raptim ac tumultuariè elegissent: ab Scriptura non nominatum; quia, cùm nihil memoria dignum egerit; dignus fuit, qui silentio inuolueretur. Sed quis militum numerus? Ne-B que hunc Litera expressit. Fortasse, quia, cùm omnes præproperi & turbati ad bellum conuenerint; neque censeri capita, neque describi ordines, neque distribui phalanges, neque tandem numerari milites potuerunt.

Hebræorum dux in hoc prælio non nominatur; forte, quia nihil memoria dignum fecit.

Militum numerus incertus; fortè, quia raptim collectus.

XXIII. *Vniuersalis causa bellorū inter Israelitas, & Philisthinos.*

Quod attinet ad tertium: Causa & radix omnium bellorum inter Israëlitas & Philisthinos fuit ius, quod Deus contulit Israëlitis ad terram Chanaan occupandam: vt patet ex Genes. 11. n. 7. & Gen. 13. n. 14. & Gen. 15. n. 18. & passim alibi. Vnde illud: *Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hereditatis vestræ.* Psal. 104. n. 11. Cùm ergo Philisthæa in terra Chanaan includeretur, vt diximus; ius habebant Israëlitæ in Philisthinos. Hi verò è contra ius habere sibi videbantur ad tuendos C fines suos, & Israelitas propulsandos; vel quia nesciebant ius Israëlitis à Deo datum; vel quia contemnebant. Vnde acre vtrinque bellum deflagrabat: quod incepit mortuo Iair, Iudice Israelis. Tunc enim, cùm Israëlitæ septem idola colerent, Iud. 10. num. 6. traditi à Deo sunt in potestatem septem Gentium puniendi. Ibidem, n. 11. vt pœna culpæ responderet: & septem idololatriæ, septem captiuitatibus expiarentur, vt Lyranus ad eum locum obseruauit. Sed primùm Philisthæis decem & octo annis; postea annis quadraginta seruierunt: vt patet Iud. 10. n. 8. & Iud. 13. n. 1. è quorum seruitute per Samsonem liberati, aliquod tamen tributum soluere cogebantur, vsque ad regnum Dauidis, qui hoc eos onere liberauit, cùm *percussit* D *& humiliauit Philisthiim, & tulit frænum tributi de manu eorum.* 2. Reg. 8. n. 1. Quamuis nunquàm hi hostes deleri omnioò potuerint de terra Chanaan, sed in ea vsque ad tempora Machabæorum perseuerarint: vt patet ex 1. Machab. 3. num. 24. Nam Deus, etsi promiserit eam terram Israëlitis quoad ius eam oppugnandi; non tamen quoad rem, seu quoad vsum eam possidendi: semper enim aliquot hostes in medio Hebræorum conseruauit.

Israëlitæ septem idola seruientes, septem Gentibus traduntur puniendi. Lyra.

Semper hostes in medio Hebræorum à Deo conseruati.

XXIV. *Bellicā Hebræorum fortitudinē excitabant Philisthini.*

Cuius rei duplex ratio esse potest, vt alias omittam, quas in 1. Tom. Annot. 6. Sect. 1. iam attigi. Vna ex Lyrano: *Vt*, inquit, *filij Israël habentes aduersarios prope se, exercerentur in prælio, & non fierent ignaui.* Quo consilio Scipio ille Romanus, E auctore Liuio, desiderabat, ne vnquam Carthago euerteretur: veritus, ne cum illa pariter euerteretur Romana fortitudo, quam Carthago suis bellis, veluti cos gladium, acuebat. Altera, ex eodem: *Vt essent*, inquit, *homines solliciti seruare mandata Dei: quia quando ea transgrediebantur, ab aduersariis sibi propinquis affligebantur; & quando seruabant, eis dominabantur.* Nec aliter sentit Theod. quæst. 6. in Iudices: *Hostes*, inquit, *propè illos habitare permisit Deus; vt expugnati, & in seruitutem redacti, procedens ab errore damnum sentirent, & confugerent ad conseruatorem Deum, eiúsque beneficiis fruerentur.* Et in

Lyra. Liuius.

Lyra. *Hostes à Deo permittebantur; vt Hebræi diuina mandata obseruarent.* Theod.

D. Greg. *Leuiora peccata etiam in hominibus iustis permittuntur: vt cautius in timore viuant.*

in hunc modum, vt bene norat D. Greg. lib. 4. moral. c. 12. permittit Deus, vt etiam in hominibus iustis, quædam minima vitia inter magnas virtutes ad vsum nostræ vtilitatis retineantur: *Vt se se*, inquit, *nostra intentio sollicitam in certamine semper exerceat: & eo de victoria non superbiat, quo viuere in se hostes conspicit, à quibus adhuc vinci formidat.*

XXV.

Propria huius belli causa, difficilis inuentu.
Diuturna pax inter Hebræos, & Philisthæos.

Hæc de generalibus bellorum caussis inter Israelitas & Philisthinos. Propria autem causa huius belli, de quo hìc agitur, in Litera non exprimitur. Et eò mihi videtur difficilior inuentu, quò diuturnior pax inter Hebræos, Philisthæósque præcesserat, aut certè longiores induciæ interfluxerant. Nam totis quadraginta annis, quibus Heli iudicauerat Israelem; vt interim de multis annis ab interitu Samsonis retrò lapsis, nihil dicam; siluerant arma, posuerant bellorum turbines, & aurea quædam tranquillitas & serenitas vernauerat. Crediderim verò, hanc pacem tam diuturnam, non sine peculiari Numinis prouidentia contigisse. Nam in tanta Heli socordia, & filiorum ignauia, & totius populi inertia, si quis belli tumultus paulò acrior intonuisset: quò non inuertisset Reip. statum? Quò non allisisset? Quò transuersam non dissipasset? Quamuis naturalis quoque ratio non desit, quæ bellicos tumultus tanto tempore consopierit. Nam Hebræi suis obruti deliciis, suis voluptatibus immersi, nihil minùs, quàm de arripiendis armis, & repellendis hostibus cogitarunt. Philisthini verò, fractis animis, & attritis viribus ex illa celebri pugna, & victoria Samsonis, in qua totum robur Palæsthinæ iuuentutis, & primariæ nobilitatis consumpsit, & plures moriens, quam viuens interfecit, Iud. 16. num. 30. bellum repetere nequaquàm potuerunt. Vnde consequuta pax diu stetit, diremptis vtrinque hostibus: Hebræis quidem per excessum deliciarum: Philisthæis verò per virium defectum. Et obiter nota, Philisthinos à Samsone strenuè contusos & contritos, diu bellum renouare nequiuisse; in symbolum pugnæ, & victoriæ de spiritualibus hostibus; qui, cùm fortiter repelluntur & superantur, ita imbelles cedunt, vt pugnam repetere & redintegrare diu reformident, & perhorrescant.

Orta ex secul. Dei prouidentia, propter Hebræorū sub id temporis ignauiam.
Orta etiam ex ignauia Hebræorum, propter suas delicias: & impotentia Philisthæorū propter clades acceptas.
Vt Philisthini; sic spiritualis hostes fortiter victi, bellum repetere non audent.

XXVI.

Propria huius belli causa, multiplex assignatur.
Abul.
Recordatio iniuriarum.
Deus Philisthinos in Hebræos armabat.

Cùm igitur tam diuturna pax floruerit; vnde tam subita bellorum tempestas intonuit? Abul. q. 2. vnam è duabus causis suspicatur: vel, quia Philisthæi maiora tributa imperabant: vel, quia Israëlitæ debita non soluebant. Addo, altè in animis Philisthinorum insedisse ingentem illam stragem, quam in templo Dagonis à Samsone acceperunt. Quam iniuriam, quò diutiùs dissimularunt, eò nunc atrociùs vindicabant: & nutritas per tot annos odiorum flammas insolentiùs euomebant. Ad hæc, mihi videtur Deus Philisthinos, tanquàm milites suos armasse, & in aciem eduxisse contra insensatos; ad Heli ignauiam, & filiorum iniurias, & totius populi culpas vlciscendas: & quemadmodum Samuel Hebræos incitauit ad bellum, vt punirentur; ita Deum impulisse Philisthinos, vt punirent: & quidem tempore opportuno, quo Hebræi diu iam ab armis desueuerant, otio ac deliciis torpuerant, nullos hostium impetus metuebant, tuta omnia ac tranquilla existimabant; vt quò illis pax iucundior arridebat, eò mors inopinata terribilior videretur.

XXVII.

Locus castrorum Israelis ad Lapidem adiutorij.

Et castrametatus est, &c. Post vtriusque populi excursum ad bellandum, describitur vtriusque in loco apto castrametatio. Hebræi quidem iuxta *Lapidem adiutorij*: Philisthini iuxta vrbem *Aphec* castra locarunt. Vterque locus aliquo indiget explicatu. Lapis adiutorij ille est, quem Samuel, parta victoria de Philisthæis, in gratiarum actionem Deo erexit, & consecrauit, paulò inferiùs cap. 7. num. 12. Vnde, quando hoc bellum gestum est, nondum hic locus dicebatur *Lapis adiutorij*, seu *Abenezer*, vt est in Hebræo, & vt Septuaginta in Biblijs Sixtianis, & Vatablus retinuerunt. Quare hoc loco, vel per prolepsim, seu anticipationem memoratur; vel quia eo tempore, quo hæc scripta sunt, iam erat erectus, ac Deo nuncupatus. Similes loquutiones passim in sacris Literis occurrunt. Nam Gen. 7. n. 8. dicuntur quædam animalia munda, quædam immunda: quæ tamen paulò pòst in lege, munda, vel immunda esse statuuntur. Item Gen. 9. n. 22. dicitur Cham pater Chanaan: cùm tamen sub id temporis nondum filium genuisset. Rursus Gen. 12. num. 8. dicitur Abram tetendisse tabernaculum suum, ab Occidente habens Bethel; cùm tamen multò posteà à Iacobo impositum fuerit illi loco nomen Bethel: vt Genes. 28. num. 19. videre est. Præterea Genes. 21. num. 14 dicitur Agar errare in solitudine Bersabee: cùm tamen is locus nomen Bersabee posteà acceperit: vt ex Genes. 26. num. 31. patebit. Deinde Ezech. 30. num. 14. dicitur Deus facturus iudicia in Alexandria; cùm tamen ea vrbs sub id temporis appellata fuerit *No*, vt est in Hebræo: & Aquila, & Symmachus, ac Theodotio transtulerunt: posteà verò ab Alexandro dicta fuerit Alexandria. Quod D. Hieronymus illustrat exemplo Mantuani, qui de suo Ænea cecinit 1. Æneid.

Septuag.
Vatab.
Lapis adiutorij dicitur hoc loco per prolepsim.
Similes in Scriptura loquutiones.
Aquila.
Symmach.
Theodot.
D. Hier.
Virg.

Italiam fato profugus, Lauináque venit
Littora.

Cùm tamen multò post, ab oppido Lauinio, quod ibi Lauinia Latini Regis filia ædificauit, nomen inuenerint. Similia exempla in nouo Testamento passim occurrunt. De qua re Cantapetrensis lib. 5. hypotypos. cap. 1. & Salmer. tom. 1. Prolog 12. can. 12. in figura *Anadiplosis*, latè differentes consulantur. De more autem erigendi lapides in trophæum victoriæ, ac diuini beneficij monumentum. cap. 7. seq. num. 12. plura dicemus.

Cantapetr.
Salmer.

XXVIII.

Locus castrorum Philisthinorum ad vrbem Aphec.
Duplex Aphec.
Philisthini iuxta, vel intra priorem Apheca.

Aphec autem, seu Apheca, duplex est: quædam enim est ciuitas in sorte Iudæ, vt patet Iosue 15. n. 53. Altera in sorte Aser, vt patet Ios. 19. n. 30. De priori autem sermo est hoc loco: quia illa ad sortem Iuda pertinebat, in qua, vt diximus, Philisthini morabantur. In hac igitur, seu iuxta hanc castrametati fuerunt Philisthini: hoc est, vel propè hanc vrbem castrorum monumenta posuerunt, vt essent expeditiores ad Israelitas inuadendos; vel vrbem ipsam ingressi, eius muris pro castris vsi sunt; quod potius colligitur ex vulgata Litera, cùm ibi nulla fiat castrorum mentio, sed solùm dicuntur Philisthini venisse, id est, ingressi fuisse in Aphec: quamuis Hebraïce idem pro Hebræis, & Philisthæis verbum ponatur, חָנָה (*chanah*. quod est, castrametari: & similiter Græcè idem pro vtrisque, *παρεμβάλλω*, quod præter alias significationes, hanc etiam habet castrametandi. Sed bono fortasse augurio in hanc vrbem Philisthini conuenerunt. Nam Aphec, interprete Rabbano, perseuerantiam significat, sine qua felices bellorum euentus non consistunt: vt tom. 1. Annot. 20. Sect. 2. §. 8. aduertimus. Hebræi verò sinistro alite sua castra posuerunt ad illum lapidem nondum adiutorij dictum, sed in Tribu Dan, teste Adrichomio, collocatum; vt eodem, quo autor illius Tribus, infortunio abriperentur. Quamuis Angelomus inuerso modo philosophatus, *nouum furorem* interpretatur Aphec: vbi Philisthini, seu

Philisthini in bono auspicij loco castrametantur.
Rabban.
Hebræi in loco mali auspicij.
Adrichom.
Angel.
Alij contrà, locum Philisthinorū inauspicatum; Hebræorum fortunatum ducunt.

Dæmo

Bonum Hebræis auspicium non profuit.

Dæmones excubant in homines ruituri. Sub lapide verò adiutorij Christum Dominum intelligit, qui, vt petra refugij confugientibus ad se patrocinatur. Cæterùm Iudæi, addit Rupertus, qui lapidem angularem Christum Dominum reprobauerunt, nullum ex hoc lapide adiutorium reportarunt.

Num. II. Et instruxerunt aciem contra Israël. Inito autem certamine, terga vertit Israël Philisthæis: & cæsa sunt in illo certamine passim per agros quasi quatuor millia virorum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.
Castrametari, & aciem instruere differunt.
Lipsius.
Non Hebræi, sed Philisthini aciem instruxerunt.
Turba militum sine ordine, victima ad mortem.

ET *instruxerunt aciem*, &c. Aliud est castrametari, aliud aciem instruere: vt videre est apud Lipsium lib. 4. & 5. De Militia in Polybium. Illud enim ad tuendos proprios milites; hoc ad externos hostes debellandos pertinebat. Quamuis igitur & Israelitæ, & Philisthini superiori num. dicantur, suos milites, castris, seu muris circumuallasse; soli tamen Philisthini dicuntur aciem instruxisse. Qua in re & illorum vituperatur imperitia, & horum prudentia commendatur. Nam, vt bene Vegetius de re militari: Turba militum sine ordine, non est aliud, quàm victima hostium: quia non difficiliùs tumultuarij milites ab hostibus, quàm victimæ à Sacerdotibus mactantur. Vnde olim Deus: *Ecce ego*, inquit, *visitabo super tumultum Alexandriæ.* Ier. 46. n. 25. vbi populus Alexandrinus, tumultus appellatur: vt insinuetur illa præpostera & tumultuaria ciuium numerositas, quæ Alexandriæ morabatur, apta esse, vt hostium incursionibus pateret, & funeribus facile inuolueretur.

II.
Militum acies ordinata tam pulchra, vt prato, ac cælo comparetur.

Contra verò exercitus in suos ordines optimè distributus, non solùm est ad oculorum speciem pulcherrimus, sed etiam ad incutiendum hostibus pauorem quàm aptissimus. Pulchritudinem videre vis? Quid speciosius prato suis floribus distincto? Quid ornatius cælo suis syderibus picturato? Atqui exercitus optimè instructus, vtrique in sacris Literis confertur, ne dicam, antefertur. Prato quidem florentissimo, iuxta illud oraculum Baalami, qui, cùm videret Israeliticum exercitum per Tribus suas commorantem, exclamauit: *Quam pulchra tabernacula tua, Iacob, & tentoria tua, Israël? Vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui*, &c. Numer. 24. n. 25. Cælo autem syderibus micanti, iuxta illud: *Igitur perfecti sunt cæli, & omnis ornatus eorum.* Gen. 2. n. 1. seu, vt est In Hebræo: *Et omnis exercitus eorum*: id enim significat, צבאם, *Tsbaam*, quod ibi ponitur: ac si totius cæli decus, & pulchritudo meliùs non posset explicari, quàm si exercitus vocaretur. Inde fit, vt sæpè in Scriptura,

Stellarum multitudo, militia cælestis dicitur.

stellarum multitudo, militia cæli appelletur: vt videre est 4. Reg. 17. n. 16. & 2. Paral. 33. n. 3. & Isai. 24. n. 21. & Ierem. 19. n. 13. quasi non minorem exhibeant oculis pulchritudinem castra, quàm astra. Nam sicut his nihil est in cælo spectabilius: ita illis nihil est in terra speciosius.

III.
Acies ordinata hostes incredibiliter terret.

At terrorem quantum incutiat armata cohors, vel ex eo patet, quòd Ecclesia dicatur *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Cant. 6. num. 3. & 9. Nam ille terror, quem Ecclesia Christi sanguine purpurascens tartareis etiam incutit legionibus, non meliùs quàm per eum terrorem, quem ordinata acies iniicere solet, explicatur: vnde cùm Propheta Nahum magno terrore vellet Niniuitas consternare, Chaldæorum exercitum in excidium Niniues ruiturum illis proposuit ob oculos spectandum: *Clypeus*, inquit, *fortium eius ignitus; viri exercitus in coccineis; ignea habenæ currus in die præparationis eius.* Nahum 2. n. 3. Quasi diceret: Hæc acies optime ordinata, ignem spirabat, & sanguinem; vt Niniuitas perterreret. Vnde illi milites aptè ad bellandum ordinati, non immeritò *fortes, & viri*, antonomasticè dicebantur, quia nihil nisi viriles animos, & masculam virtutem ad terrendum afferebant, omni fœminea timiditate amputata. Hinc enim, interprete D. Isidoro lib. 9. Etym. c. 2. dicta

D. Isidor.
Castra, quasi casta: quia soli in eis viri.

sunt *castra, quasi casta; eò quod ibi castraretur libido; quia nulla eis mulieres intererant.* Cùm igitur acies optimè instructa ad bellandum aptissima sit; tumultuaria verò ac dissipata, ineptissima: Israelitæ, qui sub id temporis, deliciis potiùs, quàm armis studebant; nec tam bella, quàm bellaria curabant, incomposito agmine ac tumultuario milite ad pugnam, seu potiùs ad cædem prodierunt, non tam bellaturi, quàm morituri.

IV.
Vatabl.
Inito prælio, est, extento ad prælium parato.

Inito autem certamine, &c. Vatabl. ex Hebræo vertit: *Extento prælio.* Vbi est verbum נטש *Natasc*: quod præter alia, significat, *extẽdere.* Et in Ecphrasi declarat: *Dilatata acie: id est, cũ cœpissent se dilatare & explicare milites ipsi.* Et videtur concinere Paraphrastes, transferens: *Et expansi sunt factores prælij.* Quasi diceret: Cœperunt, non quidem præliari, sed expandi ad præliandum. Vnde mira colligitur ignauia Hebræorum. Nam antequam pugna acrior conseratur; antequàm vtrinque pertinaciter dimicetur; sub prima belli tentamenta,

Hebræorum ignauia ante pugnam fugientium.

cùm milites non tam pugnant, quàm præludunt ad pugnandum, terga vertit Israel. Et magis hæc emphasis augetur ex Septoaginta, qui vertunt: καὶ ἔκλινεν ὁ πόλεμος. hoc est: *Et declinauit bellum.* Vbi antequàm prima bellandi exordia prælibentur, dicitur, bellum declinasse: quasi ante pugnam iam fuga ornaretur: & antequam Philisthini vincerent, Israelitæ vincerentur. Quò tandem recessit huius populi fortitudo militaris, quam D. Ambr. lib. 1. Offic. cap. 40. in Iosue, Gedeone, Ionatha, Eleazaro, pluribusque aliis Hebræorum alumnis admiratur? Concidit profectò, concidit illa pugnandi audacia, postquàm hæc viuendi licentia adoleuit. Nam, vt bene D. Hieron. in epistol. 1. ad Heliod. *Corpus assuetum tunicis, lorica onus non fert: caput opertum linteo, galeam recusat: mollem otio manum durus exasperat capulus.* Quare Israëlitæ, postquàm se deliciis & voluptatibus tradiderunt, cœperunt esse, vt loquitur Tertul. lib. De corona militis, cap. 1. *In pace leones, in prælio cerui.* Nam in hostiis pacificis vim tanquàm leones minabantur; iuxta illud ex c. 2. n. 16 *Nunc enim dabis; alioqui tollam vi.* At verò in prælio tanquàm cerui fugacissimi vertebant terga. Nec aliter quàm *Filij Ephrem intendentes, & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli.* Ps. 77. n. 9. Quæ verba, vel de hoc bello ad literam intelliguntur, interprete Valentia; vel saltem huic bello accommodantur. Cùm filij Israël, qui in pace ferociebant; non quidem in ipso bello, sed in die belli, hoc est, etiam ante initium belli, se in fugam coniecerunt.

D. Ambr.
Militarem Hebræorum virtutem voluptates eneruarunt.
D. Hier.
Tertul.
Valentia.

V.
Fuga Hebræorum orta ex eorum ignauia.

Sed dubitabis, vtrùm hæc Hebræorum fuga ex eorum tantùm ignauia, an etiam ex aliqua peculiari prouidentia diuina oriatur? Crediderim, ex vtroque capite prouenisse. Ex priori quidem, quia deliciosa vita homines reddit timidos & ignauos: sicut vita austera intrepidos & securos. Hoc patet in Daniele, qui cùm esset totius seueritatis amator, leones, in quorum lacum coniectus erat, non

for

D. Ambr. *Vita austera fortem reddidit Dauidem. Vita delicijs mollem reddidit Dauidem.* D. Chrys.

formidabat, Dan. 14. à num. 30. Vnde D. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 15 *Quam insuperabilis,* inquit, *Daniel, qui circa latera sua rugientes non expauit leones?* *Frementibus bestiæ, & ille epulabatur.* Illud patet in Dauide, qui antequam fuerit in delicias, leonem strangulabat, & vrsum, 1. Reg. 17. num. 36. postquam verò in delicias defluxit, puerum fugiebat Absalonem: vt vel ipse ingenuè confitetur in Psal. 3. quem inscripsit: *Psalmus Dauid, cùm fugeret à facie Absalon filij sui.* In quem locum Diuus Chrysostomus, *Fugiebat,* inquit, *filium suum Dauid, quoniam castitatem fugerat: fugiebat filium, quoniam matrimonium pudicum violarat: fugiebat filium, quoniam legem Dei, quæ dicit: Non occides: Non adulterabis: fugerat.* Quasi illa voluptas, quæ Regis animum expugnauit, imbellem reddiderit ac fugacem.

VI. *Ex diuino quoque percussionis perculsis, hæc Hebræorum fuga orta est.* Abul. *Deus aliquando sublatis in bello adiuuat. Aliquando timentes terret.*

Ex posteriori etiam capite orta fuit illa fuga, si vera est Abul. interpretatio; quam ipsi quoque Hebræi num. sequenti videntur comprobasse, dicentes: *Quare percussit nos Dominus?* Vbi suam hanc stragem, non hosti, sed Deo adscribunt. Et probatur: quia Deus sicut aliquando viros iustos sine vllo eorum labore in prælijs adiuuabat: vt patet in Moyse, qui sine armis de Ægyptijs in mari rubro demersis triumphauit, Exod. 14. à n. 24. in Iosue, qui solo tubarum clangore muros Iericuntinos labefecit, Ios. 6. à n. 20. in Iosaphat, qui exercitum ex tribus Gentibus collectum, non pugnando, sed cantando profligauit, 2. Paral. 20. à n. 22. Ita etiam improbos homines sine vlla timoris causa in prælijs perterrebat, iuxta illud: *Terrorem meum mittam in præcursum tuum: & occidam omnem populum ad quem tu ingredieris: cunctorùmque inimicorum tuorum coram te terga vertam.* Exod. 23. n. 27. Et illud: *Ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subiciemini his, qui oderunt vos; fugietis, nemine persequente.* Leuit. 26. n. 17. Et illud: *Dominus sonitum audire fecerat in castris Syriæ, curruum & equorum & exercitus plurimi. Surrexerunt ergo, & fugerunt in tenebris,* &c. 4. Reg. 7. n. 6. 7. Non aliter igitur hoc loco tanto terrore Israelitas exanimauit, vt vix manus ad pugnam aptare cœperant, cùm iam pedes ad fugam expedire viderentur. Vtrum verò fictitium aliquem armorum strepitum in Hebræorum aures immiserit, vt de Syris loco proxime citato dici solet; an solùm interno pauore eorum animos tremefecerit: non constat ex Litera. Hoc posterius potiùs dixerim; ne sine necessitate miraculum adstruatur.

Quo pacto Deus hoc loco terruerit Hebræos.

VII. *Ignaui Hebræi, dum fugiunt.*

Cæsa sunt in illo certamine, &c. Fugientes Israëlitas insequebantur à tergo Philisthiim. Vtrique ignaui, vt verè Lacedæmones opinabantur. Fugientes quidem, vt nemini ignotum est, quia gloriam cum vita commutabant, seu pro vita retinenda gloriam amittebant, & malebant viuere inglorij, quam emori gloriosi. Quo nihil ignauius. Vnde ipsi Lacedæmones suis militibus ad bellandum prodituris, soleas, siue calceos plumbeos inducebant, ne fortè ad capessendam fugam *pedibus timor adderet alas.* Immò aliquando anchoras ex collo militum religabant, & iam iam præliaturis in terram demittere iubebant, vt tenacibus earum dentibus sisterentur; scientque in eodem vestigio, aut vincendum, aut moriendum sibi esse; nunquàm verò fugiendum. Vnde etiam apud Romanos illi fortissimi censebantur, qui nunquàm è bello fugerant. Nam Lucius Dentatus, qui, teste Liuio, centum & viginti prælijs cum hostibus congressus, nullam excepit auerso pectore cicatricem, Romanus Achilles dicebatur. Probus Impe-

Milites Lacedæmonij prælio calceis plumbeis, vel anchoris ad collum religatis vtebantur, ne fugerent.

Liuius. *Lucius Dentatus multo pro tantis nunquam fugit.*

A rator ad Flauium Vopiscum, cùm de præda tepertus esset equus, qui centum & decem milliaria currere diceretur, & per octo vel decem dies cursum continuare; crederéntque omnes, ipsum Probum sibi illum reseruaturum, dixisse fertur, fugituro militi potius, quam forti Imperatori eum equum conuenire; proindéque illum repudiasse, & illius nomen in vrnam coniecisse à militibus sortiendum: quasi illud fugæ præsidium tanquam sibi indecorum aspernaretur. In eadem opinione fuit Tertullianus, qui lib. De fuga in persecutione, c. 10. *Pulchrior,* inquit, *est miles in pugna amissus, quam in fuga saluus: malo miserandum, quam erubescendum.*

Flauius Vopiscus. Probus Imperator repudiauit equum fugacem, dicens, fugituro militi esse.

Tertul.

B Iam verò illos, qui fugientes insequebantur, ignauiæ damnabant Lacedæmones: nam ipsi fusos in fugam insequi nesciebant: vt Alex. ab Alexand. lib. 4. Genial. dier. c. 7. testatur. Et rationem reddit: *Neque enim,* inquit, *videbatur decorum sanè, in fugientem hostem inferre signa, & in terga dantes suis victoriæ exercere.* Idem præcipiebat Plutarchus in Apophthegmatis Lycurgi, dicens: *Græcorum non esse interimere, qui cessissent:* tum ne se maleuolos ostenderent; tum ne afflictis afflictionem adderent, tum ne oppressos ad pugnam repetendam irritarent. Sed & Pyrrhus Epirotarum Rex idem à suis militibus fieri iubebat; ratus, non solùm esse rem gloriosam, sed etiam vtilem; ne fugientes ex desperatione animos, viresque resumerent ad resistendum: vt refert Iulius Frontinus lib. 2. strategemat. cap. 6. Quin etiam Hebræis aliquando placuit id consilium. Nam monente Chusai Arachite, ne populus fugientem Dauidem insequeretur; omnes Absalonis consiliarij eius in sententiam conspirarunt. 2. Reg. 17. à n. 6. Rursus, mortuo Absalone, *Cecinit,* inquit Textus, *Ioab buccina, & retinuit populum; ne persequeretur fugientem Israël, volens parcere multitudini.* 2. Reg. 18. num. 16. Quamuis enim hoc præcepto fugientibus tantùm parcere videretur: tamen & insequentibus consulebat; ne longius, quàm par erat, militari œstro perciti abriperentur. An verò aliquando fuga esse queat gloriosa, in sequenti Annotatione explicabo.

VIII. *Ignaui Philisthiim, dum fugientes persequuntur.* Alex. ab Alexandr. *Indecorum persequi fugientes.* Plutarc.

Immò & periculosum.

C

Iul. Front.

D His positis, dubitabis, factáne fuerit hæc cædes in fuga, an in pugna. Et quidem ex Litera duci potest in vtramuis partem argumentum. Quòd facta sit in fuga, ex narrationis ordine: quia prius dicitur: *Terga vertit Israël,* & statim: *Cæsa sunt,* &c. quasi in fugientibus, non in pugnantibus illa interfectio facta fuerit. Quòd autem facta sit in pugna: quia expresse dicitur: *Cæsa sunt in certamine:* seu, vt habent Græca & Hebræa exemplaria, *in acie:* quod nihil aliud significare videtur, quàm inter certandum in acie, fuisse interfecta. Sed neutra pars suo tantùm argumento, prout ex Litera deducitur, mihi videtur satis firmiter stabiliri. Non prior: quia illa fuga dici potuit ante pugnam per anticipationem, vt sæpè fit. Non posterior: quia certamen, seu acies, latiùs E sumi potest, pro toto spatio temporis ac loci, in quo strages ac cædes tam pugnantibus, quàm fugientibus inferuntur: vnde etiam qui in fuga corruerunt, dici possunt in certamine, seu in acie interfecti. Quare vtranque partem coniungendo, & accommodatiùs ad Literam interpretando, dici potest, hanc cædem partim in pugna, partim in fuga factam esse: præsertim, cùm addatur: *Cæsa sunt in certamine, passim per agros.* In pugna quidem, dum in certamine, seu in acie pugnando stabant: in fuga verò, dum passim per agros huc illuc errantes & palantes sibi fugiendo consulebant.

IX. *In fugáne, an in pugna facta sit hæc cædes.*

Neutra pars ex Litera firmiter stabilitur.

Vera responsio, partim in pugna, partim in fuga factam esse. Spectata Hebræorum ignauia, probabile est, in fuga cecidisse.

bant. Atque hæc, si præsentia tantùm verba spectentur. Nam, si attendantur ea, quæ paulò antè diximus, ibi, *Inite autem certamine*; & extrema Hebræorum ignauia, & euirata ex deliciis fortitudo, & perturbata tantorum scelerum conscientia, & immissa diuinitùs in eorum animos formido: non dubitauerim, Hebræos, antequàm irruerent in hostes, dedisse se in pedes; & antequàm pugnam inirent, fugam maturasse: & sicut tumultuarij ad pugnam processerunt; ita tumultuarios in fugam abiisse.

X. *An quatuor millia completa perierint, nec plures, nec pauciores.*

Dubitabis iterum, An morientium numerus fuerint quatuor millia completa, nec plures, nec pauciores. Affirmate videntur Septuaginta, qui absolutè loquuntur, illam particulam, *Quasi*, excludentes. Sed Latina & Hebræa & Chaldæa exemplaria, quæ illam admittunt, vtrouis modo interpretandi ansam præbent. Nam, *Quasi*, in Scriptura, etsi plerunque proportionem significet; non tamen semper adæquationem excludit: vt videre est Ioan. 1. n. 14. Vbi Tolet. Maldon. Barradas, & alij communiter sic exponunt. Quare, cùm nulla ratio ostendat, vtrùm proportio, an adæquatio hoc loco significetur; non est, cur à nobis altera tantùm pars definiatur. Multò autē plures, quàm quatuor millia, non perierunt; quia fugam maturarunt. Iosephus in editione Basiliensi, quem sequitur Sabellicus, habet, *ad tria millia*: quamuis posterior, & correctior editio, etiam Basiliensis, habeat, *circiter quatuor millia*. Dicuntur nihilominùs viri, hoc est, fortiores milites interempti; quia hi fortasse in postremo agmine fugiebant: nam ex cæteris, prout quisque ignauissimus erat, ita citatissimus præuolabat.

Tolet. Mald: Barrad. *Neutrum ex Litera definiri potest.* *Ioseph.* *Viri, id est, fortiores ceciderunt.*

Num. III. Et reuersus est populus ad castra: dixerúntque maiores natu de Israël: Quare percussit nos Dominus hodie coram Philisthiim? Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nôs de manu inimicorum nostrorum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Hebræine, an Philisthini dicantur ad castra rediisse. Vtrique cum Dionysio.*

ET *reuersus est*, &c. Aliquis hoc interpretabitur de Philisthinis; qui, ne audaciùs prouecti, in insidias laberentur, receptui cecinerunt. Abulensis de Israëlitis exponit: quia diu fugientes per agros, tandem ad locum castrorum remigrarunt. Dionysius Carthusianus de vtrisque. Cui fauere possunt vtriusque extremæ interpretationis fundamenta. Sed vbi ad castra ventum est, maiores natu de Israël circa facta & facienda consilium inierunt. Quod vtinam citiùs inirent: nam *post mortem consilium*, vt est in parœmia, quid prodest? Vnde D. Gregorius Naz. orat. 40. in sanctum Baptisma: *Cùm* inquit, *secundo vento nauigas, naufragium time, & tutior eris à naufragio.* Et post aliqua: *Triste*, inquit, *ac miserum est, cùm nundinæ effluxerunt, tum demum negotiationem quærere. Miserum est, cùm manna præterierit, tum cibum appetere. Miserum est, serum consilium capere: ac tum damni sensu affici, cùm nulla iam ratione acceptum incommodum sarciri potest.*

Serum consilium. *Greg. Naz.*

II. *Seniores, Magistratus.*

Cæterùm maiores natu dicuntur hoc loco seniores; quibus plerunque deferebatur munus, non solùm rei sacræ & politicæ, sed etiam bellicæ administrandæ. Nam, vt bene Tullius in suo Catone: *Non viribus, aut celeritate corporum res magnæ geruntur; sed consilio, & auctoritate; quibus* A *non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet.* Immò Plutarchus dicere solebat, seruari illas Respublicas, in quibus non tam arma iuuenum vigerent, quàm consilia senum maturescerent. Vnde Ouidius 5. Fastorum, senectutem præferens iuuentuti, rectè cecinit:

Cicero. *Plutarc.* *Arma iuuenū, & consilia senum.* *Ouid.*

Martis opus iuuenes, animosáque bella gerebant;
Et pro Diis aderant in statione senes.
Viribus illa minor, nec habendis vtilis armis,
Consilio patriæ sæpè ferebat opem.

III. *In his senioribus nō fuerunt Samuel & Heli. An fuerint filij Heli.*

Qui autem fuerint hi seniores, ex Litera non constat. Certum in primis non fuisse inter eos Samuelem & Heli, qui in vrbe remanserunt: hoc autem consilium in castris factum est. An fuerint Heli filij, dubitatur. Negabit aliquis: B tum, quia non exprimuntur hoc loco, exprimendi planè, si adessent, propter maiorem eorum dignitatem: tum, quia paulò pòst, num. sequenti, dicuntur ad secundum prælium cum Arca fœderis venisse; ac si anteà in primo prælio cum Arca pariter abessent: tum denique, quia ipsi non erant admodum martiales, sed deliciis quàm armis proniores; vnde non nisi inuiti, & in extrema rerum alea ad pugnandum traherentur. Verisimile hoc est, fateor; sed oppositum non incredibile: præsertim cùm Num. 1. §. 21. dixerim, alterum fortasse ex filiis Heli huic bello Ducem præfuisse. Nec rationes oppositæ conuincunt. Non prima: quia fortasse tacentur eorum nomina, vt ignauiter pugnantium honori consulatur. Non secunda: quia, sicut in posteriori C bello cum Arca; ita in priori sine Arca venire potuerunt: vt de aliis quoque militibus ad vtrunque prælium venientibus dicendum est. Non tertia: quia difficiliùs erat ad secundum, quàm ad primum prælium venire: nam ad primum etiam ignaui milites quandoque volant, cùm experti nondum sint, iuxta illud: *Dulce bellum inexpertis*: ad secundum etiam strenui vix trahuntur; quia suo edocti malo, inde refugiunt, vnde semel euaserunt. Cùm ergo ad secundum venerint, probabile videtur, ad primum quoque aduenisse: præsertim ita Deo disponente, vt in vtroque prælio pœnas darent; in priori quidem, belli timore perterriti; in posteriori autem, belli furore D perculsi.

Vtrumuis probabile. *In vtroque prælio pœnas dederunt.*

IV. *Tria in hac consultatione geruntur.*

Quare percussit nos Dominus? &c. Dixi, hoc consilium fuisse circa facta, & facienda. Igitur circa facta tria in hac consultatione à senioribus geruntur. Primo loco supponunt, Deum peculiarem huius calamitatis auctorem extitisse. Secundò, admirantur rem factam, seu editam stragem. Tertiò, eius causas inquirunt. Singula seorsum explicanda.

Supplicia peccatoribus illata Deo auctori tribuuntur.

V. *Primū. Suppositio Hebræorum.*

QVod ad primum attinet: Non dixerunt: *Quare percusserunt nos Philisthiim?* Sed, E *Quare percussit nos Dominus coram Philisthiim?* In Hebræo est: לפני *Liphne*, hoc est, ad facies, seu in cōspectu Philisthiim. Et sensus est: *Per Philisthiim, seu opera & potentia Philisthinorū.* Est enim hic nō infrequens Hebraïsmus: vt patet ex aliis locis. Nā Dominus ad populum: *Persequimini*, inquit, *inimicos vestros, & corruent corā vobis.* Leuit. 26. n. 7. hoc est, vestris armis. Et rursum: *Ponam faciē meā cōtra vos, & corruetis corā hostibus vestris.* Ibid. n. 17. hoc est, per hostes vestros: seu, viribus hostium vestrorū. Sic etiā Dominus ad Moysen: *Ecce*, inquit, *cœpi tibi tradere Sehon.* Deut. 2. n. 31. Hebraïcè, *Cœpi*

dare coram te: hoc est, per te expugnandam. Eodem libro: *Dabit Dominus inimicos tuos corruentes in conspectu tuo.* Deut. 28. n. 6. Hebraicè, *Corruentes coram te*: hoc est, per te deiiciendos. Et rursus: *Tradet te Dominus corruentem ante hostes tuos.* Ibid. 0. a 5. Hebraicè, *Coram hostibus tuis*: hoc est, per hostes tuos diruendum. Itē, *Cæsus est ibi populus Israel ab exercitu David.* 2. Reg. 18. n. 7. Hebraicè, *Coram seruis Dauid*: id est, per seruos, seu à seruis Dauid, vt Latinus rectè expressit. Deinde, *Si fugerit populus tuus Israël inimicos suos*, &c. 3. Reg. 8. n. 33. Hebraicè, *Cum cæsus fuerit populus coram inimicis suis*: id est, per inimicos suos. Tandem de Babylonis Dominus, *Dabo coram eis iudicium, & iudicabunt te.* Ezech. 23. num. 24. hoc est, dabo iudicium per eos exercendum.

VI. Non aliter igitur hoc loco: *Quare*, inquiunt, *percussit nos Dominus corā Philisthiim?* Hoc est, per Philisthioos, seu armis Philisthinorum? non tam hominibus, quàm Deo suam cladem tribuentes. Qua in re non desipuerunt. Nam Deus auctor est pœnarum nobis contingentium; iuxta illud: *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit.* Amos 3. n. 6. hoc est, nullum erit malū pœnæ, &c. Et illud: *Ego Dominus, & non alter, formans lucem, & creans tenebras; faciens pacem, & creans malum.* Isai. 45. n. 7. Vbi obiter aduerte, Deum prius beneficiorum, quàm suppliciorū auctorē appellari, quòd ad hæc non ita promptus, quàm ad illa excitetur. Dicitur interim beneficia formare, seu facere, quod est de aliquo præuio producere: supplicia autē creare; quod est producere de nihilo: quia beneficia expromit de suæ opulentiæ thesauris; supplicia verò de peccatorum nostrorum nihilo producit. Denique iuxta illud, *Ecce ego fingo contra vos malum.* Ierem. 18. n. 11. Vbi etiam obserua, mala pœnæ quæ nobis à Deo imponuntur, adeò esse leuia ac facilia, vt non vera, sed ficta, seu fictitia videātur, aut certè ficta, hoc est, fictilia; quæ facilè dilabuntur ac dissipantur. Id enim mihi videtur Propheta, significare voluisse, cùm Dominū, hæc mala fingentem, figulo comparauit. Ibid. à n. 2. Quasi non ferrea, non ahenea cōtra homines arma fabricetur: sed fictilia, seu testacea vasa in ipso ictu priùs rumpenda, quàm ruptura moliatur.

Deus pœnarum auctor.

Deus prius dicitur beneficiorū, quàm suppliciorum auctor.

Dicitur beneficia formare, & supplicia creare. Cur?

Supplicia dicuntur leuia, vt ficticia, seu fictilia videantur.

VII. Non igitur desipuerunt seniores Israël in hac sua suppositione. Immò potiùs more iustorum hominum se se habuerunt, qui in pœnis, quas patiuntur, oculos à creaturis exequentibus transferunt in ipsum Deum Imperantem: vt iam superiori cap. Num. 18. à §. 8. & Annot. 6. Sect. 1. & 2. latiùs illustraui. Quibus adde quæ sequuntur: vt hoc argumentum vberiùs illustretur. Dauid multis laboribus oppressus, Deum sic alloquitur: *Obmutui, inquit, & non aperui os meum: quoniam tu fecisti: amoue à me plagas tuas.* Psalm. 38. num. 10. Vbi non solùm Deum respicit punitorem: verùm etiam suas inde pœnas consolatur. Nec inscitè: *Plagas*, inquit, *tuas*: vel passiuè, quasi Deus flagellari se putet, cùm hominem flagellat: vel actiuè, quia tales plagas, non vt à creatura inflictas, sed vt à Deo imperatas considerabat. Vnde Theodoretus ad eum Psalm. vtitur similitudine flagelli: *Ille*, inquit, (nempe Semei, aut quicunque alius hostis Dauidem opprimebat) *similis erat flagello: tu verò per illum castigationem afferebas: propterea silens flagella accepi, illum quidem despiciens; te verò in me animaduertentem respiciens.* Eadem similitudine D. Basilius, ac D. Chrysostomus vtuntur, vt ostendant, sicut insanus erit, qui ad flagellantem non attendens, in solum flagellum irascatur; ita insanum fore, qui æternum punitorem non obseruans, temporales pœnas, seu proximos earum ministros detestetur.

Iusti suas pœnas Deo auctori tribuentes, modestè patiuntur.

Cur Dauid plagas suas vocet plagas Dei.

Theodor. Exequutor pœnarum, est flagellum in manu Dei.

VIII. Nihil magis Diabolus satagebat, quàm, vt sanctissimum Iobum induceret ad credendum, pœnas, quas patiebatur, non à Deo, sed à creaturis prouenisse. Vnde ille multiplex nuntius, siue Diabolus fuerit, vt Chrysostom. Polychronius & Olympiodorus existimant; siue alius quisquam Diaboli fraudi, dolóque submissus, vt Origenes aliique Interpretes arbitrantur: ille, inquam, multiplex nuntius, qui Iobo suas clades denuntiabat, nunquàm eas Deo, sed creaturis tribuebat. Nam vnus: *Irruerunt*, inquit, *Sabæi, tuleruntque omnia.* Iob. 1. n. 15. Et rursum alius: *Chaldæi, inquit, fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos.* Ibid. n. 17. Ac tandem tertius: *Ventus*, inquit, *vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.* Vbi suprà, n. 19. Vides, vt nunquàm Deum memoret punitorem: sed Sabæos, sed Chaldæos, sed turbines vehementes? Cur ita? Planè vt Iobum ad impatientiam prouocaret: nam qui Deum suarum pœnarum auctorem non recognoscit; facilè ad impatientiam stimulatur.

Diabolus curabat, vt Iobus suas pœnas creaturis tribueret.

D. Chrys. Multiplex nuntius Diaboli, seu Diaboli minister.

Polychr. Olymp. Orig.

IX. Contrario modo in hac re philosophatur D. Chrysostomus hom. 3. in Iobum: nam expendens illum nuntium: *Ignis Dei cecidit è cælo, & tactas oues, puerósque consumpsit.* Iob. 1. n. 16. notat, Diabolum, eas calamitates, quas Iobus patiebatur, non solùm in ignem, sed etiam in ipsum Deum retulisse, dicendo: *Ignis Dei*: vt Iobus non solùm in creaturam insurgeret, sed etiam in ipsum Deum rebellaret. Quasi ita secum Diabolus loqueretur, inquit Chrysost. *Malè nuntiaui, dicens, homines contra eum pugnare: malè iaculatus sum, non attigi scopum, frustratus sum, errauerunt tela.* Quid ergo Diabolus, ne pugnam perdat; sed ad meliorem pugnādi aleam se reducat? *Ignis*, inquit, *Dei cecidit è cælo.* Deum nominat, *vt ostendat*, inquit Chrysf. *non homines, sed Deum bellum suscipere.* Quasi dicat: *Quare ergo seruis infensus? Quare bona tua consumenti fœneraris?* Ita D. Chrys. argutè & ingeniosè. Sed nescio an is fuerit Diaboli scopus. Nam ignis Dei, iuxta vulgarem Hebraismum, est ignis magnus ac vehemens. Sed demus Chrysostomo, Diabolum eò spectasse. Inde ad rem præsentem colligo, vanum illum aggressorem infelicissimè & imperitissimè decertasse; & vnde se victorem sperauit, victum cecidisse. Nam, cùm Iobus agnouit, ipso quoque Diabolo confitente, Deum suarum auctorem pœnarum extitisse, tantùm abfuit, vt molestè ferret, vt potiùs æquissimè toleraret: ac totum se diuino arbitrio committens diceret: *Dominus dedit, Dominus abstulit.* Ibid. n. 21. Et iterum: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus.* Cap. 2. n. 10. Qui enim non ab alio, quàm à Deo se puniri recognoscet; nunquàm poterit de arce patientiæ præcipitari.

Iuxta Chrysostomum, proponebat Diabolus Iobo, Deum pœnarum auctorem, vt in Deum Iobus insurgeret.

An fuerit ille Diaboli scopus.

Si fuit, non collimauit, Iobus suas pœnas Deo tribuens, patienter tolerauit.

X. Quare Deus nihil magis curat, quàm vt oculos ab exequutoribus pœnarum, in illarum auctorem Deum transferamus: nec alium, quàm se ipsum nostrorum vltorem scelerum existimemus. Non permisit olim Deus, vt Propheta Balaam vllas maledictiones populo Israëlitico imprecaretur; vt patet ex Num. 22. n. 12. & sequentibus: ne populus suas plagas potiùs maledicenti Prophetæ, quàm flagellanti Deo tribuisset. Sic ad eū locum Theod. q. 43. *Vt, inquit, à Deo eruditi non putarent propter maledictiones Vatis, calamitates euenire; non permisit, Vatem maledictionibus vti, ampnatis hoc modo stultis occasionibus.* Quasi Deus iniquè ferret, non se temporalium suppliciorum auctorem

Deus curat, vt se nostrarū pœnarum recognoscamus auctorem.

Theod. Balaam non permittitur maledicere populo plagas Balaami attribueretur.

auctorem ab hominibus recognosci. Nec immeritò. Nam, si homines putant, non se à Deo, sed ab hominibus flagellari, indignè ferunt, vindictas cogitant, talionem meditantur. Vnde fit, vt culpas non abiiciant, solas pœnas detestentur.

XI. *Deus grauissimè puniebat pœnas non humano, sed diuino vltori tribuetur.* Idcircò aliquando Deus talia supplicia infrebat, vt facilè appareret, ab hominibus inferri non potuisse, sed ipsi Deo triboenda. Flagellabat quidem Dominus Ægyptum; sed parcè, misericorditer, & veluti contracta manu. Vnde Pharao Deum, pœnarum auctorem non recognoscebat, existimans, ei omnia supplicia potuisse ab aliqua creatura prouenire. Quid ergo Deus? *Extendam,* inquit, *manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis.* Exod. 3. n. 20. Quasi diceret: Maiorem potentiam, quàm humanam, expromam ad vltionem; ac tam graoia supplicia cumulabo, vt facilè credantur, non ab homine, sed à solo Deo prouenire potuisse. Et rursum: *Scient,* inquit, *Ægyptij, quòd ego sum Dominus, qui extenderim manum meam super Ægyptum.* Exod. 7. n. 5. Ac si diceret: Si me vt patrem leniter punientem non agnoscunt; saltem vt Dominum ac Iudicem terribiliter flagellantem perhorrescant.

Olea. Nam, vt ibi notat Oleaster: *Idcircò à Deo flagellamur, vt Deum cognoscamus iratum, quem nolumus cognoscere propitium.* Itaque Deus propterea Pharaonem maioribus suppliciis, quàm humanis puniebat; vt solus ab eo vltor crederetur: adeò desiderat pœnarum omnium auctorem reputari; vt & pœnas patienter toleremus, & ad ipsum punitorem humiliter precaturi fugiamus.

XII. *Pharao persuadere sibi nolebat, pœnas esse à Deo inflictas, vt culpis resistere cogeretur. Duplici exemplo res confirmatur.* Sed quid Pharao? Nihil minùs quàm Deum vltorem recognoscere volebat. Cùm enim sciret, absurdum esse, Deo propter aliquas culpas puniente, culpis nihilominùs mordicus adhærere: credere malebat, pœnas à Deo non esse, ne culpis renuntiare cogeretur. Id quod duplici ex loco facile constabit. Nam in primis, cùm videret Moysis virgam in colubrum mirabiliter commutatam: *Vocauit sapientes & maleficos, qui per incantationes Ægyptiacas facerent similiter.* Exod. 7. n. 11. Rationem reddit Hugo Victorinus in suis ad eum locum elucidarioris, ne credere cogeretur illa miracula fieri diuina potestate & voluntate; sed artificio & maleficio Moysis: videns à suis maleficis similia patrari; atque adeò propter illa à suis sceleribus nunquàm auerteretur. Deinde idem Pharao ranarum plaga flagellatus, Moysen orauit, vt Deum pro illa tollenda exoraret. Sed dicente Moyse: *Constitue mihi tempus, quando deprecer pro te. Respondit: Cras.* Exod. 8. n. 18. Quæri solet, cur non citiùs voluerit, eam à se pestem amoliri. Mitto alias rationes. Optima est illa Lyrani, credidisse impium Tyrannum, illud portentum, non diuina, sed magica arte contigisse; atque adeò tempus ad deprecandum Deum prorogasse; quia sperabat, fore vt interim per se deficeret; antequàm vlla ad Deum precario adhiberetur. Vnde ipse occasionem sumeret, pœnam illam, vtpote magicam, irridendi, & culpam suam pertinaciùs amplexandi.

Hugo Vict. *Voluit Pharao, fieri à suis maleficis serpentes, ne quos fecerat Moyses, diuinitus factos credere cogeretur.*

Lyra. *Voluit differre Moysis precibus ranarum plagam auferri, vt eam naturaliter cessantem, & sibi naturale existimare.*

XIII. *Induratur Pharao, quia Deû suæ supplicij auctorem non recognouit. D. Augustinus suâ merbum Deo tribuens, patienter tolerabat.* Hinc igitur cor Pharaonis induratum est; quia Deum punitorem non agnouit: nam si agnosceret, profectò in diuinæ iustitiæ eum tanta misericordia coniunctæ contemplatione remollesceret: vnde tandem fieret, vt à sua culpa resiliret, & pœnam, quamuis nulla ex parte reuelatam, patienter sustineret. Quo pacto D. August. grauissimam, qua tenebatur, ægritudinem Deo tribuens, omnes illius dolores libentissimè tolerabat. Nam in epist. 149. *Secundum spiritum,* inquit,

A *quanùm Domino placet, rectè sumus. Corpore autem ego in lecto sum, nec ambulare, nec stare, nec sedere possum. Sed etiam sic, quoniam id Domino placet, quid aliud dicendum est, nisi quia rectè sumus? Potius enim, si id nolumus, quod ille vult, nos culpandi sumus; quàm ille non rectè aliquid facere existimandus est.* Ex his patet, non desipuisse Israelitas, suas Deo plagas potiùs, quàm hostibus tribuentes.

Cur Hebræi pœnas sibi à Deo inflictas admirentur?

XIV. *Secundum. Quòd in illa consultatione fuit admiratio Hebræorum.* Quod ad secundum attinet: Mirabantur Israelitæ Deum sui exercitus fuisse percussorem: *Quare,* inquoiunt, *percussit nos Dominus?* B Nam hæc interrogatio, quamuis propriè sit inquisitio causæ: tamen admirationem effectus & supponit, & inuoluit. Idcircò enim stragis causam inquirebant, quia editam stragem admirabantor. Admirationis igitur causa duplex esse potuit. Vna, quia, cùm Deo auctore, suasoréque Samuele, ad bellandum prodiissent; vt n. 1. §. 3. probabile esse diximus: indignum illis videbatur per Philisthinos profligari. Similis Moysen tenuit admiratio, cum vidit Dominum iratum, & incitatum ad delendum populum in deserto, quem tulerat de Ægypto, in terram Promissionis inducendum. Vnde admirabundus exclamauit: *Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna, & in manu robusta? Ne, quæso, dicant Ægyptij: Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra.* Exod. 32. nom. 11. & 12. Similis quoque admiratio tenuit Iosuè, Moysis successorem; cùm vidit primum illud bellum, quod aduersùs vrbem Haï ex diuino mãdato susceperat, infeliciter processisse. Et in stuporem actus: *Heu, Domine Deus,* inquit, *quid voluisti traducere populum illum Iordanem fluuium; vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes?* Ios. 7. n. 7. Maior adhuc admiratio innasit Israelitas, cùm semel atque iterũ diuino oraculo admoniti ad pugnandum contra Beniamitas prodierunt: & nihilominus ex vtroque bello ingentem cladem, quadraginta millibus interfectis, reportarunt. Iud. 20. à n. 18. Quos non potuerunt erumpere in clamores? quas non potuerunt despumare in querelas? Cur cædimur & mactamur, quos diuinum oraculum iubebat feliciter sperare? Quamuis (vt hanc eorum modestiam & patientiam non omittam) nullos ibi dicantur in questus, sed in solos fletus abiisse: vt citato loco, n. 23. & 26. videre est. Quasi non indignati de diuinis suppliciis; sed propria tantùm flagitia lamentari viderentur.

Primæ huius admirationis causa: quia pugnauerant Deo auctore, & Samuele suasore.

Similis admiratio Moysis.

C

Similis Iosuè.

Similis Tribuũ cũ Beniamitis pugnantium.

D

Patientia in diuinis suppliciis.

XV. *Similis admiratio totius Galliæ, immò & totius Ecclesiæ.* Denique nota est illa admiratio, quæ olim totam Galliam, immò & totam Ecclesiam tenuit; cùm D. Bern. ex imperio Eugenij Papæ Bullam Cruciatæ fausta cũ precatione concedentis; immò ex nutu ipsius Numinis in eam partẽ inclinantis, bellum persuasit aduersùs terram sanctam suscipiendum; fractósque militum animos ad eam expeditionem subeundam, publicè & priuatim monendo ac prædicando excitauit: & nihilominùs collecti ad eam pugnam Christiani infeliciter dimicarunt, & miserabiliter corruerunt: vt ex antiquis Scriptoribus Ribadenera noster in vita sancti Bernardi memoriæ commendauit. Quem præposterum infaustúmque euentum tanta totius populi admiratio, immò indignatio subsequuta est; vt si minùs in Deum cum Israelitis succenserent, dicentes: *Quare percussit nos Dominus?* saltem in hominem insilirent, expro-

E

brantes: Quare seduxit nos Bernardus? & falso sanctitatis nomine, & vano diuinitatis oraculo supremum in exitium præcipitauit? Quas tamen querimonias, seu iniurias Diuus Bernardus hilari vultu excipiens, & libenti animo recondens, suæ sibi conscius ionocentiæ, dicebat, lib. 2. De consid. ad Eugen. *Mihi pro maximo est, vt ab illis iudicer, qui dicunt bonum malum, & malum bonũ.* 1. Corinth. 4. n. 3. & Isai. 5. n. 20. *Et si necesse sit, vnũ fieri è duobus, malo in nos murmur hominum, quàm in Deum esse. Bonum mihi, si dignetur, me vti pro clypeo. Libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemorum; vt non ad ipsum perueniant. Non recuso, inglorius fieri, vt non irruatur in Dei gloriam. Quis mihi det gloriari in voce illa: Quoniam propter te sustinui opprobriũ?* Psal. 68. n. 8. *Gloria mihi est, consortem Christi fieri, cuius illa vox est: Opprobria exprobrantium tibi eeciderunt super me.* Ibidem, num. 10. Hæc piissimè & sanctissimè Bernardus. Itaque Hebræi mirabantur, videntes perditam pugnam, quam ex diuino imperio suscepissent.

Singularis D. Bernardi modestia in hominũ criminationibus.

XVI. Altera admirationis ratio fuit: qoia Deus minatus fuerat supplicia Sacerdoti Heli & eius filiis, non autem populo; vt patet ex cap. 2. à n. 3. & ex c. 3. à n. 12. Cùm igitur in hoc prælio Sacerdote Heli, eiúsque filiis intactis, solus populus, qui immunior erat à culpa, puniatur; admirabantur. Iuuabat autem hanc admirationem cæca Iudæorum arrogantia; qui, cùm multa haberent peccata, nullis suppliciis satis dignè punienda: nulla tamen in se ipsis agnoscebant, propter quæ punitione digni sibi viderentur. Ita sentire videtur D. Gregor. dum obseruat, hanc interrogationem factam à maioribus natu Israel, qui quò arrogantiores esse solent, eò minùs suas culpas agnoscunt, propter quas puniri mereantur. Clariùs Rupertus: *Præsumptio*, inquit, *stulta & vana decepit improuidos.* Sed de hac re iterum sequenti puncto: vbi, exploratis causis calamitatis, facilè admirationis causæ diluentur.

Secunda huius admirationis causa: quia solos Heli & eius filios punendos existimabant.

D. Greg.

Rupertus.

Cur Hebræi tam grauiter à Deo puniantur?

XVII. Qvod igitur attinet ad tertium: Causam huius calamitatis inquirebant. *Quare*, inquiũt, *percussit nos Dominus*: Et multiplex potuit assignasi. Vna ex Rabbi Leui: quòd, inconsulto Deo, prodierint ad bellandum. Sed hæc incerta est, cùm alij Rabbini, vt n. 1. §. 3. iam diximus, testentur, Israëlitas Dei oraculo, ac Samuelis præcepto admonitos fuisse ad hoc bellum contra Philisthinos suscipiendum.

Tertiũ huius consultationis punctum. Inquisitio Hebræorũ, de causis huius punitionis.

Rabbi Leui.

Prima causa reiicitur.

XVIII. Altera germanior: propter peccata Heli, & filiorum eius, illam stragem contigisse. Nam ciuilia peccata potiùs, quàm arma hostilia florentissimas Respublicas sæpenumerò labefactant. Vnde Diuus Hieronym. in epist. 3. ad Heliodor. de Epitaphio Nepotiani, ad finem, postquàm innumeras strages Romani imperij commemorauit, concludit: *Nostris peccatis barbari fortes sunt: nostris vitiis Romanus superatur exercitus.* Et paulò pòst: *Infelices nos, qui tantùm displicemus Deo, vt per rabiem Barbarorum, illius in nos ira desæuiat.* Quasi diceret: Non externi hostes, sed domestici peccatores extremam perniciem Romano imperio moliuntur. Non sua hostes arma, sed nostra eos peccata in nos roborant & confirmant.

Secũda causa huius punitionis, peccata Heli, & filiorum.

D. Hier.

Nõ hostis, sed malitia Romanum superauit exercitum.

XIX. Hoc olim Deus significauit, cùm Israëlitas tradidit in potestatem Nabuchodonosoris, Dan. 1. num. 2. tres autem pueros è fornace ignis ardentis liberauit, Dan. 3. num. 22. illos quidem, quia sceleratos; hos autem, quia innocentes. Ac si diceret: Non Rex Hebræos suis viribus superauit; alioqui etiam ignis, qui maiores habet vires, tres pueros superaret: sed Hebræorum peccata Hebræos in seruitutem tradiderunt; puerorum autem virtutes, illæsos inter flammas ipsos pueros conseruarunt. Ita hunc locum D. Chrys. homil. 18. in priorem ad Cor. exponit: *Considera*, inquit, *quantum sit, tot spectantibus oculis à tribus captiuis pueris tyrannum illum contemni? Ostendit enim* (nempe, tyrannus ipse contemptus) *eorum se ciuitatem cœpisse, non suis viribus, sed propter peccatum multitudinis. Nam, si deuictos superare non potuit, & maximè in fornacem intrusos: quonam pacto omnes, cùm tales essent,* (nempe, quales pueri innocentes) *lege belli superasset? Ex quo perspicuum est, multitudinis peccata ei ciuitatem tradidisse.*

Hebræos non Nabuchodonosor, sed sua peccata in captiuitatem redegerunt.

Si non essent peccata, nihil Rex in populũ valeret: sicut nec ignis valuit in tres pueros innocentes.

D. Chrys.

XX. Idem planè constat ex multis promissionibus & comminationibus diuinis. Qualis est illa: *Si*, inquit, *in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis: persequimini inimicos vestros, & corruent coram vobis.* Leuit. 26. num. 3. & 7. Et paulò pòst: *Quòd si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea; ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subiiciemini his qui oderunt vos.* Ibidem, num. 14. & 17. Qui locus illustrari potest ex iis, quæ tradit Diuus Ambrosius sermon. 88. De bellico tumultu: vbi ostendit, vrbes non tam à suis militibus, quàm à suis virtutibus defendi: nec tam à suis hostibus, quàm à suis sceleribus expugnari. *Tunc*, inquit, *ciuitatis porta munita esse poterit; si priùs in nobis porta iustitia muniantur. Cæterùm nihil prodest, muros munire propugnaculis, & Deum prouocare peccatis.* Et statim ducit exemplum à Dauide, qui inermis Goliam superauit armatum. 1. Reg. 17. num. 40. *Cùm*, inquit, *sanctus Dauid non operiretur galea, non præcingeretur clypeo, non lancea vteretur: occidit illum;* (nempe, Goliam) *non telo ferreo, sed gladio spirituali. Quamuis enim inermis oculis hominum videretur; satis tamen erat gratia diuinitatis armatus.* Et paulò pòst, contrario modo de Golia philosophatur: *Quamuis*, inquit, *esset Golias vndique armorum protectione munitus; frons tamen eius patebat ad mortem; quia signaculum Saluatoris non gestabat: atque adeò ibi perimitur, vbi nudus à Dei gratia reperitur.* Itaque peccata nostra Deum ad vltionem armant: seu ipsa in nos, tanquàm durissimi diuinæ iustitiæ satellites armantur.

Ob peccata intenduntur supplicia.

D. Ambr.

Vrbes nõ militibus, sed virtutibus defenduntur.

Dauid non ferro, sed gratia armatus, fortior quàm Golias, non ferro, sed gratia inermis.

XXI. Ad Caïnum olim Deus: *In foribus*, inquit, *peccatum tuum aderit.* Gen. 4. n. 7. In Hebræo est: *Peccatum tuum excubabit.* Ducta metaphora à satellitibus & lictoribus, seu carcerum custodibus: qui olim simol com malefactoribus colligati excubabant, ne possent effugere: vt Lorin. Act. 12. n. 6. ostẽdit. Quemadmodum igitur satelles perpetuò aderat malefactori, quousque illum in extremum supplicium præcipitaret: ita & peccatum insequitur peccatorem; donec ipse in barathrum miseriarum deuoluatur. Postquàm Iobus sua Deo peccata confessus est, subdit: *Instauras testes tuos contra me, & multiplicas iram tuam aduersùm me; & pœna militant in me.* Iob 10. n. 17. Quasi ex Iobi peccatis magnus militum & satellitum globus, seu magnus pœnarum ac suppliciorum exercitus contra illum armaretur.

Peccata tanquàm satellites excubant aduersùs peccatorem.

Lorin.

Hos satellites timebat Iobus.

XXII. Hos satellites Dauid in se ipsum consurgentes expertus est: *Circumdederunt*, inquit, *me mala, quorum nõ est numerus: cõprehenderũt me iniquitates meæ.* Psal. 39. n. 13. Nam simul atque peccata cõmissa sunt, statim in peccatorẽ, tanquàm diuinæ iustitiæ lictores

Eosdem experiebatur Dauid.

Fratres Iosephi ob tria peccata tres dies in carcere fuerunt. Lyra.

lictores irruerunt. Non sine mysterio Ioseph, vt suos fratres tentaret, *Tradidit eos custodia tribus diebus.* Gen.42. num. 17. At, cur triduò in carcere detinentur? Respondet Lyra: Vt tria peccata, quæ contra Iosephum commiserant, volendo occidere, deponendo in cisternam veterem, ac vendendo Ismaëlitis, puniantur. Quasi singula peccata ad singulas pœnas de malefactoribus reposcendas, accingerentur.

XXIII. *Iacobus patrē suū hœdinis pellibus decipiens, à filiis suis hœdino sanguine deceptus est.*

Huius rei typus aliquis præcessit in Iacobo, qui patrem suum Isaac quodammodo decepit pellibus hœdinis, quibus pilosas manus Esaü fratris sui simulauit. Nam mater eius Rebecca, vt est in Litera, *Pelliculas hœdorum eius manibus circũdedit, & colli nuda protexit.* Gen.27.num.16. In quo licèt Iacobus non peccauerit, cùm hæc omnia diuino B instinctu agerentur, tamen peccatorem repræsentauit, qui fraude & dolo honores ambit, & alienas possessiones inuadit. Nouum enim non est in sacris Literis, per bonas actiones repræsentari malas, & vice versa, vt suo loco ostendemus. & interim D.Greg.lib.3.Mor.cap.26. alibi 21. facilè docebit. *D.Greg.* Quid igitur deinde factum? Sicut Iacobus patrem suum hœdinis pellibus decepit: ita & ipse à suis filiis, si non pellibus hœdinis, saltem hœdino sanguine deceptus est. Nam postquàm illi Iosephum in Ægyptum vendiderunt: *Tulerunt*, inquit Textus, *tunicam eius, & in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt, mittentes, qui ferrent ad patrem,* &c. Gen.37.n.31. Vt pater hœdino sanguine deceptus, sanguinem filij sui, quem à fera pessima C deuoratum crederet, miserabiliter deploraret; & in quam deceptionem patrem induxerat, in eandem à filiis induceretur: vt hoc exemplo palàm fiat, suas nunquàm pœnas sceleribus defuturas.

XXIV. *Achabus inhumatum proiiciens Naboth, proiicitur inhumatus.*

Curauit olim Achab, vt iusti Naboth sanguis extra vrbem crudeliter effusus, inhumatus relinqueretur. *Eiecerunt*, inquit Textus, *eum extra ciuitatem, & lapidibus interfecerunt.* 3.Reg.21.numer.13. Sed non *Scelestum deseruit pedè pœna claudo.* Nam statim ad eum Helias: *Hæc dicit Dominus*, inquit: *In loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.* Ibidem, num.19. In quem locum D.Ambrosius lib de Naboth, c.11. *D.Ambr.* *Quàm iusta*, inquit, *quàm seuera sententia, vt quam intulit alteri mortis acerbitatem, eam ipse* D *mortis suæ horrore dissoluere proderetur. Inhumatum pauperem Deus aspicit; & ideò insepultum diuitem iacere decernit: vt mortuus luat suæ iniquitatis ærumnam, qui nec mortuo putauit esse parcendum. Itaque vulneris sui cruore perfusum cadauer, specie funeris, vita sua prodidit crudelitatem.* En, vt peccata nostra semper à Deo meritas pœnas quodammodo exigant & accersant, vt siue in bello, siue in pace, nunquàm tamen impunita relinquantur. Desinant igitur mirari Israëlitæ: *Quare percussit nos Dominus?* Propter sua enim peccata à Domino puniuntur.

XXV. *Peccata patrum in filiis: Prælatorum in subditis puniuntur.*

Sed illa redit dubitatio, quam ex superiori punctu ad hunc reieci. Nam, sicut peccata erant E propria Sacerdotis Heli & filiorum eius; ita & supplicia eorundem propria esse debuerunt: cur igitur hæc strages in solo populo exercetur? Respondeo in primis: quia, sicut Deus aliquando temporaliter punit parentum peccata in filios, vsque ad tertiam & quartam generationem; vt patet Exod.20.num.5. & Exod.34. num.7. vt Abulensis ad hunc posteriorem locum, quæst. 9. & Perer.tom.1.in Genes. libr.14. disp.4. latè confirmat: *Abul.* *Perer.* ita & punire potest Principum peccata in subditos; iuxta illud: *Humiliauerat Dominus Iudam propter Achaz Regem Iuda: eò quòd denudasset*

A *eum auxilio, & contemptui habuisset Dominum.* 2.Paral.28.n.19. Vbi vides, propter peccatum Regis, temporales saltem pœnas in populũ statutas.

XXVI. *Propter peccata Principũ punitur populus, quia is illa sæpè consentit. Duplici exẽplo ostenditur, populum non resistere Regibus, quia non vult, non quia non valet.*

Addo præterea, meritò populum luisse pœnas, quòd Principum; peccatis consenserit: cùm tamen resistere posset, si vellet. Quamuis enim populus dicere soleat, se ad resistendum Regibus non habere potestatem: aliquando tamen verius est, non habere voluntatem: vt duplici ex euentu facilè colligetur. Nã Ægyptij Pharaoni Hebræos retinenti post occisos primogenitos restiterunt. Exod.12.num.33. Ergo, si ante occisos consenserunt; defectus fuit voluntatis, non potestatis. Item Iudæi restiterunt Saüli, Ionatham occidere volenti. 1.Reg.14.num.45. volenti autem occidere Sacerdotes, consenserunt. 1.Reg.22. num.18. Ergo & hic voluntas defuit, non potestas. Rem egregiè expendit D.Chrys. in Psal.134. *D.Chrys.* *Ægyptij*, inquit, *quando percussa sunt eorum primogenita; vel inuito Rege, Hebræos expulerunt. Quare, si voluissent, etiam ab initio possent esse eo superiores. Non igitur Regem ideò non vicerunt, quòd non possent; sed quòd nollent. Hoc etiam euenit in Saül. Quando enim eius filium eripere oportebat; omnes communiter assentantes eripuerunt. Quando autem volebat occidere tot Sacerdotes; ne vocem quidem emiserunt, nec eos defenderunt. Huius rei causa erat socordia, & quòd Sacerdotum vicem non valdè dolebant.* Vnde concludit, tam Ægyptios, quàm Hebræos à Deo fuisse flagellatos: quòd non inuiti, sed planè voluntarij suis improbis Regibus consenserint. *Ægyptij, & Hebræi, quòd fuerit Principum malis, sponte consenserint, flagellati.* Ac demde admonet vniuersos: *Quando*, inquit, *factum fuerit aliquid nefarium; nemo sit iners & ignauus, sed igne ardentior; nec minùs doleat, quàm ij, quibus fit iniuria: & ita plurima mala sistentur.*

XXVII. *Intoleranda Principum ignauia, qui se non posse peccanti populo resistere causantur.*

Quæ socordia, vt obiter dicam, intolerabilior erit in Rege, si is causetur, se populo resistere non posse; & ideò pati, se ab eo in malum abripi: cùm tamen longè sit euidentius, Regem non potestate destitui, sed voluntate: vt patet in Rege Babylonis, qui cessit populo, Danielem ad mortem exposcenti; quasi non posset illi resistere. *Vidit ergo Rex*, inquit Textus, *quòd irruerent in eum vehementer, & necessitate compulsus tradidit eis Danielem.* Dan.14.num.29. Et tamen posteà idem Rex, *Illos, qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, & deuorati sunt in momento coram eo.* Ibidem, num.41. *Rex Babylonis, non potestate, sed voluntate destitutus ad resistẽdum populo, probatur.* Sicut igitur posteà restitit populo, quia simpliciter voluit: ita & initio restitisset, si simpliciter voluisset. Defectus igitur fuit volũtatis, non potestatis. Itaque nemo à peccato excusabitur, si peccanti consentiat, causatus se resistere non posse: cùm ex dictis constet, nemini deesse potestatem ad resistendum, sed voluntatem. Quare propter peccatum Principis, totus aliquando populus illi consentiens, aut certè non resistens, meritò punitur. Vnde, Pharaone Saram vxorem Abrahæ auferente: *Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius*, &c. Gen.12.num.17. Vbi Philo Iudæus lib. De Abrahamo: *Philo.* *Non solùm Pharao, sed etiã eius domus flagellatur, quia peccanti non restitit.* *Quam*, inquit, *eius* (id est, Pharaonis) *pœnam sensit & tota regia: eò quòd nemo se tanta iniquitati opposuerit.* Quasi & populum Regi se opponere; aut si minùs, puniri oporteret. Sic igitur hoc loco quatuor virorum millia cæduntur; quòd Principi Heli, eiúsque filiis peccantibus consenserint: cùm tamen resistere possent, si vellent; ac deberent, etiamsi nollent.

XXVIII. *Punitur populus Principis peccata imitatus.*

Tandem concludo, punitum fuisse populum; quia non solùm suis Principibus peccantibus consentiebat; sed etiam eos imitabatur: vt patet ex cap.2.num.24. vbi omnes pariter diuinas leges

XXXVII. *Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini,* &c. Hæc est altera pars consultationis circa faciendæ. Nam, inuenta causa mali, vt putabant, de remedio prouidebant: *Afferamus*, inquiunt, *ad nos Arcam Domini.* Sed planè, cùm deberent capiti mederi, reduuiam curabant, vt est in parœmia: hoc est: cùm deberent peccata ab animis extirpare, Arcam Dei in castra afferebant: existimantes, & ex absentia huius, calamitatem inductam fuisse; & ex eiusdem præsentia, fore sine dubio propulsandam. In quam sententiam induci potuerunt, quia meminerant, Arcæ præsentiam fuisse olim causam triumphorum; absentiam, ruinarum. Hoc patet: quia, cùm aliquando Israelitæ contra Amalecitas & Chananæos infeliciter dimicarent, multis plagis percussi ac trucidati; statim huius calamitatis causa fuisse absentia Arcæ significatur. *At illi*, inquit Textus, scilicet, Hebræi, *contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem Testamenti Domini, & Moyses non recesserunt de castris.* Numer. 14 num. 44. Hoc est: quia in absentia Arcæ decertarunt, miserabiliter corruerunt.

Agitur de afferenda Arca in prælium.

Arcæ præsentia, causa triumphorum; absentia, ruinarum.

Probatur hoc posterius.

XXXVIII. Illud autem colligitur ex bello contra Madianitas suscepto, & feliciter peracto; ad quod misit Moyses duodecim millia expeditorum, cum Phinees filio Eleazari Sacerdotis: *Vasáque sancta*, addit Textus, *& tubas ad clangendum tradidit ei.* Num. 31. num. 6. Vbi Hebræi apud Lyran. Vatab. Abul. Oleast. & alios recentiores per vasa sancta Arcam fœderis intelligunt; ad cuius conspectum pugna feliciter gesta est, & victoria feliciùs reportata. Clariùs id habetur ex euersione Ierícho, cuius muri, Arca circumeunte, & felicem euentum auspicante, labefacti ceciderunt. Ius. 6. à n. 4. Vt dubitandum non sit, Arcam sua præsentia capiendæ vrbi patrocinatam. Non minus illustre desumitur argumentum, ex victoria, quam Saül, præsente Arca Domini, de Philisthinis reportauit. 1. Reg. 14. à num. 18. Vbi iterum ostendam, quantum olim in rebus arduis ex Arca fœderis præsidium sumeretur. Facit etiam illa victoria, quam Ioab tulit de Ammonitis, cùm eorum vrbem Rabbath expugnauit. 2. Reg. 12. à n. 26. vtique ad præsentiam Arcæ: vt ex cap. 11. præced. num. 11. colligitur. Vbi Vrias dicit, Arcam Dei esse in papilionibus simul cum reliquo populo vrbem illam expugnaturo.

Probatur illud prius. Primò.

Lyra. Vatab. Abul. Oleast. *Secundò.*

Tertiò.

Quartò.

XXXIX. Denique solennis illa fuit Moysis in deserto consuetudo, de qua historia: *Cúmque eleuaretur*, inquit, *Arca, dicebat Moyses: Surge, Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tua.* Num. 10. n. 35. Vbi quantùm præsidij in Arca positum fuerit, non obscurè significatur. Vnde Ieremias, vt Iudæorum excidium prophetaret: *Non dicent vltrà*, inquit: *Arca Testamenti Domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet vltrà.* Ierem. 3. num. 16. Quasi diceret: Totus cultus illius Arcæ, in qua Hebræorum religio magna ex parte versabatur, euertetur. Sed quid est, *Nec fiet vltrà?* Exponunt aliqui recentiores: Non ampliùs Arca in prælium extrahetur; quo pacto anteà extrahi solebat, ad præsidium Hebræis pugnaturis conferendum. Itaque illius temporis consuetudo fuit, vt in difficillimis quibusque præliis Arca fœderis contra hostes admoueretur. Quod D. Athanasius in lib. De interpretatione Psalmorum, ad Marcellinum, expressit: *Si bellum*, inquit, *populo ingrueret, Arca, in qua erant tabulæ legis, ante omnes præcedebat: hoc sufficiebat illis pro quauis acie in subsidium; nisi in bandis Arcæ, aut in populo aliquod scelus, aut hypocrisis haeret. Fide siquidem, & sana affe-*

Quintò.

Consuetudo afferendi Arcam in prælium.

D. Athan. *Arca pro integra acie, dummodo abesset malitia.*

A *ctione opus est, vt lex nostra precibus cooperetur.*

Qua in re, sicut & in aliis, de quibus ad Sextum caput, Arca fœderis typus fuit Eucharistiæ: sicut enim illa apud Hebræos educi consueuerat ad pugnas, præsertim difficiliores, auxilium præbitura; ita sacra Eucharistia apud Christianos, cùm aliqua communis calamitas vrget, publicis supplicationibus circumfertur, & in apertis Sacrariis adoranda collocatur. Immò olim, ad serenandas maris tempestates, laborésque viatum releuandos, à nauigantibus ac iter agentibus pariter ferebatur: vt ex D. Ambrosio in Oratione De funere fratris sui Satyri, & D. Gregorio lib. 3. Dialog. c. 36. & Surio tom. 6. die 14. Nouembris, quos citat Cardin. Baronius tom. 1. anno Christi Domini 57. constare B potest. Nec ad antiquiora secula prouocare opus est: cùm etiam nostra tempestate Lusitani in Indiam nauigantes, medio in Oceano, hoc cælesti præsidio muniantur. Nam sereno cælo, & tranquillo salo, vela, ad carinas immobiliter fundandas, scitè religantur: eriguntur altaria, incenduntur odores, templorum in morem nauigia excoluntur: & Sacerdotibus ritè facientibus, omnes nauigantium ordines eucharistico pane conuiuantur, & inter maris salsedinem, huius cælestis nectaris dulcedine potiuntur: mirantibus, & gratulantibus marinis monstris, quòd non modò, vt olim, Spiritus Domini feratur super aquas; sed etiam Corpus Domini super aquas graditur. Verùm olim non solùm ad frænandas vndarum furias, & sedandas viarum molestias; sed etiam ad C diabolicos tumultus compescendos sacra Eucharistia sæpè foras efferebatur: vt ex multis historiis patebit, quas ad cap. sequens Num. 3. indicabo: quarum aliquot in Bozio De Signis Ecclesiæ, lib. 14. cap. 3. interim reperientur. De fabrica, loco, officio, sanctitate, & significatione Arcæ, plura in sequentibus dicemus.

XL.

Arca typus Eucharistiæ.

Eucharistia à nauigantibus, & iter agentibus olim deferebatur.

D. Ambros. D. Greg. Surius. Baron.

Lusitani in Indiam nauigantes Eucharistia subsidio fruuntur, Missas celebrando, & communicando in nauibus.

Eucharistia ad diabolicos tumultus compescendos olim foras efferebatur.

Bozius.

Et veniat in medium nostri, &c. Arcam in corde castrorum locandam statuebant. Vel, quia locus medius nobilior credebatur: vt patet etiam ex profanis literis, quarum multa testimonia colligit Tiraq. in præfatione De iure primigeniorum, *n.* 11. vt alios omittam recentiores de hac re latè agentes. Vel, quia erat tutior ac munitior: vnde, D quando olim Israeliticus populus solitudinem peragrabat, semper in medio castrorum loco Sanctuarium defigebat. Num. 2. num. 2. vt priùs se ab hostibus, quàm suum Sanctuarium expugnari paterentur. Et in expugnatione Iericho, præcedente exercitu armato, & subsequente vulgo buccinante, Arca media ferebatur. Iosue 6. à num. 7. Vt arca minori periculo, si quod esset, quàm populus laboraret. Hinc illa veterum consuetudo, quam D. Ambr. libr. De Noë & Arca, cap. 16. refert ex Homero, qui infirmiores milites in medio exercitu collocabant: vt magis hinc inde à fortioribus iuuarentur.

XLI.

Arca in medio castrorũ. Primò: quia erat locus nobilior.

Tiraq.

Secundò: quia erat tutior.

Antiqua consuetudo collocandi infirmiores milites in medio castrorum.

D. Greg. Homerus.

Vel tandem, quia erat accommodatior, vt ab omnibus adiri posset, ac defendere adeuntes. E Hanc enim ob causam Reges medium regni locum capessebant. Nam Princeps Ephron *Habitabat in medio filiorum Heth.* Gen. 23. n. 10. De Dauide olim Deus: *Ego Dominus*, inquit, *ero eis in Deum; & seruus meus David Princeps in medio eorum.* Ezech. 34. num. 24. De Christo Domino in terris viuente, Euangelista: *Medius*, inquit, *vestrûm stetit, quem vos nescitis.* Ioan 1. num. 26. De eodem in cælo iam regnante: *Qui*, inquit, *ambulat in medio candelabrorum aureorum.* Apoc. 2. num. 1. Quin etiam ipse Deus: *Ero*, inquit, *ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Zach. 2. num. 5. Seu, vt est

XLII.

Tertiò: quia erat aptior, vt adiretur.

Principes in medio subditorum.

est in Hebræo: *Ero iecur in medio eorum.* Sicut enim in iecore sanguis concoquitur, inde in omnium membrorum nutrimentum diffundendus: ita à Deo omnium hominum præsidia deriuãtur. Cùm igitur Arca in præsidium Hebræorum afferretur, in eorum medio debuit collocari: vt posset ab omnibus æqualiter conueniri, & in omnium vtilitates æqualiter prouidere. Ad hunc enim finem afferebatur, vt patet ex verbis sequentibus.

XLIII. *Arca aliquãdo in prima exercitus fronte.*

Illud tamen notandum, non semper Arcam in medio castrorum loco collocari solitam. Aliquando enim in prima exercitus fronte anteibat: vt pater in primis, in solitudine, iuxta illud: *Arca fœderis Domini præcedebat eos per dies tres, prouidens castrorum locum.* Numer. 10. n. 33. Deinde in transitu Iordanis, iuxta illud: *Quando videritis Arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes stirpis Leuitica portantes eam; vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes.* Ios. 3. n. 3. Fortasse, quia tunc Arca loco nubis, quæ iam deerat, exercitum ducebat.

XLIV. *Arca non vt artefactum, sed vt oraculũ, & solium diuinitatis saluabat.*

Vt saluet nos de manu inimicorum nostrorũ, &c. Arca Dei sumi potest, vel vt quoddam humanæ industriæ artefactum; vel vt quoddam diuinæ præsentiæ ac sapientiæ oraculum: quamuis enim hominum manibus constructa fuerit; tamen Deum peculiari ratione præsentem indicabat, qui ex eo loco, & responsa dabat, & miracula exercebat, & vniuersum populum tuebatur. Ab illa igitur priori modo sumpta suam salutem non sperabant Israelitæ: alioqui nihilo ab Ethnicis distinguerentur, qui in lapideis simulacris spem suam reponebant; de quibus proinde Dauid: *Similes,* inquit, *illis fiant, qui faciunt ea; & omnes, qui confidunt in eis.* Psal. 113. num. 8. Quare in illa, vt erat peculiare diuinitatis solium, seu in Deo, qui se in illa propitium ostendebat, totam suam confidentiam collocabant: vt facilè colligitur ex Chaldæo Paraphraste, vbi pro illis verbis, *Vt saluet nos,* ponuntur hæc: *Et propter gloriam nominis eius liberabimur.* Ex quibus satis patet, Hebræos non ab Arca, sed à Deo, qui sub Arca colebatur, suam salutem sperasse, quemadmodum & in cæteris euentibus sperabant. Quod mihi videtur Diuus Paulus innuisse, cùm per spem Iudæorum in Arca, spem Christianorum in solo Deo explicanit: *Confugimus,* inquit, *ad tenendam propositam spem, quam sicut ancheram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis.* Hebr. 6. num. 18. & 19. Quasi diceret: Quemadmodum Iudæorum spes Sanctuarium penetrabat, & in ipsa Arca defigebatur: ita spes Christianorum cœlum empyreum ingreditur, & in ipso Deo immobilis collocatur. Non esset autem bona similitudo, si Iudæi in ipsa materiali Arca confiderent: tunc enim illorum spes à nostra toto cœlo distingueretur.

Spes in lapideis simulacris vana.
Spes in Arca, seu Deo, qui se ex Arca manifestabat, solida.
Spes in Arca posita repræsentabat spem in Christo ponendam.

XLV. *An confidentia Hebræorũ in Arca sit laudabilis. Duplex ratio negandi. Prima: quia erat sine cooperatione. Iacobus certa de Deo spes cooperabatur.*

Difficultas tamen est hoc loco: An spes, quam hîc Hebræi in Arca, seu in Deo, prout se ex Arca propitium ostendebat, posuerunt; laudabilis censeatur. Negant communiter Interpretes. Ratio mihi videtur duplex. Vna, quia nullam humanam industriam adhibebant, vt fractas sui exercitus vires resarcirent: sed in eodem rerum statu, quem habebant, de reditu ad bellum cogitabant; quod non est in Deo sperare, sed Deum tentare. Vnde Iacobus, quamuis certò sciret, fore vt nonquàm à fratre suo vinceretur, iuxta illud Angeli oraculum: *Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis?* Gen. 32. num. 28. tamen ita suæ familiæ prouidit; ac si ei ab Esaü aliquod nocumentum inferendum formidaret: vt patet ex Gen. 33. à num. 1. vbi vxores & filios suos in tres partes diuisit, ne omnes simul læderentur: sed vna

A parte percussa, alia saltem incolumis superesset. De qua re D. August. quæst. 102. in Genes. *Admonendi,* inquit, *sumus hoc exemplo, vt quamuis credamus in Deum; faciamus tamen, quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis, ne prætermittentes ea, Deum tentare videamur.* D. Aug.

XLVI. *Secunda ratio: quia erat sine extirpatione peccatorum.* Caiet.

Altera, quia suis peccatis pertinaciter adhærentes, de diuina misericordia nimiùm confidebant. Hanc reddit Caietanus: *Deuota,* inquit, *intentio, ac cõmendanda spes, si facta respondissent intentioni, ac spei. Fiducia enim in Arca Domini, quamuis in se bona ac sancta sit; insufficiens tamen est, nisi bonis operibus comprobetur. Recurrerunt isti ad externam ceremoniam, omittentes internam pœnitentiam peccatorum suorum; & in hoc peccauerunt relinquentes* B *veram causam percussionis.* Eandem causam prior tradidit Rupertus ad hunc locum, lib. 1. cap. 13. *Præsumptio,* inquit, *stulta ac vana, quæ tunc decepit improuidos, & iustitiæ, vel gloriæ Dei ignaros: ipsa eadem decepit illos, quando clausi, obsidente exercitu Romano, tumultuabantur & vociferabantur, confidentes, vt Historia tradunt, quòd nequaquàm toleraret Deus, priuari se illo pulchro templo, illo pulchro & aureo Sanctuario.* Et statim ostendit vtriusque præsumptionis vanitatem; cùm in vtroque euentu miserabilem traxerint ruinam. Sed & D. Aug. lib. 2. De mirabilibus Scripturæ, cap. 7. eam videtur rationem assignare: *Legis,* inquit, *transgressores, nequaquàm legis Arca tuetur. Victo priùs ac deleto populo, ab alienigenis ipsa capitur.* Vbi egregia vtitur paranomasia à C legis transgressoribus ad Arcam legis: quibus tantùm abest, vt illa patrocinetur; vt etiam nec se ipsam inter illos constitutam ab hostibus tueatur.

Rupert.
D. Aug. *Arca non solũ malos non tuetur: sed etiam neque se ipsam inter malos.*

XLVII. Theodor. *Inutilis confidentia in Arca legis, cõiuncta cum transgressione legis.*

Hoc etiam significare videtur Theodoretus in Psal. 77. n. 64. ibi: *Sacerdotes eius in gladio ceciderunt.* Vbi sic: *Ophni,* inquit, *& Phinees Sacerdotes, qui Arcam ipsam inuexerunt, cæsi sunt: ab ipso rerum euentu edocti, ne diuina ope freti sint, qui delinquere pergunt.* Vbi ostendit, inutilem fuisse confidentiam in Arca cum peccatis coniunctam. Et clariùs Orat. 1. in Dan. agens de Arca à Philisthæis capta, docet, *superuacaneum fuisse Hebræis illius Arcæ vsum, sine metu diuinam violantibus legem, & impiè viuere instituentibus.* Idem rursus hoc loco q. 13. docet, Hebræos, calamitatibus, quæ hîc narrantur, D à Deo fuisse edoctos, *Vt legitimè quidem viuentes, in Dei confiderent prouidentia: legem autem transgredienses, neque in ipsa, neque in Arca confiderent. Cur enim legem transgredientes Arcam ad auxilium traherent, quæ legem intus habet sitam?* Cui totidem verbis Procopius subscribit. Quibus adde Diuum Athanasium paulò antè citatum, cùm dixit, satis fuisse Arcam ad subsidium: *Nisi in baiulis Arcæ, aut in populo aliquod scelus, aut hypocrisis hæreret.* Addiditque: *Fide & sana affectione opus esse, vt lex nostris precibus cooperetur.* Ex his patet, hanc Hebræorum confidentiam, licèt in se mala non fuerit, sed bona, vt Abulensis quæst. 5. latiùs confirmat: tamen ex duplici circunstantia prædicta, non fuisse fructuosam. An E verò vlteriùs fuerit vitiosa intrinsecè, ex Annotatione 10. clariùs patebit.

Procop.
D. Athan. *Bona confidentia ex circunstantiis vitiatur, vel saltem infructuosa redditur.*
Abul.

* * *

ANNO

transgredi dicuntur. Et ne putarent Hebræi, se à suis peccatis excusatos esse, quòd suos Principes imitarentur: prius à Deo subditi, quàm Principes Heli, eiúsque filij puniuntur. Quid enim est absurdius, quàm peccare subditos; & se propter peccatum suorum Prælatorum, à propriis peccatis excusatos iudicare? In quos proinde aptissima est illa D. August. obiurgatio in lib. 50. homiliarum, hom. vlt. c. 13. *Tam sunt*, inquit, *isti absurdi & miseri, qui præpositorum suorum malos mores imitari eligant: quàm, si quisquam viator remeandum sibi esse existimet in itinere; cùm videat milliaria lapidea literis plena, viam docere, & non ambulare.* Vbi in primis doctos, sed malos Prælatos, comparat illis lapidibus, qui olim in publicis viis statuebantur, leucarum numero, & locorum distantiis inscripti. Vt enim hi viam indicabant, sed non arripiebant: ita & illi recta docent, sed non exequuntur. Deinde improbos subditos cōparat stultis viatoribus. Vt enim stultus erit viator, qui videns lapidem monstrare viam, & non ambulare, indignetur; & propterea non ambulet, sed regrediatur: ita stultus erit subditus, qui videns suum Prælatum bona dicere, & mala facere, illa deserat & contemnat; hæc arripiat & imitetur. Vnde D. Ambr. lib. 1. de Abraham, cap. 6. agens de peccato ebrietatis, quod illi duo Patriarchæ, Noë & Lot, commiserunt, Gen. 9. num. 21. & Gen. 19. num. 33. rectè monet, ne ex illorum peccatis illecebra peccandi, sed potiùs non peccandi cautio desumatur. *Instruunt*, inquit, *Patriarchæ non solùm docentes, sed etiam errantes. Ideò iteratum est exemplum ebrietatis, vt confirmetur magisterium cautionis.* De qua re in 1. tom. Annot. 2. Sect. 4. à num. 30. multa diximus.

Absurdū peccare subditos, quia vident peccare Principes.

D. August.

Mali Principes, lapides viarum indices.

D. Ambr. *Malo exēplo Principum nō ad peccandū, sed ad cauendum inducamur.*

XXIX. Ne igitur hi subditi sua hac opinione decipiantur, existiméntque propriam malitiam ex aliena excusari; priùs à Deo, quàm ipsi Principes Heli & eius filij percutiuntur. Simile quid accidit in Regno Israclis, seu Samariæ, seu decem Tribuum, vt appellant. Nam vltimus eius Rex fuit Osea; qui licèt improbus fuerit, tamen priores Reges sua improbitate oon exæquauit; iuxta illud: *Regnauit Osea, fecitque malum coram Domino: sed non sicut Reges Israel, qui ante eum fuerant.* 4. Reg. 17. n. 1. & 2. Et nihilominùs sub hoc Rege maior calamitas inflicta fuit regno Israëlis, quàm sub aliis Regibus inflicta fuerat. Nam sub aliis Regibus sæpiùs attritus populus, iterum instaurabatur: at verò sub hoc Rege captus populus, & translatus ad Assyrios, nunquàm posteà in priorem statum remigrauit: vt patet, tum ex citato capite, num. 23. tum etiam ex illis verbis Domini: *Non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum.* Oseæ 1. num. 6. vt ibi Interpretes communiter aduertunt. Cur igitur mitiùs agitur cum peioribus Regibus: & sub minùs malo maior calamitas infertur? Respondent aliqui Rabbini apud Lyranum; vt ostenderetur, inquiunt, non omninò fuisse crimen Regum, in quos populus reiiciebat culpam; sed etiam ipsius populi. Non existimet igitur populus, totius regni peccata in solo Rege sistere; & subditos à peccatis excusari: nam etiam in populum, & quidem cum maiori aliquando deformitate transfunduntur, si totius populi ad peccandum habenæ laxiores effundantur. Hæc igitur germana causa fuit, cur & Israël superetur; & priùs subditi, quàm Principes moriantur: quamuis de hoc posteriori aliam quoque rationem infrà num. 11. & Annot. 13. Sect. 4. assignabo.

Osea grauiùs punitur, quā alij Reges nequiores; non tam propter sua, quàm sui populi peccata.

Rabbini.

Hebræi sua superbia cæci, veras suæ percussionis causas, nempe, culpas suas, non agnoscunt; non emendant.

XXX. Cæterùm Hebræi in hac consultatione nunquàm dicuntur in hanc causam collimasse, suamque stragem in illam retulisse: quia propria peccata, vel ignorabant, vel tātæ calamitatis causas esse nesciebant. Vnde, vt pœnas effugerent; culpas, vt fieri oportebat, non emendabāt. Quam iustissimam querelam excitauit Ieremias de Hebræis à Deo grauissimè percussis; nec tamen intelligentibus percussionis suæ causas, nempe, culpas suas: *Quis*, inquit, *est vir sapiens, qui intelligat hoc: Quare perierit terra?* Ierem. 9. n. 12. Quibus proinde manifestari ab ipso Deo plagarum causas opus fuit. Sequitur enim: *Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meā*, &c. scilicet, percussi eos. Adeò enim hebescebāt, vt plagas sentirēt; & tamē proprias culpas illarum causas esse ignorarent. Eandem peruersitatem in Romanis admiratur D. Hier. in epist. 3. ad Heliodorum, De Epitaphio Nepotiani: *Romanus*, inquit, *orbis ruit, & tamen ceruix nostra erecta nō flectitur.* Et paulò pòst: *Nec amputamus causas morbi, vt morbus pariter auferatur.* Quid dementius, quàm incendi, & incendij fomitem non subtrahere? ægrotare, & ægritudinis causas non remouere? diminitùs puniri, & peccata, ob quæ punimur, non abiurare? Certè strenuissimi illi duces, Moyses, Iosaphat & Ezechias, vt refert D. Hieronym. citatus, detestando potiùs peccata, quàm arma tractando, diuina per hostes supplicia effugiebant, clarissimásque de illis victorias reportabant.

Dum culpas pœnarū causas non agnoscunt, non emendant.

Plagas sentiunt peccatores, culpas earum causas esse ignorant.

D. Hier.

XXXI. Non dissimilis fuit illa Diui Chrysostomi querimonia tom. 1. sermon. 2. De Helia, indignantis, quòd supplicia quidem currerent; peccata tamen minimè sisterētur. *Proh nefas!* inquit, *nulla ex pœna correctio: & quasi aduersus hominum malitia prouocetur; sic crescit quotidie, quòd puniatur. Amant pœnam, supplicium diligunt; nolunt recordari, vt viuant; nolunt corrigi, vt euadant: & quasi frugem mentis, sterilitas arefecerit siccitatis; sic, arescente terra, aruerunt & hominum corda.* Sed grauissima est de hac re illa D. Cypriani expostulatio, tract. contra Demetrium, vbi expendens illum Prophetæ locum: *Percussisti eos, & non doluerunt; attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Ierem. 5. n. 3. latissimè & eloquentissimè spatiatur: *Ecce*, inquit, *verbera desuper, & flagella non desunt: & trepidatio nulla, nulla formido est. Quid, si non intercederet rebus humanis, vel ista censura; quantò adhuc maior in omnibus esset audacia, facinorum impunitate secura?* Et paulò pòst: *Miraris*, inquit, *in pœnas generis humani iram Dei crescere, cùm crescat quotidie, quòd puniatur? Hostem quereris exurgere; quasi etsi hostis desit, esse pax inter ipsas togas possit? Quasi non, etsi externa de Barbaris arma comprimantur; ferociùs intus, & grauiùs de calumniis & iniuriis potentium ciuium, domestica impugnationis tela grassentur? De sterilitate, aut fame quereris; quasi famem maiorem siccitas, quàm rapacitas faciat; quasi non de captatis annonarum incrementis, & pretiorum cumulis, flagrantior inopiæ excrescat ardor? Quereris claudi imbribus cælum; cùm sic horrea claudantur in terris? Pestem & luem criminaris; cùm peste ipsa & lue, vel detecta sint, vel aucta crimina singulorum? dum nec infirmis exhibetur misericordia; & defunctis auaritia inhiat, ac rapina: iidem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarij; fugientes morientium funera,*

D. Chrys. Sub Helia currebant supplicia, peccata non quiescebant.

D. Cypr.

Effunduntur supplicia, sed peccata non refrænantur.

funera, & appetentes spolia mortuorum. Tantus eladium terror dare non potest innocentia disciplinam: & inter populum frequenti strage morientem, nemo considerat, se esse mortalem. Hæc ille. Vbi multò plura disertissimè.

XXXII. *Monstrosa cæcitas, non videntium culpas, & videntium pœnas.*

Vides, quanta peccatores ignorantia teneantur: vt riuos quidem pœnarum sentiant; earum tamen fontes, nempe, proprias culpas, nec intelligant, nec inquirant. Plane cæci sunt, quos Diabolus excæcauit; sicut olim Samsonem Philisthini, Iud. 16. n. 21. Immò cæcis deteriores, qui, cùm malum pœnæ videant, malum tamen culpæ non agnoscunt. In quos proinde optimè D. Augustinus lib. 3. De Ciuit. c. 1. vbi loquens de malis pœnæ, fame, morbis, & similibus: *Hæc*, inquit, *sola mali deputant mala, quæ non faciunt malos: nec erubescunt inter bona, quæ laudant, ipsi mali esse, qui laudant: magisque stomachantur, si villam malam habeant, quam si malam vitam: quasi hoc sit maximum hominis bonum, habere bona omnia præter se ipsum.* Similia sunt, quæ habet in tom. 10. libro De verbis Domini, serm. 16. *Villam*, inquit, *emis; bonam quæris: vxorem vis ducere; bonam eligis: filios tibi vis nasci, bonos optas: caligas locas; & non vis malas: & vitam amas malam? Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam; vt inter omnia bona tua solus sis malus?*

D. Aug.

Cæcitas inducta à Diabolo dextrum oculum, non sinistrum eruente.

Hanc planè cæcitatem Diabolus inducit. Vt enim olim Naas Ammonitarum Rex Israelitas dextris oculis priuare voluit, non sinistris, 1. Regum 11. n. 2. ita & Diabolus eum oculum eruit peccatoribus, qui interna mala intuetur, non qui externa: vt suas culpas ignorantes, & suas pœnas sentientes, nec ab his, nec ab illis exoluantur. Nam, qui culpas agnoscunt pœnas euadunt.

XXXIII. *Qui culpas fatentur, à pœnis liberantur.*

Patet ex toto Iudicum libro, vbi Iudæi idololatrantes in hostium potestatem tradebantur: sed suum peccatum agnoscentes eruebantur. In cuius rei typum, olim Deus ad Moysen: *Fac*, inquit, *serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet.* Num. 21. num. 8. Quo in loco mysterium latet, vt eleganter expressit Cæsarius Arelatensis homil. 2. De Pascha: *Tam prompta*, inquit, *aderat salubritas medicandi; quàm velox inerat felicitas intuendi. Sequebatur certum sub momentanea contemplatione remedium: quia latebat in serpente mysterium.* Et statim duplex mysterium deprehendit. Vnum, istis iam notum; quia serpens ab initio Mundi maledictus, Gen. 3. num. 14 repræsentabat Christum Dominum factum pro nobis *maledictum*. Gal. 3. num. 13. ad quem, qui aspectu fidei & charitatis accederet, quamuis serpentinis Diaboli morsibus laceratus, & multis scelerum venenis infectus, illicò sanaretur. Alterum mysterium magis reconditum est: *Modò*, inquit, *medela, si volumus, nobis contra morsum serpentis, viso serpente, confertur. Quod tunc euidenter implebatur, quando peccatum ipsius peccati cognitione curatur, & crimen criminis confessione abolebitur. Ac si homo, quando bene respicit peccatum suum, sanet morsum serpentis per serpentis aspectum.* Vbi vides, debitam propriorum scelerum notitiam, esse optimam eorundem scelerum medicinam.

Cæsarius Arel.

Serpēs æneus, typus Christi, quo cùm aspiciuntur, sanat.

Sicut serpentis morsus serpētis visu curabatur: ita viso peccatum peccati cognitione & confessione.

XXXIV. *Dauid sentiens pœnam, fatebatur culpam, & veniam consequebatur. Alterum exēpla in peccatis confitentium culpam, & consequentium veniam.*

Proptereà Dauid sentiens pœnam confitebatur culpam: *Prius*, inquit, *quàm humiliarer, ego deliqui.* Psal. 118. num. 67. Quasi diceret: Proptereà sequuta est humiliatio, quia delictum antecessit. Ex qua confessione sibi remedium comparauit. Nam, vt bene D. Ambros. serm. 9. in eundem Psalmum: *Si peccatis tuis*, inquit, *attribuas, quod humiliatus es: quidquid accidit, in te retorques, & ex reo incipis esse iustus, qui te ipsum condemnas: Iustus enim accusator est sui in exordio sermonis.* Prou. 18. n. 17. Sic vnus è

A septem Machabæis, cùm torqueretur: *Nos*, inquit, *propter nosmetipsos hoc patimur, peccantes in Deum nostrum.* 2. Machab. 7. n. 18. Vbi iam martyrio coronandus, oculos à propriis peccatis non auertebat; vt prius suis se lacrymis, quàm effuso cruore expiaret. Nec aliter Azarias inter flammas Babylonicæ fornacis: *Peccauimus*, inquit, *& iniquè egimus*, &c. *Omnia ergo, quæ induxisti super nos, & vniuersa, quæ fecisti nobis, vero iudicio fecisti.* Dan. 3. n. 29. & 31. Dum animi noxas, effusis lacrymis, extinxit; ignis flammas, illæso vestigio, calcauit. Quin etiam fratres Iosephi, de scypho argenteo accusati: *Deus*, inquiunt, *inuenit iniquitatem seruorum suorum.* Gen. 44. n. 16. At, cur se ab eo furto non excusarunt, cuius sibi conscij non erant? Pla-

B nè, quia aliorum scelerum memoriam refricabant, quibus suam illam vexationem tribuebant. Et propterea fortasse Iosephum hoc loco cognouerunt, & ab illo tandem veniam impetrarunt: quia, quamuis se possent ab illo furto excusare; dissimulare tamen maluerunt, & propter alias falsitem culpas, quas commiserant, præsentibus se pœnis deuouere.

XXXV. *Latro ex confessione culpæ, quam habuit ad fatendum regnum.*

Tandem latronem in cruce pendentem non prius Christus Dominus absoluit, quàm ille suam culpam agnosceret, & palàm confiteretur: *Nos quidem*, inquit ille, *iustè*, (scilicet, patimur) *nam digna factis recipimus.* Luc. 23. num. 41. Et statim ad Christum Dominum conuersus: *Domine*, inquit, *memento mei, cum veneris in regnum tuum.* In quem

C locum D. Chrysost. homil. priori de cruce & Latrone, ad finem tertij tomi: *Non est*, inquit, *ausus dicere: Memento mei: nisi confessione peccati sarcinam remisisset. Inspice, quantum præstat confessio: confessus est, & Paradisum patefecit: & tantam confessus fiduciam meruit, vt regnum post latrocinium postularet.* Quare rectè monuit Propheta, vt qui diuinis flagellis torquerentur, propria peccata cogitarent. *Ponite*, inquit, *corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati*, &c. Aggæi 1. num. 5. & 6. Quasi diceret: Cùm vobis à Deo plagæ imponuntur; cùm agrorum sterilitas, fames, sitis, aliaque id genus mala vobis, tanquam agmine facto, aduentantur; consulite conscientias vestras, ex quarum peccatis

D illa supplicia oriuntur: vt hęc effugiatis, illa emendetis.

D. Chrys.

Qui pœnas patiuntur, culpas timeant.

XXXVI. *Falluntur, qui suarum pœnarum causas, in suas culpas non conferunt.*

Vnde hallucinantur sæpenumerò, qui inductam famem attribuunt temporum iniuriis: qui mortem filiorum adscribunt Medicorum imperitiæ: qui defectum honorum, quos in Republica sperabant, referunt in odium & iniustitiam Principum & ministrorum; qui iacturas mercium, quas vel mare hausit, vel pirata abexit, detorquent in praua consilia gubernantium, qui incustodita maria relinquunt; vel inter medias hyemes non perlustrant: qui tandem clades ab hostibus acceptas in suorum ducum ac militum ignauiam transfundunt: cùm tamen hæc omnia flagella potiùs à Deo in nostra scelera vindice & vltore pro-

E ficiscantur, qui idcircò imponit plagas, vt culpas agnoscamus. Nam, vt bene D. Paschasius libr. De Corpore Domini, cap. 8. *Si Deus*, inquit, *hoc non intenderet* (scilicet, vt peccatores à suis culpis resipiscerent) *plaga & infirmitates nunquàm in populo Christi tantum crebrescerent.* Sed miseri ac cæci Israëlitæ de suis peccatis, quæ erat propria huius calamitatis causa, nihil omninò in hac consultatione meminerunt. Tertiam igitur suæ percussionis causam excogitarunt, nempe, absentiam Arcę fœderis: in hanc enim collunasse, patet ex verbis sequentibus.

Paschasius.

Tertia huius punctionis causa excogitatur, absentia Arcæ.

transgredi dicuntur. Et ne putarent Hebræi, se à suis peccatis excusatos esse, quòd suos Principes imitarentur: priùs à Deo subditi, quàm Principes Heli, eiúsque filij puniuntur. Quid enim est absurdius, quàm peccare subditos; & se propter peccatum suorum Prælatorum, à propriis peccatis excusatos iudicare? In quos proinde aptissima est illa D. August. obiurgatio in lib. 50. homiliarum, hom. vlt. c. 13. *Tam sunt, inquit, isti absurdi & miseri, qui præpositorum suorum malos mores imitari eligant: quàm, si quisquam viator remeandum sibi esse existimet in itinere; cùm videat milliaria lapidea literis plena, viam docere, & non ambulare.* Vbi in primis doctos, sed malos Prælatos, comparat illis lapidibus, qui olim in publicis viis statuebantur, leucarum numero, & locorum distantiis inscripti. Vt enim hi viam indicabant, sed non arripiebant: ita & illi rectè docent, sed non exequuntur. Deinde improbos subditos cōparat stultis viatoribus. Vt enim stultus erit viator, qui videns lapidem monstrare viam, & non ambulare, indignetur; & propterea non ambulet, sed regrediatur: ita stultus erit subditus, qui videns suum Prælatum bona dicere, & mala facere, illa deserat & contemnat; hæc arripiat & imitetur. Vnde D. Ambr. lib. 1. de Abrahamo, cap. 6. agens de peccato ebrietatis, quod illi duo Patriarchæ, Noë & Lot, commiserunt, Gen. 9. num. 21. & Gen. 19. num. 33. rectè monet, ne ex illorum peccatis illecebra peccandi, sed potiùs non peccandi cautio desumatur. *Instruant, inquit, Patriarchæ non solùm docentes, sed etiam errantes. Ideò iteratum est exemplum ebrietatis, vt confirmetur magisterium cautionis.* De qua re io 1. tom. Annot. 2. Sect. 4. à num. 50. multa diximus.

Absurdū peccare subditos, quia vident peccare Principes.

D. August.

Mali Principes, lapides viarum indices.

D. Ambr.

Malo exēplo Principum nō ad peccandū, sed ad cautendum inducamur.

XXIX. Ne igitur hi subditi sua hac opinione decipiantur, existiméntque propriam malitiam ex aliena excusari; priùs à Deo, quàm ipsi Principes Heli & eius filij percutiuntur. Simile quid accidit in Regno Israëlis, seu Samariæ, seu decem Tribuum, vt appellant. Nam vltimus eius Rex fuit Osea; qui licèt improbus fuerit, tamen priores Reges sua improbitate non exæquauit; iuxta illud: *Regnauit Osea, fecitque malum coram Domino: sed non sicut Reges Israel, qui ante eum fuerant.* 4. Reg. 17. n. 1. & 2. Et nihilominùs sub hoc Rege maior calamitas inflicta fuit regno Israëlis, quàm sub aliis Regibus inflicta fuerat. Nam sub aliis Regibus sæpiùs attritus populus, iterum instaurabatur: at verò sub hoc Rege captus populus, & translatus ad Assyrios, nunquàm postea in priorem statum remigrauit: vt patet, tum ex citato capite, num. 23. tum etiam ex illis verbis Domini: *Non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum.* Oseæ 1. num. 6. vt ibi Interpretes communiter aduertunt. Cur igitur miriùs agitur cum peioribus Regibus: & sub minùs malo maior calamitas infertur? Respondent aliqui Rabbini apud Lyranum: vt ostenderetur, inquiunt, non omninò fuisse crimen Regum, in quos populus reiiciebat culpam; sed etiam ipsius populi. Non existimet igitur populus, totius regni peccata in solo Rege sistere; & subditos à peccatis excusari: nam etiam in populum, & quidem cum maiori aliquando deformitate transfunduntur, si totius populi ad peccandum habenæ laxiores effundantur. Hæc igitur germana causa fuit, cur & Israël superetur; & priùs subditi, quàm Principes moriantur: quamuis de hoc posteriori aliam quoque rationem infrà num. 11. & Annot. 13. Sect. 4. assignabo.

Osea grauius punitur, quā alij Reges nequiores; non tam propter sua, quàm sui populi peccata.

Rabbini.

A *Hebræi sua superbia cæci, veras suæ percussionis causas, nempe, culpas suas, non agnoscunt; non emendant.*

XXX. Cæterùm Hebræi in hac consultatione nunquam dicuntur in hanc causam collimasse, suamque stragem in illam retulisse: quia propria peccata, vel ignorabant, vel tātæ calamitatis causas esse nesciebant. Vnde, vt pœnas effugerent; culpas, vt fieri oportebat, non emendabāt. Quam iustissimam querelam excitauit Ieremias de Hebræis à Deo grauissimè percussis; nec tamen intelligentibus percussionis suæ causas, nempe, culpas suas: *Quis, inquit, est vir sapiens, qui intelligat* B *hoc: Quare perierit terra?* Ierem. 9. n. 12. Quibus proinde manifestari ab ipso Deo plagarum causas opus fuit. Sequitur enim: *Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meā*, &c. scilicet, percussi eos. Adeò enim hebescebāt, vt plagas sentirēt; & tamē proprias culpas illarum causas esse ignorarent. Eandem peruersitatem in Romanis admiratur D. Hier. in epist. 3. ad Heliodorum, De Epitaphio Nepotiani: *Romanus, inquit, orbis ruit, & tamen ceruix nostra erecta nō flectitur.* Et paulò pòst: *Nec amputamus causas morbi, vt morbus pariter auferatur.* Quid dementius, quàm incendi, & incendij fomitem non subtrahere? ægrotare, & ægritudinis causas non remouere? diuinitùs puniri, & peccata, ob quæ punimur, non abiurare? Certè C strenuissimi illi duces, Moyses, Iosaphat & Ezechias, vt refert D. Hieronym. citatus, detestando potiùs peccata, quàm arma tractando, diuina per hostes supplicia effugiebant, clarissimásque de illis victorias reportabant.

Dum culpas penarū causas non agnoscunt, non emendant.

Plagas sentiunt peccatores, culpas earum causas esse ignorant. D. Hier.

XXXI. Non dissimilis fuit illa Diui Chrysostomi querimonia tom. 1. sermon. 2. De Helia, indignantis, quòd supplicia quidem currerent; peccata tamen minimè sisterētur. *Proh nefas! inquit, nulla ex pœna correctio: & quasi aduersis hominum malitia prouocetur; sic crescit quotidie, quòd puniatur. Amant pœnam, supplicium diligunt; nolunt recordari, vt viuant; nolunt corrigi, vt euadant: & quasi frugem mentis, sterilitas arefecerit siccitatis; sic, arefcente terra, aruerunt & hominum corda.* Sed grauissima est de D hac re illa D. Cypriani expostulatio, tract. contra Demetrium, vbi expendens illum Prophetæ locum: *Percussisti eos, & non doluerunt; attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Ierem. 5. n. 3. latissimè & eloquentissimè spatiatur: *Ecce, inquit, verbera desuper, & flagella non desunt: & trepidatio nulla, nulla formido est. Quid, si non intercederet rebus humanis, vel ista censura? quantò adhuc maior in omnibus esset audacia, facinorum impunitate secura?* Et paulò pòst: *Miraris, inquit, in pœnas generis humani iram Dei crescere, cùm crescat quotidie, quòd puniatur? Hostem quereris exurgere; quasi etsi hostis desit, esse pax inter ipsas togas possit? Quasi non, etsi externa de Barbaris arma comprimantur; ferocius intus, & grauiùs de calumniis & iniuriis potentium ciuium, domestica impugnationis tela grassentur?* E *De sterilitate, aut fame quereris; quasi famem maiorem siccitas, quàm rapacitas faciat; quasi non de captatis annonarum incrementis, & pretiorum cumulis, flagrantior inopia excrescat ardor? Quereris claudi imbribus cœlum; cùm sic horrea claudantur in terris? Pestem & luem criminaris, cùm peste ipsa & lue, vel detecta sint, vel aucta crimina singulorum? dum nec infirmis exhibetur misericordia; & defunctis auaritia inhiat, ac rapina: iidem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarij: fugiētes morientium funera,*

D. Chrys. Sub Helia currebant supplicia, peccata non quiescebant.

D. Cypr.

Effunduntur supplicia, sed peccata non refrænantur.

funera, & appetentes spolia mortuorum. Tantus cladium terror dare non potest innocentiæ disciplinam: & inter populum frequenti strage morientem, nemo considerat, se esse mortalem. Hæc ille. Vbi multò plura disertissimè.

XXXII. *Monstrosa cæcitas, non videntium culpas, & videntium pœnas.*

Vides, quanta peccatores ignorantia teneantur: vt riuos quidem pœnarum sentiant, earum tamen fontes, nempe, proprias culpas, nec intelligant, nec inquirant. Planè cæci sunt, quos Diabolus excæcauit; sicut olim Samsonem Philisthini, Iud. 16. n. 21. Immò cæcis deteriores, qui, cùm malum pœnæ videant, malum tamen culpæ non agnoscunt. In quos proinde optimè D. Augustinus lib. 3. De Ciuit. c. 1. vbi loquens de malis pœnæ, fame, morbis, & similibus: *Hæc*, inquit, *sola mali deputant mala, quæ non faciunt malos: nec erubescunt inter bona, quæ laudant, ipsi mali esse, qui laudant: magisque stomachantur, si villam malam habeant, quam si malam vitam: quasi hoc sit maximum hominis bonum, habere bona omnia præter se ipsum.* Similia sunt, quæ habet in tom. 10. libro De verbis Domini, serm. 16. *Villam*, inquit, *emis; bonam quæris: vxorem vis ducere; bonam eligis: filios tibi vis nasci; bonos optas: caligas locas; & non vis malas: & vitam amas malam? Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam; vt inter omnia bona tua solus sis malus?*

D. Aug.

Cæcitas inducta à Diabolo dextrum oculum, non sinistrum eruente.

Hanc planè cæcitatem Diabolus inducit. Vt enim olim Naas Ammonitarum Rex Israelitas dextris oculis priuare voluit, non sinistris, 1. Regum 11. n. 2. ita & Diabolus eum oculum eruit peccatoribus, qui interna mala intuetur, non qui externa: vt suas culpas ignorantes, & suas pœnas sentientes, nec ab his, nec ab illis exoluantur. Nam, qui culpas agnoscunt pœnas eudunt.

XXXIII. *Qui culpas fatentur, de pœnis liberantur.*

Patet ex toto Iudicum libro, vbi Iudæi idololatrantes in hostium potestatem tradebantur: sed suum peccatum agnoscentes eruebantur. In cuius rei typum, olim Deus ad Moysen: *Fac*, inquit, *serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet.* Num. 21. num. 8. Quo in loco mysterium latet, vt eleganter expressit Cæsarius Arelatensis homil. 2. De Pascha: *Tam prompta*, inquit, *aderat salubritas medicandi; quàm velox erat felicitas intuendi. Sequebatur certum sub momentanea contemplatione remedium: quia latebat in serpente mysterium.* Et statim duplex mysterium deprehendit. Vnum, satis iam notum; quia serpens ab initio Mundi maledictus, Gen. 3. num. 14 repræsentabat Christum Dominum factum pro nobis *maledictum.* Gal. 3. num. 13. ad quem, qui aspectu fidei & charitatis accederet, quamuis serpentinis Diaboli morsibus laceratus, & multis scelerum venenis infectus, illicò sanaretur. Alterum mysterium magis reconditum est: *Modò*, inquit, *medela, si volumus, nobis contra morsum serpentis, viso serpente, confertur. Quod tunc euidenter impletur, quando peccatum ipsius peccati cognitione curatur, & crimen criminis confessione abolctur. Ac si homo, quando bene respicit peccatum suum, sanet morsum serpentis per serpentis aspectum.* Vbi vides, debitam propriorum scelerum notitiam, esse optimam eorundem scelerum medicinam.

Cæsarius Arel.

Serpẽs æneus, typus Christi, qui cùm aspicitur, sanat.

Sicut serpentis morsus serpẽtis visu curabatur: ita nũc peccatum peccati cognitione & confessione.

XXXIV. *Dauid sentiens pœnam, fatebatur culpam, & veniam consequebatur. Aliorum exẽpla in pœnis confitentium culpam, & consequentium veniam.*

Propterea Dauid sentiens pœnam confitebatur culpam: *Prius*, inquit, *quàm humiliarer, ego deliqui.* Psal. 118. num. 67. Quasi diceret: Propterea sequuta est humiliatio, quia delictum antecessit. Ex qua confessione sibi remedium comparauit. Nam, vt bene D. Ambros. serm. 9. in eundem Psalmum: *Si peccatis tuis*, inquit, *attribuas, quòd humiliatus es: quidquid acciderit, in te retorques, & ex reo incipis esse iustus, qui te ipsum condemnas: Iustus enim accusator est sui in exordio sermonis.* Prou. 18. n. 17. Sic vnus è

A septem Machabæis, cùm torqueretur: *Nos*, inquit, *propter nosmetipsos hoc patimur, peccantes in Deum nostrum.* 2. Machab. 7. n. 18. Vbi iam martyrio coronandus, oculos a propriis peccatis non auertebat; vt prius suis se lacrymis, quàm effuso cruore expiaret. Nec aliter Azarias inter flammas Babylonicæ fornacis: *Peccauimus*, inquit, *& inique egimus*, &c. *Omnia ergo, quæ induxisti super nos, & vniuersa, quæ fecisti nobis, vero iudicio fecisti.* Dan. 3. n. 29. & 31. Dum animi noxas, effusis lacrymis, extinxit; ignis flammas, illæso vestigio, calcauit. Quin etiam fratres Iosephi, de scypho argenteo accusati: *Deus*, inquiunt, *inuenit iniquitatem seruorum tuorum.* Gen. 44. n. 16. At, cur se ab eo furto non excusarunt, cuius sibi conscij non erant? Planè, quia aliorum scelerum memoriam refricabant, quibus suam illam vexationem tribuebant. B Et propterea fortasse Iosephum hoc loco cognouerunt, & ab illo tandem veniam impetrarunt: quia, quamuis se possent ab illo furto excusare; dissimulare tamen maluerunt, & propter alias saltem culpas, quas commiserant, præsentibus se pœnis deuouere.

XXXV. *Latro ex confessione culpæ, spem habuit ad petendum regnum.*

Tandem latronem in cruce pendentem non priùs Christus Dominus absoluit, quàm ille suam culpam agnosceret, & palàm confiteretur: *Nos quidem*, inquit ille, *iuste*, (scilicet, patimur) *nam digna factis recipimus.* Luc. 23. num. 41. Et statim ad Christum Dominum conuersus: *Domine*, inquit, *memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* In quem C locum D. Chrysost. homil. priori de cruce & latrone, ad finem tertij tomi: *Non est*, inquit, *ausus dicere: Memento mei: nisi confessione peccati sarcinam remisisset. Inspice, quantum præstat confessio: confessus est, & Paradisum patefecit: & tantam confessus fiduciam meruit, vt regnum post latrocinium postularet.* Quare rectè monuit Propheta, vt qui diuinis flagellis torquerentur, propria peccata cogitarent. *Ponite*, inquit, *corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati*, &c. Aggæi 1. num. 5. & 6. Quasi diceret: Cùm vobis a Deo plagæ imponuntur; cùm agrorum sterilitas, fames, sitis, aliaque id genus mala vobis, tanquam agmine facto, aduersantur; consulite conscientias vestras, ex quarum peccatis D illa supplicia oriuntur: vt hęc effugiatis, illa emendetis.

D. Chrys.

Qui pœnas patiuntur, culpas timentur.

XXXVI. *Falluntur, qui suarum pœnarum causas, in suas culpas non conferunt.*

Vnde hallucinantur sæpenumerò, qui inductam famem attribuunt temporum iniuriis: qui mortem liberorum adscribunt Medicorum imperitiæ: qui defectum honorum, quos in Republica sperabant, referunt in odium & iniustitiam Principum & ministrorum; qui iacturas mercium, quas vel mare hausit, vel pirata auexit, detorquent in praua consilia gubernantium, qui incustodita maria relinquunt, vel inter medias hyemes non perlustrant: qui tandem clades ab hostibus acceptas in suorum ducum ac militum ignauiam transfundunt: cùm tamen hæc omnia flagella potiùs à Deo in nostra scelera vindice & vltore pro- E ficiscantur, qui idcircò imponit plagas, vt culpas agnoscamus. Nam, vt bene D. Paschasius libr. De Corpore Domini, cap. 8. *Si Deus*, inquit, *hoc non intenderet* (scilicet, vt peccatores à suis culpis resipiscerent) *plagæ & infirmitates nunquàm in populo Christi tantum crebrescerent.* Sed miseri ac cæci Israëlitæ de suis peccatis, quæ erat propria huius calamitatis causa, nihil omninò in hac consultatione meminerunt. Tertiam igitur suæ percussionis causam excogitarunt, nempe, absentiam Arcę fœderis: in hanc enim collimasse, patet ex verbis sequentibus.

Paschasius.

Tertia huius punitionis causa excogitatur, absentia Arcæ.

transgredi dicuntur. Et ne putarent Hebræi, se à suis peccatis excusatos esse, quòd suos Principes imitarentur: priùs à Deo subditi, quàm Principes Heli, eiúsque filij puniuntur. Quid enim est absurdius, quàm peccare subditos; & se propter peccatum suorum Prælatorum, à propriis peccatis excusatos iudicare? In quos proinde aptissima est illa D. August. obiurgatio in lib. 50. homiliarum, hom. vlt. c. 13. *Tam sunt*, inquit, *isti absurdi & miseri, qui præpositorum suorum malos mores imitari eligant: quàm, si quisquam viator remeandum sibi esse existimet in itinere; cùm videat milliaria lapidea literis plena, viam docere, & non ambulare.* Vbi in primis doctos, sed malos Prælatos, comparat illis lapidibus, qui olim in publicis viis statuebantur, leucarum numero, & locorum distantiis inscripti. Vt enim hi viam indicabant, sed non arripiebant: ita & illi recta docent, sed non exequuntur. Deinde improbos subditos cõparat stultis viatoribus. Vt enim stultus erit viator, qui videns lapidem monstrare viam, & non ambulare, indignetur; & propterea non ambulet, sed regrediatur: ita stultus erit subditus, qui videns suum Prælatum bona dicere, & mala facere, illa deserat & contemnat; hæc arripiat & imitetur. Vnde D. Ambr. lib. 1. de Abraham, cap. 6. agens de peccato ebrietatis, quod illi duo Patriarchæ, Noë & Lot, commiserunt, Gen. 9. num. 21. & Gen. 19. num. 33. rectè monet, ne ex illorum peccatis illecebra peccandi, sed potiùs non peccandi cautio desumatur. *Instruant*, inquit, *Patriarchæ non solùm docentes, sed etiam errantes. Ideò iteratum est exemplum ebrietatis, vt confirmetur magisterium cautionis.* De qua re in 1. tom. Annot. 2. Sect. 4. à num. 30. multa diximus.

Absurdũ peccare subditos, quia vident peccare Principes.

D. August.

Mali Principes, lapides viarum indices.

D. Ambr.
Malo exẽplo Principum nõ ad peccandũ, sed ad cauendum inducamur.

XXIX. Ne igitur hi subditi sua hac opinione decipiantur, existiméntque propriam malitiam ex aliena excusari; priùs à Deo, quàm ipsi Principes Heli & eius filij percutiuntur. Simile quid accidit in Regno Israëlis, seu Samariæ, seu decem Tribuum, vt appellant. Nam vltimus eius Rex fuit Osea; qui licèt improbus fuerit, tamen priores Reges sua improbitate non exæquauit; iuxta illud: *Regnauit Osea, fecitque malum coram Domino: sed non sicut Reges Israel, qui ante eum fuerant.* 4. Reg. 17. n. 1. & 2. Et nihilominùs sub hoc Rege maior calamitas inflicta fuit regno Israëlis, quàm sub aliis Regibus inflicta fuerat. Nam sub aliis Regibus sæpiùs attritus populus, iterum instaurabatur: at verò sub hoc Rege captus populus, & translatus ad Assyrios, nunquàm postea in priorem statum remigrauit: vt patet, tum ex citato capite, num. 23. tum etiam ex illis verbis Domini: *Non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum.* Oseæ 1. num. 6. vt ibi Interpretes communiter aduertunt. Cur igitur mitiùs agitur cum peioribus Regibus: & sub minùs malo maior calamitas infertur? Respondent aliqui Rabbini apud Lyranum: vt ostenderetur, inquiunt, non omninò fuisse crimen Regum, in quos populus reiiciebat culpam; sed etiam ipsius populi. Non existimet igitur populus, totius regni peccata in solo Rege sistere; & subditos à peccatis excusari: nam etiam in populum, & quidem cum maiori aliquando deformitate transfunduntur; si totius populi ad peccandum habenæ laxiores effundantur. Hæc igitur germana causa fuit, cur & Israël superetur; & priùs subditi, quàm Principes moriantur: quamuis de hoc posteriori aliam quoque rationem infrà num. 11. & Annot. 13. Sect. 4. assignabo.

Osea grauiùs punitur, quã alij Reges nequiores; non tam propter sua, quàm sui populi peccata.

Rabbini.

A *Hebræi sua superbia cæci, veras suæ percussionis causas, nempe, culpas suas, non agnoscunt; non emendant.*

XXX. CÆterùm Hebræi in hac consultatione nunquàm dicuntur in hanc causam collimasse, suamque stragem in illam retulisse: quia propria peccata, vel ignorabant, vel tãtæ calamitatis causas esse nesciebant. Vnde, vt pœnas effugerent; culpas, vt fieri oportebat, non emendabãt. Quam iustissimam querelam excitauit Ieremias de Hebræis à Deo grauissimè percussis; nec tamen intelligentibus percussionis suæ causas, nempe, culpas suas: *Quis*, inquit, *est vir sapiens, qui intelligat* B *hoc: Quare perierit terra?* Ierem. 9. n. 12. Quibus proinde manifestari ab ipso Deo plagarum causas opus fuit. Sequitur enim: *Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meã*, &c. scilicet, percussi eos. Adeò enim hebescebãt, vt plagas sentirẽt; & tamẽ proprias culpas illarum causas esse ignorarent. Eandem peruersitatem in Romanis admiratur D. Hier. in epist. 3. ad Heliodorum, De Epitaphio Nepotiani: *Romanus*, inquit, *orbis ruit, & tamen ceruix nostra erecta nõ flectitur.* Et paulò pòst: *Nec amputamus causas morbi, vt morbus pariter auferatur.* Quid dementius, quàm incendi, & incendij fomitem non subtrahere? ægrotare, & ægritudinis causas non remouere? damnitùs puniri, & peccata, ob quæ punimur, non abiurare? Certè C strenuissimi illi duces, Moyses, Iosaphat & Ezechias, vt refert D. Hieronym. citatus, detestando potiùs peccata, quàm arma tractando, diuina per hostes supplicia effugiebant, clarissimásque de illis victorias reportabant.

Dum culpas pœnarũ causas non agnoscunt, non emendant.

Plagas sentiunt peccatores; culpas earum causas esse ignorant.
D. Hier.

XXXI. Non dissimilis fuit illa Diui Chrysostomi querimonia tom. 1. sermon. 2. De Helia, indignantis, quòd supplicia quidem currerent; peccata tamen minimè sisterẽtur. *Proh nefas!* inquit, *nulla ex pœna correctio: & quasi aduersis hominum malitia prouocetur; sic crescit quotidie, quòd puniatur. Amant pœnam, supplicium diligunt; nolunt recordari, vt viuant; nolunt corrigi, vt euadant. & quasi frugem mentis, sterilitas arefecerit siccitatis; sic, arescente terra, aruerunt & hominum corda.* Sed grauissima est de D hac re illa D. Cypriani expostulatio, tract. contra Demetrium, vbi expendens illum Prophetæ locum: *Percussisti eos, & non doluerunt; attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Ierem. 5. n. 3. latissimè & eloquentissimè spatiatur: *Ecce*, inquit, *verbera desuper, & flagella non desunt: & trepidatio nulla, nulla formido est. Quid, si non intercederet rebus humanis, vel ista censura; quantò adhuc maior in omnibus esset audacia, facinorum impunitate secura?* Et paulò pòst: *Miraris*, inquit, *in pœnas generis humani iram Dei crescere, cùm crescat quotidie, quòd puniatur? Hostem quereris exurgere; quasi etsi hostis desit, esse pax inter ipsas togas possit? Quasi non, etsi externa de Barbaris arma comprimantur; ferociùs intus, &* E *grauiùs de calumniis & iniuriis potentium ciuium, domestica impugnationis tela grassentur? De sterilitate, aut fame quereris; quasi famem maiorem siccitas, quàm rapacitas faciat; quasi non de captatis annonarum incrementis, & pretiorum cumulis, flagrantior inopia excrescat ardor? Quereris claudi imbribus cælum; cùm sic horrea claudantur in terris? Pestem & luem criminaris; cùm peste ipsa & lue, vel detecta sint, vel aucta crimina singulorum? dum nec infirmis exhibetur misericordia; & defunctis auaritia inhiat, ac rapina: iidem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarij; fugiẽtes morientium funera,*

D. Chryſ.
Sub Helia currebant supplicia, peccata non quiescebant.

D. Cypr.

Effunduntur supplicia, sed peccata non refrænantur.

funera, & appetentes spolia mortuorum. Tantus cladium terror dare non potest innocentiæ disciplinam: & inter populum frequenti strage morientem, nemo considerat, se esse mortalem. Hæc ille. Vbi multò plura disertissimè.

XXXII.
Monstrosa cæcitas, non videntium culpas, & videntium pœnas.

Vides, quanta peccatores ignorantia teneantur: vt riuos quidem pœnarum sentiant; earum tamen fontes, nempe, proprias culpas, nec intelligant, nec inquirant. Planè cæci sunt, quos Diabolus excæcauit; sicut olim Samsonem Philisthini, Iud. 16. n. 21. Immò cæcis deteriores, qui, cùm malum pœnæ videant, malum tamen culpæ non agnoscunt. In quos proinde optimè D. Augustinus lib. 3. De Ciuit. c. 1. vbi loquens de malis pœnæ, fame, morbis, & similibus: *Hæc*, inquit, *sola mali deputant mala, quæ non faciunt malos: nec erubescunt inter bona, quæ laudant, ipsi mali esse, qui laudant: magisque stomachantur, si villam malam habeant, quam si malam vitam: quasi hoc sit maximum hominis bonum, habere bona omnia præter se ipsum.* Similia sunt, quæ habet in tom. 10. libro De verbis Domini, serm. 16. *Villam*, inquit, *emis; bonam quæris: vxorem vis ducere; bonam eligis: filios tibi vis nasci; bonos optas: caligas locas; & non vis malas: & vitam amas malam? Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam; vt inter omnia bona tua solus sis malus?* Hanc planè cæcitatem Diabolus inducit. Vt enim olim Naas Ammonitarum Rex Israëlitas dextris oculis priuare voluit, non sinistris, 1. Regum 11. n. 2. ita & Diabolus eum oculum eruit peccatoribus, qui interna mala intuetur, non qui externa: vt suas culpas ignorantes, & suas pœnas sentientes, nec ab his, nec ab illis exoluantur. Nam, qui culpas agnoscunt pœnas euadunt.

D. Aug.

Cæcitas inducta à Diabolo dextrum oculum, non sinistrum eruente.

XXXIII.
Qui culpas fatentur, de pœnis liberantur.

Patet ex toto Iudicum libro, vbi Iudæi idololatrantes in hostium potestatem tradebantur: sed suum peccatum agnoscentes eruebantur. In cuius rei typum, olim Deus ad Moysen: *Fac*, inquit, *serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet.* Num. 21. num. 8. Quo in loco mysterium latet, vt eleganter expressit Cæsarius Arelatensis homil. 2. De Pascha: *Tam prompta*, inquit, *aderat salubritas medicandi; quàm velox inerat felicitas intuendi. Sequebatur certum sub momentanea contemplatione remedium: quia latebat in serpente mysterium.* Et statim duplex mysterium deprehendit. Vnum, satis iam notum; quia serpens ab initio Mundi maledictus, Gen. 3. num. 14 repræsentabat Christum Dominum factum pro nobis *maledictum.* Gal. 3. num. 13. ad quem, qui aspectu fidei & charitatis accederet, quamuis serpentinis Diaboli morsibus laceratus, & multis scelerum venenis infectus, illicò sanaretur. Alterum mysterium magis reconditum est: *Modò*, inquit, *medela, si volumus, nobis contra morsum serpentis, viso serpente, confertur. Quod tunc euidenter impletur, quando peccatum ipsius peccati cognitione curatur, & crimen criminis confessione abolctur. Ac si homo, quando bene respicit peccatum suum, sanet morsum serpentis per serpentis aspectum.* Vbi vides, debitam propriorum scelerum notitiam, esse optimam eorundem scelerum medicinam.

Cæsarius Arel.

Serpēs æneus, typus Christi, qui cùm aspiceretur, sanat.

Sicut serpentis morsus serpētis visu curabatur: ita nūc peccatum peccati cognitione & confessione.

XXXIV.
Dauid sentiens pœnam, fatebatur culpam, & veniam consequebatur.
Aliorum exēpla in pœnis confitentium culpam, & consequentium veniam.

Propterea Dauid sentiens pœnam confitebatur culpam: *Priùs*, inquit, *quàm humiliarer, ego deliqui.* Psal. 118. num. 67. Quasi diceret: Propterea secuta est humiliatio, quia delictum antecessit. Ex qua confessione sibi remedium comparauit. Nam, vt bene D. Ambros. serm. 9. in eundem Psalmum: *Si peccatis tuis*, inquit, *attribuas, quòd humiliatus es: quidquid acciderit, in te retorques, & ex reo incipis esse iustus, qui te ipsum condemnas: Iustus enim accusator est sui in exordio sermonis.* Prou. 18. n. 17. Sic vnus è septem Machabæis, cùm torqueretur: *Nos*, inquit, *propter nosmetipsos hoc patimur, peccantes in Deum nostrum.* 2. Machab. 7. n. 18. Vbi iam martyrio coronandus, oculus a propriis peccatis non auertebat; vt prius suis se lacrymis, quàm effuso cruore expiaret. Nec aliter Azarias inter flammas Babylonicæ fornacis: *Peccauimus*, inquit, *& iniquè egimus*, &c. *Omnia ergo, quæ induxisti super nos, & vniuersa, quæ fecisti nobis, vero iudicio fecisti.* Dan. 3. n. 29. & 31. Dum animi noxas, effusis lacrymis, extinxit; ignis flammas, illæso vestigio, calcauit. Quin etiam fratres Iosephi, de scypho argenteo accusati: *Deus*, inquiunt, *inuenit iniquitatem seruorum tuorum.* Gen. 44. n. 16. At, cur se ab eo furto non excusarunt, cuius sibi conscij non erant? Planè, quia aliorum scelerum memoriam refricabant, quibus suam illam vexationem tribuebant. Et propterea fortasse Iosephum hoc loco cognouerunt, & ab illo tandem veniam impetrarunt: quia, quamuis se possent ab illo furto excusare; dissimulare tamen maluerunt, & propter alias saltem culpas, quas commiserant, præsentibus se pœnis deuouere.

XXXV.
Latro ex confessione culpæ, spem habuit ad petendum regnum.

Tandem latronem in cruce pendentem non priùs Christus Dominus absoluit, quàm ille suam culpam agnosceret, & palàm confiteretur: *Nos quidem*, inquit ille, *iustè*, (scilicet, patimur) *nam digna factis recipimus.* Luc. 23. num. 41. Et statim ad Christum Dominum conuersus: *Domine*, inquit, *memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* In quem locum D. Chrysost. homil. priori de cruce & latrone, ad finem tertij tomi: *Non est*, inquit, *ausus dicere: Memento mei: nisi confessione peccati sarcinam remisisset. Inspice, quantum præstat confessio: confessus est, & Paradisum patefecit: & tantam confessus fiduciam meruit, vt regnum post latrocinium postularet.* Quare rectè monuit Propheta, vt qui diuinis flagellis torquerentur, propria peccata cogitarent. *Ponite*, inquit, *corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati*, &c. Aggæi 1. num. 5. & 6. Quasi diceret: Cùm vobis a Deo plagæ imponuntur; cùm agrorum sterilitas, fames, sitis, aliaque id genus mala vobis, tanquam agmine facto, aduersantur; consulite conscientias vestras, ex quarum peccatis illa supplicia oriuntur: vt hęc effugiatis, illa emendetis.

D. Chrys.

Qui pœnas patiuntur, culpas timentur.

XXXVI.
Falluntur, qui suarum pœnarum causas, in suas culpas non conferunt.

Vnde hallucinantur sæpenumerò, qui inductam famem attribuunt temporum iniuriis: qui mortem filiorum adscribunt Medicorum imperitiæ: qui defectum honorum, quos in Republica sperabant, referunt in odium & iniustitiam Principum & ministrorum; qui iacturas mercium, quas vel mare hausit, vel pirata auexit, detorquent in praua consilia gubernantium, qui incustodita maria relinquunt; vel inter medias hyemes non perlustrant: qui tandem clades ab hostibus acceptas in suorum ducum ac militum ignauiam transfundunt: cùm tamen hæc omnia flagella potiùs à Deo in nostra scelera vindice & vltore proficiscantur, qui idcircò imponit plagas, vt culpas agnoscamus. Nam, vt bene D. Paschasius libr. De Corpore Domini, cap. 8. *Si Deus*, inquit, *hoc non intenderet* (scilicet, vt peccatores à suis culpis resipiscerent) *plagæ & infirmitates nunquàm in populo Christi tantum crebresceret.* Sed miseri ac cæci Israëlitæ de suis peccatis, quæ erat propria huius calamitatis causa, nihil omninò in hac consultatione meminerunt. Tertiam igitur suæ percussionis causam excogitarunt, nempe, absentiam Arcæ fœderis: in hanc enim collimasse, patet ex verbis sequentibus.

Paschasius.

Tertia huius punitionis causa excogitatur, absentia Arcæ.

Absurdū peccare subditos, quia vident peccare Principes. — D. August. — *Mali Principes, lapides viarum indices.* — D. Ambr. *Malo exēplo Principum nō ad peccandū, sed ad cauendum inducamur.*

A transgredi dicuntur. Et ne putarent Hebræi, se à suis peccatis excusatos esse, quòd suos Principes imitarentur: priùs à Deo subditi, quam Principes Heli, eiúsque filij puniuntur. Quid enim est absurdius, quàm peccare subditos; & se propter peccatum suorum Prælatorum, à propriis peccatis excusatos iudicare? In quos proinde aptissima est illa D. August. obiurgatio in lib. 50. homiliarum, hom. vlt. c. 13. *Tam sunt*, inquit, *isti absurdi & miseri, qui præpositorum suorum malos mores imitari eligant: quàm, si quisquam viator remeandum sibi esse existimet in itinere; cùm videat milliaria lapidea literis plena, viam docere, & non ambulare.* Vbi in primis doctos, sed malos Prælatos, comparat illis lapidibus, qui olim in publicis viis B statuebantur, leucarum numero, & locorum distantiis inscripti. Vt enim hi viam indicabant, sed non arripiebant: ita & illi recta docent, sed non exequuntur. Deinde improbos subditos cōparat stultis viatoribus. Vt enim stultus erit viator, qui videns lapidem monstrare viam, & non ambulare, indignetur; & propterea non ambulet, sed regrediatur: ita stultus erit subditus, qui videns suum Prælatum bona dicere, & mala facere, illa deserat & contemnat; hæc arripiat & imitetur. Vnde D. Ambr. lib. 1. de Abraham, cap. 6. agens de peccato ebrietatis, quod illi duo Patriarchæ, Noë & Lot, commiserunt, Gen. 9. num. 21. & Gen. 19. num. 33. rectè monet, ne ex illorum peccatis illecebra peccandi, sed potiùs non peccandi cautio desumatur. *Instruant*, inquit, *Patriarchæ C non solùm docentes, sed etiam errantes. Ideò iteratum est exemplum ebrietatis, vt confirmetur magisterium cautionis.* De qua re in 1. tom. Annot. 2. Sect. 4. à num. 30. multa diximus.

XXIX. *Osea grauiùs punitur, quā alij Reges nequiores; non tam propter sua, quàm sui populi peccata.*

Ne igitur hi subditi sua hac opinione decipiantur, existiméntque propriam malitiam ex aliena excusari; priùs à Deo, quàm ipsi Principes Heli & eius filij percutiuntur. Simile quid accidit in Regno Israëlis, seu Samariæ, seu decem Tribuum, vt appellant. Nam vltimus eius Rex fuit Osea; qui licet improbus fuerit, tamen priores Reges sua improbitate non exæquauit; iuxta illud: *Regnauit Osea, fecítque malum coram Domino: sed non sicut Reges Israel, qui ante eum fuerant.* 4. D Reg. 17. n. 1. & 2. Et nihilominùs sub hoc Rege maior calamitas inflicta fuit regno Israëlis, quàm sub aliis Regibus inflicta fuerat. Nam sub aliis Regibus sæpiùs attritus populus, iterum instaurabatur: at verò sub hoc Rege captus populus, & translatus ad Assyrios, nunquàm postea in priorem statum remigrauit: vt patet, tum ex citato capite, num. 23. tum etiam ex illis verbis Domini: *Non addam vltrà misereri domui Israel, sed obliuione obliuiscar eorum.* Oseæ 1. num. 6. vt ibi Interpretes communiter aduertunt. Cur igitur mitiùs agitur cum peioribus Regibus: & sub minùs malo maior calamitas infertur? Respondent aliqui Rabbini apud Lyranum: vt ostenderetur, inquiunt, non omninò fuisse crimen Regum, in E quos populus reiiciebat culpam; sed etiam ipsius populi. Non existimet igitur populus, totius regni peccata in solo Rege sistere; & subditos à peccatis excusari: nam etiam in populum, & quidem cum maiori aliquando deformitate transfunduntur; si totius populi ad peccandum habenæ laxiores effunduntur. Hæc igitur germana causa fuit, cur & Israël spernetur; & priùs subditi, quàm Principes moriantur: quamuis de hoc posteriori aliam quoque rationem infrà num. 11. & Annot. 13. Sect. 4. assignabo.

Rabbini.

A *Hebræi sua superbia cæci, veras suæ percussionis causas, nempe, culpas suas, non agnoscunt; non emendant.*

XXX. *Dum culpas punarū causas non agnoscunt, non emendant.*

CÆterùm Hebræi in hac consultatione nunquàm dicuntur in hanc causam collimasse, suamque stragem in illam retulisse: quia propria peccata, vel ignorabant, vel tātæ calamitatis causas esse nesciebant. Vnde, vt pœnas effugerent; culpas, vt fieri oportebat, non emendabāt. Quam iustissimam querelam excitauit Ieremias de Hebræis à Deo grauissimè percussis; nec tamen intelligentibus percussionis suæ causas, nempe, culpas suas: *Quis*, inquit, *est vir sapiens, qui intelligat B hoc: Quare perierit terra?* Ierem. 9. n. 12. Quibus proinde manifestari ab ipso Deo plagarum causas opus fuit. Sequitur enim: *Et dixit Dominus: Quia dereliquerunt legem meā*, &c. scilicet, percussi eos. Adeò enim hebescebāt, vt plagas sentirēt; & tamē proprias culpas illatum causas esse ignorarent. Eandem peruersitatem in Romanis admiratur D. Hier. in epist. 3. ad Heliodorum, De Epitaphio Nepotiani: *Romanus*, inquit, *orbis ruit, & tamen ceruix nostra erecta nō flectitur.* Et paulò pòst: *Nec amputamus causas morbi, vt morbus pariter auferatur.* Quid dementius, quàm incendi, & incendij fomitem non subtrahere? ægrotare, & ægritudinis causas non remouere? diuinitùs puniri, & peccata, ob quæ punimur, non abiurare? Certè C strenuissimi illi duces, Moyses, Iosaphat & Ezechias, vt refert D. Hieronym. citatus, detestando potiùs peccata, quàm arma tractando, diuina per hostes supplicia effugiebant, clarissimásque de illis victorias reportabant.

Plagas sentiant peccatores, culpas earum causas esse ignorant. — D. Hier.

XXXI. D. Chrys. *Sub Helia currebant supplicia, peccata non quiescebant.*

Non dissimilis fuit illa Diui Chrysostomi querimonia tom. 1. sermon. 2. De Helia, indignantis, quòd supplicia quidem currerent; peccata tamen minimè sisterētur. *Proh nefas!* inquit, *nulla ex pœna correctio: & quasi aduersis hominum malitia prouocetur; sic crescit quotidie, quòd puniatur. Amant pœnam, supplicium diligunt; nolunt recordari, vt viuant; nolunt corrigi, vt euadant: & quasi frugem mentis, sterilitas arefecerit siccitatis; sic, arescente terra, aruerunt & hominum corda.* Sed grauissima est de D hac re illa D. Cypriani expostulatio, tract. contra Demetrium, vbi expendens illum Prophetæ locum: *Percussisti eos, & non doluerunt; attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Ierem. 5. n. 3. latissimè & eloquentissimè spatiatur: *Ecce*, inquit, *verbera desuper, & flagella non desunt: & trepidatio nulla, nulla formido est. Quid, si non intercederet rebus humanis, vel ista censura; quantò adhuc maior in omnibus esset audacia, facinorum impunitate secura?* Et paulò pòst: *Miraris*, inquit, *in pœnas generis humani iram Dei crescere, cùm crescat quotidie, quòd puniatur? Hostem quereris exurgere; quasi etsi hostis desit, esse pax inter ipsas togas possit? Quasi non, etsi externa de Barbaris arma comprimantur; feroE ciùs intus, & grauiùs de calumniis & iniuriis potentium ciuium, domesticæ impugnationis tela grassentur? De sterilitate, aut fame quereris; quasi famem maiorem siccitas, quàm rapacitas faciat; quasi non de captatis annonarum incrementis, & pretiorum cumulis, flagrantior inopiæ excrescat ardor? Quereris claudi imbribus cælum; cùm sic horrea claudantur in terris? Pestem & luem criminaris; cùm peste ipsa & lue, vel detecta sint, vel aucta crimina singulorum? dum nec infirmis exhibetur misericordia; & defunctis auaritia inhiat, ac rapina: iidem ad pietatis obsequium timidi, ad impia lucra temerarij; fugiētes morientium funera,*

D. Cypr. — *Effunduntur supplicia, sed peccata non refrænantur.*

funera, & appetentes spolia mortuorum. Tantus cladium terror dare non potest innocentia disciplinam: & inter populum frequenti strage morientem, nemo considerat, se esse mortalem. Hæc ille. Vbi multò plura disertissimè.

XXXII.

Monstrosa cæcitas, non videntium culpas, & videntium pœnas.

Vides, quanta peccatores ignorantia teneantur: vt riuos quidem pœnarum sentiant; earum tamen fontes, nempe, proprias culpas, nec intelligant, nec inquirant. Planè cæci sunt, quos Diabolus excæcauit; sicut olim Samsonem Philisthini, Iud. 16. n. 21. Immò cæcis deteriores, qui, cùm malum pœnæ videant, malum tamen culpæ non agnoscunt. In quos proinde optimè D. Augustinus lib. 3. De Ciuit. c. 1. vbi loquens de malis pœnæ, fame, morbis, & similibus: *Hæc*, inquit, *sola malè deputant mala, quæ non faciunt malos: nec erubescunt inter bona, quæ laudant, ipsi mali esse, qui laudant: magisque stomachantur, si villam malam habeant, quam si malam vitam: quasi hoc sit maximum hominis bonum, habere bona omnia præter se ipsum.* Similia sunt, quæ habet in tom. 10. libro De verbis Domini, serm. 16. *Villam*, inquit, *emis; bonam quæris: vxorem vis ducere; bonam eligis: filios tibi vis nasci; bonos optas: caligas locas; & non vis malas: & vitam amas malam? Quid te offendit vita tua, quam solam vis malam; vt inter omnia bona tua solus sis malus?*

D. Aug.

Cæcitas inducta à Diabolo dextrum oculum, non sinistrum eruente.

Hanc planè cæcitatem Diabolus inducit. Vt enim olim Naas Ammonitarum Rex Israelitas dextris oculis priuare voluit, non sinistris, 1. Regum 11. n. 2. ita & Diabolus eum oculum eruit peccatoribus, qui interna mala intuetur, non qui externa: vt suas culpas ignorantes, & suas pœnas sentientes, nec ab his, nec ab illis exoluantur. Nam, qui culpas agnoscunt pœnas euadunt.

XXXIII.

Qui culpas fatentur, de pœnis liberantur.

Patet ex toto Iudicum libro, vbi Iudæi idololatrantes in hostium potestatem tradebantur: sed suum peccatum agnoscentes eruebantur. In cuius rei typum, olim Deus ad Moysen: *Fac*, inquit, *serpentem æneum, & pone eum pro signo: qui percussus aspexerit eum, viuet.* Num. 21. num. 8. Quo in loco mysterium latet, vt eleganter expressit Cæsarius Arelatensis homil. 2. De Pascha: *Tam prompta*, inquit, *aderat salubritas medicandi; quàm velox inerat felicitas intuendi. Sequebatur certum sub momentanea contemplatione remedium: quia latebat in serpente mysterium.* Et statim duplex mysterium deprehendit. Vnum, satis iam notum; quia serpens ab initio Mundi maledictus, Gen. 3. num. 14 repræsentabat Christum Dominum factum pro nobis *maledictum.* Gal. 3. num. 13. ad quem, qui aspectu fidei & charitatis accederet, quamuis serpentinis Diaboli morsibus laceratus, & multis scelerum venenis infectus, illicò sanaretur. Alterum mysterium magis reconditum est: *Modò*, inquit, *medela, si volumus, nobis contra morsum serpentis, viso serpente, confertur. Quod tunc euidenter impletur, quando peccatum ipsum peccati cognitione curatur, & crimen criminis confessione abolетur. Ac si homo, quando bene respicit peccatum suum, sanet morsum serpentis per serpentis aspectum.* Vbi vides, debitam propriorum scelerum notitiam, esse optimam eorundem scelerum medicinam.

Cæsarius Arel.

Serpēs æneus, typus Christi, quo cùm aspectus sanat.

Sicut serpentis morsus serpētis visu curabatur: ita nūc peccatum peccati cognitione & confessione.

XXXIV.

Dauid sentiens pœnam, fatebatur culpam, & veniam consequebatur.

Aliorum exēpla in pœnis confitentium culpam, & consequentium veniam.

Propterea Dauid sentiens pœnam confitebatur culpam: *Prius*, inquit, *quàm humiliarer, ego deliqui.* Psal. 118. num. 67. Quasi diceret: Propterea secuta est humiliatio, quia delictum antecessit. Ex qua confessione sibi remedium comparauit. Nam, vt bene D. Ambros. serm. 9. in eundem Psalmum: *Si peccatis tuis*, inquit, *attribuas, quòd humiliatus es: quidquid acciderit, in te retorques, & ex reo incipis esse iustus, qui te ipsum condemnas: Iustus enim accusator est sui in exordio sermonis.* Prou. 18. n. 17. Sic vnus è

A septem Machabæis, cùm torqueretur: *Nos*, inquit, *propter nosmetipsos hoc patimur, peccantes in Deum nostrum.* 2. Machab. 7. n. 18. Vbi iam martyrio coronandus, oculos a propriis peccatis non auertebat; vt prius suis se lacrymis, quàm effuso cruore expiaret. Nec aliter Azarias inter flammas Babylonicæ fornacis: *Peccauimus*, inquit, *& iniquè egimus*, &c. *Omnia ergo, quæ induxisti super nos, & vniuersa, quæ fecisti nobis, vero iudicio fecisti.* Dan. 3. n. 29. & 31. Dum animi noxas, effusis lacrymis, extinxit; ignis flammas, illæso vestigio, calcauit. Quin etiam fratres Iosephi, de scypho argenteo accusati: *Deus*, inquiunt, *inuenit iniquitatem seruorum tuorum.* Gen. 44. n. 16. At, cur se ab eo furto non excusarunt, cuius sibi conscij non erant? Planè, B quia aliorum scelerum memoriam refricabant, quibus suam illam vexationem tribuebant. Et propterea fortasse Iosephum hoc loco cognouerunt, & ab illo tandem veniam impetrarunt: quia, quamuis se possent ab illo furto excusare; dissimulare tamen maluerunt, & propter alias saltem culpas, quas commiserant, præsentibus se pœnis deuouere.

XXXV.

Latro ex confessione culpæ, sperem habuit ad petendum regnum.

Tandem latronem in cruce pendentem non priùs Christus Dominus absoluit, quàm ille suam culpam agnosceret, & palàm confiteretur: *Nos quidem*, inquit ille, *iustè*, (scilicet, patimur) *nam digna factis recipimus.* Luc. 23. num. 41. Et statim ad Christum Dominum conuersus: *Domine*, inquit, *memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* In quem C locum D. Chrysost. homil. priori de cruce & latrone, ad finem tertij tomi: *Non est*, inquit, *ausus dicere: Memento mei: nisi confessione peccati sarcinam remisisset. Inspice, quantum præstat confessio: confessus est, & Paradisum patefecit: & tantam confessus fiduciam meruit, vt regnum post latrocinium postularet.* Quare rectè monuit Propheta, vt qui diuinis flagellis torquerentur, propria peccata cogitarent. *Ponite*, inquit, *corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati*, &c. Aggæi 1. num. 5. & 6. Quasi diceret: Cùm vobis a Deo plagæ imponuntur; cùm agrorum sterilitas, fames, sitis, aliaque id genus mala vobis, tanquam agmine facto, aduersantur; consulite conscientias vestras, ex quarum peccatis D illa supplicia oriuntur: vt hęc effugiatis, illa emendetis.

D. Chrys.

Qui pœnas patiuntur, culpas timentur.

XXXVI.

Falluntur, qui suarum pœnarum causas, in suas culpas non conferunt.

Vnde hallucinantur sæpenumerò, qui inductam famem attribuunt temporum iniuriis: qui mortem filiorum adscribunt Medicorum imperitiæ: qui defectum honorum, quos in Republica sperabant, referunt in odium & iniustitiam Principum & ministrorum; qui iacturas mercium, quas vel mare hausit, vel pirata auexit, detorquent in praua consilia gubernantium, qui incustodita ouaria relinquunt; vel inter medias hyemes non perlustrant: qui tandem clades ab hostibus acceptas in suorum ducum ac militum ignauiam transfundunt: cùm tamen hæc omnia flagella potiùs à Deo in nostra scelera vindice & vltore proficiscantur, qui idcircò imponit plagas, vt culpas E agnoscamus. Nam, vt bene D. Paschasius libr. De Corpore Domini, cap. 8. *Si Deus*, inquit, *hoc non intenderet* (scilicet, vt peccatores à suis culpis resipiscerent) *plagæ & infirmitates nunquàm in populo Christianum crebrescerent.* Sed miseri ac cæci Israëlitæ de suis peccatis, quæ erat propria huius calamitatis causa, nihil omninò in hac consultatione meminerunt. Tertiam igitur suæ percussionis causam excogitarunt, nempe, absentiam Arcæ fœderis: in hanc enim collunasse, patet ex verbis sequentibus.

Paschasius.

Tertia huius punitionis causa excogitatur, absentia Arcæ.

XXXVII. *Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini,* &c. Hæc est altera pars consultationis circa faciendū. Nam, inuenta causa mali, vt putabant, de remedio prouidebant: *Afferamus*, inquiunt, *ad nos Arcam Domini.* Sed planè, cùm deberent capiti mederi, reduuium curabant, vt est in parœmia: hoc est: cùm deberent peccata ab animis extirpare, Arcam Dei in castra afferebant: existimantes, & ex absentia huius, calamitatem inductam fuisse; & ex eiusdem præsentia, fore sine dubio propulsandam. In quam sententiam induci potuerunt, quia meminerant, Arcæ præsentiam fuisse olim causam triumphorum; absentiam, ruinarum. Hoc patet: quia, cùm aliquando Israelitæ contra Amalecitas & Chananæos infeliciter dimicarent, multis plagis percussi ac trucidati; statim huius calamitatis causa fuisse absentia Arcæ significatur. *At illi*, inquit Textus, scilicet, Hebræi, *contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem Testamenti Domini, & Moyses non recesserunt de castris.* Numer. 14. num. 44. Hoc est: quia in absentia Arcæ decertarunt, miserabiliter corruerunt.

Agitur de afferenda Arca in prælium.

Arca præsentia, causa triumphorū: absentia, ruinarum.

Probatur hoc prim...

XXXVIII. Illud autem colligitur ex bello contra Madianitas suscepto, & feliciter peracto; ad quod misit Moyses duodecim millia expeditorum, cum Phinees filio Eleazari Sacerdotis: *Vasáque sancta*, addit Textus, *& tubas ad clangendum tradidit ei.* Num. 31. num. 6. Vbi Hebræi apud Lyran. Vatab. Abul. Oleast. & alios recentiores per vasa sancta Arcam fœderis intelligunt; ad cuius conspectum pugna feliciter gesta est, & victoria felicius reportata. Clariùs id habetur ex euersione Iericho, cuius muri, Arca circumeunte, & felicem euentum auspicante, labefacti ceciderunt. Iosf. 6. à n. 4. Vt dubitandum non sit, Arcam sua præsentia capiendæ vrbi patrocinatam. Non minus illustre desumitur argumentum, ex victoria, quam Saül, præsente Arca Domini, de Philisthinis reportauit. 1. Reg. 14. à num. 18. Vbi iterum ostendam, quantum olim in rebus arduis ex Arca fœderis præsidium sumeretur. Facit etiam illa victoria, quam Ioab tulit de Ammonitis, cùm eorum vrbem Rabbath expugnauit. 2. Reg. 12. à n. 26. vtique ad præsentiam Arcæ: vt ex cap. 11. præced. num. 11. colligitur. Vbi Vrias dicit, Arcam Dei esse in papilionibus simul cum reliquo populo vrbem illam expugnaturo.

Probatur illud primò.

Lyra. Vatab. Abul. Oleast.

Secundò.

Tertiò.

Quartò.

XXXIX. Denique solennis illa fuit Moysis in deserto consuetudo, de qua historia: *Cùmque eleuaretur,* inquit, *Arca, dicebat Moyses: Surge, Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tua.* Num. 10. n. 35. Vbi quantùm præsidij in Arca positum fuerit, non obscurè significatur. Vnde Ieremias, vt Iudæorum excidium prophetaret: *Non dicent vltrà*, inquit: *Arca Testamenti Domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet vltrà.* Ierem. 3. num. 16. Quasi diceret: Totus cultus illius Arcæ, in qua Hebræorum religio magna ex parte versabatur, euertetur. Sed quid est, *Nec fiet vltrà?* Exponunt aliqui recentiores: Non ampliùs Arca in prælium extrahetur; quo pacto anteà extrahi solebat, ad præsidium Hebræis pugnaturis conferendum. Itaque illius temporis consuetudo fuit, vt in difficillimis quibusque præliis Arca fœderis contra hostes admoueretur. Quod D. Athanasius in lib. De interpretatione Psalmorum, ad Marcellinum, expressit: *Si bellum*, inquit, *populo ingrueret, Arca, in qua erant tabulæ legis, ante omnes præcedebat: hoc sufficiebat illis pro quauis acie in subsidium; nisi in bauilis Arcæ, aut in populo aliquod scelus, aut hypocrisis haeret. Fide siquidem, & sana affe-*

Quintò.

Consuetudo afferendi Arcam in prælium.

D. Athan.

Arca pro integra acie, dummodo abessent malitia.

A *ctione opus est, vt lex nostra precibus cooperetur.*

Qua in re, sicut & in aliis, de quibus ad Sextum caput, Arca fœderis typus fuit Eucharistiæ: sicut enim illa apud Hebræos educi consueuerat ad pugnas, præsertim difficiliores, auxilium præbitura, ita sacra Eucharistia apud Christianos, cùm aliqua communis calamitas viget, publicis supplicationibus circumfertur, & in apertis Sacrariis adoranda collocatur. Imnò olim, ad serenandas maris tempestates, laborésque viarum leuandos, à nauigantibus ac iter agentibus pariter ferebatur: vt ex D. Ambrosio in Oratione De funere fratris sui Satyri, & D. Gregorio lib. 3. Dialog. c. 36. & Surio tom. 6. die 14. Nouembris, quos citat Cardin. Baronius tom. 1. anno Christi Domini 57. constare B potest. Nec ad antiquiora sæcula prouocare opus est: cùm etiam nostra tempestate Lusitani in Indiam nauigantes, medio in Oceano, hoc cælesti præsidio muniantur. Nam sereno cælo, & tranquillo salo, vela, ad carinas immobiliter fundandas, sæpe religantur: eriguntur altaria, incenduntur odores, templorum in morem nauigia excoluntur: & Sacerdotibus ritè sacrificantibus, omnes nauigantium ordines eucharistico pane conuiuantur, & inter maris falsedinem, huius cælestis nectaris dulcedine potiuntur: mirantibus, & gratulantibus marinis monstris, quòd non modò, vt olim, Spiritus Domini feratur super aquas; sed etiam Corpus Domini super aquas gradiatur. Ve-C rùm olim non solùm ad frænandas vndarum furias, & sedandas viarum molestias; sed etiam ad diabolicos tumultus compescendos sacra Eucharistia sæpè foras efferebatur: vt ex multis historiis patebit, quas ad cap. sequens Num. 3. indicabo: quarum aliquot in Bozio De Signis Ecclesiæ, lib. 14. cap. 3. interim reperientur. De fabrica, loco, officio, sanctitate, & significatione Arcæ, plura in sequentibus dicemus.

XL. *Arca typus Eucharistiæ.*

Eucharistia à nauigantibus, & iter agentibus olim deferebatur.

D. Ambros. D. Greg. Surius. Baron.

Lusitani in Indiam nauigantes Eucharistia fulciuntur. Missas celebrando, & communicando in nauibus.

Eucharistia ad diabolicos tumultus compescendos olim foras efferebatur.

Bozius.

Et veniat in medium nostri, &c. Arcam in corde castrorum locandam statuebant. Vel, quia locus medius nobilior credebatur: vt patet etiam ex profanis literis, quarum multa testimonia colligit Tiraq. in præfatione De iure primigeniorum, n. 11. vt alios omittam recentiores de hac re latè agentes. Vel, quia erat tutior ac munitior: vnde, D quando olim Israeliticus populus solitudinem peragrabat, semper in medio castrorum loco Sanctuarium defigebat. Num. 2. num. 2. vt ptiùs se ab hostibus, quàm suum Sanctuarium expugnari pateretur. Et in expugnatione Iericho, præcedente exercitu armato, & subsequente vulgo buccinante, Arca media ferebatur. Iosue 6. à num. 7. Vt arca minori periculo, si quod esset, quàm populus laboraret. Hinc illa veterum consuetudo, quam D. Ambr. libr. De Noë & Arca, cap. 16. refert ex Homero, qui infirmiores milites in medio exercitu collocabant: vt magis hinc inde à fortioribus iuuarentur.

XLI. *Arca in medio castrorū. Primò: quia erat locus nobilior.*

Tiraq.

Secundò: quia erat tutior.

Antiqua consuetudo collocandi infirmiores milites in medio castrorum.

D. Greg. Homerus.

Vel tandem, quia erat accommodatior, vt ab omnibus adiri posset, ac defendere adeuntes. E Hanc enim ob causam Reges medium regni locum capessebant. Nam Princeps Ephron *Habitabat in medio filiorum Heth.* Gen. 23. n. 10. De Dauide olim Deus: *Ego Dominus*, inquit, *ero eis in Deum, & seruus meus Dauid Princeps in medio eorum.* Ezech. 34. num. 24. De Christo Domino in terris viuente, Euangelista: *Medius*, inquit, *vestrûm stetit, quem vos nescitis.* Ioan 1. num. 26. De eodem in cælo iam regnante: *Qui*, inquit, *ambulat in medio candelabrorum aureorum.* Apoc. 2. num. 1. Quin etiam ipse Deus: *Ero*, inquit, *ei murus ignis in circuitu, & in gloria ero in medio eius.* Zach. 2. num. 5. Seu, vt est

XLII. *Tertiò: quia erat accommodatior, vt adiretur.*

Principes in medio subditorum.

est in Hebræo: *Ero iecur in medio eorum.* Sicut enim in iecore sanguis concoquitur, inde in omnium membrorum nutrimentum diffundendus: ita à Deo omnium hominum præsidia deriuatur. Cùm igitur Arca in præsidium Hebræorum afferretur, in eorum medio debuit collocari: vt posset ab omnibus æqualiter conueniri, & in omnium vtilitates æqualiter prouidere. Ad hunc enim finem afferebatur, vt patet ex verbis sequentibus.

XLIII. *Arca aliquando in prima exercitus fronte.* Illud tamen notandum, non semper Arcam in medio castrorum loco collocati solitam. Aliquando enim in prima exercitus fronte anteibat: vt patet in primis, in solitudine, iuxta illud: *Arca fœderis Domini præcedebat eos per dies tres, prouidens castrorum locum.* Numer. 10. n. 33. Deinde in transitu Iurdanis, iuxta illud: *Quando videritis Arcam fœderis Domini Dei vestri, & Sacerdotes stirpis Leuiticæ portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes.* Ios. 3. n. 3. Fortasse, quia tunc Arca loco nubis, quæ iam deerat, exercitum ducebat.

XLIV. *Arca non vt artefactum, sed vt oraculum, & solam diuinitatis salnabat.* *Vt saluet nos de manu inimicorum nostrorũ,* &c. Arca Dei sumi potest, vel vt quoddam humanæ industriæ artefactum; vel vt quoddam diuinæ præsentiæ ac sapientiæ oraculum: quamuis enim hominum manibus constructa fuerit; tamen Deum peculiari ratione præsentem indicabat, qui ex eo loco, & responsa dabat, & miracula exercebat, & vniuersum populum tuebatur. Ab illa igitur priori modo sumpta suam salutem non sperabant Israelitæ: alioqui nihilo ab Ethnicis distinguerentur, qui in lapideis simulacris spem suam reponebant; de quibus proinde Dauid: *Similes, inquit, illis fiant, qui faciunt ea; & omnes, qui confidunt in eis.* Psal. 113. nom. 8. Quare in illa, vt erat peculiare diuinitatis solium, seu in Deo, qui se in illa propitium ostendebat, totam suam confidentiam collocabant: vt facilè colligitur ex Chaldæo Paraphraste, vbi pro illis verbis, *Vt saluet nos*, ponuntur hæc: *Et propter gloriam nominis eius liberabimur.* Ex quibus satis patet, Hebræos non ab Arca, sed à Deo, qui sub Arca colebatur, suam salutem sperasse, quemadmodum & in cæteris euentibus sperabant. Quod mihi videtur Diuus Paulus innuisse, cùm pet spem Iudæorum in Arca, spem Christianorum in solo Deo explicauit: *Confugimus, inquit, ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem vsque ad interiora velaminis.* Hebr. 6. num. 18. & 19. Quasi diceret: Quemadmodum Iudæorum spes Sanctuarium penetrabat, & in ipsa Arca defigebatur: ita spes Christianorum cœlum empyreum ingreditur, & in ipso Deo immobili collocatur. Nun esset autem bona similitudo, si Iudæi in ipsa materiali Arca confiderent: tunc enim illorum spes à nostra toto cœlo distinguetetur.

Spes in lapideis simulacris vana.

Spes in Arca, seu Deo, quæ se ex Arca manifestabat, solida.

Spes in Arca posita repræsentabat spem in Christo ponendam.

XLV. *An confidentia Hebræorũ in Arca fit laudabilis. Duplex ratio negandi. Prima: quia erat sine cooperatione. Iacobus certa de Deo spe cooperabatur.* Difficultas tamen est hoc loco: An spes, quam hîc Hebræi in Arca, seu in Deo, prout se ex Arca propitium ostendebat, posuerunt; laudabilis censeatur. Negant communiter Interpretes. Ratio mihi videtur duplex. Vna, quia nullam humanam industriam adhibebant, vt fractas sui exercitus vires resarcirent: sed in eodem rerum statu, quem habebant, de reditu ad bellum cogitabant; quod non est in Deo sperare, sed Deum tentare. Vnde Iacobus, quamuis certò sciret, fore vt nunquàm à fratre suo vinceretur, iuxta illud Angeli oraculum: *Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines praualebis?* Gen. 32. num. 28. tamen ita suæ familiæ prouidit; ac si ei ab Esaû aliquod nocumentum inferendum formidaret: vt patet ex Gen. 33. à num. 1. vbi vxores & filios suos in tres partes diuisit, ne omnes simul læderentur: sed vna

A parte percussa, alia saltem incolumis superesset. De qua re D. August. quæst. 102. in Genes. *Admonendi, inquit, sumus hoc exemplo, vt quamuis credamus in Deum, faciamus tamen, quæ facienda sunt ab hominibus in præsidium salutis, ne prætermittentes ea, Deum tentare videamur.* D. Aug.

XLVI. *Secunda ratio: quia erat sine extirpatione peccatorum.* Altera, quia suis peccatis pertinaciter adhærentes, de diuina misericordia nimium confidebant. Hanc reddit Caietanus: *Deuota, inquit, intentio, at commendanda spes, si facta respondissent intentioni, ac spei. Fiducia enim in Arca Domini, quamuis in se bona ac sancta sit, insufficiens tamen est, nisi bonis operibus comprobetur. Recurrerunt isti ad externam ceremoniam, omittentes internam pœnitentiam peccatorum suorum; & in hoc peccauerunt relinquentes veram causam percussionis.* Eandem causam prior tradidit Rupertus ad hunc locum, lib. 1. cap. 13. *Præsumptio, inquit, stulta ac vana, quæ tunc decepit improuidos, & iustitiæ, vel gloriæ Dei ignaros: ipsa eadem decepit illos, quando clausi, obsidente exercitu Romano, tumultuabantur & vociferabantur, confidentes, vt Historiæ tradunt, quod nequaquam toleraret Deus, priuari se illo pulchro templo, illo pulchro & aureo Sanctuario.* Et statim ostendit vtriusque præsumptionis vanitatem; cùm in vtroque euentu miserabilem traxerint ruinam. Sed & D. Aug. lib. 2. De mirabilibus Scripturæ, cap. 7. eam videtur rationem assignare: *Legis, inquit, transgressores, nequaquam legis Arca tuetur. Victo priùs ac deleto populo, ab alienigenis ipsa capitur.* Vbi egregia vtitur paranomasia à legis transgressoribus ad Arcam legis: quibus tantùm abest, vt illa patrocinetur; vt etiam nec se ipsam inter illos constitutam ab hostibus tueatur. Caiet.

B

Ruper.

D. Aug. Arca non solùm malos non tuetur: sed etiam neque se ipsam inter malos.

C

XLVII. *Theodor. Inutilis confidentia in Arca legis, cũ iuncta cum transgressione legis.* Hoc etiam significare videtur Theodoretus in Psal. 77. n. 64. ibi: *Sacerdotes eius in gladio ceciderunt.* Vbi sic: *Ophni, inquit, & Phinees Sacerdotes, qui Arcam ipsam in exercitum, cæsi sunt: ab ipso rerum euentu edocti, ne diuina ope freti sint, qui delinquere pergunt.* Vbi ostendit, inutilem fuisse confidentiam in Arca cum peccatis coniunctam. Et clariùs Otat. 1. in Dan. agens de Arca à Philisthæis capta, docet, *superuacaneum fuisse Hebræis illius Arcæ vsum, sine metu diuinam violantibus legem, & impiè viuere instituentibus.* Idem rursus hoc loco q. 13. docet, Hebræos, calamitatibus, quæ hic narrantur, à Deo fuisse eductos, *Vt legitimè quidem viuentes, in Dei confiderent prouidentia: legem autem transgredientes, neque in ipsa, neque in Arca confiderent. Cur enim legem transgredientes Arcam ad auxilium traherent, qua legem inius habet sitam?* Cui totidem verbis Procopius subscribit. Quibus adde Diuum Athanasium paulò antè citatum, cùm dixit, satis fuisse Arcam ad subsidium: *Nisi in baiulis Arcæ, aut in populo aliquod scelus, aut hypocrisis hæreret.* Additque: *Fide & sana affectione opus esse, vt lex nostris precibus cooperetur.* Ex his patet, hanc Hebræorum confidentiam, licèt in se mala non fuerit, sed bona, vt Abulensis quæst. 5. latiùs confirmat: tamen ex duplici circunstantia prædicta, non fuisse fructuosam. An verò vlteriùs fuerit vitiosa intrinsecè, ex Annotatione 10. clariùs patebit.

D

Procop.

D. Athan. Bona confidentia ex circunstantiis vitiatur, vel saltem infructuosa redditur.

Abul.

E

* * *

ANNO

ANNOTATIO IX. CIRCA LITERAM.

An aliquando fuga laudabilis iudicetur.

I. *Duo hic illustranda.*



Xplicata iam ad Literam prima parte huius Capitis, immò etiam vtcunque illustrata: duo tantùm supersunt vberiùs illustranda: nimirum fuga, & confidentia Hebræorum. Nam & fugientes, & confidentes in hac Capitis parte referuntur. Igitur de confidentia in sequenti Annot. aliquid dicam. De fuga verò in præsenti hoc vnum quæro: An aliquando laudabilis censeatur? Et vt res clariùs procedat, distinguenda est triplex fuga. Vna, in prælijs. Altera, in persequutionibus. Tertia, in tentationibus. Singulas singulis sectionibus breuiter perstringemus.

Triplex fuga. An omnes aliquando laudabiles.

SECTIO I.

An fuga in prælijs laudabilis censeatur?

II. *Fuga in prælijs plerunque indecora.*

FVga in prælijs plerunque creditur indecora: vt iam in Litera, Num. 2. §. 7. ostendi. Vnde Rex Achab tacitè notatur de ignauia, cùm in eo prælio, quod aduersùs Regem Syriæ suscepit, dicitur in tergo vulneratus. *Accidit autem*, inquit Textus, *vt vnus è populo sagittam in incertù iaceret, & percuteret Regem Israël inter ceruicem & scapulas.* 2. Paral. 18. num. 33. Vbi in primis nota, è duobus Regibus Achab & Iosaphat contra Syros sociatis, vnum Achab multò diligentiùs suæ saluti & incolumitati prouidisse, quam Iosaphat; vt ex citato loco facilè patebit: ingressus enim est prælium, mutato habitu, ne ab hostibus agnosceretur, & peteretur; quod non fecit Iosaphat, qui regio ornatus cultu pugnam subiit: & tamen hunc suæ vitæ negligentiorem euasisse; illum autem diligentiorem, & appetentiorem suæ incolumitatis periisse: quia, quò maiora contra mortem præsidia opponuntur, eò citiùs ac faciliùs ab ipsa morte labefiunt. Adeò nihil tutum est, quò illa non irrumpat. Deinde nota, vulnerari Regem Achab inter ceruicem & scapulas, hoc est, auerso pectore; seu, in tergo; vt fugitiuus colligatur, eiúsque indecora mors vituperetur: ac si nulla ignominiosior esse possit, quàm quæ fugientibus infertur. Hinc est illa amica quidem, sed acerba expostulatio Iosue cum ipso Deo. *Mi Domine Deus*, inquit, *quid dicam, videns Israelem hostibus terga vertentem?* Et statim: *Quid facies magno nomini tuo?* Ios. 7. num. 8. & 10. Quo in loco non tam suorum militum cædem, quæ in eo prælio facta fuerat, quàm fugam lamentatur: ac si illi fuga multò acerbior, quam mors ipsa videretur. Immò eam fugam ita dolet, ac si eius ignominia non solùm in populum fugientem, sed etiam in Deum fugere permittentem refunderetur. Certè Iacobus filio suo Iudæ gratulatur, non quòd occisurus sit; sed quòd in fugam daturus suos hostes: *Manus*, inquit, *tua in ceruicibus inimicorum tuorum.* Gen. 49. num. 8. Non dixit in pectoribus, sed in ceruicibus: vt eius hostes non restitutos, sed fugitiuos indicaret. Ac si victores magis de fugandis, quàm de necandis hostibus glorientur; & proin-

Quò studiosius vita seruatur, eò facilius amittitur.

Rex in fuga percussus turpiter moritur.

Fuga peior quàm mors.

Fuga ipsi quoque Deo ignominiosa. Gloriosius hostes fugare, quàm necare.

de maior fugatis, quàm necatis hostibus ignominia infertur.

III. *Fuga in prælijs aliquando laudabilis, probatur primò, ex profanis literis.* Nihilominùs aliquando fuga in ipsis quoque prælijs laudabilis censetur. Et vt à profanis literis exordiar: Quis Tegeatas timoris arguat, quòd fugiendo vincant? vt refert Plutarchus in parallelis, cap. 32. Quis Horatios ignauiæ condemnet, quòd fugam capessendo, victoriam consequantur? vt refert idem Plutarchus, vbi suprà, cap. 33. Quis Parthos timiditatis insimulet, quòd versis in fugam equis insequentes hostium cuneos euertant? iuxta illud Maronis 3. Georg.

Plutar.

Virg.

Fidentémque fuga Parthum, versísq; sagittis.

Horat.

Et illud Horat. 1. Car. 19. *Et versis animosum equis, Parthum.* Certè Demosthenes datus aliquando in fugam, adeò non erubuit; vt percontantibus, cur fugeret, responderet: *Seruo me patriæ.* Nec aliter Rex Antigonus aliquando hosti cedens: *Non fugio*, inquit, *hostem; sed vtilitatem bellandi à tergo sequor; significans, non timoris esse illam fugam, sed artis.* Fabius Dictator, qui non potuit Carthaginensem, irruendo vincere; cedendo fregit & emolliuit. Fuga planè obtinuit, quod pugna non obtinueret.

IV. *Probatur secundò ex diuinis Literis.* Sed quid facta moror? Iosue diuino armatus præsidio, fortium bellatorum agminibus circumseptus, oraculo de cælo admonitus, ne quid formidaret; nihilominùs vrbem Haï expugnaturus terga vertit; & quam non potuit vrbem irruendo capere, fugiendo expugnauit: vt patet Ios. 8. à n. 1. Vnde D. Petrus Chrysol. serm. 150. *Bellicosus*, inquit, *miles, quod in bello fugit, artis est, non timoris.* Gedeonn cùm fugam adornaret, virorum fortissimus ab Angelo vocatur. *Cùmq; Gedeon*, inquit Textus, *excuteret atque purgaret frumentum in torculari, vt fugeret Madian, apparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortissime.* Iud. 6. n. 11. Vt hæc fuga non ignauiæ, sed prudentiæ: non fracto & abiecto animo, sed strenuo & excelso tribueretur. Israel contra Tribum Benjamin præliaturus, pugnam in fugam vertit: & qui à Benjamitis semel atque iterum fusus & fugatus fuerat pugnando, Benjamitas fudit & fugauit fugiendo; vt maior in fuga, quàm in pugna virtus bellica enituisse videatur: vt patet ex Iud. 20. à n. 31. Dauid de sua fuga adeò non erubescebat, vt eam sæpe Deo decantaret: *Deus*, inquit, *vitam meam annuntiaui tibi.* Psal. 55. num. 9. In Hebræo est: נדי *nodi*, id est, *fugam meam.* Vbi vitam suam appellat fugam; vel propter humanæ vitæ fugacitatem; vel, quòd totam ferè vitam suam fugiendo ex hostibus transegerit. Notant enim ad hunc locum Genebrard. & Lorin. Dauidem duodecies fugisse à facie Saülis: & colligunt ex sacris Literis, in quibus hæ fugæ continentur.

Iosue audaciter fugit. *D. Petrus Chrysol.* *Gideon fortiter de fuga cogitabat.*

Israël fugiendo fugauit Benjamitas.

Dauid de sua fuga non erubescebat.

Genebr. *Lorin.*

V. *Dauid fugiens de Sacerdote quodammodo efficitur.* Ex hac igitur tam multiplici fuga tantùm abfuit, vt Dauid aliquam infamiam contraxerit, vt potiùs magnam sibi gloriam compararit. Vnde, cùm fugeret ad Sacerdotem Achimelech, sacros panes Propositionis, quos comedere solis Sacerdotibus licebat, ipse comedit. 1. Reg. 21. n. 6. non quidem propter extremam necessitatem; alioqui non rogaretur à Sacerdote, an pueri mundi essent ad comedendum; nam extrema necessitas etiam legaliter immundos admitteret ad comedendum; sed quia Saülem fugiendo, redditus quodammodo fuerat Sacerdos. Sic enim Diuus Hieronymus in c. 2. Sophon. interpretari videtur: *Dauid*, inquit, *non erat de Sacerdotibus, nec licebat ei comedere panes Propositionis: sed, quia per singula crescebat opera; & persequutio Saül, virtutum illius profectus erat: propterea in fuga sua, dum nescit, subitò Antistes*

D. Hier.

Antistes efficitur, & accepit panes Propositionis, & non violat mandatum Dei. De qua re in 1. Tom. Annot. 17. Sect. 2. plura diximus. Vides, quanta ex fuga dignitas Dauidi accreuerit? vt subitò ex laïco factus fuerit non modò Sacerdos, sed etiam Antistes?

VI.

Idem David capessendo fugam comparabat gloriã. Fugiebat humilitatis causa.

Lyra.

Sed non minori laude dignus erat Dauid, cùm à facie filij sui Absalonis fugiebat, & ad fugam suos milites excitabat, dicens: *Surgite, fugiamus: neque enim erit vobis effugium à facie Absalon.* 2. Reg. 15. num. 14. Nam humilitatis & charitatis causa, potiùs quàm timiditatis fugiebat. Humilitatis quidem, vt rectè admonuit Lyranus ad eum locum: *Cùm David*, inquit, *esset in bellis expertus, & audacissimus; & esset in loco forti, & haberet secum plurimos & fortissimos bellatores: non recessit de ciuitate, timore ipsius Absalon principaliter; sed timore Dei, quem sciebat se priùs offendisse. Et ideò ad placandam iram Dei voluit se priùs humiliare, qui preces humilium exaudit.* Charitatis verò, ne improbum filium inter bellandum occidere cogeretur: vt rectè aduertit D. Chrysost. in Psal. tertium: *Fugiebat*, inquit, *David, non vt qui timeret; sed vt qui filium caueret occidere.* Ac si mallet ipse à regno expelli, quàm filium in gehennam præcipitari. Non multò aliter D. Ambr. in priori Apologia pro Dauide, cap. 6. *Cedebat*, inquit, *pater eius furori, & locum prælij declinabat; vt vel sic impius à furore resipisceret.* Neque enim indecoram putabat suam fugam, qua vtilitati spirituali sui filij consulebat. Et rursus idem D. Amb. in Ps. 37. aliam tradit rationem non absimilem: *Patria*, inquit, *finibus pulsus à filio, fugiebat hostem, quem optauerat heredem: metuebat vincere, ne pietatis dispendio vinceretur.* Potius enim iudicabat, salua pietate vinci, quàm læsa vincere.

Item & causa charitatis.

D. Chrys.

D. Ambr.

VII.

Dauidis fuga gloriosa.

D. Chrys.

En, vt Dauidis fuga in bello non indecora fuerit, sed gloriosa: cùm nunquàm illam timor, sed clarissimæ virtutes, charitas & humilitas, imperarint. Vnde cessat illa Diui Chrysostomi in tertium Psal. admiratio, qui expendens illos titulos, quibus Psalmi Dauidici frequenter inscribuntur; nempe, *Psalmus David, cum fugeret à facie Saul.* Psal. 56. *Psalmus David, cùm fugeret à facie Absalon.* Psalm. 3. & sic de aliis; non mediocriter admiratur. Nam Duces, Principes & Reges, columnas & statuas & colossos erigunt cum magnificis elogiis, in suarum victoriarum monumentum: *Nemo autem*, inquit, *fugientis, eiúsque qui bellum non gessit, descripsit imaginem, vt David. Et quando laude dignus est, qui fugis? Quando dignus est habitus exul, cuius nomen inscriberetur? Fugitiuos scriptis literis persequuntur, non honorant inscriptionibus.* Cessat, inquam, hæc admiratio; quia Dauidis fuga à magnis virtutibus imperata, magnis laudibus digna videbatur.

SECTIO II.

An fuga in persequutionibus laudabilis æstimetur?

I.

An liceat fugere in persequutionibus.

Altera fuga in persequutionibus est, cùm fideles à fidei hostibus, Christiani à tyrannis malè habentur, & ad cruciatus, supplicia & neces requiruntur. Difficultas igitur est: Liceátne in his persequutionibus fugere? An oporteat, obfirmato animo, & immoto vestigio semper stare contra omnes furentium persequutorum procellas? Eam partem, quæ docet, semper standum, nunquàm fugiendum, quantæcunque persequutionum tempestates exoriantur, acerrimè tuetur

Pars negatiua.

A Tertul. toto lib. De fuga in persequutione. Cuius omnes rationes ad hoc vnum argumentum reuocantur, quo rem totam sibi conuincere videtur. Persequutio à Deo, tanquàm à principali auctore, à Diabolo tanquàm à ministro duntaxat proficiscitur: Sed quod est à Deo, nec debet, nec potest euitari: Ergo persequutio non est per fugam euitanda; sed per constantiam & patientiam subeunda. Maiorem propositionem, tum aliis locis, tum duplici euangelico confirmat. Primò quidem ex verbis Christi Domini ad D. Petrum: *Simon*, inquit, *ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret, sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Luc. 22. num. 31. Vbi Tert. c. 2. *Quo*, inquit, *ostenditur, vtrunque apud Deum esse, & concussionem* B *fidei, & protectionem; cùm vtrunque ab eo petitur, concussio à Diabolo, protectio à Filio.* Secundò autem ex illis verbis Dæmonum ad Christum Dominum: *Mitte*, inquiunt, *nos in porcos, vt in eos introeamus.* Marc. 5. n. 12. Vbi Tertul. citato cap. *Nec in porcorum*, inquit, *gregem Diaboli legio habuit potestatem, nisi eam de Deo impetrasset: tantùm abest, vt in oues habeat. Possum dicere, porcorum quoque setas tunc numeratas apud Deum fuisse, nedum capillos Sanctorum.* Immò vlteriùs concludit, adeò infirmum esse Diabolum in hominibus persequendis; vt non solùm à Deo, sed etiam à seruis Dei obtineat aliquando persequendi facultatem, vt patet in D. Paulo, qui Hymenæum & Alexandrum tradidit Satanæ, 1. Tim. 1. num. 13. ac si Diabolus C suam in eos tyrannidem exercere non potuerit, nisi priùs facultate ab Apostolo obtenta. Vbi addit Tertul: *Vides iam, & à seruis Dei faciliùs Diabolum accipere potestatem: tantùm abest, vt eam ex proprietate possideat.* In quibus verbis obiter nota illud, *Faciliùs*: ac si Deus tam parcus sit in hac facultate Diabolo cõcedenda, vt faciliùs eam impetrare à seruis Dei, quibus delegata est, Diabolus videatur. Minorem propositionem probat Tert. quia, quod à Deo est, euitari nec debet, cùm sit bonum; nec potest, cùm sit firmum. Vnde concludit cap. 4. *Qui putant*, inquit, *fugiendum; aut malum exprobrant Deo, si persequutionem, vti malum, fugiunt; aut fortiores se Deo existimant, qui putant, euadere se posse, si Deus tale aliquid voluerit euenire.*

Tertul.

Fundamentum.

Persequutio à Deo esse probatur primò.

Probatur secundò.

Tert.

Infirmitas Diaboli aduersùs homines.

Deus parcissimus in concedenda persequendi facultate.

Quod est à Deo, nec debet, nec potest euitari.

II.

Roboratur huius partis fundamentum.

D Huius argumenti vires ex aliis locis roborat & illustrat Tertul. In primis ex illo Christi Domini: *Qui confitebitur*, inquit, *me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Matth. 10. num. 32. Vbi Tertul. cap. 7. *Quomodo*, inquit, *confitebitur fugiens? Quomodo fugiet confitens? Si deuito passionem, confundo confessionem.* Quia verò aliqui, vt fugam capiant, carnis infirmitatem causantur; rectè aduertit, priùs dictum fuisse à Christo Domino: *Spiritus quidem promptus est.* Deinde verò: *Caro autem infirma.* Matth. 26. n. 41. Et rationem reddit, cap. 8. *Ne*, inquit, *vt nunc facis, de carnis quidem infirmitate causeris: de spiritus autem firmitate dissimules.* Quasi diceret: Potiùs cõducere debet promptitudo spiritus ad pugnam aggrediendam, quàm infirmitas E carnis ad capiendam fugam: cùm maior sit spiritus fortitudo, quàm fragilitas carnis. Et eodem modo explicat eundem locum in lib. ad Martyres, cap. 4. Subditque: *Timebit forsitan caro gladium grauem, & crucem excelsam, & rabiem bestiarum, & summam ignium pœnam, & omne carnificis ingenium in tormentis. Sed spiritus contraponat sibi & carni, acerba licèt ista; à multis tamen æquo animo excepta, immò & vltrò appetita, famæ & gloriæ causa: nec à viris tantùm, sed etiam à fœminis; vt vos quoque benedictæ sexui vestro respondeatis.*

Maior firmitas spiritus, quàm infirmitas carnis. Non timenda pro Deo, quæ pro mundo nō timentur.

III.

Et ne quis putaret, sibi persequutionem fugienti

Christus deprecabatur, non fugiebat mortem.

gienti patrocinari exemplum Christi Domini, calicem deprecantis; statim occurrit c. illo: *Postulauit, inquit, & ipse à Patre, si fieri posset, transiret ab illo calix passionis postula & tu; sed stans, vt ille; sed postulans tantum; sed subiungens: Non quod ego volo, sed quod tu. Fugiens autem quomodo hoc postulabis, ipse tibi præstans calicis translationem?* Quare in eum, qui de fide, aut Christo Domino palam confitendo erubescit, sic inuehitur, c. 9. *Quid,* inquit, *confunderis, laudem ferens?* Et c. 10. *Qui,* inquit, *fugis diabolum* (scilicet, persequentem) *depretiasti Christum, qui in te est.* Deinde c. 11. notat, bonum pastorem fugere non debere, cùm à Christo Domino malus dicatur, qui *videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit.* Ioan. 10. n. 12. Vnde vlteriùs colligit, ne ipsis quidem ouibus in persequutione licere fugam.

Fugam nec pastori, nec gregi conuenire.

Nam, *si grex,* inquit, *fugere deberet, non deberet præpositus gregis stare: sine causa staturus da tutelam gregis, quam grex non desideraret ex licentia fugæ.* Tandem c. 12. docet, miseram esse salutem corporis cum iactura animæ coniunctam, quæ in fuga comparatur.

Salus corporis pro salute animæ non curanda.

Apud plures, inquit, *nolendo confiteri, negasti. Ipsa salus indicabit hominem excidisse, dum euadit. Excidit ergo, qui maluit euasisse: negatio est, etiam martyrij recusatio.*

IV. *Præceptum fugiendi limitat Tertullianus ad initiũ Ecclesiæ: sicut præceptum non abeundi in viam Gentium.*

Quòd; si Tertulliano obiicias, Christum Dominum præcepisse discipulis, vt in persequutionibus fugerent: *Cùm,* inquit, *persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Matt. 10. n. 23. ac proinde fugam non solùm esse permissam, sed etiam imperatam. Respondet c. 6. illud, siue præceptum, siue consilium limitatum fuisse ad solos Apostolos sub initiis nascentis Ecclesiæ; quorum paucitati Christus Dominus consultum voluit, ne si pauci temerè ruerent in tyrannos; prædicatio euangelica vix nata, illicò opprimeretur: & propterea non esse extendendum ad id temporis, in quo fides Christiana iam feliciter adulta & propagata maiores vires habet, quàm vt vllis persequutionibus obruatur. Et confirmat ex illo alio præcepto ibidem tradito: *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; sed potiùs ite ad oues, quæ perierunt, domus Israël.* Matth. 10. num. 5. Nam sicut hoc præceptum ad primum euangelicæ prædicationis tempus duntaxat pertinebat; posteà enim eundum erat in Mundum vniuersum, & prędicandum omni creaturæ: ita & illud. Sic de hac re Tertullianus latissimè disserit, & pro hac parte acerrimè pugnat.

V. *Pars affirmatiua indubitata.* D. Athan. D. Aug. D. Ambr. D. Thom. Abul. D. Petrus Chrysol.

Nihilominùs fugam in persequutionibus honestam ac decoram esse posse, quando scilicet nec fidei dispendia, nec animarum detrimenta subsequuntur, egregiè confirmant D. Athanasius in Apologia de fuga sua, D. Aug. epist. 180. ad Honoratum, D. Ambr. toto lib. De fuga seculi, D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 5. Abul. in c. 10. Matth. q. 108. & ibi recentiores communiter. Vnde D. Petrus Chrysol. serm. 150. *In persequutione,* inquit, *melius est fugere, quàm negare. Petrus, qui fugere noluit, abnegauit: Ioannes ne abnegaret, aufugit.* Et serm. 151. *Martyr,* inquit, *comprehensus debet tenere constantiam: non comprehensus debet fugere persequentem, vt & persequutori indulgeat resipiscendi tempus, & sibi tempus non auferat supplicandi.* Et paulò pòst: *Persequutorem,* inquit, *qui prouocat, facit; corripit, qui declinat.* Quare licitam & honestam esse aliquando fugam in persequutione, res est indubitata.

VI. *Probatur ab exemplis.*

Patet ex eo, quòd sæpè dicantur in Scriptura clarissimi Heroës, fugã suscepisse, non indicem timoris, sed alumnam fortitudinis. Argumento, quòd de fuga sua nunquàm arguantur, sed potiùs commendentur.

Exempla veteris Testamenti.

Nam Iacob fugit à fratre suo Esau, Genes. 27. n. 43. Moyses fugit à Pharaone, Exod. 2. num. 15. Dauid fugit a Saüle. 1. Reg. 19. num. 12. Helias fugit a Iezabele, 3. Reg. 17. num. 3. Filij Prophetarum ad necem requisiti, se in speluncas abdiderunt, 3. Reg. 18. num. 4. Vrias Propheta fugit à Rege Ioachim, Ierem. 26. num. 21. Vbi D. Hieronymus: *Quod fugit,* inquit, *non infidelitatis, sed prudentiæ indicium est: ne frustra nos offeramus periculo.*

D. Hier.

Exempla noui Testamenti.

Nec pauciora sunt in Testamento nouo exempla. Nam D. Paulus in sporta è muro demissus est, Act. 9. num. 25. & 2. Cor. 11. num. 33. D. Petrus, duce Angelo, è carcere se proripuit, Act. 12. num. 9. Christus Dominus fugam suasit: *Cùm,* inquit, *persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Matth. 10. num. 23. Et, vt ostenderet, hanc fugam non esse timiditatis, sed charitatis, subdit, num. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Strenua enim & generosa debet esse hæc fuga; non timida & ignaua. Et rursum: *Qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes.* Matth. 24. num. 16. Immò & ipse recens natus fugit in Ægyptum. Matth. 2. num. 24. Et sæpè alibi a Iudæis ad mortem requisitus, eorum se eripuit è conspectu, Matth. 12. num. 15. Marc. 3. num. 7. Luc. 4. num. 30. Ioan. 8. num. 59. & Ioan. 11. n. 54. Immò ab ipsa sponsa in cælum fugere admonetur: *Fuge, dilecte mi.* Cant. 8. num 14. Non tam vt ipse suos persequutores effugiat, quibus iam subiici non potest; quam vt Apostoli eius admoniti exemplo, suos, cùm opus erit, effugere non erubescant.

VII. *Qui fugam licitam negant, Christum damnant.*

Quare D. Athanasius citatus, in eos, qui fugam suam in persequutione calumniabantur: *Vtinam isti,* inquit, *vel sic perdiscerent, & intra homines cohiberent suam præcipitem temeritatem, ac non ad maiorem deuenirent insaniam, Seruatori quoque timiditatis nomen impingant, quando semel instructi sunt, & exercitati ad blasphemias in illum eiaculandas. Verùm eos sic insanientes quis sustinebit? Conuincentur potiùs non intelligere Euangelium.*

D. Athan. D. Petrus Chrysol. *Christi fuga in Ægyptum commendatur.*

Certè D. Petrus Chrysol. serm. 150. Christi Domini fugam in Ægyptum non mediocriter commendat. *Sicut,* inquit, *natus est Christus, vt repararet hominẽ: sic vt fugaces reuocaret, aufugit. Et si, vt reuocet errantem ouem, in montibus ipse errat: quomodo ipse non fugiet, fugientes populos vt reducat?* Et paulò pòst: *Rerum,* inquit, *refugium fugit, auxilium latescit omnium, formidat fortitudo cũctorũ, se se vniuersorum defensio nõ defensat.* Et post pauca: *Bellicosus,* inquit, *miles, quòd in bello fugit, artis est, non timoris. Deus, quando fugit hominem, sacramenti est, non pauoris: potens, quando se subducit infirmo, insequentem non pauet, sed foras producit: vult enim in aperto vincere, qui publicam referre cupit ex hoste victoriam: occultum se non patitur inire conflictum, qui mandare suum seculis vult triumphum.*

VIII. *Fuga Sanctorum non fuit timiditatis.*

Pari ratione & insignes alios Heroës non timoris causa fugam suscepisse, inde patet: quia, si mortem aliquando effugerunt; rursus in mortem, cùm tempus fuit, alacres inuolarunt. Iacob à morte fugit: sed idem, cùm tempus adfuit, mortis præsentia non expauit. Gen. 33. num. 3. Moyses à Pharaone recessit: sed idem, cùm res postulauit, non est veritus Regis animositatem. Hebr. 11. num. 27. Helias à conspectu Regis Achabi se eripuit: sed idem de cælo monitus in occursum eiusdem Regis Achabi se obiecit. 3. Reg. 21. num. 19. Dauid è mortis periculo aufugit: sed idem, cùm opus fuit, in belli pericula fuit antesignanus. 2. Reg. 5. num. 20. & passim alibi. Diuus Paulus è vinculis se exemit; sed idem, cùm Deus admonuit, in carceres, & in vincula se iniecit. Act. 20. num. 22. Bene igitur de his omnibus D. Athanasius. *Quemadmodum,* inquit,

D. Athan.

inquit, *moriendi tempus à diuina prouidentia decre- tum antecapere non audebant: ita mortis præsentiam, eum præfinitum tempus aderat, non reformidabant.*

IX. *Bona fuga à qua virtute imperetur. A fortitudine, dicunt aliqui.* D. Athan.

Sed dubitabis: À qua virtute hæc fuga imperetur? Sunt, qui dicant, ab ipsa fortitudine. Vnde Athanasius citatus asserit, fortius esse aliquando à morte fugere, quàm in mortem ruere. Et rationem reddit: quia, qui in mortem ruit, multis se eripit è miseriis, quibus ferendis non erat par: qui à morte fugit, maioribus se calamitatibus exponit, quibus deuorandis capacem animum gerit. Quod nos, cùm de Saülis morte egerimus, Deo fauente, ex profanis & sacris Literis illustrabimus. Ergo, si fortis creditur, qui in mortem ruit: fortior aliquando existimandus, qui mortem fugiat. In quam rem festiuũ est, quod Arator antiquus Poëta, & post eum Beda, Glossa, aliique Interpretes apud Lorinum in sporta, qua Paulus è muro demissus est, excogitauit. Sporta, inquiũt, plerumque è palmis contexitur: in sporta igitur Paulus fugit, quia eius fugam non timor, aut imbecillitas; sed fortitudo, & palma consequuntur. Quadrat illud D. Greg. Magni lib. 31. Moral. c. 14. *Paulus, inquit, secessum à certamine petiit, & pugnaturus felicius ad alia se bella seruauit. Non loco virtus, sed locus virtuti defuit: & idcircò fortissimus miles ab obsidionis angustia certaminis locum quæsiuit*

Arator. Beda. Glossa. Lorin. *D. Paulus fugiens in sporta è palmis confecta, palmã, id est, fortitudinem præferebat.* D. Greg.

Facit item illud Diui Ambrosij lib. De fuga seculi, c. 9. *Paulus, inquit, fugit, vt Euangelium Domini toto orbe prædicaret. Et ideò in Paradisum raptus est.* Vbi quamuis D. Ambrosius significet, priùs fugisse, & posteà in Paradisum raptum esse; proindéque non esse pœnitendam eam fugam, quæ tanto honore coronetur: nihilominùs, si ordo historiæ consulatur, priùs in Paradisum raptus est, & posteà fugit; vt è Paradiso traxisse videretur fortitudinem requisitam ad eam fugam; nec ignauus pugnæ desertor censeretur, qui priùs fuisset cælestis militiæ & supernorum exercituum spectator. Fugit igitur non timore moriendi, sed amore fortiùs dimicandi. In quam rem nata est illa parœmia, quàm Tertul. citatus è Græco transtulit: *Miles, qui fugit, iterum prœliabitur.* Qua significatur generosus animus fugientis, non ad euadendam mortem, sed ad eam fortiùs in prælio repetendam, vt non alia, quàm fortitudine ipsa imperante fugisse videatur. Vnde, cùm Isaac filium suum Iacobum ad fugã in Mesopotamiam hortatetur: *Deus autem omnipotens,* inquit, *benedicat tibi.* Gen. 28. n. 3. seu, vt Caiet. ex Hebræo legit: *Deus fortis victor.* Quod ad rem præsentem interpretatus: *Vtrunque, inquit, attributũ, scilicet, fortitudinis & victoriæ, congruit statui Iacob, fugiẽtis, scilicet, iram fratris sui Esaü.* Quasi in hac fuga quædam eximia fortitudo spectaretur.

D. Ambr. *Fugeritne Paulus ante, an post raptum?*

Bonus miles non fugit ad euadendam mortem, sed ad fortiùs repetendam.

Fortitudo conuenit fugienti.

X. *Alij dicunt, imperari à prudentia.*

Alij nihilominùs sentiunt, non tam à fortitudine, quàm à prudentia aliisque virtutibus imperari. Vnde Christus Dominus postquàm præcepit: *Estote prudentes, sicut serpentes.* Matt. 10. n. 16. paulò pòst subdidit: *Cùm autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam.* Ibid. n. 23. Ac si manifestè indicaret, fugam aliquando prudentiæ partem esse; cùm ab his, qui serpentis imaginem, hoc est, prudentiæ typum gerunt, suscipiatur. Hinc est, quòd cùm Rebecca filio suo Iacobo fugam suadetet, dicens: *Fuge in Mesopotamiam.* Gen. 27. n. 43. pater nihilominùs Isaac præcepit: *Vade ad domum Bathuel.* Gen. 28. n. 2. Bathuel autem interpretatur *Sapientia.* Quia illa fuga, vt D. Ambros. lib. De fuga seculi, c. 4. exponit, à prudentia ac sapientia tegebatur. Sed ab aliis quoque virtutibus hæc, de qua agimus, laudabilis fuga potest imperari.

D. Ambr. *Alij, ab aliis virtutibus.*

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

Vnde D. Ambros. citatus, loquutus de fuga Hebræorum ex Ægypto: *Fuga, inquit, illa erat tractus innocentiæ, pietatis assumptio, via virtutis.* Quasi ab his virtutibus, immò & à fide, religione, charitate & similibus, quarum gratia fugiebant, fuerit imperata. Vtcunque igitur res habeat, licita est aliquando hæc fuga. Nam, vt bene D. Bernard. in epist. 1. *Fugere, inquit, persequutionem, non est culpa fugientis, sed persequentis.*

D. Bern.

XI. *Opinio Tertulliani damnata.* *Eius fundamentum destruitur.*

Quare sententia Tertulliani in oppositũ, damnata est, eiúsque librum de fuga in persequutione, contra Ecclesiam scriptum esse, docet Diuus Hieronymus in Catalogo De Scriptoribus ecclesiasticis. Nec fundamentũ eius vim habet. Licèt enim persequutio à Deo sit; adhuc ad eã fugiendam conari possumus: tum, quia arguendo ad hominem, etiam in primitiua Ecclesia persequutio erat à Deo: & tamẽ Apostoli poterãt in ea fugere, vt Tert. fatetur: tum, quia nobis non constat, absolutène voluntate, an solùm conditionata, persequutio decreta sit. Et, vt constaret de persequutione ipsa; certè non constat de morte subeunda in persecutione: aliud enim est persequutionem pati, varias sedes mutãdo, diuersa exilia sustinendo, pluréque alias calamitates adeundo: aliud in persecutione mori: vnde patiendo persequutionẽ, vt diuinæ volũtati nobis cognitæ conformes redderemur, adhuc possemus mortem præcauere, quandiu nobis de illa non constaret. Immò, si cõstaret de morte; quandiu non constaret de certa loci ac temporis circunstantia, in qua nobis illa à Deo præfinita sit; adhuc possemus in singulis circunstantiis seorsim eam fugere: vt patet in Apostolis, qui certi de morte subeunda, de mortis tamen circunstantiis incerti, mortem fugere poterant, & de facto fugiebant. Et confirmatur cum proportione in malis pœnæ; quæ, cùm nobis à Deo immittantur; licitè tamen à nobis præcauentur. Quis enim morbos, fames, bella & similia, quibus potest præsidiis non euitat?

XII. *Loca Scripturæ in contrarium citata non vrgent.*

Loca verò Scripturæ, quibus vritur Tertul. ad suam sententiam illustrandam, solùm probant, tunc abstinendum à fuga, quando ea cum fidei contemptu, aut animarum damno, quarum cura nobis incumbit, aut similibus incommodis coniungitur: non verò in quolibet euentu, vt cùm ex fuga nullum spirituale periculum timetur, immò maius aliquod bonum speratur. Quod verò respondet Tertullianus ad eum locum: *Cùm persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam:* nempe, hoc præceptum, seu consilium ad illa primitiuæ Ecclesiæ tempora limitatum esse: quemadmodum & illud: *In viam Gentium ne abieritis:* mihi non probatur. Est enim diuersa vtriusque ratio. Nã hoc de non prædicando Gentibus, euidens est, fuisse ad prima Apostolorum tẽpora determinatum, cùm posteà reuocatũ sit, illis verbis: *Docete omnes gentes.* Matth. 28. n. 19. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Marc. 16. n. 15. Hoc autem de fugiendo in persequutione, cùm nusquam reuocatum inueniatur, eandem modò vim habet, quam tunc habebat: & proinde eodem modo nunc, atque olim obseruari debet; cùm pares circunstãntiæ occurrunt. Dices, iam non esse easdem circunstantias: quia tunc exiguitas fidelium cogebat fugere, ne vna omnes persequutione extinguerentur: nunc autem fidelium numerositas tanta est, vt periculum nullum sit, ne omnes deleantur. Respondeo, etsi modò periculum non sit, ne omnes in tota Ecclesia fideles opprimantur, aboleanturque; esse tamen posse in aliqua particulari Ecclesia, vt inter Iapones, inter Sinas, inter Anglos:

Præceptum non prædicandi gentibus, limitatum esse; fugiendi verò non esse, ex Scriptura colligitur.

inter Angelos: cui proinde, si fieri potest, fuga consulendum est. Et quamuis periculum non sit de omnium fidelium exitio, satis est, si magna pars periclitetur, vnde notabile damnum timeatur. Tunc enim fugiendum est etiam sub præcepto, interprete Maldonato, vt maior Dei gloria, & Ecclesiæ vtilitas procuretur.

XIII. *Curandū, vt charitas, non cupiditas nos vrgeat ad fugiendum.*

Cauendum tamen, ne dum nobis ad fugiendum proponitur charitas; falso timore delusos à tergo vrgeat cupiditas: & dum nobis videmur communi bono & diuinæ gloriæ seruire; priuato studio & propriæ timiditati seruiamus. Quare, vt in re tam graui errandi periculum amputetur, consulto opus est; proprio iudicio non fidendum, sed maturo aliorum consilio standum. Quod D. August. citatus epist. 180. non mediocriter commendat in Dauide, qui etiam in ætate senili & imbelli, bellorum se periculis committebat: nunquàm se ab illis exempturus, nisi suorū consiliis, immò viribus retraheretur. *Tunc iurauerunt*, inquit Textus, *viri Dauid, dicentes: Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernā Israel.* 2. Reg. 21. n. 17. Ad quem locum D. Aug. *Sanctus*, inquit, *Dauid, ne se committeret periculis præliorum, & fortassis extingueretur, sicut ibi dictum est, lucerna Israel; à suis hoc petentibus sumpsit, non ipse præsumpsit. Alioqui multos imitatores fecisset ignauiæ: qui eum crederent, hoc fecisse, non consideratione vtilitatis aliorum, sed suæ perturbatione formidinis.* Hac igitur consultatione præmissa, non est indecora fuga, quæ verè in diuinam gloriam & commune bonum referatur.

D. August. *Dauidis exemplo res confirmatur.*

SECTIO III.

An fuga in tentationibus laudabilis habeatur?

I. *Fuga in tentationibus carnis laudanda.* D. Cypr.

TErtia fuga in tentationibus valdè laudabilis censetur: præsertim cùm tentationes sunt huiusmodi, in quibus lapsus propter fragilitatem carnis timeatur: iuxta illud, quod dixit D. Cyprianus serm. De ieiunio & tentationibus Christi: *Honestius*, inquit, *cum spiritu, quam cum carne luctamur. Libidinum morsus nemo euadit illæsus: flatus ille pestilens etiam longè positos inficit. Hoc certaminis genus fugam potiùs, quam assultum requirit.* Idem Cypr. in Tract. De singularitate Clericorū, multa inculcans de metu, quo peragenda sunt hæc pro castitate certamina: *Estote*, inquit, *timidi, vt sitis intrepidi: & licèt timor in certamine infirmitas esse videatur; tamen virtus in infirmitate perficitur.* 2. Corinth. 12. n. 9. Quasi in hoc timore fortitudo, in hac fuga victoria consistat. Ad quam rem illustrandam inseruire possunt, quæ hactenus diximus, si ad mysticos sensus referantur. Possunt quoque accedere & alia mysticè explicata.

II. *Fortissimi viri in libidinum tentationibus fugiunt.*

Dauid de prædicatione euangelica propheticè loquutus: *Rex virtutum*, inquit, *dilecti, dilecti.* Psal. 67. n. 13. Hebraïcè: *Reges virtutum fugerunt, fugerunt.* Vtraque versiculi pars emphatica est. Prior: *Reges virtutum*, id est, fortissimi, & robustissimi: sicut alibi: *Dominus virtutum nobiscum.* Psal. 45. n. 12. *Altaria tua, Domine, virtutum.* Psal. 83. n. 4. Posterior verò: *Fugerunt, fugerunt*, id est, valdè fugerunt per epizeuxim: sicut alibi: *Consolamini, consolamini, popule meus.* Isai. 40. num. 1. hoc est, valdè consolamini. Sensus igitur mysticus est: Viri omnibus virtutibus munitissimi à minimis etiam tentationibus cauerunt & fugerunt. Nam in hoc certamine fuga est victoria: pugna aliquando est audacia & ruina.

III. *Dauid fortitudine accinctus habebat fugaces ceruorum pedes.*

Idem Dauid se à Deo omnibus virtutum præsidiis munitum esse gratulatur: *Deus*, inquit, *qui præcinxit me virtute, qui docet manus meas ad prælium; & posuisti, vt arcum æreum, brachia mea.* Psal. 17. n. 33. & 35. Sed quænam erat hæc illius fortitudo? Addit: *Qui perfecit pedes meos, tanquàm ceruorum.* n. 34. Inanis planè videtur hæc fortitudo. Nā pedes ceruini timidi sunt atque fugaces. Quid igitur cum manibus promptissimis ad pugnandū, pedes ad fugiendum velocissimi coniunguntur? Nisi fortè, *ventosa in lingua, pedibúsque fugacibus*, vt cecinit Poëta, illa fortitudo consistat. Nihilominùs res aptissimè ad sensum mysticum transfertur. Nam, qui à tentationibus sibi cauent ac fugiunt, strenuissimi censentur bellatores. Cum Regio Vate colludit Propheta Abacuc cap. 3. n. 19. *Deus Dominus*, inquit, *fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum.* Munitum se dicit fortitudine à Deo communicata: & nihilominùs ceruinis, seu fugacibus pedibus instructum. Vt facilè quis intelligat, etiam in fuga à tentationibus fortitudinem diuinam collocari. In vtriusque Prophetæ loco, pro pedibus *ceruorum*, intelligere possumus: *Pedes Angelorum*: qui Canticor. 2. num. 7. iuxta Theodor. Diuum Gregor. Nissen. & alios, *ceruorum* nomine significantur. Qui enim à tentationibus fugiunt, dum ceruinam fugacitatem habere videntur, potiùs angelicam puritatem imitantur.

Virg.

Abacuc strenuus nō tam manibus ad pugnandum, quàm pedibus ad fugiendum.

Qui à carnis tentationibus fugiunt, Angeli.

IV. *Ad hanc generosam fugā requiruntur, alæ, non columbæ fugacis, sed aquilæ bellatricis.*

Mirum alicui videbitur, quod scripsit Ioannes, Apoc. 12. num. 14. *Datæ*, inquit, *sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum*: seu, vt fugeret in solitudinem: hoc enim *fugiendi* verbo vsus fuerat Euangelista paulò superiùs, n. 6. *Mulier*, inquit, *fugit in solitudinem.* Mirabitur, inquam, aliquis, datas fuisse mulieri alas aquilæ, vt fugeret; cùm ad fugiendum aptiores videátur alæ columbinæ, quàm aquilinæ: columbæ enim imbelles sunt, aquilæ bellatrices. Sed nihil mirum, cùm & generosam & bellatricem aquilam non dedeceat, fugā aliquando maturare: hoc est; viro forti & strenuo indignum non sit, tentationem à Diabolo, vel à carne ortam subterfugere, & fugiendo superare. Aquilæ figuram prætulit Christus Dominus in die Ascensionis suæ: vt ex Apoc. 4. num. 7. & Ezech. 1. num. 10. colligit D. Greg. Magnus lib. 31. Moral. cap. 19. aliàs 33. Et nihilominùs sponsa in eodem Ascensionis die eum alloquuta, vt communior est Patrum expositio apud Ghislerium: *Fuge*, inquit, *dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnulóque ceruorum super montes aromatum.* Cant. 8. n. 14. Quid, quæso, generosæ Aquilæ cum fuga, & cum fugacissimis animalibus, capreæ, hinnulóque ceruorum? Certè non parum. Vt significetur generositas aquilina, & spiritualis fortitudo, in vitiorum tentationúmque fuga collocanda.

Christus in Ascensione sua cū Aquila generosa & ceruo fugace comparatur. D. Greg.

V. *Iosephus fugiendo adulteram fortissimus.*

Alas quidem ad Ægyptiam fugiendam sibi annexuit Iosephus in Ægypto: cùm scilicet, *relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras.* Genes. 39. n. 12. Fuerúntne huiusmodi alæ columbinæ, timoris indices, ac pauoris; an potius generosæ & aquilinæ, fortitudinísque plusquàm humanæ proditrices? Dixerim, de hoc posteriori genere proculdubiò fuisse. Vnde Iosephi fortitudinem, non tam pugnando, quàm fugiendo præstitam, pater eius Iacobus admiratus: *Inuiderunt*, inquit, *illi habentes iacula.* Gen. 49. num. 23. Quasi diceret: Optimi quique bellatores iaculis ad pugnandum armati, Iosepho alis tantùm ad fugiendum instructo, suam fortitudinem inuiderunt: illum fugientem se ipsis pugnantibus fortiorem existimarunt.

Fugitiuus Iosephus, fortior, quam armatis

Nulla

Nulla enim maior esse potest fortitudo, quàm qua peccata, eorumque incitamenta fugiuntur. Vnde D. Ambrosius, lib. De fuga seculi, c. 4. *Persequuntur*, inquit, *nos peccatorum illecebra, persequitur libido. Sed tu fuge, tanquam furiosam dominam; quæ si comprehenderit, nec die, nec nocte quiescere sinit; exagitat, vrit, incendit.* Vbi videtur alludere ad Iosephum, crebras Ægyptiæ tentationes tandem effugientem.

D. Ambr.

VI. *Magis tentamenta carnis, quàm incendia ignis fugienda.*

Certè Lot magis luxuriæ tentamenta, quàm ignis incendia fugiebat. Nam monitus ab Angelis, vt Sodomitana incendia fugeret, cunctabatur. Genes. 19. num. 16. Ipsa tamen Sodomitana contagia ita fugit, vt ne minima quidem labe vnquam inficeretur. Vnde Diuus Ambrosius lib. cit. cap. 9. *Fugiamus*, inquit, *sicut Lot, Sodomitana crimina amplius, quàm supplicia formidans. Magis enim pius certa scelerum fugit contagia, qui Sodomitanis domum clausit, nec cohabitans, nec cogitans eos, quorum flagitia nesciebat, & opprobria auersabatur.* Non ignauus planè, sed strenuus transfuga: qui non tam flammas, quàm libidines fugiebat.

D. Ambr.

VII. *Iacob fortior in tentatore, quàm in persequutore fugiendo.*

Fortem se exhibuit Iacob, cùm fratrem Esaii persequutorem suum fugit: sed longè fortiorem, cùm fugit Labanum tentatorem. Ad illum enim fugiendum materno, paternóque hortatu indiguit. Genes. 27. Num. 43. & Genes. 28. num. 2. Ad hunc autem declinandum, ipse se, suósque domesticos ac familiares excitauit. Gen. 31. à n. 4. Intellexit nempe cordatus adolescens, maiora sibi à tentatore, quàm à persequutore detrimenta inferenda: quare generosior ad tentatoris fraudes, quà ad persequutoris vires fugiendas properauit.

VIII. *Helias non tã Regẽ Achabum, quàm Reginã Iezabelem fugiebat.*

Helias sic erat strenuus, vt Regi Achabo non cederet, sed occurreret. 3. Reg. 18. n. 2. vt mortem nõ præcaueret, sed postularet. 4. Reg. 19. n. 4. Cur ergo mulierẽ Iezabelẽ, quasi timidus & ignauus fugiebat? Ibid. num. 3. Fortè, qua Iezabel blandæ tentatricis & insidiatricis imaginem præferebat: Achabus durum, dirúmque persequutorem repræsentabat. Helias autem minùs ab hoc, quàm ab illa sibi præcauendum sentiebat: persequutoris arma facilè retundenda; tentatricis autem blandimenta, non nisi magna vi ac fortitudine declinanda iudicabat. Vnde D. Ambr. vbi sup. cap. 6. *Non mulierem*, inquit, *fugiebat Propheta tantùm, sed sæculum. Fugiebat secularem illecebram, & conuersationis maculosa contagionem, & impiæ ac præuaricatricis nationis sacrilegia.*

D. Ambr.

IX. *Dauid vbi columbinas alas ad fugiendum accepit, fortitudinem induit.*

Desiderat quidem Regius Vates columbinas ad fugiendum alas, dicens: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ?* Psal. 54. n. 7. Quas vt accepit, non eo columbinam in timiditatẽ collapsus est, sed aquilinam in generositatẽ elatus: *Saluum*, inquit, *me fecit à pusillanimitate spiritus.* Ibid. n. 9. Quasi fugiendo, timidus & ignauus non fieret; sed potiùs omni ignauia ac timiditate exueretur. Columba quidẽ redditur, nõ pusillanimitate, sed celeritate volandi, & puritate viuendi, diuini Spiritus, quem significat, imitatrix. Vnde D. Greg. Naz. orat. 17. ad ciues, sub initium: *Columbæ*, inquit, *pennas expetit: vel, quòd leniores ac puriores sint vel, quòd spiritum adumbrent, cuius vnius auxilio pericula fugimus: vt quàm longissimè se à præsentibus malis remoueat.* Itaq; non solùm pugnando fortes reddimur, & victores; sed etiam fugiendo: proindéque non modò strenuè pugnantes; sed etiam cautè fugientes à Deo coronamur. Quod Dauid vt significaret: *Deus noster*, inquit, *refugium & virtus.* Ps. 45. n. 2. *Refugium* quidem, vt fugiẽtes benigno excipiat amplexu: *Virtus*, vt pugnantes brachio adiuuet extento: refugium pariter & virtus, vt vtroque fo-

Deus, refugiũ & virtus: quia fugientibus & resistentibus adest.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

A ueat, & coronet. Quare D. Basil. eum locũ: *Rectè*, inquit, *refugium & virtutem dixit, vt ostenderet, quòd aliquando fugiendo, aliquando stando & pugnando vincimus. Nam vtraque ista sunt facienda. Simul enim & congrediendum est, dum tempus vocat: & rursus declinandum, dum illud reuocat.* Vtrobique fortitudo eminet & elucet.

X. *Certior enim victoria in fuga.*

Sed facilius pugnæ genus est, immò & certius victoriæ pignus, cum diabolicæ incursiones effugiuntur. Vnde quò quis sanctior est ac iustior; eò debet esse in his tentationibus timidior atque fugacior. Quod planè videtur mysticè figuratum in illo facto Iosue; qui cùm vellet vrbem Haï per insidias expugnare, tam ipse, quã seniores in fronte exercitus fugam simularũt: vt patet Iosue 8. n. 10. B & 15. vbi Orig. hom. 8. *Quid putas*, inquit, *est, quòd Iesus fugiens designabat? Videamus, ne fortè sit aliquid, quod fugiendo vincimus. Quod sit aliqua perfecta virtus in fuga, Paulus nos Apostolus docet, dicens: Fugite fornicationem.* 1. Corinth. 6. n. 17. *Ista ergo fuga est, qua habet salutem: ista fuga virtutis est: ista fuga beatitudinem confert.* At, cur Iosuè, & seniores, seu peritiores duces in fronte exercitus constituti, prius fugam arripuerunt? An non satis fuit, gregarios milites, & nullius celebrati nominis insignes, se in fugam coniecisse? Nequaquam, inquit, Caiet. *Seniores præcedebant senes, ne viri robusti turpe putarent, fugere: sed senum auctoritate regerentur.* Haud aliter vult Deus, vt sanctissimi Heroës io tentationibus formident, & fugiant; ne incauti & inconsulti tyrones fugere erubescant.

Rei in fuga Iosue mysticè significatur.

Orig.

Fortiores duces fugiunt, ne infirmiores fugere erubescant.

Caiet.

C Quare D. Hier. in epist. 47. De vitando suspecto contubernio, rectè monet, vt non solùm pugnam, sed etiam pugnandi occasionem fugiamus. *Quid*, inquit, *tibi necesse habes quotidie, aut perire, aut vincere? Quis vnquam iuxta viperam securos somnos capit, qua, etsi non percutiat, certè sollicitat? Securius est, perire non posse, quàm iuxta periculum non perijsse: in altero tranquillitas est, in altero gubernatio:* hoc est, sollicitudo propria gubernantis. Præstat igitur per fugam tuta capessere, quàm pugnando inter pericula versari. Non erat ignauus miles, sanctissimus ille Patriarcha Iobus, qui cum Diabolo tam acriter conflixit, ac de Diabolo tam feliciter triumphauit: & nihilominùs à carnis tentatione pulsatus, maluit securè fugere, quàm periculosè decertare: *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Iob. 31. n. 1. D Quasi diceret: Cum aliis hostibus bellum inibo; cum his tentationibus, fœdus: quia ipsam quoque pugnandi occasionem perhorresco.

XI. D. Hieron. *Non solùm pugna, sed etiã pugnandi occasio fugienda.*

Iobus etiam à periculo pugnandi fugiebat.

Quare D. Hier. in epist. 7 ad Lætam, De institutione filiæ: *Licet*, inquit, *quidã putent, maioris esse virtutis, præsentem contemnere voluptatem: tamen ego arbitror, securioris esse continentiæ, nescire, quod quæras.* Et quidẽ rectè. Nam, vt ipse lib. 2. aduersùs Iouinianum: *Si quis*, inquit, *existimat, posse se versari in delicijs, & deliciarum vitijs non teneri, se ipsum decipit.* Non solùm igitur cum hostibus certamen, sed etiam certandi periculum fugiendum. Vnde E Dauid: *Dedisti*, inquit, *metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Psal. 59. n. 6. Quod in tem præsentem ita explico. Significasti seruis tuis, vt non solùm fugiant à congressu cum tẽtationibus: verùm etiã à primo tentationum aspectu: *A facie*, inquit, *arcus.* Vix appareat hostis, nondum sagittam emittens, sed vix arcum ostendens, cùm iam terga vertantur, & fuga arripiatur. Quàm fit autem gloriosa hæc fuga, ex fonte Hebraico declaratur, vbi sic: *Dedisti metuentibus te vexillũ, vt exaltentur in illo.* Quasi, qui sic fugiunt, non cadant tanquàm victi; sed tanquàm victores exaltentur.

XII. D. Hier. *Præstat à delicijs exulare, quã delicias superare.*

Præstat in fuga esse securum, quàm in bello sollicitum.

Non solùm à congressu, sed etiam à signo congressus fugiendum. Hæc fuga gloriosa.

P 2 Si

XIII. *A tentatore ad Saluatorè fugiendum.*

Si quæras, quò tandem fugiendum, vt à tentationum iaculis liberemur; facilis est responsio: *Ad turrim fortissimam nomen Domini.* Prouerb. 18. num. 10. hoc est: Ad Christum Dominum, qui factus est nobis *Turris fortitudinis a facie inimici.* Psalm. 60. num. 4. Vbi Diuus Augustin. *Christus,* inquit, *nobis factus est turris à facie inimici: caue, ne feriaris à Diabolo: fuge ad turrim. Nunquàm te ad illam turrim diabolica iacula sequutura sunt: ibi stabis munitus & fixus. Ante te est turris: recordare Christum, & intra turrim. Quidquid pateris, cogita, quia prior passus est: & cogita, quo fine passus est, vt moreretur, & resurgeret. Talem & tu finem spera, qualis in illo præcessit: & intrasti turrim.* Constat igitur ex dictis, hanc fugam non esse ignauam, sed strenuam. Vnde D. Ambros. lib. De fuga seculi, c. 6. loquutus de fuga Hebræorum ex Ægypto; in qua fuga Sanctorum è tentationibus & illecebris carnis adumbratur. *Fuga,* inquit, *hac fæcunda virtutum est, non effœta meritorum. Fuga hac nescit frigus timoris, tremorem mortis, contractionem sollicitudinis, dissolutionis otium, lasciuiæ ferias, torporem lentitudinis: sed vitæ cælestis requirit impigrum viatorem,* &c. Sed de hac re sæpiùs dicendi occasio redibit.

Securitas interna fortitudinis in Christo Domino.

Concluditur fuga in tentationibus strenua esse, non ignaua. D. Ambr.

ANNOTATIO X.

CIRCA LITERAM.

An aliqua confidentia in Deo vituperabilis censeatur?

I. *Ratio dubitandi pro parte affirmatiua.* D. August.

PATIO dubitandi est, quia *filij Israel,* vt loquitur D. August. lib. 2. De mirabilibus Scripe. capit. 7. *de se nihil confidentes, Arcam Testamenti Domini in pugnam contra aduersarios suos* conduxerunt. Quasi in illa tantùm, seu in solo Deo, qui ex illa se manifestabat, totá spem suam collocarent. Et nihilominùs infeliciter dimicarunt; & partim in captiuitatem, multa clade accepta, abierunt; partim in ciuitatem, re infecta, remigrarunt. Ergo laudabilis non fuit illa confidentia, sed vituperabilis, ex qua tanta calamitas processit. Cæterùm, vt res tota illustretur, aperiendus est in primis status quæstionis. Ex quo facilè patebit, quæ confidentia virtuosa, quæ infructuosa censeatur.

SECTIO I.

Status difficultatis aperitur.

II. *Confidentia in Deo multipliciter vitiatur. Primò.*

CONfidentia in Deo, seu de misericordia diuina, ex multiplici capite potest vitiari. Primò, si sit de re illicita: vt, si quis speret à Deo peccandi facultatem, verbi gratia, auxilium ad committendum furtum, ad patrandum sacrilegium, ad iniustam vindictam de inimico sumendam, vel ad aliud quodcunque peccatum operandum: tunc enim facit iniuriam bonitati diuinæ, cui non conuenit hæc facultas. In quam dementiam Caluinistæ abierunt; dum non minùs tribuũt Deo negationem Petri, quam conuersionem Pauli atque adeò bona pariter ac mala de Deo speranda arbitrantur. Eandem præsumptionem habere videntur, qui mala à Deo postulant. Qualis fortasse Iudas, auxilium à Deo ad suum patrandum sacrilegium precatus. De quo proinde Regius Vates: *Oratio eius fiat in peccatum.* Psal. 108. num. 7. In quos D. Chrysostomus homil. 79. ad populum, sub finem, & in Psalm. 4. acriter inuehitur: quòd non solùm ipsi diuina iura euertant, sed etiam ipsum Deum facere velint suarum legum euersorem.

Caluinistæ hanc confidentiam vitiant.

D. Chrys.

III. *Secundò.*

Secundò, si sit de impetranda aliqua re, quæ voluntati diuinæ absolutæ, & vt tali cognitæ repugnet: vt, si quis speret à Deo veniam sine pœnitentia, aut gloriam sine meritis, aut gratiam in adulto sine operibus. Hæc enim confidentia est contra spem theologicam; & à Diuo Thom. 2. 2. quæstione 21. art. 1. in corpore, in specie præsumptionis reponitur: immò & inter peccata, quæ in Spiritum sanctum committuntur, numeratur: quia per illam contemnitur diuini Spiritus adiutorium, per quod homo à peccato, in quod cecidit, abstrahitur, & ad gratiam promouetur. Hæc est Lutherana præsumptio, quæ solam fidem sine operibus viuam & fructuosam arbitratur. Dixi, voluntati absolutæ, & vt tali cognitæ: quia, si quis speret aliquid à Deo contra voluntatem eius conditionatam, non præsumit. Quo pacto Niniuitæ sperantes à Deo suæ vrbis incolumitatem, etiam post reuelationem de ipsius excidio, Ion. 3. à num. 4. non peccarunt, sed metuerunt: quia illa voluntas diuina de vrbis excidio, non erat absoluta, nec vt talis cognoscebatur. Item, si quis speret aliquid contra voluntatem absolutam, non tamen cognitam vt talem, non contrahit peccatum præsumptionis. Quo pacto Dauid sperans à Deo vitam filio suo paruulo contra voluntatem diuinam absolutam, 2. Reg. 12. n. 16. non peccauit: quia nesciebat, Deum absolutè eius mortem voluisse.

D. Thom.

Lutherana hæresis.

IV. *Tertiò.*

Tertiò, potest confidentia de Deo vitiari, si sit principium motiuum, seu imperatiuum alicuius actus mali, ac temerarij: v.g. si quis ita speret à Deo suorum peccatorum veniam, vt propter hanc spem in suis peccatis diutiùs commoretur, aut ad alia peccata committenda licentiùs aggrediatur: vel, si quis ita confidat de præsidio diuino contra hostes obtinendo, vt propter hanc confidentiam absque vlla humana cautione in manifestum periculum se immittat. Nam, cùm hic ausus malus sit, aut temerarius; necesse est, vt illa confidentia, ex qua, tanquàm ex principio oritur, mala quoque censeatur, cùm malum non sit, nisi ex malo. Et quamuis peccare ex infirmitate sub spe veniæ, non inducente tamen ad peccatum, sed ipsum peccatum comitante, non sit præsumere, immò ipsum peccatum minuere soleat, & eleuare, vt Magister in 2. dist. 22. D. Thom. q. cit. art. 2. ad 3. de peccato Adami tradiderunt; quòd voluntatem arguat ad peccatum minùs pronam & obfirmatam: tamen delinquere ex malitia, sub spe veniæ ad delinquendum, vel ad perseuerandum in delicto inducente; præsumptio quædam intrinsecè mala est, cùm sit causa mali.

Magist. D. Thom.

V. *Quartò.*

Quartò, vitiari potest confidentia ex aliqua circumstantia extrinseca: si nimirum ipsa confidentia in se, intrinsecè, & ex obiecto bona sit; tamen cum aliqua complacentia de peccato cõiungatur, vel aliquam ignauiam in reformandis moribus admittat; vel tandem debitam cooperationem ad id, quod sperat, obtinendum, excludat: v.g. si quis à Deo speret gratiá ad abiicienda peccata, in quibus interim delectatur; aut noua aliqua beneficia diuina, ad quæ tamen per veterum malorum expulsionem se non disponit; aut insignem de internis cõcupiscentiis victoriam, cùm tamen externa

externa corporis membra debita castigatione non refrænet. In his ac similibus casibus confidentia bona est, intrinsece, & ex obiecto; vitiari tamen dicitur extrinsece, & ex circumstantiis: ita tamen, vt hæc malitia non in ipsam confidentiam directe, quæ per se laudabilis est; sed in actus circumstantes referatur: atque adeò non ipsa vitiosa sit, sed planè infructuosa ad finem, quem sperat, obtinendum.

VI.
Confidentia Hebræorum, nec primo, nec secundo modo vitiosa fuit.

His positis: Hæc Hebræorum confidentia, nec primo, nec secundo modo vitiosa fuit: quia non erat de re illicita, aut diuinæ voluntati absolutæ, & vt tali cognitæ repugnante; sed de victoria contra Philisthinos obtinenda, quæ nec illicita erat, nec diuinæ voluntati absolutę, & vt tali cognitæ repugnabat. Dubium tamen superest, tertióne, an quarto modo fuerit vitiosa. Nam, si Hebræi ad pugnam temerarij prodierunt; & eorum confidentia causa fuit, vt in eam se immitterent temeritatem: planè eorum cõfidentia tertio modo fuit intrinsecè vitiosa, cùm ex ea nata fuit præpostera & perniciosa temeritas. Sin autem temeritate in prælio suscipiendo caruerunt, vel saltem illa eorum confidentia temeritatis causa nõ fuit, sed tantum se se habuit ad illam concomitanter: debet à peccato excusari; & solùm dici potest quarto modo, non quidem vitiosa intrinsece, sed parum fructuosa. Nec obstat, Hebræos à suis peccatis non resipuisse: nam etiã peccatores possunt ac debent à Deo multa beneficia sperare ac postulare: vt videre est apud Suar. lib. 1. De orat. in communi, c. 11. Quæ spes & oratio nullam intrinsecam malitiam includit. Vtro autem modo de facto vitiosa fuerit, mihi non constat. Rupertus in tertium modum magis inclinat. Abul. & Caietan. in quartum, quibus potiùs assentior. Reliqui Interpretes in Litera citati, sic obscurè loquuntur, vt in vtramlibet partem facilè explicentur. Sed, quia incertum est, vtram habuerint confidentiam; vtramque ad mores breuiter illustremus.

Dubitatur, tertióne, an quarto modo vitiosa fuerit.

Suar.

Rupertus in tertium modũ inclinat. Abul. & Caiet. probabiliùs in quartum.

SECTIO II.

Confidentia de misericordia diuina ad peccandum inducens, vitiosa.

I.
Grauissimum & stultissimũ peccatum, ex confidentia in Deo induci ad peccandũ.
D. Greg.
Iustitiam diuinam offendit, qui misericordia spe ad peccãdum inducitur.

HOc est, qui de misericordia diuina ita confidunt, vt propter eius ad parcendum facilitatem, ipsi ad peccandum inducantur; grauissimè & stultissimè delinquunt. Hac enim confidentia quid absurdius? Certè, qui in Deo sic confidunt, diuinam misericordiam non flectunt, sed potiùs diuinam iustitiam lacessunt. Vnde Diuus Greg. Magnus, iam à nobis superiori cap. num. 18. citatus: *Peccare*, inquit, *& de Dei Creatoris clementia præsumere, pelago iustitia eius exponi est.* Quod intellige iuxta dicta, quando hæc præsumptio est causa & illecebra peccandi: vt ibi sanctus Doctor pleniùs declarat. Eandem rem D. Ambros. lib. 2. De pœnit. c. 9. optima similitudine illustrat, dum in homines eo modo confidentes, sic inuehitur: *Proposita*, inquit, *spe agendæ pœnitentiæ, licentiam sibi delinquendi propagatam putant; cùm pœnitentia remedium peccati sit, non peccandi incentiuum. Vulneri enim medicamentum necessarium est, non vulnus medicamento: quia propter vulnus medicamentum quaritur, non propter medicamentum vulnus desideratur.* Quasi dicat: Quis vnquàm ad virtutem balsami experiendam, luculentam plagam suo capiti inflixit? Quis ad vim antidoti probandam venenum intrepidus hausit? Amens esset, qui hoc ageret. Ita planè amens censeri debet, qui peccat, vt ad diuinam misericordiam confugiat; seu, qui ex diuinæ misericordiæ largitate inducitur ad peccandum. Non minùs elegans est illa similitudo, qua vtitur Diuus Hieronym. in epist. 9. ad Saluinam de viduitate seruanda: *Nec*, inquit, *stultum nobis pœnitentiæ subsidia blandiamur, quæ sunt infelicium remedia. Cauendum est vulnus, quod dolore curatur. Aliud est, integra naue & saluis mercibus portum salutis intrare: aliud nudum hærere tabulæ, & crebris fluctuum recursibus ad asperrima saxa collidi.* Quasi diceret: Quis vnquam adeò insaniuit, vt videns in naui tabulam accommodatam ad natandum in naufragio, nauem perforaret, vt adhærens illi tabulæ e naufragio eriperetur: Haud aliter dementissimus esset, qui videns in Sacramentis diuinam misericordiam patentem; inde prouocaretur ad peccandum, vt per Sacramenta misericordiam à Deo impetraret.

D. Ambr.

Vulnus non faciendũ propter medicamẽtũ, nec peccatum propter misericordiã.

D. Hier.

Naufragium quærendum non est propter tabulam ad natãdum, nec peccatũ propter pœnitentiam.

Sed nescio, an grauius aliquid in hac materia dici possit, quam quod tradit Tertul. lib. De Pœnitentia, cap. 7. vbi in primis docet, difficilè se adduci ad agendum de Pœnitentia: *Ne retractantes*, inquit, *de residuo auxilio pœnitendi, spatium adhuc delinquendi demonstrare videamur.* Et statim hortatus, ne quis ad peccandum effrænetur, vnde maximè refrænari oportebat: *Absit*, inquit, *vt ita aliquis interpretetur: quasi eo sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum; & ex redundantia clementiæ cælestis, libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcircò deterior sit, quia Deus melior est, toties delinquendo, quoties ignoscitur.* Quid enim indignius, quam ex diuina misericordia desumere argumentum ad diuinam iustitiam prouocandam? & quia Deus libenter excipit pœnitentes, data opera velle fieri peccatores: Et statim ex prudenti hominum timore ad pericula temporalia repetenda, detestatur insaniam hominum temeritatem ad spiritualia damna iteranda: *Plerique*, inquit, *naufragio liberati, exinde repudium & naui & mari dicunt; & Dei beneficium, salutem suam scilicet, memoria periculi honorant. Laudo timorem, diligo verecundiam. Nolunt iterum diuinæ misericordiæ oneri esse. Ita modus temeritatis, testatio est timoris: timor autem hominis, Dei honor est.* Si igitur, qui semel temporale naufragium euasit, diligenter cauet, ne iterum naufragio exponatur: neque ex misericordia diuina semel eum è periculo liberante, inducitur ad periculum repetendum; veritus, ne diuina misericordia quodammodo oneretur, sæpiùs liberando; cedénsque oneri, eum naufragio permittat: quanta erit insania illius, qui ter & amplius è periculo spirituali liberatus, eo ipso in idem periculum sua sponte se refundat: inordinata quadam spe innixus, fore vt quoties ceciderit, toties erigatur? Plura de hac re Tertul. lib. De Pudicitia, c. 9. & sequentibus: qui liber, quamuis contra Ecclesiam scriptus à D. Hieronymo in Catalogo de Scriptoribus ecclesiasticis dicatur, multa tamen continet, quibus huius doctrinæ veritas confirmetur.

II.
Tert.
Ex redũdantia clementia diuina non est incurrendam libidinẽ humana temeritatis.

Naufragio liberatus, naufragium timet: cur igitur peccato absolutus, peccatum amat?

Iam verò D. Gregor. Naz. orat. 31. sub initium, contemplatus immensam Christi Domini erga humanum genus charitatẽ, ex qua homines occasionem sumunt, non vt peccandi habenas contrahant, vt par erat; sed potiùs vt remittant & effundant: iusta quadam indignatione & zelo excandescens: *Ira*, inquit, *& mœrore impleor propter meum Christum (vtinam ipsi quoque simul doleatis) cùm eum hac de causa contemni ac pro nihilo haberi* conspicio,

III.
D. Greg. Naz.
Iustissimus zelus, in eos qui ex diuina clementia ad peccandũ effrænantur.

conspicio, propter quam eum maximè honorari par erat. Nec immeritò. Nihil enim est, quod Sanctorum animos magis pungat & exulceret, quàm si Deus, qui ex sua misericordia & beneficentia maximè laudabilis esse debet, ex eadẽ maximè contemptibilis efficiatur: & quia iniuriarum veniam libens offert; idcircò iniuriarum telis procaciùs laceretur. *An idcircò*, pergit Nazianzenus, *dic mihi, humilis & abiectus est, quia propter te humilis? An ideò creatura; quia de creatura sollicitus est? An ideò tempori subest; quia eos, qui tempori subsunt, inuisit?* Quasi diceret: Minimè verò. Si ergo suam semper retinet maiestatem, diuinitatem & æternitatem; cur eum contemnis, qui propter te se fecerit contemptibilem? & inde sumis occasionem despiciendi, vnde sumere debuisses honorandi?

IV.
D. Bern.
Lucifer cecidit ex nimia confidentia in Deo.

Non dissimiles in querelas erumpit Diuus Bernardus tractat. De gradibus humilitatis, in primo superbiæ gradu, vbi Luciferinum lapsum insanæ de bonitate diuina confidentiæ attribuit. Quare ipsum Luciferum alloquutus: *An*, inquit, *oculus tuus nequam est, quia ille bonus? De enim bonitate, dum fiduciam nefariam sumis; factus es & contra scientiã impudens, & contra potentiam audax.* Et statim ita eum apud se cogitantem introducit: *Putásne*, inquit Lucifer, *Creator opus suum destruet?* Quasi ipse sibi responderet: Absit. Et rationem sibi ipse fingit: *Si enim, cùm bonus sit, non potest illi placere malum meum; quantò minus suum? Meum quippe dixerim contra eius volũtatem aliquid velle: suũ autem, si vindicet se se. Tam ergo quodcũque scelus non valet velle vlcisci; quàm nec vult, nec valet sua bonitate priuari.* Sic Luciferum apud se loquẽtem D. Bern. contemplatur: in quem proinde acriter inuehitur, eius & ignorantiam & malitiam arguendo: ignorantiam, quia putabat à diuina bonitate alienum, de malis sumere vltionem: *Fallis te, miser*, inquit, *fallis te, & mentitur iniquitas sibi.* Et paulò pòst: *Absit ab eius perfectione; vt quia dulcis est, iustus non sit; quasi simul dulcis & iustus esse non possit: cùm melior sit iusta dulcedo, quàm remissa; immò virtus non sit dulcedo sine iustitia.* Malitiam verò, quia illo errore posito, diuinam bonitatem suo peccato prouocabat: cùm tamen tunc multò minùs eam lædere, aut irritare debuisset. *Quia*, inquit, *de magno eius bono in te, tu magnum in eum excogitas malum; meritò iniquitas tua inuenitur ad odium. Quæ maior namque iniquitas, quàm vt inde à te Creator cõtemnatur, vnde plus amari merebatur? Quæ maior iniquitas, quàm cum de potentia Dei non dubites, quin te scilicet destruere possit, qui condere potuit; confisus tamen de multa eius dulcedine, qua speras, eum nolle vindicare, cùm possit; mala pro bonis, odium pro dilectione retribuas?* Et paulò pòst elegãter & subtiliter, vt solet, eius malitiam cõuincit, qui velit offendere, quem putet, non posse velle vlcisci: *Certè*, inquit, *si talis est, qualem putas; tantò nequiùs agis, si non amas. Et si ille patitur, aliquid fieri contra se, potiùs quàm ipse faciat aliquid contra te; quanta malitia est, vt vel tu non parcas illi, qui sibi non parcit, parcendo tibi?* Quid argutius? Quid efficacius?

Conuincitur Luciferi insania.

Arguta & subtilis argumentatio.

V.
Detestanda malitia eorũ, qui ex diuina bonitate ad peccandum sumunt.

Detestanda igitur illorum malitia, qui ex diuina bonitate sibi sumunt audaciam ad peccandũ. Vnde illud Apostoli: *An diuitias*, inquit, *bonitatis eius, & patiẽtiæ, & longanimitatis contemnis; ignorãs, quoniã benignitas Dei ad pœnitẽtiã te adducit:* Rom. 2. n. 4. Quasi diceret: Cùm Deũ credas exorabilẽ; fingis contemptibilem? quid iniquius? Quia ipse te patienter sustinet, tu illum irreuerenter prouocas? quid iniustius? Quia meritas in te pœnas ille A suspendit; tu indignas in eum iniurias effundis? quid dementius? Neque enim diuina patientia stimulus ad peccandum esse debet, sed frænum ad non peccandum. Nam, vt bene Diuus Chrys. hom. 5. ad eum locum: *Mansuetudinem*, inquit, *præfert Deus, vt à peccatis te eximas; non etiam vt peccata peccatis accumules. Quandoquidem enim lenis est ille; danda est in primis opera, vt non peccemus; néve illius beneficentiam, improbitatis, ingratitudinísque argumentum efficiamus.* In eandem sententiam Siracides: *Ne dicas: miseratio Domini magna est; multitudinis peccatorum meorũ miserabitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant.* Ecclesiastici 5. n. 6. Vbi eos reprehendit, qui præsentem impunitatem experti, & futuram incolumi- B tatem sperantes, ad peccandum inducuntur. De quibus D. Leo serm. 12. De Quadragesima: *Abutuntur*, inquit, *quidam patientia Dei; & qui non sunt in conscientia liberi, fiunt de longa impunitate securi: cùm ideo differatur vltio, vt tempus possit habere correctio*: non autem, vt liberior sit ad peccandum licentia. *Misericordiam igitur Dei nostri nõ ideò quisquam tardet amplecti, quia quod meruit, non recepit: neque enim quidquid differtur, aufertur; aut condemnationem euasit, qui indulgentiam non quæsiuit.*

D. Chrys.

D. Leo.

VI.
Discrimen inter bonos & malos. Hos diuina bonitas effrænat, illos refrænat.
Lyra.

Hinc sumitur longè maximum inter malos bonósque discrimen. Nam mali ex diuina patientia ad peccandum effuoduntur; iuxta illud: *Quia non profertur citò contra malos sententia; absque timore vllo filij hominum perpetrant mala.* Ecclesi. 8. n. 11. C Vbi Lyranus aduertit, filios hominum appellari, hoc est, carnales, qui ex diuinæ patientiæ abusu leges diuinas transgrediuntur. Contrà verò boni ex diuina patientia à peccando coërcentur, iuxta illum, quod sequitur num. 12. sequenti: *Attamen peccator ex eo, quod centies facit malum, & per patientiam sustentatur: ego cognoui, quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius.* Cuius loci, quamuis difficilis sit constructio & expositio, vt apud Lorin. & Pined. videre est: mihi tamen nec violenta, nec aliena videtur sententia aduersatiua ad præsens institutum, per illam particulam, *Attamen*, non obscurè declarata; vt sicut in præcedenti versiculo dicuntur mali ex diuina patientia ad peccandum effusi: ita in sequenti di- D cantur boni ex eadem patientia diuina à peccando reuocati. Atque ita tota sententia in hunc modum colligetur: Filij hominum, hoc est, peccatores, absque timore perpetrant mala, quia nõ profertur citò contra illos sententia. Attamen ego cognoui, quòd erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius, ex eo, quòd peccator centies facit malum, & per patientiam sustentatur. Quasi præcipuo quodam studio & beneuolentia à Deo coronentur, qui eum colunt, timent ac venerantur: non quòd sit Dominus, Iudex & vltor, sed quòd patiens, longanimis & misericors: & quòd videntes humana flagitia; tamen diuina supplicia non experiantur. Hoc est bonorum ingenium, vt ex hac longanimitate diuina, qua pec- E catores ad pœnitentiam expectat, & dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam, multò magis ad amandum ac timendum Deum excitentur.

Difficilis loci facilis explicatio.
Lorin.
Pined.

VII.
Absit vt ex eo peccemus, quòd peccatores à Deo excipiantur.
D. Ambr.

An, quia Christus Dominus dixit: *Publicani & meretrices præcedent vos in regnum Dei.* Matth. 21. n. 31. idcircò ad telonia & prostibula recurrendum? Absit profectò. Immò potiùs idcircò ab iis locis quàm longissimè exulandum. Vnde D. Ambrosius lib. de Helia & ieiunio, c. 20. ex illis Christi Domini verbis hanc consequutionem deducit. *Ergo*, inquit, *quoniam tam misericordem habemus Dominum,*

Dominum, qui etiam gratis ignoscat errori; conuertamus nos a vitiis; non recedamus a lege, praeceptum Domini, quasi serui sedulis studiis exequamur. Ita planè & Dauid ex diuina patientia efficax admodum argumentum non contemnendi, sed timendi Deum desumebat. *Quia*, inquit, *apud te propitiatio, & propter legem tuam sustinui te, Domine.* Psal. 129. num. 4. seu, vt paulò clarius legit Vatablus: *Quia apud te clementia est, propterea timeris.* Tantùm enim abest, vt ex diuina misericordia debeat quis fieri temerarius ad peccandum; vt potiùs ex illa frænari debeat, ne vnquàm peccet. Magis enim quodammodo Dei misericordia timenda est, quàm Dei iustitia. Qui enim iustitiam offendit, habet misericordiam, tanquàm singulare asylum, ad quod confugiat: qui autem misericordiam offendit, ad quam aram se recipiet?

Dauid ex diuina patientia efficax nō peccandi argumentū desumebat. Vatabl.

VIII. Idcircò Iacobus, cùm Deum sibi maximè propitium expertus est, tunc pauens: *Quàm terribilis est*, inquit, *locus iste?* Gen. 28. num. 17. In quem locum D. Chrysost. homil. 54. *Stupens*, inquit, *iustus propter magnam misericordiam Dei timuit.* Ne, scilicet, tam multis à Deo beneficiis acceptis, ingratum, vt plerique assolent, animum exhibeat. Itaque ex diuina misericordia, non in peccandi temeritatem prorupit, sed potiùs ad quandam peccandi timiditatē se contraxit. A patre didicit filius Iosephus, qui ab adultera ad peccandum prouocatus: *Ecce*, inquit, *Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeam in domo sua*, &c. *Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Genes. 39. num. 8. & 9. seu, vt habent Septuaginta: *Et peccabo coram Deo?* Quæ verba expendens D. Ambrosius lib. 1. De Iacob & vita beata, cap. 2. *Pulchra*, inquit, *ratio, quòd nec beneficiis Domini esse deberet ingratus, nec occultum posset esse peccatum, quod, Deo teste, committeret.* Si igitur Iosephus ex vnius hominis misericordia, quam in se expertus fuerat, ab eo offendendo se retardabatur: quantò magis retardari debent homines ab offendendo Deo, ex ipsius Dei misericordia, quam in se ipsos immensam, infinitámque experiuntur? Pessima igitur est illa confidentia, quæ vnde peccatum timere, cauereque deberat; inde illicitur ad peccandum. Quare, qui hac confidentia innituntur; indigni sunt, quibus diuina misericordia patrocinetur: ne remedium misericordiæ diuinæ sibi vertant in malitiæ propriæ venenum.

Ex diuina misericordia non temeritas, sed timiditas peccādi oriatur. D. Chryſ.

Iosephum benignitas domini sui à peccato retrahebat. D. Ambros.

Optimum à gratitudine in hominem, ad eam, quæ Deo debetur argumentum.

SECTIO III.

Confidentia de misericordia diuina, nostram cooperationem excludens, infructuosa.

I. TAlis minimùm fuit confidentia Hebræorum in Arca fœderis, à qua ipsi victoriam de Philisthinis sperabant: neque tamen suam ipsi cooperationem pro virili parte conferebant. Nam, cùm E hæc cooperatio consisteret & in interna animorum munditia, & in externo armorum apparatu; ipsi neque animos à peccatorum sordibus expiabant; neque vires ad bellandum necessarias disponebant: sed vnam secum Arcam deferentes, quasi ex illius tantùm præsentia victuri, ad pugnam ferebantur. Vnde nihil eos iuuit hæc eorum confidentia: vt Patres & Interpretes aduertunt, quos n. 3. ad finem citauimus. Vtilis enim fiducia in Deo, necesse est, vt sanctis quoque operibus, propriòque labore & industria fulciatur: seu, qui in Deo

Hebræorum confidentia infructuosa.

A vtiliter sperat, & mores debet excolere, & necessariam cooperationem adhibere.

Sic Dauid in Deo sperabat: *Ego autem*, inquit, *sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum, & in seculum seculi.* Psal. 51. n. 10. Quasi diceret: Non otiosus, neque desidiosus, neque infructuosus in Deo speraui: sed oleo charitatis delibutus, & bonorum operum fructibus locupletatus, instar oliuæ fructiferæ meam in Deo fiduciam reponebam. Nam *vir iustus*, inquit Theod. ad eum Psal. *spem in Deo fixam habet: & per illam laborare, & laboriosos virtutis fructus producere non recusat.* Bona enim spes sperantem reddere debet sedulum, non ignauum. Hanc sperandi rationem non solùm exercebat Regius B Vates, sed aliis quoque exercendam inculcabat: *Sacrificate*, inquit, *sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Psal. 4. n. 6. Quasi diceret: Priùs vestram conscientiam per iustitiæ sacrificium, hoc est, per bona opera expiate: tum demum accedite ad spem vestram in Deo collocandam. Nam, vt ibi D. Chrys. *Non parua*, inquit, *est virtus in Deo confidere, cum iustitia tamen.* Ac si dicat: Spes, & confidentia in Deo, vt virtutis nomen mereatur, debet cum iustitia, seu bonis operibus coniungi.

II. *Dauidis spes cum charitate coniuncta.* Theod.

Bona opera spei præcurrant. D. Chryſ.

Sed, sicut hoc loco Dauid voluit, vt bona opera nostram in Deo confidentiam antecedant; ita & in alio voluit, vt subsequantur: *Spera*, inquit, *in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in diuitiis eius.* Ps. 36. num. 3. Quasi confidentia in C Deo tunc firma sit, ac certa; quando inter bona opera præcedentia ac subsequentia, veluti inter firmissima mœnia collocetur. Bona enim opera sunt, quæ promouent ipsam confidentiam, ac tuentur: vnde confidentia bonorum operum præsidio destituta, inanis est; vt rectè colligit ex hoc loco Auctor Operis imperfecti in Matth. hom. 16. *Vis*, inquit, *ostendam tibi, vt in necessitate nunquàm desperes? Fac bene, & operare iustitiam, vt spem habeas apud Deum: & non desperabis in terra. Bona enim opera sunt, quæ sperare faciunt; & mala opera desperare compellunt. Propterea non dixit Propheta: Spera in Deo, & inhabita terram, & pascèris in diuitiis eius: sed, Spera in Deo, & fac bonitatem, & inhabita terram.* Quasi diceret; Non ex sola spe res, quæ D sperantur, obtinentur: sed planè necesse est, vt ipsam spem bonitas comitetur; vt ex vtraque simul diuinæ largitatis diuitiæ in bene sperantes & operantes oriantur.

III. *Spem etiā bona opera subsequantur.*

Auct. Imp. Spes sine operibus, inanis.

Nam, sicut *Fides sine operibus mortua est.* Iacob. 2. num. 20. & 26. ita & spes. Vnde D. Petrus ad spem viuam, hoc est, cum operibus coiunctam adhortatus: *Benedictus*, inquit, *Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui secundùm misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam.* 1. Petr. 1. n. 3. Vbi vides, licèt in Deo sit misericordia magna, adhuc in nobis esse debere spem viuam, hoc est, cum bonis operibus coniunctam: quia magnitudo misericordiæ diuinæ cooperationem nostram non excludit, sed requirit. Quod variis potest exemplis illustrari. Abraham Ægyptum ingressurus, timuit & vitæ suæ, & vxoris pudicitiæ. Sed hanc qui defendere non poterat, à Deo defendendam sperauit: illam, quia potuit humano consilio protegere, protexit, dicens ad Saram: *Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis, & bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.* Gen. 12. num. 13. Nam, vt bene D. Aug. lib. 16. De ciu. cap. 19. *Si periculum*, inquit, *quantum cauere poterat, non caueret; magis tentaret Deum, quàm speraret in Deo.* Quod lib. 22. contra Faustum, c. 36. & q. 26. in Gen. latiùs prosequitur.

IV. *Spes viua, quæ bonis operibus animatur.*

Misericordia diuina nostrā requirit cooperationem. *Exemplum Abrahæ.*

V. *Exemplum Rebeccæ.* Rebecca diuino quidem instructa oraculo, à Deo certissimè sperabat, fore vt Iacobus benedictionem à patre impetraret: & nihilominùs ad hunc effectum consequendum, multam adhibuit diligentiam; mittendo filium ad venatum, escas patri condiendo, Iacobi manus pellibus hœdinis obuelando. Gen. 27. à n. 9. Quorsum tam multa agit, ac si timeret, diuinum posse oraculum eludi? Id quidem non timebat Rebecca; sed suam nihilominùs cooperationem requiri non ignorabat: vt rectè D. Chrysost. hom. 53. in Gen. expendit: *Quando*, inquit, *quod à nobis est, offerimus; largiter diuinam operationem consequimur. Nam ne desides & supini simus, vult Deus etiam nos aliquid conferre; vt non totum sit superni auxilij. Neque à nobis iterum exigit totum sciens infirmitatem nostram; sed suam seruans misericordiam, & volens occasionem aliquam accipere, vt suam declaret liberalitatem, expectat, vt offeramus, quæ à nobis sunt.* Sic igitur à Deo beneficia speranda, vt quæ ille à nobis præuia obsequia requirit, non subtrahantur.

VI. *Exemplum Regis Asa.* Processu olim ad bellum Asa Rex Iuda cum trecentis hominum millibus aduersùs decies centena millia Æthiopum. Sed, cùm Deum pro victoria humiliter precaretur: *Exterruit Dominus*, inquit Textus, *Æthiopes coram Asa, & Iuda: fugeruntq; Æthiopes.* 2. Paral. 14. num. 12. At, ne sola virtus diuina absque cooperatione humana in hac victoria interuenisse videretur; additur n. sequenti: *Ruerunt Æthiopes vsque ad internecionem; quia, Domino cædente, contriti sunt, & exercitu illius præliante.* Ita ibi. Virtus quidem diuina ad eam stragem satis erat; sed humanam industriam non exclusit, immò potiùs requisiuit; ne homines ex virtute diuina ignaui ad operandum, aut insolentes ad confidendum redderentur.

VII. *Exemplum Iosue.* Oppugnaturus olim Iosue vrbem Iericho, ait ad populum: *Ite, & circuite ciuitatem armati præcedentes Arcam Domini.* Iosue 6. num. 7. Sed existit dubitatio. Nam, si Deus paulò antè prædixerat, muros illius vrbis solo tubarum sonitu absque vllo armorum impetu ruituros; cur Iosue præire iubet armatos bellatores, cùm potiùs inermes ad vim miraculi magis ostendendam præituri fuisse viderentur? *D. Chrys.* Quæstionem hanc D. Chrys. in Psal. 43. excitauit: *Si mœnia*, inquit, *erant casura, curnam armis induuntur?* Et respondet quidem optimè; licèt ad aliud institutum: *Vt qui*, inquit, *hæc iubentur, ad fidem deducantur.* Quasi diceret: Si Iosue prædiceret vrbem illam expugnandam, & nihilominùs milites præmitteret exarmatos; res incredibilis illi populo, qui erat incredulus, videretur: ne igitur dubitarent de oraculo, iussi sunt cum armis præcedere ad capiendam vrbem, quasi reuerà bellaturi. Sed ad rem præsentem illa mihi videtur ratio accommodata, voluisse Iosue, vt cum diuina virtute iungeretur aliqua saltem industria humana: ne diuino præsidio nimiùm confidentes, existimarent, sibi in ea expugnatione ab omni labore feriandum.

VIII. *Exemplum Gedeonis.* Cur olim, quæso, Israëlitæ Madianitas inuasuri exclamarunt: *Gladius Domini, & Gedeonis?* Iud. 7. num. 20. An, quia Deus volebat, gloriam illius certaminis sibi cum populo communem esse? An, quia populus rectè existimauit, humanum laborem cum diuino fauore coniungendum? Vtraque ratio apta videtur: posterior tamen aptior ad præsens institutum. Nam, vt Dei gladius adiuuaret, necesse fuit, vt gladius hominis pariter interueniret. *Exemplum Salomonis.* De Salomone dicitur 2. Paralip. 1. num. 1. *Confortatus est ergo Salomon filius Dauid in regno suo; & Dominus erat cum eo, & magnificauit eum in excelsum.* Et paulò pòst magnus illi promittitur fauor diuinus: nam ad eum Deus: *Sapientia*, inquit, *& scientia data sunt tibi: diuitias autem & substantiam & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in Regibus, nec ante te, nec post te fuerit similis tui.* Ibidem, n. 12. Quis non crederet, Salomonem tanto præsidio à Deo munitum, otiose in vtranque aurem dormiturum? Et tamen Salomon nihil minùs, quam otia, quam ferias quæsiuit: *Congregauit* enim, inquit Textus, *sibi currus & equites*, &c. Vbi supra, num. 14. Nam, vt bene Lyra ad eum locum: *Per hoc ostenditur*, inquit, *quòd licet homo de diuino auxilio sit securus; tamen non debet omittere ea, quæ secundùm humanam viam facere videntur ad sui & suorum securitatem.*

IX. *Exemplum Moysis.* Quis certior de diuina protectione, quàm Moyses in solitudine, cùm sciret Deum sibi ducem in columna nubis nunquàm defuturum? Et tamen Hobab, quem dicunt fuisse Ietro socerum suum, multis precibus obsecrauit, vt sibi eam solitudinem peragranti ducem præstaret? *Noli*, inquit, *nos relinquere: tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus: & eris dux noster.* Num. 10. num. 31. *Isid. Clar.* In quem locum Isidorus Clarius: *Rogat*, inquit, *Moyses, vt ei sua prudentia opituletur: quo exemplo admonemur, ita committendam esse omnem vitam nostram Deo; vt tamen non contemnamus humanum auxilium, dum præsto est.* *Dauidis exemplum.* Dauid à Saulis exercitu ponè insequente, & iam proximè vrgente, excogitatus: *Desperabat, se posse euadere à facie Saul.* 1. Reg. 23. num. 26. scilicet, humano præsidio; nam diuinum certus erat sibi non defuturum. In Hebræo est, נחפז, *Nechpaz*, hoc est, *Festinabat ad euadendum à facie Saul.* à verbo חפז *Chaphaz*, quod est, *festinare*. Quasi diceret: Omnem curam, diligentiam & studium intendebat, vt è Saulis manibus elaberetur. Sed, si diuinitùs se eruendum non dubitabat; quorsum tantam industriam humanam ad euadendum adhibebat? *Paul. Burg.* Rectè Paulus Burgensis ad eum locum: *Quia ex hoc*, inquit, *non tollitur, quin faceret quantum in ipso erat ad saluandam animam suam, & suorum.*

X. *Exemplum Noë.* Deleturus Deus orbem terrarum per diluuium, & Noe eiúsque familiam ex diluuio liberaturus, eidem Noe imperauit, vt arcam, in qua saluaretur, fabricaret. Gen. 6. num. 14. Sed, cur non aliter Deus seruum suum, quàm per arcam ab illo fabricatam liberauit? *D. Thom.* Respondet optimè D. Thomas, si eius est ille libellus in Genes. qui sub eius nomine circumfertur: *Vt*, inquit, *per hoc daretur aliquis locus meritis & cooperationi ipsius: quia fabricando hanc arcam, probata est fides eius: & per hoc cooperatus est restitutioni saluationis.* *Exemplum Helisæi.* Helisæus non aliter sanauit Naamanum, quàm ad Iordanem, in quo septies lauaretur, remittendo: *Vade*, inquit, *& lauare septies in Iordane.* 4. Reg. 5. num. 10. At, cur non solo verbo statim contulit sanitatem? Credo, vt hominem doceret; etiam in rebus diuina virtute peragendis aliquam industriam humanam adhibendam. Sicut & ipse Helisæus sanaturus aquas Iericho, postulauit vas nouum, & sal, mittendum in fontem. 4. Reg. 2. num. 20. Et rursum, oleum viduæ largiturus, iussit, vt ipsa priùs sibi *vasa vacua non pauca* compararet. 4. Reg. 4. num. 3. *Exemplum Isaiæ.* Et Isaias curaturus Regem Ezechiam, afferri iussit *massam ficorum* vlceri imponendam. 4. Reg. 20. num. 7. Quia, quamuis hæc omnia diuina virtute peragenda forent; tamen humanam cooperationem non excludebant.

XI. *Exemplum Christi Domini.* Quin etiam Christus Dominus aquam in vinum conuersurus, iussit ministris, vt implerent *hydrias aqua.* Ioan. 2. n. 7. Mirabile conuiuium in deserto

deserto quinque hominum millibus præbiturus, voluit, vt turbæ *quinque panes hordeaceos & duos pisces* ad conuiuium conferrent. Ioan. 6. num. 9. Redditurus visum cæco à natiuitate, iussit, vt ipse se priùs lauaret *in natatoria Siloe*. Ioan. 9. num. 7. Resuscitaturus Lazarum, iussit iis qui aderant, vt priùs ipsi lapidem è tumulo remouerent; immò, vt iam excitatum soluerent institis, quibus ligabatur. Ioan. 11. num. 39. & 44. Denique mensam miraculoso pisce instructam discipulis appositurus: *Afferte*, inquit, *de piscibus, quos prendidistis nunc*. Ioan. 21. num. 10. Vt ostenderet, etiam humanam industriam cum diuina virtute coniungendam; neque operationibus diuinis nostras cooperationes defuturas.

XII. *Christus ita nostram salutem operatur, vt nostram cooperationem requirat.*

Quare Christus Dominus ita nostram salutem operatus est, vt velit homines habere cooperatores. Vnde illud de tempore nouæ legis: *Tunc*, inquit Deus, *reddam populis labium electum, vt inuocent omnes nomen Domini, & seruient ei humero vno*. Sophon. 3. n. 9. At, cur non vtroque humero, sed altero tantùm seruituri dicuntur? Ratio est, quam ex multis Rabbinis colligit Hadrianus Finus lib. 6. Flagelli aduersùs Iudæos, cap. 24. quia iugum legis nouæ partim Christi Domini, partim reliquorum hominum humeris portandum erat: ita vt Christus Dominus per mortem suam operaretur vitam nostram; sed & homines pariter cum illo cooperarentur. Quod fortassè mysterium fuit, propter quod Christus Dominus noluerit Crucem suam solus in Caluariam portare, sed eam permiserit alteri portandam. Matth. 27. n. 32. Vt sciremus, Christum Dominum ita pro nobis laborasse, vt nobis aliquid pro illo laborandum superesset. Quò allusit D. Paulus, dicens: *Adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi in carne mea pro corpore eius*. Coloss. 1. num. 24. Quamuis enim Christi Domini passioni nihil deesset ex parte operationis suæ; erat enim opus perfectum & consummatum, iuxta illud: *Opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam*. Ioan. 17. num. 4. deerat tamen ex parte cooperationis nostræ; quæ ad efficaciam redemptionis humanæ requirebatur.

Hadrian. Finus.

Concluditur inanem esse confidentiam in Deo, sine nostris operibus.

Quare, qui ita de diuina misericordia confidunt, vt totum negotium Deo peragendum committant; ipsi verò pigri & otiosi ab omni cooperatione sua ferientur, inaniter confidunt. Sed de hac re frequens dicendi locus dabitur in sequentibus; quò interim plura reseruentur. Nunc iterum ad historiam.

***Num. IV.* Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum, sedentis super Cherubim: erántque duo filij Heli cum Arca fœderis, Ophni & Phinees.**

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Exequutio consilij.*

M*isit ergo populus*, &c. Decretum fuerat superiori textu à senioribus, ac militiæ primatibus, vt Arca fœderis ex vrbe Silo, vbi erat, in castra portaretur, laborantibus Hebræis, auxilium contra Philisthinos allatura. Nunc illius decreti, seu consilij proponitur exequutio. Mittuntur enim in vrbem, qui Arcam inde in castra portandam curent. Sed existit dubium. Nam illa consultatio facta fuit à senioribus. *Dixerunt*, inquit superior Textus, *maiores natu de Israël: Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis*, &c. Hæc autem exe-

A quutio fit à populo: *Misit ergo populus in Silo*, &c. Quid sibi vult hoc discrimen, vt nunc à senioribus, nunc à popularibus res communis administretur? Respondeo, nullum fortassè discrimen esse: nam populi appellatione etiam optimates intelliguntur. In hoc enim populus, & plebs discriminantur; quòd plebs semper pro ignobilibus; populus autem etiam pro nobilibus accipiatur. Quæ quidem res constare potest, non solùm ex profanis literis, vt videre est apud Tiraquel. De nobilitate, cap. 37. num. 24. vbi ex multis Iuribus & Auctoribus ostendit, populum pro nobilibus vsurpari. Vnde est illud Virgilianum:

Populi nomine etiam nobiliores intelliguntur.

Tiraq.

Hinc populum latè Regem, belloque superbum.

Virg.

Quod de plebe nullo modo diceretur. Constare,
B inquam, hoc potest; non solùm ex profanis literis; sed etiam ex diuinis: vt mihi videor apertissimè colligere ex cap. 6. sequenti, num. 19. vbi sic: *Percussit Dominus de populo septuaginta viros; & quinquaginta millia plebis*. Vbi populus, & plebs ita distinguuntur, vt ille pro nobilibus, hæc pro ignobilibus accipiatur, vt ad eum locum fusiùs dicemus. Igitur populus, id est, Senatus, ex Ducibus & Præfectis militiæ collectus, qui de afferenda Arca consultarat; misit aliquos nuntios in vrbem, non qui immediatè pergerent in tabernaculum, & Arcam inde exportarent (hoc enim alterius erat potestatis) sed qui rem deferrent ad Pontificem Heli, vel ad Phineem, qui, vt refert Magister historiæ, & ante illum Iosephus lib. 5. Antiquit.
C cap. 11. aliàs 16. propter nimiam parentis senectutem, Pontificis munere fungebatur: de qua re cap. 2. num. 22. §. 7. iam dixi: vel denique ad sacrorum Antistitem, quisquis esset, vt illius iussu Arca fœderis in exercitum per Leuitas & Sacerdotes exportaretur. Quamuis Abulensis paulò inferiùs, quæst. 18. ad illa verba: *Erat eor eius pauens pro Arca Dei*: dicat, contra voluntatem Heli Arcam à Sanctuario sublatam, præualente populi sententia. Quod non intelligo, repugnante omninò Heli: sed saltem importunis eorum precibus & obsecrationibus cedente.

Temporales Principes à causis spiritualibus abstinebant.

Magist. hist. Ioseph.

Abul.

II. *Mystica Silo interpretatio.*

Tulerunt inde, &c. Scilicet, ex Silo: qui locus teste Diuo Remigio, in Psal. 77. num. 60. ibi: *Et repulit tabernaculum Silo*: interpretatur *auulsus*, seu
D *abruptus*. Non sine mysterio: vt dum inde Arca extrahitur, totus pariter Dei cultus ab ea vrbe in vindictam pessimorum Sacerdotum in eo commorantium auellatur, seu abrumpatur. In quo addit Remigius, *Notantur illi, qui à mandatis Domini sunt abrupti & auulsi: quorum tabernaculum ad inhabitandum, Deus non elegit*. Miseri profectò Israëlitæ, qui diuinam opem inquirentes, Arcam à suo loco extrahebant: hoc est, diuinam opem à suo templo ablegabant. Sunt, qui dicant, nouam hic offensam interfuisse: cùm deberent ire ad Arcam supplices; non autem Arcam inde extrahere arrogantes. Vnde innuere videntur, non licuisse Hebræis, Arcam hinc ad prælium exportare. Quod vt explicetur, nonnulla sunt hoc loco de iure, &
E de facto inquirenda.

D. Remig.

Hebræorum ignorantia.

III. *Prima quæstio de iure.*

Nam de iure quæritur primò: An licuerit Israëlitis Arcam è tabernaculo efferre? Respondetur, de lege ordinaria non licuisse. Nam Deus absolutè præcepit, Exod. 40. n. 3. vt Arca in tabernaculo testimonij poneretur. Nec vnquam in lege exprimitur potestas ordinaria, eam è tabernaculo exportandi. Vnde in deserto simul cum tabernaculo Arca deferebatur: vt patet Num. 4. à n. 14. In terra autem Promissionis simul cum tabernaculo conquiescit: vt colligitur ex Iosu. 18. num. 1. vbi dicitur, fixum fuisse tabernaculum in Silo, vtique

cum

cum Arca: quæ hoc loco in Silo pariter fuisse significatur. Nihilominùs licuisse ex interpretatione legis in casu necessitatis. Cùm enim crederent Hebræi, nullum sibi præsidium contra Philisthinos superesse, nisi quod ab Arca peteretur: pariter crediderunt, sibi licuisse, eam pro se tuendis in castra exportare. Et moueri potuerunt ad legem interpretandam: quòd, cùm olim in primo ingressu terre Promissionis tabernaculum in Galgalis collocatum fuerit; vt colligitur ex cap. 5. Iosuë, num. 8. & 9. vbi dicuntur castra in Galgalis collocata, & proinde etiam tabernaculum, quod in medio castrorum ponebatur; vt Numer. 2. n. 2. præcipitur: tamen Deus præcepit, vt inde educeretur Arca, & muros Ierichuntinos circunferretur ad vrbem diruendam. Iosu. 6. à n. 4. Ex quo facto credere potuerunt Israëlitæ, in simili casu necessitatis, licitam sibi fore Arcæ translationem. Ita Abul. hoc loco, q. 6. Masius in c. vlt. Iosu. n. 1. & alij arbitrantur.

Abul. Masius.

IV. *Secunda quæstio etiam de iure.*

Quæritur secundò etiam de iure: Quomodo licuerit summo Sacerdoti ingredi Sanctuarium ad exportandam Arcam; cùm hic ingressus semel tantùm in anno fieri licuisset? vt patet Exod. 30. n. 10. & Leuit. 16. num. 2. & Hebr. 9. num. 7. Dicet aliquis, tunc fuisse diem propitiationis, seu expiationis, in quo ingredi licebat. Sed hæc responsio, præterquàm quòd liberè assumatur, falsa est & insufficiens. Falsa, quia dies expiationis erat sacertimus; in quo proinde Hebræi, sicut in aliis diebus festis, ab omni seruili opere vacabant: vt patet Leuit. 16. n. 29. & Leu. 23. n. 30. & Num. 29. n. 7. Hic autem dies erat operarius; cùm in eo Arca portaretur, & bellum committeretur. Insufficiens, quia ingressus in illo die solùm erat licitus ad Deum per sacrificium sanguinis propitiandum, non autem ad Arcam ex eo loco educendam. Vnde, quamuis esset dies propitiationis, adhuc rediret eadem difficultas. Dicendum igitur similiter ex interpretatione legis hoc licuisse in casu necessitatis.

V. *Ingressus in Sanctuarium, quando, & quomodo licuerit.* *Ribera. Theoph. D. Aug.*

Quamuis Glossa in locum citatum Diui Pauli ad Hebr. 9. dicat, Sacerdotem, sæpè quidem sine sanguine Sanctuarium intrare potuisse: sed cum sanguine, non nisi semel. Quod Riberæ, aliisque recentioribus non placet; fortasse, ne violentia literæ inferatur. Et multò magis displicet Theophylacto, quod docuit D. Aug. quæst. 133. in Exodum, nimirum, Pontificem quotidie introiisse in Sancta Sanctorum, ad offerendum incensum. Quamuis D. Aug. non tam in sua opinione, quæ planè consequens erat, quàm in opinionis fundamento decipiatur. Credidit enim altare thymiamatis esse intra Sancta Sanctorum, in quo incensum quotidie manè & vespere offerebatur. Exod. 30. n. 7. & 8. Vnde necesse erat, vt bis quotidie Sacerdos illuc ingrederetur. Cæterum illud altare fuisse extra Sancta Sanctorum, Ribera lib. 2. De Templo, c. 8. Barrad. tom. 2 conc. lib. 3. c. 19. Villalpandus in c. 41. Ezech. lib. 4. cap. 51. Iustinianus in c. 9. Epist. ad Hebr. aliique testantur. Vnde concludunt hi Doctores, aditum in Sancta Sanctorum non nisi semel in anno patuisse. Dixerim nihilominùs in hac re, quamuis ingressus publicus & solennis in Sancta Sanctorum, non nisi semel in anno, & cum sanguine, summo Pontifici licuerit: tamen ingressum priuatum & secretum, ad locum euerrendum & emundandum, sæpiùs licuisse; ne locus ille sacerrimus, aut perpetuo squalore obsitus, aut perpetuo miraculo expurgatus fuisse admittatur. Quia tamen ingressus ad extrahendam Arcam, de quo agitur hoc loco, secretus non fuit; sed publicus: idcircò ad illum licitè faciendum, aliqua legis interpretatio, vt dixi, requirebatur.

Ribera. Barrad. Villalp. Iustin.

VI. *Tertia quæstio, de facto.* *Iustin. Mart.*

Quæritur tertiò: An sola Arca exportata fuerit, relicto tabernaculo, in eodem loco? Iustinus Martyr in Dialogo cum Tryphone, versùs finem, etiam tabernaculum eductum significat: *Scitis*, inquit, *cùm tabernaculum testimonij ab hostibus Azotis raptum, atque illi plaga horrenda & insanabili affecti essent; consilium eos cœpisse, vt id super curru imponerent, periculi faciendi gratia, an virtute Dei propter tabernaculum plaga percussi essent; & Deus ideò reductum vellet, vnde raptum fuerat.* Quibus verbis, cùm apertè exprimat, tabernaculum à Philisthinis captum; consequenter etiam significat, ab Israëlitis in prælium fuisse eductum. Neque enim Philisthini in vrbem Silo, illud rapturi penetrarunt; sed ex acie, ad quam delatum fuerat, abstulerunt. Nihilominùs Abulensis hoc loco, q. 4. & latiùs in cap. 20. Exod. q. 41. affirmat, solam Arcam in prælium ductam fuisse: quia Arca leuior & facilior erat, vt portaretur. Addere poterat, quia sanctior & sacratior erat, vt auxiliaretur. Hoc etiam supponere videtur Auctor mirabilium Scripturæ, lib. 2. c. 7. dicens, Philisthinos miseras pœnas dedisse interiora viscera profundendo, vt ex sequenti capite patebit: quia interiora tabernaculi sacraria, nempe, Arcã, extra suos limites protraxerunt. Vbi palàm supponit, Arcam à tabernaculo separatam. Et colligitur ex Litera; quia nulla in hac historia fit mentio tabernaculi ducti, aut reducti: facienda profectò, si & illud pariter cum Arca transferretur. Vnde Iustinus, figuratè loquutus, totum pro parte vsurpauit: præsertim cùm ad eius institutum confirmandum, nihilo magis tabernaculum, quàm Arcam exprimere oporteret.

Sola Arca exportata, non tabernaculũ. *Abul.* *Auctor mir.*

VII. *Arca à tabernaculo extracta; nunquam reducta.* *Abul.*

Immò addit Abulensis in loco Exodi citato, & rectè, semper Arcam extra tabernaculum mansisse, ab hoc die, quo exportata est ad pugnam contra Philisthinos, vsque ad tempus Salomonis, quo illata est in templum ab ipso Salomone ædificatum: quod fuit plusquàm centum annorum; si vera est collectio Abul. citato loco, seu potiùs nonaginta vnius annorum, vt ipsemet Abul. infrà in cap. 7. q. 10. rectiùs colligit. Nam à captiuitate Arcæ, Saül cum Samuele regnauit quadraginta annos, Act. 13. n. 21. Totidẽ Dauid, 3. Reg. 2. num. 11. Salomon autem in quarto anno Regni sui cœpit templum ædificare. 3. Reg. 6. n. 1. & septem annis absoluit. Ibidem, n. 38. atque adeò in vndecimo anno regni sui Arcam in templo collocauit: vnde prædicta annorum summa coalescit. Fuit autem Arca toto hoc tempore partim apud Philisthinos, à quibus capta fuerat: partim apud Israëlitas, quibus tandem fuerat restituta: principiò quidem in domo Abinadab; posteà in domo Obededon; tandem in domo Dauid; vnde eam Salomõ in tẽplum excepit. Tabernaculum autem fuit partim in Silo, vbi primùm fuerat collocatum: partim in Nobe, quò illud transtulerat Samuel, præscius, repellendum esse à Deo tabernaculum de Silo; & vbi ei præerat Sacerdos Achimelech, qui Dauidem fugientem suscepit, & panes Propositionis ei tradidit epulandos. 1. Reg. 21. à n. 1. partim in Gabaon, quò illud transtulit Saül, postquàm Nobe destruxit. Ex quo loco Salomon illud eduxit, & simul cum Arca in templo collocauit, vt ex 2. Paralip. 1. à n. 3. constat.

Loca Arcæ. *Loca tabernaculi.*

VIII. *Quæstio de loco sacrificiorum.*

Sed occurrit hoc loco dubitatio: Nam, cùm sacrificia legis veteris in vno tantùm loco fieri iuberentur; vt in 1. tom. Annot. 6. Sect. 1. iam ostendi, quandò tabernaculum & Arca erant ab

inuicem

inuicem separata, vtronam in loco huiusmodi sacrificia fiebant, in tabernaculone, an in loco Arcæ?

Fiebant in loco Arcæ.

Respondeo, vtrobique fieri licuisse: nam Deus iussit fieri sacrificia *In omni*, inquit, *loco, in quo fuerit memoria nominis mei.* Exod. 20. n. 24. hoc est, in quo diuina oracula redderentur: atqui in loco Arcæ erat memoria diuini nominis, seu ex Arca diuina oracula reddebãtur, iuxta illud Dei ad Moysen: *Inde*, inquit, *præcipiam, & loquar ad te supra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt super Arcam testimonij.* Exod. 25. n. 22. Et illud: *Audiebat Moyses vocem loquentis ad se de propitiatorio, quod erat super Arcam testimonij inter duos Cherubim: vnde etiam loquebatur ei.* Num. 7. n. 89. Ergo in loco Arcæ sacrificari licebat. Et confirmatur: quia Bethsamitæ coram Arca regrediente de terra Philisthinorum, obtulerunt holocausta. 1. Reg. 6. n. 15. Item Dauid, cùm deduceret Arcam de domo Obededon in ciuitatem suam, sexto quoque passu bouem & ouem & arietem immolabat. 2. Reg. 6. n. 13. quæ immolationes & licitæ & laudabiles extiterunt.

IX.

Fiebant etiam in loco tabernaculi.

Iam verò in tabernaculo, etiam sine Arca, licitè fieri sacrificia, patet: tum, quia in eo erat memoria nominis Domini, seu ex eo diuina oracula reddebantur, iuxta illud: *Sacrificiũ est Domino ad ostium tabernaculi, vbi constituam, & loquar ad te.* Exod. 29. n. 42. tum, quia in eo sacrificia fieri expressè iubebantur, vt patet ex verbis proximè citatis, & ex illis: *Homo, qui obtulerit holocaustum, siue victimam, & ad ostium tabernaculi non adduxerit eam, vt offeratur Domino; interibit de populo suo.* Leuit. 17. n. 9. tum denique, quia post captiuitatem Babylonicam, incertum est, an inuenta fuerit Arca, quam Ieremias absconderat in monte Nebo. 2. Mach. 2. n. 5. & in sepulcrum Moysis, vt refert Abulensis, intulerat. Certiùs, eam non fuisse in secundo templo Ierosolymitano, cùm à Romanis euersum est: vt Iosephus lib. 6. Antiquit. c. 6. testatur: immò neque tempore Christi Domini, vt Ribera in c. 1. Aggæi, n. 19. supponit; suspicatus, eam sublatam fuisse à Rege Antiocho, cùm templum spoliauit. 1. Mach. 1. n. 23. De qua re ad cap. sequens latiùs disputabo: & tamen toto eo tempore multa sacrificia in templo fiebant, vt Abul. q. 43. in c. 20. Exodi, confirmat. Ergo non requirebatur præsentia Arcæ, vt sacrificia agerentur.

Abul.
Iosephus.
Ribera.
Abul.

X.

Sua cuique loco tabernaculi, & Arca sacrificia congruebant.

Sed obserua cum Abul. in c. 7. huius lib. q. 3. & sequentibus, non potuisse fieri sacrificia in vtrouis loco, sine discrimine, & pro cuiusque arbitrio. Nam sacrificia anniuersaria, quotidiana, & determinata à lege, in tabernaculo fieri oportebat: quia in eo loco, etiam sublata Arca, erant altaria holocausti & incensi, in quibus sacrificia offerebantur. Exod. 40. n. 5. & 6. nec enim dicuntur vsquàm, ab eo loco separata. Ibidem erat summus Pontifex, & Panes Propositionis. 1. Reg. 21. n. 1. & 4. Ibidem Sacerdotes vestiti Ephod lineo, suis singuli muneribus intenti. 1. Reg. 22. n. 18. Denique ibidem erat reliquus sacrorum apparatus: & proinde totus ille cultus legalis in tabernaculo vigebat; vnde opus erat, vt omnes solẽnes hostiæ, & a lege institutæ in tabernaculo offerrentur. At verò sacrificia spontanea coram Arca, etiam à tabernaculo auulsa, fieri licebat; vocatis aliunde Sacerdotibus, qui illa ritè peragerent: neque enim cum Arca separata erãt Sacerdotes, excepto vno Eleazaro, quem sanctificauerunt ad illam custodiendam; de quo incertum est, Leuitáne fuerit, an Sacerdos: vt ad c. 7. dicemus. Licebat, inquam, fieri huiusmodi sacrificia coram Arca: tum, quia Arca, cùm per se esset tabernaculi pars, non constituebat diuersum simpliciter sacrificiorum locum; cuius tunc vnitas præcipiebatur ad vnitatem Dei significandam: tum etiam, quia, cùm in Arca peculiaris Dei præsentia per oracula ostenderetur; nullum ex sacrificiis ibi factis, idololatrandi, aut falsa numina fingendi periculum consurgebat.

XI.

Quarta quæstio.

Quæritur quartò: An summus Sacerdos ingressus fuerit Sanctuarium ad Arcam inde auferendam, præmissis illis ceremoniis, cum quibus in die expiationis ingrediebatur: nempe, cum sacrificiis, cum vestibus sacerdotalibus, & cum fumo thymiamatis? vt præcipitur Leuit. 16. à num. 3. Respondeo negatiuè: quia illæ ceremoniæ pertinebant ad expiandum populum: tunc autem non erat festum expiationis, vt diximus: neque licebat illud in eodem anno iterari; cùm esset anniuersarium, semel tantùm, id est, decimo die mensis septimi celebrandum, Leuit. 23. n. 27. aliísque locis suprà indicatis: ergo fieri non debuerunt. Quo etiam pacto, quando summus Sacerdos in deserto Sanctuarium ingrediebatur ad tegendam Arcam ante motum castrorum, eas ceremonias non præmittebat: vt ex Num. 4. à n. 5. constat. Dices, saltem thymiama debuit summus Sacerdos adhibere: quia hoc non tam ad expiandum populum, quàm ad Sanctuarium fumo obtegendum, ne videretur, adhiberi consueuerat: vt Leu. 16. n. 13. habetur. Respondet Abul. q. 9. in solo expiationis die thymiama adhiberi solitum ad tegendum oraculum exhalatione fumi: quia in eo solo die apparebat Angelus corporali specie, & ad interrogata respondebat: quem proinde Deus obtentu fumi è thymiamate exhalati occultandum curabat. Sed planè rem incertam, ne dicam fictitiam & inanem assumit de apparitione Angeli sub corporali specie. Cur enim visibilis appareret, quem Deus videri non permittebat: maximè, cùm ad formandas voces audibiles illa figura visibilis necessaria non esset? Immò Caiet. in c. 25. Exod. asserit, Deum in propitiatorio infigurabilem se adorandum præbuisse, ne quod periculum idololatriæ illi populo daretur. Faciliùs igitur responderim, eam quoque ceremoniam esse propriam illius solennis ingressus in die expiationis; & proptereà non esse ad alios extrahendam.

Abul.
Angelus non apparebat è propitiatorio in die expiationis.
Caiet.

XII.

Quinta quæstio.

Quæritur quintò: An solus Pontifex ingressus fuerit Sanctuarium ad auferendam Arcam? Ratio dubitandi in vtranque partem, est; quia minoribus Sacerdotibus non licebat ingressus in Sanctuarium; quod proptereà dicebatur ἄδυτον, hoc est, sine adito, à verbo δύω, hoc est, ingredior: vnus autem Pontifex tanto oneri non esset par: Arca enim minimùm, quatuor portitores, seu baiulos requirebat; vt exportaretur. Dicerent fortasse Rabbini, fuisse vnum Pontificem, sed diuinitùs adiutum: sicut & Leuitæ dicuntur diuinitùs adiuti, cùm Arcam è domo Obededon in domum Dauidis importarunt, iuxta illud: *Cúmque adiuuisset Deus Leuitas, qui portabant Arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri, & septem arietes.* 1. Paral. 15. n. 16. Vbi Lyranus ex Hebræis asserit, diuina virtute sic portatam fuisse Arcam, vt Leuitæ portitores eius nullum pondus sentirent: & pro isto miraculo fuisse factam immolationem. Quo etiam pacto Iosephus lib 8. Antiquit. cap. 2. asserit, in exportatione Arcæ à domo Dauidis in templum Salomonis, quæ 3. Reg. 8. à n. 1. facta est, nullam lassitudinem contigisse iis, qui præcinebant hymnos, choreásque agebant. Vt ex hoc miraculo colligerent homines, eos, qui in diuino cultu & obsequio laborant, nunquàm defatigandos; iuxta illud: *Non est deficiens, neque laborans in eo.*

Responsio Rabbinorum.
Lyra.
Portantes & celebrantes Arcam non fatigabantur.
Iosephus.

ineo. Isai. 5. n. 27. Et illud: *Current, & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.* Isai. 40. n. 31. Cum tamen, qui inania idola portabant, non mediocriter fatigarentur; iuxta illud: *Facta sunt simulacra eorum bestiis & iumentis, onera vestra graui pondere vsque ad lassitudinem.* Isai. 46. n. 1. Hoc est: Simulacra gentium, ænea, vel marmorea, quæ bestiis & iumentis erant grauia onera; seu, quæ bestias & iumenta graui pondere premebant, in vestros humeros translata, dum illa honoris gratia in vestris pompis circumfertis, facta sunt onera vestra, quæ vos vsque ad lassitudinem premunt: vt non aliter, quàm iumenta sub hoc infausto pondere laboretis. Sub quibus simulacris profana ac terrena negotia intellige; quibus, qui incumbunt, grauiter delassantur. Sicut igitur quoodam Leuitæ diuinitùs adiuti, Arcam sine onere portabant: ita fortassè dicerent Hebræi hoc loco, solum Summum Sacerdotem diuinitùs adiutum, Arcam è tabernaculo extulisse. Sed illis non assentior: quia, cùm Arca non perinde extracta fit modò è Sanctuario, atque postea illata fuit in domum Dauidis; tunc enim ingressa est, secundo Numine; nunc autem aduerso Numine egressa: opus non est, vt idem vtrobique miraculum concedatur; vt demus in altero saltem concedendum. Quare dicendum cum Abulensi q. 10. in expiationis die, solum Summum Sacerdotem ingredi potuisse Sanctuarium ad deprecandum: vt patet Leuit. 16. n. 17. At verò extra eum diem ad Arcam loco mouendam, etiam minoribus Sacerdotibus ingressum licuisse: vt videre est in deserto, quando Arca mouebatur. Numer. 4. n. 5. Vnde etiam hoc loco plures Sacerdotes ex minoribus cum Summo ingressi sunt ad Arcam exportandam.

Portantes idola fatigabantur.

Vera responsio.

XIII. *Sexta quæstio.* Quæritur sextò & vltimò, de facto, à quibus extracta fuerit Arca è Sanctuario: & à quibus in castra, indéque in prælium deportata. Nihil de hac re in Litera exprimitur. Vnde ex aliis Scripturæ locis conicienda, quæ huic accommodentur. Igitur in deserto, quando castra mouenda erant, Summus Sacerdos Aaron, & filij eius, Sanctuarium ingrediebantur; deponebant velum, quod ante fores Sanctuarij pendebat, eóque Arcam inuolutam, humeris Leuitarum, id est, Caathitarum, exportandam imponebant. Numer. 4. à n. 5. Hoc ex ritu, quæ præsenti loco aptari possunt, educenda. Primò, Heli Pontifex ingressus est Sanctuarium; si non propria sponte, saltem totius populi precibus adductus, publica calamitate vires, animósque supra ætatem suggerente: quamuis enim Heli ob senectutem aliqua summi Pontificatus ministeria, à se in alterum filiorum transtulerit, vt initio huius Num. ex aliquorum sententia retulimus; tamen hoc tam graue, tam ingens, tam insolitum munus extrahendi Arcam è suo loco, vt in publica necessitate Deum sibi ac populo propitium redderet & exorabilem, nemini à se committendum censuit, sed per se ipsum obeundum. Patrem sequuti sunt duo eius filij Ophni & Phinees, & si qui alij Sacerdotes ad hoc munus necessarij fuerunt. Deinde omnes simul operuerunt Arcam, non quidem eo velo, quod ante fores Sanctuarij tendebatur, vt in deserto fieri solebat: sed alio stragulo, seu inuolucro, quod maiestatem & sanctitatem Arcæ non dedeceret. Et diuersitatis ratio est: quia in deserto, quando castra mouebantur, totum tabernaculum & Sanctuarium soluebatur; vnde nihil mirum, si velum è suo loco tolleretur: hic autem, cùm tota Sanctuarij moles sarta, tecta permaneret; non poterat ve-

Modus quo Arca è tabernaculo extracta est.

A lum è suo loco refigi, sed eo ibi relicto, aliud comparare oportebat, quo Arca regeretur.

XIV. Tandem iussit Heli, vt Arca exportaretur humeris Leuitarum, seu potius Sacerdotum. Nam, licet Arcam portare, ad Leuitas Caathitas pertineret. Num. 4. num. 15. tamen etiam a Sacerdotibus maioris necessitatis, aut celebritatis gratia portari consueuit: vt videre est in transitu Iordanis, Iosf. 3. num. 3. 6. 8. 13. 14. 17. in expugnatione Iericho. Iosf. 6. num. 6. & 12. in dedicatione templi Salomonis. 3. Reg. 8. num. 4. & 6. Immò & Summi Sacerdotes, Sadoc & Abiathar, eam dicuntur Ierosolymam reportasse. 2. Reg. 15. n. 19. Quo meritò dicitur Abiathar, mortis supplicium euasisse. 3. Reg. 2. n. 26. Sic igitur hoc loco mihi
B videntur non tam simplices Leuitæ, quàm Sacerdotes Arcam exportasse: tum, quia in maiori calamitate, qualis præsens erat, opus fuit, vt cum maiori auctoritate Arca exportaretur, nempe, à Sacerdotibus: tum etiam, quia, cùm hic Arca extraheretur è Sanctuario, in quod Leuitæ intrare non poterant; necesse fuit, vt à solis Sacerdotibus extraheretur. Dices: In deserto Arca è Sanctuario extrahebatur per Leuitas, vt patet e. citato, Num. 4. num. 15. Ergo & hic. Respondeo, in deserto priùs dissolui ac dissipari totum Sanctuarium, quàm Arca inde extrahetetur. Vnde Leuitæ eam extracturi, non tam in Sanctuariū, quam in locum, vbi aureâ constructum fuerat Sanctuarium, intrabant: hic autem, cùm integrum Sanctuarium maneret, vt diximus, non Leuitæ, sed
C Sacerdotes Arcam inde extrahere debuerunt: ne Leuitæ sine vrgente necessitate Sanctuarium intrare cogerentur. Sacerdotum igitur humeris exportandam eam imposuit Heli, nec aliorum fortasse priùs, quàm filiorum, qui propterea hoc loco expressè nominantur. Sed quia duo tantùm ferendo oneri satis non erant, totidem alios, seu plures, si plures requirebantur, ex clarioribus Sacerdotibus suppleuit: Deum precatus, vt belli euentum secundaret, filiosque suos eoixè obtestatus, vt potiùs vitam in acie relinquerent, quàm sine Arca in vrbem regrederentur: vt paulò pòst dicemus. Sic processit pompa illa non triumphalis, sed feralis; magno præeuntium & sequentium
D agmine, partim feliciter precante, partim miserabiliter eiulante.

Arca non solùm à Leuitis, sed etiam à Sacerdotibus portari consueuit.

Obiectio soluitur.

Filij Heli portarunt Arcam.

XV. *Arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim.* Dicitur Arca fœderis, quia in ea fœdus, seu tabulæ legis diuinæ seruabantur. Exod. 25. num. 16. Dicitur Deus, *Dominus exercituum*, propter rationes, quas cap. 1. num. 3. §. 20. assignaui. Dicitur tandem Dominus sedere super Cherubim, quia in propitiatorio de medio Cherubinorum ad interrogata respondebat: vt patet Exod. 25. à n. 16. Vnde frequens est in sacris Literis hæc loqutio: *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim*, &c. Psal. 79. n. 2. *Qui sedes super Cherubim, moueatur terra.* Psal. 98. num. 1. *Qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terræ.* Isai. 37. n. 16. Et passim alibi.

Verborum explicatio.

XVI. E Sed, cur hoc loco fit peculiaris mentio Domini exercituum sedentis super Cherubim? Duplex ratio esse potest. Vna, vt significaretur Arca suo tecta propitiatorio, & suis instructa Cherubinis fuisse ad bellum exportata, ac tandem capta ab hostibus: neque enim adeò acerba esset Arcæ iactura, si propitiatorium & Cherubini, in quibus Deus sedere dicebatur, in tabernaculo relinquerentur. Omnia igitur hæc ad bellum delata sunt; omnia ad hostes translata: vt sequenti cap. n. 1. ex Ruperto & Isiduro Pelusiota ostendam. Altera,

Cur hic fit mentio Domini exercituū, &c. *Prima ratio.*

Rupert. Isidor. Pel.

Secunda ratio.

Vana Hebræorum confidentia in quo fundetur.

tera, vt vana illius populi confidentia notaretur, qui inaniter exultabat: primò, videns suum in auxilium prodire Arcam Domini exercituum, hoc est, multos exercitus habentis; iuxta illud Baldad: *Nunquid est numerus militum eius?* Iob.25. n.3. Quasi diceret: Quis Philisthinorum exercitus reformidet, cùm speret Dominum innumerabilium exercituum pro se in acie pugnaturum? Secundò, videns Arcam Domini sedentis super Cherubim, sibi patrocinari: quasi non dubitaret, sub pedibus eius, qui adeò est potens & excelsus, vt super Cherubinos sedeat, Philisthinos conterendos. Non multò aliter Rupertus hoc loco, cap.13. hanc Iudæorum confidentiam in eo fundat, quòd Dominus inter eos sederet super Cherubim, hoc est, magnificè tractaretur. Quasi dicerent: Populus, à quo Dominus in augusta Cherubinorum sede collocatur, ab ipso Domino proculdubiò defendetur; ne si populum perire sinat, suo ipse solio defraudetur. *Nota*, inquit, *quàm acutè, quàm mordaciter, cùm præmissum esset: Et tulerunt inde Arcam fœderis Domini exercituum: continuò subiunctum est: Sedentis super Cherubim. Hoc quippe non pro suo sensu, sed pro illorum notabili vanitate Scriptura dixit. Quid enim stultius ac vanius? Nunquid super illos Cherubim, quos fecit Moyses, immò quos Beseleel ille faber, cum socio suo Ooliab, fudit aut fabricauit; sedebat Dominus exercituum, captus, vel delectatus pulchritudine auri; & non potius super homines, & super Sanctos Angelos, plenos scientia Dei, secundùm nomen Cherubim?* Itaque vanè & stultè confidebant, quia existimabant, satis sibi esse ad victoriam reportandam, quòd Dominus inter Cherubinos propitiatorij præsens loqueretur; nihil curantes, an à cordibus exularet; cùm tamen hæc spiritualis præsentia præcipuum esse deberet confidentiæ fundamentom: seu, quia existimabant, satis sibi esse ad spem victoriæ, quòd Deum in externam Cherubinorum sedem excepissent; quamuis illum ab interno animorum thalamo ablegassent; cùm tamen Deus in hoc vno delectatus, nihil in illa immoretur.

Rùper.

Deum potiùs in cordibus, quàm in auratis Cherubinis gerendum.

XVII. *Illorum de Cherubinis tractatio.*

Postulat hic locus, vt de his Sanctuarij Cherubinis paulisper disseramus: multiplex enim circa illos quæstio potest excitari de materia, figura, situ, significatione, nomine, & ratione; cur super illos potiùs, quàm super Seraphinos sedere Dominus dicatur? Singula breuiter perstringenda; &, quantùm loci occasio feret, enodanda.

Cherubinorum in Sanctuario existentium materia.

XVIII. *Materia Cherubinorum, aurum solidum & ductile.*

Qvamuis doctrinæ ordo postulet, vt à nomine ordiamur; tamen, quia quæstio de nomine, cum ea, quæ vltimo loco traditur, connexa est; ad penultimum differetur. Igitur materia Cherubinorum fuit aurom solidum & ductile; iuxta illud: *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies.* Exod.25.num.18. Aurum quidem; in quo distinguuntur à Cherubinis templi Salomonici, qui erant de lignis oliuarum. 3. Reg.6. num. 23. Cuius discriminis illud mysterium esse potest, quòd tabernaculum Synagogam; templum verò Ecclesiam repræsentabat. Deus autem in Synagoga suam maiestatem sub auri symbolo præferebat: in Ecclesia suam charitatem sub oliuæ symbolo manifestat. Solidum autem erat illud aurum, vt Oleaster eruit ex voce Hebræa מִקְשָׁה *Michscah*, quod est, *graue, durum, non vacuum*, à radice קָשָׁה *Chascah*, eiusdem significationis: & ductile, hoc est, fabrefactum, malleis, non opere fusorio conflatum: vt Pagninus in Thesauro, ex Hebræa editione ostendit; & Caietanus ex Latina confirmat. Vt hinc difficultas, qua virtus comparatur: illinc constantia, & soliditas, qua in rebus aduersis perseuerat, indicaretur.

Mystica huius materiæ ratio.

Oleast.

Pagnin. Caiet.

XIX. *In templo Salomonis quidam Cherubini lignei, quidam aurei.*

Sed obiter aduerte, præter Cherubinos de lignis oliuarum factos à Salomone in oraculo: alios de auro purissimo ab eodem Salomone factos fuisse in altari thymiamatis. 1. Paral.28. n.18. ad similitudinem eorum, qui erant in Arca, vt Abul. ibi, q.6. latiùs ostendit. Vnde altare thymiamatis in templo habebat Cherubinos, quibus in tabernaculo carebat, vt significaretur altare Ecclesiæ, pulchrius, ditius & sanctius futurum, quàm altare Synagogæ: ad hoc homines quidem accessisse; ad illud, non nisi Cherubinos, id est, homines Cherubicæ sanctitatis consortes, accessuros.

Abul.

Quid significent Cherubini aurei in altari thymiamatis?

Cherubinorum figura.

XX. *Prima opinio. Fuisse belluinam.*

Figura Cherubinorum non eadem omnibus videtur. Sunt, qui dicant, fuisse belluinam, & nulli hominum notam. Ita sentit Iosephus lib.3. Antiquit.cap.6. aliàs 8. dicens, Cherubim fuisse *animalia volucria, noua specie, nec vnquam cuiquam hominum visa.* Et lib.8. cap.2. aliàs 3. addit, neminem cōiicere vel eloqui posse, quanam fuerint effigie illi Cherubini figurati. Fauere videtur Philo Hebræus lib.3. De vita Moysis, non procul ab initio, vbi loquutus de propitiatorio: *Basis*, inquit, *est duarum imaginum volucriū, quæ sermone vernaculo nominantur Cherubim.* Vbi facere videtur Cherubinos quoad figuram, volucribus, quàm hominibus propiores. Subscribit Oleaster in expositione literali ad cap. 25. Exodi. Et probat: tum, quia Cherubini propitiatorij nunquàm dicuntur figuram humanam habuisse: tum, quia, si haberent figuram humanam, non possent alas extendere ad partem anteriorem, brachiis id aliqua ex parte impedientibus: tum denique, quia Ezech.10 num.14. facies Cherubica, & facies humana distinguuntur: nam ibi sic: *Facies vna, facies Cherub; & facies secunda, facies hominis.* Ergo facies Cherubica non coincidit cum humana. Quòd si Oleastro obiicias illud de Cherubinis, Exod.25.n.20. *Respiciántque se mutuò versis vultibus in propitiatorium*: seu, vt est in Hebræo: *Et facies eorum, vir ad fratrem suum*: vbi vides, Cherubinos, virum, & fratrem appellari: ex quo loco colligunt Caiet. & alij recentiores, virili figura præditos fuisse: Facilè respondet Oleaster, similes loquutiones non solùm brutis, sed etiam rebus inanimatis in Scriptura conuenire: brutis quidem, vt patet Genes. 7. num.2. vbi Deus ad Noë: *Ex omnibus*, inquit, *animantibus mundis tolles septena & septena, masculum & fœminam.* In Hebræo est, *virum & vxorem eius.* Inanimatis autem, vt patet Exod.26. n.3. vbi Deus ad Moysen: *Quinque cortinæ*, inquit, *sibi iungentur mutuò; & aliæ quinque simili nexu cohærebunt.* Hebraïcè: *Mulier ad sororem suam.* Sic etiam Isaias 40. n.26. cùm de syderibus loqueretur: *Neque vnum*, inquit, *reliquum fuit.* Hebraïcè: *Vir non defuit*: vt notat Pagninus in Thesauro, verbo איש *Is*, id est, vir.

Ioseph.

Philo.

Oleast. *probatur.*

Soluitur obiectio.

Caiet.

XXI. *Secunda & vera opinio. Fuisse humanam.*

Nihilominùs Cherubinos propitiatorij Mosaïci humanam figuram habuisse, communior est opinio: quam tenent Rabbi Salomon in 2. Paral. 3. & Abenezra in cap. 25. Exodi, & Talmudici, quos citat & sequitur Genebrard. in Psalm.79. num.3.

Rabbini. Talmudici. Genebr.

Lyra. Burgens. Abul. Caiet. Ribera. Barrad. Lorin. Pradus. Villalp. Alcaçar. Cornel. Suar. *Probatur.*

num. 3 & in Psalm. 73. n. 8. Lyr. Burg. Abul. Caiet. in locum Exodi citatum. Et ex nostris Ribera lib. 2. De templo, cap. 6. Barrad. tom. 2. conc. lib. 3. cap. 16. Lorin. in Psal. 17. n. 11. Pradus tom. 1. in Ezechielem, visione 1. Sect. 5. Villalpandus tom. 2. lib 4. cap. 37. Alcaçar Apoc. 4. vers. 7. notat. 8. Cornel. ad cap. 25. Exodi. Suar. tom. De Angel. lib. 6. cap. 10. & alij. Probatur: quia Salomon in tabulatis templi sculpsit Cherubinos, *in similitudinem hominis stantis.* 3. Reg. 7. num. 36. hos autem expressit, eos qui in Sanctuario erant imitando; cùm alia exemplaria non haberet: ergo & illi humanam figuram præferebant. Deinde, quia Cherubini, qui erant in templi Salomonis oraculo, *stabant erectis pedibus.* 2. Paral. 3. num. 13. quæ est propria hominis positio, quem proinde repræsentabãt: ergo & Cherubini Sanctuarij, qui fuerunt propria horum autographa, similem figuram habuerunt. Tandem, quia figura humana omnium est elegãtissima, vt Philo lib. De Mundi opificio, Diuus Ambros. lib. 6. Hexamer. cap. 9. Diuus Chrys. homil. 11. ad populum, & plures alij latè philosophantur: ergo sub humana figura potiùs, quàm sub belluina præstantissimi illi spiritus repræsentari debuerunt. Addit Montanus in Apparatu, Rabbinos sequutus, duos illos Cherubinos, virili ab muliebri habitu distinctos fuisse; vt mysticè designarent intellectum & voluntatem, quibus ad diuinam legem exequendam concordibus, Deus insideret. Consentit Thomas Bozius lib. 9. De signis Ecclesiæ, signo 36. quamuis aliam mystologiam sequatur; dicens, in illis Cherubinis sic distinctis, Christum Dominum, & Beatam Virginem Matrem adumbrari; qui ad Deum hominibus propitiandum perpetuò vigilant & incumbunt: dum Æterno Parenti Christus Dominus vulnera, Beata Virgo vbera ostendunt. Sed hæc interpretatio, vt sit pia, certè non est solida; immò ridiculam vocat Ribera citatus: quia illa sexuum distinctio nullo firmo innititur fundamento.

Philo. D. Ambr. D. Chrys.

Montan. *Duo propitiatorij Cherubini, an virilem & muliebrem speciē repræsentarent.* Thom. Bozius.

XXII. *Argumenta prioris opinionis soluuntur.*

Argumenta, quibus vtitur Oleaster, facilè dissoluuntur. Primum, quia iam ex dictis constat, etiam iuxta sacras Literas, humanam figuram Cherubinis tribuendam. Secundum vt aliquis faciliùs dissoluat, concedet fortasse cum Montano, Cherubinos Sanctuarij brachiis caruisse: sed eorum loco sortitos alas, quas sublato brachiorum impedimento in anteriorem partem facilè explicarent. Nos tamen huic interpretationi minimè assentimur: tum, ne Cherubinos truncatos & mutilatos concedamus: tum, ne Scripturæ auctoritatem denegemus, quæ manus, non obstantibus alis, attribuit Cherubinis, iuxta illud: *Et manus hominis sub pennis eorum.* Ezech. 1. num. 8. Et illud: *Extendit Cherub manum de medio Cherubim.* Et paulò pòst: *Apparuit in Cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum.* Ezech. 10. n. 7. & 8. Dicendum igitur, alarum extensioni nullo modo brachia obstare potuisse; siue pariter cum alis extenderentur; siue contraherentur ad pectora; siue dimitterentur secundùm latera; præsertim cùm alæ magno quodam ambitu, intra quem brachia includi possent, in anteriorem partem sinuarentur.

XXIII. *Soluitur ad examinem.* *Prout Cherubica est.*

Tertium argumentum difficilius videtur. Totus locus citatus ita habet: *Facies vna, facies Cherub, & facies secunda facies hominis: & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ.* Vbi facies Cherubica non distinguitur ab humana; alioqui etiam distingueretur à leonina & aquilina, quas tamen A Cherubicas esse non diffitebitur Oleaster, cùm sint belluinæ; quales ille Cherubinis affingit. Sumitur igitur facies Cherubica pro vitulina, quæ sola in illa Cherubinorum quadriga desiderabatur. Et sensus est: Illi quatuor Cherubini quatuor facies habebant, vitulinam, humanam, leoninam & aquilinam. Ratio verò, cur facies Cherub sumatur pro facie vituli, esse potest: quia Cherub per metathesim, hoc est, literarum transmutationem, Schema apud Hebræos frequentissimum, ponitur pro *Recub* a verbo רכב *Racab*, id est, *Equitare*, seu, *curru vehi*. Vnde *Recub* propriè significat animal subiugale, quod ferendo currui admouetur: & consequenter vitulum, qui præ cæteris animalibus frequentiùs B solet portando currui subligari. Est igitur facies Cherub, seu Recub, facies vituli. Quem sensum Pradus ad eum locum excogitauit; & Sanches noster maximè approbat & confirmat. Vnde non Cherubica, sed vitulina facies est, quæ ab humana distinguitur: omnes enim illæ quaternæ facies secundùm se distinctæ, in eo conueniunt, quòd Cherubinos repræsentent: proindéque ex eo loco tantùm abest, vt humana effigies Cherubinis denegetur; vt potiùs necessariò concedatur. Atque hæc de figura Cherubinorum.

Vera solutio *Cur facies Cherub sumatur pro facie bouis.* Pradus. Sanches.

Cherubinorum situs.

XXIV. *Prima huius situs explicatio.* Oleast.

C Situs Cherubinorum, qui erant in tabernaculo Moysis (vt nihil interim de illis, quos Salomon fecit, aut de illis, quos Ezechiel vidit) difficilior explicatu est. Prima explicatio esse potest Oleastri: iuxta quam Cherubini erant ex vtroque latere Arcæ, habentes pedes super ipsam Arcã, & capita infra propitiatorium, illud sustentantia: & supra propitiatorium alas reducebant, ad illud regendum: ita vt inter alarum tegmina & propitiatorium, interuallum quoddam maneret, instar cuiusdam domunculæ, in qua Deus habitare diceretur. Probat: tum, quia Cherubini dicũtur sedem Dei suis capitibus sustentasse. Ezech. 10. num. 1. *Et vidi*, inquit. *Et ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubim*, &c. Ergo similiter propitiatorium, quod D erat Dei sedes, suis capitibus sustentabant: tum, quia hoc loco, & 2. Reg. 6. num. 2. dicitur Deus *sedere super Cherubim*; seu, vt est in Hebræo: *Habitare Cherubim*: quòd quidem eò tendere videtur, vt Cherubini suis alis propitiatorium claudentes, quandam veluti domunculam, Deo ad habitandum quodammodo fabricarent.

Probatur.

XXV. *Secunda explicatio.* Caiet.

Secunda explicatio est Caietani, iuxta quam Cherubini erant ex vtroque latere Arcæ, habentes pedes super ipsum pauimentum, & sustentantes suis manibus propitiatorium, quod erat aliquantulum arca eleuatius & sublimius, illique desuper respondens, non perpendiculariter; sed ita, vt qui sederet supra propitiatorium, tanquàm super sedem, haberet pedes super Arcam, E veluti super scabellum: alas autem hinc & inde in sublime erigebant, vt essent quædam veluti spondæ, seu cortinæ sedis diuinæ. Probat; tum, quia propitiatorium erat tabula aurea, secundùm longitudinem & latitudinem Arcæ omninò æqualis; vt patet Exod. 25. num. 10. & 17. ergo, si Cherubini essent super Arcam collocati, non superesset inter vtrunque Cherubinum sufficiens spatium, quo propitiatorium caperetur: igitur necesse fuit, vt essent extra Arcam, ne locus propitiatorio necessarius occuparetur. Tũ, quia in Hebræo & Græco habetur: *Et dabis*

Probatur.

ſeu, *Impones propitiatorium ſuper Arcam deſuper.* Vbi illa duplex particula, *Super*, & *Deſuper*, manifeſtè ſignificat, propitiatorium fuiſſe quidem ſuper Arcam: non tamen immediatè, ſed deſuper, hoc eſt, paulò eminentiùs & eleuatiùs. Hanc explicationem deſumpſiſſe videtur Caietanus ex ſuo magiſtro D. Thom. 1. 2. q. 102. art. 4. ad 6. vbi docet, Arcam fuiſſe inter duos Cherubinos, ſuis alis propitiatorium ſuſtentantes.

D. Thom.

XXVI. *Tertia explicatio.* Abul.

Tertia explicatio eſt Abulenſis q. 17. & 23. in c. 25. Exodi, iuxta quam propitiatorium erat immediatè ſuper Arcam, & Cherubim ſuper propitiatorium, vnus ex latere aquilonari, alter ex auſtrali, ſecundùm Arcæ longitudinem inter ſe oppoſiti; & per vtrunque latus orientale & occidentale extenſis alis ſe vtrinque contingentes, ac totum propitiatorium in gyrum circundantes. Vnde non opus eſt fingere in hoc diuino throno, propitiatorium, tanquàm ſedem ſuperiorem; & Arcam, tanquàm ſcabellum inferius: nam hæc ſedes metaphorica eſt; ita dicta, quòd Deus ex eo loco cum hominibus loqueretur: vnde, ſi in illa quæreretur proprietas, daretur periculum errandi, tribuendique Deo molem corpoream, quæ propria ſede indigeret: vt Abulenſis citatus rectè aduertit. Probatur: quia in omnibus exemplaribus Hebræis, Chaldæis & Græcis dicuntur Cherubini poſiti ſuper vtroque propitiatorij latere, ſeu ſuper extremitatibus propitiatorij. Et confirmatur ex Ioſepho & Philone, qui ſicut illorum temporum viciniores; ita & harum rerum peritiores credendi ſunt. Nam Ioſephus lib. 3. Antiq. cap. 6. *Erant*, inquit, *operculo Arcæ impoſita effigies duæ, quas Hebræi Cherubos vocant:* Philo autem lib. 3. De vita Moyſis, non procul ab initio: *Operculum*, inquit, *Arcæ, quod vocatur propitiatorium, baſis eſt duarũ imaginum volucrium, quæ ſermone vernaculo nominantur Cherubim.* Ex quo vocabulo, *baſis*, excluditur reſponſio Caietani, dicentis, præpoſitionem, *ſuper*, quæ eſt in citatis exemplaribus, non ſignificare, quòd Cherubini pedibus eſſent ſuper propitiatorio; ſed capitibus: ſeu, quòd ſecundùm partem tantùm ſuperiorem propitiatorio altiores, eminentioréſque extarent. Excluditur, inquam, hæc reſponſio, quia baſis eſt, quæ pedibus ſubiicitur: præterquàm quòd, cùm citata exemplaria abſolutè dicant, Cherubinos ſuper propitiatorio locatos fuiſſe; de toto eorum corpore intelligenda ſunt, nec ſine neceſſitate tropicè ac figuratè de ſuperiori tantùm corporis parte interpretanda.

Probatur. Ioſephus. Philo. *Excluditur euaſio Caietani.*

XXVII. *Soluitur obiectio.*

Dices, Cherubinorum ſitus talis erat, vt *ipſi reſpicerent ſe mutuò, verſis vultibus in propitiatorium.* Exodi 25. n. 20. Ergo, ſi ipſi habebant propitiatorium ſub pedibus; aut non vertebant ad illud vultus, aut ſe mutuò non reſpiciebant; alioqui haberent oculos demiſſos pariter & erectos. Reſpondeo, reſpicere ſe mutuò, non eſſe aliud, quàm vnum eſſe è regione alterius; qui eſt in ſacris Literis frequentiſſimus Hebraïſmus. Sic dicitur ſpelunca duplex Abrahæ reſpicere Mambre. Geneſ. 23. n. 17. Regio Sur reſpicere Ægyptum. Geneſ. 25. numer. 18. Atrij latus vnum reſpicere Occidentem, alterum Orientem. Exod. 27. n. 12. & 13. Oſtium Ieroſolymæ reſpicere Aquilonem. Ezech. 8. n. 3. & paſſim alibi. Sic igitur Cherubini reſpiciebant ſe mutuò: hoc eſt, ſibi mutuò è regione reſpondebant; ſed oculos reuerentiæ cauſa pronos ac demiſſos in propitiatorio collocabant. Hæc mihi Abulenſis explicatio verior ac germanior videtur: quam è noſtris Ribera, Alcaçar & Cornelius ſequuntur. Vnde miror Cornelium, alium explicandi modum Riberæ tribuiſſe: niſi forte Typographi vitio vnus pro altero Auctor irrepſit. Plures rationes pro hac tertia poſitione apud Abulenſem citatis quæſtionibus leguntur.

Tertia explicatio cæteris præfertur. Ribera. Alcaçar. Cornel.

A ... B ... C ... D ... E

XXVIII. *Reiicitur prima explicatio.*

Prima Oleaſtri expoſitio, præterquàm quòd ex dictis confutetur, eò etiam minus placet: quia, aut ponit Arcam ſine vllo immediato operculo; quod tamen requirebatur propter pretium legis diuinæ, quæ in ea ſeruabatur: aut fingit aliud operculum immediatius quam propitiatorium; quod tamen Litera non exprimit. Et quamuis Lorin. noſter in Pſalm. 67. num. 18. illud facile concedat: tamen Diuus Auguſtin. quæſt. 105. in Exod. Theophyl. in cap. 9. ad Hebræos, Richard. Victor. p. 2. De Tabernaculo, cap. 1. Clarius, Montanus & alij, quos Barrad. tom. 2. concord. lib. 3. c. 15. citat ac ſequitur, tale operculum non admittunt. Rationes Oleaſtri facilè corruunt: prior quidem: quia quidquid ſit de illis Ezechielis Cherubinis; certè hi Moſaïci propitiatorium ſuis capitibus non ſuſtentabant; ſed ſuis pedibus ſubiiciebant: vt ex dictis patet. Et ratio diuerſitatis eſſe potuit: quia non tam propitiatorium, quàm ipſi Cherubini erant Dei ſedes. Pſalm. 79. num. 2. Iſai. 37. num. 16. Dan. 3. num. 55. & paſſim alibi. Poſterior autem: quia, vt Deus dicatur ſedere ſuper Cherubim, ſeu habitare Cherubim, opus non eſt, vt tota illa Cherubinorum poſitio, quam tradit Oleaſter, defendatur; ſed in eo ſitu, quem illis tribuimus, veriſſima manet ea loquutio: ſiquidem Cherubini, propitiatorio inſiſtentes, & magno alarum ductu hinc inde propitiatorium obumbrantes, quam digniſſimam poterant, Deo ſedem exhibebant.

Lorin. D. Auguſt. Theoph. Richard. Clarius. Montanus. Barrad. *Soluuntur eius argumenta.*

XXIX. *Confutatur ſecunda explicatio.*

Secunda Caietani explicatio, non minùs, quàm prima, ex dictis confutata; nec minùs, quàm prima, illi inſtantiæ de Arcæ operculo ſubiecta; ex hoc loco vlteriùs refelli poteſt. Nam Iſraëlitæ tulerunt Arcam Domini ad prælium; eàque delata pariter detulerunt Cherubinos; idcircò enim expreſsè dicitur: *Tulerunt Arcam Domini ſedentis ſuper Cherubim*: vt ſuprà aduertimus: hoc autem eſſe non poſſet, niſi Cherubini Arcæ innixi erentur: nam, ſi pauimento Sanctuarij inſiſterent; delata Arca, ipſi remanerent. Caietani rationes parum vrgent: prior quidem, quia ſolùm probat, Cherubinos non fuiſſe immediatè ſuper latera Arcæ; non tamen probat, non fuiſſe ſuper ipſum propitiatorium, Arcæ impoſitum. Poſterior autem, quia particula, *Deſuper*, ſiue per ſe ſumatur ſolitaria, ſiue coniuncta cum illa alia, *ſuper*, in hunc modum: *Super Arcam deſuper*: ſignificat rem ita eſſe ſuper aliam, vt tamen cum illa immediatè coniungatur. Primum patet: alioqui, cùm Abraham *ædificauit altare, & deſuper ligna compoſuit.* Gen. 22. n. 9. illa ligna non tangerent altare, ſed ex aëre ſuſpenſa altari imminerent. Et ſic de aliis paſſim. Secundum non minùs liquet: alioqui cùm dicitur de mari æneo, quod Salomoo ſuper duodecim boues poſuit: *Et mare ſuper eos deſuper erat.* 3. Reg. 7. num. 25. Senſus erit: Mare non tangebat immediatè ipſos boues, ſed illis altiùs & eminentiùs reſpondebat: quod nemo dicet. Hæc de Cherubinorum ſitu.

Eius argumenta diluuntur.

Cherubinorum ſignificatio.

XXX.

Significatio Cherubinorũ in tabernaculo Moſaïco exiſtentium, tam multiplex eſſe poterit, quàm

Materia Cherubinorũ significat eorũ nobilitate inter homines.

quàm multiplex fuerit circunstantia, sub qua considerentur. Primò igitur secundùm materiam, ex qua constant, Angelicam dignitatem pet ordinem ad homines repræsentant. Erant enim ex auro omnium metallorum nobilissimo; cùm homines ex luto efformentur: vt quantùm antum luto præstat; tantùm Angeli hominibus præferantur. Vnde D.Greg. lib.2. Expositionis in libros Reg. c.1. Angelos appellat vasa aurea, homines vasa ærea, & veriùs appellare posset vasa lutea. Ex quo discrimine magnum homini timorem incutit: *Quid*, inquit, *de æreo vase fiet, si Deus nec aureis superbiæ fœtore plenis ignoscit?*

D.Greg.

XXXI. Secundò, ex loco, quem obtinent, significant Angelicam nobilitatem, etiam per ordinem ad Christum Dominum. Insistebant enim propitiatorio, qui Christi Domini typus erat, quasi Christo Domino, vt homine, vel secundùm humanam naturam superiores, iuxta illud: *Minuisti eum paulò minùs ab Angelis.* Psalm.8. num.6. Et illud: *Eum autem qui modicò, quàm Angeli: minoratus est, videmus Iesum*, &c. Hebr. 2. num. 9. Quamuis aliqui ex hoc loco non tam Angelicæ naturæ præstantiam supra Christum hominem, quàm dependentiam à Christo Domino interpretentur. Et quidem rectè. Vt enim columna à basi, cui innititur, suam firmitatem, stabilitatémque desumit: ita & Angelica natura à Christo Domino, cui insistit, suam constantiam perseuerantiámque in bono, ne de illo vnquàm rueret, accepit. Vnde Diuus Bernardus serm.22. in Cant. de Christo Domino loquutus: *Qui erexit*, inquit, *hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur; sic illum de captiuitate eruens, sicut hunc à captiuitate defendens; soluens illum, & seruans istum.* Vbi tractat vulgarem illam inter Theologos quæstionem: An Christus Angelorum redemptor fit? quam, licèt Theologi in partem negantem probabiliùs definiant; non tamen negant, Angelos per Christi merita stetisse, tanquàm firmissima basi stabilitos.

Locus, eorum nobilitatem, supra Christum, vt hominem.

Vel iuxta alios, eorum dependentiam à Christo Domino. Christus basis Angelorũ.

D.Bern.

XXXII. Tertiò, Cherubinorum vultus ad propitiatorium versi summam illam Angelorũ erga Christum Dominum reuerentiam & obedientiam testantur: cuius enim humanitatem infra se videnti; eiusdem diuinitatem supra se agnoscunt. Quare, *Sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum: ita oculi Angelorum ad Dominum Deum nostrum*: quod illud propitiatorium repræsentabat. Psalm. 122. num. 2. vt ad illius nutum promptissimi festinarent. Huc pertinet illud Zach. 3. n. 9. *Super lapidem vnum septem oculi sunt.* Vbi omnes Angelici spiritus in vno Christo Domino oculos suos defigere intelliguntur: vt quæcunque ab eo mandata acceperint, exequantur. Quod ipse Christus Dominus expressit: *Videbitis*, inquit, *Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis.* Ioan.1. n.51. Vbi D. Chryf. hom. 20. per Angelorum ascensus & descensus, Angelorum ministeria interpretatur. Licèt enim Angeli natura superiores fuerint; gratia tamen inferiores ad nutum seruiebant: ascēdēdo & descendendo, hoc est, vltrò citróque concurrando, & in quancunque partem mitterentur, celeriter eũdo. *Quibus verbis*, addit Chryf. Nathanaëli Christus Dominus *suadet, vt ipsum Angelorum Dominum confiteatur. Tanquàm enim super dilectissimum Regis filium Regy ministri & ascenderunt, & descenderunt.* Pulchrè autem per ascensus & descensus hæc ministeria significantur: quia Deo, tanquàm superiori, ascendendo; homini, tanquàm inferiori, descendendo, ministrabant. Vnde D.Bern. serm.48.

Vultus ad propitiatoriũ versi, eorum reuerentiam, & obedientiam in Christum.

D. Chryf.

D.Bern.

in Cantica, notat, Angelos ascendere & descendere supra filium hominis: *Quòd in vno*, inquit, *eodémque homine Christo Iesu, & infirmitatem foueant, & stupeant maiestatem.*

XXXIII. Quartò, mitam inter se concordiam & charitatem illi Cherubini præferebant: in primis ipso binario numero, quo constabant. Ita D.August. q. 105. in Exodum: *Ideò*, inquit, *duo sunt, vt societatem charitatis commendent.* Quod etiam Diuus Bernardus serm.5. de verbis Isaiæ, obseruat illo Seraphinorum binario, qui stabant & volabant ante Dominum. Deinde ipso alarum complexu, quasi datis manibus in concordiam conspirarent: ipsa membrorum conformitate, & totius oris similitudine; vt cùm similitudo sit causa amoris, summa illa similitudo summi amoris causa videatur. Vnde Diuus Gregorius Nazianz. in carmine De laude virginitatis, loquutus de Angelis, subdit:

Numerus binarius, eorũ concordiam. D.August. D. Bern.

D Greg. Naz.

His non connubium, non cura, ægrique dolores;
Non motus, turbas miseras in corde cientes;
Non etiam membris dirimuntur, & edibus omnes
Inter se miro iungit concordia nexu.

Igitur inter duos Cherubinos pacis & concordiæ amatores, libenter residebat summus ille pacis & concordiæ amator: de quo proinde cælestis sponsa: *Qui pascitur*, inquit, *inter lilia*. Cant. 2. num. 16. Vbi Diuus Bernardus serm. in Natiuitate Mariæ de aquæductu, rectè obseruat, lilia odore potiùs, quàm sapore placere, & visui magis apta esse, quàm esui: & proinde ex liliis non fieri dulce conuiuium; sed fieri posse dulce cōsortium. Vnde tandem concludit: *Fortè*, inquit, *non cibo, sed consortio pascitur liliorum.* Deus enim hac animarum concordia præcipuè delectatur.

D.Bern.

XXXIV. Quintò, singularem humilitatem ostendebant Cherubini; dum nec alis ad volandum, nec oculis ad circunspiciendum; sed vtrisque ad vmbrandum intuendúmque propitiatorium vtebantur. Ita D. August. proximè citatus: *Ideò*, inquit, *pennis suis propitiatorium obumbrant; quia Deo, non sibi tribuunt pennas suas, id est, Deum honorant virtutibus, quibus præstant: & vultus eorum non sunt, nisi in propitiatorium; quia cuicunque profectui ad multitudinem scientiæ, spes non erit, nisi in Dei misericordia.* Itaque nec virtutes habitas, nisi Deo tribuebant; nec habendas, nisi à Deo sperabant. Plura alia significare dicuntur hi Cherubini: scilicet, vtrunque hemisphærium: vtrunque Testamentum, vetus & nouum: vtranque charitatem, Dei & proximi: vtranque vitam, actiuam & contemplatiuam: vtrunque populum, Iudæum & Gentilem: vtranque naturam, Angelicam & humanam: immò vtranque naturam, humanam & diuinam, diuino Verbo subsistentem: vtrunque sponsum, Mariam & Iosephum, Verbum infans sustentantem: cæteráque id genus, quæ à citatis Auctoribus traduntur.

Alæ & oculi, eorum humilitatem. D.August.

Alia Cherubinorum significationes.

Cherubinorum Nomen.

XXXV. Andem Nomen, *Cherubim*, significat multitudinem scientiæ, vt testantur D.Dionysius Areopag. lib. De cælesti Hierarchia, c.7. Philo Iudæus lib. de Cherubim, & lib.3. De vita Moysis. Clem. Alexan. lib.5. stromatum. Orig. hom.10. in Num. D.Hier. in c.6. Isaiæ, & in c.10. & 28. Ezech. ad finem, & in Epistol.103. ad Paulinum, D. Aug. quæst.105. in Exod. D.Gregor. homil.6. in Ezech. Diuus Isidorus lib. 7. Etymolog. cap.1. & plures alij. Vnde Scriptura Cherubinis tribuit sapientiam. Dicitur enim Cherub *plenus sapientia, & perfectus*

Cherubim, id est, multitudo scientiæ. D.Dion. Areop. Philo. Clem. Alex. Orig. D.Hier. D.August. D.Greg.

D. Bernard. *perfectus decore.* Ezech. 28. num. 12. Quare D. Bern. serm. 19. in Cantica, constituens thronos, tanquàm è cathedra aliorum Angelorum magistros & illuminatores, subdit: *Illa tamen cæli agmina, quæ Cherubim nuncupantur: si eis sui vocabuli seruetur interpretatio, arbitror, nihil habere, quod ab ipsis, aut per ipsos accipiant, cùm de ipso fonte ad plenum haurire liceat; ipso ea per se Domino Iesu dignanter introducente in omnem plenitudinem veritatis: & thesauros sapientiæ, scientiaq; , qui in eo omnes absconditi sunt, largissimè reuelante.* Et rursus lib. 5. De consideratione ad Eugenium, cap. 4. *Putamus*, inquit, *Cherubim ex ipso sapientiæ fonte, ore Altissimi haurientes, & refluentes fluenta scientiæ vniuersis ciuibus suis.* Quibus locis non solùm altissimam sapientiam, sed etiam ab ipso Deo immediatè haustã tribuit Cherubinis. Quod etiam *D. Athan.* tenuit D. Athanas. lib. De communi essentia, dicens: *Cherubim & Seraphim sine vllo mediatore, aut interprete à Deo condiscunt.* Patet igitur, multitudinem scientiæ Cherubinis tribuendam.

XXXVI. *Cherub etymologia à scientia.* Cæterùm nominis etymologia est difficilis inuentu. Illa mihi videtur syncerior & germanior, quæ à scientia deriuatur. Nam, cùm hoc nomen *Cherub*, scientiæ multitudinem significet, vt communis est Patrum & Interpretum consensus, non nisi valdè impropriè ab aliis fontibus desumetur. *Impropria etymologia reiiciuntur. Prima.* Impropria igitur, & aliena est illa etymologia, primò, quæ desumitur à figura puerili, quam tribuimus Cherubinis: ita, vt Cherub sit compositæ figuræ, כ *Che*, id est, *Quasi*, & רוב *Rub*, seu potiùs Chaldaïcè, רביא *Rbia*, id est, *Puer*, vt sit, *Quasi puer*. In hac enim etymologia partes componentes, ex vi impositionis, nullo modo scientiam significant. *Secunda.* Secundò, illa, quæ sumitur à fortitudine, vt Cherub componatur ex כ *Che*, id est, *quasi*, & רב *Rab*, id est, *Fortis*, vt sit, *Quasi fortis*. *Tertia.* Tertiò, illa, quæ sumitur à multitudine in hunc modum. כ *Che*, id est, *Quasi*, & רוב *Rob*, id est, *multitudo*: vt Cherub sit, *Quasi multiplex*. Talis enim dicitur *currus Dei decem millibus multiplex.* Ps. 67. n. 18. vectus à Cherubinis. *Quarta.* Quartò, illa, quæ sumitur ab officio trahendi currum: ita, vt *Cherub* dicatur quasi *Rechub*, per metathesim, seu literarum transpositionem, id est, animal curule, seu trahendo currui alligatum: à verbo רכב *Raebab*, id est, *curru vehi*. Has igitur etymologias, fateor, aptas esse ad nonnullas Cherubinorum proprietates indicandas; non tamen ad indicandam scientiam, quæ nomine *Cherub*, vt diximus, præcipuè significatur.

XXXVII. *Triplex etymologia à scientia.* Triplex igitur assignari potest etymologia à scientia. *Prima, per metaphoram, Cherub, id est, pictum.* Prima per metaphoram. Nam Cherub est idem, quòd pictum, varium, figuratum: vnde quamlibet externam figuram propriè significat, vt docent Abenezra, aliique Rabbini, quibus *Rabbini. Iosephus. D. Hieron. Pagnin. Genebr. Ribera.* Ioseph. lib. 3. Antiq. c. 3. aliàs 7. D. Hier. in epist. 130. ad Marcellam, Pagninus in Thesauro, verbo כרב *Charab*, Genebr. in Psal. 79. n. 3. Ribera lib. 2. De Templo, c. 6. aliique assentiuntur. Et patet in cortinis tabernaculi, quæ dicuntur variatæ *opere plumario*. Exod. 26. n. 1. seu, vt est in Hebræo, opere cherubico: non quòd in illis propriè Cherubinorũ imagines intexerentur, quidquid dixerit *Oleast.* Oleaster; sed quòd essent multiplici varietate intertextę, vt docet *D. Hier.* D. Hier. citat. & *omnis generis floribus, quos terra fert, aliisque ornamentis, exceptis animalium formis, figurata*: vt Iosephus vbi suprà testatur. Quemadmodũ igitur Cherub propriè significat opus externum egregiè depictum: ita metaphoricè significat sapientis animũ multarũ rerum formis, scientiarúmque habitibus insignitum: vnde ad significãdos illos spiritus sapientissimos secũdi Chori primæ Hierarchiæ optimè trãsfertur.

Soluitur vna obiectio. Obiicies: Scriptura distinguit Cherubim, & picturas; iuxta illud de Salomone: *Fecit in eis* (id est, in parietibus templi) *Cherubim, & palmas, & picturas varias.* 3. Reg. 6. n. 29. Ergo Cherubim non est idem, atque pictum. Respondeo, nomen Cherubim genericum, de quo hic agimus, non distingui à picturis: specificum verò, de quo agitur citato loco Reg. distingui. *Soluitur altera obiectio.* Obiicies præterea, pictum ex vi impositionis non significare sciẽtiam. Ergo, si paulò antè reiecimus illã etymologiam, *Cherub*, id est, *Quasi puer*, quia puer ex vi impositionis non significabat scientiam; etiã hanc reiicere debemus: cùm neque pictum illam significet. Respondeo, licèt eam non significet ex vi impositionis propriæ; significare tamen ex vi impositionis metaphoricæ. Quo pacto risus, v. g. licet ex vi propriæ impositionis solam hominum lætitiam significet: tamen ex vi impositionis metaphoricæ, ipsam quoque segetum luxuriam significat. Puer autem nullo modo significat scientiam.

Secunda planior & simplicior à litera seruili כ *Che*, id est, *Quasi*, & nomine רב *Rab*, id est, *Sapiens*, seu, *Magister*. Vnde nomen, *Rabbi*, *quod dicitur interpretatum magister*. Ioann. 1. n. 38. & significat hominem multa scientia præditum: vt ibi Card. Tolet. aduertit. Est igitur Cherub ex vi sui etymi, quasi sapiens, seu magister. Vnde D. Dionys. Areop. De cælesti Hierar. c. 4. superiorum spirituum ordines, hoc est, Cherubinorum, non immeritò appellat *inferiorum* præceptores. XXXVIII. *Secunda etymologia, Cherub, id est, quasi sapiens.* *Tolet.* *D. Dionys. Areop.*

Tertia tandem etymologia deduci potest ex duplici verbo; רבב *Rabab*, id est, *multiplicare*; & נכר *Nachar*, id est, *Scire*, seu, *cognoscere*. Sumpta huius posteriori syllaba כר *Char*, & illius, priori רב *Rab*, excisa vna litera ר, *r*, nouisque punctis adhibitis: ac tandem vtraque voce constructa in nomen Cherub; quod sit, scientia multiplicatus, seu, vt vno dicam nomine, multiscius. Ita Pagninus in interpretatione nominum Hebraïcorum. Operosior & laboriosior videtur hæc etymologia. Sed deuoranda est hæc difficultas, dũmodo significationis, seu etymologię proprietas seruetur. XXXIX. *Tertia etymologia, Cherub, id est, multiscius.* *Pagninus.*

Cur Deus potiùs super Cherubim, quàm super Seraphim sedere dicatur?

SVpponit hæc difficultas, Deum sedere super Cherubim, non autem super Seraphim. Et inquirit; cur ita potiùs sit, quàm vice versa: aut certè, cur non dicatur super vtrisque sedere? Suppositionẽ quoad priorem partem, quòd, scilicet, *Deus sedeat super Cherubim*, negauit post alios antiquiores, quidam Iacobus Chyus Hæresiarcha, apud Sixtũ Senensem, lib. 5. Biblioth. Annot. 58. docens, Cherubinos non esse spirituales substantias inter Angelorum Choros numerandas, ideóque in synodalibus Græcorum legibus prohibitum, ne in Trisagio Angelorum cantaretur: *Qui sedes super Cherubim.* Quoad posteriorem partem, quòd, scilicet, Deus non sedeat super Seraphim, ei olim aduersabantur deuotuli quidam imperiti, qui in publicis precationibus canebant: *Qui sedes super Cherubim, & Seraphim*: vt apud eundem Sixtum videre est. Sed vtrosque manifestè cõuincit Scriptura: illos, quia apertè dicit, Deum sedere super Cherubim; vt patet ex locis suprà citatis: hos, quia nusquàm dicit, sedere super Seraphim, vt Scripturam euoluenti facilè parebit. Quare Hieron. in c. 6. Isaiæ, suppositionem quoad vtráque partẽ admittit: *Legimus*, inquit, *in septua-* XL. *Deum sedere super Cherubim, quidã negarunt.* *Sedere super Seraphim, alij affirmarunt.* *Vtrique ex Scriptura conuincuntur.* *D. Hier.*

gesimonono Psalmo: Qui sedes super Cherubim. Seraphim autem praeter hunc locum in Scripturis canonicis, alibi legisse me nescio: qui stare dicuntur super templum, vel in circuitu Domini. Ergo errant, qui solent in precibus dicere: Qui sedes super Cherubim, & Seraphim. Quod Scriptura non docuit. Et rursus in epist. 143. ad Damasum: *Illorum,* inquit, *pius licet, attamen coarguendus error, qui in orationibus & oblationibus suis audent dicere: Qui sedes super Cherubim, & Seraphim. Nam & super Cherubim sedere Deum, scriptum est: super Seraphim verò nulla Scriptura commemorat.* Ad hanc igitur incautam & imprudentem aliquorum pietatem instruendam, illæ fortasse synodales Græcorum leges, sicubi extant, prodierunt. Nam ne dicerent: Qui sedet super Seraphim; opus fuit pariter impedire, ne dicerent: Qui sedet super Cherubim. Quamuis Senensis, vbi suprà, nulla se vsquàm earum legum vestigia inuenisse fateatur.

XLI.

Prima ratio, cur Deus sedere dicatur super Cherubim, nō super Seraphim, reiicitur. Abul.

Certa igitur est suppositio. Illius tamen ratio inquirenda: Cur Deus super Cherubim, non verò super Seraphim sedere dicatur? Respondet Abul. quæst. 19. in cap. 25. Exodi, nomine Cherubim quoscunque Angelos cuiuscunque Chori intelligendos esse. Sed hoc non tam est quæstionem soluere, quàm destruere suppositionem; non admittendo, Deum potiùs super Cherubim, quàm super Seraphim, sed super quoscunque Angelos sine discrimine sedere.

Altera ratio.

Dicitur igitur Deus, inquiet aliquis, sedere super Cherubinos, vt pacificum eius imperium super omnes creaturas significetur: nam, qui sapientibus imperat, faciliùs cæteris creaturis imperabit; cùm sapientes omnium difficillimi imperium patiantur. Responsio fortasse est non contemnenda.

Vera ratio.

Literalis tamen ratio desumenda est ex his propitiatorij Cherubinis. Cùm enim è Sanctuario diuina oracula redderentur, in quibus diuinam Sapientiam præcipuè spectari oportebat, opus fuit, Deum ibi super sapientissimos spiritus sedere, vt summa eius in respondendo sapientia, ipsis quoque Cherubinis altior & excellentior ostenderetur.

XLII.

D.Bern. *Dignitas Cherubinorū, in quibus Deus sedet.*

Hinc colliges in primis Cherubinorum dignitatem, qui dignam Deo sedem ministrabant. Vnde D. Bernard. serm. 19. in Cant. immortaliter laudat Chorum Thronorum, in quibus Deus sedere dicitur, & pari, seu maiori ratione laudare posset Chorum Cherubinorum, qui etiam Dei sedes nuncupantur. Quid enim sublimius, quid augustius esse potest illa sede, in qua Deus, vel ad imperandum, vt Rex; vel ad iudicandum, vt Iudex; vel ad docendum, vt Magister; sedere dicatur? *Etenim,* inquit Bernardus, *si intres Regis palatium, nonne, cum plenum sit sellis, scamnis, cathedrisque, regia sedes in eminenti posita cernitur? Et non est necesse quærere, vbi Rex sedere solitus sit. Nimirum mox occurrit manifesta sedes eius, cæteris altior ornatiórque sedilibus. Sic quoque omni decoris ornatu cunctis aliis præeminere spiritibus, istos intellige, in quibus speciali quodam stupendæ dignationis munere diuina elegit residere Maiestas.* Hæc de solio Regis, nec minora statim de cathedra magistri. *Quòd si sessio,* inquit, *significat magisterium; puto illum, qui vnus est nobis magister in cælo, & in terra, Dei Sapientiam, Christum, specialiùs istos atque principaliùs, tanquàm propriam sedem sua illustrare præsentia: & inde tanquàm de solenni auditorio, docere Angelum, docere hominem scientiam.* Magna igitur Cherubinorum dignitas; qui, vt ex ipsis, tanquàm ex propriis diuinitatis sedibus, diuina & excellentia & sapientia manifestetur, eliguntur.

XLIII.

Sublimitas diuinæ sapientiæ, sedentis super Cherubim.

Colliges deinde diuinæ sapientiæ sublimitatem, dum super Cherubinos sapientiæ plenissimos sedere dicitur, vt omnem sapientiam creatā infinito interuallo superare intelligatur. Quò allusit Dauid dicens: *Ascendit super Cherubim, & volauit.* Psal. 17. n. 11. Quasi diceret: Altior assurgit diuinus intellectus, quam cherubicus; siquidem vbi hic sistit, ille euolat: nec vnquàm creata scientia consequitur increatam.

D. August.

Vnde bene D. August. ibi: *Exaltatus,* inquit, *est super plenitudinem scientiæ, vt nemo ad eum perueniret, nisi per charitatem.* Quare illi Ezechielis Cherubini, cùm perspicacissimi essent, vtpote pleni oculis. Ezech. 1. n. 18. & Ezech. 10. n. 12. tamen nō ipsam Dei gloriam, sed quandam similitudinem gloriæ sibi videre videbantur, iuxta illud: *Hæc visio similitudinis gloriæ.* Ezech. 2. n. 1.

D.Greg.

Quem locum, quamuis D. Greg. homil. 8. in Ezechielem, ad finem, de similitudine gloriæ respectu ipsius Prophetæ interpretetur, dicens: *Non visio gloriæ, sed similitudo gloriæ: vt ostendatur; quia quantalibet se intentione mens humana tendat, adhuc tamen in corde mortali posita, videre gloriam Dei non valet, sicut est.* Et statim expendens illa Prophetæ verba: *Vidi, & cecidi in faciem meam.* Subdit: *Quid ergo de hoc viro fieret, si ita vt est, eius gloriam vidisset; qui ferre non valens similitudinem gloriæ, cecidit?* Quamuis, inquam, D. Greg. locum de Propheta intelligat; & ante illum D. Irenæus lib. 4. aduersùs hæreses, c. 37. eodem modo locum interpretetur: tamen de ipsis quoque Cherubinis intelligi potest, si visio beata cum comprehensiua comparetur: illa enim respectu huius, potiùs similitudo gloriæ, quàm gloria videtur: Sic enim appellauit Dauid, dicens: *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Psalm. 16. n. 15. Seu, vt aliqui transferunt ex Hebræo: *Cùm euigilauerit similitudo gloriæ tuæ.* Itaque diuinam sapientiam tantùm abest, vt Cherubini sapientiæ plenissimi comprehendant: vt illius tantùm similitudinem quandam sibi videre videantur.

D.Iren.

XLIV.

Immensum diuinæ sapientiæ mare, in stuporem, & terrorem conuersio.

Certè Regius Vates diuinam sapientiam contemplatus: *Mirabilis,* inquit, *facta est scientia tua ex me.* Psalm. 138. n. 6. Nec solùm mirabilis, sed etiam terribilis: subdit enim num. 14. *Terribiliter magnificatus es.* Ad quem locum Diuus Chrysost. hom. 1. De incomprehensibili Dei natura, obseruat quædam esse, quæ sine metu admiramur; vt pratum multis floribus depictum: quædam, quæ admiramur cum metu; vt mare vasto gurgite profundum; & de hoc genere ait esse diuinam sapientiam, non solùm mirabilem, sed etiam terribilem. *Miramur,* inquit, *maris vastitatem, immensósque gurgites, sed non sine metu, cùm eius inspicimus altitudinem. Sic & Propheta, cùm vastum id, immensumque diuinæ sapientiæ mare inspiciat; vertigine quasi tentatus obstupescit, ac summo cum timore demirans, recedit, atque exclamat: Terribiliter magnificatus es.* Quis enim non paueat, considerans illos diuinæ sapientiæ oculos, vt sæpiùs D. Greg. appellat, *insopitos*; quos nihil effugiat, nihil lateat; quibus nulla hominum, Angelorúmve arcana abscondantur?

D. Chrys.

XLV.

Sapientia diuina etiam circa res particulares admirabilis.

Adde, sapientiam diuinam, non solùm prout res omnes creatas & creabiles comprehēdit, mirabilem esse: sed etiam prout à nobis, cum certis determinatísque obiectis comparatur. Nam D. Paulus diuinam sapientiam & prouidētiam circa Iudæos tantùm, ac Gentiles, secum expendēs, admirabundus exclamat: *O altitudo diuitiarum sapiētiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Rom. 12. num. 33. Vbi Diuus Chrysostomus citatus non legit, *Incomprehensibilia*, sed inscrutabilia: quod non solùm comprehensionem, sed etiam scrutationem

D.Chrys.

tationem excludant: totúmque locum eleganter expendens: *Paulus*, inquit, *de sapientia disserens, non de illa vniuersali, qua Angelis, Archangelis, ac omnibus supernis virtutibus prouidetur; sed de ea prouidentiæ parte, qua hominibus consulitur: nec de tota illa, qua Sol oritur, qua anima inspirantur, qua corpora effigiantur, qua mortalia aluntur, qua vniuersus mundus continetur; sed particulam quandam diuina prouidentia inquirens, qua scilicet, Iudæos neglexerit, Gentes autem receperit: & hanc ipsam particulam veluti mare immensum, & gurgitem præaltum inspiciens, conturbatur, deficit, & voce magna exclamat: O altitudo*, &c. Ex quibus patet, quanta sit diuinæ sapientiæ sublimitas, si in tota sua latitudine spectetur, cùm etiam paucis cum obiectis comparata tam admirabilis videatur.

XLVI.
Cur Deus inter Seraphinos occultetur, inter Cherubinos manifestetur.
D. Isidor.

Sed, cur Deus inter Seraphinos occultatur? *Velabant* enim *faciem suam*. Isai. 6. num. 2. hoc est, ipsorum Angelorum, ne videretur; aut ipsius Dei, ne videretur: & tamen inter Cherubinos manifestatur, iuxta illud: *Qui sedes super Cherubim, manifestare*. Psal. 79. num. 2. Quò allusit Abacuc 3. num. 2. iuxta Septuaginta: *In medio duorum animalium cognosceris*: hoc est, interprete D. Isidoro, in Exod. c. 46. in medio duorum Cherubim? An, quia Deus in hac vita absconditur amantibus; in futura sapientibus reuelatur? An, quia amantium proprium est, venerari; quod præstabant Seraphim velando faciem suam: sapientum verò, speculari; quod agebant Cherubim ad ipsam Dei notitiam assurgendo? An denique, quia opera diuini amoris, qualia sunt opera redemptionis & passionis, adeò excellunt operibus diuinæ sapientiæ, qualia dicuntur opera creationis & gubernationis, vt faciliùs hæc à nobis, quàm illa cognoscantur? Non absurdè quidem ita dixerim: opera enim diuini amoris ea sunt, quæ admirari possumus, assequi non possumus. Vnde Psalmum nonum inscripsit Dauid: *Pro occultis filij*. D. Hieronymus transtulit: *Super mortem filij*. Quasi illa mors, in qua summa Christi Domini charitas enituit, occultissima ac secretissima videretur.

Opera diuini amoris difficillima intellectu.

D. Hier.

XLVII.
Cur canticum Abacuc inscribatur, Pro ignorantiis?

Illud autem Canticum Abacuc 3. in quo præcipua redemptionis nostræ, & amoris diuini mysteria continentur, inscribitur: *Oratio pro ignorantiis*. Ac si illa mysteria creato ingenio sic excellant, vt penitùs ignorentur. Vnde meritò D. Paulus loquutus de Melchisedech, panem, & vinum offerente: *De quo*, inquit, *nobis grandis sermo, & ininterpretabilis ad dicendum*. Hebr. 5. num. 11. Nam, si illud sacrificium Melchisedech, quod tenuissimam quandam vmbram præferebat illius sacrificij, quod Christus Dominus de suo Corpore ac Sanguine, & in Eucharistia, & in Cruce Deo Patri obtulit: si illud, inquam, typicum sacrificium nulla potuit interpretatione declarari: qua tandem ratione res ipsa in illo sacrificio adumbrata cognosceretur? Denique Propheta: *Deus*, inquit, *ab Austro veniet, & sanctus de monte Pharan*. Abacuc 3. n. 3. seu, vt habent Septuaginta: *De monte vmbroso*. Vt totum hoc Incarnationis mysterium, in quo diuini amoris flamma coruscabat, in nostræ ignorationis vmbra & caligine peractum ostenderetur. Quò allusit Angelus ad Beatam Virginem: *Virtus*, inquit, *Altissimi obumbrabit tibi*. Luc. 1. num. 35. Vbi Virginem diuini Solis radiis mirabiliter illustratam, prædixit nihilominùs Altissimi virtute obumbrandam: *Expressiùs profectò significans*, ait D. Bernardus epist. 77. *modum secretissimum arcani, incomprehensibilis & ineffabilis Sacramenti, quo quasi in vmbra cum sola, & in sola Virgine, sola Trinitas conceptum fuerat operatura diuinum*. Itaque diuini amoris opera adeò nobis obscura sunt, vt vbicunque proponantur, affectu opus sit, non intellectu. Sed de hac re alibi erit dicendi locus.

Cur sermo de Melchisedech dicatur ininterpretabilis.

Mysterium Incarnationis, mons vmbrosus.

D. Bernar.

Erant duo filij Heli cum Arca fœderis, &c. Ad vtrunque prælium descenderunt filij Heli: vt superiori Num. 6. 3. diximus. Descendere autem potuerunt, vel ad pugnandum; licebat enim Sacerdotibus illius temporis pugnare; vt patet in Machabæis, qui Sacerdotes erant & bellatores: vel ad exhortandos pugnatores; hoc enim erat vnum ex muneribus sacerdotalibus, iuxta illud: *Appropinquante autem iam prælio, stabit Sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum*, &c. Deut. 20. n. 2. Vel, quod potiùs crediderim, ad vtrunque: neque enim ita ignaui esse debuerunt; vt cæteris in acie pugnantibus, ipsi in vmbra otiosi desiderent.

XLVIII.
Sacerdotes ad bellum ibant pugnaturi, & hortaturi.

Sed, cur in priori bello tacentur, in posteriori exprimuntur? Dum enim hoc locò nominantur, non obscurè ad bellum descendisse perhibentur? Ratio diuersitatis triplex esse potest. Vna, quia in priori bello ignauiter, in posteriori fortiùs dimicarunt: vnde in hoc referri, in illo taceri debuerunt. Altera, quia in posteriori bello contigit eorum mors, ad quam narrandam præmitti debuit eorum in prælium descensus. Tertia, quia, cùm ad hoc prælium Arca fœderis deportata sit, mentio fieri debuit Sacerdotum, qui illam comitabantur; ne incustodita, & à debito honore spoliata in periculum mitti videretur. Hi autem esse debuerunt præcipuæ auctoritatis Sacerdotes; quales erant filij Heli; quibus, vtpote summi Sacerdotis filiis, præcipua Arcæ tuendæ & custodiendæ cura incumbebat: præsertim, cùm referant Nauclerus generatione 31. Magister Historiæ ad hunc locum, c. 6. & ante illos Iosephus lib. 5. Antiq. c. 16. Pontificem Heli suis filiis præcepisse, ne ad eum sine Arca ex prælio redirent: hoc est, vt sibi potiùs vitam eripi, quàm Arcam in captiuitatem abduci paterentur. Quo pacto olim mater quædam Lacæna filium ad prælium profecturum clypeo obarmans, cum hoc dimetro, seu cum hac prece dimisit, vt cecinit Ausonius: *Cum hoc, inquit, aut in hoc redi*. Quasi diceret: Reuertere quidem; sed viuus cum hoc; mortuus in hoc: neque viuus, neque mortuus sine hoc. Vbi alludit ad antiquum sepeliendi morem: nam milites in prælio defuncti, clypeo, tanquàm feretro, ad sepulturam efferebantur: iuxta illud Mantuani de Pallante in pugna mortuo, Æneid. 10.

XLIX.
Triplex ratio, cur filij Heli in secundo, nō in primo prælio nominentur.

Naucler.
Magist. Hist.
Iosephus.
Heli filiis præcepit, ne de prælio sine Arca redirēt.

Mater Lacæna.

Mos efferendi milites ad sepulturam.

Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.

Quem morem D. Ambrosius lib. De Helia & ieiunio, cap. 13. indicauit, docens, quosdam intemperantes ganeones & helluones, ventris milites, non Martis, nec sanguine perfusos, sed vino madidos, e conuiuiis, tanquàm è præliis efferri, scutis impositos ad sepulturam. Quemadmodum igitur hæc mater malebat suum filium vita, quàm scuto denudari: (erat enim apud veteres ingens probrum, scutatos milites sine scutis de prælio redire:) ita & Heli suos filios vita, quàm Arca spoliari præoptabat. Quid enim ignominiosius esse poterat Arcæ cultoribus, quàm amissa Arca, vitam conseruare? Sic olim Indorum populi, teste Curtio, lib. 8. Herculis simulacrum ad bellum deportabant: quod in pugna reliquisse, aut non retulisse ex acie, capitale erat gestatoribus.

Virg.
D. Ambr.

Redire de prælio sine clypeo, ingens probrum.

Curtius.
Indorum in Herculem superstitio.

* * *

Num. V. Cúmque venisset Arca fœderis Domini in castra; vociferatus est omnis Israël clamore grandi, & personuit terra.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Arca non solùm ingressa, sed etiam conspecta, clamores excitauit in castris.*

CVmq; *venisset Arca fœderis*, &c. Ponitur tempus huius vociferationis: nempe, cùm Arca fœderis in castra venit. Credo etiam, cùm primùm apparuit. Nam sicut Bethsamitæ leuantes oculos, & videntes Arcam adhuc venientem, & nondum in agro suo consistentem, vt ex Litera facilè colligitur, gauisi sunt, 1. Reg. 6. n. 13. ita & Israëlitæ, cùm priorùm apparentem Arcam conspexerunt, exclamarunt. Præsertim, quia, vt suspicor, Arcæ videndæ desiderio omnem latè viam, qua venturam sperabant, è sublimi loco speculabantur. Quemadmodum & Aona Tobiæ mater ad videndum filium è longinquo redeuntem, omnes vias è montis supercilio explorabat. Tob. 11. n. 5. Et quemadmodum Sisaræ mater per fenestram, ac de cœnaculo prospiciebat, sicubi regredientem de bello filium conspicaretur. Iud. 5. o. 28. Quare, visa primùm Arca, clamorem ediderunt; siue illum continuarint, vsque ad accessum in castra; siue paululùm intermissum posteà in accessu Arcæ renouarint, quod probabilius videtur.

Venturã Arcam sperabãt omnes.

II. *Ingens clamor colligitur ex Hebræo.*

Vociferatus est omnis Israël clamore magno, &c. Explicanda est huius clamoris magnitudo, causa, & significatio. Magnitudo fuit ingens, vt colligitur in primis ex verbo רוע *Roagh*, quod est in fonte, & ingentem vociferationem significat. Vnde à vulgato Interprete aliquando transfertur in verbum *vlulandi*. Num. 10. n. 7. *Non concisè vlulabunt*. Iud. 7. n. 21. *Vociferantes vlulantesq; fugerunt*. Isai. 15. num. 4. *Expediti Moab vlulabunt*. & passim alibi: vt tam ingens clamor significetur, vt non hominum, sed luporum videatur. Nec minùs emphaticè vertit Pagninus in Thesauro: *Taratantarizauit*. Quod verbum fictum est ab Ennio ad ingentem tubarum clamorem exprimendum, iuxta illud eius hexametron:

Pagnin. Ennius.

At tuba terribilem sonitum Taratantara dixit.

Virg.

Quem Virgilius sic imitatus, vt tamen à ficto verbo abstineret, cecinit Æneid. 9. vt ibi Seruius aduertit:

At tuba terribilem sonitum procul ære canoro.

Colligitur secũdò ex Vulgata.

Sic igitur Israëlitæ conclamarunt; vt non solùm linguis, sed etiam tubis terribiliter personarent. Colligitur deinde huius clamoris magnitudo satis apertè ex Vulgata: tum propter multitudinem clamantium: *Vociferatus est*, inquit, *omnis Israël*. Quò enim vociferatio à toto exercitu emissa non effunderetur? tum propter geminationem & adiectionem vocabulorum: *Vociferatus est*, inquit, *clamore grandi*: quæ significationis vim non mediocriter adauget, vt sæpè diximus: tum denique, quia additur: *Et personuit terra*: quasi simplex Hebræorum vox è vicinis montibus repercussa, duplex, vel potiùs multiplex redderetur. Vnde clamor tantus fuit, vt iuxta Abulensem, tota terra personuisse dicatur; hyperbolicè quidem: nam propriè magna tantùm terrarum spatia resultarunt: vt contigit in illa castrensi voce; qua, vt cecinit Mantuanus 7. Æneid.

Protinùs omne
Contremuit nemus, & syluæ intonuère profundæ.

III. *Prima huius clamoris causa, fuit lætitia.*

Causa verò huius vociferationis triplex esse potuit. Vna, vt inclusam animis lætitiam ex aduentu Arcæ testarentur. Nam verbum רוע *Roagh*,
A quod hîc ponitur, sæpè significat, præ lætitia vociferari: vt patet Psal. 40. num. 12. *Non gaudebit inimicus meus super me*. Seu, vt alij atque alij vertunt, *Non iubilabit*: seu, *Non clanget*, in morem triumphantium: seu, *Non insultabit*, aut, *Non clamabit præ gaudio*. Vnde Interlin. in Bibliis Regiis hoc loco vertit: *Ouarunt ouatione magna*: hoc est, ingentem lætitiam clamando demonstrarunt. Et Chaldæus: *Iubilarunt iubilatione magna*. Immò & ipsi Philisthini clamorem audientes, lætitiam suspicati sunt, dicentes paulò inferiùs, num. 8. *Non fuit tanta exultatio heri & nudiustertius*. Clamores igitur oris, lætitiam cordis prodiderunt. Sic Elisabetha audiens salutationem Mariæ, quæ non solùm fuit Arca legis, sed etiam Legislatoris,
B præ ingenti gaudio *Exclamauit voce magna*. Luc. 1. n. 24. Sic Hebræi, vncto in Regem, & coronato Salomone, in morem lætantium & plaudentium exclamarunt: *Et insonuit terra*, inquit Textus, *à clamore eorum*. 3. Reg. 1. num. 40. Sic & Gentiles Christo Domino regnanti dicuntur præ gaudio acclamaturi, iuxta illud: *De vertice montium clamabunt, ponent Domino gloriam*. Isai. 42. num. 11. Non aliter hoc loco præ lætitia & confidentia victoriæ, *Vociferatus est omnis Israël*. Sed ista confidentia, inquit Lyra, erat falsa; quia erat sine meritis.

IV. *Secunda clamoris causa, vt se ad bellũ hortarentur.*

Altera clamoris ratio fuit, vt se ad bellum repetendum excitarent. Nam præliaturi clamoribus animantur: vt patet non solùm ex veterum gen-
C tium consuetudine, de qua multa Alex. ab Alexand. lib. 4. Gen. dier. c. 7. cum suo Interprete Tiraq. ibidem; & Lipsius lib. 4. De militia Romana, Dialog. 11. sed etiam ex sacris Literis. Nam Moyses audiens populum tumultuantem: *Non est*, inquit, *clamor adhortantium ad pugnam*. Exod. 32. num. 18. supponens, aliquem esse clamorem, quo milites ad pugnam excitentur. Qualis ille fuit, quo in Galgala clamauit populus post Saül, ad obfirmandum se contra Philisthinos. 1. Reg. 13. num. 4. Quin etiam Deus clamare describitur, cùm ad pugnam procedit; vt acrior quodammodo prælietur, iuxta illud: *Dominus sicut fortis egredietur; sicut vir præliator suscitabit zelum; vociferabitur, & clamabit; super inimicos suos confortabitur*. Isai. 42. num. 13. De Deo enim loquitur
D Scriptura humano more; eique passim attribuit, quæ hominibus conueniunt: & cùm homines præliaturi clamare soleant; Deo quoque prælianti clamores adscribit; quasi & ipse clamoribus se ad pugnandum stimularet. Quare Hebræi priori cæde perterriti, ex nouo Arcæ præsidio vires, animósque ad pugnandum collegerunt, & magnis clamoribus excitarunt.

Alex. ab Al. Tiraq. Lipsius.

V. *Tertia clamoris causa, vt hostes perterrerent.*

Tertia clamoris causa, vt suos hostes clamando perterrerent, vt reuerà perterruerunt. Nam audientes Philisthini vocem clamoris: *Timuerunt*, inquit Textus, *& ingemuerunt, dicentes: Væ nobis*, &c. Quo pacto iidem Israëlitæ ad perdendos Madianitas exclamarunt: *Gladius Domini, & Gedeonis*.
E Iud. 7. num. 20. Quibus clamoribus fusa & fugata sunt Madianitarum castra. Nihil enim accommodatius videtur ad securos perturbandos, quàm vehemens ac repentina hostium vociferatio. Vnde Cyrus maior, teste Xenophonte, lib. 3. Cyropædiæ, preces ac vota Diis nuncupabat, ne suus exercitus efferis hostium clamoribus perculsus exanimaretur. Adeò suis militibus ab illis hostium vociferationibus metuebat. Sic & Iosephus bonus non solùm scriptor, sed bellator; cùm nosset Romanos ab inconditis clamoribus pugnam auspicari solitos, suis militibus præcepit,

Xenophon.

vt hosti

vt hostilium agminum vlulatibus aures obstruerent, ne metu quaterentur; vt ipsemet lib. 3. De bello Iudaico, c. 10. scripsit.

Iosephus.

VI. Sed, quid Israelitæ clamando exprimebant? Quæ erat tertia huius loci difficultas. Vt res paulò altius repetatur, veterum in hac re consuetudo paucis prælibanda, quæ non eadem fuit apud omnes. Nam Græci pugnam inchoabant, vel ab hoc nomine, Ἄρες, Ἄρες, id est, Mars, Mars: vel à sua illa incondita, confusa & inarticulata voce, ἀλαλά. seu, vt habet Suidas in collectaneis, ἐλελεῦ. Vnde verbum ἀλαλάζω, id est, *Iubilo*, quod iuxta Varronem, & D. Hilarium, statim citandum, significat clamorem pastoralem, seu agrestis cuiusdam vocis sonum: at verò iuxta Erasmum, perpetuum sonitum ac tinnitum, qualis in Dodonæis lebetibus fiebat: ac denique militarem clamorem ante pugnam edi solitum. Vnde etiam ortum nomen, ἀλαλαγμός, hunc inarticulatum strepitum significans. Et distingui potest in alalagmum triumphalem, & præliarem; quorum hic ante pugnam ad terrendos hostes; ille post victoriam ad victores celebrandos edebatur. Quo etiam pacto duplicem distinguebant hymnum, quem ab Auctore Pæane, Pæana appellabant: vnum *epinicium*, seu, *victorialem*, post victoriam in laudem Apollinis decantari solitum: alterum *embaterium*, seu, *congressiuum*, qui ante pugnam in Martis gratiam ad hostes pertertendos erigebatur. Vnde panici terrores, qui ex vanis clamoribus oriuntur. Igitur ab hoc iubilo, seu alalagmo, suas Græci pugnas inchoabant. Immò & spirituales pugnas à simili in Deum clamore auspicandas existimat D. Hilarius, iuxta illud Dauidicum: *Iubilate Deo omnis terra.* Psalm. 65. num. 2. Vbi Septuaginta eodem verbo vtuntur, ἀλαλάξατε, hoc est, Ad Dominum cum iubilo clamate. *Posui igitur*, inquit Hilarius, *in vitæ istius præliis, & in hoc carnis ac sanguinis nostri certamine aduersus Diabolum, exercitúsque eius, armis spiritualibus dimicantes, Deo monemur in voce exultationis iubilare.* Et paulò pòst: *Terrendus est confessionis nostræ sermone omnis profanus auditor; & aduersus Diabolum, armáque eius, orationum nostrarum sonitu certandum est.* Vbi plura eleganter de hac re.

Quæ voces hic clamoribus exprimerentur. *Diuersarum gentium mos. Græcorū voces in prælio.* *Varro.* *Duplex alalagmus.* *Duplex hymnus.* *Spirituales etiam pugnas ab spiritualibus clamoribus auspicandas.* *D. Hilar.*

VII. Iam verò Romanos cum ingenti strepitu pugnas exordiri solitos, eorum Scriptores passim traduut: quem aliquando armorum inter se conflictu & collisu excitabant; vt Polybius lib. 12. Dion Cassius lib. 36. aliique testantur: aliquando confusis & inarticulatis vocibus edebant; immò & dentium stridoribus, Auctore Ammiano lib. 16. vt pugnandi ardorem demonstrarent, quem clamorem, *barritum*, appellabant: seu, quòd, Festo interprete, quid *barbaricum*, striderent: seu, quod *barros*, id est, elephantos, seu vrsos imitari viderentur: aliquando denique latinis ac distinctis verbis efformabant, sæpiùs ingeminantes: *Feri, Feri:* quemadmodum apud nostrates in vulgaribus seditionibus acclamari solet: *Malla, malla.* Ita Plutarchus in Mario. Et ab illa voce *feriendi*, in præliis vsurpari solita, refert idem Plutarchus in Marcello, iuxta aliquorum sententiam, Iouis Feretrij nomen deriuatum. Hic autem clamor, quò erigebatur vehementior, eò certiorem spem victoriæ militibus ingerebat: quò segnior & languidior, eò maiorem in desperationem militum animos præcipitabat. Vnde Liuius lib. 4. *Clamor*, inquit, *indicium fuit, quò res inclinatura esset: excitatior, crebriórque ab hoste sublatus: à Romanis dissonus, impar, segnis, pauorem prodidit animorum.* Tanti referunt fausta, infaustáve exordia in rebus omnibus, vt felices infelicésve exitus subsequantur.

Romanorum ante pugnam voces. *Polybius.* *Dion. Cas.* *Ammian.* *Festus.* *Plutar.* *Liuius.* *Clamor quò maior, eò auspicatior.*

VIII. Cæterùm Hebræi hoc loco quid clamando exprimerent, in Literâ non exprimitur. Crediderim, eorum voces vacuas & inanes, significationisque expertes non fuisse: sed aliquid sanctum ac diuinum, quo sibi Deum propitium redderent, inclamasse: quale potuit esse illud, quod Moyses in deserto ad motum Arcæ præcinebat: & ex quo Dauid Psalm. 67. inchoauit: *Surge, Domine, & dissipentur inimici tui: & fugiant, qui oderunt te à facie tua.* Num. 10. num. 35. Et iterum: *Reuertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel.* Ibidem, num. 36. Sic enim à Deo postulabat, vt & sibi propitius, & Philisthinis contrarius adueniret. Et fortasse ab hac prece, resumptis animis, se mutuò cohortantes conclamabant: *Viri Israel, viri Israël:* quam fuisse Israelitis pugnam aggressuris solennem conclamandi formam, existimat Arias Montanus in cap. 7. Iudic. ad illa verba, ex Num. 23. *Conclamantes autem viri Israël*, &c. Nam viros se dicendo, suæ se fortitudinis admonebant: Israëlem autem nominando, parentem suum Iacobum in memoriam reuocabant, ad quem dictum fuerat: *Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis?* Gen. 32. num. 28. Vtrinque spem haurirent, fore vt tam propter innatam, quam propter hæreditatam à parente Iacobo fortitudinem, præsertim Arcæ patrocinio adiutam, de hostibus triumpharent.

Hebræorum voces aliquid sanctum sonare debuerunt. *Solennis apud Hebræos conclamandi forma ante pugnam.* *Montan.*

IX. Neque noua est hæc conclamandi forma: nam & olim Ambrones cum Romanis pugnaturi, nomen suum identidem intonabant: *Ambrones, Ambrones:* teste Plutarcho in Mario: & nunc Hispani suæ se patriæ recordatione ad bellum commonentes, sæpiùs inclamant: *Hispaniam, Hispaniam.* Tandem omnes Catholici suos tutelares Diuos alij alios implorando, Iacobum, Georgium, Sebastianum, Ludouicum, Mauritium; & hostes territant, & se ipsos ad pugnam non mediocriter accendunt: vt Card. Baron. in Martyrol. die 23. Aprilis, & Arias Montanus loco citato obseruant. Addit Cedrenus in Basilio Imperatore, Christianos cum Manichæis depugnantes, olim inclamasse solitos: *Crux vicit.* Nec mirum, si hominum legiones hac voce feriantur, qua etiam Dæmonum cateruæ conteruntur.

Alia apud alios conclamandi forma. *Tutelares Diui.* *Baron.* *Optima Christianorum conclamatio, Crux vicit.*

Num. VI. Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixerúntque: Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognouerunt, quòd Arca Domini venisset in castra.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. ET *audierunt Philisthiim*, &c. Tantus fuit Hebræorum clamor, vt non solùm viciniores regiones compleuerit; sed etiam ad remotiores peruaserit: auditus enim est à Philisthinis, qui interuallo non exiguo distabant: vt ex eo colligit Abulensis, quòd inter Hebræorum, & Philisthinorum castra amplum erat spatium, non solùm ad pugnandum, sed etiam ad fugiendum: & quidem fuga tam longè, latéque effusa, vt in ea quatuor millia Hebræorum cæsa fuerint, antequam ad castra se reciperent. Adde, satis amplam distantiam esse debuisse, cuius intercapedine victi se à victoribus tutos ac securos iudicabant. Dices, non Philisthinos, qui erant in castris, sed qui fortè missi

Hebræorum clamor ad Philisthinos satis distantes peruasit.

Num. V. Cúmque venisset Arca fœderis Domini in castra; vociferatus est omnis Israël clamore grandi, & personuit terra.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Arca non solùm ingressa, sed etiam conspecta, clamores excitauit in castris.*

CVmq; venisset Arca fœderis, &c. Ponitur tempus huius vociferationis: nempe, cùm Arca fœderis in castra venit. Credo etiam, cùm primùm apparuit. Nam sicut Bethsamitæ leuantes oculos, & videntes Arcam adhuc venientem, & nondum in agro suo consistentem, vt ex Litera facilè colligitur, gauisi sunt, 1. Reg. 6. n. 13. ita & Israelitæ, cùm primùm apparentem Arcam conspexerunt, exclamarunt. Præsertim, quia, vt suspicor, Arcæ videndæ desiderio omnem latè viam, qua venturam sperabant, è sublimi loco speculabantur. (*Venturã Arcam sperabãt omnes.*) Quemadmodum & Anna Tobiæ mater ad videndum filium è longinquo redeuntem, omnes vias è montis supercilio explorabat. Tob. 11. n. 5. Et quemadmodum Sisaræ mater per fenestram, ac de cœnaculo prospiciebat, sicubi regredientem de bello filium conspicaretur. Iud. 5. n. 28. Quare, visa primùm Arca, clamorem ediderunt; siue illum continuarint, vsque ad accessum in castra; siue paululùm intermissum posteà in accessu Arcæ renouarint, quod probabilius videtur.

II. *Ingens clamor colligitur ex Hebræo.*

Vociferatus est omnis Israël clamore magno, &c. Explicanda est huius clamoris magnitudo, causa, & significatio. Magnitudo fuit ingens, vt colligitur in primis ex verbo רוע *Roagh*, quod est in fonte, & ingentem vociferationem significat. Vnde à vulgato Interprete aliquando transfertur in verbum *vlulandi*. Num. 10. n. 7. *Non concisè vlulabunt.* Iud. 7. n. 21. *Vociferantes vlulantesq; fugerunt.* Isai. 15. num. 4. *Expediti Moab vlulabunt.* & passim alibi: vt tam ingens clamor significetur, vt non hominum, sed luporum videatur. Nec minùs emphaticè vertit Pagninus in Thesauro: *Taratantarizauit.* Quod verbum fictum est ab Ennio ad ingentem tubarum clamorem exprimendum, iuxta illud eius hexametron: (*Pagnin. Ennius.*)

At tuba terribilem sonitum Taratantara dixit.

Quem Virgilius sic imitatus, vt tamen à ficto verbo abstineret, cecinit Æneid. 9. vt ibi Seruius aduertit: (*Virg.*)

At tuba terribilem sonitum procul ære canoro.

Colligitur secundò ex Vulgata.

Sic igitur Israelitæ conclamarunt; vt non solùm linguis, sed etiam tubis terribiliter personarent. Colligitur deinde huius clamoris magnitudo satis apertè ex Vulgata: tum propter multitudinem clamantium: *Vociferatus est*, inquit, *omnis Israël.* Quò enim vociferatio à toto exercitu emissa non effunderetur? tum propter geminationem & adiectionem vocabulorum: *Vociferatus est*, inquit, *clamore grandi*: quæ significationis vim non mediocriter adauget, vt sæpè diximus: tum denique, quia additur: *Et personuit terra*: quasi simplex Hebræorum vox è vicinis montibus repercussa, duplex, vel potiùs multiplex redderetur. Vnde clamor tantus fuit, vt iuxta Abulensem, tota terra personuisse dicatur; hyperbolicè quidem: nam propriè magna tantùm terrarum spatia resultarunt: vt contigit in illa castrensi voce; qua, vt cecinit Mantuanus 7. Æneid.

Protinùs omne
Contremuit nemus, & syluæ intonuère profundæ.

III. *Prima huius clamoris causa, fuit lætitia.*

Causa verò huius vociferationis triplex esse potuit. Vna, vt inclusam animis lætitiam ex aduentu Arcæ testarentur. Nam verbum רוע *Roagh*, quod hîc ponitur, sæpè significat, præ lætitia vociferari: vt patet Psal. 40. num. 12. *Non gaudebit inimicus meus super me.* Seu, vt alij atque alij vertunt, *Non iubilabit*: seu, *Non clanget*, in morem triumphantium: seu, *Non insultabit*, aut, *Non clamabit præ gaudio.* Vnde Interlin. in Biblijs Regijs hoc loco vertit: *Ouarunt ouatione magna*: hoc est, ingentem lætitiam clamando demonstrarunt. Et Chaldæus: *Iubilarunt iubilatione magna.* Immò & ipsi Philisthini clamorem audientes, lætitiam suspicati sunt, dicentes paulò inferiùs, num. 8. *Non fuit tanta exultatio heri & nudiustertius.* Clamores igitur oris, lætitiam cordis prodiderunt. Sic Elisabetha audiens salutationem Mariæ, quæ non solum fuit Arca legis, sed etiam Legislatoris, præ ingenti gaudio *Exclamauit voce magna.* Luc. 1. n. 24. Sic Hebræi, vncto in Regem, & coronato Salomone, in morem lætantium & plaudentium exclamarunt: *Et insonuit terra*, inquit Textus, *à clamore eorum.* 3. Reg. 1. num. 40. Sic & Gentiles Christo Domino regnanti dicuntur præ gaudio acclamaturi, iuxta illud: *De vertice montium clamabunt, ponent Domino gloriam.* Isai. 42. num. 11. Non aliter hoc loco præ lætitia & confidentia victoriæ, *Vociferatus est omnis Israël.* Sed ista confidentia, inquit Lyra, erat falsa; quia erat sine meritis.

IV. *Secunda clamoris causa, vt se ad bellũ hortarentur.*

Altera clamoris ratio fuit, vt se ad bellum repetendum excitarent. Nam præliaturi clamoribus animantur: vt patet non solùm ex veterum gentium consuetudine, de qua multa Alex. ab Alexand. lib. 4. Gen. dier. c. 7. cum suo Interprete Tiraq. ibidem; & Lipsius lib. 4. De militia Romana, Dialog. 11. sed etiam ex sacris Literis. (*Alex. ab Al. Tiraq. Lipsius.*) Nam Moyses audiens populum tumultuantem: *Non est*, inquit, *clamor adhortantium ad pugnam.* Exod. 32. num. 18. supponens, aliquem esse clamorem, quo milites ad pugnam excitentur. Qualis ille fuit, quo in Galgala clamauit populus post Saül, ad obfirmandum se contra Philisthinos. 1. Reg. 13. num. 4. Quin etiam Deus clamare describitur, cùm ad pugnam procedit; vt acrior quodammodo prælietur, iuxta illud: *Dominus sicut fortis egredietur; sicut vir præliator suscitabit zelum; vociferabitur, & clamabit; super inimicos suos confortabitur.* Isai. 42. num. 13. De Deo enim loquitur Scriptura humano more; eique passim attribuit, quæ hominibus conueniunt: & cùm homines præliaturi clamare soleant; Deo quoque prælianti clamores adscribit; quasi & ipse clamoribus se ad pugnandum stimularet. Quare Hebræi priori cæde perterriti, ex nouo Arcæ præsidio vires, animósque ad pugnandum collegerunt, & magnis clamoribus excitarunt.

V. *Tertia clamoris causa, vt hostes perterrerent.*

Tertia clamoris causa, vt suos hostes clamando perterrerent, vt reuerà perterruerunt. Nam audientes Philisthini vocem clamoris: *Timuerunt*, inquit Textus, *& ingemuerunt, dicentes: Væ nobis*, &c. Quo pacto iidem Israelitæ ad perdendos Madianitas exclamarunt: *Gladius Domini, & Gedeonis.* Iud. 7. num. 20. Quibus clamoribus fusa & fugata sunt Madianitarum castra. Nihil enim accommodatius videtur ad securos perturbandos, quàm vehemens ac repentina hostium vociferatio. Vnde Cyrus maior, teste Xenophonte, lib. 3. Cyropædiæ, preces ac vota Dijs nuncupabat, ne suus exercitus efferis hostium clamoribus perculsus exanimaretur. (*Xenophon.*) Adeò suis militibus ab illis hostium vociferationibus metuebat. Sic & Iosephus bonus non solùm scriptor, sed bellator; cùm nosset Romanos ab inconditis clamoribus pugnam auspicari solitos, suis militibus præcepit, vt hosti

Iosephus.

vt hostilium agminum vlulatibos aures obstruerent, ne metu quaterentur; vt ipsemet lib. 3. De bello Iudaïco, c. 10. scripsit.

V I.

Quæ voces his clamoribus exprimerentur.

Diversarum gentium mos. Græcorũ voces in præliis.

Sed, quid Israëlitæ clamando exprimebant? Quæ erat tertia huius loci difficultas. Vt res paulò altius repetatur, veterum in hac re consuetudo paucis prælibanda, quæ non eadem fuit apud omnes. Nam Græci pugnam inchoabant, vel ab hoc nomine, Ἄρες, Ἄρες, id est, Mars, Mars: vel à sua illa incondita, confusa & inarticulata voce, ἀλαλά. seu, vt habet Suidas in collectaneis, ἰλελεῦ. Vnde verbum ἀλαλάζω, id est, *Iubilo*, quod iuxta Varronem, & D. Hilarium, statim citandum, significat clamorem pastoralem, seu agrestis cuiusdam vocis sonum: at verò iuxta Erasmum, perpetuum sonitum ac tinnitum, qualis in Dodonæis lebetibus fiebat: ac denique militarem clamorem ante pugnam edi solitum. Vnde etiam ortum nomen, ἀλαλαγμός, hunc inarticulatum strepitum significans. Et distingui potest in alalagmum triumphalem, & præliarem; quorum hic ante pugnam ad terrendos hostes; ille post victoriam ad victores celebrandos edebatur. Quo etiam pacto duplicem distinguebant hymnum, quem ab Auctore Pane, Pæana appellabant: vnum *epinicium*, seu, *victorialem*, post victoriam in laudem Apollinis decantari solitum: alterum *embaterium*, seu, *congressiuum*, qui ante pugnam in Martis gratiam ad hostes perterrendos erigebatur. Vnde panici terrores, qui ex vanis clamoribus oriuntur. Igitur ab hoc iubilo, seu alalagmo, suas Græci pugnas inchoabant. Immò & spirituales pugnas à simili in Deum clamore auspicandas existimat D. Hilarius, iuxta illud Dauidicum: *Iubilate Deo omnis terra.* Psalm. 65. num. 2. Vbi Septuaginta eodem verbo vtuntur, ἀλαλάξατε, hoc est, Ad Dominum cum iubilo clamate. *Positi igitur*, inquit Hilarius, *in vita istius præliis, & in hoc carnis ac sanguinis nostri certamine aduersus Diabolum, exercitúsque eius, armis spiritualibus dimicantes, Deo monemur in voce exultationis iubilare.* Et paulò pòst: *Terrendus est confessionis nostræ sermone omnis profanus auditor; & aduersus Diabolum, armáque eius, orationum nostrarum sonitu certandum est.* Vbi plura eleganter de hac re.

Vato.

Duplex alalagmus.

Duplex hymnus.

Spirituales etiam pugnas ab spiritualibus clamoribus auspicandas

D. Hilar.

V I I.

Romanorum ante pugnam voces.

Polybius.

Dion. Caſ.

Ammian.

Festus.

Plutar.

Liuius.

Clamor quò maior, eò auspicatior.

Iam verò Romanos cum ingenti strepitu pugnas exordiri solitos, eorum Scriptores passim tradunt: quem aliquando armorum inter se confrictu & collisu excitabant; vt Polybius lib. 12. Dion Cassius lib. 36. aliique testantur: aliquando confusis & inarticulatis vocibus edebant; immò & dentium stridoribus, Auctore Ammiano lib. 16. vt pugnandi ardorem demonstrarent, quem clamorem, *barritum*, appellabant: seu, quòd, Festo interprete, quid *barbaricum*, striderent: seu, quod *barros*, id est, elephantos, seu vrsos imitari viderentur: aliquando denique latinis ac distinctis verbis efformabant, sæpiùs ingeminantes: *Feri, Feri*: quemadmodum apud nostrates in vulgaribus seditionibus acclamari solet: *Macta, macta.* Ita Plutarchus in Mario. Et ab illa voce *feriendi*, in præliis vsurpari solita, refert idem Plutarchus in Marcello, iuxta aliquorum sententiam, Iouis Feretrij nomen deriuatum. Hic autem clamor, quò erigebatur vehementior, eò certiorem spem victoriæ militibus ingerebat: quò segnior & languidior, eò maiorem in desperationem militum animos præcipitabat. Vnde Liuius lib. 4. *Clamor*, inquit, *indicium fuit, quò res inclinatura esset: excitatior, crebriórque ab hoste sublatus: à Romanis dissonus, impar, segnis, pauorem prodidit animorum.* Tanti referunt fausta, infaustáve exordia in rebus omnibus, vt felices infelicésve exitus subsequantur.

V I I I.

Hebræorum voces aliquid sanctum sonare debuerunt.

Cæterùm Hebræi hoc loco quid clamando exprimerent, in Literæ non exprimitur. Crediderim, eorum voces vacuas & inanes, significatiónisque expertes non fuisse: sed aliquid sanctum ac diuinum, quo sibi Deum propitium redderent, inclamasse: quale potuit esse illud, quod Moyses in deserto ad motum Arcæ præcinebat: & ex quo Dauid Psalm. 67. inchoauit: *Surge, Domine, & dissipentur inimici tui: & fugiant, qui oderunt te à facie tua.* Num. 20. num. 35. Et iterum: *Reuertere, Domine, ad multitudinem exercitus Israel.* Ibidem, num. 36. Sic enim à Deo postulabat, vt & sibi propitius, & Philisthinis contrarius adueniret. Et fortasse ab hac prece, resumptis animis, se mutuò cohortantes conclamabant: *Viri Israel, viri Israël*: quam fuisse Israëlitis pugnam aggressuris solennem conclamandi formam, existimat Arias Montanus in cap. 7. Iudic. ad illa verba, ex Num. 23. *Conclamantes autem viri Israël*, &c. Nam viros se dicendo, suæ se fortitudinis admonebant: Israëlem autem nominando, parentem suum Iacobum in memoriam reuocabant, ad quem dictum fuerat: *Si contra Deum fortis fuisti, quantò magis contra homines præualebis?* Gen. 32. num. 28. Vt vtrinque spem haurirent, fore vt tam propter innatam, quàm propter hæreditatam à parente Iacobo fortitudinem, præsertim Arcæ patrocinio adiutam, de hostibus triumpharent.

Solennis apud Hebræos conclamandi forma ante pugnam.

Montan.

I X.

Alia apud alios conclamandi forma.

Neque noua est hæc conclamandi forma: nam & olim Ambrones cum Romanis pugnaturi, nomen suum identidem intonabant: *Ambrones, Ambrones*: teste Plutarcho in Mario: & nunc Hispani suæ se patriæ recordatione ad bellum commonentes, sæpiùs inclamant: *Hispaniam, Hispaniam.* Tandem omnes Catholici suos tutelares Diuos alij alios implorando, Iacobum, Georgium, Sebastianum, Ludouicum, Mauritium; & hostes territant, & se ipsos ad pugnam non mediocriter accendunt: vt Card. Baron. in Martyrol. die 23. Aprilis, & Arias Montanus loco citato obseruant. Addit Cedrenus in Basilio Imperatore, Christianos cum Manichæis depugnantes, olim inclamasse solitos: *Crux vicit.* Nec mirum, si hominum legiones hac voce feriantur, qua etiam Dæmonum cateruæ conteruntur.

Tutelares Diui.

Baron.

Optima Christianorũ conclamatio, Crux vicit.

Num. VI. Et audierunt Philisthiim vocem clamoris, dixerúntque: Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognouerunt, quòd Arca Domini venisset in castra.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.

Hebræorum clamor ad Philisthinos satis distantes peruasit.

ET *audierunt Philisthiim*, &c. Tantus fuit Hebræorum clamor, vt non solùm viciniores regiones compleuerit; sed etiam ad remotiores peruaserit: auditus enim est à Philisthinis, qui interuallo non exiguo distabant: vt ex eo colligit Abulensis, quòd inter Hebræorum, & Philisthinorum castra amplum erat spatium, non solùm ad pugnandum, sed etiam ad fugiendum: & quidem fuga tam longè, latéque effusa, vt in ea quatuor millia Hebræorum cæsa fuerint, antequàm ad castra se receperint. Adde, satis amplam distantiam esse debuisse, cuius interuentu victi se à victoribus tutos ac securos iudicabant. Dices, non Philisthinos, qui erant in castris, sed qui fortè

missi

missi fuerant ad exploranda castra Israel, illum clamorem audiuisse. Ita fieri potuisse credit Abul. Quamuis hoc effugium necessarium non sit: tum, quia in Litera nulla horum exploratorum mentio fit: tum, quia, vt mox additur, qui audierunt clamorem, se ad pugnam repetendam stimularunt; hi autem sine dubio fuerunt, qui in castris consistebant: tum denique, quia, cùm magnitudo huius clamoris tam multis verbis in Litera exprimatur; non est, cur ad breue tantùm locorum spatium diffusus limitetur.

II. *Sub initium pugnæ, clamandum.* Quæres: Prudentérne Hebræi, an imprudenter clamorem ab hostibus audiendum excitarint? Et ratio dubitandi est: quia, licèt in primo congressu, pugnatorum clamor prudenter excitetur; vt superiori Num. diximus: adhuc tamen, cùm hostes longè distant, vastum debet silentium obseruari, *Cùm adhuc hostes distant, silendum.* ne suis se clamoribus prodant, & consultandi, deliberandique tempus hostes hostibus relinquant. Vnde Homerus apud Agellium lib. 1. c. 11. laudat Achiuos, silentio ad bellum procedentes. *Homer.*

Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοί.

Agellius. Hoc est, vt ipse vertit Agellius:

Ast ibant taciti spirantes robur Achiui.

Vbi etiam obseruat, Romanos, cùm ad hostem procul distantem ibant, *clementi gradu, & silentio* vsos esse: licèt iam congredientem impetu propulsarent, & clamore terrerent. Nec aliter Vegetius lib. 3. c. 18. *Vegetius.* *Clamor*, inquit, *priùs non debet attolli, quàm acies vtraque se iunxerit. Imperitorum enim, vel ignauorum est, vociferari de longè: cùm hostes magis terreantur, si cum telorum ictu clamoris horror accesserit.* *Hebræi præter disciplinam militarẽ conclamarunt.* Cùm igitur Hebræi adhuc ab hostibus procul abessent, imprudenter, vel ignauiter exclamarunt. Respondeo, ita esse, si disciplina militaris spectetur; non tamen, si confidentia in Arca Domini attendatur; quæ in illos lætitiæ clamores erumpere iubebat. Vtinam illa cum meritis iungeretur.

III. *Militum clamor multò ante pugnam imprudens.* *Quænam est hæc vox clamoris magni*, &c. En, quid faciat militaris clamor ante pugnam: monet hostes, vt deliberent, vt prouideant, vt sibi maturè consulant. Igitur Philisthini, rei nouitate permoti, cœperunt inter se deliberare, quænam esset vox clamoris magni in castris Hebræorum, seu quam ob causam Hebræi tantum clamorem excitarent. *Varij clamoris affectus.* Nam, cùm alius clamor sit lætitiæ, vt ille Elisabethæ, de quo superiori Num. iam dixi: alius tristitiæ, vt ille Susannæ, quæ ad mortem condemnata, *Exclamauit voce magna.* Dan. 13. num. 42. alius indignationis, vt ille Esaü, qui à patre exhæredatus, *Irrugiit clamore magno.* Gen. 27. n. 34. Alius implorationis, vt ille Christi Domini, qui Cruci affixus, *Cum clamore valido, & lacrymis orauit Patrem.* Heb. 5. n. 7. Alius contentionis, vt ille, quem D. Paulus interdicit, dicens: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis.* Eph. 4. num. 31. Alius timoris ac desperationis, vt ille Ægyptiorum: nam occisis primogenitis ortus est *clamor magnus in Ægypto.* Exod. 12. num. 30. Alius denique aliis atque aliis ex causis profectus: meritò dubitare potuerunt Philisthini, quam ob causam exclamarint Israelitæ: sed longa iam deliberatione præmissa, clamoris causam, vt res erat, attigerunt.

IV. *Clamor ex lætitia ortus vnde cognoscatur?* *Et cognouerunt, quòd Arca Domini*, &c. Nempe, cognouerunt, clamorem ex lætitia editum fuisse: vt patet ex Chaldæo transferente: *Chald.* *Et audierunt Philisthini vocem iubilationis, dixeruntq; : Quænam est hæc vox iubilationis magnæ?* Seu, vt habet Interl. in Bibliis Regiis: Audierunt vocem *ouationis*: dixerúntque: Quænam est hæc vox *ouationis* magnæ? Quod ex ipsa vocis differentia facilè cognoscere potuerunt. Nam, sicut qualitas vocis diuersos in diuersis hominibus mores indicat, iuxta regulas physiognomiæ: raucescens quidem, molles ac deliciosos: aspera & absona, duros & agrestes: acuta & intensa, timidos & fugaces: grauis & magna, detractores & conuitiatores: media & temperata, compositos & suaues; vt Pineda in præuio Salomone lib. 6. c. 4. n. 14. philosophatur: *Qualitas vocis in diuersis hominibus diuersos indicat mores.* *Pineda.* ita eiusdem vocis in eodem homine differentia, diuersos indicat animi affectus. Clara quidem & æquabilis, lætitiam & spem; obtusa & intercidens, tristitiam & timorem. *Differentia vocis in eodem homine varios prodit affectus.* Vnde, quando plures eodem vocis sono vtuntur; facilè idem omnium affectus, vel lætitiæ, vel tristitiæ indicatur. Quemadmodum vice versa, si in magno aliquo clamore, clara pariter & obtusa vox promiscuè coniungatur; vix lætitiæ, tristitiæque affectus discernentur: vt accidit in secundo templo per Zorobabelem reædificato: tunc enim aliis quidem præ lætitia plaudentibus, aliis verò præ tristitia plorantibus: *Non poterat quisquam*, inquit Textus, *agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi: commixtim enim populus vociferabatur clamore magno, & vox audiebatur procul.* 1. Esdr. 3. n. 13. Sed hoc loco, cùm omnes pariter Hebræi clarè & æquabiliter clamarent, suam lætitiam Philisthinis facilè significarunt.

V. *Vnde cognouerint Philisthini huius lætitiæ causã fuisse Arcam.* Cognita verò iubilatione, restabat illius causa inquirenda. Hanc autem Philisthini dum inquirunt, *Cognouerunt*, inquit Textus, *quòd Arca Domini venisset in castra.* Hoc est, Arcam illius lætitiæ causam esse, apud se statuerunt. Sed quo pacto in eam causam collimarunt? Responderi potest primò cum Vatablo & Abulensi, quia exploratores præmiserant, qui rei euentum renuntiarent. *Vatablus.* *Abul.* Secundò, quia fortè in eo clamore *Arcam Domini* nominari perceperunt: aut saltem exprimi aliquod verbum illius carminis, quod sciebant ad motum Arcæ in deserto decantatum. Tertiò, quia per discursum assequuti sunt, hanc vnam illius iubilationis causam esse potuisse. Sciebant enim, Hebræos magna religione erga suam Arcam affectos esse: & in ea suam spem ac præsidium collocare solitos: nec aliam gaudendi, aut bene operandi occasionem habuisse sub id temporis, in quo erant valdè attriti. Ergo ex solo Arcæ aduentu eam lætitiam ortam esse colligebant.

Num. VII. Timuerúntque Philisthiim, dicentes: Venit Deus in castra, & ingemuerunt, dicentes.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Vna Arca aliis amabilis, aliis terribilis.* *Timuerúntque*, &c. Vnus, idémque Arcæ aduentus fuit optabilis, amabilisque Israëlitis; & formidabilis ac terribilis Philisthæis. Sicut olim vna atque eadem nubes inter Hebræos & Ægyptios interiecta, Exod. 14. num. 20. Hebræos quidem, parte altera coruscante, illuminabat & erigebat; Ægyptios verò, parte altera tenebrosa, cæcabat & exterrebat. *Senct. Sul.* Sic etiam vnum atque idem verbum Christi Domini, *Ego sum*, Apostolos animauit, Matth. 14. num. 27. & Iudæos terrefecit, Ioan. 18. num. 6. Immò & ipse Christus Dominus aliis quidem fuit *in ruinam*; aliis verò *in resurrectionem.* Luc. 2. num. 34. Timuerunt igitur Philisthini, non quidem populum Israëlis; quem,

quem, vt à se victum contemnebant: sed Arcam fœderis, quam ei inter bellandum præsidio affuturam non dubitabant. Tantúsque fuit eorum timor, vt de fuga cogitarent: vt Auctor est Seuerus Sulpitius, lib. 1. sacræ Historiæ: *Vbi*, inquit, *Arca in conspectum hostium deducta est, maiestate quadam præsentis Domini territi, fugam parabant.* Veriti, scilicet, ne ab ipsa Arca Dei percuterentur. Quod ipsimet significarunt, dicentes:

Seuer. Sul.

II.

Arca fœderis, Deus dicebatur.

Venit Deus in castra. Quasi dicerent: Non Hebræos, sed eorum Deum in castra venientem formidamus. Vbi notandum, Arcam fœderis vocari à Philisthinis Deum. Nec mirum, cùm ab ipsis quoque Israëlitis eodem nomine frequenter vocaretur. Nam Moyses Arcam alloquutus dicebat: *Surge, Domine: Reuertere, Domine.* Num. 10. n. 35. & 36. In Hebræo est: *Surge, Iehouah: Reuertere, Iehouah.* De candelabro dicitur, Exod. 27. num. 21. *Vsque mane luceat coram Domino:* id est, *coram Arca.* De Aarone dicitur, Exod. 28. num. 30. *Ingredietur coram Domino:* id est, *coram Arca.* De Summo Sacerdote dicitur, Exod. 30. num. 8. *Vret thymiama sempiternum coram Domino:* id est, *coram Arca.* Vnde Iosuë ad filios Israël: *Ecce*, inquit, *Arca fœderis Domini vniuersæ terræ antecedet vos per Iordanem.* Ios. 3. num. 11. Iuxta Hebræum legi potest intransitiuè: *Ecce Arca fœderis, Dominus vniuersæ terræ.* Idem Iosuë diuisurus terram: *Huc*, inquit, *venietis ad me; vt coram Domino Deo vestro mittam vobis hic sortem.* Ios. 8. num. 6. Quæ sortes coram Arca ductæ sunt; vt tolleretur omnis suspicio iniustitiæ ab illis sortibus, quæ tam sacro in loco iacerentur. Tandem filij Israël *steterunt in conspectu Domini.* Ios. 24. num. 1. hoc est, *In conspectu Arcæ.* Itaque Arca, Dei locum apud Hebręos obtinebat; ipsóque Dei nomine Deus, ac Dominus passim dicebatur. Sic interpretantur Ribera in cap. 9. Epist. ad Hebræos, Lyra in Psalm. 46. num. 6. Masius in loca citata Iosuë, Genebrardus in Psalmum 5. num. 5. & alij.

Ribera.
Lyra.
Masius.
Genebrar.

III.

Testimonia, quibus aliqui vtuntur, sed ab instituto aliena.

D. August.

Quamuis Genebr. suam sententiam vlteriùs confirmet ex eo loco Exod. 18. num. 12. *Comederunt panem coram Domino:* id est, *coram Arca* vt ipse vult. Sed non rectè: quia nondum Arca facta erat; vt patet ex Litera, & Diuus Augustinus quæst. 66. in Exodum aduertit. Item Masius in primum locum Ios. iam citatum, de Arca in edem sacram ingressura interpretatur illa verba Psalm. 23. n. 7. *Eleuamini, portæ æternales; & introibit Rex gloriæ.* Vbi docet, Arcam, Regem gloriæ, Dominum virtutum appellari. Sed recedit à Litera, quæ est de Christo Domino, in cælum ascensuro, aut similes alios triumphos celebraturo, vt Genebrar. Bellarm. & Lorin. ex Patribus latiùs ostendunt. Tandem Lyranus citatus, de Arca, seu propitiatorio, ascendente de Iordane in vrbem Silo, interpretatur illud: *Ascendit Deus in iubilo.* Psalm. 46. num. 6. Sed repugnant Burgensis, & proximè citati Interpretes, qui eum locum de ascensu Christi Domini in cælum cum magno Patrum consensu probabiliùs exponunt. Quidquid tamen sit de his locis; certè illa, quæ adduximus, satis sunt, vt hæc interpretatio confirmetur. Quibus adde illud ex Psalm. 131. num. 5. *Donec inueniam locum Domino; tabernaculum Deo Iacob.* Vbi iuxta citatos Interpretes ad Literam agitur de Arca, cui Dauid templum ædificandum curabat. Eam igitur Dominum, Deúmque appellabat; vt patet ex sequenti versiculo: *Ecce audiuimus eam in Ephrata; inuenimus eam in campis syluæ:* hoc est, audiuimus, Arcam esse in terra Ephraïm, quando fuit in Silo, & in agro Iosuë Bethsamitæ, qui syl-

Genebrar.
Bellar.
Lorin.
Lyra.

Burgens.

Aptus locus, quo ostenditur, Arcam vocari Deũ.

A nosus erat. Vbi Dauid reddit causam, cur vellet ædificare templum, in quo Arcam collocaret; quòd, scilicet, eam humili in loco positam competisset: ac proinde pronomen, *Eam*, refert ad Arcam, præcedenti versiculo significatam, non quidem proprio nomine; sed Domini, ac Dei; quibus eam nominibus appellabat.

IV.

Idem Arcæ, Dei præfectum tribuebatur.

D. Cyril. Alex.

Hanc doctrinam confirmat D. Cyrillus Alex. lib. 4. in Ioan. cap. 28. in primis ex illis verbis Dauidis: *Deus, cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto; terra mota est.* Psalm. 67. num. 8. Vbi notat, Deo tribui, quod per Arcam fiebat. *Vides*, inquit, *Christi figuram fuisse Arcam. Cùm enim Arca præcederet, Deus præcessisse apertè dicitur.* Deinde ex verbis Moysis, qui reuocans po-

B pulum à pugna contra Amalecitas suscipienda, dicebat: *Nolite ascendere: non enim est Dominus vobiscum.* Numer. 14. num. 42. seu, vt legit Cyrillus: *Non sum enim vobiscum.* Deum ipsum loquentem introducens. Illis autem Moysis præceptum non curantibus, & contra diuinam voluntatem ad pugnam ascendentibus; additur in Litera: *Arca autem testamenti Domini, & Moyses non recesserunt de castris.* Ibidem, num. 44. seu, non ascenderunt cum illis ad pugnam. Ac si idem fuerit, Dominum non esse cum illis, & Arcam ab illis abesse. *Audisti dicentem*, inquit D. Cyrillus, *Non sum vobiscum. Vides, non conscendisse cum illis Arcam. Nonne igitur clarè hic intelligis dicentis Dei locum eam tenuisse?* Quasi diceret: Quod minatus est, dicens;

C Non sum vobiscum: impleuit, dum Arca cum illis non ascendit, siquidem perinde erat Dominum, atque Arcam non ascendisse.

V.

Diuerso modo Philisthini & Hebræi Arcã app. Habant Deum.

Obseruandum nihilominùs, diuerso modo à Philisthinis, & ab Israëlitis Arcam fœderis, Deus nuncupari. Nam Philisthini putabant, vel illam materialem Arcam esse Deum Hebræorum: vel certè in ea aliquod Hebræorum Numen contineri, quod non esset præsens omni loco, sed modò in hunc, modò in illum transferretur. At verò Hebræi, neque Arcam verum Deum esse credebant, neque in Arca verum Deum circumscribi; sed externos diuinæ præsentiæ effectus in ea pręcipuè demonstrari: vt homines aliàs idololatriæ dediti, & sensilem Deum habere cupientes, illis sal-

D tem externis signis in cultu veri Numinis tenerentur. Quamuis autem Philisthini de Deo Hebræorum non verè sentirent, eum nihilominùs formidabant: in ignominiam planè Christianorum, qui Deum rectè cognoscentes, tamen minimè formidant: deteriores in hac parte non solùm Philisthinis, sed etiam ipso Pharaone. Nam hic dicebat: *Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Exod. 5. num. 2. Vbi Caietanus: *Contempsit*, inquit, *mandatum diuinum, allegando inscitiam propriam.* Quasi diceret: Quia nescio, contemno; si scirem, proculdubiò timerem & obseruarem. Quid ad hæc boni Christiani cognoscentes Deum, & non timentes? Meminerint, quod olim asseruit Diuus Hieronymus in cap. 3. Mala-

Deum cognoscentes & non timentes.

Caiet.

E chiæ: agens enim de multiplici Iudæorum peccato, subdit, sufficisse eis hoc vnum crimen ad pœnam, quòd non timuerint Dominum, quem tamen non ignorarint. Idcircò Deus olim negabat, se cum populo iturum: *Non ascendam*, inquit, *tecum; quia populus duræ ceruicis es.* Exod. 33. num. 3. Ac si diceret: Tibi adesse nolo, vt me potiùs absentem ignores, quàm præsentem & benè cognitum offendas. Nam, vt ibi Rupertus libro 4. cap. 31. *Leuius*, inquit, *multò est, Deum nescire, quàm cognitum irritare.*

D. Hier.

Rupert.

VI.

Cauendum maximè hoc loco est, ab impuden-

tia, ac

Insana Vermily argumentatio reiicitur.

tia, ac dementia Hæretici, nescio cuius, dicere audentis, sicut Arca in sacris Literis dicebatur Deus, cùm non esset: ita id, quod est sub speciebus eucharisticis, appellari Corpus Christi, cùm non sit. Sed, si hæc argumentatio quidquam valeret, etiam aliis antecedentibus, quæ in Scriptura passim occurrunt, iuuaretur. Dicitur enim Christus vitis, lapis, agnus, leo, cùm tamen talis non sit. Ergo etiam ex his principiis deduceret, id, quod est sub speciebus eucharisticis, non esse Corpus Christi, quamuis ita appelletur. Quod propterea aduerto, ne cuiquam, ex loquutione tradita, de Arca, Dei nomine appellari solita, scrupulus moueatur. Concedimus igitur, & indubitatè credimus, Arcam solùm figuratè Deum vocari: quemadmodum & prædictas illas loquutiones figuratas esse, nemo dubitat: negamus tamen Corpus Christi solùm figuratè in sacra Eucharistia contineri. Et ne discrimen liberè interpositum videatur; notandum, Scripturam, cùm humano more loquatur, & proprias & figuratas loquutiones vsurpare: vt vel ipsi Hæretici concedunt. Quis enim dubitat, propriam esse illam loquutionem Christi Domini ad Samaritanam de Messia loquentis? *Ego sum, qui loquor tecum.* Ioan. 4. num. 26. Quis item dubitat, figuratam esse illam alteram loquutionem Christi Domini loquentis de Baptista? *Ipse est Helias, qui venturus est.* Matth. 11. num. 14. Quæ autem sit propria, quæ figurata loquutio; colligendum est, & ex ipso instituto loquentis, nexúque loquutionis; & ex Patrum interpretatione, declarationéque Ecclesię. Ex quibus omnibus principiis constat illam Christi Domini propositionem: *Hoc est Corpus meum*: tam esse propriam, disertam & synceram, vt nullum improprium, figuratum ac translatitium sensum patiatur. Quod, cùm interim demonstrare non sit nostri instituti; consulantur Cardin. Bellarm. lib. 1. De Sacram. Eucharistiæ, cap. 9. & sequentibus, Suar. tom. 3. in 3. p. Disput. 46. sect. 3. Maldon. in cap. 26. Matth. n. 26. & alij recentiores, qui id ex sacris Literis, Conciliis & Patribus egregiè conuincunt.

Quamuis Arca figuratè tantū dicatur Deus: tamen id quod est sub speciebus Eucharistia, non dicitur tantùm figuratè Corpus Christi.

Num. VIII. Væ nobis. Non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius. Væ nobis. Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Diuersa huius, & præcedentis versiculi interpunctio.*

VÆ *nobis*, &c. Paulò aliter præsens & præcedens versiculus in Vulgata & in fonte dispunguntur. Nam in Hebræo, Chaldæo & Græco hæc verba: *Væ nobis. Non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius*: ad superiorem versiculum spectant: Latinus tamen Interpres ab his hunc præsentem exorditur. Sed vtrouis modo intercidantur; nihil sensus variatur. Igitur internus Philisthinorum timor in externos gemitus erupit; eósque semel atque iterum repetitos, vt acrior ostenderetur. Bis enim illud, *Væ nobis*, inclamauerunt: infaustum illius pugnæ exitum sibi ominantes. Nam, vt cecinit Statius Thebaid. 3. *Pessimus in dubiis augur timor.* Rationes verò timendi, & malè augurandi, tres hoc loco proponuntur, seorsim explicandæ.

Repetiti Hebræorum gemitus.

Statius.

II. *Non enim fuit tanta exultatio*, &c. Prima timendi, maléque augurandi ratio, fuit noua illa exultatio Hebræorum: *Non enim*, inquiunt, *fuit tanta exultatio heri & nudiustertius.* Hoc est: nunquam antea Hebræi tam festiuè exultarunt. Licèt enim illud aduerbium, *Heri & nudiustertius*; seu prouerbium, vt vocat Diuus Ireneus lib. 1. cap. 12. aliquando pro triduo antecedente determinatè vsurpetur, iuxta illud Dauidis ad Sacerdotem Achimelech: *Continuimus nos ab heri & nudiustertius, quando egrediebamur*, &c. 1. Reg. 21. n. 5. sæpè tamen indefinitè pro tempore anteacto, etiam diuturno, vsurpatur; iuxta illud Moysis ad Deum: *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri & nudiustertius.* De quo plura Delrius in Adagialibus sacris, Adagio 34. Ex hac igitur noua exultatione Hebræorum, malè sibi ominabantur Philisthæi. Nam sicut repentina hostium comploratio ex vna parte, aduersarios ex altera, etiam timidos & exanimes erigit, ac bene iubet sperare; vt contigit in castris Syriæ Samariam obsidentibus, 4. Reg. 7. à num. 6. Nam obsidentium repentinus pauor animos iam penè desperatos oppidanorum ad prædam excitauit. Et in castris Holofernis, obsidentibus Bethuliam. Iudith 15. à num. 1. Nam ex noua comploratione Assyriorum, incredibilis Hebræorum exultatio successit: ita vice versa, subita ac lætabunda hostium acclamatio, aduersarios etiam victores turbat, & incredibiliter exagitat, suspicantes alienam lætitiam in proprium exitium conuertendam. Sic Hebræorum exercitus penè victus, dum subitò in morem triumphantis exclamauit, Madianitas penè victores terrefecit. Iud. 7. à n. 20. Sic leuis armaturæ exercitus ex ducentis & triginta pueris tantùm conflatus, magna tamen cum alacritate ad bellandum procedens infinitam propè Syrorum multitudinem ingenti pauore compleuit. 3. Reg. 20. à num. 17. Non aliter & hoc loco repentè collectus Hebræorum spiritus, ingentes Philisthinorum animos deiecit.

Prima timendi ratio. Lætitia Hebræorum.

Heri & nudiustertius, quid significet.

D. Iren.

Delrius.

Sicut vnius exercitus tristitia lætificat aduersarium: ita & lætitia contristat.

III. *Translatio Septuaginta expensa.*

Notanda hîc est translatio Septuaginta in Bibliis Sixtianis: *Væ nobis*, inquiunt; & statim precationem interponunt: *Erue nos, Domine, hodie.* Quem Deum precentur, suúmne, an Hebræorum? non constat. Vtrunque fortè implorarunt. Nam Ethnici propriis & alienis Numinibus litare consueuerunt: his quidem, ne obessent; illis verò, vt prodessent. Deinde timoris sui causam ita exprimunt: *Quoniam non est facta talis heri & nudiustertius.* Et supplendum est, *res*, seu, *exultatio*; aut quid simile. Est enim Hebraïsmus similis illi: *Vnam petij à Domino, hanc requiram.* Psal. 26. n. 4. & illi: *Hæc facta est mihi, quia iustificationes tuas exquisiui.* Psalm. 118. num. 56. & illi: *A Domino factum est istud*: seu, vt est in Hebræo: *A Domino facta est ista.* Psalm. 117. n. 23. Nam Hebræi pro neutro genere, quo carent, fœminino tantùm pronomine, nullo alio expresso substantiuo, frequentissimè vtuntur. Vide quæ diximus cap. 3. n. 17. ibi: *Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat.*

Ethnici proprium & alienum Deum precabantur.

Pronomen fœmineū sine substantiuo.

IV. *Quis nos saluabit*, &c. Hæc est secunda ratio timendi, & malè sibi ominandi: nempe, præsentia Dei Israël. Hoc enim Deo Hebræis propitio, & sibi ipsis aduerso; de illorum victoria non dubitabant, & de sua salute actum credebant. Quod interrogando efficaciùs exprimebant. Sicut olim Rabsaces: *Quis est*, inquit, *ex omnibus Diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea?* Isai. 36. num. 20. Quasi diceret: Nullus omninò. Sic & hoc loco. Quis nos saluabit? Hoc est, nemo prorsus. Sed cur plurali numero Deos Hebræorum nominant: *De manu Deorum sublimium*

Secunda timendi ratio: Præsentia Dei Israelis.

Cur plurali numero Dij Hebræorum nominentur? Diuersæ trãslationes.

mium istorum? Cùm tamen paulò antè Deum nu- A mero singulari nominarint? *Venit Deus in castra.* Certè vulgaris editio videtur ab originalibus dissidere. Nam Septuaginta in Biblijs Sixtianis vtrobique plurali numero vtuntur: *Dij*, inquiunt, *venerunt in castra.* Et rursus: *Quis eruet nos de manu horum Deorum?* Forte, quia Ethnici plurium Deorum cultores more suo loquentes, plures quoque Deos Israëlitis tribuebant: vt Glossa interpretatur. Sed Chaldæus vtrobique vtitur numero singulari: *Venit*, inquit, *Arca Dei in castra.* Et rursus: *Quis liberabit nos de manu dicti Domini?* Fortè, quia, vt interpretatur Vatablus, licèt Ethnici pluraliter more suo loquerentur: tamen exploratores Hebræorum, si qui fortè missi sunt, qui hæc verba illis refere- B bant, loquutionem infidelium ad vsum fidelium emendabant. At verò Latinus Interpres sequutus Septuaginta in Biblijs Regiis, & Complutensibus, modò Philisthinorum verba pluraliter, modò singulariter expressit: vt vtrisque exemplaribus se accommodaret: Nec dissentit à fonte Hebraïco, vtrobique habente nomen אלהים *Elohim*; quod, cùm sit plurale, sæpenumerò singulariter transfertur.

V.

Sensus Philisthinorum. Vnus Deus, potestate, instar multorum.

Quod verò attinet ad sensum Philisthinorum; Deos pluraliter nominabant; vel fortè, quia non solùm Arcam, sed plures quoque alios Hebræorum Deos esse credebant: vel fortè, quia vni Deo Hebræorum maiorem potentiam, quàm pluribus Gentium Diis tribuebant. In quo sensu C Deus ad Moysem: *Ecce*, inquit, *constitui te Deum Pharaonis.* Exod. 7. n. 1. seu, vt ex Hebræo verti potest: *Constitui te Deos Pharaonis:* quia Lyrano interprete, vnus Moyses, plusquàm omnes Dij Pharaonis, timendus erat. In eundem sensum Israëlitæ in deserto, cùm de vno tantùm vitulo loquerentur, quem loco Numinis adorabant, dicebant: *Hi sunt Dij tui, Israel*, &c. Exod. 32. n. 4. Vbi Lyranus: *Licèt esset vnum tantum idolum, tamen dixerunt: Hi sunt Dij, ad reuerentiam idoli: sicut & magnæ personæ de se loquuntur in plurali, ad magnificentiam.* Sic igitur & hoc loco, Deus ob infinitam suæ potentiæ efficacitatem ad terrendos plures Deos, multiplex appellatur; quamuis natura sua sit vnicè vnus. Quod olim Eze- D chias Rex significauit. Cùm enim Assyrij suos Deos cum Deo Israëlis conferrent; ac si omnes simul diuinitate impertirent; & solo diuinitatis principatu suos à nostro discriminarent; exclamauit Ezechias: *Domine Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus Regum omnium terræ.* 4. Reg. 19. num. 15. Vbi Theodor. q. 52. *Illi*, inquit, *te nominant vnum ex multis; ego autem te solum scio, Creatorem esse omnium.*

Lyra. Lyra. Theod.

VI.

Philisthini Deum Israëlis suis præferunt. Primò, quia erat sublimis seu firmus, seu firmior cæteris.

Verùm etiam ex aliis principiis mihi videntur Philisthini Deum Israelis suis Diis non obscurè prætulisse. Primò, quia illum sublimem vocant: *De manu Deorum sublimium*: seu, *firmum*, vt vertunt Septuaginta in Sixtianis: *De manu Deorum* E *firmorum*: seu, *firmiorum*, vt clariùs Complutensia expresserunt: *De manu Deorum firmiorum.* Vbi vides Deo Israëlis maiorem virtutem, quàm suis Diis palàm detulisse: & propterea de suorum præsidio desperasse. *Quis*, inquiunt, *saluabit nos de manu Deorum sublimium istorum?* Quasi dicerent: impares sunt nostri Dij, vt cum Deo Israëlis congrediantur. In quam fidem induci potuerũt, ex eo, quòd olim Deus Israëlis nõ solùm Ægyptios, sed etiã Ægyptiorum Deos profligarit: vt apertè innuit Moysi se effecturum, dicens: *In cunctis Diis Ægypti faciam iudicia. Ego Dominus.* Exod. 12. n. 12. Nam, vt referunt Hebræi apud Lyranum, in illa nocte, qua primogeniti Ægyptiorum occisi sunt, omnia pariter eorum idola perierunt: omnia quidem lignea, subitò putrefacta. & omnia metallica, fusa, resolutáque in terram: & omnia lapidea, fracta & cõminuta in detestationem idololatriæ. Addunt Lyra, Burg. & Theod. ad eum locum, propterea Agnum paschalem à Deo iussum immolari: quia Ægyptij sub agni, seu arietis simulacro, Iouem suorum Deorum maximum venerabãtur. Vt ita illud maximum Ægyptiorum Numen coram Deo Israëlis minimum videretur. Hoc igitur Philisthini non ignorantes (proxima enim erat Philisthæa Ægypto, vt patet Exod. 13. num. 17.) Deum Israëlis suis Diis præferebant.

Lyra. Lyra. Burg. Theod.

VII.

Secundò, quia erat solidus, cæteri inanes.

B Secundò, mihi videntur illum prætulisse; quia eum vocant Deum *solidum*. Nam, vbi Vulgata habet: *De manu Deorum sublimium*: vertunt Septuaginta in Biblijs Regiis: *De manu Deorum solidorum.* Ac si hunc solum verum ac solidum Deum; suos autem vanos & inanes faterentur. Vnde Legislator: *Non assumes*, inquit, *nomen Domini Dei tui in vanum.* Exod. 20. num. 7. vbi Tertullian. lib. De Idololatria, cap. 20. interpretatur: *In idolum.* Quasi diceret: Nomen Dei veri & solidi non applicabis idolo falso & vano: quales sunt omnes Dij Gentium. Quo eos nomine Regius Vates appellauit: *Quoniam*, inquit, *omnes Dij Gentium, Dæmonia.* Psal. 95. num. 5. Vbi ex Hebræo verti potest: *Quoniam omnes Deiculi, seu, Deastri, seu, nihila Gen-* C *tium, Dæmonia.* Romani quidem suos Deos in maiores ac minores distinguebant. At verò Regius Vates omnes Deos Gentium appellat minores, omnes minutulos, omnes nihila. Ac si adeò essent inanes Dij, vt ipsum prorsus nihil viderentur. Vnde ipse Dauid alio loco: *Vt quid*, inquit, *diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Psal. 4. n. 3. Quasi diceret: Cur idolis ipsa vanitate & mendacio, inanioribus adhæretis?

Tertul.

VIII.

Similiter loquitur Ieremias c. 2. n. 5. *Ambulauerunt post vanitatem, & vani facti sunt.* Hoc est, interprete Lyrano: *Post idola, bonitatis vacua.* Quæ paulò pòst, num. 13. vocat *cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Quia idolorum natura, Theodoreto interprete, *suam ex materia & artifi-* D *cio substantiam emendicat: & quam ex his comparauit pulchritudinem, tempus delet. At qui verè Deus est, fons est vitæ perennis.* Rursus idem Ieremias cap. 8. num. 5. *Apprehenderunt*, inquit, *mendacium, & noluerunt reuerti.* Hoc est, interprete D. Hieronymo, falsis Diis seruierunt, qui nihil plus habent soliditatis, quàm mendacium. Hinc Parœmiastes: *Fugit*, inquit, *impius nemine persequente.* Prou. 28. n. 1. Hoc est, eodem D. Hieronymo interprete, in c. 2. Michææ, *Diabolo persequente.* Quasi Diabolus tam infirmus sit, & inanis, vt nemo censeatur. Sic & Esther in sua illa oratione ad Deum: *Ne tradas*, inquit, *Domine, sceptrum tuum his, qui non sunt.* Esther 14. num. 11. Hoc est, idolis, ac Diis Gentium, qui nihil magis prosunt, E quàm si non essent. Consentit & Baldad Suhites de impio loquutus: *Habitent*, inquit, *in tabernaculo illius, socij eius, qui non est.* Iob 18. num. 15. Quasi diceret, interprete D. Greg. lib. 14. moral. cap. 11. *Habitẽt in mente impij, mali Dæmones, socij Luciferi; qui, ex quo bene esse perdidit, ad non esse tetendit.* Quare de illo dicitur sub figurã Regis Tyri: *Nihili factus es, & non eris in perpetuum.* Ezech. 28. n. 19. De quo similiter Ioan. *Mirabuntur*, inquit, *inhabitãtes terram, videntes bestiam, quæ erat, & non est.* Apoc. 17. n. 8. At tandem D. Paul. *Scimus*, inquit, *quia nihil est idolum in Mundo.* 1. Cor. 8. n. 4.

Lyra. Theodor. D. Hier. D. Hier. D. Greg.

R Vnde

IX. Vnde illa vrbs, quæ Gen. 28. n. 19. dicitur *Bethel*, id est, *domus Dei*: quia in ea verus Deus colebatur: postea dicta est *Bethauem* Oseæ 4. num. 15. *Ne ascenderitis*, inquit, *in Bethauem*. Hoc est, *in domum vanitatis*, seu, *in domum inutilis*, siue, *nihili*, vt Aquila, & Symmachus transtulerunt: quia in ea Ieroboam idolum adorandum excitarat. Huc pertinet illud Amos 7 n. 9. *Et demolientur excelsa idoli*. Seu, vt in Hebræo & Græco est: *Excelsa risus*. Quòd idolum nihil verum sit; sed quid risu excipiendum & explodendum. Concinit illud Ieremiæ de sculptilibus loquētis: *Vana*, inquit, *sunt*, *& opus risu dignum: in tempore visitationis suæ peribunt*. Ierem. 10. n. 15. Vnde non immeritò dicitur Daniel semel atque iterum risisse, cum idolum Bel à Rege Babylonio, tanquàm verum Numen, prædicaretur. Nam, cùm Rex diceret: *Non videtur tibi esse Bel viuens Deus? An non vides, quanta comedat, & bibat quotidie? Ait Daniel arridens: Ne erres, Rex*, &c. Dan. 14. n. 5. Et rursus dicēte Rege: *Magnus es Bel, & non est apud te dolus quisquam. Risit Daniel*, &c. Ibidem, n. 17. & 18. Vt significaret, ridiculum esse Deum, & vanas illas falsi Numinis laudes, risui ac ludibrio habendas esse. Vnde, cùm infidelis fideli per falsos Deos maledicit: *Fidelis*, inquit Tertul. lib. De Idololatria, cap. 21. *in eiusmodi ridere debet, non insanire*. Hoc est: Ea maledicta cum risu & contemptu, non cum stomacho & furore audite. Quasi tam vana sit illa maledictio per vanos Deos inflicta, vt timenda non sit, sed irridenda.

Idola risus.

Tert.

X. Hinc est etiam, vt idolorum cultores non tam esse, quàm non esse dicantur. Nam D. Paulus appellat Idololatras, *nō plebem*. Rom. 9. n. 25. Moyses appellat, *non populum*. Deut. 32. num. 21. D. Aug. lib. 19. de ciuit. cap. 21. appellat Rempublicam Romanam alioqui florentissimam, propter cultum idolorum, *Non Rempublicam*. Et huc fortasse respexit Isaias cap. 40. n. 17. dicens: *Omnes Gentes quasi non sint, sic sunt coram eo: & quasi nihilum & inane reputata sunt ei*. Nā ibi in Idololatras inuehitur, qui ipsum nihilum adorantes, nihil efficiuntur. Eodem pertinet illud Iobi cap. 26. n. 7. de Deo loquentis: *Qui appendit*, inquit, *terram super nihilū*: hoc est, vt ibi Glossa interpretatur, nouam Ecclesiam super Gentes; quæ, cùm Diabolum, qui est nihil, adorarent, in nihilum redigebantur. Æquum enim est, vt qui res nihili diligunt, nihili æstimentur: *& fiant abominabiles, sicut ea, quæ dilexerunt*. Oseæ 9. n. 10. Plura de idolorum vanitate Sap. 13. & sequentibus, Isai. 40. & 44. Ierem. 10. Baruch 6. & multis aliis Scripturæ locis inueniuntur. De quibus ad sequens caput iterum dicendum. Igitur Philisthini, vt à suis Diis Deum Israëlis distinguant, Deum solidum appellāt; non obscurè insinuantes, Deos suos esse penitùs vanos & inanes, nihil soliditatis, firmitatísque habentes.

Idolorū cultores, tanquā non sint.

D. August.

Glossa.

XI. *Hi sunt Dij, qui percusserunt*, &c. Hæc est tertia ratio, ob quam timebant, & malè sibi ominabantur Philisthini. Nimirum, experientia quondam habita, & tunc fama ad eos perlata, de plagis, quibus Deus Israëlis olim Ægyptios flagellauerat. Vnde timebant, ne & ipsi pariter ab illo flagellarentur. Quem timorem prædixit olim Moyses post transitum maris rubri: *Dolores*, inquit, *obtinuerunt habitatores Philisthiim*. Exod. 15. n. 14. Vt significaret, ex recordatione illius plagæ consequutum fuisse illum timorem. Immò & iam anteà denuntiauerat Deus per Moysem, puniendum Pharaonē, vt fama eius punitionis cæteros homines perterreret: *Ideircò*, inquit, *posui te, vt ostendam in te fortitudinem meā: & narretur nomen* A *meum in omni terra*. Exod. 9. n. 16. Hoc enim impletum esse patet, & ex hoc loco, & ex Iosue c. 2. num. 9. Vbi Rahab ad exploratores: *Irruit*, inquit, *in nos terror vester: & elanguerunt omnes habitatores terræ*. Vnde Theodor. q. 12. in Exod. *Deus*, inquit, *Pharaonem crudelissimo & ferino animo vsum, omnigenis suppliciis subiecit; planè docens omnes homines, quod ipse creaturam regat, qui iustè tueatur iniuriam passos, & nocentes in iudicio puniat*. Hac igitur fama excitati Philisthini perterrentur.

Tertia timēdi ratio, recordatio Dei vltoris.

Theod.

XII. Sed dubium est, de quibus plagis loquantur hoc loco Philisthini? De illisne decem, quibus Deus Pharaonem, eiusque seruos in Ægypto percussit? Exod. 7. & sequentibus, vsque ad duodecimum. An de illa, qua eosdem in deserto, seu iuxta B desertum, in mare rubrum demersit? Exod. 14. à n. 23. Græca & Hebræa exemplaria de vtrisque loquuntur. Sic enim distinguunt: *Hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum in omni plaga, & in deserto*. Vbi per omnem plagam intelligunt illum plagarum denarium, qui, cum sit numerus plenus ac perfectus, omnis plaga appellatur. Vnde etiam Deus illas decem plagas cuncta mirabilia sua appellauit: *Percutiam*, inquit, *Ægyptum in cunctis mirabilibus meis*. Exod. 3. n. 20. At per illam in deserto percussionem, intelligunt demersionem in mare rubrum, qui desertum adiacebat. Hæc enim vnica fuit Ægyptiorum plaga in deserto.

De quibus Ægyptiorum plagis hic sermo sit.

Prima responsio, de his, quas in Ægypto, & quas in deserto pertulerunt.

XIII. Alij apud Vatablum abstrahunt ab vtrisque, dum sic vertunt: *Hi sunt Dij, qui percusserunt* C *Ægyptum in omni plaga, in verbo suo*. Nam מִדְבָּר *Midbar*, & desertum, & verbum significat, vt ostendit Pagninus in Thesauro. Vnde non faciunt determinatam mentionem de plagis in Ægypto, aut in deserto inflictis: sed absolutè de plagis, quas Deus solo verbo suo infligebat. Quo pacto Clem. Alexandr. lib. 1. strom. ex antiquis Rabbinis docuit, Ægyptium illum, quem Moyses occidit, non ferro, sed verbo percussum fuisse. Exod. 2. num. 12. Et propterea dicunt aliqui, ineffabile Dei nomen יהוה *Iehouah*, deriuari à radice הוה *Honah*, id est, *contritio*, iuxta illud Ezech. 7. num. 26. הוה על הוה *Honah ghal honah*, id est, *contritio super contritionem*. Vt huius nominis efficacitas in conterēdis hostibus ostendatur. Quam- D uis iuxta hanc interpretationem simpliciùs dicetur, *in verbo suo*: id est, *in imperio suo*. Iuxta quem sensum Philisthini Dei Israëlis potentiam magis prædicabant, qui ad illas plagas inferendas non indigeret armis, sed solo verbo vteretur.

Secunda responsio, neutras exprimit.

Vatab.

Pagnin.

Clem. Alex. Nominis Iehouah vis & efficacitas.

XIV. Cæterùm Chaldæus videtur meminisse de solis plagis, quæ in Ægypto acciderunt, transferens: *Hæ sunt fortitudines Domini, qui percussit Ægyptum in omni percussione: & populo suo fecit mirabilia in deserto*. Vbi sola supplicia in Ægypto, & beneficia in deserto commemorantur. Quasi ex vtrisque colligerent Philisthini, Deum Israëlis, & in suos esse beneuolum ac propitium; & in aduersarios terribilem ac seuerum. Vnde sibi cladem, Israëlitis victoriam augurabantur.

Tertia responsio, de solis plagis in Ægypto.

Dei benefi in in suos, supplicia in aduersarios.

XV. E Nihilominùs vulgata editio loquitur de sola percussione Ægyptiorum in deserto; seu demersione in mare rubrum, vt legenti patebit: vel, quia notior; vel, quia grauior. Quapropter illam, quamuis vnam, appellauit omnem plagam, quia instar omnium habere videbatur. Nā res in quouis genere præcipua dici solet *Omnis*, in Scriptura. Dauid: *Omnem escam abominata est anima eorum*. Psal. 106. n. 18. hoc est, solum manna, quod tamen inter omnes escas erat præcipuum. Parœmiastes: *Omni custodia serua cor tuum*. Prou. 4. n. 23. hoc est, præcipua. Nam etiam in reliquo corpore custodiendo

Quarta & vera responsio, de sola plaga in deserto; seu demersione in mare rubrum.

Cur demersio in mare rubrum dicatur omnis plaga.

diendo aliqua cura expendenda est. Siracides: *Omnis plaga, tristitia cordis est: & omnis malitia, nequitia mulieris.* Ecclesiastici 25. n. 17. intellige summam & maximam: nam vltra tristitiam cordis, aliæ plagæ; & vltra malitiam mulieris, aliæ nequitiæ reperiuntur. Denique viri transfluuiales Dario Regi scribentes, sic epistolam inscribebant: *Dario Regi pax omnis.* 1. Esdr. 5. num. 7. hoc est, Pax plurima. Sic igitur hoc loco illa Ægyptiorum submersio dicitur omnis plaga, quia fuit omnium maxima, qua omnes simul Ægyptij perierunt. His tribus rationibus perterriti Philisthini, magno cum gemitu clamabant: *Væ nobis*: ac de sua salute desperabant.

XVI. *Philisthinorum timor, quid significet?*

Mysticè significat hic Philisthinorum timor illum, quem Dæmones concipiunt, quoties Arca B fœderis, hoc est, Christus Dominus à Christianis adoratur, laudatur ac prædicatur. Nam in primis, cùm Christus Dominus in Eucharistia adoratur, incredibili timore Dæmones concutiuntur.

D. Bonau. *Timor Dæmonum de Eucharistia.*

Vt rectè obseruat D. Bonau. serm. 2. in Dominica quarta Aduentus, vbi de Sacramento Eucharistiæ loquutus: *De hoc,* inquit, *accipi potest, quod de Arca Dei veniente in exercitum, dixerunt Philisthini: Venit Deus in castra,* &c. *Arca Dei velo inuolui iubetur.* Num. 4. num. 5. *In velo ergo Arca; in Arca vrna; in vrna manna fuit. Per velum species sacramentales, per Arcam Corpus Christi, per vrnam anima, per manna Deitas significatur. Hanc Arcam timent Philisthini, id est, Dæmones: immò etiam guttam sanguinis Christi timent.* Et citat C D. Chrysost. dicentem: *Vbicunque viderint sanguinem, fugiunt quidem Dæmones: accurrunt autem Angeli.*

XVII. *Timor Dæmonum de cantibus ecclesiasticis.* Carthus.

Cùm autem Christus Dominus in templis ecclesiasticis cantibus laudatur, non minore formidine Dæmones perterrentur: vt hoc loco Dionys. Carthus. aduertit: *Quemadmodum,* inquit, *ex clamore Israëlitarum fuerunt Philisthæi perterriti: sic Dæmones ex cantu & pulsu, ex Sacris & Sacramentis Ecclesiæ solent arceri, & formidare.* Verùm, sicut Philisthini primùm quidem timentes Arcam, posteà se mutuò stimularunt ad Hebræos profligandos:

Dæmonum furor in Ecclesiasticos.

ita Dæmones, addit Carthusianus, qui primùm in Ecclesiis Christum Dominum formidant; posteà D *vitiosam Ecclesiasticorum vitam cernentes, qui Deum ore laudantes, cor suum longè ab ipso auertunt, hortantur se ipsos ad impugnandum fideles, præcipuè Clerum: ex quibus, heu! prosternunt quotidie millia multa, quos ad diuersa & grauia ducunt peccata.* Quid ignominiosius, quàm Ecclesiasticos, qui propter status dignitatem, primùm apparent Dæmonibus terribiles & formidabiles; posteà propter morum prauitatem eisdem fieri despicabiles & contemptibiles?

XVIII. *Dæmonum dolor de prædicatione euangelica.* Angel.

Iam verò, cùm Christus Dominus toto orbe prædicatur, maiori Dæmones horrore consternantur: vt Angelomus hoc loco exponit. Quemadmodum enim Philisthini timuerunt, audientes vocem clamoris, quem Israëlitæ excitarunt, visa Arca Domini sedentis super Cherubim: ita E planè, inquit, *sapientes huius sæculi, seu ipsi immundi spiritus extremuerunt: quia cæperunt Apostoli verbis pluere, & ex scientia vtriusque Testamenti, miraculis coruscare; & quasi tonitrua intonare clamore grandi; & personuit terra à voce prædicationis; & crediderunt, se superandos.*

Euangelica prædicatio Dæmones euertit. D. Cyril.

Iuuat hanc interpretationem alia non dissimilis Diui Cyrilli Alexand. lib. 4. in Ioann. c. 28. vbi loquutus de ruina Iericho, Iosu. 6. n. 20. *Arca,* inquit, *Sacerdotum manibus circunducta, non machinis, nec arietibus, aut vineis; sed tubarum clangore alta deiecit mœnia. Ipse*

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

A *namque Christus per sanctos viros vbique circunductos, euangelica, Apostolicáque doctrina, vniuersas Diaboli vires euertit,* &c.

XIX. *B. Virgo, malignis spiritibus terribilis.*

Quòd si Arcæ nomine sanctissima Deipara intelligatur, congruenter etiam hæc allegoria procedet. Nam, vt Arca amabilis erat Hebræis, formidabilis Philisthinis: ita Beatissima Virgo à bonis amatur, à malignis spiritibus timetur. Scilicet, ô Deipara, *suauis es, & decora sicut Ierusalem; terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Cant. 6. n. 3.

Rupert.

Tuum enim est, Virgo sanctissima, inquit ibi Rupertus, *& in suauitate videre iam, vel contemplari supernam pacem, secundùm nomen Ierusalem: & contra malignos spiritus in procinctu esse secundùm castrorum similitudinem*, seu nos pace tegere, & Dæ- B mones bello profligare. Qua de re infrà erit dicendi locus.

Num. IX. Confortamini, & estote viri, Philisthiim: ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruierunt vobis. Confortamini, & bellate.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Ducum & Sacerdotum munus, milites in bello adhortari.* Veget. Lipsius.

C*onfortamini*, &c. Quamuis hortari milites ad bellum, pertineat ad Duces: vt patet ex profanis literis; auctore Vegetio lib. 3. De re C militari, cap. 12. & post eum, Lipsio lib. 4. De militia Romana, Dialog. 9. vel etiam ad Sacerdotes, vt constat ex sacris Literis, Deut. 20. à n. 3. vbi ponitur oratio, qua Sacerdos ad exhortandos milites vtebatur:

D. Basil.

ad quem morem alludens D. Basil. Orat. 5. de Ieiunio: *Imperatores,* inquit, *cùm exercitum in aciem educunt; adhortatione ante conflictum vtuntur: tanta enim vis est exhortationis, vt sæpe multos etiam in ipsum contemptum mortis adducat.* Quamuis, inquam, hoc munus proprium sit Imperatorum: tamen hoc loco, nulla Ducum mentio fit. Vnde milites se mutuò videntur adhortari:

Theod. Rupert. Abul.

vt Theod. serm. 10. De Prouidentia, Rupert. lib. 5. in Apocal. Abulens. hoc loco, & alij expresserunt. Difficultas tamen est, quorum sint hæc ver- D ba; eorúmne, qui hactenus loquebantur, an aliorum?

Lyra. *Difficultas. Quorum sint hæc verba? Opinio Lyrani.*

Lyranus sequutus aliquot Rabbinos, asserit, esse aliorum. Cuius interpretationis duplex indicium esse potuit. Vnum, quia fortè hi, qui hactenus loquebantur, à sua perfidia resipuerunt, & abiuratis vanis idolis ad verum Deum Israëlis, toto se animo & cogitatione aggregarunt. Vnde non auderent contra Deum Israëlis, quem verum credebant, rebellare. Nec videri debet mirum, si ex aduentu Arcæ alij quidem desipuerint, alij verò obduruerint.

Ex aduentu Christi alij resipuerunt, alij obduruerunt.

Sic enim Arca manifestior Christi Domini typus redderetur: *Qui positus est in ruinam & resurrectionem multorum.* Luc. 2. n. 34. & qui in hunc mundum venit; *vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant.* E Ioan. 9. n. 39. & qui alios reprobauit in *vasa iræ*; alios assumpsit in *vasa misericordiæ.* Rom. 9. num. 22. & qui sumpto ventilabro in manu sua: *Congregabit triticum suum in horreum; paleas autem comburet igni inextinguibili.* Matth. 3. num. 12. & qui tanquam Sol ceram liquefaciens, limúmque indurans, vt loquitur Theodor. q. 12. in Exod. alios ad pietatem emollitos in vitam recipiet; alios in suis peccatis obduratos, in gehennam relegabit.

Theod.

Gentiles Deum Israëlis venerabantur.

Alterum indicium, quia hi Philisthini, si non omninò suis idolis renuntiarunt; saltem Deum Israëlis timuerunt: vt Theodoret. citat. q. 12. in

R 2 Exod.

Exod. & ſermon. 10. De Prouidentia, obſeruat: quem proinde nimium prædicabant, ac ſuis Diis præferebant. Tanta enim erat maieſtas Dei Iſraëlis, vt etiam à multis Gentilibus timeretur, & coleretur, vt ex ſacris Literis paſſim conſtat.

II.
Diuerſa exempla venerationis à Gentilibus præſtita Deo Iſraëlis.

Nam Ægyptij in mari rubro dicebant: *Fugiamus Iſraëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Exod. 14. numer. 25. Nabuchodonoſor Deum Iſraëlis timuit, ac multis nominibus prædicauit. Daniel. 3. à num. 98. Cyrus Perſarum Rex non ſolùm præcepit, templum extrui Deo Iſraëlis; ſed etiam contulit multa auri & argenti ornamenta. 1. Eſdr. 1. à num. 2. Darius Rex ad eiuſdem templi fabricam non ſolùm ſumptus impendit; ſed etiam quæ ad ſacrificia neceſſaria erant, in ſingulos dies erogauit. 1. Eſdr. 6. num. 9. Heliodorus in Ieroſolymitano templo hoſtiam obtulit, & vota magna promiſit. 2. Mach. 3. num. 35. Eunuchus Reginæ Candaces Ieroſolymam venit adoraturus, Act. 8. num. 27. Tandem quidam Gentiles aſcendebant in templum, *vt adorarent in die feſto.* Ioann. 12. num. 20. Vnde Diuus Chryſoſtomus homil. 17. in Epiſtol. ad Hebr. ſub initium; docet, ex omnibus terræ finibus multos adorandi cauſa Ieroſolymam conuenire ſolitos. Et Tertulian. in Apologetico, cap. 26. loquutus cum Romanis de populo Iſraëlis: *Cuius*, inquit, *& Deum victimis, & templum donis, & Gentem fœderibus aliquando Romani honoraſtis; nunquàm dominaturi eius, ſi Deo non deliquiſſet, vltimò in Chriſtum.*

D. Chryſ.
Tert.

III.
Philo Hebr.
Cæſaris Augusti religio.

Sed & Philo Iudæus De virtutibus & legatione ad Caium, loquutus de Cæſare Auguſto: *Tam, ſanctè*, inquit, *ſacra noſtra habuit, vt penè omnium eius domeſticorum dona extent in templo noſtro: in quo mandauit, quotidianas mactari victimas, ſuis ſumptibus Deo votas altiſſimo, quæ ſacra in hodiernum peraguntur, durabúntque perpetuò, monumentum virtutum imperatoriarum.* Et paulò pòſt, refert epiſtolam quandam Regis Agrippæ ad Caium, in qua ipſe Agrippa loquutus de Auguſto: *Iuſſit*, inquit, *è ſuis ipſius redditibus offerri quotidie victimas ritè in holocauſtum altiſſimo Deo*, &c. *Quas Cæſar altari deſtinauit: quamuis ſciret, ibi nullum ſimulacrum eſſe, vel in occulto, vel in propatulo. Nihilominus tamen Princeps cogitatione Philoſophiæ nulli ſecundus, animaduertit, neceſſum eſſe, vt in terris eximium fanum dicaretur inuiſibili Deo ſine vlla effigie, vbi homines cum bona ſpe vota faciant.* Vbi etiam laudat Iuliam Auguſtam, quæ Cæſare pietatis magiſtro vſa, muneribus idem templum pretioſiſſimis cumulauit; quamuis nullum ibi ſimulacrum coleretur: & muliebri imperitia maior, *In tantum*, inquit, *euaſit perſpicax, vt intelligibilia magis, quàm ſenſibilia cerneret: & hæc vmbras illorum eſſe cenſeret.*

Pietas Iuliæ Auguſtæ.

Titi Imperatoris de templo Ieroſolymitano ſententia.
Egeſip.

Denique & Titus Imperator, cùm templum, antequàm penitùs conflagraret, ingrederetur; eius maieſtatem admiratus, dignum duxit, quod & coleretur ab omnibus Gentibus, & ab ipſo Deo incoleretur. Vnde Egeſippus lib. 5. De excidio Ieroſolymitano, cap. 43. loquutus de ipſo Tito: *Nec immeritò*, inquit, *tantam fuiſſe loci celebritatem pronuntiabat, vt eò ex omnibus locis conueniretur; quia tantum, non niſi ſummi Dei, crederetur eſſe domicilium.* Hac de re conſule Lorin. Act. 2. num. 9. & Act. 8. num. 27. & Serarium 2. Machab. 3. num. 35. notabili 3.

Lorin.
Serar.

IV.
Concluditur Lyrani ſententia.

Itaque multi Gentilium Deum Iſraëlis venerabantur, de quorum numero videntur fuiſſe illi priores Philiſthini, qui præcedenti verſiculo, Arcam fœderis, Deúmque illi inſidentem

A prædicabant: qui proinde contra illum coniurare non auderent. Quare alios fuiſſe oportet, veri Numinis contemptores, qui in hoc verſiculo illos priores Philiſtinos, tanquàm timidos & ignauos arguebant, & ad pugnandum excitabant, dicentes: *Confortamini*, &c. Quibus etiam tribuit Lyranus illa poſtrema verba ſuperioris Numeri: *Hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto.* Quaſi dicerent per contemptum: Non eſt, cur hos Deos timeatis; quia ſi quid virium habuerunt, totum id in demergendis Ægyptiis collocarunt: vnde eorum robur exhauſtum eſt; proindéque nulla eis supereſt potentia, qua nobis aduerſentur. Quare animos ne deſpondeatis: ſed confortamini, &c.
B Placet hæc interpretatio Caietano. Quamuis hoc vltimum Lyræ additamentum parum veriſimile videatur. Nam virtus & potentia militaris non minuitur, nec exhauritur per hoſtilem ſtragem; ſed potiùs roboratur & augetur: præſertim quando hoſtes à victoribus prorſus illæſis ſuperantur. Non potuerunt igitur credere Philiſthini, Hebræos, vel eorum Deos, vt ipſi loquebantur, Ægyptios vincendo ac demergendo, ſine vllo proprio detrimento, redditos fuiſſe inferiores.

Caiet.

V.
Oppoſita ſententia germanior.
D. Anton.
Dion.
Abul.
Caiet.

Nihilominùs oppoſita interpretatio mihi germanior videtur, quam Diuus Antoninus, Dionyſius & Abulenſ. quæſt. 14. ſequuntur; nec Caietanus excludit. Nempe eoſdem Philiſthinos, qui ſe hactenus deplorauerant; ſubitò ſe
C inuicem ad pugnandum ſtimulaſſe & acuiſſe. Moueor: tum, quia non video Philiſthinos inteſtinas in factiones abiiſſe; ſed concordibus animis ad arma conuolaſſe: tum, quia nouum non eſt, milites aliquando fractos & exanimatos, ſubito aliquo euentu vires animóſque ad bellandum reſumpſiſſe. Quod duplici ratione potuit contingere. Vna, ex diuino aliquo inſtinctu: quia Deus illos iam exanimes ad pugnam animauit. Ita ſentire videtur Seuerus Sulpitius lib. 1. hiſtoriæ ſacræ: *Vbi*, inquit, *Arca in conſpectum hoſtium deducta eſt, maieſtate quadam præſentis Domini territi fugam parabant: aſſumptáque rurſus conſtantia, & non ſine Domino mutatis animis, to-*
D *tis viribus concurrunt.*

Exanimes diuino inſtinctu animantur.
Seuerus Sulpit.

VI.
Ex deſperatione fracti animo integrantur & ſuſcitantur.
Veget.
Oſtenditur ex profanis literis.
Curtius.
Seneca.

Altera, ex militari furore: quia extrema illos deſperatio impulit ad pugnandum: vt paſſim contingit: & interim breuiter illuſtro. Sæpè enim ex deſperatione naſcitur ſpes. Vnde Vegetius lib. 3. De re militari, cap. 21. *Ex deſperatione*, inquit, *creſcit audacia; & cùm ſpei nihil ſit, ſumit arma formido.* Bene Curtius lib. 4. *Effugit*, inquit, *mortem, quiſquis contempſerit: timidiſſimum quenque conſequitur.* Et rurſus lib. 5. *Ignauiam*, inquit, *neceſſitas acuit: & ſæpè deſperatio ſpei cauſa eſt.* Adde Senecam Philoſophum lib. 2. natural. quæſt. cap. 59. *Nullus*, inquit, *pernicioſior hoſtis, quàm quem audacem anguſtiæ faciunt: longéque violentius ſemper ex neceſſitate, quàm ex vir-*
E *tute corripimur.* Idem in epiſtola ad Lucilium refert illud dictum Hecatonis: *Deſines timere, ſi ſperare deſieris.* Et ſubdit: *Quomodo iſta tam diuerſa pariter ſunt? Ita eſt, mi Lucili, cùm videantur diſſidere, coniuncta ſunt. Quemadmodum eadem catena & cuſtodem & militem copulat: ſic iſta, quæ diſſimilia ſunt, pariter incedunt.* Olim centum viginti millia Crotonienſium à quindecim millibus Locrenſium profligata ſunt. Reddit Iuſtinus Hiſtoricus lib. 20. rationem: *Quia*, inquit, *omiſſa ſpe victoriæ, in deſtinatam mortem conſpirarunt: tantúſque ardor ex deſperatione ſingulos cepit;*

Iuſtin. Hiſtor.

vt

vt victores se putarent, si non multi morerentur. Sed dum mori honestè quærunt, feliciter vicerunt. Nec alia victoria causa fuerat, quàm quod desperauerant. Ita ille eleganter. Hinc est illud Maronis decantatissimum, 2. Æneid.

Virg.

Vna salus victis, nullam sperare salutem.

Saluſt.

Et illud Salustianum: *Grauissimi sunt morsus irritatæ necessitatis.*

VII. *Illustratur ex sacris.*

Sed iam res ex sacris Literis confirmetur. Cùm olim Ioab Dux Dauidis persequeretur Abner, Ducem Saülis; Abner maximas in angustias redactus ab aduersario nimiùm vrgente, conuersus ad illum exclamauit: *Num vsque ad internecionem*, inquit, *tuus mucro desæuiet? An ignoras, quòd periculosa sit desperatio?* 2. Reg. 2. num. 26. Quasi diceret: Nescis, quòd etiam victus hostis, si nimium à victore vrgeatur, ex desperatione ad pugnam acrior recrudescat. Cessa igitur, me persequi, ne mihi ex desperatione spes victoriæ oriatur. Placuit admonitio Ioabo: & statim cecinit receptui, timens desperantem hostem, quem contempserat sperantem. Sic & Chusaï retraxit à prælio Absaloοem irruere volentem in Dauidem, iuxta consilium Achitophelis: *Tu*, inquit, *nosti patrem tuum, & viros, qui cum eo sunt, esse fortissimos, & amaro animo, veluti si vrsa, raptis catulis, in saltu sæuiat*, &c. 2. Reg. 17. num. 8. Quasi diceret: Caue à congressu cum patre tuo, quando ipse ex desperatione vires sumit; quia non minùs quàm vrsa irritata decertabit; non vt viuat, sed ne ante vindictam moriatur.

VIII.

Sic præterea & Lysias videns Hebræos, iacta quodammodo alea, præliari, sibi consuluit. *Videns autem*, inquit Textus, *Lysias fugam suorũ, & Iudæorum audaciam; & quòd parati sunt, aut viuere, aut mori fortiter, abiit Antiochiam*, &c. 1. Mach. 4. n. 35. Quasi maius periculum sibi à paucis hostibus desperantibus, quàm à multis multam in spem erectis, formidaret. Sic denique & milites Ionathæ, ex rebus iam deploratis, vires & animos collegerunt. Nam Ionatha suo Duce à Ptolemensibus interfecto, cùm nihil, in quo sperarent, superesset, sola desperatione in aduersarios armantur. *Cùm enim cognouissent*, inquit Textus, *quia comprehensus est Ionathas, & periit, & omnes, qui cum eo erant; hortati sunt semetipsos, & exierunt parati in prælium. Et videntes hi, qui insequuti fuerant, quia pro anima res est illis, reuersi sunt.* 1. Mach. 12. num. 50. Quasi lacessere non auderent, quos fecerat desperatio audaces. Sic ergo & Philisthini nimio timore paulò antè exanimati, subita desperatione animantur, dicentes ad se inuicem: *Confortamini.* Quasi dicerent: Hactenus cum Israëlitis; deinceps cum Deo Israelis pugnandum est. Ergo firmate animos. Nam, si vincimur, leuis est ignominia: si vincimus, immensa laus: quia de ipso Deo triumphamus, à quo etiam vinci non est indecorum.

Philisthinos in bellum impulit desperatio.

IX. *Pauci, qui viri nomine digni sint.*

Estote viri, &c. Viri nomen hoc loco, virtutis est, non ætatis. Vnde non omnes sunt viri, qui videntur. Celebris erat illa parœmia inter Græcos, qua *sola Lacæna viros parere* dicebantur. Herodotus in Polyhymnia: *Multi*, inquit, *sunt homines, viri pauci.* Hoc est: Multi habent humanam naturam, pauci virilem fortitudinem. Diogenes, teste Laërtio in eius vita, in foro & meridie viros quærebat, accensa face. Quærebat in foro, vbi ingens hominum multitudo circuncursat. Et accensa face in meridie; vbi omnia clarissima Solis luce perfunduntur: vt ex vtroque capite hominum raritatem designaret. Et fortasse paucos inueniebat. Sed pauciores inueniebat oculatior Ecclesiastes c. 7. n. 29. *Virum*, inquit, *de mille vnum reperi*: At diuinus oculus omnium acutissimus, ne vnum quidem inuenit, iuxta illud: *Vidit Dominus, quia non est vir.* Isai. 59. num. 16. Quod ipsemet Dominus affirmat: *Veni*, inquit, *& non erat vir.* Isai. 50. num. 2. Vnde D. Chrysost. hom. 23. in Genes. *Audi*, inquit, *clamantem in media Ierosolymitanorum Metropoli; vbi tot millia millium, & tot multitudines innumeræ: veni, & non erat homo*, &c. *Non dicit, quia non aderant; sed, quia præsentes nihilo meliores erant, quàm si non fuissent.* Et ne quis diceret, non inuenisse, quia breuiter & leuiter inquirebat, subdit alio loco: *Circuite vias Ierusalẽ, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum.* Ierem. 5. n. 1. Quasi diceret: Nullum inuenietis. Non quòd nullus naturam humanam haberet: sed quòd nullus virtutem hominis propriam demonstraret. *Vidistis*, inquit D. Chrysost. citatus, *quomodo illum solum Scriptura sancta hominem vocare solet, qui virtutem colit: cæteros autem neque esse putat?*

Herod.

Laërt.

D. Chrys.

X. *E cælo quærendi viri.*

E cælo igitur accersendi sunt, qui viri nomen mereantur. Fuerunt obuiam Iacobo Angeli Dei. *Et ecce vir*, inquit Textus, *luctabatur cum eo vsque mane.* Gen. 32. num. 24. Pugnaturus Angelus virum inducit, vt strenuum se præberet. Sic & Gabriel, qui fortitudo Dei interpretatur, dicitur vir. *Ecce vir Gabriel*, inquit Daniel, *quem videram in visione à principio, tetigit me.* Dan. 9. n. 21. Vbi D. Hieronymus: *Videtur*, inquit, *Gabriel, non Angelus, vel Archangelus, sed vir; vt nequaquàm sexum, sed nomen fortitudinis ostenderet.* Quasi fortitudo illa Angeli, non meliùs, quàm viri nomine exprimeretur. Quin etiam ipse Deus ab hoc nomine suam fortitudinem declarauit. *Dominus*, inquit Moyses, *quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius.* Exod. 15. num. 3. non miles dicitur, aut Dux, sed vir pugnator: quo nomine meliùs, quàm aliis diuina virtus declaretur. Quid ergo indignius, quàm homines contemnere illud nomen, de quo Deus & Angeli gloriantur?

D. Hier.

XI. *Moysis cum ignauis viris expostulatio.*

Inuenit aliquando Moyses pastores Madianitas, qui filias Sacerdotis Madian iniquè tractabant, & à fontis vsu, ad quem aquatum venerant, remouebant. Exod. 2. num. 17. Miratus ignauam pugnam, non viros more virorum decertantes, sed fœminas more fœminarum contendẽtes sibi videre visus est. Quare sic cum illis grauiter expostulauit, vt introducitur à Philone lib. 1. de eius vita: *Non pudet*, inquit, *vos circumferre ignaua brachia, inertésque humeros? capillos, barbas, carnésque viriles video, viros non video.* Quid enim iniquius esse poterat, quàm sub virili corporis mole, molles & effœminatos animos occultare? Festiuiter & mordaciter perstrinxit Philosophus ille Cynicus Diogenes quendam iuuenem in virili corpore fœmineos spiritus nutrientem. Captus enim à latronibus Philosophus, sub hastáque expositus, vt venderetur, vt scribit Philo Hebræus in libro, Quòd omnis probus sit liber: *Cùm inter licitatores*, inquit, *animaduertisset quendam effœminatum, quantum ex aspectu apparebat; accedens inquit: Tu me emito: viro enim opus habere videris.* Quasi diceret: Quam vendidisti virilem constantiam, redime; & qui à viro abiisti, ad virum redi. Nec temerè iactata verba. Nam adolescens, inquit Philo, *pudefactus cauillo, quod non esse vanum erat sibi conscius; in turbam se abdidit: cæteris audacem coniectorem, sed veridicum stupentibus.* Quem euentum tom. 1. Annotat. 4. sect. 2. §. 9. ex Clemente Alexandr. iam retulimus.

Philo.

Diogenis in mollem adolescentem festiua illusio.

Philo.

XII. *Ingens impudentia Carthaginensium, quos pudebat viros esse.* Saluian.

Grauiùs inuehitur Saluianus lib. 7. De Prouidentia, in Carthaginenses, quorum mores adeò erant perditi & profligati: *Vt cum*, inquit, *viris nihil magis pudori esse oporteat, quàm si aliquid muliebre habere videantur; illic nihil viris quibusdam turpius videretur, quàm si in aliquo viri viderentur.* Sed qui ita sunt viri nomen pertæsi: digni sunt, qui ex virorum albo expungantur.

Molles & effeminati à virorum numero expungendi. Origen.

Quo mysterio dicuntur Exod. 12. num. 37. sexcenta ferè millia virorum absque paruulis & mulieribus ex Ægypto prodiisse. Nam, vt ibi Interlin. *Infirma*, inquit, *non sunt digna numero, quia nec apta bello.* Notat Origen. apud Lipomanum in Psalm. 4. solùm Danielem & Ezechielem in captiuitate Babylonica, filios hominum, hoc est, homines appellatos. Nam alij peccatores hoc se indignos nomi- B ne reddiderant. *Quoniam*, inquit, *qui erant in captiuitate constituti, peccatores erant; existimamus Danieli soli, quòd præstantiam naturæ hominis conseruaret, ad eorum infamiam, Fili hominis, acclamatum esse. Hoc ipsum itidem de Ezechiele dicendum est.* Nec immeritò. Nam molles, deliciosi & euirati, potiùs fœminarum filij vocabuntur. Sic enim Daniel c. 11. n. 17. Cleopatram appellauit *filiam fœminarum*: vt lasciuum eius ingenium, vel etiam parentum eius, denotaret: qui non tam viri, quàm fœminæ viderentur.

XIII. *Soli viri in Christi conuiuio numerantur.*

Adde in illo conuiuio, quod Christus Dominus in deserto præstitit, solos viros, qui conuiuati fuerant, numeratos. *Manducantium autem*, inquit Euangelista, *fuit numerus quinque millia virorum,* C *exceptis mulieribus & paruulis.* Matth. 14. num. 21.

D. Hier.

Vbi Diuus Hieronymus: *Comedunt*, inquit, *quinque millia virorum, qui in perfectum virum creuerant, & sequebantur eum, de quo dicit Zacharias* cap. 6. num. 12. *Ecce vir oriens nomen eius: mulieres autem & paruuli, sexus fragilis & ætas minor, numero indigni sunt. Vnde & in Numerorum libro, quoties Sacerdotes atque Leuitæ & exercitus, vel turba pugnantium describuntur; serui & mulieres & paruuli, & vulgus ignobile absque numero prætermittitur.*

Viri nomen fuit Iobo summi encomiũ.

Soli viri, sicut in pretio, ita & in numero habendi sunt: *Vir erat*, inquit Textus de sancto Iobo: *Cui hoc nomen*, inquit D. Chrysost. hom. 23. in Gen. *pro summo encomio contigit.* Et statim, quanto iure hoc nomen promeruerit, ostendens: *Beatus*, D inquit, *Iob, pugil pietatis, athleta orbis, qui solus intolerabilia illa sustinuit, & acceptis innumeris à Diabolo telis, vulnus nõ accepit: sed sicut adamas quidam omnes impetus ferre potuit, & praualuit.* Quis ergo dubitet, acerrimum Dæmonis andagonistam viri nomine decorandum? Itaque viri nomen in Scriptura significat strenuos & constantes.

XIV. *Solemnis exhortatio ad milites, Estote viri.*

Dum igitur Philisthini sibi mutuò dicebant: *Estote viri*: se mutuò ad eximiam strenuitatem incitabant. Nam, vt bene Philo Hebræus libro, Quòd omnis probus sit liber, versùs finem: *Imperatores*, inquit, *nullam cohortationem habent efficaciorem in præliis, quàm, Estote viri.* Non opus est, vt dicant: *Estote Hectores, estote Hercules.* Nam E viri nomine significant virtutem Hectorea & Herculea maiorem. De Iosepho inquit Textus: *Inuenit eum vir errantem in agro.* Genes. 37. num. 15. Cuius viri proprium nomen tacitum fuisse putant aliqui: quos Philo citatus ex eo præcipuè refellit, quòd nullum esse possit nomen magis proprium ad significandam hominis virtutem, quàm ipsum hominis, seu viri nomen.

Hominis, seu viri nomen proprium ac decorum.

Hominis, inquit, *qui hunc in campo errantem inuenit, negant quidam indicatum nomen proprium: ipsi quodammodo errantes, quia non possunt rectam viam negotiorum videre dilucidè. Nam, nisi haberent excæcatos* A *animi oculos; non ignorassent, quòd eius, qui reuera est homo, conuenientissimum & maximè proprium nomen, hoc ipsum est, homo disertæ & rationalis mentis familiarissima appellatio.*

XV. *Nulla acrior ad virtutem exhortatio, quàm vt quis se virum præstet.* D. Chrys.

Prudenter ergo Philisthini non alio se inuicem, quàm viri nomine adhortantur. Immò, vt notat D. Chrysost. hom. 3. in Iobum: *In communi consuetudine, quando quis, vel filium, vel domesticum ad destinatum opus transmittit; modum dat dicens: Sicut hominem decet, hanc & illam actionem aggredere: communéque nomen, proprium facit admonitio.* Sic Dauid iam moriturus ad Salomonem: *Confortare*, inquit, *& esto vir.* 3. Reg. 2. num. 2. Chaldæus habet: *Et esto in virum timentẽ peccata.* Vera enim strenuitas ac fortitudo est timor peccatorum. Sic rursum ipse Dauid ad Galaaditas: *Confortentur*, inquit, *manus vestræ, & estote filij fortitudinis.* 2. Reg. 2. n. 7. Seu, vt legit Chaldæus: *Et estote in viros robustos.* Sic Saül ad Dauid: *Esto vir fortis, & præliare bella Domini.* 1. Reg. 18. num. 17. Sic Ioab ad Abisaï fratrem suum: *Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro.* 2. Reg. 10. num. 12. Et sic de cæteris. Atque hæc est prior huius exhortationis pars.

XVI. Homer. *Seruitus, miserrima conditio.*

Ne seruiatis Hebræis. Miserrima præliantium conditio est seruitus. Homerus lib. 10. Odyssææ: *Seruus*, inquit, *dimidius homo: liber, integer est.* Nullam dixeris mortem seruitute acerbiorem. Nam seruitutem vt euadãt, multi mortem amplectuntur. Testis sit Virgiliana illa Andromache, quæ sibi captiuæ Troianas virgines in bello mortuas præferebat, dicens:

Virgil.

O fœlix vna ante alias Priameia virgo,
Hostilem ad tumulum, Troiæ sub mœnibus altis,
Iussa mori; quæ sortitus non pertulit vllos,
Nec victoris heri tetigit captiua cubile.

Philo.

Huc pertinet illud Philonis lib. 1. De vita Moysis: *Non est*, inquit, *par iactura libertatis, & pecuniæ: cum nemo sanus non malit vitæ, quàm libertatis adire periculum.*

Seruitus deterior, quàm mors.

Idem Philo lib. Quòd omnis probus sit liber; plurima commemorat exempla hominum, mulierum, puerorum, qui vitam, quàm libertatem perdere maluerunt. Et post alia narrat de quibusdam populis, quos Xanthios appellat; qui, cùm à Romanis militibus ad deditionem cogerentur, se ipsos omnes priùs occiderunt. *Vt fatali*, inquit, *necessitati, salua libertate, magnanimitatéque satisfacerent. Sic illi acerbitatem tyrannicam fugiendo, prætulerunt gloriosam mortem vitæ coniunctæ cum ignominia.*

D. Ambr.

Concinit D. Ambr. lib. 1. De Offic. cap. 41. *In bellica*, inquit, *virtute non mediocris honesti atque decoris forma est; quòd mortem seruituti præferas, ac turpitudini.* Vbi seruitutem cum turpitudine coniunxit: vt vtraque æquè execrabilis censeatur; nec minùs, quàm ipsa mors reformidetur.

XVII. *Nihilo grauior mors, quà seruitus.*

Optimo exemplo è sacris Literis res fict illustrior. Misit Iosephus dispensatorem domus suæ, qui fratres suos in patriam redeuntes de furto scyphi argentei calumniaretur. Sed illi bonę conscientiæ testimonio securi, audacter spondent ac paciscuntur. *Apud quemcunque*, inquiunt, *fuerit inuentum seruorum tuorum, quod quæris, moriatur.* Gen. 44. n. 9. Quid verò calũniator? Assẽtitur pactioni: *Fiat*, inquit, *iuxta vestram sententiam: apud quemcunque fuerit inuentum, ipse sit seruus meus.* Ibid. n. 10. En vt omnes in eandem pœnam malefactori inferendam conueniebant: *Fiat* enim, inquit calumniator, *iuxta vestram sententiam.* Et tamen fratres Iosephi reum offerebant ad mortem: *Moriatur*, inquiunt. Calumniator autem recipiebat in seruitutem: *Ipse*, inquit, *sit seruus meus.* Ergo nihilo

mortem

Deterior mors, quàm ſeruitus.

mortem & ſeruitutem diſtinguebant. Clariùs id exprimitur Ierem. 22. n. 10. *Nolite*, loquit Deus, *flere mortuum; neque lugeatis ſuper eum fletu: plangite eum, qui egreditur*, ſcilicet, in captiuitatem, ac ſeruitutem; *quia non reuertetur vltra, nec videbit terram natiuitatis ſuæ.* Vbi deterior conditio ſignificatur ſeruitus, quàm mors; cùm non hæc, ſed illa deplorari iubeatur. Idcircò fortaſſe Chriſtus Dominus dicitur *inter mortuos liber.* Pſal. 87. n. 5. Dicendus quidem potiùs videbatur *inter captiuos liber*: ſic enim perfectior antitheſis, ſeu oppoſitio apparebat. Sed tamen dicitur inter *mortuos* liber: ac ſi nihil inter ſe mortui & captiui diſtinguerentur.

XVIII. *Iudæi ignaui ſeruitutem morti præferentes.*

Hinc colliges miram Iudæorum ignauiam, expoſtulantium cum Moyſe, & ſeruitutem in B Ægypto, quàm mortem in deſerto præoptantium. *Nónne*, inquiunt, *iſte eſt ſermo, quem loquebamur ad te in Ægypto, dicentes: Recede à nobis, vt ſeruiamus Ægyptiis? Multò enim melius erat ſeruire eis, quàm mori in ſolitudine.* Exod. 14. num. 12. Miram, inquam, ſeu potiùs execrandam ignauiam Iudæorum, quibus charior erat ſeruitus, quàm mors; cùm boni rerum æſtimatores mortem ſeruituti anteponant. Vnde Orig. hom. 5. in Exod. tam præpoſtera Iudæorum vota admiratus: *Hæc*, inquit, *fatiſcentis in tentatione animi verba ſunt. Alioquin falſum eſt. Longè enim melius eſt in eremo mori, quàm ſeruire Ægyptiis.* Quod licèt referat ad ſeruitutem ſpiritualem ſub peccato, multis mortibus ſine dubio deteriorem: tamen & de C temporali in Ægypto intelligi poteſt. Præſtabat enim in deſerto mori cũ gloria, quàm in Ægypto ſeruire cum ignominia. In eandem ignauiam inciderunt illi Iudæorum poſteri, qui patriæ ruinas, vrbis excidium, templique Incendium ſpectantes; libertatis, quàm vitæ iacturam maluerunt: confugientes ad Titum Imperatorem, cum his precibus, vt ſibi mortem cum ſeruitute commutaret: quos tamen Imperator, vt narrat Ioſephus lib. 7. De bello Iudaïco, c. 13. quàm primùm efferri iuſſit ad ſupplicium; iratus, indigniſſimos vita, qui miſerrimam elegiſſent.

Orig.

Ignauiam Iudæorum, ſeruire, quàm mori præoptantium, nõ tulit Titus Imperator.

XIX. *Ioſephus captiuus pro mortuo reputatur.*

Certè Ruben fratrem ſuum Ioſephum in ſeruitutem miſſum, tanquàm in ſepulturam traditum reputabat. Nam ad alios fratres, quaſi fratricidij reos: *En*, inquit, *ſanguis eius exquiritur.* D Geneſ. 42. num. 22. Hoc eſt: En mortem luitis, quam intuliſtis: dum enim fratrem miſiſtis in ſeruitutem, tradidiſtis in mortem. Sic D. Chryſ. hom. 64. ad eum locum interpretatur: *Licèt enim*, inquit, *non per gulam gladium tranſmiſeritis: barbaris tamen viris eum vendidiſtis, & difficiliorem ei ſeruitutem excogitaſtis.* Nec dubitauit Iſaac difficiliorem eſſe vel ipſa morte ſeruitutem, cùm ad Eſaü filium ſuum dixit: *Viues in gladio, & fratri tuo ſeruies.* Gen. 27. num. 40. Vbi à vita in gladio, progreditur ad ſeruitutem. Quaſi peius eſſet ſeruire, quàm in mortis periculo, quod eſt ipſa morte deterius, verſari. Igitur Philiſthini ſe ad pugnandum ſtimulabant: non vt mortem effugerent, huic enim ſe libentes offerebant: E ſed vt ſeruitutem, quam ipſa morte deteriorem iudicabant, declinarent.

D. Chryſ.

Iſaac ſeruitutem morte difficiliorem cenſuit.

XX. *Miſerrima ſeruitus, ſuis ſeruire ſeruis.*

Sicut & illi ſeruierunt vobis. Multos annos ſeruierant Iſraëlitæ Philiſthæis, vt num. 1. huius cap. §. 22. iam diximus. Hinc ergo multò acrior deſumitur cohortatio: ne ſeruiant Hebræis: quibus ipſi multo tempore imperarant. Nam, cùm omnis ſeruitus miſera ſit; illa tamen miſerrima cenſetur, cùm quis in ſuorummet ſeruorum deiicitur ſeruitutem. Duplici de cauſa, vt hic Abulenſis aduertit. Vna, quia ab his priſtinas iniurias vl-

Abul.

A ciſcentibus immitiùs tractatur: & non ſolùm tanquàm à Dominis, ſed etiam tanquàm ab hoſtibus inhumaniùs habetur. Vnde miſerrima fuit Hebræorum ſeruitus: quia, vt loquitur Dauid, *Dominati ſunt eorum, qui oderunt eos.* Pſal. 105. num. 41. Nam, vt bene ibi Caſſiodorus: *Graue*, inquit, *eſt, ſeruire offenſo, qui nullo placatur obſequio.* Miſerrima item ſeruitus Babyloniorum, dum Hebræis, quibus anteà imperarant, ſeruierunt, iuxta illud de Babyloniis. *Poſſidebit eos domus Iſraël, in ſeruos, & ancillas; & erunt capientes eos, qui ſe ceperant: & ſubiicient exactores ſuos.* Iſai. 14. n. 3. Quibus verbis extrema Babyloniorum ſeruitus ſignificatur.

Primò, quia ſeruitur vltoribus.

Caſſiod.

XXI. *Secundò, quia ſeruitur abiectioribus dominis.*

Altera, quia ad abiectiores dominos, quales B ſunt, qui paulò antè ſeruierant, deuoluitur. Vnde eſt illud: *Beatus, qui non ſeruiuit indignis ſe.* Eccleſiaſtici 25. num. 11. Hinc ad miſerrimam ſeruitutem damnatus cenſetur Cham, cùm de illo dicitur à parente: *Seruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Geneſ. 9. n. 25. Vbi Rupertus lib. 4. in Gen. cap. 37. *Non dixit*, inquit, *ſolùm, ſeruus erit; quo nomine interdum etiam bona, vel voluntaria ſeruitus ſolet ſignificari: ſed ſeruus ſeruorum: quo additamento ſeruitus extrema, imò ſeruilis nequitia ſolet exprimi: niſi cùm per egregiam humilitatem ſe ipſum profitetur quis ſeruum ſeruorum Dei.* Quæ eſt veriſſima exceptio: nam, cùm ſerui Dei verè Reges ſint; qui eis ſeruiunt, non vilibus dominis, & contemptis; ſed nobilibus & glorioſis ſubiiciuntur. Aliàs, qui ſeruis C hominum, præſertim improbis & peccatoribus ſeruiunt, miſerrimam ſeruitutem patiuntur. Talem profectò ſubiit, qui apud Ægyptios improbos idololatras, *In ſeruum venundatus eſt Ioſeph*, Pſ. 104. num. 17. De qua re D. Ambr. ſerm. 12. in Pſ. 118. *Quæ potuit*, inquit, *nobilis proſapiæ puero grauior eſſe tentatio, quàm vt tanto familiæ ſplendore deiectus ſeruiret apud Ægyptios? Eſt conſolabilis ſeruitus ſeruire vel iuſtis: æquitate Domini leuatur iniuria ſeruitutis.* Contrà verò nulla poteſt conſolatione mulceri ſeruitus illorum, qui improbis & iniquis dominis ſubiiciuntur. Itaque ex dominorum conditione, ſeruorum conditio iudicatur. Viliſſimi ſunt ſerui, qui viliſſimis dominis famulantur.

Rupertus.

Seruire improbis, miſerrimum.

D. Ambr.

XXII. *Omnium ſeruitutum viliſſima, ſibi ſeruire.*

D Hæc quidem ita ſunt, ſi vulgare hominum iudicium, quale Philiſthinorum fuit, ſpectetur. Nam, ſi res, æqua, vt eſt, trutina appendatur; non qui aliis, ſed qui ſuis ſeruit appetitionibus in viliſſimis debet mancipiis numerari. Vnde Seneca præfatione in lib. 3. naturalium quæſtionum, infeliciſſimam appellat ſeruitutem ſibi ſeruire. Cuius rei optimam rationem reddit D. Amb. lib. 1. epiſtolarum, epiſt. 7. ad Simplicianum. Quia, qui ſibi ſeruit, *Seruit*, inquit, *propriis paſſionibus, ſeruit cupiditatibus ſuis; quarum dominatum; nec noctu poteſt fugere, nec die; quia intra ſe dominos habet, intra ſe ſeruitium patitur intolerabile.* Sed de his alibi. Igitur Philiſthini, hac ratione propoſita, ſe mutuò ad pugnandum animabant. Et vnde exhortationem in- E choarant, eodem redibant, iterum inclamantes: *Confortamini, & bellate*: Seu, vt habent Septuaginta in Bibliis regiis: *Eſtote in viros, & debellate eos.* Quaſi non ſe iam ad pugnam, ſed etiam ad victoriam excitarent.

Seneca.

D. Ambr.

* * *

Num. X. Pugnauerunt ergo Philisthiim, & cæsus est Israël: & fugit vnusquisque in tabernaculum suum: & facta est plaga magna nimis: & ceciderunt de Israël triginta millia peditum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Acerrima pugna vtrinque Hebræorum.*

PVgnauerunt ergo, &c. Tria in hoc numero continentur, Pugna, Plaga, & Fuga Hebræorum. Pugna fuit acerrima, ita Deo prouidente, vt Philisthini castigarent Hebræos, & rursum ab Hebræis castigarentur: quod esse non posset, si aut hi, aut illi initio certaminis languescerent, & sibi fuga B consulerent: sed dum vtrinque vsque ad internecionem strenuè decertatur. Quod ita factum est, vt colligitur primò ex eo, quòd vterque exercitus fortiter animatus ad bellandum concurrit: Philisthinus quidem contra Deum; Israëliticus autem pro Deo pugnaturus: vnde hunc nimia spes exacuebat; illum extrema desperatio præcipitabat: quibus calcaribus nulla subiici poterant acriora. Secundò, quia, licèt in priori certamine priùs dicatur fugisse, quàm cecidisse Israël, vt Num. 2. explicauimus: tamen in hoc posteriori, priùs dicitur cæsus, quàm fugatus. Quasi tam pertinaciter decertaret, vt priùs sanguine restagnarent agri, & cadaueribus sternerentur viæ, quàm ipse in fugam verteretur. Verùm, neque spes pugnaturis, C neque fortitudo pugnantibus profuerunt. Nam, vt notat Ioseph. lib. 5. Antiq. cap. 16. *Facta congressione, victoria, quam Hebræi sperabant, Palæsthinis allata est; & perditionem, quam illi metuebant, suscipientes Hebræi, cognouerunt frustra se habere in Arca fiduciam.* Inaniter enim confidunt, qui nullis virtutibus nituntur.

Nihil Hebræis sua spes, ac fortitudo profuit, vera probitate destitutis. Ioseph.

II. *Ingens plaga, qua nulla maior vno in prælio præcesserat.*

Et cæsus est Israël, &c. Plaga his verbis exprimitur: *Cæsus est Israël:* non quòd totus Israël cædi & internecioni patuerit, sed quòd magna pars. Additur enim, fuisse *plaga magna nimis:* triginta peditum millibus interfectis. Qua maiorem vsque ad eam diem non susceperant Israëlitæ, saltem in vno prælio: vt enim excludamus, quæ superiùs refertur; cùm in duplici pugna quadraginta Hebræorum D millia à Benjamitis occisa sunt. Iud. 20. num. 21. & 25. Item illas, quas posteà susceperunt, longè grauiores. Qualis illa fuit 2. Paral. 13. num. 17. Vbi quingenta millia virorum fortium ceciderunt. Cæterùm Septuaginta hoc loco transferunt: *Triginta millia ταγμάτων*, hoc est, *ordinum:* vt Latini ibi vertunt Interpretes. Nam *τάγμα*, significat *ordinem, agmen, cohortem, legionem.* Iuxta quam lectionem, si triginta millia agminum, aut legionum ceciderunt, in immensum augetur cæsorum numerus. Sed facilè occurrit Scholiastes in Bibliis Sixtianis: *Ordinum, id est, peditum in ordines descriptorum.* Lucifer vertit: *Virorum:* liberum relinquens, vt pedites, vel equites intelligantur. Hanc tamen libertatem sustulit Vulgata, transfe- E rens, *peditum.*

Diuersæ lectiones.

III. *An soli pedites corruerint.*

Sed, cur soli pedites numerantur occisi? Nulline equites corruerunt? Fortassè nulli. Quia per id temporis nullus erat equorum vsus apud Hebræos, duplici de causa. Vna, propter paupertatem illius temporis, & caritatem equorum & quadrigarum: nam equus centum & quinquaginta siclis, quadriga verò sexcentis siclis æstimabatur: vt patet ex 3. Reg. 10. num. 29. à quibus sumptibus vt Hebræi abstinerent, cogebat inopia illius temporis, orta ex continuis bellis, quibus

Non erat tunc equorum vsus. *Primò, ob inopiam.*

A premebantur. Vnde etiam nobilissimi quique & fortissimi iter ac bellum, nonnisi pedites, agebant: sicut de Ægypto pedites prodierunt. Exod. 12. n. 37. Immò & Saül sub initium regni sui boues in agro pascebat. 1. Reg. 11. n. 5. tantùm abest, vt equis & curribus vteretur. Qua in re prudentiores mihi videntur fuisse Israëlitæ, quam nostrates homines, si qui sunt, qui quas habent pecunias, & alendis equis, & fabricandis curribus impendunt. Altera propter legem diuinam in deserto latam. *Cùm fueris*, inquit Deus, *constitutus Rex, non multiplicabis sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero subleuatus.* Deut. 17. n. 16. Nam, licèt ea lex solis Regibus imposita videatur; nec tam equos, quàm equorum multitudinem inter- B dicat: tamen Hebræi, vt religiosiores & obseruantiores diuinæ legis se ostenderent, equorum vsum in totum abdicabant. Vnde, cùm aduersùs Israëlitas multi hostes innumeris equis & curribus consurgerent, dixit Deus ad Iosue: *Ne timeas eos: cras enim hac eadem hora, ego tradam omnes istos vulnerandos in conspectu Israël: equos eorum subneruabis, & currus igne combures.* Iosuë 11. num. 6. Victoria verò iam parta: *Fecit Iosuë*, addit Textus, *sicut præceperat ei Dominus; equos eorum subneruauit, currusque combussit igni.* Ibidem, n. 9. En, vt omnis equitatus de Hebræorum medio sub id temporis auferebatur.

Fastus nostri temporis.

Secundò, ob legem diuinam equos prohibentem.

Obseruantia diuinæ legis.

Si quæras, cur multiplicatio equorum Hebræis interdicta fuerit? Respondeo primò, ne imitaren- C tur Gentiles, qui equorum multitudine ad inanem fastum & ostentationem vtebantur: vt patet in Pharaone, Exod. 14. n. 7. qui magno curruum & equorum apparatu aduersùs Israëlitas excurrit. Secundò, vt omnia Hebræorum cum Ægyptiis, aliisque Ethnicis commercia amputarentur. Nam, cùm Iudæa non esset equorum ferax, necesse erat, vt ex Ægypto & Coa, aliisque Ethnicorum plagis per negotiationes afferrentur: vt reverà Salomonis tempore afferebantur. 3. Regum 10. num. 28. Vnde hæc cum Gentilibus commercia ad pristinos idololatrarum ritus facilè reuocarent Israëlitas, ad illud peccatum suopte ingenio procliues. Tertiò, vt Hebræi diuino ad bellandum præsidio innniterentur, non equestri: quod in re D bellica maximum censebatur. Nam, licèt pedestres copiæ parabiliores sint propter minores sumptus & expensas, quibus nutriuntur; & expeditiores, præsertim inter locorum difficultates, quas faciliùs superant, transiliunt & peterrant; vt Vegetius lib. 2. De re militari, c. 1. obseruat: nihilominùs equestres fortiores sunt, violentiùs irruunt, vastant ac demoliuntur. Vnde Philosophus 4. Polit. t 3. fatetur, apud antiquos omne in equite robur constitisse. Ne igitur Hebræi ab equestri præsidio, potiùs quàm à diuino, victorias sperarent, diuina lege cautum, vt equorum vsus tolleretur.

IV. *Triplicem ob causam multitudo equorum Iudæis interdicta.*

Veget.

Arist.

Et hanc quidem germanam legis mentem fuisse, Theod. in Deut. q. 18. testatur: *Vult*, inquit, E *eos soli Deo fidere. Quapropter beatus Dauid inclamat: Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur.* Psal. 32. num. 17. Nec immeritò: æquum enim erat, vt Hebræorum spes longè firmiori præsidio niterentur, quàm Ethnicorum, qui in suis equis & curribus nimiùm confidebant: vt patet in Sennacherib Rege Assyriorum, qui oppugnaturus Ierosolymam dicebat: *In multitudine curruum meorum ascendi excelsa montium, in summitate Libani; & succidi sublimes cedros eius, & electas abietes illius; & ingressus sum vsque ad terminos eius, & saltum Carmeli eius ego succidi.*

V. Theod. *Vana spes in præsidio equestri deponenda.*

Inanis Gentium spes in equis.

4. Reg.

Lyra. 4. Reg. 19. num. 23. Vbi Lyranus aduertit, loquutum fuisse de præterito, quòd futurum sperabat: *Quia licèt*, inquit, *ista adhuc non fecisset; tamen ex superbia cordis reputabat se certitudinaliter factorum*. Sed vana spes Coruum delusit hiantem: centum octoginta quinque Assyriorum millibus ea nocte ab Angelo interfectis. Ibidem, num. 35.

VI. *Inanis & Hebræorum.* Ne igitur Hebræi similem in suis equis fiduciam collocarent, Deus illis equorum multitudinem prohibebat, & sæpenumerò vanam esse & inanem hanc fiduciam demonstrabat, iuxta illud: *Ab increpatione tua, Deus Iacob, dormitauerunt, qui ascenderunt equos.* Ps. 75. num. 7. Quasi qui in equis confiderent, non bellare, sed dormitare viderentur. Et illud: *In silentio, & in spe erit fortitudo vestra. Et noluistis, & dixistis: Nequaquàm: sed ad equos fugiemus. Ideò fugietis. Et super veloces ascendemus. Ideò velociores erunt, qui persequentur vos.* Isai. 30. n. 15. Ac si diceret: Victoriam vobis sine vllo equorum apparatu promittebam: sed quia meo præsidio vestrum equitatum prætulistis, victoriam amittetis. Et illud: *Saluabo eos in Domino Deo suo; & non saluabo eos in arcu & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.* Oseæ 1. num. 7. Vt ex hac promissione assuescerent Hebræi, non in humano, sed in diuino præsidio sperare. Et quidem falsas fuisse spes confidentium in suis equis, certissimas confidentium in solo Deo, testatur Dauid rem satis expertus: *Hi in curribus*, inquit, *& hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus. Ipsi obligati sunt, & ceciderunt: nos autem surreximus, & erecti sumus.* Psal. 19. num. 8. & 9. Quem locum expendens D. Ambr. in Psal. 40. notat, quantò efficaciùs sit præsidium, quod à Dei nomine desumitur, quàm quod ab equis & curribus proficiscitur: nam hoc sæpenumerò frustratur & corruit, & qui illo vtuntur, maioribus difficultatibus, quàm timebant, implicantur. *Vbi autem*, inquit, *Dei nomen est, ibi nullus obligatur, sed absoluuntur vniuersi.*

Firma spes in Deo.

D. Ambr.

VII. *Spes nostra in temporalibus præsidiis non ponenda.* Itaque diligenter prouidit Deus, ne Israëlitæ spes suas in temporalibus præsidiis collocarent. Quod Deus olim magnopere curabat. Vt vno, vel altero exemplo facilè patebit. Certum est, Israëlitas multis opibus onustos de Ægypto prodiisse: vt paret Exod. 3. num. 22. & cap. 11. num. 2. & cap. 12. num. 35. Incertum tamen, an etiam prodierint armis instructi. Nam, licet aliqui affirment, propter eum locum: *Armati ascenderunt filij Israel de terra Ægypti.* Exod. 13. num. 19. Tamen Caietanus, Oleaster & alij non improbabiliter negant, transferentes ex Hebræo: *Ordinati ascenderunt.* Quod si ita est, consurgit difficultas. Nam, si exirent inopes; mirum non esset, si exirent pariter & inermes. Neque enim pauperes habent, quid armis tueantur: immò, vt ille cecinit,

Caiet. Oleast.

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Hebræi exeunt inermes de Ægypto, ne suis armis confidant. At, si diuites exeunt, cur non armis ad tuendas opes muniuntur? Dixerim, voluisse Deum, vt Israëlitæ iam inde inciperent Deo fidere: nec armorum præsidio, sed diuino patrocinio suas opes tuendas sperarent.

VIII. *Iubentur arma sumere in sabbato, in quo pugnare non licebat; ne in armis spem ponant.* Promisit olim Deus Iosuë, fore vt die septimo Iericho expugnaretur, iuxta illud: *Circuite*, inquit, *vrbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus: septimo autem die Sacerdotes tollent septem buccinas*, &c. *& muri funditus corruent ciuitatis.* Iosuë 6. à num. 3. Hebræi, quibus Lyranus assentitur, existimant, hunc diem septimum fuisse sabbatum. Quod si verum est, non minor, quàm superior exoritur difficultas. Nam Iosuë præcepit vniuerso populo, vt armatus vrbem circumiret;

Lyra.

A iuxta illud: *Ite, & circuite ciuitatem armati præcedentes Arcam Domini.* Ibidem, num. 7. Quorsum igitur in die sabbati armis opus erat, si nullus armorum vsus in illo die sacerrimo licebat? Credo, vt Israëlitæ vanam in armis fiduciam ex armis abiicerent; & certam in solo Deo spem edocerentur. Nam, si in alio die operario ad aggrediendam vrbem accederent armati; pugnandum sibi crederent, & suis viribus vincendum: cùm tamen accederent eo die, quo pugnare nefas erat; nullam in armis, totam in Deo fiduciam vt defigerent, admonebantur.

IX. D. August. *Dauid cur Goliæ pugnaturus, arma repudiarit: ne illis confisus videretur.* D. Chrys. Pugnaturus Dauid singulari certamine cum Golia, arma regia de armamentario Saülis repudiauit. 1. Reg. 17. num. 39. At, cur puer inermis
B egreditur aduersùs armatum bellatorem? Respondet D. August. lib. 50. homiliar. hom. 31. in tom. 10. *Quia expeditissimus*, inquit, *ad prælium procedere cupiebat, fortis non in se, sed in Domino; armatus non tam ferro, quàm fide.* Et D. Chrysostom. hom. 46. in Genes. *Hoc factum est*, inquit, *vt virtus Dei apertè monstraretur, & non armis, quæ fiebant, mira adscriberentur.* Sed de hac re suus erit plura dicendi locus. Igitur Israëlitæ, vt suam in Deo spem figant, equos multiplicare prohibentur. Cui præcepto illi tunc obtemperarunt, pedites cum Philisthiinis congressi. Verùm, quia cum hac obedientia, neque aliorum præceptorum obseruantiam, neque vitæ puritatem coniunxerunt, corruerunt.

Totius legis requiritur obseruantia.

X. *Fuga inordinata.* Vatablus.
C *Et fugit vnusquisque*, &c. Tandem fuga, quam tertio loco proposui explicandam, fuit valde inordinata & effusa. Inordinata quidem, quia non cecinerunt receptui, neque composito agmine retulerunt pedes: sed vnusquisque, seu, vt habet Vatabl. *singuli fugiebant palantes & pallentes*, quà cuique viam timor demonstrabat: & quod multò fuit inordinatius, ne vitam amitterent, Arcam deserebant. Nam priùs hi dicuntur fugere, quàm Arca dicatur capta; pro qua tamen gloriosam mortem occumbere debuissent. Effusa, quia non redierunt ad castra, vbi se colligerent, & contra hostem redintegrarent. Quamuis enim Vatablus transferat: *In tentoria sua*, quæ sunt mobilia, & qualia in castris habentur, habitacula: tamen vo-
D cabulo abusus est; cùm nulla deinceps fiat castrorum mentio. Singuli igitur se ad tabernacula sua, seu ad domos suas contulerunt. Nam repetita clade pertertiti, & maiori militum numero amisso exanimati, & præsidio Arcæ, quam in hostium manibus relinquebant, destituti, de resarciendo exercitu, & recuperanda victoria desperarunt. Ecce tibi, quò illa Hebræorum fiducia in aduentu Arcæ, & illi ingentes animi recesserunt.

Fuga effusa.

Vatablus.

XI. *Maior plaga post Arcæ, quàm ante Arcæ aduentum.* Qua in re vnum mihi videtur obseruatione dignissimum, quòd ante aduentum Arcæ, mediocrem tantùm plagam subierunt, quatuor hominum millibus amissis: at verò post Arcæ aduentum, multò acerbiorem cladem pertulerunt, triginta hominum millibus interemptis, castris spo-
E liatis, filiis Heli interfectis, capta ipsa Arca, ac denique omni spe recuperandæ victoriæ penitùs rescissa & deplorata. Tantùm enim abest, vt improbi peccatores ex præsentia diuina Arcæ, seu diuini Numinis adiuuentur, vt potiùs in maius exitium deuoluantur; vt præter Patres, quos suprà in hoc cap. Num. 3. ad finem iam citaui, Beda hoc loco obseruat, & in Christi Domini typum contigisse interpretatur: post cuius aduentum plures Iudæorum, quàm ante eius aduentum perierunt. *Plures*, inquit, *veniente Arca, quàm antea ceciderunt. Quia, si non venissem*, inquit, *& loquutus fuissem eis*,

Plures Iudæi post aduentum Christi, quàm ante perierunt.

peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Ioan. 15. num. 22. Et statim mysticam interpretationem prosequutus: *Possumus*, inquit, *dicere, quòd quatuor millia virorum ante aduentum Arcæ perdiderit Israël, in eis, qui ante Incarnationis Dominicæ tempus, minùs perfectè credendo, sperando, amando & operando, legis iussa spernebant. Allata autem Arca, triginta millia peditum maiori plaga perierint; qui sanctæ Trinitatis mysterium, in Euangelio cum promissione denarij cœlestis accipere renuebant.* Hæc attendite, ô Iudæi, qui vestris maioribus similes, grauiores plagas post Arcæ, quàm ante Arcæ aduentum incurrentibus; acerbiores pœnas luitis post receptum, quàm ante receptum Messiam. Nec immeritò. Quis enim dubitet, acrioribus flagellis dignos esse illos seruos, qui præsente ac vidente Domino delinquunt?

Iudæorum admonitio.

XII.
Christiani ad Deum sine debita dispositione confugientes, aliquando grauiùs puniuntur.

Simile quid aliquando accidit Christianis, vt rectè aduertit Dion. Carthusianus art. 10. mysticæ interpretationis; quod eius libet verbis inculcare: *Per Israelitas*, inquit, *Arcam Dei afferentes, intelliguntur Christiani, qui instante tribulatione quacunque, seu pestilentia, circumferunt Sacramentum, atque Reliquias; non tamen emendant suam conuersationem & mores: ideò propter sua demerita non iuuantur; immò interdum grauiori peste caduntur: & hoc iustissimo Dei iudicio, qui cordium videns arcana, scit, illos pro euasione & cessatione periculorum corporalium deprecari, non ex recta radice, hoc est, non ex charitate, neque syncera intentione; sed ex amore carnali, quo diligunt vitam præsentem, ac prospera eius: sicq; oratio eorum fit in peccatum, & indignationem prouocat Deitatis; quoniam importunè & indiscretè orant, pro his rebus, de quibus ignorant, an saluti eorum expediant; & ea, quæ Deus requirit ab iis, & sunt de necessitate salutis, omittunt.* Hæc ille dilucidè ac disertè. Idem planè accidit, quoties auxilia diuina maiora donantur: post quorum contemptum multò grauiora peccata, & multò grauiùs punienda committuntur.

Num. XI. Et Arca Dei capta est: duo quoque filij Heli mortui sunt, Ophni & Phinees.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.
Arca legis nec defendit sacrilegos: nec à sacrilegis vult defendi.
Theod.

A*Rca Dei capta est.* Tolerabilis esset militum iactura, si Arca Dei incolumis superesset. Verùm non solùm populus periit, sed etiam Arca capta est. Quia, sicut Arca legis non defendit legis transgressores, vt proximè dictum est: ita nec à transgressoribus legis patitur se defendi; vt rectè Theod. serm. 10. De Prouidentia, aduertit: *Deus*, inquit, *allophylis Arcam tradidit, populi iniquitatem arguens. Nec enim oportebat legem, propugnatorem suum facere eos, qui legem palàm transgressi fuerant.*

Magnitudo huius plagæ.
D. August.

Huius cladis magnitudinem expressit Dauid, dicens: *Audiuit Deus, & spreuit, & ad nihilum redegit valdè Israël.* Psal. 77. num. 59. Hunc enim locum de præsenti calamitate interpretatur D. Aug. *Deo*, inquit, *spernente quid remanserunt, qui Deo adiuuante, fuerunt, quod fuerunt? Nimirum autem rem istam gestam commemorat, quando victi sunt ab allophylis, tempore Heli Sacerdotis, & Arca Domini capta est, & magna strage vastati sunt.* Itaque tantum exitium perpessi sunt Israëlitæ, cùm Arcam amiserunt, vt non solùm victi, non solùm cæsi, sed etiam ad nihilum redacti dicerentur. In eundem sensum explicat illud eiusdem Psalmi, n. 61. *Tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Illa enim Arca, quæ illius populi & munimentum erat, & ornamentum, & vt loquitur D. Aug. vnde sibi videbantur inuicti, vnde sibi plaudebant; tandem ad hostes translata, populum reliquit & infirmum, & informem.

Populus sine Arca infirmus, & informis.

II.
Deus sicut vigilat in bonorum tutelam: ita in malorum, aliquando dormit.
Rupert.

Quis Deum iudicem & vltorem non expauescat? Ille enim, de quo aliquando Dauid: *Non dormitabit*, inquit, *neque dormiet, qui custodit Israël.* Psal. 120. n. 4. tandem populi peccatis quodammodo defessus, & calice furoris iræ suæ quodammodo inebriatus, & *crapulatus à vino*, Psal. 77. num. 65. obdormiuit. Vnde Rupertus lib. 3. in Gen. cap. 13. docet, Deum quodammodo dormiisse, quando permisit, vt Arca à Philisthæis caperetur. Quòd si tantùm dormiendo sic eum populum labefecit; quantum deiiciet in exitium deturbando?

Si Deo dormiente populus euertitur: quid faciet?

Caietanus more suo aduertit in Hebræo esse: *Et Arca* אלהים *Elohim, capta est*, hoc est, Arca *Dei iudicis.* Vt scilicet iusto Dei iudicio capta fuisse intelligatur; & ad Hebræorum, & ad Philisthinorum vltionem: vt Theod. hîc q. 13. obseruat. Philisthinorum quidem: quia, cùm existimarent, Arcam magnum fore suæ fortitudinis trophæum; tandem compererunt, eam magnum esse suæ religionis detrimentum & exitium, vt ex sequenti capite patebit. Hebræorum verò: quia magno illo diuinitatis præsidio ac monumento priuabantur. Vnde hoc supplicium, inquit Theodoretus, *Hebræos docuit, vt legitimè quidem viuentes in Dei confiderent prouidentia: legem autem transgredientes, neque in ipsa, neque in Arca confiderent. Cur enim legem transgredientes Arcam ad auxilium traherent, quæ legem intus habet suam?* Clarum enim fore videbatur, vt legis transgressores à legis Arca minimè iuuarentur. Atque hîc impleta est illa comminatio prædicta c. 2. num. 31. *Præscindam brachium tuum:* hoc est, Arcam fœderis, vt ibi cum D. Hieronymo exposuimus.

Theodor.
Captiuitas Arcæ ad Hebræorum, & Philisthinorum vltionem.

III.
Cur Hebræis Arca eripiatur.

Prima ratio excluditur.

Sed, cùm multa alia esse possent suppliciorum genera, cur hoc potissimùm elegit Deus, vt puniret Hebræos, Arca fœderis eos spoliando? Multiplex esse potest responsio. Prima, quia Hebræi contra voluntatem Sacerdotis Heli eduxerunt Arcam è Sanctuario, eámque in castra detulerunt: vt sup. Num. 4. §. 1. ex Abul. diximus. Qui igitur educendo Arcam contra obedientiam peccarunt; eam amittendo, inobedientiæ suæ pœnas subierunt. Sed hæc ratio non potest esse totalis: quia solam populi culpam, seu inobedientiam attingit, nulla Sacerdotis culpa commemorata; cùm tamen pœna per captiuitatem Arcæ inducta, non modò ad populum, sed etiam ad Sacerdotem spectarit. Nisi dicas, Sacerdotem prorsus innocentem, propter vnam populi inobedientiam punitum: quod tamen cum suprà dictis non cohæret, ex quibus constat, Sacerdotem desidem fuisse, ideóque ex proprio demerito puniendum.

IV.
Secunda ratio mystica in figurâ Christi Domini.
D Ephrem.

Secunda responsio, vt præmitteretur expressa quædam figura diuini Verbi in naturam humanam induendi, & in Iudæorum manus ad mortem mancipandi. Vnde D. Ephrem serm. De pretiosa margarita, ad finem, ex hoc loco contra Iudæos argumentatur: *Dicunt*, inquit, *Iudæi, se non credere Deum cum hominibus conuersatum esse, vt hominem. At, quid maius, ô Iudæi, Arca, an homo? Et in Arca credis, conclusum fuisse Deum: & super terram in humana ipsum natura non credis? Nos, inquiunt, non credimus enim, si Deus erat, crucifixum fuisse. Sed, cur in eo non es incredulus, quòd Arca, quæ Deum continebat, ab alienigenis capta sit? Nam, sicut illa videbatur*

batur sustinere ignominiam: ita etiam Deus Verbum, quamuis impassibilis esset; per assumptionem tamen iniuriis & contumeliis affectum est: dum ipsa scilicet assumptio crucifigeretur. Et quemadmodũ inter alienigenas ipsũ Dagon destruxit atque subuertit: ita etiam in Cruce Christus Diabolum profligauit ac vicit, & blasphemos corripuit, cognitionemq́, diuinæ suæ potentiæ infidelibus vel inuitis præbuit. Ex quibus patet, Iudæos credere, quæ volunt, non quæ debent: & proinde nihil credere, vt oportet. Nam, si crederent, quidquid fides credendum proponit; non minùs crederent Christum a Iudæis captum, quàm Arcam à Philisthæis abductam: cùm hæc capta illum capiendum adumbrarit.

V. *Tertia ratio, vt Arcæ contemptores, Arca priuarentur.*

Tertia responsio, vt qui Arcam sponte contempserant, Arcam inuiti amitterent. Violabant B filij Heli sacrificiorum ritus: propter illorum iniurias auertebantur homines à sacrificiis Domini. Videbat Heli Iudex & Pontifex, morũ sacrorumque ruinas, & dissimulabat: tota illa Sanctuarij religio paulatim exolescebat. Quid ergo? Diuino iudicio efficitur, vt Arca priuentur, qui eam debito cultu non venerantur. Solet enim Deus in illis rebus homines punire, in quibus homines peccant. Vt in primis videre est in Ægyptiis, qui peccarunt, innocentes Hebræorum pueros in Nilum demergendo. Exod. 1. num. 22. Quid ergo Deus? Nili aquas in sanguinem conuertit, Exod. 7. num. 20. vt qui innocentium sanguine aquas tinxerant, versas in sanguinem epotarent. Vnde Auctor mirabilium Scripturæ, lib. 1. cap. 18. *Hæc vindicta,* C inquit, *Ægyptiis cum Rege conuenienter euenerat; vt qui Dei populi infantes in flumen iactare præceperat, eiusdem fluminis aqua in sanguinem versa exitium bibentibus inferret, & non bibentibus pœnam præstaret.*

Variis illustratur exemplis, per quæ homines peccant, per hæc & puniri.

Auctor mirabil.

Pueros in Nilo demergentes, in mari rubro demerguntur.

V I. *Puerorum vagitum non audientes, ranarum vocibus offenduntur.*

Deinde ranarum plagis iidem Ægyptij affliguntur, Exod. 8. num. 6. vt qui puerorum vagitus, ac matrum eiulatus immiti aure respuerant; importuno ranarum coaxantium strepitu obtunderentur. Quamuis Lyra paulò aliter interpretando, nostrum quoque institutum egregiè concludat. *Ista*, inquit, *plaga correspondet culpæ; quia pueri mergebantur, vt cum minori tumultu & strepitu extinguerentur: propter quod iusto Dei iudicio inde exiuerunt ranæ in maxima multitudine infestantes sua* D *importunitate.* Ita ille. Quasi diceret: Quia Ægyptij suum peccatum occultare voluerunt, demergendo pueros, antequàm vagirent: propterea diuino iudicio factum est, vt ex eodem fluuio ranæ prosilirent, quæ importuna coaxatione eorum peccatum manifestarent.

Lyra.

Occultantes sua delicta, manifestantur.

V I I. *Puluere affligentes puluere affliguntur.*

Præterea ad Ægyptios affligendos omnis puluis terræ versus est in ciniphes, Exod. 8. num. 17. vt qui puluere in lutum subacto, seu operibus luti & lateris, Hebræos oppresserant, Exod. 1. n. 14. puluere in ciniphes conuerso opprimerentur. Tandem cinere de caminis sublato, sparsóque in auras Ægyptij feriuntur, Exod. 9. num. 10. *Vt plaga ista*, inquit Lyranus, *facta ex elemento ignis, correspondeat culpæ Ægyptiorum, qui afflixerant* E *Hebræos in decoctione laterum, in igne fornacis.* Sic ille. Vltimò, Ægyptiorum segetes grandine de cœlo percussæ colliduntur, Exod. 9. num. 25. vt puniatur eorum iniquitas imperantium lateres, & negantium paleas, ex quibus conficiendi erant. Exod. 5. n. 7. Itaque Ægyptij pœnas culpæ proportionatas subierunt in iisdem rebus, in quibus deliquerant diuinitùs castigati.

Vrentes vruntur.

Lyra.

Segetes perdunt, qui paleas negant.

V I I I. Sed & ipsi Israëlitæ similia suis sceleribus supplicia experti sunt. De quibus Isai. cap. 1. num. 4. *Dereliquerunt*, inquit, *Dominum: blasphemaue-* A *runt sanctum Israël.* En culpa. Sed vide quàm simili pœna Dei desertores à Deo deserantur: subdit enim statim Propheta: *Et derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut ciuitas, quæ vastatur.* Ibidem, n. 8. Vbi D. Basilius: *Iusti*, inquit, *Dei iudicij argumentum exhibet similium retributio. Dereliquit Dominum: eam ob causam derelinquetur filia Sion.* In tantam idololatrandi licentiam eruperat olim Ierosolyma, vt publicè dies festos ageret, in quibus sacrificaret Baalim. Quid ergo Deus ad eam? *Et visitabo*, inquit, *super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum, & ornabatur in aure sua & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei obliuiscebatur; dicit Dominus.* Oseæ 2. num. 13. Vbi D. Hieronymus: B *In paucis*, inquit, *solennitatibus, in quibus incendebat thura Dæmonibus, visitabitur in plagis, & corripietur in pœnis.* Vt in quibus diebus vanam de suis peccatis lætitiam capiebat; veram de suis suppliciis tristitiam hauriret. Immò & postea Iudæi, qui sacrum Paschatis diem Christi Domini sanguine crudeliter effuso profanarunt, Matth. 26. num. 2. vt Tertul. lib. aduersùs Iudæos, cap. 10. in fin. & lib. De Orat. cap. 14. & lib. 4. contra Marc. cap. 40. interpretatur; eam pœnam subierunt, vt paucis deinde annis recurrentibus eandem Paschę celebritatem proprio sanguine cruentarent, capti à Romanis, & extrema internecione deleti; vt Ioseph. lib. 7. De bello Iudaïco, cap. 17. testatur. Vt quo tempore tantum sacrilegium commiserant, C eodem meritum exitium paterentur.

Relinquentes Dominum, à Domino relinquuntur.

D. Basilius.

Dies festos idolis celebrantes, mœstos experiuntur.

D. Hieron.

Pascha Christi sanguine profanantes, suo cruentarunt.

Tertul.

Iosephus.

I X. *Auro idololatrantes, auro spoliantur.*

Denique illi Israëlitæ, qui suum aurum ad fabricandum idolum in deserto contulerunt, aurum amiserunt, vitulo à Moyse in puluerem comminuto. Exod. 32. num. 20. Vt qui à Deo vero ad idolum aureum defecerant, & Deo priuarentur, & auro. Neque immeritò eisdem Moyses illa auri ramenta in aquam sparsa propinauit; vt, qui aurum sitierant, aurum biberent; & qui de possesso auro interiùs superbierant, de hausto exteriùs intumescerent; atque adeò similes sceleribus pœnæ responderent. Addunt Rabbini apud Lyram & Abulensem, eos, qui de auro biberant, pallidum auri colorem contraxisse. Credo, vt pallor oris ex auro contractus, timorem cordis ex idololatria D collectum testaretur. En, vt ex qua radice paulò ante spes salutis, ex eadem modò timor mortis oriatur; & vnde culpa erupit, inde pœna suscitetur. Sed de hac re capit. 2. Num. 5. §. 26. nonnulla dicta sunt, & plura in inferioribus dicentur. Quia igitur Hebręi in Arca contemnenda peccauerunt, meritò in eadem Arca amittenda puniuntur.

Possesso auro superbientes, hausto intumescunt.

X. *Quarta ratio. Ne sacra loca sacrilegis futura præsidio putarentur.*

Quarta responsio sit, Arca spoliatos fuisse, vt intelligerent peccatores in suis sceleribus sordescentes, nullum sibi fore etiam in locis sacris aduersùs diuinã vltionem munimentum. Quamuis enim sacerrimum illud sit, si peccatores illo abutantur, destruetur. *Non enim propter locum, Gentem; sed propter Gentem, locum Deus elegit.* 2. Mach. 5. n. 19. Ita Theod. Orat. 1. in Dan. Vbi ostendens proE pter Sacerdotũ malitiã loca & vasa sacra, ita Deo permittẽte, ab hostibus profanari, exemplúmque adducens Balthasaris vasa sacra polluentis, Dan. 5. n. 2. subdit: *Hoc item de Arca olim fecit Deus: nam postquàm Ophni & Phinees, Heli Sacerdotis filij & impij & detestabiles, ea secum assumpta ad suppetias cognatis ferendas exière; redarguit ipsorum impietatem Deus, nulláque eos prouidentia dignatus, digna cæde interficiendos curat. Arcam vero alienigenis tradit: Israëlem rursum erudiens & commonefaciens, eá sibi Areá nihil opus esse; sed ipsorum causa illam construxisse: & superuacaneum ipsis quoque illius vsum,*

Theod.

vsum, siue metu diuinam violantibus legem, & impie viuere instituentibus.

XI. *Sacra loca in pœnam ob malos mores profanantium euertuntur.*

Quid olim sanctius Ierosolyma? Vnde Christus Dominus præcipiebat *Non iurare omninò, neque per cælum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum eius: neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni Regis.* Matth. 5. num. 35. Et tamen Deus propter peccatum Iudæorum: *Reliqui*, inquit, *domum meam, dimisi hæreditatem meam.* Ierem. 12. n. 7. Et Christus Dominus: *Ecce*, inquit, *relinquetur vobis domus vestra deserta.* Matth. 23. n. 38. In quo loco sanctus Vualfridus libro De rebus ecclesiasticis, cap. 15. *In vanum*, inquit, *ligna & lapides poliunt, qui mores non componunt: frustra dona & pecunias comportant, qui interiùs diuinæ subtilitatis oculum non placant. Nam, quia Iudæi Dominum interiùs non audierunt, exteriora eorum contempsit.* Quod ex citatis locis confirmans, concludit: *Ergo propter peccata hominum loca sacra à Deo negligi testis est Arca ab allophylis capta; templum toties euersum, vel profanatum; & multa Christianorum Ecclesia nunc à Barbaris vastata, vel subuersa; nunc ignibus, vel fulminibus desolata; nunc terramotibus, vel turbinibus diruta*, &c.

Vualfrid.

XII. *Recedunt Angeli à sacris locis, in quibus mali mores consuescunt.* *Iosephus.*

Et paulò pòst docet, etiam Angelos recedere à sacris locis, in quibus vera religio violatur. Nam, cùm Angeli Dei solio assistant; recedente Deo ab iis locis, si non per præsentiam, saltem per beneficentiam; ipsi quoque Angeli recedunt. Et confirmat ex Iosepho lib. 7. De bello Iudaïco, cap. 17. dicente, propter peccata Ierosolymæ, auditam fuisse custodum inuisibilium vocem de interioribus templi: *Transeamus ex his sedibus.* Et statim: *Neque verò*, inquit, *sacra loca illis prosunt, qui sanctitatem proiiciunt: sicut nec loca horrida obsunt his, qui Domini gratia proteguntur.* Et vtronque variis exemplis illustrat. Primum quidem: quia præsumptores & negligentes, Nadab & Abiu, in locis sanctis mulctantur. Leuit. 10. num. 2. Chore cum seditiosis ante tabernaculum igne Dei deuoratur. Num. 16. num. 31. Heli Sacerdos in loco sancto fractis ceruicibus expirauit. Hic n. 18. Bethsamitæ in conspectu Arcæ damnantur. 1. Regum 6. num. 19. Iuxta Arcam petitur Ioab: iuxta altare trucidatur. 3. Regum 2. à num. 28. Ozias Sacerdotium indignè vsurpans, lepra perfunditur. 2. Paralip. 26. num. 19. Secundum verò probat. Nam humiles, inquit, & Deum timentes in locis infimis & exitialibus saluantur. Ioseph in cisterna non periit: in carcere non perimitur. Genes. 37. num. 28. & Genes. 41. num. 14. Moyses in fluuio non necatur. Exod. 2. num. 6. Iob de sterquilinio erigitur. Iob 42. num. 10. Ieremias de lacu cœnoso sustollitur. Ierem. 38. num. 13. Daniel inter leones: tres pueri inter ignem illæsi seruantur. Dan. 6. num. 22. & Dan. 3. num. 24. Petrus liberatur de carcere. Actor. 12. num. 11. Paulus euadit de mari. Actor. 27. num. 23. *Et quid ampliùs dicam? Iniquitas de cælo Angelos deiecit: iustitia de inferno homines liberauit.* Itaque loci sanctitas hominum iniquitatem non tuetur.

Sacra loca non prosunt improbis vt sic.

Profana loca non obsunt bonis.

XIII. *Sacris locis non parcitur, vt sacrilegi puniantur.* D. Prosper.

Consentit Diuus Prosper Aquitanicus, de promissionibus & prædictionibus, p. 2. c. 24. vbi agens de peccatis Heli & filiorum eius, subdit: *Quibus sceleribus iratus Deus, prælium eis aduersa Gentis immisit, in quo non tantùm cæsus populus, quantùm etiam illi ipsi Sacerdotes interfecti, ipsa quoque Arca Dei ab hostibus capta est. Sic enim Deus Israël irascitur, peccantibus Sacerdotibus, vt etiam sacratis locis suis, vasisque non parcat. Dicit enim Dauid: Repulit Deus tabernaculum suum, vbi habitauit in hominibus.* Psal. 77. num. 60. Ita D. Prosper, cuius Magister D. Augustinus citata Psalmi verba expendens, docet propter hominum iniquitatem etiam loci sanctitatem à Deo contemni: *Eleganter*, inquit, *exposuit Dauid, quare Deus repulerit tabernaculum suum, cùm ait: Vbi habitauit in hominibus. Cùm ergo digni non essent, in quibus habitaret, cur non repelleret tabernaculum, quod vtique propter se non instituerat; sed propter ipsos, quos iam indicabat indignos, in quibus habitaret?* Cùm igitur Deus sacris locis non indigeat propter se, sed propter homines, qui ad ea supplices confugiant: cùm hi desiderentur, æquum est, vt illa destruantur.

XIV. *A templo malis moribus profanato, in pœnam profanantium, incipit iudicium.*

Quid sacratius Ezechielis templo? Et nihilominùs Deus præcipiens Angelis ferro ad vltionem armatis, vt quoscunque Ierosolymis inuenissent, occidissent, subdit: *A Sanctuario meo incipite.* Ezech. 9. num. 6. ne quis existimaret, habiturum se esse in diuino Sanctuario asylum. Angelis verò cunctantibus, & à sacro loco reuerentiæ causa abstinentibus, iterum Deus efficaciùs imperauit: *Contaminate domum, & implete atria interfectis.* Ibidem, num. 7. Vbi D. Hieronymus: *Nec vlla*, inquit, *templi religio: quia offenso religionis Deo contaminata sunt omnia: vt vnde peccatum, inde iudicium sit.* Prædicturus Zacharias extremam Israëlitici populi vastitatem exorditur à templo: *Aperi*, inquit, *Libane, portas tuas, & comedet ignis cedros tuas.* Zach. 11. num. 1. Ac si illud templum, quamuis alioqui inexpugnabile propugnaculum, tam facilè rueret, quàm si ipsum suapte sponte hostibus irruentibus panderetur. Et statim subdit Propheta: *Vlula, abies; quia cecidit cedrus.* Quasi diceret: Si sacra domus, quæ est tanquàm cedrus, ruit: profana, quæ est velut abies, quo pacto stabilis permanebit?

D. Hier.

XV. *Sacra loca destruuntur, vt profana terreantur.* D. Isidor. Pelus.

De qua re D. Isidorus Pelusiota lib. 1. epistolarum, epist. 73. *Mirari*, inquit, *te dixisti, qui fiat, vt Deus, cùm terramotum immittit, templis suis minimè parcat? At certam huius rei declarationem in diuinis libris habes. Nam, vt sancta Arca minimè pepercit: verùm eam vnà cum ipsis Sacerdotibus, qui deliquerant, Barbaris dedidit; & vrbem sanctificationis, & Cherubim gloriam, & stolam, & prophetiam, & vnctionem, & Thumim in conculcationem, & contaminationem Gentibus addixit: ita ne nunc quidem ab omni labe puris mysteriis parcit. Vt dum suis aulis minimè parcit, terrorem iis, qui peccant, iniiciat, atrociorem videlicet pœnam, ob ea, quæ agunt, expectantibus. Vlulet enim abies, quia cecidit cedrus. Fortibus cadentibus, imbecilliora erudiantur.* Ita Pelusiota. Quem disertis verbis refert sanctus Anastasius Nicenus quæst. 16. in Scripturam, vbi agit de suppliciis, quæ fidelibus per infideles inferuntur. Quasi diceret: Si domus sancta à Deo destruitur: profana quo non infortunio inuoluetur? Iam verò templum Salomonis, quo nihil erat apud Hebræos sanctius, vel augustius; non sacrificiorum oraculorúmque sanctitas defœdit, sed potiùs sacrificantium frequentantiúmque iniquitas labefecit. Vnde Diuus Chrysostomus hom. 17. ad pop. *Vt discas*, inquit, *quòd virtus sola inhabitantes ornat, Dei templum in medium afferens, hoc demonstrare conabor. Hoc enim templum, in quo sacrificia & orationes & cultus; vbi Sancta Sanctorum, & Cherubim & testamentum, magna indicia diuinæ circa genus illud prouidentiæ; vbi oracula supernè continua ferebantur; vbi Prophetæ diuini fiebant; vbi non humanæ artis apparatus, sed diuinæ sapientiæ expressio erat*, &c. *Templum tam pulchrum & mirabile & sanctum, vtentibus ipso perditis, tanta ignominia habitum est, sicque contemptum & profanum redditum; vt ante captiuitatem quidem spelunca vocaretur latronum.* Matth. 21. num. 13. *& spelæum hyænæ: posthac verò, barbaricis & immundis*

Templum Salomonis sacrilegus plenum, supplicus reijcitur. D. Chrys.

immundis & profanis manibus traditum sit. Sic ille. A
Vbi plura in hanc rem.

XVI.
Rupert.
Deus non tam materialibus, quàm spiritualibus templis delectatur.

Quærit Rupert. lib.6. De victoria Verbi, c.25. Quare Deus, sicut tres pueros de Babylonica fornace liberauit, ipsum quoque templum de incendio non eripuerit: sed permiserit, vt penitùs deflagraret? 4. Reg. 25. num.9. *Non poterat*, inquit, *Deus templum suum illæsum custodire*, &c. *qui tres pueros custodiuit?* &c. *Planè poterat. Sed erudiendus erat Mundus; vt sciret, quòd Deus excelsus non pulchris lapidibus, aureisve parietibus templi manufacti delectatur; sed fide, charitate, & mundis cordibus: & ille est ei optabilis locus.* Additque, quò ditius erat illud templum, eò minùs ei parcendum. Ne existimarent *homines cupidi de Deo malè sentientes, quòd esset eorum similis: & de religione iustitiæ nihil curantes, putarent, se satis honorare Deum muneribus aureis, suámque cupiditatē corroborarent, quasi exemplo Dei.* B Quare D. Bernardus serm. ad milites templi, c.5. templum illud, quod suo tempore Ierosolymis florebat, templo Salomonico anteponit: quia, licèt hoc pluribus diuitiis præstaret, illud pluribus virtutibus excellebat. *Illud*, inquit, id est, templum Salomonicum, *variis extitit spectandum coloribus, hoc diuersis virtutibus, & sanctis actibus venerandum. Domum quippe Dei decet sanctitudo: qui non tam politis marmoribus, quàm ornatis moribus delectatur, & puras magis diligit mentes, quàm superauratos parietes.* Itaque templa, quamuis pulcherrima & sacerrima, à Deo destruuntur, si debitis virtutum ornamentis C denudentur.

Deus non pepercit templo aureo, ut auri cupidus putaretur.

D. Bern.

XVII.
Sacra loca diuinitùs euersa pro oculis habenda.

Qua de re nequis dubitaret, monuit Deus olim Israelitas, alludens ad hunc locum; vt respicerent ad vrbem Silo priùs sanctam, posteà profanatam: *Ite*, inquit, *ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio; & videte, quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel.* Ierem. 7. num. 12. Quasi diceret; si ab illa vrbe adeò sancta non abstinui, quo iure ab aliis profanis abstinebo? Simili argumento vtitur D. Petrus: *Tempus*, inquit, *est, vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autem primùm à nobis; quis finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio?* 1. Petr. 4. num. 17. Quem locum pluribus exemplis Lorinus illustrat. Quoniam loca sacra non prosunt illis, quos sua scelera D accusant. Vnde D. Hieronymus in epistol. 13. ad Paulinum de institutione Monachi: *Non*, inquit, *Ierosolymis fuisse, sed Ierosolymis bene vixisse, laudandum est.* Et statim: *Crucis*, inquit, *& resurrectionis loca prosunt his; qui portant crucem suam; & cum Christo resurgunt quotidie, qui dignos se tanto exhibent habitaculo.* Pereunt igitur Hebræis sacra munimēta; qui priùs in cordibus suis virtutes peremerunt.

Lorin.
Præstat sanctum esse, quàm ipsi in locis sanctis.
D. Hier.

XVIII.
Quinta ratio Vt fides à Iudæis ad Gētes transferenda significaretur.

Quinta responsio mystica esse potest, vt fidei translatio à Iudæis ad Gentiles significaretur. Ita in primis Diuus Gregorius: *Arcam fæderis*, inquit, *vetus populus perdidit, vt noua plebs sanctæ Ecclesiæ, noui sacrificij mysterium recognoscat.* Et statim: *Arca Dei à Philisthæis capta asseritur: quia veteris Scripturæ Sacramenta à Gentilibus accipiuntur.* E Et eodem mysterio factum, mortuos dici filios Heli, vt vetus sacerdotium penitùs expirasse præmonstraretur. Sic & Eucherius hoc loco: *Arca*, inquit, *ab alienigenis capta indicabat, Testamentum Dei transiturum ad Gentes.* Consentit D. Optatus Episcopus Mileuitanus lib. 7. contra Parmenianū, dicens, neque Moysen peccasse, frangendo tabulas legis. Exod. 32. n. 19. neque Hebræos, obiiciendo Arcam legis Philisthinis, eam in captiuitatem abducturis: neque Baruch tradendo librum legis Regi Ioachimo, eum in ignem coniecturo.

D. Greg.

Eucher.

D. Optat.

Ierem. 36. n. 21. Sed in his euentibus mysterium præcessisse; fore vt lex in tabulis lapideis scripta, & in Arca fœderis seruata, & in libro prophetico custodita tandem abrogaretur; & noua lex non iam in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus scriberetur, toto gratiæ tempore perfectè à Christianis obseruanda. Tandem D. Isidor. libro Allegoriarum veteris Testamenti: *Duo*, inquit, *filij Heli Sacerdotis, qui, capta à Gentibus Arca, perempti sunt; significant posteritatem sacerdotij prioris fuisse extinctam, & legis Testamentum ad culmē Gentium esse translatum.* Atque hæc de rationibus, cur Arca à Philisthæis capi diuinitùs permitteretur.

D. Isidor.

XIX.
Peccatori, nec locus, nec munus prodest.

Duo quoque filij, &c. Hic impletur illa prophetia, c. 2. n. 34. *Hoc autem tibi erit signum, quod venturum est filiis tuis Ophni & Phinees. In die vno morientur ambo.* Filij Iudicum in Scriptura, filij Dei appellantur: vt Rabbi Salomon. Gen. 6. n. 2. ad illa verba: *Videntes filij Dei*, obseruat. Igitur filij Heli, qui filij Dei, & filij Excelsi dici poterant, sicut homines moriuntur. Vt intelligant peccatores, neque loci, neque muneris sanctitatem sibi profuturam, si virtutum præsidio destituantur. Item, eos, qui in Deum peccant, vt peccarunt filij Heli, nullum apud Deum precatorem habituros: iuxta illud ex c. 2. Num. 25. *Si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Quod expendens D. Isidorus Pelusiota lib. 1. epistolar. epist. 26. *Quis*, inquit, *orabit pro te? Quandoquidem nec pro Ophni & Phinees, qui aduersus Deum, ipsiúsque sacerdotium peccauerant, inuentus est quisquam, qui deprecatoris partes susciperet; verum in extremum exitium, vt Sacerdotis dignitatem prodentes, coniecti sunt.*

D. Isid. Pelus.

XX.
Intemperantia causa mortis.

Sed hanc eorum mortem idem Pelusiota libr. 1. epistolar. epist. 69. peculiari quodam nomine reuocat ad intemperantiam, cuius vitio multę sæpē calamitates inuehuntur. *An non gula*, inquit, *primos parentes à deliciis expulit? An non satietas Esau primigeniorum iure & libertate spoliauit? An non superfluus boum ac pecudum esus, Saülem & regno & vita exturbauit? An non carnium & ollarum cupiditas Israëlem in deserto commorantem innumeris tormentis & tentationibus confecit? An non rabidus venter, & carnium ereptio, & crapula, & insanus mulierum amor effecit, vt Ophni & Phinees sacerdotio, & Arca, & Tribuum imperio, & gloria, & honore truncati, hostili gladio trucidarentur?* Qua interrogatione affirmat, miseros Sacerdotes ex intemperantiæ voragine in mortis barathrum præcipitatos.

XXI.
Luxuria interfectrix.
D. Innocen. Papa.

Conseotit D. Innoceotius Papa lib. 2. De contemptu seculi, cap. 23. loquutus de suppliciis, quæ in homines per luxuriam inferuntur: *Hæc*, inquit, *Pentapolim cum adiacente regione subuertit.* Gen. 19. num. 24. *Sichimitas raptores Dinæ cum populo interemit.* Genes. 34. num. 25. *Her & Onam filios Iudæ immundos percussit.* Genes. 38. num. 7. *Iudæum & Madianitidem pugione transfodit.* Numer. 25. numer. 8. *Tribum Benjamin pro vxore Leuitæ deleuit.* Iud. 20. numer. 37. *Filios Heli in bello prostrauit.* 1. Reg. 4. num. 11. *Ammon in conuiuio interfecit.* 2. Reg. 13. num. 28. *Vriam occidit.* 2. Reg. 11. num. 17. *Presbyteros lapidauit.* Dan. 13. num. 61. *Ruben maledixit.* Genes. 35. num. 22. & Gen. 49. num. 4. *Samsonem seduxit.* Iud. 16. numer. 19. *Salomonem peruertit.* 3. Reg. 11. num. 1. *Verum est quod legitur: Propter speciem mulieris multi perierunt.* Hæc ille. Nemo igitur curiosior inquirat, Goliásne, an quiuis alius, filios Heli occiderit? Nam hos Veneris sacrificulos, ipsa sibi incontinentia immolandos reseruauit.

XXII.

Verùm D. Antiochus homil. 114. De obseruatione

Per inobedientiam, vero. natione mandati, refert hanc eorum mortem A potissimum ad inobedientiam: cuius demeritu multi sæpe interitus contingunt.

D. Antioc. *Nemo*, inquit, *qui mandatum contempsit, in rectitudine vitam instituit suam. Saul Dei mandato male moriger, in mœrore vitam cum egisset, tempore ipsi præscripto, acmii regno quoque excidit. Filij Heli, Ophni & Phinees, cum illis immorigeræ aures occalluissent ad vocem paternæ monitionis, nec paruissent dicto; Arcam quidem Dei in manus alienigenarum tradiderunt: ipsi autem vnà cum populo, meritam mercedem retulerunt, miserrima morte perfuncti.* Nihilominus, quamuis singula horum Sacerdotum peccata interitu digna essent: certum mihi est, omnia in eorum exitium conspirasse, seu propter omnia simul in interitum corruisse.

XXIII. *Cur filij Heli omnium nouissimi moriantur.* B Moriuntur autem omnium nouissimi; vt non solùm sua, sed etiam suorum morte crucientur, & qui omnium culparum auctores fuerant, omnium pœnarum participes efficiantur: quod ad Num. 18. paucis illustrabo. Dubîtari tamen potest, vtrùm ante illorũ mortem Arca capta fuerit? Nam, quamuis hoc loco priùs narretur Arca capta, quàm illi mortui; tamen paulò inferiùs Num. 17. priùs narrantur illi mortui, quàm Arca capta.

Cur ante Arcam captam. Et hoc potiùs crediderim: tum, quia ille vir currens ex prælio ad Heli, totius rei euentum, eo ordine, quo accidit, nuntiauit: tum, quia hi iuuenes, dum viuerent, capi Arcã non paterẽtur: præsertim, cùm à patre in mandatis accepissent, ne C ad eum ex prælio sine Arca redirent: vt ex Iosepho & Magistro historiæ, n. 4. iã retulimus.

An Golias interfecerit filios Heli. A quo autem, & quomodo fuerint interfecti, non constat. Philo Iudæus in lib. Biblicarum Antiquit. refert eos simul cum Saüle Arcam Dei tenentes, interfectos fuisse à Golia: Saülem verò, vtpote pedibus leniorem; fugisse à facie eius, & venisse ad Heli. Sed fides sit penes Auctorem: nam in Scriptura nullum eius rei inuenio fundamentum.

XXIV. *Opinio, qua tenet, mortem æternam subiisse.* Maior dubitatio esse potest, an vltra mortem temporalem, æterna quoque puniantur? Vt sine temeritate quis affirmet, eorum malitia satis nota, & nunquam, quod sciamus, retractata, videtur suadere.

D. Ephrem. Et fauet D. Ephrem Syrus in libro, qui inscribitur: *Confessio, & sui ipsius reprehensio.* Nam loquutus de Nadab & Abiu: *Mortui*, inquit, D *sunt cum illis, ne spatium quidem pænitentiæ, ac se defendendi concessum sit.* Et statim: *Ophni quoque & Phinees hos imitati; quia in insolentia & arrogantia perstiterunt, eidem iudicio subiecti sunt.* Quare, cùm Ephrem illos priores fratres æterna morte damnatos putet; cumque hos posteriores illis similes arbitretur; planè significat, eos eidem pœnæ subiacere: præsertim, cùm dicat, in insolentia & arrogantia perstitisse: quod videtur finalem impœnitentiam sonare. Et certè æterna damnatio maiori iure de Ophni & Phinees, quàm de Nadab & Abiu videtur affirmanda: nam horum peccatum circa ignem alienum, Leuit. 10. n. 1. vnum fuit; & propter aliquam ignorantiam magna ex parte eleuandum: illorum autem plurima; & E propter apertam malitiam, quam in illis patrandis ostendebant, incredibiliter augenda.

D. Antioch. Consentire videtur D. Antiochus paulò antè citatus, dicens, hos duos Sacerdotes *miserrima morte* perfunctos. Nam temporalis tantùm mors, qua quis in prælio pro aris & focis tuendis fortiter occumbit; non miserrima, sed gloriosissima habetur: Ergo loquitur de æterna.

D. Chrys. Et simili phrasi vtitur Diuus Chrysostoomus lib. 3. contra vituperatnres vitæ monasticæ, dicens, eos *turpiter & miserabiliter* corruisse: non est autem turpis & miserabilis ruina corporum fortiter in bello dimicantium, nisi A cum ruina animorum ab æterna salute excidentium coniungatur. Et qui sentiunt, parentem Heli, æternam damnationem incurrisse, paulò inferius, Num. 18. referendi: à fortiori id de filiis existimabunt, quorum multò fuit pœna grauior, audacia proiectior, licentia effrænatior.

XXV. *Opinio eos ab æterna morte eximens.* Nihilominùs, vt quis neget, filios Heli damnatos esse, illa ratio esse potest, quòd pro tuenda Arca in bello occubuerunt. Nam, si Ethnici ex diuino imperio bellantes, dicuntur in Scriptura sanctificati, iuxta illud de Medis à Deo dictum: *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes in ira mea.* Isai. 13. n. 3. à fortiori credi potest, verè sanctificatos fuisse illos, qui non fugiendo, sed pu- B gnando pro Arca mortem obierunt. Et quidem Dauid *sanctos* vocat illos, qui in excidiis Ierosolymitanis (neque enim de vno tantùm excidio mihi videtur Vates loquutus; sed de pluribus, nunc hoc, nunc illud sub diuersis circunstantiis attingendo) pro sancta vrbe tuenda fortiter eciderunt. *Posuerunt*, inquit, scilicet, fidei hostes, *morticina seruorũ tuorum escas volatilibus cæli; carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.* Psal. 78. n. 2. Quasi omnes, qui debito fidei zelo, & religionis studio inflammati tam iusto in bello occubuerint, non solùm Sanctorum nomine vocandi; sed etiam Sanctorum numero adscribendi viderentur.

XXVI. *Martyres appellantur, qui pugnando pro fide moriuntur.* At verò D. Bernardus serm. ad milites templi, cap. 1. eos, qui nunc in Ecclesia contra fidei per- C duelles dimicando moriuntur, nõ modò Sanctos, sed etiam Martyres appellat.

D. Bern. *Quàm gloriosi*, inquit, *reuertuntur victores de prælio, quam beati moriuntur Martyres in prælio?* Et statim discrimen constituit inter eos, qui ex humana cupiditate, & qui ex diuino zelo præliantur. De prioribus quidem sic eleganter: *Si in voluntate*, inquit, *alterum occidendi, te potiùs occidi contigerit, moreris homicida. Quòd si præuales, & voluntate superandi, vel vindicandi fortè occidis hominem, viuis homicida. Non autem expedit, siue mortuo, siue viuo, siue victori, siue victo esse homicidam. Infelix victoria, qua superans hominem, succumbis vitio; & ira tibi, aut superbia dominante, frustra gloriaris de homine superato.* Et statim c. 2. sequenti: *Quis igitur*, inquit, *finis fructusq́;* D *secularis huius, non dico militiæ, sed malitiæ; si & occisor lethaliter peccat, & occisus æternaliter perit?* De posterioribus verò, qui fidem religionémque in prælio defendendam suscipiunt, non minùs eleganter. *Securi*, inquit, *præliantur, nequaquàm metuentes, aut de hostium cæde peccatum, aut de sua nece periculum: quandoquidem mors pro Christo, vel ferenda, vel inferenda, & nihil habeat criminis, & plurimum gloriæ mereatur.* Et paulò pòst: *Miles Christi securus interimit, securior interit. Sibi præstat, cùm interit: Christo, cùm interimit. Cùm occidit malefactorem, non homicida; sed, vt ita dixerim, malicida reputatur: Cùm occiditur ipse, non periisse, sed peruenisse cognoscitur. Mors ergo, quam irrogat, Christi est lucrum; quam excipit, suum.*

XXVII. E Hæc D. Bernardus disertè & argutè. Quibus non parum commendat eorum sortem, qui pro fide & religione pugnantes, in prælio moriuntur, eos non modò Sanctos, sed etiam Martyres appellando.

Familiare exemplum, Olysipone. Cuius rei familiare exemplũ habemus Olysipone, vbi templum cernitur Deiparæ Virgini sacrum, & à Martyribus nuncupatum, vulgò, *Martes*; ita dictum, vt Lusitani historici referunt, propter illos strenuos milites, qui in expugnanda vrbe, vindicandáque à Maurorum imperio gloriosè occubuerunt. Quorum præclara in vita facinora, & gloriosa post mortẽ miracula referuntur.

Hoc

Abul.

Hoc igitur pacto dicet aliquis, duos filios Heli pro Arca strenue pugnantes, temporalem quidem vitam amisisse, sed æternam comparasse. In quam partem Abul. quæst. 17. maximè inclinat. Ego neutram partem audeo definire. Nihil de diuina misericordia despero: multùm tamen de humana malitia reformido. Vnum dico, quamuis æternam salutem consequutos fuisse quis admittat: Martyres tamen, propriè loquendo, minimè appellãdos. Quia Martyres sunt, qui Christi Domini patientiam in morte subeunda, non resistendo, sed sustinendo imitantur: vt nostri Theologi, Valent. 22. disp. 8. quæst. 2. puncto 1. Lessius libro 3. de fortitudine, cap. 1. dubit. 3. numer. 36. & alij testantur. Sed, quia hactenus de Arca ad Literam, satis multa dicta sunt: superest, vt allegoricè circa B eandem paululùm excurramus.

Qui propriè Martyres dicantur.
Valent.
Lessius.

ANNOTATIO XI. CIRCA LITERAM.

In Arcæ fœderis sanctitate, Beatissimæ Deiparæ sanctitas præmonstratur.

I.
Arca Iesu & Mariæ typus.



RCA fœderis inter alia multa, quorum typus fuit, duo præcipuè repræsentabat, sanctissimam Dei Matrẽ Virginem Mariam, & sanctissimum eius Filium Christum Dominum, non solùm propria in specie cõsistentem, sed etiam sub sacrosanctæ Eucharistiæ speciebus latitantem. Hanc posteriorem significationem ad caput sextum illustrandam sepono. Illam priorem hoc loco breuiter illustrabo. Cùm verò Arca multis nominibus Deiparã Virginẽ repræsentare possit, quæ omnia percurrere non possumus, nisi si nostri immemores instituti, vltra Interpretis munus excurramus: duo potissimùm expendemus, Arcæ sanctitatem, & patrocinium; quæ ex hoc loco apertiùs eruuntur, vt ex dicendis patebit. Vnde duplex inter Arcam ac Deiparam similitudo colligetur. Vna, quòd vtraque sancta sit: altera, quòd vtraque suo populo propitia censeatur. De patrocinio in sequenti Annotatione disseremos: de sanctitate in præsenti, duplicem in sectionem diuisa; quarum altera, Arcæ; altera Deiparæ sanctitatem complectetur.

Arca sancta & propitia sanctitatem, & patrocinium B. V. repræsentat.

SECTIO I.

Arca fœderis eximia sanctitas.

II.
Arca multis nominibus sancta.

SAnctitatem Arcæ passim diuinæ Literæ testantur. Dauid: *Adorate*, inquit, *scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*. Psalm. 98. num. 5. Vbi nomine scabelli, Arcam intelligit, eámque sanctam appellat. Immò & *Sanctum*, substãtiuè, quasi Sanctuarium nominat. *Dominus in eis in Sina, in Sancto*. Psal. 67. n. 18. Vbi loquitur de curru Dei, qui & in Sina, & in Arca super Cherubim struebatur. Quin etiam abstractè vocat, sanctitatem, vel sanctitudinem: *Confitemini memoriæ sanctitatis eius*. Psal. 29. num. 5. Et iterum: *Domum tuam decet sanctitudo, Domine*. Psalm. 92. num. 5. In quorum priori loco ad memoriam Arcæ conseruandam exhortatur. In posteriori, decentem eius locum templum esse demonstrat. Tandẽ ab effectu sanctificandi, sanctificationẽ dicit: *Confessio & pulchritudo in conspectu eius: sanctitas & magnificentia in sanctificatione eius*. Psal. 95. num. 6. Hoc est: *In* A *Arca eius*. Ad cuius præsentiam Deus suum populum sanctificabat. Vnde & in Psal. 131. n. 8. *Arca sanctificationis* dicebatur. Sic alij atque alij prædictos Psalmorum locos interpretantur. Sed, vt res fiat illustrior, hæc Arcæ sanctitudo duplici ex capite innotescit. Vno, quòd multò excedebat res alias creatas. Altero, quòd ad ipsum rerum omnium Creatorem Deum proximè accedebat.

Arca duplici titulo sancta.

III.
Sanctitate res creatas superabat.

Quod ad primum attinet: Nihil Arca fœderis erat sanctius: omnia ei primas in sanctitate deferebant. In primis Arcam Noë, vnicam totius Mundi arcem, facilè superabat Arca fœderis. Nam illa ex communibus lignis, intus forísque bitumine interlitis, constructa erat, Gen. 6. num. B 14. & ita fabricata, vt nullibi posset retineri; sed huc atque illuc circumuagari: hæc autẽ ex lignis setim, hoc est, ex lignis cedrinis & incorruptibilibus compacta erat; intus ac foris auro mundissimo illusa, & quibusdam per latera circulis, quibus religari posset, quodammodo ansata. Exod. 25. num. 10. 11. & 12. Quod discrimen D. Ambrosius libro De Noë & Arca, capite 7. expendens: *Sicut*, inquit, *pretiosius aurum bitumine; ita illa, quæ in sanctis est, Arca, quàm ista præstantior. Denique hic simpliciter ligna posuit; ibi autem ligna quidem, sed imputribilia comprehendit, declarans merita Sanctorum. Addidit etiam, illic supportatoria immobilia esse, quòd Sanctorum statio stabilis & firma sit; quia vitæ probabilis tramitem, virtutis ductu, secuti* C *sunt, corruptela declinantes consortia. Hæc autem Arca, vtpote in diluuio, huc atque illuc motu impellebatur incerto; eò quòd peccatorum status mobilis sit, & vita eorum, quodam redundantium passionum diluuio, corruptioni obnoxia, errore inconstanti vagetur*. Vbi vides Arcam fœderis, illi veteri Arcæ Noë triplici nomine antepositam.

D. Ambr.
Sanctior, quàm Arca Noë.

IV.
Nihil immundum continebat.

Præterea in Arca Noë non solùm munda, sed etiam immunda animalia claudebantur. Genes. 7. num. 2. At verò Arca fœderis nihil nisi purissimas legis tabulas includebat. 3. Reg. 8. num. 9. Vt quo lex diuina est sanctior, quàm immundæ animantes; eò Arca fœderis sanctior, quàm Arca Noë censeatur. Addit Barcepha Syrus libro 1. De Paradiso, cap. 14. in 1. tom. Bibliothecæ, 2. editionis, D Noë detulisse secum in Arca ossa Adami, præsidium sibi in illo communi naufragio allatura: at verò Arca fœderis, non solùm intra se, verùm etiam nec prope se mortuorum ossa patiebatur. Vnde Abul. quæst. 10. in cap. 3. Iosuë, & Masius ibidem, reprehendunt eos Rabbinos, qui dicebant, in transitu Iordanis duas Arcas populo præiuisse; vnam diuinitatis, sic enim appellabant Arcam fœderis; alteram Iosephi, in qua scilicet Iosephi cadauer portaretur: reprehendunt, inquam, quòd licèt Iosephus, sanctissimus extiterit Patriarcha; tamen Arca diuinitatis nullum cum Arca mortalitatis commercium haberet, nec illius secum vicinitatem toleraret; præsertim, cùm cadauera & sepulcra mortuorum, Num. 19. n. E 16. quotuncunque essent, immunda censerentur.

Barcepha.
Nihil mortuũ in se, aut prope se patiebatur.

Abul.
Masius.

V.
Impuros homines ad se accedere non permittebat.
Bechacaüs.

Ad hæc, non defuit quidam Rabbinus, nomine Bechacaüs, qui asseruerit, quamuis omnes tam homines, quàm animantes in Arca Noë toto diluuij tempore castitatem coluerint; tamẽ vnum Cham, minorem filium Noë, illam violasse: ex eóque congressu Æthiopas propagatos, qui corporis nigredine malitiã patris testarentur. Quam intemperantiam D. quoque Chrys. hom. 28. & 29. in Genes. & alij, eidem Chamo tribuerunt. Nam ad illa verba, *Porrò Cham ipse est pater Chanaan*. Genes. 9. num. 18. quærit D. Chrysost. prio-

D. Chrys.

ti loco citatus, cur solus Cham in Arca pater dicatur? Et respondet: *Voluit Scriptura, per hoc nobis illius intemperantia nimietatem insinuare: & quòd neque calamitatis magnitudo illum coërcere potuit, neque tanta in Arca angustia irrefranatam illius concupiscentiam sedauit: sed, quamuis senior nondum filios procreauerat; hic incontinentia deditus, in tempore tanta indignationis & generalis interitus, rei venerea deditus fuit, & cupiditatis intemperantiam non frenauit.* Hæc Chrysostomus. Et posteriori loco citato obseruat, iterum vocari Cham, patrem Chanaan, cùm videns, verenda patris sui esse nudata, nuntiauit duobus fratribus suis foras. Gen. 9. n. 22. *Vt discas*, inquit, *illum fuisse intemperantē & incontinentem; & mente, qua in tanta turbatione procreande proli vacauit, eadem etiam nunc in contumeliam patris prorupit.* Quasi alienum non fuerit ab eo, qui castitatem in Arca violarit, pietatem quoque parenti debitam cōtempsisse. Hæc itaque in Arca Noë gesta sunt. At verò Arca fœderis tantò erat sanctior, vt ad se immundos homines appropinquare minimè pateretur. Cur enim Oza labantem ex plaustro Arcam sustentare aggressus; repentina morte interficitur? 2. Reg. 6. n. 7. Missis aliis rationibus ad eum locum referendis, illa est ad rem præsentem, quam tradunt Rabbini, & referunt Magister historiæ lib. 2. Reg. cap. 9. Hugo Card. in c. 11. Act. Dionys. Carthusianus tom. 1. in Tract. De Sacerdōtibus Curatis, seu de vita Curatorum, art. 59. & alij: Nimirum, Ozam post accessum ad vxorem, quamuis licitum, ad Arcam accessisse. Quasi sanctitas illius Arcæ tanta esset, vt omnem immunditiæ labeculam prorsus excluderet. Vides, vt Arca fœderis Arcam Noë magno superet sanctitatis internallo?

Mag. hist. Hugo. Dion.

VI. *Sanctior, quàm vulgares homines.*

Iam verò vulgarium, seu laïcorum hominum sanctitatem facile superabat. Vnde Iosuë transiturus Iordanem, præcepit, vt præiret Arca, Sacerdotum humeris exportata: ad vulgares autem homines: *Vos quoque*, inquit, *consurgite, & sequimini precedentes: sitque inter vos & Arcam spatium cubitorum duûm millium.* Ios. 3. num. 3. & 4. Cur, quæso, inter populum & Arcam, tantum voluit spatium interiacere? Respondent Origen. Lyra, & Abulensis ibidem, vt debita Arcæ reuerentia præstaretur, cuius tanta erat sanctitas, vt propior ad eam accessus vulgaribus hominibus non pateret. Quòd si quis alicuius sceleris conscius accedebat, impunitus non abibat. Vnde Moyses, superatis Madianitis, captiuas fœminas sic distinxit, vt honestis quidē parceret; impuras autē iugularet. Num. 31. n. 17. & 18. At quo pacto has ab illis dignoscebat? Respondent Hebræi apud Abulensem, quòd omnes coram Arca præsentabantur: at honestæ quidem persistebant incolumes; impuræ verò tanquàm aliqua occulta vi perculsæ corruebant: ac si stare non posset coram Arcæ sanctitate, illarum improbitas fœminarum.

Origen. Lyra. Abul.

Impura fœminæ coram Arca corruebat.

VII. *Achan sacrilegus coram Arca deprehensus.*

Sic posteà Iosuë certus de furto ac sacrilegio, quod in populo commissum fuerat, sublata tegula aurea de anathemate Iericluntino; & incertus de furti ac sacrilegij auctore; sortibus rem definiuit, & criminis artificem deprehendit. Ios. 7. à n. 14. Sed qualis fuerit hæc sortitio, in Litera non exprimitur. Talmudici affirmant, omnes Israëlitas iuxta Arcam transire iussos; & reliquis impunè ac liberè abeuntibus, solum criminis reum veluti iniecta manu ab Arca ita retentum, vt ne pedem quidem vlteriùs mouere potuerit. Ac si ante sanctitatem illius Arcæ clarissimè radiantem, occultari non posset illius furti ac sacrilegij turpitudo. Et quod de Deo cecinit Dauid: *Non habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.* Psal. 5. num. 6. hoc ipsum de Arca dici possit, quæ nemini apud se maligno patrocinetur.

VIII. *Sanctior, quàm Sacerdotes & Principes.*

Tandem Sacerdotibus, ac primariis hominibus multùm Arca eminebat: Sacerdotibus quidem, quia eorum humeris portabatur. Ios. 3. n. 6. primariis autem hominibus; quia hi Sacerdotum pedibus suos humeros subiiciebant: vt patet ex iis, quæ Deus dixit ad Iosue: *Elige*, inquit, *duodecim viros, singulos per singulas Tribus, & præcipe eis, vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi steterunt pedes Sacerdotum, duodecim durissimos lapides*, &c. Ios. 4. num. 3. En, vt lapides Sacerdotum pedibus paulò antè subiecti, paulò pòst Principum humeris imponuntur. Principes enim fuisse non ambigo, quos Deus, non vtcunque obuios, sed diligenter electos huic muneri destinauit. Vnde fit, vt vtrisque Arca sua sanctitate præcellat: nam Principes Sacerdotibus, Sacerdotes verò Arcæ suos humeros substernunt.

IX. *Abul. Sanctior, quàm tabernaculum. D. Hier.*

Addit Abul. in c. 23. Exod. quæst. 18. ad finem, solam Arcam maioris reuerentiæ fuisse, quàm totum tabernaculum. Vnde Dauid: *Introibimus*, inquit, *tabernaculum eius: adorabimus in loco, vbi steterunt pedes eius.* Psal. 131. num. 7. seu, vt vertit D. Hieronymus: *Adorabimus scabellum eius*: hoc est, *Arcam*, qua Deus, vt scabello vtebatur. Vbi maior reuerentia vni Arcæ, quàm toti tabernaculo deferenda significatur. Hinc etiam Salomon nouum Deo templum construxit: nouam tamen Arcam non fabrefecit; quia tabernaculo aliud templum augustius esse poterat: at verò Arca fœderis nulla sanctior potuit inueniri. Quo fortasse mysterio præcipitur Moysi, vt Arcæ coronam auream imponat: *Facies*, inquit, *suprà coronā auream per circuitum.* Exod. 25. n. 11. Vt ab hoc signo Arca facilè Princeps ac Regina omnium rerum videretur. Huc pertinet illud, quod in primo tomo Annot. 2. Sect. 1. §. 6. ex Lyrano & aliis obseruaui, tantam fuisse apud Hebræos Arcæ sanctitatem, vt nemini liceret sedere iuxta illā. Quasi omnes ante illam procumberent, eámque cernui venerarentur. En, vt Arca rebus humanis excedebat.

Nemo iuxta Arcam sedebat.

X. *Arca sua sanctitate Deum maximè referebat.*

Quod attinet ad secundum eius sanctitatis argumentum: Ad Deum proximè accedebat. Vnde sæpè in Scriptura non solùm Arca Domini, sed etiam ipse Dominus dicebatur: vt iam in Litera, Num. 7. ostendimus. Quare sicut Deus propter infinitam eius excellentiam naturaliter videri nequit; iuxta illud: *Qui lucem inhabitat inaccessibilem.* 1. Tim. 6. num. 16. Et illud: *Posuit tenebras latibulum suum.* Psalm. 17. n. 12. Et illud: *Qui tenet vultum solij sui, & expandit super illud nebulam suam.* Iob. 26. n. 9. & sexcenta alia id genus, quæ passim occurrunt: ita & Arca in Sanctuariū abdita à nemine videbatur, propter eximiam eius sanctitatem. Iam verò tam multa illa inuolucra, quibus Arca tegebatur, Num. 4. à n. 5. seu, vt transferunt Pagninus & Oleaster, quibus tegebatur ipsa *sanctitas*; quorsum spectabant; nisi vt ostenderent, nullius esse tam sanctum simplicémque oculum, vt in illius sanctitatis speculum coniici mereretur?

Arca inuisibilis quodammodo, vt Deus.

Pagnin. Oleast.

XI. *Par quodammodo Deo & Arcæ reuerentia deferebatur.*

Nam sicut Seraphini, qui illum trisagium hymnum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, Domino canebant, facies suas velabant, Isai. 6. n. 2. existimantes, se indignos, qui supremā illam Dei sanctitatem, quam laudabant, intuerentur: ita & Israëlitæ illud sanctitatis monumentum frequenter quidem prædicabant & implorabant, sed videre non audebant, ne morerentur. Hæc enim pœna huic temeritati

temeritati imponebatur, Num.4. n.15. vt videre est in Bethsamitibus, è quibus septuaginta viri de populo super quinquaginta millia plebis diuinitùs percussi ceciderunt, 1.Reg.6.n.19. nō aliam fortassè ob culpam, interprete Caietano ibi, & Oleastro proximè citato, aliisque ad eum locum referendis; nisi quòd vidissent Arcam Domini nudam, ac suis inuolucris detectam; seu, vt vertit Caietanus, *Eò quòd vidissent in Arca Iehouah.* Adeò enim Arca sancta erat, vt qui illam videbat, Deum vidisse crederetur. Et sicut videntes Deum moriebantur, iuxta illud Manue ad vxorem suam: *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Iud.13. num.22. ita & videntes Arcam: ac si non minor Arcæ, quàm Deo reuerentia tribueretur ac deberetur.

Caiet. Oleast. *Sicut videntes Deū, ita & videntes Arcam, moriebantur.*

XII. Hæc etiam Arcæ cum diuinitate vicinitas colligi rectè potest ex illo præcepto, quod Deus imposuit Summo Sacerdoti Sanctuarium, in quo erat Arca, ingressuro: *Tunica*, inquit, *linea vestietur: fœminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea: cidarim lineam imponet capiti: hæc enim vestimenta sunt sancta.* Leuit.16.num.4. Cur enim nulla vestis serica, nulla lanea; sed omnes lineæ Sacerdoti Arcam adituro tribuuntur? Respondet Philo Hebr.lib. 2. De Monarchia, non procul ab initio, aptè ad rem præsentem: *Iubetur*, inquit, *Pontifex vestem lineam sumere, dum adyta subit; quia linea non conficiuntur ex mortali materia, sicut lanea.* Quasi tanta fuerit Arcæ diuinitas, vt nullum coram illa apparere debuerit vestigiū mortalitatis. Vnde & Dauid *accinctus Ephod lineo saltabat totis viribus ante Dominum.* 2. Reg.6. n.14. Lineo, inquam, ne ante diuinitatis Arcam, mortalitatis tunica appareret: ante Dominum verò, hoc est, ante Arcam, quæ ipsius Domini vicem obtinebat. Quare nihil mirum, si tantus Rex, quam Deo reuerentiam debebat, vni Arcæ deferendam iudicaret. En sanctitas illius Arcæ rebus creatis altior, vicinior Creatori.

Coram Arca nullum mortalitatis vestigium apparebat.

Philo.

XIII. Ad hæc, sicut Arca sancta erat, ita rebus omnibus, quibus aderat, miram quandam sanctitatem conferebat. Quid enim ab illius præsentia purum, sanctúmque non reddebatur? Hebræorum castra adeò sancta erant, vt in se neminem impurum paterentur: vt multis constare potest argumentis. Nam, qui lepra, aut vlla macula legali laborabant, à castris recedere iubebantur. Num.5.n.2. Item, qui reuertebantur de cæde Madianitarum, ponebantur septem diebus extra castra; donec à sanguine, quem effuderant, ac cæde recenti expiarentur. Num.31.19.& 24. Tandem, qui ex Gentibus Iudaïsmum profitebantur, antequàm profanos ritus prorsus dediscerent, & pristinæ superstitionis contractas sordes penitùs eluerent & abolerent, à castris exulabant. Ios.6. num.23. & sic de similibus. Vnde, postquàm Deus aliquos immundos homines à castris abigendos curabat; rationem, cur id præciperet, reddebat, dicens: *Et sint castra tua sancta, & nihil in eis appareat fœditatis, ne derelinquat te.* Deuter. 23.n.14. Sed vnde hæc castrorum sanctitas proueniebat? Respondet Andreas Masius in locum Iosuë citatum, prouenisse ab Arca fœderis, quæ in castrorum medio colebatur. Et probat: quia antequàm Arca fieret, Gentiles cum Hebræis de Ægypto egressi promiscuè in castris morabantur. Exod. 12. n. 38. En eximia Arcæ sanctitas, quæ nihil prope se immundum, nihil inquinatum patiebatur.

Arca sanctitatem communicabat.

Masius.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

SECTIO II.

Sanctitas Beatissimæ Deiparæ multò excellentior.

I. NVnc ad te venio, sanctissima Deipara, non tantùm legis, sed etiam Legislatoris Arca, cuius tantò altior erat sanctitas, quantò sublimiorem diuinitatis thesaurum tuo in pectore conseruabas. Beatissimam ergo Virginem cum Arca Testamenti frequentissimè solent Patres comparare. Diuus Methodius Martyr orat. in hypapante Domini, D. Ephrem serm. De Virginis laudibus, D. Athanas. serm. De Assumptione, D. Damasc. serm. De Dormitione Virginis, D. Hildefonsus hom. 2. De Assumptione Virginis, D. Bonau. in Speculo Mariæ, c.9. Hesychius hom. 2. De Deipara, Chrysippus hom. De eadem, D. Ambros. serm. 80. ad finem, & plures Scripturæ Interpres, Lyr. in cap. 25. Exod. Isidor. Clar. orat. 5. in Luc. & alij: quibus Ecclesia subscribens, de supremo Mundi artifice virgineum in vterum incluso, canit: *Ventris sub Arca clausus est.* Sicut igitur Arca fœderis in Synagoga dicebatur sancta; vt ex prædictis patet: ita Dei Mater in Ecclesia mirabilem prorsus, ac propè diuinam colitur sanctitatem. Vnde Patres omnes pro sua quisque parte nituntur Deiparam Virginem, quibus possunt encomiis decorare. Nam Diuus Epiphanius Orat. De Virginis laudibus, appellat *Thronum diuinitatis.* D. Ioannes Damasc. Orat. 2. de Assumptione, *Abyssum gratiæ.* D. Hier. serm. De eodem festo, si is est eius Auctor, *Hortum deliciarum, in quo consita sunt vniuersa florum genera, & ornamenta virtutum.* D. Ignat. in epist. 1. ad Ioannem, *Celeste prodigium, & sacratissimum spectaculum*, D. Hildefonsus serm. 1. De Assumptione, *Sacrarium Spiritus sancti, & omnium Virginum fastigium.* Andreas Cretensis serm. De Virginis dormitione, *Sanctitatis sanctissimum Thesaurum, & longè maximum Dei gratiarum tabernaculum.* D. Petrus Damianus serm. De Assumptione, *Locum voluptatis, quem Deus omnibus gratiæ diuitiis cumulauit.* D. Bern. hom. 2. super Missus est, *Stellam ex Iacob, cuius radius vniuersum orbem illuminat; cuius splendor, & præfulget in supernis, & inferos penetrat, calefacit mentes, fouet virtutes, excoquit vitia.* D. Aug. ingeniorum apex, serm. 35. De Sanctis: *Quid dicam*, inquit, *pauper ingenio? cùm de te quidquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua meretur? Si cœlum te vocem, altior es: si Matrem Gentium dicam, præcedis: si formam Dei appellem, digna existis: si Dominam Angelorum vocitem, per omnia te esse probaris.* Denique D. Anselmus lib. De excellentia Virginis, cap. 1. vocat, *Supereminentem omni, quod creatum est, excellentiam Beatæ Matris Dei.* Et cap. 2. quàm gloriosus sit Matris Dei titulus, declarat: *Hoc solum*, inquit, *de sancta Virgine prædicari, quòd Dei Mater sit; excedit omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest.*

B. Virgo, Arca legis, & Legislatoris.

D. Method. D. Ephrem. D. Athan. D. Dam. D. Hildef. D. Bonau. Hesych. Chrysip. D. Ambr. Lyra. Clarius.

B. Virginis sanctitatem immortaliter commendant Patres.

D. Epiph. D. Dam. D. Hier. D. Ignat. D. Hildef. Andr. Cret. D. Petr. Dam. D. Bern. D. Aug. D. Ansel.

Excessus Beatissimæ Virginis super omnes creaturas rationis expertes.

II. CÆterùm huius Virginis eximiam sanctitatem (sicut de Arca dicebamus) & illius excessus super omnes creaturas, & eiusdem accessus ad Creatorem omnium Deum, manifestat. Excessus super omnes creaturas, tam rationis expertes, quàm rationis compotes quis negabit? In priori creaturarum ordine, quid sanctius Arca fœderis, de qua satis dictum est? Sed præ tua

Excessus B. Virginis super Arcam fœderis.

sanctitate, ô Deipara, illa veteris Arcæ sanctitas A penitùs euanescit. Vnde D. Ambros. serm. 80. ad finem, docens, Regem Dauidem saltasse ante Arcam fœderis. 2. Reg. 6. n. 14. quia in illa præuidebat Mariam, ex suo germine nasciturам, subdit statim: *Arcam, quid nisi sanctam Mariam dixerimus? Siquidem Arca intrinsecùs portabat Testamēti tabulas; Maria autem ipsius Testamenti gestabat hæredem: illa intra semet legem; hæc Euangelium retinebat: illa Dei vocem habebat; hæc Verbum. Veruntamen Arca intus forisque auri nitore radiabat; sed & sancta Maria intus forisque virginitatis splendore fulgebat: illa terreno ornabatur auro; ista cælesti.* Vbi vides, non solùm cōtulisse Beatissimam Deiparam Arcæ; sed etiam prætulisse. Quamlibet Virginem Deo consecratam, Arcæ fœderis non B solùm componit, sed etiam præponit D. Hieronymus epist. 22. ad Eustochium de custodia virginitatis, significans, leuiùs peccasse, & leuiùs punitum fuisse Oзam, tangendo Arcam, quàm peccatorem quemlibet, sacram Deo Virginem temerando: *Oza*, inquit, *Arcam, quam non licebat tangere, attingens, subita morte prostratus est. Neque enim vas aureum & argenteum tam charum Deo fuit, quàm templum corporis virginalis. Præcessit umbra, nunc veritas est.* Et paulò pòst: *Sponsa Christi Arca est Testamenti, intrinsecùs & extrinsecùs deaurata. Custos legis Domini. Sicut in illa nihil aliud fuit, nisi tabulæ Testamēti; ita & in te nullus sit extrinsecus cogitatus.* Si igitur quælibet Virgo Arcam fœderis superat; quāto illam Virgo Virginū interuallo superabit? C

D. Ambr.

Quælibet Virgo præfertur Arcæ fœderis. Quid Virgo Virginum?

D. Hier.

III. *Excessus B. Virginis super Zachariæ cādelabrum.*

Quid sanctius illo aureo candelabro, quod Angelus Zachariæ tanquàm insigne sanctitatis monumentum demonstrauit? *Vidi*, inquit Propheta: *& ecce candelabrum aureum totum.* Zach. 4. n. 2. Sed tua sanctitas, ô Deipara, lōgè clarior elucet. Nam illius claritas oculos; tua verò animos omnium hominum venientium in hunc Mundum illuminauit. De qua re D. Anast. Nicenus q. 53. in Scrip. *Quod est ergo*, inquit, *candelabrum? Sancta Maria. Cur autem candelabrum? Quoniam materia expertem lucem gestauit, Deum incarnatum. Cur autem totum aureum? Quoniam post partum mansit Virgo.* Vbi plura, quæ huius virginei candelabri sanctitatem non mediocriter commendant.

D. Anast.

IV. *Excessus super Moysis tabernaculū, & Salomonis templum.*

Denique tabernaculo Moysis, aut templo Sa- D lomonis, tanta olim inerat sanctitas, vt vtrumuis per antonomasiam Sanctuм diceretur. Sic Dauid: *Mittat tibi auxilium de Sancto.* Psal. 19. n. 3. Et rursum: *Tu autem in Sancto habitas laus Israël.* Psal. 21. n. 4. Ac tandem: *Deus in Sancto via tua.* Psal. 76. n. 14. Sed longè maior sanctitas in Beatissima Virgine, quàm in Moysis tabernaculo fuit. Nam de Beata Virgine Dauid sub tabernaculi nomine: *Sanctificauit*, inquit, *tabernaculum suum Altissimus.* Psal. 45. n. 5. hoc est, interprete Method. Orat. in hypapante Domini, *Mariam*, quam appellat, *sanctissimum & augustissimum Dei tabernaculum.* Nec sine mysterio Dauid, *Altissimus*, inquit; vt ex sanctificantis altitudine, magnitudo sanctificationis colligatur. Nec minùs sanctitatem Salomonici E templi sanctitas Virginis superauit. Nam, vt bene D. Petrus Damian. serm. 2. De Natiuitate: *Licèt*, inquit, *in illud Salomonis templum Deus descendisse credendus sit; in hoc tamen rationabili Sanctuario, hoc est, in Beatissimæ Virginis vtero multò mirabilius, multòque felicius dignatus est manere pro nobis.* Quod ex Litera cōfirmat, vbi de templo dicitur: *Nebula impleuit domum Domini.* Et statim: *Impleuerat enim gloria Domini domum Domini.* 3. Reg. 8 n. 10. & 11. Quasi ibi gloria Domini per nebulas intermicaret: hic autem, sublata omni caligine, coruscaret.

D. Method.

D. Petr. Dam.

A *Ad illud*, inquit, *templum Dominus in nebula descendit, vt cæcam Iudaicæ infidelitatis caliginem designaret: in hoc, sicut scriptum est, in Sole posuit tabernaculum suum, vt sedentes in tenebris & umbra mortis illuminaret. Illi templo Deus omnipotens gloriam sui aduentus contulit; sed nihil ex eo in sua natura suscepit: in Beatissimæ autem Virginis vterum non solùm dignatus est descendere; sed ex eo etiam perfectam sibi substātiam nostræ mortalitatis vnire.* Vides, quantò excellentior huius virginei templi, quàm illius Salomonici sanctitas ac dignitas coruscauit.

V. *B. Virgo terrestri Paradiso multis nominibus sanctior.*

Sed, quid, obsecro, in terra pulchrius & amœnius, quid sanctius & beatius Paradiso voluptatis? Nihilominùs huic loco Rupert. lib. 4. in Cant. multis nominibus anteponit Paradisum sanctita- B tis, accipe Virginem sanctissimam. Primò, quia ille Paradisus fuit terrenus, homini terreno datus ad habitandum: hic autem fuit cælestis, homini cælesti ad commorandum consecratus. *Ille*, inquit Rupertus, *est Paradisus antiquus, Paradisus terrenus: iste est Paradisus nouus, Paradisus cælestis. In illo posuit Dominus Deus hominem, quem formauerat: in isto formauit hominem, qui apud ipsum in principio erat.* Hoc est, illud ipsum, *quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: in hoc cælesti Paradiso *homo factus est.* Vnde colliges, quantùm hic secundus homo primo homini antecelluit, tantùm planè & hunc cælestem Paradisum illi terrestri antestare. Secundò, Paradisus terrestris non solùm multiplici C arborum varietate plenus fuit; sed etiam ligno vitæ singulariter amœnus: hic autem Paradisus cælestis, & omni virtutum germine abundauit, & lignum æternæ vitæ Christum Dominum produxit. *De ista humo*, hoc est, de terreno Paradiso, inquit Rupertus, *produxit Deus omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio Paradisi. Sed istam humum, istam terram suam*, nempe, Virginem Matrem, *benedixit Dominus, & ex ea cunctarum germina gratiarum, & cunctarum exemplaria virtutum produxit. Ipsum quoque lignum vitæ, Christum Deum & hominem, Dominum Paradisi cælestis.* Et vlteriùs obseruat, nullum in Beata Virgine pietatis germen defuisse. Quod confirmat ex verbis sponsi: *Emissiones tuæ* D *Paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis.* Cant. 4. n. 13. & 14. vbi septem frutices aromatici recensentur: Cyprus, nardus, crocus, fistula, cinnamomum, myrrha, & aloë. Sub quo numero septenario vniuersitas significatur: vt in 1. tom. cap. 2. num. 5. latè disseruimus. Nam *quidquid gratiarum*, inquit Rupertus, *quidquid virtutum, quidquid operationum cælestiū mundus accepit; emissiones tuæ sunt*: Hoc est, per te, ô Virgo, Paradiso terrestri longè fœcundior, in Ecclesiam constituuntur ac deriuantur. *Vt vbi erant prius*, pergit Rupertus, *spina & vepres, carduus, lappa, tribulus, vrtica & paliurus,* E *vniuersitas nequitiarum: ibi sit cyprus & nardus & crocus, fistula & cinnamomum, myrrha & aloe, vniuersitas gratiarum, iuxta numeri septenarij sacramentum.* Addit, in hoc Paradiso cælesti non solùm reperiri humiles herbas, sed etiam præaltas cedros, nempe cyprum & nardum & sequentes cum vniuersis lignis Libani: *Pulchra*, inquit, *valdè varietas huius Paradisi nostri; vbi & altitudo lignorum Libani, & humilitas aromatici germinis spectaculum commune præbebit.* Nam in Beata Virgine ita summa imis coniunguntur, vt dignitas matris, & humilitas ancillæ, de primatu certare,

Rupert. Primò.

Secundò.

certare, dubia quodammodo victoria semper videantur. *Tertiò.* Tertiò, Paradisus terrestris, quamuis ab initio grata semper amœnitate vernaret; tamen alterna fructuum nascentium & cadentium varietate ac vicissitudine mutabatur. Immò iam nunc sua sorte & viriditate & fertilitate viduatus exarescit. At in te, Virgo sanctissima, nunquam illa gratia, illa sanctitas, illa virtutum germina, quibus ab initio floruisti, emarcuerunt; immò feliciùs in dies, & vbetiùs pullularunt. Hinc est, quòd hortus semper cultus, semper viridis, semper fœcunda quadam vbertate parturiens ab sponso tuo nuncuperis. *Hortus*, inquit, *conclusus, soror mea, sponsa, hortus conclusus.* Cantic. 4. n. 12. Quod Rupertus egregiè expendens: *Inde*, inquit, *nominatur hortus, quod semper ibi aliquid oriatur: quia, cùm alia terra* B *semel in anno aliquid creet, hortus nunquam sine fructu est. Vnde ergo hortus es tu, ô Dilecta Dilecti, nisi quia in te natum est aliquid, quod nunquàm desinit, & fructus tuus nunquam marcescit?* In continuas igitur virtutum actiones Beatissima Virgo iugiter erumpebat; ex quibus consequebatur, vt semper vernanti similis horto videretur. Et ne vnquàm hæc virtutum proles in Virgine Matre interquiesceret; benedictus ille fructus ventris eius Christus Dominus, semper florens, semper germinans, suam parenti gratiam & efficacitatem communicabat. Sed, cur semel atque iterum hortus conclusus appellatur? Mysterio quidem non exiguo: *Bis hortus diceris*, inquit Rupertus, *propter conceptum, & partum: quia in vtroque mirabile es,* C *& amabile miraculum: quòd neque corrupta es conceptu, neque violata partu.* Bis conclusus, propter geminum custodiæ munimentum, quo eius & corpus, & anima seruabatur. Nam *& vterus tuus*, inquit idem Abbas, *nulli carnali commercio accessibilis, & mens tua nulli spirituali nequitiæ fuit vnquam penetrabilis.* Vbi nota illa verbalia, *Accessibilis*, & *Penetrabilis*: quæ non modò peccandi actum, sed etiam potentiam quodammodo excludunt: quia Beatissima Virgo tantis diuinæ gratiæ præsidiis muniebatur: vt nullis tentationum machinis expugnari posse videretur. Irruit quidem in terrestrem Paradisum Tartareus serpens; sed ad tuos pedes, Virgo sanctissima, statim corruit, quæ illius caput impresso vestigio contriuisti. Prima male- D dictio in terram primi hominis impegit: *Maledicta terra in opere tuo.* Sed a te, ô terra secundi hominis benedicta (*Benedixit* enim *Dominus terram suam*) penitùs exulauit, scilicet, duplici conclusa munimento, omnem à te & culpam, & pœnam arcuisti. *Quartò.* Quartò, ex terrestri Paradiso ascendebat fons; & ex fonte egrediebatur fluuius ad irrigandam omnem terram. At verò ex te, Virgo Deipara, inquit Rupertus, *fons ille ascendit, qui apud Deum erat, & vera lux erat, sicut scriptum est. Quoniam apud te est fons vitæ: & in lumine tuo videbimus lumen.* Confer illum fontem, qui è Paradiso egressus vniuersam terram irrigabat, cum hoc vitæ fonte Christo Domino, qui è Virgine exortus totum orbem suis è sceleribus expiauit: facilè in- E uenies, quantò hic fons illo suauior & diuinior existit; tantò hunc cælestem Paradisum illo terrestri fœcundiorem ac feliciorem extitisse. Quòd si cum illo fonte, qui ascendebat de terra, seu cum illo fluuio, qui egrediebatur de loco voluptatis, sacra Scriptura, Ruperto interprete, conferatur; facilè intelliges, hunc cælestem Paradisum illi terrestri non modò conferendum, sed etiam præferendum. Nam ex illo terrestri Paradiso egrediebatur fluuius, qui in quatuor capita diuisus vniuersam terram fœcundabat. Ex te verò, inquit Ru- A pertus, ô locus voluptatis Dei, egreditur Scriptura, quæ in quatuor Euangelia distincta totam Ecclesiam irrigat ac fœcundat. Nam, *per te, initium accepit sanctum Euangelium: vt per vniuersum mundum spiritualem irriget Paradisum.* Te præeunte, toto orbe diffunditur; te fauente, radices in animos agit; te patrocinante, in virtutum fructus erumpit: denique te feliciter auspicante, dulce fastidientibus nectar propinat, vitalem morientibus spiritum infundit. Quod Rupertus expendens, *Aquæ*, inquit, *suapte natura salsæ erant & amaræ; ascendendo autem per illam terram mammam, scilicet, terrestrem Paradisum, versæ sunt in dulcedinem; vt dulces atque potabiles irrigarent terram, & facerent habitabilem, seminumque feracem.* B *Similiter aquæ Scripturarum, ex te, soror mea, sponsa, dulcescunt; siue per te viuentes factæ sunt: alias autem valdè amaræ, immò & mortuæ atque mortificantes sunt. Litera enim occidit.* Sic de vtroque Paradiso Rupertus philosophatur. Qua de re consule D. Bonau. de ecclesiast. Hierarchia, p. 4. c. 7. vbi Beatam Virginem confert non modò cum Paradiso terrestri; sed etiam cum illo horto ac nemore, *quod regio cultu & manu consitum erat*: in cuius vestibulo Rex Assuerus grande conuiuium iussit præparari.

VI. *B. Virgo, cælum cælo purius.* Quid verò cælum, nisi puritatem sanctitatémque spirat? Est enim templum Dei, omnium materialium, quæ in terra sunt, longè sacerrimum: iuxta illud Dauidicum: *Dominus in templo sancto* C *suo: Dominus in cælo sedes eius.* Psalm. 10. num. 4. At Beata Virgo cælum cælo purius, sanctius & sacratius. Quò pertinere potest illud Apostoli: *Primus homo de terra terrenus: secundus homo de cælo cælestis.* 1. Cor. 15. num. 47. Vbi D. Paulus discrimen inter Adamum & Christum Dominum constituens, docet, illius materiam, fuisse terram; huius autem, cælum: non, quòd Christus Dominus de cælo proprio formatus sit, vt impiè Valentinus nugabatur; cùm re vera habuerit corpus, non minùs quàm cæteri homines, è terrena mole concretum, iuxta illud: *Veritas de terra orta est.* Psal. 84. num. 12. & illud: *Terra nostra dabit fructum suum.* Ibidem, n. 13. & illud: *Aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Isai. 45. num. 8. Sed, quòd D formatus sit è purissima Virginis substantia, quæ cælum sua puritate referebat. *Rupert.* Sic exponit Rupertus lib. 1. in cap. 1. Matth. vbi loquutus de coniugio Mariæ & Iosephi: *O coniugium*, inquit, *cæleste, non terrenum!* Et statim: *Verissimè*, inquit, *dixit Apostolus; quia primus homo de terra terrenus; secundus homo de cælo cælestis: nō quòd iste Iesus Christus, qui ex Maria natus est, de cælo cum carne venerit, & per Mariam, quasi per fistulam transierit; sicut quidam dixerunt Hæretici: sed quòd coniugum vita, tota fuerit cælestis; quorum vtique conuersatio erat in cælis.* Hinc Beatissima Virgo frequentissimè à sanctis Patribus cæli nomine decoratur. *D. Meth.* Nam S. Methodius Orat. citata in hypapante, vocat Beatam Virginem, *Cælum eius, qui loco non potest comprehendi, ve-* E *rè comprehensibile.* *D. Epiph.* D. autem Epiphanius serm. De laudibus Virginis: *Anna*, inquit, *cælum & thronum Cherubicum peperit, sanctam puellam Mariam.* Quod sæpiùs repetit, vocans Beatam Virginem, *cælum splendidum, quæ cælo incomprehensum in se continet Deum.* *D. Pet. Dam.* Et D. Petr. Damian. serm. 3. de Natiu. *Quid*, inquit, *vitij in eius mente, vel corpore vendicare sibi potuit locum, quæ ad instar cæli, plenitudinis totius diuinitatis meruit esse Sacrarium?* *D. Bonau.* Concinit D. Bonau. in c. 1. Lucæ, ad Angelicam salutationem, *Dominus tecum*, illud Dauidicum paulò antè citatum: *Dominus in templo sancto suo: Dominus in*

cælo sedes eius: de vtero Virginis interpretatus, qui non modò templum, sed etiam cælum Æterno Verbo exhibebat; immò & cælum sua puritate superabat. Nam reuerà, *Cæli non sunt mundi in conspectu eius.* Iob. 15. n. 15. Et lib. de cælest. Hierarchia, p. 4. c. 7. latiùs de hac re philosophatur, vbi B. Virginem multis nominibus cælo anteponit. Quare illam vocat Dauid: *Cælum cæli Domino.* Ps. 113. n. 16. hoc est, mysticum quoddam cælum, hoc materiali & spectabili sublimius & excellentius; totúmque in honorificam Dei sedem consecratum: vt noster Lorin. sensu accommodatitio exponit. (Lorin.) Quod apertiùs dixit Sapiens de Æterna Sapientia loqoutus, & per accommodationem de B. Virgine: *Est enim*, inquit, *pretiosior Sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata, inuenitur prior. Illi enim succedit nox: Sapientiam autem non vincit malitia.* Sap. 7. num. 29. & 30. Vbi singularis Beatissimæ Virginis præstantia, non modò supra cælum, sed etiam supra sydera, quæ sunt pulcherrima cæli ornamenta, demonstratur. Et est optimum discrimen: quia luci etiam solari succedit nox; seu à nocturnis tenebris obruitur & occultatur: at verò Beatissima Virgo perenniter lucet, tanquàm dies pulcherrimus nulla caligine obscurandus. Vnde Dauid: *Dies diei eructat verbum.* Ps. 18. n. 3. Quod D. Bern ser. 5. ex paruis, mysticè interpretatur de Angelo annuntiante, & Virgine annuntiata: *Dies diei*, inquit, *Angelus Virgini. Dies Angelus propter beatitudinem: Virgo dies propter integritatis virtutem.* Adde, non modò cælum, sed etiam principem cæli partem, nempe dexteram, B. Virgini accommodari. Vnde & ipsa dicitur *Auster: Deus ab Austro veniet.* Abacuc 3. num. 3. hoc est, *à Virgine.* Auster autem dicitur dextra cæli pars, iuxta illud: *Aquilonem, & mare*, id est, Austrum, *tu creasti.* Psal. 88. n. 13. Seu, vt vertit D. Hieron. (D. Hieron.) *Aquilonē, & dexterum.* Nam Beatissima Virgo non modò cælum, sed etiam dexteram cæli partem supergreditur. Optauerit infelix ille Cherub, sedere in lateribus Aquilonis, Isai. 14. num. 13. hoc est, in sinistra cæli parte, eam antequàm prenderet, in æternum barathrum deiiciendus: tibi verò, ô Deipara, non nisi Auster seu dextera cæli pars, in qua æternùm sedeas, præparatur.

VII. *2. Virgo toto mundo mundior.* Iam verò totus Mundus ex sublunaribus cælestibúsque corporibus mirabiliter compositus, cùm à munditie dicatur: vt Arist. lib. 1. De Mundo, Plin. lib. 1. nat. hist. c. 1. Tullius lib. 3. De finibus, Tertul. in Apolog. cap. 17. & contra Hermogenem, c. 40. & lib. 1. contra Marc. c. 13. & D. Isid. lib. 13. Etymol. c. 1. aliique testantur; (Arist. Plin. Tullius. Tert. D. Isidor.) cùm, inquam, Mundus à munditie dicatur, meritò dici potest pulcherrimum & sacerrimum quoddam templum, in quo diuinæ laudes ab omnibus creaturis perpetuò decantentur. Sic enim mihi videtur appellasse Regius Vates, cùm dixit: *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* Psal. 28. n. 9. Sed quota est totius mundi sanctitas & pulchritudo; si cum tua, ô Deipara, comparetur? Ad hanc rem explicādam Auctor Operis imperfecti in Matth. (Auctor Imperf.) hom. 1. ad finem, ad illa verba: *Non cognouit eam, donec peperit*, &c. Verbum *cognoscendi* in propria significatione vsurpat: *Verè*, inquit, *non cognouit eam antè, cuius fuerat dignitatis; quia vnigeniti Dei facta fuerat mater: sed postquàm peperit; tunc cognouit, quia speciosior & dignior facta fuerat, quàm totus Mundus. Nam quem totus Mundus non capere poterat, nec merebatur accipere; quasi in angustum cubiculum vteri sui sola suscepit.* Concinit D. Chrysost. (D. Chrys.) in hypapante Domini: *Magnum*, inquit, *reuerà Virgo hæc, Mundi miraculum est. Ecquid enim in rerum vniuersitate queat hac maius & sublimius inueniri? Sola hæc cælum & terram amplitudine superauit.* Nec mirum. Nam, si vnus Angelus, vt notat Diuus Chrysostomos hom. 2. De incomprehensibili Dei natura, (D. Chrys.) *Par est vniuersæ huic visibili creaturæ, vel potius multo nobilior & præstantior.* immò & homo iustus, vt ex illis verbis Apostoli: *Quibus dignus non erat mundus.* Hebr. 11. n. 38. idem Diuus Chrysostomus confirmat: Quid mirum, si Regina hominum & Angelorum vniuerso Mundo præferatur? *Luna*, inquit Ioannes, *sub pedibus eius.* Apoc. 12. num. 1. Nec immeritò. Nam *Luna*, inquit Diuus Isidorus, in cap. 7. Iosuë, (D. Isidor.) *Mundi speciem tenet: quia sicut Luna menstruis completionibus deficit: ita hic Mundus ad completionem temporum currens quotidianis defectibus cadit.* Totus igitur hic Mundus, quantus est, tibi, ô Deipara, tuis pedibus subditus famulatur. Vnde illud de increata Sapientia: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Prou. 8. n. 22. Beatissimæ Virgini meritò aptari potest; præsertim iuxta Septuaginta transferentes: *Dominus creauit me initium viarum suarum.* Vbi, *Creauit*, idem est, quòd *Præfecit*: de more Latinorum, apud quos, creare aliquem Ducem, vel Principem, est præficere, seu præponere. Atque ita legit D. Athanas. ad Decreta Synodi Nissenæ: (D. Athanas.) *Dominus præfecit me operibus suis.* Sensus igitur est: Dominus creauit me initium, seu principium, seu Principem viarum suarum; id est, creaturarum suarum; per quas tanquàm per vias regias ad Deum tenditur & peruenitur. Quo ex loco palam est, Beatissimam Virginem inter omnes creaturas dignitatis, sanctitatisque primatum, seu principatum obtinuisse.

Excessus Beatissimæ Virginis in innocentia super omnes creaturas rationis compotes.

VIII. *B. Virgo hominum & Angelorum innocentissima.* HÆc de priori creaturarum ordine. In posteriori, homines, & Angeli continentur. Omnes B. Virgo, & per innocentiam à peccato, & per excellentiam gratiæ superauit. Et quod ad innocentiam attinet: Quis illa innocentior? Nam *in omnes homines mors pertransiit.* Rom. 5. num 12. Immò *& in Angelis suis reperit prauitatem.* Iob 4. n. 18. nimirum reprobis. Boni autem, licèt omni quoque culpa caruerint; tamen, cùm minora auxilia gratiæ ad illam euitandam susceperint, non tam procul à culpa, quàm Beata Virgo, abfuerunt. Vna Virgo Mater (Filium excipio) omnium innocentissima, & à peccato remotissima fuit: ipso Filio testante, qui suam Matri innocentiam gratulatus: *Tota*, inquit, *pulchra es, amica mea, & macula non est in te.* Cant. 4. n 7. Vbi Hugo Victor. serm. (Hugo. Vict.) 9. Institut. monasticæ, qui est in festiuitate Conceptionis: *Tota*, inquit, *pulchra es. Pulchra es intus, pulchra foris. Intus, in corde; foris, in corpore. Intus rubicunda, foris candida, vtrobique composita. Rubicunda per charitatem, candida per castitatem, composita per humilitatem. Totum, quod in te est, pulchrum est, & nihil inest tibi, quod sit sordidum. In toto grata, in nullo ingrata. In toto places, in nullo displices. Tota pulchra es: pulchra per naturam, pulchrior per gratiam, pulcherrima fies per gloriam.* Quibus verbis non solùm innocentia à peccato actuali; sed etiam ab originali iam inde ab instanti conceptionis, de qua Sermo ille instituitur, demonstratur.

IX. *Terra Adami parens virgo, nec maledicta.* Nec immeritò. Nam, si primus Adam de terra nondum maledicta formatus est: quo iure secundus Adam in carnem vllo tempore maledictam induceretur? Bene de hac re philosophatur Tertullianus lib. De Carne Christi, c. 17. (Tert.) *Virgo*, inquit,

quit, *erat adhuc terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta: ex ea hominem factum accepimus à Deo in animam viuam. Igitur, si primus Adam de terra virgine traditur: meritò sequens Adam de terra, id est, carne nondum generationi resignata in spiritum viuificantem à Deo est prolatus.* Quæ quidem argumentatio, quamuis in verbis solam Deiparæ virginitatem demonstret: tamen rationis efficacitate, etiam perfectissimam ab omni peccato innocentiam conuincit. Nàm, si terra parens Adami non debuit esse magis virgo, quàm Mater Christi Domini: planè neque debuit esse à maledictionibus magis aliena. Ergo, si nullis maledictionibus obnoxia fuit terra illa, quæ producendo Adamo materiam suppeditauit: neque Beata Virgo, quæ Christum Dominum sua è substantia concepit. Parum fuit, maledictionibus caruisse: opus fuit, vt benedictionibus repleretur. Ita factum, iuxta illud: *Benedixisti, Domine, terram tuam.* Psal. 84. n. 1. hoc est, interprete Arnobio, *Beatam Virginem.*

Quantò purior & à maledictione remotior mater Christi.

Arnob.

X.

Eua cum Beata Virgine comparatio.

Quis ignorat, quanta cum innocentia & puritate in lucem prodierit prima omnium mater Eua, non aliunde efformata, quàm ex latere Adami, cùm adhuc primæuam innocentiam & gratiam retineret? Si igitur Euam innocentem & immaculatam Diabolus tentaturus offendit: quo pacto Æternum Verbum incarnandum, Matrem suam vllo crimine aliquando maculatam inueniret? Sic enim egregiè argumentatur Tertullianus proximè citatus: *In Virginem*, inquit, *adhuc Euam irrepserat verbum ædificatorium mortis: in Virginem æquè introducendum erat Dei Verbum extructorium vitæ; vt quod per huiusmodi sexum abierat in perditionem, per eundem sexum redigeretur in salutem. Crediderat Eua serpenti; credidit Maria Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo deleuit.* Vbi quamuis in sola virginitate Euam comparet cum Maria: tamen par est ratio, vt in tota innocentia comparetur. Nam si *auctrix peccati Eua*, vt vocat D. August. & D. Iren. lib. 3. c. 31. in summa innocentia condita est; quid mirum, si *auctrix meriti Maria*, vt iidem Patres appellant, in simili innocentia concipiatur? Solam Euam ex toto genere humano in Paradiso terrestri formatam esse, ex sacris Literis constat. Nam Adamus extra Paradisum factus, in Paradisum translatus est: Eua ex costa Adami in Paradiso iam existentis, ibidem coagmentata. Gen. 2. num. 8. & 22. Cæteri omnes procul à Paradiso in lucem prodierunt. Sed, cur hic honor vni Euæ ex omnibus mortalibus defertur? Crediderim sanè in gratiam Mariæ, quæ cæteris in peccati exilio nascentibus, ipsa sola nascitur in Paradiso sanctitatis.

Tertul.

D. August.
D. Iren.

X I.

Ierico, typus B. Virginis.

Primam vrbem, quam Iosuë cepit in terra Chanaan, totam Deo consecrauit. *Sit*, inquit, *ciuitas hæc anathema, & omnia, quæ in ea sunt Domino.* Ios. 6. num. 17. In typum planè sanctissimæ Deiparæ, cuius thalamum Christus Dominus in terris primum habitauit. Nam cæteris hominibus in prædam Dæmonum, vel ex parte, vel ex toto cedentibus; sola Beatissima Virgo in ius possessionemque diuinam omni ex parte cooptatur. Quanto iure tibi potes vsurpare, Virgo sanctissima, elogium illud, quo olim Iudith post necem Holofernis in vrbem recepta, immortales Deo gratias, ob suam innocentiam referebat? *Viuit Dominus*, aiebat, *quoniam custodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, & non permisit me Dominus ancillam suam coinquinari: sed sine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudentem in victoria sua, in euasione mea, & in liberatione vestra.* Iudith 13. num. 20. Caput, non dico Ho-

B. Virginis cum Iudith comparatio.

A lofernis, iugulasti; sed tartarei serpentis contriuisti: quin vllus te illius pestiferi Draconis afflatus macularet. Nec mirum: cùm non modò te Angelus Domini seruus, Reginam; sed ipse te Dominus, Filius Matrem custodiret.

XII.

B. Virgo altior & purior Luna.

Magnum profectò fuit signum illud, quod vidit Ioannes: *Mulier amicta Sole, & Luna sub pedibus eius.* Apoc. 12. num. 1. Sed quid magnum, hanc Lunam, astrorum infimam, & terris citimam, Virginis pedibus substerni: *Quam*, inquit Bernardus serm. De illis verbis, *super Angelorum choros, super Cherubim quoque, & Seraphim exaltatam nefas est dubitare?* Aliò igitur illorum verborum mysterium spectat; nimirum, vt per Lunam omnis mentis defectus significetur: *Stultus* enim, inquit

D. Bern.

B Sapiens, *sicut Luna mutatur.* Eccles. 27. n. 12. Sic igitur signi magnitudo deprehēditur. *Nam & defectum omnis*, inquit D. Bern. *sub ea, & quidquid fragilitatis, seu corruptionis est, excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit & supergreditur creaturis; vt meritò sub pedibus eius Luna esse dicatur.* Et licèt D. Bern. loquatur de actuali defectu: de originali quoque intellige. Vnde eleganter D. Pet. Dam. serm. De Assumptione: *Caro*, inquit, *Virginis ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit: sed singularis continentiæ puritas in candorem lucis æternæ conuersa est.* Quasi, non longiùs ab anima glorificata, quam à Virgine primùm concepta, cuiuslibet macula peccati exularit.

D. Petrus Dam.

B. Virgo totius defectus etiam originalis expers.

XIII.

Ecce Dominus, inquit Propheta, *ascendet super nubem leuem.* Isai. 19. num. 1. Nubem hanc D.

C Ambr. lib. De Institutione Virginis, cap. 13. & D. Hier. in Psal. 77. & plures alij apud Cyril. Alex. Beatissimam Deiparam interpretantur. Sed cur leuem? D. Hier. *Quia nullo semine humano prægnatam.* D. Ambr. *Quia leuauit hunc Mundum graui de fœnere peccatorum. Leuis erat, quæ remissionē peccatorum vtero gestabat.* Nam, sicut globi leuibus pleni elementis, aëre, vel igne; leues fiunt, & in sublime sua sponte eleuantur: ita sanctissima Virgo, Deo plena, nullo terrenæ molis pondere subsidebat; sed in cælum diuino concitata Spiritu ferebatur. Addiderim, leuem appellari; quia nullo premebatur pondere peccatorum. Nec dissentit Procopius, dicens, *Leuem dictam, quod libera erat omni*

D. Ambr.
D. Hier.
D. Cyril.

B. Virgo, nubes leuis, sine peccati pondere.

Procopius

D *passione, & fomite; & quòd super omnes res terrenas volabat.* Eandem rem sub diuerso schemate significauit Regius Vates, dicens: *Et eduxit eos in nube diei.* Psal. 77. num. 14. Vbi D. Hieronymus citatus, nubis nomine Beatissimam Virginem recognoscens; *Pulchrè*, inquit, *dixit in nube diei. Nubes enim illa non fuit in tenebris, sed semper in luce:* hoc est, nullis vnquam peccatorum tenebris caligauit; sed semper immenso quodam diuinæ gratiæ iubare refulsit.

B. Virgo nubes diei.

D. Hieron.

XIV.

B. Virgo vtpote innocēs, pœnitentia non indigebat.

Intrauit olim *Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine excepit illum in domum suam, & huic erat soror nomine Maria.* Luc. 10. num. 38. At, cur non additur: Et huic erat frater nomine Lazarus? Nam à fratre, qui est ca-

E put familiæ potiùs, quàm à sororibus debuisset hospitium nuncupari. Sed attende mysterium, quod D. Bern. serm. 2. in illud Euangelium, inuenit. Nempe, illa domus Beatissimam Virginem; Lazarus moriturus, & suscitandus, hominem ruiturum in peccatum, & erigendum per pœnitentiam repræsentabat: non decebat autem, vt in domo Virginis, aut culpa, aut pœnitentia nominaretur: *Fortè*, inquit D. Ber. *curiosus quispiam requirat, cur in præsenti euangelica lectione nulla prorsus Lazari mentio fiat. Arbitror sanè, ne id quidem à proposita similitudine dissidere. Virginalem etenim*

D. Bern.

domum

domum intelligi volens Spiritus, siluit non incongrue pœnitentiam, quæ malũ vsque comitatur. Absit enim, vt proprij quidquam inquinamenti, domus hæc aliquando habuisse dicatur, vt in ea proinde scopa Lazari quæreretur. Huius innocentiæ, quæ in Beata Virgine semper floruit, singularis defensor fuit D. Aug. lib. De Natura & Gratia, cap. 36. vbi contra Pelagium, non solùm Beatam Virginem, sed alios quoque Sanctos sine vllo peccato vixisse asserentem; negat hoc priuilegium omnibus aliis Sanctis; vni sanctissimæ Virgini concedit: & quidem tam firmiter, vt ne in quæstionem quidem id vocari patiatur: *Excepta*, inquit, *sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem: inde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere & parere meruit eum, quem constat, nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas, cùm hic viuerent, congregare possemus, & interrogare, vtrùm essent sine peccato; omnes vna voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* 1. Ioan. 1. num. 8. Mitto plura dicere de hac Virginis innocentia, quæ à recentioribus latissimè differuntur.

D. August. Sola B. Virgo ex omnibus Sanctis peccati expers.

Excessus Beatissimæ Virginis in excellentia gratiæ.

XV. *B. Virgo totam Ecclesiã in gratia superat.* D. Bern.

VEnio ad eius gratiæ excellentiam. Parum enim fuerit, Beatissimam Virginem immunitate à culpa cæteris præstitisse; nisi etiam virtutum omnium sanctitate præluceret. *Luna*, inquit Ioannes, *sub pedibus eius.* Apoc. 12. num. 1. Hoc est, interprete D. Bernardo serm. *Signum magnum*, tota Ecclesia: nam, sicut Luna luce lucet aliena, quam à Sole mutuatur: ita & Ecclesia, per susceptam à Christo Domino gratiam coruscat. Tota igitur Ecclesia, & militans, & triumphans Beatissimæ Virginis pedibus subiicitur: quia totam ipsa Virgo immenso gratiarum & meritorum culmine supergreditur. Omnes, qui æternam salutem consequuntur, descripturus Salomon: *Sexaginta*, inquit, *sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea.* Cant. 6. num. 7. & 8. Vbi Psellus apud Theodoretum, tres Saluandorum ordines distinguit. Primum, filiorum, per Reginas. *Qui enim*, inquit, *à teneris vnguiculis ex toto corde Deum, rerum omnium Autorem optimum diligunt, & amore ipsius Mundum, & quæ in Mundo sunt, contemnentes, Christo Verbo & sponso coniunguntur; diuina gratia filiorum ordinem obtinent.* Secundum mercenariorum, per concubinas. *Qui autem*, inquit, *Regni cælestis cupiditate adducti, vt eo potiantur, Christo diligenter inseruiunt; in mercenariorum loco constituuntur.* Tertium seruorum per adolescentulas: *At qui*, inquit, *peccatis omnibus obruti (vt ego infelix) cruciatuum & suppliciorum formidine resipiscunt, & pœnitentiam agunt (quorum in numero vtinam ipse quoque sim per gratiam tuam, ô Christe, Verbum Saluator) in seruorum, qui tamen salui fiunt, ordine collocantur.* En tres omnium Saluandorum hominum Hierarchias. Super omnes tamen, addit diuinus Salomon, æternúsque Sponsus, *Vna est columba mea, perfecta mea.* Quia, vt rectè interpretatur idem Psellus: *Inter tot animas omnium hominum, qui saluantur, vt electa columba est vna illa sola, quæ Christum genuit, Virgo Mater puella Maria, quæ puritate profectò Cherubim & Seraphim antecellit.*

Super tres Iustorum ordines B. Virgo excellentior.

Psellus.

XVI. *Iudith altior in vrbe, B. Virgo in orbe.*

Redeuntem de cæde Holofernis victricem fœminam Iudith, magno cum plausu & gratulatione exceperunt omnes. *Illa autem*, inquit Textus, *ascendens in eminentiorem locum, iussit fieri silentium.* Iudith 13. num. 16. Quî non ascenderet in eminentiorem locum, quæ omnes illius vrbis ciues singulari animi virtute antecelluit, & acerrimum illius populi oppugnatorem inuicto animi robore iugulauit? Sed multò eminentior locus tibi debetur, ô Deipara, quæ non vnius vrbis, sed totius orbis incolis tua virtute præluxisti: nec Hebrææ tantùm Gentis, sed humani generis hostem singulari fortitudine superasti. Victrici fœminæ gratulaturus *Ozias Princeps populi Israël, dixit ad eam: Benedicta es tu filia, à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram.* Ibidem, num. 23. Non iam paucis vnius vrbis incolis, sed omnibus mulieribus super terram anteponit. Veriùs tamen ad te pertinet hoc elogium, Virgo sanctissima: *Benedicta inter mulieres*, vt ait Elisabeth. Luc. 1. numer. 42. hoc est, *Super mulieres.* Nam, vt bene Diuus Cyprianus libr. De singularitate Clericorum: *Non adæquanda est mulieribus cunctis, quæ genuit maiestatem:* hoc est, anteponenda est mulieribus cunctis. Et rursus sermone De Natiuitate Christi, *Vas electionis* Beatam Virginem appellans: *Plurimùm*, inquit, *à cæteris* mulieribus *differens, naturam communicabat, non culpam. Erátque ei proprium priuilegium, quod nulla mulierum, nec antè, nec deinceps meruit obtinere: quod erat simul Mater & Virgo. Matri plenitudo gratiæ debebatur; Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate insignis, spirituali & corporali, intus & extra Christi sentia fruebatur.*

B. Virgo omnium mulierum sanctissima.

D. Cypr.

XVII. *B. Virgo, humilitate omnium mulierum minima, sanctitate omnium maxima.* D. Bern.

Nec mirum, præstantissimis mulieribus præferri, quæ se etiam abiectissimis subiiciebat. De Apostolis loquutus Euangelista Lucas: *Erant*, inquit, *perseuerantes vnanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Iesu.* Act. 1. num. 14. Vbi D. Bernardus serm. *Signum magnum*, non immeritò admiratur, Beatissimam Virginem, quæ erat omnium mulierum prima, nominatam fuisse omnium postremam. Idque illius singulari humilitati adscribens: *Meritò*, inquit, *facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. Meritò super Angelos exaltata est, quæ & infra viduas & pœnitentes, infra eam, de qua fuerant eiecta septem Dæmonia, ineffabili se mansuetudine inclinabat.* Quæ maior esse potuit humilitas; quàm vt illa Maria, quæ erat mare quoddam virtutum, & speculum sine macula; illi etiam Mariæ, quæ erat in ciuitate peccatrix, & septem Dæmoniorum hospitatrix, subiiceretur? Meruit profectò hæc humilitas, meruit, vt super omnes mulieres benedicta diceretur.

XVIII. *B. Virgo non modò fœminis, sed etiam viris sanctitate præluxit.*

Altior adhuc assurgis, ô Deipara, multò quidem, non tantùm fœminis, sed etiam viris excellẽtior. Ex progenitoribus Christi Domini librum composuit Euangelista: *Liber*, inquit, *generationis Iesu Christi*, &c. Matth. 1. n. 1. In libro, altera pars breuior Indicem continet; altera longior, historiam, seu libri materiam complectitur. Igitur veterum Patriarcharum, Prophetarúmque collectio, tanquàm huius libri Index, Beatissimam Virginem, tanquàm eiusdem materiam præmonstrauit: vt Rupertus lib. 9. De Processione Spiritus sancti, cap. 8. testatur. Quare, quò breuiùs & angustiùs res in Indice, quàm in historia continentur; eò breuiores & angustiores Patrum omnium, quàm vnius Virginis virtutes extiterunt. Fides Abrahæ, obedientia Isaac, patientia Iacob, humilitas Dauid, & sic de cæteris, quamuis in se

Rupert.

in se magnæ fuerint, tamen respectu Virginis, compendiariæ virtutes erant, quæ immensam virtutum latitudinem, amplitudinémque in Beatissima Deipara futuram indicabant.

XIX. *B.Virginis sanctitas sine mensura.* Vidit aliquando Ezechiel virum duplici mensura, calamo & funiculo armatum, quibus Ierosolymam, eiúsque templum metiretur. Ezech. 40. à num. 3. Cuius visionis mysticus sensus erat, neminem futurum fuisse in Ecclesia, qui incertam, limitatámque mensuram spiritualium donorum tam gratiæ, quàm gloriæ non haberet. Sola Virgo tam multis diuitiis cælestibus & gratiæ & gloriæ superfunditur; vt eas sine mensura accepisse videatur. Vnde D. Ans. lib. De excellentia Virginis, cap. 8. post innumeras eius laudes: *Quid amplius*, inquit, *dicere possum, Domina mea? immensitatem quippe gratiæ & gloriæ & felicitatis tuæ considerare cupienti, sensus deficit, lingua fatiscit.* Et eodem modo D. Bonau. in Speculo Virginis, c. 5. & ante illum D. Epiphanius Orat. De laudibus Virginis, pluresque alij loquuntur, gratiam Virginis immensam appellantes. Quibus fauet D. Methodius Orat. in hypapante, vbi loquutus de illo diuino decreto: *Honora patrem tuum & matrem tuam.* Exod. 20. n. 12. *Deus*, inquit, *vt Decretum suum obseruaret, atque hac in parte alios excelleret; omnem Matri & gratiam & honorem impendit.* Quasi diuinæ gratiæ thesaurus, si exhauriri posset; in hac vna Virgine Matre locupletanda exhaustus videretur.

D.Ansel. D.Bonau. D.Epiph. D.Meth.

XX. *B.Virgo non ore tantum, sed etiam manu Domino laudes decantabat.* Rectè quidem Moyses & filij Israël post egressum de mari rubro, carmen illud cecinerunt: *Cantemus Domino*, &c. Exod. 15. num. 1. Sed rectiùs Maria soror Aaron, quæ *sumpsit tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis & choris, quibus illa præcinebat.* Ibidem, n. 20. Nam Moyses & cæteri, qui Moysi aderant, Choraules, ore tantùm: at Maria ore pariter ac manu Deo laudes decantabat. Talem se præstitit erga Deum Beata Virgo: cuius religio, si cum aliorum Sanctorum religione comparetur, sic excedit; vt hæc vocalis tantùm, illa etiam realis videatur. Quamuis D. Damascenus Orat. 1. De Dormitione Virginis: *Matris*, inquit, *Dei, & seruorum Dei, infinitum est discrimen.* Quasi illo priori discrimine non contentus, infinitum censeat interponendum. Quod D. Petrus Dam serm. 3. De Natiuitate, vberius explanat. *Et quid mirum*, inquit, *si hæc ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanæ vocis exuperet, cùm & ipsam humani generis naturam excellentium meritorum dignitate transcendat? Non denique excellentissimus ille Patriarcharum chorus, non prouidus Prophetarum numerus, non index Apostolorum Senatus, non Martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium Patrum, huic Beatissimæ Virgini poterit comparari.*

D.Damasc. *Infinitum Matris Dei & seruorum Dei discrimen.* D.Petr.Dam.

XXI. *Cur B. Virgo per desertum ascendere dicatur?* Virginem de virtute in virtutem ascendentem præuidit Salomon, cum admirabundus interrogauit: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi?* Cant. 3. n. 6. Seu, vt est in Hebræo, כתימרות Chethimeroth: hoc est: *Sicut palmæ*, seu, *columnæ*, in plurali, à radice תמר *Thamar*, id est, *Palma*, & per translationem, *Columna*, à rectitudine & fortitudine. Nam etiam virgulæ, vt obiter hoc dicam, hoc est, fragiles mentes, si in fumos aromatum, hoc est, deuotas preces, effunduntur, in marmoreas columnas & victrices palmas toborescunt. Sed, cur ascendit per desertum? D. Hieronymus in epist. 19. ad Theodorum, respondet: *Quia Beata Virgo sicut desertum absque vllo semine, cultuve humano fructificauit.* Rupertus:

D.Hier. Rupert.

A *Quia solitaria sine coniuge, seu viro quem cognouerit, ascendit.* Addo, quia tam arduam virtutis viam arripuit, vt a nemine mortalium vnquàm arripetur. Nam, sicut cælum, in quo diuinus Pastor nonaginta nouem oues, hoc est, Angelos, reliquit, vnam ouem perditam, id est, hominem quæsiturus; appellatur desertum: *Dimittit nonaginta nouem in deserto.* Luc. 15. n. 4. quia tanquam desertum propter suam altitudinem, inuium erat, & inaccessum: vnde Matthæus retulit c. 18. num. 12. *Relinquit nonaginta nouem in montibus*: vt inuiam cæli altitudinem apertiùs declararet: ita illa virtutum semita, quam Beata Virgo in cælum arripuit, desertum non immeritò appellatur; quia adeò celsa erat, adeò ardua ac sublimis, vt tanquàm desertum, nullo humano vestigio trita B fuerit, nullo studio ac labore comprehensa. Sola Virgo, cui *datæ sunt alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum.* Apoc. 12. n. 14. hoc est, diuina quædam cognitio, & affectio, quibus se a terrenis abduceret, & cælestibus insereret: sola, inquam, Virgo tam sublimem carpere potuit semitam meritorum.

Via virtutis ardua & inuia, desertum dicitur.

XXII. *B.Virgo in Sancta Sanctorum morabatur.* Vnde mirum non est, quod narrat Germanus Archiepiscopus Constantinopolitanus in Orat. De Oblatione Mariæ, Beatam Virginem adeò singularis fuisse vitæ, vt in Sanctis Sanctorum, quò, nemini, nisi Summo Sacerdoti semel in anno patebat aditus, moraretur. Iustorum capitibus diademata, seu mediæ Lunæ honoris gratia imponun- C tur: virgineis tamen pedibus Luna subiicitur, Apoc. 12. num. 1. quia Sanctorum fastigium est Virginis fundamentum. Huc pertinet illud Dauidicum, Psalm. 86. n. 1. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Et illud Isai. 2. n. 2. *Mons domus Domini in vertice montium.* Et illud Ecclesiastici 24. num. 13. & 16. *In electis meis mitte radices. Et radicaui in populo honorificato.* Quibus locis, aliisque similibus, ibi sanctissimæ Virginis pedes collocantur, vbi aliorum Sanctorum capita inseruntur: ibi exordiuntur sanctissimæ Virginis virtutes; vbi aliorum fastigiantur. Gaudio triumphabat Dauid, cùm dicebat: *Domine, in virtute tua lætabitur Rex.* Psal. 20. num. 1. Et gaudij rationem subdit paulò pòst: *Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* n. 4. Tibi verò, sanctissima Deipara, non vnus D lapis pretiosus capiti imponitur; sed plurimi pedibus substernuntur, iuxta illud: *Ecce sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in saphyris.* Isai. 54. num. 11. Quia ibi tua inchoatur perfectio, vbi aliorum consummatur.

Germanus. *Sanctorum fastigium Virginis fundamentum.* *Pretiosi lapides coronant Sanctos: sed B. Virginis pedibus substernuntur.*

XXIII. *Palatiũ filiæ Pharaonis ditius & illustrius, quàm ipsum Salomonis.* Extruxit sibi Salomon vnum domicilium: alterum Reginæ filiæ Pharaonis. In priori nullos lapides pretiosos inuenio; in posteriori propemodum infinitos. *Omnia*, inquit Textus, *lapidibus pretiosis*, scilicet, plena, seu facta, seu constructa erant, *à fundamento vsque ad summitatem parietum.* 3. Reg. 7. n. 9. Nam etiam fundamenta, vbi rudes & impoliti lapides iaciuntur, è pretiosis lapidibus constructa erant: vt iterum Textus expressit: *Fundamenta*, inquit, *de lapidibus pretiosis, lapidibus magnis, decem, siue octo cubitorum.* Ibid. num. E 10. Vt nihil in ea domo, siue lateret, siue pateret; nisi pretiosum inueniretur. Quadrat figura in hanc rem. Modicè enim splendent Sanctorum mentes, si cum vna Virgine comparentur. Nam, vt bene Sophronius serm. De Assumpt. apud Diuum Hieronymum tom. 9. *Sicut*, inquit, *in comparatione Dei, nemo bonus: ita in comparatione Matris Dei, nulla inuenitur perfecta; quamuis virtutibus eximiis comprobetur.* Et ratio esse potest, quam reddit D. Hieronymus, aut quisquis ille est, in quarto eius tomo,

Sophron. D. Hier.

tomo, serm. De Assumptione Virginis: *Quia cæteris*, inquit, *per partes præstatur; Mariæ vero simul se tota infudit plenitudo gratiæ.* Et similibus verbis vtitur D.Chrysol. serm. 140. & 143. De Annuntiatione.

D.Chrys.

XXIV. *B.Virgo aula Dei, in qua non nisi Rex moratur.* D. Ambr.

Ea causa est, cur Æternus Filius, qui in sinu Patris morabatur, ad hanc aulam Matris, quam cœlestibus plenam diuitiis agnoscebat; nimium adspiraret: *Moab*, inquit, *olla spei meæ.* Psal. 59. n. 10. In quem locum D. Ambrosius lib. De Institutione Virginis, c. 12. ex vetustis codicibus legit: *Moab aula spei meæ.* Et de Beata Virgine interpretatur, quæ propter Ruth Moabitidem, ex qua descenderat, Moab poterat appellari: *Aula*, inquit, *Regis, est Virgo, quæ non est viro subdita, sed soli Deo.* Et eodem lib. cap. 7. obseruat, hanc regalem aulam, mortuo Rege, traditam fuisse Ioanni, *Coniugium nescienti:* ne aula purissima à custode degenere seruaretur. Additque de Ioanne: *Vnde non miror præ cæteris loquutum mysteria diuina, cui præstò erat aula cælestium Sacramentorum.* Hæc igitur erat aula spei diuinæ; quia Deus in hac suas se delicias habiturum sperabat. Et cùm in sinu Patris, infinitis & deliciis & diuitiis frueretur; adhuc ad eas, quæ in matris vtero latebant, auidissimus aspirabat. Quam igitur Æternum Verbum propter eximiam sanctitatem concupiscit, quam amat, colit & veneratur: hanc plane deprecabuntur omnes diuites plebis; huic filiæ Regum ancillabuntur, hac nihil superius, nihil sublimius esse, totius orbis Principes fatebuntur.

B. Ioannes huius aulæ custos.

B.Virgo, aula spei diuinæ.

XXV. *Agar filia Pharaonis, Saræ ancillatur.*

Habuit quondam Sara ancillam Ægyptiam, nomine Agar, Gen. 16. num. 1. Contendunt Hebræi apud Lyranum, Agar fuisse filiam Pharaonis Regis Ægypti. Nec fortasse hallucinantur: nam, si humili loco nata esset, non traderetur Abrahæ in vxorem. At, vnde Sara sibi Regis filiam in ancillam comparauit? Respondent iidem Hebræi, cùm Sara peregrinaretur in ægypto, & ad domum Pharaonis duceretur, Reginam Pharaonis vxorem, Saræ virtutes incredibiliter admiratam, dixisse in corde suo, quòd melius esset filiæ suæ Agar, si seruiret Saræ, tanquàm ancilla, quàm, si regnaret cum magno honore in domo paterna: atque adeò eam Saræ in perpetuam seruitutem tradidisse. Si igitur Saræ probitas sic excelluit, vt Reginis imperârit: quid mirum, sanctissima Deipara, si tuis pedibus filiæ Regum subiiciantur? si te, vt Dominam, vt Reginam venerentur?

Filiæ Regum Virgini matri subiiciuntur.

Excessus Beatissimæ Virginis in excellentia gloriæ.

XXVI. *Angeli Arca fœderis superiores, B. Virgine inferiores.*

SEd quid Angeli? Quid reliqui Beatorum ordines? Ipsi quoque ad tuos pedes, Virgo Mater, cernui prouoluuntur. Arcâ fœderis in tabernaculo superiores Angeli existebant: nam, vt diximus in Litera, Num. 4. pedibus super Arcam nitebantur: at Beata Virgine multò inferiores in cœlo collocantur. Vnde D.Chrysostomus oratione in hypapante iam citata, de Virgine loquutus: *Quidnam*, inquit, *illâ sanctius? Non Propheta, non Apostoli, non Martyres, non Patriarcha, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubim, non Seraphim, non aliud denique quippiam inter res creatas, visibiles, aut inuisibiles, vna hac maius, aut excellentius inueniri potest.* Nec aliter D.Petrus Damianus serm. De Assumptione: *Virgo*, inquit, *inter animas Sanctorum, & Angelorum choros supereminens & euecta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibet aliæ stellæ reluceant; Luna tamen & magnitudine præeminet, & splendore: sic*

D.Chrys.

D.Petr. Dam.

A *vtranque naturam Virgo singularis exuperat, & immensitate gratiæ, & splendore virtutum.* Quamuis in eo similitudo deficiat, quòd Luna cæteris stellis maior non sit, sed tantùm appareat: Beata tamen Virgo cæteris Angelis maior & appareat, & sit. Vnde illam statim non iam cum Luna, sed etiam cum Sole comparat: *Sol*, inquit, *lucidiùs incandescens, ita sibi syderum & Lunæ rapit positionem, vt sint, quasi non sint, & videri non possint. Similiter & virga Iesse, veri prænia luminis, in illa inaccessibili luce perlucens, sic vtrorumque spirituum hebetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint, nec debeant apparere.* Et paulò pòst: *Sicut Sol solus orbem illuminat: sic hæc sola solidiori lumine, & Angelos, & homines illustrat.*

XXVII. *B. Virgo solo Deo minor.* D. Epiph. D.Ansel.

B Quid dico Angelos? Quidquid infra Deum est, Beata Virgine minus est. Diuus Epiphanius serm. De laudibus Virginis: *Solo*, inquit, *Deo excepto, cunctis superior existis.* Diuus Anselmus lib. De conceptu virginali, c. 18. *Decens*, inquit, *erat, vt ea puritate, qua maior sub Deo intelligi nequit, Virgo illa niteret.* D. Petrus Dam. serm. 1. de Natiu. comparans Beatam Virginem cum illo Throno, quem Salomon *fecit ex ebore grandem.* 3. Reg. 10. num. 18. *Quid*, inquit, *grandius Virgine Maria, quæ magnitudinem summæ diuinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ superuola dignitatem; & videbis, quidquid maius est, minus Virgine, solúmque opificem opus istud supergredi.* Et paulò pòst loquutus de cælesti C gloria: *In qua*, inquit, *Regina gloriosior Angelicam reuerberas dignitatem.* Vnde non sine mysterio sola Arca in Sanctuario coronata existebat: vt superiori Sectione aduerti. Nam, vt Lyranus in sensu mystico: *Cæteri*, inquit, *Sancti, etiam supremi Angeli, sunt in cælis, sicut Dei ministri; ipsa verò sicut cælorum Regina.*

D.Petrus Dam.

Lyra. *Sola Arca in Sanctuario coronata Virginem repræsentabat.*

XXVIII. *In sola Virgine maius gloriæ spectaculum, quam tota Curia cælestis infrà Deum.*

Quid plura? Totam cælestem Curiam vna ex parte contemplemur: & ex altera solam Virginem attendamus. Vtra, quæso, in parte maius gloriæ & pulchritudinis spectaculum consurget? Haud dubiè in Maria, si Beata Trinitas, & Christi Domini humanitas excipiatur, plura in vna Virgine spectanda, quàm in tota Curia cælesti inuenientur. Vnde Diuus Bonauentura: *Post Deum*, D inquit, *maior nostra gloria, & maius nostrum gaudium ex Maria est.* Et Diuus Petrus Damianus sermone 1. De Natiuitate, in fine, Beatam Virginem precatus illis verbis: *Reuertere, reuertere, Sunamitis, vt intueamur te.* Cant. 6. num. 12. rationem reddit, cur eam intueri tantoperè desideret. *Summa*, inquit, *gloria est, post Deum, te videre, adhærere tibi, & in tuæ protectionis munimine demorari.* Quare Beatissima Virgo cælum ingressa, plura in se cælesti Curiæ exhibuit spectanda, quàm ipsa in cælesti Curia spectaret. Vnde cælestis Curia ad ingressum Beatissimæ Virginis admirabunda: *Quæ est ista*, inquit, *quæ ascendit de deserto, deliciis affluens.* Cant. 8. n. 5. Vbi Diuus Bernardus serm. 4. De Assumptione: *Ac si*, inquit, *manifestiùs dicant:* E *Quanta est hæc, & vnde ei ascendenti vtique de deserto affluentia tanta deliciarum? Nec enim pares inueniuntur deliciæ, vel in nobis, quos in ciuitate Domini lætificat fluminis impetus, qui à vultu gloriæ, voluptatis gloria potamur.* Fatetur quidem ingenuè beata illa Ierosolyma, plures in capacissimo Beatissimæ Virginis sinu diuitias & delicias spirituales, quàm ipsa suo amplissimo ambitu complectatur.

D.Bonau. D. Petrus Dam.

D.Bern.

XXIX. *Vtra maior gloria, Curiæ cælestis ex B. Virgine; an B.Virginis ex Curia cælesti.*

Hinc sanè factum est, vt non minùs cælestis Curia in conspectu Virginis, quàm Virgo in conspectu cælestis Curiæ exultaret: nec minùs illius Regni, quàm ipsius Reginæ gloria ex illo mutuo

conspectu

A conspectu augeretur. Afferri quidem potuit sanctissimam Deipara beatam illam Ierosolymam Dauidicis verbis: *Gloriosa dicta sunt de te, Ciuitas Dei.* Psalm. 83. num. 3. Sed debuit & ipsa a tota illa beata patria cum ingenti gratulatione resalutari: *In gloria Ierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Iudith 15 num. 10. Nam, cùm illa cælestis patria singulas animas in eam ingressas ingenti gaudio coronet; ab ipsa Beata Virgine in eam ingrediente, multò felicius coronatur. Vide D. Petrus Damianus serm. 3. De Natiuitate: *Per hanc*, inquit, *Beatissimam Virginem non solùm amissa olim vita hominibus redditur, sed etiam beatitudo Angelicæ sublimitatis augetur.* Et Diuus Anselmus lib. De excellentia Virginis, cap. 8. *Omnia*, inquit, *quæ in cælo sunt, per glorificationem tuam inæstimabiliter decorantur.* Vberiùs D. Bernardus serm. 1. De Assumptione: *Virgo*, inquit, *gloriosa cælos ascendens, supernorum gaudia ciuium copiosis sine dubio cumulauit augmentis.* Et argumentatus ab exemplo Baptistæ, qui materno in vtero inclusus, ad solam Virginis vocem *exultauit in gaudio.* Luc. 1. n. 44. *Si paruuli*, inquit, *necdum nati, anima liquefacta est, vt Maria loquuta est: quid putamus, quænam illa fuerit cælestium exultatio, cùm & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præsentia, meruerunt?* Et paulò pòst: *Maria præsentia totus illustratur orbis: adeò vt & ipsa iam cælestis patria clariùs rutilet, virgineæ lampadis irradiata fulgore.* Vnde non immeritò ipsa Virgo cælum ingressa, palmæ comparatur. C *Statura tua assimilata est palmæ.* Cantic. 7. num. 7. Nam, vt palma victoribus tribuitur, tanquàm merces, præmium, & corona: ita & Beatissima Virgo cælesti Curiæ proponitur, tanquàm ingens gloria, qua illius merita cumulentur, & augeantur. En, vt Beatissima Virgo creaturas omnes excedit. Nunc eius ad Deum accessum expendamus.

D. Petr. Dam.

D. Ansel.

D. Bern.

B. Virgo, palma, & corona Beatorũ.

Beatissimæ Virginis proximus ad Deum accessus.

XXX. B. Virgo pro Dea habita à Collyridianis.

AD Deum Beatissima Virgo accedit, longo quidem, sed proxima interuallo. Ita Deum refert, vt non solùm diuinitatem redolere, sed quodammodo habere videatur. D Hinc illa hæresis Collyridianorum, qui Beatæ Virgini, tanquàm Deæ, collyridem sacrificabant. Aduersùs quam Diuus Epiphanius lib. 3. Panarij, hæresi 79. circa medium: *Reverà*, inquit, *sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus. Virgo erat, & honorata: sed non ad adorationem nobis data; sed & ipsa adorans eum, qui ex ipsa genitus est.* Quod intellige de adoratione latriæ. Et addit, propterea Christum Dominum in nuptiis Cana Galilææ Beatam Virginem mulierem appellasse: *Quid mihi, & tibi est, mulier?* Ioan. 2. num. 4. velut prophetando, & præcauendo hunc errorem: *Ne aliqui*, inquit, *nimiùm admirati Sanctam, in hanc hæresim, eiúsque deliramenta dilabantur.* Hunc ipsum errorem Beatissima Virgo de hominum mentibus delendum E curauit, illis verbis, quæ illi ab Ecclesia tribuuntur. *Dixit mihi Creator omnium, & qui creauit me.* Ecclesiastici 24. n. 12. Vbi Deum nominat, non solùm aliarum omnium rerum, sed seorsim sui ipsius Virginis Creatorem: duplici sensu. Vno, iuxta vulgarem tam in sacris, quàm in profanis literis idiotismum; quo excellentiores personæ, communibus vocabulis iam significatæ, propriis deinceps exprimuntur. Sic Virgilius 3. Æneid.

D. Epiph.

B. Virgo dicta mulier, ne Deus putaretur.

Vulgaris idiotismus.

Relliquias Danaûm, atque immitis Achilli.

Et 12. Æneid.

A *——Dij me terrent, & Iuppiter hostis.*

Vbi Iupiter sub nomine Deorum, & Achilles sub nomine Danaum, comprehensi, propriis deinde nominibus significantur. Sic & Dauid in titulo Psalmi 17. *Eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul.* Et Angelus ad Marias; *Dicite discipulis eius, & Petro.* Marc. 16. n. 7. Et Apostolus: *Nunquid nõ habemus potestatem, mulierem sororem circumducendi; sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas?* 1. Cor. 9. n. 5. Quibus locis Saul, Petrus, & Cephas sub communioribus nominibus iam contenti, propriis seorsim nominantur. Altero, iuxta mysterium, ne quis putaret, sanctissimam Virginem inter cæteras creaturas minimè numerandam. Sic enim ab B humana infirmitate recedebat; sic ad diuinam sanctitatem appropinquabat, vt nisi ipsa tantum errorem præcaueret, non humanam, sed diuinam habuisse naturam, crederetur.

Dicitur creata, ne creatrix videretur.

XXXI. D. Dionysij Areopagitæ de B. Virgine opinio.

Neque mirum, vulgares homines Virginis sanctitate deceptos in hunc errorem incidisse, cùm magnus ille Theologus Dionys. Areop. ingenuè fateatur, parùm se ab illo abfuisse, nisi Pauli doctrina admonitus retraheretur. Nam in epist. quadam ad Apostolum Paulum, si is est illius Auctor: *Fateor*, inquit, *coram omnipotentia Dei, & clementia Saluatoris, & gloria maiestatis Virginis Matris eius: quoniam, cùm à Ioanne vertice Euangelij & Prophetarum, qui in corpore habitans, quasi Sol fulget in cælo; ductus fui ad Deiformem præsentiam altissimæ Virgi-* C *nis, tantus me splendor circumfulsit exteriùs, & pleniùs irradiauit interiùs; tanta etiam in me odoramentorum omnium superabundauit fragrantia; vt nec corpus infelix, neque spiritus posset tantæ fœlicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit & spiritus, tanta gloria maiestatis oppressus. Testor, qui aderat in Virgine, Deum: si tua diuina concepta me non docuissent, hanc ego verum Deum esse credidissem.*

XXXII. B. Virginis ad Deum accessus.

Sed, quamuis certum sit, Deum non fuisse; tamen dubitandum non est, ad Deum proximè accessisse. Vnde D. Bern. serm. Signum magnũ: *Maria*, inquit, *profundissimam diuinæ sapientiæ, vltra quàm credi valeat, penetrauit abyssum; vt quantum sine personali vnione creaturæ conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa.* Et D. Gregor. lib. 1. D Regum, cap. 1. in illud: *Mons domus Domini in vertice montium.* Isai. 2. num. 2. rectè aduertit; Beatam Virginem, & montem in vertice montium propter excessum ad omnes creaturas; & domum Domini, propter accessum ad ipsum Dominum, appellari: *An non mons*, inquit, *sublimis Maria, quæ vt ad conceptionem Æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorũ choros vsque ad solium Deitatis erexit?* Et paulò pòst: *Mons*, inquit, *in vertice montiũ fuit: quia altitudo Mariæ super omnes Sanctos refulsit. Domus: quia, dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei Vnigenito, in quo recumberet, sacrum vterum præparauit.* Prætereundus non est D. Petrus Chrysolog. serm. 140. iam citato: *Quantus*, inquit, *sit Deus, satis ignorat ille,* E *qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur. Pauet cælum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit; & vna puella sic Deum in sui pectoris capit & oblectat hospitio, vt pacem terris, cælis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cælestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsa domus exigat pensione, pro ipsius vteri mercede conquirat.*

D. Bern.

D. Greg.

D. Chrys.

XXXIII. Quanta matris cum filio coniunctio.

At, quæ maior coniunctio esse potest, quàm matris cum filio; quæ in primo consanguinitatis gradu continetur? Nutricem alicuius alumni appellare non immeritò possumus substantiam

eiusdem alumni. Nam de cognatis Rebeccæ dicitur: *Dimiserunt ergo eam,& nutricem illius.* Gen. 24.n.59.seu,vt Septuaginta transtulerunt: *Et substantiam illius.* Maiori autem iure debet Beata Virgo, quæ mater & nutrix extitit, sui filij substantia appellari. Vnde D. Aug. serm. De Assumptione: *Caro,* inquit, *Christi,caro est Mariæ.* Nec immeritò. Nam, si olim Laban ad Iacobum filium sororis suæ: *Os,* inquit, *meum es,& caro mea.* Gen. 29. n. 14. & Dauid ad Tribum Iuda, ex qua genus ducebat: *Os meum,& caro mea,vos.* 2.Reg.19. n. 12. Immò totos populus ad Dauid, quē remotiùs attingebat: *Ecce nos os tuum,& caro tua sumus.* 2.Reg.5.n.1. Si, inquam, tam remota cognatio satis erat, vt quis sui cognati os,& caro diceretur: à fortiori potuit B.Virgo os suū,& carnem suam Deum appellare.

D. August. (margin)

XXXIV. *Totus Christus ex sola Virgine formatus. Adami de Eua gloriatio.*

Immò, quemadmodum Adam ad Euam, ita B.Virgo dicere potuit ad Deum Filium: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Genes. 2. num. 23. Et quidem lōgè humilior, quàm Adam. Nam hic de Eua, quæ ex se dormiēte, atque adeò ignorante, prodierat, inaniter gloriabatur; & cum solam costam fabricandæ mulieri subministrarit, etiam carnem se ad eius fabricam subministrasse iactabat: *Os ex ossibus,& caro de carne* Et ideò fortasse nullam dicitur laudem Deo tribuisse; quippe quam sibi totam arrogarat: vnde meritò corruit, per quam superbierat. At Beata Virgo de Filio, quem sciens & consentiens genuerat, & cui toti efformando purissimam sui substantiam contulerat, nullam sibi gloriam vsurpabat; sed totam atque integram Deo tribuebat. Suas enim laudes ab Elizabetha audiens, Matrem Dei illam vocante; cunctas illas in Deum referebat, dicens: *Magnificat anima mea Dominum.* Luc. 1. num. 47. Quod Diuus Bernardus fetu. Signum māgnum, expendens: *Magna quidem,* inquit, *præconia: sed & deuota humilitas, nihil sibi passa retinere, in eum magis vniuersa refudit, cuius in se beneficia laudabantur.* Scilicet, ne, propriæ laudis appetentior videretur, quàm humilis Iudith, quæ ab vniuerso populo laudata, dicebat potius: *Laudate Dominum Deum nostrum,* &c. Iudith 13. num. 17. ne quid laudis sibi sumeret, sed totum in Deum reuocaret.

B.Virgo nullam de Filio gloriam sibi tribuebat. (margin)

D. Bern. (margin)

XXXV. *Naturalis amor inter Virginem & Filiū, maior quàm inter alios parentes & filios.*

Accedit ad hanc naturalem coniunctionem, ille etiam naturalis amor inter Beatam Virginem & Christum Dominum, longè maior, quam inter alios parentes ac filios vnquàm extiterit. Nam pater & mater inter se suum amorem erga filium partiuntur; filius item amorem suum non solùm matri, sed etiam patri impendit: at verò Beata Virgo, sola tāquàm Mater & Pater Filium suum diligebat; sola tanquàm Mater & Pater à Filio suo diligebatur. Quam rationem inculcans Diuus Anselmus libr. De excellentia Virginis, cap.4. concludit: *Excedit omnes amores parentum in filios,aut filiorum in parētes amor illius Matris in Filiū suum,& illius Filij in Matrem suam.* Quare, cùm duorum inter se amor eò fortior inolescat, quò maiori in similitudine fundatur; est enim similitudo causa amoris: cùm inter Virginem Matrem & Deum Filium tantus amor intercesserit, necesse planè fuit, teste Caietano, libr. De Spasmo Virginis, vt maxima inter hanc Matrem & hunc Filium similitudo interueniret. Et quidem ita fuit. Nam, cùm aliorum filiorum lineamenta, & ad matrem, & ad patrem imitandos quodammodo diuidantur: tamen in Christo Domino, ad Virginem, quam solam in terris Matris & Patris loco habebat, exprimendam, coniunguntur.

D.Ansel. (margin)

Virginis Matris & Christi Filij similitudo. Caiet. (margin)

A

Mater dicitur bis pulchra, corpore scilicet, & mente: *Ecce tu pulchra es,amica mea,ecce tu pulchra es.* Cantic. 1. num. 15. Sed & Filius eodem modo bis pulcher appellatur: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.* Ibidem, num. 16. Vbi Hugo Victor. serm. De Assumptione, in 2. tom. ad finem: *O qualis,* inquit, *societas! totus pulcher totam pulchram sibi sociat. Ego totus pulcher, & tu tota pulchra. Ego per naturam, & tu per gratiam. Ego totus pulcher; quia totum, quod pulchrum est, in me est. Tu tota pulchra; quia nihil, quod turpe est, in te est. Pulchra in corpore, pulchra in mente. In corpore pulchram te fecit integritas virginitatis: in mente pulchram exhibet virtus humilitatis. Tota ergo pulchra es, corpore niuea, mente syncera.* Et paulò pòst: *Nec alia Mater talem decebat Filium: nec alius Filius tali inueniri poterat Matri. O digna digni, formosa pulchri, munda incorrupti, excelsa altissimi, Mater Dei, Sponsa Regis æterni!* Quæ maior esse potuit inter Matrem & Filium similitudo?

XXXVI. *Pulchritudo Matris ac Filij.* Hugo Vict. (margin)

B

Anna mater Samuelis, vbi Prophetam peperit, propheticum in canticum erupit. 1.Reg. 2. à n. 1. Vbi Theod. q. 1. *Anna,* inquit, *filij gratiæ fuit particeps: nam, cùm concepisset Prophetam, prophetat post partum.* Quid igitur mirum, si B. Virgo concipiēs Deum, Deo per omnia similis efficiatur? Vnde Guerricus Abbas ser. 2. De Assumptione, Christum Dominum cum B.Virgine iam moritura ita loquentem introducit. *Veni, electa mea, & ponam in te thronum meum. Nullus mihi plus ministranit in humilitate mea, nulli abundàtius ministrare volo in gloria mea. Communicasti mihi, quod homo sum; communicabo tibi, quod Deus sum.* Quæ propior optari potest inter Matrem Filiumque coniunctio: vt & Filius Matris humanitatē induat; & Mater Filij diuinitatē quodāmodo ipsā sortiatur? Vnde D.Petr.Dam.serm.1. De Nat. varios modos percurrēs, quibus Deus omnibus creaturis inesse dicitur; tandē cōcludit perfectissimo modo Sāctæ Virgini inesse. *Inest,* inquit, *Mariæ Virgini identitate, quia idē est cū illa.* Et statim suā ipsā assertionē admiratur: *Hic taceat,* inquit, *& contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tāta dignitatis & dignationis immensitatē. Dominus tecū, inquit Archāgelus. Habitat in Angelis Deus, sed nō cū Angelis: quia cū illis eiusdē non est essētia. Habitat Deus in Virgine, habitat cū illa, cū qua vnius naturæ habet idētitatem.* Quo quid excellentius de B.V. potuit prædicari?

XXXVII. *Filij gratia in matrem refunditur.* (margin)

Guer. (margin)

C

D.Petrus Dam. *Filius idem cum Matre.* (margin)

D

Adde, sicut Dei Filio nullus esse potest perfectior: ita Dei Matre nullam posse sublimiorem inueniri. Rectè D.Bonau. in Speculo, cap.8. *Maiorem,* inquit, *Mundum posset facere Deus: maiorem Matrem, quàm Matrem Dei, facere non posset.* Vnde sicut Filij perfectio explicari nequit; ita Dei Mater humanum superat explicatum. Idcircò enim appellatur à D.Bernard.serm.4. De Assumptione, *Indicibilis:* & à D.Petro Damiano serm. 3. De Natiuitate, *Ineffabilis.* Quare de tali Matre meritò talis Filius gloriatur. Nam, idcircò suam humanitatem tam multis argumentis confirmauit, ne quis de Matris veritate dubitaret: vt rectè aduertit D. Aug. serm. 35. De Sanctis, vbi cū B.V. de Christo Domino loquutus: *Post multas,* inquit, *assumptæ carnis iniurias, & ad vltimum verberatus flagris, potatus felle, affixus patibulo; vt te verā Matrem ostenderet, verum se hominem patiendo monstrauit.* Eadémque verba apud eundem Aug. serm. 2. de Assumptione, & apud D.Hier. in 4. tom. serm. De eodē festo, quisquis sit illius Auctor, repetuntur. En sanctitas Virginis, omnes facilè excedens creaturas, & ad ipsum proximè accedens Creatorem. Vnde patet, quanto iure in Arcæ sanctitate præmon

XXXVIII. *Dignitas Matris Dei.* D.Bonau. (margin)

D. Bern. D.Petrus Dam. *De Matre Filius gloriatur.* (margin)

E

D Aug. (margin)

D. Hier. (margin)

Sanctus sit, qui tam sanctæ Virgini seruit.

præmonstretur. Sanctificauerunt Hebræi quondam Elcazatum, vt custodiret Arcam de regione Philisthioorum redeuntem. 1. Reg. 7. n. 1. Quid ergo mirum, si debeant sanctificari illi omnes, qui Beatam Virginem peculiati aliquo obsequio prosequuntur.

ANNOTATIO XII. CIRCA LITERAM.

Beatissima Virgo melior, quàm Arca fœderis, auxiliatrix.

I. *B. Virginis patrocinium.*



ACTENVS de sanctitate Virginis, quam sanctitas Arcæ fœderis præmonstrabat. Superest de illius patrocinio dicendum, quod vis auxiliandi ex fœderis Arca prodiens exprimebat. Iam enim in Litera num. 3. ostendimus, Arcam fœderis singularem Hebræorum auxiliatricem in præliis extitisse. Sed quantò nobis & beneuolentiùs & indulgētiùs sanctissima Deipara patrocinetur, ex dicendis patebit. Vbi & eius ad patrocinandum promptitudinem, & in patrocinando efficacitatem, sua quanque sectione, breuiùs quidem, quàm rei dignitas postulabat, illustrabo.

SECTIO I.

Beatissima Virgo ad patrocinandum prompta.

II. *B. Virgo in medio Orbis loco, vt omnibus consulat.*

SIcut Arca fœderis quondam fuit turris fortitudinis, quæ Israëlitas tuebatur; vnde medium eorum locum obtinebat, vt ab omnibus misericordiam imploraturis æqualiter adiretur, Num. 2. n. 2. & passim alibi, vt ex dictis in Litera iā patet: ita & Beatissima Virgo tanquàm turris fortissima totum Mundum suo patrocinio protegit ac defendit. Vnde medium Orbis locum, vt ab omnibus pariter requiratur & imploretur, dicitur occupare; iuxta illud Dauidicum de Christo Domino: *Operatus est salutem in medio terræ.* Ps. 37. n. 12. addita interpretatione D. Bern. serm. 2. in festo Pentecostes: *Operabatur*, inquit, *salutem in medio terræ, in vtero, videlicet, Virginis Mariæ, quæ mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium seculorum respiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cælo, vt resarciantur, & qui in inferno, vt eripiantur; qui præcesserunt, vt Prophetæ fideles inueniantur; qui sequuntur, vt glorificentur.* Et paulò pòst: *Ergo beatam te dicunt omnes generationes, Genitrix Dei, Domina Mūdi, Regina cæli, quæ omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inuenerunt in æternum. Meritò in te respiciunt oculi totius creaturæ; quia in te, & per te, & de te benigna manus Omnipotentiæ, quidquid creauerat, recreauit.* In medio igitur omnium Beatissima Virgo constituitur, vt omnium necessitatibus promptissima patrocinetur.

D. Bern.

III. *B. Virgo, etiā non requisita, miseratur.*

Age verò, quia ita misericordia eius viscera non modò affluunt, sed etiam effluunt: quā etiam à nemine requisita, miseris impendit: vt patet in nuptiis Canæ Galilææ, quibus Christus Dominus adfuit, sed vocatus: *Vocatus est autem*, inquit Euan-

A gelista, *& Iesus, & discipuli eius ad nuptias.* Ioan. 2. num. 2. Adfuit quoque & Beata Virgo: *Et erat*, inquit, *Mater Iesu ibi.* num. 1. Nusquam tamen dicitur vocata, seu inuitata adfuisse. Fortasse, quòd ipsa sua se sponte ad locum præstandæ beneficentiæ opportunum, nemine vocante, vel inuitante, conferre non dubitaret. Quòd si reuera vocata fuit, quemadmodum & Filius, vt Patres & Interpretes probabiliùs affirmant; saltem videtur citiùs accurrisse, cùm priùs eius præsentia, quàm Filij referatur; immò adfuisse Filium, quia mater iam aderat, aliqui arbitrantur. Adeò illa velocior festinauit. *Optabat enim*, inquit Rupertus, *Dei genitrix, conniuantibus fieri ianua cælestis beneficij; ne illorum deuotio, qui se inuitauerant,* B *fructu suo careret.* Vnde aliquando fit, vt Mater à nobis implorata citiùs, quàm ipse Filius, in auxilium accurrat: vt paulò inferiùs ex D. Anselmo obseruabo.

Virgo Mater aliquando citius, quam Filius succurrit.

Rupert.

IV. *Non implorata à seruis, pro illis Deū implorat.*

Sed, cùm ipsa iam nuptiarum celebritas proueheretur: ecce tibi in æstu temporalium deliciarum, & in fastigio humanæ felicitatis, vt plerunque contingit, defectus & inopia obrepit. Quid ergo B. Virgo? Antequàm à quopiam rogaretur, opitulatur: Nam *deficiente vino, dicit Mater Iesu ad eum: Vinum non habent.* Ioan. 2. n. 3. Quis te prior, ô Beatissima Virgo, ad orandum Filium exorauit; nisi tuus ille misericordiæ affectus, quo ad subleuandas hominum necessitates tuapte sponte incitaris? Vnde D. Bernard. serm. 1. in C Dominicam post octauam Epiphaniæ, ad citata verba: *Quid*, inquit, *de fonte pietatis procederet, nisi pietas? Quid mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi seruabit odorē? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem mensibus requieuit? Nam & antè mentem impleuit, quam ventrem; & cùm processit ex vtero, ab animo non recessit.* Quare, cùm Beata Virgo interno affectu ad benefaciendum impelleretur, externo precatu ad misericordiam præstandam non indigebat.

D. Bern.

V. *Ioseph à patre & fratribus obiurgatur, non à matre.*

Ioseph adhuc ephebus duplex somnium dicitur habuisse. Nam in primis somniauit, se & fratres suos ligasse manipulos in agro, & manipu- D lum suum consurrexisse, & adoratum fuisse à manipulis fratrum suorum. Deinde somniauit, se à Sole, Luna & stellis vndecim fuisse adoratum. De priori somnio cum illo fratres expostulauerunt. *Nunquid*, aiunt, *Rex noster eris? aut subiiciemur ditioni tuæ?* Genes. 37. num. 8. De posteriori autem pater eum reprehendit: *Quid*, inquit, *sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Ibidem, num. 10. At cur patre & fratribus Iosephum obiurgantibus, sola mater abstinet à iurgio, nullas adhibet querelas, ne minimo quidem verbo filium perstringit; cùm non minùs ad illam, quàm ad patrem & fratres, iniuria, si qua erat, pertinere videretur? Lyranus respondet, quia mater E eius Rachel iam non extabat. Sed contradicit Caietanus, existimans, eam adhuc esse superstitem. Et quamuis Rachel non superesset; tamen certum est, superesse Balam, in qua somnium erat implendum, & à qua Iosephus erat in Ægypto adorandus. Cur igitur, siue Bala, siue Rachel nullas in querimonias erupit? Respondeo: quia hæc mater erat, illa matris locum obtinebat: mater autem, & quæ matris vicem gerit, indulgentior in filium esse solet: atque ita erga illum animatur, vt patre ac fratribus irascentibus, sola ipsa non æmuletur, immò potiùs incredibili quodam gau-

Lyra.

Caiet.

Virgo Mater nemine noluit obiurgare.

dio propter illius bonum perfundator. Eo tuus, ô Mater viuentiũ, amor, beneuolentiáque in peccatores. Tuus sæpè Filius, tanquàm Iudex, flagello armatur ad vindictam, Angeli, tanquàm vindices ad diuinas iniurias vlciscendas inuehuntur. Tibi verò, tanquàm indulgentissimæ patenti, semper patent misericordiæ viscera, ad quæ omnes, qui diuinam iram fugiunt, recipiuntur.

VI.

Maria propterea soror in Aaronem mitē, quā in Moysen seuerum. Oleast.

Sumpsit olim *Maria Prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua,* &c. Exod. 15. num. 20. Sed, cur dicitur soror Aaron potiùs, quàm soror Moysis? Respondet Oleaster: quia familiatior erat Aaroni. At, cur ad vnum potius fratrem, quàm ad alterum inclinabat? Omissa responsione Oleastri, qui hoc refert ad illam communicationem Mariæ & Aaronis in detrahendo de fratre suo Moyse, Num. 12. num. 1. illa mihi videtur responsio opportuna: quia Moyses aliquando ad vindictam, tanquàm Iudex; Aaron semper ad misericordiam, tanquàm Sacerdos, propẽdebat. Nam Moyses arripiebat gladium, vt miserandam in idololatris faceret lanienam. Exod. 32. num. 26. At verò Aaron thuribulum arripiebat, vt plagam diuinitùs infligi cœptam temperaret. *Tolle,* inquit Moyses ad Aaronem, *thuribulum, & hausto igne de altari mitte incensum desuper; pergens citò ad populum, vt roges pro eis.* Et paulò pòst: *Stans inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus est; & plaga cessauit.* Numer. 16. n. 46. & 48. Igitur Maria non tanti Moysis gladium faciebat, quanti thuribulum Aaronis; & propterea magis de fratre miti ac beneuolo, quàm de rigido ac seuero gloriabatur.

Mater Virginis Matris misericordiæ, quàm sororem Aaronis.

Quid tibi, ô Maria soror Aaron, cum Maria Matre Iesv? Friget planè illius charitas, si cum tua charitate, ô Deipara, comparetur: sicut ipsa ad misericordiam prona es; ita misericordiæ deditos peculiari quodam affectu miseraris: horum non tam dominam gloriabunda te appellas, quàm sororem.

VII.

B. Virgo miserorũ mater.

Nec sororem tantùm, sed & matrem. Misera fuit olim Hebræorum conditio, cũ à Iabin Rege Chanaan opprimebantur. Ruit illius populi fortitudo nunquam fortasse erigenda, nisi a Debora totius Israelis gubernatrice erigeretur, iuxta illud: *Cessauerunt fortes in Israël, & quieuerunt: donec surgeret Debora, surgeret mater in Israël.* Iud. 5. n. 7. Iudex erat Debora; & nihilominùs mater dicebatur; & victrici palmæ, sub qua Israëlem iudicabat, pacificam oliuam, charitatis indicẽ præferebat: quia promptior erat ad amandum, vt mater; quàm ad puniendum, vt Iudex; suúmque imperium non rigore, sed amore temperabat. Verè Debora, quæ *Apis* interpretatur: nam, cùm inter apes cæteræ omnes à natura aculeatæ efformentur; sola earum Regina aculeo exarmatur, vel saltem aculeo non vtitur ad vindicandum: vt Cassaneus 1. p. Catalogi, c. 6. Plinius lib. 11. nat. hist. c. 17. D. Ambr. lib. 6. Hexam. c. 21. pluresque alij testantur.

Cassan. Plin. D. Ambr.

VIII.

B. Virgo totius mundi Domina, malunt esse totius mundi mater.

Quid Deboræ cũ Maria? Princeps erat Maria, non Israëlis tantùm, vt Debora; sed totius Mundi, vt Sara, quæ propterea vetus nomen *Sarai*, cũ nouo nomine *Sara* commutauit. Gen. 17. n. 15. quia illud particulare dominiũ; hoc, vniuersale, significabat. Sarai enim idem est, atque, *Domina mea;* seu, *Domina domus mea:* Sara autem idem, quod *Domina* absolutè. Vt Beata Virgo significetur, non vnius populi, sed totius Domina Vniuersitatis. Vnde Maria interpretatur *Domina*, vt Arnoldus tractat. De laudibus Virginis, testatur. Quò alludens Rup. Cant. 4. *Coronaberis,* inquit, *ô Virgo, vt in cœlis Regina Sanctorũ; & in terris Regina sis Regnorum prædicabitur de te, quòd sis mater Christi, ac proinde Regina cœlorum, totum iure possidens filij Regnum.* D. autem Bonau. in Speculo Virginis, cap. 3. *Virgo,* inquit, *reuerà Domina est cœlestium, terrestriũ, & infernorum.* Cuius rei typum asserit præcessisse in Esther, quæ *assumpsit duas famulas, & super vnã innitebatur; altera verò famularum sequebatur Dominam, defluentia in humũ vestimẽta sustentans.* Esther 15. num. 6. & 7. In quæ verba D. Bonau. *Due,* inquit, *famulæ, quarum Domina est Regina Maria, sunt Angelica, & humana natura. Intelligentia Angelica est famula, super quam Domina innititur in cælo: anima verò humana est famula, quæ Dominam suam sequitur in Mundo, colligens vestimenta Dominæ, scilicet, virtutes & exempla Mariæ.* Itaque Beata Virgo, quæ potestate erat hominum Regina, charitate voluit appellari, hominum Mater: sicut quæ dignitate erat Dei Mater, humilitate nuncupari voluit Dei ancilla. Verè Mater vt Debora: quàuis non solùm in Israël, sed etiam in toto Mundo. Sicut enim totum regia potestate moderatur; ita & totum materno affectu diligit & amplectitur. Neque minùs apis, quàm Debora; non solùm, quia in aluo sua, tanquàm in alueo cõposuit & construit Christi Domini corpus, tanquàm fauum: sic enim appellat Dauid iuxta Græcam translationem: *Circundederunt me,* inquit, *sicut apes fauum.* Psal. 117. n. 12. Sed etiam, quia sicut apum Regina, expers erat aculei; & in homines totam exuebat seueritatem, solam charitatem induebat.

Arnold. Rupert. D. Bonau.

B. Virgo, duplici nomine apis.

IX.

Bala communis Patriarcharum mater, in typum B. Virginis.

Filij Nephthali dicuntur filij Balæ. 1. Paral. 7. n. 13. Atqui, si res bene expendatur, facilè constabit ex Genes. 30. n. 8. non fuisse illos Balæ filios, sed nepotes. Nam Bala mater fuit Nephthali: ac proinde huius filij erant nepotes illius. Cur igitur Balæ filij nuncupantur? Sunt, qui dicant, Balam dictam fuisse veluti communem Patriarcharum omnium parentem: quòd pro omnibus apud Iosephum intercesserit. Ita enim refert D. Hieronymus in quæstionibus Hebraïcis ad 1. Paral. *Quidam,* inquit, *putant, ideò illam,* id est, Balam, *matrem in hoc loco ab Esdra nominatam; quia post mortem Iacob legatione functa fuerit inter Ioseph & cæteros Patriarchas, qua precati sunt eum, ut recordaretur peccati eorum.* Si igitur Balæ pietas semel tantùm pro illis Patriarchis intercedentis, tanta fuit, vt communis omniũ mater diceretur: quantus erit, ô Virgo, tuus in peccatores amor, pro quibus nunquam tuas ad Deũ preces intermittis? quantum ex hoc amore tuum ius, vt communis omnium Mater appelleris? Reuerà enim Beata Virgo semper interpellat pro nobis. Vnde illam D. Epiphanius in orat. de eius laudibus, frequentissime *templum* vocat; quòd non solùm Deus in illa commoretur, sed etiam ab illa exoretur. Et Andreas Cretensis, De Virginis Dormitione, vocat *commune propitiatorium*: ad quod non solùm peccatores confugiant, sed quod pro peccatoribus iugiter intercedat. Vnde Germanus Patriarcha, hom. De zona Virginis: *Quis,* inquit, *post tuum Filium curam gerit generis humani, sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus?* Vnde Idiota in prologo ad contemplationem De Virgine: *Inuenta,* inquit, *Virgine Maria, inuenitur omne bonum. Ipsa namque diligit diligentes se, immò sibi seruientibus seruit. Ipsa super benedicto Filio suo irato, potentissimè reconciliat seruos & amatores suos.* Itaque frequenter pro omnibus interpellando, maiori iure, quàm Bala semel tantùm intetpellans, communis omnium mater appellari debet.

D. Hieron.

B. Virgo sæpe pro omnibus interpellat.

D. Epiph. And. Cret. Germ.

X.

Cur potius Hilda, quàm Ieremias consulatur.

Iosias Rex diuinis comminationibus incredibiliter perterritus, misit ad Holdam Prophetidem,

dem, quæ Deum conſuleret de rebus agendis. *Ierunt itaque*, inquit Textus, *ad Holdam Prophetidem, quæ habitabat in Ieruſalem.* 4. Reg. 22. num. 14. Quærunt Interpretes, cur non potiùs miſerit ad Ieremiam, inter Prophetas illius temporis facilè Principem? Sunt, qui dicant; quia erat iuuenis. Rectius alij, quia erat abſens. Sed Rabbi Salomõ apud Lyram, *Quia*, inquit, *Ioſias quærebat conſilium pietatis & miſericordiæ diuinæ; ideò ierunt ad mulierem Prophetidem, quia mulieres magis eſſe ſolent miſericordes, quàm viri.* Ita ille. Quaſi diceret: Quia Holda pronior erat ad miſerendum, ac proinde aptior ad patrocinandum; eam potiùs, quàm Ieremiam, conſulendam cenſuerunt. Sed hæc interpretatio iuxta Rabbini mentem ſpectata, inepta eſt: neque enim diuina oracula ex diuerſitate prophetantium mutantur; præſertim, ſi diuerſitas penes ſexum ſpectetur. Qualia igitur à Deo traduntur, talia à Prophetis euulgantur. Si tamen ad B. Virginem in ſenſu allegorico detorqueatur; non inutiliter procedet. Nam B. Virgo, cùm à peccatoribus ad Deum conſulendum ſubrogatur; ſi iratum inuenit, mitigat & tranquillat. *Et ſæpè*, inquit Idiota proximè citatus, *quos iuſtitia filij poteſt damnare, Matris miſericordia liberat; quia theſaurus Domini eſt, & theſauraria gratiarũ ipſius.* Illi ergo mihi videntur conſultiſſimi, qui ad te confugiunt, ô Deipara, diuinam miſericordiam imploraturi. Nam, ſi per Holdam felicia Regi oracula renuntiata ſunt: vt patet ex citato Regum loco, n. 18. multò feliciora renuntiabuntur Mundo per Mariam, cuius miſericordia multis partibus Holdæ miſericordiam antecedit.

Lyra.

Cõſultiſſimi, qui B. Virginem præ cæteris conſulunt.

XI.

B. Virgo amicta Sole, hoc eſt, miſericordia.

En illa *mulier amicta Sole*. Apocal. 12. n. 1. Nam Sol typus eſt miſericordiæ omnibus benefaciens, iuxta illud: *Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos.* Matth. 5. n. 45. Virgini autem miſericordiſſimæ, non alius, quàm miſericordiæ amictus congruebat. Vnde D. Bernard. De verbis Apoc. *Ea*, inquit, *eſt*, (nempe, Virgo Deipara) *quæ velut alterum Solem induit ſibi. Quemadmodum enim ille ſuper bonos & malos indifferenter oritur: ſic ipſa quoque præterita non diſcutit merita; ſed omnibus ſeſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet; omnium denique neceſſitates ampliſſimo quodam miſeratur affectu.* Salutem quondam attulit Rahab vniuerſæ domui ſuæ: nam illi ipſi exploratores, quos hoſpitio exceperat & ſeruarat, incolumeſque dimiſerat, cùm iam vrbs euerteretur, *Eduxerunt Rahab*, inquit Textus, *& parentes eius, fratres quoque, & cunctam ſupellectilem ac cognationem illius, & extra caſtra Iſrael manere fecerunt.* Ioſ. 6. n. 23. Addit Rabbi Simeon apud Maſium & Serarium, q. 43. Rahab ſua illa fide, quam præſtitit Iſraelitis, tantam apud Deum gratiam conſequutam eſſe, vt etiamſi ducentos homines cognatione ſibi coniunctos habuiſſet, atque illi cum ducentis alienis proſapiis affinitatem contractum iuiſſent; omnes illas familias illius gratia ſaluas fore. Quantò plures ſunt, ô miſericordiæ Mater, ad quos tua ſe miſericordia extendit, & à peccatorum incendio ereptos in virtutum collocat viridario?

D. Bern.

Rahab multis, B. Virgo pluribus ſua miſericordia prodeſt.

Maſius. Serarius.

XII.

Omnia animalia in arca, omnes peccatores in Maria refugium habent.

Terreſtrium animalium ſpecies omnes in arca Noë includebantur. At illa, quæ partim in mari, partim in terra nutriuntur, vt vituli marini, ac ſimilia, vbinam ex illo communi naufragio euaſerunt? Reſpondet D. Aug. aut quiſquis eſt ille Auctor, lib. 1. mirabilium Script. c. 5. more ſuo per interrogationem: *An*, inquit, *etiam in arca tecto foris requies his eſſe aliqua valebat, quod latum & ſtabile ſpatium faciebat, vt quod intus manentes ſine periculo conſeruaret, etiam per profundi periculũ nauigantibus refugium foret?* Quaſi vna illa arca nullum à ſuo patrocinio animal remoueret: ſed & incluſis, & excluſis; & in periculo, & extra periculũ verſantibus patrocinaretur. Capaciorem, ô Virgo, ſinum aperis, ad eos omnes, qui ad te confugiunt, colligendos; ſiue in portu Religionis conquieſcãt; ſiue inter Mundi procellas quatiantur: dummodò te implorẽt, te proculdubiò fautricẽ, auxiliatricẽmque experiẽtur. Neque ſolũ diluuij tempore, ſed etiam extra illud, auxiliarem vim habuit arca Noë. De hac enim loquutus Euſebius Cæſarienſis lib. 9. De præparat. euang. c. 4. *Nauis*, inquit, *adhuc inuenitur in Armenia, cuius ligna remediũ hominibus aduerſus multos mirabiliter morbos afferũt.* Quo igitur tempore tuus in nos, Virgo ſanctiſſima, claudetur animus? Quãdo tua in nos beneuolentia minuetur? Haud dubium, quin tua ſemper in nos pietatis ac miſericordiæ viſcera pateſiant?

D. Auguſt.

Arca ligna multis morbis remedia, in typum B. Virginis.

Euſebius Cæſar.

XIII.

Rebecca B. Virginis miſericordiam repræſentauit.

Quis in Beatiſſima Virgine veterem Rebeccæ miſericordiam requirat? Quæ ſeruo Abrahæ pauxillũ aquæ poſtulanti, reſpondit: *Bibe*, inquit, *Domine mi. Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant.* Gen. 24. n. 18. & 19. Seruus Abrahæ pauxillum aquæ ſibi tantùm petiit: illa effuſam hydriam, plenóſque canales, & ſeruo & camelis propinauit. O viuum Beatiſſimæ Virginis ſimulacrum! quæ & plura, quàm petantur; & pluribus, quàm qui petant, elargitur: brutis pariter & hominibus, peccatoribus, videlicet, & iuſtis, propitiã ſe oſtendit, ac liberalem. Vnde D. Bernard. vbi ſuprà: *Ciba*, inquit, *hodie pauperes tuos, Domina: ipſi quoque catelli de micis edant; nec puero Abrahæ tantùm, ſed & camelis potum tribuas de ſupereffluenti hydria tua: quia tu verè puella es prælecta & præparata Altiſſimi Filio.* Quibus vltimis verbis innuere videtur Matris cũ Filio ſimilitudinem; vt quemadmodũ Filius plura largiri ſolet, quàm poſtulentur; ita & Mater, Filij miſericordiam imitata, noſtris maiora votis largiatur. Et vt Filius *homines & iumenta* ſaluabit, Pſ. 35. n. 8. ita & Mater iuſtis pariter & iniuſtis patrocinetur. Immortaliter laudatur Dauidis miſericordia, dicentis: *Nunquid ſupereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo miſericordiã Dei?* 2. Reg. 9. n. 3. Magna quidẽ miſericordia; ſed ad vnius familiã Saülis limitata: tua verò miſericordia, ô Deipara, nullis terminis circunſcribitur; ſed omnes omninò, ſiue iuſtos, ſiue iniuſtos peruadit: omnes, quacunque miſeria teneantur, circumuagatur.

D. Bern.

B. Virgo Dauidis miſericordiã ſuperat.

XIV.

B. Virgo Aurora, Luna ac Soli comparatur.

Hanc Virginis miſericordiam admirabantur Angeli, dicentes: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Cant. 6. n. 9. Auroræ, Lunæ ac Soli ſimul eã comparabant; vt magnum eius erga omnes miſericordiã prædicarent. Nam, vt bene Innocentius Papa ſerm. 2. De Aſsũptione: *Luna*, inquit, *lucet in nocte, Aurora in diluculo, Sol in die. Nox autem eſt culpa, diluculum pœnitentia, dies gratia. Qui ergo iacet in nocte culpæ reſpiciat Lunam, deprecetur Mariam: qui ad diluculum pœnitentiæ ſurgit, reſpiciat Auroram, deprecetur Mariam.* Sic ille. Et addere poterat, vt ſimilitudinem abſolueret, qui in die gratiæ viuit, reſpiciat Solem, deprecetur Mariam. Vbi vides, neminem eſſe, ſiue peccator, ſiue pœnitens, ſiue iuſtus fuerit, cui Beata Virgo ad æternam vitam facem non præferat. De qua re grauiter D. Bernardus iam citatus: *Omnibus*, inquit, *omnia facta eſt: ſapientibus & inſipientibus copioſiſsima charitate debitricem ſe fecit: omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi: captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam,*

D. Bern.

denique tota Trinitas gloriam, Filij persona carnis humana substantiam, vt non sit qui se abscondat à calore eius.

XV.
B. Virgo ad misericordum velocissima.

Neque solùm omnibus miseretur, sed etiam nunquam in conferenda misericordia cunctatur. Virgines illæ euangelicæ *exierunt obuiam sponso, & sponsæ.* Additur statim: *Moram autem faciente sponso, dormitauerunt omnes, & dormierunt* Matth. 25. num. 1. & 5. Sed ecce tibi dubitatio. Nonne sponsus pariter, & sponsa expectabantur? Quid ergo solus sponsus moram fecisse dicitur? nulla autem sponsæ mora notatur? Facilis erit responsio, si id mysterium consideratur. Nam Christus, qui sponsi nomine intelligitur, cùm sit Iudex, aliquando tardat: at Beata Virgo, quæ intelligitur sponsæ nomine; cùm sit Mater misericordiæ, semper festinat. Vnde est illud de Æterna Sapientia ad Literam; de Beata Virgine in sensu allegorico: *Praeoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.* Sap. 6. num. 14. Et illud iterum sensu literali, de diuina iustitia; in mystico, de sanctissima Deipara: *Obuiabit illis, quasi mater honorificata, & quasi mulier a virginitate suscipiet illū.* Ecclesiastici 15. numer. 2. Vbi dicitur Beatissima Virgo, & præoccupare eos, qui se desiderant; & obuiare illis, qui se inquirunt. Quia nemo tanta celeritate ad implorandam Virginem currit; quàm ipsa Virgo ad imploratorem suum audiendum velocior præcurrat. Vnde Cant. 4. n. 5. hinnulis comparatur; quia, vt hi, interprete Richardo Victorino, veloces sunt ad currendum; ita Beata Virgo ad succurrendum. Immò & à D. Epiphanio serm. de eius laudibus, *currus Cherubicus*, appellatur; quia, vt hic decem millibus multiplex citatissimus volat; ita & illa innumeris misericordiæ alis elata festinat, vt patrocinetur. Nec mirum, cùm matris, non Iudicis munere fungatur. Quo ex capite velocior aliquando ad auxilium ferendum Virgo Mater, quàm eius Filius Christus Dominus videtur: vt D. Ansel. lib. De excellentia Virginis, c. 6. expressit, *Velocior*, inquit, *est, nonnunquam salus, memorato nomine eius* (id est, Mariæ) *quàm inuocato nomine Domini Iesu.* Et rationem reddit, quia ad Christum, tanquam ad Iudicem pertinet etiam & punire: ad Virginem tanquàm ad patronam non nisi misereri. Eandem ob causam fatuis Virginibus orantibus: *Domine, Domine, aperi nobis*: sponsus, non sponsa, respondit; *Nescio vos.* Ibidem, num. 12. Nam Christus aliquando iustitiā, Beata Virgo semper misericordiam exercet. Vnde in hoc etiam illæ Virgines se fatuas præbuerunt. Nam, si quemadmodum: *Domine, Domine*, inclamauerunt; ita inclamarent: *Domina, Domina*: illam fortasse repulsam non paterentur; quia Matris misericordia Filij iustitiam temperaret.

Richar.

D. Epiph. *Velocior aliquando ad succurrendum Virgo Mater, quàm eius Filius.*

D. Ansel.

Præstat aliquando Matrem, quàm Filium implorare.

XVI.
In Christo etiam iustitia timenda: in Virgine sola misericordia amanda.
D. Bern.

De Adamo olim Deus: *Non est*, inquit, *bonum hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi.* Gen. 2. n. 18. Quæ verba D. Bern. loco citato transtulit ad Christum Dominum, & Virginem Matrem: *Sufficere*, inquit, *poterat Christus; siquidem & nunc omnis sufficientia nostra ex eo est: sed nobis bonum non erat, esse hominem solum.* Et rationem reddit: *Diuinam*, inquit, *in eo reuerentur homines maiestatem: non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & iudicium. Denique Deus noster ignis consumens est. Quidni vereatur peccator accedere; ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pereat ipse à facie Dei?* Et paulò pòst: *Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerū in ea, nihil terribile, tota suauis est. Reuolue diligentius euangelicæ historiæ seriem vniuersam; & si quid fortè increpatoriū, si quid durū, si quod denique signum vel tenuis indignationis* *acciderit in Maria, de cætero suspectā habeas, & accedere verearis.* Pater ille familias etiam amico tres panes de nocte postulanti, durior ac seuerior respondit: *Noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubili; non possum surgere, & dare tibi.* Luc. 11. n. 7. At verò hæc materfamilias nemini rigida, seu inuitis, omnibus benigna & suauis: *Qui mane*, inquit, *vigilant ad me, inuenient me.* Prou. 8. n. 17. Et rursus: *Beatus, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem a Domino.* Ibidem 34. & 35. Nunquam iurisoes exhibet, qui se humiliter implorant.

Paterfamilias aliquādo durior; mater semper benignè respondit.

XVII.
B. Virgo non solùm cùm in terris, sed etiam triumphans in cælo miseretur.
D. Pet. Dam.

Illud autem est in hac Virginis misericordia commendandum, quòd non solùm, dum vixit inter homines; sed etiam, dum regnat super Angelos, miseretur. De qua re Diuus Petrus Damianus serm. 1. De Natiuitate Virginis: *Numquid*, inquit, *quia ita deificata, ideo nostræ humilitatis oblita es? Nequaquam, Domina. Scis, in quo discrimine nos reliqueris, vbi iaceant, quantum deliquerint serui tui. Non enim conuenit tantæ misericordiæ, tantam miseriam obliuisci: quia etsi subtrahit gloria, reuocat natura. Non enim ita memoraris iustitiæ Dei solius, vt misericordiam non habeas: neque ita es impassibilis, vt sis incompassibilis.* Immò quemadmodū olim Booz ad Ruth: *Benedicta*, inquit, *es à Domino filia, & priorem misericordiam posteriore superasti.* Ruth 3. num. 10. Ita Beatæ Virginis misericordia in patria, superat eiusdem misericordiam in via. Vnde D. Bonauent. in Speculo, c. 8. *Magna*, inquit, *fuit erga miseros misericordia Mariæ adhuc exulantis in Mundo: sed multò maior erga miseros est misericordia eius iam regnantis in cælo. Maiorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam: quia magis nunc videt hominum miseriam.*

Misericordior in patria, quàm in via.

D. Bonau.

Omnia misericordiæ opera à Beata Virgine exercentur.

XVIII.
Sicut omnes miserias nostras è cælo videt: ita omnibus prouidet.
D. Epiph.

Qvòd si Beata Virgo omnes hominum miserias intuetur; omnibus proculdubiò patrocinatur. Idcircò eam D. Epiphanius Orat. De eius laudibus, *Multoculam* appellat, quasi multos habentem oculos: & propterea comparat Cherubinis, quos Ezechiel cap. 10. num. 12. & Ioannes Apoc. 4. num. 6. plenos oculis describunt: non solùm ad significandam multitudinem rerum, quas in Deo videt; sed etiam ad significandam multitudinem miseriarum, quibus in terra prouidet. Cùm enim misericordia circa miseriam versetur, vt docet D. Tho. 2. 2. q. 30. art. 1. tua misericordia, ô Deipara, miserias, quibus medeatur, inquirit: & cùm maxima sit tua hæc misericordia; nullam nostram miseriam excludit, sed ad omnem subleuandam se extendit. Vnde Richardus Victorinus ad illa verba: *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli.* Cant. 4 num. 5. *Adeo*, inquit, *pietate replentur vbera tua, vt alicuius miseria notitia tacta, lac fundāt misericordiæ; nec possis miserias scire, & non subuenire. Et quid mirum, si misericordia affluis, quæ ipsam misericordiam peperisti? Carnalia in te Christus vbera suxit, vt per te nobis spiritualia fluerent. Cùm enim misericordiam lactasti, ab eadem misericordia vbera accepisti.*

D. Thom.

Richard. *Vbera misericordia in Virgine.*

XIX.
B. Virgo pascit esurientes.

Itaque, ô Virgo Mater, vbi nostras miserias inuenis, ibi tuas misericordias effundis. Nam siue ad corporales, siue ad spirituales miserias attendas, omnes misericordissimè abstergis. Et vt à corporalibus exordiar, esurientes pascis, sitientes potas, nudos operis, ægrotos inuisis, peregrinos suscipis, captiuos redimis, mortuos sepelis. Pascis

ſcis quidem eſurientes: quia tu es ſancta illa vidua Sarepienſis, quæ Heliam fame tabeſcentem pane ſubcinericeo refecit. 3. Reg. 17. n. 15. Quam multi enim hodie fame interirent, niſi tuis epu- *Potat ſitientes.* lis, ô Virgo, ſuſtentarentur? Sitientes potas: quia tu es decora illa Rebecca, quæ ſeruum Abrahæ Eliezerum, multa ſiti areſcentem, oblato liberali- *Operit nudos.* ter potu recreauit, dicens: *Bibe, Domine mi.* Geneſ. 24. num. 18. Non enim dubium, quin multi ſiti extinguerentur, niſi de tuæ miſericordiæ fontibus copioſos atque vberes latices haurirent. Nudos operis: quia tu es illa Tabitha *plena operibus bonis, & eleemoſynis, quas faciebat:* ad quam in vrbe Ioppe omnes viduæ confugiebant; & quam, vt communе ſuæ viduitatis & paupertatis leuamentum, obſeruabant, *oſtendentes tunicas & veſtes, quas faciebat illis.* Act. 9. num. 36. & 39. An vllum, obſecro, ô Virgo, ſeruum habes in domo tua, quem ſeminudum algere patiaris? Abeſt profectò, abeſt talis à Beata Virgine inclementia: *Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis: omnes enim domeſtici eius amicti ſunt duplicibus.* Prou. 31. num. 21. Non ſimplici tantùm, ſed duplici amictu, lineo & laneo, ſeruos tuos, ô Beata Virgo, contra temporis iniurias protegis ac defendis.

XX. *Inuiſit ægrotos.* Iam verò ægros quanta cum miſericordia inuiſis? Ægrotabat lethali quadam ſyncope ſeu deliquio Balthaſar, *Compages renum eius ſoluebantur, & genua eius ad ſe inuicem collidebantur.* Dan. 5. num. 6. nullum tanto malo inueniri poterat medicamentum. Ecce tibi *Regina domum conuiuij ingreſſa eſt, & proloquens ait: Rex, in æternum viue.* Ibidem, n. 10. Quaſi bene ſperare iuberet, & deploratæ ſalutis ægrum in ſpem vitæ reuocaret. Neque verbis tantùm, ſed etiam auxiliis adiuuit; dum Prophetam Danielem acceſſi iubet, qui præſentem tanto morbo medicinam adhiberet. Non minor eſt tua miſericordia, ô Deipara: quoties enim & publica ſecularium, & priuata Religioſorum Xenodochia miſericorditer inuiſis? Quoties ſalutaria ſingulis morbis antidota præſcribis? Quoties ægra corpora, multóque magis ægros animos ſingulari tuæ præſentiæ ſolatio perfundis?

XXI. *Suſcipit peregrinos.* Peregrinos ſuſcipis: tu enim es illa Sara, quæ tribus Angelis ſuum in hoſpitium ſuſceptis, accelerauit, & tria ſata ſimilæ commiſcuit, & panes ſubcinericeos fecit, quibus ſuos hoſpites, ſi non lautè, certè benignè paſceret ac reficeret. Gen. 18. n. 6. Tu illa pia Rahab, quæ duos Hebræorum exploratores liberali hoſpitio excepit, & ad montana incolumes remiſit, Ioſ. 2. num. 1. & 15. Quis enim ad poſtes oſtij tui, ô Beata Virgo, etiam nocte intempeſta vigilauit; cui ſtatim tua limina non *Redimit captiuos.* paterent? Captiuos redimis: quia tu es illa Maria ſoror Moyſis & Aaronis, quæ ſimul cum fratribus populũ Iſraëliticum de ſeruitute Ægyptiaca liberauit; iuxta illud Dei ad populum: *Eduxi te de terra Ægypti; & de domo ſeruitutis liberaui te: & miſi ante faciem tuam Moyſen & Aaron & Mariam.* Michææ 6. num. 4. Quaſi per hos duces illa captiuitas ſolueretur. Tu illa ſapiens Thecuitis, quæ Principem Abſalonem ab exilio reuocauit. 2. Reg. 14. num. 1. & 21. Tu illa miſericors Eſther, quæ non minùs ſuum populum, quàm ſuum animum ab Aſſueri tyrannide redemit, dicens: *Dona mihi animam meam, pro qua rogo; & populum meum, pro quo obſecro.* Eſther 7. num. 3. Proh! quàm multi hodie patria libertate perfruuntur, qui ſi te, ô Virgo, redemptricem non haberent; hoſtilibus carceribus incluſi, immò ſepulti tenerentur?

XXII. *Sepelit mortuos.* Mortuos tandem ſepelis: quia tu es illa pia funerum curatrix Reſphà, quæ videns ſeptem viros

A de domo Saülis mortuos & inſepultos; totos ſex menſes, donec ſepulturæ traderentur, cuſtodiuit. *Tollens enim*, inquit Textus, *cilicium ſubſtrauit ſibi ſupra petram ab initio meſſis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo; & non dimiſit aues lacerare per diem, neque beſtias per noctem.* 2. Reg. 21. num. 10. Quàm multa ſæpe cadauera inhumata iacuerunt, quæ ſepulturas, vel propter paupertatem non aſſequebantur, vel propter prauitatem non merebantur: quibus tamen tu, ô Virgo, paupertate excluſa, & prauitate expiata, præſtitiſti, vt eccleſiaſticis donata ſepulturis molliter cubarent?

En tua ſingularis miſericordia ad corporales miſerias releuandas, ô Mater miſericordiæ: ſed quàm prompta es ad ſpirituales miſerias abolendas? Bo- XXIII. *Spiritualia miſericordiæ opera exercet.*
B num præſtas conſilium, ignorantes doces, mœſtos conſolaris, errantes corripis, iniurias remittis, offenſas ſuſtines, Deum pro viuis & defunctis iugiter deprecaris: ſingula conſideranti non difficilè patebunt. Bonum præſtas conſilium: quia tu illa Abigaïl, quæ Dauidem ſalubritet monuit, ne occideret Nabalem. 1. Reg. 25. n. 28. Tu illa Rebecca, quæ filium ſuum Iacobum vtiliter monuit, vt paternam benedictionem præoccuparet, & fraternam iracundiam, fugiendo in Meſopotamiam, præcaueret. Gen. 27. num. 6. & 42. Tu illa Regina Bethſabee, quæ filium ſuum Salomonem prudenter monuit, ne daret mulieribus ſubſtantiam ſuam. Prou. 31. num. 3. quod vtinam ille, vt par erat, obſeruaret. Quàm ſalubria præſtas, ô Virgo,
C hominibus conſilia? Vt peccatis renuntient, virtutibus inſiſtant, Mundum aſpernentur, Deum amplectantur; denique totos ſe à terrenis abducant, transferant ad diuina. *Præſtat bonum conſilium.*

Ignorantes doces: quia tu illa ſapiens Debora, quæ Iſraëlitas de ſuis ſingulos officiis erudiebat. Iudic. 4. à n. 4. Tu illa Prophetis Holda, quæ diuina rudi populo oracula euulgabat. 4. Reg. 22. num. 14. Tu illa Mater Salomonis, quæ filium ſtatu Regem, ætate puerum, vſu inexpertum, iuuenili licentia innumeris periculis proximum, non ceſſabat ad frugem, ad pietatem, ad religionem informare, iuxta illud: *Viſio, qua erudiuit eum mater ſua.* Prou. 31. n. 1. Hoc tuum munus, ô Deipara, vt ignorantiæ tenebras tuæ ſapientiæ lumine diſ- XXIV. *Docet ignaros.*
D ſipes ac diſpellas. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis.* Cant. 4. num. 4. Hebraïcè: *Conſtructa ad diſciplinas:* ſeu, vt vertit Pagninus: *Ædificata ad docendum.* Ex te enim diſcimus, & docemur. Tuum templum, gymnaſium quoddam eſt, in quo ſeculares ſuas regere familias; Eccleſiaſtici ſuas paſcere oues; Religioſi ſuas animas ad perfectionem excolere, doceantur & informentur.

Mœſtos conſolaris: quia tu illa Ruth, quæ mœſtam ac deſolatam Noëmi conſolabatur. Ruth 1. n. 16. Flebat Noëmi, flebat & Ruth: peregrinabatur Noëmi, peregrinabatur & Ruth: mille infortunia patiebatur Noëmi, mille patiebatur & Ruth: nunquàm hæc ab illius latere recedebat: XXV. *Conſolatur mœſtos.*
E mœrenti ac laboranti ſocrui, ſolatio ac præſidio affutura. Quàm bene, ô Deipara, mœrentium conſolatrix, tuum munus imples, & ab oculis eorum omnem lacrymam abſtergis? In eos triſtitiæ fluctus multi ſæpè deueniunt, vt parum abſit, quin laqueo collum inſerant, pugionem pectori infligant, corpus in præcipitium deuoluant. Ecce tibi feſtina prouolat conſolatrix afflictorum, & laqueo collum expedit, pugionem è pectore detorquet, pedes à præcipitio auertit; &, quod eſt caput, totum animum præ triſtitia fluctuantem ac æſtuantem, reddita, immò addita hilaritate, mi-

tigat & serenat. Quis te neget totius Mundi solatium, ô Deipara, quæ tam multis consolationibus in mœrentium animos non iam stillas, sed exundas?

XXVI. *Corripit errantes.* Sed neque memoriam deponis, si quando opus est, errantes misericorditer corripiendi. Tu enim es illa Sara, quæ insolentiam ancillæ suæ Agar animaduertens, non solùm virgam arripuit, vt suauiter cæderet, Gen. 16. num. 6. sed etiam domo esclusit, vt duriùs ac feueriùs puniret. Gen. 21. n. 10. Tu illa Iahel, quæ extremam Sisaræ iniquitatem non ferens, clauum & malleum assumpsit, & dormienti vtrunque tempus terebrauit. Iud. 4. num. 21. Tu illa Iudith, quæ Holofernis arrogantiam ac tyrannidem non sustinens, gladium dextra, & sinistra comam dormientis apprehendit, & implorato Numine, fortiter ac feliciter iugulauit. Iud. 13. num. 10. Tu quoque misericordiæ Mater, iustitiæ non obliuisceris, vt etiam puniendo misericordiam exerceas: dum, vel ipsi, qui punitionem sentiunt; aut saltem, qui punitionem vident, ad meliorem frugem reuocentur. Iniurias verò, quàm libens ac facilis remittis? Tu enim es illa Susanna, quæ falsò insimulata crimine, iniuriam ex animo condonauit. Dan. 13. num. 42. Tu illa Sara, vxor Tobiæ, quæ ab ancilla, ingenti in os probro vulnerata, contumeliam non regessit, sed remisit. Tob. 3. num. 9. Tu illa Anna mater Samuelis, quæ à Phenenna æmula sua quotidianis conuitiis lacessita, omnia tacendo & ignoscendo sepeliebat. 1. Reg 1. num. 8. Quantis te, ô Deipara, iniuriis prouocant & lacessunt, quà Hæretici, quà Gentiles, quà rebelles & exleges Christiani? Quibus tamen Matrem misericordiæ te ostendis eò liberaliorem in condonando, quò illi procaciores sunt in offendendo.

Remittit iniurias.

XXVII. *Sustinet offensas.* Cæterùm proximorum offensas quanto silentio sustines, quanta patientia prætermittis? Tu illa Rachel, quæ Liam iuueniliter insultantem patienter sustinebat. Gen. 30. num. 15. Tu illa Sunamitis, quæ suos creditores debita importunè repetentes humiliter tolerabat. 4. Reg. 4. n. 1. Tu illa sponsa sancta, quæ & sodalium rixas, Cant. 1. n. 5. & fratrum pugnas, ibidem, n. 9. & vigilum, seu excubiarum iniurias, Cant. 5. num. 7. modestè patiebatur. Quantis te, ô Virgo, molestiis afficiunt, quantis calumniis vellicant, quantis blasphemiis proscindunt, qui de tuis beneficiis viuunt, & incolumes seruantur? Quorum tu proterviam & audaciam sereno vultu dissimulas, & tranquillo animo recondis, ac tandem singulari beneuolentia ac beneficentia rependis. Tandem pro viuis ac defunctis iugiter deprecaris. Nam, sicut Christus Dominus semper apud Patrem pro nobis deprecatur; iuxta illud Apostoli: *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Hebr. 7. n. 25. Ita & Mater, Filij misericordiam imitata, vt observat Idiota, prologo in Contemplatione De Virgine, semper apud Filium & Patrem pro nobis interpellat. Nihil est, quod Filius ostendendo vulnera, non imperret; nihil, quod Mater, ostendendo vbera, non exoret. Ipsa est ciuitas refugij, ad quam omnis, qui fundit sanguinem, dum se recipit, liberatur. Numer. 35. num. 6. Ipsa thronus misericordiæ, de quo Apostolus: *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt misericordiam consequamur.* Hebr. 4. num. 16. Ipsa *propitiatorium de auro mundissimo.* Exod. 25. n. 17. ad quod non modò vnus populus, sed totus Mundus accurrit, misericordiam imploraturus. Vnde Andreas Cretensis: *Placa,* inquit, *Dominum pro communi figmento. Nam quandiu quidem versabaris in terris, te habuit parua terræ portio: ex quo autem translata es è terra, te vniuersus Mundus continet, commune propitiatorium.*

Deprecatur pro viuis ac defunctis.

Andr. Cret.

XXVIII. *B. Virgo in cælum assumpta terræ patrocinatur.* En, vt Beata Virgo etiam in cælo constituta, omnia misericordiæ opera in terris exerceat: nec indignum sua dignitate arbitretur, si nostris necessitatibus medeatur. Mardochæus olim ad Esther regnum in solium euectam, *Quis nouit,* inquit, *vtrum idcircò ad regnum veneris, vt in tali tempore parareris?* Esther 4. num. 14. Quasi diceret: Regina facta es, non solùm, vt regia dignitate perfruaris; sed etiam, vt in nostra necessitate nobis patrocineris. Sic & Beata Virgo, quasi hominum causa in cælum ascenderit, res hominum iugi apud Deum oratione negotiatur. Vnde D. Bern. serm. 1. De Assumptione: *Aduocatam,* inquit, *præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam Iudicis Mater, & mater misericordiæ, suppliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit.* Et quidem multò promptior, quàm Esther. Hæc enim à Mardochæo semel rogata, vt pro populo apud Assuerum intercederet, recusauit: causata periculum mortis, quod incurreret, si ad Regem iniussa ingrederetur. Esther 4. n. 11. At verò Beata Virgo nullas hominum preces, si iustæ fuerint, excludit: omnes ad Filium portat, vt ab eo misericordiam reportet. Scilicet, sua eam affectio magis, quàm vlla externa oratio impellit ad deprecandum. Nam, iuxta D. Paulum, sicut electa Dei, sancta & dilecta induerat *viscera misericordiæ.* Coloss. 3. num. 12. Et verè dicere poterat: *Ab infantia mea creuit mecum miseratio: & de vtero matris meæ egressa est mecum.* Iob. 31. num. 18. Denique ferculum illud erat, quod fecit verus Salomon, Æternum Verbum, & *media charitate constrauit propter filias Hierusalem.* Cant. 3. num 10 Quasi non extrinsecùs adiuncta, sed intrinsecùs innata illi charitas videatur; vt exinde, tanquàm è natiuo fonte, in homines deriuetur. Vnde D. Bonau. in Speculo, cap. 14. *Quis,* inquit, *dubitare poterit, omnino in charitatis affectionem transisse viscera Mariæ, in quibus ipsa, quæ Deus est, charitas nouem mensibus corporaliter requieuit?* Ex quibus patet Beatæ Virginis ad patrocinandum promptitudo: quæ omnibus, & omni tempore, & circa omnes miserias, non lenta, sed festina; denique non externis tantùm sollicitata precibus, sed internis stimulata affectibus patrocinetur.

D. Bern. *B. Virgo promptior succurrit, quàm Esther.* *B. Virginis misericordia ab intrinseco.* *D. Bonau.*

SECTIO II.

Beatissima Virgo in patrocinando efficax.

I. *B. Virgo quid quid orat, exorat.* Quid à Deo Beatissima Virgo pro hominum salute orat, quod non exoret? De Christo Domino Martha: *Scio,* inquit, *quia quæcunque popósceris à Deo, dabit tibi Deus.* Ioan. 11. n. 22. Sed non minora de Beata Virgine dicere ausus est D. Bern. serm. De Natiuitate: *Quæramus,* inquit, *gratiam, & per Mariam quæramus: quia quod quærit, inuenit, & frustrari non potest.* Efficax olim fuit in orando Deo Helias. Nam, cùm voluit, orando clausit cælum, ne plueret. 3. Reg. 17. num. 1. & cùm voluit, clausum aperuit ad pluendum. 3. Reg. 18. à num. 41. Vnde D. Chrys. serm. 2. De Helia: *Clauis,* inquit, *cæli fit sermo Heliæ sanctissimi: iubet enim, & clauditur cælum; orat postmodum, & aperitur: vt Sanctorum meritum monstraretur, non solum in terris posse quod voluit; sed etiam in cælestibus posse impetrare quodcunque petierit.* Verùm hæc Heliæ efficacitas non

D. Bern. *D. Chrys.*

B. Virgo cæli clauiger, non vt claudat, sed vt aperiat.

non solùm in conferendis bonis; sed etiam in inferendis malis; immò prius in malis, quàm in bonis exercita est: priùs enim cælum clausit ad iustitiam, quàm aperuit ad misericordiam. Tua verò efficacitas, ô Virgo, totam se ad communicanda beneficia, auertendáque supplicia impendit. Clauis cæli es maiori iure, quam Helias; non vt illud claudas, sed vt aperias; non vt iram Dei in terram, sed vt misericordiam effundas. Immò clauem non habet Beata Virgo, sicut neque Arca fœderis clauem dicitur habuisse: quia beneficia sua non claudit, sed pandit: omnia eius bona omnibus patent, omnibus liberaliter communicantur.

II.

B. Virginis manus efficaciores ad beneficia multiplicanda, quàm Heliæ.

Fecit olim idem Helias *aquaductum quasi per duas aratiunculas in circuitu altaris.* 3. Reg. 18. n. 32. seu, vt est in Hebræo: *Fecit sulcum duorum satorum sementis in circuitu altaris*: seu, vt interpretatur Rabbi Salomon: *Fecit in circuitu altaris fossam quinquagima cubitos patentem.* Deinde iussit, vt in eam duodecim hydriæ effunderentur. *Et currebant*, inquit Textus, *aquæ circum altare, & fossa aquæductus repleta est.* Ibid. num. 35. Sed dubitari potest, quo pacto tam paucæ hydriæ tantam fossam impleuerunt: vt non solùm affluere & abundare, sed etiam effluere & redundare videretur. Respondet idem Rabbi Salomon, Lyra non repugnante, cùm Helisæus minister Heliæ vnam ex illis hydriis effunderet, priùs aquam in manus Heliæ cecidisse, ibíque diuinitùs sic multiplicatam, vt cum illo magno incremento in fossam deriuaretur, additque ad hoc miraculum allusisse seruum illum Regis Iosaphat, qui tribus Regibus siti pereuntibus, & Prophetam, qui aquam diuinitùs ministraret, inquirentibus, respondit: *Est hic Helisæus filius Saphat, qui fundebat aquam super manus Heliæ.* 4. Reg. 3. n. 11. Quasi diceret: Quemadmodum olim Helisæus fundendo aquas in manus Heliæ, aquas multiplicauit: ita & nunc faciet, vt de terra subitò erumpant. Si ergo manus Heliæ tantam vim ad multiplicādam aquam habuerunt, quam efficacitatem Beatissima Virgo nō habebit, cū eleuauerit manus suas in Sancta ad Deum pro peccatoribus deprecandum? Vnde D. Ber. serm. De Natiuitate: *Quidquid*, inquit, *illud est, quod offerre paras, Mariæ commendare memento; vt eodem alueo ad largitorem gratiæ, gratia redeat, quò influxit. Fortè manus tua, aut sanguine plena, aut infectæ sunt muneribus, quòd non eas ab omni munere excussisti; ideóq́; modicum istud, quod offerre desideras, gratissimis illis, & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus, offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam.*

Rabbi Salom. Lyra.

D. Bern.

III.

B. Virginis preces potentiores ad repellenda mala, quàm Helisæi.

Sed quid de efficacitate Helisæi ad orandum? Certè magistro suo Heliæ nihilo extitit inferior; ne dicam, multò superior euasit, vt sequens euentus manifestabit. Longè maior fames fuit olim in Samaria sub Helisæo, quàm fuerat sub Helia. Nam Heliæ tempore nulla mater, vt famem pelleret, dicitur, filium suum comedisse: at verò tempore Helisæi, in obsidione Samariæ, quædam mater, ne fame periret, filium comedit: vt patet ex 4. Reg. 6. num. 29. Quem euentum inauditæ atrocitatis, cùm audisset Ioram Rex Israel: *Scidit vestimenta sua, & ait: Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, si steterit caput Helisæi super ipsum hodie.* Ibidem, num. 30. & 31. Sed quid, ô Rex, malè de te meruit Helisæus? Cur in Prophetam innocentem tantum stomachi effundis? Irascere vel tibi, cuius scelera has de cælo plagas euocarunt: vel Regi Syriæ, qui dira obsidione Samariam in tantas angustias redegit: vel mulieri crudelissimæ, quæ filio mortem intulit, ne famem ipsa atrocissimam sustineret. At Propheta quid commisit, vt tam graues illi pœnas miniteris? Respondet Lyranus aptè ad rem præsentem, propterea Regem Prophetæ succensuisse: *Eò quòd*, inquit, *afflictionem illam suis precibus non auferebat: sciens eas efficaces apud Deum ad hoc impetrandum.* Quam responsionem desumpsisse videtur ex D. Ambr. lib. 3. offic. c. 14. vbi hoc Regis consilium interpretatus: *Helisæo*, inquit, *Propheta mandauit necem, cuius in potestate fore crederet, vt obsidionem solueret, propulsaret famem.* Quasi crederet Ioram, Helisæum tantam apud Deum efficacitatem habiturum, vt quidquid peteret, facilè impetraret: & propterea obsidionem non solui, & famem non propulsari, quòd Propheta in preces coram Deo non effunderetur: vnde in eum, tanquàm in valentem impedire mali causam, & non volentem, inuehebatur. Si Rex improbus & idololatra tantùm tribuit precibus Helisæi: quantùm par est, ô Virgo, vt tuis precibus à Christianis hominibus tribuatur? Quidquid à Filio postulaueris, facilè proculdubiò consequeris.

Lyra.

D. Ambr.

IV.

Rachel sepelitur in via, vt suis captiuis illac transeuntis patrocinetur.

Moriturus Iacobus filium suum Iosephum inter alia sic affatur: *Mihi*, inquit, *quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel in terra Chanaan, in ipso itinere; erátque vernum tempus, & ingrediebar Ephratam, & sepeliui eam iuxta viam Ephratæ.* Gen. 48. num. 7. Sed, cur hanc historiam de sepultura Rachelis in via, bonus Patriarcha retexuit? Respondent Hebræi apud Lyram, vt discriminis rationem redderet, cur se in sepultura duplici maiorum suorum sepeliri præceperit: vt patet ex superiori cap. num. 30. & tamen Rachelem ipse in via extra illum patrium tumulum sepeliuerit. Ratio autem fuit, inquiunt Hebræi, vt alias omittam, quia Iacob ex diuina reuelatione præsciuit, tempore Nabuchodonosoris Regis, destruendam esse Ierosolymam. 4. Reg. 25. à num. 1. & populum captiuum per Nabuzardan in Babylonem ducendum; & iuxta sepulcrum Rachelis transiturum; eámque de sepulchro miraculosè clamaturam ad Deum, imploraturámque auxilium super populum suum; iuxta illud: *Vox in excelso audita est lamentationis, luctus & fletus Rachel plorantis filios suos, & nolentis consolari super eis, quia non sunt.* Ier. 31. num. 15. Ad quem locum in Euangelio alluditur: *Rachel plorans filios suos.* Matth. 2. num. 18. Itaque Rachel iuxta Hebræos multò antè à Deo constituitur populo suo mediatrix. Tantas enim vires eius oratio habitura erat, vt etiam de sepulcro euolans, Hebræos de captiuitate liberatura crederetur. Quid ergo mirum, si Beata Virgo Rachele potentior, Mundo periclitanti à Deo patrona designetur? Et fortasse illud fuit mysterium sepeliendi Beatam Virginem in valle Iosaphat, vbi extremum Iudicium futurum est; vt refert Brochardus in Descriptione terræ sanctæ. Nam, sicut Rachel in eo loco sepulta est, ex quo transeunti populo captiuo posset auxiliari: ita & Beata Virgo sepelitur in ea valle, in qua hominibus ad Iudicium vocatis patrocinetur. Quis sub hac patrona iratum Iudicem vereatur?

Lyra.

B. Virgo in valle Iosaphat sepulta, vt in extremo Iudicio patronam se præstet.

Brochard.

V.

Ruth sui populi patrona à B. Virgine superatur.

Abul.

Non minùs olim Moabitæ, quàm Madianitæ peccauerunt, Israëlitas ad luxuriam & idololatriam prouocantes: vt Abul. q. 13. ad c. 25. Num. latiùs ostendit. Et nihilominùs Deus totam iram suam à Moabitis in Madianitas transfudit: hos puniendos tradidit, illos autem illæsos prætermisit. *Hostes*, inquit, *vos sentiant Madianitæ, & percutite eos*, &c. Numer. 25. num. 17. Cur, quæso, abstinet à Moabitis? Respondet Abul. citatus, propter merita Ruth, quæ nascitura erat ex Moab. Et probat: quia, postquàm Ruth nata est, *Dauid*, inquit Textus, *percussit Moab; & mensus est eos funiculo,*

coæquans

coaequans terra. 2. Reg. 8. num. 2. Nam, sicut vitis propter fructum ex ea producendum seruatur & colitur: fructu autem iam collecto, amputatur, & in ignem mittitur. Ita populus Moabiticus propter Ruth ex ea nasciturum incolumis seruari & custodiri iubebatur: ea verò in lucem prodeunte, quasi suo iam praesidio denudatus, multis percussionibus, & extremis cladibus patebat. Si igitur Ruth nullis partibus cum Beata Virgine comparanda debitas poenas à suis maioribus depulit: Beata Virgo non vni tantùm Ruth; sed omnibus foeminis, immò & creaturis omnibus praeferenda, quantum afferet humano generi patrocinium?

VI. *Aqua Hebraeis data, & conseruata ob merita Mariae sororis Moysis.*

Miraculo data fuit Hebraeis aqua in solitudine, Exod. 17. num. 6. miraculo conseruata. Tradunt enim Hebraei, illum fontem è silice diuinitùs erumpentem, toto tempore, quo Israelitae per desertum iter agebant, illos fuisse comitatum; siue reuerà ipsa rupes pariter cum illis ambularet; siue quod non esset minùs mirabile, solus fluuius, modò per accliuia montium violentus ascenderet; modò per decliuia vallium pacatus decurreret; modò per aequata camporum compositus sequeretur, iuxta illud Apostoli: *Consequente eos petra.* 1. Corinth. 10. num. 4. At, cuius meritis tantum miraculum obtinere potuerunt? Respondent Rabbi Salomon apud Lyram, Numer. 20. num. 6. & Rabbi Isaac apud Genebrardum, Psal. 77. num. 19. meritis Mariae sororis Aaron Et probant: quia anno quadragesimo ab egressione de Aegypto, postquam describitur mors Mariae, statim additur aquae defectus: *Mortuaque est*, inquit Textus, *ibi Maria, & sepulta est in eodem loco: cumq; indigeret aqua populus*, &c. Num. 20. num. 1. & 2. vt tacitè quodammodo significaretur, illam aquam totos quadraginta annos meritis Mariae redundasse: siquidem Maria deficiente, statim additur & aquā defecisse. Quis ergo dubitet, ô Maria, non Aaronis soror, sed Deipara, immensa quaedam gratiarum flumina ex tuis meritis in Ecclesiam redundare; multò diutiùs duratura, quàm durauerit ille puteus Mariae? Nam ille tandem puteus, Maria deficiente, defecit: haec flumina, te perennante, perennabunt.

Rabbi Sal. Rabbi Isa. Lyra. Genebr.

Plura Christianis beneficia collata ob merita Mariae Deiparae.

VII. *Soror Moysis stabat procul; Maria Virgo propè.*

Moysi adhuc infanti, & prope Nilum exposito, adfuit eius soror Maria, stans procul, & considerans euentum rei; & à filia Pharaonis impetrauit facultatem quaerendae nutricis, quae puerum lactaret. Exod. 2. num. 4. & 7. Non minus profectò in omnium hominum tutelam excubat Beata Virgo, nō quidem procul stans, sed proximè assistens: nec externas nutrices ad lactandum negotiatur, sed ipsa se exhibet in nutricem. Vnde habere dicitur *duo vbera.* Cant. 4. num. 5. quibus, interprete Richardo Victorino, gemellos alit infantes, iustos, scilicet, & peccatores, bis veniam, illis gratiam impetrando. Nec mirum. Nam, si Sara non modò filium in singulari; sed etiam filios in plurali, vt est in Hebraeo, lactasse dicitur, Gen. 27. num. 7. quia, vt Hebraei interpretantur, non solùm proprium filium Isaac, sed etiam alienos domum suam inuitatos, ad lactis vbertatem ostendendam, indulgentissimè lactabat: cur non dicatur Beatissima Virgo, & iustos, quos tanquàm proprios filios agnoscit; & peccatores, quos sibi adoptare desiderat, lactare: vt suae misericordiae vbertatem, seu immensitatem omnibus manifestet?

Illa quaerebat externam nutricem, haec praestabat. Richard.

VIII. *Sara soror Abrahae, fratri patrocinatur.*

Abraham sui discriminis in Aegypto praescius, ad Saram confugit, dicens: *Dic, obsecro te, quòd soror mea sis, vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui.* Gen. 12. num. 13. Nec sua eum spes fefellit. Nam Aegyptij *Abraham bene sunt vsi propter illam, fueruntq; ei oues, & boues.* Ibid. num. 16. Quid dubitas, ô peccator, quisquis ante Deum Iudicem periclitaris, confugere ad hanc Patronam, cum hac prece: *Dic, obsecro te, quòd soror mea sis*, &c. Ego quidem tibi me trado in vilissimum mancipiū, tu verò mihi te ne deneges in sororem. Sic precanti patrocinabitur Virgo, serenabitur Iudex, omnia feliciter contingent. Ita nunc locum exposueram, cùm apud D. Bonau. in Speculo Virginis, cap. 6. sic expositum inueni: vbi Beatissimam Virginem alloquitur: *O Sara nostra*, inquit, *ac, obsecro, quòd soror nostra sis, vt propter te bene nobis sit a Deo, & ob gratiam tui viuant animae nostrae in Deo. Dic, inquam, charissima Sara nostra, quòd sis soror nostra, ve propter talem sororem Aegyptij, id est, Daemones, nos revereantur: vt etiam propter talem sororem Angeli nobis in acie coniungantur: vt insuper propter talem sororem Pater, & Filius, & Spiritus sanctus nostri misereantur.* Quid germanis fratribus non impetret tam pius sororis affectus.

B. Virgo soror nostra, nobis.

D. Bonau.

Doluit quondam puella paruula, quam latrunculi captiuam duxerant de terra Israel in domom Naaman Syri: doluit, inquam, vicem heri sui, lepra laborantis. Et sollicita de illius salute: *Vtinam*, inquit, *fuisset Dominus meus ad Prophetam, qui est in Samaria; profectò curasset eum a lepra, quam habet.* 4. Reg. 5. num. 3. Paruit ancillae Naaman. Venit in Samariam ad Helisaeum: suae aegritudinis reperit medicinam. Vbi in primis singularem beneuolentiae, misericordiaeque affectum in puella Israelitide obserua: quae vel impium idololatram, & iniquum sui domionatorem a lepra purum, mundúmque desiderabat. Quantò beneuolentior in te pietatis affectus erga peccatores, ô Deipara, quibus non ancillam geris, sed sororem, & quos non seruitutis spiritu in vita prosequeris, sed germanitatis studio spontanea foues, protegis ac tueris? Deinde obserua miram ac repentinam in Naamano sanitatem. Ex qua dubium exstitit. *Nam multi leprosi*, inquit Christus Dominus, *erant in Israël sub Helisaeo Propheta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naaman Syrus.* Lucae 4. num. 27. Cur hic solus è plurimis sanatur? An, quia solus Helisaeum, vt Prophetam recognouit, quem incolae & ciues contemnebant? Ita videtur Christus Dominus significasse. An, quia solus salutem procurauit, procul à patria, pro illa comparanda, peregrinatus? Ita ad eum locum Diuus Ambrosius respondet. An, quia solus bene moneti obediuit? Hic planè ex obedientia fructus comparatur. Sed his tribus rationibus addo quartam. Quia pro illo tantùm puella illa Israëlitis aetate parua, sed fide magna spopondit, ac fidem suam interposuit, fore vt sanaretur. Vnde Diuus Ambrosius citatus: *Sacratae, inquit, consilio puellae à Propheta salutem sperare commonitus, non terreni Regis imperio, sed diuina misericordiae liberalitate sanatur.* Si haec responsio non displicet: dic age, quo ex morbo non conualescat ille, pro quo Beata Virgo apud Deum preces fuderit, sponsionem fecerit, fidem suam obligarit: quae non vt ancilla pro hero, sed vt soror pro fratribus, & vt Mater apud Filium intercedit: immò quae Mater Filium naturalem pro adoptiuis deprecatur?

IX. *Puella Israëlitis miseratur idololatram.*

Quantò magis B. Virgo fratres suos.

Sanatur Naaman ob fidem puellae Israëlitidis. D. Ambr.

Quantò magis peccatores ob patrocinium B. Virginis.

Insignes illi pietate, religionéque parentes, Isaac & Rebecca, duos habuêre filios, Esau & Iacobum. Hunc mater diligebat; quia *habitabat in tabernaculis*: illum pater amabat, *eo quòd de venationibus eius vesceretur.* Gen. 25. num. 27. & 28. Cerneres vtrunque parentem in suo quenque dilecto magis honorando contendentem. Vnde D. Ambr. lib. 2. De Iacob & vita beata, c. 2. *Pie*, inquit,

X. *Plus profuit Rebecca pro suo Iacobo, quam Isaac filio suo Esau.*

D. Ambr.

quit,

quit, *affectu Isaac Patriarcha, & sancta Rebecca certabant, vt neutrum inferiorem facerent, sed vtrunque æqualem.* Quæro tamen, vter è duobus filiis plùs profecerit, Esaüne, ex fauore patris; an Iacob, ex amore matris? Litem dirimit D. Ambros. citatus, *Vicit tamen ille, qui præferebatur oraculo: vicit impigritia tarditatem, mansuetudo duritiam. Dum alter venatu aspero prædam quærit agrestem: hic mitium cibos morum, hic domesticam gratiam, hic pio patri teneræ mansuetudinis, atque pietatis dulces epulas ministrauit.* Quasi diceret: Vicit Iacobus à matre dilectus, fratrem suum Esaü, dilectum à patre: & plùs amor matris Iacobo, quàm amor patris profuit Esaü. Nam hic tam multis à patre beneficiis cumulatus, tandem & paternam benedictionem, & auitam hæreditatem, & cognationẽ cum Christo, & amicitiam cum Deo, & æternam denique gloriam amisit. Ille verò singulari studio à matre dilectus, & temporalibus & spiritualibus bonis redundauit. Si igitur illa mater filio tantùm profuit: quantùm gratiæ, quantùm gloriæ ex tuo materno affectu, ô Mater viuentium, quisquis ad te confugerit, & sub tuo patrocinio vixerit, consequetur? Quid Mater à naturali Filio Deo non obtineat? Quid in adoptiuos filios peccatores non refundat.

Quantum Virgo Mater filiis suis prodest.

XI. *Christus liberalis in nutricem suam: quantò magis in Matrem suam?*

Filij Zebedæi primas cathedras postulare non ausi, matrem submiserunt, quæ pro illis postularet, dicens: *Dic, vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo.* Matth. 20. num. 21. Rationem reddit Abul. ibi quæst. 54. *Quia faciliùs*, inquit, *concederet Christus matri, quàm filiis: quia fortè illa aliquando adiuuerat Dominam nostram sororem suam ad nutriendum Christum.* Si igitur erga nutricis suæ adiutricem liberalis esse debuit Christus Dominus, quantùm liberalitatis erga perpetuam nutricem, & germanam Matrem exercebit? Adde, Christum Dominum, ne quid eorum matri denegare videretur, non voluntatis, sed potestatis defectum insinuasse: *Non est*, inquit, *meum dare vobis.* Ibidem, num. 23. Nam, vt bene D. Ambrosius lib. 5. De Fide, cap. 3. *Dominus*, inquit, *cæli atque terrarum verecundabatur: &, vt ipsius verbo vtar, confundebatur, matri pro filiis postulanti, etiam suæ sedis consortium denegare.* Quid ergo propriæ Matri denegabit, qui denegare quidquam alienæ non audebat? Dauidem furentem in Nabal serenauit Abigaïl. 1. Reg. 25. à num. 23. Eundem subiratum in Absalonem compescuit Thecuïtis. 2. Reg. 12. à num. 2. Illa paruis muneribus, hæc simulatis lacrymis. Tu verò, ô Deipara, & magnis plena muneribus, & veris suffusa lacrymis, quam iram diuini Numinis in peccatores, non temperes, non emollias? Moyses in benedictione Ioseph: *Cornua*, inquit, *Rhinocerotis, cornua illius.* Deut. 33. num. 17. hoc est, Iosephus, & sub illius typo Christus Dominus, non minùs ad iram, quàm Rhinoceros accendetur. Nec immeritò. Nam, sicut Rhinoceros quantiscunque irarum facibus exardescat; tamen ad vnius virginis conspectum illicò deferuescit, ac mitescit; vt Diuus Gregor. lib. 39. Moral. cap. 10. testatur: ita & Christus, quamuis iustissimo in peccatores zelo inuehatur; nihilominùs ad huius Virginis, non dico precem, sed præsentiam, suam iram temperabit.

Abul.

Christus Matri suæ quidquam denegare erubescit.

D. Ambr.

Christus liberalior in Matrem, quàm Dauid in Abigailem, ac Thecuitem.

Rhinoceros ad conspectum vnius virginis mitescit.

D. Greg.

XII. *B. Virgo armis ad tuendum cincta.*

Tandem Mater Misericordiæ, quid, nisi misericordiam in peccatores meditetur? En illa *turris Dauid, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Cant. 4. num. 4. Nulla hîc ad feriendum arma, plurima ad protegendum. Scilicet, bellatricem turrim circundant gladij: pacificatricem verò clypei. D. Ambros. serm. 4. in Psalmum 118. legit: *Mille ostia pendent in ea.* Quasi mille nobis aditus ad Virginem pateant: mille nobis ianuæ per Virginem in cælum reserentur. En illa *filia Regis in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Psalm. 44. n. 14. seu, vt vertit D. Hieronymus: *In scutulatis.* Nam aliæ Regum filiæ holosericis, & aureis vestibus ad vanam sui ostentationem induuntur: at verò Beatissima Dei Mater scutulatas vestes, seu scuta sibi induit, ad piam suorum defensionem. En illud templum Zorobabelis, cuius faciem Hebræi *coronis aureis, & scutulis* ornauerunt. 1. Machab. 4. num. 57. vt Beatam Virginem præsignarent, cuius vtraque manus plena est; dextra quidem coronis, vt exornet; sinistra verò clypeis, vt tueatur.

D. Ambr.

D. Hier.

XIII. *Bonus latro B. Virginis precibus salutem consequutus.*

Quis te clypeus, bone latro, tam multis humanæ Iustitiæ iaculis confossum, à diuinæ Iustitiæ iaculis protexit, nisi huius Virginis patrocinium? Refert enim D. Petrus Damianus apud Salmeronem, tom. 10. Tract. 40. idcircò bonum latronem resipuisse; quia Beata Virgo inter crucem Filij, & crucem latronis posita, Filium pro latrone deprecabatur: hoc suo beneficio antiquum latronis obsequium recompensans. Nam, vt refert Dionysius Carthus. De vita Christi, part. 1. c. 13. ex D. Ansel. apud Torres de institutione Principis, lib. 13. c. 1. ad finem, Beatam Virginem cum Filio & Sponso fugientem in Ægyptum, & in latrones incidentem, bonus hic latro ab eorum manibus liberauit, sanctitatem Matris, & diuinitatem Filij admiratus. Quæ igitur hunc latronem ab inferni faucibus eripuit, quem non eripiet?

D. Petr. Dam.

Dionys.

D. Ansel.

Torres.

XIV. *Iuxta Arcam mortui, æternùm viuunt: quid iuxta Deiparam?*

Sunt, qui existiment, & Ozam sacrilegum, & filios Heli sceleratissimos æterna damnatione ereptos, & æternam salutem assequutos; illum quidem, quòd dicatur mortuus iuxta Arcam. 2. Reg. 6. num. 7. hos autem, quòd dicantur hoc loco pro defendenda Arca occubuisse: vt in Litera ex Abul. retulimus. Quis ergo iuxta te, vel pro te moriens, ô Virgo, condemnetur? Pereant, necesse est, qui procul ab hâc Arca recedunt. Israëlitæ quondam in Amalecitas irruerunt, repugnante Moyse, & Arca in castris manente. *At illi*, inquit Textus, *contenebrati ascenderunt in verticem montis:* scilicet, Amalecitas, qui in eo habitabãt, inuasuri. *Arca autem Testamenti Domini, & Moyses non recesserunt de castris.* Num. 14. n. 44. Quid factum? Infeliciter pugnarunt. Nam *Amalecites percutiens eos, atque concidens, persequutus est eos*, &c. Ibidem, num. 45. Neque enim felicior pugna illis adesse poterat, quibus Arca fœderis abfuisset. Ita planè felicem suarum rerum euentum non speret, qui tuum, ô Virgo, fauorem sibi præsentem non experitur. Contra verò, qui de tua ope certus est, nullum infortunium perhorrescat. Arcam quoties Israëlitæ secum in prælium educebant; toties munitissimam secum aciem in suum præsidium habere sibi videbantur: vt in hoc c. num. 3. §. 39. aduertimus. Vnde illud D. Athanas. ibid. citati: *Arca sufficiebat illis pro quauis acie in subsidium.* Quantò firmior acies B. Virgo? quæ à cælesti Sponso dicitur, *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Cant. 6. num. 3. Tu enim, sanctissima Deipara, vna cùm sis, tamen in tuorum tutelam patrociniumque seruorum, interprete Ruperto, *Contra malignos spiritus in procinctu es, secundum castrorum similitudinem.* Certè ad Sacerdotem Abiathar morte dignum dixit olim Rex Salomon: *Vade in Anathoth ad agrum tuum. Et quidem vir mortis es: sed hodie te non interficiam, quia portasti Arcam Domini Dei coram Dauid patre meo.* 3. Reg. 2. num. 26. Si

Recedentes ab Arca pereunt, quid à Deipara?

Arca fuit Hebræis acies.

D. Athanas.

B. Virgo, firmior acies.

Rupert.

Ferenti Arcam indulgetur vita, quid colenti Beatam Virginem?

propter

propter Arcam reo mortis donatur vita, quanto maiori iure peccatoribus venia indignis propter sanctissimam Virginem venia concedetur?

XV.
D. Pet. Dam.
Mortuus in peccato, B. Virginis precibus in vitam restituitur; vt pœnitentiam agens tandem saluetur.

Mirum dictu est, quod narrat D. Petrus Damianus lib. 2. epistolar. epist. 14. Ballum quendam, Burgundionem genere, cùm peregrinationem ad quandam sanctissimæ Virginis ædem suscepisset, in regressu ad domum suam, incidisse in morbum, & decessisse in peccato, quod nulla viuens pœnitentia expiarat. Hunc igitur, quia in obsequio Virginis obierat, suscipientibus Angelis, & quia in peccato decesserat, Dæmoniis reposcentibus, accurrens statim Virgo in corpus redire iussit, vt ritè confessus, & Sacramento expiatus, iterum in Domino obdormiret. Factum, vt imperauit. Et sanctissimæ Virginis precibus sua Dæmoni præda extorquetur; atque anima perditionis fluctibus penè hausta in portum salutis reuocatur.

D. Ansel.
Perire nequit, pro quo B. Virgo intercesserit.

Bene igitur D. Ansel. lib. De excellentia Virginis, c. 12. *Benignissimus*, inquit, *Filius tuus ad concedendum quidquid voles, promptissimus erit, & exaudibilis. Tantummodò itaque velis salutem nostram, & reuerà nequaquàm salui esse non poterimus.* Quasi damnati non possit, pro quo sanctissima Deipara orauerit. Sed de hac re plura iterum ad cap. 14. vbi rursum de Arcæ patrocinio agendum.

Num. XII. Currens autem vir de Benjamin ex acie, venit in Silo in die illa, scissa veste, & conspersus puluere caput.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.
Vir, vel puer dicitur; illud à virtute, hoc ab ætate vel à ministerio.

C*Vrrens autem vir*, &c. Virum nominant Hebræa, Græca & Latina exemplaria: quamuis Comestor puerum, Iosephus iuuenculum appellet. Immò & Septuaginta vtroque modo loquuntur, apud quos nunc ἀνὴρ, id est, *vir*; nunc ἄνθρωπος, id est, *homo*; nunc παιδάριον, id est, *puer*, appellatur. Nec vlla est pugna: quia nomina, *puer*, aut *iuuenculus*, esse potuerunt ministerij, non ætatis. Vel, si ætatis fuerunt; illud viri nomen fuit virtutis, quam profectò ostendit: quia reliqui sibi consulentes fugiebant, vnusquisque in tabernacula sua, vt paulò antè num. 10. dictum est: hic autem consulens communi bono, non in domum suam, quæ erat in Tribu Benjamin, vnde ipse dicitur oriundus; sed in vrbem Silo, de Tribu Ephraïm, vbi erat Summus Sacerdos, aduolauit: vt renuntiaret cladem, & de remedio, si quod adhibendum videretur, admoneret.

II.
Hic vir creditur ab Hebræis fuisse Saul.
Lyra.
Dum lex stat, salua sunt omnia.

Quis autem fuerit hic vir, incertum est. *Dicunt Hebræi*, inquit Lyranus, *quòd fuit Saul, qui capta Arca, videns tabulas testimonij in manibus Goliæ, quas ex Arca acceperat, abstulit de manibus eius, & fugiens reportauit eas in Silo.* Ita illi. Quod si verum est, duo notanda sunt. Vnum, permisisse Deum, capi Arcam; non tamen legem: quia nondum volebat, eum populum penitùs abolere: quandiu enim populus legem Dei retinebat, spem salutis suæ conseruabat. Alterum, Saülem, cùm esset priuatus, ausum fuisse resistere Goliæ: eundem, cùm esset Rex, ad solum Goliæ occursum expauisse: vt patet ex 1. Reg. 17. num. 11. Quasi ita fieri soleat, vt bene nati mores, malè partis honoribus euertantur; cùm tamen longè aliter fieri oporteat: quamuis enim priuatus homo suo discrimini timeat sine crimine; tamen, qui ad Rempublicam accessit, propria pericula contemnere debet, vt publica repellat. Adde, propterea fortasse

Boni mores aliquando honoribus euertuntur.

Saülem ad regnum præ cæteris fuisse electum; quia illo zelo diuinæ legis ab hostibus vendicandæ præ cæteris flagrauit. Aptus enim non est ad imperandum, qui ad seruandam diuinam legem non exardescit. Nihilominùs Carthusianus hoc loco, & Abulens. quæst. 18. totam hanc historiam commentitiam arbitrantur: tum, quia Saül adhuc adolescens non auderet insilire in Gigantem, quem strenuissimum recognoscebat; aut fortè non valeret legis tabulas fortissimo viro de manibus extorquere; quamuis in eum acerrimus inuolaret: tum etiam, quia Gigas ille non auderet legis tabulas extrahere de Arca, quam etiam Philisthini venerabantur, & vt sanctissimam in Dagonis templum importabant, vt sequenti cap. n. 1. ostendemus: tum denique, quia hic vir legis tabulis, quæ erant graues & lapideæ, oneratus, non posset in vrbem currendo festinare.

Zelus diuinæ legis ad regnum aptus.

Carthus.
Abul.
Impugnatur Hebræorum sententia.

III.
Alia Rabbinorum opinio, & impugnatur.

Aliter igitur alij Rabbinorum. Fatentur quidem, hunc cursorem fuisse Saülem, cum tabulis legis è prælio festinantem: quas tamen ipse non de manu Goliæ, sed de ipsa Arca extraxisset. Cùm enim videret Arcam iam captam, aut sine dubio capiendam, promptum aduolasse, eâque aperta, legis tabulas eripuisse; ne hoc saltem spolio sacratissimo hostilis acies frueretur. Verùm & his alij repugnant, existimantes, ne in hoc quidem casu Sauli licuisse, Arcam tangere, nedum aperire: idque si temerarius auderet, non impune abiturum; cum & ipsi Philisthini tangentes Arcam, grauiter percussi sint, vt ex sequenti cap. patebit: & Bethsamitæ solùm aspicientes, ad multa millia interfecti, vt infra cap. 6. num. 19. refertur: & Oza suis eam manibus sustentans, ne in terram laberetur, repentina morte sublatus, vt 2. Regum 6. num. 7. habetur. Tertiò igitur Philo in Antiquit. Biblicis consentit, hunc nuntium fuisse Saülem, & fugisse de manibus Goliæ, qui iam sinistra filios Heli occiderat, & dextra Arcam fœderis ceperat, & ipsum quoque Saülem occidere conabatur; occisurus proculdubiò, nisi ille pedum celeritate, qua vigebat, se proriperet, & fugam in vrbem maturaret. Non tamen addit, legis tabulas, aut à Golia extortas, aut ab Arca ereptas, aut ad Heli Pontificem exportatas.

Tertia Philonis sententia.

IV.
Auctoris de hac re existimatio.

Crediderim, quantùm coniectura assequi possum, legis tabulas ab Arca extractas non fuisse, cùm id Scriptura nunquàm exprimat; expressura profectò, tanquàm rem magni momenti, si ita accidisset: immò nulla se offerat sufficiens coniectura, ex qua ablata fuisse inde lex probabiliter colligatur. Addiderim, hunc nuntium, Saülem quidem esse potuisse, cùm neque temporum, neque rerum ordo aduersetur: re autem ipsa Saülem fuisse, prorsus incertum: cùm nulla id ratio persuadeat. Quod enim dicatur Benjamita, non magis quadrat in Saülem, quàm in cæteros eius contribules. Quisquis autem fuerit, lætus fuit nuntius, quales multi in Scriptura referuntur ad Iacobum de morte Iosephi, Gen. 37. num. 32. ad Dauidem de morte Saülis, 2. Reg. 1. num. 4. ad eundem Dauidem de morte Absalonis, 2. Reg. 18. num. 21. ad Iobum de singulis eius calamitatibus, Iob. 1. à n. 14. Vnde Ezechiel cap. 7. num. 26. grauissimam Iudæorum plagam expressurus: *Conturbatio*, inquit, *super conturbationem veniet, & auditus super auditum:* seu, vt habent Septuaginta: *Et nuntius super nuntium.* Qua de re D. Damascenus lib. 1. Paral. c. 34.

Lætus nuntius.

D. Damasc.

V.
D. Hier.

Venit in Silo in die illa. D. Hieronymus lib. 1. aduersùs Iouinianum, post medium, significare videtur, hunc nuntium venisse in nocte. Nam,

cùm

Opinio existimantium, hunc nuntium nocte aduenisse.

cùm eodem tempore, & nuntius venerit, & Heli obierit, vt constat ex hoc capite; & cùm D Hieronymus significet, Sacerdotem Heli obiisse nocte: plane etiam significat, & nuntium nocte aduenisse. Verba autem D. Hieronymi ita habent: *Heli Pontifex retrorsum cecidit, & mortuus est, lucerna Dei antequam extingueretur.* Nam, cùm nox hac periphrasi significetur, vt cap. 3. Num. 7. diximus, non obscurè significatur, Heli nocte obiisse. Atque ita Diuum Hieronymum interpretatur eios Scholiastes Marianus Victorinus. Nam Erasmus fortasse, quia vidit locum obscurum, lucernam adiicere non curauit. Probat igitur Marianus, quia Heli obiit, quando *Oculi eius caligauerant, & videre non poterant*: vt dicitur infrà n. 15. Atqui videre non poterat, lucerna Dei antequàm extingueretur, vt dicitur suprà cap. 3. num. 7. hoc est, nocte. Ergo antequàm lucerna Dei extingueretur, ipse obiit, nimirum nocte. Vnde inferre videtur, Sacerdotem obiisse eadem nocte, qua de illo supradictum est, videre non posse, lucerna Dei antequàm extingueretur: idque illis Diui Hieronymi verbis significatum esse.

Marianus.

VI. *Impugnatur præcedens opinio.*

Sed neque illatio, neque probatio, neque assertio ipsa mihi placent. Et quidem illatio est apertè falsa, scilicet, Heli obiisse illa nocte, qua de illo dicitur, videre non posse, lucerna Dei antequàm extingueretur: quia post illam noctem admonitus est Heli a Samuele, & sublata est Arca de Silo, & commissa duplex pugna cum Philisthæis, & capta Arca, ac tandem relatus nuntius ad Heli, in quibus omnibus plures dies cõsumpti sunt. Ergo non illa prædicta nocte obiit Heli: præterquàm quòd inter illam noctem, qua dicitur Heli non videre, & tempus, quo Heli obiit, plures non solùm dies, sed etiam anni interfuêre: quia tunc agebat Samüel annum duodecimum; nunc autem trigesimum aut quadragesimum attingebat: vt ex dictis cap. 3. num. 1. iam constat. Probatio verò nihil efficit, quia illa caligatio, vel cæcitas Heli non erat vnius tantùm noctis, sed continua; nocturna, scilicet, ac diurna. Ergo quamuis c. 3. dicatur, caligasse nocte; & cap. 4. obiisse, quando caligabat; non efficitur, obiisse nocte, quia etiam die caligabat: hoc est, non admodum perspicax erat. Tandem assertio non est Literæ conformis. Quia Heli quãdo nuntium accepit, sedebat extra suam domum ad ostium tabernaculi, spectans contra viam, si quis fortè illac ex prælio reuerteretur, vt ex sequenti num. patebit: ad hoc autem munus exercendum non erat aptum tempus nocturnum, sed diurnum: Ergo in die sedebat Heli, & in die aduenit nuntius, non solùm naturali, sed etiam artificiali, quo prælium gestum est.

VII. *Vespertino tempore ante Solis occasum venit hic nuntius.*

Non dubito tamen, fuisse tempus vespertinum paulò ante Solis occasum; quia citiùs peruenire non posset ille cursor, si eodem die accessit, quo dimicatum est, vt Litera innuere videtur. Sed quid ad verba D. Hieronymi? Mihi videtur in illis aliquid supplendum, quod iniuria temporum, vel incuria Scriptorum interierit; vel certè quod ex textu, ad quem alludit, facilè intelligi posset. Quare sic ea restitutio: *Heli Pontifex retrorsum cecidit, & mortuus est, quando oculi eius caligauerant, & videre non poterat, antequàm lucerna Dei extingueretur.* Et non est sensus, obiisse quando vocatus fuit à Deo Samuel dormiens in templo: sed obiisse in nimia senectute, quando iam nimis obtusa oculorum acie, præsertim nocturno tempore vtebatur. Sicut igitur Heli non obiit nocte; ita & ille cursor, qui paulò ante eios obitum venit, non nocte, sed die accessit: die, inquam, illa, vt est in Litera, hoc est, in qua strages facta fuerat. Vnde fit, vrbem à loco pugnæ non admodum procul abfuisse.

VIII. *Virgilius. Mos scindẽdi vestes Gentibus, & Iudæis cõmunis. Iuuen. Seneca.*

Scissa veste. Mos scindendi vestes non erat aliis Gentibus peregrinus, iuxta illud 12. Æneid.

——— *it scissa veste Latinus.*

Et illud Iuuenalis Satyr. 10.

——— *Scissáque Polyxena palla.*

Et illud Senecæ in Octauia.

——— *Scindit vestes*

Ægesta suas, laceráque comas.

Et similia testimonia apud profanos Auctores passim occurrũt. Certè Iudæis fuit admodum familiaris, vt D. Hieronymus in cap. 26. Matth. & 14. Marc. & 37. Isaiæ, D. Cyril. Alexand. lib. 12. in Ioan. c. 37. Oecum. Act. 22. Origen. seu quisquis ille est Auctor, lib. 3. in Iob, & plures alij testantur. Triplici autem in casu scindebant vestes.

D. Hier. Oecumen. Orig.

IX. *Primus casus scindẽdi vestes in graui culpa seu blasphemia detestanda.*

Primò, iuxta citatos Patres, quando blasphemiam, vel aliquam atrocem culpam detestabantur. Sic Iosuë & Caleb detestati sunt incredulitatem Iudæorum, Num. 14. n. 6. Rex Israël superstitionem Regis Syriæ, 4. Reg. 5. num. 7. Ezechias blasphemias Rabsacis, 4. Reg. 19. num. 1. Paulus & Barnabas idololatrias Lycaoniorum, Act. 14. num. 13. Caïphas responsionem Christi Domini, quam ipse verè blasphemus, falsò blasphemiam appellabat. Matth. 26. n. 65. Nam, qui paulò antè, nesciens quid diceret, prophetarat, moriturum esse vnum hominem pro populo, ne tota Gens periret, Ioan. 11. n. 50. Idem posteà nesciens quid faceret, prophetauit, à se vetus sacerdotium rescindendum, vt nouum Christus Dominus sacerdotium stabiliret. Vnde D. Hieron. in locum citatum Matth. rectè obseruat, Principem Sacerdotum de sede surrexisse, & vestimenta scidisse. *Quem*, inquit, *de solio sacerdotali furor excusserat; eundem rabies ad scindendas vestes prouocat, vt ostendat, Iudæos sacerdotij gloriam perdidisse; & vacuam sedem habere Pontifices.* Et cùm solus Sũmus Sacerdos ab hac consuetudine scindendi vestes prohiberetur, Leu. 21. num. 10. solus tamen hoc loco, vt suam indignitatem ostenderet, eam legem violauit. De qua rè eleganter D. Leo serm. 6. De Passione: *Nesciens*, inquit, *quid hac significaret insania, sacerdotali se honore priuauit. Vbi est, Caïpha, rationale pectoris tui? Vbi est continentia cingulum? Vbi superhumerale virtutum? Mystico illo, sacratóque amictu ipse te spolias, & propriis manibus pontificalia indumenta discerpis; oblitus præcepti illius, quod legeras, de Principe Sacerdotum: Vestimenta sua non disrumpet. Tu verò, à quo iam alienabatur hæc dignitas, ipse tibi es exequutor opprobrij.*

D. Hieron.

Caïphas scindendo vestes, veteris sacerdotij iacturã prophetauit.

D. Leo.

X. *Secundus casus, in pœnitentia faciẽda.*

Secundò, scindebant vestes, quando Deũ per pœnitentiam ad misericordiam inflectere nitebantur. Quo pacto leprosus *vestimenta dissuta* habere iubebatur, Leuit. 13. n. 45. vt externa vlcera manifestando, & multò magis interna peccata confitendo, vt Orig. & Procopius exponunt, diuinam ad se misericordiam prouocaret. Sic Deum sibi propitium reddere curauerunt, Iosuë, Ios. 7. n. 6. Achab, 3. Reg. 21. n. 27. Iosias, 4. Reg. 22. n. 11. Mardochæus, Esther 4. n. 1. Mathathias, 1. Mach. 2. n. 14. Ionathas, 1. Mach. 11. n 71. Vnde Rex Ioachim & eius serui grauiter reprehenduntur, Ier. 36. num. 24. quia audito legis libro, in quo diuinæ comminationes continebantur, *non sciderunt vestimenta sua*: hoc est, Deum ad misericordiam per pœnitentiam non implorarunt. Contrà verò illi non immeritò arguuntur, qoi vestium laceratione contenti, nihil de conterendis animis cogitabant: ad quos Deus: *Scindite*, inquit, *corda ve-*

Origen. Procop.

Simulata pœnitentia arguitur.

stra, & non vestimenta vestra. Ioël. 2. n. 13. Quibus verbis non prohibetur scissio vestium, sed cordium contritio antefertur: quemadmodum & illis: *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Matth. 9. n. 13. Sacrificium non excluditur, sed misericordia præponitur.

XI. *Tertius casus in interno animi dolore manifestãdo.*

Tertiò, scindebant vestes, quando interni animi dolorem testabantur. Sic dolorem suum prodiderunt, Ruben, Gen. 37. n. 30. Iacob, ibidem, n. 34. Fratres Iosephi, Gen. 44. n. 13. Iephte, Iud. 11. n. 35. Dauid, 2. Reg. 1. n. 11. Chusaï, 2. Reg. 15. n. 32. Helisæus, 4. Reg. 2. n. 12. Rex Israel, 4. Reg. 6. n. 30. Athalia, 4. Reg. 11. num. 14. & passim alij. Vnde D. Cyrill. Alexandrinus loco supra citato ad illa verba: *Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum.* Matth. 27. n. 51. *Hac,* inquit, *Iudæorum consuetudine templum Dei quodammodo vsum, cùm Christus expirasset, velum, quasi vestem suam, illicò scidit. Quod diuinitùs ideò dixerim esse factum, vt sanctum Dei templum populi causam lugere intelligeretur.* Hoc igitur tertio modo hic vir scissam gerebat vestẽ: seu, vt vertit Aquila apud Theodoretum, q. 43. *Mantelum laceratum.* Quamuis Septuaginta in plurali transferant: *Vestimenta ipsius discissa*: forte, vt non vnius tantùm, sed omnium vestimentorum laceratione maiorem animi dolorem ac mœrorem significaret. Quod magis ex statim dicendis patebit.

D. Cyril. — *Hic tertius casus huius loci proprius.* — *Theod.*

XII. *Consuetudo aspergendi puluere caput apud Gẽtiles, & Iudæos.*

Et conspersus puluere caput. Consuetudo verò aspergendi puluere, vel cinere caput, non solùm apud Ethnicus frequens erat: iuxta illud 10. Æneid. de Mezentio:

Canitiem multo deformat puluere. ——

Et illud 12. Æneid. de Rege Latino.

Canitiem immundo perfusam puluere turpat.

Et illud 18. Iliados de Achille:

Corripiens manibus cinerem, nigrámque fauillam,
Inspersit capiti, & faciem fœdauit honestam.

Virg. — *Homer.* — *Fuit hæc cõsuetudo in pœnitentia, & luctu.*

Sed etiam apud Iudæos, præsertim in duplici casu, nimirum, pœnitentia, & luctu. Sic olim implorarunt Deum, ac suas miserias deplorarunt; Iudith, Iudith 9. n. 1. Esther, Esther 14. n. 2. Filia Ierusalem, Isai. 6. num. 26. Ciues Ierosolymitani, Thren. 2. n. 10. Amici Iob, Iob. 2. num. 12. & plures alij. Idem planè facerent Cyrij & Sidonij, si virtutes, quæ factæ sunt in Corozaïm & Bethsaïda cognouissent, Luc. 10. num. 3.

XIII. *Duplex ratio, cur pœnitentes cinere ac puluere conspergantur.* — *Pradus.*

Si autem quæras, cur pœnitentes ac mœrentes cinere ac puluere aspergerentur? Bene respondet Pradus noster ad illa verba: *Superiacient puluerem capitibus suis, & cinere conspergentur.* Ezechiel. 27. n. 30. Nimirum, vt faciliùs effugerent diuinam iram, quæ in flãma, turbine & grandine desæuit, iuxta illud: *Terrorem brachij sui ostendet Dominus in flamma ignis deuorantis, allidet in turbine, & in lapide grandinis.* Isai. 30. n. 30. Nam contra flãmam deuorantem, quid meliùs opponas, quàm cinerem, qui ab igne nõ corripitur, cùm sit totius succi & pinguedinis expers? cõtra turbinem & grandinem collidentem, quid meliùs obiicias, quàm puluerem, qui vlteriùs conteri & collidi non potest? Vt igitur cinis ignem, & puluis grandinem facilè euadunt; ita Deum iratum facilè effugiunt pœnitentes & mœrentes. Alij dicunt, pœnitentes cinere ac puluere conspergi solitos, vt se Deo exhibeant, tanquàm mortuos, & in puluerem ac cinerem redactos; & sic diuinam sibi misericordiam & clementiam alliciant, quæ non patitur, vt in mortuos sæuiatur.

XIV. *Tristis nuntius mœroris signa præferebat, vt nũtiando leniùs feriret.*

Igitur hic vir pœnitentiæ ac mœroris causa ingressus est vrbem, *Scissa veste, & conspersus puluere caput*: seu, vt est in Hebræo, Conspersus אדמה *Adama*, hoc est, *terra*, vt tristem euentum, quem fando præ lacrymis exprimere non poterat, lugubri habitu testaretur. Et fortasse ea fuit consuetudo eorum, qui tristia nuntiabant, ne audientium aures repentino nuntio ferirent, sed quodammodo ad ictum præpararent; dùm priùs habitu, quàm ore loquerentur. Sic ille nuntius, qui Dauidi mortem Saülis & Ionathæ nuntiauit, *Apparuit veste conscissa, & puluere conspersus caput.* 2. Reg. 1. n. 2. Et qui Ezechiæ blasphemias Rabsacis denuntiarunt, *Scissis vestibus* accesserunt. 4. Reg. 18. num. 37. Lenior enim fluit dolor, qui non repentè infunditur, sed sensim instillatur. Vnde quæri potest, cur ille nuntius, qui tam multas Iobo clades nuntiauit, Iob. 1. à n. 14. non dicatur scissa veste, & puluere conspersus accessisse. Responderi enim potest: quia hic nuntius, cùm fuerit ipse Diabolus, vt vult D. Chrys. vel saltem Diaboli fraude submissus & subrogatus, vt Orig. & alij Interpretes testantur; voluit Iobi aures telo minimè præuiso vulnerare, vt sanctissimus Patriarcha repentino dolore consternatus faciliùs ad impatientiam & blasphemias contra Deum adigeretur.

Iobi nuntius non præferebat hæc signa, vt repẽte nuntiando, acerbiùs vulneraret. — *D. Chrys.* — *Orig.*

Num. XIII. Cúmque ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans: erat enim cor eius pauens pro Arca Dei. Vir autem ille, postquàm ingressus est, nuntiauit vrbi, & vlulauit omnis ciuitas.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Cur nuntius non statim venit ad Heli.*

CVmq; ille venisset. In Hebræo est, ויבא *Vaiabo*, Et venit. Sic habet & Chaldæus. Septuaginta in Regiis & Complutensibus, καὶ ὅτε ἦλθεν, Et quando venit. Nec multùm differt vulgata: *Cúmque ille venisset*: scilicet, in vrbem, antequàm accederet ad Heli: neque enim statim ad Sacerdotem conuolauit; forte à vulgo sciendi auido detentus; aut veritus infausto nuntio Pontificem sauciare; aut tandem nullum illato damno remedium sperans à Sacerdote, qui inferendo non occurrisset.

II. *Nuntius partim speratus, partim repentinus.* — *Sedes Heli sublimis.* — *Iosephus.*

Heli sedebat super sellam, &c. In Hebræo est aduerbium demonstratiuum, והנה *Vehineh*, Et ecce. Sic & in Græco, ἰδού, *Ecce*: vsurpari solitum ad aliquid repentinum, insperatúmque significandum, qualis fuit hic nuntius: licèt enim multò antè iam timeretur; sua tamen infelicitate semper nouus & repentinus videbatur. Igitur Heli sedebat super sellam: seu, vt est in Hebræo, *super thronum*: id enim significat vocabulum, כסא, *Chisse*, quod ibi ponitur. Vnde Iosephus interpretatur *altiorem sedem*: seu, quòd ipsius sedis structura sublimior esset à terra: seu, quòd in aliquo gradu collocata sublimior appareret; vt innuere videtur Paraphrastes, vertens: *Cathedram super gradum.* Vnde posteà mirum non erit, Heli de sublimi sede corruendo, ceruices fregisse.

III. *Locus, in quo sedebat Heli.* — *Vatablus.* — *Manus Hebraicè sumitur pro loco.*

Contra viam spectans. Non omninò exprimit Vulgata, quo in loco Heli sederet: solùm dicit, sedere contra viam. In Hebræo est: *In manu viæ*: hoc est, vt notat Vatablus: *In loco viæ.* Nam, יד *Iad*, non solùm manum, sed etiã locum significat. *Non liberabit animã suã de manu flammæ.* Isai. 47. n. 14. id est, de loco flãmæ, seu de incendio. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locũ.* Isai. 56. n. 5. Hebraicè, יד *Iad*, id est, *manũ*. Sedebat igitur in loco, seu

seu principio viæ tendentis ad locum pugnæ, vt inde venientes exciperet. Addunt Septuaginta, *Ad portam*, seu, *Apud ostium*. Quod etiam Vulgata exprimit paulò inferius, n. 18. vbi dicitur, Heli cecidisse *De sella retrorsum iuxta ostium*.

IV. Dubitatur, quænam fuerit hæc porta? Vrbisne, an propriæ domus, an denique ipsius templi? Vualfridus lib. De rebus ecclesiasticis, c. 13. templi portam significare videtur, dum ait, Heli *in loco sancto fractis ceruicibus* expiasse. Clariùs id exprimit Tert. in lib. aduersùs Psychicos, c. 16. *Elidutur*, inquit, *pro templi foribus senior Heli*. Et cùm domus sacerdotalis non procul abesset à templo, seu tabernaculo; vt patet ex Num. 1. n. 53. & ex superiori cap. à Num. 3. vbi Samuel dormiens in templo, existimabat se vocari à Sacerdote, & ad illum recurrebat, tanquàm ad vicinum: fit, vt etiam iuxta portam domus propriæ sederet. Probatur igitur, prope templū sedisse & cecidisse: tum, quia Heli iuxta portam templi sedere consueuerat; vt patet ex hoc lib. cap. 1. Num. 9. tum, quia, si sedisset iuxta portam vrbis, in eum incidisset ille nuntius, priusquàm in vrbem ingrederetur, contrà quàm accidit; priùs enim vrbi, quàm Pontifici rei euentum nuntiauit: tum, quia par erat, vt quo in loco pater viderat filios peccantes, quin eos puniret; in eodem ipse à Deo puniretur; nempe in templi ostio, vbi illa plurima filiorum Heli sacrilegia contigerant. Adde, posse ostium hoc loco sumi non pro aliquo ex tribus prædictis; sed pro viæ principio, quod ostium, seu porta viæ nominatur. Vnde Chaldæus transfert: *Via portæ*, seu ad viæ portam *prospiciens*.

Iuxta quam portam sederet Heli.
Vualfridus.
Tert.
Vbi culpa, ibi pœna.

V. Hanc sessionem refert D. Greg. ad Pontificis superbiam: *Quid est*, inquit, *quod sedet super sellam, nisi, quia superbè extollitur de doctrina?* At verò D. Petrus Damianus lib. 5. epistol. epist. 8. eandem refert ad ignauiam ac desidiam Sacerdotis; & propterea docet tam grauiter fuisse à Deo punitum. Nam coram Deo non otiosè sedendum est, sed alacriter stādum. Vnde Deus ad Moysen: *Tu verò*, inquit, *hic sta mecum, & loquar tibi mandata mea.* Deut. 5. n. 31. Et ad Heliam: *Egredere*, inquit, *& sta in monte coram Domino.* 3. Reg. 19. n. 11. Et iterum ad Moysen: *Applica*, inquit, *Tribum Leui, & fac stare in conspectu Aaron Sacerdotis.* Num. 3. n. 6. Vbi Damianus: *Non ait Dominus*, inquit, *sedeant, oscitët, & dormitent; sed fac stare*. Quin etiam Angelus Domini apparuit Zachariæ, *stans à dextris altaris incensi*. Luc. 1. n. 11. Et Ioannes vidit *turbam magnam, ex omnibus Gentibus, & Tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum*. Apoc. 7. n. 9. Denique & illi totius naturæ apices & Principes Seraphin *stabant subter illud*. Isai. 6. n. 2. hoc est, subter Diuinitatis solium. *Ecce*, inquit Damian. *vbi Seraphim sedere non audent, sedet homo luteus, luridus & immundus? Vbi virtutes cælorum sibi sedilia non vsurpant; illic homo, tanquàm communi ac domestico perfruitur otio, qui se puluerem esse, ac cinerem non ignorat?* Et refert singulare exemplum Varronis Consulis Romani, qui, vt scribit Euttopius, postquàm apud Cannas cum Annibale congressus victoriā perdidit, nunquàm postmodum vsque ad vitæ suæ terminum recubās cibum sumpsit: vt qui aliquod desidiæ vestigium reliquerat, perpetuò eiusdem desidiæ supplicio subiiceretur. *Quod si faciunt hoc Ethnici*, inquit Damianus, *vt famæ suæ nomen extendant; quid agendum est Christianis, vt in cælesti sibi gloria sedes acquirant?* Vbi etiam refert exempla eorum, qui per ignauiam sedentes, aut recubantes perierunt.

D. Greg.
Sedere aliquando superbiam, aliquando ignauiam designat.
D. Petr. Dam.
Stare, proprium est alacritatis.
Varro Consul semel victus nunquàm amplius recubuit ad comedendum.
Eutropius.

VI. Nihilominùs planior sensus est, Sacerdotem

A non superbiæ, vel ignauiæ causâ; sed ætatis, & auctoritatis, sedisse: præsertim, cùm non intra, sed extra templum sedem occuparet: nec ad breue temporis spatium, sed ad longiusculum ibi manserit; quod stando facere non posset, ob senilem infirmitatem. Sed quid sedendo faciebat, *Sedebat*, inquit Textus, *contra viam spectans*: seu, vt est in Hebræo, Chaldæo & Græco: *Speculans*, seu, *Prospiciens*. Nimirum, an quis illac ex castris veniret, qui rei gestæ nuntios afferret. At, quia cæcus, qualis erat Heli, non poterat videre; transtulit Magister historiæ, & Nauclerus: *Contra viam auscultans*. Alij verò, vt patet in quibusdam Bibliis parum correctis: *Contra viam expectans*. Sed Vulgata retinenda est, cùm spectandi verbo, & attentio cuiusque sensus, & positio oris vergēs in castrorum partem rectè significetur. Immò hæc positio Sacerdotis ex superiori loco prospectantis, mysticè significare potest sacerdotalem curam bono spirituali omnium subditorum prouidentem. Vnde Diuus Bernardus lib. 2. De Consideratione ad Eugenium, Pontificalem cathedram appellat, *Speculam*: ex qua Pontifex, seu Episcopus sui memor nominis speculetur. Et subdit: *Quidni locetur in eminenti, vnde prospectet omnia, qui speculator super omnia constituetur? Enimverò prospectus iste procinctum parit, non otium.*

B

Sessio Heli non est illo vitio vertenda.
Quid spectaret Heli, cùm esset cæcus.
Magist. hist.
Naucler.
D. Bern.
Cura episcopalis, specularis.

Erat enim cor eius pauens pro Arca Dei. Cordis esse dicitur hic pauor, non oris. Vel quia vir strenuus, qualis à Marone describitur 1. Æneid.

VII.
Cordis pauor, magnus.

C *Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.*

Vel, quia longè maior cordi pauor, quàm ori paulo insidebat. Oriebatur autem hic pauor, tum ex ipsa senectute, quæ timida esse solet, iuxta illud Horatianum in Arte:

Vnde Ortus ex senectute.

——Res omnes timidè, gelidéque ministrat. Horat.

Tum ex sceleris conscientia, quæ nunquàm animum quiescere sinit, iuxta illud: *Semper enim præsumit sæua, perturbata conscientia.* Sap. 17. num. 11. tum denique ex cura pastorali, quæ pastoris cor mirandum in modum exedit & excruciat; iuxta illud Apostoli: *Instantia mea quotidiana, sollicitudō omnium Ecclesiarum.* 2. Corinth. 11. num. 28. Vbi Diuus Chrysostomus homil. 15. hanc sollicitudinem & turbationem appellat, *Apostolicum characterem*. Quasi hoc sit optimum veri Pastoris signum, quo à mercenario distinguatur; pro grege turbari ac sollicitari. Vnde D. Cypr. serm. De lapsis, non procul ab initio, suam pro grege sollicitudinem eleganter expressit: *Doleo*, inquit, *Fratres, doleo vobiscum: nec mihi ad leniendos dolores integritas propria, & sanitas priuata blanditur; quando plus pastor in gregis sui vulnere vulneratur. Cum singulis pectus meum populo: mœroris, & funeris pondera luctuosa participo: cum plangentibus plango: cum deflentibus defleo: cum iacentibus iacere me credo. Iaculis illis grassantis inimici mea simul membra percussa sunt: sæuientes gladij per mea viscera transierunt: immunis & liber à persequutionis incursu fuisse non potest animus: in prostratis fratribus & me prostrauit affectus.* Quibus verbis, nescio, an vlla alia habere potuerit Heli aptiora ad sui cordis pauorem exprimendum.

D

E

Et ex sceleris conscientia.
Et ex cura pastorali.
D. Chrys.
D. Cyprian

Sollicitus igitur erat Heli, & suorum plagas, quasi in se suo recipiendas formidabat. Sic Iacobus per diuinum oraculum de suo periculo securus, adhuc nihilominùs fratrem suum Esaü valdè metuebat. Gen. 32. à n. 7. Quia, si non proprio, tamen alieno suorum periculo turbabatur. Sic, Dauid certus de salute sua ex diuina promissione; adhuc nihilominùs *desperabat, se posse euadere à facie Saül*. 1. Reg. 23. n. 26. quia, licet nullum sibi, aliquod

VIII.
Boni Prælati suorū plagas, tanquā suas reformidant.
Iacobus.
Dauid.

Apostoli.

aliquod tamen suis nocumentum à Saüle inferendum verebatur. Sic Apostoli, audientes à Christo Domino illud: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in Regnum calorum.* Matth. 19. n. 24. *Mirabantur valdè, dicentes: Quis ergo poterit saluus esse?* Vbi Diuus Chrysostomus hom. 64. non immeritò quærit, cur discipuli turbarentur; qui potiùs gaudio triumphaturi videbantur. Nam, si Christus Dominus periculum gehennæ, & exilium à patria, solis diuitibus minabatur: illos, qui diuitias abdicassent, & veram paupertatem coluissent, potiùs gaudio gestire & exilire oportebat. *Cuius ergo rei gratia*, inquit Chrys. *discipuli, qui nimiùm inopes erant, turbabantur?* Et respondet aptè ad rem præsentem: *Quia propter perditionem aliorum dolebant; quorum omnium iam charitate afficiebantur, & quasi magistrorum ac patrum viscera susceperant. Sic enim pro vniuerso terrarum orbe, huius sententiæ acrimonia expauerunt, vt non parua eis consolatione opus fuerit.* Vt igitur Apostoli nullum proprium periculum sibi ex diuitiis metuentes; adhuc nihilominùs diuitum periculis turbabantur, quia illorum Pastores erant: ita & Heli, licèt nullum sibi à Philisthinis periculum timeret; magnum tamen suæ Reipublicæ formidabat.

D. Chrys.

IX.

Cur seorsim pro Arca pauerET.

Prima responsio: quia de Arca ruitura incertius erat.

Sed, cur seorsim dicitur cor eius pauens *pro Arca Dei*, cùm non dubitandum sit, quin etiam pro populo ac filiis paueret? Duplex responsio esse potest. Vna, ex Abulensi: quia Heli certior erat de morte filiorum suorum, quàm de captiuitate Arcæ: nam illam prædixerat Propheta ad eum missus cap. 2. num. 34. non autem hanc. Vnde de illa, tanquam de re iam ineuitabili, minùs curabat; certus, vellet, nollet, eum sibi dolorem necessariò deuorandum: de hac autem quò minus certus erat, eò magis timidus & sollicitus angebatur. Nam ex vna parte sanctitas Arcæ illam inexpugnabilem reddidisse videbatur: ex altera verò parte innumera illius populi flagitia nullam non posse arcem, quantumuis sacratam, labefactare credebantur: quare inter spem, metúmque anceps pro Arca Dei seorsim formidabat. Augebatur tamen timor: quia sciebat, Arcam, se inuito, & vix importunis precibus permittente, è Sanctuario eductam, vt suprà num. 4. & 11. ex Abulensi diximus: Deum autem non solere esse inobedientiæ patronum, sed acerrimum vltorem.

X.

Secunda responsio: quia pluris Arcã, quàm populum ac filios faciebat.

Altera responsio communis, & priori non repugnans: quia pluris Arcam Dei, quàm populum ac filios faciebat. Sic olim Hebræis pro patria & templo contra Nicanorem pugnaturis, *Erat*, inquit Textus, *pro vxoribus & filiis, itémque pro fratribus & cognatis minor sollicitudo: maximus verò & primus pro sanctitate timor, erat templi.* 2. Mach. 15. num. 18. Quasi bonorum omnium iacturam facilem ac leuem indicarent, dummodo bona omnia spiritualia sarta tecta seruarentur. Quam rem interim omitto, Annot. 13. sequenti vberiùs illustrandam. Interim Diuus Bonauent. in Psalm. 118. c. 5. vers. 16. triplex distinguit cor: mœrens de mali commissione: pauens de boni amissione: gaudens de mali remissione, ac boni repromissione. *De mœrente*, inquit, *scribitur: Dolor meus super dolorem: in me cor meum mœrens.* Ierem 8. num. 18. *De pauente legitur: Erat cor eius, scilicet Heli, pauens pro Arca Domini. Arca fœderis est gratia Saluatoris, qua seruatur per obedientiam, alienatur per inobedientiam, recuperatur per pœnitentiam. De gaudente traditur: Cor gaudens exhilarat faciem.* Prou. 15. n. 13. *Gaudium conscientiæ non potest sic latere interiùs in affectu, quin pateat exteriùs in aspectu.* Vbi refert cor pauens ad bonum iam amissum; quamuis hoc loco ad amittendum referatur.

D. Bonau.

Cor mœrens, pauens, & gaudens.

XI.

Cursor antequã ad Heli veniret, rem in vrbe euulgauit.

Vir autẽ ille, postquàm ingressus est, nuntiauit vrbi. Iam initio huius Numeri aduertimus, hunc virum non rectà ad Heli Sacerdotem perrexisse: sed statim pugnæ euentum in populum euulgasse. Cuius rei causa, præter illam triplicem, quam ibi insinuauimus, quarta esse potest: quia doloris magnitudo, quem inclusum in animo gestabat, moras non patiebatur; sed foras, per lacrymas, eiulatus & clamores erumpebat. Nuntiauit igitur vrbi; hoc est, omnibus, qui vrbem habitabant, prout se quisque obuius offerebat, rem factam enarrauit. In Hebræo est verbum, בִּשֵּׂר *Batsar.* In Græco verbum, ἀναγγέλλω. Quorum posterius, licet commune sit ad faustum, infaustúmque nuntium significandum: illud tamen prius ad faustum exprimendum proprium erat apud Hebræos: vt colligitur ex 2 Reg. 4. num. 10. & 2. Reg. 18. num. 19. & 4. Reg. 7. num. 9. Quibus locis felices nuntij hoc verbo significantur. Vt recentiores Salmer. tom. 1. Prolog. 23. Maldon. præfat. in Euang. cap. 1. Barradas tom. & lib. 1. concord. c. 17. & alij confirmant.

Verbum nuntiandi in Hebræo significat bonos nũtios.

Salmer.

Maldon.

Barrad.

XII.

Putãt aliqui etiã hoc loco significare bonum nuntium, scilicet, mortem malorum.

Sed contra hanc interpretationem stare videtur præsens locus, vbi ponitur verbũ, בִּשֵּׂר, *Batsar*, ad infelices euentus significandos. Sunt, qui dicant, etiam hos nuntios de morte pessimorum Sacerdotum felicissimos esse; quemadmodum nuntius de morte Saülis & Ionathæ, quia bonus erat Philisthæis, explicatur à Dauide in suo Epicedio, 2. Reg. 1. n. 20. per verbum בִּשֵּׂר *Batsar*, iuxta Hebræum: & per verbum εὐαγγελίζω, iuxta Græcum, quod in eo differt à simplici, ἀγγέλλω, quòd hoc significet absolutè, *nunciare*, illud, *fausta nuntiare*: propter compositionis aduerbium, εὖ, id est, bene. Quasi dicat: *Ne euangelizetis in compitis Ascalonis*, hoc est: Ne faustos nuntios de morte Saülis & Ionathæ ad eorum hostes Ascalonitas deferatis. Sed non satisfaciunt: quia, licèt nuntij de morte Saülis & Ionathæ felices fuerint Philisthæis, proindéque prædictis verbis faustos nuntios significantibus ad eos deferri potuerint; tamen nuntij de morte filiorum, saltem patri, cui afferebantur, iucundi ac felices esse non potuerunt; immò strages populi, & captíuitas Arcæ nemini Hebræorum iucunda videretur.

Impugnãtur.

XIII.

Secũda responsio reiicitur.

Tertia responsio excluditur.

Verior responsio.

Dicet alius esse hoc loco Ironiam. Eam tamen Maldonatus in tanta populi calamitate narranda parum opportunam arbitratur: ne, si calamitas per irrisionem denuntietur, noua calamitas addatur. Respondet igitur Maldonatus, huius libri Auctorem vsum fuisse hoc verbo, non quidem accommodatè ad rem & veritatem; sed ad opinionem & expectationem hominum, qui de prælio, in quo Arca patrona aderat, non nisi felicissimos nuntios sperabant. Sed, nescio, an durior sit expositio, per verbum boni nuntij, malum explicari; solùm, quia bonus sperabatur. Faciliùs igitur dixerim, esse antiphrasim, satis Literis frequentissimam, qua contrarium aliquid verbis significatur: quo pacto Hebræi meretricem appellant, קְדֵשָׁה *Chedesa*, id est, sanctificatam, à verbo קָדַשׁ *Cadas*, quod propriè est, *sanctificare*; & per antiphrasim, *polluere.* Et Græci profanum & maledictum vocant ἀνάθεμα, hoc est, sanctũ & consecratum. Et Latini verbis benedicendi & sperandi vtũtur, pro verbis maledicendi & timendi. Sic Iob 2. n. 9. *Benedic Deo, & morere.* Et Prouerb. 29. n. 20. *Stultitia magis sperãda est, quã illius correctio.* Et Iudith 13. n. 15. vbi sermo est de

de Iudith post cædem Holofernis ad vrbem redeunte, *Sperabant*, inquit, *eam iam non esse venturam:* hoc est, timebant. Non aliter igitur hoc loco, & num. 14. & 17. verbum bona nuntiandi, pro verbo nuntiandi mala vsurpatur. Qua de re superiori cap. num 17. plura diximus. Nuntiauit itaque vir vniuersæ vrbi, scilicet, infelicissimam stragem bello acceptam.

XIV. *Et vlulauit omnis ciuitas.* Hoc est, inconditis clamoribus & misera comploratione lamentata est: non solùm, quòd suas quisque res amitteret, filios, coniuges, parentes & cognatos; verùm etiam, quòd suas quisque spes amisisse sibi videretur: cùm nihil humani, nihil diuini auxilij, ad quod confugeret, superesset. Nihil humani; cùm tam multa virorum millia interierint, sine quorum præsidio, hostium incursionibus patebant. Nihil diuini; cùm ipsa fœderis Arca capta fuerit, in qua sola suas omnes spes fixas collocabant. Quasi Deus, sublata Arca fœderis, suum cum illo populo fœdus rescidisse videretur; ne aut illum populus imploraret; aut ille populo subueniret. Quanta igitur comploratio necesse erat, vt tam extrema in calamitate cieretur? Dicitur autem tota ciuitas vlulasse, vt non solùm inconditus, sed etiam insanus quidam clamor significetur. Nam vlulatus sunt voces quædam belluinæ, seu lupinæ, sine ratione prolatæ: quales illa ciuitas furenti similis præ dolore excitabat. Adde, ferarum voces hominibus attribui, vt eorum belluina ac lupina facta obiter perstringantur. Quo pacto Zacharias: *Vox*, inquit, *vlulatus pastorum; quia vastata est superbia eorum.* Cap. 11. num. 3. Pastoribus tribuit luporum voces, vt ostendat eos lupis, quàm pastoribus similiores extitisse.

Ingens comploratio, eiusque causa.

Vox belluina tribuitur hominibus in belluas commutatis.

Num. XIV. Et audiuit Heli sonitum clamoris, dixitque: Quis est hic sonitus tumultus huius? At ille festinauit, & venit, & nuntiauit Heli.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Et audiuit Heli*, &c. Hic textus ferè interpretatione non indiget. Ex eo apparet primò cæcitas Heli, quia, cùm sederet contra viam spectans; tamen ingredientem nuntium, & fortasse eodem ostio, quo ipse Heli sedebat, ingredientem, videre non potuit: sed ingressum fuisse aliquem ex subita totius vrbis comploratione deprehendit. Clamantem non vidit, sed vocem clamoris audiuit. In quo optimi pœnitentis, aut etiam optimi obedientis typum gessit; qualis fuit Diuus Paulus, qui Deum de cælo clamantem audiebat, & nullum in terris hominem videbat. Nam verus pœnitens diuinis vocibus è peccatorum cœno extrahentibus aures aperit; temporalibus autem bonis sua pulchritudine ad se allicientibus oculos claudit. Vnde bene Diuus Ambrosius, lib. 2. De Abraham, cap. 8. *Desinit*, inquit, *videre secularia, qui incipit audire diuina.* Verus autem obediens aures habet ad audiendum, oculos ad videndum non habet: quia, licèt vocem imperantis accipiat; rationem tamen imperij non speculatur. Vnde D. Ioannes Climacus in Scala Paradisi, gradu 4. vocat obedientiam *inexaminatum atque indiscussum motum:* quia fertur ad audita exequenda, non examinanda.

Ex hoc loco colligitur cæcitas Heli.

Pœnitens audit, non videt.

D. Ambr.

Obediens aures habet, non oculos.

D. Climac.

II. Apparet secundò misera Principum conditio,

A qui vltimi sua mala norunt. En tota vrbe calamitas populi euulgatur, antequam Principi Heli denuntietur. Sic excidium Niniues prius ciuibus, quàm Regi prædicatur; vt patet ex Ion. 3. num. 5. & 6. quia nemo est, qui audeat Regibus tristia & infausta denuntiare. De singulis hominibus est illa D. Hieronymi querela, lib. 1. aduersùs Iouinianum: *Nouissime mala nostra discimus.* Quæ de Regibus ac Principibus multò veriùs poterat excitari, qui planè omnium nouissimi sua mala didicerunt; vt cap. 2. num. 22. à §. 8. aduertimus. Contrà verò res gratæ ac iucundæ nemini citiùs, quàm Regi denuntiantur: vt vano quodam palpo concilietur, seu potiùs decipiatur. Sic ille adolescens Amalecites nuntium de morte Saülis, nemini priùs retulit, quàm Dauidi, 2. Reg. 1. à num.

Misera Principū cōditio, sua mala nouissime agnoscentium.

D. Hier.

Res iucundæ primò Regibus denuntiantur.

B 2. quia gratissimum illi fore sperabat: nec sua opinione falleretur, si cum alio Rege ageret, quam cum Dauide, osore adulationis, amatore veritatis. Vnde pro sua assentatione non euangelia retulit, sed supplicia, à Dauide interfici iussus. Nam, vt bene Lyranus ad eum locum: *Iusto*, inquit, *Dei iudicio, de quo sperabat impetrare gratiam, reportauit mortem.* Hæc igitur est Principum conditio, vt adulatores multos alant; veritatis autem enuntiatores nullos ferant. Vnde illud Paræmiastæ: *Stellio*, inquit, *manibus nititur, & moratur in ædibus Regis.* Prou. 30. n. 24. In Hebræo, pro stellione, est, שממית, *Schemamith*: quam vocem alij *hirundinem*, alij *araneam*, alij veriùs *si-*

Dauid osor adulationis, amator veritatis.

Lyra.

Adulator, stellio, hirundo, aranea, simia, in ædibus Regis.

C *miam* interpretantur: vt Pagninus in Thesauro obseruat. Simia verò facta videtur à natura ad significandos adulatores. Nam, vt illa humanos gestus imitatur: ita hi ad Principum voluntatem ac nutum, totos se fingunt & componunt. Quidquid Princeps senserit vel egerit, sentit vel agit adulator. Vnde illud Satyrographi, Satyra 3.

—*Si dixerit, æstuo: sudat.*

Pagnin.

Iuuenal.

Huiusmodi ergo ridiculæ simiæ, & venenati stelliones, non in pauperum tabernis, sed in Regum palatiis morantur. Sicut enim non pauperes, sed Principes nutriendis simiis vacant: ita hi, non illi, audiendis adulatoribus incumbunt. Hanc igitur Principum conditionem passus Heli, sicut filiorum suorum culpas nouissimus audiuit; vt pa-

D tet ex cap. 2. Num. 22. & sequentibus: ita nunc eorundem pœnas, ac totius Israëlis clades nouissimus auscultat.

III. Apparet tertiò ratio, cur Principes sua mala vltimi agnoscant: quia, videlicet, nolunt dicentibus aures dare; iuxta illud: *Et noluerunt attendere, & auerterunt scapulam recedentes, & aures suas aggrauauerunt, ne audirent.* Zach. 7. num. 11. Quæ frequentissima à Prophetis, de Principibus & Sacerdotibus Iudæorum, querimonia excitatur. Quòd si Principes modestè ferrent, immò & aliquando accerserent monitores; profectò non deessent, qui veritatem propinarent: vt patet in Heli, qui antequàm interrogaret de tumultu, eius causas ignorabat: vt autem sedulus inquisi-

Principes nolunt vera dicentem auscultare.

E uit; statim vir *ille festinauit, & venit, & nuntiauit Heli.* Rectè igitur Dauid: *Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram.* Psal. 2. num. 10. Quasi diceret: Sinite vos edoceri; veramonentibus ne terga vertite; sed aures date, ne vestra culpa, quæ scire oportet, ignoretis.

* * *

Num. XV. Heli autem erat nonaginta & octo annorum: & oculi eius caligauerant, & videre non poterat.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Ætas Heli.* — Theatrum vitæ hum.

HEli autem erat*, &c. Ætas nonagenaria iam illis temporibus nimiùm senilis videbatur; vt cap. 2. Num. 22. ostendimus. Quamuis prioribus seculis multò longiores humanæ vitæ periodi extiterint: vt in humanæ vitæ Theatro, volum. 2. lib. 3. ex sacris & profanis Literis latissimè differitur. Ætatem nonaginta octo annorum tribuunt Pontifici Heli, Hebræa & Chaldæa exemplaria: immò & Græca in Bibliis Complutensibus & Regiis: quamuis in Sixtianis nonaginta tantùm annorum fiat mentio; forte de more Hebræorum, qui numeros completos commemorantes, inchoatos sæpè numeros prætermittunt. Igitur nonaginta & octo annorum fuisse Heli, Vulgata editio conuincit. Proponitur autem hoc loco Pontificis senectus in maiorem ipsius verecundiam & ignominiam. Nam, cùm senes esse debeant, & sanctiores, & Reipublicæ vtiliores: ipse tamen neque sanctitatem coluit, neque vtilitatem præstitit.

II. *Improbi immatura morte præripiuntur.* — Mart.

Quòd autem senes plerunque sanctiores existimentur, inde sumitur; quòd improbi vt plurimùm immatura morte præripiantur; vel ipso Epigrammatario teste:

Immodicis breuis est ætas, & rara senectus.

Hoc est: Qui in suis appetitibus gubernandis parum moderati sunt, raro ad senectutem perueniunt. Vnde illud: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* Psal. 54. n. 24. Iustorum autem vita diutiùs propagatur, iuxta illud: *Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi.* Psalm. 91. num. 15. Et quamuis aliquando mali diutiùs viuant; tamen digni non sunt, qui dicantur senes. Hinc est, quòd Abraham & Sara omnium primi in Scriptura senes appellentur; cùm tamen plures alij ante illos multò seniores extiterint. *Erant autem*, inquit Textus, *ambo senes, prouectæque ætatis.* Gen. 18. num. 11. Quasi nomen senectutis, non nisi probis hominibus accommodetur. Ita rem obseruant Orig. D. Hier. Philo Hebr. suprà cap. 3. n. 1. à §. 11. citati.

Iusti diutius viuunt.

III. *Improbi aliquando senescunt.*

Fateor tamen, & improbos, aliquando senes appellari: ne quis putet, ab ætate infallibile sanctitatis argumentum desumi. Senes enim dicuntur, qui Susannæ pudicitiæ insidiabantur. Dan. 13. n. 5. Vnde Deus ad Abraham: *Tu autem*, inquit, *ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.* Gen. 15. num. 15. vbi senectutem bonam appellat, ne quis dubitet, & malam esse. In quem proinde locum D. Ambr. lib. 2. De Abrahamo, c. 9. *Non dixit*, inquit, *longa, sed bona: quia iustus bene senescit: iniustorum antè nemo; quamuis cornicibus viuacibus diuturniore vita viuant.* Et paulò pòst: *Ille bene senescit, qui bene senserit. Cani enim sunt sensus hominis.* Sap. 4. num. 8. Cùm igitur longam ætatem comitari debeat magna sanctitas; pudore & ignominia afficitur Heli, qui sanctitatem ab ætate separauit.

D. Ambr.

IV. *Senes Reip. vtiles.*

Quòd autem senes sint plerunque Reipublicæ vtiliores, inde colligitur; quòd non magis senes suis baculis, quàm Respublica suis senibus innitatur. Vnde Deus Ierosolymam demoliturus, abstulit ab ea *fortem, & virum bellatorem, Iudicem, & Prophetam, & ariolum, & senem.* Isai. 3. n. 2. Vbi vltimo loco ponitur senex; quasi maior ex illo, quàm ex cæteris vtilitas captetur; & certior ad ruinam via, ex illius, quàm ex aliorum iactura colligatur. Quam ob causam D. Ambr. lib. 2. De Caïn & Abel, cap. 3. gratulatur sibi, suæque Reipublicæ, seniorum vitam; & eorum mortem lamentatur. *Quàm gaudeo*, inquit, *cùm aliquos mites ac sapientes diu viuere video? cùm virgines castas, viduas graues aspicio longæuas; velut quandam incanam Ecclesiæ Curiam prætendant ipso vultu, & specie grauitatis, quo ad omnem morum gratiam colorentur? Nõ enim ipsis gaudeo, quòd viuendo multa subeant tædia seculi huius; sed quia prosunt pluribus. Similiter, cùm aliquis huiusmodi decidit; quamuis longa senectute depositus, afficior: quia destituitur grex iuuenum, muro senili. Denique peritura vrbis, aut malorum imminentium, vel futuræ labis hoc primum indicium est; si decidant viri consultores. Hinc primum ingruentium porta aperitur malorum. Ergo vrbs tota solidatur atque augetur cætu sapientium, vel obitu labefactatur.* Hactenus Ambrosius disertissimè.

D. Ambr. — *Bonorum senectus magni facienda.* — *Bonorum senum iactura grauiter deploranda.*

V. Philo. *Ex bonorum ciuium vita, felicitas ciuitatis.* — *Ex morte bonorum ciuiũ, ciuitatis calamitas.*

Imitatus est fortasse Philonem Hebræum, qui in libro De sacrificiis Abel & Caïn, eleganter declarat, quanta ex iustorum vita vtilitas, quanta ex morte calamitas consequatur: *Quibus*, inquit, nempe, bonis ciuibus, *quia ne senescam, precari mihi non licet, precor vitam longissimam; existimans tam diuturnam felicitatem fore hominibus, quàm longum illis vitæ tẽpus contigerit.* Et statim digressus ad calamitatem ex eorum morte consequutam: *Audita*, inquit, *morte alicuius eorum, magna tristitia, magnóque dolore afficior, non tam ipsorum vicem dolens, quàm superstitum. Illos enim naturæ ordine necessario manet is exitus; vt post vitam feliciter exactam, gloriosa mors eos excipiat: istis verò destitutis magna potentique manu, qua protecti anteà fuerant, suorum malorum sensus imminet, nisi natura, tanquam in arbore, de qua maturi fructus defluunt, alios recentes substituat.* Hæc ille eleganter. Vnde colliges, stare diutiùs Rempublicam non posse, quæ seniorum baculis non innitatur.

VI. *Cur homines sub mundi exordia diu vixerint?* — Lyra.

Quærunt Scripturarij Interpretes, cur homines in ipsis Mundi exordiis tam diuturnã vitam traduxerint, tótque annorum centurias viuendo peregerint: vt Gen. 5. à n. 2. videre est. Lyranus ad eum locum multas congerit rationes; ac denique totum negotium in diuinam prouidentiam reducit. Quam rationem, cæteris exclusis, amplectitur Burgensis ibidem, sequutus Rabbi Moysen in libro De directione perplexorum: quamuis diuersis alteruter indiciis vtantur. Nam Lyranus illam esse putat diuinæ prouidentiæ rationem, vt primi homines diu viuentes genus humanum faciliùs propagarent, & suos posteros Astrologiam docerent. At verò Burgensis ideò sentit diutiùs vixisse, vt fidem de vno Deo Creatore in credentium animis altiùs radicarent. *Deus*, inquit, *disposuit illos tam diuturne viuere, vt fides de creatione Mundi, quam pagani pro maiori parte negabant, in cordibus fidelium magis radicaretur.* Non procul ab vtroque mihi videtur abire Eusebius Cæsar. lib. 9. De præpar. euangelica, c. 4. sub initium, sequutus Iosephum, dicens, *Priscos illos Dei amicos non iniuria longioribus temporum spatiis vixisse; & virtutis gratia; & vt res posteris perutiles, Astrologiam, Geometriámque inuenirent.* Hoc est, vt suis posteris & in spiritualibus, & in temporalibus prodessent, multos inducendo ad virtutem, & erudiendo ad scientiam. Quasi ad hunc finem vita hominum vsque ad senectutem prorogetur, vt in aliorum vtilitatem impendatur.

Burg. — *Ratio, vt diu viuendo posteris vtiliores essent.* — Euseb.

VII. *Doctor vtilis in Ecclesia longæuus esse solet.*

Vnde est illud Orig. Paradoxum, quod citat D. Thom. in Epist. ad Philemonem, lect. 1. in fine: *Raro*, inquit, *vtilis Doctor inuenitur in Ecclesia, qui non fit*

Origen. D. Thom. *sit longæuus.* Sic Orig. apud D. Thom. qui tamen Orig. locum non indicat. Eius tamen sententiam, Petri & Pauli exemplis confirmat. Nam Paulus Epist. citat. num. 9. se ipsum senem vocat: *Cum sit talis*, inquit, *vt Paulus senex.* Petrum autem ad senectutem peruenturum Christus Dominus prædixit: *Cum autem senueris*, &c. Ioan. 21. num. 18. Quod vlterius aliorum Apostolorum & sacrorum Patrum exemplis facilè posset confirmari: &, vt alios præteream, celebres illi Esseni, qui religiosissimè & sanctissimè viuebant; diutissimè quoque vixisse dicuntur: vt Iosephus lib. 2. De bello Iudaico, c. 7. testatur; vbi clarissimis eorum virtutibus enarratis: *Viuunt*, inquit, *quàm longissimè: ita vt plurimi eorum vsque ad centenariam proferantur ætatem. Quod eis accidere puto propter institutionem in omnibus bene ordinatam.* Vbi, quamuis diuturnam eorum vitam referat ad singularem temperantiam, qua in rebus omnibus vtebantur: tamen nihil obstat, quominùs secundùm Origenem referatur ad eximiam vtilitatem, quam sua vita ac doctrina omnibus afferebant.

Iosephus.

VIII. *Aliqui vndo vtiles v. ita breuiter viuunt. Qua lon. vani sui paren. tum cultoribus promissa sit?* Nihilominùs dubitandū non est, illud Origenis proloquium, topicum esse, cùm multi viri sanctitate insignes, & Reipublicæ in primis vtiles immatura morte præripiantur. Vnde, cùm Deus diuinæ legis cultoribus diuturnam vitam promittit; non semper intelligendus est de hac mortali vita; sed de vita post mortem, vbi in præsenti seculo per famam, vel in futuro per gloriam viuent, vt Philo Hebræus, & D. Ambr. in duplici Scripturæ loco interpretantur. Nam de bono Principe Deus: *Nec eleuetur*, inquit, *cor eius in superbiam super fratres suos; neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse, & filius eius super Israel.* Deut. 17. num. 20. Quid ergo? Sempérne bonus Princeps diuturnum viuendi, dominandique spatium sortitur? Nequaquàm, vt vel ipso frequenti vsu edocemur. Rectè igitur Philo lib. De creatione Principis: *Tali*, inquit, *Principi legitimo ius æquabile honoranti, incorruptè iudicanti, semper meditanti institutam, longæuum principatum Propheta proponit vice præmij; non quòd annosam ætatem polliceatur, rectè administrantibus Rempublicam: sed vt nos doceat legitimum Principem victurum, etiam post obitum; relicta post se immortali virtutis rerumque a se gestarum memoria.* Rursus filio parentum cultori diuturna vita à Deo promittitur: *Honora*, inquit, *patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Exod. 20. num. 12. Non quidem semper super hanc terram morientium, sed super illam viuentium. Sic D. Ambr. in Psal. 43. *Multi*, inquit, *qui honorant, citò sæpè rapiuntur, vt immatura ætate moriantur. Multi etiam, qui minus deferunt parentibus suis; longæuæ fruuntur stipendiis senectutis. Et nisi longæuitatem illam vitæ acciperemus æternæ; inuenitur Scriptura destitui subsidio veritatis.* Itaque diuturna vita non semper in hoc sæculo iustis hominibus confertur; sed sæpè in futurum reseruatur: quamuis non rarò fiat, vt iusti homines, & Reipublicæ vtiles longiori vita etiam in hoc seculo ante mortem perfruantur. Cùm igitur proprium sit senilis ætatis aliquam vtilitatem in Rempublicam conferre: qua, obsecro, verecundia Heli afficeretur, qui senex in extremam calamitatem Rempublicam præcipitauit?

Philo.

D. Ambr.

IX. *Senes derepentè mori, infelicissimum.* Addo, proponi hoc loco diuturnam vitam illius Pontificis, qui statim dicendus est, mortem repentinam occubuisse, vt maior illius infelicitas existimatur. Nam iuuenes derepentè mori; miserum quidem est, sed minùs mirandum; cùm nihil de morte sua recordentur, sed potiùs longam

A sibi vitam polliceantur: at verò senes, quibus semper mors ob oculos obuersari debet, ab ipsa morte incautos & improuidos præoccupari; miseriæ genus est, cui nullum aliud exæquetur. Nam in ipso portu, cùm iam terram aspiciunt, naufragantur.

Notandum tandem est, in fonte Hebræo, Chaldæo & Græco esse: *Heli autem erat filius nonaginta & octo annorum.* Sicut de Noe dicitur Gen. 5. num. 31. iuxta Hebræum: *Et fuit Noe filius quingentorum annorum.* Quod, licèt Caietanus ibi ad mysterium referat; quia Noë in ea ætate nondum erat pater, sed filius & egregius cultor castitatis: & referri etiam possit ad obedientiam eiusdem Patriarchæ, quam Deo præstitit in ea ætate, B tam syncerus, simplex & humilis, vt præstare solet puer filiusfamilias parenti: tamen in sensu proprio ac literali Hebraïsmus est, petinde valens, ac si Latinè diceretur: *Natus annos quingentos.* Nec illud mysterium in Heli locum habere poterat, qui & pater erat, & negligens obedientiæ cultor. X. *Filius nonaginta & octo annorum. Hebraismus.* Caiet. *Castitas, & obedientia.*

Et oculi eius caligauerant, &c. In Hebræo est: *Et oculi eius* קמה *Chamah*, hoc est, *Steterat*, in singulari. Vbi verbi, & significatum, & numerum expendere oportet. Significatum quidem, quia in cæcis dicuntur oculi stare; vel, quia palpebræ non mouentur; vel, quia suo munere non funguntur: nam sicut operatio per motum; ita eius priuatio per quietem explicatur. Vnde Latinus ex hac figurata C significatione propriam eruens, rectè transtulit, *Caligarant.* XI. *Quid sit, Oculos stare.*

Numerum verò, scilicet, verbum singulare cum nomine plurali, *Oculi eius caligauit*: quia sensus est, vt Rabbi Dauid interpretatur: *Vnusquisque ex oculis eius caligauit.* Sic enim frequenter loquuntur Hebræi: vt Pagninus lib. 4. Institutionum Hebraïcarum, c. 15. aduertit; & multis patet exemplis. Nam duæ vxores Esaü offenderant animum Isaac. Gen. 26. num. 35. Hebraïce: *Et fuerunt exacerbans spiritum Isaac.* Idem Isaac ad filium suum Iacob: *Qui*, inquit, *maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Gen. 27. num. 29. Hebraïce: *Maledicentes tibi, maledictus; & benedicentes tibi, benedictus.* De Ægyptiis videte volentibus Iosephum, dicitur: *Filiæ discurrerunt super murum.* Gen. 49. n. 22. D Hebraïcè: *Filia discurrit.* Præterea Salomon: *Sapiens*, inquit, *mulier ædificat domum suam.* Prou. 14. n. 1. Hebraïcè: *Sapientes mulieres ædificauit domum suam.* Et sic de cæteris. Quare Latinus Interpres sensum potiùs attendens, quàm verba, figuratum sermonem originis transtulit in proprium: *Et oculi*, inquit, *eius caligauerant.* XII. *Nomen plurale cum verbo singulari.* Pagnin.

Hæc autem caligo neque orta fuit ex ægritudine, vt notat Abulensis; neque ex diuina vltione, cùm non sit, vnde id colligatur: sed ex nimia senectute: quod ex eo patet, quia dicta senectute, statim tanquam effectus illius memoratur caligo: E quamuis ipsum naturę vitiū ex diuina prouidentia in supplicium Heli ordinari potuisset, vt superiori cap. num. 1. §. 22. dictum est. Quo etiam in loco §. 21. diximus, caligineos Heli, quæ ibi memoratur, non fuisse perfectam, sed inchoatam cæcitatem. Verùm quæ hoc loco refertur, potiùs videtur consummata: tum, quia est in senectute multò grandiori: tum, quia absolutè dicitur: *Non poterat videre*: nec potest intelligi nocturno tempore, vt ibi: quia hoc loco non agitur de tempore nocturno, sed absolutè. Sed grauis admodum pœna non esset cæcitas corporis, si mentis perspicacitas illæsa relinqueretur. Nam & Democritus oculos XIII. Abul. *Cæcitas Heli ex qua causa, & quanta fuerit.* *Corporis cæcitas, leuis iactura.*

V 4 sibi

fibi eruit, vt naturæ arcana posset intentiùs contemplari: vt refert Agellius lib. 10. cap. 17. Et Pygmenius quidam Presbyter Romanus de sua cæcitate lætabatur, & gratulabatur Deo, ne inimicos Ecclesiæ, & præcipuè Iulianum Apostatam videre cogeretur: vt Auctor est Sabellicus lib. 5. cap. 7. Nam, cùm Pygmenius & Iulianus sibi mutuò obuij occurrerent, diceréque Iulianus: *Gratias ago Deo, ô Pygmeni, quòd te video.* Statim Pygmenius: *Et ego*, inquit, *quòd te non video.* Iam verò Beda Anglos, qui ex sua probitate apud homines venerabilis erat; in sua cæcitate apud lapides venerabilis fuit, si vera sunt, quæ de illo à Petro de Natalibus, & ab aliis referuntur. Nam, eùm eum nebulones quidam ad prædicandum in templo vacuo hortarentur, frequentem concionem adesse mentientes; prædicante illo, ac tandem perorante, solennibus verbis: *Per sæcula sæculorum*: lapides, qui soli aderant, responderunt: *Amen, Venerabilis Presbyter.* Vt sicut olim Christo Domino Ierosolymam ingredienti dicuntur lapides acclamaturi, si homines tacerent. Luc. 19. num. 40. ita nune Bedam, hominibus illudentibus, lapides venerarentur. Non igitur oculorum cæcitas grauiter ferenda esset, si acuta mentis acies seruaretur. De qua re plusculа diximus superiori capite, num. 2. §. 23. & 24.

Agellius. *Sabellicus.* *Argutum responsum.* *Pet. de Natalibus.* *Mirabilis de Beda historia.*

Num. XVI. Et dixit ad Heli: Ego sum, qui veni de prælio, & ego, qui de acie fugi hodie. Cui ille ait: Quid actum est, fili mi?

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Cur nuntius hoc exordio vtatur.* *Prima responsio.* *Abul.*

Ego sum, qui veni, &c. Quæri potest, cur hic nuntius ingressus ad Heli, antequàm rei euentum enuntiet, ab his verbis exordiatur: *Ego sum, qui veni de prælio*, &c. Respondeo primò cum Abulensi: quia, cùm Heli cæcus esset, & ingredientem cognoscere non posset ex habitu, opus fuit, vt ille priùs se manifestaret ex voce, vt ita senex eum præsentem adesse intelligeret, & annuntianti attentas præberet aures. Secundò: quia fortè Heli audiens illum lugubrem totius ciuitatis vlulatum, & facilè præsagiens, quid rei accidere potuerit, datus est in stuporem, & exanimato similis obriguit. Vnde, vt ab ea mortis imagine quodammodo reuiuisceret, opus fuit, vt hic nuntius, semel atque iterum ad eius aures inclamaret: *Ego sum, qui veni de prælio*; ego qui fugi de acie hodie. Tertiò: quia ille vir tristem belli euentum relaturus, quem Pontifici molestissimum fore præsciebat, interrogari voluit, antequàm rem aperiret; ne suapte sponte, sed Pontificis imperio coactus molestias illi ingerere videretur: quare solùm præfatus est, se de prælio venisse; vt interrogatus de euentu, illum deinde audentior enuntiaret. Quartò: quia tristissimum & infelicissimum nuntium non existimauit, statim vnico ac subito verbo euomendum: *Periit Israël*: sed sensim & paulatim instillandum, vt nuntij duritiés nuntiantis prudentia molliretur: præmittit igitur, se venisse de prælio, & fugisse de acie, vt Heli, audita fuga, amaritudinem nuntij propinaret, ac tandem quicquid fellis ac fæcis propinaretur, constantior exhauriret. Quintò & vltimò, magis fortasse ad Literam: ne quis de rebus dicendis dubitaret, audientium fidem captare voluit, præmittendo, se illatum omnium testem fuisse oculatum: *Ego*, in-

Secunda. *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.*

A quit, *sum, qui veni de prælio* Et ne quis dubitaret de memoria referentis, subdit, se recentissimum fuisse rerum omnium spectatorem; nimirum, eo ipso die vidisse, quæ narrabat: *Ego*, inquit, *qui de acie fugi hodie*. Ac si neque falsitas obrepere posset oculato testi, neque recentissimo nuntio obliuio.

Quid actum est, fili mi? Hominem igitur sic exordientem vrget vlteriùs Sacerdos ad narrandum. *Quid*, inquit, *actum est, fili mi?* Filium vocat: tum propter vniuersalem consuetudinem, qua senes, Principes & magistri solebant iuuenes, subditos ac discipulos filios appellare, vt cap. 3. n. 16. iam ostendimus: tum etiam, vt eum narrare metuentem, hac verborum charitate & beneuolentia ad narrandum inuitaret. Addit D. Gregorius vocaB tum filium *adulatione calliditatis; vt profectò ille pro impenso honore adulationis, feriem peruerteret veritatis.* Sed bona pace sanctissimi Doctoris, non assentior. Non enim Heli falsitatem, sed potiùs veritatem discere cupiebat. Quorsum enim falsos nuntios, etsi gratos, extorquere vellet, statim veros & ingratos auditurus? Filium igitur vocat, vt veritatem, quæ Principibus amara esse solet, aperite detrectantem, hac vsus beneuolentia faciliùs exoret, ad id quod erat, fideliter enarrandum.

II. *Cur Heli ... filium.* *D. Greg.* *Heli ... accusatus excusatur.*

Quo pacto olim Iosue, vt ad verã narrationem, seu confessionem pelliceret Achan, beneuolè & amicè compellauit: *Fili mi*, inquit, *da gloriam Domino Deo Israël, & confitere, atque indica mihi, quid feceris.* Ios. 7. num. 19. Quem in locum Abulen-C sis: *Vocauit*, inquit, *Iosuë Achan filium suum; quia est modus dulcis, ad suadendum conueniens: & hoc, vt induceret eum ad confitendum quid fecisset. Postquàm tamen confessus est, non vocauit eum filium; sed durè loquutus est, dicens: Quia turbasti nos, exturbet te Deus in die hac.* Quæ Abulensis interpretatio, quoad priorem partem, optima mihi videtur. Nulla enim est efficacior tortura ad veritatem extorquendam, quàm charitas & beneuolentia inquirentis. At verò, quoad posteriorem partem, mihi non placet. Longè enim alienum videtur à Iosuë pietate, vt confessurum, blandè; & confessum, durè alloqueretur: præsertim, cùm humilitas confitentis maiori beneuolentia digna videatur. Pœnam igitur intulit, sed beneuolentiam D non abstulit: immò supremam capitis sententiam in eum pronuntiauit, obortis lacrymis, erumpente gemitu, ac magno doloris sensu. Nam, vt ex Hebræo transferri potest, his eum verbis condemnauit: *Eheu conturbasti nos, conturbabit te Dominus in die hac.* Ios. 7. num. 25. Vbi seueræ Iudicis sententiæ præmisit illam flebilem parentis interiectionem, *Eheu*; vt iudiciariam potestatem paterna charitate temperaret: Deum planè imitatus, qui sic punit, teste Philone in libro, Quòd Deus sit immutabilis, vt seueritatem iudicij, cum misericordiæ suauitate exequatur.

III. *Beneuolentia interrogantis extorquet veritatem respondentis.* *Abul.* *Iosuè benignitas, & seueritas erga peccatorem confessum.* *Philo.*

Num. XVII. Respondens autem ille, qui E nuntiabat: Fugit, inquit, Israël coram Philisthiim: & ruina magna facta est populo: insuper & duo filij tui mortui sunt, Ophni & Phinees: & Arca Dei capta est.

EXPOSITIO LITERÆ.

Respondens autem ille, &c. Septuaginta habent: *Et respondit puer.* Ille, qui num. 12. *vir* dicebatur, nunc appellatur *puer.* Quia anteà cum aliis ciuibus, seu militibus comparatus, virum præst- bat:

I. *Puer hic dicitur, qui anteà vir dicebatur.*

bat:nunc autem ad Heli Pontificem ingreſſus puerum, hoc eſt, ſeruum ſe exhibebat. Quanto maiori iure,qui cum aliis creaturis comparati ſibi eſſe aliquid videntur;ſi cum ipſo Deo comparentur, nihil ſibi videbuntur ? Ab hoc igitur puero quatuor infortunia nuntiantur Heli, quotum ſemper poſterius priori durius videbatur. Primum,fuga Iſraëlis coram Philiſthiim.Secundum, ruina magna facta in populo. Tertium,mors filiorum in prælio. Quartum,captiuitas Arcæ.De ſingulis in ſuperioribus dictum eſt.In his autem hoc loco narrandis ſeruatur in primis ordo calamitatis ſecundùm ſe ſpectatæ, à leuioribus ad grauiores procedendo. Grauis enim fuit ſuperſtitum fuga, quia indecora. Grauior cadentium ſtrages, quia immedicabilis. Ægrior,ſaltem parenti, filiorum mors ; immò & toti populo pernicioſior Sacerdotum & Principum iactura ; cadere enim neceſſarium videbatur totam Reipublicæ molem, Principum cardine, quo vertebatur, deſtitutam. Tandem grauiſſima omnium captiuitas Arcæ, in qua totum illius populi præſidium & temporale & ſpirituale ſitum eſſe credebatur. Prudenter igitur hic vir à leuioribus damnis exorditur, ad grauiora progreſſurus:vt ſi audientis animus leuiora pati aſſueſcat ; ad grauiora ſuſtinenda callum obducat. An verò ſeruetur ordo temporis, quo hæc damna contigerunt,ex dictis Num.10. & 11. iam conſtat. Nam priora duo,inuerſo ordine, acciderunt, quàm hic narrantur. Priùs enim contigit cædes,quàm fuga,vt Num.10.oſtendimus. Poſteriora autem duo eodem ordine acciderunt, quo hic referuntur : vt Num. 11. dictum eſt.Nec aliud ſupereſt, quod circa hunc numerum obſeruetur. Nam grauitas ſingulorum malorum ex dictis ad ſuperiores Numeros patet. At verò,quo pacto ſe habuerit Heli in his omnibus audiendis,ex dictis in ſequenti Num.& Annot.patebit.

Quatuor infortunia nuntiantur.

A leuioribus ad grauiora proceſſus.

Ordo temporis in his infortuniis.

Num. XVIII. Cúmque ille nominaſſet Arcam Dei : cecidit de ſella retrorſum iuxta oſtium : & fractis ceruicibus,mortuus eſt. Senex enim erat, & vir grandæuus. Et ipſe iudicauit Iſraël quadraginta annis.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.

Quintum infortunium, vltimum huius tragœdiæ actus.

Tria circa illud explicanda.

Mors Heli repentina.

C*Vmq; ille*, &c. Quatuor infortuniis ſuperiori Num. commemoratis,accedit quintum,tanquàm vltimus huius tragœdiæ actus omnium funeſtiſſimus;ſcilicet,mors Heli : in qua tria ſuperſunt explicanda,mortis genus, cauſa, & circumſtantiæ. Mors fuit repentina. *Cúmque ille nominaſſet:* hoc eſt,ſimul ac nominauit:ſeu, vbi primùm nominauit;nulla interiecta mora,derepentè cecidit. Quod magis exprimit Chaldæus Paraphraſtes latinitate donatus, per verbum imperfectum transferens : *Quando ille memorabat*,&c.Quaſi Sacerdos nondum integram,ſed inchoatam audiens narrationem, mente præuolans,& exitum præſagiens,rueret & interiret. Et fauent omnia exemplaria,Hebræa, Chaldæa, Græca & Latina, quæ orationem non abſoluunt,nec dicunt:*Cùm ille retuliſſet Arcam Dei fuiſſe captam.* Sed periodum intercidunt, ac tantùm dicunt : *Cùm ille nominaſſet Arcam Dei :* & hic ſiſtendo ſubdunt:*Cecidit.*Quaſi Sacerdos ſolo Arcæ nomine audito,de qua maximè ſollicitus pauebat; id quod erat, facilè prædiuinaret : & quin plura audiret,in ſtupotem datus de ſede laberetur. Quamuis Abulenſis exiſtimet, orationem à nuntio abſolutam fuiſſe : licèt Scriptor compendio vtens eam referat mutilatam. Sed vt fuerit; res vbi cognita fuit ab Heli, ſiue totam audiente, ſiue partem aliquam ſuo ingenio præoccupante:mortem occubuit repentinam. De quo mortis genere in Annot. 14. plura diſſeremus.

Abul.

II.

Opinio D. Auguſtini, Summos Sacerdotes nunquàm ægrotare ſoliros: ſed repentè interire.

Fundamentum.

Interim notanda eſt ſingularis quædam opinio D.Auguſt.q.82.& 83.in Leuit. exiſtimantis,ſummos Sacerdotes Dei gratia nunquàm ægrotaſſe; ſed quando moriendum erat,ſubita morte præoccupatos : vt contigit Aaroni. Fundamentum eſt: quia bis in die,manè ac veſperi offerebatur incenſum in altari thymiamatis; vt patet Exod. 30. n.7.& 8 & 1. Paralip. 16. num.40. non quidem à minori Sacerdote; quia hic non poterat ingredi in Sancta Sanctorum, vbi erat altare thymiamatis : vt idem D. Auguſt.q.133.& 136. in Exodum teſtatur : Ergo à Summo Pontifice, qui,cùm eſſet vnicus,ſemper valere debebat ad hoc munus exequendum ; alioqui illud miniſterium legale interrumperetur. Vnde quando moriturus erat,repentina morte decedebat : vt ſtatim alius Pontifex mortuo ſuccedens, munus illud exequeretur. Et ne quis hoc priuilegium nunquàm ægrotandi,nimis inſolens & incredibile arbitretur;ſciat,ſimile quoddam in lege gratiæ factum inueniri. Nam Ruffinus lib. 2. De vitis Patrum,cap. 17. & Palladius lib.8.c.71.& alij,quos refert noſter Heribertus vtriuſque Scholiaſtes,ſcribunt de Abbate Iſidoro, eiúſque Monachis, quòd tanta fuerint ſanctitate conſpicui, vt nunquàm ægrotarint : ſed quando moriendum eſſet, accepta prius de ſuo obitu reuelatione,ſingulos fratres ſalutârint,vltimum eis vale dicentes,& ad ſuum quiſque lectum ſe colligentes placidiſſimè dormierint.Eodem igitur beneficio diuino vſi ſummi Sacerdotes ; vt tabernaculi miniſterio nunquam deeſſent, nunquàm ægrotabant.

Exempla in lege noua Monachorum nunquàm ægrotantium.

Ruffinus. Palladius. Heribert.

III.

Præcedens opinio refellitur.

Si ita fuit, non tam euidens in Heli morte diuinæ punitionis exemplum reperitur, cùm illud mortis genus omnibus Pontificibus commune fuerit. Quare dicendum eſt,non ita fuiſſe : tum, quia Scriptura rem tantam,ſi vera fuiſſet,non taceret:tum,quia nimis formidabile eſſet ſummum ſacerdotium omnibus ſummis Pontificibus,derepentè morituris,& quod maximè timendum erat, imparatis, & conſequenter æternæ damnationis periculo expoſitis : tum,quia illud fundamentum D. Auguſtini verum non eſt : nam altare thymiamatis erat in Sanctis extra velum : vt interim ex noſtris Ribera in c. 9. Epiſt. ad Hebræos,& lib. 2. De templo,c.8.Barrad.tom.2.concord.lib.3.c.19. Villalp.tomo 2. in Ezech.part.2.lib.4.c.51.Iuſtin. in Epiſt. citata ad Hebræos,c.9. Lorin. in cap. 16. Leuit. verſ. 2. & alij oſtendunt : ad quod proinde altare inferiores Sacerdotes poterant accedere:vt videre eſt apud Barrad. citatum c. 52. tum denique,quia auctoritas D. Auguſtini in hac re valdè non vrget : nam,vt ipſe lib. 2. Retract.c.55. fatetur,ea,quæ in lib. quæſt. in Pentateuchum diſputantur,magis quærenda propoſuit,quàm quæſita diſſoluit. Vnde fit,opus non eſſe,vt Summus Sacerdos ſemper fuerit ſanus ad hoc munus exercendum,cùm etiam per alios exerceretur : & proinde diuturno ac naturali morbo impeditus mori poterat. Quare Heli non de morte omnium Pontificum, ſed ex peculiari diuinæ iuſtitiæ ratione mortem obiit repentinam. Nunc ad mortis cauſam propiùs accedamus.

Fundamentum euertitur.

Ribera. Barrad. Villalp. Iuſtinian. Lorin.

Quæſtiones D. Auguſtini in Pentateuchum, non tam definita, quàm excitata.

Mors Heli repentina non fuit ordinaria Pontificum.

Nomi

IV. *Principalis & instrumentalis huius mortis causa.*

Nominasset Arcam Dei. Principalis huius mortis causa fuit diuina iustitia, tandem aliquando vltrix illius desidiæ & ignauiæ, qua Sacerdos Heli in filiis corripiendis dormitauit. Sed immediata & tanquàm instrumentalis fuit nuntius de captiuitate Arcæ. *Cúmque ille nominasset Arcam Dei*; siue captam esse addidisset; siue Heli ad eam intelligentiam præuolasset: vt paulò antè diximus. In Hebræis, Chaldæis & Græcis exemplaribus est: *Cúmque ille recordatus fuisset Arca*: seu, Cùm meminisset Arcæ: seu, Cùm memorasset Arcam.

Recordari aliquem perinde aliquando, ac nominare.

Sed tantundem est: nam recordatio apud Hebręos etiam ad externum sermonem refertur; vt patet ex multis locis. Psal. 15. n. 4. *Nec memor ero nominum eorum per labia mea.* Psal. 82. n. 5. *Non memoretur nomen Israël vltrà.* Psal. 136. n. 6. *Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui.* In quibus ac similibus locis dicuntur memorari, qui externis vocibus nominantur. Igitur hic nuntius tanto dolore affecit Sacerdotem propter iniurias Arcæ fœderis illatas, tantóque timore propter inferendas, vt doloris impatiens animam exhalarit.

V. *Vtrùm Heli obierit ex solo nuntio, an etiam ex ruina.*

Inquiri hoc loco potest, vtrùm hic nuntius de captiuitate Arcæ fuerit adæquata causa mortis Heli; ita vt, illo audito, repentè interierit, ac posteà iam mortuus ceciderit, & ceruices fregerit: an potiùs ex nuntio solùm terrefactus fuerit; deinde verò ruina & collisio ceruicis simul cum ingenti mœrore mortem attulerint. Prior modus non mihi videtur improbabilis: nam mœror ac timor etiam naturaliter mortem repentinam afferre possunt: vt Conimbricenses nostri Tract. De vita & morte, c. 5. variis exemplis confirmant: & Lotin. Act. 5. num. 5. ex Orig. & D. Gregor. refert de Anania & Saphira subitò expirantibus ob nimium mœrorem de Apostoli increpatione conceptum. Quibus exemplis addo vnum ex Diuo Hieronymo, in vita sancti Hilarionis, ad finem. Vbi narrat S. Doctor, Hilarionem in Cypro prope vrbem Paphum obiisse; indéque post decem menses Hesychium Hilarionis discipulum, clàm furatum fuisse sancti viri corpus, & in Palæsthinam, vbi primum eius Monasterium fuerat, transtulisse. Quod, cùm fœmina sanctissima nomine Constantia, quæ in vrbe Papho morabatur, audiuisset; statim præ mœrore ex tristi nuntio, absentiáque sancti cadaueris exanimatam esse: veram in Dei seruum pietatem ac religionem sua etiam morte comprobantem. Si igitur nuntius de translatione Hilarionis in Palæsthinam, etiam facta honoris causa, adeò tristis illi fœminæ visus fuit, vt eam in mortem dederit repentinam: quid mirum, si in similem mortem coniecerit Sacerdotem Heli solus nuntius de Arca per ignauiam capta, & ad Philisthæos per ignominiam auecta? Accedit, quòd, si ita fuit, clarior innotescit sanctitas huius Sacerdotis, qui ex captiuitate Arcæ tantum mœrorem hauserit, vt statim in repentinum interitum abierit.

Prior modus probatur.
Conimbr.
Lotin.
Orig.
D. Greg.
Mors repentina ex mœrore.
D. Hier.
Moritur pia fœmina in cadauer S. Hilarionis affectione.

VI. *Posterior modus præfertur.*

Nihilominùs posterior modus mihi videtur Literæ congruentior. Nam, si Heli, antequàm ceruices frangeret, mortuus esset; dici non posset, fractis ceruicibus, mortuus fuisse: immò potiùs diceretur, mortuus fuisse, nondum fractis ceruicibus: quo pacto Christus Dominus dici non potest, aperto latere, mortuus fuisse; quia ante mortuus est, quàm ei latus aperiretur. Atque ita è propriis fontibus apertiùs colligitur: vbi diuersis orationibus priùs casus & collisio, quàm mors significatur.

Probatur ex Litera.

Hebræa sic habent: *Cecidit de throno retrorsum, & confractum est os colli eius, & mortuus est.* Chaldæa: *Cecidit de cathedra retrò, & fracta est ceruix eius, & mortuus est.* A Græca in Sixtianis: *Cecidit de sella retrorsum, & contribulatum est dorsum eius, & mortuus est.* Eadem in Complutentibus & Regiis: *Cecidit de sella in retrò, & fracta est scapula eius, & mortuus est.* Quæ tanta omnium exemplarium in hoc ordine statuendo consensio, nostram interpretationem satis videtur confirmare.

Probatur [illegible]tione.

Addi potest, & ratio; quia hæc ruina & fractio in pœnam Sacerdotis à Deo permissæ, seu ordinatæ sunt. Ergo potiùs viuo, quàm mortuo infligi debuerunt, vt ipse suas suæ negligentiæ pœnas viuus sentiret. Atque hæc de causa huius mortis effectiua. Nam moralis, ac meritoria fuit huius Pontificis in filiis arguendis negligentia; vt docent communiter Interpretes, & Patres superiori tomo Annot. 21. citati, & inferiùs citandi testantur. B

Causa [illegible]lis, seu [illegible]toria huius mortis.

VII. *Duæ [illegible] mortis [illegible]stantia.*

Cecidit de sella retrorsum, &c. Hisce verbis mortis circunstantiæ proponuntur. Duæ sunt præcipuæ, casus, & collisio. Circa casum, expendendus est in primis terminus à quo, *Cecidit de sella.* Quam Abulensis existimat fuisse mutilam, & ex omni latere rescissam; nullum proinde habentem à tergo fulcimentum, quo sedens inniteretur; & idcircò facile fuisse ex illa cadere retrorsum: nisi fortè quis dicat, corruisse pariter & sellam, & sessorem.

Abul.
Casus ex sella, non cum sella.

Quod videtur significare Petrus Blesensis epist. 106. ita legens: *Sella euersa, fractisque ceruicibus expirauit.* Quam lectionem in cap. 1. Iob iterum repetit. Sed is Literæ manifestè repugnabit, dicenti, Sacerdotem de sella, non cum sella cecidisse. C Addit Abul. sequutus Iosephum, quem Num. 13. citaui, sedem fuisse sublimem, qualis Iudicem & Pontificem decebat: & propterea ruinam ex illa aptam fuisse ad ceruices conterendas.

Petr. Bles.

Secundò, expendendus est modus cadendi retrorsum, qui multò periculosior est. Nam, qui in faciem cadit, videt, vbi ruat; & ruentem corporis molem manibus præexpansis leniter excipit, ne suopte pondere ad terram allisa conteratur; ac tandem pedibus manibúsque innitendo faciliùs è terra consurgit: quorum nihil facere potest, qui retrorsum labitur.

Casus retrorsum periculosior.

Tertiò, expendendus est terminus, in quem ruit: nempe, *iuxta ostium*: seu, vt est in Hebræo: *In manum portæ*: hoc est, vt Num. 13 explicuimus, *In locum portæ*: seu, vt D Septuaginta vertunt: *In retrò adhærentia portæ.* Quasi diceret: Cecidit retrorsum in saxa & marmora, ex quibus portarum limina construebantur; quibus facile erat occiput illidi & infringi. Quòd si dicas, vestibulum tabernaculi non esse ex marmoribus constructum; saltem erat ex columnis & basibus æneis, Exod. 26. num. 37. Quibus non minùs, quàm marmoreis contundi poterat, ac disperdi. Præterquàm quòd dici potest, Heli non ad ostium tabernaculi, sed illius domus, in qua atrium inclusum erat, vt diximus c. 1. Num. 9. §. 5. sedisse, & cecidisse. Ex hoc enim ostio, non ex illo prospectus in viam liberior patebat.

Casus iuxta ostium, id est, ad limina & saxa ostij.

VIII. *Collisio Heli diuersis modis significatur.*

Circa collisionem, aduertendum est, eam non E eodem modo in omnibus exemplaribus significari; vt ex paulò antè dictis constat. In Hebræo: *Fractum est os colli.* In Chaldæo: *Fracta est ceruix.* In Sixtianis: *Contribulatum est dorsum.* In Complutensibus & Regiis: *Fracta est scapula.* Vulgata: *Fractis ceruicibus.* Rabbi Samuel Marrochianus lib. De Aduentu Messiæ, c. 5. *Ruptis ceruicibus.* Ex quibus omnibus colligitur tam misera ceruicis, scapulæ, & totius dorsi confractio & collisio, vt statim expirarit, præsertim in tanta senectute ac debilitate. Vnde statim additur: *Senex enim erat, & vir grandæuus*: seu, vt Vatablus transfert: *Et vir grauis*:

Samuel Marrochianus.

Cur dicatur hoc loco Heli, senex & grandæuus. Vatab. Rupert. *Infelix, qui ad miserias videndas senescit.* *Cicero: Inhonora honorabilium ruina.* D. Chryſ.

grauis: hoc eſt, vt in Ecphraſi explicat, *Obeſo & ſucculento corpore.* Inde enim factum eſt, vt faciliùs ex ruina eius ceruices obliderentur. Nam ſenes ob infirmitatem, & obeſi ob grauitatem, cadendo ex alto faciliùs obterũtur & exanimantur. Quamuis Rupertus lib. 4. De victoria Verbi, c. 10. dicat, Scripturam condolendo morienti, ſubiunxiſſe: *Senex enim erat, & vir grandæuus.* Quaſi diuturnam vitam miſera morte terminatam, maximè dolendam ac deplorandam iudicaret. Quo pacto olim Priamus felix dicebatur, niſi tandiu vixiſſet poſt ſecundos rerum euentus, quos habuit, eò tandem infeliciter ſeruatus, vt euerſam patriam, & ex quinquaginta filiis, quos genuit, teſte Cicerone Tuſc. 1. omnes ferè ab hoſtibus interfectos intueretur. Aliter quoque exponi poteſt iuxta D. Chryſ. lib. 3. aduersùs vituper. vitæ monaſticæ, legentem: *Senex enim erat, & grandæuus & honorabilis.* Nam כבד *Chabed* grauem & honorabilem, ſeu glorioſum ſignificat. Et ſic ignominia ruinæ ex gloria ruentis declaratur. Quo enim glorioſior eſt, qui ruit; eò ignominioſior eſt ruina, qua proſternitur.

IX. *Quorſum ſpectauit caſus & colliſio Heli.* *Cur ſellam, & caput amiſerit.* Rupert. *Cur ceciderit retrorſum.*

Sed iam hæc omnia, etiam iuxta Literam explicata, quanta ratione à Deo facta ſint, diligenter expendamus. Cecidit de ſella, & ceruices fregit, hoc eſt, ſellam & caput amiſit: *Vt palàm faceret,* inquit Rupertus proximè citatus, *quòd neque ſedile, neque coronam auream mereretur habere inter Iudices alios.* Cecidit retrorſum, vt non videret locum, in quem caderet: qui ſcelera, in quæ filij ruerent, ignorabat: & impingeret in offendicula poſt tergum poſita, qui poſita ante oculos ſcandala non tollebat. Eodem infortunio abripiuntur, qui ea, quæ retrò ſunt, non obliuiſcuntur: nec ad ea, quæ ſunt priora, extendunt ſe ipſos. Phil. 3. num. 13. Retrorſum enim cadunt, ne videant, in quæ præcipitia labuntur: & in ea, quæ amabant, relabentes, peſſimè alliduntur. De quibus D. Hieronymus (D. Hier.) ad illa verba de myſticis animalibus: *Nec reuertebantur, cùm ambularent.* Ezech. 1. num. 12. *Qui,* inquit, *aratri ſtiuam tenet, non debet reſpicere poſt tergum, nec imitari vxorem Lot; ne incidat in plagam Deuteronomij, & pereat opiſthotono inſanabili, quo cecidit Heli; quia vitio filiorum offenderat Dominum.* A quo lapſu longè aberant illa animalia, quæ non reuertebantur, cùm ambularent; ſed Spiritum ſanctum præcedentem ſequebantur. Idem rurſ. (D. Hier.) lib. 3. comment in Epiſt. ad Epheſios, cap. 6. propoſita priùs ignauia Heli: *Supinus,* inquit, *cecidit, & mortuus eſt: non enim poterat ad priora extendi, ſed retrorſum ruit; & opiſthotono inſanabili lapſus in tergum, ad Sodomam cum Lot vxore reſpexit.* Vbi comparat lapſum Heli cum morbo opiſthotono Hebræorum, Deuter. 28. n. 7. Quia, quamuis vnius lapſus ab aliorum morbo longè diuerſus fuerit; tamen omnes poſt tergum puniti ſunt: vt ſuas pœnas moriendo non viderent, qui ſuas culpas viuendo ignorarent.

X. *Iuſti in facies cadunt.* *Impij in tergum.* D. Greg. *Cur iuſti in faciem, impij in tergum cadant.*

Denique ſicut iuſti in facies ſuas cadunt; Abraham, Gen. 7. num. 17. Chriſtus Dominus, Matt. 26. num. 39. vigintiquatuor ſeniores, Apoc. 5. num. 14. ita impij cadunt retrorſum. *Cadat aſcenſor eius retrò.* Gen. 49. num. 17. *Auertantur retrorſum.* Pſ. 34. num. 4. *Retrorſum abiiſti.* Ier. 15. n. 7. *Abierunt retrorſum.* Ioan. 18. num. 6. Cuius diſcriminis rationem egregiam reddit D. Greg. Magn. hom. 9. in Ezechielem. *Quid eſt,* inquit, *hoc, quòd electi in faciem, & reprobi retrorsùs cadunt; niſi, quòd omnis, qui poſt ſe cadit, ibi proculdubiò cadit, vbi non videt: qui verò ante ſe ceciderit; ibi cadit, vbi videt? Iniqui ergo, quia in inuiſibilibus cadunt, poſt ſe cadere dicuntur: quia ibi corruunt, vbi quid eos tunc ſequatur, modò videre non poſſunt. Iuſti verò, quia in iſtis viſibilibus ſe ſponte deiiciunt, vt in inuiſibilibus erigantur; quaſi in faciem cadunt, quia timore compuncti, videntes humiliantur.* Sed in his verbis ſumit vtrunque caſum ante mortem: iuſtorum quidem per humilitatem, qua Deo proni ſubſternuntur: impiorum autem per temeritatem, qua in omne facinus contra Deum effrænantur. Propiùs igitur ad rem præſentem impiorum caſum in morte explicat idem D. Greg. lib. 31. Moral. c. 10. ad finem, aliàs 18. *In faciem,* inquit, *cadere, eſt in hac vita ſuas vnunquemque culpas agnoſcere, eáſq; pœnitendo deflere. Retrò verò, quo non videtur, cadere, eſt ex hac vita repentè decedere; & ad quæ ſupplicia ducatur, ignorare.* Miſerrimus igitur fuit caſus Heli, in morte retrorſum abeuntis.

Alia huius diſcriminis ratio.

XI. *Cur iuxta oſtium templi ceciderit.* D. Greg. *Cur ceruices fregerit.* D. Petr. Dam. *Cur caput perdiderit.*

Cecidit præterea iuxta oſtium templi, in quo filios ſuos iam multa in ſacrilegia ruere permiſit, vt vbi culpa commiſſa eſt, ibi infligeretur & pœna. Ita D. Gregor. ad hunc locum, dicens: *Ibi cecidit, vbi deliquit.* Vt locum, quem filij ſuis ſceleribus profanarant, pater ſuo cruore expiaret. Fregit ceruices ex ruina, quia ceruices filiorum non fregit. Vnde D. Petr. Dam. lib. 7. epiſtolar. epiſt. 3. *Idcircò,* inquit, *ceruicibus effractis occubuit, quia peccantibus inclementer indulſit.* Caput cadendo perdidit; quia ſedendo, capitis officium neglexit. Nam *Prælati,* inquit D. Petr. Dam. lib. 4. epiſtolar. epiſt. 15. *ſi deſidiæ circa delinquentes torpore langueſcant; nudati ſacerdotio cum Heli, fractis in terram ceruicibus, eliduntur.* Tandem mortuus eſt: oportuit enim non ſolùm à Pontificatu remoueri; ſed penitùs extingui: ne ad illum ampliùs rediret. Nam, qui filios ſuos publicè peccantes diu ſuſtinuit, nec à ſacerdotio remouit; planè dignus fuit, non ſolùm, qui à ſacerdotio remoueretur; ſed qui omninò extingueretur.

Cur mortuus fuerit.

XII. *Humana felicitas infortuniis obnoxia.* *Tergemini honores Heli.* *In vita glorioſiſſimus, in morte miſerrimus.*

. *Et ipſe iudicauit Iſraël quadraginta annis.* Non immeritò exprimitur hoc loco dignitas Heli, eiúſque duratio, cùm eius ſuprema calamitas commemoratur. Ne quis putet, humanam felicitatem ab humanæ vitæ infortuniis liberam eſſe, & immunem. Primus Iudex fuit Heli ex Tribu Leuitica, vt patet ex libro Iudicum: vbi alij ex aliis Tribubus eliguntur; nullus ex tribu Leuitica Iudex creatur. Primus Pontifex fuit ex familia Ithamar, ad quam ex familia Eleazari ſummus Pontificatus tranſlatus eſt: vt c. 2. num. 32. §. 4. diximus. Primus, qui vtraque dignitate & iudiciaria & pontificia gauiſus eſt: vt priores Iudices percurrenti facilè patebit. Quo enim pacto dignitatem pontificiam habere poſſent, qui de Tribu Leuitica non erant, vt proximè aduertimus? Itaque, cùm Heli omnium Iudicum glorioſiſſimus vixerit: tamen omnium miſerrimus occubuit, ſi mors temporaria attendatur: à triplici illo primatu deuolutus, & in extremam miſeriæ lineam deturbatus: ſcilicet, *Æqua neceſſitas ſortitur inſignes, & imos. Omne capax mouet vrna nomen.* (Horat.) Quod Annot. 14. copioſiùs illuſtrabo. Dicitur verò Heli quadraginta annis iudicaſſe. De qua duratione dubium eſſe poteſt. Nam Septuaginta in Bibliis Sixtianis transferunt: *Viginti annis.* Et ita apud vetuſtos Codices inueniri, tradunt ſcholia illorum Bibliorum. Immò Euſebius in Chronico, & Lucifer. docent, ita reuerà Septuaginta tranſtuliſſe. Certè D. Chryſoſtomus lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monaſticæ, & Seuerus Sulpitius lib. 1. ſacræ hiſtoriæ, & Procopius eandem tranſlationem ſequuti legunt: *Viginti annis.* Atque ita eſſe in Paralipomeno, dicunt Comeſtor, & Hugo

Duratio Heli in præfectura viginti ne, an quadraginta annorum fuerit. Euſebius. Lucifer. D. Chryſ. Sulpitius. Procopius. Comeſtor. Hugo.

Cardina

Vera sententia. Iosephus. Clem. Alex. Theodor. D. Greg. D. Isidor. Beda Eusebius Cedrenus. Zonara. Sabellicus. Genebr. Bellarm. Gordon. Torniel. Salian.

A Cardinalis:sed locum non inuenio. Quidquid tamen sit,iuxta Vulgatam emendanda est quælibet alia translatio;dicendumque Heli quadraginta annis iudicasse. Ita est in Hebræo & Chaldæo,immò & in Græco textu,qui in Bibliis Complutensibus & Regiis habetur. Atque ita legunt Iosephus lib. 5. Antiq. cap. 14. Clemens Alexan.lib. 1. Strom. c.11.Theodoretus quæst. 12. D.Gregor. D.Isidor. Beda,cæterique Interpretes communiter. Quibus adde Chronologos,Eusebium,Cedrenum,Zonaram,Sabellicum, Genebrardum, Bellarminum, Gordonum, Torniellum, Salianum, & plures alios.

XIII. *Prima conciliatio Vulgatæ cum 70. reiicitur.*

Sunt tamen, qui velint vtranque lectionem conciliare. Primò,quidam apud Magistrum historiæ,viginti annis Heli,adnumerant viginti annos B Samuelis: vt solus dicatur Heli,viginti annis;cum Samuele quadraginta iudicasse. Sed,cùm Samuel iudicando nunquàm concurrerit cum Heli; sed cum Saule: potiùs annis Saulis,quàm Heli adnumerari debent anni Samuelis. Secundò,idem Magister historiæ, & Nauclerus,dicunt, viginti annis,qui post Samsonem sine Iudice fluxerunt, aggregandos esse viginti annos,quibus Heli indicauit.

Secunda impugnatur.

Sed vnde constat,illud interregnum post Samsonem,viginti annis constitisse? Deinde,illud interregnum, seu anarchiam, quæ post mortem Samsonis,Iud.17.num.6.& Iud.18.num.1.& Iud. 21.num.24.commemoratur,probabilius est,inter Iosue & Othonielem incidisse:vt c.2. num. 27. §. 12. ostendi.

Tertia excluditur.

C Tertiò,conciliant alij,dicentes, Heli habuisse duplicem dignitatem; pontificiam, viginti annis,vt dicunt Septuagiota; & iudiciariam quadraginta, vt loquitur Vulgata. Sed contrà est: quia vtraque lectio agit de dignitate iudiciaria: non possunt igitur ea ratione concordari. Immò Theodoretus citatus asserit, Heli vtranque quadraginta annis administrasse. Et certè liberum est, viginti annos vni; quadraginta alteri tribuere.

Quarta probabilior adduc.

Vltimò, si diuinare licet, dicere possumus; Heli viginti annos per se solùm; alios viginti etiam per filios, in quos magna ex parte suum exonerauerat munus,iudicasse. Vel etiam,viginti annos, à filiorum prauitate incorruptum præfuisse; alios viginti ab eorum malitia abreptum, Rempublicam non tam gubernasse, quàm præcipitasse: & D Vulgatam quidem de toto tempore loquutam;Septuaginta verò de illo tantùm tempore,quo solus, vel incorruptus ministrauit.

XIV. *Primum dubium. Cur Heli inter cæteros Iudices non numeretur.* D. Anton.

Tria supersunt dubia. Primum, cur Heli inter cæteros Iudices non numeretur? D. Antonin. 1. p.tit.2.c.6. *Post Samsonem*,inquit,*iudicauit Heli,qui & Sacerdos fuit:& à digniori Sacerdos est nominatus, non Iudex.*

Prima responsio non sufficit.

Sed hæc ratio non sufficit: nam & Moyses,Sacerdos & Dux Israëlitici populi fuit:vt tom.1. Annot.15.Sect.3.§.15. & cap.2. Num. 32. §.9.ostendimus:& nihilominùs non modò Sacerdos,sed etiam Dux,immò frequentiùs Dux,quàm Sacerdos appellatur.

Secunda mystica est. Rupert.

Rupert. lib. 4. De victoria Verbi,c.10.quem tom.1. Annot. 23. Sect. 1.citaui, respondet, Heli adeò ignauum ac socordem E fuisse, vt Iudicis nomine indignus videretur. Sed hæc ratio mystica est. Alioqui,ne pessimi quidem Iudices ac Reges de Iudicum ac Regum catalogis expunguntur:vt eorum historias euoluenti facilè constabit. Addit etiam Samuelem sanctissimum Iudicem inter cæteros non recenseri: alia igitur ratio fuit, ob quam hi duo à Iudicum libro seponantur.

Tertia literalis.

Literalis igitur ratio est:quia horum duorum historia erat quidam veluti prologus,Regum historiæ necessariò præmittendos. Vnde non tam ad Iudicum,quàm ad Regum libros pertinebat.

XV. *Secundum dubium. Cui Iudici successerit Heli.* Iosephus. D. Cyrill. Naucler. Torniel. Sulpitius. Serarius. Salianus.

A Secundum,cuinam Iudici successerit Heli? Conueniunt plerique,successisse Samsoni,Ioseph. lib. 5. Antiq. c. 12. aliàs 14. D. Cyrill. Alex. lib. 1. contra Iulianum, Nauclerus Generatione 31. Torniellus in 4. Mundi ætate,anno 357. & alij, tam Interpretes,quam temporum,seu Annalium Scriptores. Quamuis Seuerus Sulpitius lib. 1. sacræ Historiæ, & nonnulli recentiores, alios interponant:quos tamen Serarius Iud. 17.q.vltima, & Salianus tom. 3. anno Mundi 2900. §. 8. meritò excludunt. Et facilè probatur: quia nullus apparet Iudex in Scriptura, qui post Samsonem sequatur.

An inter Samsonem & Heli aliqua anarchia interfluxerit? Abul. *Vera responsio, & probatio.*

Maius dubium est, an successerit Samsoni,immediatè,immediatione temporis, ita vt post Samsonem,& ante Heli nullum interregnum Iu- B dicibus vacuum interfluxerit: Affirmat Abulensis q. 19. & probat: quia,si aliquot anni inter Samsonem & Heli sine Iudice decurrerunt;maior annorum summa ab exitu de Ægypto vsque ad quartum annum Salomonis colligetur, quàm ab Scriptura,3. Reg. 6.num. 1. assignetur.

Alia probatio facilior.

Sed quidquid sit de hac ratione, quæ fortasse non difficilè eludi potest, iuxta diuersas annorum supputationes,quæ aliter ab aliis subducuntur: facilius mihi videtur probari posse,si dicamus,post Samsonem nullum tempus Iudice vacuum decurrisse. Ergo, cùm non appareat alius Iudex, qui proximè successerit; ipsum Heli proximè successisse. Quòd si dicas, Scripturam post mortem Samsonis,quoddam interregnum expressisse, dicendo: *In diebus* C *illis non erat Rex in Israël*(hoc est,Princeps,seu Iudex)*sed vnusquisque quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Iud. 17. n.6. Ergo aliquid temporis inter Samsonem & Heli intercurrisse: quod Sulpitius lib.1. sacræ Historiæ probabile existimat: Respondetur ex paulò ante dictis §. 13. illud interregnum,seu anarchiam,licèt post Samsonem narretur:re tamen vera ad tempus inter Iosue & primum Iudicem Othonielem spectasse. Post Samsonem verò statim Heli in eius dignitatem subrogatum.

Philonis Biblici figmentum reiicitur. Elcanam præelegisse mortem præfectura.

Atque hinc apparet falsum,quod dixit Philo in Antiquitatibus Biblicis;nimirum,cùm Israëlitæ per id temporis Iudicem non haberent, elegisse,iactis prius sortibus,Elcanā,qui populo imperaret;illum verò adeò restitisse,vt diceret,se sibi D potiùs illaturum mortem,quàm regnum acceptaturum: non videtur, inquam, hoc verum; quia, viuente Iudice Heli, alium eligere non deberent.

XVI. *Tertium dubium. Quis tandem successerit Heli in vtroque munere iudiciario,& pontificio.*

Tertium dubium,quis tandem successerit Heli in potestatem iudiciariam,ac pontificiam? In iudiciariam certum est successisse Samuelem, vt ex dicendis patebit. In pontificiam non potuit succedere Samuel, quia non erat ex familia sacerdotali: vt 1. tom. Annot. 17. probatum est. Neque filius alter Heli,cùm neuter superesset; sed vterque in acie moreretur. Ergo nepos aliquis ex filio. Non Ichabod,tum quia iunior; tum, quia mortuus iam fuerat in partu. Ergo Achitob,qui solus supererat: vt ad c.14.num.3. ostendemus. Atque hæc de morte Heli,iuxta historiam. De quam ali- E quid ad mores delibandum.

ANNOTATIO XIII.
CIRCA LITERAM.
Qualis fuerit mors Heli?

I. *Bonáne, an mala fuerit mors Heli?*

CVm *mors peccatorum pessima* sit. Psal. 33. num. 22. Contrà verò *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius.* Ps. 115. num. 15. vtro de genere fuerit mors Heli,in hac

Anno

Ex causa colligitur mortis bonitas.

Annotatione disquirendum. Quod ex causa ipsius mortis non obscurè colligetur. Nam, cùm duplex iactura acciderit Heli, temporalis, & spiritualis: ille non ex prioris, sed ex posterioris dolore morti succubuit; vt Literam consulenti patebit: testatus quodammodo, magis sibi cordi spiritualia, quàm temporalia fuisse. Et proinde ex tam sancto dolore mortem subiisse non peccatorum pessimam, sed iustorum pretiosam. Priùs igitur mortis causam: deinde verò mortis ipsius genus & tempus expendemus.

SECTIO I.

Heli fortis, & patiens rerum temporalium iacturæ superuixit.

II. *Heli subditorũ, & filiorum mortem fortiter tolerauit.*

Dvplex calamitas temporalis obnuntiata fuerat Sacerdoti Heli, nempe, subditorum, & filiorum mors. Vtranque ille siccis oculis audiuit, ad vtranque fortem & constantem animum ostendit, & atrocitatem fortunæ sua patientia superauit. Tales se iusti in rebus aduersis præbere debent, vt nulla rerum temporalium iactura à suæ mentis statu ac tranquillitate dimoueantur. Vnde in Scriptura lapidibus quadris comparantur: *Lateres*, inquit, *ceciderunt, sed lapidibus quadris ædificabimus.* Isai. 9. num. 10. Et iterum: *Quatuor mensæ ad holocaustum de lapidibus quadris extructæ.* Ezech. 40. num. 42. Vbi D. Greg. hom. 21. *Quos*, inquit, *hoc loco lapides quadros accepimus, nisi quoslibet Sanctos, quorum vita in prosperitate, atque aduersitate nouit fortiter stare? Lapis etenim quadrus æquè stat, in quocunque latere fuerit versus. Quisquis ergo in prosperitate non extollitur, in aduersitate non frangitur, suasionibus ad malum non trahitur, vituperationibus à bono opere non reuocatur; lapis quadrus est. Et quasi ex omni latere statum habet, qui casum in qualibet permutatione non habet.*

Iusti lapides quadri. D. Greg.

Cum his quadrat illa imago patientiæ, quam Tert. lib. De Patientia, cap. 15. viuis coloribus depinxit, summam illi tribuens inter omnes calamitatum procellas constantiam ac tranquillitatem: *Age*, inquit, *& effigiem imaginémque eius comprehendamus. Vultus illi tranquillus & placidus: frons pura: nulla mœroris, aut iracundiæ rugositate contracta: remissa æquè in lætum modum supercilia: oculis humilitate, non infelicitate deiectis: os taciturnitatis honore signatum: color qualis securis & innoxiis: motus frequens capitis in Diabolum, & minax risus: cæterùm amictus circum pectora candidus, & corpori impressus; vt qui nec inflatur, nec inquietatur.* Quæ pulchrior esse potest effigies, quàm hæc, sudo aëri, sereno cælo, micantibus astrorum luminibus, ne minima quidem nubecula circumfusis præferenda?

Tert. *Vera patientiæ imago.*

III. D. Chrys. *Iob prædas passus, indeprædabilis dicitur. Iob terribilior Diabolo, nudus, quàm diues.*

Talem se præbuit sanctissimus Iobus, qui, cùm bonorum omnium temporalium prædas pateretur; tamen à D. Chrysost. serm. in beatos Iob & Abraham, *Indeprædabilis* appellatur. Nam bonis omnibus spoliatus, tam constans atque hilaris stetit, ac si nihil sibi amisisse videretur. Immò nescio, an hilarior & constantior post iacturam perseuerarit. Quem enim Diabolus bonis omnibus cumulatũ lacessere ausus est; immò & quem bona sua in pauperum manus conferentem ad pugnam elicere non dubitauit, dicens: *Tange cuncta quæ possidet, nisi in faciem benedixerit tibi.* Iob 1. num. 11. Eundem bonis omnibus tam corporis, quàm fortunæ denudatum, sic extimuit, vt ampliùs prouocare, atque in duellum repetere non auderet. Quasi ex hac vna patientia circa A bonorum temporalium iacturam, fortior, ac Diabolo terribilior sanctissimus Athleta redderetur. Quod Diuus Chrysostomus hom. 5. De Patientia Iob, eleganter expressit: *Vt discas*, inquit, *quoniam maiorem Diabolo plagam intulit, cum sublatis sibi bonis, gratias egit; quam cùm possidens, miserebatur pauperum, audi. Cum possidebat; vel suspicionem Diabolus habuit, quoniam non gratis te colit Iob: vbi verò vniuersa surripuit, omnibúsque nudauit eum; hic verò eandem Deo seruauit mentem; tunc obstructum est turpe illius os; nec tunc quid habuit dicere: clarior naque quàm in prioribus iustus erat: clarior, quàm in deliciis viuens, eleemosynásque præbens. Surrepta enim bona generosè, & cum actione gratiarum tolerare, multò maius est. Nam* B *secundis rebus gratias referre Deo, non admodum mirabile: porrò, cum magnus fuerit fluctus, cymbáque circumacta periclitatur; tum magna atque excellens est patientia atque bona voluntatis ostensio.*

D. Chrys.

IV. *Iob illustrior in patientia, quàm in cæteris virtutibus.*

Et paulò inferiùs totum hoc argumentum elegantiùs prosequitur, in morem Oratorum crebris interrogationibus vsus, ad totius rei dignitatem impensiùs commendandam. *Quando*, inquit, *Iob fuit illustrior, cùm domum cunctis aperuit; aut cùm eadem cadẽte, benedixit Deum? Quãdo alacrior fuit, cùm pro natis agebat sacrificium, aut quando ipsis contumulatis amarissimo mortis genere multa cum Philosophia casum tulit? Quando magis claruit, cùm de velleribus agnorum suorum calefacti sunt nudorum humeri; aut cùm audiens, de cælo ignem descendisse, gregémque consumpsisse cum pastoribus, non est turbatus, sed mansuetè tulit calamitatem? Quando maior fuit, cùm ad oppressorum defensionem, corporis sanitate vtebatur; aut cùm hoc ipsum corpus, oppressorum scutum, consumi vermibus videbat? Et illa quidem omnia præclara gesta: hæc autem patibula, tormentáque erant. Sed tamen plus hæc, quàm illa Iob clariorem ostenderunt. Siquidem, cùm illa fiebant, contradixit tamen Diabolus, dicens: Nunquid frustra colit Deum Iob? His verò contingentibus, se occultans terga dedit.* Vide eundem Chrysostomum hom. 1. in 2. ad Cor. ad finem, & homil. 5. ad populum, similiter de hac re philosophantem.

V. *Iob tẽporales iacturas perpessus Martyribus comparatur.* D. Chrys.

Magna igitur virtus est, in rebus aduersis tolerandis constantia & fortitudo; quæ tam præclaris charitatis, religionísque operibus præferatur. Immò cum Martyribus pro Deo patientibus conferri possunt, qui à Deo illatas pœnas æquo animo patiuntur. Ita certè Iobum comparat D. Chrys. hom. vnica De B. Iob, illa eius verba expendens: *Si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus?* Iob 2. n. 10. *Attendite*, inquit, *verba foris putrescentis, intus integri.* Et statim eum loquentem introducens: *Pater*, inquit, *nunquid amandus est blandiens, & respuendus corripiens? Nõnne ipse est pater, & imponẽs disciplinã?* Et paulò pòst, hanc singularem animi constantiam, qua sanctissimus Patriarcha plagas sibi diuinitùs inflictas sustinebat, admiratus, subdit: *Est profectò magna Martyrum gloria: sed nescio, vtrùm minor gloria fuerit sancto Iobo.* Quod hom. 1. in 2. ad Cor. luculentiùs expressit: *Quis est*, inquit, *Martyr, cui hic non possit æquari? Immò Martyres innumeros hic vnus æquat.* Idque deinceps latiùs confirmat.

Deus & blãdiens, & corripiens, patris loco habẽdus.

VI. *Bonus latro meritas pœnas patienter subeundo Martyr euasit.* D. Hier. D. Aug.

Nec mirum appellari Martyrem Iobum, qui tam multa innocenter sustinuit, cùm etiam bonus ille latro, qui debita suis flagitiis supplicia persoluit, patienter tolerando, Martyr appelletur. Nam D. Hier. epist. 13. ad Paulinum: *Latro*, inquit, *crucem mutat Paradiso, & facit homicidij pœnam martyrium.* D. Aug. serm. 120. De Tempore. *La-*

tro, inquit, *nondum vocatus, & iam electus; nondum famulus, & iam amicus; nondum discipulus, & iam magister, atque ex latrone Confessor: quia etsi pœna cœperat in latrono, nouo genere consummatur in Martyre.* Idem D. August. lib. De anima & eius origine, cap. 9. in 7. tomo: *Latro*, inquit, *tantum valuit confessus Dominum crucifixum, quantum si fuisset pro Domino crucifixus.* D. Cyprianus serm. De Passione Christi: *In cruce*, inquit, *latro confitens non tantum indulgentiam meruit; sed Christi familiaris effectus, premissus est in Paradisum, & factus est particeps Regni, per confessionem factus collega martyrij.* En quanti meriti sit patientia etiam in suppliciis, quæ pro delictis iustissimè infliguntur. Vnde meritò exclamat Tertullianus lib. De Patientia, cap. 11. *O seruum illum beatum, cuius emendationi Dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit!* Laudabilis igitur extitit Heli, dum singularem patientiæ imaginem sibi induit, nullo ex prædictis rerum temporalium detrimentis, impatienter, aut leuiter commotus. Et quod delinquendo iuste supplicium tulit, humiliter sustinendo facere potuit martyrium.

D. Cypr.

Tertul.

Præcipua patientiæ laus in morte filiorum.

VII. *Laus Heli ob patientiã in morte filiorũ.*

QVamuis Heli in cæteris belli cladibus & infortuniis patienter audiendis laudem meruerit non exiguam; præcipuam tamen meruit, dum filiorum mortem siccis oculis auscultauit. Parentum charitatem & propensionem erga filios vocat D. Chrysost. hom. 17. in Matth. & hom. 28. ad populum, *quandam naturæ tyrannidem*, qua patres inclusi tenentur. Nam sicut serui à dominorum tyrannide difficilè eruuntur: ita ægrè fieri potest, vt parentes à naturali erga filios propensione exuantur. Filiorum igitur mortes æquo animo à parentibus sustineri, quò difficilius, eò laudabilius censetur.

D. Chrys. *Amor in filios, quædam natura tyrannis.*

VIII. *Insignes viri, filiorũ mortes fortiter tolerantes.*

Vnde antiquitas insignes Heroas admiratur, qui, quos filios magno cum gaudio viuos habuerunt; eosdem nullo mœroris signo mortuos deplorarunt. Nam Anaxagoras illustri pallio Philosophus, cùm in amicorum conuentu subitam filij mortem audiuisset; nihil perturbatus, *Noueram*, inquit, *me genuisse mortalem*. Pericles insignis Orator, qui à tonando Olympius dicebatur, audiens duos filios, sibi in eodem prælio periisse, corona insignitus, candidáque veste de more patrio indutus, prodiit ad orandum, exhortandósque ad bellum Athenienses. Xenophon sacra faciens de more coronatus, audita filij morte, coronam primùm abiecit: sed cùm resciuerit, strenuè dimicantem cecidisse, coronam capiti reposuit dicẽs, *Malle se habere filium strenuum, quàm longæuũ.* Ferunt, Dionem Syracusanum inter amicos sedentem, cùm audisset, filium de tecto lapsum subitò expirasse; nihilo commotum, efferri iussisse ad sepulturam: ipsum verò inceptam cum amicis orationem continuasse. Certè Demosthenes tam modestè tulit mortem vnicæ filiæ, quã habebat; vt antequàm illi de morte parentarit, in forum processerit ad orandum: accusatus postea eam ob causam ab Æschine, impietatis; sed planè ignaro, eam esse germanam charitatem, quæ patriæ causam, filiorum amori anteferret. Tandem Rex Antigonus denũtiata filij morte in bello strenuè suscepta, adeò non ingemuit, vt potius elato animo exclamarit: *Serius, ô fili, tam gloriosam mortẽ obiisti.*

Anaxagoras. Pericles. Xenophon. Dion. Demosthen. Antigonus.

IX. De his omnibus Plutarchus Oratione consolatoria ad Apollonium, sub finem. Et plures alios, tam ex Græcis, quàm ex Romanis, refert D. Hieronymus in epist. 3. ad Heliodorum, quæ est Epitaphium Nepotiani. *Quorum*, inquit, *non minor in luctu, quàm in bellis virtus fuit.* Hoc est, qui non minùs internos affectus, quàm externos hostes debellarunt. Horum autem historias Erasmus ad eum locum vberiùs cõmentatur. Quæ postquàm D. Hieron. enarrauit: *Hæc*, inquit, *in sugillationem nostri dicta sint, si non præstet fides, quod exhibuit infidelitas.* Quam argumentationem efficaciter vrget D. August. lib. 5. Ciuit. c. 18. vbi refert ducem Romanum, Brutum, non modò filiorum mortem patienter tulisse: sed etiam, quod est longè difficilius, filiis, nescio quid contra patriam molientibus, mortem fortiter intulisse, iuxta illud Mantuani Æneid. 6.

Non minor virtus in affectibus moderandis, quã in hostibus subigendis. Plutarc. D. Hier. Erasm.

Si infideles pro spe temporali gloriæ, filiorũ mortes facilè tolerabãt, quid fideles, pro spe æternæ gloriæ? D. Aug. Virg.

——*Natósque pater noua bella mouentes,*
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.
Tantus amor patriæ, laudúmque immensa cupido.

A quo exemplo efficax argumentum deducens: *Quid ergo*, inquit, *magnum est, pro illa æterna cælestique patria cuncta seculi huius blandimenta contemnere; si pro hac temporali atque terrena filios Brutus potuit occidere; quod illa facere, neminem cogit?* Refert etiam exemplum Principis Romani cognomine Torquati, qui filium non quidem contra patriam, sed tantùm contra imperium patris pugnantem, licèt vicisset, occidit: *Ne plus mali*, inquit, *esset in exemplo imperij contempti, quàm boni in gloria hostis occisi.* Ex quo facto argumentatur: *Si hæc*, inquit, *Romanus Princeps; vt quid se iactent, qui pro immortalis patriæ legibus, omnia, quæ multò minus quàm filij diliguntur, bona terrena contemnunt?* Itaque prisci Heroes, etiam à fide alieni, in morte filiorũ præclara patientiæ exempla reliquerunt.

X. *Spe resurrectionis dolor mortis minuendus.* Tert.

Sed ad nostros vt accedamus: Sanctissimi quoque Patres parcendum esse luctui, & temperandas lacrymas in propinquorum funeribus testantur. Nam Tertul. lib. De Patientia, cap. 9. *Cum*, inquit, *constet de resurrectione mortuorum, vacat dolor mortis, vacat & impatientia doloris. Cur enim doleas, si periisse non credis? Cur impatienter feras subductum interim, quem credis reuersurum? Profectio est, quam putas mortem. Non est lugendus, qui antecedit; sed planè desiderandus. Id quoque desiderium patientia temperandum. Cur enim immoderatè feras abiisse, quem mox subsequeris? Cæterum impatientia in huiusmodi, & spei nostræ malè ominatur, & fidem prævaricatur. Et Christum lædimus, cùm euocatos quosque ab illo, quasi miserandos, non æquanimiter accipimus.* Quin etiam addit, sibi ipsis repugnare, qui aliorum mortes ægrè patiuntur. Nam mors, inquit, est commune votum Christianorum: cùm eorum omnium nomine dixerit Apostolus: *Cupio dissolui.* Philip. 1. n. 23. *Ergo*, inquit, *si alios votũ consequutos, impatienter dolemus; ipsi consequi nolumus.*

Qui mortuos lugent, sibi contradicunt.

XI. *Deo sacer non debet mortuos lugere.* Philo.

Non licebat olim Summo Sacerdoti, propinquorum suorum funera lamentari. Leu. 10. num. 6. & 7. Rationem reddit Philo Hebræus lib. 2. De Monarchia: *Cùm enim*, inquit, *sit Deo dicatus, ductórque sacrati Ordinis, oportet eum abdicari omnibus cognationis affectibus; vt charitatem erga parentes, liberos, fratres posthabeat.* Et paulò pòst: *Postulat*, inquit, *in eo viro lex præstantiorẽ homine indolem: quippe Deo fit familiaris præ cæteris: sitque in quodam diuinæ, humanæq; naturæ (si verum fateri licet) confinio; vt hoc mediatore Deus propitietur hominibus.* Hoc præceptum etiam antequàm imponeretur, seruauit Aaron. Audiens enim à Moyse, duos filios suos subita de altari flamma erumpente, correptos & interfectos esse, *Tacuit*, inquit

Aaronis in filiorũ morte patientia.

inquit Textus, Leuit. 10. n. 3. hoc est, æquo & humili animo sustinuit. Vbi Radulphus lib. 7. cap. 7. *Contristatus*, inquit, *fuerat pater super repentina filiorum morte: sed diuini percepta censura iudicij, tacuit; nec quod Dei voluntate factum audiebat, reprehendere præsumpsit.* Plus aliquid vult D. Hieronymus in Epitaphio citato, vt non solùm mortuis non condoleamus, sed etiam gratulemur: *Desiderandus, inquit, est tibi, quasi absens, non quasi mortuus, vt illum expectare, non amisisse videaris: non tam plangendus est, qui hac luce caruerit, quam gratulandum ei, qui de tantis malis euaserit.* Concinit D. Amb. De Fide Resurrectioois, sub initium, vbi laudat eos populos, qui ortus hominum lugerent, obitusque celebrarent. *Nec imprudenter*, inquit. *Eos enim, qui in hoc vita salum venissent, mærendos putabant: eos verò, qui ex istius Mundi procellis & fluctibus emersissent, non iniusto gaudio prosequendos arbitrabantur.*

D. Hier. *Mortuo non condolendum, immò gratulandum.*

D. Ambr.

XII. D. Greg. Nissen. *Exeuntes de carcere non lacrymis, sed gratulationibus prosequendos.*

Eleganter de hac re philosophatur D. Gregor. Nissenus Oratione De dormientibus, seu de mortuis. Dic age, vtri magis lacrymandi, qui in carcere inclusi retinentur; an, qoi ex carcere liberi exire permittuntur? Nónne priores? Nemo, nisi insaniat, negabit. Illi enim suas incolunt miserias; hi è suis euolant. Cuius ergo tam præposterum ingenium, vt detentis in carcere gratuletur; solutos, lacrymis prosequatur? Non aliter, qui viuunt, carcere includuntur; qui obeunt, carcere liberantur. Ergo hi feliciores, qui illam seruitutem cum hac libertate, illam miseriam cum hac gloria commutant. Quis igitur ita stultescat, vt in hac vita, tanquam in carcere degentibus applaudat; ex hac vita, tanquam è carcere prodeuntibus contristetur? Non minorem dementiam incurret, qui amicos in salo fluctuantes hilaris aspiciat; in portum verò ingredientes, lugubris lamentetur. Vita, procellosum mare est. Mors, fida statio. Quis ergo inter huius vitæ procellas circumuaganti arrideat, nisi irridendus? Quis in ipsius mortis littore commoranti illacrymetur, nisi illacrymandus? Bene D. Cyprianus serm. 5. De mortalitate: *Non sunt*, inquit, *lugendi fratres nostri de sæculo liberati: cum sciamus, non eos amitti, sed præmitti: vt proficiscentes & nauigantes desiderari eos debere, non plangi.* Quamuis veriùs dixerim, eos iam in portu quiescentes à nobis adhuc in mari periclitantibus non deflendos, sed desiderandos.

Portum ingressis gratulandum, non condolẽdum.

D. Cyprian. *Mortui non amittuntur, sed præmittuntur.*

XIII. *D. Bernardus funus fratris sui oculis siccis prosequutus.*

Certè D. Bernardus serm. 26. in Cantic. asserit, se in funere fratris sui Gerardi, quem vnicè diligebat, abstinuisse à lacrymis: *Feci*, inquit, *vim animo, ac dissimulaui vsque huc, ne affectus quidem vincere videretur. Plorantibus aliis, ego siccis oculis sequutus sum inuisum funus; siccis oculis steti ad tumulum, quousque cuncta peracta sunt exequiarum solennia: indutus sacerdotalibus, solitas in eũ orationes proprio ore compleui: terram meis manibus ex more ieci super dilecti corpus, terram mox futurum. Qui me intuebantur, flebant, & mirabantur, quòd non flerem ipse, cùm non illum quidem, sed me potiùs, qui illum amisissem, omnes miserarentur.* Et paulò pòst inuehitur in eos, qui secùs faciant: *Videmus*, inquit, *mortuos quotidie plangere mortuos suos: fletum multum, & fructum nullum: non culpamus affectum, sed causam. Plorantur damna gloriæ carnis, vitæ præsentis incommoda: sed plorandi, qui ita plorant.* Et quidem sibi similis est D. Bernardus serm. In festo beatæ Mariæ Magdalenæ: nam ad illa verba Apostoli: *Flere cum flentibus.* Rom. 12. n. 12. *Nunquid Apostolus*, inquit, *præcipit flere rerum amissionem, intermissionem voluptatum, filiorum mortes, morborum instantiam, grauitatem inopiæ, potentiam for-* A *tiorum? Absit: plorandi enim sunt, qui taliter plorant. Religiosa enim tristitia, aut alienum luget peccatum, aut proprium.* Pretiosiores sunt lacrymæ nostræ, quàm vt debeant pro rerum iactura temporalium profundi.

Plorandi, qui mortuos plorant.

XIV. *Nunc minor, quàm olim ratio plorandi mortuos.*

Quòd si olim aliqua deplorandi mortuos ratio occurrebat, iam nunc minimè reperitur: vt rectè obseruauit D. Petrus Chrysologus serm. 63. De Lazaro: *Mors, inquit, quando ab Eua promissa est, tunc lamentandi materia fuit: nunc verò facta est virtutis occasio: quia tunc ad pœnam peccantis data est: nunc permissa est resuscitantis ad gloriam: tunc tartarus inuenit hominem, nunc amisit.* Vnde Moysen, veteris legis typum vita functum, *Fleuerunt filij Israël in campestribus Moab triginta diebus.* B Deut. 34. n. 8. Iosue verò typum legis nouæ, de vita decedentem, sepelierunt quidem filij Israël, non tamen deplorarunt. Iosue 24. num. 30. Quod D. Hieronymus epist. 3. ad Heliodorum obseruans: *Moyses*, inquit, *moriens plangitur: Iesus absque funere & lacrymis in monte sepelitur.* Nam illius temporis mors acerbior erat, cùm ex ea in cœlum aditus non pateret; nunc autem dulcior ac suauior, cùm in ea felix ad patriam ostium reseretur.

D. Chrys.

Cur Moysis, non Iosue funus lacrymis honoretur?

D. Hier.

XV. *Iacobi mors deplorata fuit: Christianorũ deplorari non debet.*

Ea causa fuit, cur Iacobum morientem, Iosephus, cæterique filij tam multis fletibus decorarint. Genes. 50. num. 1. 3. & 10. scientes non solùm eius corpus in tumulo, sed etiam animum in limbo retinendum. Rem attingit D. Chrysostomus C hom. 67. in Genes. vbi expendens illas vberes lacrymas in Iacobi exequiis effusas: *Tempus*, inquit, *cogita, quo hæc facta sunt, & ab omni culpa libera Ioseph. Nondum enim fuerant portæ inferi confractæ, neque mortis vincula dissoluta, neque mors dicebatur dormitio. Et idcircò, quia timuerunt mortem, hæc faciebant: nunc autem propter gratiam Christi, quia mors facta est somnus; & consummatio, quies; nullaque sunt resurrectionis indicia, quasi de vita in vitam transferendi sic exultemus & lætemur.* Vbi, si historiam diligentiùs expendas, deprehendes, Ægyptios septuaginta dies flendo transegisse. Gen. 50. n. 3. at verò filios Iacobi, duntaxat septẽ. Nec immeritò. Hi enim melioris spe vitæ excitati, præsentis iacturam parciùs dolebant: illi de D futuræ vitæ spe deiecti, præsentis exitum multò ægriùs tolerabant. Cui expositioni adstipulari mihi videtur D. Ambrosius in oratione funebri de obitu fratris sui Satyri, ad finem. Vbi discrimen constituens inter fideles, & infideles: *Illi*, inquit, *fleant suos, quos in perpetuum existimant interiisse, &c. nobis, quibus mors, nõ natura, sed vitæ istius finis est; fletus omnes mortis casus abstergat.* Et statim addit, non solùm nobis in morte iustorum à lacrymis abstinendum; sed etiam gaudio triumphandum. Nam, si Gentiles aliqua solatia in suorum morte suscipiunt; quia in illa præsentium malorum finem constituunt: quanto maiora nos suscipere debemus, qui in illa futurorum bonorum principium collocamus: *Non enim*, inquit, E *amitti, sed præmitti videntur, quos non assumptura mors, sed æternitas receptura est.*

D. Chrys.

Cur parciùs Iacobi filij mortem parentis sui, quàm Ægyptij deplorarint?

D. Ambr.

In morte iustorum gaudendum.

XVI. *Christus in morte Lazari gauisus, in eius resurrectione lacrymatus.*

Non sine mysterio Christus Dominus gauisus est in morte Lazari: *Lazarus*, inquit, *mortuus est, & gaudeo.* Ioan. 11. num. 14. In eius tamen ad vitã regressu, *Lacrymatus est.* Ibidem, n. 35. vt significaret, mortem gaudio, vitã lacrymis prosequendam. Nam in morte, salutis portus aperitur: in vita, salutis naufragium timetur. Rem obseruauit D. Petr. Chrysolog. serm. 64. *Christus*, inquit, *recipiens Lazarum fleuit, non amittens:* hoc est, vitam Lazari non amissam, sed restitutam deplorauit.

D. Petrus Chrysolog.

D. Isidor. Pelus. Concinit D. Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 175. *Quoniam*, inquit, *ipsum a morte ad vitam excitaturum esset, collacrymauit.* Quasi diceret: Eum, qui ad portum iam appulerat, rursum ad fluctus & procellas voco: eum qui iam coronam consequutus erat, ad certamina rursum duco. Disertissimè hanc tenuit sententiam D. Cyrillus Alex. (D. Cyrill.) lib. 7. in Ioan. cap. 21. *Consuetudo*, inquit, *est hominibus, mortuos lugere, quos prius charos habebant, & amore coniunctos. Secundum hanc consuetudinem Iudæi Dominum flere putabant, dicentes: Ecce quomodo amabat eum.* Ioan. 11. n. 36. *Cum tamen potius tristem Lazari deflebat sortem ad hanc vitam mortalem plenam miseriæ & doloris reuocandi.* Accedit Petrus Blesensis (Petr. Bles.) epist. 174. *Christus*, inquit, *non pro morte Lazari, sed pro ipsius reuocatione ad miserias temporales planxisse dicitur, & luxisse.* Vide quæ de hac re notauimus superiori tom. Ann. 9. Sect. 2. §. 10. Itaque Christus Dominus suo exēplo ostendit, non tam egressos de hac vita, quàm in hanc vitam ingressos lacrymis prosequendos.

XVII. *Qui lamentantur mortuos, indigni, qui ad videnda miracula admittantur.* D. Chrys.

Vnde non leuiter corripuit eos, qui in mortuis deplorandis plùs æquo immorantur. Nam resuscitaturus filiam Archisynagogi, *Cum vidisset tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite*, &c. Matth. 9. n. 23. Cur potiùs non retinuit, vt coram pluribus testibus miraculi fides certior haberetur? Respondet Diuus Chrysostom. hom. 32. in Matthæum, quia tibicines & lamentatrices fœminæ, & cæteri, qui adhiberi solebant, ad funera lacrymis prosequenda; indigni erant, qui ad tantum miraculum spectandum adhiberentur: *Considera*, inquit, *flentes atque plorantes, quasi tam magna videre miracula indignos, omnes eiectos fuisse.* Et paulò pòst ad illa verba: *Conuertere, anima mea, ad requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.* Psal. 114. num. 7. hoc est, conuertere ad mortem, æternam in ea requiem possessura: hæc, inquam, expendens verba: *Beneficium*, inquit, *Deus hanc rem* (nempe, mortem) *vocat, & tu ploras? Et quidnã faceres, si hostis, si inuidus, si inimicus esses defuncti?* Sic enim in tui cognati morte, quæ est longè maximum illius beneficium, lamentaris, ac si illius bono tanquàm inimicus inuideres. Idcircò ad viduam in filij sui funere lacrymantem, ait Christus Dominus: *Noli flere.* Luc. 7. num. 13. Vbi D. Ambrosius: *Flere*, inquit, *prohibetur eum, cui resurrectio debeatur.* Quid enim indignius, quàm ex morte ad æternitatem transiturum, tanquàm iam extinctum lamentari?

Mors vt beneficium gratulanda; non vt supplicium deflenda.

D. Ambr. *Deplorari nõ debet resurrecturus.*

XVIII. *Fletus moderatus in morte propinquorum.* D. Ambr.

Fateor tamen, moderatos fletus in morte propinquorum non esse condemnandos: quales adhibuisse Abrahamus in morte Saræ vxoris suæ, colligitur ex illis verbis: *Cùmque surrexisset ab officio funeris*, &c. Genes. 23. n. 3. In quem locum D. Ambros. lib. 1. De Abraham, c. 9. *Docemur*, inquit, *vt non diutiùs inhæreamus mortuis: sed quantùm satis est officij, deferamus.* Quam doctrinam mihi videtur desumpsisse ex Philone in lib. De Abrahamo, vbi Patriarchæ moderationem in vxoris funere non mediocriter commendat: *Amissa*, inquit, *tali vitæ socia, qualem Scriptura depingit, dolori contra se insurgenti, & animam petenti, tanquàm inuictus Athleta non succubuit, recolligens se, & confirmans rationis robur à natura appositæ affectionibus.* Et statim docet, quãquàm fortis ac strenuus fuerit; rigidum tamen ac ferreum non extitisse: occupatum quidem fuisse exequiis persoluendis, non tamen, plusquàm par esset, immoratum: dedisse quidem operam funebri apparatui: sed tandem ab officio funeris surrexisse. *Id testantur*, inquit, *sacra Volumina, vbi narratur, eum modicis lacrymis profusis, celeriter se subduxisse a cadauere: quippe qui prolixiorem luctum alienum putabat à sapientia, à qua didicerat mortem existimare, non extinctionem animæ, sed separationem disiunctionemq; à corpore; illa redeunte retrò, vnde venerat: venerat autem à Deo.* Quibus vltimis verbis optimam ferendæ mortis rationem attingit. Quis enim inique ferat, animam ad Deum, a quo processerat, recurrentem? Et rationem confirmans: *Quemadmodum* inquit, *nemo sanus ægrè fert, à se reposci debitum, aut depositum: eodem modo, naturæ, quod suum est, repetente, non arbitrabatur indignè ferendum, sed necessitati consentiendum.*

Philo. *Luctus Abrahæ in morte Saræ moderatus.*

Prolixus in morte luctus à sapientia alienus.

XIX. *Abraham ex patientia in morte Saræ Princeps reputatur.*

Vnde tamen, quæso, illa animorum consensio, qua se omnes Hethæi, Abrahamo, externo homini & peregrino, tanquàm proprio ac naturali Principi subdiderunt, dicentes: *Princeps Dei es apud nos?* Gen. 23. n. 6. Certè Philo citatus eam refert ad illam Abrahami in moderando luctu patientiam & prudentiam, quæ non nisi in generosum animum, & principatu dignum cadere videbatur. *Cùm*, inquit, *nihil viderent eorum, quæ apud ipsos ex more fieri solebant, in funere luctuq; non complorationes, non lamenta, non planctum virorum ac mulierum; sed totam familiam sobriè moderatéque mœrentem; demirati sunt non mediocriter. sicut antè tota viri vita miraculo eis fuerat; móxque attoniti tantæ virtutis excellentia, in qua nihil inerat non eximiũ, in hanc vocem eruperunt: Rex à Deo tu es inter nos: verissima dicentes. Nam alia regna homines sibi parant armis, expeditionibus*, &c. *Sapientis autem regnum à Deo porrigitur.* Itaque in fletus & in lacrymas propter filiorum interitum liquescere, fœmineum est: obrigescere, & nullo doloris sensu in morem lapidum obdurescere, inhumanum est, & plusquàm belluinum: medium inter extrema incedentem, moderatos luctus adhibere, virilis ac generosi animi censetur.

In morte propinquorum, neque rigescere in lapides, neque liquescere in lacrymas oportet.

XX. *Iobi moderatus luctus in morte filiorũ.*

Hanc moderationem sanctissimus Iobus exhibuit. Nam, qui ad alias plagas nullum doloris signum ediderat, audita morte filiorum, *Scidit vestimenta sua, & tonso capite corruẽs in terram adorauit.* Iob. 1. num. 20. Scindendo vestem, & tondendo caput, hominem se esse, non saxum, non truncum demonstrauit: corruendo in terram, & adorando, hoc est, gratias agendo; Dei seruum, per omnia suo Domino consentientem, nec minùs inter aduersa, quàm inter prospera gratulantem. Sic exponit Origen. (Orig.) in catena Græca: *Vbi*, inquit, *de tanta ac tam speciosa sobolis subito audiuit interitu; ne doloris communisve sensus expers videretur, quod debetur, naturæ largitur, vestem discindit, comam tondet. Neque enim victoria quis idcircò potitur, quia non patitur: sed ideò, quia cùm patitur, animo perfert inuicto.* Concinit D. Chrysost. (D. Chrys.) in eadem catena: *Naturæ*, inquit, *condolescentis sensus ostendendus erat; animi quoque Philosophia minimè occultanda. Eodem tempore decuit, & naturæ viscera, & Philosophiæ præstantiam indicari.* Illud, scilicet, condolendo, hoc autem fortiter tolerando.

XXI. *Christus lacrymatur in morte Lazari, vt lacrymandi modũ in funeribus præscribat.* D. Basil.

Sic & Christus Dominus in morte Lazari *lacrymatus*, Ioan. 11. num. 35. non solùm ob rationem proximè dictam; sed etiam, vt lacrymandi modum in funeribus præscriberet. Quod D. Basil. hom 4. De gratiarũ actione, rectè aduertit: *Voluit*, inquit, *affectus, qui vitari nequeunt, astringere & circumplecti intra moderatam quandam temperiem, & certos limites. Nimirum, inclementiam quidem, quæ nullius tangitur commiseratione, declinans, tanquàm feram immanem: studium verò affectati doloris, & immoderatam lamentationem, velut rem ingeniosam excludens.* Eadem est D. Cyrilli (D. Cyril.) Alex. explicatio

lib. 7.

lib. 7. in Ioan. c. 20. *Erudiit*, inquit, *nos Dominus suis lacrymis, quonam modo charos nostros vita functos, moderatè, & lege rationis temperatis lacrymis flere debeamus. Nam ex toto nec compati, nec mœrere; ferinum est & durum: horum verò exuberantia, muliebre.* Accedit D. Isidor. Pelusiota epist. paulò antè citata: *Christus*, inquit, *ob Lazarum lacrymas profudit, regulas nobis ac terminos figens, ne bacchantium more præ mœstitia præcipites agamur.* Si quis enim Christum Dominum in luctu imitetur, & naturæ consulet, & pietatem non offendet.

D. Isidor. Pelus.

XXII. *Tristitia pro mortuis quatenus habenda.*

Quare D. Paulus non absolutè præcepit, vt non contristemur de dormientibus: sed vt non contristemur, *sicut & cæteri, qui spem non habent.* 1. Thess. 4. num. 13. Qui enim meliora non sperant, luctu intabescunt: qui sperant, è luctu tandem recreantur. Vnde D. August. serm. 34. De verbis Apostoli: *Contristamur*, inquit, *in nostrorum mortibus necessitate amittendi; sed cum spe recipiendi. Inde angimur; hinc consolamur. Inde infirmitas afficit: hinc fides reficit. Inde dolet humana conditio: hinc sanat diuina promissio.* Quapropter Salomon: *Fili*, inquit, *in mortuum produc lacrymas.* Et paulò pòst: *Amarè fer luctum illius vno die.* Ecclesiastici 38. num. 16. & 17. Vbi lacrymas quidem imperat, sed lacrymandi modum præscribit; vt rectè obseruat D. Paulinus epist. 35. *O diuitiæ*, inquit, *bonitatis Dei! lacrymas in mortuo produci iubet: amaritudinem verò lugendi, vno tantùm die claudit: illud porrigi sinens, quo relaxatur dolor, & anima respirat; istud verò præcidens, quod immoderato & irrationabili cruciatu mentem nostram conficit, quodque diutius fragilitas nostra non valet sustinere.* Hanc in propinquorum funeribus prudentiam veteres Patres tenuerunt, D. Greg. Nissenus in Orat. fratris sui Basilij, D. Greg. Nazianz. in Orat. 10. fratris sui Cæsarij, & in Orat. 11. sororis suæ Gorgoniæ, & in Orat. 59. patris sui Gregorij, D. Ambrosius in Orat. fratris sui Satyri, D. Bernard. serm. 26. in Cant. in morte fratris sui Gerardi. Quos consule pulchrè de hac re philosophantes, nec solùm verbo, sed etiam exemplo ad hunc dolorem moderatè tolerandum nobis præeuntes.

D. Aug.

Luctus in morte vno tantùm die durandus.

D. Paul.

Patres in propinquorū funeribus moderatè lacrymantes.
D. Greg. Nissen.
D. Ambr.
D. Bern.

XXIII. *B. Lidauina in morte fratris nimiùm lacrymata, à Deo punitur.*
Surius.

Itaque non reprehenduntur lacrymæ, sed lacrymarum immoderata profusio. Testis beata Lidiuina Virgo, cuius vita inter opera Surij tom. 7. circunfertur, quæ, cùm fratris sui mortem grauiter doleret; illa suauitate ac dulcedine, quam ex oratione capiebat, priuata est: & à quodam Eremita, cui id diuinitùs reuelatum fuerat, edocta, caussam huius ariditatis fuisse, illā nimiam vbertatem lacrymarum, quibus in fraterno obitu se proluerat, cautiùs se gessit posteà in morte patris, à nimio dolore ac luctu abstinendo. Neque enim rerum spiritualium dulcedo se infundit; vbi nimia amaritudo pro iactura rerum temporalium restagnat. Audiant hoc mulieres, in quas Diuus Chrysostomus homilia 28. in priorem ad Corinth. inuehitur: *Qua*, inquit, *tam stultè afficimtur; vt infideles, luctu magnitudine superent.* E quibus distinguit alias ex passione, alias verò ex ostentatione lacrymantes. Illas viuorum insanus amor, & mortuorum insanus dolor, in has lacrymas profundit: has vna superbia; metuentes ne infidelitatis erga viros arguantur, nisi eorum funera immodicis questubus lamententur. Quasi dicant, addit D. Chrysost. *Vt homo non reprehendar; reprehendatur Deus.* Hoc est: Ne vllam indolentiæ calumniam ab hominibus patiamur; pessimam iniustitiæ querelam contra Deum excitemus. *Quas ego*, inquit Chrysost. *omni penitùs venia carere profiteor.* Et paulò pòst: *Et quare hac non digna*

D. Chrys. *Nimius feminarum luctus vituperatur.*

A *sunt fulmine?* De qua re plura idem D. Chrysost. hom. 70. ad populum.

XXIV. *Erasmus.* *Impietas existimantium, ne morte quidem Christi Dominum deplorandum.*

In extremam sententiam, vel potiùs amētiam abiit Erasmus, qui, ne mortem quidem Christi Domini deplorandam existimauit, argumentatus ex illis verbis ipsius Domini ad filias Ierusalem: *Nolite flere super me.* Luc. 23. num. 28. Verùm Christi Domini prohibitio eò spectabat, ne tanquàm nocens, infirmus ac miser ex sola naturali commiseratione defleretur. Quod eleganter expressit Diuus Leo serm. 10. De Passione: *Solet*, inquit, *sexus infirmior, etiam pro iis, qui morte sunt digni, in lacrymas commoueri, & damnatorum exitiis pro natura communis consideratione miser[e]ri: sed istum sibi planctum Dominus Iesus dedignatur impendi; quia non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam.* Scilicet, talis luctus & talia lamenta, quæ pro reo & nocente soluerentur. Et in hunc sensum adducendi sunt alij Patres, si qui sunt, qui negare videntur, patienti Christo Domino illacrymandum: vt eos rectè interpretatur Ferdinandus Vellosillus in Aduertentiis Theologicis ad Diuum Ambrosium, quæsito 19. Et latissimè ac disertissimè noster Salmer. tom. 10. tract. 34. Alioqui nihil dignius, quàm vt in sanguinis fontes, qui in Christi passione ex illius vulneribus decurrerunt; fontes lacrymarum ex nostris oculis præ amoris magnitudine defluentes infundantur.

D. Leo. *Quo pacto Christi Domini mors lamentanda sit.*

B

XXV. *In bonorum morte parciùs, quàm in malorum lacrymandum.*
D. Isidor.

C Illud tandem aduerte, licèt in morte iustorum parciùs lacrymandum sit; tamen in peccatorum funere vberiores lacrymas licere: iuxta illud D. Isid. lib. 3. de summo bono, cap. vlt. *Illi deplorandi sunt in morte, quos miseros infernus ex hac vita recipit: non quos cælestis aulæ Christi lætificandos includit.* Quod Dauid suo exemplo confirmauit, minimè lacrymatus in morte vnius filij innocentis: at verò in morte incesti Amnonis, & parricidæ Absalonis nimias in lacrymas effusus, vt cap. 2. num. 20. §. 9. ex D. Ambrosio ostendi. Cui consentiens Diuus Paulinus epistol. 35. *Dauid*, inquit, *filium dilectissimum, quem fleuerat ægrotantem, non fleuit amissum; certus infantem ad pacis æternæ beata gaudia translatum. At verò idem Absalonem, quem inimicum habuerat, mortuum lamentatus est: quia diuinæ iustitiæ conscius, desperauit impio requiem, & resurrectionis bonum sciuit indebitum parricidæ.* Sic exponit & D. Hieronym. epist. 25. ad Paulam De obitu Blesillæ: *Scribitur*, inquit, *Dauid iustè fleuisse filium parricidam: qui alium paruulum, quia sciebat non peccasse, non fleuit.* Et eodem modo plures alij interpretantur. De toto hoc argumento vide D. Chrysostomum homil. 6. in priorem ad Thess. D. Basil. hom. 5. in Mart. Iulitam, D. Aug. lib. 1. de Visitatione infirmorum, ad finem, D. Damasc. lib. 2. Paral. cap. 53. & qui in eius loci scholiis citantur. Petrum Blesensem epist. 2. ad Henr. & epist. 164. ac sequentibus. Atque hactenus de fortitudine Heli, subditorum ac filiorum mortes siccis oculis tolerantis. Iam de religione eiusdem ad nuntium de captiuitate Arcæ subitò corruentis & occumbentis.

D

D. Paulin. *Dauid nō in morte innocentis filij, sed nocentium lacrymauit.*

D. Hier.

D. Chrys.
D. Basil.
D. Aug.
D. Damasc.
Petr. Bles.

E

SECTIO II.

Heli bonorum spiritualium iactura, doloris impatiens superuiuere non potuit.

Sequitur celebris difficultas: Cur Heli, auditis suorum filiorum funeribus strenuus superuixerit: accepta verò captiuitate Arcæ, nimio fa-

I. *Cur Heli potiùs interitu audita*

Arca captiuitate, quàm morte filiorũ fuorũ. *Mala prauisa minùs feriũt; repentina grauiùs cruciant.* Abul. Ph. l. Bibl. Tullius.

tiscens dolore expirarit. Sunt, qui dicant, quia nuntius de morte filiorum non erat illi inopinus; sed multò antè prædictus ac præmeditatus: vt paulò antè num. 13. §. 9. ex Abulensi diximus: & Philo Iudæus in Antiquit. Biblicis aduertit: tela autem præuisa minùs feriunt. Vnde Marcus Tullius Tuscul. 3. *Hostium*, inquit, *repens aduentus magis aliquando conturbat, quam expectatus; & maris subita tempestas, quàm antè prauisa, terret nauigantes vehementiùs, & eiusmodi sunt pleraque. Nihil aliud reperies, nisi omnia subita videri maiora.* At verò Seneca Philosophus epist. 76. *Pracogitati*, inquit, *mali mollis ictus venit.* Et statim: *Magna pars mali, nouitas.* Et paulò pòst: *Sapiens assuescit futuris malis: & qua alij diu patiendo, lenia faciunt; hic lenia facit, diu cogitando.* Et epist. 108. *Hac*, inquit, *cogitatio assidua prostabit; vt nulli sis malo tyro.* Vbi plura de hac re. At verò captiuitas Arcæ non erat illi prædicta, nisi subobscurè illis verbis: *Pracidam brachium tuum.* c. 2. n. 31. vt ibi diximus. Vnde, qui alia infortunia fortiter sustinuit, audita Arcæ captiuitate prorsus expauit & expirauit. Ita Iosephus: *Heli*, inquit, *cùm audisset euentum pralij, tam militum, quàm filiorum cladem satis aquo animo tulit: vt qui Deo praenuntiante, iam antè hac prasciuerat. Solent enim longè grauiùs afficere, qua prater expectationem accidunt. Vt verò etiam Arcam in hostium potestatem factam cognouit, imperato malo ictus, & doloris impatiens, prolapsus è throno exhalauit animam.*

(Seneca.) (Iosephus.)

II. *Probabilis responsio, nisi falsũ aliqua ex parte supponeret.*

Fateor, aliquid ad repentinam mortem conferre potuisse illum nuntium, de quo Heli præuiam notitiam non habuerat; saltem tam certam & euidentem, atque de morte filiorum. Sed, quia ille nuntius non omninò fuit inopinus & insperatus; sed aliqua ex parte præuisus, ex illo oraculo: *Pracidam brachium tuum*: & animo iam antè præceptus, ex illo periculo, cui Arca in acie exponebatur: vnde *Cor eius erat pauens pro Arca Dei.* Alia debet ratio assignari, ob quam Heli, non ad nuntium de morte filiorum, sed de captiuitate Arcæ exanimatus corruerit & expirarit: nempe multò magis Arcam, quàm filios æstimabat. Illos enim in bonis temporalibus, hanc in spiritualibus reponebat: spiritualia verò temporalibus præferenda iudicabat. Ita Theod. q. 12. qui ex hoc facto colligit huius senis virtutem: *Cùm*, inquit, *filiorum suorum cognouisset cadem, non pusillo & abiecto animo id tulit pater & senex: cùm autem accepisset, Arcam captam fuisse ab hostibus, è sella quidem cecidit; ingenti autem animi mœrore affectus vita finem accepit.* Sic ille. Cui adhæret & Procopius: *Filiorum*, inquit, *cadem, quantumuis pater & senex, tã forti, magnóque animo tulit. Propter Arcã verò captã nõ mediocriter consternatus cecidit, & mortuus est.*

Germana responsio. Theod. *Spiritualia temporalibus praferenda sunt.* *Pietas, & religio Sacerdotis Heli.*

III. D. Chrys. *In morte filiorum quietus animus: in captiuitate Arca turbatus.*

Eodem argumento singularem huius senis pietatem ac religionem confirmat D. Chrysostomus lib. 3. aduersus vituperatores vitæ monasticæ: *Cùm*, inquit, *bello finitimorum lacesserentur Iudai, profectúsque ad illum quidam belli clades enuntiasset; vtq; turpiter & miserabiliter illius liberi in ea dimicatione corruissent: hactenus quidem agebat quietem. Verùm, cùm ille tanta huic cladi Arcam Dei direptam ab hostibus fuisse adiecisset: tum verò pra mœroris magnitudine obtenebratus senior cecidit de sella retrò iuxta ianuam, & contritum est dorsum eius.* Et sic alij interpretantur, quos sequenti Sect. referemus. Nec immeritò. Nam filij, quamuis non possent, vt filij, naturali quodam affectu non amari; tamen de illorum numero erat, vt loquitur Philo Hebræus lib. De execrationibus, *Qui magis viui, quàm defuncti suos parentes contristassent.* At verò Arca bonorum spiritualium thesaurus erat. Hinc enim diuina oracula edebantur: hinc diuina auxilia procedebant: hinc diuina in eum populum misericordia fulgurabat: qua stante, stare Respublica; ruente, ruere videbatur: qua præsente, Deum sibi propitium; absente iratum habere omnes arbitrabantur. Meritò igitur Heli priori iacturæ superfuit incolumis; posteriori succubuit miserabilis. Ita solent sanctissimi Heroës, temporales iacturas modestissimè ferunt; spirituales ægerrimè patiuntur. Vt iam paucis illustrabo.

Philo Heb. Mal. filij, dũ viuunt, suos parentes contristant. *Arca in populũ emolumenta.*

IV. *Virtus, licèt aspera, voluptati licèt iucunda praferenda.* D. Petrus Dam.

Præcipiebat olim Deus Deuter. 21. à num. 15. vt si quis haberet duas vxores, vnam dilectam, & alterã odiosam, nequaquam anteferret filium dilectæ, filio odiosæ; sed hunc imperare, illum seruire pateretur. Quem locum D. Petrus Damianus lib. 8. epist. 9. ad præsens institutum egregiè interpretatur: *Dua*, inquit, *hominis vxores, virtus sunt, & voluptas. Et voluptas quidem ad hanc vitam: virtus ad aternã pertinet gloriam. Illa dilecta est, quia virum suũ malesuada iucunditate demulcet: ista verò dicitur odiosa, quia per arctam & angustam viam homines ire constituit. Si igitur non possumus dilectam vxorem, qua nobis proculdubiò noxia est, à thalami nostri societate repellere; studeamus saltem odiosam, qua sobria est, & honesta, in primogeniti dignitate praferre. Quatenus, si nobis difficile est, quantulancunque saltem huius vita dulcedinem non sentire; prarogetur tamen dominij palma virtuti, relinquatur seruitus voluptati.* Ita ille. Et in eandem rem interpretatur illud: *Laua eius sub capite meo: & dextera illius amplexabitur me.* Cantic. 8. num. 3. Lææ nomine, quæ subiicitur, bona temporalia: dexteræ, quæ præponitur, spiritualia intelligendo. *In domo*, inquit, *cordis tui tanquam primogenitus, amor aterna vita pracellat: & tanquam suppar* (id est, subiecta) *atque repressa temporalium rerum cura subseruiat. Laua quippe subesse capiti dicitur, cùm prasens vita à mente, qua cogitationum caput est, despecta calcatur. Dextera verò amplexibus stringitur, qui solius aterna vita desideriis vndique delectatur. Illi perfunctoriam atque volaticam exhibe curam: in hac perseuerantem atque perpetuam indeficua dilectionis fige sententiam. In animo tuo & temporalis vita, tanquam mentis calce depressa subsidat; amor autem aterna vita, velut in summa cordis tui constitutus arce pracellat.* Hæc ille eleganter, vbi plura de hac re.

Amor spiritualium primogenitus esse debet. Carnalium postremogenitus.

V. *Christus Dominus temporaliũ bonorũ contemptor: spiritualium inquisitor.*

Singulare huius rei non modò documentum, sed etiam exemplum nobis Christus Dominus reliquit. Vidit Ioannes agnum tanquàm occisum, sed plane viuum Christi Domini exemplar, qui ad æterni Patentis solium accedens: *Accepit de dextera sedentis in throno librum.* Apoc. 5. num. 7. Sed cùm *In sinistra illius diuitia & gloria* præferantur, Prouerb. 3. num. 16. cur cælestis ille Agnus nihil de sinistra præsumpsit; sed solùm librum de dextera accepit: nisi, quia temporalia bona sinistræ manus contemnebat; ad sola spiritualia dexteræ festinabat? Sic Rupertus eum locum interpretatur: *Valdè notandum*, inquit, *quia veniens Christus in hunc Mundum per Incarnationis mysterium, nihil diuitiarum, aut gloria de sinistra; sed tantummodo librum, siue igneam legem accepit de dextera: bonum exemplum cunctis prabens discipulis & credentibus in se, nihil diuitiarum, aut gloria voluit, aut quasiuit in hoc Mundo.* Vt igitur spiritualia bona pluris facienda sunt, quàm temporalia: ita spiritualia damna ægriùs toleranda, & diligentiùs præcauenda.

Rupertus.

De viro iusto Parœmiastes: *Non contristabit*, inquit,

Iustus nullo damno temporali contristatur.

Hugo Car.

Temporalia damna & commoda, sunt accidentia.

Spiritualia damna grauiter ferenda.

quit, *iustum, quidquid ei acciderit.* Prouerb. 12. n. 21. hoc est, nullum temporale damnum eum ab interna animi lætitia deturbabit. Rectè verò temporalia damna accidere dicuntur, more accidentium: vt Hugo Card. ad eum locum obseruauit. Nam sicut *Accidens*, inquit, *adest & abest, præter subiecti corruptionem: ita præsens prosperitas & tribulatio viro iusto adest & abest, præter eius contristationem & conturbationem.* At verò Dauid spiritualia detrimenta, quæ aliquando contraxerat, recordatus: *Miser factus sum*, inquit, *& curuatus sum vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar.* Psalm. 37. num. 7. Hæc enim spiritualia incommoda, multò magis quam omnia temporalia, eius animum lacerabant & exedebant. Vnde Tertulian.

Tertul.

Spirituales diuitias temporalibus præferendas.

lib. De Patientia, cap. 7. rectè monet, vt temporales diuitias præ spiritualibus nihil faciamus: has tanquàm proprias omninò illæsas conseruemus; illas tanquàm alienas, etiam amissas minimè lugeamus. *Quod nostrum, inquit, videtur, alienum est: nihil enim nostrum; quoniam Dei omnia, cuius ipsi quoque nos. Ita, si damno affecti impatienter senserimus, non de nostro amissum dolentes; affines cupiditatis deprehendemur. Alienum quærimus, cùm alienum amissum dolentes, ægrè sustinemus. Qui damni impatientia concitatur, terrena cælestibus anteponendo, de proximo in Deum peccat. Spiritum enim, quem à Domino sumpsit, secularis rei gratia concutit. Libentes igitur terrena amittamus, cælestia tueamur. Totum, licet, seculum pereat, dum patientiam lucrifaciam.*

Qui ablata dolet, aliena quærit.

VII. Multa temporalia detrimenta accepit Rex Dauid à filio suo Absalone, iniurias, dedecora, exilia, labores; denique apertissima discrimina non solùm regni desolandi, sed etiam vitæ amittendæ. 2. Reg. 15. à num. 14. Tandem vnum accepit damnum spirituale, non quidem proprium ipsius Dauidis, sed Absalonis: cùm, scilicet, resciuit, improbum filium temporariam mortem in prælio subiisse, æternam apud inferos subiturum. 2. Reg. 18. num. 32. Quid verò Dauid? vtrum ex his damnis ægriùs accepit, & difficiliùs tolerauit? Illudne temporale proprium; an hoc spirituale alienum? Proculdubiò hoc spirituale. Nam illud prius modestissimè tolit: non ausus præ humilitate ad illud depellendum, Arcam fœderis in prælium exportare; sed Sacerdotem in hunc modum alloqutus: *Reporta Arcam Dei in vrbem: si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam & tabernaculum suum. Si autem dixerit mihi: non places: præstò sum, faciat quod bonum est coram se.* 2. Reg. 15. n. 25. & 26. Hoc autem posterius ægerrimè tolerauit: *Contristatus Rex*, inquit Textus, *ascendit in cœnaculum portæ, & fleuit; & sic loquebatur vadens: Fili mi Absalon, Absalon fili mi. Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te?* 2. Reg. 18. num. 33. Rem expendit ingeniose & grauiter, vt solet, D. Aug. lib. 2. contra secundam epistolam Gaudentij, cap. 14. in 7. tomo: *Plùs, inquit, impius Absalon patrem sanctum Dauid extinctus, quàm rebellis afflixit. Vnum namque eum comprehendi cupiebat, vt qui malitia grassabatur, pœnitentia sanaretur. Erat ergo ille persequutor patris, non solùm populum Dei diuidendo, & contra legitimum patris regnum arma portando, sed multò ampliùs persequutus est cor paternum in illa impietate moriendo.* Si ergo Dauid damna spiritualia, etiam aliena, difficiliùs quàm propria temporalia sustinebat; quantò difficiliùs propria spiritualia, quàm temporalia sustineret?

Dauid ægriùs tolerabat aliena damna spiritualia, quàm propria temporalia.

D. Aug.

Absalon magis afflixit Dauidem malè moriendo, quàm eum persequendo.

VIII. Quàm patiens temporalium incommodorum extitit sanctissimus ille senior Tobias in captiuitate positus? Tob. 1. num. 2. Bonis omnibus proscriptus, & capite damnatus. Ibid. num. 21. Multis A iniuriis etiam à cognatis lacessitus, & irrisus. Tob. 2. num. 8. & 15. Tandem videndi vsura priuatus. Ibid. num. 11. Cùm non minùs difficilè videndi, quàm viuendi iactura toleretur, teste Philone lib. de his verbis: *Resipuit Noe*, sub initium, vbi sic, *Multi, inquit, visu amisso, vitam etiam vltrò abiecerunt; existimantes, mortem, malum esse cæcitate leuius.* In quibus omnibus infortuniis Tobias *Non est contristatus*, inquit Textus, *contra Deum; sed immobilis in Dei timore permansit, agens gratias Deo omnibus diebus vitæ suæ.* vbi sup. num. 13. & 14. Sed, qui tam multa temporalia detrimenta æquo animo sustinuerit; vnum sustinere non potuit spirituale. Nam, cùm domi vocem balantis hœdi audisset, veritus ex eo lucro temporali spirituale aliquod B detrimentum: *Videte*, inquit, *ne fortè furtiuus sit: reddite eum dominis suis; quia non licet nobis, aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Tob. 2. num. 21. Vni damno spirituali sustinendo timidum se præbet, qui tam multis temporalibus tolerandis se præbuerat adamantinum. Vnde optima est illa D. Chrysostomi admonitio hom. 1. in 2. ad Cor. *Nihil aliud, inquit, tam molestum est, quàm Deum habere offensum. Id, si absit; non afflictio, non insidia, non alia res vlla molestiam afferre potest rectè sapienti: sed quemadmodum exiguam scintillam, si in profundam aquam immergas, potiùs extinxeris; ita quamuis magna animi deiectio, si in bonam incidit conscientiam, perit, facilèque euanescit.*

Tobias multa damna temporalia modestissimè tulit: vnum spirituale, molestissimè.

Philo.

D. Chrys.

Nulla maior molestia, quàm culpa.

Afflictio in anima iusta, scintilla in mari.

IX. Non leue in hac materia exemplum Hebræi C quondam præbuerunt, si charitate & religione potiùs, quàm improbitate & contentione egisse, credendi sunt. Nam videntes Ierosolymitano in templo Iouis simulacrum ab Imperatore Caio collocari, illúdque interpretantes *Abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta.* c. 9. n. 27. vt hoc spirituale malum præcauerent, sua omnia temporalia bona in discrimen adducere decreuerunt: vt Auctor est Philo Hebræus lib. De legatione ad Caium. Hanc enim pactionem Imperatori offerentes, *Decedimus, inquiunt, vrbibus; cedimus priuatis ædibus & possessionibus: supellectilem, vel pretiosissimam vltrò vobis in prædam offerimus, eo animo, vt nos putemus non dare, sed accipere. Vnum pro his omnibus petimus, ne quid in templo nouetur:* D *vtque, seruetur tale, quale à maioribus nobis est traditum. Id, si non impetramus; necandos nos præbemus, ne videamus vim, quod est morte grauius.* Quibus verbis apertè significabant, leuia sibi fore omnia temporalia detrimenta: dummodo nullum spirituale paterentur.

Hebræi spirituale damnum etiam cum temporali detrimento præcauentes.

Philo.

Præstat mori, quàm diuinas iniurias videre.

X. Certè D. Paulus temporalibus damnis facilem se exponebat; dummodo se ab spiritualibus incolumen conseruaret: *Vincula, inquit, & tribulationes Ierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosiorem, quàm me.* Act. 20. num. 23. & 24. Vbi nomine animæ partem inferiorem & animalem, concupiscentiis & carnalibus desideriis seruientem intelligit: ac proinde bona omnia corporalia, & temporalia, quibus immodici appetitus E famulantur. Nomine autem sui ipsius intelligit partem superiorem vni Deo adhærentem, spiritualibúsque bonis inhiantem. *Hoc est enim*, inquit Sapiens, *omnis homo.* Eccles. 12. num. 13. Igitur Apostolus non pluris æstimabat animam suam, siue omnia temporalia lucra; quàm se, siue spiritualia emolumenta. Quem proinde non mediocriter commendat D. Bern. ser. 30. in Cant. *Optimus, inquit, æstimator rerum, qui nil suorum, sibi præferendum existimet. Quàm multi saluti propriæ modicam, vilissimámque pecuniam prætulerunt? Paulus nec animam.* Et paulò pòst: *Prudenter*

D. Paulus pluris se, quàm sua: hoc est, pluris bona spiritualia quàm corporalia faciebat.

D. Bern.

Prudens æstimator bona spiritualia temporalibus præfert.

quidem tu tibi pluris es, quàm quiduis tuum. Et rursus: *Animam suam Paulus spernebat præ se: paratus pro Domino non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem.* Act. 21. num. 13. A

XI. *Serpentis prudentia caput corpori præferentis.* D.Chryſ. *Prudentia Christiani bona interna externis anteponentis.*

Huc pertinet illa Christi Domini præceptio: *Estote prudentes, sicut serpentes.* Matth. 10. num. 16. vbi similitudinem nostram cum serpentina prudentia ad præsens institutum rectè explicat D. Chryſ. ibi hom. 33. *Quemadmodum*, inquit, *serpens totum se ipsum tradit, nec admodum curat, si corpus inciditur: donec caput suum integrum seruet. Eodem tu quoque modo præter fidem, cætera perdere non cures: profundas vniuersam tuam pecuniam; tradas corpus; vitæ ipsi, si opus est, minimè parcas; dummodo fidem serues, quæ caput, & radix est: qua seruata, etiamsi omnia perdas, omnia tamen rursus maiori cum magnificentia recuperabis.* B Vbi quod de fide docet, de aliis quoque donis supernaturalibus intellige: dignis planè, quæ non minùs cæteris bonis temporalibus, quàm caput cæteris membris præferantur.

XII. *Dauid parui pendebat temporalia, dummodo spiritualia seruarentur.* D.Aug.

Idcircò Dauid parui pendebat, temporalia bona dissipari, dummodo spiritualia à Deo seruarentur: *Dominus*, inquit, *custodit te: Dominus protectio tua super manum dexteram tuam.* Psal. 120. num. 5. Vbi D. August. miratur, cur Propheta solùm dicat, super dexteram, non autem super sinistram? *Quid enim?* inquit: *Dexteram nostram Deus custodit: & sinistram nostram non custodit?* Sed facilè soluit, explicando, quid dexteræ, quid sinistræ nomine intelligatur.

Temporalia in sinistra, æterna in dextera significata.

Sinistra nostra, inquit, *dicitur, quidquid temporaliter habemus: dextera nostra dicitur, quidquid* C *nobis æternum, & incommutabile Dominus pollicetur.* Temporalia igitur bona, quorum leuissima est iactura, multis direptionibus à Deo permittuntur: bona autem spiritualia, quæ pretiosa sunt apud Dominum, longè maiori diligentia seruantur. Et sicut Dæmones magis dexteræ, quàm sinistræ, hoc est, magis spirituali, quàm temporali felicitati opponuntur; iuxta illud: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Psal. 90. n. 7.

Idcircò plures aduersarij insidiantur dexteræ. D Bern.

Vbi vides contra partem sinistram, mille tantùm Dæmones; contra dexteram, decem millia in pugnam prodiisse: quia *Pars aduersa*, inquit ibi D. Bernardus, *longè ampliori sollicitudine & calliditate vulnerare in nobis dexteram satagit, quàm sinistram: nec tam corporis profectò, quàm cordis laborat auferre* D *substantiam.* Ita & Deus maiori studio partem dexteram, quàm sinistram; hoc est, spiritualem, quàm temporalem felicitatem defendit ac tuetur. Nam, vt bene D. Bern. citatus:

D.Bern.

Illic, inquit, *studiosius repugnandum, vbi grauior vrget necessitas, vbi totum belli imminet pondus, & vbi colluctationis ratio vniuersa consistit: vnde vobis paratur tota, aut victis ignominiosa captiuitas, aut vincentibus gloria triumphalis.* Cùm ergo bona spiritualia longè acriùs, quàm temporalia ab hostibus oppugnentur; necesse quoque est, vt à nobis eorum conseruatio magis curetur, & amissio magis timeatur.

XIII. *Dextera potius, quàm sinistra à periculo vindicanda.* D.August.

Huc transferri potest illud Christi Domini: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam; præbe illi & alteram.* Matt. 5. num. 39. hoc est, sinistram. E Vnde D. Aug. proximè citatus intelligit, non quidem adiectionem sinistræ, sed exclusionem dexteræ. Quasi diceret: caue, ne tibi dextera percutiatur, sed potiùs permitte, vt tibi sinistra vulneretur. Quod statim ad rem præsentem mysticè interpretatus,

Temporalia periculo exponenda pro æternis.

Nescio, inquit, *quis venit, & vult tibi perimere dexteram, id est, tollere tibi fidem tuam; tu præbe sinistram, id est, vt illud tollat, quod temporale est, & non ea, quæ æterna habes.* Ac si diceret: Patere libens, vt tibi bona omnia temporalia eripiantur; dummodo ne vnum quidem spirituale A tibi auferri patiaris: cùm longè grauior vnius boni spiritualis, quàm omnium temporalium iactura censeatur. Quod illustrat exemplo Iobi, qui passus est, sibi truncari sinistram, hoc est, bona temporalia auferri; non tamen dexteram mutilari, hoc est, spiritualia bona extorqueri; iuxta illud: *Ecce in manu tua est; verumtamen animam illius serua.* Iob. 2. num. 6. Et statim inuehitur in præposteros homines, qui sinistra pro dextera vtuntur, hoc est, qui bona temporalia, non minùs quàm spiritualia quærunt, ambiunt, amplectuntur. De quibus Dauid: *Dextera eorum, dextera iniquitatis.* Psal. 143. num. 8. Quasi diceret: sinistra planè est, non dextera, qua isti suis cupiditatibus abrepti pro dextera vtuntur.

XIV. *Reprehendendi de malis spiritualibus non dolentes, sed de temporalibus.* Dionyſ. Carthuſ.

B In eosdem inuehitur Dionysius Carthusianus hoc loco art. 10. de malis spiritualibus nihil dolentes; temporalia verò iniquissimè tolerantes: quos ab exemplo Heli, eiúsque nurus non mediocriter confundit: qui, quamuis vituperentur; tamen de Arcæ comprehensione tantam tristitiam hauserunt, vt subitò animam exhalarint. Vnde *reprehendendi sunt*, inquit Dionysius, *Christiani quàm plurimi, qui de captione sancti Sepulchri, & vastatione totius sanctæ Terræ, & sacratissimorum locorum profanatione, parua, aut nulla afficiuntur mæstitia.* Immò à totius populi exemplo eos seueriùs carpit. Nam *de corporali*, inquit, *Israëlitarum occisione, vlularunt omnes habitantes in Silo: sed de quotidiana peccantium morte spirituali, & de æterna pereuntium* C *condemnatione; & præsertim de tam multiplici ac enormi Dei inhonoratione & offensione, omni momento, vix est, qui lacrymam fundat. Vbi spiritualis dilectio? Vbi zelus diuini honoris?* Sed de hac re ad cap. 11. iterum disseremus.

SECTIO III.

Vtrùm mors Heli temporaria tantùm fuerit, an etiam æterna?

I. *Heli grauiter peccauit in indulgentia erga filios.*

IN hac re conueniunt omnes Patres & Interpretes, Heli grauiter peccasse in ea indulgen- D tia, qua vsus fuit erga filios: vt sæpè in superioribus, præsertim in primo tom. Annot. 21. iam ostendimus. An verò in peccato decesserit, & in æternam mortem abierit, non omnes eodem modo definiunt.

II. Phil. Hebr. D. Baſil. *Prima sententia docet Heli in peccato periisse.*

Affirmare videntur multi. Nam Philo Hebręus, quisquis ille est, in Antiq. Biblicis, ait, Heli, *cùm valde desperasset, de sella cecidisse*, &c. D. Basil. in procemio ad libros Ethic. circa medium, asserit, Heli *miserabili admodum exitu vitam terminasse.* Idémque repetit in Regulis breuioribus, interrogatione 47. & in Orat. 3. De peccato: *Ipsum*, inquit, *Heli miserandus finis excepit.* Vbi miserabilis & miserandus finis mortem videtur innuere, non modò temporariam, sed etiam æternam.

Greg. Naz.

D. Greg. E Nazianz. in lib. de Epiphaniis, apud sanctum Hildebertum, epist. 74. docet, Heli Sacerdotem *pro filiorum iniquitate damnatum.*

Eucher.

Idem asserit eisdem verbis Euchetius lib. 1. Reg. c. 2. ad finem, & Glos. ad illa verba: *Porrò filij Heli, filij Belial.* Nec multò aliter loquitur D. Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 370. ad Cyrillum Alexandrinum:

D. Iſidor. Peluſiota.

Condemnationem, inquit, *Heli pertimesco, proptereà quòd peccantes filios non castigauit.* Vbi vocabula, *Damnatus*, & *Damnatio*, dum absolutè ponuntur, in deteriorem significatum videntur interpretanda. Et in eum sensum accepisse videtur D. Isidorus Hispalensis D. Iſidor.

lib. 3.

lib. 3. De summo bono, cap. 46. vbi docet, Sacerdotes de suorum subditorum salute negligentes, damnari; & inter eos fuisse vnum Sacerdotem Heli. Cùm autem illorum damnatio æterna sit, vtpote in re graui negligentium; idem videtur sentire de Heli. Cuius etiam damnationem Beda serm. in Natali sancti Bartholomæi, in 7. tomo, *crudelem* vocat: quod videtur à sancto Gregorio statim citando desumptum, ac de æterna damnatione intelligendum.

Beda.

III. D. Chrys. *Confirmatur prædicta sententia.*

D. Chrysostomus lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monasticæ, de patre ac de filiis loquutus: *Ipse*, inquit, *cum illis vna perit.* Et rursum: *Suam simul & illorum salutem perdidit.* Vbi saltem æquat patrem cum filiis, quorum æterna damnatio probabilior creditur. Sed clariùs paulò pòst: propositis enim nonnullis huius Sacerdotis virtutibus, subdit: *Et tamen nihil excusare potuit, quominùs & miserè & infeliciter periret.* Misera verò & infelix mors, quænam alia dici potest, quàm æterna? Addit sub hoc scelere Heli, omnes eius virtutes obrutas fuisse: *Contemptus*, inquit, *illius scelus instar fluctus tetri & ingentis, virtutes eius cunctas transiliit; vniuersaque rectè facta sua magnitudine operuit.* D. Hieron. in c. 1. & 2. Ezechielis, & lib. 3. in c. 6. Epist. ad Ephesios, comparat Heli cadentem retrorsum cum vxore Lot respiciente retrò. Gen. 19. n. 26. & cum eo, qui mittens manum suam ad aratrum, respicit retrò. Luc. 9. num. 62. & cum Iudæis, qui comprehensuri Dominum Iesum, abierunt retrorsum. Ioan. 18. num. 6. ac denique cum illis, qui opisthotono insanabili, hoc est, morbo tergi insanabili correpti perierunt. Deuter. 28. num. 27. significans non minùs Heli, quàm illos omnes, aut ferè omnes in æternam damnationem cecidisse: quæ omnia videtur ex Orig. homil. De Helcana, ad medium, mutuatus.

D. Hiero.

Orig.

IV. D. Greg. *Confirmatur vlterius.*

D. Gregor. nunc reprobum, nunc reprobandum dicit. Nam lib. 2. in Reges, cap. 4. laudat obedientiam Samuelis: *Quia ei*, inquit, *se obediendo subdidit, quem omnipotens Deus sui examinis tanta districtione reprobauit.* Et post aliqua, loquutus de Samuele per magistrum Heli edocto: *Per eum*, inquit, *qui reprobandus erat, audire quemadmodum debuisset, didicit.* Vnde Hugo Card. hoc loco *reprobum* appellat. Rursus idem D. Gregor. 2. part. Past. cap. 6. docet Heli apud districtum Iudicem *crudeli damnatione* percussum. Quæ verò crudelis damnatio intelligi potest nisi æterna? Facile adduci potest in hanc sententiam Rupertus lib. 4. De victoria Verbi, c. 10. vbi in Heli nihil boni recognoscit. *Dolendum*, inquit, *est illi, quod cùm tot annis iudicauerit Israel, nihil vsquàm memorabile, vel Iudicis officio dignum gessit.* Quam enim gloriæ coronam consequi posset, qui nullum meritum haberet? Non minùs apertè in hanc partem inclinat D. Petrus Damianus tom. 4. Biblioth. epist. 16. quæ etiam inscribitur, *Liber gratissimus*, c. 18. ad finem, & habetur in proprio Opusc. tomo, Opusc. 6. vbi sic: *Quis*, inquit, *Heli Sacerdotem nesciat reprobum; & tam pro lenitate sua, quàm pro liberorum effrænata licentia diuinæ animaduersionis sententia condemnatum?* Vbi etiam vtitur *reprobi* nomine, quod non nisi æterna morte damnatis accommodatur.

Hug. Card.
D. Greg.

Rupert.

D. Petr. Dam.

V. D. Cæsar. Arelat. *Confirmatur eadem sententia.*

Sed clarissimè pro hac sententia stare videtur D. Cæsarius Arelatensis hom. 15. in 2. tom. Biblioth. secundæ Editionis, vbi sic, *Quia*, inquit, *eos* (nempe, filios) *non cum grandi feritate distrinxit; & ipse retrocedens de sella, fractis ceruicibus mortuus est; & nomen eius de libro vitæ deletum est.* Quæ verba vel Cæsarius ab Hormisda Papa, vel hic ab

A illo desumpsit, iuxta varias de vtriusque antiquitate sententias. Nam Hormisda in quadam epist. apud Card. Baronium tom. 7. Editionis Coloniensis, totidem verbis eandem sententiam expressit. Et præsertim illud, quod rem conuincit: *Nomen eius de libro vitæ deletum est.* Quibus verbis quænam alia ad æternam eius damnationem exprimendam clariora esse potuerunt? Vnde aliqui, qui huic opinioni fauent, suspicantur, Heli non propter dolorem ex Arcæ captiuitate, sed ex iactura bonorum temporalium, quæ cum illa pariter amittebat, corruisse & expirasse. Superstitem quidem fuisse, suorum subditorum & filiorum cladibus auditis: iacturam tamen emolumentorum, quæ illi ex Arca prouueniebant, viuum tolerare non potuisse. B Quasi fuerit de numero illorum, quos D. Chrys. homil. 1. in 2. ad Cor. perstringit: *Sunt*, inquit, *non pauci, qui verbera ferunt, iacturam rerum non ferunt: quin magis earum gratia cædi malunt, innumerásque perpeti molestias, quàm ex illis quidquam amittere.*

Hormisda.

Praua de Sacerdotis Heli cupiditate suspicio.

D. Chrys.

VI. D. Ephrem. *Confirmatur adhuc.* *Plura Sacerdoti Heli peccata tribuuntur.*

Iam verò D. Ephrem in Apologia de Heli tam grauiter in eum inuehitur, vt de illius salute actum esse, minimè dubitare videatur. Asserit enim, non fuisse illi cordi diuinum cultum; diuino zelo non tangi; etiam cùm nouit, diuinam aduersùs se prolatam esse sententiam, ab illa in filios absurditate non recessisse: quòd si illos admonuit, id fecisse veritum populi impetum, vt animos eorum, qui filiis reclamabant, emolliret atque placaret; C ac tandem diuinis comminationibus ex Samuele auditis, non resipuisse ad culpam, sed tanquam stupidum & insensibilem obdurauisse ad pœnam. Idem sentire videntur reliqui Patres, qui illa verba Heli: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat*: cap. 3. num. 18. in malam partem interpretantur, vt ibi diximus. Nam, cùm peccasse affirment, & pœnituisse negent; reprobum fuisse non dubitant. Et quid, si huc referatur illud: *Filij Heli, filij Belial?* c. 2. num. 12. Quasi Heli, Belial, id est, improbus religionis contemptor, & omninò exlex appelletur? Et quidem, si peccatum secretum Ananiæ & Saphiræ, punitum est morte repentina, non modò temporaria; vt habetur Act. 5. à num. 5. sed etiam æterna ad aliorum terro- D rem, vt sentit D. Ambr. in Psal. 118. serm. 18. vbi de D. Petro loquutus: *Ne quis*, inquit, *misericordiæ suæ munus, fraude contaminaret perfidiæ, morti addictos æternæ, perfidos puniens; vniuersos ad fidei studium iusto terrore composuit.* Si, inquam, peccatum illud secretum, temporaria & æterna morte derepentè sauciatur: quid mirum, si peccatum publicum Heli, simili plaga vulneretur?

Heli an dicatus Belial?
Ananias & Saphira an mortem incurrerint æternam?
D. Ambr.

VII. *Ex prædicta sententia melius erudiuntur Sacerdotes, & Prælati, ne sint ignaui.*

Ex hac sententia, si vera est, maiorem efficacitatem habent ea documenta, quæ Patres eruunt ex punitione Heli, ad aliorum Sacerdotum, Prælatorúmque animos terrendos, & ab ignauia, in qua iacent, excitandos. Hinc enim plures argumentantur. Eucherius lib. 1. in Reges, c. 2. ad finem: *Qua sententia*, inquit, *discant Sacerdotes, quomodo* E *filiorum etiam propter scelera puniantur quique: & quamuis sancti sint; culpa tamen subditorum eisdem, si non coërceant, imputatur.* Beda ad eum locum: *Quare facitis res huiuscemodi?* cap. 2. num. 23. durissimo Heli supplicio ob oculos proposito: *Quid ergo*, inquit, *nos miseri, quid nostri similes merentur, qui gaudent ad vitia, qui emendare non audent, qui conscientiam sui metuunt, & quod cunctus populus clamitat, nescire se simulant?* Hormisda Papa in ea epistola, quam paulò antè citaui, hanc Heli calamitatem meditatus; sibi, ne similem & culpam & pœnam contraheret, vehementer metuebat: *Valdè*, inquit,

Eucher.

Beda.

Hormisda.

inquit, *metuo, & contremisco illam damnationem, quam ille Sacerdos propter stultam indulgentiam accipere meruit*, &c. Sic & Cæsatius Arelatensis homil. citata: *Timeo*, inquit, *& nimium expauesco Heli Sacerdotis exemplum*, &c. Sed omnium grauissimè D. Chrys. superiore cap. num. 13. §. 10. citatus, ab Heli ad alios Prælatos, multò magis quàm illum, de suarum ouium salute negligentes, argumentatur. Si enim negligentia Heli æternis pœnis addicitur: quid tandem horum malitia patietur?

Cæsatius Arelat. Chrysost.

VIII. Nihilominùs mihi probabilius videtur, non fuisse æterna pœna damnatum. Fundamentum est: quia Heli de nullo alio peccato reprehenditur, quàm de illa in filios negligentia: sed de hac pœnituit, & satisfecit, & cum magno charitatis actu ex hac vita migrauit; ergo æternam salutem adeptus est. Maior propositio communiter à Patribus conceditur. Nam D. Hieron. in locum ad Ephesios citatum, & in epist. 48. ad Sabinianum, sub finem, vocat hunc Sacerdotem, *sanctum*. D. Gregor. lib. 5. in Reges, c. 14. ait, fuisse *propria vita iustum, sed auctoritate pastorali remissum*. Et paulò pòst: *Pro dissolutione percussum, sed pro præterita conuersatione respectum*. D. Chrys. hom. 17. in Matth. vocat *admirabilem Sacerdotem*. Et iterum: *Eius vitam irreprehensibilem*. Et lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monasticæ, docet, præter illam in filios negligentiam, nihil Deum habuisse, quod illi crimini daret: *Erat enim*, inquit, *admirandus in cæteris*. Et hom. 28. ad populum, iterum vocat, *admirabilem senem, vitam exhibentem inculpatam*. D. Basil. procemio in Ethica: *Neque enim*, inquit, *quod ad ipsum nominatim pertineret, in vita vnquam sua ipse reprehensus est*. Et orat. 3. De peccato, asserit, senem Heli *vita sua gratia nunquam fuisse reum*.

Probabilior est sententia, quæ negat Heli æterna pœna damnatum. D. Hier. *Heli de sola in filios negligentia accusatur. Alias iustus erat.* D. Greg. D. Chrys. D. Basil.

IX. D. Innocentius III. Papa lib. 5. Constitutionum decretalium, c. *Licet Heli*. docet, *illum in se bonum extitisse*. Item Decreti 1. p. dist. 37. c. 5. Heli *sanctus in se* appellatur. Theodor. q. 11. *Perspicuum quidem est*, inquit, *quod Heli rectè factis esset ornatus*. Ac tres eius virtutes præcipuè enumerat: humilitatem, interrogando puerum: obedientiam, subiiciendo se Deo; *Quod bonum est in oculis suis, faciat*: charitatem, plus dolendo de captiuitate Arcæ, quàm de morte filiorum. Similiter & Procopius philosophatur: *Deus*, inquit, *ipsum Heli tantum propter filios auersatus est: in ipso enim propriæ virtutes elucent, quibus ornatus fuit*. Et enumerat illas tres à Theodoreto numeratas: quas etiam D. Chrysost. citatus lib. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ, ex ipsa historia collegit. Accedit Petrus Blesensis in c. 1. Iob: *Heli* inquit, *licèt in aliis iustus esset, ideò visus est reprobatus à Domino*, &c. *quia filios non correxit*. Vbi etiam expende, non simpliciter dixisse: Reprobatus est: sed, *visus est reprobatus*. Vt significaret, non fuisse quidem damnatum, sed tantùm quandam damnati speciem habuisse.

Innoc. III. Theod. Procop. D. Chrys. Petr. Blesen.

X. Minor propositio quoad pœnitentiam, ostensa est, cap. 3. num. 18. Quoad satisfactionem ex dictis patet: nam reuerà grauissimas subiit pœnas, orbatus filiis, denudatus sacerdotio, propria tandem vita spoliatus. Sic enim pro suis culpis multi fortasse satisfecerunt, repentina morte diuinitùs occisi. Nadab, & Abiu, Leuit. 10. n. 2. vxor Lot, Gen. 19. num. 26. Sacerdos Oza, 2. Reg. 6. num. 7. Propheta ad Ieroboamum missus, 3. Reg. 13. num. 24. Ananias & Saphira, Act. 5. à n. 5. Quos omnes æternam salutem consequutos probabiliùs tuentur ex nostris ad citata loca, Salmer. Lorin. Cornel. Serarius, Sanctius, & iterum Lorin. de vxore Lot, Sap. 10. n. 7. Sic igitur credi potest, & Heli, cum aliis pœnis, tum etiam morte temporaria, pro reatu æternæ pœnæ satisfecisse: idcircò enim a Deo temporales pœnæ infliguntur, vt æternæ deuitentur, iuxta illud Apostoli: *A Domino corripimur, vt non cum hoc Mundo damnemur*. 1. Corinth. 11. n. 32. Clariùs hoc patet in illis tribus fratribus Machabæis, Iuda, Ionatha & Simone, qui sibi in imperium seriatim vnus post alium succedentes, & gloriosis victoriis suum & suorum nomen illustrantes, tandem subita & immatura morte ab hostibus occisi perierunt. Fortè, vt his pœnis illas, quas cum Romanis amicitias contraxerant, expiarent. Nam Iudas amicitias cum Romanis iniit, 1. Machab. 8. num. 17. sed occisus est in prælio contra Demetrium suscepto, 1. Mach. 9. num. 8. Ionathas cum eisdem Romanis amicitias renouauit, 1. Mach. 12. num. 1. sed captus est per dolum à Tryphone, ibidem, num. 48. Ac tandem ab eodem per summam perfidiam occisus, 1. Mach. 13. num. 23. Simon parem cum Romanis societatem copulauit, 1. Mach. 14. n. 24. sed à Ptolemæo genero suo per fraudem in conuiuio interfectus, 1. Mach. 16. num. 16. Qui omnes hac repentina morte culpas ex illa amicitia cum Romanis contractas expiarunt, vt Rupert. lib. 10. De victoria Verbi, c. 26. aduertit: *Quamuis*, inquit, *super hac re* (hoc est, amicitia cum Romanis inita) *non culpet eos Scriptura: tamen animaduertere promptum est, non fuisse tutum coram Deo, neque lege concessum Iudæis, vt expeterent amicitias Gentium. Veruntamen sicut fuerunt in vita sua, ita & post mortem gloriosi sunt: quia si quid pulueris, aut puluere vanitatis taliter admiserunt, omnino deletum est, cita subsequente morte singulorum*. Itaque repentina mors infligi à Deo solet, vt culparum expiatrix, & compensatrix.

Heli satisfecit pœnis pro culpa. Mors repentina fuit multis pro culpa satisfactio. Salmer. Lorin. Cornel. Serar. Sanctius. *Temporales pœnæ infliguntur à Deo, vt euitentur æternæ. Tres fratres Machabæi ob amicitias cum Romanis malè contractas, morte temporali puniuntur.* Rup. *Aliquando repentina mors culparum expiatrix est.*

XI. Tandem quoad actum charitatis, patet ex hoc loco; siquidem diuinum cultum sic amabat, vt illius iacturam molestiùs ferret, quàm mortem subditorum & filiorum: vt superiori Sect. ex D. Chrysostomo, Theodor. ac Procopio ostensum est. Quibus accedit Caietanus hic: *Aduerte*, inquit, *sanctam mentem Heli in hoc, quòd nec audita ruina populi, nec audita morte filiorum motus est; sed audita Arca Dei capta, vsque adeò commotus est, vt rueret retrò*, &c. Carthusianus verò art. 7. ad finem, ex eo colligit, non fuisse Heli æternaliter damnatum: *Quia*, inquit, *audita Arcæ captione ex nimio mœrore cecidit mortuus; cùm tamen filiorum suorum occisione audita manserit sedens*. Et art. 9. *Vnde*, inquit, *videtur in eo affectus gratiæ, & zelus Dei pro tunc prævaluisse affectioni naturæ, amorique sobolis*. Deinde Abulensis appellat hunc Sacerdotem, verè virum bonum, atque laudabilem, desideriumque illius sanctissimũ circa Dei religionem. Nam, *Cùm*, inquit, *audisset filios suos occubuisse, quasi nihil motus est, expectans, quid diceretur de Arca: cùm verò audiuit Arcam captam, elanguit cor eius, & non remansit in eo spiritus; atque totus, velut palpitans, defecit: prælegisset enim vir iste sibi mortem, etiam si in ætate iuuenili fuisset; quàm Arcam captam. Ideò nemini dubitandum est circa statum Heli: nam istud desiderium & zelus maximus religionis, qui cum charitate erat, eò quòd propter Deum erat; liberare posset illum ab omni crimine; quia charitas operit multitudinem peccatorum*.

Heli molestiùs tulit iacturã diuini cultus, quàm mortẽ filiorum & subditorum. Caiet. Carthus. *Inde probatur, non fuisse æternaliter damnatum, nempe ob zelum & charitatem.* Abul.

XII. Qui ergo sine Arca Dei viuere non poterat, quo pacto sine Deo ipsius Arcæ moreretur? Non poterat profectò à Deo contemni, qui filios suos præ Deo contemnebat. Sicut olim ei à Deo exprobratum fuerat illud: *Magis honorasti filios tuos,*

Non potuit Heli à Deo contemni, qui filios suos præ Deo contemnebat.

quàm

quàm me. Cap. 2. num. 29. ita nunc ei ipse Deus gratularetur: magis honorasti & amasti me, quàm filios tuos, qui præteritam iniquitatem, opposita charitate, expiasti. Nihil enim Deo gratius est, quàm vt cognatis & propinquis præferatur. Dixit olim ad Christum Dominum vnus ex discipulis eius: *Domine, permitte, primùm me ire, & sepelire patrem meum.* Ad quem Dominus: *Sequere*, inquit, *me: & dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Matth. 8. num. 21. & 22. Cur, quæso, Christus Dominus tam pij ac iusti operis exequendi facultatem denegauit? Respondet D. Petrus Chrysologus serm. 19. quia non dixit: *Permitte me ire*; sed, *Primùm me ire*: seu, quia diuino obsequio præposuit paternum. *Hoc enim*, inquit, *ei non primum esse debuit, sed secundum. Non pietatis obsequium negat, sed diuinam* B *præponit humanis affectibus seruitutem.* Iustissimus igitur, Deóque gratissimus moritur Heli, qui sibi & suis Deum diuinúmque honorem præferebat.

Chrysol.

Dei seruitus præponenda humanis affectibus.

XIII. Citari tandem potest pro hac parte D. Anselmus in Elucidario, vbi loquutus de Prælatis, qui malos non puniunt, sed potius iuuant promouéntque ad malum: *Legitur*, inquit, *de Heli, quòd, quia filiis prauè agentibus consenserit, & eos tepide super transgressione corripueris, mortem corporis incurrerit. Vbi manifeste ostenditur, quia mortem, quam iste perpessus est in corpore, isti patiuntur in anima.* Quibus verbis illos pessimos Pastores distinguit ab Heli; quòd hic mortem temporariam corporis: illi mortem æternam animarum patiantur. Dubitari so- C lùm posset, an etiam purgatorium ignem euaserit? Negat Carthusianus, cui assentior: cùm ex præteritis culpis aliquis, vt plurimùm, reatus supersit per illum ignem excoquendus; præsertim illis temporibus, quibus tam frequentia ac tam efficacia Ecclesiæ suffragia non erant, quæ debitas animarum pœnas abolerent. Quamuis alioqui non mihi videatur incredibile, tam singularis pœnitentiæ baptismum, cum illa temporali pœna coniunctum, pro lustrali igne illi esse potuisse.

Confirmatur ex D. Anselmo Heli in solo corpore punitum fuisse. D. Ansel.

Probabilius tamen est non euasisse Purgatorium. Carthus.

XIV. Auctores, qui pro contraria parte afferuntur, vel intelliguntur de condemnatione ad pœnam temporariam; vel loquuntur conditionatè, seu permissiuè, seu exempli gratia, cùm tamen in exemplis non requiratur veritas; vel denique eorum auctoritas tanti facienda non est, vt cæteris D in oppositam sententiam abeuntibus præferenda videatur.

Conciliantur Auctores primæ sententiæ.

SECTIO IV.

Cur Heli vltimus moriatur: & quid illius morte significetur?

I. QVod ad primum attinet: Ratio dubitandi esse potest: quia sicut à Principe culpa incipit, ita ab eodem inchoari debet & pœna. Cur igitur Heli, qui primus tantarum culparum auctor fuit; postremus ad pœnas tantis malis debitas euocatur? Huius rei vnam rationem Num. 3. à §. 25. assignaui. Alteram ad hunc locum reieci. Ea E verò est, vt acerbiùs puniretur, non modò suam pœnam subeundo, sed etiam suorum calamitatem priùs intuendo. Incredibiliter enim boni Principes & parentes, suorum subditorum & filiorum clades spectando, cruciantur. Quod multis potest exemplis illustrari.

Heli vltimo loco punitus est, vt grauiùs puniretur, videns suorum cladem.

II. Quamuis Adam priùs mortem meruerit, quàm Abel, Gen. 3. num. 19. tamen Abel priùs mortem subiit, quàm Adam, Gen. 4. num. 8. vt pater non solùm mortem suam expectando, sed mortem filij

Hac de causa Adam mortuus est post Abel.

A sui experiendo cruciaretur. Interfectis primogenitis Ægypti, superuixit Pharao: vt videre est Exod. 12. n. 30. quem tamen credibile est, fuisse quoque primogenitum: aliorum igitur funeribus superstes fuit, vt multiplicis mortis reus nõ vnam simplicem subiret, sed quò plures spectaret, eò plures pateretur. Idẽ Pharao periit in mari rubro, Exod. 14. n. 19. & Psal. 135. num. 15. periit autem omnium postremus; si vera est Hebræorum traditio, quam Pererius in locum citatum Exodi cum Abulensi non excludit. Ratio verò, cur nouissimus perierit, illa est, quam agimus, vt spectata suorum clade cum maiori doloris sensu interiret. Leuitis præcepit Moyses, vt occiderent idololatras etiam cognatos, ac fratres, Exod. 32. à num. 27. At, cur B ipse Moyses fratrem suum Aaronem, qui viam ad idololatriam patefecit, non occidit? Dices: quia facile cuiquam est, etiam difficillima aliis imperare: difficile, quæ imperat, adimplere. Dico tamen, vt obiecta suorum clade multò eum acerbiùs puniret. Minùs enim torqueretur Aaron cum cæteris pariter occumbendo, quàm tot suorum funera violenta spectando.

Pharao superstes fuit primogenitis, vt pœnas daret grauiores vltimò submersus.

Perer. Abul.

Facilius imperare difficillima, quàm implere facilia.

Leuius foret Aaroni occidi, quàm videre suorum occisionem.

III. Irruerunt Philisthiim in Saül, & in filios eius, & percusserunt Ionatham & Abinadab & Melchisua filios Saül. 1. Reg. 31. n. 2. At, si priùs dicuntur in patrem irruisse; cur pariter non dicuntur priùs patrem, quàm filios obtruncasse? De cælo credo ita prouisum, vt non semel tantùm pater in se, sed sæpiùs in filiis moreretur. Peccante Dauide, C septuaginta millia de populo perierunt, 2. Reg. 24. n. 15. An mitiùs cum nocente Rege, quàm cum innocente populo agendum fuit? Minimè profectò. Duriùs enim Dauid superstes, quàm populus occisus cruciatur. Nam è subditis occisis suas singuli mortes subierunt: Rex dum omnibus superfuit spectator, omnes omnium mortes tolerauit: seu, vt loquitur D. Gregor. lib. 25. Moral. c. 14. *Ira, quæ corporaliter populum perculit, Regem quoque dolore prostrauit.*

Saül nõ semel in se, sed sæpius in suis occisus est.

Dauid cùm subditis occisis superfuit spectator, omnium mortes tolerauit.

D. Greg.

IV. Venit Angelus Domini, & percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia, 4. Reg. 19. num. 35. Sed, cur in tanta militum strage, Regi Sennacherib omniuor profligatissimo pepercit? Credo, vt Rex atrociùs puniretur, tot D suorum funera spectando, tanquàm totidem in se vulnera recipiendo. Cepit Nabuchodonosor Regem Sedeciam. *Et iugulauit*, inquit Textus, *Rex Babylonis filios Sedeciæ in oculis eius, & oculos Sedeciæ eruit.* Ierem. 52. num. 10. & 11. & 4. Reg. vltimo, num. 7. Priùs iugulauit filios, quàm excæcaret patrem: vt pater horum funerum spectator priùs in filiis, quàm in se ipso moreretur. Eodem consilio vsus tyrannus ille Antiochus, septem illos fratres Machabæos, alios in aliorum conspectu cruciabat: vt semper posteriores priorum spectatores grauiùs torquerentur: immò & omnes in oculis matris occidebat, vt matrem crudeliùs vulneraret.

Angelus pepercit Sennacherib, vt atrociùs puniretur spectans suorum funera.

Hac de causa non priùs excæcatus est Sedecias, quàm videret filios iugulatos.

V. Nam, vt bene D. Cyprianus lib. De exhorta- E tione ad martyrium, c. 11. loquutus de Machabæorum matre: *Tam grande*, inquit, *martyrium Deo præbuit virtute oculorum suorum, quàm præbuerunt filij eius tormentis, & passione membrorum.* Et D. Chrysost. hom. 4. De verbis Isaiæ: *Mater*, inquit, *Martyrum septies ipsa martyrium præstitit: dum enim illi torquebantur, illa plagam accipiebat.* Atque hinc huius viraginis fortitudo magis commendatur, quam talia spectacula omnibus tormentis acerbiora non fregerunt. *Supra modum*, inquit Textus, *mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei tempore conspiciens,*

D. Cypr.

Machabæorum mater in filiis cruciata, septies fuit Martyr.

Chrysost.

spiciens, bono animo ferebat, &c. 2. Machab. 7. n. 20. Vnde eam D. Ambros. lib. 1. Offic. c. 40. immortaliter commendans: *Spectabat*, inquit, *læta, filiorum quot funera, tot trophæa, & morientium vocibus, plusquam psallentium cantibus delectabatur: pulcherrimam ventris sui cytharam* (septem quodammodo fidibus instructam) *in filijs suis cernens, & pietatis harmoniam omni lyra numero dulciorem.* Quam virtutem D. Greg. Nazian. Orat. 22. incredibiliter admiratus: *O virile*, inquit, *animum in muliebri corpore! O sacrificium, Abrahæ sacrificio maius ac præstantius! Nam ille vnum alacri animo obtulit: hæc autem populum vniuersum filiorum, Deo consecrauit.* Non esset autem tantis laudibus digna, si ad filiorum plagas stupenti similis obdurescere: dolebat igitur tenerrime, sed strenuissime tolerabat. Itaque filiorum cruciatibus superstes, duriùs cruciabatur. Sic ergo & Heli vltimus moritur; vt tam multas suorum mortes intuendo, sæpiùs moriatur. Sed hac de re vide, quæ diximus superiori tomo, Annot. 8. Sect. 6. à §. 11. & cap. 2. num. 33. §. 5. & sequentibus.

D. Ambr. *Eadem in filiis, velut in cithara, se chordarum, seu psalterij, oblectabat.*

D. Greg. Naz. *Præfertur Abrahæ, qui a non vnum, sed septem filios obtulit.*

De hac materia in nostro 1. tom.

VI. Quod attinet ad secundum: Illo Pontificis casu totius Synagogæ ruina ac euersio significatur. Singulas illius casus circumstantias expendamus. In primis, si Heli non solùm cecidit de sella, sed etiam sella ipsa euersa est, vt Num. 18. ex Petro Blesensi aduertimus; planè significatur Iudaïci populi & iudiciaria & pontificia potestas, cuius illa sedes typus erat, omninò peritura: vt tam nunc satis experientia demonstrat. Nam, vt loquitur Rupertus: *Tota gens cum templo suo funditùs in familias disperiit.* Cecidit audita Arcæ captiuitate: hoc est, Scripturæ ad Gentes translatione: quia populus Iudaicus, inquit D. Gregorius, *Dum Sacramenta Scripturæ sua profunde & spiritualiter sciri à sanctæ Ecclesiæ Prædicatoribus & fidelibus videt; de ea, quam carnaliter tantum intelligit, sacri eloquij eruditione superbire non audet: spirituali cognito, superbire de carnali magisterio non præsumit.* Cecidit retrorsum, interprete Beda: quia peccata, quæ iam retrò post se reliquerat, repetere non erubescit: nempe ad perfidiam, vt de alijs peccatis taceam, quam olim habuerat, nunc impudentius regressus. Iuxta ostium, seu in ostium cecidisse dicitur: quia *Dum cæcus erat*, inquit D. Greg. *impingit in Redemptorem* qui Ioan. 10. n. 7. *Ostium* dicitur. Non enim per illud ingreditur ad vitam, sed in illo offendit, vt in mortem relabatur: sitque limen illius ostij Iudæo cadenti marmoreum, seu lapideum, vt in illo conteratur, iuxta illud: *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur.* Matth. 21. num. 43. Ceruices ex casu fregit: quia potentiam, & conceptam de potentia arrogantiam amisit. *In ceruice enim*, inquit D. Gregorius, *tumor temporalis potentiæ designatur*: quem in tam misera ruina detumescere & euanescere oportebat. Tandem mortuus est; quia, interprete Angelomo, sicut mors filiorum Heli vetus sacerdotium interitu- rum significabat; ita mors ipsius Heli, ipsum summum Pontificatum abolendum exprimebat. Nec sine mysterio moritur extra sellam, iuxta eundem Angelomum, vt sedes vacua nullum amplius Pontificem recepturæ significetur: Prostratus verò in terra moritur; vt gloriosus ille Pontificatus ad extremam ignominiam redigendus exprimatur. Quod etiam, inquit Angelomus, significauit illud Dei præceptum ad Ezechielem c. 5. num. 1. quo iubetur Propheta, sumpto gladio acuto, caput suum, & barbam suam sibi radere, in typum Hebraïci populi omni decore & honore denudandi, vt non minus contemptibilis redderetur,

Pontificis Heli casu significatur totius Synagogæ ruina.

Rup.

D. Greg. *Arca captiuitas significatur translationem Scripturæ ad Gentes.*

Beda. *Synagoga non erubescit repetere antiquam perfidiam.*

D. Greg. *Offendit in limine ostij, hoc est, in Christo.*

D. Greg. *Amisit conceptam de sua potentia arrogantiam.*

Alio titulo Pontificatus, Synagoga finis significatur, moritur cum ignominia.

Angelom.

A quàm qui, abrasa barba, miseram seruiunt seruitutem.

Postremò aduerte cum D. Bonau. in principio Scripturæ ad finem, Deum non solùm remouisse Heli à sacerdotio: sed etiam extinxisse, vt significaret, vetus sacerdotium non solùm fuisse intermissum, aut interruptum; sed etiam abolitum & extinctum, nunquàm ampliùs instaurandum. *Christus*, inquit, *Rex, & Sacerdos in primo libro Regum præsignatur, vt euacuaturus sacerdotium legale, in depositione, seu extinctione Heli; & substituturus sacerdotium nouum in substitutione Samuelis.* Vbi tamen aduertendum, Samuelem non successisse Heli in Sacerdotium; vt super. tomo. Annot. 17. latius ostendimus: quamuis aliqua munia sacerdotalia, ex diuina dispensatione obierit. Sed de B Iudaïci populi ruina multa in superiori tomo dicta sunt, & plura in inferioribus, vbi se dederit occasio, dicenda. Iam ad historiam regrediamur.

VII. Bonau. *Vetus Sacerdotium ... non solum intermissum, sed etiam abolitum.*

Num. XIX. Nurus autem eius, vxor Phinees, prægnans erat, vicináque partui: & audito nuntio, quòd capta esset Arca Dei, & mortuus esset socer eius, & vir suus; incuruauit se & peperit: irruerant enim in eam dolores subiti.

C

EXPOSITIO LITERÆ.

NVrus autem eius, &c. Nuntius peruagatus iam in vrbe, & delatus ad Heli, tandem ad eius nurum defertur. Vbi exponendum, quid ei denuntietur? Et quo tempore? Et quis ex denuntiatione effectus consequatur? Quod ad primum attinet: Nurui Heli tria denuntiantur: Captio Arcæ, mors repentina sui soceri, & viri sui occisio in prælio. Vbi aduerte, hunc nuntium, ab eo, qui delatus est ad Heli, differre, & detractione, & adiectione, & inuersione. Detractione quidem: quia nihil ei de ruina populi renuntiatur, quæ tamen Heli renuntiata fuerat: nec immeritò; nam militaria negotia, bellicique euentus minùs ad fœminam pertinebant; iuxta illud Turni Virgi- D liani ad putatam Iunonis Antistitam, Æneid. 7.

I. *Apta numeri diuisio in tres partes. Prima, quid denuntietur.*

Cura tibi Diuûm effigies, ac templa tueri:
Bella viri, pacémque gerant, queis bella gerenda.

Militaria negotia minus pertinent ad fœminam. Virg.

Quamuis aliqui existiment, cætera quoque infortunia renuntiata fuisse, licèt in Litera non exprimantur: quod verosimilius videtur. Adiectione verò: quia soceri Heli interitus, qui nec vrbi, nec Pontifici Heli denuntiari poterat, eius nurui insuper denuntiatur. Ea nanque est famæ conditio, vt vagando crescat, & in singulos auditores multiplicatior tradatur, iuxta illud Ouidianum Metamor. 12.

Famæ vires acquirit eundo.

Crescit, & auditis aliquid nouus adiicit auctor. Ouid.

Quòd in etiam in falsis contingit, quis dubitet & in veris contigisse? Inuersione: quia captiuitas E Arcæ, quæ ad Heli vltimo loco defertur, eius nurui primò denuntiatur: vel, quia hic nuntius, Pontifici, cui potiùs morigerari desiderabat, tristissima quæque statim obtrudere non audebat; quæ tamen fœminæ, cuius ad voluntatem loqui non curabat, statim ingerere non verebatur. Vel, quia vtrinsque animum leuioribus primùm infortunijs perstringendum: deinde verò etiam grauioribus exulcerandum iudicabat: & quia Pontifici nihil acerbius esse poterat, quàm Arcæ captiuitas; fœminæ autē nuptæ nihil molestius, quàm viri interitus: ideircò in vltimum locum denuntiandum

Infortunia leuiora prius nuntianda, ne animus statim grauioribus vlceretur.

Pontifici nihil molestius captiuitate Arcæ; fœminæ verò nihil molestius morte viri videbatur.

tiandam reseruauit, Pontifici quidem Arcæ captiuitatem; eius autem nurui, viri immaturam, mortem. Et quamuis hic nuntius indicauerit acerbiorem fore huic fœminæ mortem viri sui. quàm Arcæ captiuitatem: nihilominùs an reuerà ita fuerit, dubitari potest, vt paulò inferiùs n.21. expendemus.

II. *Secunda pars de tempore nuntij.*

Quod ad secundum attinet: Tempus huius nuntij ad hanc fœminam delati, conferri potest; vel cum cæteris nuntiis datis in vrbem, & perlatis ad Pontificem; vel cum statu ipsius fœminæ, ad quam defertur. Priori modo certum est, hunc nuntium fuisse vltimo loco ad banc fœminam allatum; non solùm ex ordine narrationis, iuxta quem postremus omnium narratur: sed etiam ex ipsa rerum consequutione: fuit enim de morte B Heli, ac proinde posterior, quàm qui ad Heli delatus est; & consequẽter etiam posterior, quàm qui vulgatus est in vrbe. Nam Heli posterior quam ciuitas, belli exitium resciuit: vt ex dictis patet. Vnde non vulgaris huius fœminæ commendatio colligetur; quæ in secretis domus suæ penetralibus delitescebat, procul ab illis rumoribus, qui tota vrbe vagabantur. Quod fœminarum propriũ esse debet. Vnde D. Amb. lib. 1. De Abraham, c. 5. aduertit, solum Abraham fuisse in ostio tabernaculi, vt inuitaret conuiuas. Saram verò intus delituisse, vt conuiuia præpararet. Genes. 18. n. 1. & 9. *Quod*, inquit, *pietatis est, vult esse commune; quod pudoris est, integrum manet Saræ. Ante tabernaculum vir hospitum explorat aduentus: intra tabernaculum* C *Sara tuetur fœmina verecundiam, & opera muliebria tuto exercet pudore. Foris maritus inuitat, intus Sara conuiuium adornat.* Sed de hac re cap. 1. n. 22. à §. 3 plura diximus.

Fœminarum laus domi se continere. D. Ambr.

De hac materia suprà.

III.

Iosephus.

Posteriori modo, venit hic nuntius ad nurum Heli, quo tẽpore illa vicina erat partui, septimestri, scilicet, vt Auctor est Iosephus: sed nescio, quo fundamento: an vt tristis nuntius causa immaturi partus significaretur? Sed contrà, quia illa dicitur vicina partui, antequàm nuntius adueniret. Ergo ante illum iam partus maturescebat; seu maturior iam erat, quam vt septimestris diceretur. Quæres tamen, quo temporis articulo hic nuntius aduenerit? Num antequàm dolores partus in eam irruerent? an postquam irruerunt? Hoc D probabile. Illud probabilius iudicat Abulensis: quia dicuntur dolores subiti, hoc est, non suo tempore, sed inspetatò, ex subito nuntio ingruentes. Nec obstat verbum illud, *irruerant*, quasi iam antecessissent: non enim antecesserant nuntium, sed partum. Itaque tempus illud, neque erat septem mensium tantùm; quia dici non posset partui vicina: neque nouem mensium iam expletum; quia non possent dici dolores subiti & insperati: sed paulò aberat à nouem mensibus; ita vt & ipsa vicina partui, & dolor nihilominùs subitus posset appellari.

Abul.

Nurus Heli vicina partui, hoc est, paulò ante nonũ menses.

IV. *Tertia pars de effectu huius nuntij.*

Quod attinet ad tertium: Effectus ex hoc nuntio consequutus, fuit subitus dolor, & partus. Nam sicut ceruæ repentinis tonitruis exterritæ E enituntur, & pariunt; iuxta illud: *Vox Domini præparantis ceruos.* Ps. 28. n. 9. seu, vt ex Hebræo verti potest. *Vox Domini*, hoc est, tonitruum, *contremiscere & parere faciens ceruos*: vt recentiores communiter interpretantur: ita potuit nurus Heli tristi nuntio exterrefacta, repentinis doloribus concuti, & ex illorum vi, partui, cui iam erat vicina, citiùs appropinquare, ac tandem fœtum edere immaturum. Illa autem incuruatio orta fuit ex nimio dolore, quem vt releuaret, varias se in partes intorquebat, stando, sedendo, cubando, huc A atque illuc se flectendo & incuruando.

Incuruatio fœminæ, vt dolorem leuaret mota corporis.

V. *Incuruatio ob diuersas causas.*

Quem sensum reddiderunt Septuaginta, licèt aliis verbis. Nam in Bibliis Sixtianis habent: *Et plorauit.* In Complutensibus & Regiis: *Et angustiata est.* Hæc enim angustia ab effectu explicatur per plorationem, & incuruationem. Vnde D. Innocentius III. Papa, in Psal. 3. pœnitentialẽ, ibi: *Incuruatus sum*, &c. docet incuruationem in sacris Literis bonam & malam in partem vsurpari. Est enim, inquit, incuruatio contractionis: vnde Helisæus, *incuruauit se super puerum*, & reuixit. 4. Reg. 4. n. 34. Adorationis: vnde fratres Ioseph *incuruati adorauerũt eum.* Gen. 43. n. 28. Humiliationis: vnde, *incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur fortitudo virorum.* Isai. 5. num. 15. Subie- B ctionis: vnde, *incuruentur ante te filij matris meæ.* Genes. 27. num. 29. Cupiditatis: vnde, *incuruare, vt transeamus.* Isai. 51. numer. 23. Iniquitatis: *Laqueum parauerunt pedibus meis, & incuruauerunt animam meam.* Psalm. 56. num. 7. Anxietatis: vxor Phinees *incuruauit se ac peperit.* Ibidem ferè obseruat Diuus Bonauent. in Psalm. 118. Octonario 11. qui notatur litera כ *Caph*, quæ interpretatur curuatio. En primus huius nuntij effectus.

Innoc.

D. Bonau.

Num. XX. In ipso autem momento mortis eius, dixerunt ei quæ stabant circa C eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque animaduertit.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Alter effectus huius nuntij fuit stupor illius fœminæ ob magnum dolorem.*

IN *ipso momento*, &c. Proponitur alter huius denuntiationis effectus: nimirum, ingens quidam illius fœminæ stupor ac rigor ad omnem consolationem recipiendam; ortus ex nimio dolore corporis, propter partum; & ex nimio mœrore mentis, propter nuntium. Quod vt intelligas, aduerte, nihil matribus iucundius nuntiari, quam natalem filiorum, præsertim mariũ. Vnde Sapiens: *Omnem masculum*, inquit, *excipiet mulier: & est filia melior filia.* Ecclesiastici 36. num. 23. D seu, vt est in textu Glossæ ordinariæ, *& est filia melior filio.* Quasi diceret, interprete Lyrano: Quamuis aliquando filia vtilior sit, quàm filius; tamen mater in partu libentior excipit filium, & semper mallet parere masculum. Quare vxores Iacobi, vt iam alibi aduertimus, cùm filij mares eis nascebantur, incredibiliter exultabant, eósque inaugurare nominibus solebant: vt patet Genes. 29. à numer. 32. & Genes. 30. numer. 6. At verò, cùm vna filia Dina nomine, nata est, nullam lætitiæ significationem dicitur eius mater Lia præbuisse: vt patet Genes. 30. num. 21. Similiter & Racheli ob difficultatem partus periclitanti, dixit obstetrix: *Noli timere, quia & hunc habebis filium.* Genes. 35. num. 17. vt eam præ dolore tabe- E scentem, nuntiando filium masculum, consolaretur: quod fœminis, vt ibi aduertit Lippomanus, solet esse iucundissimũ. Sic & Eua, nato filio suo masculo, lætabunda exclamauit: *Possedi hominem per Deum.* Genes. 4. num. 1. seu, vt vertit Oleaster: *Possedi virum, & Dominum.* Quasi Deum sibi propitium habere videretur, quòd ei prolem masculam concessisset, vt idem Oleaster aduertit. Tandem Christus Dominus de fœmina masculum pariente, dixit: *Iam non meminit pressuræ propter gaudium; quia natus est homo in mundũ.* Ioan. 16. n. 21. Ac si præsentia prolis masculæ præteri-

Nil matribus iucundius natiuitate filiorum.

Lyran.

Præsertim si nascuntur masculi: tunc enim mater lætitia.

E contra, si fœmina.

tam tristitiam penitùs sepeliret. Quamuis igitur A natales masculorum soleant esse matribus iucundissimi, aptissimique ad quamlibet earum molestiam abstergendam: tamen nurus Heli tantis hausta doloribus iacebat, vt ne minimum quidem solatium inde receperit. Vnde, cùm adstantes fœminæ inclamarent: *Ne timeas, quia filium peperisti*: illa obstupenti similis, nec respondit, nec aduertit.

II. *Stupet nurus Heli durauit vsque ad articulum mortis.* Quæres, An in ipso tandem stupore animam exhalarit? Respondeo, duo certa esse. Vnum, ad mortis articulum peruenisse; iuxta illud: *In ipso autem momento mortis eius*: seu, vt habent Septuaginta: *Et in tempore suo moritur*: hoc est, vt scholia in Bibliis Sixtianis interpretantur: *Dum ipsa moreretur.* Alterum, in illo mortis articulo, non statim expiralle: cùm paulò pòst n. sequenti dicatur, B nomen filio suo indidisse. Quod illam aliquo pòst tempore superstitem ostendit. Incertum verò, an paulò pòst obierit. Litera id non exprimit, vt Caietanus aduertit. Sed affirmant Iosephus lib. 5. Antiq. c.16. Philo Iudæus in Antiq. Biblicis, Eucherius, D.Greg. Beda, Angelomus, Carthusianus, & alij, quibus adde D. Remigiū in Ps. 77. ibi: *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt*: vbi loquutus de prædicto belli exitio: *Quod vxor*, inquit, *alterius (id est, Phinees) audiis, quæ iam erat in partu, præ tristitia aboriendo, cecidit mortua.* Accedit D. Aug. in eundem Psal. *Ceciderūt, inquit, in gladio filij Heli, quorū vnius vxor viduata, & in partu mortua.* Adde etiam sanctam Brigittam in sermo. De excellentia B. Virginis, quē Angelus illi dictasse dicitur, c.18. vbi sic: *Commemorat, inquit, sacra Pagina, quòd vxor Phinees Arcam Dei ab eius inimicis captam esse percipiens, præ dolorum vehementia protinus expirauit.* Quæ duo testimonia, nescio, an plus aliquid, quàm volumus, conuincant: significant enim eam mortem non paulò pòst, sed statim contigisse. Nam D. Remigius ait, *cecidisse* non stupidam, sed *mortuam*. Et D. Brigitta, *protinus expirasse.* Sed hæc dicta interpretare iuxta volgarem regulam: Id quod parum abest, nihil abesse censetur. Alioqui non statim, vt diximus, paulò tamen pòst, mortua est.

Sepuag.
Imposuit tamen filio nomen, & paulò pòst expirauit.
Caiet.
Ioseph.
Philo.
Euch.
D. Greg.
Beda.
Angel.
Carth.
Remig.
D.Aug.
S Brigitta.
Quod parum abest, nihil abesse censetur.

III. *Approbatur prædicta sententia de morte huius fœminæ, & cōfirmatur.* Hoc mihi videtur probabilius: tum propter auctoritatem id asserentium: tum, quia non D quàm alibi fit meotio huius fœminæ, vt ita hic extincta significetur: tum, quia mysterium Synagogæ, quod Interpretes communiter in hoc euentu agnoscunt, id postulare videbatur; quæ vbi Christum edidit, ipsa periit: non quidem statim post partum, sed paulò pòst eius de morte, Diabolo, inferisque triumphum. Simile mysteriū agnoscit D.Hier. in Egla, siue Michol, quæ, quo die peperit, obiit; vt hinc facilè ostēditur. Nam Egla dicitur habuisse filium Iethraham, 1. Paral. 3. n. 3. Et rursus: *Michol filiæ Saül*, inquit Textus, *non est natus filius vsque in diem mortis suæ.* 2. Reg. 6. n. 23. Quæ loca inter se ad primam speciem pugnantia ad concordiam reducit D. Hier. citatus in Glossa ad prædictum locum Paralipomenon, sentiens E illum diem mortis sumendum esse exclusiuè: nam ante illū non peperit; in illo tamen inclusiuè peperit & periit: vt mysterium Synagogæ post Christum natum ac manifestatum morientis significaretur. *In partu, inquit, occubuit; quia apparēte Verbo Dei in carne, & Euangelij prædicante, cùm per fidem bonorū operū sobolem gignere debuit, scandalizata in passione eius, sibi mortem æternam adsciuit.* Idem etiam in Rachele obseruat Rupertus lib. 8. in Gen. cap. 15. *Notandum, inquit, quòd Rachel in partu obiit. Nam Synagoga tunc mortua est, quando*

D. Hier.
Michol semel peperit, sed in articulo mortis, iuxta D.Hier.
Rupertus.
Nate Christo & Apostolis mortua est synagoga.

Christū & eius Apostolos emisit. Simile igitur mysterium in nuru Heli post partum moriente repræsentatur, vt præter alios Angelomus expressit: *Notandum, inquit, est, quia non antea interiit vxor Phinees, quam viuum parturiret. Ita & Synagoga Iudæorum ex toto non interiit, antequā viui ex ipsa nascerentur: id est, ipsa primitiua Ecclesia, quæ ex ipsa plebe credidit.*

IV. *Dicunt aliqui, filiū nurus Heli non superuixisse, quia partus fuit septimestris.* Sed quid de puero nato? Obiitne, an superuixit? Dicunt aliqui, obiisse. Quia, vt refert Iosephus citatus, fuit partus immaturus & septimestris. Sed hæc ratio, neque vera mihi videtur, neque sufficiens. Non sufficiens; quia partus septimestres etiam sunt vitales, vt statuit Galenus lib. Isagogico De definitionibus medicis, & plures alij, quos citat, & sequitur Pineda in præuio Salomone lib.1. c.10. Immò Philo Iudæus in Antiquitatibus Biblicis, ratus, Isaac septimo mense natum fuisse, existimat, eapropter partus septimestres esse vitales. Tertull. verò lib. De anima, c.37. partum septimestrem non infelicem arbitratur. *Cum, inquit, septimo mense natiuitas plena est: facilius, quàm octauo, honorem Sabbati agnoscam; vt quoto die dedicata Dei conditio, toto mense interdum producatur Dei imago.* Sed hoc Tertulliani dictum mysticum est; illud Philonis fictitium. Non est etiā assignata ratio vera; quia nurus Heli dicitur vicina partui, & quidē naturali ac legitimo; quia non erat vicina per dolores, quos nondum habebat, vt cum Abulensi probabilius diximus; sed per C istam circiter expletionem temporis naturalis, quo fœtus maturescit. Ergo non aberat ab illo per duos menses. Nam hæc distantia in numero exiguo nouem mensium magna censeri debet. Ergo illius partus non erat septimestris. Alias igitur ob causas crediderim, obiisse: tum, quia in Scriptura nusquam eius fit mentio, tanquam superstitis; nam infrà c.14. num.3. nominatur quidem, sed non vt viuus: tum, quia negligentia Heli digna erat, vt flatim se vsque ad tertiā generationem, hoc est, in filio, & nepote puniretur. At hoc significat D. Remigius citatus, dicens, nurū Heli, *abortiendo*, hoc est, edendo partum immaturum ac minimè vitalem, cecidisse mortuam.

Galen.
Pined.
Philo.
Reiicitur fundamentum, quia septimestres vitales sunt.
Tert.
Deinde ille partus non fuit septimestris, sed legitimus.
Aliunde tamē probatur, obiisse infantem nepotem Heli.
D.Remig.

V. *Totum hunc euentū dicitur prædixisse Dauid secundùm aliquos.* Totum hunc euentum dicitur Regius Vates secūdùm aliquos Interpretes cecinisse, illo versiculo: *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt, & viduæ eorū non plorabantur.* Psal. 77. n. 64. Nam Ophni & Phinees Sacerdotes in prælio occisi sunt: & relictę eorum vxores non plorabantur: seu, vt aliqui vertunt apud Genebrardum: *Non plorabant.* Et est duplex sensus. Nam secundùm priorem lectionem: *Non plorabantur*, id est, non erant, qui eas profusis lacrymis consolarentur. Consolationis enim genus est, dolentibus condolere, & lacrymantibus collacrymari: & sæpè dolentium lacrymæ, lacrymis condolentium absterguntur: at verò illorum Sacerdotum vxores hoc consolationis genere carebant: qoia in tanta illius populi strage omnes vacabant propriis malis deplorandis, aliena non curabant. Quòd si fœminæ laterales & assistentes consolatæ sunt vxorem Phinees, dicentes: *Ne timeas, quia filium peperisti*: sanè ea consolatio nulla fuit; quippe quam vxor Phinees graui mœrore defixa, & profundo obruta stupore, nec recepit, nec animaduertit.

Genebr.
Dolentium lacrymæ lacrymis condolentium absterguntur.

VI. *Prædictā calamitatem Samuel deplorauit.* Negandum tamen non est, saltem vnum Samuelem, & viduarum orbitatem, & virorum ruinam, & ipsos Heli interitum multis lacrymis deplorasse. Nam, si à lugendo Saüle non cessabat, vt infrà ex c.15. n.35. & ex c.16. n.1. patebit: cur à lamentando magistro abstineret? Ita planè sentit

D. Chry

D. Chryf.

D. Chryfoft. lib. 3. de Prouidentia, ante medium: *Samuel*, inquit, *cùm intueretur magistrum in mortem illam miferabilem deuectum, ita confusus atque turbatus est, vt decebat gratum, amabilémque difcipulum*, &c. Quòd fi cum Heli poft auditas prædictas clades non expirauit; id effe potuit vel propter optimam eius confcientiam, quæ illum, vt tantorum malorum auctorem minimè vellicabat, aut remordebat; vbi autem culpa non agnofcitur, pœna faciliùs toleratur: vel propter fingularem animi conftantiam, quam inter tam multas ruinas præferebat; non minùs ftrenuus ad res arduas fubeundas, quàm aduerfas fuftinendas: vel denique propter diuinam prouidentiam, quæ illum, tanquam illius populi columen, incolumem conferuabat.

Non est samuel mortuus præ dolore propter bonã confcientiã, cõftantiã & prouidentiam Dei.

VII. Secundùm pofteriorem lectionem, *Non plorabant*: id eft, tam exiguo tempore fuperftites fuerunt, vt fpatium deplorandi viros fuos interfectos non habuerint, & quod habuerunt, non plorando, fed obftupefcendo tranfegerint. Quo pacto Iob c. 27. n. 15. loquutus de impio: *Viduæ*, inquit, *illius non plorabunt*: vel quia fimul cum fuis viris peribunt: vel quia fuis potiùs malis, quàm fuorum virorum deplorandis incumbēt: vel quia ftupenti potiùs, quàm lacrymanti fimiles obrigefcent. Quòd fi vxor Phinees dicitur plorafſe, fecundùm Septuaginta, qui pro illis verbis: *Incuruauit fe, & peperit*: tranftulerunt, vt fuprà diximus: *Plorauit, & peperit*: tamen id plorandi fpatium fuit tam exiguum, vt meritò pro nullo reputetur. Adde, eius lacrymas nō tam pro morte viri ac foceri profufas effe, quàm pro captiuitate Arcæ, vt ex fequenti Num. patebit. Loquitur autem Pfaltes plurali numero: *Non plorabantur, non plorabant*: cùm hîc de fola vxore Phinees agatur: vel per fynecdochem, vtendo plurali, pro fingulari: vel propriè, vt quod de vna dicitur, de cæteris intelligatur; & omnes eodem infortunio abreptæ cenfeantur.

Exiguũ plorandi fpatiũ pro nihilo reputatur.

Num. XXI. Et vocauit puerum Ichabod, dicens: Translata eft gloria de Ifraël, quia capta eft Arca Dei, & pro focero fuo, & pro viro fuo.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. ET *vocauit puerum Ichabod*, &c. Nurus Heli ab illo graui ftupore, quo demerfa erat, fibi tandem reftituta impofuit nomen filio fuo, & expofuit. Impofuit quidem, appellando Ichabod. De ratione imponendi filiis nomina, latè diximus c. 1. nom. 20. & inter cætera, in die octauo à natiuitate pueros circuncidi & nominari folitos; nifi inftans mortis periculum vrgeret: tunc enim ante eum diem non quidem circuncidebantur, ne circuncifionis dolor morti vicinos citiùs interficeret; fed faltem aliquo figno fidei proteftatiuo, cuius in lege naturæ vfus erat, ab originali expiabantur. Expiatis autem nomina imponi, etiam ante octauum diem nihil prohibebat. Ita fortaffe cum hoc puero actum eft. Nam vrgente mortis periculo, ab originali expiatus eft. Neque enim Deus volebat illum æterna pœna pro iniquitate patris damnare; cùm illud, quoad æternam pœnam, veriffimum fit: *Anima, quæ peccauerit, ipfa morietur: filius non portabit iniquitatem patris*. Ezech. 18. num. 20. Deinde verò nomen accepit, *Ichabod*: feu, vt habent Septuaginta in Bibliis Complutenfibus & Regiis, *Echaboth*: & paulò remo-

De ratione imponendi nomina filiis remiffiuè.

Nepos Heli videtur non periiffe in originali, quãuis nõ circũcifus.

Hebraïca nomina facilè immutantur.

A tiùs in Sixtianis, *Vabarchaboth*. Nec mirum, cùm propriorum nominum characteres facilè apud Hebræos immutentur & tranfponantur. Atque hæc de impofitione nominis.

II. Quod attinet ad expofitionem, Ichabod, idem eft, atque *inglorius*; feu, *Vbi gloria?* feu, *Non gloria*: feu, *Væ gloriæ*. Sic enim alij atque alij interpretantur. Nam אִיכָבוֹד Ichabod, eft nomen compofitum, cuius prior pars, אִי I, aliquando fignificat, *Vbi?* Gen. 4. n. 9. *Vbi eft Abel?* Aliquando, *Non*. Prou. 31. n. 4. iuxta Hebræum: *Principibus non des vinum*. Aliquando, *Væ*. Ecclefiaftæ 10. n. 16. *Væ tibi terra*. At verò כָּבוֹד *Chabod*, id eft, *Gloria*. Pfal. 29. n. 3. *Vt cantet tibi gloria mea*. Ex quibus partibus prædicta etymologia coalefcit. Atque ita ipfa,

Ichabod, idem eft, atque inglorius: nomē eft cōpofitum.

B quæ nomen impofuit, mater ftatim expofuit, dicens: *Tranflata eft gloria de Ifraël*. Nō folùm enim à fauftis euentibus nomina imponebantur, vt diximus cap. illo 1. iam citato; fed etiam ab infauftis. Nam Heber appellauit filium, *Phaleg*, id eft, *diuifionem*, eò quòd in diebus fuis diuifa eft terra. Gen. 10. n. 25. Rachel appellauit filium *Benoni*, id eft, *filium doloris mei*: quia egrediente anima præ dolore, & imminente iam morte, illum peperetat. Gen. 35. n. 18. Ofeas vocauit filium *Iezrahel*: quia adhoc modicum vifitandus erat fanguis Iezrahel fuper domum Iehu. Ofeæ 1. n. 4. Sic igitur hic puer vocatur *Ichabod*, id eft, *Inglorius*: quia nafcitur, quando tranflata eft gloria de Ifraël.

Non folùm à fauftis, fed ab infauftis euentibus nomina imponebantur.

III. C In quibus verbis dubium eft, quid hæc fœmina nomine gloriæ intellexerit? Sunt, qui dicant Arcam, focerum, ac virum fuum intellexiffe. Sic videtur Chaldæus interpretatus, transferens: *Migrauit gloria ex Ifraël, quoniam capta eft Arca Domini, & quòd mortuus eft focer eius, & quòd occifus fuit maritus eius*. Ac fi gloria Ifraël confifteret in his tribus, quibus ablatis, ftatim deftrueretur. Eodem modo accepiffe videtur Septuaginta, dicentes, impofitum fuiffe puero nomen, *Ichabod, pro Arca Dei, & pro focero fuo, & pro viro fuo, quoniam mortui funt*. Hæc enim vltima caufalis, licèt abfit à Sixtianis; tamen in Regiis & Complutēfibus reperitur. Vbi gloria Ifraël ad illa tria æqualiter refertur; ac fi in illis tribus conftituta huic fœminæ videretur. Sic etiam accepit & Vatablus: *Tranfmigrauit*, inquit, *gloria de Ifraël ob captam Arcam Dei, ob focerum eius, & ob maritum eius*. Ac fi crederet hæc fœmina, tunc periiffe gloriam Ifraël, quando hæc tria perierunt, in quibus illam fitam effe iudicabat. Confirmari poteft hæc interpretatio: quia hæc fœmina non minùs, immò magis videtur doluiffe de morte fuorum cognatorum, quàm de captiuitate Arcæ, vt ea eo colligitur, quòd priùs illi Arcæ captiuitas, quàm fui foceri, vtrique occifio denontiata fit. Quafi à faciliori plaga ad grauiorem paulatim difponeretur. Vnde non ftatim, vbi audiuit captiuitatem Arcæ, fed vbi audiuit mortem fuorum cognatorum, extabuit ac defecit: contrà quàm fe habuit Pontifex Heli; qui mortem filiorum primo loco nuntiatam, tanquam leuiorem patienter audiuit: captiuitatem verò Arcæ fecundo loco auditam, tanquàm acerbiorem non potuit incolumis fuftinere. Ergo hæc fœmina iudicauit non minorem fuiffe fuorum cognatorum iacturam, quàm iacturam ipfius Arcæ; ac proinde ratione vtriufque exclamauit: *Tranflata eft gloria de Ifraël*.

Dubitatur quid intellexerit nomine gloriæ.

Chald.

Septuag.

D

Vatabl.

Nomine gloriæ intellexiffe Arcam, focerum, & maritũ oftenditur.

E

IV. Si hæc interpretatio vera eft, minùs laudabilis videtur luctus & triftitia huius fœminæ, quippe quæ non minùs rerum temporalium, quàm fpiritualium iactura mouerétur. Et fortaffe eam ob caufam D. Hieron. libr. 2. in cap. 4. Michææ, non

Si hoc verum eft, eius luctus minùs laudabilis fuit.

D. Hieron.

procul ab initio, eam à sanctarum fœminarum numero exclusit. *Legamus*, inquit, *Scripturas, & nusquam inueniemus sanctas mulieres, excepta Rachel, cũ dolore peperisse: quæ, quia in via erat, & in hippodromo, id est, equorũ cursu, qui in Ægypto venundantur, filium peperit doloris, quem postea vocauit filium dexteræ. Eua eiecta de Paradiso, & audiens, In doloribus paries, peperisse describitur in dolore. Vxor Phinees contracta, nec se erigens, sicut illa, quam in Euangelio Diabolus alligauit, peperit, postquàm captam Arcam Dei, populiq́; cognouisset ruinam.*

V. *Non est dicendũ sãctas fœminas sine dolore peperisse, excepta Deipara.* Cyprian.

Vbi non negat sanctus Doctor, sanctas fœminas cum dolore peperisse; cùm iniuncta fœminis doloris pœna ad omnes puerperas pertineret: illa vna excepta, quæ Mater & Virgo fuit; nec solùm viripara, vt ita loquar, sed etiam Deipara. Hæc enim, vt bene Diuus Cyprianus serm. De Natiuitate, *Sine tormento peperit, qua in conceptione caruit voluptate.* Et paulò pòst: *Nec præcedens delectatio* (quæ nulla fuit) *aliquam expetiit pœnarum vsuram.* Et statim: *Ideóque innoxiam affligi non decuit.* In quam rem Diuus Ioannes Damascen. lib. 4. De fide, cap. 15. accommodat illud: *Antequàm parturiret peperit.* Isaiæ 66. num. 7. seu, vt ipse legit: *Antequàm dolorem partus senserit, peperit.* Et illud, quod sequitur in eodem Prophetæ loco: *Antequam veniret partus eius, peperit masculum:* seu, vt idem Damasc. sequutus Septuaginta, legit: *Antequàm veniret tempus dolorum partus*, &c. Neque enim virginali partui dolor, sicut nec voluptas præcessit: *Cuius enim*, inquit, *voluptas non præcessit, neque pariendi dolor subsequutus est.* Igitur, sanctissima Deipara excepta, non negat Diuus Hieronymus, alias sanctas fœminas in dolore parere: sed hoc de illis in sacris Literis non exprimi. Vnde, cùm de vxore Phinees exprimatur, eam à sanctarum catalogo expungit. Quòd si quis illam adhuc sanctis fœminis adnumeret; dicere poterit, eam quodammodo erubescentem, quòd res sacras & profanas simul deplorauerit, resipuisse: & priori luctu relicto ad solam Arcæ iacturam lamentandam, illa verba iterasse sequenti num. *Translata est gloria Israël, eò quòd capta esset Arca Dei*: nullam ampliùs cognatorum iacturam commemorando.

Damasc.

D. Hier. *Explicatur D. Hieronymus, dum videtur contrarium docere.*

VI. *Nomine gloria Arca Dei intelligitur. Prima ratio. Secunda. improbi Sacerdotes non gloria, sed sui populi ignominia.*

Nihilominùs potiùs dixerim cum Abulensi q. 20. nomine gloriæ solam Arcam Dei intelligendam. Primò, quia sola Arca Dei dici potest trãslata de Israël. Nam Heli & Phinees potiùs perierunt in Israël. Secundò, quia improbi Sacerdotes dici non poterant gloria, sed potiùs ignominia Israël: proindéque, illis extinctis, potiùs gloria Israel quodammodo reuiuisceret, quàm periret. Nam, si eiecto Angelo apostata de Paradiso, statim Dei gloria clarior splendere visa est; iuxta illud: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnũ Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum*, &c. Apocal. 12. n. 10. vt ibi Rupertus aduertit. Item, si exeunte Iuda proditore de cœnaculo sublimior rutilare cœpit, & Christi Domini, & Patris Æterni gloria; iuxta illud: *Nũc clarificatus est Filius hominis, & Deus clarificatus est in eo.* Ioan. 13. n. 31. vt D. August. tract. 63. in Ioan. obseruat. Quid mirum, si nunc etiam improbis Sacerdotibus de medio sublatis, totius Israëlis gloria non obscuretur, sed illustretur?

Rupertus.

August. *Improbis de medio sublatis gloria illustratur Israëlis.*

VII. *Tertia ratio. Arca in Scriptura Dei gloria appellatur.*

Tertiò, quia Arca est, quæ in sacris Literis Dei gloria frequenter appellatur. David: *Dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Psal. 25. n. 8. id est, locum habitationis *Arcæ tuæ*, nẽpe, Sanctuarium. Idem rursus: *Vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Psal. 62. n. 3. hoc est, Arcam tuam, cuius præsentia dignum se præstare cupiebat. Et alibi: *Tradidit in captiuitatem virtutem eorum, & pulchritudinem eorum in manus inimici.* Psal. 77. Hebraïcè: *Et gloriam eorum*, &c. Quod de Arca ad Literam intelligitur. Itẽ: *Domus sanctificationis nostræ, & gloria nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis.* Isai. 64. n. 11. id est, domus, seu templum Arcæ nostræ, quæ & sanctificatio, & gloria nuncupatur. Et sic de aliis. Ergo & hoc loco: *Translata est gloria*: hoc est, Arca. Dicitur autem Arca gloria, quia de illa Dominus loquebatur. Quemadmodũ & nubes, ex qua oracula dabantur, dicitur *gloria Domini.* Num. 20. n. 6. Nam Domini gloria, dum ad eũ populum loquebatur, manifestior fiebat. Quartò, quia vxor Phinees non est lamentata suum virum, & multò minùs suum socerum; iuxta illud: *Viduæ eorum non plorabantur*: seu, *non plorabant*; nempe, viros suos, vt superiori Num. explicauimus. Nec oppositũ colligitur ex hoc loco. Nam illa verba, *pro socero, & pro viro suo*, sunt potius Auctoris, quã huius fœminæ. Nã fœmina potiùs diceret: Pro socero meo, & pro viro meo. Nullã igitur fecit cognatorum suorum mẽtionem. Ergo solius Arcæ iacturã deplorauit: proindéque cùm gloriã de Israel translatã dixit, solam Arcam translatam significauit: quod ipsa satis expressit, cùm statim subdidit: *Quia capta est Arca Dei.* Et iterũ repetiuit sequuti num. *Eò quod capta esset Arca Dei.* Ne quis dubitaret, hanc solam translationem ab ea deplorari. Potest etiam nomine gloriæ intelligi ipse Deus, qui sæpè in sacris Literis gloria dicitur: *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Psal. 3. n. 4. *Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli.* Psal. 105. n. 20. Et passim alibi. Quia igitur Deus ex Arca propitiũm se illi populo exhibebat: videns fœmina Arcam translatam de Israël, Deum quoque quoad effectum beneuolentiæ translatum lamentabatur.

Quarta ratio. Vxor Phinees cognatorum mortem non deplorauit.

Deus in sacris Literis gloria dicitur.

VIII. *Exponuntur verba, Et pro socero suo, & pro viro suo.*

Illa autẽ verba, *Et pro socero suo, & pro viro suo*, dupliciter explicari possunt. Primò, conuertendo illud, *Pro*, in, *De*: id enim significat apud Hebræos dictio, אל *El*; & coniungendo sic: Translata est gloria de Israël, & de socero suo, & de viro suo. Quasi diceret: Non solùm translata est Arca ab Israël, cuius erat gloria; sed etiam à Sacerdotibus, quorum erat præcipua gloria. Quamuis in hac interpretatione ille mihi scrupulus insit, quòd hæc verba, *Pro socero suo, & pro viro suo*, non videantur prolata à nuru Heli, vt dixi: alioqui potiùs diceret: *Pro socero meo, & pro viro meo.* Ergo non significauit gloriam à Sacerdotibus translatam. Nisi fortè Auctor eius sermonem continuauit, & compleuit; ac dicente illa: *Translata est gloria de Israel*: ille subdidit: *Et de socero suo, & de viro suo.* Secundò, coniungendo hæc verba cum illo superiori, *Vocauit.* Quasi diceret: Vocauit & pro socero suo, & pro viro suo puerum Ichabod. Et est sensus: Cùm patres soleant infantibus nomina imponere: illis mortuis, sola mater pro illis vocauit puerũ Ichabod. Aut etiam coniungendo cum illo participio, *dicens*, in hunc modum: Vocauit puerum Ichabod, dicens, & pro socero, & pro viro suo: Translata est gloria de Israël. Quasi illa translatio fuerit tam acerba, vt non solùm ab ea fœmina; sed multò magis ab ipsius Sacerdotibus debuerit deplorari: & cùm Sacerdotes iam non existerent; fœmina pro Sacerdotibus illam deplorarit. Quod Septuaginta expresserunt addentes: *Quoniam mortui sunt.* Quasi dicerent: Fœmina pro Sacerdotibus captiuitatem Arcæ deplorauerat; quia Sacerdotes è viuis iam excesserant.

Secunda expositio.

Num.

Num.XXII. Et ait: Translata est gloria ab Israel, eò quòd capta esset Arca Dei.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.
Septuag. Translatio, & constructio huius versiculi.

ET *ait*, &c. Septuaginta in Bibliis Sixtianis in plurali vertunt, *Et dixerunt.* Quasi vbi nurus Heli suum illud epicedium inchoauit; statim omnes fœminæ, quæ illi aderant, pari voce sequerentur. Nihilominùs alia exemplaria in singulari vertunt: *Et ait.* Huoc igitur versiculum construunt aliqui cum extremis verbis præcedentis: quod aptiùs vt faciant, excluduot particulam, *Et*, quæ in principio huius oumeri pooitur; construunt autem sic: *Et pro socero suo, & pro viro suo ait: Translata est gloria*, &c. Immò, licèt particola, *Et*, quæ in omnibus exemplaribus habetur, retinearut, eadem poterit constructio seruari, si dicamus, eam particulam, more Hebræorum, redundare; vt sæpè fit, teste Origen. hom. 19. in Numeros. Patétque exemplis: nam Oseæ 7.num.1. iuxta Hebræum: *Cùm sanare vellem Israël, & reuelata est iniquitas Ephraim.* Item Oseæ 10.num. 10. etiam iuxta fontem: *Iuxta desiderium meum, & arripiam eos.* Prætereà Abac. 2. num.6. ioxta fontem & Vulgatã: *Vsquequò & aggrauat contra se densum lutum.* Rursus Num. 10. num.2. iuxta fontem: *Fac tibi duas tubas argenteas, ductiles, quibus conuocare possis multitudinem, & quando mouenda sunt castra.* Immò & in Græco videtur aliquando redundare eadem particula; iuxta illud Luc. 6. n. 18. *Et qui vexabantur à spiritibus immundis, & curabantur.* Sic enim est in Græco. In quibus locis coniunctiones illæ planè redundant. Sic igitur & in hoc loco redundabit. Vnde sensus efficitur: *Vocauit puerum Ichabod, dicens: Trãslata est gloria de Israël, quia capta est Arca Dei.* Et infixo hic puncto, sequitur: *Et pro socero suo, & pro viro suo, & ait: Translata est gloria de Israël.* Vbi, cùm dicitur, *Et ait*; particula, *Et*, redundat. Et sensus est: Non solùm captiuitatem Arcæ pro se deplorauit; sed etiam pro socero & viro eam deplorans, ait: *Translata est gloria ab Israël*, &c. Nihilominùs, seruata Numerorum distinctione, quæ in Vulgata habetur; dicendum cum Hugone Cardinali, eadem verba ab illa fœmina doloris sui exprimendi & augendi gratia iterari, vt frequenter facere solent fœminæ lamentatrices: nisi quis malit, totum hunc versiculum esse Auctoris, quæ dicta fuerant à fœmina, nunc propriis verbis, veluti in epilogum redigentis, in hunc modum: Itaque dixit fœmina: *Translata est gloria*, &c.

Particula, Et, more Hebræorum redundans.
Orig.
Hug. Card.

II.
Spiritualia dãna potiùs lamentanda, quàm temporalia.

Ex facto huius fœminæ, plùs de Arcæ, qoàm de cognatorum iactura dolentis & lacrymantis, sicut & suprà ex simili facto Pontificis Heli, optimum iterum elicies documentum, lamentandi potiùs spiritualia damna, quàm temporalia. Hinc illud Sapientis: *Luctus mortui, septem dies: fatui autem & impij, omnes dies vitæ illorum.* Eccles. 22. n. 13. Quasi diceret: Temporalibus funeribus deplorandis, satis sunt septem dies: spiritualibus verò, totum vitæ tempus exiguum est. Seu, cùm quis io mortem incidit, septem diebos lugeatur: cùm in culpam ruit, toto vitæ tempore etiam longissimo deploretur. Vnde D. Aug. serm. 13. De Sanctis, ad finem, ex nuper inuentis, ad finem 10. tomi, expendẽs citatum Ecclesiastici locũ, ostendéosque sicut homo moritur, recedente anima; ita animã, recedente Deo; subdit: *An verò*, inquit, *non in te sunt viscera Christiana miserationis, vt plangas corpus, a quo discessit anima; & non plangas animam, a qua recessit Deus?* Quasi nihil magis præposterum ac peruersum esse possit.

D. Aug.

III.
Beati, qui lugent peccatum.
D. Chrys.

Lugentes appellat Christus Dominus beatos: *Beati*, inquit, *qui lugent.* Matth. 5. n. 5. Sed quid lugendo beantur? Subdit D. Chrys. hom. 22. ad populum: *Qui lugent*, inquit, *non mortuum, non iacturam; sed peccatum.* Dum Hebræi captiuitate Babylonica tenerentur, *Super flumina*, inquiunt, *Babylonis, illic sedimus, & fleuimus, dum recordaremur tui, Sion.* Psal. 136. n. 1. Vbi D. Chrys. duo aduertit. Vnum, eos non ambulantes, sed sedentes loxisse; vt luctum, non breuem, sed diuturnom indicarẽt; & io quo non laborare, sed requiescere sibi viderentur: *Illic sedimus*, inquiuot, *& fleuimus.* Alterũ, eos non lugere propter calamitatem, in quam inciderant; sed propter religiooem, quam amiserãt: *Dum recordaremur tui, Sion.* Quasi damnum temporale, moltò leuius, quàm spirituale sostinerent. In eandem captiuitatem, antequàm Hebræi mitterentur; Auctore Ieremia, sacrum ignem in puteo alto & sicco absconderunt. 2. Mach. 1. n. 19. ne ab hostibus profanarentur. Noo aurum, sed ignem occultarunt; quòd res sacras profanis anteferrent: vt rectè obseruat D. Ambros. lib. 3. Offic. cap. 14. *Non illis*, inquit, *studio fuit aurum defodere, argentum abscondere, quod seruarent posteris suis; sed honestatis curam habentes, sacrum ignem seruandum putarunt: ne eum vel impuri contaminarent; vel defunctorum sanguis extingueret; vel deformium ruinarum aceruus aboleret.* Vbi non mediocriter cõmendanda est eorum religio, temporales opes præ spiritualibus contemnentium. Cùm Nehemias in eadem captiuitate inclusus audisset illa verba: *Murus Hierusalem dissipatus est, & porta eius combusta sunt igni.* 2. Esdr. 1. num. 3. in lacrymas & lamenta erupit: *Sedi*, inqoit, *& fleui, & luxi diebus multis, & ieiunabam, & orabam ante faciem Dei cæli.* Ibidem, n. 4. In quem locum Beda lib. 3. c. 15. *Si vir sanctus*, inquit, *audiens destructa lignorum & lapidum ædificia, rectè lugebat, ieiunabat, & orabat, diu sedens in tristitia: quantò magis in destructione & ruina animarum, continuis luctibus & orationibus insistendum?*

D. Chrys.
Luctus non breuis, sed diuturnus.
Luctus pro damno spirituali, nõ tẽporali.
Res sacra profanis anteferendæ.
D. Ambr.
Ruinas spirituales potiùs lugendas, quã temporales.
Beda.

IV.
Lacrymæ pro temporalibus, tormenta: pro spiritualibus, medicamẽta.
D. Chrys.

Adde, lacrymas & lamenta pro rebus temporalibus, tormenta esse, quæ crucient, non quæ curent: pro rebus verò spiritualibus, medicamenta esse, quæ sanent, non quæ saucient. Quod D. Chrysost. hom. 5. ad populum egregiè deducit ex verbis Apostoli, dicentis: *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: sæculi autem tristitia mortem operatur.* 2. Corinth. 7. num. 10. Magnum igitur inter has tristitias discrimen expendens Chrysostomus: *Percurramus*, inquit, *ingruentium nobis malorum quodque, & tristitiam superadducamus, & videamus, quid ex hac fiat vtilitatis. Mulctatus est quispiam pecuniis; tristatus est: mulctam non emendauit. Filium amisit; doluit: mortuum non resuscitauit, nec defuncto profuit. Flagellatus est quis, alapis cæsus, contumeliis affectus; doluit: non reuocauit contumeliam. In valetudinem quis incidit, & ægritudinem grauissimam; doluit: ægritudinem non sustulit, sed & difficiliorem reddidit. Peccauit quis; tristatus est: peccatum deleuit, dissoluit debitum* Et paulò pòst ad hanc nos tristitiam de peccato commisso, tanqoàm vtilissimã ad peccatum tollendum, exhortatus: *Sicut vermis*, inquit, *ex ligno nascitur, & illud rodit, & comedit, suam ab ipso originem habens: sic & tristitia & mors de peccato natæ sunt, & peccatum absumunt.* Ita ille. Vbi multò plura de hac re.

V. D. August. *Vrilior de morte æterna, quàm de temporali timor.*

De qua etiam D. August. serm. 14. De Sanctis, ad finem, monens, vt æterna, non temporalia mala timeamus; cùm non hæc, sed illa timendo præcaueantur: *Compara*, inquit, *hæc duo, mortem ad momentum, & pœnas in æternum. Times mortem ad momentum; veniet, etsi nolis: time pœnas in æternum; non venient, si volueris. Multò maius est, quod timere debes, & in potestate habes, ne veniant tibi.* Et paulò pòst: *Quia eligere non potes, ne hîc moriaris, elige, ne in æternum moriaris.* Sed de hac re plura diximus paulò antè, Annotat. 13. Sect. 2. & in 1. tom. Annot. 9. Sect. 3. Atque hæc de historia quarti Capitis, satis sunto. Cùm tamen hoc caput inopinis repentinisque funeribus claudatur: apta se nobis occasio præbet, vt in mortis consideratione paulisper immoremur.

ANNOTATIO XIV.

CIRCA LITERAM.

Mortis consideratio.

I. *Mors latissimè peruagatur. Triplex circa mortem consideratio.*

ADMONET nos præsens historia, vt considerandæ morti animum intendamus. Nam, quod in Litera hactenus explicata præcipuè continetur, est mors Heli, filiorum, nurus, & nepotis illius, ac denique aliorum, qui in acie ceciderunt. Vbi vides mortem latissimè peruagatam nemini pepercisse, omnibus imperiosam insultasse; & quo tempore minimè timebatur, aliquibus repentinam adfuisse. Quare hoc loco tria de morte expendenda sunt: Vnum, quàm certa sit in effectu. Alterum, quàm incerta sit in tempore. Tertium, quàm repentina sæpè præter spem aggrediatur. Quæ tria tribus Sectionibus illustrabo.

SECTIO I.

Mortis certitudo, si effectus moriendi spectetur.

II. D. Bern. *Mors certa, hora incerta. Omnem ætatem, statum, sexúmque æquo pede proterit.*

RECTÈ D. Bernardus epist. 105. ad Rom. *Nihil*, inquit, *mortalibus, vel morte certius, vel incertius hora mortis.* Quanta verò sit mortis certitudo, seu quàm æquo pede, omnes ætates, omnes status, omnes vtriusque sexus conditiones proterat & conculcet; facilè ex euentu hactenus explicato innotescit. Vbi cernitur mors omnibus infesta, nemini propitia fuisse: non sexui; sustulit enim viros, & vxores: non statui; quia Iudicem & Pontificem, duces & milites, pacificos & bellatores, sedentes in valuis templi, & stantes in castris militaribus pariter interfecit: non ætati; nam sine discrimine abripuit, & auum senem, & filios iuuenes, & nepotem infantem. Quis ergo ab illius tyrannide se eripiat, & ab illius vinculis se exoluat? Rectè Diuus Paulus ex necessitate mortis sufficientiam gratiæ Christi demonstrauit: *Quemadmodum*, inquit, *statutum est hominibus semel mori, &c. sic & Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Hebr. 9. n. 27. & 28. Quasi diceret: Quemadmodum mors omnibus necessaria est: ita & gratia Christi omnibus sufficiens. Vt sicut de morte quotidianis experimentis notissima, nemo dubitat: ita & de sufficientia gratiæ Christi nemo dubitaret. Quid ergo morte certius: cuius certitudo assumitur ad certitudinem de sufficientia gratiæ Christi, alioqui certissima, indicandam?

Certitudo de morte, & de sufficientia gratiæ Christi comparatur.

III. *Mors antequàm interficiat, interfecisse censetur.*

Hoc suum ius tam pertinaciter mors custodit, ac tam ineuitabiliter exercet; vt antequàm interficiat, iam interfecisse censeatur; iuxta illud: *In omnes homines mors pertransiit.* Rom. 5. n. 12. Non dicit, *Pertransibit*, vel, *Pertransit*; sed, *Pertransiit*: quia, licèt ipso facto nondum occiderit; tamen adeò est certa occidendi, vt iam occidisse sibi videatur. Hinc sæpè in Scriptura verbis de præsenti mors etiam futura significatur. *En morior*, dicebat Esau. Gen. 25. n. 32. *Omnes morimur*, dicebat Thecuitis. 2. Reg. 14. n. 14. *Quotidie morior*, dicebat D. Paulus, 1. Corinth. 15. n. 31. Et sic de aliis passim: vt sicut nihil certius nobis est, quàm quod præsens cernimus, & experimur: ita nihil morte certius intelligatur. Idcircò veteres Patriarchæ puluerem se, ac cinerem appellabant, antequàm essent. Abraham: *Loquar*, inquit, *ad Dominum meum, cùm sim puluis, & cinis.* Genes. 18. num. 27. Dauid: *Recordatus est*, inquit; *quoniam puluis sumus.* Psal. 102. num. 14. Syracides vniuersaliùs loquutus: *Omnes homines*, inquit, *terra & cinis.* Ecclesiastici 17. num. 31. ad hanc eos loquutionem, diuina contra Adamum sententia impellente: *Puluis es.* Gen. 3. n. 14. Cur ergo, qui adhuc erant carne & sanguine compacti, iam in puluerem ac cinerem resoluti dicebantur? Respondet D. Greg. lib. 24. Moral. c. 27. *Etsi*, inquit, *viuentem carnem nec dum in terram mors soluerat: hoc tamen apud se erant, quod se futuros absque dubitatione prævidebant.*

Nihil morte certius.

D. Greg.

IV. *Mors futura declinari non potest.*

Quare, sicut mors præterita declinari nequit; ita nec etiam futura: quasi nō minor huius, quàm illius necessitas censeatur. Vnde Dauid: *Non est*, inquit, *respectus morti eorum.* Psal. 72. num. 4. seu, vt Septuaginta transferunt: *Non est repulsio*; seu, *Non est declinatio morti eorum*: hoc est, repelli ac declinari non potest. Vt ostendat, mortis legem prorsus esse ineuitabilem. Quam mortis necessitatem contemplatus Diuus August. lib. 13. Ciuit. cap. 11. festiuè ludit circa Grammaticas leges in verbo *Moriendi*, quod iuxta vulgares regulas non declinatur, vt patet in præterito, *Mortuus*, & participio, *Moriturus.* Non enim hoc ex illo secundùm ordinarias Grammaticæ normas deriuatur. Quo ex loco argumentatus D. August. *Non incongruè*, inquit, *arbitror, accidisse, etsi non humana industria, iudicio fortasse diuino, vt hoc verbum, quod est, Moritur, in Latina lingua nec Grammatici declinare potuerint, ea regula, qua cætera talia declinantur.* Et statim postquàm id suis ostendit exemplis: *Conuenienter itaque*, inquit, *factum est, vt quemadmodum id, quod significat, non potest agendo; ita ipsum verbum declinari loquendo non possit.*

Septuag.

D. August. *Verbum moriendi regulariter non declinatur.*

V. *Mors, testamentum irreuocabile.*

Eadem moriendi necessitas in Scriptura per testamentum, quod est pactum quoddam indelebile & irreuocabile, significatur: *Memor esto*, inquit Syracides, *quoniam mors non tardat; & testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi: testamentum enim huius Mundi, morte morietur.* Ecclesiastici 14. num. 12. Vbi mors dicitur testamētum inferorum, nō sine mysterio: inferorum, inquam, a termino. Nam sub id temporis nemo morientium in cælum euolabat: sed omnes ad inferos, vel puniendi, vel detinendi mittebantur: testamentum verò; quia sicut hoc rescindi nō potest, testatore, scilicet, qui illud cōdidit, & solus reuocare potuit, iam sublato: ita neque mors. Memor igitur esto, quoniam mors non tardat; immò iam præsens adest: quoniam testamentum inferorum

r..on

monstratum est tibi, vt illud tuis oculis quodammodo subiectum, & quotidianis experimentis cognitum, non iam absens contempletis, sed præseos intuearis, tanquam ineuitabile fœdos, tibi oecessariò subeundum. Et statim huius pacti necessitas magis declaratur: *Testamentum enim*, inquit, *huius Mundi*: supple, est, quòd omnis homo *morte morietur*. Vnde mors tam in sacris, quàm in profanis Literis, per antonomasiam necessitas appellatur. In profanis, Lyricus 3. car. 1.

Mors necessitas appellatur.

Horatius.

——*Æqua lege necessitas*
Sortitur insignes, & imos.
Omne capax mouet vrna nomen.

In sacris verò Baldad Suhites: *Calcet*, inqoit, *super eum, quasi Rex, interitus.* Iob. 18. num. 14. seu, vt vertunt Septuagiota: *Teneat eum necessitas*: hoc est, mors, velit, nolit, necessariò subeunda.

Septuag.

VI. *Vana viuendi spes.*

Nescio, qua vana spe viuendi in æternum, mihi videntur excitati primi parentes, postquàm in peccatum inciderunt. Nam *consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata.* Gen. 3. num. 7. Ac si virentibus induti foliis suam semper ætatem vernaturam esse testarentur. Sed, quid Deus, vt eos à suo depelleret errore? Venit in primis *ad auram post meridiem.* Ibid. num. 8. hoc est, ex ea parte, ex qua aura post meridiem flare solet, nempe, ex plaga occidentali, vt ex Solis occasu, illis occasus vitæ portenderetur. Deinde, vernantibos eos foliis exuit: *Et fecit eis tunicas pelliceas, & induit eos.* Ibidem, num. 21. Sed, cur ex pellibus mortuorum animalium illis condidit indumenta? D. Gregor. Nissen. in vita Moysis, respondet, vt foris pelle belluina vterentur; qui intus belluina cupiditate animum deformarant; & qni adspirarant ad diuinam naturam, superbiendo; intelligerent, se peccando degenerasse in belluinam. D. Chrysostomus hom. 18. *Tunicas*, inqoit, *pelliceas fecit eis, quo nos docuit, vt mollem & dissolutam vitam fugiamus*, &c. Decet enim, vt post peccatum, non byssinus, sed cilicinus amictus induatur. Sed faciliùs ad rem præsentem, Orig. hom. 6. in Leuit. D. Augnst. lib. De Genesi contra Manich. c. 21. Hippolytus apud Lippomanum, Alcuinus, Eucherius, & alij dicunt, fecisse eis tunicas pelliceas ex mortuis animalibus detractas, vt suæ eos mortis, quam peccando incurrerant, adoioneret; & vel ex suo habitu agnoscerent primi illi cæterorum hominum parentes, pariter ac peremptores, se iam immortalitate exutos, & indutos mortalitate.

D. Greg. Nissen. *Peccator in belluinam degenerat naturam.* *D. Chrys.* *Mollis & dissoluta vita fugienda.* *Orig. Hippol. Alcuin. Eucher.* *Mortis, vel ex ipso habitu admonitio.*

VII. *Idem vitæ, & mortis inchoandæ locus destinatur.* *Rabbini.*

Locus, in quo prima homini vita indulta est, fuit ager Damascenus, in quo Adamum conditum fuisse, Rabbini aliqui testantur: sed & locus, in quo prima homini mors illata est, fuit idem ager Damascenus; in quo Abelem à fratre suo Caino occisum fuisse, iidem asserunt Hebræi. Cur, quæso, idem prorsus, & primæ vitæ, ac primæ morti locus eligitur? Nónne satis ampla erant terrarum spatia, vt in diuersis omninò regionibus mors & vita seorsim locarentur? Quid opus fuit ex primo viuendi incunabulo, primum efficere sepulcrum moriendi? Quid oportuit, auras, qoæ primò vitales extiterunt, statim conuertere in lethales? Credo, singulari prouidentia ita factum, vt maxima inter vitam; mortémque necessitudo ostenderetur: nam vix homines viuere incipiunt, cùm statim insidias à morte patiuntur: immò ad hoc nasci videntur, vt moriantur. Vnde D. Hieronymus in epist. 3. ad Heliodorum, quæ est Epitaphium Nepotiani: *Quid*, inquit, *miserius homine, qui æterna mortis terrore prostratus, viuendi sensum ad hoc tantùm acceperat, vt periret?* Non enim nascitur homo, vt imperet, sed vt pereat: ooo vt ditescat,

Primum vitæ incunabulũ, primum mortis fuit sepulcrum.

D. Hier. *Homines ad hoc nati, vt moriantur.*

A sed vt marcescat: non vt genio suo blandiatur, sed vt in mortis voraginem præcipitetur.

VIII. *Ante diluuiũ vita & mors Patriarcharũ narratur; post diluuium, sola vita.*

Mysterio plena est illa scribendi methodus, qua magnus ille Polyhistor Moyses vsus est. Nam primorum Heroum, qui ante diluuium floruerunt vitas pariter ac mortes enarrauit: *Et factum est*, inquit, *omne tempus, quod vixit Adam, anni nongenti triginta, & mortuus est.* Gen. 5. num. 5. Et rursum: *Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorum, & mortuus est.* Ibidem, num. 8. Et statim: *Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est.* Ibidem, num. 11. Et sic de cæteris ferè omnibus, qui diluuium præcesserunt. At verò eorum, qoi post diluuium vixerunt, scripsit quidem vitas, mortes non memorauit: B *Vixit*, inquit, *Sem, postquàm genuit Arphaxad, qningentis annis.* Gen. 11. num. 11. Nec tamen addit: *Et mortuus est.* Rursum: *Vixit*, inquit, *Arphaxad, postquam genuit Sale, trecentis tribus annis.* Ibidem, num. 13. Nec de morte eius quidquam additur. Tandem: *Vixit*, inquit, *Sale, postquàm genuit Heber, quadringentis tribus annis.* Ibidem, num. 15. Et ne verbum quidem vllum fit de morte eius. Et sic de cæteris, qui post diluuium vixerunt. Quorsum tam diuersa scribendi ratio spectat? Cur ante diluuium mors narratur; post diluuium tacetur? An ex parentibus mortuis filij nascuntur immortales? Absit.

IX. *Lyra.* *Summa mortis certitudo post diluuiũ.*

Sed ratio est, quam tangit Lyra, & videtur ex Beda desumpsisse. Nam ante diluuium non erat C mortis imperium tam certa experientia confirmatum; vt non posset de aliquo dubitari, an mortuus fuerit: præsertim, quia de Enoch scriptum fuerat: *Non apparuit, quia tulit eum Deus.* Genes. 5. num. 24. seu, vt est in Hebræo: *Quia non mori fecit eum Deus.* Vnde de singulis exprimere oportebat, quòd mortui fuerint; ne adhuc superstites putarentur. At verò *post diluuium*, inquit Beda, *nemo erat nascentium, de quo dici posset: Tulit eum Deus*: seu, *Non mori fecit eum Deus.* Omnes palàm in omnium oculis passim extinguebantur. Vnde opus non erat, eorum mortes scriptis commendare. Satis erat dicere, eos natos fuisse, vt statim certissimum haberetur, eosdem & obiisse. Si igitur abhinc quatuor, aut quinque annorum millibus, D tam certa erat moriendi experientia, vt de nullius morte dubitaretur; nunc, cùm experimenta in immensum multiplicata accreuerunt, quis de illius certitudine dubitabit?

Beda.

X. *De morte non Gentilis quidem Imperator dubitauit.* *D. Hier.* *Xerxis lacryma.*

Certè non ille Imperator, de quo D. Hieronymus in Epitaphio citato ad finem, *Xerxes*, inquit, *ille Rex potentissimus, qui subuertit montes, maria constrauit, cùm de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidisset exercitum; fleuisse dicitur, quòd post centum annos, nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus* (addit Hieronymus) *in talem ascendere speculam, de qua vniuersam terram sub nostris pedibus cerneremus: iam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna collisa: & non Xerxis tantùm* E *exercitum; sed totius Mundi homines, qui nunc viuunt, in breui spatio defuturos.* Hæc autem moriendi certitudo desumitur planè ex ipsa conditione nascendi. Vbi quis primum viuendi limen attingit; statim mortis reus extremo fato subeundo deuouetur.

XI. *Pueros natos in terra priùs collocandos.* *Pineda.* *Lorin.*

Fuit illa veterum religio, vt natos pueros nullibi priùs, quàm in terra collocarent. Quæ Gentilium consuetudo multis testimoniis ex profanis Literis à Pineda, Iob. 1. num. 21. & in prænio Salomone, lib. 1. cap. 12. & à Lorino Sap. 7. n. 3. confirmata, suum quoque habet in sacris Literis fundamentum,

mentum; iuxta illud: *Ego natus accepi communem aerem, & in similiter factam decidi terram.* Sap. 7. num. 3. Vbi Salomon dicitur simul natus ex vtero materno, & in terræ sinu collocatus. At quò illa consuetudo spectabat? Sunt qui dicant, vt nati infantes, illo veluti amplexu, terræ fauorem, ac beneuolentiam ambirent: ne illis posteà suos fructus, quibus viuerent, denegaret. Alij, vt illo veluti obsequio communem omnium parentem venerarentur, séque non ingratos illius filios exhiberent. Sed aptiùs ad rem nostram illi philosophantur, qui dicunt, ideò in terram abiectos, vt vix ab vtero egressi, sepulcrum tangerent: & in vitam editi, mortem quodammodo salutarent: & inter infantiles vagitus, funebres monodias ac nænias modularentur: illud Lucretij lib. 6. sæpiùs occinentes:

Ab vtero in sepulcrum egredimur.

Lucret.

Omniparens eadem rerum commune sepulcrum.

D. Bernar.

Quò referri potest illud ex D. Bern. serm. De sancto Martino: *In terra*, inquit, *orimur*, *in terra morimur.* Quasi diceret: Prima viuendi sedes, est vltima moriendi: nec maiori discrimine ortus & interitus ab inuicem separantur, quàm hæc duo verba, *Orimur*, & *Morimur*, quæ vna tantùm literula distinguuntur.

XII. *Arctissimum vitæ, mortisque commercium.*

Igitur arctissimum est nascendi, moriendique commercium: *Vnus*, inquit Sapiens, *introitus est omnibus ad vitam*, *& similis exitus.* Sap. 7. num. 6. Nascentes mater edit, morientes mater excipit, nimirum terra, iuxta illud: *Graue iugum super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Ecclesiast. 40. num. 1. Nam, cùm singuli singulas habeant matres, de quarum visceribus exeant, omnes eandem habent communem matrem, in cuius viscera redeant. Nascuntur cum lacrymis omnes; omnes cum lacrymis moriuntur: adeò vt illæ nascentium lacrymæ, lacrymas morientium prædiuinare videantur: Auctore Tertull. lib. De anima, cap. 19. vbi docet, editum infantem lacrymari, non solùm ob tristitiam de præsenti malo, sed etiam ob timorem de futuro: *Mentior*, inquit, *si non statim infans, vt vitam vagitu salutauit, hoc ipsum se testatur sensisse atque intellexisse, quòd natus est.* En de præsenti malo mœror. Et statim: *Quidam*, inquit, *augurem incommodorum, vocem illam flebilem interpretantur.* En de futuro malo timor. Quasi nascentis lacrymæ diuinatrices sint, & auguratrices, non solùm miserabilis vitæ, sed sed etiam miserabilioris mortis, quæ iam à primo ortu nascentibus insidiatur.

Tert.

Lacrymæ infantis, ob quòd natus est.

XIII. *Vita doloribus exorsa, doloribus terminatur.* D. Paul.

Tandem vita à doloribus exorsa, doloribus terminatur. Rectè D. Paulus: *Dies*, inquit, *Domini, sicut dolor in vtero habentis.* 1. Thessal. 5. num. 2. & 3. Ac si diceret: Dies Domini, id est, dies mortis, sicut dies, in quo dolet parturiens; id est, sicut dies natiuitatis: similis enim dolor in vtroque die reperitur. Immò vterque dies ab eodem dolori accelerat: vt patet in Heli, & eius nuru; quorum illum ad mortem; hanc ad partum idem rerum nuntius adegit. Et eodem modo loquitur Dauid Ps. 17. num. 5. & Ps. 114 num. 3. *Circundederunt me*, inquit, *dolores mortis.* Chaldaïcè: *Dolores parturientis.* Non solùm, vt magnitudo dolores, qui in parturiente maximus est, significetur: sed etiam, vt similitudo natiuitatis cum morte exprimatur; & in ipsis nascendi primordiis, moriendi exitus præmonstrentur; nec minor dolor viuendi initium, quàm viuendi finem comitari ostendatur: ac si illud initium nihilo ab hoc fine discriminetur. Quare grauiter Tert. lib. De carne Christi, c. 6.

Tertul.

Mutuum, inquit, *debitum est inter se natiuitati cum*

A *mortalitate. Forma moriendi causa nascendi est.* Quod probat in Christo Domino, qui vt moreretur natus est: qui mori non poterat, nisi nasceretur. Tam infallibili lege necesse est, vt mors natiuitatem consequatur.

XIV. *Qui generantur, certissimè corrumpuntur.*

Idcircò Dauid significare volens, hominem moriturum, dixit, nasciturum: *Introibit*, inquit, *vsque in progenies patrum suorum.* Psal. 48. num. 20. Hoc est, si verba secundùm propriam significationem attendantur; nascetur, sicut patres eius: si autem secundùm figuratam spectentur; morietur, sicut eius maiores: nam progenies, seu generationes appellauit, quas potiùs appellare debuerat corruptiones; vt significaret, quanta necessitate omnes, qui generantur, corrumpuntur. Vnde B rectè D. Aug. serm. 21. De verbis Domini: *Cætera*, inquit, *nostra, & bona, & mala, incerta sunt: sola mors certa est. Conceptus est puer: fortè nascitur, fortè abortiuum facit; fortè crescit, fortè non crescit; fortè senescit, forte non senescit.* Et post multa alia: *Respice*, inquit, *omnia. Vbique est, fortè erit, fortè non erit: nunquid potes dicere, fortè moritur, fortè non moritur?* Quasi diceret: Cæteris in dubium vocatis, sola mors omnibus, qui nascuntur, sine dubio contingit.

S. August. *Cætera incerta: sola mors sine dubio contingit.*

XV. *Mors naturæ debitum.* Tert.

Neque mirum, cùm ita pro diuino tribunali decretum sit: *In quocunque die*, inquit Deus, *comederis ex eo, morte morieris.* Genes. 2. num. 17. Quò allusit Tertullian. lib. De anima, c. 50. *Publica*, inquit, *totius generis humani sententia, mortem naturæ debitum pronuntiamus: hoc stipulata est Dei* C *vox: hoc spopondit omne, quod nascitur.* Vbi statim irridet Menandrum quendam Hæreticum, asserentem, eo, quem offerebat, Baptismo, reddi homines immortales: *Translatus est*, inquit, *Henoc, & Helias; nec mors eorum reperta est, dilata scilicet. Cæterùm morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant. Obiit & Ioannes, quem in aduentu Domini remansurum, frustra fuerat spes.* Atque ab his, qui immortales videbantur, ducens argumentum, subdit: *Vbi sunt illi, quos Menander ipse perfudit; quos in Stygem suam mersit?* Quasi diceret: Si illi, qui æternitate digni erant, mortem non euadent: hi qui erant mille mortibus deuouendi, qualem immortalitatem consequuti videbuntur? Et statim in eos festiuiter illudens: *Videas*, inquit, D *illos meus Thomas, audiat, contrectet, & credat.* Alludens scilicet ad Apostolum Thomam, qui tangendo & palpando Christum Dominum, tandem credidit immortalem: sed hos profectò nunquàm nisi mortales crederet: cùm ineuitabili moriendi legi subditos non ignoraret.

Menandri baptismus immortalitatem dare fingebatur.

Æternitate dignos mors abripit.

XVI. *Christo Domino non pepercit mors.*

Quæ lex adeò rata est ac firma, vt non solùm ei cæteri homines, sed etiam Christus Dominus subiacuerit. Psalmum nonum inscripsit Dauid: *Pro occultis filij.* Theodotio transtulit, *De florida ætate filij.* Symmachus: *De morte filij.* Et quod magis mirere, Theodoretus, qui hos citat Translatores: *Concordissimè*, inquit, *omnes.* Quæ, obsecro, isthæc est concordia; & non potiùs pugna longè maxima? Eadémne est ætas florida, seu infantia, E seu natiuitas Christi Domini, atque eiusdem mors? Planè eadem: quia vbi natus est, mori incepit. *In laboribus*, inquit, *sum ego à iuuentute mea.* Psal. 87. num. 16. In Hebræo est: *Expirans sum à iuuentute mea.* Quasi vbi primùm respirare cœperit, cœperit & expirare.

Theodotio. Symmach. Theodor. *Eius natiuitas, mors fuit.*

Vbi quis respirare incipit, incipit & expirare.

XVII.

Festiuissimè olim Isaias Christi Domini natiuitatem celebrauit: *Egredietur*, inquit, *virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Vitulus, & leo, & ouis simul morabuntur; & puer paruulus minabit eos. Delectabitur infans ab vbere super foramine aspidis*, &c. Isa. 11. n. 1. 6. & 8. Quid festiuius ad

Verbi

Verbi infantis natalitium celebrandum? Sed statim prædixit illius mortem. *Et erit*, inquit, *sepulcrum eius gloriosum.* Ibid. n. 10. Quid est hoc, Propheta sancte? Cur à Genethliaco transis in Epicedium? Cur ab incunabulo desilis in sepulcrum? Cur à natalitiis cantilenis, funebres in querimonias erumpis? Credo, vt rem, de qua agimus, ostendat, nullum esse inter natiuitatem, mortalitatémque discrimen: & quencunque maternus vterus effudit; eundem proculdubiò, terræ vtero, seu sepulcro recipiendum. Quis ergo ab hac mortis sententia prouocabit, quam ne ipse quidem Christus Dominus euasit? Moriantur, necesse est, omnes, qui nascuntur. Immò primus ad vitam ingressus, est primus ad mortem cursus. Vnde David: *Ipse*, inquit, *reget nos in secula.* Psal. 47. num. 15. Ex Hebræo legi potest: *In mortem:* vel, *In iuuentutem.* Ac si mors, & iuuentus nihilo distinguantur, sed inter se irreuocabili fœdere socientur.

Genethliacum cum sepulcro coniunctum.

Nihil inter natiuitatem, mortalitatémque interest.

Primus vitæ ingressus, primus ad mortem gradus est.

XVIII. Sed quid immoror in singulis Mundi incolis, cùm totus Mundus sua mole ruat, ac suum in interitum præcipitetur? Quod Diuus Cyprianus tract. contra Demetrianum eleganter expendit, à rebus naturalibus, artificialibus & moralibus desumens argumentum; omnésque sensim deficere, & omninò tandem exolescere demonstrans: *Scire debes*, inquit, *senuisse iam Mundum; nec illis viribus stare, quibus priùs steterat; nec vigore & robore eo valere, quo anteà præualebat. Hoc etiam nobis tacentibus, & nulla de Scripturis sanctis, prædictionibusque diuinis documenta promentibus, Mundus ipse iam loquitur, & occasum sui, rerum labentium probatione testatur.* A naturalibus igitur Mundi defectibus exorsus, *Non hyeme*, inquit, *nutriendis seminibus tanta imbrium copia est: non frugibus æstate torrendis, solita flagrantia: non sic verna de temperie sata læta sunt: nec adeò arboreis fœtibus autumna fœcunda. Minùs de effossis & fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ: minùs auri & argenti opes suggerunt exhausta iam metalla & pauperes venæ.*

Mundus semper exolescit. D. Cyprian.

Mundus sua ruinæ testis, & præco. Ostenditur in naturalibus.

XIX. Atque hinc ad artificiales moralésque defectus breuiter digressus: *Decrescit*, inquit, *in aruis agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina.* Quibus in exemplis latiùs posset diuagari. Nam in fabrilibus, vbi Phidias, vbi Parrhasius, vbi Polycletus, vbi cæteri artifices, quorum nisi viuerent artefacta, certè nomina profunda obliuione obtuerentur? In politicis, vbi Cato, vbi Solon, vbi Lycurgus, vbi cæteri legum latores, qui, cùm bene viuendi leges suis populis præscriberent, tandem naturæ legibus, moriendo, paruerunt? In bellicis, vbi Achilles, vbi Hector, vbi Scipio, vbi cæteri bellatores, qui cùm magnos morientium aceruos cædendo ederent; tandem cadendo cumularunt? In Regiis & Imperatoriis, vbi Cæsares, Alexandri, Constantini cæterique humani Ioues, quos fortuna, quò altiùs euexit, eò natura humiliùs allisit? In forensibus, vbi Tullius, Hortensius, Demosthenes, cæterique facultatis oratoriæ Mercurij, quos olim fora declamantes suspiciebant; nunc sepulcra obmutescentes admirantur? In poeticis, vbi Pindarus, Homerus, Mantuanus, cæterique Musarum Mystæ & Apollines; olim ad auras more cygnorum modulantes; nunc intra vrnas, reorum instar, ingemiscentes? In philosophicis, vbi Seneca, Plato, Aristoteles, cæterique sapientiæ Antistites, qui, cùm olim toto orbe philosophati vagarentur, nunc exiguo in sepulcro tabefacti includuntur? Denique in sacris, vbi illa Patriarcharum decora, Prophetarum lumina, Eremitarum castra, Virginum chori, Martyrum myriades, Sacerdotum prodigia, Præsulum portenta, coniugum temperantia, iuuenum modestia, puerorum verecundia, cæteráque virtutum germina, quæ priscis seculis vernarunt, præsentibus aruerunt?

In artificialibus. *In moralibus.* *In fabrilibus.* *In politicis.* *In bellicis.* *In Regiis & imperatoriis.* *In forensibus.* *In poëticis.* *In philosophicis.* *In sacris.*

XX. Scilicet, deficiente iam Mundo, singulæ eius partes pariter deficiunt; tabescente, contabescunt. Et, vt addit Cyprianus: *Minuatur, necesse est, quidquid fine iam proximo, in occidua & in extrema deuergit. Sic Sol in occasu suo radios minùs claro & igneo splendore iaculatur: sic declinante iam cursu, exoletis cornibus, luna tenuatur: & arbor, quæ fuerat antè viridis & fertilis, arescentibus ramis, fit postmodum sterili senectute deformis: & fons, qui exundantibus priùs venis largiter profluebat, senectute deficiens, vix modico sudore distillat.* Vnde tandem egregio epiphonemate concludit: *Hæc sententia Mundo data est, vt omnia orta occidant, & aucta senescant: vt infirmentur fortia, & magna minuantur; vt cùm infirmata & diminuta fuerint, finiantur.* Verùm, sicut homo inter Mundi partes primus est; ita inter Mundi calamitates non est postremus. Vnde mirum non est, quòd senes, deficiente iam Mundo & emoriente, addit Cyprianus, *Non perinde vt priùs, vigeant auditu aurium, cursu pedum, oculorum acie: & cùm olim vltra octingentos & nongentos annos vita hominum longæua procederet; vix nunc possit ad centenarium numerum peruenire.* Quin etiam extremam in humana vita declinationem & imminutionem factam ostensurus: *Canos*, inquit, *videmus in pueris; capilli deficiunt, antequàm crescant; nec ætas in senectutem desinit, sed incipit à senectute. Sic in ortu adhuc suo ad finem natiuitas properat. Sic quodcunque nunc nascitur, Mundi ipsius senectute degenerat.*

Senescente mundo omnia consenescunt. D. Cypr.

Homo primus in creaturis, non vltimus in ærumnis. D. Cypr.

Breuiorem nunc agit vitā, quā olim.

A senio ætatē auspicatur.

XXI. Sed nescio, quo pacto Cypriano Tertulianus, discipulo magister aduersatur. Nam ille, vt diximus, sentit, Mundum indies deficere, hic indies vigere, vt videre est lib. De anima, cap. 30. *Ipse orbis*, inquit, *in promptu est cultior de die, & instructior pristino. Omnia iam peruia, omnia nota. Solitudines famosas retrò, fundi amœnissimi obliterauerunt; syluas arua domuerunt; feras pecora fugauerunt: arenæ seruntur, saxa panguntur, paludes eliquantur; tantæ vrbes, quantæ non casæ quondam. Iam nec insulæ horrent, nec scopuli terrent: vbique populus, vbique Respublica, vbique vita: summum testimonium frequentiæ humanæ.* Sic ille. Nihilominùs ex hoc etiam principio parem cum Cypriano conclusionem deducit: dum ex vbertate nascendi, necessitatem moriendi concludit: quasi vbi magna seges est, ibi magna messis sit: & vbi genus humanum, tanquàm nemus incæduum vberiùs syluescit; ibi planè oporteat, vt messoria mortis falce liberiùs detundeatur, ne Mundus sub tanta hominum multitudine gemat & fatiscat: *Onerosi*, inquit, *sumus Mundo; vix nobis elementa sufficiunt, & necessitates arctiores, & querelæ apud omnes, dum iam nos natura non sustinet. Reuera lues, & fames, & bella, & voragines ciuitatum pro remedio deputanda, tanquàm tonsura insolescentis generis humani.* Nam, sicut in vite clauiculi erumpentes citò amputantur, ne inutiliter grauent: ita in Mundo subnascentes homines celeriter demetuntur, ne grauiter vexent. Vnde homines olim in tanta generis humani paucitate diutiùs viuere permittebantur: nunc in tanta multitudine ad angustiores vitæ terminos compelluntur.

Ex vbertate nascendi, necessitas moriēdi concluditur. Tert.

Vbi magna seges, ibi & magna messis.

Humani generis luxuriē vt mors depascat, necesse est.

XXII. Non negat igitur Tertul. multiplices in Mundo mutationes: immò concedit lib. De pallio, c. 2. vbi

Tertul.

Mundus vt alter Protheus versiformis. *Hoc vel ipsi cæci intuentur.*

vbi totum Mundum appellat *versiformem*, propter diuersas formas, in quas singulis annis, immò mensibus, diebus & horis, tanquàm Protheus se conuertit. *Quod*, inquit, *clausis, vel in totum Homericis oculis liquet.* Hoc est, vel ipsi cæci, qualis fuit Homerus, has mutationes sentiunt, experiuntur, & quodammodo intuentur, quæ nobis hanc vitam proculdubiò mutandam esse præsagiunt, & augurantur. Igitur orsus à cælo, quod immutabilius videbatur: *Dies*, inquit, *& nox inuicem vertunt: Sol stationibus annuis, Luna modulationibus menstruis variat; syderum distincta confusio interdum deiicit quid, interdum resuscitat: cæli ambitus nunc sub diuo splendidus, nunc nubilo sordidus.* Et statim ad mare digressus: *Mari*, inquit, *fides infamis; dum & de flustris* (hoc est, paruis fluctibus) *temperatum, & extemplo de decumanis inquietat.* Hinc tandem ad terram veniens: *Sic & terram*, inquit, *si recenseas, temporatim vestiri amantem, propè sis eandem negare, memor viridem, cùm conspicis flauam, mox visurus & canam.* Nam primo vere iuueniliter quodammodo virescit: adulta æstate canescit seniliter, vel sui præsaga interitus pallescit: tandem vertente autumno, dum arua incenduntur, & suis cineribus replentur, suam quodammodo in mortem resoluta cinerescit. In quibus mutationibus, & aliis, quas eleganter prosequitur, quid aliud, quàm extrema illa vitę in mortem commutatio adumbratur, nobisque perpetuò ob oculos exhibetur, ne quando mors de memoria elabatur, cuius semper expressa signa oculis ingeruntur? Sed de hac re sequenti sect. iterum plura.

Mutatur cælum. *Mare.* *Terra.*

SECTIO II.

Mortis incertitudo, si moriendi tempus attendatur.

I. *Mors incautos repentina opprimit.*

HVius rei veritas minùs clara est in Heli; quàm in eius filiis ac nuru. Nam ille quidem mali præsagus, suas sibi ac suis mortes & strages augurabatur: vt in Litera Num. 13. aduertimus. Hi tamen, quando sibi tiaras pontificias, celebres de hostibus triumphos, longam posterorum seriem promittebant, nihil prorsus de morte cogitantes, subita morte pręoccupati corruerunt. Item nurus, cùm ex felici partu, non tam filium, quàm ipsam sibi felicitatem nascituram spectabat; non tam filium sibi peperit, quàm extremam mortis calamitatem. Hæc est mortis conditio, vt cùm longissimè abesse creditur, repentina in incautos inuehatur. Quod paucis illustro.

II. *Non respicitur mors, cùm venit.* D. Hier.

Dauid, *Non est*, inquit, *respectus morti eorum.* Psalm. 71. num. 4. Quasi diceret: Non respicitur mors eorum; seu non respiciunt homines mortem venientem; ita clandestina obrepit: seu, vt transtulit D. Hieronymus ex Hebræo: *Non cogitant homines mortem suam.* Quare cùm ne in mentem quidem illis venit, subitò ante oculos obuersatur. Celebris est illa Dei sententia in primum parentem: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Gen. 3. n. 19. Vbi nullum certum tempus reuersionis præscribitur: vt omnibus incognitum relinquatur. Sic Rupert. lib. 3. in Gen. c. 25. *Mortis*, inquit, *diem, vel horam homini incognitam esse voluit, vt dum nescitur quando sit, quæ sine dubio futura est, semper sollicitum reddat, semperq; suspectum superbire non sinat. Dixit enim indefinitè: Donec reuertaris; &c. & non dixit vsque ad tot annos, vel tot dies, quibus transactis reuerteris in terram. Ita ergo viuere hominem voluit, quasi altera die iudicandum; & rationem de propriis factis redditurum.* Quam mortis incertitudinem primo parenti Dominus iniecit, nequis filiorum certum aliquod viuendi spatium sibi promittere auderet.

Rupert. Mortis incertitudo hominem sollicitũ reddat.

Eandem ob causam voluit Deus, vt dies vniuersalis Iudicij venturus, certò præsciatur: quando autem venturus, prorsus ignoretur: *De die autem illo*, inquit, *nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* Marc. 13. num. 32. Hoc est, diem extremi Iudicij, nemo scit, tanquàm fons & principium totius Sapientiæ, nisi Pater, qui sicut essentiam, ita & sapientiam Filio communicauit: vnde Filius non hoc modo scit, quamuis alioqui non ignoret. Vel neque Filius scit, eo titulo, quòd homo est, quamuis aliàs etiam, vt homo, nescire non possit. De quibus, aliisque interpretandi modis Salmeron, Maldonatus, & Barrad. copiosè disserentes consulantur. Sed, cur ille dies tam procul ab hominum cognitione relegatur? Respondet Tertul. lib. De anima, cap. 33. *Vt pendula*, inquit, *expectatione sollicitudo fidei probetur, semper diem obseruans, dum semper ignorat; quotidie timens, quod quotidie sperat.* Quæ ratio pariter procedit in die particularis Iudicij, seu in die mortis. Idem enim est in vtroque periculum. Nam, vt loquitur D. August. epist. 80. ad Hesychium: *In quo quemque inuenerit suus nouissimus dies, in hoc eum comprehendet Mundi nouissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo iudicabitur.* Mortis igitur diem singuli homines venturum certissimè præsciunt: sed quando venturum penitùs ignorant, vt semper timeant mortem, quæ semper impendeat; & nunquàm securi de illius aduentu reddantur, quem singulis horis, vel momentis præstolentur. III.

Dies Iudicij incognitus, vt sẽper timeatur. *Pater totius sapiẽtiæ fons.* Salm. Maldonat. Barrad. Tertul. *Idem in morte, & in particulari Iudicio periculum.* D. August.

De Abinadab Rege Syriæ dixit olim Propheta ad Achab; *Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua; erit anima tua pro anima eius.* 3. Reg. 20. num. 42. Caietanus transtulit ex Hebræo: *Quia dimisisti virum retis mei.* Quasi homines etiam dum viuunt, iam sub mortis potestate inclusi teneantur, tanquàm pisces sub reti. Et quemadmodum pisces iam inducti in sagenam, adhuc suum periculum non sentiunt, nisi cùm subitò extrahuntur: ita homines iam ad mortem destinati, adhuc suam mortem non prǫuideant, nisi cùm ab illa nihil tale cogitantes occupantur. Eadem similitudine vsus est & Sapiens: *Nescit*, inquit, *homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aues laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò superuenerit.* Ecclesiastes 9. num. 12. D. Hieron. legit, *sicut pisces capiuntur retiaculo*, vt prædicta similitudine rem illustret. Sed non minùs aptè ponitur in vulgata, *hamus*: nam, sicut pisces sub fallaci esca hamum; ita homines sub insidiatrice voluptate mortem deuorant. Hamo igitur, & reti mors expiscatur; dum intus & foris, hoc est, & per internos morbos, & per externos casus, insidias molitur. IV.

Caiet. *Mors reti comparatur.* D. Hier. *Sub voluptatibus mors hominibus insidiatur.*

Sortis nomine significauit regius Vates ipsam mortem: *In manibus*, inquit, *tuis sortes meæ.* Psal. 30. num. 16. seu, vt ex Hebræo legi potest: *Termini vitæ meæ.* Quia sicut nihil est sorte incertius (quam proinde Euripides, *Fortunæ filiam*; & Tullius, *Fortunæ iudicium*, appellarunt) ita nihil & morte incertius inuenitur. Hinc illud Christi Domini: *Non venit Regnum Dei cum obseruatione.* Lucæ 17. num. 20. Sunt, qui primum, vel secundum Christi Domini Aduentum, Regni nomine interpretentur. Sed cùm vterque Aduentus ex multis signis V.

Sortis nomine mors significatur. Euripid. Tull.

ac mi

[illegible] vita [illegible] nū, [illegible] fen- [illegible] de [illegible] dio [illegible] peratio.

ac mitaculis præeuntibus facilè possit obseruari: non immeritò alij statum futuræ vitæ, quem moriendo ingredimut, Regni nomine interpretantur. Hic enim sine obsetuatione venit; quia sæpissimè adest, cùm minimè cogitatut. Quod Christus Dominus non semel clatissimè expressit: *Vigilate, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit.* Matth. 24. n. 42. Et iterum: *Vigilate, quia nescitis diem, neque horam.* Matth. 25. num. 13. Rursum: *Videte, vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit.* Marc. 13 num. 33. Et paulò pòst: *Vigilate ergo: nescitis enim quando Dominus domus veniat: serò, an media nocte, an galli cantu, an mane.* Ibidem, num. 35. Nec his prædictionibus conteotus, alias adhibet: *Estote parati; quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet.* Luc. 12. num. 40. Item alibi: *Attendite autem vobis, ne fortè superueniat in vos repentina dies illa: tanquam laqueus enim superueniet,* &c. Luc. 21. num. 34. Cur autem huius horæ incertitudinem tam frequenter inculcat, nisi vt sempet timeatut? Sic D. Gregor. hom. 13. in Euangel. *Horam, inquit, vltimam Dominus noster idcircò voluit nobis esse incognitam, vt semper possit esse suspecta: vt dum illam praeuidere non possumus, ad illam sine intermissione preparemur.*

D. Greg. *Mors sine intermissione timenda.*

VI. *Mortis stratagemata, ad incautos opprimendos.*

Mitum est illud mortis artificium, seu strategema, de quo Ieremias cap. 9. num. 21. *Ascendit, inquit, mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras disperdere paruulos deforis, iuuenes de plateis.* In quibus verbis pluta sunt inquirenda. *Primum.* Primum, eut non per ianuas, sed per fenesttas ascendere dicatur? Respondeo, vt opptimat magis incautos. Cùm enim homines magis sibi timeant ab ingressu hostium pet ianuas, quàm ab inuolatu per fenestras; magis in ianuis, quàm in fenestris obseraudis occupantut. Quid ergo mors? Relictis ianuis, quas scit diligenter obseratas; enititut ad fenesteas, quas scit negligentiùs custoditas: vt vbi minùs timoris inuenit, ibi plus furoris impendat; & illac exitium machinetur, quà nullum subesse periculum existimatur. *Secundum.* Secundum, cut ingressa domos, in eos, qui foris, & in plateis versantur, sua tela eiaculetur? Credo, vt in magis securos ittuat, & minùs cautos adotiatur. Nam, qui vident mortem intrò in alienum domū penetrasse; foris de sua sibi securitate blandiuntur: dum ergo putant aliò abiisse, cum suo malo sentiunt, eodem remigrasse. Nam idcircò recessum simulauetat, vt repentina insiliret; atque adeò nemo ex illius manibus fuga elaberetur. *Tertium.* Tertium, cur dicatur nôn in viros ac senes; sed in paruulos ac iuuenes sua iacula intorquere? Non dubito, quia hi sibi videntur à mortis iaculis tutiores. Neque sibi persuadent, fore vt in hoc vitæ curriculo metæ simul cum carceribus coniungantut. Sua igitur de spe decidunt incauti, & cùm primum ætatis virorem induunt, in extremum mortis horrorem prolabuntur.

VII. *Mors furi, & piratæ similis.*

Appellatut mors in sactis Literis, modò fur, modò pitata. Fut quidem, Apocalyp. 3. num. 3. *Veniam ad te, tanquàm fur: & nescies, qua hòra veniam ad te.* Pirata verò, Iob. 9. n. 26. *Dies mei pertransierunt quasi naues poma portantes:* seu, vt est in Hebræo, *Quasi naues piratæ.* Quid morti cum fure? Quid cum pitata? Dices, non parùm. Quia sicut hic mari, ille terra, suas rapinas exercent: ita mors omnibus locis in hominum strages debacchatut. Rectè quidem. Sed vlterius addo: quia sicut fur in imptouidos viatores è latebris & insidiis erumpit; & dormientes patresfamilias per inuias quasdam vias, arcanósque aditus inuadit: ita mors,

Omnibus locis strages edit.

quos magis quietos & securos esse videt, subitam præcipitat in ruinam: iuxta illud Apostuli: *Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint: Pax, & securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus.* 1. Thessal. 5. num. 2. & 3. Rursus, sicut pirata mille simulat excursus ac recessus, vt in incautas naues repentinus inuehatur; & occultos se colligit in sinus, vt securè ingressas subitò deprædetur: ita mors insidiosa captat, vt capiat desidiosos.

Captat, vt capiat.

VIII. *Ioab non à Dauide, sed à Salomone occiditur, vt incautior occidatur.*

Quid est, quòd Dauid grauiter læsus à Ioab; semper tamen ab eius punitione abstinuit, eámque filio suo Salomoni exercendam delegauit? *Tu,* inquit, *nosti, quæ fecerit mihi Ioab,* &c. *Non deduces canitiem eius pacificè ad inferos.* 3. Reg. 2. n. 5. & 6. Mitto alias rationes suis locis reponendas; interim hanc adhibeo præsenti accommodatam. Ioab, dum vixit sub Dauide, strenuissimo bellatore, & seuerissimo punitore; suorum scelerum conscius mortem sibi debitam formidabat: translatus verò ad Salomonem Regem pacificum timere desiit, ratus se non esse lacessendum ab eo Rege, qui suis quoque hostibus indulgeret; neque timendas esse domesticas vindictas, vbi etiam externæ pugnæ remitterentur. Quid ergo Dauid? Prudentissimè statuit, vt parceretur viro de sua morte sollicito: eidem tamen iam quieto ac securo mors infligeretur. Nec immeritò. Vt nouerit vniuersa hominum posteritas, hanc mortis conditionem, quæ sollicitos prætetit, securos opprimit. Meruit quidem Ioab tale supplicium, dum clarissimos duces, Abnet, 2. Reg. 3. n. 27. & Amasam, 2. Reg. 20. num. 10. per fraudem & dolum in pace interfecit. Æquum enim est, vt qui pacis leges cruentat, à Rege pacifico cruentetur; & qui incautos occidit, incautus & ipse occidatur.

Mors præterit sollicitos, securos prædatur.

Pœna culpæ respondet.

IX. *Mors omni loco, ætati & dignitati adest importuna.*

Age verò, quis locus esse potest tam munitus ac vitalis, quæ ætas tam firma & vegeta, quæ dignitas tam splendida & augusta, quibus mors non timeatut? Nullam plagam Tyburtina salubriorem veteres Romani crediderunt: ea tamen cùm mors sæuit, nihilò distinguitur ab Insula Sardinia, cuius cælum maximè lethale perhibetur. Vnde est illud Epigrammatographi lib. 4.

Inter salubres plagas grassatur. Mart.

Nullo fata loco possis excludere; cùm mors
Venerit, in medio Tybure Sardinia est.

De Iezabele olim prædixit Helias: *Canes comedent Iezabel in agro Iesrael.* 3. Reg. 21. num. 23. Cur potiùs in illo agro, quàm in alio quouis laceratur à canibus, ac deuoratur? Respondet Abulensis: quia illic erat hortus amœnissimus, quo Regina maximè delectabatur. Vides, vt genialis locus, tandem feralis efficitur? Et vbi anima iucundissimè trahitur, ibi miserrimè exhalatur: Et vbi voluptatis aucupia captantur, ibi mortis iacula infliguntur? Ita planè, ita est. Nullo mors à loco, nullo à vestibulo arcetur.

Genialibus locis non excluditur. Abul.

X. *Irrumpit in conuiuia.*

Quæ domus contra mortis insultus diligentiùs clausa, & firmiùs munita esse potest, quàm domus conuiuij? vt patet, tum ex etymo nominis; conuiuium enim à consortio viuendi dicitur; quasi inde omne ius moriendi exterminetur: tum etiam, quia Scriptura mortem, & mensam, seu funebrem luctum, & conuiuale gaudium, tanquàm res maximè oppositas & contrarias commemorat, dicens: *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij.* Ecclesiastæ 7. num. 3. Et nihilominùs in hanc domum sui tenax iuris mors irruit & irrumpit. Vnde Ægyptij Reges ferculorum missus à caluaria inchoabant, & caluaria absoluebant: hoc primum ferculum, hoc postremum: quandiu alias inferebat & referebat dapes tuba clientium; hoc

Caluaria primum & postremū Ægyptiorum Regū ferculum.

hoc ſemper in menſa ferculum perſiſtebat, quod inter epulandi lætitiam, moriendi memoriam conſeruabat. Sic primi parentes, vbi eſcam, ibi mortem deuorarunt, Domino comminante: *In quocunque die comederis ex eo, morte morieris.* Geneſ. 2. num. 17. Splendidum conuiuium inſtruxerat Abſalon: ſed cum menſa caleret mero, effuſo Ammonis ſanguine ſubitò redundauit, & inter conuiuantium æſtus, morientis artus diriguerunt. 2. Reg. 13. num. 28.

Primi parentes cum eſca mortem deuorarunt. Conuiuium Abſalonis ſuis mortis ſanguine redundauit.

XI. *Conuiuia Pharaonis, Herodis filiorum Iobi, & aliorū, verſa in ſepulcra.*

Natalitium conuiuium celebrauit Pharao: ſed antequàm abſolueret, piſtorum principem occidit, Gen. 40. num. 22. ne de conuiuio ſurgeret, antequam ſepulcrum cogitaret. Suum quoque natalem regio conuiuio Herodes decorauit: ſed cùm B menſam, amputato Ioannis capite, turpiter inceſtaret, Marc. 6. nom. 28. expertus eſt miſer natales epulas in funebres lacrymas deſiiſſe. Epulabantur Iobi filij in domo fratris primogeniti, qui, ſicut potentia & magnificentia cæteris fratribus præſtabat; ita lautius & lætius conuiuium exhibebat: ſed inter gaudia conuiuarum, ecce tibi cadauera mortuorum, ruente domo, & miſerabili ruina omnes inuoluente. Iob. 1. num. 19. *Quæ ipſis*, inquit D. Chryſoſtomus hom. 1. in Iobum, *vna eadèmque hora, domus, & ſepulcrum; conuiuium, & tumulus; feſtum, & fletus, facta eſt.* Suos hoſtes inter nuptiales apparatus debacchantes inuasêre Ionathas & Simon Machabæi; & fercula in vulnera, menſas in vrnas, conuiuia in ſepulcra, epithalamia in epicedia, cantus in planctus tranſtulere. 1. Mach. 9. num. 40. Vt ſcirent miſeri, à domo conuiuij, quibuſcunque gaudiis reſultet, mortis violentiam non arceri. Feſtiuo, quamuis inhoneſto conuiuio Simon Machabæus eiúſque filij hilariter indulgebant: ecce tibi Ptolomæus doloſa & clandeſtina irruptione incautos aggreditur & obtruncat. 1. Mach. 16. num. 16. Ita factum, vt ſuauitas conuiuij, mortis acerbitate miſceretur.

D. Chryſ.

XII. *Mors inter conuiuia non infrequens.*

Rem nouam & inſolentem ſibi videbantur quidam ad Chriſtum Dominum deferre: nempe, quoſdam Galilæos inter ſacrificandum, ſeu potiùs inter conuiuandum à Pilato interfectos. *Quorum ſanguinem*, inquiunt, *Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum.* Luc. 13. num. 1. Quaſi dicerent: Noua planè res, & monſtri, ac portenti ſimilis, vt in domo conuiuij, vbi vita indulgentiſſimè curatur, mors intempeſtiuè propinetur. Nec alior ſum tam inſuetum & inauditum euentum referebant, quàm in exaggeratam conuiuantium malitiam, dignam profectò, quæ tam noua & inuſitata cæde puniretur. Quid verò Chriſtus Dominus? *Putatis*, inquit, *quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi ſunt? Non dico vobis. Sed, ſi pœnitentiam non egeritis; omnes ſimiliter peribitis.* Ibid. num. 2. & 3. Vbi in primis cauet, ne propter cædes diuinitùs inflictas, temeraria de cæſorum culpis ſuſpicio habeatur. *Iudicia* enim Dei *abyſſus multa.* Pſalm. 35. num. 7. Qui aliquando ſontes impunè tranſilit, & vehementer inſilit in inſontes. Deinde eorum admirationem minuit; oſtendens, nouum non eſſe, toxica inter pocula propinari; & lethales potiones inter conuiuales delicias hauriri; & in æſtu gaudiorum, triſtes morientium planctus commoueri. Quod ſtatim confirmat exemplo Iudæorum, quos prædicit, niſi à ſuis ſceleribus reſipiſcant, inter paſchalia ſacrificia, & genialia conuiuia, à Romanis ſubitò irruentibus occidendos. Quaſi diceret: Ne admiremini Galilæos inter epulas interfectos: conuiuium enim, ſtadium quoddam eſt, vbi mors de- A præliatur, incautos opprimit, lætos occidit, fercula funeribus coniungit. Idem vos caſus manebit; cùm feſtiuiſſima celebrabitis conuiuia, repentino interitu opprimendos.

XIII. *Lætitiæ pocula mortis veneno miſcentur.*

Itaque, ne domus quidem conuiuij à mortis tyrannide immunis eſt; in ipſâ quoque lætitiæ pocula mortis venena ſuffunduntur. Vnde D. Ambroſius lib. De Helia & ieiunio, cap. 14. *Rogas*, inquit, *ad iucunditatem; cogis ad mortem. Inuitas ad prandium; efferre vis ad ſepulcrum. Cibos promittis; tormenta irrogas. Vina prætendis; venena ſuffundis.* Hinc illa prophetica comminatio: *Væ qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, &c.* Amos 6. nom. 4. Et ſtatim: *Nunc migrabunt in capite tranſmigrantium, & auferetur factio laſciuientium.* Ibidem, num. 7. Migrabunt, inquam, non modò in Babylonicam captiuitatem, ſed etiam in æternam ſeruitutem: nec ſolùm de regno, ſed etiam de vita, in ſempiternam mortem auferentur. Vnde D. Bernard. De diuerſis, ſerm. 19. qui eſt de illis verbis: *Non eſt regnum Dei, eſca & potus.* Rom. 14. num. 17. propheticum locum expendens: *O delicate*, inquit, *qui deliciis & diuitiis circumfuſus atque confuſus confuſionem expectas, & mortem: non eſt regnum Dei, eſca & potus; non purpura & byſſus: quia diues ille vtroque circumfluus, in puncto ad inferna deſcendit.*

D. Ambr.

D. Bern.

XIV. *Ferales apparatus inter conuiuales.*

Quare inter conuiuantium lectiſternia ſua mors erigit cenotaphia: & qui tutos ſe putant, C ſepulcris includit. Non ſine myſterio Michol, cùm fugientem à morte Dauidem in domum recepit, vt eum ab omni periculo ſecurum præſtaret: *Tulit ſtatuam, & poſuit eam ſuper lectum, & pellem piloſam caprarum poſuit ad caput eius, & operuit eam veſtimentis.* 1. Reg. 19. nom. 13. Hæc omnia operimenta, ſub quibus Michol Dauidem occultauit, Theod. q. 48. ad eum locum, & D. Hieronymus in epiſt. 130. ad Marcellam, ſub finem, iuxta Græcum, vocant, *cenotaphia*, hoc eſt, inania ſepulcra. Vt planè ſignificaretur Dauid, etiam cùm à morte maximè ſecurus & immunis videbatur; non ſolùm morti ſubditus, ſed etiam ſub tumulo reconditus fuiſſe. Quis ergo locus tam inuius, tam inacceſſus, in quem ſe mors non D ingerat importuna, & in quem ſe violenta non infundat?

Theodor. D. Hieron. *Cùm quis à morte videtur immunis, tunc morti ſubditus inuenitur.*

XV. *Iuuenilis ætas morti obnoxia.*

Sed quæ ætas tam florida, tam ſtrenua eſſe poteſt, vt ſe à morte inexpugnabilem glorietur; cùm etiam iuuenilis, quæ ab ea longiùs abeſſe creditur, morti ſubiiciatur? Feſtiuiſſimè cecinit Sponſus: *Flores apparuerunt in terra noſtra.* Sed ſtatim mœſtiſſimè ingemuit: *Tempus putationis aduenit.* Cant. 2. num. 12. quia hi humanæ vitæ floſculi vix apparent, cùm iam diſparent; & erumpere geſtientes, ſubitò amputantur. Ad Babylonem Vates: *Deſcende*, inquit, *ſede in puluere, virgo filia Babylon, ſede in terra.* Iſai. 47. num. 1. Virginem, & filiam appellat, inquit D. Hieronymus, quia *virgunculam, ac puellam ſe eſſe iactabat.* Et nihilominùs E in puluere ſedere iubetur, & in terra: vt in virginea ac puellari ætate, quamuis maximè immatura ad moriendum videatur, interitura ſignificetur. In deſerto olim Deus, inquit Dauid, *occidit pingues eorum, & electos Iſrael impediuit.* Pſal. 77. num. 31. Ex Hebræo legi poteſt: *Et iuuenes*, ſeu, *robuſtos*, ſeu, *ſtrenuos, Iſraël impediuit*, hoc eſt, proſtrauit & obtruncauit. Quaſi in pinguiores ac iuniores prior & vehementior mors inueheretur.

D. Hieron.

XVI. *Mortis recordatio in iuuentute.*

Memento, inquit Sapiens, *Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ.* Eccleſiaſtæ 12. num. 1. Cur ſolius meminit iuuentutis? An memoria Creatoris in diebus

diebus senectutis deponenda? Absit. Iuuentutis ergo, inquit; quia mors ita prauolat, vt alias sæpissimè ætates anteuertat: in quas, si memoria Creatoris differatur; prorsus auferetur. Neque hanc mortis intempestiuam celeritatem ipsi ignorant peccatores, dicentes: *Vtamur creatura, tanquàm in iuuentute, celeriter.* Sap. 2. n. 6. Vbi aduerbium, *celeriter*, iunge cum verbo, *vtamur*. Quasi dicant: vtamur celeriter: ne, si temporarias delicias absque magna celeritate præripiant, morte interueniente præoccupentur. Quibus illi quoque assentiuntur, qui apud Isaiam c. 22. num. 13. dicebant. *Comedamus, & bibamus: cras enim moriemur.* Vbi vitam non in longius tempus, quàm in crastinum sibi propagandam existimabant: tantam mortis celeritatem quotidianis docti experimentis præuidebant. Quamuis eorum extremam stultitiam, seu insaniam quis non videt? qui, cùm de mortis vicinitate rectissimè sentirent; tamen de præparatione ad mortem stultissimè iudicabant? Et dicturi consultiùs: *Ieiunemus, & lacrymemus: cras enim moriemur*: stolidissimè dicebant: *Comedamus & bibamus: cras enim moriemur.* Verè, vt notat Clemens Alexand. lib. 2. pædag. c. 1. non modò in crastinum morituri; sed iam hodie mortui & sepulti.

Intempestiuã mortis celeritatem peccatores agnoscunt.

Clem. Alex.

XVII. *Rachelis mors proponitur Iosepho, vt suæ incertitudinem timeat.*

Moriturus Iacobus filium suum Iosephum sic affatur: *Mortua est Rachel in terra Chanaan, in ipso itinere, erátque vernũ tempus, & ingrediebar Ephratam, & sepeliui eam iuxta viam Ephrata.* Gen. 48. num. 7. Dubitant Interpretes, quorsum talis admonitio eò temporis ac loci pertinuerit. Sed, vt alias interpretationes prætercam, hanc subiicio. Voluit bonus pater filium suum de mortis incertitudine admonere. Quasi diceret: Ne, quæso, ô Ioseph, annis iuuenilibus delusus longam patris tui vitam tibi promittas: sed breuissimam matris tuæ reformida. Nam, quamuis ego, canescente iam ætate, ex hac vita decedo: tamen Rachel, non nisi efflorescente, decessit. Mortua enim in primis est in itinere, cùm felicitatem optaret, non occuparet: verno tempore, cùm videret flores, non obtineret fructus: iuxta Ephratam, hoc est, frugiferam, non in Ephrata, cùm ad rerum omnium abundantiam tenderet, non perueniret. Ne igitur sis propter patris felicitatem securus; sed propter matris calamitatem sollicitus: hanc time; illam tibi ne spondeas.

Non tantùm senum, sed etiam iuuenum densantur funera.

XVIII. *Mors in via, hoc est, in bonorum temporalium cursu.*

Sic & Dauid: *Apprehendite*, inquit, *disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Psalm. 2. n. 12. Iuxta fontem pro illa præpositione, *De*, reponi potest præpositio, *In*: Ne pereatis *in via*. Quasi diceret: Ne putetis totam viam temporalium bonorum vobis esse decurrendam, perueniendúmque ad fastigium humanæ felicitatis: nam sæpè in ipsa via, & in ipso ætatis flore, humanæ spes franguntur & corruũt, antequàm optatum portum tenere potuerint. Clariùs idem Psaltes, *Priusquàm*, inquit, *intelligerent spina vestra rhamnum, sicut viuentes, sic in ira absorbet eos.* Psal. 57. n. 10. Quorum verborum metaphoras, pleno ac germano sensui restituit Paraphrastes: *Priusquàm*, inquit, *impij teneri durescant, dum adhuc sunt sicut herba; tempestate & turbine destrues eos.* Vbi vides, sicut tempestas violentior irruit in surculos, teneròsque calyculos & clauiculos, quàm in truncos, & annosas quercus & cedros: ita mortem grauiores ac miserabiliores edere strages in iuuenibus, quã in senibus: hos enim sæpè præterit, in illos acrior impingit.

Humanæ felicitatis spes, mors deludit.

In iuuenes acrior sæuit.

XIX. *In suprema*

At, quæ humana dignitas sic attollit caput, vt illud mortis imperio non submittat? Adsint illi, vt appellat Comicus, *humani Ioues*: seu, vt loquitur Dauid, *Dij, & filij excelsi omnes.* Psal. 81. num. 6. Nónne & ipsi sicut homines moriuntur? Illustre est illud de Rege Tyri elogium: *In deliciis Paradisi Dei fuisti: omnis lapis pretiosus operimentum tuum, sardius, topazius, & iaspis, chrysolithus, & onix, & beryllus, & sapphirus, & carbunculus, & smaragdus: aurum opus decoris tui.* Ezech. 28. n. 13. Vbi à deliciis Paradisi, & à vestibus, auro, gemmisque crepantibus, excellens huius Principis maiestas declaratur. Sed statim additur: *Et foramina tua, in die, qua cõditus es, præparata sunt.* Quæ verba, cùm aliter ab aliis vertantur, & explicentur; congruenter tamen præsenti instituto à Chaldæo Paraphraste transferuntur: *Verùm*, inquit, *non considerasti cadauer tuum, quòd factus sis concauitatibus, & foraminibus, quæ sunt tibi necessaria.* Vbi corpus Regis etiam viuentis cadauer dicitur: quòd adeò sit miserum, vt nihilò à cadauere distingui videatur. Nam, sicut cadauer paulatim contabescit, & in vermes ac putredinem fatiscit: ita Regis corpus etiam viuum, quamuis sericis vestibus ornatum, & aureis monilibus amictum, & pretiosis gemmis coopertum, & suauissimis vnguentis delibutum; tamen instar cuiusdam spurcissimæ sentinæ, seu cloacæ, excrementitiam soluitur in tabem, & in teterrimã sordium congeriem variis suis meatibus liquescit. Hanc igitur sui corporis, seu potiùs cadaueris miseriam, si Rex Tyri prudens cogitaret; tantam in superbiam imprudens nequaquàm erigeretur.

dignitatis statu seuit & grassatur.

Regibus superba insultat.

Regis corpus adhuc viuentis cadauer dicitur.

XX. *Regna, aliena: tumulus, propria Regũ possessio.*

De Principe loquutus Dauid, *Exibit*, inquit, *spiritus eius, & reuertetur in terram suam.* Psal. 145. n. 4. Propriam illius terram appellat, non oppida, non vrbes, non Regna, quibus viuens imperabat: sed tumulum, puluerem, ac cineres, in quos moriens dissoluetur: hæc enim est propria Regum possessio; illa prior aliena. Laudabilis illa fuit veterum Imperatorum consuetudo, de qua agitur in Vita sancti Ioannis, cognomento, Eleemosynarij; quæ inter Vitas Patrum à Diuo Hieronymo, aliisque Auctoribus scriptas circumfertur. Nam, cùm quis ad imperatoriam dignitatem euectus primùm coronabatur; statim illi proponebantur quatuor, vel quinque marmorum ac diuersicolorum lapidum genera, vt eligeret, ex quibus vellet, sibi sepulcrum fabricari. Ne, scilicet, solio & corona superbus, vrnam ac tumulum, in quem tandem etiam Reges includuntur, obliuisceretur. Quem morem refert etiam Lyranus in morali expositione illorũ verborum: *Homo in cinerem reuertetur.* Iob. 14. n. 15. Sed Ioannes ille Eleemosynarius, vt citato loco refertur, imitatus illum morẽ, cùm primùm Alexandrinus Patriarcha declaratus est; statim præcepit, sibi sepulcrum effici, sed non perfici: vt in maximis totius anni celebritatibus, publicè admoneretur, imperfectum esse eius sepulcrum: quare citò perfici imperaret. Quem ritum optimus Pontifex instituit, vt etiam in magno apparatu recordaretur, se aliquando moriturum, & anniuersariæ celebritatis gaudia mortis recordatione, vel penitùs restingueret, vel magna ex parte temperaret.

D. Hier. *Laudabilis in creando Imperatore consuetudo.*

Gaudia, mortis recordatione temperanda.

XXI. *Cur in sepulcro naues sculpantur.*

Non latuit hæc veritas strenuissimum ducem Simonem Machabæum, qui, vt est in historia, *Ædificauit super sepulcrum patris sui & fratrum suorum, ædificium altum visu, & circumposuit columnas magnas: & super columnas arma ad memoriã æternam: & iuxta arma naues sculptas, quæ viderentur ab omnibus nauigantibus mare.* 1. Machab. 13. n. 17. & 29. Cum regiæ maiestatis insignibus naues coniunxit,

coniunxit, quæ humanæ vitæ fugacitatem portendebant. Vnde veteres Imperatores, teste Strabone lib. 7. pictis nauibus, pro regiis coronis vtebantur; vt illa imperatoria maiestas, non fitioo solo stabilita, sed fluctuante salo exagitata ostenderetur: & sicut naues quàm ocyssimè perlabentes nulla sui in aquis expressa vestigia relinquunt, ita palàm esset Regibus quàm citissimè morituris, omnem illorum memoriam apud homines penitùs abolendam. Situs autem nauium, quas bonus ille dux Simon construxit, talis fuit, *vt viderentur ab omnibus nauigantibus mare.* Nec immeritò. Vt qui in vita feliciter nauigabant, alias atque alias bonorum & fauorum auras colligentes; subinde respicerent illas naues, ad sepulcrales moles tanquàm ad infelices scopulos allisas; & ex alieno naufragio monerentur, sibi quoque tandem esse in angustissimo mortis freto naufragandum.

Strab.
Præterit mũdana gloria.
Alieno periculo sapiendum.

XXII. Prudentissimè quidem Samuel postquàm Saülem totius Israëlis Principem ac Regem salutauit, ad Rachelis tumulũ remisit: *Hoc*, inquit, *tibi signũ, quia vnxit te Deus in principẽ: cum abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta sepulcrum Rachel*, &c. 1. Reg. 10. n. 1. & 2. Quasi diceret: Coronam tibi obtuli: sed tu ad sepulturam perge. Regnum fastidies, si sepulchrum mediteris: cui te fastus regius non eripiet, sed includet. Vt Dauid suũ Regnum feliciter auspicaretur, imperatũ à Deo est, vt in Hebron sedem regiam collocaret, 2. Reg. 2. n. 1. & 11. At, cur non potiùs Ierosolymæ, quæ totius Regni Metropolis erat; vel etiã in vrbe patria Bethlehem: vt natalem sedẽ regiã illustraret? Rationem mihi videor aptam ad rem præsentem colligere ex Lyrano: Quia in Hebron sepulti erãt principales Patriarchæ, Adam & Eua, Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Lia. Vbi igitur erant veterum sepolcra Patriarcharum: ibi voluit Deus, vt regium palatium extrueretur: non solùm, vt Dauid imitaretur eorum exempla, sed etiam vt eorum funera meditaretur.

Rex primùm electus ad sepulcrum remittitur, vt mortis recordetur.
Lyran.
Mortis Reges continuò meditentur.

XXIII. Nomerantur in Scriptura posteri Esaü, quorum alij Reges; alij duces, alij aliis occupationibus dediti fuisse referuntur. Quo in loco illud vnum mysterio non vacat, quòd cùm aliorũ omnium mortes, qui Reges non fuerunt, taceantur; tamen mortes eorum, qui fuerũt Reges, scribuntur. Nam, vt Gen. 36. à n. 33. refertur: Regnauit Bela, & mortuus est. Regnauit Iobab, & mortuus est. Regnauit Husan, & mortuus est. Regnauit Adad, & mortuus est. Regnauit Semla, & mortuus est. Regnauit Saül, & mortuus est. Regnauit Balanan, & mortuus est. Pertinax profectò regnantium, & morientium commemoratio. At, cur tacitis aliorum mortibus, soli Reges mortui describuntur? Credo, vt soli Reges, qui sibi immortales esse videntur, ab hoc errore eximantur. Sciant ergo Reges, se, quamuis cæteris omnibus imperent, vni tamen morti parituros: & quamuis viuendi voluptate perfruantur; tamen moriendi necessitate non eximendos. Hinc illa veteris legis ceremonia, vt Reges ac Pontifices oleo sacro vngerentur, vt ad cap. 10. Num. 1. latiùs confirmabo. Hoc autem oleum fieri iubebatur, tum ex aliis aromatibus; tum etiam ex cinnamomo. Exod. 30. n. 23. Non sine mysterio. Nam cinnamomum, vt ibi Inter. obseruat, erat *cineritij coloris*: & Pontificum, ac Regum conuersionem in cineres significabat. Igitur nihil aliud erat initiari Pontifices, & inaugurari Reges, quã iniectò cinere suæ mortalitatis admoneri. Vides, vt nulla sit humanæ vitæ conditio, in qua mors non ti-

Regum præcipuè mortes in Scriptura memorantur.
Regis & Pontifices inunctio, mortis fuit admonitio.
Interl.

A mearur? Sicut igitur nullum viuendi tempus certum est: ita omne incertum moriendi. De qua re iterum in sequentibus.

SECTIO III.

Mors repentina summis pariter atque infimis timeatur.

I. Mortis repentinæ exempla, quæ in præsenti historia habentur, hinc clarissimos Principes occupantis, illinc vulgares milites opprimentis: satis monent, repentinum eius aduentum summis pariter atque infimis formidandum. B Qua de re multa & testimonia & exempla in medio congeramus. D. Basilius in orat. De morte, circa medium: *Perpende*, inquit, *obsecro, plurimos violentis periculorum incursibus esse raptos; quibus ne vocem quidem emittere ob mali irruentis atrocitatem permissum est. Quid igitur expectas tempus, quod incertum est, num cogitationum etiam tuarum dominus sis futurus?* Sic ille. Vbi plura de hac re. Quam D. Ephrem orat. in eos, qui in Christo dormierunt, latiùs prosequitur: *Multi*, inquit, *dum multa secum statuerent, ad crastinum non peruenerunt. At subitò rapti sunt, sicut passerculi ab accipitre, & velut agni à lupo, & quasi captiuus à latrone, nec loqui prorsus valentes, nec testamentum condere, neque vocem vllam edere. Alij enim vespere cubitum sani concedentes, ad mane non peruenerunt: alij ad mensam accumbentes expirarunt: alij inter ambulandum* C *& ludendum, repentè sunt mortui: alij in balneo morientes, idem lauacrum pro epitaphio ac sepultura habuerunt: alij, dum nuptias celebrarent, in ipso thalamo nuptiali, subitò atque inopinatè abrepti sunt: & eadem sibi vestimenta pro nuptiis parârunt, atque pro funere; successeruntque in locum tibicinum, lamentantes; & in locum saltantium, atque tripudiantium, lugentes atque plorantes.* Hæc ille.

Plurima repentina mortis & testimonia & exempla.
D. Basil.
D. Ephr.
Nihil morti incertum.

II. At verò D. Greg. Nazianzenus orat. 40. in sanctum Baptisma, rectè monet, ne quis longioris vitæ spe delusus à suscipiendo statim Baptismate remoretur, cùm sæpè contingat, vt breuissimam morulam interponens, à repentina morte per varios D casus debacchante intercipiatur: *Si hodiernum*, inquit, *diem semper preteriens, crastinum obserues, paulatim differendo quanto in periculo verseris.* Et statim enumerat inopinatos rerum casus, quibus se exponit, in tempore non suo moriturus; si nimirum, *Vel bellũ oppresserit, vel terræ motus obruerit, vel mare exceperit, vel bellua rapuerit, vel morbus extinxerit, vel mica panis transuersè per fauces currens, res vilissima (quid enim hominis interitu facilius, quantumuis ob diuinam imaginem glorieris?) vel immodica crapula, vel ventus in praeceps agens, vel equus sessorem secum abripiens, vel pharmacum de industria ad insidias comparatum: fortasse etiam pro salutari pestiferum inuentum, vel inhumanus index, vel inexorabilis carnifex; vel denique quidpiam* E *eorum, quæ celerem mortem atque omni ope & auxilio validiorem efficiunt.*

D. Greg.
Bona opera vitæ minimè differenda.
Plurimis patet interitus hominũ vita.

III. Non minùs copiosè & luculenter Tertul. lib. de anima, c. 52. multis exemplis ostendit, mortem contingere repentinam, etiam inter magnas voluptates: immò tunc maiori cum dolore, quàm inter magnas aduersitates. Inter amara enim amarum mortis calicẽ haurire, leuiùs quisquis feret: inter dulcia & suauia, quis patiatur? *Etsi*, inquit, *pra gaudio quis spiritum exhalet, vt Chilon Spartanus, dum victorem Olympia filium amplectitur; etsi pre gloria, vt Clidemus Atheniẽsis, dũ ab histrionibus ob*

Tertul.
Mors repentina inter magnas voluptates.

ob præstantiam auro coronatur; etsi per somnium, vt Platoni; etsi per risum, vt P. Crassus: multò violentior mors, qua per aliena grassatur; quæ animam per commoda expellit; quæ tunc mori affert, cùm iucundius viuere est, in exultatione, in honore, in requie, in voluptate. Quod statim illustrat eleganti similitudine desumpta à naufragiis, quorum acerbiora iudicantur, quæ in serenitate contingunt. *Vis est*, inquit, *& illa nauigiis, cùm longe a Caphareis saxis, nullis depugnata tui binibus, nullis quassata decumanis, adulante flatu, labente cursu, latante comitatu, intestino repente perculsu, enim tota securitate desidunt. Non secus naufragia sunt vita, etia tranquilla mortis eueniunt. Nihilo refert, integrà abire corporis nauē, an dissipatā; dū animæ nauigatio euertatur.* Sæua igitur semper est mors: & eò sæuior, quò minori sæuitia præludit, & callidioribus blanditiis adulator.

Acerbius nihil, quàm voluptatibus morte intermenire.

IV. Bernard. *Mors crux est.*

Vnde D. Bernard. serm. De villico iniquitatis, aut quisquis est illius Auctor, mortem quacūque ex causa contingat, crucem appellat: in qua vita, non nisi cum violentia profunditur. *Mors*, inquit, *ipsa est crux horribilis, ad quam quotidie festinas, & non attendis. Vide quomodo mors te crucifigit. Crura distenduntur, manus & brachia decidunt, pectus anhelat, ceruix languescit, labia spumant, oculi stupescunt, vultus horrescunt, facies exsudat, & morte tacta pallescit. Et hæc vtique qua videmus deforis, & qua sentimus, leuia sunt, ad ea, qua intus anima miserabilis iam pragustat.* Sic ille. Et pergit plures huius mortis acerbitates ac difficultates recensere. Quo in sensu quęlibet mors appellari potest violenta: ne quis se immunem ab hoc moriendi agone & cruciatu futurum arbitretur.

Mors corpori acerba, animo acerbior.

V. D. August. *Multiplex repentina mortis causa.*

Circa idem argumentum latè spatiatur D. Aug. lib. 22. Ciu. cap. 22. docens ab innumeris casibus mortem repētinam prouenire. *Ab æstibus*, inquit, *frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluuionibus, coruscatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus hiatibusque terrarum, oppressionibus ruinarum, ab offensione & pauore, vel etiā malitia iumentorum, à tot venenis fruticum, aquarum, aurarum, bestiarum, à ferarum vel tantummodo molestis, vel etiam mortiferis morsibus, à rabie, qua contingit ex rabido cane, vt etiā blanda & amica suo domino bestia, nonnunquā vehementiùs & amariùs quàm leones draconesq́; metuatur. Quæ mala patiuntur nauigantes? Qua terrena itinera gradientes? Quis ambulat vbicunque, non inopinatis subiacens casibus? Quid videtur sedente securius? De sella, in qua sedebat, cecidit Heli, & mortuus est.* Hactenus D. Aug. Vbi de morborum remediis (vt hoc obiter dicam) eleganter addit: *Etiam ipsa adiumēta & medicamenta, tormenta sunt, vt homines à pænarum exitio, pænali eruantur auxilio.* Et vtinā semper essent auxilio; verùm sæpenumerò per ipsa mortis auertendæ remedia mors acceleratur. De hac iterum D. Aug. in Soliloquiis, c. 2. vbi post multa de humanæ vitæ miseriis subdit: *Subsequitur his importuna mors, qua mille modis quotidie miseros homines inopinatè rapit. Hunc necat febribus, illum opprimit doloribus, hunc consumit fames, illū sitis extinguit; hunc suffocat aquis, illum interimit laqueo; illum perimit flammis, alium dentibus bestiarum ferocium vorat; hunc trucidat ferro, illum veneno corrūpit; alterum tantum repentino terrore miseram vitā finire compellit. Et nūc super hac omnia magna miseria; quia eum nihil sit certius morte; ignorat tamen homo finem suum, & cum stare putat, colliditur, & perit spes eius.*

Medicamenta sunt tormenta. D. August.

VI. D. Ambr. *Repentinus humana vita casus.*

Accedit D. Ambros. lib. 3. Hexam. c. 7. vbi ad illa verba: *Omnis caro fænum, & omnis gloria eius, quasi flos agri: exsiccatum est fænū, & cecidit flos.* Isai. 40. n. 6. repentinos humanæ vitæ casus eleganter expendit: *Viret*, inquit, *gloria hominis in carne, quasi*

A *fænum: & qua putatur esse sublimis, exigua quasi herba est: germinat vita viriditatem in specie, non in fructu soliditatem hilarioris vita: quasi flos prætendens iucunditatem, breuiori spatio occasura: sicut herba fæni, quod prinsquàm euellatur, arescit. Qua enim firmitudo in carne, qua salubritas potest esse diuturna? Hodie videas adolescentem validum, pubescentis ætatis virtute florentem, grata specie, suaui colore: crastina die, tibi facie & ore mutatus occurrit: & qui pridie tibi lautissimus decora forma visus est gratia, alio die miserandus apparet, agritudinis alicuius infirmitate resolutus. Plerosque aut labor frangit, aut inopia macerat, aut cruditas vexat, aut vina corrūpunt, aut senectus debilitat, aut euiratos delicia reddūt, luxuria decolorat.* Et paulò pòst, propiùs ad rem præsentem,

Homo mutationi obnoxius.

B subitos casus & inopinatas mortes admiratus: *Quantos, inquit, pridie caterua plaudentium, & inuidiosa fauentis populi frequens pompa domum deduxit: & nox vna illum splendorem gloriosa deductionis aboleuit; ac repentinus lateris dolor, effusis gaudiis, luctuosam successionem grauis mœroris admiscuit?* Hæc ille.

VII. *Iusti immatura morti succumbunt.*

Nec ab his mortibus repentinis ac violentis semper excipiuntur Sancti. Nam & hi quàdoque cita & intempestiua morte præripiuntur: vt & Scriptura supponit, dicens: *Iustus autem, si morte præoccupatus fuerit.* Sap. 4. n. 7. Et sanctus Anastasius Nicenus in Scripturam q. 17. latiùs ostendit, tres huius prouidentiæ rationes assignās. Vnā, vt multi salutem; quo pacto Christus Dominus violentæ morti succubuit, vt nos in gloriosā vitā ex-

Anast. Nicen. *Primò, vt multi salutem.*

C citaret. Alterā, vt mali terreantur; quo pacto filij Iob subita domus ruina sepulti perierunt, vt peccatores iustorum casum intuentes, suā ruinā præcauerent. Tertiam, vt ipsi iusti à leuioribus noxis, quas vt homines contraxerunt, per hanc mortis violentiā expurgentur, quo pacto Nadab & Abiu repentino incendio deflagrarūt, per quod leuiora eorum peccata excoquerentur. Cui postremæ rationi confirmandæ, narrat, quendam Anachoretam, virtutibus & prodigiis clarum, ab hyena miserabiliter laceratum ac deuoratum: quo tempore vicinioris vrbis Princeps sceleratissimus, cum funebri pompa & apparatu, cum vnguētis & suffitibus ad sepulturam efferebatur. De qua dispari-

Secundò, vt mali terreantur.

Tertiò, vt per mortis violentiam expurgentur.

D tate, Anachoretæ discipulum cum Deo expostulantem, audiuisse, Principem illum inter multa scelera, vnum bonum opus habuisse, cuius præmium reciperet cum honore sepultus; sceletum pœnas recepturus, ad gehēnam relegatus: at verò Anachoretam inter eximias virtutes quandam noxam contraxisse, cuius pœnam subiret, deuoratus ab hyena; virtutum præmia subiturus, ad cælestem patriam euectus. Itaque huic miseriæ humana vita exponitur, vt repentinis sæpè casibus allidatur. Qua de re ex profanis Auctoribus consule Plinium lib. 7. natur. hist. c. 53. plurimas hominum mortes repentinas commemorantem.

Cur iniustus sepulcralibus honoribus donatur, in iustus cumuletur.

Plin.

VIII. *Reges, & Principes repentinis mortibus patent.* Iuuenal.

Sed quid de Regibus? Quid de Principibus? An

E & ipsi aliorum pœnis subiiciuntur, & repentinis mortibus præoccupantur? Immò nulli homines frequentiùs, quàm Principes, tales à morte insidias patiuntur. Vnde illud Iuuenalis Satyra 10.

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt Reges, & sicca morte Tyranni.

Res in primis patet in sacris Literis. Nā Rex Saül periit à se ipso interemptus. 1. Reg. 31. n. 4. Rex Ela à seruo suo occisus. 3. Reg. 16. n. 10. Rex Zambri cum domo regia à se ipso incensus. Ibid. n. 18. Rex Syriæ Benadad à seruo suo strangulatus. 4. Reg. 8. n. 15. Rex Ioas à duobus seruis suis interfectus. 4. Reg. 12. n. 21. Rex Zacharias à Sellum

filio Iabes percussus.4.Reg.15.n.10. Rex Sellum talionem passus à Manahen filio Gadi. Ibidem, n.14. Rex Phaceia filius Manahem à Phace filio Romeliæ subitò oppressus.Ibid.n.25.Rex Phacee pari talione ab Osee obtruncatus. Ibid.n.10. Rex Amoo à seruis suis, & in domo sua confossus. 2. Paralip.33. n.24.Rex Iosias à Sagittariis vulneratus.2.Paralip.35.n.24.Et sic de cæteris.

IX. *Discordia qui maxima dilabuntur.*

Et quidem de Regibus Samariæ rectè dicitur: *Diuisum est cor eorum: nunc interibunt.* Oseæ 10. n.2.quia,interprete Rup.vbi se à Dauidis imperio diuiserunt,decies in se ipsos rebellarunt,alij alios occidentes. Vnde statim spumæ comparantur: *Transire fecit Samaria Regem suum, quasi spumam super faciem aquæ.* Ibid.n.7.Quia, *sicut in feruente olla*, inquit Rupertus, *superiores aquæ in spumam, bullásque erumpunt,ipsæq; bullæ subsilientes colliduntur,& aliis emergentibus, alia crepant, & dissiliunt: ita Samaria,vel decem Tribus iugi feruẽtes igne discordia, Reges alios super alios crearunt, & vsque ad decem vices percusserunt.* Sic mors inter eos Reges sanguinariis armata telis grassabatur. Scilicet, quos interna potentia firmiùs muniebat, eosdem externa inuidia acriùs oppugnabat.

Reges spumis ac bullis comparantur.

Inuidia potentiæ comes.

X. *Repentina externorum Regum ac Principum mortes.* Hier.

Nescio, an inter alios Mundi Principes mors licentiùs debaccharetur: tam multi sæpè repentinum in interitum præcipites abibant. Testis sit Diuus Hieronymus in epist. 3. ad Heliodorum, sub finem, vbi de hac re longum edidit catalogum: *Constantius*, inquit, *Arianæ fautor hæreseos, dum contra inimicum paratur, & concitus fertur ad pugnam,in Mopsi viculo moriens magno dolore hosti reliquit imperium. Iulianus proditor animæ suæ, & Christiani iugulator exercitus, Christũ sensit in Media, quem primum in Gallia denegarat: dúmque Romanos propagare vult fines,perdidit propagatos. Iouinianus, gustatis tantũ imperialibus bonis,fœtore prunarum suffocatus interiit;ostendens omnibus, quid sit humana potentia. Valentinianus, vastato genitali solo,& inultam patriam derelinquens vomitu sanguinis extinctus est. Huius germanus valens Gothico bello victus in Thracia, eundem locum & mortis habuit & sepulcri. Gratianus ab exercitu suo proditus, & ab obuiis vrbibus non receptus,ludibrio hosti fuit, cruentæq; manus vestigia parietes tui, Lugdune, testantur. Adolescens Valentinianus,& penè puer, post fugam, post exilia,post recuperatum multo sanguine imperiũ, haud procul ab vrbe fraterna mortis conscia, necatus est,& cadauer exanime suspendio infamatum. Quid loquar de Procopio,Maximo,Eugenio,qui vtique dum rerum potirentur,terrori Gentibus erant? Omnes capti steterunt ante ora victorum, & (quod potentissimis quondam miserrimum est) priùs ignominia seruitutis, quàm hostili gladio confossi sunt. Regũ talis conditio est. Feriuntq; summos fulgura montes.* Sic Hieronym.

XI. D. Petr. Dam. *Longa repẽtinè morientium series.*

Eadem de re luculenter scripsit D.Petrus Damianus lib.1.epist.17.*Seculares*, inquit, *Principes, qui turbis popularibus præsunt, sæpè gladiis perimuntur. Nam vt de multis paucos adhibeam,Caius,Claudius,Nero,Galba,Otho,Vitellius,omnes isti Imperatores per continuam sunt seriem, vnus post alterum principati, & excepto Claudio, cuncti sunt, vel suis, vel hostilibus gladiis interempti. Postmodum quoque sicut Romana narrat historia,Marcianus, Antoninus, Alexander,Maximus, Gordianus, Decius, Gallus, Volusianus:omnes hi seriatim sibimet per continuum ordinem succedentes,gladio trucidante,prostrati sunt.* Hæc ille. Et lib.7. epist. 5. multò plures commemorat Imperatores, repentina morte oppressos: additque ex Romanis historiis liquidò constare, quàm pauci Reipublicæ Principes cõmuni morte defecerint.Ex quibus nonnulli violenta morte

Omnes pene Romani Imperatores repentina morte oppressi sunt.

A erepti, in vitâ ipsa morte miserabiliorem inciderunt. Qualis fuit Valerianus Imperator cum Sapore Persarum Rege congressus, & victus. *Qui nimirum*, inquit Damianus, *ignobili apud Parthos seruitute consenuit, & quoad vixit, huic probrosa addictus est pœna,vt eiusdem Prouinciæ Rex, incuruato eo,pedem ceruicibus eius imprimeret, & sic in equum arrogantia tumidus assiliret. Quis est enim,cui se fortuna non transferat, & modò de aduersis in prospera, modò de prosperis in aduersa, scenica se varietate conuertat?* Ita ille.

Seruitus ipsa morte miserabilior. D.Petrus Dam.

Insignes fortunæ alternat, obscuros promens.

XII. *Infelices Cæsaris,& Pompeij interitus.* D.Petrus Dam.

Iam verò illa duo clarissima Romani imperij lumina & columina, Cæsar & Pompeius, quos vitæ exitus habuerunt? *Pompeius*, inquit Damianus,*duobus & viginti Regibus in Oriente superatis,*

B

tandem vilis Achilla gladio detruncatus occubuit.Cæsar etiam,quem victoria cupidum totus occiduus Orbis satiare non poterat; cui velut quidam contradictionis obex,vt ita loquar, importunus & arrogans Oceanus obsistebat:cuius ora flammantia innumerabiliũ strages Gentium non complebant; senatorios intra Curiã gladios pertulit, à quibus vtique vigintiduabus plagis confossus periit. Sic ille. Hæc,pluráque alia exẽpla, non solùm ab Imperatoribus, sed etiam ab Imperatricibus,Cleopatra,Semiramidéque desumpta, postquàm Damianus cõmemorauit, subdit: *Cum ergo fallax huius Mundi felicitas, tot calamitatibus sit obnoxia, cùm potentia temporalis tot casibus variando subiaceat, & rerum ordo se se velut scenica vertiginis alternitate confundat: quis sanæ mentis à*

C

rebus tam friuolis,támque fugacibus animũ non auertat? Non minorem de his casibus, repentinisque mortibus elenchum texuerunt Petr. Blesensis in Tract.De Hierosolymitana peregrinatione, & in epist. 42. ad Robertum Cameracensem electum: & Salm.tom. 8. Tract. 3. in 11. Fidei ostensione.

Instabili mũdi gloria, nemo sanæ mẽtis alludet.

Petr.Bles.

XIII. *Catholici Reges mortibus repẽtinis succumbunt.*

Verùm neque Principes Catholici hanc mortis tyrannidem euaserunt,intempestiuo violentóque interitu præoccupati. Ita perierunt Federicus Imperator anno 1589.vt scribit Æmilius lib.6. Philippus Princeps Galliæ,vt scribit Ritius lib. 2. Alexander III.Scotiæ Rex,anno 1290. vt scribit Polydorus lib. 17. Casimurus II. Poloniæ Rex, anno 1370.vt scribit Cromerus lib.12. Alfonsus Infans filius Ioannis II.Regis Lusitaniæ,vt scribit

Æmilius. Ritius. Polyd. Cromer.

D

Osor.lib.1.historiæ Regis Emmanuelis. Ioãnes I. Castellæ Rex, vt scribit Mariana lib.18.cap.13.& alij,quos colligit Pineda noster,in eo, quod composuit, priuilegio Conceptionis, aduertentia 2. Quare singulis Regibus expendendum erat illud propheticum; *Sicut mane transit, pertransiit Rex Israël.* Oseæ 11 n.1.Matutino tempore,præsertim in vernis mensibus, quid lætius, quid iucundius? Sole nanque oriente erumpunt flores, gemmant arbores,renident prata, argenteum candorẽ imitata decurrunt flumina,festiuas in choreas exiliũt pecudes, vocales auiculæ suauissimè cantillantes libero cælo potiuntur: omnia denique è tenebris in lucẽ, quasi è morte in vitam restituta exhilarãtur. Magna iucũditas, nisi maior breuitas consequatur.

Osorius. Marian. Pined.

Regum felicitas, mane pertransiens.

E

Assurgente enim Sole,& summũ cæli verticẽ occupãte:ecce tibi arescunt flores, marcescũt arbores,flauescunt prata,torpescunt flumina,languescunt pecudes,obmutescunt volucres: omnia denique admoto veluti incendio ignescũt. Testis ille filius Sunamitidis, 4. Reg.4. n.18. & vir ille Iudith nomine Manasses, Iudith 8. n.3. in quos Solis æstus feralis incubuit,vtrunq; repentè occidens.Sicut igitur mane transit,pertransiit Rex Israel. Vix præsentis vitæ felicitatẽ prælibauit, cũ in extremã mortis calamitatem ruit,nihilò quàm matutinũ tẽpus in sua felicitate diuturnior;imò nescio,

Immò citiùs quam mane euanescit.

Rupertus.

nescio, an deterior: vt Rup. egregiè obseruat: *Citò enim*, inquit, *mane transit; veruntamen iterum reuertitur: Rex autem Israel non reuertetur amplius.* Quod statim Propheta significauit, vt ipse Rupertus expendit. Nam, *cùm dixisset*, inquit, *Sicut mane transit; non contentus fuit, dixisse; Transit Rex Israël: sed omnimodum & irreuocabilem exprimens transitum; Pertransiit, inquit, Rex Israel: quia iam vltrà non rediturus est.* Atque hæc de Regibus.

XIV. *A Sūmis Pōtificibus mors repentina nō abstinet.* D. Aug.

Sed quid de Pontificibus? Sæuiénsne in Reges mors, in Pontifices mitescit? Ipse consulatur Pontifex Heli, à quo mors violentas manus non abstinuit. Mirabile est illud paradoxum, de quo suprà, sanctissimi Doctoris Augustini, q. 82. & 83. in Leuiticum, dicentis, Summos Pontifices legis veteris, Dei gratia nunquam ægrotasse, nec solitos fuisse, nisi subitò mori, nulla præcedenti ægritudine. Cuius opinionis fundamentum, quamuis infirmum sit; vt in Litera Num. 18. iam ostendi: tamen, si opinio vera est, præsertim tanti Patris iudicio stabilita; facilè ex ea colligitur, quanta olim violentia Summos Pontifices mors aggrederetur. Colligitur item, quanta auiditate veteres illi Pontifices ad illum supremum honorem adspirarunt. Nam scientes se in illo gradu derepentè morituros; non propterea ab ea dignitate ambienda & obtinenda deterrebantur. Quasi dicerent: Moriamur, dum imperemus.

Dominandi vices etsi malis immersam homines ambiunt.

XV. D. Petrus Dam. *Apostolicæ Sedis Antistites citissimè moriuntur.*

Cæterùm, quidquid sit de hac re, saltem nouæ legis Pontifices, si non subitò, certè intra breuissimum temporis spatium moriuntur. Vnde D. Petr. Dam. lib. 1. epist. 17. ad Papam Alexandrum: *Aliquando*, inquit, *à me requisisti, quæ mihi causa videretur, cur Apostolicæ Sedis Antistes nunquam diutiùs viuat; sed intra breue temporis spatium diem claudat extremum: adeò vt post Diuum Petrum Apostolum, qui per quinque circiter annorum lustra præsedit; nemo postmodum Romanorum Pontificum, hoc spatium præsulatus æquauerit. Modernis immò temporibus vix quisquam in prædicta Sedis culmen euehitur, qui metam quatuor, vel vt multùm quinque transcendat annorum. Quod considerantibus nobis, prodigialis, vt ita loquar, stupor oboritur.* Et paulò pòst huius prouidentiæ rationem assignans: *Idcircò*, inquit, *hoc iudicij cælestis ordo disponit, vt humano generi metum mortis incutiat; & quàm despicienda sit temporalis vitæ gloria, in ipso gloriæ principatu euidenter ostendat: quatenus dum præcipuus hominum tam angusti temporis compendio moritur, tremefactus quisque ad præstolandi sui obitus custodiam prouocetur; & arbor humani generis, dum cacumen ac verticem suum tam facilè corruisse considerat, flatu concussa formidinis in suis vndique ramusculis contremiscat.*

Primò, vt timor mortis hominibus incutiatur.

Secundò, vt vitæ gloria fucosa esse ostendatur.

XVI. *Breuissima Summorū Pōtificum vita colliguntur.*

Breues quidem in angustias Pontificum vitas conclusit Damianus, fateor; dum vltra quatuor, quinquéve annos non extendit: in breuiores tamen mihi videntur coarctatæ, si Pontificum historiæ consulantur. Antiquam memoriam replicemus, inueniemus procul dubiò, veteres aliquos Pontifices, Anteros, Lucios, Xistos, Eusebios, Anastasios, Bonifacios, Adrianos, Gelasios, aliósque, vix integrum annum suo in Pontificatu expleuisse. Quid annum memoro, cùm ad breuiores periodos nonnulli contrahantur, qui non annos, sed menses attigerunt? Agapitus I. & Lucius II. menses vndecim. Leo II. & Benedictus II. & Alexander V. menses decem. Clemens II. & Bonifacius III. menses nouem. Marcus vnicus huius nominis, & Ioannes XIV. & Ioannes XX. noster Olyssiponensis, vt ferunt, menses octo. Stephanus X. menses septem. Stephanus IV. & Leo VI. menses sex. Celestinus II. & Innocentius V. & Celestinus V. menses quinque. Ioannes XVI. & Ioannes XVII. menses quatuor. Innocentius IX. nostris temporibus, non multis abhinc annis, mēses duos. Valētinus vnicus, & Leo V. & Adrianus V. & Gregor. VIII. mensem vnum. Proh! quæ angustiæ, tam amplo in principatu! Sed alij tamen angustiores ad terminos coacti, non annos, aut menses, sed pauculos dies in Summo Pontificatu impleuerunt. Leo XI. nostro seculo, dies viginti-septem. Pius III. dies vigintisex. Damasus II. dies vigintitres. Marcellus II. dies vigintivnum. Sisinnius vnicus, dies viginti. Celestinus IV. dies septendecim. Bonifacius VI. dies quindecim. Vrbanus VII. nostra ætate, dies septem. Stephanus II. dies quatuor. O termini dominandi! qui etiam in extrema miseria videri possent angusti; quidni, in suprema gloria angustissimi videantur?

Quidā vnicū annū vixerunt.

Alij non annū, sed menses computarunt.

Tandē alij nec mēses quidē, sed pauculos dies expleuerunt.

XVII. D. Bernar. *Ex prædecessorum mortibus, suas timere debent successores.*

Rectissimè igitur D. Bernardus in epist. 237. Eugenium Papam adhortatur, vt ex breuissimo suorum prædecessorum dominatu, suum quoque similem fore non vanus augur meditetur: *In omnibus*, inquit, *operibus tuis, memento, te esse hominem: & timor eius, qui aufert spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in breui Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores tui, sua certissima & citissima decessione admoneant: & modicum tempus dominationis eorum, paucitatem dierum tuorum nuntiet tibi. Iugi proinde meditatione inter huius transeuntis gloriæ blandimenta, memorare nouissima tua: quia, quibus successisti in sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortē.* Quis ergo sic insaniat, vt ad tam multas, non infimorum tantùm, sed etiam summorum hominum mortes, se putet immortalem? Quis adeò stultescat, vt in tantorum Principum occasu, suam quoque ruinam non reformidet?

Mortis recordatio non intermittenda.

XVIII. *Aliorum funera sint specula, in quibus nostra speculemur.*

Balthasarem splendidè epulantem tres digiti in pariete aulæ regiæ scribentes terruerunt. *Et eadem nocte*, inquit Textus, *interfectus est Balthasar Rex Chaldæus.* Dan. 5. num. 30. Cuius mortis celeritatem contemplatus Isaias: *Emarcuit*, inquit, *cor meum; tenebræ stupefecerunt me. Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum.* Isai. 21. num. 4. Vbi non immeritò admiratur Propheta, tantam Imperij molem tam subitò in cineres ac fauillas corruisse. Et ne cæteri Reges se à simili infortunio liberos arbitrarentur, subdit Propheta, alloquens Babylonem, & in ea cæteros Mundi Principes: *Pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes: surgite, Principes, arripite clypeum.* Ibidem, n. 5. Quasi diceret: Etiam cùm ad conuiuium accediris, sepulcrum recogitate. Aliorum funera sint vobis specula; in quibus vestra, citiùs fortasse quàm putatis, affutura spectetis. Vel aliter: Etiam, cùm mensæ accumbitis, oportet esse in specula, seu more speculatorum vigilare; si quod hostium aduentantium signum inferatur. Nam etiam inter epulas inuadunt hostes, & prælia inter conuiuia exoriuntur. Quare, Principes, è mensis surgite ad pugnas, & e poculis ad clypeos conuolate, antequàm repentina vos calamitas aggrediatur. Si igitur vnius Balthasaris ruina cautos nos facere debet, & attonitos; quid tantorum Principum interitus, qui in singulas horas mortis gladio demetuntur?

Etiam mensa sit specula, ex qua futura mors prospiciatur.

XIX. *Qui longissimā sibi vitā promittūt, ad breuissimam contrahūtur.*

Subitæ mortis terrorem, vt Christus Dominus omnibus incuteret, parabolam proposuit diuitis auari, dicentis animæ suæ: *Anima, habes multa bona posita in annos plurimos.* Et subitam de cælo vocem audientis: *Stulte, hac nocte animam tuam repetūt à te.* Luc. 12. n. 19. & 20. Nam, vt bene D. Greg. lib. 22. Moral. cap. 2. *Eadem*, inquit, *nocte*

D. Greg.

fublatus eft, qui multa tempora fuerat preftolatus; vt fcilicet, qui in longum fibi fubfidia colligendo profpexerat, fubfequentem diem, vel vnum minime videret. Si igitur vnius diuitis repentina mors fatis fuit ad terrendos plurimos; cur mors repentina plurimorum fatis non fit ad vnum perterrẽdum?

Multorũ repentina mors vnumquenque noftrum perterreat.

Cum D. Paulus Troadem ingreflus ad multam noctem magno in conuentu prædicaret, adolefcens nomine Eutychus, inter cæteros quoque auditor, merfus fopore graui, *Cecidit de tertio cænaculo*, ex quo audiebat, *deorfum, & fublatus eft mortuus*. Act. 20. num. 9. Quo cafo foluta eft concio, licèt multa Apoftolo dicenda fupereffent, immò & plura ex ipfo cafu emetgerent inculcanda. Sed non immeritò. Nam, vt bene D. Chryfoftom. hom. 43. in Acta: *Pro Doctore cafus fuit.* Quafi diceret: Repentina illa mors optimi Doctoris & Prædicatoris munus compenfauit; quidquid poffet optimus Prædicator admonere, aptiùs illa mors admonere videbatur. Si igitur repentinus vnius adolefcentis cafus optimi Doctoris partes expleuit; quid tot funera, tot ruinæ, tot interitus, quot paffim in toto orbe experimur?

D. Chryf. Mors Prædicatoris partes fupplet.

XX. Vtinam fua cuique mors perpetuò ob oculos verfaretur; vtinam omnes affiduam mortis cogitationem, tanquàm optimam ad pietatem magiftram fequerentur. Haud dubium, quin omnia ab animis peccata exularent, & mores mortis magifterio refloretent. Primũ parentem vt Deus olim contineret in officio, & à peccato refrænaret, vna mortis cogitatione armauit; pœnam mortis, fi de ligno fcientiæ boni & mali ederet, comminatus: *In quocunque*, inquit, *die comederis ex eo, morte morieris.* Genef. 2. n. 17. Nam, vt bene D. Aug. lib. 2. de Gen. contra Manichæos, ad finem, *Nihil*, inquit, *fic reuocat homines à peccato, quemadmodum imminentis mortis cogitatio.* Quod ipfe Diabolus non ignorans, vt Euam ad peccandum impelleret, mortis metu exarmauit: *Nequaquàm*, inquit, *morte moriemini.* Genef. 3. n. 4. Dum enim homines hoc fræno exfoluuntur, in omnem peccandi licentiam relaxantur; iuxta illud Dauidicum: *Non eft refpectus morti eorum*, &c. *Ideò tenuit eos fuperbia. Operti funt iniquitate, & impietate fua*, &c. Pfal. 72. num. 4. & 6. Vbi D. Hieron. *Quod*, inquit, *non cogitauerint de morte fua; ideò tenuit eos fuperbia.* Immò & in cætera vitia præcipites abierunt, à quibus fibi procul dubiò temperarent, fi vno mortis metu frænarentur.

Mortis cogitatio vitia ad peccata cauenda.

D. Auguft.

D. Hier.

XXI. Moras aliquas traxit cæleftis Sponfa in diuino ad fe Sponfo recipiendo. Nam pulfantem & implorantem, vt fibi oftium aperiret, aufterior & feuerior repellebat, dicens: *Expoliaui me tunica mea; quomodo induar illa? Laui pedes meos; quomodo*

Ex mortis contemplatione defectus in diuino obfequio corriguntur.

A *inquinabo illos?* Cant. 5. num. 3. Sed tandem nefcio quo acta feruore, & quo afflata fpiritu, *Surrexi*, inquit, *vt aperirem Dilecto meo.* Ibid. num. 5. Vnde, quæfo, tam repentina mutatio? Sequitur, *Manus meæ ftillauerunt myrrham*, &c. Quæ verba mihi videntur caufam illius mutationis continere. Nam myrrha, interprete Diuo Gregor. Niffen. *Mortis fymbolum eft.* Dum igitur Sponfa affidua cogitatione mortis memoriam replicauit, ad maiorem vitæ perfectionem furrexit: & quæ paulò antè quodam negligentiæ veterno fepulta quodammodo iacuerat; mortis contemplatione excita ad diuinum cultum atque obedientiam euigilauit. *Anima*, inquit D. Greg. citatus, *per mortem è morte refurgit. Nam, fi non moriatur,*
B *femper manet mortua, neque vitæ capax eft. At moriendo, vitam confequitur, omni mortalitate depofita.* Et quamuis D. Gregorius de carnis mortificatione loquatur, per quam ad veram perfectionem afcenditur: poffet tamen loqui de mortis contemplatione, per quam ad æternam vitam euolatur.

D. Greg. Niff.

Huc referri poteft illud, quod facra narrat Hiftoria de Abrahamo, qui poftquàm vxori fuæ Saræ demortuæ parentauit; *Surrexit ab officio funeris.* Gen. 23. num. 3. Vbi non dicitur receffiffe, fed furrexiffe: magno fortaffe cum myfterio; hoc eft, ad altiorem, perfectiorémque viuendi ftatum euafiffe. Dum enim vxoris fuæ Saræ mortem tacita apud fe cogitatione volutauit, ad perfectiorem vitam confcendit. Quod difficile non erit ex
C ipfa Litera confirmare. Nam paulò antè mortem Saræ, conftitutus à Deo fuerat terræ poffeffor; iuxta illud: *Poffidebit femen tuum portas inimicorum fuorum*, &c. Genef. 22. num. 17. Sed poft mortem Saræ, factus eft terræ contemptor, dicens ad Hethæos: *Aduena fum, & peregrinus apud vos.* Gen. 23. num. 4. Quafi ex mortis confideratione ad vitæ contemptum induceretur. Quod Diuus Chryfoft. homil. 48. in Genef. expendens, *Monftrat*, inquit, *nobis Scriptura virtutem Patriarchæ per omnia: fpe futurorum defpiciebat præfentia; & expectatione maiorum bonorum, minùs curabat ea, quæ in præfenti vita funt.* Nec mirum. Cur enim temporalia bona non contemneret, qui mortem omnium bonorum temporalium deprædatricem
D contemplabatur? Nullum igitur effe poteft aptius ad virtutem magifterium, quàm quod fub affidua mortis cogitatione fufcipiatur. XXII.

Ad maiorem perfectionem afcenditur, cùm ad contemplandam mortem euolatur.

D. Chryf.

Quare Heli, qui fedens in cathedra viuus, duos ad bonam frugem erudire non potuit adolefcentes; corruens è cathedra mortuus, falutarem ad optimos mores inftillat omnibus difciplinam. Sed de hac re ad cap. 2. nonnulla diximus, & plura ad cap. 10. dicemus. Nunc ad cap. 5. XXIII.

LIBER

LIBER PRIMVS REGVM.

CAPVT QVINTVM.

1. PHILISTHIIM autem tulerunt Arcam Dei, & asportauerunt eam à Lapideadintorij in Azotum.
2. Tulerúntque Philisthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon.
3. Cúmque surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eum in locum suum.
4. Rursúmque mane die altera consurgentes, inuenerunt Dagon iacentem super faciem suam in terra coram Arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abscissæ erant super limen.
5. Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon, & omnes, qui ingrediuntur templum eius, super limen Dagon in Azoto, vsque in hodiernum diem.
6. Aggrauata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos: & percussit in secretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius, & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in ciuitate.
7. Videntes autem viri Azotij huiuscemodi plagam, dixerunt: Non maneat Arca Dei Israël apud nos: quoniam dura est manus eius super nos, & super Dagon deum nostrum.
8. Et mittentes congregauerunt omnes Satrapas Philisthinorum ad se, & dixerunt: Quid faciemus de Arca Dei Israël? Responderúntque Gethæi: Circunducatur Arca Dei Israël. Et circunduxerunt Arcam Dei Israël.
9. Illis autem circunducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis, & percutiebat viros vniuscuiusque vrbis, à paruo vsque ad maiorem, & computrescebant prominentes extales eorum. Inierúntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.
10. Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron. Cúmque venisset Arca Dei in Accaron, exclamauerunt Accaronitæ, dicentes: Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, vt interficiat nos, & populum nostrum.
11. Miserunt itaque & congregauerunt omnes Satrapas Philisthinorum, qui dixerunt: Dimittite Arcam Dei Israël, & reuertatur in locum suum, & non interficiat nos cum populo nostro.
12. Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valdè manus Dei: viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium: & ascendebat vlulatus vniuscuiusque ciuitatis in cælum.

CAPITIS QVINTI ARGVMENTVM.

Diuisio Capitis in duas partes.

BIfariam diuiditur hoc Caput. In priori parte abducitur Arca in Palæsthinam: infertur in templum Dagonis: deiicitur & colliditur falsi Numinis simulacrum: variis plagis sacrilegi raptores à Deo flagellantur. In posteriori Philisthini propter Arcam diuinitùs flagellati, consilium ineunt de illa ad Hebræos remittenda. Vtranque partem, & ad Literam exponemus, & ad mores illustrabimus.

Num. I. Philisthijm autem tulerunt Arcam Dei, & asportauerunt eam à Lapide adiutorij in Azotum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Auct. mir. Script. Tollitur Arca cum Philisthinorum gaudio, & Iudæorum mœrore.*

TVlerunt Arcam Dei. Credo, cum ingenti gaudio, & tripudio: *Sicut exultant victores, capta præda.* Isai. 9. n. 3. Auctor mirabilium Scripturæ, lib. 2. c. 7. *Victoria*, inquit, *munere lætantes in terram suam* Arcam *perducunt.* Iudæis interim mœrentibus, & interrogantibus ad inuicem: *Vbi est Deus tuus?* Psal. 41. num. 4. Et à sua Synagoga inquirentibus: *Quò abiit Dilectus tuus, ô pulcherrima mulierum? Quò declinauit Dilectus tuus?* Cant. 5. num. 17. Vbi Lyranus: Ista Litera, inquit, referenda est ad tempus captionis Arcæ per Philisthæos; & translationis eius ad terram illorum: tunc enim dicitur Deus abiisse de terra Israël, eò quòd propitiatorium super Arcam existens Dei locus dicebatur. Sed plura hic inquiri possunt.

Lyra.

II. *Prima difficultas. Cur alia spolia non auferantur. Prima responsio. Paupertas Hebræorum. Secunda. Hebræorum cupiditas. Tertia. Dignitas Arcæ.*

Primò, cur non dicantur Philisthini alia quoque spolia ex hoc prælio retulisse? Respondeo, vel, quia alia non erant. Nam Hebræi illis temporibus pauperes ad pugnandum descendebant, vt cap. 11. ostendemus, solo ferro armati, vt milites; non auro exculti, vt sponsi. Vel, quia si qua erant, ea omnia Israelitæ non minùs auri, quàm vitæ cupidi, in tempore colligebant, ne ab hostibus raperentur: facilè quidem Arcam deserebant, suas tamen sarcinulas secum omnes exportabant. Vel tandem, quia hoc vnum spolium erat omnium præstantissimum. Nihil enim in ea Republica ditius ac pulchrius credebatur. Vnde est illa in Philisthinos acerbissima querimonia: *Argentum*, inquit, *meum, & aurum meum tulistis, & desiderabilia mea, & pulcherrima intulistis in delubra vestra.* Ioël. 3. num. 5. In quem locum Rupertus quærit, quod argentum, quod aurum, quæ desiderabilia, quæ pulcherrima vero Deo à Philisthinis erepta fuerint, & falsis Diis consecrata; cùm id in Scriptura nusquàm referri videatur. Et respondet in hunc modum: *Philisthijm*, inquit, *tulerunt Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon. Arca ipsa, & tabula testamenti in ea, simulque vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & propitiatorium, duo quoque Cherubim obumbrantia propitiatorium; argentum, & aurum erant, quæ quodammodo & desiderabilia eius dici poterant.*

Rupertus. Arca omnia Dei desiderabilia, dicebatur.

III. Ex quibus colligitur, quanto in pretio Arca illa apud Dominum haberetur, quæ omne desidera-

A bile eius dicebatur, in typum, vel Beatissimæ Virginis, vel sacrosanctæ Christi Domini humanitatis, quæ maiori iure omnia Dei desiderabilia, & pulcherrima dici potuerunt. Quæ fortasse causa fuit, cur Philisthini, alia spolia, etiamsi adessent, præterirent, & in solam Arcam inuolarent. Qua in re Moysis parcimoniam ac modestiam, si eam nossent, & colerent, imitari viderentur. Nam, cùm olim Hebræi de Ægypto exirent, multo auro, argentoque onusti, solus Moyses nihil horum secum dicitur exulisse; sed tantum ossa Iosephi: *Tulit quoque*, inquit Textus, *Moyses ossa Ioseph secum.* Exod. 13. num. 19. Vbi Græcus Scholiastes citatus in Glossa: *Iudæi*, inquit, *infantibus similes, aurum & argentum secum detulerunt: Moyses verò*
B *intemerati animi vir, Ioseph ossa deportauit.* Ac si ardua ossa sanctissimi Patriarchæ optimis Ægyptiorum spoliis anteferret. Non aliter Philisthijm, qui superiori Capite se ad pugnam excitarunt, dicentes: *Confortamini, & estote viri*: etiam nunc ad negligendam hostilem prædam, & solam Arcam Domini amplectendam viri extiterunt.

Virgo, Christi humanitas desiderabilia.

Græc. Sch. Qui diuitiis inhiant, pueri. Qui contemnunt, viri existunt.

IV. *Secunda difficultas. An cum Arca Cherubini ablati fuerint.*

Quæres secundò: An, cum Arca, Cherubini pariter, qui Arcæ incumbebant, capti fuerint, & auecti? Ratio dubitandi esse potest, quia nusquàm id in Scriptura exprimitur: exprimendum tamen, si contigisset. Nihilominùs Rupertus proximè citatus id tanquàm verissimum supponit, dum nomine auri & argenti, quod Philisthini ab Israëlitis abstulerunt, non solum Arcam, & quæ in ea in-
C clusa seruabantur; sed & Cherubinos, qui propitiatorium obumbrabant, interpretatur. Accedit Diuus Isidorus Pelusiota lib. 1. epist. 73. vbi loquutus de diuina in sacrilegos Sacerdotes seueritate: *Arcam*, inquit, *vna cum ipsis Sacerdotibus, qui deliquerant, Barbaris dedidit, & vrbem sanctificationis, & Cherubim gloriæ, & stolam, & prophetiam, & vnctionem, & Thomim, in conculcationem & contaminationem addixit.* Cui subscribit D. Anastasius Nicenus in Scripturam, q. 16. vbi eundem Isidorum citat, & sequitur. Quamuis hi duo Patres duas videantur captiuitates permiscere; cùm de vrbe, & vestibus sacerdotalibus loquantur, quas non in hac pugna Philisthini, sed Babylonij, aliique hostes compilarunt. Verùm de hac vna ca-
D ptiuitate loquendo, iam superiori Cap. Num. 4. probabilius censui, Cherubinos pariter cum Arca ab Hebræis in aciem eductos: & nunc consequenter probabilius censeo, à Philisthinis post victoriam in Palæsthinam exportatos. Illud patet: quia Hebræi in extrema necessitate constituti, & efficacissimum auxilium quærentes, propitiatorium, & Cherubinos, quorum summa erat sanctitudo, in vrbe Silo non relinquerent; sed in aciem secum deportarent: certissimam ex illis opem & auxilium sperantes. Hoc suadetur: quia Philisthini, sicut Arcam gloriosè triumphaturi in Palæsthinam abducebant; ita quod in Arca præcipuum erat, propitiatorium scilicet, & Cherubinos, abducendum non dubitarent. Nec opus fuit, id in
E Scriptura apertiùs exprimi, cùm Arcæ nomine totum hoc artefactum ex Arca, propitiatorio, & Cherubinis constitutum intelligatur.

Rupert. Auctores pro parte affirmatiua.

D. Isid. Pel.

Anast. Duplex captiuitas confunditur.

Cherubim cū Arca in Palæsthinam abducti.

V. *Tertia difficultas. Cur Arca in captiuitatem abduci permittatur.*

Quæres tertiò: Cur à Deo permissum sit, abduci Arcam in Palæsthinam? Respondeo, in Hebræorum, & Philisthinorum punitionem: dum Hebræi deseruntur ab Arca, in qua ipsi nimiū arrogantes confidebant: & Philisthini flagellātur ab Arca, quam ipsi suis viribus superatam existimabant. Priorem huius responsionis partem superiori cap. Num. 11. ex Theodoreto confirmaui: posteriorem ex eodem nunc confirmo. Is enim Orat. 1. in Daniel.

Theod.

Daniel. *Deus*, inquit, *ne superbia elati alienigenæ gloriarentur, quasi ipsi Deum vicissent, & captiuum cepissent; id efficit, vt Dagon idolum, quod ipsi colebant, ante Arcam cadens conteratur, & adorationis speciem præ se ferens victum se fateatur; & incolentes ibi Dæmonis ostendat seruitutem. Duplex itaque eo tempore percepta est vtilitas: neque enim Iudæis tantùm, sed Barbaris etiam profuit, quod ad breue tempus à Deo permissum est.* Ita ille, paucis verbis intermediis relictis, breuitatis causa. Et eodem modo circa vasa Sanctuarij, quæ Nabuchodonosor è Hierosolyma Babylonem transtulit, Dan. 1. num. 2. philosophatur. Ducitur igitur Arca in Palæsthinam, vt victa à Philisthinis, vincat eorum Deum, & proinde suis se fortiorem victoribus ostendat. Idem rursus serm. 10. De prouidentia, postquàm ostendit, Deum, in Hebræorum pœnam, Arcam Philisthinis tradidisse, subdit: *Tradita autem maiestatem tuetur; allophylos docens, quòd non Deum vicissent, sed hominum iniquitatem.* Hanc Theodoreti responsionem ipse rursus ad hunc locum quæst. 13. Procopius, Lyranus, Abul. aliique Interpretes sequuntur.

Procop. Lyra. Abul.

VI. *Quarta difficultas. Cur Philisthini Arcam impunè tangere permittantur? Moralis responsio. Familiaribus suis Deus maiora supplicia confert.*

Quæres quartò: Cur Philisthini Arcam tangentes non interierint; quemadmodum interibant Israëlitæ, nudam Arcam non solùm tangentes, sed etiam aspicientes. Num. 4. n. 15. & 20. Dicet aliquis, quia Israëlitæ domestici erant, & familiares; Philisthini autem alieni, & externi: Deus autem suis familiaribus sicut maiora beneficia confert; ita maiora supplicia infert, si aliquando eos delinquere contingat. Patet, quia D. Petrus sacrilegum Ananiam occidit, Act. 5. num. 5. sacrilegum autem Simonem capite non damnauit, Act. 8. num. 20. quia hic erat in fide nouitius, ille veteranus: vt ex doctrina D. Chrysostomi, & Oecumenij colligitur. Item Oza permittens deferri Arcam in plaustro, quæ erat Leuitarum humeris deferenda, occisus à Deo est. 2. Reg. 6. num. 7. At verò Philisthini Arcam in plaustro collocantes, & in suum locum remittentes, nullam pœnam incurrerunt. 1. Reg. 6. num. 11. quia ab his, tanquàm ab externis parum, ab illo tanquàm à domestico plurimùm sperabatur: vt Theod. ibi q. 20. & Procopius videtur significare. Vera sunt hæc, fateor. Nam, vt bene D. Cyprianus Tract. 3. De simplicitate Prælatorum: *Cui*, inquit, *plus dignitatis adscribitur, plus ab eo exigitur seruitutis.* Sed faciliùs respondeo cum Abulensi, quæst. 1. illam legem de non tangenda Arca ad solos Israëlitas spectasse. Vnde Philisthini Arcam tangentes, non dederunt pœnas, quia culpam non contraxerunt. Quemadmodum modò & Pagani non peccant contrahentes in gradu prohibito per solam Ecclesiam; aut Quadragesimam non ieiunantes; aut Sacrum in diebus festis non audientes: quia Ecclesiæ leges extra Ecclesiam non extenduntur.

Ab externis parum, à domesticis multùm sperat Deus. D. Cypr.

Abul. *Litteralis responsio. Lex de non tangenda Arca ad solos Israëlitas spectabat.*

VII. *Quinta difficultas. Vtrùm Arca cum honore, an cum ludibrio abducatur.* D. Basil. *Prima responsio. Cum ludibrio.*

Quæres quintò: Vtrùm Philisthini exportauerint Arcam cum honore, an cum ludibrio? D. Basil. in proœmio ad librum Ethicorum, sentire videtur cum ludibrio: *Ea, inquit, in Arcam sacrosancti Testamenti Dei sequuta sunt, quæ ante illam memoriam nemo vnquam audierat; vt qua scilicet, neque ab Israelitis, neque ab ipsis Sacerdotibus omnibus passim, neque quouis tempore sine sceleris piaculo contingi poterat, neque temerè quouis in loco asseruabatur, hæc sceleratorum manibus sublata, identidem modò huc, modò illuc transmoueretur: & quæ anteà sacrosanctis in locis solita erat reponi, ea tunc in profanis simulacrorum delubris locaretur. Ex quo est, coniectuam capere, quàm magnum in nomen Dei risus, quantumq; ludibrium apud extraneas illas nationes conse-*

queretur. Et rursus idem Bas. Orat. 3. De peccato: *Circa Arcam*, inquit, *ea acciderant, quæ ne audita quidem vnquam antea fuerant. Nam, quam licitum non erat, neque Israelitis, neque ipsis etiam omnibus Sacerdotibus attingere; eam impiæ manus hinc & hinc transferebant, & pro locis sacris, in fanis idolorum reponebant, in quibus compotationes & comunia celebrari erant solita. At sanè facilè hinc colligere licet, etiam ipsum nomen Dei risui ac ludibrio tunc habitum fuisse.* Consentit D. Greg. Naz. Orat. 14. quæ est tertia de pace: *Miseranda, inquit, res erat Arca ab exteris occcupata & excisa, atque à Gentibus calcata.* Idem sentire videtur D. Ephr. Syrus serm. De pretiosa margarita, ad finem; vbi comparat Christum à Iudæis captum cum Arca capta à Philisthinis. Nam, *Sicut illa*, inquit, *videbatur sustinere ignominiam; ita Deus Verbum iniuriis & contumeliis affectus est.*

D. Basil.

D. Greg. Naz.

D. Ephrem Syrus.

Arca à Philisthinis capta, Christum à Iudæis captum præfigurat.

VIII. *Secunda responsio. Cum honore.*

Nihilominùs alij, quos sequenti Num. citabo, cum magno honore delatam arbitrabantur. Adeò vt cùm intra Arcam, quando capta est, fuerint legis Tabulæ, vt D. Optatus Mileuitanus lib. 7. contra Parmenianum, & D. Athanasius in libro de interpretatione Psalmorum, & Theod. hic, q. 13. expresserunt; & supra Arca propitiatorium aureum; supra propitiatorio autem aurei Cherubini; & hæc omnia reuerentiæ causa, suis intecta inuolucris: nemo Philisthinorum ausus fuerit, aut Arcam exuere, aut eius partes conuellere, aut quæ intus erant, explorare. Cuius rei testem appello non solùm Abulensem, q. 1. in c. sequens, sed & D. Petrum Dam. lib. 1. epist. 21. qui Episcopum Parmensem schismatis in Ecclesia auctorem, tum aliis argumentis, tum etiam hoc vno grauiter vrget in hunc modum: *O scelus*, inquit, *inauditum! Pilati milites inconsutilem Domini non præsumunt scindere tunicam; & tu in duos Papas catholicam partiris Ecclesiam? Illi pendentis in Cruce Saluatoris ossa non frangunt: & tu sectis Ecclesiæ membris, quæ proculdubio corpus eius est, Sacramentum violas vnitatis? Captam bello Arcam Dei Israel, Philisthinorum Principes temerare non audent, sed clausam vndique, illibatamq; conseruant: tu Christianæ pietatis arcanum, & non lapideam tabularum, sed Verbi Dei viui, & permanentis cæleste mysterium, vexare & soluere niteris fermentum cuneis bellatorum? Si Oza moritur, qui humerum supposuit, ne Arca Domini corruat; quid illi meritò fiet, qui se super Ecclesiam Christi, vt in eius ruina ipse sublimis videatur, exaltat?* Sic ille. Ex quibus patet, vt iam superiori cap. aduertimus, somniasse Rabbinos, qui dixerunt, Goliam irruisse in Arcam, vbi primùm capta est, & inde extraxisse Tabulas legis, quas Saul de illius manibus eripuerit, & ad Pontificem Heli cum cæteris rei gestæ nuntiis reportarit. Verùm non difficilè pusiunt hi Patres conciliari, si de aliis atque aliis loquantur. Ita vt è Philisthinis quidam magis cordati & consulti, Arcam magno in pretio haberent, colerent, obseruarent, & tanquàm diuinum quoddam oraculum venerarentur. Alij verò procaces & temerarij eandem contemnerent, illuderent, irriderent, & tanquàm vulgare quoddam spolium aspernarentur.

D. Optat. D. Athan. Theodor.

Abul. D. Petrus Dam.

Schismatici peiores militibus, Christi tortoribus, & Philisthinis Arcæ raptoribus.

Falluntur Rabbini Goliam in Arcam irruisse somniantes.

Vtraque responsio conciliatur.

IX. *Dubium de termino, à quo Arca fuit abducta.*

A Lapide adiutorij in Azotum. De hoc Lapide, superiori Cap. Num. 1. iam diximus, & Cap. 7. Num. 12. iterum dicemus. Sed quæres, quo pacto Arca à Lapide adiutorij fuerit asportata? Nam in hoc Lapide erant castra: vt patet ex superiori Cap. Num. 1. Arca verò è castris in aciem processerat: iam igitur non erat in Lapide adiutorij: & proinde non potuit ex eo loco, sed ex vlteriori

Triplex responsio. terioris asportari. Respondeo, vel Arcam in castris remansisse, trepidantibus filiis Heli eam educere in discrimen: vel ab illis inclinante belli alea ad castra fuisse reuocatam: vel potius totum illum pugnæ locum à termino notiori appellatum fuisse *Lapidem adiutorij*. Quæres deinde, quo pacto Arca delata fuerit in Azotum. Nam Glossa hoc loco dicit, hunc Lapidem fuisse in Azoto. Quod si ita est, dicet aliquis, redditur sensus nugatorius; nempe, asportauerunt Arcam ab Azoto in Azotum. Soluit Hug. Card. interpretando Glossam, in Azoto, pro, iuxta Azotum. Faciliùs respondeo, Azotum in illa Glossa, non significare vrbem, vt hoc loco, sed prouinciam: quam etiam significat 2. Patal. 26. num. 6. illis verbis: *Ædificauit oppida in Azoto*, hoc est, in prouincia, quæ suæ vrbi metropoli est cognominis: quemadmodum Neapolis in Italia, Valentia in Hispania, Babylon in Chaldæa, Bungus in Iaponia, & similes. Quæres præterea, cur priùs in Azotum asportatur? Respondeo, vel, quia fortasse primùm occurrebat in Palæsthinam redeuntibus, vt sentit Carthusianus: vel quia erat vrbs potentissima Palæsthinæ, vt docet Diuus Hieronymus in cap. 30. Isaiæ, à Gigantibus Enacinis habitata: vt patet ex Iosuè 11. num. 22. vel, quia insigne fanum Dagonis continebat, vt Quinquarboreus in cap. 3. Amos testatur: ita Deo permittente, vt illustrior esset fidei de idololatria triumphus, vt ex sequentibus patebit. Hebraïcè, binominis est hæc vrbs; dicitur enim *Azotus*, vel, *Asdod*: & interpretatur *depredatio*: seu, vt vult D. Hieronymus, *ignis*, seu, *incendium*. Tam vrbis, quàm prouinciæ situm describunt recentiores, Masius in c. 11. Iosuè, Galatza lib. 6. euang. Instit. c. 4. Salmeron. tom. 1. in Euangelia, Prolog. 41. & alij.

Gloss. *Dubium de termino, ad quem Arca delata fuerit.* Hug. Card. *Duplex responsio.*

Alterum dubium de termino ad quē. *Triplex responsio.* Carth. D. Hier.

Quinquar.

Azoti etymō, & situs. D. Hier.

Masius. Galatza. Salm.

X. Petrus Blesensis epist. 104. docet, Arcam ductam à Philisthinis in montem Gelboë; magis profectò ob Arcæ captionem, quàm ob Saülis occisionem maledicendum: additque, ibi fuisse Dagonis templum; & quod consequens est, vrbem Azotum. Idem de hac vrbe duplicem inculcat mystologiam à nominis etymo, hoc est, *igne concupiscentia* deductam. Nam in primis epist. 14. comparat viros Ecclesiasticos in Regum Curiis commorantes, ac temporalia lucra ambientes cum Philisthinis Arcam Domini in Azotum, hoc est, in ignem concupiscentiæ inducentibus. Sicut enim Philisthini sacrosanctam illam Arcam in Azoto collocarunt: ita illi doctrinam & scientiam, ac cætera, quæ à Deo talenta acceperunt, in ignem concupiscentiæ transfundunt, & miserabiliter expendunt. *Audite*, inquit, *quid de talibus dicit Dominus per Prophetam. Dedi eis argentum & aurum meum: ipsi verò de auro & argento meo operati sunt Baal.* Osee 2. num. 8. *Nonne fabricant Baal de auro & argento Domini, quibus sapientiam & eloquentiam dedit Deus ad dandam scientiam salutis plebi eius: ipsi verò talentum Domini terra infodiunt, atque Baal construunt; dum pro temporalium rerum quæstu, quasi sub iactu alea, vitam & animam ponunt? Isti constituunt Arcam Domini in Azoto, quod interpretatur ignis concupiscentia; quia per ambitiosam concupiscentiam gloriam nostræ professionis euacuant.*

Pett. Bles. *An Arca delata fuerit in Gelboe.*

Duplex de Azoto mystologia. *Ecclesiastici in Regū Curiis commorātes, Philisthinis Arcam in Azoto collocātibus comparantur.*

XI. Deinde epist. 23. agens de iis, qui ecclesiasticas dignitates non solùm ambiunt, sed tandem indignissimè assequuntur; similes eos dicit Philisthinis, qui Arcam Domini, qua ipsi indignissimi erant, ad se iniquissimè transtulerunt. *Peccato*, inquit, *talium, quasi filiorum Heli, translata est hodie Arca, siue gloria Domini de Israël in Azotum, ignem,*

Qui ecclesiasticas dignitates indignè assequuntur, Arcam ad se iniquè transferunt.

A *scilicet, concupiscentia. Ignis autem iste non inflammat, sed infumat: non illuminat, sed excæcat: sicut scriptum est: Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Psal. 57. num. 9. Vna superest circa hunc locum difficultas: An hæc fuerit prima, & postrema Arcæ captiuitas; ita vt nunc primùm, & nunquàm ampliùs in captiuitatem ducta fuerit Arca. Quæ, quia vberios disputandi argumentum subministrat, in sequentem Annotationem seponatur.

ANNOTATIO XV.

CIRCA LITERAM.

B

Quotuplex fuerit Arcæ captiuitas?

DE præsenti Arcæ captiuitate constat ex hoc capite, & præcedente. An verò aute illam aliqua præcesserit, & post illam aliqua subsequuta fuerit, potest non immeritò in dubium reuocari. Quod præsenti Annot. breuiter expediemus.

SECTIO I.

C

An hæc fuerit prima, & postrema Arcæ captiuitas?

PRimam fuisse, certum est. Neque aliquis, quem sciam, aduersatur. Nam Arca in deserto semper fuit victrix. Illa enim exurgente, dissipabantur inimici Dei, & fugiebant, qui oderant eum à facie eius. Psal. 67. num. 1. In terra verò Promissionis vsque ad tempus Heli, nunquàm fuit victa. Quamuis enim Israëlitæ à circumuicinis hostibus sæpè fuerint superati; vt patet ex lib. Iud. cap. 3. 4. 6. & 10. tamen Arca in Silo, vbi primùm à Iosuè, cap. 8. num. 1. collocata fuerat, semper ad illud vsque tempus incolumis permansit. Vnde D. Basilius in vtroque loco, quem superiori D Num. in 5. dubio citauimus, asserit, *tunc*, hoc est, tempore Heli, *Arcam ea pertulisse, quæ ante illam memoriam nunquàm fuerant audita.* II. *Prima Arcæ captiuitas fuit, quæ hoc loco narratur.*

Maior difficultas: An hæc fuerit vltima Arcæ captiuitas, ita vt postquàm à Philisthæis restituta est, nullam posteà captiuitatem subierit; neque Babylonicam per Nabuchodonosorem; neque Romanam per Titum Vespasianum; neque vllam intermediam per Regem Antiochum, aut quemuis alium hostem Hebræorum? Certum igitur in primis est, non subiisse captiuitatem Babylonicam: quia antequàm templum à Nabuchodonosore incenderetur, Ieremias Arcam de templo extulit, & in spelunca montis Nebo abscondit. 2. Mach. 2. num. 5. Vnde idem Propheta cap. 52. à E num. 18. referens ea, quæ Babylonem translata sunt; & Esdras lib. 1. cap. 1. à num. 9. referens ea, quæ posteà restituta sunt Ierosolymæ; nullam faciunt de Arca mentionem, non obscurè significantes, eam translatam non fuisse. Quod etiam Daniel cap. 1. num. 2. non minùs apertè indicauit, dicens, traditam fuisse à Deo in manu Nabuchodonosoris *partem vasorum domus Dei*: partem, inquit. Ergo non omnia Rex, neque proinde Arcam exportauit: aliàs inter capta spolia, tanquàm omnium sacerrimum sine dubio exprimeretur. III. *An fuerit etiam postrema.*

Primo difficultas de captiuitate Babylonica. Non fuit capta per Babylonios.

Sed

IV. *Triplex Iudæorum in Babylonem transmigratio distinguitur.* Sed hæc apertiùs vt innotescant: aduerte, triplicem fuisse Iudæorum in Babylonem transmigrationem. Vnam tempore Regis Ioakim, seu Eliacim, seu Iechoniæ filij Regis Iosiæ. 2. Paralip. 36. num. 6. Dan. 1. num. a. Matth. 1. num. 11. In qua proculdubiò non fuit Arca translata in Babylonem; sed tantùm pars vasorum, vt citatus Daniel expressit. Et confirmatur: quia in hac transmigratione non fuit templum incensum, neque regnum euersum, neque totus populus in captiuitatem abductus; sed tantùm Rex Ioakim, vt loco Paralipom. citato exprimitur: subrogato in eius locum filio eius Ioachimo: vt ex 4. Regum 24. num. 6. constat. Alteram, tempore Regis Ioachin, qui & Iechonias dicebatur, fuitque filius prædicti Ioakim, seu prioris Iechoniæ, 4. Regum 24. à num. 1. & 2. Paralipom. 36. à n. 10. Ierem. 22. à num. 24. In qua etiam Arca translata non est: cùm eius translatio citatis locis non exprimatur: exprimenda profectò, si inter cætera spolia Arca pariter transferretur. Et confirmatur: tum, quia neque in hac transmigratione dicitur templum combustum, aut regnum extinctum; immò Nabuchodonosor Regem præposuit Mathaniam filium Iosiæ, & patruum Ioachini, fratrem patris eius Ioakim, quem, mutato nomine, Sedeciam appellauit, 4. Regum 24. n. 17. vnde mirum non est, incolumi regno, Arcam incolumem fuisse: tum, quia ex Ierem. 27. num. 19. constat, multa vasa templi relicta fuisse in ciuitate, cùm Ioachin in captiuitatem abductus est; inter quæ potuit relinqui & Arca, cùm translata non exprimatur. Quod euidentius erit, si ante hanc captiuitatem iam Arca abscondita erat à Ieremia, vt probabile esse, statim dicam. Tertiam, tempore Regis Sedeciæ, quæ fuit omnium atrocissima, capto Rege, incenso templo, euerso Regno, omnibus denique extrema internecione deletis. 4. Regum 24. à n. 4. & 2. Paralipom. 36. à num. 17. Ieremiæ 24. à num. 8. Ezech. 11. à num. 10. quam Ieremias in Threnis amarissimè lamentatur. De hac ergo est præcipua difficultas, an Arca fuerit translata; quam, negando, iam decidimus.

Non fuit Arca translata in prima captiuitate, sub Rege Ioakim.

Neque in secunda, sub Rege Ioachin, priori filio.

Neque in tertia, sub Rege Sedecia præcedentis patruo.

V. *Prima obiectio, contra proximam assertionem.* Sed obiicies: In hac captiuitate translata sunt ab vrbe omnia desiderabilia, iuxta illud: *Omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.* Isai. 64. n. 11. Et illud: *Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius.* Thren. 1. num. 10. Nomine autem, *desiderabilium*, Arca, propitiatorium, & Cherubini intelliguntur, vt præcedenti Num. dubio 1. ex Ruperto ostendimus. Respondeo, nomen, *desiderabilium*, commune esse ad significanda pretiosissima quæque: qualia erant in illa captiuitate per Philisthinos inducta, de qua loquitur Rupert. citatus, Arca, propitiatorium, & Cherubini: non autem in hac, de qua nunc agimus; cùm iam in ea non extaret Arca, sublata scilicet à templo, & abscondita à Ieremia.

Soluitur.

VI. *Secunda Hæreticorum obiectio difficilior.* Instabis, & obiicies secundò, Arcam non potuisse à Ieremia abscondi: quia, vel illam abscondit ante vrbem captam, vel post vrbem captam. Non hoc posterius, quia non permitteretur ab hostibus: non illud prius, quia Ieremias ante captam vrbem in vinculis tenebatur. Ierem. 37. n. 14. & Ierem. 38. num. 6. vnde exire non poterat ad Arcam abscondendam. Hæc obiectio Hæreticorum est, qui duos libros Machabæorum canonicos negant; & proinde hanc historiam de Arcæ occultatione falsam arbitrantur. Supposita tamen ex Concil. Trident. sess. 4. canonica horum librorum auctoritate.

Conc. Trid.

VII. Respondebit aliquis primò, Arcam sublatam

A fuisse è templo, & absconditam à Ieremia ante illam primam captiuitatem tempore Ioackimi factam. Quæ responsio, si vera est, facile intelligitur, quo pacto Arca in nulla ex tribus prædictis captiuitatibus Babylonem translata fuerit; cùm iam in templo non esset, Ieremia periculum præueniente. Sed necessaria non est, cùm illa prima captiuitas mitior fuerit, capto Rege tantùm, & parte vasorum: vt habetur citatis locis. Vnde remanere potuit Arca in Sanctuario; à quo fortè Nabuchodonosor manus abstinuerat, vel religione tactus, vel nondum graui admodum ira in Iudæos incensus.

Respondent aliqui primò.

VIII. *Secundò, valdè probabiliter.* Respondent igitur alij secundò, absconditam fuisse Arcam ante secundam captiuitatem, præuidente Ieremia, hanc captiuitatem atrociorem futuram, compilandum templum, ipsámque Arcam, si in eo reperiretur, transferendam. Quod satis cõfirmauit euentus. Nam reuerà Nabuchodonosor, capta vrbe, *Protulit inde omnes thesauros domus Domini, & concidit vniuersa vasa aurea, quæ fecit Salomon Rex in templo Domini*, &c. *nihilq́, relictum est*, &c. 4. Reg. 24. n. 13. & 14. Et rursus transtulit Regem Ioachinum in Babylonem, *asportatis simul pretiosissimis vasis domus Domini.* 2. Par. 36. n. 10. In tanta verò prædandi cupiditate, quo pacto Arcæ ibi inuentæ parceretur? Hoc igitur periculum anteuertens Ieremias Arcam abscondit, Rege Ioachino fortasse consentiente. Nam, si Regi Babylonio se tradidit, 4. Reg. 24. num. 12. ductus consilio Ieremiæ, vt D. Hieron. in c. 24. Ieremiæ testatur: cur eodem Ieremia auctore & suasore, Arcam efferri de templo, & abscondi non pateretur. Valdè mihi probabilis hæc responsio videtur, & ad propositum dubium soluendum expedita. Tunc enim Ieremias carcere non tenebatur: quippe quem postea Sedecias in carcerem inclusit, loco in argumento citato. Fauet huic responsioni D. Doroth. in Synopsi, cap. de Ieremia, vbi sic: *Hic Propheta*, inquit, *antequàm caperetur templum, Arcam legalem abripuit, & in petram quandam abdi fecit*, &c. Non potuit autem Arcam abscondere, immediatè antequàm caperetur templum, quia tunc in carcere tenebatur. Ergo multò antè, cùm adhuc sua libertate frueretur, scilicet, ante secundam captiuitatem. Quia tamen Interpretes communiter dicunt, quandiu templum Salomonis stetit, Arcam in eo stetisse; proindéque non potuisse toto Sedeciæ tempore, quod fuit vndecim annorum: vt Ierem. 39. num. 2. habetur, ab eo exulare.

B

C *D. Hier.*

D. Doroth.

D

IX. *Tertia responsio probabilior.* Dicunt tertiò alij, post vrbem captam in hoc tertio per Babylonios excidio, Arcam à Ieremia absconditam, ne in Babylonem transferretur: idque fieri potuisse, quia Ieremias è carcere eductus fuit per Nabuzardanum ducem Chaldæorum. Ierem. 39. num. 14. immò apud eum gratia & auctoritate valuit, præsertim à Rege Nabuchodonosore illi commendatus, his verbis: *Tolle illum, & pone super eum oculos tuos, nihilq́, ei mali facias; sed vt voluerit, sic facias ei.* Ibid. num. 12. Vnde facilè ab eo facultatem impetrare potuit, Arcam educendi è templo, & vbi vellet abscondendi, ne in Babylonem capta duceretur. In hanc responsionem inclinare videtur Ribera lib. 2. De templo, cap. 2. dicens, mansisse Arcam in templo Salomonis, quandiu illud stetit. Et, cùm Iudæi captiui ducebantur Babylonem, tunc Ieremiam Arcam eduxisse de templo in montem Nebo, & in speluncam abdidisse.

E

Ribera.

X. De captiuitate Romana est, maior dubitatio. Nam in primis Damian. lib. 2. epist. 20. dub. 7.

non

Secunda difficultas de Romana captiuitate. D. Petr. Dam. *Vtraque pars aliquibus dubia, & propriis materia.*

A non ausus fuit, hanc quęstionem definire. Interrogatus enim à Cardinale Alberico: Quid factum sit de Arca Domini & tabernaculo fœderis, quæ fabrefacta sunt in deserto? Sic primum respondet: *Sicut*, inquit, *huius rei pene nihil officit ignorantia; ita vix aliquid vtilitatis probatur conferre notitia.* Et postquàm ostendit ex loco citato Machabæorum, Arcam & tabernaculum fuisse abscondita a Ieremia in monte, vbi Moyses sepultus est, subdit: *Si quid autem ex his postmodum factum fuerit, aut certè sic intacta permanserint: quia nusquam Scriptura commemorat, nostra quoque disquirere curiositas non præsumat.* Nihilominùs, cùm præstantissimi viri non damnanda quidem curiositate in hac quæst. soluenda laborarint; nullam mihi videor temeritatem incursurus, si in ea quoque explicanda aliquantulum immorabor.

B

XI. *Aliis affirmatiua magis placet; scilicet, Arcam in Vespasiani triumpho Romam fuisse traductam.* Adrich. Ioseph. D. Hieron. D. Epiph.

Igitur Adrichomius in Theatro Terræ sanctæ, fol. 159. asserit, post excidium Ierosolymitanum, Arcam fœderis in triumpho Vespasiani Romam fuisse traductam, & modò in templo Lateranensi conseruari: citátque præter alios Iosephum lib. 7. De bello Iudaïco, cap. 24. & D. Hieron. in cap. 3. Ioelis, & vterque mihi videtur illi fauere. Nam Iosephus commemorans spolia Iudæorum, quæ in triumpho gestabantur, subdit; *Post hæc autem portabatur lex Iudæorum, nouissima spoliorum.* Cùm enim lex esset in Arca, nec ab ea vnquam auferendam prædiceret. Ieremias, teste D. Epiphanio in vita Prophetarum, per contentam legem intelligere potuit Iosephus & ipsam continentem Arcam. Diuus autem Hieron. inter alia spolia expressè numerat *Cherubinos aureos, & propitiatorium aureum*, ex quibus simul cum Arca vna Dei sedes efficiebatur. Vnde nihil mirum, si his trãslatis, pariter & Arca translata fuerit. Nam, cùm hæc omnia Ieremias pariter cum Arca absconderit: si hæc apparuerunt; apparere potuit & Arca, & posteà Romam transportari. Et paulò pòst addit D. Hier. *Vasa templi, & vniuersa donaria Romæ in templo Pacis consecrata, vt Græca & Latina narrat historia.*

C

D. Hier.

D. Hieron.

XII. Pet. Comest. *Et adhuc Romæ sub Lateranensi altari conseruari.*

Ad hæc Petrus Comestor cap. 46. in Exod. refert, Arcam Romæ sub Lateranensi altari conseruari: & cap. 3. in Iudith, certuòs existimat, in illo triumpho Titi Vespasiani Arcam fuisse translatam: quamuis solùm dubitet, fueritne illa ipsa, quam Moyses fabrefecerit; an alia, quam Iudæi eius loco supposuerint. Idem etiam tradit Nauclerus tom. 1. vol. 1. gener. 32. Accedit Torniel. tom. 2. anno Mundi 3610. à n. 14. & anno 3885. à num. 4. in quibus locis tria sentit. Vnum, Arcam tempore Nehemiæ eductam fuisse ex spelunca, in quam Ieremias illam abdiderat, & in secundum templum restitutam. Alterum, non fuisse illam ab Antiocho de secundo templo ereptam. Tertium, fuisse à Tito Vespasiano Romam in triumpho abductam. Pro eadem sententia acriter pugnat noster Viegas manuscriptus ad cap. 2. Aggæi, commentario 1. exeget. sect. 2. vbi sentit Arcam post captiuitatem Babylonicam ex spelunca, in quam inclusa fuerat, apparuisse, rediisséque in templum; indéque Romam per Vespasianum exportatam. Qui tanquàm læuum numen, de quo Poëta: *Ferus omnia Iuppiter Argos Transtulit:* quidquid Ierosolymitano in templo sacrum, & pretiosum erat, Romam traduxit.

D

Naucler. Torniel.

E

XIII. Abul. Riber. Azor. *Aliis tandem negatiua pars probabilior.*

Nihilominùs Abulens. q. 14. in cap. 25. Exodi, Ribera in cap. 1. Aggæi, num. 17. & lib. 2. De templo, c. 2. Azor tom. 1. lib. 6. c. 43. q. 5. & alij plures, paulò inferiùs citandi, quibus libentior accedo, negant, Arcam fœderis Romam fuisse traductam. Et probari potest primò retorquendo argumentum: quia, cùm Iosephus & D. Hieron. cætera spolia etiam minutissima percurrant, dum omnium præcipuum tacent, nimirum Arcam, illam excludere videntur. Secundò, quia Iosephus lib. 6. De bello Iudaïco, cap. 6. asserit, suo tempore nihil omninò fuisse intra Sancta Sanctorum: loquutus enim de intima templi parte: *Nihil prorsus*, inquit, *in ea erat positum: inaccessa verò, & inuiolata, & inuisibilis omnibus habebatur.* Cùm igitur Arca alio in loco esse non posset, iam omninò non erat apud Hebræos, & proinde transferri non potuit ad Romanos. Idem Ioseph. lib. 14. Antiq c. 8. diligenter enumerat omnia, quæ Pompeius viderit, templum & Sancta Sanctorum aliquando ingressus: de Arca tamen nihil dicit, dicturus profectò, si adesset. Similiter & Egesip. lib. 5. De excidio Ierosolymitano, c. 43. enumerat singula, quæ Titus Imperator in templo, antequàm conflagraret, vidit, & admiratus est: Arcam tamen, vtpote eo tempore iam absentem, tacitus prætermittit. Non fuit igitur Arca Romam perducta, neque Romæ conseruata. Immò fortasse non decebat, illud veteris legis spolium in primaria Ecclesiæ sede conseruari: ne adhuc Mosaïci ritus viuere putarentur; sed potiùs cum inclusa lege penitùs sepeliri. Vnde illa lex, & Cherubini, & propitiatorium, quæ Iosephus, & D. Hier. citati, dicunt, fuisse Romam perducta, non fuerunt vera, sed adumbrata. Nam vera ac germana, vel nunquàm apparuerunt, postquàm abscondita sunt à Ieremia: vel si apparuerunt, ablata sunt à Rege Antiocho. Vnde nunquàm ad Romanos transferri potuerunt.

Videtur, scilicet, Arcam Romanam captiuitatem non subiisse. Ioseph.

Ioseph.

Egesip.

Non decebat Arcam Romæ conseruari.

Ioseph. D. Hieron.

XIV. *Tertia difficultas, de captiuitate aliqua intermedia.* Riber. *Aliquorum opinio, fuisse per Antiochũ captam.*

Superest captiuitas aliqua intermedia per Antiochum, aut quemuis alium hostem Hebræorum. Et in hanc incidisse Arcam fœderis Ribera in c. 1. Aggæi, n. 19. suspicatur. Mouetur, quia Arca post captiuitatem Babylonicam videtur fuisse inuenta & educta ex illa spelunca, in quam inclusa fuerat à Ieremia: nam ipse Propheta Arcam abscondens, statim subdidit: *Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi.* 2. Mach. 2. num. 7. Ac si congregato iam populo post captiuitatem Babyloniéam, locus esset manifestandus, & Arca ex loco eruenda. Quæ enim alia populi congregatio expectanda erat? Nam, sicut ante dispersionem populi in Babylonem, abscondebatur Arca: ita post congregationem populi ex Babylone, manifestanda videbatur; vt sic dispersio & congregatio magis opponerentur, & ex illa, diuina iustitia; ex hac, diuina misericordia, perfectiori antithesi coruscarent. Et videtur fauere Tert. lib. De corona militis, c. 9. vbi loquutus de templo, Arca, tabernaculo, altari & candelabro, subdit: *Quibus vtique & in prima dedicatione solennitate, & in secunda restitutionis gratulatione competisset coronari, si dignum Deo esset.* Vbi supponere videtur Arcam è templo ablatam, templo restitutam. Atqui in vltima captiuitate per Romanos facta, iam apud Hebræos non extabat, vt dictum est. Ergo, aliqua intermedia captiuitate, abducta fuerat. Hanc opinionem Viegas citatus iudicat improbabilem non esse, quamuis, vt diximus, oppositam sequatur.

Tertul.

XV. *Verior sententia.*

Nihilominùs probabilius ac verius existimo, Arcam per nullos intermedios tyrannos captam fuisse. Quod facilè ostendi potest, percurrendo singulos, de quibus esse poterat dubitatio, Pompeium, Crassum, Cassium, Marcum Antonium, & Alexandrum, qui Ierosolymam aliis atque aliis temporibus expugnarunt. Nam, si Iosephus lib. 11. antiq. c. 8. & lib. 14. c. item 8. & 12. ac 17. & lib. 1. De bello Iudaïco, cap. 5. consulatur; palàm erit, nullum

Riber. *Oppositum verius & probabilius.* *Iosephus.*

nullum ex his tyrannis Arcam e templo abstulisse; immò nec in templo inuenisse. Maior dubitatio est de Rege Antiocho. Sed neque ab hoc Arcam fuisse captam, probabilius sentit ipse Ribera, cuius sententiam libentior amplector. Et dupliciter confirmo. Primò, auctoritate negatiua: quia Scriptores illius temporis, qualis fuit Iosephus lib. 1. De bello Iudaïco, cap. 1. cùm referant templum ab Antiocho spoliatum, nihil de captiuitate Arcæ expresserunt. Immò Scriptura 1. Machab. 1. à n. 22. referens omnia dāna, quæ Antiochos templo intulerit, & omnia spolia, quæ inde eripuerit, non dicit, ablatam fuisse Arcam, neque illam comprehendere debuit sub illis communibus vocabulis: *Vniuersa vasa, vasa concupiscibilia, thesauros occultos*: cùm id sit contra leges historiæ, B quæ solet maiora propriis nominibus exprimere, & minora communibus vocabulis comprehēdere: dicit enim in direptione vrbis, v.g. sublatum aurum & argentum, & quidquid erat pretiosum, intelligendo vestes sericas, tabulas pictas, & similia: non autem vice versa, sublatas fuisse vestes sericas, & tabulas pictas, & quidquid erat pretiosū, intelligendo aurū & argentū. Immò contra morem Scripturæ, quæ id quod præcipuum est, etiam cōmunibus vocabulis iam satis significatum, iterum propriis exprimere consueuit. *Eripuit Dominus Dauid de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saülis.* Ps. 17. in tit. *Creator omnium, & qui creauit me.* Eccl. 24. n. 2. *Dicite discipulis eius, & Petro.* Marc. 16. n. 7. Et sic de cæteris. Sic igitur hoc C loco nō debuit Scriptura propriis nominibus exprimere mensam, cādelabrum, velum, & alia minoris pretij; & Arcā, quæ erat omnium pretiosissima, communibus vocabulis significare: immò hanc communibus vocabulis significatam, debuit rursus iuxta suum morem exprimere & propriis, dicēdo, verbi gratia: Abstulit omnia pretiosissima templi, & Arcam. Ergo cùm hanc non exprimat, satis conuincitur non fuisse ablata. Et idem argumentum fieri potest in restitutione & expiatione templi, quam fecit Iudas Machabæus, 1. Mach. 4. à n. 47. vbi, cùm singula templi vasa, suis quæque nominibus distinguantur; tamen Arca nusquàm exprimitur: quasi illa tantùm restitueret, D quæ Antiochus exportaret, quorum de numero non fuisse Arca significatur.

Res præcipuas communi vocabulo semel significatas, iterum proprio Scriptura exprimit.

XVI. *Arca à Ieremia abscondita, nunquā deinceps apparuit.*

D. Epiph. *D. Doroth.* *D. Ansel.* *Richard.* *Ioseph. Gorion.* *D. Epiph.* *D. Hier.* *Imperf.* *Galat.* *Porchet.* *Rupert.* *Nauclet.*

Secundò efficaciùs: quia Arca semel abscondita à Ieremia, nunquā posteà apparuit vsque ad hanc diem. Ergo neque per Antiochum, neque per Romanos, neque per alios quoscunque Hebræorum hostes capta est, aut capi potuit. Antecedens, de quo est non exigua difficultas, expressè tenent D. Epiph. in lib. De vita & morte Prophetarum, in vita Ierem. D. Doroth. Martyr in Synopsi, cap. De Ieremia, in tom. 7. Bibliothecæ, secūdæ editionis, D. Anselm. in Elucidario, post medium, Richard. De sancto Victore, lib. 4. Exceptionum, c. 11. Iosephus Gorionides lib. 1. de historia Iudaïca, c. 17. dicens, apparituram Arcam, cùm venerit Ieremias: hic autem post captiuitatem non venit, quia non vixit: vt D. Epiphan. in eius vita, D. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum, & Imperfectus homil. 41. in Matth. testantur. Ergo neque Arca post captiuitatem apparuit. Hoc ipsum expressè asserit Galat. lib. 4. De arcanis, c. 9. citans pro se multos Rabbinos: tenet & Porchet. 1. p. Victoriæ aduersùs Hebræos, c. 7. Rup. lib. 10. de victoria Verbi, cap. 20. Accedit Nauclet. tom. 1. Chronographiæ gener. 51. Nec sibi fortasse cōtrarius: nam loco suprà citato retulit vulgarem aliorū sententiā; hoc autem suam, ab Epiphanio, cuius verba citat, desumptā.

Genebr. *Comest.* *D. Thom.* *Hug. Car.* *Dio Carth.* *Lyra.* *Abul.* *Cano.* *Thom. Mal.* *Bell.* *Rib.* *Azor.* *Barrad.* *Serar.* *Ioan. Ferd.* *Villalpand.* *Castr.* *Magal.* *Cornel.* *Sanc.*

A Idē tenet Genebr. lib. 2. Chronologiæ, anno Mūdi ter millesimo sexcētesimo nonagesimo. Inclinat tandē in eandē partem Comest. c. 110. 3. in Iudith. Eandem defendunt D. Thom. Hug. Card. Dionys. Carthus. Lyr. in 2. Machab. 2. Abul. q. 14. in cap. 25. Exodi, & quæst. 4. in 1. Regum 6. & quæst. 27. in 2. Paral. 5. Cano lib. 2. De locis, c. 11. Thomas Maluenda lib. 11. De Antichristo, c. 12. Ex nostris eam tuentur Bell. lib. 1. de verbo Dei, c. 15. Riber. locis citatis Aggæi 1. n. 19. & lib. 2. De tēplo, c. 2. Azor. citat. tom. 1. lib. 6. c. 43. q. 5. Barr. tom. 3. concord. lib. 9. c. 6. Suar. in q. manu scripta de hac re, Serar. 3. par. De historia Machabæor. q. 19. Ioānes Ferdinand. in Thesauro Script. verb. *Arca*, ad finē, Villalp. tom. 2. lib. 5. c. 70. Castr. in cap. 3. Ierem. n. 20. ad finem. Magallanus Ios. 3. sect. 1. Annot. 5. Cornel. Exod. 25. n. 10. Sancius Ier. 3. n. 16. Nec aliquis nostrū typis vulgatus, quē sciam, dissentit.

XVII. *Nō apparuit in lege veteri.*

Fundamentum est: quia Arca, postquàm abscondita est à Ieremia, neq; in lege veteri, neque in lege noua apparuisse aut appatitura videtur. Non apparuit in primis in lege veteri: tum, quia id nusquàm in Scriptura refertur: tum, quia repugnat Ieremiæ citato dicenti, ignotum fore locū, seu non apparituram Arcam, *Donec congreget Deus congregationem populi.* 2. Mach. 2. n. 7. quæ congregatio non intelligitur de illa, quæ facta est post reditum è captiuitate Babylonica. Nā etiam tunc adhuc orabat Nehemias, dicens: *Congrega dispersionem nostram: libera eos, qui seruiunt Gentibus.* 2. Mach. 1. n. 27. Et iterum dicebat: *Speramus, quòd cito nostri miserebitur Deus, & congregabit de cælo in locum sanctum.* 2. Mach. 2. n. 18. Ac si nondū facta esset illa congregatio, quam Arcæ manifestatio sequutura erat. Et cōfirmatur: quia illa congregatio post reditum à Babylone non fuit perfecta, cùm multi Iudæorum remanere maluerint in Babylone, quàm in patriam redire, retenti, scilicet, temporalium amore rerum, quibus in exilio fruebantur: vt Lyran. in 1. Esd. 1. obseruat. Quin etiam Ioseph. lib. 11. Antiq. c. 1. affirmat, multos Iudæorum exire de Babylone noluisse, ne quas ibi possessiones obtinebant, relinquere cogerentur: & c. 5. remansisse in Babylone multitudinem *inæstimabilem*, quæ vix posset numero comprehen- D di. Non erat igitur Arca post tam imperfectam Iudæorum congregationem manifestanda.

Temporalium rerum amor multos Iudæos in Babylone retinuit.

XVIII. *Arca in secūdo templo non extitit.*

Lyran. *Iosephus.* *Galatinus.*

Quare dicendum est, Arcam in secundo templo non fuisse. Vnde, extructo hoc secundo templo, *Seniores*, inquit Textus, *qui viderant templū prius, cùm fundatum esset; & hoc templū in oculis eorū, flebant.* 1. Esdr. 3. n. 11. Eam certè ob causam, inquit Galatinus proximè citatus, quòd, sublata Arca, *hoc secundum templū respectu primi nihil penè esset*; nisi postea ex præsentia Christi Domini, Aggæi 1. n. 10. multò gloriosius redderetur. Sic etiam diuinus Sponsus Hebræorum Gentem à Babylone redeuntē alloquutus: *Soror nostra*, inquit, *parua, & vbera non habet.* Cant. 8. n. 8. Hoc est, interprete eodem Galatino, non habet Arcā, in qua duæ illæ E legis Tabulæ, tanquàm duo vbera infantē populū lactabant, & nutriebant. Non fuit igitur Arca in secūdo tēplo: neq; proinde in lege veteri apparuit.

Galat. *Duæ legis tabulæ, duo populi Iudaici vbera.*

XIX. *Arca non apparuit in lege noua.*

Deinde non apparuit in lege noua: tum, quia hoc est inauditum: tum, quia repugnat Scripturæ de legis nouæ temporibus dicenti: *In diebus illis, ait Dominus, non dicent vltrà: Arca Testamenti Domini, neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius, nec visitabitur, nec fiet vltra.* Ierem. 3. n. 16. Quasi diceret. In lege noua nullus erit cultus, nulla manifestatio Arcæ. Ergo non apparuit, neq; apparebit in lege noua vsque ad finem Mundi. Et

D. Ansel. Abul. *Vno eodémque tumulo Moyses & Arca conduntur.*

A propterea fortasse Arca, vt referunt non solùm Hebræi, sed etiam D. Anselmus citatus, Abulensis, & alij, códita est a Ieremia in sepulcro Moysis, quia sicut de hoc dictum est: *Non cognouit homo sepulcrum eius.* Deut. 34. n. 6. Ita plane locus Arcæ nunquam ampliùs vsque ad finem Mundi cognoscendus erat: nec proinde ex eo Arca erat in lucem euocanda: sed vno eodémque sepulcro Arca cum suo artifice, & lex cum suo legislatore recundenda.

XX. *Obiectio.* Sixtus Senens.

Obiicies. Esdras, qui, vt Sixtus Senensis lib. 1. Bibliothecæ, ex communi doctrina refert, scripsit libros Paralipomenon, loqoutos de Arca, *Fuit*, inquit, *Arca ibi vsque ad præsentem diem.* 2. Paralip. 5. n. 9. Atqui ille hunc librum scripsit post reditum è captiuitate Babylonica. Ergo tunc aderat Arca in templo. B

Rab. Salom.

Respondet Rabbi Salomon, fuisse quidem ibi, hoc est, in templo, intra Sancta Saoctorum; sed inclusam in specu subterranea, ita vt ne à Chaldæis quidem repetiri potuisset.

Rabbi Saloman reiicitur.

Verùm hic Rabbinus planè nugatur. Nam, vel intelligit, illam specum subterraneam fuisse ordioarium Arcæ locum; & sic contradicit Scripturæ ponenti Arcam subter alas Cherubim, 3. Reg. 8. n. 6. non autem subter latebras subterraneas: vel intelligit, fuisse locum peculiarem, in quem illam abdidit Ieremias; & sic eidem Scriptoræ aduersatur, diceuti, Arcam absconditam fuisse à Ieremia in spelunca montis Nebo. 2. Mach. 2. n. 4. & 5. non autem in oraculo templi.

Abulensis opinio tenenda. Abul.

Dicendum igitur cum Abulensi, q. 27. ad eum locum, Esdram non primum scripsisse eam historiam; sed scriptam ab alio Propheta antiquiore, C qui aute captiuitatem vixerat, retulisse. Vnde non fit, apparuisse Arcam post captiuitatem, tempore, quo Esdras librum collegit: sed tantùm ante captiuitatem, vsque ad tempus, quo ille Propheta, quisquis fuerit, eam edidit historiam, in templo Salomonis perseuerasse.

XXI. *Vna Arca captiuitas. Christi semel morientis typus. Veri pænitentis figura.*

Ex his constat, Arcam fœderis, semel tantùm à Philisthæis captam, nullam aliam, vel anteà, vel posteà captiuitatem subiisse: triplici mysterio. Vno, ad significandum Christum Dominum, qui semel à morte captus, & statim ex mortuis resurgens, *iam non moritur.* Rom. 6. n. 9. Altero, ad significandum hominem verè pœnitentem, qui à D culpa, in quam cecidit, semel excitatus, nunquam relabitur, testatus cum Dauid: *Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in æternum.* Psalm. 29. n. 7. De qua re multa in hoc tom. ad c. 7. & plura in seqoenti ad cap. 12. Deo fauente, cumulabo.

Religiosi status adumbratio.

Tertio, ad significandum hominem iustum, qui à secularibus negotiis expeditus, viuum se quodammodo includit in sepulcrum Religionis. Nam, vt Arca in Moysis tumulo inclusa triplicem captiuitatem, per triplicem tyrannum, Nabuchodonosorem, Antiochum, Vespasianúmque sine dubio inducédam felicitet euasit: ita & Monachus suam in cellam, tanquàm in suam conditus sepulturam, triplicem captiuitatem, aut certè tempestatem, per triplicem tyrannum, Mundum, Diabo- E lum, & Carnem, atrociter debacchaturam, tutissimus effugit; ioxta illud: *Vade, populus meus, intra in cubicula tua*: seu, vt legit D. Hieron. *In sepulcra tua: claude ostia tua super te: abscondere modicum ad momentum, donec pertranseat indignatio.* Isai. 26. num. 20. Ita enim fieri solet: vt diuina indignatio, tanquàm vehemens tempestas, in altissima montium cacumina impingat: humilia vallium sepulcra præterlabatur.

SECTIO II.

An, & quando, & quorsum manifestanda sit Arca fœderis?

I. *Prima difficultas. Pars negatiua proponitur.*

QVod attinet ad primam quæstionem: An manifestanda sit? Negabit fortasse aliquis, eo ductus fundameoto, quia nulla vrget auctoritas, nulla ratio, vt manifestanda asseratur. Non auctoritas. Nam illa, quæ vnica est, & desumitur ex 2. Mach. 2. num. 7. vbi Ieremias abscondens Arcam in speluca montis Nebo, dixit: *Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat*: non videtur sufficiens; quia particula, *Donec*, in Scriptura sæpè significat tempus rei factæ, non autem eius terminum, seu principium rei oppositæ faciendæ: vt videre est, Psalm. 109. oum. 1. *Sede à dextris meis: donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Vbi designatur tempus, in quo sedeat: non aotem in quo sessio finiatur.

Donec, *in Scriptura tempus rei factæ sæpè designat, non terminū.*

Sic igitur hoc loco designari potest tempus, in quo Arca lateat; non autem in quo latere desinat, seu manifestetur. Non ratio; quia nulla occurrit, quæ persuadeat Arcam ex illis latebris eruendam; immò aliqua datur, quæ oppositum conuincat. Nam sicut obseruantia legis veteris humanda erat; nunquàm verò exhumanda: ita æquum videbator, vt Arca eiusdem legis perpetuum conderetur in sepulcrum, ex quo nunquàm promeretur.

II. *Alia quorūdam sententia refertur, nonquā Arcam in propria specie, sed in mysterio apparituram.* D. Greg.

Secundò respondent alij, Arcam quidem apparituram; non quidem in propria specie, sed in mysterio: hoc est, non apparituram quidem Arcam illam materialem, sed spiritualem in ea repræsentatam, nempe, Christum Dominum: hunc enim Arca illa repræsentabat, teste Diuo Gregor. homil. 22. quæ est vltima, in Ezechielem, ad finem: *Arca*, inquit, *Testamenti ipse nobis factus est, de quo scriptum esse nouimus: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi.* Coloss. 2. num. 3.

Sæpè in Scriptura signo tribuuntur, quæ significato competunt.

Neque nouum est in Scriptura, de signo dici, quod in significato impletur. Quò pacto Dauid Psalm. 71. qoem, *In Salomonem*, inscripsit, de Salomone dixit: *Permanebit cum Sole, & ante Lunam.* num. 5. *Dominabitur à mari vsque ad mare.* num. 8. *Adorabunt eum omnes Reges terræ.* num. 11. & alia id genus: quæ tamen non in ipso Salomone, sed in Christo Domino, cuius ille erat typus, impleta sunt: vt Diuus Hieronymus ibi, & Dan. 11. interpretator. D. Hier. Dan.

Arca apparitio primum Christi aduentum repræsentat. D. Ambr.

Sic igitur hoc loco, apparitura dicitur Arca, non tam in se ipsa, quàm in Christo Domino, quem repræsentabat. Dubium tamen est, de qua apparitione Christi Domini locus hic intelligatur: De illáne, quæ in primo Aduentu facta est; an de illa, quæ facienda est in secundo? De priori interpretatur Diuus Ambrosius lib. 3. Offic. cap. 14. vbi refereus citata Ieremiæ verba: *Ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat*: statim explicat de primo Aduentu: *Congregationem*, inquit, *populi tenemus; & propitiationem Domini Dei nostri agnoscimus, quam propitiator in sua operatus est passione.* De eadē quoque exponere videtur Rupert. lib. 10. De victoria Verbi, c. 21. vbi prædictum Machabæorum locū cōmentatus, cū illo Euangelistæ conciliat: *Iesus moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente; sed, vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum.* Ioan. 11. num. 51. Et hanc congregationem, quæ in primo Aduentu facta est, illā esse docet, de qua Ieremias loquebatur. Rupert.

loquebatur. *Tunc*, inquit, *apparuit gloria Dei, gloria Filij Dei, cum resurrectione mortuorum effulgentis.* Quia verò Ieremias in hac appatitione meminit nubis illi similis, quæ in tabernaculo Mosaïco,& téplo Salomonico apparuetat: huius nubis nomine Iudæorum cæcitatem, quæ in primo Aduentu contigit,rectè interpretatur. De posteriori tamen apparitione possumus non minùs accómodatè locú interpretari:tunc enim facienda est perfectissima omnium prædestinatorum congregatio, & clatissima Christi Domini in omniú oculis appatitio. Et cum hac appatitione aptiùs congruere videntur verba,quæ sequuntur. *Et apparebit maiestas Domini*, &c. Nam in primo Aduentu potiùs, *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei.* Tit. 3. n. 5. Non est contemnenda hæc responsio, vtrouis modo explicetur, quamuis mystica potiùs, quàm literalis videatur.

Secundò etiã non incõgruè præfigurat.

III. *Vera & literalis responsio.*

Tertiò igitur literaliter & certissimè respondetur, Arcam sic absconditam fuisse, vt tandem apparitura in propria specie designaretur; idque ex citato Machabæorum loco efficaciter conuinci. Apparituram igitur contra primam responsionem probatur:quia,quamuis particula, *Donec*, in aliis Scripturæ locis prædictum sensum patiatur: non tamen in præsenti, cùm sequatur statim: *Et Dominus ostendet hæc*, &c. Vbi apertissimè significatur latibulum illum referandum, & thesaurus in eo absconditus in lucem eruendus. Ratio verò proxima, & veluti inductiua huius manifestationis, sufficienter desumitur ex ipsa promissione prophetica. Fieri enim nequit, vt promissio frustretur, quæ Dei nomine præstatur:quando absoluta est,nec ex aliqua conditione per liberum hominis arbitrium poneoda dependet. Cùm igitur Propheta absolutè promiserit Arcã manifestandam;nec vllam ad hunc effectum ex parte humani arbitrij conditionem requisierit: quis dubitet, sufficientem dedisse rationem, vt manifestanda crederetur? Finalis verò huius apparitionis ratio, ex dicendis in tertia quæstione patebit. Interim illud accipe, non esse parem rationem de obseruantia legis veteris,& de Arca legis. Nã veterem legem in aduentu noui legislatoris aboleti oportebat,vt noua lex ab eo códeretur. Arca verò etsi non debuit apparere,vt coleretur veteri ritu; apparere tamen debuit, vt nouo legislatori testimonium perhiberet: atque vnum eundémque legis & Euangelij conditorem testaretur, vt ex dicendis illustrius euadet. Apparituram vetò Arcam in propria specie ex eo conuincitur:quia,cùm verba proprium habere possint significatum, non est, cut ad alienum & translatitium detorqueantur: nullum autem sequitur incommodum,si Arca in propria figura manifestanda dicatur. Ergo non oportet, vt secundùm spirituale significatum duntaxat apparitura affirmetur.

Prima respõsionis fundamentum infirmatur.

Secunda sententia refellitur.

IV. *Secunda difficultas. Arca in fine Mundi manifestanda.*

Quod attinet ad alteram quæstionem: Quando manifestanda sit? Iam diximus ex communi sententia, hactenus non apparuisse. Nunc autem addimus ex eadem communi sententia in fine Mũdi apparituram. Ita enim docent omnes Auctores superiori Sectione citati, qui hactenus dicũt non fuisse manifestatam. Vna tantùm est inter illos dissensio:nam quidam dicunt manifestandam esse tempore Antichristi ante mortuorum resurrectionem. Ita insinuat Gorionides referens verba Ieremiæ,quæ ipse illi tribuit: *Non sciet*,inquit,*homo,neque cognoscetur locus,donec venero ego,& Helias Propheta famulus Domini. Tunc restituemus Arcam in locum suam intra Sancta Sanctorũ subter alas Cherubim.* Vbi,cùm dicit apparituram Arcã,cùm

Gorionid.

Franc.de Mendoça in Lib.Reg.tom.2.

A venerit Helias;nõ obscurè significat apparituram tempore Antichristi, ad quem conuincendũ Helias venturus est. Quamuis in eo decipiatur, quòd Ieremiam Heliæ socium constituat ad Antichristum oppugnandum,cùm Ieremias mortuus iam sit, nec proinde conuincendo Antichristo præcursurus: vt Suar. Tom. 2. in 3. p. Disp. 55. Sect. 3. Vieg. Apoc. 11. comm. 5. Sect. 7. Maluend. lib. 9. De Antichristo, cap. 9. pluresque alij ostendunt. Clariùs hoc asserit D. Anselm. citatus in Elucidario, vbi loquutus de Arca à Ieremia abscondita: *Hæc*, inquit, *tempore nouissimo ab Helia & Enoch proferetur reuelãte Domino.* Quasi hoc monumento vsuri sint illi Heroës, vt Antichristo efficaciùs aduersentur. Ex recentioribus, vt alios omittam,

Tẽpore Antichristi apparituram, credunt aliqui.

Suar. *Vieg.* *Maluend.*

D. Ansel.

B hanc partem apertiùs tuetur Maluend. lib. 11. De Antichristo, cap. 22. & in eam antiquiores Patres trahere conatur. Et potest confirmari: quia tempore Antichristi ob Heliæ & Enoch prædicationem, facienda est perfectior vtriusque populi ad finem congregatio; iuxta illud Apostoli: *Cæcitas ex parte contigit in Israël; donec plenitudo Gentium intraret: & sic omnis Israël saluus fieret.* Rom. 11. n. 25. Atqui Arca apparitura est, teste Ieremia, quãdo Deus congregabit congregationẽ populi, hoc est, quando faciet perfectissimam congregationem, qualis illa erit. Ergo tunc Arca apparebit.

Maluend.

Alij nihilominùs dicunt, Arcam post resurrectionem mortuorum manifestandam. Ita insinuat D. Dorotheus citatus, tribuens Ieremiæ hæc verba,

V. *Post resurrectionem spectãdam, aliorum mẽs est.*

C post alia: *Dixit*, inquit, *Ieremias: Veniet legislator ex Sion cum potentia, & signum aduentus ipsius erit vobis, quando vniuersæ gentes lignum adorabunt. Dixit etiam: Arcam illam nemo eripiet, præter Aaronem; & Tabulas in illa recõditas nemo introspiciet, siue Sacerdotum, siue Prophetarum, præter Moysen electum Dei. Et in die resurrectionis, Arca primum resurget, & ex petra prodibit: ponetúrque in monte Sina, & cõgregabuntur ad eam omnes Sancti, expectantes Dominũ, & fugantes inimicum, occident eum venientem ad hanc petram.* Quæ omnia significare videntur, Arcam post resurrectionem mortuorum, quando iam supremus Iudex expectabitur, apparituram. Nã illud, *Fugantes inimicum occident eum*, non potest significare tempus aliquod ante resurrectionem, in quo

D. Doroth.

D sancti occiderint Antichristum: illum enim non Sancti, sed *Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* 2. Thessal. 2. n. 8. solùm igitur significare potest metaphoricam aliquam occisionem, quæ etiam post resurrectionem continget, torquendo & cruciando illum, vel ex ipso intuitu oculorum. Sic & D. Epiphanius, dum Ieremiam iisdem ferè verbis loquentem introducit: *Profectus*, inquit, *Dominus è Sina in calos; sed reuertetur in maiestate, & virtute diuina. Et hoc indicium Aduentus ipsius erit, quando Gentes vniuersæ ligno supplicabunt.* Et post alia, quæ etiam retulit Dorothæus, *In resurrectione*, inquit, *primùm Arca resurget, & prodibit è saxo, inq; Sina monte locabitur, & omnes Sancti ad eam confluent, vt illic suscipiant Dominum, & vitent inimicum, qui*

D. Epiph.

Doroth. Arca in die Iudicij pro asylo erit.

E *perdere illos affectabat.* Quæ omnia pariter significant, Arcam post communem resurrectionem omnibus manifestandam.

Et confirmatur: tum, quia post resurrectionem perfectissima erit omnium prædestinatorum cógregatio: Angeli enim *congregabunt electos eius à quatuor ventis, à summis calorum, vsque ad terminos eorum.* Matt. 24. n. 31. ergo, si Arca apparitura est, teste Ieremia, quando Deus suum populũ perfectissimè cõgregabit; tũc sine dubio apparebit: tũ, quia sicut post resurrectionem apparebit Crux, vt D. Doroth. & D. Epiph. citati expresserunt, &

VI. *Eodem tẽpore perfectissima fiet prædestinatorum adunatio.*

D. Doroth. *D. Epiph.*

Suar.

Crux in extremo iudicij die erit bonis solatio, malis verò terrori.

vlterius ex communi Patrum consensu ostendit. Suar.tom.2.in 3.p. Disp. 57. Sect. 2. ad consolandos bonos,& terrendos malos, quorum illi post Aduentum Christi legem nouam coluerunt; hi autem neglexerunt: ita apparebit Arca ad consolandos bonos,ac terrendos malos, quorum illi ante Aduentum Christi legem veterem obseruarunt;hi autem violarunt: tum denique, quia hoc fortassè significare voluit Ioannes,quando loquutus de illo extremo die: *Et apertum est*, inquit, *templum Dei in cælo, & visa est Arca Testamẽti eius in templo eius.* Apoc.21.num.19.Hoc enim explicari potest, non solùm de mystica Arca, nempe, humanitate Christi Domini; sed etiam de materiali, quam Ieremias eo tempore appariturá esse prædixit.In hunc posteriorem explicandi modũ, fateor,magis inclinat animus, tum propter rationes factas, tum propter illa verba Ieremiæ c.3.n.16.superiori Sect.citata, quibus significare videtur,Arcam toto militantis Ecclesiæ tempore minimè apparituram:tum denique, ne Iudæis tunc futuris ante resurrectionem aliqua errandi occasio ex Arcæ præsentia detur, & nunc viuentibus aliqua vana spes redeundi ad pristinum cultum oriatur. Quod periculum faciliùs tolletur,si Arca non ante, sed post resurrectionem mortuorum appàritura dicatur. Vtrouis autem modo hæc responsio explicetur;communior & certior sententia est, Arcam in fine Mundi appariturain.

VII. *Tertia difficultas.*

Quod attinet ad tertiam quæstionem: Quorsum Arca manifestanda sit? Certum in primis est, non apparituram,vt veteres cultus & legales ceremoniæ reuiuiscãt,quæ à nouo legislatore Christo Domino sepultæ sunt, ne vnquàm in æternũ suscitentur.Quorsum igitur? Multiplex responsio esse potest. Prima,quæ omnium caput est,& omnium instar habet,ita Deo placuisse,cuius *sensum quis cognouit? aut quis consiliarius eius fuit?* Isai.40.n.13. Quamuis non desint congruentiæ humano ingenio exquisitæ. Secunda,ad maiorem illius extremi Iudicij celebritatem. Sicut enim libri aperiendi sunt,Apoc.20.n.12. in quibus singulorum peccata manifestentur: ita vtriusque legis præcipua monumenta, Arca & Crux,palam statuenda; vbi præcepta timoris & amoris,quibus Iudæus & Christianus subiacebant, ostendantur; vt ex suis singuli iudicentur. Tertia, ad harmoniam vtriusque legis nouæ ac veteris indicandam, quæ nunquàm aduersa, sed tantùm diuersa diuersis temporibus præcipiebant, vt præcinente veteri per signa,& concinente noua per significata, æquabilis concentus ederetur. Quarta,ad ostendendum vnum vtriusque legis conditorẽ, Deum scilicet, veterem legem in manu mediatoris ordinasse, Gal.3.n.19. quidquid impij Manichæi desipuerint: Deum nouissimè in diebus istis loquutum fuisse nobis in Filio, Hebr.1.n.2.quidquid increduli Iudæi blasphemarint. Quinta, ad testandam singularem Dei de vtroque populo prouidẽtiam: Iudaïcum,tanquàm infantem, lege,tanquã lacte, nutriendo: Christianum, tanquàm virum perfectum,Euangelio, tanquàm solido cibo, sustentando:vt cùm aliquis in doctrina veritatis deficeret,id non Deo ministranti, sed ei fastidienti tribueretur. Sexta, ad terrendos malos Iudæos pariter & Christianos:illos, quia ante primum Christi Domini Aduentum, legem,quam seruare debuerunt,conculcabant, & ad Gentilitios ritus deficiebant: hos, quia sacrosancto Dei Euangelio, quod acceperunt, resistebant, & profanis carnis legibus obtemperabant. Septima,ad consolãdos bonos,Iudæos item,& Christianos:illos, quia ante primum Christi Domini Aduentum, diuinam legem manu & corde præferebant: hos,quia tollentes Crucem suam, Christum Dominum ad mortẽ præeuntem sequebantur. Vltima,vt ostensa Arca fœderis quodammodo accuset apud supremum Iudicem fœdifragos; & cõmẽdet fœderis obseruatores: ac tandem omnibus testetur, Deum, sicut ex se nunquam ab inito fœdere resiliit,ita eos qui resilierunt,meritis suppliciis puniturum: coronaturum verò magnis præmiis eos, qui fœdus semper inuiolatum conseruarunt. Mitto plures rationes, quas facilè quis excogitabit. Ad historiam regredior.

Prima ratio, cur Arca apparitura sit in fine mundi.

Secunda ratio. Arca & Crux extremi Iudicij celebritatem augent.

Tertia ratio. Legis veteris cum noua similitudinem ostendet.

Quarta ratio. Idem vtriusque legis auctor Deus.

Quinta ratio. Singularem Dei prouidẽtiam demonstrabunt.

Sexta ratio. Timorem peccatoribus incutient.

Septima ratio. Sanctos lætitia afficient.

Vltima ratio. Testabuntur initum inter Deum & homines fœdus, non à Deo, sed ab hominibus violatum.

Num. II. Tulerúntque Philisthiim Arcam Dei,& intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Sensus verborum.*

T*Vleruntq; Philisthiim,*&c. *Tulerunt*,vel est repetitio eiusdem verbi,Num.præcedenti: vel idem ferè cum verbo sequẽti, *Intulerunt*,pro quo Paraphrastes vertit: *Ascendere fecerunt in ædem Dagon.* Vtitur autem verbo ascendendi,vel, quia ab vrbe ascensus in templum; vel,quia à templo erat ascensus ad locum, siue aram,in qua Arcam statuerunt. Vocat item, *ædem*,sicut Septuaginta ex Hebræo, *domum*,pro templo, vt Latinus vertit: suis enim idolis Gentiles templa construebant: vt Vualfridus lib. De rebus ecclesiasticis, c.1. de exordiis templorum,non solùm ex profanis, sed etiam ex sacris Literis confirmat: *In quibus*, inquit, *templum Dagon in Samuele legimus, & Regem Sennacherib in templo Nesroch trucidatum.* 4. Reg. 19.n.37. *Danielem quoque in templo Belis Sacerdotum eius strophas deprehendisse.* Dan.14.num.17. *Et Antiochum reliquiarum populi Dei persequutorem grauissimum, & templi, quod post reuersionem de captiuitate readificatum est, violatorem, in templo Naneæ corruisse.* 2.Mach.1.n.15. Vbi notandum obiter, profanatores sacrorum templorum in suis templis miserabiliter interfectos: vt illa Dei; hæc Dæmonis agnoscerent: Dei,inquam,qui illos potuit punire; Dæmonis verò,qui non potuit liberare.

Vualfrid. Gentiles idolis suis tẽpla ponebant.

Templorum profanatores puniuntur.

II. *Arca in multis idolorum fanis collocata.*

Arcam igitur intulerunt in templum Dagon. Diuus Basilius Orat.3.De peccato, significare videtur, Philisthinos Arcam non in vnum tantùm templum,sed in plura intulisse: *Arcam*,inquit,*impiæ manus hinc & hinc transferebant, & pro locis sacris in fanis idolorum reponebant.* Et idem expressit in procemio ad librum Ethicorum, similique phrasi Theod. Procop.& alij vtuntur. Sed vel loquuntur figuratè, plura pro vno vsurpando; vel propriè de pluribus: quia, cùm Philisthini Arcam per varias vrbes circunducebant,paulò inferiùs à n.8.eam fortassè in præcipuis earũ vrbium fanis collocabant. Sed quod attinet ad præsens tẽplum, obiicies. Templũ Dagonis à Samsone destructum fuit,Iud.16. à n. 23. Non poterat igitur Arca Dei in illud importari. Respondeo in primis, non rectè colligi:quia,cùm à morte Samsonis iam elapsi fuerint, minimùm, quadraginta anni, quibus Heli iudicauit Israëlem, vt superiori c.dictum est;toto eo tempore potuit templũ semel euersum iterum instaurari. Addo,hoc templum fuisse diuersum ab illo, quod Samson labefecit. Nam illud erat in vrbe Gaza, Iud.16. n.21. hoc autem in vrbe Azoto, vt ex superiori Num. patet. Gaza verò, & Azotus erant vrbes diuersæ, vt ex c.6.Num.17.patebit.

D.Basil.

Theod. Procop.

Obiectio aduersus Literam.

Prior solutio.

Posterior solutio germanior.

Cæterùm

III. *Dagon vnũ è præcipuis Philisthinorũ idolis. — Caput regiũ nobilissimum spolium.*

A Cæterùm Dagon fuit vnum è tribus præcipuis idolis Philisthinorum, minus quidem quàm Beelzebub, qui Princeps Dæmoniorum dicebatur, Luc. 11. num. 15. sed maius quàm Astaroth. Vnde Philisthini, occiso Saule, eius arma posuerunt in tẽplo Astaroth. 1. Reg. 31. n. 10. at verò eius caput affixerunt in templo Dagon. 1. Par. 10. n. 10. vt nobiliori idolo nobilius spolium, quale erat caput Regium consecrarent. Nec differt, quod habetur cit. Reg loc. *in muro Bethsan.* Nã, vt docet Auctor traditionum in librum primum Paralip. domus Dagon dicebatur *Bethsan*, id est, *domus dormientis*: fortè, quia Dagon non magis, quã si dormiret, suũ simulacrum tuebatur: vt ex dicendis patebit.

Domus Dagon domus dormientis dicebatur.

IV. *Lasciuia & turpitudinis idolum silentio prætereũdum.*

Quæret aliquis, quæ fuerit materia, & figura huius simulacri? De materia nihil inuenio. De B figura vix aliquid. Nec immeritò. Quia Dagon erat idolum lasciniæ & turpitudinis, vt statim dicam. Tale autem monstrum potiùs silentio prætereundum erat, quàm eloquio explicandum. Sic *Beelphegor*, de quo agitur Num. 25. n. 3. quia erat libidinis idolum, nusquàm in Scriptura eius species declaratur: vt rectè obseruat Orig. hom. 20. in Num. *Noluit*, inquit, *Scriptura declarare, qua, vel qualis species, vel cuius esset turpitudinis; honestati, credo, consulens, ne auditum pollueret audientium.* Cui documento libens insisterem, & à Dagonis simulacro curiosiùs expendendo libens supersederem, si boni Interpretis officium, quidquam indiscussum præterire, aut dissimulate pateretur.

Orig. Cauenda libidinis nomina.

Materia Dagonis.

V. *Romani Deos partim ex auro, vel argento; partim ex ligno, vel luto construebant.* Verder.

C Qvamuis igitur de materia Dagonis nihil inueniam; si tamen res colligenda est ex consuetudine Romanorũ, qui maiores Deos ex auro, vel argento: minores ex ligno, vel luto fabricabant: vt Verderius ad initium sui Operis De imaginibus Deorum, ostendit: crediderim, fuisse hoc simulacrum ex præstantiori aliqua materia constitutum; quia præcipuo honore à Philisthinis colebatur. Talis fuit ille vitulus in deserto, Exod. 32. n. 4. & illud simulacrum in terra Promissionis, Iud. 8. n. 27. Vtrunque enim conflarunt Israëlitæ ex inauribus aureis fœminarum, vt vtrunque magnis obsequiis venerarentur. D Vbi obiter aduerte, hæc duo simulacra, ex inauribus ac deliciis mulierũ fabricata ad muliebres delicias prouocasse Israëlitas. Nam priori facto statim Israëlitæ *surrexerunt ludere.* Exod. 32. num. 6. hoc est, *lasciuire*: vt Tertul. lib. aduersùs Psychicos, c. 6. interpretatur. Facto autem posteriori: *Fornicatus est omnis Israël*: vt citato loco Iud. habetur. Quod cùm non sit intelligendum de propria idololatria, vt ibi Caietanus aduertit: intelligi fortasse potest de propria lasciuia, in quam tãdem Israëlitæ per superstitiosam sacrificandi, & conniuandi licentiam exerrarunt. Si igitur Dagon turpitudinis idolum, tanquàm Beelphegor, à fœminis præcipuè colebatur, & ex aureis illarum ornamentis ac deliciis E conflatum erat: mirum non est Azotios admodum fuisse voluptarios, & in lasciuiam effusos, vt hoc ipso cap. ostendemus.

Idola ex mulierũ inauribus formata, ad mulierum illecebras incitabant. Tertul. Caiet.

Multiplex Dagonis figura.

VI. *Humana Dagonis figura.* Eufeb.

Figura Dagonis à nonnullis humana fingebatur; qui, vt refert Eusebius lib. 1. De præparat. euang. cap. 7. *Dagonem*, seu, vt apud eum lego, *Dagona*, cæli ac terræ filium, aratri & frumenti inuentorem, & Iouem frumentarium appellabant, fauente illis nominis etymo. Nam Dagon, teste Marino in Arca Noë, & Mõtano in suo Elencho, *frumentũ* interpretatur: à radice, דגן *Dagan*, id est, frumentum. Aliis tamẽ Dagonis figura monstrosa fuit, vt communiter referunt Hebræi: nẽpe, ex figuris diuersorum animalium cõstituta. Quid absurdius? Quid monstrosius? Rectè quidem Seneca Philosophus, de falsis Diis loquutus: *Si viui*, inquit, *illa fuissent forma prædití, quam eorum simulacra præ se ferebant, nõ vt numina colerentur, sed vt monstra ab omnibus fugerentur.* Similiter & Diuus Aug. conc. 2. in Psal. 113. Ethnicos reprehendit, quòd cùm bestias viuentes & sentientes adorare erubescant; fictas eorum imagines, quæ sunt deteriores, venerentur. Et multò magis eos posset reprehendere, qui monstrosas earũ statuas adorant.

Marian. Montan. Monstrosa Dagonis species. Seneca. D. August.

VII. *Hominẽ pariter ac piscẽ referebat.*

At, quorum animalium figuras referebat hoc idolum? Omnes quidem conueniunt, hominem pariter ac piscem repræsentasse: hominẽ quidem; quia paulò inferiùs dicitur, duas palmas manuũ habuisse; quod non videtur, nisi homini conuenire: piscem verò propter etymologiam *Dagon*, idest, *piscis tristitia*, seu, *doloris*, vt D. Hieron. Beda, Rabbanus, Hugo Victor. Rup. Caiet. aliique sentiunt, à radice דגה *Dagah*, id est, *piscis*. Quamuis Abulensis hanc etymologiam non probet; quòd vocabulum דגה *Dagah* ad Hebræum idioma pertineat, nomen autem Dagon ad Philisthinum. Sed hoc parum conuincit. Nam vicinæ Gentes, licèt idiomate separatæ, alterius altera vocabulis frequenter vtuntur. Et confirmatur etymologia, & consequenter figura piscis; quia certum est Syros diuinitatem piscibus tribuisse: teste Cicerone lib. 3. De natura Deorum: & propterea ab illorum esu abstinere solitos, iuxta illud Ouidij 2. Fast.

D. Hier. Bed. Rabban. Hugo Rupertus. Caietanus. Abulens. Cicer. *Syri pisces, vt Deos colebãt.* Ouid.

Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis,
Ne violent timidi piscibus ora Syri.

Vnde est illud de Nabuchodonosore: *Immolabit sagenæ suæ, & sacrificabit reti suo.* Abacuc 1. n. 16. vbi Vates, interprete Gueuara, posuit continens pro contento, sagenam pro piscibus: quibus Nabuchodonosor, tanquàm Diis fautoribus suas victorias acceptas referebat, & in gratiarum actionem sacrificabat. Quare nihil mirum, si Philisthini, qui Syri sunt, Dagonem sub figura piscis venerentur. Quò fortasse allusit Theodoretus ser. 10. De prouidentia, cùm *Dagonem mutum* appellauit; quales esse pisces prouerbiali iam schemate dicuntur. Et idcircò Deus Israëlitis in terram Promissionis venientibus, prohibuit, ne piscium imagines fingerent, & adorarent, Exod. 20. n. 4. quia, scilicet, habitaturi erant prope Philisthinos, piscium simulacra venerãtes: quos ne imitarẽtur, præmonebat.

Gueuar. Theodor. *Dagon mutus, vipote piscis.*

VIII. *Homo cum pisce, id est, sapiens cũ stulto sociatus.*

Conueniunt igitur Interpretes, Dagonem hominis & piscis figuram habuisse. Quid miserius & absurdius improba illa cæcitate Philisthinorum, qui hominem omnium animalium sapientissimum in idem simulacrum cum pisce omniũ animalium stolidissimo coniungebant? Sed planè ipsi insipientes, sapienter quodammodo significarunt, hominem per idololatriam à summa sapientia in extremam stultitiam degenerasse. Differunt nihilominùs Interpretes in Dagonis partibus disponendis. Nam quidam dicunt, fuisse supernè piscem, infernè hominem, vt Lyra & Abulensis referunt. Alij probabiliùs vice versa, fuisse supernè hominem, cùm manus, quæ ad superiorem corporis partem pertinent, habuisse paulò inferiùs dicatur: infernè autem piscem, vt refert Vatab. hoc loco, Caiet. & Gueuara citatus. Vbi probat, Dagonem non differre à Dercete, quam Syri sub eadẽ specie loco Numinis venerabantur: nec obstare diuersitatẽ sexuũ; quia Ethnici vtrunque

Idololatria hominum sapientiam in piscium stultitiam transfert. Lyra. Abulens. Vatabl. Caiet. Gueuar.

Diodor. Volater. Derceta fabula.

pariter singulis Diis tribuebant, fingentes eos esse Hermaphroditos. Et quamuis Diodorus lib. 3. c. 21. & Volaterranus lib. 11. Dercetes tēplum in Ascalone collocatint: aliud nihilominùs habere potuit in Azoto: quòd hoc loco sub Dagonis nomine memoretur. Fuit autem Derceta, vt Syri apud Diodorum citatum, & apud Rhodiginium lib. 25. c. 5. fabulantur, fœmina Ascalonitis, quæ furtiuo ex stupro Semiramidem enixa, posteà sic erubuit, vt pudore victa se in lacum Ascalonitem præcipitarit: vbi in piscem conuersa, tam ipsa quàm cæteri pisces, diuinos tandem honores apud Philisthinos promeruerunt.

IX. *Marini Dij turpitudinis symbola. Pierius. D. Bonau.*

Ex quibus colligitur, quod suprà diximus, hoc Dagonis, siue Dercetæ simulacrum fuisse turpitudinis: tum, quia piscem referebat; B Dæmones autem aqueos, siue marinos Deos omnis vetustas pro hieroglyphico lasciuiæ, seu libidinis vsurpabat; vt Pierius lib. 31. ad finem testatur: tum, quia ortum habuit ab ipsius Dercetæ impuritate. Vnde D. Bonauent. in Psalm. 28. num. 1. *Dagonem* appellat *idolum Veneris*: atque hinc acriter reprehendit Philisthinos; & multò acriùs Sacerdotes, qui Philisthinos imitātur. *Philisthei*, inquit, *posuerunt Arcam Domini iuxta idolum Veneris Dagonem. Sic mali Sacerdotes, quando ponunt Filium Virginis iuxta filium Veneris in altari.* Concinunt, qui Dercetam à Venere non distinguunt: quam etiam cæca illa Gentilitas sub forma piscis, fortasse ob fœcunditatem sobolis venerabatur. Qua de re plura Serarius in cap. 19. Iud. quæst. 23. vbi C notat, Samsonem in Dagonis seu Veneris templo corruisse: quia, quem hostiles vires superare non potuerunt, muliebres blanditiæ superarunt. Quòd, si Philisthini Arcam iuxta Venerem collocantes, tam atroces pœnas ob illud scelus meruerunt: quas impudentes Sacerdotes Christum cum sua libidine tangentes & suscipientes ob tam infandum sacrilegium subibunt?

Serar. Samson in Veneris templo superatur.

X. *Quo in latere Dagonis posita fuerit Arca.*

Et statuerunt eam iuxta Dagon. Chaldæus Paraphrastes vertit: *In latere Dagon*: dextróne, an sinistro non exprimit. Dicet aliquis, in sinistro: quia latus, quando absolutè ponitur, sinistrum significat: vt Psal. 90. n. 7. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Sed non videtur ita D semper res habere. Nam Euangelista absolutè dixit: *Vnus militum lancea latus eius aperuit.* Ioann. 19. numer. 34 Et tamen Diuus Bernard. sermon. 7. in Psalm. 60. Innocent. Papa lib. 2. De mysteriis Missæ, cap. 58. Diuus Bonauent. lib. Meditationum, c. 80. & alij, quos citat & sequitur Barrad. tom. 4. conc. lib. 7. c. 22. dicunt, fuisse dextrum. Quibus fauere videtur communis Ecclesiæ pictura. Et est admodum pia ratio, qua vtitur D. Bern. citatus, voluisse Christum Dominum sibi dextrum potiùs latus vulnerari: *Quòd videlicet*, inquit, *non nisi de dextera mihi propinare vellet, non nisi in dextera locum parari refugij.* Nam reprobi ad sinistram releganrur. Non constat igitur, vtro in latere Arca posita fuerit; in altero tamen E fuisse constat. Nam Philisthini non solùm Arcam in templum intulerunt, sed etiam in præcipua illius parte iuxta Dagonis Arcam collocarunt.

Dextrum Christi latus in cruce trāsfossum. D Bernar. Innoc. D. Bonau. Barrad.

D. Bernard. Dextra felicia, non sinistra aduersa, suis Deus propinat.

XI. *Arcā à Philisthæis donarij loco Dagoni consecratam aliqui putant. Ioseph. Auctor. mir.*

Dubitari potest, quo id animo præstiterint, ad colendámne Arcam, an ad suum Deum venerandum? Sunt, qui putent, hoc totum in Dagonis gloriam & honorem factum esse. Ita in primis Iosephus lib. 6. Antiquit. c. 1. *Arcā*, inquit, *iuxta Deū suum Dagon, tanquàm trophæum aliquod posuerunt.* Deinde Auctor mirabilium Scripturæ, lib. 2. c. 7. *Alienigenæ*, inquit, *victoriæ munere lætantes*, A *iuxta Dagon Deum suum, velut triumphi huius auctorem, Arcam Dei Israël in templo statuerunt.* Idem sentire videtur D. Basilius in Psal. 77. n. 61. vbi illa verba: *Tradidit in captiuitatem virtutem eorum*: de Arca ad Literā interpretatus: *Arcā*, inquit, *Philisthæi nacti, Dagon Deo suo velut spolium quoddam obtulerunt.* Idémque apertius expressit locis supra citatis, n. 1. q. 5. Sic & Theod. in Psal. citatū: *Arcā*, inquit, *cùm cepissent alienigenæ, velut trophæum quoddam Dagoni consecrarunt.* Et q. 13. ad hunc locum: *Alienigenæ*, inquit, *cùm post victoriam, Arcam despexissent, & eam veluti manubias suis dedicassent idolis, experientia Dei didicère virtutem. Nam primùm quidē viderunt ante Arcam suū cecidisse Deum, & adorationis præseferre figuram. Deinde, cùm eū B crexissent, postridie inuenerunt contritū, & extremis partibus priuatum. Deinde, cùm noluissent cognoscere differentiam; & Arcæ, quem conueniebat, cultum non tribuissent: inciderunt in varias affectiones & ægritudines.* Accedit & Procopius ad hunc librum: *Palæsthini*, inquit, *in magno metu erant, cùm Hebræi, visa Arca, ingentem clamorem edentes, auxilium sperarent. Cùm autem, parta victoria, eam contemnerent, ac veluti frugum primitias, aut spolia hostibus detracta, in templa suorum Deorum deponerent; Dei vim & potentiam in re ipsa experti sunt.* Quibus adde Diuum Chrysostomum tom. 5. libr. vno contra Gentiles, ad medium, vbi sic: *Victoria*, inquit, *potiti hostes, captam Dei Arcam, tanquam exuuias & opimum quoddam spo-* C *lium suo cuidam idolo (huic nomen erat Dagon) donarij loco consecrarunt.* Hos Patres secutus Magister Historiæ, Hugo Cardinalis, Dionysius, Lyra & alij dicunt, Arcam tanquàm victoriæ trophæum in Dagonis cultum & honorem, fuisse in eius templo collocatam. Et hoc fortasse voluit Cedrenus, dicens, nescio, quo fundamento, Arcam ad pedes Dagonis fuisse collocatam.

D. Basil. D. Basil. Theod. Procop. D. Chrys. Magist. Hist. Hug. Car. Dionys. Lyra. Cedrea.

XII. *Sunt qui in Arcæ venerationem id factum tradant. D. August. D. Prosp.*

Nihilominùs non desunt, qui hoc totum in Arcæ obseruantiam factum arbitrentur. Nam in primis Diuus Augustinus libr. 10. De ciuitate, cap. 17. *Qui*, inquit, *Arcam ceperant, in templo Dei sui, quem præ cæteris colebant, honorificè collocarunt.* Deinde Diui Augustini discipulus D. Prosper Aquitanicus 2. p. De promissionibus & prædi- D ctionibus, cap. 24. *Arcam*, inquit, *Dei, quam ceperant hostes, ea veneratione colendam esse crediderunt, vt in templo Dei sui Dagon collocandam arbitrarentur.* Et paulò pòst: *Videant*, inquit, *metuántque Reges & Gentes, qui penes se sacrata omnipotentis Dei vasa nunc vsque captiua retinent, eáque reddere detrectant. Quæ enim mala ventura credimus eis, qui nomen illud, quod est super omne nomen, in vasis eius sacratis honorare noluerunt: cùm sic punitos Arcam Dei honorantes, diuina testetur historia?* Præterea Abulensis q. 1. quærens, cur Philisthini Arcam tangentes, morte non damnarentur; inter alias rationes hanc vnam reddit: *Quia*, inquit, *erant nimis deuoti circa venerationem Arcæ. Quod patet: quia impenderunt ei maximum honorem,* E *quem impendere poterant: scilicet, quia posuerunt eam in loco sacratissimo totius terræ suæ; scilicet, in templo Dei magni Dagon.* Ita ille. Quo in loco nota obiter, sicut Philisthini propter Arcæ deuotionem temporali morte damnari non potuerunt: ita neminem, qui erga Beatam Virginem deuotus fuerit, æterna morte damnandum: vt Annotat. 12. Sect. 2. iam aduertimus.

Abul. Cultus Arcæ exhibitus Philisthæos à morte liberat. Virgini deuotus beatitudinem consequitur.

XIII. *Ethnici spolia pro templorum foribus appendebant, vel tholo suspendebant.*

Sed, vt iterum ad rem veniam, confirmari potest hæc interpretatio, quia Ethnici, qui suos Deos, partis spoliis, honorabant; ea in templorum valuis defigebant, iuxta illud Æneid. 7.

Multáque

Virg. *Multáque prætereà sacris in postibus arma,*
Captiui pendent currus,curuæq; secures,&c.

Silius. Et illud ex Silio lib.2.De bello Punico:
In foribus sacris,primóque in limine templi,
Captiui currus,belli decus,armáque rapta,&c.

Virg. Vel plurimùm è tholo, hoc est, mediæ testudinis loco suspendebant,iuxta illud Æneidos 9.
Suspendive tholo,aut sacra ad fastigia fixi.

Et illud 2.Thebaïd.
——Figámque superbis
Statius. *Arma tholis.*

At verò Philisthini neque in foribus defigunt,neque è tholo suspendunt: sed iuxta Dagonem in loco prorsus æquè nobili & sacro, ipsam Arcam collocarunt, vt ibi Abul. aduertit. Ergo illam Abul. præcipuè honorare voluerunt. Hanc partem D.Petrus Dam. non mediocriter confirmant ea, quæ ex D. Petro Damiano suprà in Litera Num.1.quæst. 5.retulimus.

XIV. *Vtraque sententia probabilis.* Caiet. Ex his duabus interpretationibus neutram reiicit Caietanus. *An*,inquit,*causa honorandi Arcam, an causa honorandi Dagon, posuerint Arcam Dei iuxta Dagon,incertum est:vtrunque enim intelligi potest. Primum tamen magis insinuatur ex situ: videlicet, quòd ad latus Dagon iuxta Hebraicam veritatem posuerunt eam. Secundum autem magis quadrat elatæ victoriæ, vt Arcam tanquam trophæa posuerint coram Dagon Deo eorum.* Sic ille. Immò & Abu-Abul. lensis, quem pro posteriori parte paulò antè citauimus;tandem quæst.11. vtranque pariter admittit. Quibus etiam subscribo, cùm neutra pars C alteri aduersari videatur. Volebant enim Philisthini, vt Arca & Dagon mutuos sibi præstarent acciperéntque honores. Quod facilius erit intellectu,si quis dicat, hæc studia honorandi Arcam & Dagonem,non de omnibus simul Philisthinis, sed de aliis atque aliis affirmanda. Ita vt eorum quidam ad Arcam honorandam inclinarent; alij ad suum Deum Dagonem venerandum propenderent.

XV. *Altera dubitatio, Quæ Philisthinorũ de suo,& Hebræorum Deo opinio fuerit.* Affinis est illa dubitatio: Vtrùm Philisthini crederent, Hebræos pariter cum Arca victos à se fuisse, solo Dagone sibi patrocinante: an etiam Deo Israelis suos Hebræos vlciscente. Priorem partem tenebit aliquis; quia Ethnici victorias, quas de Hebræis reportabant, suis Diis ad- D scribebant. Vnde illa Dei querimonia: *Iugiter tota die nomen meum blasphematur.* Isai.52. num. 5. Vtique *inter Gentes*,vt ait Apostolus Rom.2.num. 24. Quia Hebræi suis peccatis faciebant, vt hostibus traderentur;& rursus,vt hostes suis viribus, vel suis Diis eas victorias tribuentes,veri Dei nomen blasphemarent,dum eum infirmitatis arguebant.Quare Deus aliquando Hebræorum peccata dissimulabat; nec ea, vt par erat,armata hostium manu puniebat, teste Moyse in suo Cantico: *Ne forte*, inquit, *superbirent hostes eorum, & dicerent: Manus nostra excelsa, & non Dominus,fecit hæc omnia.*Deut.32.num.27. Sic igitur hoc loco Philisthæi suam suis Diis victoriam tribuere potuerunt. Posteriorem verò partem sequitur potiùs E Abulensis. *Non tantùm Dagonis virtuti,sed etiam Israëlitarum iniquitati Philisthini victoriam adscribebant.* Abulens.quæst 5.dicens, Philisthinos existimasse, Arcam fuisse victam, non propter infirmitatem Dei Israël, quem alioqui potentissimum & audiuerant,& experti fuerant;sed propter iniquitatem Israëlitarum;Deo per externos hostes domesticorum culpas vlciscente. Credebant enim id, quod erat, Deum Israëlis Hebræorum peccatis lacessitum,& populum, & Arcam in eam calamitatem induxisse. Quemadmodum & Sennacherib, credens,aut fingens,Ezechiam peccasse contra suum Deum; pariter credebat, aut fingebat, Ierosoly-A mam à suo Deo deserendam,vt ab hostibus caperetur.4.Reg.18.à num.22.Sic & Achior dux Ammonitarum apud Holofernem grauiter dissérebat, Hebræos, si Deo suo beneuolo ac propitio vterentur, nullis hostium viribus superandos. Si verò propter aliquam culpam,quam in eum commisissent, Deum suum haberent contrarium & iratum;nullo negotio euertendos.Iudith 5.à num. 14. Sic igitur Philisthini fortasse crediderunt eam captiuitatem,non ex impotentia Dei Israelis, sed ex malitia Israëlitarum processisse. Ex quo faciliùs inducebantur ad Arcam illam, quamuis victam honorandam. Quamuis, quia multi in hac fide nutabant; grauissimis plagis per Arcam victam admoniti conualuerunt: vt ex dicendis pa-B tebit.

Num. III. Cúmque surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini: & tulerunt Dagon,& restituerunt illum in locum suum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Aliquando Deus ocyssimè punit.* Abul. CVmq; *surrexissent*, &c. Chaldæus pro, *Altera die*, habet: *In die, qui post illum*:vt signifi-C caret diem proximè sequentem. Neque enim supplicium diuinum differendum erat, sed maturandum:vt Abulensis quęstione 11.aduertit.Nam, si post aliquot dies contingeret:non propter Arcę præsentiam, sed propter alias causas contigisse crederetur. Immò Origenes hom. 16.in cap.23. Orig. D.Chrys. Num. & Diuus Chrysostomus libr. vno contra Gent.tantam huius supplicij celeritatem significant,vt inter Arcam in ara positam, & Dagonem in terram prolapsum,nullam moram interponere videantur: sed vbi illa iuxta Dagonem collocata est, statim Dagonem in faciem corruisse. Tam exigua enim mora interfluxit, vt pro nulla putaretur. Et fortasse recedentibus de templo Philisthæis,statim corruit Dagon; quamuis eius casus D non nisi sequenti die obseruaretur. At, cur non statim, illis adhuc præsentibus, Dagon cecidit? Fortè, ne præceps vindicta, sed matura videretur.

II. *Cur Philisthini diluculo surrexerunt.* Igitur proxima die surrexerunt Azotij diluculo. Sed,cur tam citò euigilarunt, qui hesterno de labore fatigati,potiùs ad multam lucem dormituri viderentur. Respondeo, multiplici de causa. *Prima ratio.* Vna, ad orandum. Nam etiam Ethnici antelucanas preces suis Diis offerebant; iuxta illud Maro-Maron. nis de suo Ænea 11.Æneid.
Vota Deûm primo victor soluebat Eoo.

Secunda. Carthus. Altera, ad gratulandum Dagoni de parta victoria. Ita Carthusianus: *Diluculo*, inquit,*surrexerunt, vt pro solito Dagonem Deum suum honorarent; cuius* E *virtute arbitrabantur, se tantum sortitos triumphum.* *Tertia.* Phil.Bibl. Tertia, ad consolendum suum Deum, interprete Philone Biblico: *Cùm venissent*,inquit, *interrogare Dagonem de exitu suo:* scilicet, diluculo surrexerunt: ac si heri victores, iam hodie de sua ruina trepidarent.

III. *Quarta.* D.August. Virg. *Plùbeus inter Deos tum pugnabat antiquitas.* Quarta ad explorandum, quid suo Deo ex vicinitate Arcæ contigisset. Nam Ethnici quædam inter Deos diuersarum Gentium dissidia fingebant:vt D.Augustinus lib.3. De ciuitate,cap.2.testatur:patétque ex Virgilio 10.Æneid.vbi Iupiter ad alios Deos:

Tantumq; animis certatis iniquis?
Et paulò pòst:
Nec vestra capit discordia finem.

Ouid.

Et clariùs ex Ouidio 1. Tristium, 2.
Mulciber in Troiam, pro Troia stabat Apollo,
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Sic ergo & Philisthæi, inter suos Deos & Deum Hebræorum inimicitias exerceri arbitrabantur: vt colligitur ex iis, quæ ipsi superiori capite, num. 8. exclamarunt, & nos ibi aduertimus. Modò igitur experiri voluerunt, essétne illa discordia iam finita: & sicut tectis conuenerant, ita & animis, facta quodammodo pace, conuenirent: an potiùs adhuc iisdem odiis dissiderent; altérque in alterum per nocturna silentia inueheretur.

IV. *Quinta. Euigilant Philisthæi Deo suo consulentes.*

Quinta & vltima, vt si quid detrimenti & infortunij Dagon ex vicinitate Arcæ subiisset; ipsi in tempore aduolarent, ad illud resarciendum, antequàm in vulgus proderetur. Nam Philisthæi, sicut audierant, Deos Ægyptiorum à Deo Israëlis contritos comminutósque fuisse, vt citato loco diximus: ita suo Dagoni simile infortunium ab Arca Dei maximè reformidabant. Vt igitur viderent, quid tandem ei acciderit, & si quid mali accidisset, opportunè prouiderent; matutini surrexerunt; seu, vt habet Chaldæus, *Anticipauerunt homines in Asdod*, seu, in Azotum: binominis enim erat hæc vrbs. Hoc est: Anticipauerunt turbam hominum, ex vicinis oppidis in Azotum, & in templum Dagonis, gratulationis causa, ruituram: ne qua Dagonis iniuria, si qua facta fuisset, notaretur à vulgo, antequàm ab ipsis Azotiis, qui fortasse erant Sacerdotes, aut populi Principes, corrigeretur.

V. *Deus laborantibus succurrit.*

Ecce Dagon iacebat, &c. Hactenus Deus suam potentiam dissimulauit, passus Arcam à Philisthæis capi, & in templum Dagonis inferri. Sed cùm tandem auxilio opus fuit, opportunè adiuuit, auxilium præstiturus. Est enim Deus, teste Propheta, *Adiutor in opportunitatibus*. Psalm. 9. num. 10. Proponitur igitur potestas Arcæ, & infirmitas Dagonis: dum hic ad illius præsentiam dicitur corruisse: & tanquàm res noua & inaudita, aduerbio, *Ecce*, prænotatur. De illa potestate Arcæ, rectè Dauid: *Surge, Domine, in requiem tuam, tu & Arca sanctificationis tuæ.* Psal. 131. num. 8. Seu, vt legit D. Chrysostomus sequutus Septuaginta: *Tu & Arca fortitudinis tua.* Et subdit: *Vtraque*, inquit, *vera: quæ enim erant ei imposita Literæ, erant & sanctitatis effectrices & roboris. Pulchrè ergo sic dixit: magnam enim Deus per eam potentiam ostendit, semel, & bis, & sæpenumerò: vt, quando capta ab Azotiis simulacra deiecit; quando eos, qui ceperant percussit; quando ea reddita, vt plaga cessaret, effecit.* Vbi aduerte iuxta Diuum Chrysostomum, totam Arcæ sanctitatẽ & potestatem prouenisse ex illis Literis, seu ex illis tabulis diuinæ legis, quæ in illa includebantur. Nam lex diuina adeò potens & sancta est, vt potentes & sanctos efficiat eos, qui illam amplectuntur. Dagonis verò infirmitatem expressit Vatablus, dicens, nomen *Dagon* esse diminutiuum. Vnde verti posset: *Et ecce pisciculus iacebat:* quemadmodum & illud: *Reliquias vestras in ollis feruentibus.* Amos 4. n. 2. vbi idem vocabulum reperitur; vertit Aquila apud Pagninum in Thesauro: Reliquias vestras *in lebetibus pisciculorum.* Idem igitur Dagon, qui apud alios quidem Deos, erat ingens cetum, seu balena: apud Arcam Dei Israël, paruus tantùm pisciculus videbatur. De qua re plura in sequenti Annotat.

D. Chrys.

D. Chrys. *Potestas Arcæ, legis tabulis referenda.*

Vatabl. *Dagonis infirmitas, vel ex nomine indicatur.*

Aquil.

VI. *Arca potentia, & Dagonis imbecillitas tripliciter ostenditur. Primò, ex loco.*

Cæterùm potestas Arcæ, & infirmitas Dagonis ex hoc loco tripliciter mihi videtur ostendi posse. Primò, ratione loci. Nam Dagon proprio in domicilio victus est, Arca in alieno (si quid Arcæ Dei alienum dici potest) superauit: turpior autem est calamitas inflicta in natiuo solo; gloriosior victoria parta in peregrino. Vnde Beda libr. 1. ad hunc locum cap. 10. sicut Christum Diabolo; ita Arcam Dagoni hanc vnam ob causam anteponit. Nam ad illa verba Christi Domini: *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Luc. 11. n. 21. *Fortis*, inquit, *erat Dagon, quãdo stulta Gentibus arma suo custodiebat in atrio: fortior est Arca Fidei, quæ huic victrix spolia impietatis eripuit, & hæc pietatis arma & spolia fecit.* Quasi diceret: Miserabilis fuit ruina Dagonis, quia domestico fuit in atrio: inclyta victoria Arcæ, quia in externa domo superauit. Vnde Principes Apostolorum in primaria totius Mũdi vrbe, & totius idololatriæ Metropoli, de Mundo ac de idololatria triũphantes, longè clarissimum triumphum reportarunt: vt rectè expendit D. Amb. serm. 66. De Natali Apostolorum Petri & Pauli: *Martyrium*, inquit, *pertulerunt in vrbe Roma, quæ principatum & caput obtinet Nationum: vt, vbi caput superstitionis erat; illic caput quiesceret sanctitatis: & vbi Gentilium Principes habitabant; illic Ecclesiarum Principes morarentur.*

Vt vinci in proprio turpe: ita in externo solo vincere gloriosum est.

D. Ambr.

VII. *Secundò, ex tempore.*

D. Isidor. Clarius.

Secũdò, ratione tẽporis. Nã quãdo Arca maximè deiecta, & Dagõ maximè sublimis videbatur; tunc Arca de Dagone triumphauit. Hãc rationẽ innuit Isidorus Clarius. *Cernis*, inquit, *vt vbique gloria Domini emineat; etiã tunc cũ deiecta existimatur?* Scilicet, Dominus, vt ex Dauide retulimus, *Adiutor in opportunitatibus.* Psal. 9. n. 10. Insinuat & Petrus Blesensis epist. 124. *Arca*, inquit, *fœderis ab allophylis capta, & posita iuxta Dagon, à virtutibus non cessauit.* Atque hinc ostendit, Ecclesiam persequutionibus non absumi. Quod illustrat ex Arca Noë, quæ, quò magis à diluuio quatiebatur: eò magis erigebatur: *Eius*, inquit, id est, maris, *concussio; ipsius*, id est, Arcæ, *erectio est.* Probat ex Diuo Hilario lib. 7. De Trinitate, sub initium: *Proprium*, inquit, *Ecclesiæ est, vt tunc vincat, cùm læditur: tunc intelligat, cùm arguitur: tunc obtineat, cùm deseritur.* Ad hanc rem illustrandam, notatu dignissimum est, quod narrat D. Chrysost. libr. vno contra Gentiles, fuisse olim in Daphne, suburbio amœnissimo Antiochiæ, celeberrimum Apollinis templum, & prope illud vrnam, in qua sanctissimi Martyris Babylæ ossa conderentur. Addit, quandiu illud templum infrequens fuit; nihil detrimenti à vicino Martyris tumulo suscepisse: postquàm verò frequentari cœpit ab Ethnicis, & multis donariis augeri: & *torrente sanguinis*, vt ipse loquitur, *ex victimis cæsis circumfundi*: tunc repentè lapso de cælo igne, quem sanctissimi Martyris oratio impetrauerat, conflagrasse. Cuius rei rationem reddens: *Babylas*, inquit, *statuam primùm stare cùm permisisset; hanc ipsam tunc deiecit, cùm maximè impietatis flamma altior ferretur. Planum faciens, vincere oportere, non quidem iam depressis aduersariis: sed tunc maximè cùm efferuntur & clarescunt.* Non aliter Dagon, quando victor & triumphator videbatur, tunc deprimitur. Contrà verò Arca, quando videbatur victa & abiecta, tunc triumphat.

Petr. Bles.

Ecclesia seges cũ demetitur, tum feracior erumpit.

D. Hilar.

D. Chrys.

VIII. D. Chrys. *Sancti, cùm deiecti existimantur, tunc fortiores eminent.*

Hanc doctrinam egregiè confirmat D. Paulus, dicens: *Cùm infirmor, tunc potens sum.* 2. Cor. 12. num. 10. In quem locum D. Chrysostomus hom. 26. *Vbi*, inquit, *afflictio, ibi & consolatio: quando igitur in carcerem coniectus est, tunc admiranda gessit: quando naufragium passus, atque in barbaram regionem eiectus; tunc maximè inclaruit: quando ad tribunal vinctus accessit, tunc & Iudicem vicit.* Nec aliter & Dauid. *Impulsus*, inquit, *euersus sum, vt caderem; & Dominus*

minus suscepit me. Psal. 117. num. 13. Vbi rursus D. Chrysostomus: *Hoc, inquit, est tempus diuini auxilij: & ideò nec pueros eripuit à principio; sed postquam fuerunt coniecti in fornacem.* Dan. 3. à n. 21. *nec Danielem antequàm esset immissus, sed septem post diebus.* Dan. 14. à num. 30. *Cum rerum humanarum nulla iam esset spes relicta, tunc suum ostendit auxilium.* Sic olim & Israëlitæ, cùm profugi, imbelles & ignaui ad pugnandum viderentur, tunc per illos Deus *Percussit gentes multas, & occidit Reges fortes,* &c. Psal. 134. num. 10. Vbi iterum idem Chrysostomus: *Illi quidem, inquit, erant armati, & vrbes munitas habebant, & rei militaris, & instruendæ aciei erant periti: hi verò exules, & bellandi ignari, à longa seruitute & diuturna tyrannide liberati, fame & egestate consumpti, omnibus ad accipiendam iniuriam expositi. Sed erant omnium potentissimi propter manum, quæ eos ducebat ac regebat.* Hæc ille. Nihil ergo mirum, si Arca victa, Deo patrocinante, gloriosior triumphet.

D. Chrys. D. Chrys.

IX. *Tertiò, ex modo, quo victoria reportatur.*

Tertiò, ratione modi, quo hæc victoria parta est. Nam in primis Dagon non fugit penitùs è templo, ne videretur effugere posse diuinæ iustitiæ vltionem: sed iacuit ante Arcam, vt eius imperio deiectus ac ligatus quodammodo videretur. Non cecidit resupinus in tergum, ne adhuc putaretur, velle ab Arca resilire, seu contra Arcam rebellare: sed pronus in faciem cecidit, vt Arcam Dei, seu potiùs latentem, operantémque ex Arca Deum adoraret: vt Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 1. Theodoret. quæst. 13. Magister historiæ, Dionysius, Lyra, Abulensis & alij interpretantur. Quibus accedit D. Basil. in c. 10. Isai. *In faciem, inquit, prolapsus erat ipse Dæmō, à claritate gloriæ deuictus, quæ circa Arcam Dei splendescebat.* Vbi plura de ruina Dæmonum ad præsentiam Christi Domini. Tandem Dagon non solùm clam, & in nocte Arcam adorauit; vt olim Nicodemus, Ioan. 3. num. 2. sed palàm, & in luce, omnibus, qui aderant, Azotiis spectantibus; vt Septuaginta expresserunt. *Surrexerunt,* inquiūt, *mane Azotij, & ingressi sunt in domum Dagon, & viderunt: & ecce Dagon,* &c. Vbi exprimuntur Azotij testes oculati Dagonis in faciem prolapsi, ne in tenebris tantùm Arcam adorasse putaretur. Qua de re Theodor. serm. 10. De prouidentia, ad finem: *Deus, inquit, allophylis Arcam tradit, populi iniquitatem arguens: tradita autem maiestatem tuetur, allophylos docens, quòd non Deum vicissent, sed hominum iniquitatem. Propterea Dagon quoque, quem illi, ceu Deum, adorabant, ante Arcam corruere facit; & eundem cultoribus suis spectandum exhibet, vt allophyli discrimen discerent.* Quasi diceret. Voluit Deus, vt Dagon omnibus Azotiis spectantibus Arcam adoraret: vt tandem intelligerent Philisthini, quantum discriminis esset inter Arcam & Dagonem, inter Deum ac Dæmonem.

Ioseph.

Dagonis infirmitas Azotiis spectanda proponitur. Theodor.

X. *Homines ipso Dæmone deteriores.*

Nota hoc loco malitiam hominum, vel ipsa Dæmonum malitia deteriorem: nam, Dagone cadente, & Arcam adorante; ipsi nihilominus Azotij ceruices attollunt, & contra Deum eriguntur. Nota prætereà Dei in homines patientiam: nam Dagonem statim labefecit; ipsos autem homines intactos ad pœnitentiam expectauit. Nota deinde Arcæ maiestatem. Nam etsi Azotij Dagonem suo loco restituere ausi fuerint, non tamen ausi sunt Arcam è suo demoliri. Tandem nota deiectum quidem Dagonem, non tamen altare destructum. Quod ad mysticum sensum detorquet noster Ludouicus Pontius tom. 1. De perfectione, tract. 4. c. 4. §. 2. Nam sicut Azotiis ponentibus Arcam iuxta Dagonem bona intentione, vt eam honorarent; non destruitur altare, sed deiicitur Dagō: ita quando Eucharistia sumitur ab eo, qui reuerà peccatum habet, sed bona fide existimat, non habere, præmisso attritionis actu; non incurritur noua culpa, immò præterita aboletur.

Deus mirum in modum patiens. *Arcam attentare Azotij non audent.* Lud. Pont.

XI. *Et tulerūt Dagō,* &c. Dion. Lyra, Abulēsis & alij, dicunt, eos qui tulerunt Dagonem, & suo loco restituerunt, fuisse Sacerdotes Azotios. Cuius rei duplex ratio esse potest. Vna, propter maiorem sui Dagonis reuerentiam. Nam sicut Arcam fœderis soli Sacerdotes, seu Leuitæ Hebræorum: ita & Dagonem soli fortasse Sacerdotes Philisthinorum reuerentiæ causa attingebant, seu attrectabant. Altera, quia tunc soli aderant Sacerdotes. At, cur non aderant & populares? Ratio mihi videtur optima: Quia Sacerdotes Azotij, cùm timerent suo Dagoni aliquod ex Arcæ vicinitate detrimentum, vt paulò antè diximus; diligenter curarunt, ne illud, si quod foret, in vulgi notitiam veniret. Quare pridie eius diei recedentes de templo, *Dagonem clauserunt*: vt D. Augustinus lib. 10. De ciuitate, cap. 19. testatur, ne quis adesset speculator. Deinde, altera die surrexerunt diluculo, seu, vt iam retulimus ex Chaldæo: *Anticipauerūt homines in Asdod.* Hoc est: Anticipauerunt, non solùm auroram, sed & aduentum cæterorū hominum in templum: ne quis prior de populo adueniens, vllā Dagonis ignominiam, si qua foret, spectaret. Tandem inuenientes Dagonem humi prostratum, quàm citissimè eum in suum locum retulerunt: antequàm veniens ac videns populus sui Numinis ignominia offenderetur. Ita mihi videntur citati Interpretes sentire. Nam Dionysius: *Acceperunt, inquit, Dagon Sacerdotes ipsius, erubescentes de Dei sui tanta deiectione, & mane ac clam restituerunt eum, ne communitas hoc ipsum perciperet.* Similiter & Lyra: *Tulerunt, inquit, Sacerdotes Dagon, & restituerunt eum in locum suum, antequàm populus perciperet.* Tandem Abulensis: *Hoc,* inquit, *fecerunt Sacerdotes diluculo, antequàm veniret populus, ne videret Deum suum humiliatum coram Arca; & crederet, maioris potestatis esse Deum Hebræorum.*

Dionys. Lyran. Abul.

Soli Sacerdotibus Dagonem tangere licebat. D. Aug.

Dagonis iniuriā Sacerdotes quàm citissimè auertere curant. Dion. Lyra. Abul.

XII. Si hæc placet interpretatio, vt credo placituram, tria circa illam expende. Primum, Sacerdotes Azotios valde sollicitos fuisse de ignominia sui Dagonis occultanda: vt ex hoc loco discant Christiani, suorum Prælatorum, ac maiorum, quos Dei loco habere debent, defectus occultare. Alterum, veri & falsi Numinis longè maximum discrimen. Nam Dagonis vilitas erubescēda erat; & propterea ab eius cultoribus tegebatur: at verò humilitas Christi Domini maximè gloriosa; & propterea ab Euangelij Præconibus toto orbe decantatur. Tertium, frustrà conatos fuisse Sacerdotes Dagonis, eius ruinā & ignominiā occultare: nā, Deo ita prouidente, omnibus posteà manifestata est. Colligo id ex doctrina Philonis Biblici, si vera est, afferentis, Philisthinos ciues, vbi primùm egressi sunt de templo Dagonis, Sacerdotes crucifixisse. Ergo & ipsi in templum maturarunt, siue ab aliquo admoniti, siue suapte sponte incitati; & ignominiam sui idoli cognouerunt. Quam statim vindicari cupientes, & non audentes irruere in Arcam Dei, in Sacerdotes Dagonis irruerunt: non fortasse, quòd in illis aliquam culpam deprehenderent; sed vt ipsi conceptam animis iracundiam explerent. At, quod Philisthini iniustè faciebant, à Deo iustissimè permittebatur; vt primi omnium plecterentur Sacerdotes, qui Arcam Dei in arce Dæmonis collocarant. Ex his tribus, hoc tertium in sequenti Annot. illustrius fiet. Duo priora hic obiter illustrabo.

Tegenda Prælatorū vitia. *In humilitate Christi gloriandum.* *Nihil occultum, quod non reueletur.* Phil. Bibl.

Maiorum

Maiorum defectus, immò & omnium proximorum occultandos.

XIII.

Constantin.

Charitas peccata cooperit.

Propriis vestibus peccantem Sacerdotem occultandum, Constantinus pessimè iudicabat.

ITa exigit vera charitas, quæ operit multitudinem peccatorum. Certè Magnus ille Imperator Constantinus nihil impensiùs agebat, quàm vt defectus Sacerdotum, quos tanquàm maiores suos reuerebatur, occultaret: dicere solitus, vt refertur in Iure, cap. *Scripturis*. 96. dist. *Si viderem peccantem Sacerdotem, chlamyde operirem, ne videretur.* Suo se pallio exuebat, immò regia se auctoritate denudabat, vt suorum Sacerdotum ignominias tegeret, flagitia celaret. Plus aliquid a nobis Christus Dominus requisiuit, illis verbis: *Estote prudentes sicut serpentes.* Matth. 10. num. 16. Quæ est enim hæc prudentia serpentum, nisi vt vnum caput contra ictus aduersariorum tegat ac tueatur? Ita Patres communiter. Diuus Hieronymus ad eum locum: *Serpentis*, inquit, *astutia ponitur in exemplum: quia toto corpore occultat caput; & illud, in quo vita est, protegit.* Concinit D. Hilarius can. 10. in Matth. ad medium: *Prudentia*, inquit, *serpentis est, quòd vbi se in manus hominum venisse intelligat, omni genere ab ictu caput subtrahat, idque aut collecto in orbem corpore contegat, aut fouea immergat, cadique partem reliquam derelinquat.* Accedit D. Chrysost. hom. 33. in Matth. *Serpens*, inquit, *totum se ipsum tradit, neque admodum curat, si corpus inciditur, donec caput suum integrum seruet.* Nec aliter D. Epiphan. hæres. 38. contra Ophitas, ad finem: *Prima*, inquit, *in serpente prudentia est, quòd dum persequutionem patitur; cognoscens, quòd in capite ipsius tota vita eius existit; occultat quidem cranium suum; tradit autem reliquum corpus*, &c. Et occultam huius prudentiæ rationem tradit D. Ambros. serm. 20. in Psal. 118. *Fertur*, inquit, *coluber, cùm vrgetur periculo, caput semper abscondere, & in orbem se colligens, obiecta reliqua parte corporis, hoc solùm tueri; quòd læsa ferantur membra cætera, saluo capitis vigore reparari.* Quasi à sano capite defluat salutaris quædam vis, qua membra etiam læsa & saucia integrentur. Vt igitur prudens serpens suum tegit caput, ne vulneretur: ita prudens subditus suum Prælatum, quo vt capite vtitur, ne maledicis linguis, tanquàm lanceis, feriatur. Quinimmò prudentiam serpentis requirit Dominus à discipulis: quia prudens Christianus non solùm sua se debet chlamyde exuere ad Sacerdotem & Prælatum suum contegendum; vt Imperator Constantinus: sed etiam propriam vitam profundere, ad honorem sui capitis & Principis illæsum conseruandum.

D. Hieron. — D. Hilar. — D. Chrys. — Epiphan. — D. Ambr.

Prudentiam serpentis in tegendo capite imitantur subditi in Prælato defendendo.

XIV.

Filiorum Noë ergà patrem reuerentia & pietas.

Præclarè quidem olim Noë filij non solùm parentem suum obuelarunt, ne ab aliis nudus cerneretur; sed ne ipsi quidem nudum cernere voluerunt. *Sem*, inquit Textus, *& Iapheth pallium imposuerunt humeris suis, & incedentes retrorsum operuerunt.* Genes. 9. num. 23. Qua de re D. Greg. lib. 25. Moral. cap. 15. *Quid est*, inquit, *quòd filij verecunda patris, superiecto dorsis pallio, auersi venientes operiunt; nisi, quòd bonis subditis, sic Præpositorum suorum mala displicent, vt tamen hæc ab aliis occultent? Operimentum auersi deferunt: quia indicantes factum, & venerantes magisterium, nolunt videre quod tegunt.* Eodem exemplo vtitur Vincentius Lirinensis lib. aduersùs profanas nouitates, ad obiurgandos eos, qui, vt suos errores commendent, aliis antiquis viris, iure, an iniuria, adscribunt: *Quorum ego nequitiam*, inquit, *odio dignam iudico, vel eum etiam, quòd sancti cuiusque viri memoriam, tanquàm sopitos iam cineres, profana manu ventilant; & quæ silentio sepeliri oportebat, rediuiua opinione diffamant: sequentes omninò vestigia auctoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noe, non modo operire neglexit; verùm quoque irridendum cæteris enuntiauit. Vnde tantam læsæ pietatis meruit offensam, vt etiam posteri ipsius peccati sui maledictis obligarentur.* Æquum enim fuit, vt qui parentis sui ignominiam detexit; in filiis suis ignominiosus ab omnibus notaretur.

D. Greg.

Boni subditi maiorum suorum vitia tegunt.

Vinc. Lirin.

Qui sinistram de aliis spargunt famam; infamia notam subire coguntur.

XV.

Dauidis ergà Saulem charitas.

Dauid, audito miserabili Saülis casu, *Nolite*, inquit, *annuntiare in Geth, neque annuntietis in compitis Ascalonis, ne fortè lætentur filiæ Philisthiim, ne exultent filiæ incircuncisorum.* 2. Reg. 1. num. 20. Saülis ruinam, quem vt Regem venerabatur, tacendam, non prædicandam existimauit, vt posteris exemplo foret, ne suorum casus Principum leuiter euulgarent, sed modesto silentio in perpetuum sepelirent. In quem locum Bachiarius epist. De lapsis, ad Ianuarium, laïcos reprehendit, qui alicuius Ecclesiastici culpam in vulgus disseminant. *Ecce*, inquit, *prohibetur, ne in terminis Geth, neque in finibus Ascalonis, hoc est, in notitiam secularium, siue hominum mundanorum, casus fratris, vel ruina seminetur; & nos passi sumus, non solam ipsam, quam incolit, ciuitatem; sed etiam totum orbem, famæ ipsius desperatione compleri.* Et statim ex hoc loco optimam colligit rationem, cur Ecclesiastici ruina potissimùm debeat occultari: ne scilicet & peccator infametur, & auditor prauo exemplo faciliùs ad malum inducatur. *Ne exultent*, inquit Dauid, *filiæ incircunciforum*: id est, homines huius seculi. *Hi enim*, inquit Bachiarius, *exhilarantur, cùm audiunt ruinam militis Christi; vel ex illius consolantur opere, dicentes: Ecce qui nobis exprobratur à cæteris, ad cuius exemplum cogebamur viuere*, &c. *Nunquid non meliùs erat, nec inchoare, quod bonum est, quàm tam turpiter cadere, aut non posse complere, quod cœperit?* Ne igitur tantum scandalum oriatur; Sacerdotis, aut Ecclesiastici cuiuscunque peccatum diligenter occultetur.

Bachiar.

Cùm Ecclesiastici peccatum effertur, auditores ad malum compelluntur.

Bachiar.

XVI.

Præceptum diuinum de vitiis parentis occultandis.

Celebre est illud præceptum Dei ad populum Israël: *Turpitudinem*, inquit, *patris tui, & turpitudinem matris tuæ non discooperies.* Leuit. 18. num. 7. In quem locum Hesychius lib. 5. cap. 18. per parentes intelligit quoslibet superiores, vel seniores: & rem mysticè declarans, *Probibet*, inquit, *nos reuelare qualibet peccata, à cognatis, vel amicis nobis credita, ne maledictionem Cham patiamur, qui patris nuditatem fratribus patefecit.* Vbi aduerte, si tam acerba fuit maledictio Cham, qui patris nuditatem duobus tantùm domesticis, iisque fratribus detexit; quàm acerba erit maledictio eorum, qui maiorum suorum defectus coram multis externis & aduersariis buccinantur. Aduerte etiam cum D. Ambrosio lib. De Arca Noë, cap. 31. filium Cham magis ebrium fuisse, quàm parentem Noë: *Qui enim*, inquit, *neque præteritam generationis gratiam, neque præsentem reuerentiam patris, neque futuram pœnam paternæ iniuriæ considerabat; verè ebrius erat, & quod putabat, videre se, non videbat.* Immò concludit, non modò ebrium, sed planè cæcum fuisse: *Erat*, inquit, *in illo profunda cæcitas, qui patrem videre non poterat. Nam, si vidisset patrem, non vtique risisset; neque enim ridendus, sed verendus est pater.* Notat prætereà Hesychius citatus, hoc præceptum de turpitudine maiorum non reuelanda, decies in illo loco Leuitici, iuxta Septuaginta inculcari: cuius numeri sunt præcepta Decalogi. *Quia quisquis*, inquit, *turpitudinem spiritualium, vel carnalium cognatorum reuelat; totius legis inuenitur esse transgressor. Quare? Quia alienum est à charitate, quod agit, quæ est legis plenitudo.*

Hesychius.

Acerbissimè puniuntur subditi superiores diffamantes.

D. Ambr.

Magis temulentus Cham defectus patris diuulgando, quàm pater poculis indulgendo.

Aliorum famam violantes, omnibus Dei præceptis aduersantur.

nitudo. Adeò enim hæc charitatis transgressio grauis est, vt totius Decalogi transgressioni quodammodò exæquari videatur.

XVII. *Flagitiū omnium grauissimum admittunt.*

Hinc Dauid iniuriarum patientissimus, hanc vnam, quasi omnium grauissimam, non potuit sustinere. Moriturus enim præcepit Salomoni, vt interficeret Ioab, dicens: *Tu nosti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus Principibus exercitus Israel* 3. Reg. 2. num. 5. Vbi distinguit diuersa peccata Ioab, scilicet, in Regem, & in Principes Israël, Abner & Amasam. Sed quid fecerit Ioab contra hos duces, nemo ignorat: vtrunque enim interfecit. 2. Reg. 3. num. 27. & 2. Reg. 20. num. 19. Tibi verò, ô Dauid, quid vnquàm mali fecerit, non apparet. Respondet Rabbi Salomon apud Lyram. *Per hoc*, inquit, *intelligitur malum, quod fecit Ioab contra personam Dauid, ostendendo aliis literas, quas sibi secretè miserat Dauid de morte Vriæ.* Nam, cùm Ioab videret suos milites propter indignam Vriæ mortem tumultuantes, & aliquid fortasse rebellionis contra se ipsum molientes; protulit Regis literas, ex quibus scirent, non sua culpa, sed Regis mandato Vriam periculo expositum occubuisse. Hæc autem peccati reuelatio tam altè hæsit Dauidi in animo, alioqui patientissimo, vt etiam moriturus ediceret, non nisi capitali supplicio expiandam. Nam, vt bene Diuus Petrus Chrysologus serm. 150. *Deuoti*, inquit, *militis est, Regis sui tacere fugam, referre constantiam; virtutes loqui, timores silere; aduersa dolere, prædicare victorias; aperire fortia, infirma reticere.*

Rabb. Sal.

Et non nisi morte luendum.

D. Petrus Chrysolog.

XVIII. *Magnam de suo Principe Ægyptij opinionem imbibebant.*

Tales se quondam Ægyptij præbuerunt, inter quos nemo erat, qui ignoraret, Iosephum puerum fuisse Hebræum, vēditum à pastoribus Israëlitis in Dothaïn; adductum à negotiatoribus Ismaëlitis in Ægyptum, inopem ac nudum, & tanquàm vile mancipium traditum in potestatem Putifar; indò propter adulterij suspicionem in carcerem coniectum: hæc omnia nemo erat, qui ignoraret; & tamen postquàm Iosephus Ægyptiorum Princeps factus est, Ægyptij pristinas eius miserias ita ex memoria deleuerunt, ita ex animo obliterarunt, vt nemo de illis vnquàm cogitaret, & multò minùs loqueretur. Id ex eo colligo, quòd fratres Iosephi in Ægyptum venientes, & tota vrbe euagantes, de fratre suo tam diligenter quæsierunt & interrogarunt, teste Lyrano & Burgensi, vt malam sui facerent suspicionem, callidique exploratores viderentur; & tamen, quem quærebant, nunquàm inuenire potuerunt: quià illa miseriarum indicia, quæ assignabant, vt in fratris sui notitiam deuenirent, nemo Ægyptiorum suo Principi conuenire cogitabat, & multò minùs dicere audebat: adeò magnificè & sublimiter de illo sentiebant omnes: adeò nihil humile & abiectum de illo suspicabantur, vel loquebantur. Sed, proh dolor! ab illa veteri synceritate subditorum, quanta facta est nostrorum temporum inclinatio? Nam, dum quis inter priuatos viuit, sua vitia facilè occultat; nemine illa curiosè inquirente, nemine malitiosè subodorante: postquàm verò ad honores euehitur, omnia eius vitia tam moralia, quàm naturalia deteguntur; rimantibus ea subditis, & per vicos & plateas palàm cantillantibus. Qui ergo geminos honores amat, publicos effugiat; hi enim sunt illorum turbatores: & vbi quis temporalem gloriam se acquisiuisse putat; ibi deprehenditur amisisse.

Lyra. Burg.

Ad honores euectio, ad infamiam accessio est.

XIX. *Peccata ad medecinam tantùm indicanda.*

Verùm, non solùm Prælatorum, sed etiam inferiorum, immò & omnium proximorum peccata semper debent, nisi charitas & necessitas aliud exigat, occultari. Nullam fecit Moyses in lib. Genes. de Angelorum peccato mentionem, cùm tamen primorum parētum peccatum disertissimè descripserit. Gen. 3. à n. 1. quia hoc remittendum erat, illud damnandum: euulgare autem non oportebat, quod non oportebat condonare. Sic Alcuinus in Genesim: *Vides*, inquit, *peccatum Angeli tacitum; hominis autem patefactum: nempe, quia illud incurabile, hoc curatum.* In eundem sensum respondet Auctor mirabilium Scripturæ, lib. 1. cap. 2. *Angelicum vulnus*, inquit, *verus Medicus indicare noluit, dum curare non destinauit. Peccatum verò hominis profertur: ipsum nanque quandoque promereri veniam nō desperatur.* Itaque nisi charitas & necessitas vrgeat, aliena peccata obtegantur. Qui olim in lege damnabatur ad mortem, in eadem die sepeliri iubebatur: *Non permanebit*, inquit, *cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur.* Deut. 21. n. 23. Cuius præcepti multiplex est interpretatio mystica: sed illa ad rem pertinet, peccatorem non esse omnium oculis exponendum, sed eripiendum: vt omnia eius vitia quàm primùm fieri possit, occultentur. Quò pertinet illud D. Augustini, cap. *Si peccauerit.* 2. q. 1. *Vbi contigit malum, ibi moriatur.*

Alcuinus.

Auct. mir.

D. August.

XX. *Occultè Deus punit & corrigit.*

Inter alias ægyptias plagas: *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti, tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum.* Exod. 10. num. 22. Rationem tradunt nonnulli Rabbinorum: quia voluit Deus occidere aliquos Hebræos incredulos, Ægypto adhærentes, indéque exire recusantes; ita tamen, vt eorum pœna sub densis tenebris lateret, ne culpa in Ægyptum euulgaretur. Christus Dominus cum Samaritana loquuturus, discipulos in vrbem dimisit obsonatum. Sed, cur duodecim, cùm vnus satis supérque videretur. præsertim, cùm ipse corporalem cibum repudiaturus esset, solum spiritualem accepturus? Ioan. 4. num. 32. Respondet Salmeron tom. 4. tract. 20. quia Christus Dominus sua Samaritanæ peccata obiecturus erat. Iussit ergo discipulos recedere, *Vt pudori eius solitudine consultum esset, & vt liberiùs posset eius flagitia detegere, atque arguere: ac vt nos inde discamus, proximum secretè primùm atque salubriter corrigere.* Eodémque modo Iansenius & Toletus interpretantur. Bonus ille paterfamilias, cùm prodigum filium recepit, nihil priùs quàm tunicam, qua tegeretur, curauit: *Citò*, inquit, *proferte stolam primam.* Luc. 15. num. 22. Non sine mysterio, vt significaret peccatoris famæ, quàm primùm consulendum, eiúsque ignominiam opportunè abluendam. Sic D. Petr. Chrysologus serm. 3. *Ante*, inquit, *vestiri voluit filium, quàm videri: vt soli patri nota esset nuditas; quia pater solus videre filij non poterat nuditatem.* In horto Christus Dominus ad satellites, qui se venerant comprehensori: *Si me quæritis*, inquit, *sinite hos abire.* Ioan. 18. num. 8. Abire iubet, ne fugientium timiditas notaretur; sed facta ex magistri facultate putaretur. Pontifici Iesum interroganti, *de discipulis suis, & de doctrina eius*, Ioan. 18. num. 19. ad doctrinam quidem respondit Dominus: ad discipulos verò, ne verbum quidem: vt eorum honori consuleret, & in fugiendo timiditatem occultaret. Loquutus de suorum Apostolorum præmio: *Sedebitis*, inquit, *& vos super sedes duodecim.* Matth. 19. n. 28. duodecim sedes nominat, ne vnus Iudas excludendus proderetur; vel, interprete Euthymio, *cæteris deterior haberetur.* Ioanni proditorem inquirenti, signum quidem Dominus dedit; & nihilominùs addit Euangelista: *Hoc autem nemo sciuit discumbentium.* Ioan. 13. num. 28. Rationem reddit D. Chrysost. hom. 17. *Tam submissa*, inquit, *voce id Ioanni dixit, vt minimè ab aliis audiretur.* Adeò infelicem illum proditorem occultare cupiebat: immò nec Ioāni quidem proditoris nomen detexit. Quam magistri

Iansen. Tolet.

Pet. Chrys.

Christus etiā Iudæ honori consuluit.

Euthym.

D. Chrys.

magistri benignitatem ad maiorem proditoris accusationem conuertit D. Leo serm. 7. De passione: *Cur, inquit, infelix Iuda tanta benignitate non vteris? Ecce parcit ausibus tuis Dominus: & nulli te nisi tibi indicat Christus, nec nomen tuum, nec persona detegitur; sed veritatis & misericordiæ verbo, cordis tui tantùm arcana tanguntur.*

D. Leo.

XXI. Iosephus totius Ægypti gubernator suos ad colloquium fratres recepturus: *Præcepit*, inquit Textus, *vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ.* Genes. 45. num. 1. Ratio fuit, ne quis venditionem fratribus obiiciendam auscultaret. Ita Rupert. lib. 9. in Genes. cap. 11. *Non alienis, inquit, iam communicanda erat domestici notitia sceleris: neque sub eorum præsentia priùs frater edicere voluit rem tantæ confusionis, quam ferre non potuerunt fratres, remotis etiam cunctis arbitris.* Sed obseruanda Iosephi in fratribus alloquendis prudentia singularis. Nam, quando fratres recognouit, vocem extulit, etiam ab iis, qui foris aderant, audiendam: *Eleuauit*, inquit Textus, *vocem cum fletu, quam audierũt Ægyptij, omnisque domus Pharaonis, & dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph. Adhuc pater meus viuit?* Ibidem, num. 2. & 3. Vbi Lyra: *Volebat*, inquit, *Ioseph, vt audirent illud, quod tunc dixit.* At verò cùm fratres suos sui venditores ac proditores declarauit, propiùs accedere ad se iussit, vt submissiori voce id in aures insusurraret: *Accedite*, inquit, *ad me. Et cùm accessissent propè: Ego sum, ait, Ioseph, frater vester, quem vendidistis in Ægyptum.* Ibidem, num. 4. Vbi rursus Lyra: *Istud*, inquit, *volebat eis dicere submissè, & ideò fecit eos prope venire; ne Ægyptij audirent proditionem, quam fecerant, & sic eos despicerent.* Igitur, quæ ad eorum laudem pertinebant, contenta voce edixit, vt ab omnibus audiretur: quæ verò ad eorum vituperationem spectabant, voce admodum submissa indicauit, vt ab ipsis tantùm fratribus caperetur.

Iosephus in occultandis fratrum peccatis prudentia & charitas.

Rupert.

Laudes elata voce, vituperia depressa indicantur.

Lyra.

Lyra.

XXII. Multiplex erat ratio, cur flagitia & supplicia Sodomorum, Abrahæ manifestari oporteret: & nihilominus Deus ea de re secum, tanquàm dubius, vt ita loquar, consultabat: *Num*, inquit, *celare potero Abraham, quæ gesturus sum*, &c. Gen. 18. num. 17. Rationem reddit D. Thom. aut quisquis est ille sub eius nomine Auctor in Genesim. *Quia Deus, inquit, est valdè difficilis ad publicanda occulta crimina nostra: sicut vix secretè soli Ioanni voluit subinnuere Iudam proditorem: quamuis nobis hoc expedire videretur, ad sciendum, quòd Christus sit voluntariè passus.* Suum Dauidi sacrilegium obiecturus Propheta Nathan: *Cùm venisset ad eum, dixit ei.* 2. Reg. 12. n. 1. Septuaginta transferunt: *Ingressus est Nathan ad Dauid.* Vbi Diuus Anastasius Nissenus quæst. 8. in Scripturam ex Eusebio Pamphilo, expendit verbum *Ingrediendi*, quasi in secreto aliquo conclaui suum Regi peccatum Propheta aperiret: *Ostendit*, inquit, *oratio, quòd non præsente alio, neque coram vniuerso populo eum redarguit.* Sic & Pontifex Azarias reprehensurus Regem Oziam, quòd sacerdotale officium vsurparet: *Ingressus post eum*, inquit Textus, *& cum eo Sacerdotes Domini octoginta*, &c. 2. Paral. 26. num. 17. Regem acriter obiurgauit. Vbi Diuus Chrysostomus homil. 5. De verbis Isaiæ, similiter expendit verbum illud, *Ingressus*, ac si non foris, sub omnium oculis: sed intus remotis arbitris, saltem secularibus, Regem commoneret. *Intus*, inquit Chrysostomus, *in adytis, nullo teste, redarguitur est*: nempe, seculari: nam Sacerdotes adfuerunt, vt necessarium tantæ admonitioni testimonium præberent.

Deus in peccatis nostris edendis difficilis est.

D. Thom.

D. Anast.

Semotis arbitris crimina corrigenda sunt.

D. Chrys.

XXIII. Irruit quidem Moyses in idololatras, magnam eorum stragem effecturus. Sed quo tempore? *Videns Moyses*, inquit Textus, *populum, quòd nudatus esset: spoliauerat enim eum Aaron*, &c. Exod. 32. num. 25. hoc est: Videns populi idololatriam manifestatam esse; manifestauerat enim eam Aaron: tunc ad publicam vindictam processit. Rectè id obseruat Oleaster: *Debet*, inquit, *Prælatus, quantùm potest, peccata populi occultare, famámque seruare: sed, cùm viderit publicata, vindicare, & publicè punire.* Et optimum ab ipso Deo deducit exemplum, qui Dauidis peccatum, quandiu occultum fuit, punire noluit, vt Regis honori consuleret: vbi autem detectum est, acriter vindicauit; vt colligitur ex verbis Nathan ad ipsum Regem: *Quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini*, &c. 2. Reg. 12. num. 14. Quasi Regis adulterium, & homicidium iam manifestatum, priùs homines ad blasphemias adigeret, quàm ipsum Deum ad vindictam excitaret: adeò ab occultis peccatis euulgandis abstinebat. Hæc igitur optima est & iustitiæ & charitatis lex, ne aliena peccata grauioréque defectus, non solùm Prælatorum, sed aliorum quoque proximorum, quæ occulta delitescunt, detegantur, vt omnium famæ, bonæque existimationi consulatur.

Publica delicta plectenda.

Oleast.

Scelus Dauid detegitur & punitur.

Quid præscribat iustitia & charitatis lex.

Dagonis vilitas, tanquàm ignominiosa erubescenda: Christi Domini humilitas, tanquàm gloriosa prædicanda.

XXIV. SVi Dagonis vilitatem Sacerdotes Azotij prodiderunt, dum eius ruinam, antequam ab aliis notaretur, diligenter occultarunt. Nec immeritò. Cùm enim illa ruina ex impotentia orta fuerit; potiùs erubescenda illis erat, quàm manifestanda. At verò humilitas Christi Domini, quæ ex charitate, non ex infirmitate oriebatur, palàm euulgari debuit, & prædicari, tanquàm omni gloriæ temporali præferenda. Quid gloriosius apud Iudæos quàm vis miraculorum? Quid illustrius apud Græcos, quàm philosophandi peritia? Sed vtrisque Diuus Paulus maiorem gloriam obiecturus, Crucem obiecit. *Iudæi*, inquit, *signa petunt; & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum.* 1. Corinth. 1. num. 23. Quasi illa vna Crucis humilitas omni temporali & potentia, & sapientia gloriosior existat. Vnde statim appellat Christum crucifixum, *Dei virtutem, & Dei sapientiam.* Ibidem, num. 24. illa Iudæorum virtute, & hac Græcorum sapientia longè sublimiorem.

Quæ erubescimus prodere, occultando manifestamus.

Quæ infirma sunt Christi, palàm enarrare curamus.

Quod hoc loco paucis illustrabo.

Christi humilitas & sapientiam, & Imperatorum gloriam superat.

XXV. Regnantem in cælis Christum Dominum vidit Apostolus, & tacuit, dicens: *Non licet homini loqui.* 2. Corinth. 12. num. 4. Crucifixum audiuit, & toto orbe prædicauit; credens, non minùs in patibulo, quàm in cælo omnibus hominibus placiturum. Nam, vt bene D. Chrysostomus hom. 4. in priorem ad Corinth. *Christus*, inquit, *orbem terrarum per Crucem ad se allexit: quod scandali incrementum, non abolitio videbatur.* Nec solùm Apostoli de terra, sed & Cherubini de cælo Christi Domini humilitatem Mundo prædicant ac manifestant: non hominis, non buccinæ; sed tonitrui vocem simulantes, vt meliùs exaudiantur: tantùm abest, vt contegant & occultent. *Audiui*, inquit Ioannes, *vnum de quatuor animalibus, dicens, tanquàm vocem tonitrui: Veni, & vide.* Apoc. 6. num. 1. Vbi Rupertus: *Auditur*, inquit, *vox tanquàm tonitrui; quia videlicet non sicut probrosa vanitas susurrat in angulis, sed palàm omni Mundo prædicari amat plenitudo partus virginalis; ita vt meritò comparetur tonantibus cælis.* Et nota illam Angeli vocem: *Veni & vide.* Prædicaturus enim Christi Domini mysteria: Vide, inquit, non audi: vt illa non tantùm auribus, sed etiam oculis ingerantur.

Apostolus nõ Christi maiestatem, sed humilitatem enuntiat.

D. Chrys.

Cherubini humilitatem Christi mundo prædicant.

Rupert.

Quæ Christus opprobria pertulit, voce tonitrus euulgantur.

Immò

XXVI.
Deus in maieſtate rutilans vni ſe manifeſtat.

Immò & ipſe Filius in throno gloriæ ſuæ vni tantùm Prophetæ ſe præbuit ſpectandum: *Vidi Dominum*, inquit, *ſedentem ſuper ſolium excelſum & eleuatum.* Iſai.6.n.1. At verò in patibulo ignominiæ ſuæ, ſe omnium oculis videndum exhibuit: *Vidimus*, inquit, *eum, & non erat aſpectus.* Iſai.53. num.2. Vt D.Bernard. ſerm.2. De verbis Iſaiæ, rectè expendit, has duas viſiones inter ſe componens: *Non ſine cauſa*, inquit, *ibi, Vidimus, ſcriptum eſt; & hic, Vidi: vt illam quidem intelligas eſſe communem; hanc verò excellentiæ ſingularis.* Itaque pendentem in patibulo multis ſe oſtendit: ſedentem in ſolio, vni: quaſi magis de ſua infirmitate, quàm de ſua maieſtate gloriaretur. Sed, ô glorioſam ignominiam! Sedentem in gloria, vnus vidit Iſaias, nec tamen dicitur, eum deſideraſſe; vt citato loco videre eſt: morientem in Cruce non vnus tantùm, ſed multi viderunt, & dilexerunt: *Vidimus*, inquit, *eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum.* Iſai.53.n.2. Ac ſi hęc vna Chriſti Domini humilitas maiores ſui amores in omnium animis, quàm illa maieſtas excitaret. Vnde D. Auguſt. in Pſal.127. valdè admiratus id, quod ait idem Propheta: *Non eſt ſpecies ei, neque decor:* inquirit, quo pacto tanta poſſit eſſe deformitas, vbi tanta reperitur amabilitas. *Ergo*, inquit, *ſponſus noſter fœdus eſt? Abſit. Quando enim illum virgines amarent, quæ in terra maritos non quæſierunt?* Et ſerm.22. De verbis Apoſtoli, rectè monet, ne quis de Chriſti deformitate erubeſcat, ſed maximè glorietur. Et optima eſt illa ratio, quam affert: *Deformitas Chriſti te format.*

D. Bern.
In patibulo pendens multis ſe oſtēdit.
In patibulo deſideratus & cōcupitus.
D. Auguſt.
Virgines mūdana relinquunt, vt Chriſto adhæreant.

XXVII.
Chriſtus clariſſima die mortuus, nocte ſecretiſſima reſurrexit.

Non immeritò D. Hieronymus, aliíque obſeruant, Chriſtum Dominum, clara die, & tota Ieroſolyma ſpectante, in Cruce expiraſſe: at verò ſecreta nocte, & omnibus arbitris remotis, è ſepulcro viuum ſurrexiſſe. Cuius myſterij, aliis rationibus omiſſis, illa eſt ad rem præſentem, quòd gloria morientis præferenda quodammodo videbatur gloriæ reſurgentis. Vnde hæc in nocturna ſilentia reſeruatur; illa in meridiana luce omnibus ſpectanda exhibetur. Certè Ioannes duos illos glorioſos titulos Chriſto Domino attribuit: *Primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ.* Apoc.1.n.5. è quibus ille prior eius mortem; hic poſterior eius principatum complectitur. Et priorem poſteriori anteponit; quaſi glorioſius fuerit Chriſto Domino, ſe morti ſubieciſſe, quàm vniuerſo Mundo imperaſſe.

Glorioſius fuit Chriſtū mori pro mundo, quàm regnare in mundo.

XXVIII.
Erubeſcendus qui de Chriſto erubeſcit.

Cùm igitur tanta ſit in Chriſti Domini humilitate maieſtas, nemo illam ſtultè verecundus occultet, ſed potiùs ſapienter impudens manifeſtet. Nam, *Qui me erubuerit*, inquit Chriſtus Dominus, *& meos ſermones; hunc Filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum.* Luc.9.n.26. In quem locum Tert. lib. De Carne Chriſti, cap.5. *Quodcunque*, inquit, *Deo indignum eſt, mihi expedit. Saluus ſum, ſi non confundar de Domino meo. Alias non inuenio materias confuſionis, quæ me per contemptum ruboris probent bene impudentem, & feliciter ſtultum.* Quaſi diceret: Hæc ſola eſt bona impudentia, de Chriſti Domini humilitate non pudeſcere: hæc felix ſtultitia: *Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius hominibus* prædicare. 1. Corinth.1.n.25. Immò D. Ambroſius lib.1. in Luc. c.2. *Plus*, inquit, *Domine Ieſu, iniuriis tuis debeo, quòd redemptus ſum; quàm operibus, quòd creatus ſum. Non enim prodeſſet mihi naſci, niſi redimi profuiſſet.* Adeò enim de Chriſto Domino humili & contempto non erubeſcebat; vt potiùs de illo maximè gloriaretur. Vnde Dauid, Martyris cuiuſque nomine: *Loquebar*, inquit, A *de teſtimoniis tuis in conſpectu Regum, & non confundebar.* Pſalm.118. num. 46. In quem locum Diuus Ambroſius ſerm. 6. *Conuenit*, inquit, *iſta vox Martyri; qui vocatus ad ſacrilegium, exprobrantibus ſibi Regibus crucifixum Ieſum, non erubeſcebat: ſed magis gloriabatur in Cruce Chriſti, & illam mundi ſalutem eſſe teſtimoniis cæleſtibus adſtruebat.* Iam verò cæleſtis Sponſa de ſuauitate vocis, & de venuſtate oris à diuino Sponſo non immeritò commendatur: *Vox*, inquit, *tua dulcis, & facies tua decora.* Cant. 2. num. 14. De ſuauitate quidem vocis, quia Chriſtum crucifixum palàm prædicabat: de venuſtate autem oris, quia de Chriſti Domini ignominiis non erubeſcebat. Quod expendens Diuus Ambroſ. citatus, *Suauis*, B inquit, *eſt vox: quia ore confeſſio fit ad ſalutem.* Rom.1.num.10. *Et decora facies, quæ non erubeſcit auctorem; non confunditur Redemptore. Oſtendit ergo faciem, ſignaculum Crucis præferens; & inſinuat vocem ſuam, auctoritatem prædicationis aſſumens.* Quare nihil eſt in Chriſto Domino, vnde nobis confuſio contingat: plurima, immò omnia, vnde nobis gloriatio conſequatur. Caſus igitur Dagonis, tanquàm ignominioſus abſconditur; Chriſti Domini interitus, tanquàm glorioſus toto orbe prædicatur. In cuius rei typum dicitur ſepulcrum Moyſis abſconditum: *Non cognouit homo ſepulcrum eius.* Deuter.34.num.6. At verò ſepulcrum Chriſti Domini, non ſolùm manifeſtum, vt patet ex euangelica hiſtoria; ſed etiam C *glorioſum*, vt Iſaias c.11.n.10. teſtatur: quia Moyſis ignominia, tanquàm erubeſcenda abſconditur; ignominia verò Chriſti Domini, tanquàm glorioſa manifeſtatur.

Tert.
D. Ambr.
Quid teſtificentur coram Tyrannis, Chriſti Martyres.
S. Ambr.
Fideles non confunduntur de ſuo Redemptoris opprobrio. Eccleſia non erubeſcit præferre vultu ignominiam Crucis.
S. Ambr.
Impij ſuos defectus aperire non audent.
Quæ diſtātia inter Moyſis tumulum, & Chriſti ſepulcrum.

XXIX.
Quam labilis idololatriæ maieſtas.

Et reſtituerunt illum, &c. Vide Dagonis infirmitatem. Non ſolùm cecidit, ſed etiam reſurgere non potuit: & quod magis mirere; etiam antequàm manibus & pedibus truncaretur, aliena ope indiguit, vt erigeretur, & in priori loco collocaretur. Igitur Sacerdotes illum in ſuam aram retulerunt. Addit D. Proſper Aquitanicus part. 2. De promiſſ. & prædict. cap. 14. non ſolùm fuiſſe in ara collocatum; ſed etiam fortiùs religatum. *Eum*, inquit, *vncis fortioribus validioribúſque deſigunt.* Nempe, timebant Sacerdotes, ne ca-D dem facilitate, qua ſemel cecidit, iterum quoque ac ſæpiùs caderet, niſi validiùs teneretur. Hi nimirum erant Ethnicorum Dij, iuxta illud: *Si ceciderint in terram, à ſemetipſis non conſurgunt: neque ſi quis eum ſtatuerit rectum, per ſemetipſum ſtabit.* Baruch 6.num. 26. Vbi multa de hac infirmitate idolorum. Et illud de idoli artifice: *In pariete*, inquit, *ponens illud, & confirmans ferro, ne fortè cadat, proſpiciens illi, ſciens, quoniam non poteſt adiuuare ſe: imago enim eſt, & opus eſt illi adiutorium.* Sap. 13. num. 15. & 16. Et illud: *Plaſtæ idoli omnes nihil ſunt, & amantiſſima eorum non proderunt eis: ipſi ſunt teſtes eorum, quia non vident, neque intelligunt, vt confundantur.* Iſai.44.num.9. Cuius generis multa paſſim in ſacris Literis occurrunt.

D. Proſp.
Superſtitio ſine adminiculis ſtare non ſufficit.

XXX.
Simulacra ſuos cultores non tutantur.

E Itaque Ethnicorum Dij adeò infirmi erant, vt non tam ipſi cultores ſuos ſeruarent, quàm ab ipſis ſeruarentur: vt ex eorū libris facilè patebit. Nam Palladium, ſeu Palladis ſimulacrum Diomedes quondam & Vlyſſes Troianis eripuerunt. At quo pacto id fecerint, cecinit Mantuanus 2. Æneid.

Maro.

——— *cæſis ſummæ cuſtodibus arcis*
Corripuêre ſacram effigiem.

Qua de re D. Auguſt. lib.1. De ciuit. c.2. *Quid*, inquit, *priùs ipſa Minerua perdiderat, vt periret? An fortè cuſtodes ſuos? Hoc planè verum eſt: illis quippe*

D. Auguſt.

interemptis potuit auferri. Neque enim homines à ſimulacro, ſed ſimulacrum ab hominibus ſeruabatur. Quomodo ergo colebatur, vt patriam cuſtodiret & ciues, quæ ſuos non valuit cuſtodire cuſtodes? Eandem ſuorum Deorum infirmitatem ſignificauit Troianus Hector, ſic Æneam in ſomnis alloquutus, 2. Æneid.

Maro. D. Auguſt.

Sacra ſuóſque ſibi commendat Troia penates.

En Troia, vt rectè aduertit Diuus Auguſtinus lib. 1. De ciuitate, cap. 3. non Ducem Diis, ſed Deos Duci commendabat: ac ſi potiùs Dij Ducis opera indigerent, quàm Dux patrocinio Deorum. *Quæ igitur dementia eſt,* addit Diuus Auguſtinus, *exiſtimare his tutoribus Romam ſapienter fuiſſe commiſſam, & niſi eos amiſiſſet, non potuiſſe vaſtari?*

XXI. *Anſeres Romanorum Diis præferendi.*

Noti ſunt in hiſtoria Romana illi anſeres, qui non ſolùm Romanos, ſed etiam Romanorum Deos ab irruentibus hoſtibus liberarunt. Ad quos alluſit Mantuanus 8. Æneid. loquutus de clypeo Æneæ:

Atque hic auratis volitans argenteus anſer
Porticibus, Gallos in limine adeſſe canebat.

D. Ambr. *Magis cuſtodiunt anſeres alitores, quàm Dij gentium cultores ſuos.* Virg.

In quam rem feſtiuè luſit Diuus Ambroſius lib. 5. Hexam. cap. 13. *Anſeres*, inquit, *Romana Capitolia à Gallo hoſte ſeruauerunt. Meritò illis debes, Roma, quòd regnas. Dij tui dormiebant, & vigilabant anſeres. Ideò illis diebus anſeri ſacrificas, non Ioui. Cedunt enim Dij veſtri anſeribus, à quibus ſe ſciunt eſſe defenſos, ne & ipſi ab hoſte caperentur.* Quare inanes Dij non ſeruant ſuos ciues, immò niſi à ſuis ciuibus ſeruentur, facilè à ſuis hoſtibus ſuperantur. Vnde illud Æneid. 1.

Ilium in Italiam portans, victóſque penates.

Et illud Æneid. 2.

Sacra manu, victóſque Deos.

D. Auguſt.

Vbi ipſi Deorum cultores ſuos Deos victos fatentur. Quam indignitatem D. Auguſtinus ſerm. 29. De verbis Domini, acriter deteſtatus: *Ecce*, inquit, *qualiter docti homines Romam cuſtodibus commiſerunt. Quòd ſi Romam ſeruare potuerunt; quare ipſi anteà perierunt? Non, inquiunt Romani, ipſi perierunt, ſed ſimulacra eorum. Quomodo ergo cuſtodirent tecta veſtra, qui non potuerunt cuſtodire ſimulacra ſua?* Sic argutè Auguſtinus.

XXII. *Simulacrorū vanitas.*

Tandem hanc Deorum infirmitatem ſatis expreſſit illa Labani cum Iacobo expoſtulatio: *Cur*, inquit, *furatus es Deos meos?* Geneſ. 31. n. 30. Vbi D. Chryſoſtomus hom. 57. *O excellentem*, inquit, *inſipientiam! Tales ſunt Dij tui, vt quis eos furari queat, qui neque, cùm furaturi ſe quidam erant, ſeruare ſe potuerunt?* Quaſi diceret: Quid alios iuuabunt, qui ne ſibi quidem prodeſſe poſſunt? Idem

D. Chryſ.

Diuus Chryſoſtomus homil. De Naaman Syro, ſic eum ſua idola deteſtantem introducit: *Nunc*, inquit, *primùm addidici; quia vnus eſt venerandus Deus. Cæteri Dij Gentium nec ſaluare potuerunt, nec nocere: quippe qui humano indigentes auxilio, auxilia ipſi præſtare non poſſunt. Nec enim ſeruare poterunt qui ſeruantur.* Quam ferè ſententiam breuioribus verbis eleganter incluſit Tertul. in Apol. c.

Tertul.

25. *Qui*, inquit, *nihil ſentiunt, tam impunè læduntur, quàm fruſtra coluntur.* Ac ſi dicat: ſi illos lædas, pœnas non dabis: ſi illos colas, gratiam non inibis: quia ſcilicet, cùm nihil ſentiant; aliis nec obeſſe poſſunt, nec prodeſſe.

XXIII. Clem. Alex. *Romanorum Fortuna in ſterquilinio.*

Sic etiam Clemens Alexandrinus in Exhortatoria ad Gentes, Romanos irridet: *Romani*, inquit, *qui res maximas, & præclarè geſtas Fortunæ attribuunt; & eam eſſe Deam maximam exiſtimant, poſuerunt eam in ſterquilinio: dignum Deæ templum, ſeceſſum tribuentes. Verùm inſenſibili lapidi nihil penitus curæ eſt, nec nidor, nec ſanguis, nec fumus; quo*

A *dum honorantur, & fumigantur, nigreſcunt, ſed neque honor, nec iniuria.* Et paulò antè, Tyrannum illum, qui viuos homines mortuis alligatos, donec putreſcerent, cruciabat, comparat cum Dæmone, qui homines rationis compotes cum idolis ſenſus expertibus, donec lapideſcant quodammodo, coniungit. Vbi inter vana idola, & vera cadauera rationis ſenſúſque expertia, nullum diſcrimen interponit. Talis igitur erat & Dagon. Nec reſiſtebat deiicienti, nec fauebat reſtituenti, nec offendebat deiectus, nec propitiabatur reſtitutus. Denique quoddam cadauer nihil ſentiens, merum quidem non diuinitatis, ſed vanitatis ſimulacrum.

Idola, cadauera.

B

Num. IV. Rurſúmque manè, die altera conſurgentes, inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra coram Arca Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Dagō coram Deo Arca quoties corruerit.*

R*Vrſúmque manè*, &c. Bis tantùm dicitur in Litera Dagon coram Arca Domini corruiſſe: ſemel in præcedenti Num. iterum in præſenti. Quod Diuus Chryſoſt. Orat. 3. contra Iudæos, ad finem, Diuus Antonin. 1. part. titul. 2. cap. 6. Abul. quæſt. 13. pluréſque alij, vel exprimunt, vel ſupponunt. Sunt tamen, qui dicant, id ſæpiùs contigiſſe. Nam Ioſephus lib. 6. Antiq. cap. 1. loquutus de Azotiis, *Cùm*, inquit, *frequenter venientes, Dagon inuenirent iacentem, in anguſtia & confuſione grauiſſima conſtituti ſunt.* Philo in Ant. Biblicis introducit Philiſthinos ſic ratiocinantes: *Inuenitur*, inquit, *quotidie Deus noſter cadens in faciem ante conſpectum Arcæ.* Theodor. Orat. 1. in Danielem: *Efficit*, inquit, *Deus, vt Dagon adorationis ſpeciem præferens, victum ſe fateatur, idque non ſemel, ſed iterum ac ſæpiùs.* Diuus Chryſoſtomus in Pſalm. 131. *Magnam*, inquit, *Deus per Arcam potentiam oſtendis, ſemel, & bis, & ſæpenumerò.* Ex quibus ita coniicio, Dagonem ſæpiùs inuentum fuiſſe coram Arca procumbentem, ſine vlla tamen corporis mutilatione: ſemel autem tantùm, capite ac manibus truncatis: Scripturam verò primum & vltimum caſum retuliſſe, quia inter ſe differebant; intermedios verò, quia neque à ſe inuicem, neque à primo diſtinguebantur, prætermiſiſſe. Vnde quando hic dicuntur Philiſthini die altera ſurrexiſſe; non eſt intelligendum, *die altera*, poſt primam ruinam Dagonis; ſed poſt illas omnes, in quibus Dagon integer, ſeu non mutilatus corruerat. Moueor, quia ſic Auctores plures Dagonis ruinas admittentes cum Scriptura vnicam tantùm enarrante facilè conciliantur.

D. Chryſ. D. Anton. Abulenſis. Ioſephus.

Philo.

Theod.

D. Chryſ. *Dubitationis ſolutio.*

II. *Quæſtio prima. Dagonis caſus non fortuitò, ſed ex Dei conſilio factus.*

E Sed quæres primò: cur Dagon toties à Philiſthinis erigatur, ac toties à Deo exturbetur? Reſpondeo ad Literam: vt paulatim intelligant Philiſthini, non fuiſſe illam ruinam fortuitam, ſed à Deo prouidentiſſimè ordinatam, in honorem Arcæ, & ignominiam Dagonis. Nam, ſi ſemel tantùm rueret Dagon, caſu ruiſſe crederetur: dum tamen toties reſtitutus, & toties collapſus apparebat; aliqua ſuperiori virtute deiectus videbatur. Addo, ita fieri oportuiſſe, vt magis Dagonis ignominia, & Arcæ poteſtas detegeretur. Nam priores ruinæ maiorem hominum concurſum in ſingulos dies

dies in templum euocabant: rumores enim de hac ruina crebrescentes, intuendi desiderium in omnium animis acuebant; vnde frequentiores in singulos dies conuolabant. Quare vltima die, qua tota ferè Palæsthina suis veluti conuulsa sedibus aduenit, & in templum turmatim & cateruatim, qua data porta, ruit, apparuit Dagon non solùm humi allisus, sed etiam miserabiliter laceratus: ita Deo prouidente, vt omnes simul & potestatem Arcæ, & infirmitatem Dagonis, huius exitium, illius triumphum oculati testarentur. Quò pertinere potest illud Iobi de Diabolo: *Videntibus cunctis præcipitabitur.* Iob 40.n.28. vt non solùm ex casu pœnam, sed etiam ex multorum præsentia ignominiam incurrat.

Manifestatur Dagonis infirmitas crebris ruinis.

Impietas in conspectu Gentium præcipitabitur.

III.

Dei & hominum contentio: Dei, parcendo; hominum, peccando.

Ad mores autem respondeo, ita contigisse, vt humana prauitas, & diuina bonitas sub hoc typo adumbretur. Nam homines peccata frequenter renouant; Deus renouata frequenter præcipitat: contendunt quodammodo Deus & homo, hic peccando, ille parcendo: sed vincit Dei bonitas, hominum prauitaté. Sicut enim Deus vltimus Dagonem diruit ac deiecit: ita & vltimus peccata destruit ac remittit: non solùm *vsque septies, sed etiam septuagies septies.* Matth. 18. num. 21. & 22. Vbi D. Chrys. hom. 62. *Magnum quid*, inquit, *se allaturum D. Petrus putauit; idcircò gloriabundus, vsque septies intulit: sed facilis & misericors Dominus, vsque septuagies septies ait: quia quantùm aqua stilla ingenti mari comparata; tantùm, immò verò multò magis misericordia tua ab infinita Dei bonitate distabit.* Itaque non tam multæ peccatorum moles ab iniquis hominibus eriguntur; quin à Deo, si pœnitentia non desit, sua inundante misericordia diruantur.

D. Chrysost.
Non valet malitia hominum exhaurire pelagus bonitatis Dei.

IV.

Quæstio secunda.
Miracula fiũt sub noctis silentium.
Abul.

Quæres secundò: cur Dagon, vbi primùm erigebatur, non statim corruebat: sed potiùs, vt corrueret, nox expectabatur? Abul. q. 12. respõdet, ne viderent Philisthini, quo modo miraculum fiebat: additque eandem ob causam nocturno tempore & manna de cælo cecidisse. Num. 11. n. 9. & virgam Aaronis in tabernaculo fronduisse. Num. 17. n. 8. ne talia miracula, dum fiebant, sed potiùs iam facta cernerentur. Sed contrà: quia hoc non erat cernere, quo pacto fieret miraculũ; hoc est, à quo, qua vi, & quo præsidio Dagon deiiceretur. Quòd si esset; quid incõmodi sequeretur? Nã olim & *Aarõ tulit virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Exod. 7. n. 10. Et cũ Moyses coram omnibus Hebræis extendisset manum suam super mare; abstulit illud Dominus, & vertit in siccum. Exod. 14. n. 21. Et Christo Domino coram multis Iudæis Lazarum euocante, *Statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis.* Ioann. 11. n. 44. & multa alia miracula, bonis pariter ac malis spectantibus palàm fiebant: similiter igitur fieri potuit & hæc ruina.

V.

Deus spatiũ dat vt emendemur.

Quare potiùs respondeo, Deum suauiter punire solitum; sua quidem supplicia maturare, sed non præcipitare: vt maturaret, non distulisse hoc suppliciũ in plures dies; ne præcipitaret, protraxisse in sequentem noctem. Vnde mihi videtur adumbratus in illis animalibus, seu Cherubinis Ezechielis, c. 1. à n. 6. qui alas aquilinas cum pedibus vitulinis coniungentes, lentè festinabant, & festinè lentescebant. Ita planè Deus lentè festinat. Vnde illud Prophetæ: *Cogitauit Dominus*, inquit, *dissipare murum filiæ Sion.* Thren. 2. n. 8. vbi illud *Cogitauit*, emphaticum est: quasi Deus, antequàm puniat, paulisper cogitando immoretur. Vel etiam distulit illam Dagonis deiectionem, vt maiorem faceret in Philisthinis rei euentum spe-

A ctantibus attentionem. Quo pacto Diuus Paulus, Act. 16. n. 18. non nisi post multos dies spiritum Pythonem è puella eiecit. Quin etiam Christus Dominus, oblato dæmoniaco, *Erat eiiciens Dæmonium.* Luc. 11. n. 14. hoc est, lentè illud, & non subitò expellebat. Dici etiam potest, nocte contigisse hanc ruinam, vt horribilior videretur. Vnde Isai. c. 15. num. 1. *Nocte*, inquit, *vastatus est murus Moab.* In quem locum D. Basilius: *Quod*, inquit, *nocte irrogatur supplicium, atrocius esse solet, & amarulentius.* Et paulò pòst: *Quia in nocte versantur, in nocte etiam pereunt.* Eandem ob causam Angelus Domini de nocte percussit primogenitos Ægypti, Exod. 12. n. 29 de nocte interfecit cētum octoginta quinque millia Assyriorum, 4. Reg. 19.
B n. 35. & de nocte exercendum esse vniuersale Iudicium testatur Lactantius lib. 7. De diuino præmio, c. 19. & alij, iuxta illud: *Media nocte clamor factus est.* Matth. 25. num. 6. vt sub hac metaphora maximus illius Iudicij horror declaretur.

Quæ differũtur, magis aliquando obseruantur.

D. Basil.
Nocturna calamitas terribilior.

Lactant.

VI.

Alter Dagonis casus dupliciter à priori distinctus.
Primum discrimen.
Theod.
Dagon pronus Arcam veneratur.
D. Greg.
Impietas moribunda procumbit.
Morientium ira, & amor vindictæ.

Inuenerunt Dagon, &c. Iterum inuenitur Dagon iacens in faciem coram Arca, sicut anteà; cum duplici tamen discrimine. Vno, quia anteà propriè in faciem ceciderat, tãquàm adorans Arcam: vt Theodoretus, & alij superiori Num. citati obseruarunt: & tanquàm erubescens frontem abscondens, ne aspiceretur: vt D. Greg. innuere videtur; vel etiam tanquàm indignabundus. Nam qui olim victi in prælio cadebant, terram mordere dicebantur; iuxta illud Æneid.

C *Procubuit moriens, & humum simul ore momordit.*

Quò etiam allusit Horatius 2. Car. 7.

Turpe solum tetigère mento.

Vt, cùm non possent de hostibus vindictam sumere, saltem in terram, in quam cadebant, suam iram & stomachum extũdere viderentur. Sic igitur Dagon pronus in faciem cecidit, terram præ indignatione mordicùs subacturus. Itaque anteà propriè in faciem cecidit: nunc autem non cecidit propriè in faciem, quam amputato capite iam non habebat: sed in pectus, in quam partem facies inclinat, vt Dionys. Hugo, Lyra, & Abul. exponunt. Ac si modò illa contra Diabolum sententia renouetur: *Super pectus tuum gradieris.* Genes. 3. num. 19. Seu potius arctiùs restringatur.
D Nam initio Mundi permittebatur Diabolus gradi & grassari super pectus: nunc autem coram Arca, vinctus & ligatus super pectus retinetur. Altero, quia antea cecidit integer; nunc autem mutilatus. Vnde contra Literam sentit Philo in Antiq. Biblicis, dicens, in vtroque die mutilatum cecidisse. Et grauiùs fortasse peccauit Iosephus, neutro in die huius mutilationis mentionem faciens, sed tantùm deiectionis. Nam, si Romanis idolorum cultoribus hoc silentio adulari voluit, vt putat Saluianus; quid à bono Scriptore, & veritatis synceritatisque amatore alienius?

Dionys.
Hugo.
Lyra.
Abul.
Diaboli impetus indies cohibentur.

Secundũ discrimen.
Philonis & Iosephi lapsus.
Philo.

VII.

Diuersa de mutilatione Dagonis sententia.
Prima, caput & manus fuisse amputatas.
Hugo.
Philo.
Chrysost.
Secunda, etiã pedes.

Sed de hac mutilatione est aliqua explicandi diuersitas. Nã in vulgata editione habetur: *Caput & duas palmas manuum*; hoc est, duas manus in-
E transitiuè, vt explicat Hugo Card. *abscissas esse super limen.* Alij, vt Philo citatus, & D. Chrys. tom. 5. lib. vno contra Gentiles, quãuis de capite non meminerint; addunt tamẽ etiã *pedes amputatos* fuisse. Immò & Abul. in c. 16. Iudic. q. 45. asserit, repertũ fuisse Dagonem corã Arca, *pedibus, brachiis & capite truncatum.* Quod videntur desumpsisse ex Septuaginta, qui in Regiis, & Cõplutensibus ita habent: *Caput Dagon, & ambo vestigia pedũ eius abscissa super anteriora liminũ; & amba iuncturæ manuũ eius iacentes super limen.* Quamuis in Sixtianis, & apud Luciferũ in scholiis eius loci citatum, non

ambo vestigia pedum, sed ambo vestigia manuum habeantur. Theod. q. 13. pedes non expressit, sed tantùm dixit, inuentum Dagonem *extremis partibus priuatum.* Nec dubito priuatum pedibus, si pedes habuit piscis, qualem Dagonem fuisse diximus. Quod mirum non est in tam monstroso simulacro: *Vt nec pes, nec caput vni reddatur formæ.* (Abul.)

VIII. *Tertia, Dagonem pluribus partibus fuisse laceratum.* Alij denique sentiût, Dagonem pluribus fuisse partibus laceratum. Nam Seuerus Sulpitius lib. 1. historiæ sacræ ait, *hoc simulacrum Damon, dicatum discerptum fuisse.* Diuus Chrysostomus loco proximè citato: *Viderunt,* inquit, *non solum iam collapsum idolum, sed prorsus disfractum: huius enim manus ab humeris auulsa, vnà cum pedibus ad templi limen exilierant; reliqua idoli parte, & ea quoque diuulsa, aliò dispersa.* Sic & D. August. lib. 10. De ciuit. cap. 17. ait, inuentum fuisse Dagonem *collapsum, deformiterque confractum.* Auctor verò mirabilium Scripturæ, lib. 2. cap. 7. de Dagone loquutus: *Crastina,* inquit, *die fractus ad limen in centum partes, capite, & manibus, spina dorsi eius truncata reperitur.* Eucherius: *Dorsum,* inquit, *illius solum inuenerunt, fractis omnibus eius membris.* Quæ verba etiam à D. Isidoro referuntur. Lucifer in Sixtianis Bibliis citatus: *Ambo,* inquit, *vestigia manuum eius ablata erant per partes centum.* Quibus omnibus fauere videtur Isaias cap. 46. num. 1. dicens, de Gentium idolis: *Confractus est Bel, contritus est Nabo:* seu, vt habent Septuaginta: *Contritus est Dagon.* Quo etiam modo D. Greg. Naz. Orat. 4. n. 32. D. Hier. & Procop. in Isaiam transtulerunt. Contritus autem non dicitur, nisi qui est toto corpore comminutus. Facilè mihi persuadeo, ita contigisse, in maiorem Arcæ gloriam, & Dagonis ignominiam; quamuis id in Vulgata non exprimatur: neque enim omnia semper exprimuntur. Et argumẽto esse potest, quòd Azotij de idolo in suum locum restituendo ampliùs non curarint: quasi toto corpore lacerũ ac dissipatum, iam ineptum esset, vt suam in aram reduceretur.

(Seuerus. Chrysost. D. August. *Dagonis contritio in centum partes.* Auct. mirab. Eucher. D. Isidor. Greg. Naz. D. Hier. Procop. *Tertia sententia de multiplici Dagonis mutilatione præfertur.*)

IX. *Prima quæstio: cur Dagon totus dilaceratur.* Sed quæri potest primò: cur Dagon hac vltima vice totus diffrangatur, ac laceretur? Respondeo cum Dionys. Lyra, & Abul. ne deinceps hoc supplicium à Sacerdotibus Azotiorum occultetur. Nam deiectionem simulacri facilè occultare poterant, illud in suũ locum referendo, antequam populus adesset: lacerationem verò, & contritionem occultare non poterant, sicut neque simulacrũ resarcire, & redintegrare. Voluit enim Deus, vt potestas Arcæ Dei Israël palã ab omnibus cognosceretur, ne videretur Philistinis tradita in potestatem, sed in terrorem: vt Georg. Venet. tom. 1. de hist. sacra, sect. 8. problem. 445. testatur.

(Dionys. Abul. *Responsio: ne amplius dissimuletur punitio.* Georg. Ven.)

X. *Secunda quæstio: cur Dagon totus non absumatur.* Quæres secundò: cur Dagonis simulacrum non fuerit penitùs absomptum, sed tantùm in frusta sectum, & in partes dissipatum? Respondeo cum Diuo Chrysostomo lib. citato contra Gentiles, vt superessent diuinæ vltionis monumenta. Nam quærens Chrysostomus, cur illud Apollinis templum, de quo superiori Num. dixi, sanctissimi Martyris Babylæ oratione ita conflagrarit, vt vna tantùm, vel altera columna ex toto ædificio superstites remanserint; optimam assignat rationem: *Ne altero,* inquit, *aut tertio vertente anno, rei eius memoria deperiret: sed quasi buccinatore clariùs, non iis modò, qui superstites erant, sed & posteris quoque omnibus, Dei iram enuntiaret.* Et paulò pòst: *Columnas,* inquit, *quis intuitus, ac templi limen supergressus, effingit sibi Dæmonis abominationem, fraudem, insidias: ac Dei iram, atque fortitudinem admiratus de loco eo decedit. Sic quæ prius domus erroris, & blasphemiæ fuerat; nunc diuina gloriæ hymnis decantandæ argumentum est. Tam ingeniosus, tamque industrius est Deus noster.* Nec solum dicit eas columnas tûc ab igne custoditas: sed etiam in posterum à temporum iniuriis seruatas, vt perpetuam diuinæ institiæ memoriam conseruarent. *Quanquam,* inquit, *& venti vehementes loco illi sæpè incubuere, & terra motibus crebris tellus fuit concussa: igais tamen reliquiæ inconcussæ manserunt, quæ ipsa firmiter stant, propemodum clamitantes, se se ad posterorum emendationem seruatas esse.* Hæc Chrysostomus. Vbi plura eloquenter de hac re: quam totam cùm aliis exemplis, tum etiam exemplo Dagonis aptissimè illustrat. Illud tamen aduertendũ, iram Dei, tardare quidem, sed venire tãdem. Nam Ionathas, vt habetur 1. Machab. 10. n. 84. templum Dagonis, & omnes, qui fugerunt in illud, succendit: atque adeò totum illud vanitatis, superstitionisque delubrum, si non statim; tamen suo tandem tempore penitùs deflagrauit.

(D. Chrys. *Responsio: vt superstit diuinæ vltionis monumenta.* A *Confractio flamma manet ad posteros æterni supplicij argumentum.* B)

XI. *Tertia quæstio: cur Dagon in centũ partes laceratur.* Quæres tertiò: cur seorsim fuerit Dagon in centum partes diuisus ac laceratus: vt Auctor mirabilium, & Lucifer citati expressè prodiderunt? Respondeo fortasse, quia hic numerus apud Ethnicos, maximè religiosus erat. Nam in templis sæpè fiebant centum portæ; iuxta illud Æneid. 6. de templo Apollinis.

Quò lati ducunt aditus centum, ostia centum.

Sæpe erigebantur centum aræ, iuxta illud de templo Veneris, in Insula Papho, Æneid. 1.

——*Vbi templum illi, centumque Sabæo*
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.

(*Responsio: vt vana de numero centenario superstitio aboleatur.* Virg.)

C Sæpè offerebantur centum victimæ; iuxta illud de sacrificio Regis Latini, in templo Fauni.

Centum lanigeras mactabat ritè bidentes.

Quod sacrificij genus *Hecatombes* dicebatur, hoc est, sacrificium centum boum: cuius meminit Iuuenalis Satyra 10. (Iuuenal.)

Existunt, qui promittunt hecatomben.

Vt igitur tam vana superstitio penitùs aboleretur, Dagon in centum partes laceratur; quarum singulæ ad singulas templi portas, aras ac victimas proiectæ, superstitiosos illos ritus damnarent, & vanos testarentur.

XII. *Quarta quæstio: cur caput, & manus Dagonis absc indãtur. Responsio: vt quibus peccat, iisdem puniatur.* Quæres quartò: cur præcipuè caput & manus Dagonis, super limen templi abiiciantur? D Respondet Abul. q. 15. quia Dagon neque caput incuruauit, neque manus eleuauit coram Arca Dei: vt quibus corporis partibus peccauit, iisdem puniretur. Addit que, abiectas fuisse huiusmodi partes super limen, vt ibi perpetua adesset huius miraculi recordatio, dum Azotij ob hanc causam limen illud calcare non auderent: vt ex sequenti Num. patebit, & sua hac superstitione, illius facti memoriam conseruarent. Sed non video, quid peccati committere, quid supplicij luere debeat statua Dagonis, sensus & rationis expers? Potiùs igitur dixerim, idololatras hoc modo admonitos fuisse, ne caput demitterent, & manus erigerent in obsequium illius, cuius caput ac manus tam facilè & impunè à Deo Israëlis abscinderentur.

(*Excluditur hoc responsio, & redditur germanior.*)

XIII. E Nec desunt aliæ huius facti mysticæ responsiones. Georg. Venetus citatus probl. 446. *Caput,* inquit, *& manus Dagon, abscinduntur: vt innuatur intellectualis & operatiua virtus illius idoli à facie Dei esse penitus collisa & ablata.* Cui concinit illud Danielicum: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* Ps. 14 n. 4. Omnia enim Dæmonis & cõsilia & opera in cõspectu Dei irrita euanescunt. Hug. Victor. lib. 5. Allegoriarũ, c. 8. *Caput,* inquit, *Dagon significat superbiam Diaboli: duæ palmæ operationem idololatriæ: limen finem impiæ culturæ.* Quasi diceret: Caput & manus Dagonis super limen abiectas

(Georg. Ven. *Caput & manus Dagonis amputantur: id est, Dæmonis consilia & opera euertuntur.* Hug. de S. Victor.)

Caput & manus super limen, id est, superbia, & idololatria ad finem perducta.

abiectas esse, vt significaretur & superbia Diaboli, & idololatria, seu auaritia, quæ est idolorum seruitus, per manus significata, suum tandem finem habituræ. Quo sensu Dauid banc à Deo poenam profanis Gentiũ Regibus imprecatus, *Leua*, inquit, *manus tuas in superbias eorũ in finem*. Ps. 73. n. 3. hoc est: Fac vt eorum superbia ad finem deducatur, seu finiatur. Quæ profectò non est odiosa imprecatio; sed potiùs beneuolentissima intercessio, interprete D. Augustino ad eum locum: *Quàm bene*, inquit, *ille optat? Quasi iratus loquitur, & maledicere videtur: sed vtinam eueniat, quod maledicit*. Quid enim optabilius, quàm vt superbia, idololatria, cæteraque peccata tandem ad finem pertrahantur, seu finiantur?

XIV. D. Isidorus.

Non aliter de hac re philosophatur Diuus Isidorus c. 3. *In manibus*, inquit, *Dagon præcisis, opus idololatriæ amputatum; & in capite eius, Diaboli superbia præcisa significabatur. Erant verò in limine, vt certum præfinitumque sui idololatria finem agnosceret: limen enim finem itineris significat*. Ita ferè & Angelomus. Nec multùm differt Beda, existimans idcircò Dagnis caput in limine collocatum, vt Diabolus foras eiiciendus significetur; iuxta illud: *Princeps huius Mundi eiicietur foras*. Ioan. 12. n. 31. Quod verosimilius videbitur, si dicamus cum Auctoribus suprà citatis, etiam pedes Dagonis ad limen abiectos esse. Nam veteres, antequam mortuos efferrent; obuersis ad limen pedibus statuebant, iuxta illud Persianum Satyra 3. de quodam diuite defuncto.

Angel. Beda. Caput in limine, id est, Diabolus foras exciêdus. Pedes in limine, id est, Diabolus eiiciendus, & ad sepulturã efferendus. Pers.

In portam rigidos calces extendit. ———

Vt significarent eos, quàm citissimè egressuros. Vt igitur Dagon significaretur paulò pòst de suo templo eliminandus, & tanquàm mortuus ad sepulturam efferendus, proiectis ad limen pedibus iacebat.

XV. D. Greg.

Iam verò D. Gregorius per caput & palmas manuum Dagoni amputatas, intelligit potestatem regnandi, & vtilitatem temporalem ex sacrificiis reportari solitam, tandem Diabolo eripiendam. *Caput*, inquit, *Dagon amisit; quia per idolorum culturam regnare maligni spiritus desiunt. Palmæ etiam manuum eius abscissæ sunt; quia idolis vanis sacrificia nusquam offeruntur*. Et paulò pòst, per easdem partes ad limen abiectas, ingredientium pedibus conculcandas, intelligit diabolicos ritos ac ceremonias tandẽ conterendas & contẽnendas. *Posita*, inquit, *hæc sunt in limine, vt ab introeuntibus conculcentur. Nanque, qui Dagon caput atterere, & manus, vitas: etsi fidelium numero contineri videtur, idololatra quodammodo esse conuincitur*.

Diabolus à regni sede præcipitãdus.

Superstitio atterenda, & cõterenda.

XVI. *Homines à Diaboli seruitute eripiendi.*

Et rectè quidem. Æquum enim erat, vt Dagon, qui hominum capitibus se adorandum imponebat; hominum pedibus conculcandus subderetur, atque hinc assuescerent homines non timere, quem impunè conculcabant. Quo pacto olim & Iosuẽ, postquàm vrbem Haï expugnauit: *Regem eius suspendit in patibulo, & præcipit cadauer eius in introitu ciuitatis*. Iosuẽ 8. n. 29. Vt Theod. ibi q. 11. aduertit. *Iussit*, inquit, *calcare pedibus ceruices Regum, vt audaciores facti alacrius in acie consisterent*. In limine igitur abiicitur caput Dagonis, vt ab omnibus conculcetur, iuxta illud: *Ipsa*, vel, vt alij atque alij legunt, *Ipse*, seu, *Ipsum conteret caput tuum*. Genes. 3. num. 15. Hoc est: Non solùm Eua, sed eius semen, seu tota eius posteritas Diabolum conculcabit. Quam potestatem Christus Dominus Apostolis tribuit: *Ecce*, inquit, *dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super virtutem inimici*. Luc. 10. n. 19. Immò Diuus Paulus aliis quoque fidelibus communicatam si-

Theod.

Audaciores redduntur ad victoriam de Diabolo reportandam, ipsum sub pedibus conterendo.

A gnificauit, dicens: *Deus pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter*. Rom. 16. n. 20. Vbi Deus pacis appellatur etiam Diabolum expugnaturus, & conculcaturus; vel quia tam facilè illum expugnabit, & suorum pedibus conculcabit, ac si pacificus conquiesceret, & nihil belli moliretur; vel, quia ex hoc bello veræ pacis requies, & tranquillitas consequatur.

Bellum aduersus Diabolum, pax

XVII. *Perfidei susceptionem à belluina deformitate in Dei imaginẽ reuocantur.*

Ad has interpretationes addo duplicem. Vnã, Dagonem fuisse monstrum ex humanis & belluinis partibus conflatum, vt Num. 2. dictum est. Nunc autem diuina prouidentia effectum, vt humanæ partes, quales erant caput & manus, à belluinis abscinderentur: vt palàm fieret, eos, qui per idololatriam in belluas degenerarant; per fi-B dei professionem ad hominum statum redituros. Alteram, præcipuas Dagonis partes, quales sunt caput & manus, fuisse à Dagone præcisas, & in templi limine expositas, vt ab ingressu illius tẽpli idololatras exterrerent. Sic olim Iudas Machabæus, superato Nicanore, eius caput & manum amputauit, & manum quidem suspendit *contra templum*, hoc est, è regione templi: neque enim profana & scelerata manus sacratum limen attingere, aut propiùs ad illud accedere debebat: caput autem suspendit *in summa arce*. 2. Machab. 15. num. 33. & 35. ad deterrendos hostes, ne deinceps in templum Dei, aut Ierosolymam armata manu aggrederentur. Sic & interfecta Iezabele, sola eius caluaria & pedes & summæ manus apparuerunt in agro Iezraël. 4. Reg. 9. num. 35. in agro, inquam, quem illa per summam iniuriam pauperi Naboth eripiendum curauerat, 3. Reg. 21. à n. 7. C ad perterrendos diuites, ne deinceps in pauperum possessiunculas inuolarent.

Prophani homines à sacris deterrendi.

XVIII. *Carthus. Riber. Pined. Lorin. Suar.*

Quintò & vltimò quæritur: quanam vi Arca Dei Dagonem è suo loco expulerit & mutilarit? Dion. Carthus. respondet, ministerio Angeli: bonine, an mali, non definit; cùm ab vtrouis huiusmodi supplicia inferantur: vt latiùs ostendunt recentiores nostri, Ribera in cap. 7. Apoc. n. 4. Pin. in c. 2. Iob, vers. 7. n. 2. Lorin. in Acta, cap. 12. vers. 23. Suar. tom. De Angel. lib. 6. c. 19. & lib. 8. c. 20. & plures alij. Sed hoc loco, fortè malus Angelus Dagonẽ euertit ac dilacerauit; vt potestas Arcæ, D seu Dei ad præsentiam Arcæ operantis, clarior innotesceret: qui Dæmone contra Dæmonem aliquando vtitur; vt eius regnum priùs in seipso diuisum, posteà faciliùs labefiat. Vnde est illud: *Sunt spiritus, qui ad vindictam creati sunt; & in furore suo firmauerunt tormenta sua*. Ecclesiastici 39. n. 33. Quod Lyranus interpretatur de malis Angelis sæuientibus in homines peccatores: *Vt qui fuerunt*, inquit, *eis voluntariè subiecti in culpa, eis voluntariè subiiciantur in pœna*. Sed pariter exponi potest de malis Angelis, non solùm in homines, sed etiam in seipsos per obiurgationes & execrationes, & quoscunque alios modos, quibus possunt, irruentibus & insultantibus: vt ex illis verbis eruitur: *Firmauerunt tormenta sua*. Hoc est: E Non tantùm aliena, sed etiam propria tormenta sibi inuicem adhibuerunt: ita vt Dæmones per Dæmones, quibus possent modis, torquerentur.

Quinta quæstio: Cuius ministerio deiectus & truncatus fuerit Dagõ. In suppliciis vtitur Deus ministerio boni & mali Angeli. Dagon per Dæmonem deiectus. Lyra.

Dæmones per Dæmones puniuntur.

XIX. D. Hier.

Hinc Diuus Hieronymus in cap. 7. Micheæ, expendens illam diuisionem linguarum, qua turrim Babel ædificantes à sua insania destiterunt, Gen. 11. n. 8. *Prodest*, inquit, *fortitudines pessimas inter se non habere concordiam: & cùm Satanas aduersùs Satanam diuisus fuerit, tunc demũ omne regnum illius destruetur: & hoc in consummatione Mundi fiet, quando vniuersa inter se pugnabũt Dæmonũ legiones, vt dissipato regno illorum fiat regnum Domini Iesu*.

Perniciosa est malorum concordia.

A Flagellabat olim Moyses Ægyptum per Angelos malos, iuxta illud: *Immissiones per Angelos malos.* Psal. 77. n. 49. Sed & Pharao per Angelos malos, hoc est, per suos Magos diabolicis artibus instructos Moysi resistebat. Exod. 7. à n. 11. Nempe, interprete D. Augustino in Psal. citatum: *Vt Angeli mali ex vtraque parte consisterent; hinc illos affligentes, inde fallentes.* Addo, vt duo Angeli mali se inuicem oppugnarent: ab eorum oppugnationibus populus Dei faciliùs erueretur.

D. August.

XX.

Dæmonū machinationes in ipsorū interitum convertuntur.

In huius rei typum Ammonitæ, Moabitæ & Idumæi, aduersùs Israëlitas exercitum colligentes, à suis hostibus in se ipsos, tanquàm furiosi & lymphati arma transtulerunt: ita vt populo Dei incruento, idololatræ se mutuò ad extremam cædem cruentarent. 2. Paral. 20. n. 23. non aliter & B Diabolis suas mutuò insidias destruentibus, homines in libertatem Christi transferuntur. Postulauerunt Dæmones à Christo Domino, mitti in gregem porcorum, Matth. 8. n. 31. Cur ita postularent, quærunt Interpretes? Et communiter respondent, vt porcos in mare præcipitarent. Sed quid si dicam, vt eos potiùs saginarent? Fortasse Literæ nō repugnabo. Nam Dæmones à Christo Domino postularunt, ne se expelleret extra regionem illam, Marc. 5. n. 10. & ne se mitteret *in abyssum.* Luc. 8. n. 31. hoc est, *in mare,* interprete D. Ambrosio lib. 1. Hexamer. c. 2. Quo pacto igitur ipsi contra id, quod postularant, suapte sponte se cum porcis in mare præcipitarent? Potius igitur C in porcos mitti postularunt, vt eos saginarent, saginatosque obiicerent Hebræis; & obiectis allicerent incautos homines ad porcinas carnes contra legem Mosaïcam manducandas. Quid ergo Christus Dominus? *Ite,* inquit: sed euntes cogit ad se ipsos pariter cum porcis in mare deuoluendos; vt quam peccandi occasionem Hebræis obtulerant, eandem ipsi auferrent; & sibi ipsis bellum inferentes, relinquerent homines in pace constitutos.

D. Ambr. *Cur se in mare Dæmones præcipitent. Christus Dæmonū insidias multò ante auertit.*

D. Ambr. *Dæmones nō sponte sua, sed Deo iussu coacti se præcipitant.*

Addit D. Ambr. citatus: *Vt quod recusabant Dæmonia, non euaderent; sed digno præcipitio demergerentur.* Vbi satis significat, Diabolos illud præcipitium non postulasse, sed inuitos subiisse.

XXI.

Dæmonum astus non in lucrum, sed in illius dispendiū vertitur.

Sic ergo & Diabolus, qui Dagonem obiecerat Philisthinis, vt eos deciperet; Deo ita imperante, Dagonis simulacrum demolitur, & quod D obtinere voluit ad suum lucrum, obtinuit ad suum damnum. Nam Dæmone sibi ipsi aduersante, miseri homines resipiscunt, & planè intelligunt, eum, qui sibi ipsi contrarius est, proculdubiò fore omnibus aliis inimicum. Nam, vt bene D. Bernard. serm. De sancto Malachia: *Diabolus,* inquit, *tanquam malleus cælestis opificis factus est malleus vniuersæ terræ: terit electos ad eorū vtilitatem, reprobos conterit in eorum damnationem.* Vbi alludit ad illa verba: *Quomodo confractus est, & contritus malleus vniuersæ terræ?* Ier. 50. num. 23. Quo in loco vides, Diabolum, qui tanquàm malleus omnia confringebat & conterebat, tandem suismet fraudibus ac dolis confractum & contritum cecidisse, & tanquàm improbum Goliam, suomet E gladio, quo alios iugulabat, fuisse miserabiliter iugulatum: vt D. Augustinus serm. 197. De tempore, ostendit: *Quòd,* inquit, *David non habens gladium ascendit super Goliad, & suo eum proprio interfecit gladio, designatum est quòd in Aduentu Christi suo gladio Diabolus victus est, qui per nequitiam suam, & iniustam persecutionem, quam exercuit in Christum, omnium in eum credentium perdidit principatum.*

D. Bern.

Dæmon electorum pectora versat, subigitque in ipsorum salutem.

D. August.

Suomet gladio iugulatur hostis teterrimus.

Num. V. Porrò Dagon solus truncus remanserat in loco suo: Propter hanc causam non calcant Sacerdotes Dagon: & omnes, qui ingrediuntur templum eius, super limen Dagon in Azoto, vsque in hodiernum diem.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.

Truncus, quid significet.

PORRÒ *Dagon,* &c. Triplex esse potest expositio iuxta Latinam, Hebræam & Græcam editionem. In primis iuxta Latinam, in qua ponitur *truncus,* notandum, truncum, non solum esse id, B quod in arbore remanet, truncatis ramis; sed quod remanet in animali, amputatis membris: & quia id in arbore non habet fructum, neque in animali visum, fit, vt pro re indecora & inepta apud Latinos capiatur. Quo sensu Marcus Tullius Pisonem, *truncum,* & *stipitem* appellauit; hoc est, hominem sola mole præditum, nulla laude inclytum. Igitur solus Dagonis truncus remansit coram Arca, tam in significatu proprio, quàm in translato: in proprio quidem; quia capite, manibus, & fortè etiam pedibus, vt diximus, mutilatus remansit: in translato; quia remansit inuenustus & informis, & indignus, qui deinceps pro Deo coleretur. Vnde D. Gregorius: *Quia,* inquit, *à cunctis fidelibus eius deformitas vbique conspicitur, truncus Dagon in loco suo remansisse memoratur.* C Non immeritò Iacob vanos Gentilium Deos abscondit *sub lentisco.* Gen. 35 num. 4. sic enim legit D. Ambr. 2. de Iacob & vita beata, c. 7. Cùm Vulgata habeat: *Subter terebinthum.* Et subdit: *Sed cur,* inquit, *sub lentisco, quæro? Certè genus istud infructuosum est: ibi ergo sunt Dij gentium, vbi nullus est fructus.* Ac si ex Diis Gentium nunquàm maior fructus, quàm ex infœcundis arboribus colligatur.

Cicero.

Quare indecora & inuenusta forma sit Dagonis species?

D. Greg.

D. Ambr. *Quanta impietatis egestas & infæcunditas.*

II.

Dagon amisit humanam effigiem, retinuit bellutinam.

Iuxta Hebræam, non dicitur truncus Dagonis, sed *solus Dagon relictus* fuisse: vt Vatablus & Caietanus transtulerunt. Et est sensus: cùm Dagon ex homine & pisce conflatus fuerit; amputatis partibus humanis, illæ tantùm relictæ sunt, D quæ piscem referebant: ac si diceretur: solus piscis; seu, vt notat Vatablus, *Solus pisciculus* relictus fuit: nihil, quod erat hominis, remansit: nec sine mysterio, nam, cùm piscis omnium ferè animalium stolidissimus sit, & idcircò stolidissimi homines, teste Plutarcho, pisces appellentur; non immeritò Dagon hominis figuram amisit, & in sola piscis figura remansit, vt Diabolus coram Arca Dei totam suam astutiam exuisse, & cum extrema stultitia commutasse significaretur. Quòd si Diabolus coram Arca Dei sic stultescit; quid mirum, si coram Christo Domino stultissimus efficiatur? Primos quidem parentes, tanquàm serpens callidissimus tentauit. Genes. 3. n. 1. At verò Christum Dominum, tanquàm piscis E stolidissimus, tentare aggressus est: *Dic,* inquit, *vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4. n. 3. In quem locum D. Petrus Chrysologus sermone 11. Diabolum alloqnutus: *Cupis,* inquit, *tentare, sed nescis. Esurienti tenera offerre debuisti, non dura: famem non asperis palpare, sed blandis: inediam non horridis vrgere, sed gulosis. Istis non modò Dei Filium, sed hominis filium in laqueare non posses. Ad præsentiam Christi deperire tibi artes tuas, tentator, intellige.* Vbi vides Diabolum coram Christo Domino adeò perturbatum, vt ex callidissimo serpente, stolidissimus piscis redderetur.

Vatab.
Caiet.

Piscium nomine veniūt stolidi.

Diabolus coram Arca nil nisi stultitiā prætendit.

D. Petrus Chrysol. *Dæmonis hebetudo in tentationibus disponendis.*

Iuxta

III. Iuxta Græcam dicitur, *Scapula Dagon relicta* fuiſſe. Ita enim habent Septuaginta in Regiis & Complutenſibus: hoc eſt, ſolum dorſum Dagon. Dorſum enim legunt D. Iſidorus, Eucherius & Angelomus. Si autem quæras, cur remanſerit ſolum dorſum? multiplex eſt reſponſio myſtica. Vna, quia iam idololatria terga dabat, ſeu fugam meditabatur. Vnde D. Auguſt. ſeu Auctor mirabilium lib. 2. c. 7. *Spina*, inquit, *dorſi eius truncata reperitur; quod fugere idololatriæ cultum in aduentu Dominicæ legis monſtrabat. Qui enim fugiunt, perſequenti terga dant.* Similiter & D. Iſidorus c. 3. *Dorſum*, inquit, *Dagon ſolum inuenerunt fractis eius omnibus membris. Dorſum enim fugam ſignificat. Quicunque enim fugiunt, perſequentibus dorſum dant. Vnde & ſcriptum eſt de hoſtibus: Quoniam pones eos dorſum.* Pſal. 20. num. 13. *Vbi ſunt enim idola? Perierunt. Et ſi aliqua remanentia ab aliquibus abſconduntur, fugerunt.* Quæ verba nihilo mutata apud Eucherium leguntur. Et hinc deſumpſit Pierius lib. 23. ad finem, quod aſſerit, nempe dorſum fuiſſe quoddam fugæ ſimulacrum, ſeu quandam hieroglyphicam figuram.

D. Iſid. Eucher. Angelom. — D. Aug. Auct. mirab. — *Idololatria, coruſcante luce Euangelij in fugam conuertitur.* — D. Iſidor. — Euchee. Pierius.

IV. Altera, quia Dagon ſuum dorſum ad flagella præparabat; quaſi ſe verberonem ac maſtigiam, hoc eſt, flagris digniſſimum fateretur. Sciebat enim Arcæ inimicos, qualem ſe eſſe non negabat, acriter à Deo flagellandos, iuxta illud: *Percute dorſa inimicorum eius.* Deut. 33. num. 11. Et propterea gratis, ſeu ingratis, propria conſcientia conuictus, ſuum dorſum flagellis accipiendis offerebat. Neque mirum flagellari Dæmones ante Arcam Dei, cùm etiam ante aras & vrnas ſanctorum Martyrum flagellentur: vt D. Chryſ. hom. 26. in poſteriorem ad Corinth. in fine teſtatur: *Sanctorum*, inquit, *oſſa Dæmones ſiſtunt ac torquent: cùm nullus videatur, nullus immineat Dæmonis lateribus: audiuntur tamen clamores, dilacerationes, flagella, tormenta, Dæmone non ferente admirandam illam virtutem. Et qui corpora geſtarunt, incorporeas ſuperant poteſtates. Puluis, oſſa, cineres, inuiſibiles illas affligunt naturas.*

Dagon ſe flagellis nudatū ſubiecit. — D. Chryſ.

V. Tertia, quia Dagon, licèt inuitus, tamen ſuum dorſum, vel ſuum humerum ad ſeruiendum Deo ſubmittebat. Erat enim, vt de Iſſachar prædixerat Iacob, *Aſinus fortis*; ſeu, vt Oleaſter tranſtulit ex Hebræo, *Aſinus dorſi*: hoc eſt, habens magnum & robuſtum dorſum ad ferenda onera. *Et ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum: factuſq; eſt tributis ſeruiens.* Gen. 49. num. 15. Nam, vt bene D. Hier. de Diabolo: *Licet*, inquit, *velut diuini imperij frænos mordeat; iugum nihilominus continet ſeruitutis.* Vnde Nabuchodonoſor, & ſub eius nomine Diabolus Dei ſeruus appellatur. Ier. 25. num. 9. In quem locum D. Anaſtaſius Nicen. q. 31. in Scripturam, Diabolum vocat Dei inimicum, & ſeruum. Inimicum quidem, quia Deum odit; ſeruum, quia Deo obedit: ſed cum hoc diſcrimine, quòd odia voluntarius, obſequia inuitus exerceat. Has igitur ob cauſas ſolum Dagonis dorſum remanſit *in loco ſuo*. At quis fuit iſte locus? Non deeſt, qui exiſtimet, fuiſſe illum, quem in eodem altari pariter cum Arca habebat, ita vt extremis partibus aliis aliò deiectis ſolum dorſum in altari cum Arca remaneret. Sed contrà. Quia, ſi Dagon in primo caſu totus ab altari in terram corruerat: quo pacto in hoc ſecundo, qui ſeuerior eſſe debuit, in altari retineretur? Reſpondeo igitur, non fuiſſe illum, quem Arcæ æqualem anteà occupabat; ab hoc enim iam præcipitatus fuerat: ſed illum, quem pronus in terra ante Arcam Domini obtinebat: hic enim proprius Dagonis locus dici poterat, ille alienus: in ara ſublimem, ſed in terra humilem eſſe oportebat.

Vel inuitus Dei imperio cogitur ſuſtinere. — S. Hier. — *Dæmon ſub fræno & vinculis continetur.* — S. Anaſtaſ. — *Quæſtio.* — *Solutio.*

VI. *Propter hanc cauſam*, &c. Duplex eſſe poteſt explicatio. Prior: Non calcant, id eſt, non terunt, non tangunt, non intrant limen Dagonis. Poſtquàm enim illius infirmitatem obſeruarunt, cum colere deſierunt; ita vt ne à limine quidem ſalutarent, nec eius fanum ingrederentur. Ita Cedrenus videtur ſenſiſſe, dum ait: *Dagonis fanum in honore eſſe deſiiſſe.* Vtinam hæc expoſitio eſſet vera: crederemus Philiſthinos ad ſaniorem mentem reſtitutos, ſui Dagonis cultum abiuraſſe, & veri Dei potentiam agnouiſſe. Sed planè vera eſſe non poteſt. quia hæc Philiſtinorum conſuetudo, non vt religioſa, ſed vt ſuperſtitioſa; neque vt laudabilis, sed vt deteſtabilis ſacris in Literis, præſertim Sophon. 1. n. 9. narratur: vt ex dicendis patebit. Immò & ex hoc loco facilè conuincitur: vbi dicuntur non calcare limen, *Omnes qui ingrediuntur templum.* Ergo adhuc templum frequentabant, nec ab eius cultu recedebant.

Dagonis caſu monſtrum redditis deſpicabile. — Cedrenus. — Sophon.

VII. Poſterior igitur, ac vera expoſitio eſt: Non calcant limen, in quo fuerant caput & manus Dagonis, in honorem & reuerentiam ipſius Dagonis: ſed templum ingreſſuri, limen *tranſilientes tranſiliunt*: vt Septuaginta addunt. Vbi mirum eſt, quantùm diſcordant à Deo Philiſthini: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ; neque viæ veſtræ, viæ meæ, dicit Dominus.* Iſai. 55. num. 8. Nam Deus caput & manus Dagonis ad limen abiecerat, vt ingredientium pedibus calcarentur, & ſic deſpicerentur, vt ſuperiori Num. diximus: illi verò non ſolùm non calcabant caput & manus Dagonis; verùm etiam, ne calcarent locum, in quo Dagonis membra iacuerant, limen tranſilientes intrabant. Huius ſuperſtitionis duces fuerunt Sacerdotes, quos ad malum præeuntes populus ſequebatur; vt ex Litera patet. *Non calcant*, inquit, *Sacerdotes.* Et ſtatim: *Et omnes qui ingrediuntur templum*, &c. Tantùm valebat maiorum exemplum, vt quod illi facerent, inferiores imitarentur.

Cur Palæſthini terando delubri limine abſtineant. — *Sacerdotum exemplum in vtramq; quantùm valeat.*

VIII. Superſtitionis locus fuit Azotum, & hoc vnum Dagonis templum: nam in aliis Deorum, vel etiam ipſius Dagonis templis, ſi qua eſſent intra, vel extra Azotum, ea ſuperſtitio non vigebat: vt Abulenſis ex ipſa Litera obſeruat, quæ ſolùm in Azoto huius ſuperſtitionis meminit. Quamuis mihi nonnulla ſuſpicio ſit, eam ſuperſtitionē fuiſſe latiùs dimanatā: vt ſtatim dicam. Duratio ſuperſtitionis fuit, inquit Textus, *Vſque in hodiernum diem.* In quo, ſcilicet, Auctor huius libri hunc euentum ſcribebat. Ex quo colligitur, non fuiſſe admodum diuturnã, cùm hæc ſuperſtitio, Samuele iudicante, incepetit; & Samuele ſcribente, memoriæ prodita fuerit. Spatium autem inter Samuelem iudicare incipientem, & hanc hiſtoriam literis commendantem valdè diuturnum eſſe non potuit. Potuit nihilominùs durare vſque ad tempus Machabæorum, in quo, vt ſuperiori Num. iam diximus, hoc Dagonis templum, Ionatha incendium admouente, penitùs conflagrauit.

Abul. — *Quouſque ſuperſtitio illa perſeuerauerit.*

IX. Propter hanc ſuperſtitionem minitatus fuit Dominus Philiſthinis hoc incendium temporale per Ionatham admotum, ſeu potiùs incendium gehennale, per Sophoniam denuntiatum: *Viſitabo*, inquit, *ſuper omnem, qui arroganter ingreditur ſuper limen.* Sophon. 1. n. 9. ſeu, vt D. Hier. transfert ex Hebræo, *Super omnes qui tranſiliunt limen.* Hoc eſt, inquit D. Hier. *Vindicabo ſuper omnes, qui iuxta Regnorum primum librum, non calcant limen, idolorum ſuperſtitionibus ſeruientes.* Ita ille. Quem Lyra, Rib. & alij ſequũtur. Digni enim ſunt, qui à Deo conte-

Quæ incendia comminetur Deus Palæſthinis. — S. Hier. — S. Hier. — Lyra. — Riber.

Qui parcit Diaboli tentationi, dignus est, qui à Domino conteratur.

rantur, qui vanis superstitionibus delusi, Diabolum, siue eius vestibulum conterere & conculcare non audent. Quamuis alij hunc locum interpretentur de iis, qui cum arrogantia templum Domini introibant. Qualis fuit Antiochus, de quo dicitur: *Et intrauit in sanctificationem cum superbia.* 1. Mach. 1. num. 23. Sed quamuis hi superbi intelligantur: illi tamen superstitiosi minimè excluduntur.

X. Abul. *Quæstio. Solutio.*

Quærit Abulensis q. 14. An cultores Dagonis à solo templi limine calcando abstinuerint; an etiam ab eo loco, quem Dagonis truncus occupauit. Et respondet ab vtroque propter parem rationem: exprimi nihilominus solum limen, quia in illo difficilior erat hæc superstitio propter ingredientium, egredientiúmque concursum: vel etiam, quia in illo frequentior apparebat, propter multitudinem concurrentium ad templum. Vnde fit, vt prædicta illa comminatio per Sophoniam denuntiata intenderetur, non solùm iis, qui Dagonis limen transiliebant: sed etiam iis, qui propiorem adyto locum, in quo Dagonis truncus iacuerat, calcare præ superstitione reformidabant.

XI. *An transiliendi limina superstitio ad alia quoque delubra effluxerit?* Lyra. Varro. Plautus.

Cæterùm, quamuis hæc superstitio in Dagonis templo nata fuerit, suspicor tamen in alia quoque Deorum templa emanasse: vel etiam in aliis antiquioribus aliqua ex parte viguisse. Nam Saracœni, teste Lyrano, Exod. 3. prima templorum limini, non nisi nudis pedibus attingebant. Ethnici verò, teste Varrone, existimabant, in templorum vestibulis Numen aliquod inesse. Vnde Charinus ille in Plautina *Mercatore*, externas oras obiturus, primos templorum aditus religiosè salutauit: *Limen, inquit, superum, inferumq́; salue simul, & vale.*

Iuuenalis. Iuuenalis autem Satyra 6.

——Tarpeium limen adora.

Maro. Et Virg. 2. Æneid. appellat

——Relligiosa Deorum
Limina.

Ethnici cur procumbentes venerabantur templorũ limina.

Ibidem verò fœminæ Troianæ religionis causa:

——Tectis ingentibus errant,
Amplexaq́; tenent postes, atque oscula figunt.

Neque solùm templorum vestibulis figebant oscula, sed etiam tundebant capita, vt suam religionem testarentur; iuxta illud Tibul. lib. 1. Eleg. 2.

Tibul.

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.
Non ego tellurem dubitem perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput.

XII. Ad hanc superstitionem allusit Isai. cap. 57. n. 8. *Post ostium, inquit, & retrò postem posuisti memoriale tuum*: Hoc est: Deos tuos in domorum valuis consecrasti: seu in exteriori, & in interiori liminum parte statuisti, vt ingredientibus & egredientibus ob oculos obuersarentur. Et rursus: *Qui mundos se putabant in hortis post ianuam intrinsecus, simul consumentur, dicit Dominus.* Isai. 66. num. 17. Hoc est: Qui Deos suos pro foribus adorandos collocabant. Vnde Gentiles, vt loquitur Tertul. in Apolog. cap. 35. *Quam recentissimus, inquit, & ramosissimus laureis postes præstruebant: quàm elatissimis & clarissimis lucernis vestibula enubilabant.* A qua tamen consuetudine Christianos deterret idem Tertul. lib. De corona militis, cap. 13. *Christianus, inquit, nec ianuam suam laureis infamabit; si norit quantos Deos, etiam ostiis Diabolus affinxerit. Ianum à ianua, Limentinum à limine, Forculum, & Cardam à foribus & cardinibus.* Et similia refert lib. 1. De idololatria, cap. 15. Qua de re vide Martinum Roa de Natali sacro & profano, cap. 20. copiosè differentem.

Tertul. *Inanium deorum simulacra pro foribus collocabant.*

A Neque solùm templorum, sed etiam priuatorum ædium limina Dijs sacra Romani existimabant. Vnde sponsa domum sponsi ingressura, limen non tangebat, iuxta illud Catulli, Epigr. 59.

XIII. *Omen erat nuptiis limen tangere.* Catullus.

Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes.

Et illud Lucani De nuptiis Catonis & Martiæ, lib. 2.

Translata vetuit contingere limina planta.

Et illud Plauti in Cassina: *Sensim super attolle limen pedem noua nupta.* Cuius superstitionis ratio triplex inculcatur à Plutarcho in problematis Romanis, problem. 28. sed illa ad rem præsentem traditur à Varrone: *Ne sponsa à sacrilegio coniugium inchoaret, si calcaret limen Vestæ castissimo Numini consecratum.* Hinc illa Ethnicorum cura in templorum foribus præcipuè decorandis; iuxta illud 3. Georg.

Plautus. Varro. *Cur sponsa limen tangere formidarent.* Maro.

B

——Templum de marmore ponam.
In foribus pugnam ex auro, solidoq́; elephanto, &c.

Et illud 6. Æneid.

——Posuitq́; immania templa.
In foribus Lethum Androgeo, &c.

Quasi nobiliores cælaturæ ac picturæ templi foribus seruatentur: vt cap. 1. Num. 9. iam aduertimus.

XIV. *Quæ Christianorum religio erga templorum limina.*

Sed interim hæc vana Gentilium superstitio facessat. Certè Christiani non solùm templorum adyta, sed etiam limina maximè venerantur. Vnde præstantissimi Imperatores satis se honoratos arbitrabantur, si non in penetrali templo, sed etiam in primo limine Apostolorum Petri & Pauli sepelirentur. Testor duos illos maximos Imperatores Constantinum, & eius filium Constantium: de quibus D. Chrys. hom. 26. in posteriorem ad Cor. *Constantinum, inquit, magnum magno se honore affecturũ existimauit eius filius Constantius, si in vestibulis collocaret Piscatoris. Et quòd in Regiis ianitores sunt Regibus, id in sepulcro Reges sunt Piscatoribus. Et illi quidem, veluti ipsius loci domini intus habitant: hi verò tanquam accolæ ac vicini præclarè secum agi putant, si ianua ipsis assignetur vestibularis.* Hæc Chrysostomus. Quo ex loco palàm fit, præstantiora & sublimiora esse Apostolorum vestibula, quàm palatia Imperatorum. Sed Literam hactenus explicatam, iuuat vlteriùs ad mores illustrare.

C

Chrysost.

D

ANNOTATIO XVI.
CIRCA LITERAM.

Arcæ pugna cum Dagone illustratur.

I. *Quid mystice præferat Arcæ cum Dagone conflictus.*

IN historia hactenus explicata duo continentur: Arcæ pugna cum Dagone: Et Arcæ victoria de Dagone. In priori parte virtutis cum vitio, & Christi cum Diabolo certamen: in posteriori virtutis de vitio, & Christi Domini de Diabolo triumphus repræsentatur. Vtrunque hoc loco illustrabo: vnum in Annot. præsenti: alterum in sequenti.

E

SECTIO I.

Arcæ cum Dagone, hoc est, virtutis cum vitio, & Christi cum Diabolo certamen.

II. QVantùm distant, vt est in paræmia, æra lupinis, & quadrata rotundis, & sacra profanis;

tantùm, & multò ampliùs distat Arca Dei à Dagonis simulacro. Citiùs cælum terræ, ignis aquæ miscebuntur; quam Arca Dei cum Dagone societur.

III. *Arca Dei cur abducta à templo.*

Præcepit olim Rex Iosias Leuitis, vt Arcam Dei in templo Salomonis collocarent: *Ponite, inquit, Arcam in Sanctuario templi, quod ædificauit Salomon filius Dauid Rex Israël.* 2. Paral. 35. num. 3. Quid hoc est, inquiunt Interpretes? Nónne Arca in templo collocata erat? Cur igitur modò præcipitur collocari? Respondet & ad Literam, & ad rem nostram, D. Hieron. in traditionibus Hebraïcis illius loci, ad finem: *Notandum*, inquit, *quòd Arca Domini elata de templo fuit, quam modo in templum reduci Iosias præcepit. Tempore enim Achaz, seu, vt alij malunt, tempore Manassés, quando simulacra in templum missa sunt; elata est inde, & deducta in domum Sellum, viri Holdæ, auunculi Ieremiæ: vbi permansit vsque ad tempus Iosiæ. Nec enim Arca Dei poterat esse in loco, vbi simulacra introducta fuerant, & Gentilitius vsus, & ritus nefandissimus obseruabatur.* Vides pugnam inter Arcam, & idolum? Maluit profectò Arca Dei de propria domo exire, quàm cum idolo habitare. Vt hinc fideles admoneantur, omnem cum peccato vicinitatem, omnem cum Diabolo amicitiam, etiam cum proprio damno & iactura rescindendum: hoc est, potiùs amittendam propriam domum, quàm peccato, eiúsque suasori Diabolo cohabitandum.

D. Hieron. — *Arca Dei extra templum, à quo viro seruata sit.* — *Non patitur Arca Dei cū idolis familiaritatem.*

IV. Superbiebant olim Hebræi, & se aliis nationibus præferebant, quòd legem à Deo datam possiderent: illud subinde iterantes: *Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.* Deut. 4. num. 7. Sed rectè D. Chrysostomus orat. 3. contra Iudæos, ad finem, ostendit, nihil prodesse legem, sine legis obseruantia; nihil Deum auxiliari, si cum Diabolo simul honoretur: quod præsenti exemplo confirmat. *Victores*, inquit, *Azotij ceperunt Arcam, inque suum templum intulerunt. An ideò sanctum erat illorum templum, quòd haberet Arcam? Nequaquàm. Sed profanum, sed impurum. Quod protinus ipsis factis declaratum est. Nam Arca capta vim suam ostendit, idolo his tu solum deiecto. Tantùm aberat, vt locum sanctificaret, vt locum etiam expugnaret.* Vbi vides Arcam cum Dagone coniunctam, nihil illam coniungentibus prodesse; & Dagoni, cum quo iungebatur, non amicari, sed aduersari: vt intelligant, qui virtuti simul & peccato seruiunt, qui Christo & Diabolo famulantur; nec sibi vtilitatem capere; nec inter illa extrema inducere societatem.

D. Chrys. — *Dei, & Diaboli simul est incompatibilis famulatus.* — *Nihil inutilius, quàm virtuti simul & peccato, Christo & Diabolo famulari.*

V. Immò vtilius fuisset Philisthæis, non habuisse Arcam Dei, quàm illam cum Dagone coniunxisse. Athalia quondam pessima idolorum cultrix, & filij eius, *destruxerunt domum Dei, & de vniuersis, quæ sanctificata fuerant in templo Domini, ornauerunt fanum Baalim.* 2. Paralip. 24. n. 7. Post illius mortem Ioas, qui in Regnum successit, nihil habuit priùs, quàm vt templum Domini resarciret: quare infinitam pecuniam congregauit, vt citato loco num. 11. refertur; ex qua noua ornamenta fabrefaceret, quibus domum Domini renouaret. Quærunt Interpretes, cur non potiùs restituit, quæ abstulerat Athalia, ad fanum Baalim relegauerat? Respondet Lyranus: *Quia illa, quæ erant applicata idolis, non erant vlterius diuino cultui applicanda.* Tantum est Deo cum Diabolo dissidium; vt quæ huic seruiunt, ad seruiendum illi, ineptissima reddantur. Ipsas quodammodo virtutes ac bona opera turpant & profanant, qui illa ad colendum Dæmonem conuertunt. Præstaret bona

Præstat Arcam non habere, quàm cum Dagone coniungere. — *Magnum Deo cum Diabolo dissidium.*

A opera non agere, quàm acta ad pessimos vsus detorquere.

VI. Ingressus olim Christus Dominus Ierosolymam, *inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios sedentes. Et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Ioan. 2. num. 14. & 15. Cur, quæso, tam acriter insistit his hominibus de templo eiiciendis? Aptissimè ad rem præsentem, & breuissimè D. Ambr. lib. 2. De Abel & Caïn, c. 4. *Christus*, inquit, *de templo eiiciebat nummularios, quia ipse volebat intrare.* Ac si non posset templi sanctificator cum templi profanatoribus in eodem templo conuenire; sed necessariò essent hi eiiciendi, vt ille ingrederetur: quemadmodum vt Arca in ara staret, Dagonem de ara deturbari oportebat. Vbi primùm introiuit in Iudam Satanas, statim Christus Dominus ad illum: *Quod facis*, inquit, *fac citiùs.* Ioan. 13. num. 27. Cur verò sic loquatur, egregiè D. Ambr. cit. exponit: *Vt quia*, inquit, *introierat in illum Satanas, ipse abiret à Christo. Eiicitur itaque, & excluditur, eo quòd iam cum Domino Iesu esse non posset, quia cœperat esse cum Diabolo. Nulla enim communicatio Christi ad Belial.*

D. Ambr. — *Templi profanatores cū Christo sanctificatore non conueniunt.* — *D. Ambr.* — *Christus in eadem anima simul cū Diabolo esse non potest.*

VII. Et quidem Iudas, vbi cordis hospitio Diabolum excepit, de cœnaculo Christi Domini continuò exiuit. *Erat autē nox.* Vbi sup. n. 27. & 30. Nihil mirum. Nam, vt bene D. Ambr. citato loco: *Vbi Satanas*, inquit, *immisit se in cor Iudæ, Christus recessit ab eo; momentóque eo, quo illum recepit, hunc amisit.* Et paulò pòst: *Non solum, inquit, exiuit; sed continuò, & nocte exiuit. Nec mirum, si noctis tenebras habebat, qui Christum deserebat.* Vides, vt lux & nox, Christus & Antichristus ab eodem animo se inuicem excludant? Magna igitur inter eos pugna exercetur. Quò pertinet illud Tertull. lib. aduersus Psychicos: *Eadem, inquit, operatione Spiritus iniquus educitur, qua sanctus inducitur.* Adeò enim bonus & malus Spiritus sibi opponuntur, vt alterutro in animum ingrediente, alter egrediatur. Sed obserua, quo tempore Iudas exierit. *Cùm accepisset*, inquit Textus, *buccellam.* Ioann. 13. num. 30. Cùm accepisset, inquit, non verò cùm comedisset: vt rectè obseruat D. Thom. ad eum locum: *Fortè, inquit, in mensa, dimisso pane, nullam traxit moram. Cuius quidem ratio esse potest, quòd Diabolus, qui iam intrauerat in cor Iudæ, timens, ne si panem comederet, eum cedere oporteret, non valentem in eodem loco cum Iesu esse; non permisit Iudam panem comedere. Quæ enim conuentio Christi ad Belial?* Sic Diabolus Christi præsentiam & potentiam formidabat, vt vel panem Christi manu datum, sibi præsentem minimè sustineret.

Per ingressum Diaboli in cor, Christus expellitur. — *Qui Christum deserit, Diabolum tenebras incurrit.* — *Tertul.* — *Diabolus vel solam Christi præsentiam non sustinet.*

VIII. Intrauit Christus Dominus in domum Zachæi publicani & peccatoris. Quid Zachæus? *Ecce*, inquit, *dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Luc. 19. num. 8. Quæ verba non significant rem anteà factam, sed deinceps faciendam. Quasi dicerent: Firmiter statuo in posterum, dimidium bonorum meorum pauperibus erogare; & iniustitias, quas hactenus commisi, in quadruplum resarcire. Sic enim recentiores, Salmeron, Maldonat. & Barradas ex communi Patrum consensu interpretantur. Hac posita intelligentia, vide Christi Domini cum Diabolo, virtutis cum vitio certamen: quod D. Ambros. citatus rectè expendit. *Zachæus, inquit, excipiendo Christum, exclusit auaritiam, relegauit perfidiam, renuntiauit fraudibus: aliter enim non ingreditur Christus, nisi vt vitia excludat, quia non cohabitat erroribus.* Et paulò pòst ipsum Zachæum sic loquentem introducit: *Iam*, inquit,

Christi hospitio vitia excluduntur. — *Salmer. Mald. Barrad.* — *D. Ambr.*

inquit, *non sum Zachaus, non prado, non fraudator. Reddo qua sustuli; reddo qua auferre consueneram. Iam dono pauperibus, quos ante nudabam: iam mea confero, qui aliena rapiebam. Fugerunt crimina, postquam Christus intrauit. Diffusa est omnis carnalium caecitas passionum, vbi aeterna vita lumen infusum est.* Quid apertius, ad ostendendum, non posse Christi sanctitatem, & Diaboli iniquitatem in eadem simul domo commorari; sed statim hanc exire, illa introeunte? Non sine mysterio factum est, vt duo illi fratres paternæ benedictionis candidati, Iacob & Esau, sub eodem tecto apud patrem minimè conuenirent: *Nam egresso Iacob foras, venit Esaü.* Gen. 27. num. 30. Rationem reddit D. Chrysost. hom. 53. quia, *si Esaü in fratrem incidisset; forsitan ipsum interemisset, victus ira.* D. Ambr. lib. 2. de Iacob & vita beata, cap. 3. existimat in his fratribus Ecclesiam & Synagogam adumbratas: quarum illa benedictionem præripiente; hæc ad maledictionem relegatur. Addo, in hoc facto typum quendam expressum fuisse sanctitatis & iniquitatis, quæ nunquàm inter se bene conueniunt; nunquam in eadem sede commorantur: sed ab eodem animo se inuicem excludunt & expellunt.

Ecclesia & Synagoga, virtus & vitium nunquam in eadem sede commorantur.
D. Chryſ.
D. Ambr.

IX.
Pietas impietatis suffi citur in locum.
D. Ambr.

Priùs Moyses Ægyptium interfecit, Exod. 2. n. 12. quàm ad colloquium cum Deo vocaretur, Exod. 3. num. 2. Non planè sine mysterio. Nam, vt bene D. Ambros. citato loco: *Cùm*, inquit, *interficitur impius, Christus infunditur; & vbi abominatio abolet ur, sanctificatio congregatur.* Neque enim fieri vnquàm poterit, vt sacra simul & execranda, religio simul & superstitio coniungantur. Elegit quidem Deus primogenitos Hebræorum, sed priùs Ægyptiorum primogenitos interfecit. *Meum*, inquit Dominus, *est omne primogenitum, ex quo percussi primogenitos in terra Ægypti.* Numer. 3. num. 13. Cur prius occidantur Ægyptij, quàm eligantur Hebræi, inquirit D. Ambr. vbi suprà: & ad mores egregiè respondet, ita factum, vt hoc, de quo agimus, mysterium ostenderetur. *Cùm enim*, inquit, *renuntiatur improbitati, statim adsciscitur virtus. Egressus enim malitia, virtutis operatur ingressum: eodémque studio, quo crimen excluditur, innocentia copulatur.* Ac si nunquàm virtutes animentur, nisi postquàm vitia iugulantur. Nec multò aliter Orig. hom. 3. in Num. *Non priùs*, inquit, *sanctificati sunt primogeniti Israel, quàm percuterentur Ægyptiorum primogeniti: & quasi causam sanctificationis horum, interitum & necem ponit illorum.* Et statim per Ægyptiorum primogenitos, intelligens pessimos Dæmonum, subdit: *Qui*, inquit, *nisi percussi fuerint, & extincti; sanctificationem percipere Israelitarum primogeniti omnino non possunt.* Tantùm abest, vt opus Dei, & opus Dæmonum coniungantur; vt potiùs, nisi hoc extinguatur, illud non excitetur.

Iugulatis vitiis virtutes copulantur.
Origen.
Malorum occisio, sanctificatio bonorum est.

X.
Occiduntur Ethnici in terra promissionis, vt Hebræi inducantur.
D. Chryſ.

Olim Deus ad Moysen: *Præcedet*, inquit, *te Angelus meus, & introducet te ad Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumque, & Heuæum, & Gebusæum, quos ego conteram.* Exod. 23. n. 23. Cur tã multi Ethnici conteruntur, ne simul cum Israelitis commorentur? Optimè D. Chrysostomus citatus in Glos. per Amorrhæos vitia; & per Israelitas, virtutes interpretatur: & rationem reddens, cur Amorrhæi & Israelitæ simul non conuiuant, subdit: *Non enim*, inquit, *possunt virtutes cum vitiis morari. Sed cùm à virtutibus vitia fuerint superata; locum, quem concupiscentia spiritus possidebat, charitas obtinebit: quem furor ceperat, patientia vendicabit: quem tristitia mortem operãs occupauerat; salutaris, & plena gaudio lætitia possidebit: quem acedia vastauit, excolet fortitudo: quem superbia conculcabat, humilitas*

Sacra & profana non reuocantur ad concordiam.

A honestabit. *Itaque, singulis vitiis expulsis, eorum loca virtutes contraria possidebunt.* Ac si tantum sit dissidium inter sacra & profana; vt nunquam possint ad mutuam concordiam reuocari.

XI.
Theod.
Eradicatis idolorum spinis, vera religio inseritur.

Hinc illa Dei admonitio: *Nouate vobis nouale, & nolite serere super spinas.* Ierem. 4. n. 3. Vbi Theodoretus per spinas intelligit idola. Oportet enim idololatriam extirpare, antequàm vera religio inseratur. Et si latiùs velis exponere cum plerisque aliis Interpretibus: oportet vitia eradicare, antequàm virtutes seminentur, ne ab illis obruantur. Vnde D. Bernardus epist. 2. alia vsus similitudine, sed eundem sensum exprimente: *Quomodo*, inquit, *ignis & aqua simul esse non possunt: sic spirituales & carnales deliciæ in eodem se non patiuntur.*

D. Bern.

B Eundem sensum habere possunt illa Christi Domini verba: *Nemo*, inquit, *immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius à vestimento, & peior scissura fit. Neque mittũt vinum nouum in vtres veteres: alioqui rumpuntur vtres, & vinum effunditur.* Matth. 9. num. 16. & 17. In quem locum D. August. serm. 186. De tempore: *Spiritualia*, inquit, *non capit carnalis. Carnalitas, vetustas est: gratia, nouitas est.* Quasi diceret: Sicut, attritis vestibus, non assuuntur centones noui, ne & hi perdantur, & illæ magis lacerentur; & sicut vinum nouum non infunditur in vtres veteres, ne hi rumpantur, illud effundatur. ita in carnalia corda non influunt spiritualia dona; ne fortè hæc contemnantur, & illa magis deprauentur.

In carnalia corda cælestia dona non influunt.
D. August.

XII.
Gratia plenitudinem præcedit malitia exinanitio.
D. Bern.

C Eadem pugna inter res sacras & profanas, seu inter virtutes & vitia mihi videtur adumbrata, 4. Reg. 4. à num. 4. vbi oleum diuinitùs multiplicatum in vasa vacua dicitur defluxisse; postquàm vasa vacua defuerunt, illicò stetisse. In quem locum D. Bernard. ser. 3. De Ascensione Domini loquutus de terrenis affectionibus: *Impleri*, inquit, *visitationibus Domini anima non potest, quæ his distractionibus subiacet: & tantò magis illis euacuabitur, quantò magis istis implebitur: si multum, multum; si parum, parum. Vel certè, si magis probas, nunquàm ista illis misceri poterunt in æternum: quia vbi vasa vacua non inuenit oleum, stare necesse est. Nec mittunt vinum nouum, nisi in vtres nouos, vt ambo conseruentur. Neque enim spiritus & caro, ignis*
D *& tepiditas in vno domicilio commorantur.* Quasi diceret: Tanta est inter sanctitatem & improbitatem discordia, vt nunquàm detur plenitudo gratiæ, nisi præcedat exinanitio malitiæ.

XIII.
Magna discordia inter vitia & virtutes.

Rectè igitur D. Paulus: *Nolite*, inquit, *iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? Qui autem consensus templi Dei cum idolis?* 2. Corinth. 6. à num. 14. vbi quinque promit similitudines ad hanc pugnam inter Arcam & Dagonem, inter Deum & Diabolum inter virtutes & vitia exprimendam. Magna igitur esse debet hæc discordia, quæ tanto verborum pondere explicatur. Vnde D. Hieronymus lib. 2. contra
E Iouin. in principio alludens ad prædicta verba: *Quæ*, inquit, *communicatio luci & tenebris? Christo & Belial? Quomodo dies & nox misceri non queunt; sic nec iustitia & iniquitas, peccatum & bona opera, Christus & Antichristus. Si susceperimus Christum in hospitio nostri pectoris; illico fugamus Diabolum. Si peccauerimus, & per peccati ianuam ingressus fuerit Diabolus; protinus Christus recedit.*

D Hier.

XIV.

Breuiùs Dauid illam inter Deum & Diabolum discordiam expressit: *Neque habitabit*, inquit, *iuxta te malignus.* Psal. 5. num. 6. seu, vt est in Hebræo: *Neque hospitabitur*, aut, *peregrinabitur.*

Nam

Non habet Diabolus cũ Deo domicilium diuturnum; immò nec temporarium diuersorium.

Nam Diabolus, quem *maligni* nomine D. Remigius intelligit, non solùm non habet apud Deum diuturnum domicilium; sed etiam ne breuissimum quidem ad vnam tantùm noctem diuersorium: vt patet in Dagone, qui apud Arcam Dei non pernoctauit. Idem Dauid, *In æternum*, inquit, *Domine, Verbum tuum permanet in cælo.* Psal. 118. n. 89. Sed cur in cœlo seorsim dicitur permanere? Rectè D. Ambr. in eum Psal. serm. 12. *Quia Satanas*, inquit, *de cælo cecidit in terras.* Et paulò pòst: *In cælo permanet Verbum, quia inde deiectus est Diabolus: in terris non permanet, quia huc totus aduenit.* Quasi in terra, vbi Diabolus est, non possit diuinum Verbum, nisi ad breue tempus peregrinari: in solo tamen cælo, vnde Diabolus exulat, possit in æternum permanere. Quòd si amplissimis cæli spatiis Christus ac Diabolus non capiuntur; quo pacto exiguis humani cordis angustiis capientur.

D. Ambr. *Amplissimum cæli spatium Christum & Diabolum non capit.*

XV. Meritò Sponsa, *Surge*, inquit, *Aquilo, & veni, Auster.* Cant 4 num. 16. D. Ambr. in Psalm. 1. nomine Aquilonis spiritum diabolicum intelligit; Austri nomine diuinum: & subdit: *Iste ventus adspirat, si Boreas ille grauis ventus flare desierit.* Ingresso Christo Domino in Synagogam, exclamauit Dæmoniacus: *Quid nobis & tibi, Iesu Nazarene? Venisti perdere nos.* Marc. 1. num. 24. Quærit ibi Euthymius, cur tam citò in querimonias erupit, antequàm exire cogeretur? Et respondet: *Clamat homo, non ferente, quod in eo erat, Dæmonio, vim Diuinitatis.* Et D. Hieron. *Præsentia*, inquit, *Saluatoris, tormenta sunt Dæmonum.* Quasi tanta sit discordia inter Christum & Diabolum, vt hic illum non modò torquentem, sed ne præsentem quidem patiatur.

D. Amb. *Christus adspirat, vbi Diabolus exspirat.*

Euthym.

D. Hier. *Sola Christi præsentia torquet Dæmones.*

XVI. Mirum est, quanta celeritate Christus Dominos Diabolo suam diuinitatem & sanctitatem prædicanti silentium imperarit. *Obmutesce*, inquit Marc. 1. num. 25. Nec tantùm, *Sile*, inquit: sed *obmutesce*: vt loquendi non solùm actu, sed etiam potentia priuetur. Ratio ex Lyrano est, vt alias omittam, ne vllam cum Diabolo societatem habuisse videretur. Quasi mallet nesciri sanctus Dei, quàm Diaboli amicus reputari. Vnde, cùm omnia peccata à Deo misericordissimè remittantur: tamen blasphemia in Spiritum sanctum, *neque in hoc seculo, neque in futuro remittetur.* Matth. 12. num. 32. Nam hæc blasphemia, iuxta veriorem Interpretum consensum, est, cùm opera diuinitatis, diabolicæ potestati tribuuntur; seu, cùm aliquid societatis & commercij inter Deum, & Diabolum interuenire affirmatur: quo peccato nullum grauius, veniáque indignius censetur. Vnde Christus Dominus iniuriarum patientissimus hanc vnam minimè tolerauit. Audiens enim à Pharisæis, se in Belzebub Principe Dæmoniorum eiicere Dæmonia, Matth. 12. num. 24. non solùm eam blasphemiam multis rationibus a se depulit; verùm etiam palàm prædixit, eam neque in hoc seculo, neque in futuro remittendam.

Nulla Christo cum Diabolo societas.

Lyra.

Nullum grauius peccatũ, quàm Deum & Diabolum coniungere.

XVII. Denique vt rem concludam, ita Deus omnem cum Diabolo amicitiam detestatur, vt totam illius memoriam abolendam curet. Vnde olim de noua Ecclesia loquutus: *Vocabit*, inquit, *me vir meus, & non vocabit me vltra Baali.* Oseæ 2. num. 16. Quem locum vt intelligas, aduerte, olim sponsas inter Hebræos, cùm viros suos appellabant, duplici vocabulo vti solitas, vel אִישִׁי, *Issi*, id est *Vir meus*; vel בַּעְלִי *Baali*, id est, *Dominus meus*, seu, *possessor meus.* Ait igitur Deus, fore vt ipse in lege noua à sua sponsa, seu ab Ecclesia appelletur *Vir meus*; non autem, *Dominus*, seu, *possessor meus.* Cuius discriminis duplex ratio esse potest. Vna ex Lyrano: quia prior appellatio, *Vir meus*, erat amoris, posterior autem, *Dominus*, seu, *possessor meus*, timoris: atque adeò hæc in legem veterem, illa in nouam congruebat. Nam, vt ex D. August. refert Lyranus: *Breuis differentia legis & Euangelij, timor & amor.* Altera ad rem præsentem, ex D. Hieronymo: quia illa appellatio, *Baali*, idolum Baal redolere videbatur; cuius non solùm Nomen, sed etiam nomen oportebat in Ecclesia aboleri. Quasi diceret Deus, inquit Hieronymus: *Tantum odi idolorum nomina, vt etiam, quod bene dici potest, propter ambiguitatem, & verbi similitudinem, nequaquàm velim dici; sed appellari me*, אִישִׁי, *Issi, magis quàm* בַּעְלִי *Baali, ne dum aliud loquitur, alterius recordetur; & virum nominans, idolum cogitet.* Quæ interpretatio mihi videtur Literæ congruentior; quia statim additur: *Et auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltra nominis eorum.* Ibidem, n. 17. Vbi vides, tantam esse Deo cum Diabolo discordiam, vt non solùm eum disperdat, sed etiam eius nomen penitùs extinguat.

Illustris Oseæ locus dupliciter explicatur.

Lyran.

Veteris legis timor est: noua amor.

D. Hier.

Deus nec Diaboli nomen remanere patitur.

SECTIO II.

Non esse Deo simul ac Mundo, siue Diabolo, seruiendum.

I. CVm igitur tantum sit inter Deum ac Diabolum, virtutes ac vitia dissidium; errant profectò, & vehementer errant, qui volunt duobus dominis seruire, Deo scilicet, & mammonæ; & in ara cordis sui Arcam Dei pariter & Dagonem collocare: cùm tamen Deus solus totum sibi vendicet omnium hominum amorem. Vnde in veteri Testamento: *Videte*, inquit, *quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Deuteron. 32. num. 39. & in nouo: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua.* Matth. 22. numer. 37. Illic se solùm amandum proposuit; hic totum nostrum amorem exegit. Immò & in veteri Testamento, postquàm præcepit credere in vnum Deum, dicens: *Audi, Israel, Dominus Deus noster, Deus vnus est*: statim præcepit, illum vnicum Deum vnicè diligere, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Deut. 6. num. 4. & 5. vt sicut Deus vnus est, ita & amor noster erga Deum vnus esset & indiuisus. Vnde Theodor. ibi quæst. 3. *Docemur*, inquit, *dilectionem non scindere in dilectionem Dei, & dilectionem auri; sed totam dilectionis vim Creatori Deo conseruare.*

Nemo potest Deo & Diabolo famulari.

Totus amor soli Deo tribuendus.

Theod.

II. Nam, vt bene Diuus Augustin. in suis cum Deo Soliloquiis, cap. 19. *Minus*, inquit, *te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Et ratio est: quia, vt cecinit ille alius:

Alterius vires subtrahit alter amor.

Seu, vt grauiùs D. Bernardus serm. 83. in Cant. quia *Diuinus amor*, inquit, *vbi venerit, cæteros in se omnes traducit & captiuat affectus.* Vnde, qui profanum habet amorem, diuinum conuincitur non habere; qui si adesset, illum facilè expelleret, & totum affectum captiuaret. Quare rectè monet Diuus Aug. tom. 10. serm. 14. in festo omnium Sanctorum, cap. 7. ex nuper inuentis: *Si vis*, inquit, *esse templum veritatis, frange idolum falsitatis. Iam in cor tuum, si placet, intret Arca Testamenti, & ruat Dagon.* Hoc est: Christum intrò in tuum animum admitte, & foras exige Dagonem; cùm non possis vtrunque pariter retinere. Errant igitur, & vehe

D. August. *Diuinus amor profanum expellit.*

D. Bern.

D. Aug.

vehementer errant, qui suum in duos dominos affectum partiuntur. Quod paucis illustrabo.

III. *Christus nos redemit, ne amor suus debitus scinderetur.* D. Athan.

In primis vnus atque idem Deus, qui per se hominem creauit, per se hominem redemit. Cur non per Angelum, aut per quamuis aliam excellentem creaturam? Respondet D. Athanasius orat. 3. contra Arianos: *Conueniebat*, inquit, *redemptionem fieri per eum, qui natura Dominus erat, ne alium nobis Dominum agnosceremus.* Nam æquum non erat, vt amor vni Deo debitus, in duos diuideretur. Quò pertinet illud, quod ex D. Anselmo referri solet, seu potiùs ex Hugone Victorino in libro sententiarum: *Ne amorem diuideret, idem tibi factus est Creator & Redemptor.* Suum diuidere amorem videbatur olim Nicodemus, qui noctes tantùm audiendo Christo Domino; dies verò audiendis Pharisæis impendebat. Ioan. 3. num. 2. Meritò igitur D. Greg. Nazianz. orat. 42. num. 55. eum vocat *nocturnum tantùm Dei cultorem.* Et Orat. 16. ad finem: *Ille*, inquit, *dimidia tantùm ex parte Christum amans Nicodemus.* Nam, qui aliquam sui studij partem in aliis collocabat; totum, vt par erat, amorem soli Deo non tribuebat.

Nicodemus nocturnus Dei cultor. D. Greg. Naz.

IV. Accessit ad Christum Dominum *quidam de turba, & ait: Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Ad quem Christus Dominus: *Homo, quis me constituit Iudicem, aut diuisorem super vos?* Luc. 12. num. 13. Iniquè tulit diuidendi munus à se exigi, qui potiùs venerat ad exercendum munus copulandi. Sic D. Petrus Chrysol. serm. 162. *Praceps*, inquit, *cupiditas & incauta, eum fieri voluit diuisionis auctorem, qui ad restituendam venerat humani generis vnitatem.* Si igitur Christus Dominus hæreditatem duobus fratribus debitam, inter eos diuidere noluit; quo pacto amorem vni Deo debitum partiri inter res alias patietur? Moriente Christo Domino: *Ecce velum templi scissum est in duas partes.* Matth. 27. num. 51. Rationem reddit D. Ambr. lib. vno De Ioseph, c. 3. *Vt diuisum*, inquit, *Regnum, talibus manifestaretur insignibus destruendum. Et verè diuisum, quando hoc, quod erat Christi, cœpit esse Diaboli. Neque enim poterant indiuisi manere, qui à Patre Filium separabant.* Quasi diceret: Quia iste se populus diuisit, Deo seruire volens, ac Diabolo, religionem simulans, & superstitionem amans; planè meruit, vt totus à Deo destrueretur.

Christus Dominus non amat diuisionem, sed vnitatem. D. Petr. Chrysol.

Totus destruitur, qui se diuidit ex parte.

V. Notatu dignum est, quòd neque Iosephus diuidere voluit suum pallium cum Ægyptia, Genes. 39. num. 22. neque Helias cum Helisæo, 4. Reg. 2. num. 13. neque Sponsa cum custodibus ciuitatis, Cant. 5. num. 7. sed omnes suis se palliis penitùs denudarunt, eàque à se procul abiecerunt. Rationem esse credo, vt nullam apud se mundanæ sollicitudinis partem retinerent: sed toto animi affectu ad vnum Deum liberè conuolarent. Ita innuit Gilbertus Cisterciensis in supplemento Diui Bernardi, serm. 45. in Cantica: *Iecit*, inquit, *Helias pallium, dum raperetur. Fugit Ioseph, dum teneretur. Sponsa tulit, dum tolleretur. Speculi & imaginis velamen proiecit Helias, raptus ad faciem. Mundi ornamenta, velut magna onera, fugit Ioseph, sentiens fomitem. Sollicitudine exuta, Dilecti liberius captat Sponsa fauorem.* Et rectè quidem: neque enim diuinus amor, quantumuis magnus, Deo gratus esse potest; nisi profanus amor, quantumuis paruus, ex animo totus eiiciatur.

Amor Deo gratus esse nequit cum vel minima mundi sollicitudine. Gilbert.

VI. Placuit Deo sacrificium Abelis, displicuit sacrificium Caïni, Genes. 4. num. 4. & 5. Discriminis rationem assignasse videtur ipse Deus, Caïnum statim alloquutus, iuxta Septuaginta: *Nónne*, inquit, *si rectè offeras, non autem rectè diuidas, peccasti?*

Sacrificium diuisum Deo non placet.

A Ibid. n. 7. Quasi diceret: Quid miraris, tuum mihi sacrificium displicuisse, quod malè diuisisti? Sed in quo malè diuisit? Rup. ad eum locum: *Cain*, inquit, *non rectè diuisit; quia cùm Deo offerret sua, se ipsum sibi retinuit: cor suum retinuit sibi, & fructus terræ obtulit Deo.* At verò D. Isidorus ibidem: *Rectè*, inquit, *offerebat, quia Deo; sed non rectè diuidebat, quia exteriora dabat, & se in nequitia confirmabat.* Similiter & Procopius: *Abel*, inquit, *non vt Cainus, quidquid immolauerat, totum tribuit Deo, nec cum illo diuiduum facit. Vnde donator magis, alter distributor appellari potest.* Sed omnium elegantissimè D. Bernardus serm. 24. in Cant. *Quid miraris, ò Cain, si non respicit ad te, qui ita diuisus es in te? Si manum deuotioni, quid animum das liuori? Non concilias* B *Deum tibi, discors tecum: non placas, sed peccas.* Vbi vides, non placere Deo sacrificium per partes diuisum, sed quod totum atque integrum offeratur.

Rupert. D. Isidor. Procop. D. Bern.

VII. Abrahæ præcepit Deus, vt sibi animalia, tam terrestria, quàm volatilia immolaret. *Qui tollens vniuersa hæc*, inquit Textus, *diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit; aues autem non diuisit.* Genes. 15. n. 10. Cur potiùs quadrupedes, quàm volucres diuiduntur? Lyra existimat, per animalia diuisa significari vitam actiuam, quæ diuidit hominem circa multa; iuxta illud: *Martha, Martha, sollicita es, & turbaris erga plurima.* Luc. 10. num. 41. Per indiuisa significari vitam contemplatiuam, quæ vnit hominem ad C Deum; iuxta illud: *Porrò vnum est necessarium.* Ibidem, num. 42. D. Ambros. lib. 2. De Abraham, c. 8. in animalibus diuisis, corpus diuisibile: in indiuisis, animam indiuiduam intelligit: *Caro*, inquit, *nostra Dei ordinatione diuisa habet membra. Mentem autem nostram, quæ modo auium, virtutum diuersarum, & vigoris sui vecta remigiis, supra cælum euolat, non diuisit: quia Trinitati adhæret diuidenti omnia, soli indiuisæ.* Tandem Rupertus lib. 5. in Genes. c. 21. sequutus D. Augustinum statim citandum, per diuisa animalia, malos homines; per indiuisa, bonos interpretatur. *Etenim*, inquit, *carnales, qui per quadrupedia signantur, lites & seditiones murmurando contra Dominum facturi erant: spirituales verò vnanimem seruare concordiam, immo &* D *seditiosos ad pacem reuocare habebant.*

Lyra. *Vita actiua diuisa, indiuisa contemplatrix.* D. Ambr. *Corpus & anima.* Rupert. *Boni vnanimes, mali discordes.*

VIII. Sed aliam etiam ob causam mali diuisi, boni autem indiuisi appellantur: nimirum, quia illi suas affectiones inter Deum, ac Diabolum partiuntur: hi verò totum animi affectum & studium soli Deo consecrant, deuouent & addicunt. Quam rationem tradidit Theod. q. 1. in Leuit. *Quemadmodum*, inquit, *Patriarcha volatilia non diuisit: ita nec legislator ea iubet diuidi. Nam qui volant, Deum ex toto corde diligentes, non partiuntur animum, collocantes illum, tum in terrenis, tum in cælestibus; sed totum sursum ferunt.* Vbi alludit ad sacrificium de volucribus: in quo turtur, aut columba diuidi non permittebatur; iuxta illud: *Non secabit, neque diuidet eam.* Leuit. 1. num. 17. eo mysterio, vt ibi Hesychius exponit, ne vir iustus, qui gratum E Deo sacrificium fieri cupit, in diuersas curas distrahatur, & diuinis obsequiis addictus, terrenis pariter curis implicetur. Sed totus cælestis in Deum feratur, & vt loquitur Apostolus, *Integer spiritus, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* 1. Thessal. 5. num. 23.

Theod. *Spirituales Dei amorem non partiuntur.*

IX. Sed mysterio plenum est illud, quod sequitur: *Descenderunt*, inquit Textus, *volucres super cadauera.* Gen. 15. num. 11. Nam D. Augustinus lib. 16. De ciuit. c. 24. Theod. q. 65. in Genes. Diuus Ambr. citatus,

Diuisi in Diaboli potestatem mancipantur. S. Aug. Theod. S. Ambr.

citatus, & alij, iuxta Græcum & Hebræum fontem, dicunt huiusmodi volucres super cadauera diuisa, non autem super indiuisa descendisse. Cuius rei rationem reddit Diuus Ambros. citatu loco, Diabolos per has volucres intelligens: *Principes*, inquit, *Mundi huius, & volucres cæli spiritualium nequitiæ, in eos qui mundana solicitudine, curàque diuisi sunt, graui motu incessunt, & veluti cadauera mortuorum aduolant, qui a sunt de Regno Diaboli, qui in se ipso diuisus est. Super columbam, & turturem non descenderunt; quia diuisa ista aues nõ erant: non sunt enim diuisi iusti, quibus dicitur, vt sint simplices, sicut columbæ.* Et paulò pòst ait, diuitias, quibus improbi homines suffocantur, ita dictas esse quasi *diuisas: quòd mentem diuidant, atque in diuersum scindant, & in partes trahant, nec sinant incorruptam esse, & integram.* Vbi vides, eos, qui vnam tantùm sui partem Deo offerunt, totos in Diaboli potestatem mancipari.

Diuitiæ diuisionem efficiunt.

X. Grauius olim Deus puniuit Samariam, seu Regnum Israël, quàm Ierusalem, seu Regnum Iuda, iuxta illud: *Non addam vltra misereri domui Israël; sed obliuione obliuiscar eorum; & domui Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo.* Oseæ 1. num. 6. & nihilominùs grauiùs peccauit Iuda, quã Samaria; iuxta illud ipsius Dei ad Iudã: *Samaria*, inquit, *dimidiũ peccatorum tuorum non peccauit.* Ezech. 16. n. 48. Cur ergo grauius punitur, quæ leuiùs peccauit? Rupertus in locũ Oseæ respõdet, propter sanctitatem aliquorum Regum Iuda mitiùs à Deo actũ esse cum hoc Regno. Responderi ab aliis solet, Deum clementiorem in Iudam extitisse, quia Christum edidit Saluatorem, à quo suam sibi salutem comparauit. Addo ad rem præsentem, Samariam grauiùs, ac Seueriùs à Deo punitam esse, quia eius peccatum hanc vnam circunstantiam habebat, quam Deus iniquissimè & ægerrimè tolerabat: nam se in duas partes diuidebat; & Deum simul ac Diabolum venerabatur, iuxta illud: *Cùm Dominum colerent, diis quoque suis seruiebant.* 4. Reg. 17. n. 33. Deus autem, vt ex D. Ambrosio refertur: *Tolerabilius iudicat infidelem integrum, quàm fidelem diuisum.* Nam hic Deum, quem nouit, contẽnit, quod est grauius: ille Deũ, quem non nouit, prætermittit, quod est leuius.

Deus propter iustos mitiùs punit. Rupert. Peccatores ob Christum Dominum clementiùs puniuntur.

D. Ambr. Deus grauius iudicat diuisos.

XI. Vnde illa Dei comminatio: *Disperdam*, inquit, *eos qui iurant in Domino, & iurant in Melchon.* Soph. 1. n. 5. Hoc est, qui Deum verum Israëlis, & falsum idolum Ammonitarum pari cultu & religione venerantur. Dum enim falsum Numen colunt, verum offendunt. Quare Deus olim Episcopum Laodiceæ frigidum aut calidum præoptabat: sed, quia tepidus erat, incipiebat eũ euomere ex ore suo. Apoc. 3. n. 16. In quem locum Diuus Ambr. serm. 2. in Psal. 118. Infidelem per frigidum, & fidelem iustum per calidum, & fidelem imperfectum per tepidum interpretatus sub. dit: *Negligentiam grauiori damnat iudicio, quàm impudentiam. Qui enim calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat, fidem non accepisse, quàm neglexisse.* Quasi diceret: Mitiùs agetor cum illo infideli, qui totus sub Diabolo fuit; quàm cum illo fideli, qui partim sub Diabolo, partim sub Deo militauit: hunc enim acerrimè accusabit malitia, illum verò aliquantulum excusabit ignorantia. Affinis est illa sententia Prophetæ Heliæ ad populum: *Vsquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: si autem Baal, sequimini illum.* 3. Reg. 18. n. 21. Cuius dilemmatis tanta vis fuit, vt statim in Litera sequatur: *Et non respondit ei populus verbum.* Quasi argumenti vi conuictus.

Mitiùs agitur cum infideli, quàm cũ illo qui fidem diuidit.

Diuisi claudicãt in fide.

XII. Nota est illa duarum fœminarum apud Salo-

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

A monem contentio de vno puero, quem alterutra suum filiũ esse cõtendebat, 3. Reg. 3. à n. 16. sed iubenti Regi ad dirimendam litẽ, vt puer inter litigãntes diuideretur, adultetina mater assensit, germana repugnauit. Nã, vt bene D. Bern. epist. 258. *Non patris*, inquit, *non matris illa vox erat: Nec mihi, nec tibi sit; sed diuidatur.* Non aliter & Diabolus, qui verus pater non est, facilè patitur, humanum affectum inter Ioues & Neptunos, inter Arcã & Dagonem, inter Deum ac Diabolum partiri; nun ignorans, eum, qui in plures partes diuiditur, à se totum atque integrum deuorandum. Deus autem, qui pater & Dominus verus est, cum totos & filios & seruos suo sibi iure vindicet, partem non admittit; sed totum atque integrum requi-

B rit affectum: & potiùs patitur totum à Diabolo abripi, quam sibi partem tantùm reseruari.

Diabolus partem, Christus totum requirit affectum. D. Bern.

XIII. *Diuisum*, inquit Deus, *est cor eorum, nunc interibunt.* Oseæ 10. n. 2. Quasi diceret: Qui partem sui Deo offert, integer à Deo repelletur. Rectè monuit Sapiens: *Fili, ne accesseris ad Dominum duplici corde.* Ecclesiastæ 1. num. 36. Hoc est: affectu mentis tuæ in Deum & Mundum bipartito. Nam, vt bene D. Bernard. serm. 2. de sancto Michaële: *Minùs*, inquit, *erat damnabile in seculo perire*, totum, scilicet, sub Diabolo; *quam in Monasterio*, partim, videlicet, sub Christo, partim sub Diabolo. Ille enim à Diabolo illuditur: hic Christum illudere conatur. Præcipiebatur olim Leu. 2. n. 2. vt pugillus similæ, seu farinæ Sacerdoti; &

Diuisus totus à Deo reiicitur.

D. Bern.

C turum thus Deo offerrentur. Ratio est, interprete Rodulpho: quia, licèt farina, hoc est, bona temporalia Sacerdotibus cum laïcis communicanda sint, tamen thus, hoc est, spiritualia bona, seu cordis intentio, & charitatis affectio soli Deo in integrum debentur. *Omnis adeps*, inquit Moyses, *Domini erit iure perpetuo.* Leuit. 3. num. 17. Quod præceptum, iuxta Interl. eò tendit, vt omne desiderium Deo, nihil Mundo offeratur.

Charitatis intentio soli Deo debetur.

XIV. Inter volucres immundas, quæ à sacrificiis reiiciuntur, cygnus etiam numeratur. Leuit. 11. n. 18. Sed, cur volucris & candore & canore memorabilis, tanquàm immunda à sacrificiis arcetur? Aliis rationibus omissis, illa mihi videtur rem præsentem illustrare, quòd cygnus non ha-

D beat vnum in vno tantùm elemento domicilium; sed in triplici, terra, aqua & aëre circumuagetur. Sicut igitur auis multiuaga Deo non placet: ita planè displicent illi homines, qui in varios affectus diuiduntur. Contrà verò cælestis Sponsa appellatur *Columba in foraminibus petræ.* Cant. 2. n. 14. Nam, sicut hęc, teste Philosopho lib. 2. de historia animalium, c. 7. inuiolatam coniugij fidem suo compari seruat: ita illa indiuisam erga Deum charitatem perpetuò custodit. Nam, vt bene Richardus Victorinus lib. 4. de contemplatione, c. 15. *Amor*, inquit, *singularis consortem non recipit, socium non admittit.*

Cygnus à sacrificio arcetur, quia multiplex; columba admittitur, quia simplex.

XV. Hanc indiuiduam Sponsæ charitatem cælestis Sponsus attestatur: *Vulnerasti*, inquit, *cor meum in*

E *vno oculorum tuorum.* Cant. 4. n. 9. Cur, quæso, in vno tantùm? An, quia alter displicebat? Minimè verò: sed, quia alterum non habebat, quo res humanas intueretur. Nam, vt bene D. Greg. Nissenus Orat 8. in Cantica: *Qui ad solum*, inquit, *illum Dei naturam visus acumen dirigit: is in cæteris omnibus cæcus est, ad quæ multorum oculi respiciunt.* Qui autem vnum Deum intuetur: vniuertiam Deo famulatur. Vnde illud de felicissimis Ecclesiæ temporibus: *Tunc seruient ei humero vno.* Soph. 3. num. 9. Cur enim vno, nisi quia viri Apostolici & perfectissimi Ecclesiæ Principes nullum

Vnus oculus ad vnũ Deũ intuendum. D. Greg. Nissen.

 alium

alium humerum habituri erant, quo rebus humanis deseruirent.

XVI.

Qui Deo seruiunt, vnicum habent oculũ, manũ, pedem: nihil ad Mũdi obsequiũ.

Quare Christus Dominus vna tantùm manu, & vno pede nos esse volebat: *Si manus*, inquit, *tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te.* Matth. 18. n. 8. Vbi D. Betoard. serm. citato: *Eos*, inquit, *notat, qui voluntatem suam, siue bona, siue mala sit, æquè sequuntur: & ingrediuntur duabus viis, nunc bona, nunc mala sectantes, secundùm quod variantur desideria sua. Quibus meritò vtilius fuerat gratiæ in omnibus adhærere; & vbi obuiat propria voluntas, abscindere, & à se ipsis abiicere eam.* Et paulò pòst loquutus de oculo, quē ibidem Christus Dominus erui præcepit: *Qui Deo*, inquit, *simplici adhæret oculo, factus est & ipse simplex: aut certè iam non alter est oculus, sed vnus cum eo, Apostolo teste: Quoniam qui adhæret Deo, vnus spiritus est cum eo.* 1. Cor. 6. num. 17. Itaque, qui Deo seruiunt, vnum taotùm oculum, manum, ac pedem habere dicuntur: quia oullam sui corporis partem reliquam habent, quam io Diaboli, Mundive obsequium impendant.

XVII.

Naamani religio.

Hinc est ille scrupulus Naamani, qui cùm ad seruiendum vero Deo, voum humerum iam inclinasset, dicens Helisæo: *Non faciet vltrà seruus tuus holocaustum, aut victimam diis alienis, nisi Domino.* 4. Reg. 5. num. 17. timebat nihilominùs, ne & alterum Diabolo inclinare videretur. Quare suam intentionem palam testatus, dicebat Helisæo: *Hoc solum est, de quo depreceris Dominum pro seruo tuo. Quando ingredietur Dominus meus templum Remnon, vt adoret: & illo innitente super manum meam, si adorauero in templo Remnon adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re.* Ibidem, num. 18. Quibus verbis duo præstat. Nam in primis significat, se non animo adorandi Remnon, sed ministrandi suo Regi, genua in illo templo curuaturum. Deinde consulit Helisæum, an hoc ipsum ei liceat: sin minùs nulla id ratione effecturus. Et cùm acciperet, licere: qoia neqne animo idololatrabat, vt patet; neque externo opere vllam idololatrandi suspicionem ingerebat; siquidem palam testabatur, se non in cultum idoli, sed in obsequium Regis genua incuruaturum: tunc animum appulit ad exequendum; alioqui nulla vi adigeretur ad honorem Deo simul, & Diabolo præstandum: ne tanquàm Sacerdotes Baal, in vtranque partem claudicaret. Si igitur Naamanus primis fidei rudimentis initiatus, intellexit, non esse Deo simul, ac Diabolo seruiendum: quæ nos miseros, cùm iam simus in doctrina Christiana veterani, occupat stultitia, simul vtriusque imperiis seruire cupientes?

Serui Dei palam Diaboli obsequiũ detestantur.

XVIII.

Recta ad Deũ via incedendum.

Rectiùs olim Israël transiturus per terram Amorrhæorum, Legatos misit ad eorum Regem Sehon, cum his verbis: *Non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas ex puteis; via regia gradiemur: donec transeamus terminos tuos.* Num. 21. num. 22. Cur tam cautè se ituros pollicentur, vt etiam minimam hostilis terræ partem euitent?

Virg.

——— *Et cunctis vndique, auràmque patentem.*

Origen.

Qui Deo aggregatur, à Dæmone segregatur.

Vt loquitur Poeta 7. Æneid. Optimè Orig. hom. 12. in Num. ad mores: *Quia vnusquisque*, inquit, *fidelium, cùm primùm venit ad aquas Baptismi, cùm signacula fidei prima suscepit, & ad fontem Saluatoris accessit: renunciat Diabolo, pompis, operibus, seruitiis & voluptatibus eius; nec vltrà disciplinæ diabolicæ poculum sumet: habet enim suos fontes: bibit de fontibus Israel, bibit de fontibus Saluatoris: non bibit aquam de lacu Sehon; nec relinquens fontem aquæ viuæ, congregat sibi lacus confractos.* Quis A ergo adeò insaniat, vt hauriens suauissimos latices, & iucundissimum nectar de fontibus Saluatoris, velit adhuc turbulentissimas aquas, & tetertimum venenum de cisternis dissipatis, & cœnosis lacubus mundanæ voluptatis epotare? Certè non Dauid, qui dicebat: *Quid mihi est in cælo? & a te quid volui super terram?* Psal. 72. n. 15. seu, vt ex Hebræo legi potest: *Tecum non volui socium super terram.* Quasi diceret: Tibi vni sic adhæreo, vt omnem alium à te socium, non profanum modò, sed etiam humanum, penitùs excludam.

Dei amor socium non admittit.

XIX.

Monstrum Christo seruire, & Antichristo.

D. Bernard.

Monstrosus igitur homo est, qui duobus dominis famulatur; qui voluptati operam dat, & sanctitati; qui Christum sibi induit, & Antichristum. Vnde Diuus Bernardus, qui propter exi- B miam mentis suæ humilitatem existimabat, se nondum res humanas in totum abdicasse, nec in diuinum obsequium se totum impendisse; ita de se ipso querebatur, epist. 249. *Clamat*, inquit, *ad vos mea monstrosa vita, mea ærumnosa conscientia. Ego enim quædam chimæra mei seculi, nec Clericum gero, nec laicum. Nam Monachi iam dudum exui conuersationem, non habitum.* Vereor, ne huiusmodi criminatio veriùs in hoc seculum impingatur, in quo tot chimæræ nutriuntur, quot sunt homines, qui Arcam pariter ac Dagonem amplectantur, Deo simul ac Diabolo famulentur.

C

ANNOTATIO XVII.

CIRCA LITERAM.

Arca triumphus de Dagone illustratur.

I.

Proponitur Christi de Diabolo triumphus.

PVgna Arcæ cum Dagone explicata est in Litera, & in præcedenti Annotatione illustrata. Sequitur, vt eiusdem Arcæ de Dagone victoria illustretur. Quod fieri meliùs non potest, quàm, si sub hoc typo gloriosus Christi Domini de Diabolo triumphus proponatur. Vt enim Arca de Dagone, ita Christus Dominus de Diabolo triumphauit. Immò & sub Christo D duce Christiani milites passim triumphant. Ducis triumphum in vna Sectione, militum in altera illustrabo.

SECTIO I.

Arca de Dagone, hoc est, Christi Domini de Diabolo triumphus.

II.

Christus Dominus de Diabolo in Dagone triumphauit.

Christus in Arca fœderis adumbratus.

D. Greg.
D. Cyril. Alex.
D. Hilar.
Hesych.
Rabban.
D. Thom.
Tert.

DAgon coram Arca deiectus, & ligatus, & contritus, vt iam in Litera explicauimus; significat Diabolum coram Christo Domino de sua gloria præcipitatum, & suis viribus destito- E tum, & magnis cladibus affectum. Nam Diabolus in Dagone non solùm figurabatur, sed etiam claudebatur. At verò Christum Dominum in Arca fœderis adumbratum, D. Greg. hom. 22. in Ezech. Diuus Cyrillus Alexand. lib. 4. in Ioan. cap. 27. D. Hilar. in Psal. 131. num. 8. Hesychius in cap. 16. Leuit. Rabbanus in cap. 10. Num. D. Thom. 1. 2. q. 102. artic. 4. ad 6. & passim alij testantur. Vnde Tertull. lib. 4. carminum contra Marc. cap. 7. ita canit:

Arca sub exemplo corpus venerabile Christi
Ostendit, &c.

Quare

Quare Arcæ de Dagone victoria, Christi de Diabolo triumphum non obscurè significat: vt D. Ephrem serm. de pretiosa margarita ad finem rectè exponit. *Quemadmodum*, inquit, *inter alienigenas Arca ipsum Dagon destruxit, atque subuertituta etiam in Cruce Christus Diabolum profligauit, ac vicit, & blasphemos corripuit, cognitionemque diuina suæ potentia indelebilis, vel inuitis prabuit.* Dæmonem igitur ita superat Christus Dominus, vt propriis insignibus exarmet: toto orbe profugum expellat: magna confusum ignominia deturbet: grauissimis suppliciis afficiat: denique in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento penitùs debellet. Sùngula seorsim, ac breuiter illustrabo.

Supplicia Dæmonis proponuntur.

Diabolus à Christo Domino exarmatus.

III. PRima huius victoriæ gloria in eo fuit, vt suis Diabolus exueretur insignibus, suis armis denudaretur. In cuius rei typum postquàm Dauid cepit vrbem Rabba, *Tulit*, inquit Textus, *diadema Regis eorum de capite eius; & impositum est super caput Dauid.* 2.Reg.12. num. 30. seu, vt habetur 1.Paral.20. num.2. *Tulit coronam Melchon de capite eius, fecitque sibi inde diadema.* Quæstio verò est inter Interpretes, quinam fuerit hic Melchon. D. Hieronymus in c.57. Isai.non procul ab initio, & in Quæstionibus Hebraïcis Paral. Lyra, Carthus. Hugo Cardinal. in locum citatum Regum, Theodor.in cap. 1. Amos, quem sequitur Ribera ibidem, & alij, apud Emmanuelem Sà, contendunt, fuisse deum, seu idolum Ammonitarum, quem illi obseruantiæ causa suom Regem appellabant, vt Septuaginta transtulerunt. Immò & Abul. qui ad locum citatum Regum, huic interpretationi acriter repugnauerat: tamen in locum citatum Paral.minùs acquiescit.

Dauid coronam detraxit Regi Ammonitarum.

S.Hier. Lyra. Carth. Hug. Card. Theod. Riber.

Abul.

IV. Igitur Dauid, expugnata vrbe Rabba, deo, seu potiùs Dæmoni Ammonitarum, coronam eripuit, & sibi imposuit, vt Christum Dominum adumbraret, qui à Diabolo, tanquàm ab iniquo possessore, diuinum coltum in se transtulit: *Exspoliaens*, vt loquitur D. Paulus, *omnem Dæmonum principatum, & potestatem, & virtutem.* 1.Cor.15. nom. 24. Quam victoriam non in tenebris, sed in omnium oculis reportauit, teste eodem Apostolo. Nam *expolians*, inquit, *principatus, & potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso.* Coloss.2. n.15. vt Diabolus, qui anteà toto orbe colebatur, deinceps toto orbe pelleretur. Sed rectè obseruat Caietanus, Dauidem cùm Ammonitarum deum subegit, tunc coronam sibi imposuisse. *Hactenus*, inquit, *non legitur visum fuisse Dauidem diadémate.* Quasi hæc victoria cum reliquis anteactis comparata sic excelleret, vt sola coronam mereretur.

Christus Dominus, Principi Dæmoniorum.

Caiet. Sola de Diabolo victoria coronatur.

V. Quas igitur tibi, Christe sanctè, coronas ac diademata pro meritis deferemus: qui non modò vnum Ammonitarum deum, sed innumeras Dæmonum legiones, principatus, & potestates Mundi, Rectores tenebrarum harum, Ephes.6. num.12. spiritu oris tui, Isai.11.num.4. profligasti? Notat præterea Lyranus, Dauidem non eandem coronam, quam abstulerat ex capite Melchon, suo capiti imposuisse: sed ex ea aliud sibi diadema conflasse; ne auro propter idoli contactum profanato vteretur: optimo ad posteros hominies documento, vt quæcunque ad Dæmonem spectant, procul à se amoliantur. Sic igitur & Christus Dominos, non eundem cultum, qui Diabolo præstabatur, in se transtulit: sed illo

Immortales Christo de Diabolo victoriæ gratias agendæ.

Debent homines ea quæ sunt Dæmonis à se procul amoliri.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

A penitùs destructo, alium sibi debitum instituit.

VI. Neque solùm Christus Dominus diadémate, sed etiam sceptro Diabolum spoliauit; iuxta illud: *Iugum oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian.* Isai. 9. num.4. in quem locum D. Hieronymus Christum Dominum alloquutus: *Tu*, inquit, *Domine atque Saluator, iugum oneris eius*, id est, Diaboli, *qui priùs exultabat in Mundo; qui cunctis Gentibus imperabat; qui grauissimo seruitutis iugo colla omnium deprimebat, & virgam, qua percutiebat vniuersos, & peccata sibi, quasi quoddam tributum, reddere compellebat, detraxisti*, &c. Et sicut Dauid, detracta corona de capite Melchon, statim coronatus est: ita & Christus Dominus, sceptro Diaboli superato, statim sceptro insignitur. Sequitur enim: *Et factus est principatus super humerum eius.* Ibid. n.6. Ac si debita potestas ab iniquo raptore ad legitimum possessorem: *Qui non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Philip.2. n.6. suapte sponte rediisset.

Christus D. sceptrũ Diabolo extorsit.

B

VII. Vbi nota artificiosum Prophetæ transitum ab actiua voce ad passiuam: *Sceptrum*, inquit, *exactoris eius superasti.* Nam Christus Dominus sceptrum Diaboli violenter superauit; sicut illud Diabolus violenter vsurpauerat. Suum verò principatũ ipse sibi nõ fecit; sed, *Factus est principatus super humerũ eius*: quia nõ ipse irrepsit ad honores; sed honores ad illum, tanquàm ad legitimum Dominum redierunt. Christus enim, vt loquitur D. Paulus, *Non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret*: sed qui loquutus est ad eum: *Filius meus es tu*, &c. Hebr.5.n.5. Neque ipse Regem se constituit, sed *constitutus est Rex ab eo super Sion montem sanctum eius.* Psal.2. n.6. Quasi non tam ipse ad honores, quàm honores ad ipsum conuolarent.

Diabolus honores violenter arripit, qui ad Christum vt ad Dominum redeunt.

C

VIII. Sed, vt redeam ad institutum, Christus Dominus non solùm superauit Diaboli sceptra, sed etiam commutauit in tela, quæ in eius caput infregit. Vnde est illud: *Maledixisti sceptris eius.* Abac. 3. n.14. Vatablus vertit: *Perforasti baculis suis caput eius.* Et rem explicans, subdit: *Peremisti*, inquit, *perinde, atque si propriis telis perforasses caput eius.* Quasi Diabolus suis sceptris, tanquàm iaculis confossus, coram Christo Domino sterneretur. Sed quid singula arma Dæmonis commemoro, cùm omnibus omninò à Christo Domino denudetur? Quod præuidens Dauid: *Inimici*, inquit, *defecerunt framea in finem, & ciuitates eorum destruxisti.* Psal.9. n.7. Vbi dicuntur frameæ, hoc est, arma Dæmonis, qui per antonomasiam inimicus appellatur, eiúsque omnia præsidia, quæ in hoc mundo habebat, in finem, hoc est, in perpetuum defecisse.

Sceptrũ Dæmonis est telum, ipsius caput fractura.

D

Diabolus omnibus à Christo D. spoliatur.

IX. Cuius interpretationis auctorem alium non requiro, quàm ipsum Diabolum, qui quamuis pater mendaciorum sit, tamen ad hanc vnam veritatem prædicandam coactus est. Is enim apparens D. Antonio Archimandritæ, vt refert D. Athan. in eius vita, multásque apud eum in querimonias effusus, quòd victus, exarmatus, totóque orbe expulsos, multis maledictis à Christianis proscinderetur. *Nam ego*, inquit, *miserabilis factus sum. Rogo: nonne legisti, quia defecerunt inimici framea in finem, & ciuitates eorum destruxisti. En nullum iam habeo locum; nullam possideo ciuitatem; iam mihi nulla sunt arma: per omnes ciuitates, cũctásque prouincias Christi personat nomen: solitudines quoque Monachorum stipantur choris: ipsi se, quæso, tueantur, & me sine causa non lacerent.* Hæc Diabolus apud Athanasium: vbi licèt more suo falsa veris commisceat; tamen suas miserias verus nuntius confitetur.

Diabolus Scripturam contra se interpretatur.

E

Diabolus suas palàm miserias lamentatur.

Diabolus toto Orbe pulsus.

X. *E terra fugatur Diabolus.* EN Diabolus à Christo Domino exarmatus. Sed iam idem toto orbe pulsus, & quoddam veluti in exilium proscriptus ostendatur. Quod, quæso, elementum est, a quo Diabolus non exulet, non peregrinetur? Terram sibi Diabolus, tanquam propriam sedem occupauerat: *Circuiui,* inquit, *terram, & perambulaui eam.* Iob. 1. n. 7. Quasi terram circumeundo & perambulando, tanquàm solenni iuris celebritate, eius possessionem vsurparet. Sed inde à Christo Domino pulsus & fugatus est: dum eius omnia præsidia expugnata corruerunt. Vnde Salomon: *Ciuitatẽ,* inquit, *fortium ascendit sapiẽs, destruxitque locũ fiduciæ eius.* Prou. 21. n. 22. in quem locum Salonius tom. 1. Bibliothecæ secundæ editionis. *Ciuitatem,* inquit, *appellat Mundũ: fortes, Dæmones. Mundus ipse quondam ciuitas fortium erat: quia idolorum cultui deditus Dæmonibus seruiebat, & fiduciã vitæ habebat in cultu eorum, qui non sunt Dij, sed opera manuum hominum. Quis est ergo ille sapiens, qui hanc ciuitatem fortium ascendit? Ille Filius Virginis, Dei virtus, & Dei sapientia, qui tunc ciuitatem hanc ascendit, quando natus in carne visibilis Mundo apparuit. Ipse nimirum destruxit robur fiduciæ eius; quia subuertit & abstulit de Mundo cultũ Deorũ, in quibus confidebãt Gentiles.*

Salonius.

XI. *Diabolus tanquã mons solo æquatur.* Itaque nullum fuit in tota terra tam munitum Diaboli præsidium, quod Christus Dominus solo non æquarit. Vnde ille Angelus Diabolum cum probro alloquutus: *Quis tu,* inquit, *mons magne coram Zorobabele? In planum.* Zach. 4. n. 7. Vbi D. Cyrillus Alexandrinus Diabolum Christo Domino resistentem ab Angelo obiurgari interpretatur. Quasi diceret: Quæ tua est fortitudo, ô Satan, si cum fortitudine Christi Domini comparetur? Quamuis tibi mons Olympo altior videaris; tamen coram Christo Domino vallis inferno depressior efficieris. Hanc ob causam Isaias Christi Domini aduentum tanto studio implorabat, dicens: *Vtinam dirumperes cælos, & descenderes: à facie tua montes defluerent.* Isai. 64. n. 1. In quem locum D. Hieronym. *Montes,* inquit, *qui ad aduentum Domini, (de quo scriptum est, Deus ignis consumens est.* Deut. 4. n. 28.) *instar ceræ consumentur, & liquefient, aduersariæ potestates sunt, & omnes, qui se erigunt, aduersus scientiam Dei.* Vbi vides Diaboli potestatem, qui tanquàm mons firmiter radicatus immobilis videbatur; ad præsentiam Christi Domini, tanquàm ceram ad præsentiam ignis extabuisse.

D. Hier.

XII. Filiis Israël de seruitute Ægyptiaca egressis, non solùm Deus aperuit mare, vt sicco vestigio transirent; sed etiam substrauit montes, vt facili & plana via graderentur. Vnde est illud desumptum ex libro bellorũ Domini: *Sicut fecit in mari rubro, sic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt, vt requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum.* Num. 21. n. 14. & 15. Ad quem locum dicunt Hebræi apud Lyram, Israëlitas in solitudine vagantes, incidisse partim in torrentem Arnon, magno aquarum auctu intumescentem, partim in præaltos scopulos ad illius gurgitis ripam circunfusos: sub quorum cauernis multi Hebræorum hostes in insidiis latitarent, vt Hebræos illac transituros iaculis configerent. Et cũ vtrinque via clauderetur, diuino miraculo effectum, vt scopuli corruerent, & compressis hostibus qui latebant, in torrẽtem se deuoluerint: donec Israëlitæ libera & adæquata via commearent. Si igitur ad præsentiam Moysis, & Arcæ Fœderis in illo exercitu præeuntis, scopuli Arnon labefacti corruerunt: quid mirum, si conterantur *montes seculi, & incuruentur colles Mundi ab itineribus æternitatis eius?* Abac. 3. n. 6. Hoc est, si ad præsentiã Æterni Verbi cum hominibus cõuersantis, omnes tartareæ potestates funditùs substernãtur?

Tartareæ potestates, vt scopulis prosternuntur.

XIII. *Pharao superbia Diabolicæ exemplar submergitur.* *Angelus,* inquit Ioannes, *tuba cecinit, & mõs magnus igne ardens missus est in mare.* Apoc. 8. n. 8. *Hic mons,* inquit ibi Rupertus, *est Pharao exẽplar superbiæ diabolicæ.* Nam, sicut Pharao, orante Moyse, deiectus est in mare rubrum: ita Christo Domino magni consilij Angelo in Mundo prædicante, cecidit ex suo imperio Diabolus, in abyssum miseriarum deturbatus. Tanta verò celeritate ruit ac cessit, vt quamuis sua mole, seu potiùs sua malitia mons magnus esset; tamẽ sua velocitate lubricus quidam ac volubilis serpens fieret, & per antonomasiam fugitiuus diceretur; iuxta illud: *Visitabit Dominus super Leuiathan serpentem vectem.* Isai. 27. n. 1. seu, vt habent Septuaginta: *Super Leuiathan serpentem fugientem.* Nam ille serpens, qui primum Adamum victor inuasit; à secundo facilè victus, tanquàm timidus serpens effugatur. Vnde Tert. lib. ad Martyres, c. 1. de Diabolo in cõspectu Martyrum loquutus, *Fugiat,* inquit, *conspectum vestrum, & in ima sua delitescat, contractus & torpens, tanquàm coluber excantatus aut effumigatus.* Nam sicut serpens, admoto igne, exilit, furit ac fugit: ita dum Christus Dominus *Ignem venit mittere in terram,* Luc. 12. n. 49. Diabolus trepidat, & fugam serpente velocior capescit.

Rupert.

Diabolus fugitiuus.

Tert.

XIV. *A mari Diabolus expellitur.* Quid verò mare? De hoc etiam Diabolus exturbatur. Viderat quidẽ Diabolus Christum Dominum à mari, tãquàm verum Principem recognosci, iuxta illud: *Venti & mare obediunt ei.* Matth. 8. n. 27. Quid ergo? Furens inuidia, & in blasphemias erumpens, illud poëticum infrenduit.

Non illi imperium pelagi, sæuumque tridentis,
Sed mihi sorte datum.

Vnde in Paulum eam tempestatem excitauit, qua nescio, an maior sacris in Literis habeatur. Act. 27. à n. 14. sed frustra: quia vbi Apostolus Iesu Christi aderat, eiúsque nomen implorabat, Diabolus deficiebat, ipso Apostolo testante. *Et nunc,* inquit, *suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius erit animæ ex vobis.* Ibidem, n. 22. Vnde D. Chrysostom. hom. 53. in Acta: *Vbi pedes,* inquit, *Sanctorum ingrediũtur; nihil erit, quod tristet. Assuesce, vt pauimenta domus tuæ à talibus calcentur pedibus; & non calcabit Dæmon illic. Et valdè meritò. Nam, sicut, vbi fragrantia est, ibi non habet locum graueolentia: ita vbi sanctum est vnguentum, ibi suffocatur Dæmon. Vbi spina, ibi bestia.* Et quidem dum sanctum vnguentum memorat, alludere videtur ad illud oleum effusum sanctissimi nominis Iesu, quod D. Paulus inter procellas sæpiùs implorabat; & quo sæuientes fluctus, & inter eos bacchantes Dæmonas coërcebat. Denique hanc Christi Domini de Diabolo victoriam in mari, in victoria Moysis de Pharaone in mari rubro adũbratam, præuidit regius Vates, ac celebrauit, dicens: *Tu confirmasti in virtute tua mare; contribulasti capita Draconum in aquis.* Psalm. 73. num. 13. In aquis, inquam, non illis tantùm maris rubri ex subiectis coralliis rubescentibus; sed illis sacri Baptismatis ex pretioso Christi Domini sanguine purpurantibus.

Audito Iesu nomine deficit Diabolus.

Nomen Iesu, oleum, in quo Dæmon suffocatur.

In Baptismi aquis Christi sanguine rubentibus, Dæmones strangulãtur.

XV. *Diabolus ab aere eiicitur.* Iam verò aëris possessionem sibi Diabolus vsurpauerat. *Principem potestatis aëris huius,* vocat Apostolus, Ephes. 2. n. 2. Quòd ex aëre, quodam veluti ex propugnaculo sua in terram iacula dirigeret, sua tormenta disploderet, suas denique vires effunderet. Iniquus planè aëris possessor,

quem

quem sui nominis ferali quadam vmbra sic obscurabat. vt totus in tenebras mutaretur: *Rectores*, inquit Apostolus, *tenebrarum harum*. Ephes.6.n. 12. Quid ergo Christus Dominus? Vt iniquum possessorem deturbaret, exaltatur à terra, tollitur in Crucem, moritur in aëre. Sic D. Athan. de Incarnatione Verbi, ante medium: *Dominus*, inquit, *venit, vt Diabolum præcipitaret, aëremque purificaret. Et id quanam alia morte fieri oportebat, nisi ea, quæ in aëre toleraretur? Quare non sine ratione in aëre sublimatus, aërem purgauit ab omni diabolica infestatione.* Et rectè quidem. Nam hinc Diabolus, vt fortis armatus atrium suum in pace custodiebat: sed illinc Christus Dominus fortior illo superueniens, non solùm eum exarmabat, sed etiam de loco suo præcipitem agebat. Hinc rursum pessimus ille Diaboli afflatus totum aërem polluebat: sed illinc suauissimus Christi Domini spiritus totum aërem expiabat.

D. Athan.
Christus morte sua pollutum aërem expiauit.

XVI.
Affixi Christi pedes Diabolum dant in pedes.

Itaque hanc Dæmonis expulsionem præuidens Propheta: *Egredietur*, inquit, *Diabolus ante pedes eius.* Abac.3.n.5. Vbi primùm enim Christus Dominus pedes suos Cruci affigi passus est, statim Diabolus pedes suos in fugam soluit. Immò potiùs alas quodammodo assumpsit, vt fugam celeriùs maturaret; iuxta Hebræū, vbi habetur: *Egredietur volucris*: ita enim Symmachus, Theodotio, & quinta editio transtulerunt. Quasi non modò currere, sed etiam volare fugiendo videretur. Sed adhuc maiorem Diaboli celeritatem expresserunt alij, transferentes: *Egredietur pruna*; seu, *carbo ignitus*; seu, *fulgur ante pedes eius.* Ac si Diabolus non minori celeritate de suo principatu caderet, quàm fulgur è cœlo in terras laberetur. Quò allusit Christus Dominus, dicens: *Videbam Satanam, sicut fulgur de cœlo cadentem.* Luc.10. n.18. Fulgur enim appellat, nō solùm, quia à summo ad imum cecidit, vt vult Beda; sed etiam, quia à magna gloria ad magnam ignominiam velocissimè cecidit, vt Euthymius interpretatur.

Symmach. Theodot.
Velocitas in fuga Dæmonis exprimitur.

XVII.
Ignis proprium Diaboli domicilium.

En Diabolus à tribus Mundi elementis, terra, aqua, aëre, deturbatus. Quodnam ei superest, nisi ignis? In hoc vno commorari permittatur: non exterminetur hinc, vt in æternum crucietur. Illa profectò Regia Regi superbiæ debetur; illic sedeat, illic viuat, *illa se iactet in aula.* Vitulus ille conflatilis, quem Hebræi in deserto adorarunt, de igne egressus est. Exod.31. num.24. sed in ignem iterum regressus. Ibid. n.20. Vipera illa, quæ D. Pauli manum inuasit, de igne exiliit. Act.28. num. 3. sed in ignem statim resiliit. Ibidem, num.5. Non aliter & Diabolus de igne quodammodo emittitur, homines tentaturus: sed in ignem tandem remittetur, in æternum cruciandus. *Discedite à me, maledicti*, inquit Christus Dominus, *in ignem æternum: qui paratus est Diabolo & Angelis eius.* Matth. 25. n.41. Qui à cæteris Mundi sedibus expellitur, ab hoc vno ergastulo non exibit.

Diabolus magna ignominia confusus.

XVIII.
Diaboli superbia confunditur.

Patet ex dictis, Dæmonem exarmatum fuisse à Christo Domino, & effugatum. Addo, & contemptum, atque ignominiosissimè confusum: non enim infortunium tantùm passus est, sed etiam ludibrium. Insultabat olim Sennacherib, seu potiùs sub eius nomine Diabolus omnibus populis, contra quos arma capessebat, dicens: *Inuenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum, & non fuit, qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret.* Isai.10.n.14. Quasi diceret: Totus Mundus meis viribus comparatus, nidus est ex luto fictus: arma-

A ti militēs, si mihi aduersentur, pulli implumes videbuntur: me pugnante ac tonāte, nemo erit, qui resistat & obloquatur. Quid hac Diaboli superbia arrogantius? Sed vide quàm facilè à Deo confundatur. *Propter hoc*, addit Propheta, *mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem, & subtus gloriam eius succensa ardebit quasi combustio ignis.* Ibidem, n.16. seu, vt habent Septuaginta: *Mittet Dominus Sabbaoth in honorem tuum ignominiam, & in gloriā tuam ignem ardentem accendet.* Ac si ille, qui paulò antè alios contemnebat, paulò pòst ab omnibus contemneretur.

XIX.
Dæmon in Pharaone viriliornamento spoliatur.

Quare, qui gloriam ab externis Gentibus petebat, ignominiam in patriam reportauit. Nam, vt est in Litera: *Reuersus est cum ignominia in terram suam.* 2.Paral.32.n.21. Quod ignominiæ genus explicans D. Hier. in Quæstionibus Hebraicis, *Tradunt*, inquit, *Hebræi illi caput, & barbam rasam ab Angelo in ignominiam. Et hoc fuisse, quod per Prophetam Isaiam dictum est: In die illa radet Dominus in nouacula conducta in Rege Assyriorum caput, & barbam vniuersam.* Isai.7.n.20. Igitur Sennacherib maximam ignominiam perpessus est, vt Diabolum adumbraret, maximis opprobriis à Christo Domino illusum. Eandem ob causam dicitur Pharao à Deo percussus & abrasus, iuxta illud: *Percussisti caput de domo impij, denudasti fundamentum eius vsque ad collum.* Abac. 3.n.13. Hoc est: caput, & barbam, vbi est fundamentum virilis dignitatis vsque ad collum abrasisti. Nam, cùm olim
C barbæ & capitis tasura despicatissima haberetur; vt patet, non solùm ex profanis Literis, in quibus turpitudine notatur: *Et sine fronde frutex, & sine crine caput*: sed etiam ex diuinis, iuxta illud: *Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion.* Isai. 3. n. 17. Cùm, inquam, hæc tasura pro maximo contemptu duceretur: meritò per illam extrema Pharaonis ignominia significatur. Pharao verò sic illusus, quid aliud, quàm Diabolum à Christo Domino maximo ludibrio habitum repræsentat?

XX.
Dæmon ab infirmis hominibus, vt balena à minutis piscibus interficitur.

Vnde Dauid: *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Psalm.103. num. 26. Vbi loquitur de Diabolo sub nomine draconis marini, seu Balenæ. Nam, vt hæc insequuta paruos pisciculos fugientes ad littus, in littore adhærescit; vbi impunè
D ab illis interficitur: in quo planè videtur à Deo quodammodo illusa, cùm tam vastam belluam à tantulis pisciculis occidi patiatur. Ita planè & Diabolus à Deo illuditur, dum infirmis hominibus, immò & teneris puerulis traditur occidēdus: vt ex sequēti sect. patebit. Quare sicut olim primi homines à Diabolo victi, præ pudore se abscondetunt, Gen. 3.n.8. ita quidē & Dæmones à Christo Domino superati, præ nimia confusione se in latebras penetrarunt. Quod mihi videtur regius Vates poëtico artificio expressisse: *Posuisti*, inquit, *tenebras, & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli leonū rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo escā sibi. Ortus est Sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Psal.103. num.20.
E Quasi diceret: Antequàm Christus Dominus Sol iustitiæ nasceretur, Diaboli, tanquàm in tenebris impudentes & impuniti grassabantur: vbi verò natus est, omnes illi nimia verecundia suffusi se in suas speluncas ac latibula abdiderunt. Ex Hebræo pro illis verbis, *In cubilibus suis collocabuntur*, legi potest; *In ouilibus suis.* Nam Dæmones, qui ante aduentum Domini videbantur leones; post eius aduentum adeò infirmi & imbecilles facti sunt, vt tanquàm oues in Inferno positi sint, Psal. 48. num.15. nihil virium habentes.

Dæmones victi præ pudore quærunt latebras.

Dæmon infirmus tanquam ouis.

Inde est, quòd licèt vnus Dæmonum Princeps Christum XXI.

Dæmones omnes in vno superati.
D. Chrys.

Christum Dominum tentauerit: tamen reliqui omnes eius satellites victi præ pudore recesserint: vt aduertit D. Chrysostomus ad illa verba: *Principes conuenerunt in vnum.* Psalm. 2. num. 2. *Archidæmon*, inquit, *omnia regna Mundi in puncto temporis coëgit, & cum omnibus visus est, vt cum omnibus euanesceret: & de omnibus contendebat, vt cum omnibus caderet & vinceretur.* Adde etiam & illud Nam quos anteà impudentia garrulos effecerat, & blaternnes: eosdem planè verecundia mutos reddidit, & elingues. Nam Dæmonum oracula, quæ olim frequentissimè dabantur; nato Christo Domino, siluerunt & corruerunt. Qua in re ne immoremur, Eusebius lib. 6. De demonstratione euangelica, cap. 20. & lib. 5. De præparatione, c. 8. D. Epiphanius in vita Ieremiæ, D. Athanasius De Incarnatione Verbi, D. Prosper De prædict. part. 3. cap. 38. & plures alij apud Baronium tom. 1. & anno 1. Christi Domini consulantur.

Oracula Dæmonũ Christi aduentu siluerunt.
Euseb.
D. Epiph.
D. Athan.
D. Prosp.

Diabolus extremis suppliciis affectus.

XXII. QVis ergo neget, Dæmonem à Christo Domino cum ignominia superatum? Sed alia adhuc ei supplicia Christus Dominus inflixit, vt qui pudore minus ducitur, dolore torqueretur. Ferreis in primis vinculis ligatus retinetur. Vnde Raphaël Angelus *apprehendit Dæmonium, & religauit illud in deserto superioris Ægypti.* Tob. 8. num. 7. In deserto quidem, vbi non est hominum habitatio, vt Dæmonium, interprete Lyrano, ab hominum impugnatione arceretur. In deserto autem superioris Ægypti, vt vbi olim magnas hábuit de idololatris victorias, ibidem magnam ignominiam à sanctis Monachis illam regionem incolentibus pateretur. Quemadmodum & Dagon, vbi quondam triumphabat, ibi modò deiectus superatur.

Dæmon in desertum relegatur, & religatur.

A Monachis in eremo superatur.

XXIII. Sed parum fuit, Diabolum religari, nisi etiam in carceres abderetur. Vnde alter Angelus Christi Domini typus, iuxta communem Interpretum consensum, *Apprehendit draconem serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & signauit super illum, vt non seducat amplius Gentes.* Apoc. 20. n. 2. Vbi vides, Diabolum vinculis, claustris & signaculis à seducendis hominibus cohiberi. Et quamuis Dæmones rogarent Christum Dominum: *Ne imperaret illis, vt in abyssum irent.* Luc. 8. n. 31. tamē ingressi in porcos pariter cum illis in abyssum præcipites abierunt. Vnde D. Aug. serm. 197. de tempore, meritò admiratur, posse à cane sic adstricto ac religato hominem morderi: *Videte*, inquit, *Fratres, quàm stultus est homo ille, quem canis in catena positus mordet. Tu te illi per voluptates noli coniungere, & ille ad te non præsumet accedere. Latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet; nec extorquet à nobis consensum, sed petit.*

Dæmon in carcerem conijcitur.

Stultus est, qui à tam ignauo hoste vincitur.

XXIV. Addo, non solùm carceri addictum esse Diabolum, sed etiam patibulo affixum. Nam, Christo Domino suam Crucem subeunte, & Diabolus in Crucem actus est: non vt cum Christo reuiuisceret; sed vt sine Christo in æternum moreretur. De qua re D. Petrus Damianus serm. 1. De exaltatione Crucis, & in ordine 48. *In hac*, inquit, nempe, Cruce, *confessum est latus innoxium; & ad horam crucifixus est innocens manibus, & mundo corde. Terribilis ille latro, cuius manus plena sunt sanguine, in hac item confossus est, & confectus. Sed Christus aliter, aliter ipse. Christus ad momentum, ille in æternum.* Quam rem statim duplici loco confirmat. Vno, ex D. Paulo, qui loquēs de Christo Domino: *Principatus*, inquit, *& potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* 2. Coloss. 2. n. 15. seu, vt ipse legit: *Debellans aëreas potestates, & affixit eas Cruci suæ.* Altero ex Iosuē, qui Regem Haï *suspendit in patibulo.* Ios. 8. n. 29. seu, vt Septuaginta transtulerunt: *Suspendit super lignum geminum*; hoc est, super Crucem, quæ ex duplici ligno constabat. Vnde per illa duo ligna, quæ vidua Sarephtensis colligebat, 3. Reg. 17. n. 12. mysticè figurabatur. Et fortasse Hebræi, vt suprà c. 3. num. 17. iam aduerti, turpissimum Crucis supplicium detestati, Crucis nomine abstinebant, vtique periphrasi, geminum lignum appellabant: ignorantes pulcherrimum Ecclesiæ splendorem ex Crucis ignominia profecturum. De hac igitur Cruce loquutus Petrus Damian. *Ex altera*, inquit, *parte crucifixus est Redemptor noster, ex altera summus ille præuaricator. Rex Hai suspensus est in gemino patibulo: ita Rex mortis in gemino patibulo suspenditur: quia, dum Christum interficit, in ipsa Cruce crucifigitur.*

Dæmon cruci mala suffigitur.
D. Pet. Dam.

Christus Cruci suæ Dæmonem affixit.

Crucis ignominia Ecclesiæ decor.

D. Pet. Dam.

XXV. Eodem loquendi modo vtitur Origenes hom. 8. in Iosuē: *Visibiliter*, inquit, *Filius Dei in carne crucifixus est: inuisibiliter verò in ea Cruce Diabolus cū principatibus & potestatibus affixus est.* Scilicet, vt Christus Dominus ex Cruce intraret in gloriam suam: Diabolus verò in gehennam exularet. Sic & D. Basilius hom. 22. De humilitate: *Diabolus*, inquit, *in eo crucifixus est, quem se crucifixurum, & in eo mortuus, quem morte se extincturum sperauerat.* Accedit D. Leo. ser. 10. De passione: *Claui*, inquit, *Christi perpetuis Diabolum fixêre vulneribus: & sanctorum pœna membrorum, inimicarum fuit interfectio potestatum.* Et sic Patres alij loquuntur. Ex quibus constat, Diabolum à Christo Domino non solùm vinculis ligatum, & carceribus inclusum; sed etiam è patibulo suspensum.

Orig.
Christus & Dæmon cruci affixi dissimili euentu.
D. Basil.
D. Leo.

XXVI. Sed neque hoc pœnatum satis. Vlteriùs sicut Dagon ab Arca multis partibus diffractus & cōminutus est; vt in Litera diximus: sic & Diabolus à Christo Domino multifariam truncatur ac mutilatur. Vnde illud: *Quomodo confractus est & contritus malleus vniuersæ terræ?* Ierem. 50. n. 23. Vbi Propheta Diabolum vocat malleum vniuersæ terræ, hoc est, omnia conterentem; sed tandem à Christo Domino conterendum. Sic exponit, vt alios omittam, Origen. hom. 3. in Ierem. *Christus*, inquit, *confregit malleum in desertō, cùm tentatus Dæmonem prostrauit; contriuit autem penitus in passione.* Quid plura? Quasi parum esset Dæmonem confregisse, & contriuisse; voluit tandem & sepelire. Iob contra Diabolum tam feliciter dimicauit, vt illum non modò obtruncaret, sed etiam humaret, ne deinceps ad pugnam rediret. Quod mihi videtur significasse Tertul. lib. De patientia, c. 14. vbi differens de patientia Iobi, qua omnes Dæmonis tentationes fortiter sustinēdo eludebat: *Quale*, inquit, *in illo viro feretrum Deus Diabolo extruxit?* Quasi Iobus esset Diaboli non solum interfector, sed etiam feretrum, quo ad sepulturam efferretur. Si igitur Iobus Diabolum sepeliuit, quis dubitet à Christo Domino fuisse sepeliendum? Et quidem sepultura Regis Ioachim, de quo Propheta: *Sepultura asini sepelietur putrefactus & proiectus extra portas Ierusalē.* Ier. 22. n. 19.

Dæmon à Christo conteritur & comminuitur.
Origen.
Dæmō etiam sepelitur.
Iusti Diabolis feretrum, quo efferuntur.
Quale sit Dæmonis sepulcrum.

XXVII. Superéstne aliquid supplicij Diabolo infligendum? solùm quidem, vt tandem ad nihilum redigatur. Hoc igitur suppliciū, quo id modo fieri cōgruebat, Dæmoni infligitur, iuxta illud: *Ad nihilū deductus est in conspectu eius malignus.* Ps. 14. n. 4. Qua de re, quæ superiori cap. Num. 8. diximus, con

Dæmon redigitur ad nihilum.

A consulantur. Quid? Si Diabolus nihilo deterius afficiatur, seu grauiorem subeat pœnam, quam si in nihilum redigeretur? Ita planè significat D. Bernardus ser. 72. in Cantica ad illa verba: *Donec adspiret dies, & inclinentur vmbræ.* cap. 4. num. 6. Vbi vmbrarum nomine dæmones intelligit: hi enim, inquit, non annullantur, sed inclinantur; non rediguntur ad nihilum, sed ad miseriam nihilo deteriorem abiiciuntur. *Erunt*, inquit, *minimè quidem extremius nihilo, miserius tamen. Non natura delebitur, sed potentia subtrahetur: non peribit substantia, sed transibit hora & potestas tenebrarum. Tolluntur, ne videant gloriam Dei: non annullantur, vt semper vrantur.*

D. Bern. — *Dæmones si seruantur, ad supplicium seruantur.*

XXVIII. Quid igitur miserius dæmone, in eum statum redacto, vt præstaret in nihilum abiisse, quàm integrum superesse? Hoc ille suum infortunium B præuidens, in præsentia Christi Domini exclamauit: *Quid nobis, & tibi, Iesu Nazarene? Venisti perdere nos.* Marc. 1. num. 24. Quem locum expendens Tertul. lib. 4. contra Marc. cap. 7. *Non dixit*, inquit, *Quid tibi, & nobis: sed, Quid nobis, & tibi? se deplorans, & sortis suæ exprobrans. Quam iam videns adiicit, Venisti perdere nos. Adeò Iudicis, & vltoris Dei Filium nouerat Iesum.* Quid ergo timeat humana infirmitas, cùm suum videat hostem per Christum Dominum tam extremas in miserias immersum? Gratolabundum potiùs audiat Prophetam dicentem: *Celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua; quia non adiiciet vltrà, vt pertranseat in te Belial. Vniuersus interiit.* Nahum. 1. num. 15. C Vltimo tandem loco libet paulisper expendere, hos Christi Domini de Diabolo triumphos, à Christo Domino in sacrosancta Eucharistia præcipuè reportari.

Christus de Dæmonibus vltor. — *Licet deuicto Dæmone exultare.*

Diabolus in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento tandem debellatus.

XXIX. NOn minus olim corruit Dagon coram Arca fœderis contritus & laceratus, quàm nunc Diabolus coram mensa sanctissimæ Eucharistiæ conteratur & laceretur. Hanc Diabolus mensam, suæ potentiæ & nequitiæ debellatricem, timet & perhorrescit. Mensam nobis proposuerat Diabolus Circæis quodammodo poculis refertam; qui- D bus homines capti facilè in bestias verterentur, iuxta illud: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum.* Psal. 68. num. 23. Laqueo namque non nisi stolidæ bestiæ capiuntur. At verò Christus Dominus eucharisticam nobis mensam apposuit, spiritualibus deliciis abundantem, quibus armarentur homines, & Dæmones vincirentur, iuxta illud: *Parasti in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me.* Psal. 22. num. 5. Quas inter se mensas conferens D. Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 4. *Mensam*, inquit, *istam proposuit Deus aduersariam illi, quàm nobis anteà Dæmones proponebant.* Aduersariam vocat: quia ad præsentiam huius mensæ, non solùm fallaces illius voluptates euanescunt, sed etiam Dæmones talium voluptatum artifices E superantur.

Homines in mensa Dæmonum efferantur. — *Mensa eucharistica Dæmoni opponitur, dum apponitur.*

XXX. Victus olim Adonibesec Rex Chananæorum à Iuda, & cæsis manuum, pedúmque summitatibus sub illius mensa catenatus cum gemitu exclamauit: *Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Iud. 1. n. 7. Quid hoc typo clariùs magnificam Christi Domini de Diabolo victoriam illustrabit? Nam olim Diabolus, interprete Lyrano, septuaginta Gentes (totidem enim ex illa confusione linguarum, A quæ accidit in turri Babel, dicuntur pullulasse) hoc est, totum Mundum subiugauit, eásque sine pedibus ad fugiendas tentationes, & sine manibus ad fugandos tentatores, prorsus imbecilles & imbelles, vano quodam voluptatis aucupio sub sua mensa detinebat. Quid ergo Christus Dominus? Mensam proposuit lautiorem; in qua non terrenæ voluptates, sed diuinæ, ex diuino Eucharistiæ ferculo caperentur. Et Diabolum impudentissimum tyrannum, paulò anteà totius orbis domitorem, sub hac mensa tremebundum colligauit: non, vt vllas ex illo conuiuio reliquias degustaret; sed vt aspiciens conuiuas suauissimè epulantes, maiori fame torqueretur. En vt Diabolus coram eucharistica mensa, tanquàm Dagon coram Arca fœde- B ris victus & ligatus teneatur.

Dæmon qui totum orbem subiugauerat, sub mensa eucharistica colligatur.

XXXI. Celebre fuit illud somnium, quod vnus de militibus Madianitarum, cùm in castris essent, contra Israëlitas pugnaturi, somniauit: *Vidi somnium*, inquit, *& videbatur mihi quasi subcinericius panis ex hordeo volui, & in castra Madian descendere: cùmque peruenisset ad tabernaculum, percussit illud, atque subuertit, & terræ funditus coæquauit.* Iud. 7. n. 13. Quis non miretur, vnum panem, mensæ, quàm pugnæ aptiorem, tot strages in castris Madianitarum edere potuisse? Verùm, si locus ad Literam expendatur, sub illo pane Gedeon intelligitur, qui modicis viribus, & exiguis præsidiis præmunitus, postero die Madianitarum castra profligauit. At, si mysterium spectetur, sub illo pane subcinericio C panis eucharisticus sine fermento malitiæ & nequitiæ significatur; qui non Madianitarum, sed Dæmonum castra fugat, dissipat & euertit: orsus ab ipso Regis tabernaculo, hoc est, ab ipso Principe tenebrarum; vt cùm ille victus ceciderit, omnes eius satellites facilè superentur.

Gladius est panis eucharisticus.

XXXII. De hac mensa loquutus Isaias: *Faciet*, inquit, *Dominus exercituum in monte hoc conuiuium pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Isai. 25. n. 6. Sed, cur inter epulas pacificas Deus, tanquam bellator, *Dominus exercituum* appellatur? Planè, quia ex hac mensa contra Diabolum acerrimè confligit. Vnde statim subdit Propheta: *Et præcipitabit Dominus in monte isto faciem vinculi colligati.* Ibidem, num. 7. nempe, Diabolum, qui, quamuis D vinculum quoddam, seu laqueus quidam sit, in quem incauti homines sæpenumerò inducuntur; tamen ad præsentiam Christi Domini in Eucharistia constringitur, & à seducendis hominibus arcetur, ac tandem in profundum barathrum præcipitatur. Nemo igitur dubitet, illam Arcam erga homines iustos esse mensam, omnium spiritualium consolationum epulis refertam: at verò contra improbos Dæmonas esse arcem, omnium iaculorum præsidiis instructam, quibus illi, aut victi, colligatique succumbant; aut tandem fusi, fugatique in æternum chaos detrudantur.

Dominus in Eucharistia bellator. — *Eucharistia iustis mensa deliciis affluens, contra Dæmonas, plena præsidiis arx est.*

XXXIII. Quis non miretur Danielem suauiter epulantem, inter leones diuturna inedia tabescentes? Dan. 14. à num. 30. neque ille esurientes formi- E dabat; neque hi in comedentem irruebant. Danielis quidem constantiam admiratus D. Ambr. lib. 2. Offic. cap. 4. *Daniel*, inquit, *tam sapiens erat, vt inter leones fame exasperatos nulla bestialis sæuitiæ formidine frangeretur: ita alienus à metu, vt posset epulari; nec vereretur, ne ad pastum exemplo sui feras prouocaret.* Leonum verò patientiam admiratus D. Chrys. hom. 57. in Gen. *Danielem*, inquit, *leones, sicut oues circumdabant: & retusa ferocitate, nihil illum incommodabant.* Vnde, quæso, tanta & fortitudo Danieli, & leonibus mansuetudo? Id aliquis fortè tribuet præsenti Angelo, qui Prophetam

D. Ambr. — *Danielis conuiuium, Eucharistiæ typus, cum à leonibus liberauit.* — *D. Chrys.*

Abacuc illuc cum prandio transtulerat. Potuit enim hic & leones, ne irruerent, perterrere, & Danielem, ne deficeret, animare. Sed quorsum alia inquiratur causa, cùm *prandium, quod misit illi Deus*, Ibid. n. 37. eucharistici conuiuij symbolum non obscurum, satis virium habuerit, & ad Danielem confirmandum, & ad leones coercendos? Quod, si panis ille typicus sic valuit; quid eucharisticus? qua suauitate iustorum mentes reficiet? qua potestate malignos spiritus frænabit?

XXXIV. *Christus Dominus in Eucharistia occultus, quasi vi occulta expugnat Orcum.* Nihil aliud Christus Dominus in Eucharistia facere videtur, quàm pacem & concordiam fouere; pugnas verò & seditiones amoliri. Si res tamen, attenta consideratione expendatur; minimè est, quàm efficaciter inde contra Dæmones prælietur. Dum Iosue, æquata in acie contra Amalecitas dimicaret; Moyses in monte tam otiosus desidebat, vt ne manus quidem in sublime erectas sustentaret: sed hoc eius otium tam fuit operosum, vt illi tota victoria tribueretur. *Cumq; leuaret Moyses manus, vincebat Israël.* Exod. 17. num. 11. Quod D. Amb. lib. 3 Offic. c. 1. expendens: *Moyses*, inquit, *cùm otiosus staret, præliabatur. Nec solùm præliabatur; sed etiam de hostibus, quos non contigerat, triumphabat. Adeò otiosus, vt manus eius alij sustinerent; nec minus, quàm cæteri, negotiosus; qui otiosis manibus expugnabat hostem, quem non poterat vincere, qui dimicabat.* Nō aliter & Christus Dominus, qui minus sub speciebus eucharisticis inclusus nihil minùs quàm pugnas agere videatur: nihilominùs inde sine dubio Dæmones expugnat, non quidem aperta vi, sed occulta quadam potestate. Vnde illud: *Manus solij Domini contra Amalec.* Exod. 17. num. 16 seu, vt Septuaginta transtulerunt: *In manu occulta pugnat Dominus contra Amalec.* Quamuis enim pugna non appareat, victoria tamen proculdubiò sentitur.

D. Ambr.

XXXV. Ad Israëlitas olim Deus: *Comedetis*, inquit, *panem vestrum in saturitate.* Leu. 26. num. 5. Hoc est, interprete Lyrano, *Panem Eucharistiæ, qui dat hic plenitudinem gratiæ, & postea satietatem gloriæ.* Sed ex hac mensa quinam effectus consequuntur? Sequitur in Litera: *Auferam malas bestias, & gladius non transibit terminos tuos.* Ibid. num. 6. vbi Lyra ad rem præsentem commentatus, *Auferam*, inquit, *Dæmonum furias, quorum per Christum restricta est potestas. Et gladium non transibit terminos vestros: id est, Dæmonum virtus non prævalebit super vos.* Ac si Dæmones suis gladiis exarmentur, quoties homines Eucharistiæ Sacramento muniuntur. De hac victoria clarum est illud Isaiæ oraculum: *In tympanis*, inquit, *& cytharis, & in bellis præcipuis expugnabit eos.* Isai. 30. n. 32. *Eos*, inquit D. Cyrillus Alexandrinus, hoc est, *multitudinem immundorum spirituum.* Sed quid, *In tympanis, & cytharis?* Credo in precibus & laudibus, quæ Deo musicis instrumentis canebantur; & quibus sæpè Dæmonia de obsessis corporibus expellebantur. Quid tandem illud, *In bellis præcipuis*? Ex Hebræo legi potest: *In sacrificiis expugnabit eos*: vt ibi Foterius aduertit, & de sacrificio Eucharistiæ interpretatur: ad cuius præsentiam Dæmones, vel effugantur, vel coërcentur, vel penitus penitùs constringuntur.

Per Eucharistiam Dæmonum potestas coërcetur.

D. Cyril. Alex. *Sacrificium eucharisticū Dæmones debellat.*

XXXVI. *Ad Eucharistiam mentis munditiés requiritur.* De Bethulia egreditur Iudith ad Holofernem iugulandum. Sed, quæ arma secum defert? Nulla profectò, præter mundum muliebrem, & cibum legalem. Mundum quidem muliebrem: nam, *Imposuit mitram super caput suum, & induit se indumentis iucunditatis suæ*, &c. Iudith 10. num. 3. Cibum verò legalem: quia assumpsit *panem & caseum*, &c. Ibidem, num. 5. At, quis non videt, quàm sint hæc instrumenta ab instituto aliena?

A Nam ad certamen capessendum non tam ornamenta, quàm munimenta corporis; nec tam fercula, quàm arma requiruntur. Sed literali ratione interim omissa, si mysterium attendatur, opportuna admodum præsidia comparauit. Nam ad Holofernem, hoc est, Dæmonem iugulandum, requiritur in primis cultus, non tam corporis, quàm mentis, hoc est, omnium virtutum apparatus. Requiritur deinde cibus, non quidem ille legalis, sed hic sacramentalis. His enim præsidiis Christi milites armati, malignos spiritus facilè effugiunt, vel potiùs effugant, atque ignominiosum in exilium compingunt.

Panis eucharisticus gladius ad hostē iugulandum.

B Vnde olim iis, qui immundis spiritibus torquebantur, sacra Eucharistia communicari consueuit: quam Dæmones reuerentes, ab obsessis corporibus quàm ocyssimè recedebant. Quod Serenus Abbas apud Cassianum Collat. 7. c. 30. testatur, vbi loquutus de energumenis seu arreptitiis, *Communionem*, inquit, *eis sacrosanctam a senioribus nostris nunquam meminimus interdictam. Quinimmò, si possibile esset, etiam quotidie eis impartiri eam debere censebant.* Et paulò pòst: *Quæ ab homine percepta, eam, qui in membris eius insidet, spiritum; seu in ipsis latitare cognoscitur, velut quodam exurens fugat incendium.* Quod Abbatis Andronici, pluriumque aliorum experimentis confirmat: à quibus percepta Eucharistia, malignos spiritus, quibus agitabantur, protinus expulit & effugauit. Denique quàm trepident, fugiant & euanescant Dæmones

XXXVII. *Qui olim à Dæmonibus torquebantur communicabant in remedium.*

C ex præsentia sacrosanctæ Eucharistiæ, ex multis patet historiis, quas superiori cap. Num. 3. ad hunc locum reieci. In quibus tamen referendis ne immoremur: vnus pro omnibus Delrius noster lib. 6. Magiæ, c. 2. Sect. 3. in 2. contra Maleficia remedio consulatur.

Eucharistia fugat Dæmones.

SECTIO II.

De Diabolo non solùm Christum Dominum, sed etiam Christianos triumphare.

I. *Virgo B. Dæmonem, vt draconē suppedaneum conterit.*

D IN primis Beatam Virginem de Diabolo victricem, triumphatricémque esse, non est, quòd dubitetur: cùm illa sit, de qua dictum ad serpentem: *Ipsa conteret caput tuum.* Genes. 3. n. 15. In quem locum D. Bernard. homil. 2. super *Missus est*, qualis fuerit hæc contritio rectè exponit: *Ipsa*, inquit, *caput contriuit venenatum, quæ omnimodam maligni serpentis suggestionem, tam de carnis illecebra, quàm de mentis superbia deduxit ad nihilum.* Vnde meritò dicitur Beata Virgo, *Terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Cant. 6. num. 9. Nam, vt refert D. Bonau. in Specul. Beatæ Virginis, Lect. 2. ex Diuo Bernardo: *Non sic*, inquit, *timent hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum, patrocinium, exemplum: fluunt, & pereunt, sicut cera à facie ignis, vbicunque inueniunt*

D. Bern.

Virgo B. veluti instar exercitus.

E *crebram huius nominis recordationem, deuotam inuocationem, sollicitam imitationem.* Quare non immeritò comparatur Beata Virgo cum illa muliere forti, quam Salomon tardò inueniendam prædixit, Prou. 31. num. 10. *Quæ accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachium suum.* Ibidem, num. 17. ad vires Dæmonum penitùs eneruandas. Nam, vt bene D. Bernardin. serm. 51. art. 3. cap. 2. *Sicut*, inquit, *magnus ignis effugat muscas: sic ab ardentissima Virginis mente, & inflammatissima charitate effugabantur Dæmones, & pellebantur, in tantum, quòd solùm in modico non erant ausi respicere mentem eius,*

Virgo B. fortis illa mulier Salomonis.

D. Bernard.

nec

Quàm terribilis fit B. Virgo aereis potestatibus.
Richard. Victorin.

nec de magno spatio illi propinquare. Nec mirum, cùm Princeps tenebrarum, qui odit lucem, MARIAM quoque effugiat, quæ interpretatur *Illuminatrix.* Vnde Richard. Victorin.c.26.Comment. in Cantica: *Virgo*, inquit, *tenebrarum Principibus terribilis fuit, vt ad eam accedere eamq́; tentare non præsumpserint. Deterrebat enim eos flamma charitatis, incendebant orationes, & feruor deuotionis; stupebant immunem à peccatis,* &c.

II.
B. Virgini deuotos Diabolus perhorrescit.

Neque solam Beatam Virginem, sed etiam deuotos illius cultores Diabolus perhorrescit. In cuius rei typum, postquàm Iudith Holofernem, eiúsque exercitum profligauit, statim subditur in Litera: *In omni autem spatio vitæ eius, non fuit, qui perturbaret Israël, & post mortem eius annis multis.* Iudith 16. num. 30. Ac si hostes non solùm eam viraginem, à qua victi fuerant; sed etiam eam imbellem plebeculam, quæ sub illius patrocinio tenebatur, formidarent. Non aliter & Diabolus non solum Beatam Virginem, sed quoscunque illa suo patrocinio defendit, pertimescit. Eiusdem rei typus mihi videtur præcessisse in prophetia Balaami: *Orietur*, inquit, *stella ex Iacob, & consurget virga Israel, & percutiet duces Moab.* Et paulò pòst additur: *Israel verò fortiter aget.* Numer. 24 n. 17. & 18. Vbi post victoriam, quam Beata Virgo stellæ nomine significata de ducibus Moab, id est, de Principibus Dæmonum reportabit; dicitur Israël fortiter acturus: hoc est, populus Christianus sanctissimæ Virginis patrocinio munitus, tartareas potestates incredibili terrore percussurus. Ac si ita futurum prænuntiaret, vt ex patrocinante Virgine boni milites capiant animos ad Dæmones perterrendos ac profligandos. Quod ipsa Beata Virgo aliquando sanctæ Brigittæ reuelauit, lib. 1. Reuelationum, cap. 9. & Dionysius Carth. lib. 3. De laudibus Virginis, art 30. testatur: *Nullus*, inquit, *in vita hac est tam frigidus ab amore diuino; quin, si inuocaueris nomen meum, cum integro proposito pœnitendi; statim Diabolus ab ipso recedat.*

B. Virgo Christianis vires addit in bello.
Dion. Carth.

III.
B. Virgo Arca fœderis.

Igitur coram Beata Virgine, quæ est Arca fœderis, vt suprà Annot. 11. iam ostendimus, victus, exanimatúsque Dagon, hoc est, Diabolus procumbit. Ex quibus tandem patet, non sic olim triumphasse Reginam Esther de Aman, dum effecit, vt è patibulo suspenderetur. Esther 7. num. 10. Nec strenuissimam viraginem Iudith de Holoferne, quem proprio gladio iugulauit. Iudith 12. num. 10. Nec optimam fœminam Iahel de Sisara, quem terebrato vtroque tempore in terra defixit. Iud. 4. num. 21. Nec fœminam Thebitem de Rege Abimelech, quæ fragmen molæ de muro iaculata, Regis capiti illisit. Iud. 9. num. 53. Nec denique sapientem illam fœminam in Abela de Seba filio Bochri viro Belial, & perduellionis reo contra suum Regem Dauidem tumultuante; cuius capite amputato suam vrbem ex illius ingressu maximè periclitantem liberauit. 2. Reg. 20. num. 22. Non sic, inquam, victrices illas fœminas de suis nefariis hostibus triumphasse, vt Beatissima Virgo de Diabolo, cuius caput contriuit, & fraudes elusit, & vires confregit, gloriosissimè triumphauit.

B. Virgo fœminis veteris Testamenti gloriosiùs triumphauit.

IV.
Dæmon à Christo victus cedit Christianis.

Venio ad reliquos Christianos, præsertim iustos, qui etiam in Arca fœderis, interprete Ribera, lib. 2. De templo, c. 3. exprimuntur. Igitur & Christiani de Diabolo victores euadunt: seu iacentem coram se Diabolum conculcant. Quærunt Euangeliorum Interpretes, cur permiserit Christus Dominus se à Diabolo tentari? Et omissis aliis rationibus, quas plurimas accumulant, respondet D. Pet. Chrysol. ser. 11. ad rem præsentem: *Christus*, inquit, *Diabolo se quærenti patienter indulsit, vt à Christo victus, cederet Christianis.* Sic & D. Hieron. in epist. 8. ad Demetriadem, de seruanda virginitate: *Saluator*, inquit, *generis humani assumitur ab Spiritu, vt pugnet contra Diabolum: & oppressum atque contritum tradat discipulis conculcandum.* Vnde Paulus Rom. 16. num. 20. *Deus autem pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter.* Hæc Hieronymus.

D. Petr. Chrysol.
D. Hieron.

V.
Diabolus iustorum malleus à Christo Domino confractus.

Hinc solutionem habet illa quæstio, seu interrogatio prophetica: *Quomodo confractus & contritus est malleus vniuersæ terræ?* Ier. 50. num. 23. Hic malleus omnia conterens Diabolus est: vt rectè interpretatur D. Bern. ser. De transitu Malachiæ: *Diabolus*, inquit, *tanquàm malleus cælestis opificis factus est, malleus vniuersæ terræ: terit electos ad eorum vtilitatem; reprobos conterit in eorum damnationem.* Hunc igitur malleum omnia conterentem prædicit Propheta, ab omnibus conterendum, primùm quidem à Christo, deinde etiam à Christianis: vt Origenes homil. 3. in Ierem. superiori Sect. iam citatus exponit: *Christus*, inquit, *confregit malleum in deserto, contriuit in passione. Similitérque confringitur à nobis, cùm venimus ad Ecclesiam per fidem; conteritur autem, cùm per opera proficimus.*

Orig.

VI.
Tyranni non minùs quàm Dæmones Christi nomē reformidant.

Vnde Diabolus, vel ipsum Christiani nomen maximè pertimescit. Decreuit olim publica lege ille impius Imperator Iulianus, ne deinceps Christi Domini cultores, Christiani, sed Galilæi vocarentur. Pessimam Imperatoris mentem optimè interpretatus est D. Greg. Naz. Orat. 3. num. 73. *Ex quo*, inquit, *perspicuè ostendit, Christi appellationem perhonorificam esse, maximique ad gloriam momenti; quoniam eam nobis eripere cogitauit. Nisi fortasse hoc ea ratione fecit; quòd huiusce nominis vim & potestatem instar Dæmonum reformidaret: ac proinde ad alterum nomen, minùs notum & vulgare, transferrie.* Vbi in primis ostendit, Iulianum Diabolo quàm simillimum; qui non minùs Christi, & Christianorum nomine, quàm Diabolus terreatur. Deinde ostendit, quàm sit nobis gloriosa, ac Dæmonibus formidolosa Christiani appellatio. Nolunt enim Dæmones audiri in Orbe terrarum Christianos; quia timent, ne per hos & ipsi penitùs conterantur.

D. Greg. Naz.

VII.
Damō Christi nomen maximè veretur.

Et fortasse ea causa est, cur Diabolus Christum Dominum sæpiùs in Euangelio alloquutus, Matth. 8. num. 29. Marc. 1. num. 24. Luc. 4 num. 34. tamen nunquàm eum Christi nomine appellarit. Cur, quæso, ô Satan, abstines à Christi nomine, Christum alloquutus; præsertim, cùm augustissimum Iesu nomen inclamare non verearis? Credo, quia quodammodo præuidebat, frequentiùs Christianos à Christo, quàm Iesuitas à Iesu dicendos esse: & propterea in odium Christianorum, à quibus se vincendum cum pudore non dubitabat; hoc nomen detestabatur. Ac si multò iniquiùs à Christianis, quam à Iesu vinci pateretur. Vbi obiter aduerte, in magnam Christianorum confusionem, Dæmones etiam nunc Christi nomen exhorrescere, quod Christiani sæpenumerò contemnunt. Sic enim D. Greg Nazianz. Orat. 1. num. 144. rectè obseruauit: *Dæmones quidem*, inquit, *etiam nunc, vocato Christo, contremiscunt. Nos verò rem, nomenq́; adeò venerandam contumelia afficere non veremur.*

D. Greg. Naz.
Qui Christi nomen contemnunt Dæmonibus peiores.

VIII.
Dæmon cum vigilantibus non congreditur.

Sed iam, quanta sit Diaboli coram iustis hominibus infirmitas, ostendamus. Tanta profectò est, vt vigilantes inuadere non audeat, sed dormientes. In parabola zizaniorum Christus Dominus, *Cùm dormirent*, inquit, *homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici.* Matth. 13. num.

13. num. 25. Cur potiùs in somno venit, quàm in vigilia? Rectè D. Petrus Chrysologus serm. 97. *Insidiator*, inquit, *vigilantes fugit, appetit dormientes. Maxima infirmitatis indicium est, dormientibus irruisse.* Sæpè in Scriptura piscium nomina Diabolo, eiusque sequacibus tribuuntur. Aliquando enim dicitur cetus: *Occidet cetum, qui in mari est.* Isai. 27. num. 1. Aliquando, Leuiathan, hoc est, balena, seu marinum monstrum: *An extrahere poteris Leuiathan hamo?* Iob. 40. num. 20. Aliquando, draco fluuialis: *Ecce ego ad te, draco magne, qui cubas in medio fluminum suorum.* Ezech. 29. num. 3. Aliquando, draco marinus. Dauid enim de mari cum Deo loquutus: *Tu*, inquit, *contribulasti capita draconum in aquis.* Psal. 73. num. 13. Aliquando denique piscis. Vnde illud suprà in Litera Num. 3. *Ecce Dagon iacebat*: seu, vt legit Vatablus: *Ecce pisciculus.*

D. Petr. Chrys.

Dæmon multis maris belluis comparatur.

IX.
Diabolus vt piscis nunquã cicuratur.

At, cur è mari petuntur nomina, Diabolo imponenda? Dicet aliquis: Quia Diabolus more piscium nunquàm mansuescit, nunquam cicuratur. Dicet alius: Quia Diabolus post Christi Domini aduentum tanquàm piscis, qui ἄφωνος, Aphonos est, hoc est, vocis expers, penitùs obmutuit, iuxta illam Dauidis imprecationem: *Muta fiant labia dolosa.* Ps. 30. num. 19. vt, qui anteà ex suis fanis blaterando & perstrependo homines decipiebat; tandem merito silentio mulctatus, deceptos à suis erroribus liberaret. Vera sunt hæc, fateor. Sed vlteriùs addo ad rem præsentem, Diabolum piscis nomen inuenisse, vt eius infirmitas notaretur. Nam piscis adeò infirmus est, vt nullas habeat vires extra suum elementum; immò & intra illud, molli quodam arenæ vallo includitur, ne foras euagetur. Vnde à quouis etiam puerulo, qui in littore consistat, facilè irridetur. Nam, si in illum extra mare irruat; sibi potiùs quàm illi interitum machinatur. Meritò igitur Diabolus nomen piscis accipit; quia piscis infirmitatem sortitur: & si hominem irruit occisurus, corruit occisus.

Vt piscis infirmus.

X.
Dæmon perire mauult, quàm non nocere.

Sed vide insanam Diaboli sæuitiam, sæuientémque insaniam, qui etiam eum proprio periculo ambit alienum: vt patet in historia Tobiæ, ad quem deuorandum piscis immanis de Tygri fluuio exiuit. Tobiæ 6. num. 3. Hunc piscem Beda Diaboli symbolum agnoscit, qui tam auidus fuit ad prædam, vt in illam extra proprium elementum magno cum discrimine insilierit. Perire nanque maluit, quàm non sæuire. Quod Dæmonis ingenium D. Hieronymus rectè expendit ad illa verba: *Vestimentum mixtum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis.* Isai. 9. num. 5. vbi de Dæmonis loquutus: *Quibus*, inquit, *si optio detur, magis eligent perire, quam prædam perdere.* Sed hic piscis adhuc infelicior & amentior desæuiit nam & ipse periit, & prædam perdidit. Angelus enim ad Tobiam: *Apprehende*, inquit, *branchiam eius, & trahe eum ad te. Quod cùm fecisset, attraxit eum in siccum, & cœpit palpitare ante pedes eius.* Ibidem, n. 4. vbi patet Diaboli infirmitas. Nam, sicut ille piscis præ furore deuorare cupiens Tobiam, cœpit ante illius pedes cum tremore palpitare: ita & Diabolus, dum captat, capitur; & totus eius tumor in timorem euanescit.

D. Hier.

Cur Diabolo palpitat coram illo.

XI.
Occultæ Dæmonum nudantur insidiæ.

Addit Angelus statim: *Exentera hunc piscem.* Ibid. num. 5. Vt significaret, sicut illius piscis intima præcordia nudabantur: ita occultas Diaboli insidias à sanctis hominibus facilè detegendas. Nec illud omittendum, quòd Angelus, nec apprehendit, nec attraxit, nec exenterauit eum piscem; sed hæc omnia Tobiæ commisit exequenda: in maiorem planè Diaboli ignominiam, qui non solùm à milite veterano ac bellatore; sed etiam à iuuene quodam imbelli ac delicato vincitur ac coërcetur. Vnde Diuus Ioannes hanc de Diabolo victoriam non modò viris, sed etiam adolescentibus & iuuenibus, immò & infantibus gratulatur: *Scribo*, inquit, *vobis adolescentes; quoniam vicistis malignum. Scribo vobis, infantes; quoniam cognouistis patrem. Scribo vobis, iuuenes, quoniam fortes estis, & verbum Dei manet in vobis, & vicistis malignum.* 1. Ioan. 2. num. 13. & 14. Quasi tanta sit Diaboli infirmitas, vt etiam ab infirmis adolescentibus, immò à tenellis infantibus superetur.

A

Dæmon tam infirmus est, vt à iuuene superetur.

XII.
Quanti se iuuenes Deo obtulerunt de Diabolo triũphantes.

Et quidem, si veteres replicemus annales, quàm plurimos in ætatis flore constitutos inueniemus, qui de tartareis legionibus victores ac triumphatores extiterunt. Nam Isaac ex ephebis nondum egressus, Deo se obtulit in holocaustum. Gen. 22. n. 10. Iosephus sedecim annos natus Ægyptiam seruitutem fortiter tolerauit. Gen. 37. n. 2. Dauid natus annos quindecim, cum vrsis & leonibus lusit, quasi cum agnis. Ecclesiastici 47. num. 3. Daniel duodennis seniorum impudentiam fregit & condemnauit. Dan. 13. à num. 46. Iosias octonis cœpit magna cum laude Regnum administrare. 4. Reg. 22. num. 1. Samuel triennis in diuino cultu mirabiliter profecit. 1. Reg. 2. num. 26. Ieremias, antequàm exiret de vulua, sanctificatus est. Ier. 1. num. 5. Ioannes Baptista priùs Deo, quàm Mundo natus, materno adhuc in vtero, exultauit in gaudio. Luc. 1. num. 44. Qui omnes in puerili, vel infantili ætate, Diabolum, siue clàm insidiantem, siue palàm irruentem eluserunt, & conculcarunt. Nec minora se offerent exempla, si currentia inde sæcula repetantur. Nam Paulus Eremitarum Parens quindecim annos natus, in solitudinem se abdidit. Agapitus totidem natus annos, innumeris pro fide cruciatibus occubuit. Prisca tredecim annos implens, vitam martyrio compleuit. Agnes pari in ætate parem in martyrio constantiam exhibuit. Nicolaus adhuc anniculus, multò religiosiùs quàm ille veteranus Pharisæus, ieiunabat bis in sabbato, & quartas & sextas ferias à lacte abstinebat. Thomas adhuc à nutricis vbere suspensus, salutationem Angelicam, *Aue Maria*, præferebat ore, & corde feliciùs conseruabat. Ludouicus Gonzaga, priùs baptizatus, quàm natus, antequàm terrenam domum tangeret, cælestem gratiam recepit; quam ad extremum vsque spiritum nunquàm amisit. Hi omnes in tenera admodum ætate *super aspidem & basiliscum* ambularunt, & conculcarunt *leonem & draconem.* Psalm. 90. num. 13.

B

C

Non solùm iuuenes, sed infantes etiã Dæmonem illuserunt.

D

XIII.
Lactẽtes pueruli Dæmone fortiores.

D. Hier.

Quos prauidens Isaias, *Et delectabitur*, inquit, *infans ab vbere super foramine aspidis, & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet.* Isai. 11. num. 8. In quem locum D. Hieronymus: *Infans*, inquit, *qui malitia paruulus est, mittet manum in foramine aspidis, & de obsessis hominum corporibus fugabit Dæmones. Qui autem ablactatus est, & nequaquàm lacte nutritur infantia, sed iam solido vescitur cibo; iste in reguli cauernam mittet manum, hoc est, in ipsius Satanæ habitaculum, & inde eum extrahet.* Vbi vides etiam infantes, vix ab vberibus expulsos, esse fortiores illo forti armato, qui custodit atrium suum; cùm hic ab illis de domo sua facilè expellatur. Et quamuis D. Hieronymus de spirituali pueritia & infantia loquatur, profectò temporalem non excludit, cum qua illa prior societur.

E

D. Hier.

XIV.
Dæmon vt auis à puellis miris modis ludificatur.

Quid dico pueros? Addo & puellas pueris infirmiores de Diabolo triumphare; iuxta illud: *Nunquid illudes ei, quasi aui? aut ligabis eum ancillis tuis?* Iob 40. num. 24. seu, vt Diuus Ambrosius

lib. 1.

lib. 1. De Pœnit. cap. 13. sine interrogatione legit: *Ludes eum, sicut auem: ligabis eum, sicut passerem: puer*, seu, vt ex Hebræo elici potest, *puella, imponet super eum manum.* Vbi sermo est de Deo Diabolum illudente; seu pueris ac puellis committente, vt ei ab omnibus illudatur. Nam sicut capta auicula, à nemine duriùs & immitiùs tractatur quàm à puero, seu puella, quæ illam per lusus pueriles non solùm manibus comprimit & collidit; sed etiam exoculat & explumat, pungit, vellicat, mutilat ac truncat: ita & Diabolus miris modis ab his pueris ac puellis ludificatur. Adeò enim infirmus est, vt ne teneræ quidem ætati, fragilique sexui præualeat. Testis sit Virgo illa Iustina, à qua cùm Diabolus multis artibus impetrare conaretur aliquem amoris affectum erga Cyprianum Magum, qui illam ardenter deperibat: nihilominùs, inquit Diuus Gregorius Nazianzenus Orat. 18. *A Virgine quidem, non secùs ac bellica quadam machina à firmo & valido muro, repellitur.* Profuit Cypriano ruina Dæmonis, quem colebat coram Virgine, quam amabat: nam à Dæmone victo ab vna Virgine, se tandem contulit ad Deum in Virgine vincentem: Dæmonis detestatus ignauiam, Dei verò per vnam Virginem triumphantis potentiam admiratus.

Iustina Virgo de Diabolo triumphat.

B

XV. Hoc mihi videtur Iudith in suo illo Cantico mysticè prophetasse: *Tunc*, inquit, *vlulauerunt castra Assyriorum, quando apparuerunt humiles mei, arescentes in siti: filij puellarum compunxerunt eos, & sicut pueros fugientes occiderunt eos.* Iudith 16. num. 13. & 14. Vbi Christianorum de Diabolis victoria mysticè decantatur. Illi enim humiles, inopes & aridi, ac præ fragilitate filij puellarum, seu puellæ infirmæ videbantur. Et nihilominùs Dæmonum castra, tanquàm imbellium puerorum profligarunt. Ex qua ruina necesse est, vt vanissimus ille spiritus tumore plenus, incredibili pudore afficiatur. Comprehendit olim Gedeon duos Reges Madianitarum, nimirum, Zebee & Salmana; & cùm eos coram se haberet, pedibus ac manibus colligatos, tradidit gladium in manus filij sui primogeniti adhuc pueri, dicens: *Surge, & interfice eos.* Iudith 8. num. 20. Sed, quid superbi Reges, qui nec victi quidem à pristina arrogantia detumuerant? Dixerunt ad Gedeonem: *Tu surge, & irrue in nos; quia iuxta ætatem robur est hominis.* Ibidem, num. 21. Vbi iuxta Abulensem quæst. 17. postularunt occidi à Gedeone: quia Reges à puero occidi, magnum dedecus arbitrabantur.

Infirmiores etiā de Diabolo victoriā cōsequuntur.

C

Reges à pueris occidi magnū dedecus.

D

XVI. Nec minor ignominia strenui bellatoris, à fœmina imbelli obtruncati. Vnde olim Abimelech Iudex Israëlis oppidum Thebes fortiter oppugnabat. *Et ecce vna mulier*, inquit Textus, *fragmen molæ desuper iaciens illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum eius.* Iudic. 9. num. 53. Quid verò Abimelech, qui animam iam iam exhalaturus, adhuc spiritum superbiæ non euomebat? *Vocauit citò*, addit Textus, *armigerum suum, & ait ad eum: Euagina gladium tuum, & percute me; ne forte dicatur, quòd à fœmina interfectus sum.* Ibidem, n. 54. Vbi Lyra: *Plus*, inquit, *formidauit opprobrium, quàm gehennam.* Si igitur superbi Reges à pueris, puellisque interfici sic erubescunt; quò pudore Dæmones totius arrogantiæ parentes replebuntur, dùm ab iis, qui & ætate & sexu sunt inualidi, superantur?

A fœminis interfici macus.

E

Quantum homines opprobria reformident.

XVII. Sed fremant illi licèt: nunquam bonis Christianis præualebunt. Leones rugiendo potiùs, quàm irruendo bestias terrent, sistunt ac deuorant; iuxta illud Dauidicum: *Catuli leonum rugientes, vt rapiant & quærant à Deo escam sibi.* Psalm. 103. num. 21. Non ita profectò Dæmonis satellites, egregios Christi milites. Vnde Diuus Bernardus in Psalmum, *Qui habitat*, serm. 13. ibi, *Conculcabis leonem & draconem*, Diabolum leonis nomine interpretatus: *Rugire*, inquit, *ille potest; ferire non potest. Rugiat quantùm vult; tantùm non fugiat ouis Christi.* Et statim: *Non simus bestiæ, vt nos prosternat vacuus ille rugitus. Sic enim perhibent, qui talia curiosiùs vestigauerunt; ad rugitum leonis nullam bestiam stare posse, ne eam quidem, quæ aduersus Christum eius tota animositate repugnat: & plerunque superat ferientem, quæ non sustinet rugientem. Verè bestia, verè rationis expers, qui tam pusillanimis est, vt solo timore cedat: qui sola futuri exaggeratione laboris victus, ante conflictum, non telo, sed tuba prosternitur.* Vbi, qui Diabolo cedunt, non solùm infirmitatis, sed etiam stoliditatis conuincit. Infirmitatis, quia à victo vinci patiuntur: stoliditatis, quia à vano quodam fremitu, inanique rugitu consternantur.

Dæmon, vt leo, rugire potest, non ferire.

D. Bern.

Qui cedunt Dæmoni, non infirmi solùm, sed stolidi.

XVIII. Quid facilius ceruo, quàm venenatas feras conculcare? Quas, vt refert Plinius libr. 8. natural. histor. cap. 32. solo spiritu è cauernis extrahit etiam renitentes. Quare Dauid suas de Diabolo victorias Deo gratulatus: *Qui perfecit*, inquit, *pedes meos, tanquam ceruorum.* Psalm. 17. num. 34. Quasi diceret iuxta paraphrasim Theodoreti ad eum locum: *Sicut ceruis natura insitum est, venenatas feras conculcare: sic me Deus superiorem & illustriorem hostibus reddidit.* Intellige, non solùm externis corporis; sed multò magis internis mentis: quales sunt Dæmones, quos Dauid tanta facilitate, quanta ceruus serpentem conculcabat. Animalibus Deo in sacrificium à Patriarcha Abrahamo immolatis, addit Textus: *Descenderunt volucres in cadauera, & abigebat eas Abraham.* Genes. 15. num. 11. Theodoretus, q. 65. Rupert. lib. 3. cap. 21. Procopius, & alij, per has volucres prædatrices, intelligunt Ægyptios, aliósque Hebræorum hostes, quos Abrahamus suis meritis ab Israëlitis consumendis & deuorandis abigebat. Tantùm enim valent vnius iusti merita, vt suam Rempublicam ab impendentibus periculis & cladibus protegant ac tueantur. Sed D. Isidorus, Beda, Lyra, Abulensis & alij, per has volucres, malignos & immundos spiritus intelligunt, quos Abrahamus suis precibus & meritis tam facilè exterrebat & propulsabat; quàm facilè volucres, vel ab vno puero vnius sonitu crepitaculi exterrentur ac propulsantur. Quid igitur Dæmone infirmius, qui more timidæ volucris ad minimum quendam vocis sonitum, vel ad leuissimum baculi ictum, aut etiam nutum expauescit & euanescit?

Ea facilitate, qua à ceruo serpentes, à iusto Dæmones conculcantur.

Theod.

Theod.

Rupert.

Procopius.

Iusti preces quantùm valeant.

Dæmones ea facilitate, qua aues exterrentur.

XIX. Rectè Sapiens: *Quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te.* Ecclesiastici 21. num. 2. In Græco est singulariter: *Fuge peccatum: & si accesseris ad illud, mordebit te.* Quod D. Chrys. homil. 8. in Epist. ad Rom. non solùm de peccato, sed etiam de Diabolo exponit: ab vtroque enim euadimus, si ad neutrum accedamus. Et statim de Diabolo: *Deus*, inquit, *habitare illum voluit, tanquàm latronem quempiam, ac tyrannum, qui nisi quem apprehenderit inermem ac solitarium in suas speluncas descendentem, accedere sanè non sustinet. Nisi nos per desertum iter facientes viderit, appropinquare non audet. Desertus autem Diaboli locus, aliud non est, quàm ipsum peccatum.* Itaque hic serpens mordax est: ita tamen timidus & infirmus, vt nisi accedentem, & se illi inserentem in os, mordere non audeat. Supra pectus suum graditur, Genes. 3. num. 14. & proinde terrenis tantùm deliciis blanditur iis qui se illi socios adiungunt, & pariter cum illo terrenis se affectionibus immergunt:

Idem est peccatum, ac Diabolus.

Dæmon vt serpens timidus accedentes tantùm mordet.

ens

eos autem, qui à terra paulò sublimiores eriguntur, lacessere potest, non impugnare. *Quapropter*, addit Diuus Chrysostomus citato loco ad Rom. *si quem viderit volatu ad cœlum ferri, in primis eum salta contingere non potest. Deinde id aggressus, celeriter concidet: neque enim pedes habet, ac formides: non alas, non terrearis: super terram trahitur, iis, qui in terra sunt, adhærescens. Nihil tibi sit cum terra commune; & labore nullo egebis.*

D. Chrys.

Vt Dæmonem insiti effugiãt, terram fugiant.

XX. Quòd si Diabolus maiori audacia, quàm potentia tentare pergat; facile est, vt solo Iesu Nomine terreatur, & solo Crucis signo propulsetur. Vnde Diuus Chrysostomus citatus: *Si in illum*, inquit, *diuinas incantationes canere noueris, statim vulnerabitur. Sunt enim nobis cantationes spirituales, ipsum Nomen Domini nostri Iesu Christi; tum ipsius Crucis potentia. Huiusmodi incantatio non solùm draconem ab spelæis abigit, atque in ignem conicit; sed etiam vulneribus quoque medetur.* Felicia incantamenta, quæ & munimenti vim obtinent, ne vulneremur; & medicamenti, ne, si vulnerari contingat, pereamus. Et quidem Iesu Nomine terreri Dæmones, Dauid & verbo, & facto prophetauit. Verbo quidem, dum ait: *Sanctum & terribile Nomen eius.* Psalm. 110. num. 10. Facto autem, dum in hoc Nomine Goliam Diaboli typum labefecit. 1. Regum 17. num. 45. Qua de re consule Serarium nostrum libro primo Iosue, cap. 2. quæstione 13. copiosè & eruditè disserentem. Iam verò Crucis signo fugari Dæmones, veteres Prophetæ significabant, dum baculo armati incedebant: vt Cassianus libro primo De habitu Monachi, cap. 9. rectè obseruat: vbi ostendens veteres illos Prophetas, baculum portare solitos, exemplo Helisęi, 4. Reg. 4. num. 29. subdit: *Cuius gestatio spiritualiter monet, nunquam debere eos, inter tot oblatrantes vitiorum canes, & inuisibiles nequitiarum spiritualium bestias, inermes incedere; sed irruentes eas retundere Crucis signaculo, ac longius propulsare.*

D. Chrys. *Serpens Diabolus solo Iesu Nomine incantatur.*

Serar. *Audito Iesu Nomine fugantur Dæmones.*

Cassianus. *Crucis etiam signo vt baculo abiguntur.*

B

C

XXI. Et, quod magis mirere, etiam peccatores Iesu Nomine, & Crucis signo armati, Diabolo sunt terrori. Illud confirmat Origenes libro primo contra Celsum, ex ipsorum testimonio peccatorum, qui in extremo iudicio dicent: *Domine, Domine, nonne in Nomine tuo Dæmonia eiecimus?* Matthæi 7. n. 22. Hoc autem confirmat Diuus Gregorius Nazianzenus Orat. 3. num. 54. exemplo Iuliani Apostatæ, qui à Mago ductus ad nocturnum Dæmonum conuentum; subito horrore perculsus, *Ad Crucem*, inquit Nazianzenus, *vetusque remedium confugit: hocque se aduersus terrores consignat.* Et statim: *Valuit*, inquit, *signaculum, cedunt Dæmones, pelluntur timores.* Quanta igitur infirmitas Dęmonum, qui etiam ab ignauis militibus, sed bene armatis superantur? Nisi fortè in talium pœnam militum, aliqua Diabolo potestas diuinitus permittatur: vt paulò inferiùs ostendam.

Peccatores etiam sacrosancto Iesu Nomine Diabolum terrent.

D. Greg. Naz.

D

XXII. Quamuis igitur Dæmones aliquando volentibus imperent, & non belligerantibus insultent: tamen nolentibus cedunt, & imperium detractantibus succumbunt. Pacificis verbis olim Rex Dauid per seruos suos adiit Nabalem, hominem & nomine & consilio stultum. Quid verò Nabal? Magno cum supercilio respondit: *Quis est*, inquit, *Dauid? Et quis est filius Isai?* 1. Reg. 25. num. 10. Sed postquàm Dauid in iras exarsit, & acerbas illi minas intendit, quas ei Abigaïl renuntiauit: *Emortuum*, inquit Textus, *est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis.* Ibidem, num. 37. Vides, vt Nabal in Dauidem mansuetum & pacificum irascatur; in iratum verò & belligerum mansuescat, seu potiùs contęcescat. Ita planè & Diabolus desides

Dæmon cedit nolentibus, ced. volentibus instat.

E

A & ignauos inuadit, alacres & strenuos perhorrescit.

XXIII. Tres pueros Hebræos, Sidrach, Misach & Abdenago, inducere voluerunt in idololatriam Principes Babylonij. Nam illos ad Regem deferentes, *Viri isti*, inquiunt, *contempserunt, Rex, decretum tuum: Deos tuos non colunt, & statuam auream, quam erexisti, non adorant.* Dan. 3. n. 12. Sed, cur ipsum quoque Danielem non accusarunt, & pari conatu in idololatriam non impulerunt? Optimè respondet Isidorus Clarius: *Id factum ob singularem illius dignitatem: quia olim Rex iusserat ei oblationes, vt Deo offerri, & Nomen Dei sui indiderat: ideò nullam eius mentionem fecerunt.* Quasi diceret: Idcircò illos tres pueros, potiùs quàm Danielem, ad idololatriam sollicitarunt; quia illorum virtutem nondum omninò certis didicerant experimentis: Danielis autem sanctimoniam spectatissimam & exploratissimam habebant. Non aliter & Diabolus illos aggreditur, quorum virtutes altis fixas esse radicibus ignorat: quos autem virtutum præsidiis munitissimos agnoscit, fugit & pertimescit.

Diabolus solida virtutis viros perhorrescit.

XXIV. Fugiebat olim Diabolus Pauli non solùm conspectum, sed etiam *Sudaria, & semicinctia.* Actor. 19. num. 12. Ac si illis linteis, quibus Diuus Paulus suos sudores & lacrymas colligebat, maximè terreretur. Nihilominus idem Diabolus alios improbos & vanos homines contemnebat. Nam, cùm falsi quidam Exorcistæ Dæmones adiurarent per Iesum, quem Paulus prædicabat, vt de obsessis corporibus egrederentur, respondit dæmoniacus: *Iesum noui, & Paulum scio: vos autem, qui estis? Et insiliens in eos, & dominatus amborum, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa.* Ibidem, num. 15. & 16. Quasi diceret: Paratus sum & Iesu & Pauli imperiis obtemperare; quia illum verum Deum, hunc autem eius seruum fateor & agnosco: vestra autem imperia nihil curo; quos scio & sanctitate vacuos, & potestate. Vides, vt Diabolus improbos contemnit & carpit; iustos autem colit & veneratur? Sed rectè Diuus Chrys. homil. 41. ad eum locum inquirit, cur ille dæmoniacus in falsos Exorcistas non priùs insiluit, quàm Iesum & Paulum magno cum honore præfaretur: *Timuit*, inquit, *potestatem inaccessam, & non tantùm potuisset, si non hoc dixisset.* Quasi Diabolus hisce verbis, non solùm à Christo Domino, sed etiam ab ipso Paulo facultatem insiliendi in illos pessimos homines ambiret: sine qua nullum eis inferre posset nocumentum. Quod iam suprà Annotatione 6. Sect. 2. ex Tertulliano breuiter illustraui. Vides, quam ligata sit in viros iustos Diaboli potestas?

Dæmon vel sudario D. Pauli terrebatur.

Diabolus improbis contemnit, probos veneratur.

D. Chrys.

Dæmon à iustis facultatẽ ambit torquendi iniustos.

XXV. Attende vlteriùs in eandem rem, quid olim contigerit Balaamo. Nam vocatus à Rege Balac per internuntios, ad maledicendum Israeli; ire permittitur à Deo, dicente: *Surge, & vade cum eis.* Num. 22. n. 20. Sed, cur potiùs ab illo itinere faciẽdo non impeditur? Respondet egregiè D. Anast. Nitlenus quæst. 32. in sacram Scripturam: *Hoc*, inquit, *faciebat Deus, volens ostendere, quod etiamsi abierit, non potest, quod vult, facere, & populum execrari.* Ita ille. Nam, si Balaam retineretur; crederetur fortasse Diabolus aliquam vim habuisse ad populum execrandum; & sine dubio fore execraturus, si abire permitteretur. Dum autem pergit in conspectum Israelis, & sacrificia offert, & Dæmones implorat; & nihilominus ab execrando populo cohibetur: planè ostenditur diabolicus conatus aduersus Dei populum in nihilum omninò euanuisse. Nam, vt bene D. Augustinus libro 11. De Genesi ad Literam, c. 20. Tentant quidem Dæmones,

Dæmonũ conatus in Dei populum irritus.

D. Anast.

D. August.

Dæmones, & impugnant homines, *Non quantum* inquit, *nituntur, sed quantum finuntur.* Non pro voluntare, quam habent, sed pro facultate, quæ illis datur, humano generi insidiantur.

Dæmones nõ nocent nisi facta ipsis potestate.

XXVI. Clarior adhuc patet hæc Diaboli infirmitas, dum etiam in suo proprio domicilio sic vincitur, & frænatur, vt omnibus suis viribus penitùs denudetur. Vt videre fuit in Dagone, qui ne in suo quidem templo satis habuit virium, quibus se ab Arca immunem tueretur. Mittebantur olim Martyres in vincula, & in carceres: carceres autem Dæmonum domicilia non immeritò dicuntur, cùm plurimos malefactores Dæmonum seruos & mancipia, in quibus Dæmones habitant, complectantur. Cur autem Dei cultores in Dæmonum ergastula includebantur; nisi vt in domo Diaboli Diabolum conculcarent. Quod rectè obseruat Tertullian. lib. ad Martyres, cap. 1. *Domus*, inquit, *Diaboli est & carcer, in qua familiam suam continet: sed vos ideò in carcerem peruenistis, vt illum etiam in domo sua conculcetis. Iam enim foris congressi cõculcaueratis.* Non enim satis gloriosa foret Martyrum de Diabolo victoria, si illum extra tantùm, non verò intra propriam domum superarent. Non sine Numine factum est, vt Sennacherib templum Dei sui Nestoch ad adorandum ingressus, ibidem à suis filiis necaretur. 4. Reg. 19. num. 37. & 2. Paralip. 32. num. 21. vt vbi quæterebat auxilium, inueniret infortunium; & palàm fieret Dæmonis infirmitas, qui ne in suo quidem templo posset illum Regem sui cultorem & adoratorem ab interitu vendicare.

Carceres Dæmonum domicilia dicuntur, propter improbos.

Tertull. Martyres carceribus inclusi Diabolum in propria domo superant.

Non potest Dæmon suos arcere ab interitu.

XXVII. Certè nec Balaam hanc infirmitatem Dæmonis, quem colebat, ignotauit. Nam ad Regem Balac: *Ædifica*, inquit, *mihi hic septem aras; & para totidem vitulos, eiusdémque numeri arietes.* Et paulò pòst: *Sta paulisper iuxta holocaustum tuum, donec vadam, si fortè occurrat mihi Deus.* Num. 23. n. 1. & 3. Cur, quæso, relicta Dæmonis ara, aliò recessit ad Deum implorandum? Duplicem rationem reddit Lyranus. Vnam, quia Dæmon odit societatem, & amat separationem; & propterea Balaam vt Dæmonem cõueniret, se ab hominum commercio abstrahere volebat. Alteram, quia, cùm Dæmon magno horrore perturbare soleat eos, quibus apparet; timoit Balaam, ne si coram aliis exhorresceret, ab illis contemneretur. Sed, quamuis in vtraque responsione assignetur ratio, cur recesserit; non tamen, cur extructa priùs ara recesserit. Addo igitur & tertiam ad præsens institutum: quia nouerat Balaam Dæmonem, ne in ara quidem propria vllas habere vires, quibus imploranti subueniret: quapropter imploraturus, tantùm abfuit, vt se conferret ad aram Dæmonis, vt potiùs ab illa se auferret.

Dæmon amat separationẽ, odit societatem.
Lyran.

Horrore magno quatiuntur, quibus Dæmones apparent.

Dæmon vel in ara cultus nullam habet vim subueniendi laborantibus.

XXVIII. Quòd si olim Diabolus inter Ethnicos adeò infirmus erat, quàm infirmus modò erit inter ipsos Christianos? Vnde rectè Tertullian. lib. ad Scapulam, cap. 2. *Dæmones*, inquit, *non tantùm respuimus; verùm & reuincimus, & quotidie traducimus, & de hominibus expellimus.* Et in Apologetico, c. 23. cum Ethnicis loquutus, grauiter spondet, etiam sub pœna sanguinis, fore vt Dæmoniacus quisque, aut vanus quilibet Gentilium Deus, ab vno Christiano interrogatus quisnam sit, verum se Dæmonem, & falsum Deum fateatur: *Edatur aliquis*, inquit, *sub tribunalibus vestris, quem Dæmone agi constet: iussus à quolibet Christiano loqui spiritus ille; tam se Dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falso. Æquè producatur aliquis ex his, qui de Deo pati existimantur, qui aris anhelantes Numen de nidore concipiunt: nisi se Dæmones confessi fuerint, Christiano mentiri non audentes; ibidem Christiani procacissimi sanguinem fundite.* Quæ maior esse potest Christiani potestas, & Dæmonis infirmitas, vt Dæmoni à Christiano imperetur, & Christiano Dæmon obsequatur? De qua re Iustinus Martyr in Dialogo de veritate Christianæ Religionis, D. Cyprianus tract. ad Demetrianum, Lactant. lib. 2. diuin. Instit. cap. 15. D. Chrys. lib. vno contra Gentiles, post medium, & passim alij multa tradiderunt.

Quanta sit vis Christianorum in Dæmones.

Iustin. Martyr. D. Cypr. Lactant. D. Chrys.

XXIX. Atque hæc sine dubio causa est, cur Diabolus suis viribus destitutus, ad fraudulentas artes, tanquàm ad munitissimas arces, se recipiat. Vnde D. Bernard. serm. De quadruplici debito: *Non est*, inquit, *quòd vobis, vel pro vobis timeam à viribus Satanæ, & ministrorum eius; cùm nouerim illius fortitudinem per Redemptoris vulnera traductam, & deductam ad nihilum. A versutiis & astutiis illius formido mihi est pro vobis.* Quod statim confirmat exemplo: *Ille*, inquit, *insatiabilis homicida primis parentibus nostris non vrsos, non leones, non fortia terræ animalia delegauit; sed tortuosum & callidum serpentem, qui per sinuosa volumina, nunc caput cauda, nunc caudam capite tegere consueuit.* Sed de hac re alibi dicendi occasio redibit. Nunc iterum ad historiam.

D. Bern.

Dæmon vt infirmus non apertè, sed per fraudes agit.

Num. VI. Aggrauata est autem manus Domini super Azotios, & demolitus est eos: & percussit in secretiori parte natium Azotum, & fines eius. Et ebullierunt villæ, & agri in medio regionis illius; & nati sunt mures, & facta est confusio mortis magnæ in ciuitate.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. Aggrauata *est autem*, &c. Non resipuerunt Azotij ad primam plagam, sed potiùs induruerunt ad maiorem culpam: quia Dagonem de suo loco diuinitùs deiectum non sunt aspernari, vt par erat: sed potiùs maiori cultu venerati. Nam anteà illius aram obseruabant: posteà verò illius ianuam præcipuo studio colere cœperunt: vt ex superiori Num. constat. Pessimum genus hominum, qui suppliciis non emendantur: sed potiùs à leuioribus culpis in grauiores prolabuntur. Necesse igitur fuit, vt aggrauarentur pœnę, si fortè grauiùs puniti resipiscerẽt. Duplici ergo plaga denuò feriuntur: vna, in propriis corporibus percussi: altera in bonis externis flagellati. Vtraque antequã seorsim in specie narretur, in genere declaratur his verbis: *Aggrauata est manus Domini super Azotios, & demolitus est eos.* Vbi & nomẽ, *manus*, & verbũ, *aggrauata*, explicationem requirit.

Qui leuibus pœnis non emendantur, grauioribus puniuntur.

II. Igitur manus Domini in Scriptura frequenter sumitur pro potentia diuina ad puniendum, vt Eusebius Cæsar. lib. 8. De præparatione euangelica, cap. 3. ad finem testatur; vel etiam pro plaga & punitione ipsa diuinitùs illata. Vnde Chaldæus hoc loco transfert: *Et fortificata est percussio Domini.* Exempla passim occurrunt. *Immittã manum meam super Ægyptum.* Exod. 7. n. 4. *Egressa est manus Domini contra me.* Ruth 1. n. 13. *Manũ tuam longè fac à me.* Iob. 13. n. 21. *Grauata est super me manus tua.* Psal. 31. n. 4. *Adhuc manus eius extenta.* Isai. 5. n. 25. *Firmauit dexterã suam quasi hostis.* Thren. 2. n. 4. *Extendã manum meã super eos, & faciã terrã desolatam.* Ezech. 6. n. 14. *Horrendũ est incidere in manus Dei viuentis.* Hebr. 10. n. 31. Et passim alibi. Quam significationẽ illustrat D. Amb. in Ps. 37. post initium:

Manus Domini idem est ac virtus ad puniendum.
Euseb. Cæs.
D. Ambr.

tiom: *Manum*, inquit, *Dei, virtutem intelligimus* A *puniendi. Hac manus Regem Ægyptiorum, propter Abraha iniuriam, ob tentatam Sara pudicitiam flagellauit. Hac manus Ægyptiorum currus, eques & populos rubri maris demersit profundo. Hac manus mentem grauauit Regis Saül, vt gratiam sui conseruatoris odisset, & gladium in se fum conuerteret; ne captiuus senex viueret, filiis & Regno superstes.* Vbi etiam aduertit, plagam manu Diaboli immissam, aliquando manum Domini vocari: quòd Deus ad puniendum, tanquàm mano sua Diaboli ministerio vtatur.

III. *Digitus Dei etiam est diuina potentia signum.* In eandem significationem interpretantur aliqui, digitum Dei. Nam malefici Pharaonis, dicentes: *Digitus Dei est hic.* Exod. 8. num. 19. nihil aliud dicete voluerunt, quàm ibi diuinam adesse B plagam. Vnde Chaldæus transtulit: *A facie Dei plaga hac est.* Hoc tamen potest inter manum digitùmque Dei discrimen interponi, quòd digitus pro exiguo supplicio, manus pro maximo capiatur. Vnde Philo libr. 3. De vita Moysis, loquutus de plaga scyniphum, quæ omnium minima videbatur: *Quid, inquit, scyniphe vilius? tamen tantùm effecit, vt tota Ægyptus deficiens exclamare cogeretur, hunc esse Dei digitum. Manus enim eius, ne à tota quidem terra, quanta quanta est, immò nec à mundo vniuerso sustineri posset.* Vbi palàm vides, quantò acerbiorem esse plagam putet, quæ manu, quàm quæ digito significatur.

Philo. In Dei digito minimum supplicium, in manu maximum intelligitur.

IV. Hinc est, qood cùm Deus suorum suppliciorem magnitudioem olim ostendere voluerit; non C totam manum, sed tres tantùm digitos; immò non digitos quidem integros, sed solos digitorum articulos; & eos tandem non gladio, non fulmine armatos, sed ploma, sed calamo iostructos exhibuerit; ad Balthasarem perterrendum. *In eadem hora*, inquit Textus; *apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum, in superficie parietis aula regia: & Rex aspiciebat articulos manus scribentis.* Dan. 5. num. 5. Sed, quid animi Rex habuit nouo spectaculo perculsus? Sequitur: *Tunc facies Regis commutata est; & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur.* Ibidem, n. 6. Quæ hypotyposis, seu rei gestæ narratio adeò est illustris, vt nulla illustrior esse queat D ad exprimendum Balthasaris timorem. Rectè igitur ad eum locum Theodoretus Orat. 5. *Quòd si*, inquit, *digitorum scribentium species ita perterruit eum, qui maximum administrabat Regnum, vt etiam articulorum compages pra metu dissoluerentur, & artus tremore occupati concuterentur: quid non sustinuisset Deo infestus, si praesteras (id est, fulminis genus) conspexisset; aut Angelos toruè intuentes, & nouo figura habitu deterrentes?* Si igitur digitus sic Ægyptios afflixit; si articuli digitorum sic Balthasarem conturbaruot: integra manus, quæ pro maiori plaga sumi solet, quantùm hoc loco vexabit Philisthinos?

Quantùm digiti Dei afferant terroris in puniendo.

Theod.

V. Iam verò, si non altera tantùm Dei manus, sed vtraque simul ad puniendum concurrat, quantùm, quæso, in supplicium euadet? Talis erit illa plaga, qua in Mundi fine, totus orbis à Deo ponietur; iuxta illud Dauidicum: *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt.* Psal. 20. n. 9. Nam in priori loco manus nomine intelligenda est sinistra, iuxta vulgarem Hebraïsmum, quo nomen generis absolutè positum, ad deteriorem speciem limitatur: in posteriori autem exprimitur ipsa dextera; ita vt sensus sit: Vtraque manus tua, Domine, sinistra pariter & dextera ad puniendos peccatores ali-

Deus ambas manus ad extremum supplicium adhibebit.

quando tandem adhibeatur: hactenus enim mulcebas dextera, & sola sinistra puniebas; quia iustitiam cum misericordia temperabas: nunc autem vtranque exete, & in extremum supplicium impende; vt calicem mero tuæ iustitiæ vino plenum absque vlla misericotdia omnibus peccatoribus propioes. Atque hæc de manu Domini, quæ pro plaga vsurpatur.

Adhuc autem clarior innotescet huios plagæ magnitudo ex verbo aggrauandi, quo planè maior supplicij acerbitas significatur. Nam, sicut verbum eleuandi maoum, significat plagam transeuntem, iuxta illud: *Eleuauit manum suam super eos, vt prosterueret eos in deserto.* Psal. 105. n. 26. & verbum confirmandi manum, significat plagam permanentem, ioxta illud: *Confirmasti super me manum tuam.* Psalm. 37. num. 3. Ita verbum aggrauandi manum, significat plagam acritet verberantem. Quo sensu dicitur de Tribu Ephraïm contra Amorrhæum duriùs inualescente: *Et aggrauata est manus domus Ioseph, factúsque est ei tributarius.* Iudic. 1. num. 35. Et Iob de sua plaga: *Manus*, inquit, *plaga mea aggrauata est.* Iob 23. num. 2. Vnde, cùm in Scriptura dicitur, manus Domini tangere aliquem, & manus Domini aggrauari super aliquem, hoc discrimen ab aliquibus interponitur, quòd priori modo leuis plaga, posteriori grauis significetur. Quod tameo discrimen non est perpetuò verum; saltem ex parte verbi tangendi. Aliquando enim manus Domini dicitur tangere, cùm grauissimè vulnerat; vt patet ex multis locis: *Tange cuncta, qua possidet.* Iob 1. num. 11. *Tange os eius & carnem.* Iob 2. oum. 5. *Manus Domini tetigit me.* Iob 19. oum. 21. In quibus locis grauissimæ rerum temporalium iacturæ, & acerbissimæ corporis plagæ illo diuinę manus tactu significantur. Vnde Angelus, qui luctabatur cum Iacobo, vt eum grauiter debilitaret: *Tetigit neruum femoris eius, & emarcuit.* Genes. 32. num. 25. Et Deus loquutus de grauissima plaga Ægypti, scilicet, mortem primogenitorum: *Adhuc*, inquit, *vna plaga tangam Pharaonem, & Ægyptum.* Exod. 11. n. 1. Et Sapiens loquutus de incendio in Hebræos cælitùs emisso: *Tetigit*, ioquit, *& tunc iustos tentatio mortis: & commotio in eremo facta est multitudinis.* Sap. 18. num. 20. Tandem Michæas de grauissimo supplicio loquutus: *Desperata est*, inquit, *plaga eius: quia venit vsque ad Iudam: tetigit portam populi mei vsque ad Ierusalem.* Mich. 1. num. 9. Et sic de aliis. Non semper igitur verbum tangendi significat leuem plagam, sed aliquando grauissimam. Quòd si tantam plagam infligit solus tactus diuinæ manus, quantam infliget ictus? Fateor tamen verbo aggrauandi semper ingentem plagam significari.

VI. *Per verbum aggrauandi manũ, plaga permanens intelligitur.*

Discrimen inter, Tangere manum Domini, & Aggrauari.

Quàm grauis sit solus manus diuina tactus.

Illud tamen hoc loco aduerte, oon dici manum Domini grauem, sed aggrauatam. Graue eoim est, quod insitam habet grauitatem: aggrauatum, quod aduentitiam. Vnde ioouitor manus E Domini non esse ab intrinseco grauis, sed quodammodo ab extrinseco: quasi illa grauitas noo à Dei natura, sed ab hominum culpis oriatur. Ex se quidem maous Domini ad misericordiam prona est; nostris tamen sceleribus ad ioftitiam aggrauatur. Qood hic obiter & breuiter illustro.

VII. *Grauitas in manu Dei oritur ab hominum peccatis.*

Manus Domini suapte natura leuis, nostris peccatis grauis efficitur.

VIII. *Deus ad puniendum non sponte sequitur, sed inuitus trahitur.*

Promptissima est Domini manus ad mulceodum & leniendum: nostris tamen sceleribus ad puniendum, & vlciscendum prouocatur.

Deus,

Deus, inquit Ieremias, *si ubiecit, & miserebitur. Non enim humiliauit ex corde suo.* Thren. 3. n. 33. Hoc est: Non suapte sponte puniuit, sed hominũ culpis incitatus. Vnde supplicium, quod peccatoribus infligit, *Alienum opus eius ab eo; & peregrinum opus eius ab eo*, appellatur, Isai. 28. n. 21. Ac si ad supplicium inferendum non sponte sequi, sed inuitus trahi videator. Quid, nõ dicam à Deo, sed à libero homine alienius, quàm crapula? Deus igitur cùm irascitur, dicitur *Potens crapulatus à vino.* Psal. 77. num. 65. vt significet non minùs iram, quàm crapulam à sua natura alienã. Quod Theodoretus ad eum locum videtur innuisse: *Ebrietatem*, inquit, *indignationem nuncupat. Etenim est veluti quadam res aduentitia Dei, pœna, quæ iustè peccatoribus infligitur.* Aduentitia, inquit, quasi à B Deo maxime aliena. Immò, vt cecinit Dauid: *Ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius.* Psal 29. n 6. Quasi diceret: Indignatur, seu dedignatur irasci: cùm tamen vitam, & bonorum cumulum, qui vitæ nomine intelligitur, secundùm propositum voluntatis suæ largiatur.

Theodor. Vt crapula, ita ira à Deo aliena.

Deus ex se vitam largitur, non mortem.

IX. Hinc est, quòd de ore diuini Verbi, *Gladius vtraque parte acutus exibat.* Apoc. 1. n. 16. hoc est, desinens in duos mucrones; quorum alter ad peccatores spectaret; alter ipsius Dei ore includeretur: vt si quando Deus illo externo mucrone peccatores punctim peteret; hoc alio intra os inclusο ipsemet percuteretur. Ac si non minùs contra naturam tenderet ad peccatores feriendos, C quàm ad se ipsum vulnerandum. Ad hoc fortasse Beatissima Virgo in suo Cantico allusit, dicens: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Luc. 1. num. 51. Quasi diceret: Ad superbos dispergendos ac dissipandos opus fuit, vt Æternus Pater brachio suo, hoc est, Filio suo potentiam, hoc est, violentiam aliquam inferret. Adeò enim suapte natura mitis est & lenis, vt cùm ad erigendos humiles sponte volet, ad dispergendos superbos non nisi inuitus pertrahatur.

Deus, cũ homines vulnerat, vulneratur.

Punire à Deo alienũ.

X. Sed & Moyses in suo Cantico huc respexit: *Misisti*, inquit, *iram tuam, quæ deuorauit eos, sicut stipulam.* Exod. 15. n. 7. Quem locum Diuus Hieronymus lib. 5. in Ezechielem, cap. 16. expẽdens, D rectè obseruat, mitti à Deo iram, tanquam sagittam, quæ non est insita & innata sagittanti; sed extrinsecùs adiuncta. *Quod*, inquit, *coniunctum est, & in vno corpore copulatum, mitti non potest; sed illud quod extra corpus est: verbi gratia, lancea, telum, sagitta, gladius. Ex quo perspicuum est, non esse naturalem iram Dei: sed nostris vitiis clementissimum & mansuetissimum Deum ad iracundiam prouocari.* Huc reuocari potest illa prophetica comminatio: *Radet Dominus in nouacula conducta in Rege Assyriorum.* Isai. 7. num. 20. Vbi nouacula, qua Deus rasurus & punitorus erat Regem Assyriorum, dicitur conducta: hoc est, foris domum adducta, & paulò pòst domo foras remittenda. Magno quidem mysterio: quasi Deus non habeat domi suæ vllum puniendi instrumentum; sed E cùm aliqua puniendi necessitate vrgeatur, illud foris comparet: & eũm necessarium puniendi actum expleuerit, illud apud se morari non sinat; sed statim domo abiiciat, forásque releget. Adeò est natura sua à vindicta alienus, & ad beneficentiam procliuis.

Deus nullum habet ad pœnam instrumentum.

XI. In eundem sensum olim Deus dicebat: *Ecce furor meus, & indignatio mea conflatur super locum istum.* Ierem. 7. num. 20. Vbi Deus vocat indignationem non innatam, sed conflatam. Quasi diceret, vt D. Hieronymus ibi interpretatur: *Ego* quidem naturaliter nõ irascor: sed illi ita agunt, vt me ad iracundiam prouocent, & meam videar mutare naturam. Et paulo pòst: *Sed & conflata*, inquit, *indignatio sic intelligi potest, vt quod diu facere noluit, peccatorum multitudine facere compellatur.* Puniturus Deus Saulem: *Pœnitet*, inquit, *me, quòd constituerim Saulem Regem.* 1. Reg. 15. num. 11. Quem locum Orig. hom. 19. in Num. expendens, rectè aduertit, Deum contra suam naturam, quæ est omninò immutabilis, & impœnitentiæ incapax, dixisse: *Pœnitet*: vt ostenderet, quàm esset à sua bonitate aliena omnis vindicta.

Deus cùm punit, suam naturam mutare quodammodo videtur.

Origen. Deus non nisi scelerum multitudine compellitur ad supplicium. Deum pœnitet occasionẽ habere puniendi.

XII. Tandem D. Paulus ad eum, qui impœnitens cor gestat: *Thesaurizas*, inquit, *tibi irã.* Rom. 2. n. 5. Vbi vides, iram Dei, non apud Deum, sed apud peccatorem thesaurizari: quasi potiùs ad hominem, quàm ad Deum pertinere; seu potiùs ab homine, quàm à Deo prouenire videatur. Vnde D. Hieronymus priori loco proximè citato: *Thesaurizas*, inquit, *tibi iram, quam Deus naturaliter non habet.* De hac re vide, quæ diximus in primo tomo, Annotat. 7. Sect. 3. & Annotat. 8. Sect. 6. & aliis passim locis; plura in inferioribus dicturi. Manus igitur Dei non ex se grauis, sed extrinsecùs aggrauata, sua grauitate conterit & allidit Philisthinos.

Ira non apud Deum, sed apud nos thesaurizatur.

XIII. *Et demolitus est eos, & percussit*, &c. Aggreditur explicare priorem plagam Philisthinis circa propria corpora inflictam. *Demolitus*, inquit, *est eos.* Septuaginta, ἐβασάνισε, hoc est, *Torsit eos.* Chaldæus, *Vastauit eos*: In Hebræo est, וישמם *Vaieschimem*, hoc est, *Desolare fecit eos*, a verbo שמם *Schamam*, quod est, desolare, vastare, dissipare, disperdere. Quo verbo satis explicatur Philisthinorum plaga, saltem in genere. Sed vlteriùs, vt in specie declaretur, additur: *Et percussit in secretiori parte natium.* Hebræus habet, בעפלים *Bughepholim*, hoc est, *In locis altis*, siue, *extãtibus.* Quod Varablus explicat, vel figuratè, per antiphrasim, quòd minimè extent: vel propriè, quòd ex plaga, seu morbo iuxta Medicos intumescant. Chaldæus, *In constrictionibus.* Septuaginta, quos Aquila, Lucifer, D. Augustinus in Psal. 77. Theodoretus q. 13. & alij imitantur, *In sedibus.* Quamuis Lucifer etiam vertat, *In domibus*: sed est idem quod, *In sedibus.* Symmachus, *In locis absconditis.* Sed omnes parum in verbis, nihil in sensu à Vulgata distinguuntur. Superest explicandum, cuius generis fuerit hæc plaga? Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 1. vocat illam pestem: *Nouissimè*, inquit, *Azotiorum ciuitatem, atque prouinciam diuinitùs pestis inuasit.* Sed, credo, solùm significare voluit, morbum esse mortiferum, vt ex dicendis patebit. Nam, sicut pestis adeò mortifera est, vt mors ipsa appelletur, iuxta illud: *Erit super oues & boues pestis valdè grauis.* Exod. 9. n. 3. seu, vt Septuaginta transtulerunt, *Mors magna valdè*: ita & hic morbus lethifer erat. Vnde propter illum dicitur paulò inferiùs, *Facta fuisse confusio mortis magna in ciuitate.* Philo in Antiq. Biblicis significat hoc morbi genus ad fœminas prægnantes & lactantes, eatúmque paruulos potissimùm spectasse. Nam Philisthinos ita inter se loquentes introducit: *Quia*, inquiunt, *moriuntur omnes prægnantes, & lactantes, & qui lactantur, pereunt; accipiamus & nos vaccas, quæ lactant; & iungamus in currũ nouũ, & Arcã ponamus in eo*, &c. Quasi his præcipuè, tanquàm infirmioribus, viscera computrescerent, penitúsque dissoluerentur. Sed non est in Litera, vnde hic morbus ad solas matres altrices & filios alũnos limitetur: immò potiùs, vnde ad omnes extendatur, dũ Azotũ & fines eius eius percussi exprimũtur, quasi per omnes

Quonam modo Deus percussit Philisthinos.

Ioseph. Quo ex genere fuerit plaga Philisthinorum.

Aliqui pestẽ credunt.

Philo. Aliqui plagã limitant ad filiorum nutrices, sed falsò.

omnes tam ciues, quàm suburbanos plaga illa A grassaretur.

Aliorum opinio proponitur, de morbi genere.

XIV. Aquila apud Theodoretum citatum, asserit, Philisthinos laborasse, *excedente vlcere*: quod dicunt *Phagadanam*: seu, vt refert Procopius, *Vlcere cancroso* De quo fortasse genere fuerunt illa *vlcera & vesicæ turgentes*, quibus Ægyptij, Exod. 9. num. 10. laborarunt: & quæ Moyses Deuter. 28. num. 27. Israëlitis imprecatur. De qua iterum re consule Pinedam ad cap. 2. Iob in Digressione de illius morbis, Sect. 3. eruditè & copiosè disserentem. Alij, vt videre est in Scholiis ad Biblia Sixtiana, ex Hebræo vertunt, *In mariscis*. Et significare volunt non tam loca plagarum, quam ipsas plagas. Sunt autem mariscæ a similitudine fruticum cognominum, tubercula quædam vlcerosa, quibus B lasciui homines sæpè feriuntur; vnde censentur morbi infames, maximéque erubescendi, iuxta illud Iuuenal. Satyra 2.

Iuuenal.

Cæduntur tumidæ, Medico ridente, mariscæ.

Vnde Dauid de hoc Philisthinorum morbo loquutus: *Percussit*, inquit, *inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis*. Psal. 77. n. 66. Quasi hoc morbi genere non solùm corpus, sed etiam fama offendatur.

Quonam vocabulo appelletur morbus iste.

XV. Vnde Genebrardus eundem morbum, *ficum*, appellat: quem Martialis lib. 1. tanquàm ignominiosum exprobrat Cæciliano, illo vulgato Disticho:

Martial.

Dicemus ficus, quas scimus in arbore nasci:
Dicemus ficos, Cæciliane, tuos.

Isid. Clar.

C Ficum etiam vocat Isidorus Clarius. Iuniores appellant, *morbum Gallicum*; quòd sub Carolo Francorum Rege à Gallia in Hispaniam defluxerit, vt illius temporis Historici prodiderunt. Abulensis vocat hunc morbum, *hæmorrhoidem*, id est, sanguinis fluxum, ita dictum à serpente eiusdem nominis hæmorrhoïde, quæ dentes sic infigit, vt omnem a corpore sanguinem exugat: quo morbo illa mulier à Christo Domino sanata, Matth. 9. num. 22. duodecim annos laborauit. Abulensi fauet Genebr. loco citato. Tandem Iosephus, vbi suprà, quem Theodor. Procop. Comestor, Dionysius, Lyranus, Sabelicus, & alij sequuntur; dicunt, fuisse morbum dysentericum, quo omniũ intestina magnis conuulsa doloribus soluebantur: D vel saltem, vt Theodoretus aduertit, non fuit vnus tantùm morbus, sed alij aliis succedentes; vel etiam simul omnes cruciantes. Addi potest, fuisse nouum morbi genus; sicut & peccatum Philisthinorum sacrilego ausu fœderis Arcam temerantium, nouum fuerat, & inauditum. Vtcunque tes habuerit, morbus fuit opisthotonus, & insanabilis, hoc est, in posterioribus corporis partibus inflictus: vt ex Litera constat. Sed quærenda ratio est, cur hoc potissimùm morbi genere Philisthini percutiantur.

Abul. Genebr. Ioseph. Theod. Procop. Comest. Dionys. Lyran. Sabel. Theodor. *Alij qui non vnicum fuisse morbum, sed plures opinantur.* *Plaga Philisthinorum insanabilis.*

Multiplex ratio, cur Philisthini hoc morbo feriantur.

E

Prima.

Philisthini à Deo vt pueri vapulant.

XVI. NOn sine peculiari diuinæ prouidentiæ ratione credendum est, Philisthinos hoc morbi genere potissimùm flagellatos. Ex multis, quæ assignari possunt, paucas seligo. Prima esse potest; quia verberatio in posteriora, est supplicium puerile. Vnde est illud Martialis Epigramma in pueros nucibus ludentes:

Martial.

Alea parua, nuces, & non damnosa videtur:
Sæpe tamen pueri perdidit illa nates.

A Vt igitur Philisthini, si non ætate, saltem infirmitate pueri esse ostendantur; puerili supplicio feriuntur: ne deinceps contra Deum viros se profiteantur, dicentes, vt superiori cap. num. 9. ad inuicem dixerunt: *Confortamini, & estote viri*: & ne de victoria contra populum Dei parta, quasi illam suo virili robore assequuti inaniter intumescant, & inaniùs glorientur. Ob eandem causam D. Paulus: *Datus*, inquit, *est mihi Angelus Satanæ, qui me colaphizet*. 2. Corinth. 2. num. 7. Ad quem locum Beda: *Ne extolleretur*, inquit, *tanquàm iuuenis, colaphizatur puer*. Nam colaphi & alapæ non solent supplicij causa, nisi pueris impingi. Ne igitur Paulus tanquàm vir de sua virtute glorietur; puerili supplicio, tanquàm puer humiliatur.

Iussi ne intumescant, vt pueri colaphizantur.

B

Secunda ratio.

QVòd Philisthini Arcam Dei in profana sede iuxta Dagonem malè collocarant, meritò in sedibus feriuntur. Hanc reddit Theodoretus: *Sedes*, inquit, *morbi passi sunt; vt qui Arcam diuinam impiè locauerant, nempe apud deum falsò appellatum*. Cui accedit Procopius: *Profluuio*, inquit, *ventris laborarunt; eò quòd Arcam Domini impiè & nefariè iuxta mendacem suum deum collocauissent*. Simile supplicium ob similem culpam duo scelerati homines in lege noua, vnus Hæreticus, alter Idololatra subierunt. De Hæretico D. Athanas. in epistola ad solitariam vitam agentes, ex scriptis C Hosi sanctissimi viri: *Vt olim*, inquit, *Azoti incolæ ausi Arcam attingere, quam illis vel oculis conspicere nefas fuit, fœdium tormentis excruciati peribant: sic Arrianus quidam iuuenis ausus sellam ligneam templi Alexandrini* (ex qua docebat Athanasius) *conuellere, fragmento ligni inde in ventrem resiliente, intestina sua perforauit: & eadẽ vi, qua solium disrumpere conabatur, rupta aluo, intestina effudit; celeriúsque quàm ipse thronum auferret, thronus ei vitam sustulit.*

XVII. Theod. *Philisthini indignam sedem Arcæ eligentes, in sedibus feriuntur.* Procopius.

XVIII. De Idololatra autem tyranno D. Chrysostomus lib. vno contra Gentiles, satis post medium: *Ausus*, inquit, *impuris manibus sacra vasa contingere: hoc etiam scelere non contentus, sed contumelia vlteriùs progressus (vasis enim inuersis, & super pauimentum collocatis, atque extensis super ea desedit)* D *è vestigio illegitimæ huius sessionis pœnas luit. Illius enim verenda vermiculos generarunt, qui mordicùs putribus partibus inhærebant; atque illum ita demum multis diebus absumptum perdiderunt.*

Chrysost. *Quàm grauiter templi profanatores puniantur.*

XIX. Similes profectò pœnas merentur illi, qui ecclesiasticas ambiunt dignitates: quamuis enim sacras imagines profanis sedibus non imponant, vt Philisthini; tamen vice versa idola quædam vanitatis, quales ipsi sunt, sacris sedibus inducunt. Vnde D. Gregor. Nazianzenus Car. 11. ad Episcopos, iis qui ecclesiasticos honores ambitiosè aucupantur, Gethæorum pœnam imprecatur; supponens Gethæos, & Azotios pari supplicio vapulasse. Sic enim canit:

Qui dignitates aucupantur, digni qui vapulent. D. Greg.

E *Ac Gethæo vtinam morbo premerentur, vt æquum est,*
Pœnas ob sedem meritas in sede luentes.

Vbi eius Scholiastes rectè aduertit, nullo modo congruentiùs in eos, qui summas Ecclesiæ dignitates tanto studio persequuntur, animaduerti posse, quam si ob adeò impotentem & effrænatam thronorum cupiditatem eadem, qua Gethæi, pœna mulctentur, & pro sedibus sacris indignè occupatis, in sede plectantur. Hæc ille. In editione Antuerpiensi illa D. Gregorij sententia soluta oratione continetur: *Vtinam*, inquit, *eodem, quo*

A *quo Gethæi cruciatu doloris angerentur, sedemariáque pœna afficerentur; vt insana eorum prædendi cupiditas congruenti supplicio vindicaretur.*

Tertia ratio

XX. D. August. TRaditur à D. Augustino libr. 2. De mirabilibus Scripturæ, cap. 7. vbi asserit, Philisthinos internis viscerum doloribus conuenienter fuisse cruciatos: *Quatenus*, inquit, *qui tabernaculi Domini interiora, id est, Arcam extra limites suos protraxère; interaneorum suorum* (aliàs interiorum suorum) *foras prominentium fœda affligerentur clade.* Similem pœnam ob similem culpam subiit Rex Antiochus. Nam hic Ierosolymitanum templum omnibus internis ornamentis spoliauit. *Intrauit*, inquit Textus, *in sanctificationem cum superbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & vniuersa vasa eius*, &c. 1. Mach. 1. n. 23. Vnde meritò & ipse suis spoliatus visceribus interiit. Nam, *qui vniuersa conspicit Dominus Deus Israël*, ait Textus, *percussit eum insanabili & inuisibili plaga, & apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta.* 2. Mach. 9. n. 5. Et quamuis Textus aliam huius supplicij rationem adhibeat, statim subiungens: *Et quidem satis iustè, quippe qui multis, & nouis cruciatibus aliorum viscera torserat.* Ibid. n. 6. Tamen illa à nobis tradita non est excludenda; cùm illi grauissimo sacrilegio hæc grauissima pœna debeatur.

Ornamentorum tēpli spoliatores quo afficiantur supplicio.

B

XXI. Quare ille etiam nouæ legis Antiochus, immò C Antiocho impudentior Arrius, qui non Arcam è tabernaculo extraxit; sed Æternum Filium de sinu, vtero & substantia Æterni Patris genitum esse negauit; subitò laxata aluo, effusísque visceribus occubuit: vt Socrates lib. 1. Hist. ecclesiast. cap. 25. Theodoretus lib. 1. cap. 15. Sozomen. lib. 2. cap. 18. D. Epiphan. lib. 2. contra hæreses, hæresi 68. latiùs retulerunt. De quo etiã Beda ad illa verba: *Computrescebant prominentes extales eorum*: paulò inferiùs num. 9. *Arrius*, inquit, *fusis per posteriora visceribus cunctis finem hæretica docendi; & Hæreticis digna supplicia subeundi principium, miserè inuenit.* Est de hac re elegans Sedulij carmen.

Socrat. Theod. Sozom. Miseranda Arrij mors. D. Epiph. Beda.

Arrius infelix, qui curua per auia rectum
Flectere nisus iter, foueam dilapsus in atram
Corruit, & tetri mersus petit ima profundi,
Tam vacuus sensu, iusta quam tempore pœna,
Visceribus fusis, vacuus quoque ventre remansit.

D

XXII. D. Ambr. Tandem D. Ambrosius lib. 1. de Fide, c. 9. contra Arrium efficaciter argumentatus: *Cui*, inquit, *credemus, Ioanni in Christi pectore recumbenti, an Arrio inter effusa se sua viscera volutanti? Vt agnosceremus similem Iudæ proditoris, Arrij quoque fuisse perfidiam, quem similis pœna damnauit: effusa sunt enim & Arrij viscera: pudet dicere, vbi. Atque ita crepuit medius, prostratus in faciem, ea, quibus Christum negauerat, fœda ora pollutus.* Nec immeritò comparat Diuus Ambros. Arrium cum Iuda. Nam & hic diuinitatis Arcam Christum Dominum extrahens è loco sancto, & in sacrile- E gas Iudæorum manus committens, dignus fuit, cuius interna viscera computrescerent. Vt enim apud Baroniũ tom. 1. ann. Christi 34. referunt Auctores Græci ex Papia Ioannis Apostoli discipulo, sanies & vermes ex toto corpore Iudæ contumeliosè confluentes, per sola loca secreta egredi dicebantur. Vnde factum esse dicunt, vt locus, in quo sepultus est, præ fœtore non solùm inhabitabilis, sed etiam inaccessibilis redderetur. Quare in hos pessimos peccatores quadrat illud Dauidicum: *Anni nostri sicut aranea meditabun-*

Arrij perfidia Iudæ proditoris similis similis punitur pœna.

tur. Psal. 89. num. 10. Nam, sicut araneæ se cuiscerando moriuntur; ita hi insignes peccatores solutis visceribus occubuerunt.

Peccatores sunt, aranearū instar, exenterratores.

Quarta ratio

INculcatur à Georgio Veneto problemate 448. XXIII. Gieg Ven.
Docet enim Philisthinos in posterioribus percussos: *Quia*, inquit, *vt nonnulli sapientes asserunt, solebant intrare templum Dagon, idoli spurcissimi, posterioribus præmissis. Quod non sufferens Numen illud diuinissimum existens in Arca, percussit eos potissimè in ea parte, qua peccauerant. Nam, per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Sap. 11. num. 17. Ita Venetus philosophatur. Sed nescio vnde constat hæc Philisthinorum consuetudo. Nam ex sapientibus, quos allegat, neminem inuenio. Immò scio vana simulacra tanti ab Ethnicis fieri solita, vt vertentes tergum ad Solem, Martem, Iouem, cæteró sque Planetas in cælo coruscantes; ad Solis, Martis, Iouis, ac cæterorum Planetarũ simulacra in terris stantia faciem conuerterent; nec tam sydera illa, quàm hæc illorũ simulacra adorarent. Vnde D. Aug. in Psal. 113. concione 2. *Homines*, inquit, *superstitionibus obligati plerunque ad ipsum Solem dorsum ponentes, preces fundunt statuæ, quam Solem vocant: & cùm sonitu maris à tergo feriantur, Neptuni statuam, quam pro ipso mari colunt, quasi sentientem, gemitibus feriunt.* Ac si minùs sua Numina, quàm suorum Numinum simulacra venerarentur.

Pœna culpæ similis.

Vana deorũ simulacra ab idololatris quasi fiebāt.

D August.

XXIV. Quin etiam Accaronitæ, sicut reliqui homines, contemnebant muscas, & tamen Beelzebub deum, siue idolum muscarum adorabant; iuxta illud: *Ite, consulite Beelzebub, Deum Accaron.* 4. Reg. 1. num. 2. Quam insaniam admiratus Theodoret. ad eum locum: *Quid est*, inquit, *musca odiosius? Sed tamen & eius simulacrum, deum dixerunt: & quem viuentem flabellis expellunt, eius figuram deum appellant.* Ac si promptiores & religiosiores essent ad colendas deorum statuas, quàm ad deos statuarum venerandos. Vnde incertum mihi est, an Azotij sui Dagonis simulacrum tam contemptibiliter tractarint; qui ne limen quidem, vbi eius manus iacebant, præ reuerentia conculcabant. Quamuis mirandum admodum non sit, talia monstra ex sacris & profanis, lotis & illotis, pudicis & obscœnis turpiter conflata, in illas Ethnicorum Sectas aliquando irrepsisse.

Theodor. idololatræ potiùs deorũ statuas, quã deos ipsos venerantur.

XXV. Si igitur Philisthini, versis ad Arcam dorsis, templum ingressi sunt, debitas irreuerentiæ pœnas non immeritò persoluerũt. Iniquissimè enim patitur Deus, se ab hominibus hoc irreuerentiæ genere tractari. Vnde sunt illæ querimoniæ diuinæ: *Auerterunt scapulam recedentes.* Zach. 7. n. 11. Et paulò pòst: *Et facta est indignatio magna à Domino exercituum.* Ibidem, n. 12. Quasi diceret: Dignum facinus, quod extremo supplicio percutiatur. Et alibi, postquam Deus multa sui populi flagitia commemorauit; quibus se ad iracundiam prouocabat, subdit: *Verterunt ad me tergum, non faciem.* Ierem. 2. num. 27. Quasi hoc vltimum, tanquàm omnium atrocissimum detestaretur. Tandem ex quatuor sceleribus, quæ Deus Ezechieli in suo templo ostendit, omnium grauissimum sic à Propheta explicatur: *Ecce*, inquit, *in ostio templi Domini inter vestibulum & altare, quasi viginti quinque viri, dorsa habentes contra templum Domini.* Ezech. 8. num. 16. Et paulò pòst: *Ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miserebor.* Ibidem, n. 18. Ac si Deus alia scelera facilè remittat: hanc vnã impudentiam abire impunitam non

Quanta in tēplo debeat esse hominum reuerentia.

Terga Deo vertere quàm graue.

 patiatur.

pariatur. Hinc est illud Dei præceptum, vt qui ingrediebatur in templum per portam Aquilonarem, per meridionalem egrederetur; & vice versa, Ezech. 46. n. 9. At, cur non etiam per orientalem egredi licebat? Credo, ne in illo regressu à porta laterali ad principalem, terga ad sanctuarium, saltem obliquè verterentur. Cùm igitur Deus hanc in templo irreuerentiam tam diligenter præcaueret; mirum non est, si illam tam grauiter puniret.

Quinta ratio

XXVI. D. Isidor. Beda. Euchet. Hugo Vict. Rabban. Angelom. D. August. *Qui ad posteritatem vitã redeunt, verberantur.*

DEsumitur ex D. Isidoro, Beda, Eucherio, Hugone Victorino, Rabbano, Angelomo, & aliis, quibus adde D. Aug. in Psal. 77. ex quo illam cæteri mutuantur. Ea verò est: quia æquũ erat, vt in posterioribus cæderentur, qui posteriorem vitam diligebant, seu ad retrò acta peccata remigrabant. Illi, inquit D. Aug. *qui posteriora dilexerunt; ex ipsis iustissimè cruciabuntur.* Tales erant Philisthini, dum collapsum sæpiùs Dagonem, sæpiùs erigebant, vt suprà in Litera aduertimos: hoc est, euersam sæpiùs idololatriam, sæpiùs reparabant.

Relapsos in culpam execratur Deus.

Hos in scelera relapsus maximè execratur Deus. Omnis lepra in Scriptura immunda ac detestabilis est: sed illa, quæ in cicatrice nascitur, immundior ac detestabilior censetur. Vnde Sacerdos inspiciens leprosum, cui in loco vlceris, seu in cicatrice, noua lepra suboriatur: *Contaminabit eum*, inquit Legislator. Et causam reddit: *Plaga enim lepra orta est in vlcere.* Leuit. 13. n. 20. Quid aliud, quæso, significat lepra in cicatrice recrudescens, quàm peccatum post culpam iam sanatam reuiuiscens? Vt enim illa rediens lepra; ita & hæc culpa renascens, turpior ac periculosior existimatur. Quare D. Hier. in c. 7. Michææ, rectè monet hos in eandem culpam reditus maximè fugiendos: *Multò melius est*, inquit, *non habere vulnera, & Medico non egere. Curatio, nõ beatitudo sanatorum est, sed solatium post dolorem. Igitur, qui curatus est, caueat, ne iterum peccet, & rursum ei aliquid deterius fiat.* Et statim in hanc sententiam explicat citatum Leuitici locum: *Legimus*, inquit, *in Leuitico, in vibice & cicatrice combustura lepram solere generari; & mutare colorem pili, & ad priorem deformationem cicatricis nouellam accedere fœditatem. Hoc propterea, ne quis securus de pœnitentia peccet, & cauterio indigeat, & sanatus iterum vulneretur.* Nam, sicut vulnus, quod sanatum recruduit, ægriùs curatur: ita peccatum, quod semel remissum, posteà reuixit, difficiliùs aboletur.

Peccatum lepra comparatur. D. Hieron. *Qui recidit in morbum, laborat grauius.*

XXVII. D. Eligius. *Peccata sæpiùs repetita, difficiliùs emendantur.*

Non multùm differt ab hac, similitudo illa, qua vtitur D. Eligius Nouiomensis Episcopus hom. 15. petita ab ossibus, quæ suis locis semel mota, facilè restituuntur: si sæpiùs luxentur, difficillimè instaurantur. *Si alicui*, inquit, *crus frangatur aut manus; cum labore solet ad pristinũ reuocari officium: si verò secundo, aut tertio, eodem loco membra ipsa frangantur; potest intelligere charitas vestra, cum quantis doloribus & cruciatibus vulnera ipsa curanda sunt. Et tamen post longos & multos labores vix erit vnquàm, vt ad pristinum statum membra ipsa valeant reuocari. Similis ratio in animarum fracturis existimanda est. Si ergo semel aliquis, aut secundò capitalia crimina admiserit, & ad pœnitentiæ fructum confugerit; incolumitatem, quam perdiderat, recipiet: si verò crimina criminibus cœperit addere, & animarum vulnera tegendo permiserit putrescere; timendum est mirum in modum, ne in illo impleatur illud Prophetæ: Computruerunt iumenta in stercore suo.* Ioël. 1. num. 17.

XXVIII. *Lotus per gratiam non debet se iterũ contaminare.*

Certè Sponsa nihil curabat impensiùs, quàm ne vnquam ad peiora retraheretur peccata. Huc enim spectans dicebat: *Expoliaui me tunica mea; quomodo induar illa? Laui pedes meos; quomodo inquinabo illos?* Cant. 5. num. 3. In quæ verba Diuus Bern. serm. 3. in Cantica: *Si dixerit*, inquit, *mihi Iesus: Dimittuntur tibi peccata tua: nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam meam; si reinduero eam, quantum profeci? Si rursus pedes meos, quos laueram, inquinauero; nũquid aliquid lauisse valebit? Sordes omni genere vitiorũ iacui diu in luto facis: sed erit sine dubio recidenti, quàm iacenti deterius. Denique qui me sanum fecit, ipsum mihi dixisse recordor: Ecce sanus factus es; vade, iam amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat. Qui autem dedit voluntatem pœnitendi; opus est, vt addat & continendi virtutem, ne iterum pœnitenda committam, faciámque nouissima mea peiora prioribus.* Hæc Bernardus disertè. Sed in iisdem Spõsæ verbis expende illud, *Expoliaui*. Non dicit, Exui; sed, *Expoliaui*: vestis enim, quæ solùm exuitur, paulò pòst facilè induitur: at quæ spoliatur, ab hostibus tollitur & auehitur, nunquàm ampliùs redonãda & induenda. Ita planè & Sponsa suas omnes culpas abiecit, nunquam ampliùs reuocandas, aut repetendas. Ingeniosè quidem D. Ambr. lib. 3. De Virginibus, ad medium, circa eadem Sponsæ verba, particulam illam, *Quomodo*, expendit: *Vide*, inquit, *anima Deo deuota quid dicat. Sic se actus corporis, & terrenos exuit mores, vt nesciat, quomodo, etiamsi velit, rursus possit induere: Quomodo induam illam? Hoc est: Qua verecundia? quo pudore? qua postremò memoria? Consuetudo enim boni, vsum prauitatis veteris amisit. Laui pedes meos: non dicit: Quomodo iterum lauabo eos? sed, quomodo iterum inquinabo eos? Quasi oblita maculæ veteris, oblita contagij. Itaque pedes cùm semel laueris æterni fontis irriguo, & mysterij mundaueris Sacramento; caue iterum corporea cupiditatis illuuiem, ne lutulenti actus sordibus inquinentur.* Sic igitur prioris vitæ peccata sunt abiuranda, vt nec voluntas, nec potestas ad illa repetenda nobis vlla relinquatur.

D. Bern. *Sponsa Christi non solùm vitiis se exuit, sed spoliat.* D. Ambr. *Anima iusti ad præterita reuertendi nescius modũ.*

XXIX. D. Hier. *Iustus, ea quæ reliquit recipere, & respicere non debet.*

Ad hanc Sponsæ tunicam nonquàm ampliùs induendam in sensu mystico respexit Christus Dominus dicens: *Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua; & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam.* Matthæi 25. num. 17. Ad quæ verba alludens D. Hier. in epist. 28. ad Lucinum: *Obsecro te*, inquit, *& moneo parentis affectu, vt qui Sodomam reliquisti, ad mõtana festinans, post tergum ne respicias: ne aratri stiuam, ne fimbriã Saluatoris, ne cincinnos eius noctis rore malefactos, quos semel tenere cœpisti, aliquando dimittas: ne de tecto virtutũ pristina quæsiturus vestimenta descendas: ne de agro reuertaris domum: ne campestria cum Lot, & amœna hortorum diligas; quæ non irrigantur de cælo, vt terra sancta; sed turbido flumine Iordanis, postquàm dulces aquas maris mortui commixtione mutauit. Cœpisse, multorum est: ad culmen peruenisse, paucorum.* Sed de hac re ad c. 7. multa cumulabo.

Sexta ratio.

XXX. *Dei supplicium etiã in posteritatem manat.* Petr. Bles.

IN posterioribus Philisthini percutiuntur, vt in tota sua posteritate feriendi significentur: hoc est, non solùm in hac vita, sed etiam in futura: nec solùm in suis corporibus, sed etiam in suis filiis ac nepotibus. Sic Petrus Blesensis epist. 48. comparans improbos Prælatos ac Principes, cum Philisthinis: *Nónne*, inquit, *isti in posteriora percussi sunt; quorum finis interitus; quorũ posteritas damnata est: vt successor eorum in Ecclesia Dei de cætero non*

non resurgat? Vbi posteriora sumit, pto futura & duratione & propagatione: & in vtraque docet Philisthinos, & cum illis pariter malus Principes à Deo puniendos. Nam Deus mitiùs agit in hac vita cum peccatotibus, durissimè acturus cum iisdem in fututa. Vnde Iob de Deo loquutus: *Nunc,* inquit, *non infert furorem suum, nec vlciscitur scelus valdè.* Iob. 35. num. 15. Vbi non dicit, Deum in hac vita non inferre pœnam, seu non inferre furorem, seu acerbissimam pœnam: neque dicit absulutè, oon vlcisci; sed, non vlcisci valdè: vt seuerior vltio in futuram vitam reseruetur. Quod fortasse significare voluit D. Greg. libr. 26. Moral. c. 57. *In conuersis,* inquit, *mentibus æterni iam iudicij sententia propinatur.* Nam verbum propinandi significat, poculum porrigere, non vt exhauriatur, sed vt prægustetur. Quasi diceret: Mali in hac vita solùm prælibant diuinæ iræ calicem, vt eum totum vsque ad fæces exhauriant in futura.

Deus in futuro sæculo grauius punit.

D. Greg.

XXXI. Bene de hac te Salomon: *In labiis,* inquit, *sapientis inuenietur sapientia: & virga in dorso eius, qui indiget corde.* Prou. 10. num. 13. Vbi D. Hieronym. si eius sunt illi Commentarij, qui eius nomine in parabolas Salomonis citcunferuntur: *Virga,* inqoit, *in dorso, est vindicta in posterioribus, id est, in sequenti vita; quam bene plaga illa famosa, qua Philisthæi in natibus feriebantur, exprimit. Qui ergo non vult virgam in dorso portare; portet in labiis sapientiam, loquatur laudes Christi, & præcepta prædicet.* Itaque grauiores peccatorum plsgæ in futuram vitam differuntur. Vnde illud; *Ne des alienis honorem tuum, & annos suos crudeli, &c. ne fortè gemas in nouissimis.* Prou. 5. num. 9. & sequentibus; seu, vt est in fonte: *Ne forte rugias:* scilicet, præ ignominia vltionis ab homine in bestiam ttansformatus. Et illud: *Cor durum malè habebit in nouissimo.* Eccles. 3. num. 27. Faciles enim sunt præsentes pœnæ, si cum futuris comparentur. Vnde Ioannes nouissimas plagas commemorans: *In illis,* inquit, *consummata est ira Dei.* Apoc. 15. num. 1. Vt summa earum grauitas ostendatur.

D. Hier.

Pœna grauiores in posterũ differuntur.

Præsentis vitæ supplicium leue respectu futura.

XXXII. Iam verò in filiis ac nepotibus grauis etiam à Deo punitio exercetur; cùm posteriora percuti dicuntur. Vnde Deus ad Iehu: *Ecce ego,* inquit, *demetam posteriora Paasa, & posteriora domus eius.* 3. Reg. 16. num. 3. Hoc est, eius posteros, filios ac nepotes succidam. Et Propheta Helias ad Regem Achab: *Ecce ego,* inquit, *inducam super te malum, & demetam posteriora tua, & interficiam de Achab mingentem ad parietem.* 3. Reg. 21. num. 21. Hoc est, tuos omnes posteros abolebo. Vulgaris est illa quæstio, cur, peccante Cham, eius filius Ghanaam à Noë maledicatur? Gen. 9. num. 25. Sed inter multiplices rationes, à nobis partim tradendas, partim iam traditas, tom. 1. Ann. 4. Sect. 4. §. 4. & Annot. 12. Sect. 2. §. 4. & in hoc tomo, c. 3. Num. 8. §. 17. illa est ad rem præsentem accommodata, quam reddit D. Greg. proximè citatus: *Quid est,* inquit, *quòd, Cham peccante, Chanaan eius filius sententiam vltionis accipit? Quid est, quòd non in se, sed in posteritate percutitur: nisi quòd reproborum nequitia hìc quidem inulta proficiunt, sed in posteritate feriuntur?*

Peccatores in filiis etiam ac nepotibus puniuntur.

D. Greg.

XXXIII. Igitur & Philisthinis hoc loco graoes quidem pœnæ infliguntur in præsens: sed grauiores in posterum intenduntur. Quas Deus apertiùs prædixit, illis verbis: *Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non conuertam eum: & mittam ignem in murum Gazæ, & deuorabit ædes eius. Et disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone. Et conuertam manum meam super Accaron, & peribunt reliqui Philisthinorum. Dicit*

Infligit præsentibus & futuris cladibus atterun-tur.

A *Dominus.* Amos 1. à num. 6. Vbi vides præcipuas Philisthinorum vrbes non solum præsentibus cladibus attritas, sed etiam grauioribus in posterum atterendas. Et fortasse regius Vates hanc huius loci intelligentiam expressit. Cùm enim dixit: *Et percussit inimicos suos in posteriora:* statim quasi explicaturus, quid esset, saltem mysticè, percuti in posteriora, subdidit: *Opprobrium sempiternum dedit illis.* Ps. 77. num. 66. Vt significaret, eam punitionem non solùm ad præsens, sed etiam in perpetuum duraturam.

Septima & vltima ratio.

XXXIV. Ne quid in hac digressione indictum relinquatur: Vltima ratio, cor Philisthini in posterioribus feriantur, desumpta ex Glos. interl. & Rup. est: quia huiusmodi peccatores corporibus quidem Azotum habitabant, sed moribus Sodomam referebant. Vnde D. Hier. in c. 20. Isai. & in c. 1. Amos, Azotum interpretatur *ignem*, siue, *incendium:* vt iam hoc cap. Num. 1. aduertimus: quòd in ea vrbe libidinum flammæ & præposteræ turpitudinis incendia grassarentur; quam ipsi Iudæi, qui commisti inter Gentes didicerunt opera earum, imitabantur; iuxta illud: *Augures habuerunt, vt Philisthiim, & pueris alienis adhæserunt.* Isai. 2. num. 6. Vbi ex pessimis magistris pessimi discipuli prodiêre. Ex quorum tandem impudentia consequutum est *Iasonis nefarium & inauditum scelus;* vt in Litera appellatur: qui *ausus est sub ipsa arce gymnasium constituere, & optimos quosque ephebotum in lupanaribus ponere.* 2. Mach. 4. num. 12. Sed quantum hoc fuerit illius populi exitium, statim Historia declarat: *Erat autem,* inquit, *hoc non initium, sed incrementum quoddam & profectus Gentilis & alienigenæ conuersationis.* Ibid. num. 13. Quod igitur opprobrium sempiternum tam effræuata impudentia non mereatur?

B

Philisthini præpostera libidinis pœnas luunt.

Glos.

Rupert.

D. Hier.

C

XXXV. Pessimi quidem sunt huiusmodi peccatores. Vnde quando Iosephus accusauit fratres suos *crimine pessimo.* Gen. 37. num. 2. de hoc crimine accusauit: vt Rup. lib. 8. in Gen. c. 19. sequutus alios, quos ipse nominat *viros illustres*, interpretatur. Filios noctis appellat Interl. Vnde *duo Angeli venerunt Sodomam vesperi.* Gen. 19. num. 1. tum ob alias causas, quas Interpretes reddunt: tum etiam, quia quocunque tempore venissent; semper vesperum, immò obscuram & Stygiam quandam noctem apud noctis filios inuenissent. Vbi nota ex D. Ioanne Climaco in primo gradu scalæ, ad omnes Hebræus ex Ægypto eruendos, vnum Moysen satis fuisse: ad liberandum verò de Sodomis vnum Lot, necessarios fuisse duos Angelos: quia Hebræi significabant peccatores sola mente corruptos: Lot autem peccatores etiam corpore putrefactos. Hi verò, vt suis è peccatis eruantur: *Homine,* inquit, *æquali Angelis adiutore opus habent. Nam secundum vulnerum putredinem peritissimo artifice, & Medico egemus.* Qoantum igitur est illud incendium: ex quo quis, non nisi Angelicis viribos eruatur?

Peccatores noctis filij appellantur.

Rupert.

D

Interl.

D. Ioan. Clim.

Ex Sodomitico incendio nõ nisi angelicis viribus eruũtur.

E

XXXVI. Persequutotes esse humanæ naturæ significat D. Paulus, loquutus de duobus fratribus Isaac & Ismaël: *Is,* inquit, *qui secundùm carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundùm spiritum: ita & nunc.* Galat. 4. num. 29. Hoc est, iuxta interpretationem Hebræorum, quam Lyra, Haymo, aliique sequuntur: Frater fratrem ad hoc nefarium scelus prouocabat. Non solùm persequutores, sed etiam proditores humanæ naturæ appellat D. Chrys. hom. 4. In Epist. ad Rom. Nam ad illa verba: *Tra-*

Lyra.

Haymo

D. Chrys.

Nefandi humana natura, & persequutores, & proditores.

didit illos Deus in passione ignominia, &c. Rom. 1. num. 26. Multa de his infandis peccatoribus præfatus, subdit: *Neque hoc solum dico, quòd fœmina effectus sis; sed quòd perdideris ipsum hoc, nimirum, virum esse: & quòd neque in hanc transieris naturam, neque quam haberes, asseruaueris: sed communis vtriusque effectus sis proditor: dignus, quem tum viri, tum fœmina lapidibus à se exigant; tanquàm, qui vtrunque genus iniuria affeceris.*

XXXVII. *Vir nec vestibus, nec moribus fœminam mentiri debet.* D Ambr. Vnde est illa prohibitio diuina: *Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fœminea.* Deut. 22. num. 5. Quam D. Ambros. epist. 15. ad Irenæum, non solùm de vestibus, sed etiam de moribus interpretatur, ne scilicet vir & fœmina, tanquàm humanæ naturæ proditores se mutuò mentiantur. *Arbitror*, inquit, *quòd non tam de vestibus, quàm de moribus dixerit.* Et statim: *Quàm deforme*, inquit, *virum facere opera muliebria? Ergo & pariant, ergo parturiant, qui crispant comam, sicut fœmina.* Et paulò pòst in alios inuehitur: *Qui hoc ad luxuriam deriuandum putant; vt calamistratos & torquatos habeant in ministerio; ipsi promissa barba, illos remissa coma.* Sic Ambrosius. Et ante illum Clem. Alex. lib. 2. Stromatum, post medium, eodem modo exponit. Quærens enim, cur lex viro prohibeat vestem muliebrem: *An non*, inquit, *nos vult esse viros, & nec corpore, nec factis, nec mente, nec verbis effœminari?*

Clem. Alex.

XXXVIII. *Effœminati, vt latrones, sibi ipsi sunt cruces & patibula.* Lattones vocat Scriptura huiusmodi peccatores. Nam Rex Iosias dicitur destruxisse *ædiculas effœminatorum*. 4. Reg. 23. num. 7. seu, vt Hebræi transferunt apud Lyram: *Ædiculas latronum.* Et quia nihil magis conuenit latronibus, quàm furca, seu patibulum: *Tradidit illos Deus*, inquit D. Paulus, *in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis.* Rom. 1. n. 24. Quasi ipsi sibi sint infame lignum, è quo suspensi, non modò crucientur, sed etiam perpetuam ignominiam patiantur. Vnde Dominicus Soto in Pauli verba; *Nullum*, inquit, *potuit in impios acerbiùs patibulum decerni, quàm quòd in propria traderentur desideria, atque ea quidem immunda & inpudica, qua voluntatem ad malum propellerent; quo naturam ipsam inquinarent & infamarent.*

Soto.

XXXIX. D. Chrys. *Nefandi, bestia, immò bestiis deteriores.* Præterea D. Chrysost. hom. 43. in Gen. hos infandos peccatores, *truculentas bestias* appellat. Et meritò. Cùm hoc *fel draconum, & venenum aspidum insanabile* in suburbanis Gomorthæ proueniat. Deut. 32. num. 33. Hoc est, in illo turpitudinis incendio, hæ salamandræ & pyraustæ nutriantur. Immò & bestiis deteriores iudicat idem Chrys. hom. 4. cit. in Epist. ad Rom. *O insaniam!* inquit, *ô stupiditatem! ô vos & brutis insipientiores, & canibus impudentiores! Nusquàm enim huiusmodi congressus apud illos; sed agnoscit proprios terminos natura. Vos autem genus vestrum infamius brutorum genere effecistis.* Quibus similia inculcat lib. 3. aduersùs vituperatores vitæ monasticæ: vt in 1. tom. Annot. 18. Sect. 3. §. 14. iam retulimus. Verùm Tert. lib. De podicitia, c. 4. non modò bruta appellat, sed monstra: *Reliquas*, inquit, *libidinum furias impias, & in corpora, & in sexus, vltra iura naturæ, non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submouemus: quia non sunt delicta, sed monstra.* Et quamuis loquatur de vitiis; pari ratione loqui potuit de vitiosis: quos Clem. Alexand. lib. 3. Pædagogi, c. 3. & Philo Hebræus lib. De specialibus legibus, vocat *Androgynos*, hoc est, vtroque sexu constantes. *Androgyni* verò, teste Cicerone, monstra quædam fatalia censentur.

Tert. *Non solùm bestiæ sunt, sed monstra.*

Clem. Alex. Philo.

Cicero.

XL. Mirum est, quàm actitet in hæc humanæ naturæ portenta hi duo Patres proximè citati inuehantur. Nam Clem. Alex. multa loquutus de ornatu, cultu, pexu, tincturáque & læuore horum effœminatorum, vocat callidiores serpentibus; qui veterem exuunt senectam, nouámque sibi induunt iuuentam. *Putant enim*, inquit, *se sicut serpens, posse senium capitis exuere: dum se ipsos pingentes transformant, ac renouant. Sed etsi pilos callide circumscribant, rugas tamen non effugient: sed neque mortem latebunt, etsi tempus per artem ementiantur.* Deinde maiorem in hos stomachum effusurus, quandam veluti precatus veniam, ne procacitatis arguatur, *A Verbo*, inquit, *inflammor*, scilicet, ad hos homines corripiendos. Et statim monet, tales non viros, sed mulierculas à tota Repub. longissimè relegandas: quantò magis à familia, à domo, à contubernio, ne pestifero afflatu, quos contingerint, veoenent. Et paulò pòst eorum incontinentiam detestatus, qui scientes, omnes capillos oris & capitis sui numeratos esse apud Deum, ne vllus ex illis pereat; eos tamen vellunt, iniussu supremi Conditoris, vt venustiores, & proinde impudentiores efficiantur: *Quomodo*, inquit, *non sunt impij, qui conforme Domino corpus iniuria, probróque afficiunt? Vellendi non sunt pili, sed cupiditates.* Vbi plura de hac re.

Clem. Alex. *Effœminati serpentibus callidiores.*

Pestifero afflatu alios venenant.

XLI. Philo Alex. *Effœminati naturæ hostes.* Iam verò Philo Alex. hos appellat publicos *naturæ inimicos: effœminatos iuxtà corpore atque animo, ne scintillam quidem retinentes generis masculi: propalàm plectentes cincinnos, ornantésque & cerussa fucóque oblinentes faciem.* Et paulò pòst: *Amator*, inquit, *puerorum, voluptates alienas à natura sectatur, & voluptates, quantùm in ipso est, desolat; duorum maximorum vitiorum magister, ignauia mollitieq́; iuuentutem ad formæ curam assuefaciens, & florem ætatis effœminans. Denique more mali agricolæ fœcunda arua inculta sinit squallescere; alia verò, ex quibus nullus fructus expectari potest, colit.* Idem rursus lib. De vita contemplatiua, describit lotos, nitidos, fucatósque ac cincinnatulos Ganymedes; & tanquàm exiguos summorum incendiorum fomites, & lethiferas maximarum vrbium pestes detestatur. Et paulò inferiùs: *Desolationem*, inquit, *vrbium, & raritatem optimi generis hominum, sterilitatemq́; meditantur isti: qui more imperitorum agricolarum, præteritis agris campestribus, & feracibus, in aspreta saxosa salebrosáque sementem faciunt, mox perituram, nec vnquàm ad frugem peruenturam.*

Molles & delicati vrbium euersores.

XLII. Lactantius. *Quanta sit nefandi sceleris magnitudo.* Nihilo mitior inuehitur in hanc præposteram intemperantiam Lactant. Firmianus lib. 6. diuin. Instit. c. 23. *Non potest*, inquit, *hæc res pro magnitudine sceleris enarrari. Nihil amplius istos appellare possum, quàm impios & parricidas: quibus non sufficit sexus à Deo datus, nisi & suum profanè ac petulanter illudant.* Et paulò pòst huius sceleris turpitudinem execratus: *Piget*, inquit, *dicere. Sed quid his fore credamus, quos non piget facere?* Et statim tanto flagitio explicando prorsus impar: *Quibus hoc*, inquit, *verbis, aut qua indignatione tantum nefas prosequar? Vincit officium lingua, sceleris magnitudo.* Adde D. Cyprianum, qui lib. De bono pudicitiæ, paulò post initium, de hac insana pariter & infanda cupiditate loquutus: *Dum se*, inquit, *non continet intra concessa, parum sibi putat satisfactum, nisi in virorum corporibus non voluptatem nouam quærat; sed extraordinaria & portentosa contra ipsam naturam ex viris per viros monstra conquirat.*

D. Cypr.

XLIII. D. Bern. Cæterùm D. Bern. serm. De conuersione ad Clericos, cap. 29. docet, nemini credendam fuisse tam nefandam abominationem; nisi, proh dolor! certis probaretur experimentis. Et statim vehementer admiratus, peccatum olim tam grauibus

extin

Nefandum scelus hydræ capitibus simile renascitur.

extinctum suppliciis, reuixisse: *Nunquid non*, inquit, *& ipsam, vtpote consciam tantæ confusionis tellurem absumpsit ignis, sulphur, & spiritus procellarum? Amputata sunt hydræ capita quinque, sed heu innumera surrexerunt. Quis reædificauit vrbes flagitij? quis turpitudinis mœnia dilatauit? quis extendit propagines virulentas? Væ, væ, inimicus hominum, sulphureo illius incendij reliquias infelices circunquaque dispersit, execrabili illo cinere Ecclesiæ corpus aspersit, & ipsorum quoque ministrorum eius nonnullos sanie fœtidissima, spurcissimaq; respersit.* Quod D. Bern.

D Bernard.

amarissimè lamentatur. Quid enim indignius? quid magis dolendum, quàm sacros homines tam profano incendio correptos? *Heu genus electum*, inquit, *regale sacerdotiū, gens sancta, populus acquisitionis; quis credere posset, posse in te talia aliquando reperiri?*

XLIV. D. Chrys. *Amore infando possessus à Dæmone possidetur.*

Tandem parum est, hos peccatores bestiis ac monstris comparari; cùm etiam Dæmonibus conferantur. Nam D. Chrys. hom. 4. in Epist. ad Rom. horum hominum *dogma satanicum*, horum *vitam diabolicam* appellat. Cum aliquando ad D. Martinum puella quædam sisteretur, quam Diabolus inuaserat, sollicitatus magicis artibus vnius adolescentis, qui illius pudicitiam expugnare conabatur; interrogatus Diabolus à Martino, cur non potiùs sceleratum iuuenem, quàm innocentem virginem arripuerit, respondit: *Quia iuuenis*, inquit, *habet collegam meum, amoris Dæmonem.* Quasi non minùs arreptitius sit, ac dæmoniacus, qui profanum amorem, quàm qui Dæmonem patiatur. Quod veriùs in eos quadrat, qui feralibus tædis præposteræ libidinis agitantur. Vnde eodem igne, qui paratus est Diabolo & Angelis eius, non solùm in futuro seculo torquebuntur, sed etiam in præsenti punientur.

XLV. D. Chrys. *Pentapolis ob nefandū scelus gehennæ similis.*

Patet hoc in infami illa Pentapoli, quam etiam in hac vita gehennalis quædam pœna labefecit. Nam illius peccatum tantum fuit, teste Diuo Chrysostomo citato, vt ipsam quoque gehennam etiam ante tempus existere coegerit, dum illud sulphoreum incendium è cælo euocauit. Immò addit Chrys. *Quot tandem, obsecro, gehennæ his plectendis suffecerint?* Et serm. De Adam, Sodomitis, Achab, & pœnitentia, in 1. tom. rectè expendit, peccatum contra naturam, igneo diluuio contra naturam corripi debuisse: *Erat*, inquit, *iusta tributio his, qui naturæ subuerterant leges, fœminas in masculis quærentes, vt inuertatur in eis naturæ ordo, & fiat eis naufragium ex igne, quasi ex aqua.* Immò tota illius regionis natura defecisse quodammodo videtur, dum arbores steriles, terra arida, mare mortuum, omnia cinericea facta sunt: vt incolarum degeneres animos, & corrupta corpora contra naturam testarentur.

Peccantes cōtra naturam, diluuio contra naturam puniuntur.

XLVI. Magnitudo verò huius diluuij, seu supplicij, rectè colligitur ex illis verbis: *Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo.* Gen. 19. num. 24. Vbi auctor huius pœnæ dicitur fuisse non Angelus, non Diabolus, non homo, vt sæpè aliàs fiebat: sed *Dominus à Domino.* Quod expendens Innocentius III. lib. De contemptu seculi, cap. 25. *Noluit*, inquit, *Dominus cuiquam Angelorum, vel hominum executionem huius pœnæ committere: sed sibimetipsi vindictam huius sceleris reseruauit; secundum illud: Mea est vltio, & ego retribuam.* Deut. 32. n. 35. *Et ideò pluit Dominus à Domino, videlicet, à se ipso, non imbrem, vel rorem; sed sulphur & ignem: sulphur super fœtorem luxuriæ; ignem super ardorem libidinis: quatenus pœna similis esset culpæ. Nec misisse dicitur, sed pluisse: quatenus ipso verbo magnitudinem & abundantiam pœnæ* A *notaret.* Addo, noluisse Deum, vt tam inuisum scelus ab aliquo etiam punituro videretur: ne fortè vel ipso aspectu Angelus, vel homo, si vltores essent, quodammodo inficerentur.

Per se ipsum Deus tam nefarium scelus punit.

Supplicij magnitudo per pluuiam exprimitur.

Omnes inficit luxuria contagium.

XLVII. D. Anast.

Ex hoc supplicio in veteres illos Sodomæ incolas decreto, colligit D. Anast. Nis. q. 8. in sacram Scripturam, quantùm decernetur aduersùs eos, qui nunc illud scelus tanto incendio obrutum ac sepultum, denuò suscitant & instaurant. *Si illi*, inquit, *qui legem non didicerant, neque Prophetas legerant, propter execrandam illam operationem consumpti sunt à sulphure; quanto nos maiori digni sumus supplicio, qui legem & Prophetas & Apostolos assidue legimus, & deteriora facimus?* In hanc rem detorquet D. Per. Dam. Opusc. 7. citato illud Ieremiæ: B *Maior effecta est iniquitas populi mei peccato Sodomorum, quæ subuersa est in momento.* Thr. 4. n. 6. *Iniquitas*, inquit, *christianæ animæ peccatum superat Sodomorum: quia vnusquisque nunc tantò deterius delinquit, quantò & ipsa euangelicæ gratiæ mandata contemnit.* Vbi de hac re multa.

Qui alieno malo non sapiunt grauius puniuntur.

D. Petrus Dam.

XLVIII. D. Ioann. Climacus. *Nefandi sceleris olim interdictis.*

Notatu dignum est, quod refert D. Ioannes Clim. gradu 15. Scalæ, Hæreticos quondam ex Ecclesiæ instituto post vnius anni pœnitentiam ad Sacramenta suscipienda restitui solitos: eos verò, qui in hanc turpitudinem laberentur, per plures annos à sacris mysteriis communicandis separatos. Immò D. Petr. Dam. Opusc. 7. qui liber Gomorrhianus inscribitur, c. 13. antiquum Ecclesiæ decretum refert, in quo statuitur, vt is, qui ante C vigesimum ætatis annum tale crimen admiserit; non nisi post decennium in vera pœnitentia traductū ad recipienda Sacramēta admittatur: si antē post annū ætatis vigesimumquintū, in quo maior iam prudentia, & consequenter maior malitia præsumitur, in tale malum inciderit, non nisi post trigesimum annum in pœnitentia exactum ad sacra suscipienda mysteria reuocetur. Ex quibus patet atrocitas huius sceleris, quod tam grauibus à Deo suppliciis puniatur.

D. Petrus Dam.

XLIX. *Et ebullierunt villæ*, &c. Reliquam huius Numeri partem multa exemplaria Hebræa, Chaldæa & Græca in Bibliis Regiis & Complutensibus excludunt: vt Lyr. Abul. Caiet. & latius Lucas Burg. in Notationibus huius loci obseruant. Nonnulla D aliter atque aliter transponunt; vt videre est in Bibliis Sixtianis, & ipse Burgensis citatus aduertit. Sed Latinum omnium emendatissimum non solùm admittit, sed etiam in proposito ordine conseruat. Quamuis enim hanc murium plagam in fonte non inuenerit: tamen satis apertè illam collegit ex voto Philisthinorum, qui sequenti cap. Num. 5. mures aureos pro supplicio deprecando obtulerunt. Continent autem hæc verba alteram Philisthinorum pœnam, non tam corporibus, quàm facultatibus inflictam. Et sensus est: Tam multi in ea regione mures subitò pullularunt, vt villæ & agri feruere quodammodo, & ebullire viderentur. Et possunt verba aut transponi, sic, Nati sunt mures, & præ illorum multitudine ebullierunt villæ, & agri: aut eo, quo iacent, ordine E explicari; Ebullierunt villæ & agri, & nati sunt mures, &c. Vtronis modo explices, rectè habet. Cæterùm tres hoc loco dubitationes seorsim expediantur.

Lyra. Abul. Caietanus. Luc Burg. *Altera Philisthinorum plaga proponitur.*

Prima dubitatio.

L. Philast. *Varia de muribus sententia.*

QVæres primò: An hi fuerint propriè mures. Auct. mirabilium Scripturæ, lib. 1. c. 7. legit *Sorices*, quæ est quædam murium species. Eodem modo legit Philastrius in Catalogo De hæresibus ante

Philo.

ante aduentum Christi, c. 12. Philo in Antiq. Biblicis vocat *Scorpiones* dicens, perituros allophylos, *Scorpionibus, & omnibus reptilibus pessimis* extinctos. Sed vulgaris editio, Iosephus, Comestor, & Interpretes communiter, murium dunxtaxat meminerunt, verósque & proprios esse, non dubitarunt. Nec mirum, cùm etiam ab his magnæ calamitates oriantur: vt statim dicam. Et eorum morsus est maximè venenosus, præsertim eorum, quos *Araneos* appellant; vt Aristoteles lib. 2. De histor. animalium, c. 24. & Plinius lib. 8. natur. histor. c. 58. testantur. Dentes verò in modum serræ, durissima quæque ligna exedunt & corrodunt. Vnde à serra *Sorices* appellantur; vt Abul. in cap. 11. Leu. q. 45. aduertit. Et aspectus ipsum quoque elephantum terrefacit. Vnde D. Ambr. lib. 6. Hexam. c. 6. *Non amplius*, inquit, *miror elephantum, quia procerus est; quàm murem, qui terribilis elephanto est. Formidabilis tauris elephantus murem timet.* Quibus similia scribit D. Basil. hom. 9. mundani opificij. Quod mihi videtur à Deo prouidentissimè factum esse, vt quodam veluti naturæ precouio moueantur homines, ne quis magnitudine sua tumens, aliorum paruitatem aspernetur; cùm etiam vasta & procera animalia ab exiguis bestiolis terreantur.

Arist. Plinius. Abul. D. Ambr. D. Basil. *Superbi humiles aspernari non debent.*

LI. *Dæmones fraudulentis murium comparantur.*

Mirum igitur non est, si hi, qui natura mures erant, effectu ipso, seu, damno illato, scorpiones viderentur. Vnde rectè D. Greg. hoc loco per hos mures interpretatur Diabolos, in tenebris corrodentes; & quidquid viribus non possunt, fraudibus machinantes. Nam, si Dæmonum infirmitas attendatur, mures sunt; si crudelitas, scorpiones. *Quorum*, vt loquitur Tert. in Scorpiaco, c. 1. *tot sunt venena, quot ingenia; tot pernicies, quot & species; tot dolores, quot & colores.* Lege, quæ de his scorpionibus Viegas Apoc. 9. comment. 2. sect. 12. & Delrius in Adagialibus veteris Testamenti, Adagio 492. disseruerunt. Sed Rup. lib. 1. c. 14. ad hunc locum eleganter: *Quid*, inquit, *sunt illi, qui obsiderunt, & terra demoliti sunt mures; nisi maligni spiritus: iustis quidem contemptibiles, vt mures; peccatoribus autem terribiles, vt leones?* Quasi Dæmones vtramque naturam sortiantur; & fragilium murium aduersùs bonos; & terribilium leonum aduersùs malos: quia hos facilè superant; ab illis faciliùs superantur. Quò pertinet illud Eliphaz: *Tygris periit, eò quòd non haberet prædam.* Iob. 4. num. 11. seu, vt vertunt Septuag. *Myrmicoleon periit:* hoc est, *formicarius leo, seu formica leo.* Sub quo nomine Olympiod. in catena Græca, Diabolum intelligit, qui formica simul, & leo dici potest; dum in peccatores, tanquàm leo violentus irruit: à iustis tanquàm vilis formica proculcatur. Vnde D. Greg. lib. 5. Mor. c. 17. *Rectè*, inquit, *Myrmicoleon, id est, leo & formica dicitur antiquus hostis; quia sicut contra consentientes fortis est; ita contra resistentes debilis. Si enim eius suggestionibus assensus præbetur, quasi leo tolerari nequaquàm potest; si autem resistitur, quasi formica atteritur. Aliis ergo leo est, aliis formica: quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant: spiritales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant.* Meritò quidem Diabolum compares cum chamæleonte; de quo festiuiter Tert. lib. De pallio, c. 3. *Bestiola*, inquit, *de mediocribus oppidò; sed nomen grande chamæleontem qui audieris, haud antè guarus, iam timebis aliquid amplius cum leone: at cùm offenderis apud vineam, fermè sub pampino totum; videbis illicò audaciam, & Græciam nominis.* En tibi Diabolus: fama quidem sui nominis, formidandus; vt ingens monstrum, vt chamæleon, vt geminatus leo: at experientia suæ infirmitatis, irridendus; vt bestiola tenuis, fragilis, exilis, pigra ad fugam, pigrior ad congressum; quæ nihil vi, sed fraude valeat: solùm potens, vt loquitur Tert. *De corio suo ludere:* hoc est, colorum, quos corio refert, varietate ludificare oculos; non tamen armorum viribus animos expugnare. De qua re in superiori Annot. plura diximus.

Tert. Viegas. Rupert. *Dæmon mus & formica in probos, leo in improbos.* D. Greg. Tertul. *Dæmon chamæleonti similis, nomine magnus, viribus infirmus.*

Secunda dubitatio.

LII. *Philisthinorum naues muribus infestantur.*

QVæres secundò: Quibus rebus perniciosi fuerint hi mures? Respondeo: nauibus, agris & vrbibus. Nauibus quidem: quia, vt Septuaginta in Bibliis Sixtianis transtulerunt, seu addiderunt: Hæc murium plaga *efferbuit eis in nauibus.* Quod, licèt in Hebræo fonte non habeatur, adhiberi tamen potuit à Septuaginta diuino Spiritu afflatis: neque enim puri Interpretes fuerunt, sed etiam Prophetæ: vt Diuus Irenæus libr. 1. contra hæreses, cap. 25. Clem. Alex. lib. 1. stromatum, post medium, D. Cyril. Ierosolymit. catechesi 4. & plures alij apud Salmer. tom. 1. prolog. 5. tradiderunt. Moueor, vt ita sentiam: quia Azotus & Ascalon & plures aliæ vrbes Philistinorum erant maritimæ; vt Volaterranus lib. 1. Geographiæ, sub initium, Galarza lib. 6. Instit. cap. 4. Salm. tom. 1. prolog. 41. pag. 621. & plures alij testantur. Habitabant enim Philistini ad oram maris magni, siue mediterranei versùs Occidentem. Vnde illud mare occidentale dicitur Philisthinorum; iuxta illud: *Ponam autem terminos tuos à mari rubro, vsque ad mare Philisthinorum.* Exod. 23. num. 31. Atque adeò nauibus abundabat. Quò fortasse pertinet illud: *Et volabunt in humeros Philisthiim per mare.* Isai. 11. num. 14. Quod Lyranus interpretatur de Apostolis, qui in nauibus Philisthinorum versùs Orientem nauigarunt. Vocat autem naues *humeros:* quia tanquàm humeri onera portabant. In has igitur Philisthinorum naues tanto impetu irruebant mures, vt & merces corroderent, & naues ipsas perforarent: non minori iactura, quàm illa, qua Deus olim naues Tharsis in spiritu vehementi contriuit. Psal. 47. n. 8. & classem Iosaphat & Ochoziæ toto pelago disiecit. 2. Par. 20. num. 37. Et nauem Alexandrinam, qua D. Paulus ferebatur, à fluctibus frangi, soluique permisit. Act. 27. num. 6. & 41. Nam Deus ad nauales vires infringendas, neque sæuos turbines, neque rapidos vortices requirit; minutissimæ bestiolæ satis sunt. Et fortasse quas naues ventorum impetus in medio mari non conuulsit; has soricum morsus in ipso portu dissipauit: ne magis ab hominibus periculosa tempestas, quàm insidiosa tranquillitas timeatur.

D. Iren. Clem. Alex. D. Cyril. Volater. Galarz. Salmer. Lyran. *Deus ad res magnas infringendas paruis vtitur instrumentis.*

LIII. *Quàm perniciosa sit murium plaga.*

Deinde perniciosi fuerunt hi mures circumuicinis agris, in quibus dicuntur ebulliisse: quidquid viriditatis in illis erat depascentes. Quod sæpè aliàs contingit. Nam, Æliano Auctore l. 17. c. 37. agrestes mures, quosdam populos Italia expulerunt. Auctore Magiro, in Palæsthina, pag. 241. quidam agri penè deserti sunt propter soricum & murium abundantiam: quos, nisi quædam aues deuorarent, nullam sementem facerent coloni. Denique Auctore Plinio lib. 10. natur. hist. c. 65. ingens vis agrestium murium flauentes messes aliquando populatur: idque tanta celeritate, vt dicat Arist. lib. 6. De historia animalium, c. 37. cùm aliquando agricolæ pridie metendum statuerint; postridie manè accedentes ad segetem à muribus penitùs absumptam inuenisse. Quæ fortasse ratio esse potuit, cur Philisthini dubitarent, naturalitérne, an supernaturaliter hæc plaga contigisset.

Ælian. Magirus. Plin. Aristot.

gisset. Nam, cùm hoc genus animalis sit facillimæ & numerosissimæ fœturæ; adeò vt, testibus Aristotele & Plinio citatis, viceni supra centenos vno satu in lucem edíri dicantur: immò, vt addit Philosophus, mure fœmina rescissa, fœtus fœminei iam prægnantes in eius vtero aliquando inueniri memorentur, qui vix nati statim prosiliant ad fœturam: dubitare potuerunt Philisthini, an hi mures etiam tunc naturaliter, vt aliàs solebant, pullularint. Sed tandem obseruantes, quocunque duceretur Arca, plagam sequi; & vbi Arca moraretur, ibi plagam morari; rectè colligerunt, eam murium multitudinem non ex malefico afflatu alicuius astri naturaliter, sed ex vltrice vi ipsius Arcæ, seu potiùs ipsius Numinis se ex Arca manifestantis prouenisse. Quamuis Abulensis ex eo colligat, plagam fuisse diuinitùs immissam; quòd tam multi & tam subiti mures oriri naturaliter non possent.

Prodigiosus murium fœtus.

Abul.

LIV. Tandem perniciosi fuerunt vrbibus: *Facta enim est*, inquit Textus, *confusio mortis magna in ciuitate.* Nam in primis domos corrodendo diruebant. Similes enim plagas sæpè alias factas legimus. Refert enim ex Varrone Plinius lib. 8. natur. histor. c. 29. à cuniculis suffossum in Hispania oppidum; à talpis in Thessalia; à ranis ciuitatem in Gallia pulsam; à locustis in Africa; ex Gyaro Cycladum insula incolas à muribus fugatos. Sic ille. Vnde non immeritò huiusmodi bestiolæ *Semiferæ* dicuntur: dum quidem nascuntur domibus, cicures: dum verò labefactant domos, feræ, quæ nunquàm mansuescunt. Quare monstri simile est, quod pro comperto narrat Albertus Magnus apud Pierium lib. 6. pag. 47. fuisse murem adeò mansuetum, vt in conuiuio candelam discumbentibus præferret. Similis planè illi Diabolo, qui sub forma simiæ dicitur apparuisse D. Dominico, vt recitantem preces canonicas interturbaret: quem sanctissimus vir stare compulit, & quietum ac immobilem prætendere lucernam, dum ipse precaretur. Sed, qui domos ipsas diruebant, minùs à rebus domesticis abstinerent; præsertim, cùm tanta sit murium edacitas & ingluuies, teste Plinio lib. 9. cap. 57. vt etiam aurum, cæteráque metalla corrodant; vnde posteà deprehensi & exenterati furtum restituere compelluntur. Simile illud est, quod refert Zonaras tom. 1. Annalium, ex Iosepho & Herodoto, Sennacheribum obsidionem Pelusij soluere coactum, cùm mures vna nocte arcus, cæteráque Assyriorum arma corrosissent. Itaque mures eam ipsam, in qua nati & nutriti erant, supellectilem exedebant: vt propterea Hæreticos non immeritò adumbrarent; qui inter sacras Literas nati sacras Literas mutilant, corrodentes germana verba, & supponentes adulterina. Vnde Tert. lib. 1. contra Marc. cap. 1. eundem Marcionem, qui in Ponto natus est, & Euangelium multis locis mutilauit, appellat murem Ponticum, qui inter cæteros perniciosissimus haberetur: *Quis*, inquit, *tam comesor mus Ponticus, quàm qui Euangelia corrosit?*

Plin. *Vrbes etiam à muribus vastantur.*

Albert. *Murem de mure.*

Plin.

Zonar.

Hæretici muribus similes.

Tert. *Marcio Hæreticus, mus Ponticus.*

LV. An verò hi mures in ipsos etiam homines desæuierint, dubium esse potest: nam Litera id non exprimit. Iosephus quidem lib. 6. Antiq. c. 1. D. Aug. lib. 2. De mirab. n. 7. Theod. Beda, & multò elarius Sabel. Ænead. 1. lib. 7. ita has plagas distinguere videntur, vt morbi ad homines, mures ad agros tantùm pertinuerint. Nihilominùs Philo in Antiqu. D. Greg. hoc loco, Seuerus Sulpitius lib. 1. hist. sacræ, Comest. D. Anton. 1. p. tit. 2. c. 6. Hugo Cardin. Carthus. Abul. Nauclerus lib. 1. Chronol. generat. 32. & alij expressè asserunt, mures etiam in homines irruisse, eósque lethalibus morsibus dilacerasse. Vnde nonnulli horum Auctorum comparant hos mures cum ranis Ægyptiis. Exod. 8. num. 3. Nam, sicut illæ non solùm in domos, sed etiam in corpora Ægyptiorum, vsque ad præcordia irrumpebant; vt Hebræi apud Lyranum testantur: ita & hi mures non solùm deuastabant agros, sed etiam corpora extrinsecùs mordebant; & intrò vsque ad extales eorum penetrabant. Comparant item cum Ægyptiis muscis. Exod. 8. num. 24. Nam, sicut illæ Ægyptios comedebant; iuxta illud; *Misit in eos cynomiam, & comedit eos.* Psal. 77. num. 45. & occidebant; iuxta illud: *Illos enim locustarum & muscarum occiderunt morsus.* Sap. 16. n. 9. ita & hi mures, Philisthinos. Nec immeritò. Sicut enim sanctitas D. Pauli ab eius manu expulit viperam mordere cupientem. Act. 28. num. 5. ita iniquitas Philisthinorum mures contra se armabat, & in propria viscera acuebat. Vnde plures ab his morsibus, quàm ab illis morbis interibant, vt Abul. aduertit, & ipsa tandem Littera innuere videtur; dum loquuta de muribus, statim subdit, factam fuisse confusionem mortis magnæ in ciuitate: ac si hæc magna mors, id est, generalis & per omnes sexus, status & ætates latè patens, ab his muribus intestina corrodentibus proueniret.

Mures homines etiam impetebant. Ioseph. D. August. Theod. Beda. Sabel. Philo. D. Greg. Sulpit. Comest. D. Anton.

Hugo Car. Abul. Naucl.

Iusti animalia à se expellunt: iniusti in se compellunt.

LVI. Legi in quodam libello primùm Gallicè, & posteà Hispanicè scripto, de prodigiosis rebus toto orbe contingentibus, 1. p. c. 3. duos mirabiles euentus ad hanc rem illustrandam accommodatos. Primum, anno salutis trecentesimo quadragesimosexto, fuisse in Polonia Regem, nomine Popellum, qui hoc execratorio iuramento frequenter vteretur: Nisi res habet, vt aio, à muribus depastus inteream. Sed in hunc, cùm vitiis habenas laxasset, & duos patruos, à quibus salubriter admonebatur, admonitionis impatiens occidisset, publico conuiuio indulgentem, necnon & in Reginam pariter conuiuantem, tantam murium multitudinem ex corporibus occisorum subitò irruisse, vt neque ferro exscindi, neque flammis comburi, neque aquis præfocari potuerint: sed misera edacitate exagitatas bestiolas, ab incepto non destitisse, antequàm miseros Reges vsque ad ossa corroderent. Alterum, pro quo citat omnes Germaniæ Annales, fuisse aliquando in Moguntina Diœcesi magnam annonæ caritatem, quam vt releuaret illius vrbis Archiepiscopus, Hatus nomine, & in ordine, vt refert, trigesimussecundus, crudele quoddam remedium excogitasse: congregasse pauperes, quos potuit, in vnum prædium, & inclusisse in vnam caueam, admotísque facibus combussisse: causatum, pauperes instar murium, frumentum corrodentes, annonæ caritatem aggrauare. Sed subitò erupisse de terra ingens murium agmen, & in falsum illum pastorem, verúmque lupum valida impressione insilisse: cúmque ille ab eorum morsibus euasurus, se reciperet in quandam Arcam circumfluo lacu inaccessam, omnes illos mures quodam veluti œstro concitatos enasse flumen, penetrasse in Arcam, & miserum illum Præsulem vsque ad ossa corrosisse: hodiéque turrim illam à muribus nuncupatam, in flagitij & supplicij monumentum superesse. Hæc ita scripseram, cùm incidi in notiores vtriusque historiæ Scriptores apud Serarium ad hunc locum. Vbi ille lectorem remittit ad suam Moguntiam, seu Opusculum de rebus Moguntinis: quod tamen consulere non potui, eius interim copia destitutus.

Popellus Poloniæ Rex à muribus occisus.

Præsul Moguntinus famem in pauperes à muribus consumptus.

Serar.

Tertia

Tertia dubitatio.

LVII. *Nonulli mures pro Diis colebant.* Cyril Alex. Clem. Alex. D. August. Philastr.

QVæres tertiò: Cur Azotij per mures à Deo puniantur? Respondeo primò: quia Ethnici mures tanquàm Deos adorabant: vt D. Cyr. Alex. lib. 5. in Isaiam, ad finem, Clem. Alex. in exhortatoria ad Gentes, ante medium, & D. Aug. lib. 2. De mirab. c. 7. testantur. Vnde illa Musoritarum secta, qui pro Deo mures & sorices colebant: de qua Philastrius Episcopus Brixiensis lib. De hæresibus, c. 12. supra iam citatus. Hinc olim mures lege diuina abominabiles erant. Leu. 11. num. 29. quia Gentilica lege adorabantur. Ne igitur Azotij mures colerent, factum est à Deo, vt noxios ac lethales persentirent. Ita exprimit D. Aug. citatus, dicens, conuenienter à Deo paratum fuisse hoc genus pœnæ: *Quatenus, inquit, qui misera animalia diuino cultu venerabantur, per miserrima animalia in aduentu Dominicæ Legis castigarentur.* Quæ ratio mihi videtur huic loco non parum accommodata: similibus verò Scripturæ locis planè germana & literalis, cùm à Salomone de Ægyptiis plagis loquente reddatur: *Quòd, inquit, quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias supernacuas; immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam. Vt scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc torquetur.* Sap. 11. num. 16. & 17. Hinc enim scire poterant Gentiles, Deos non esse, quos maleficos agnoscebant.

D. August. *Per qua peccamus per ea torquemur.*

B

LVIII. Eundem errorem iam olim Deus aliis Gentibus extorquere nitebatur. Nam Romani suis Diis tribuebant cultum, à quibus nullum recipiebant auxilium, teste D. Aug. lib. 1. ciuit. c. 15. & lib. 4. c. 12. & lib. 6. c. item 12. & passim alibi: vt intelligerent, Deos non esse, qui non possent oblata obsequia collatis beneficiis compensare. In Ægypto immisit Dominus pestem in animalia. Exod. 9. num. 3. *Vt cultores animalium*, inquit Interl. *confundantur*: seu, vt loquitur Origen. hom. 4. in Exod. *Vt quibus cultum credebatur inesse diuinum, in his viderent miranda supplicia.* Apud Babylonios, qui ignem adorabant, effecit Deus, vt tres pueri Hebræi de igne triumpharent. Dan. 3. num. 24. De qua re D. Chrys. hom. 4. ad populum: *Ignis, inquit, apud Persas Deus esse putatur: volens igitur Deus radicitus impietatis materiam auferre; concessit huiusmodi pœna modum, vt pro oculis omnium ipsum colentium seruis suis victoriam conferret: per ipsa opera ipsis persuadere volens, quod Gentilium Dij non Deum tantùm, sed etiam Dei seruos timent.* Festiuiter irridet D. Aug. in Psal. 113. conc. 2. stultitiam & amentiam Ethnicorum, qui colentes murium simulacra, aurea vel argentea; tamen viuentes & sentientes mures, qui in ea irrepunt, aut in eis nidificant, absterrent & occidunt. Quid insanius, quàm Deorum simulacra colere, & ipsos Deos aspernari? Pari dicendi festiuitate ludit D. Chrys. hom. 12. in Epist. ad Ephesios, in Ethnicos ignem tanquàm Deum adorantes; & nihilominus tanquàm hostem fugientes & extinguentes: immò tanquàm vilissimum mancipium ad ollas, ad lebetes, ad vasa coquinaria relegantes: *Si adorant, inquit, vt Deum, cur manibus non tractant, si nec non imponunt, ore non osculantur? Cur mensis, cellis, lectis totisq; ædibus grassari non patiuntur? immò potius grassari incipientem, cur præoccupant, intercipiunt, præfocant & extinguunt? Quid dementius, quàm adorari vt Deum, quem vt hostem persequare.*

D. Aug. *Idola nullum cultoribus præbent auxilium, sed supplicium.* Orig.

C

Iusti de idolis triumphant. Ignis Persarum Deus.

D

D. Chrys. *Ethnici ignē adorant vt Deum, quem vt hostem fugiunt.*

E

LIX. Respondeo secundò, puoitos fuisse Philisthinos per vilia & abiecta animalia, vt magis deprimeretur eorum fastus & arrogantia; & magis Dei virtus ac potestas attolleretur, dum tam vilibus

A

instrumentis, & Deus vinceret, & Azotij vincerentur. Quam rationem Dionys. & Abul. reddunt de morbis iam explicaris, & pari ratione applicari potest & muribus: præsertim, cùm ab his dicatur non solùm mors, sed etiam: *Confusio mortis magna prouenisse.* Ac si Philisthini tam ingloriam mortem oppetere non leuiter confunderentur. De hac re D. Chrys. hom. 8. in poster. ad Cor. *Tunc, inquit, maximè manifestatur Dei potentia, quando per viles operatur magna. Idcirco in veteri Testamento per culices ac mures, integros Barbarorum exercitus fugabat. Vnde & magnam suam virtutem, erucam vocabat.* Ioel. 2. num. 25. *Et ab initio linguas solum confundens, magnam illam turrim Babylonicam destruebat.* Gen. 11. num. 7. *Et in bellis quoque nunc quidem per trecentos, innumeros exercitus fugabat.* Iudic. 7. à num. 19. *Nunc autem per buccinas ciuitates destruebat.* Iof. 6. num. 20. *Postea verò per pusillum adolescentem, & contemptum Danidem, omnem Barbarorum aciem in fugam conuertebat.* 1. Reg. 17. num. 51. Hæc Chrysostom. Et statim digreditur ad prædicationem Euangelij, & conuersionem Orbis, per infirma quidem instrumenta, sed patrocinante diuina omnipotentia, effectam.

Dion. Abul. *Superbi à Deo humiliantur.*

D. Chrys. *Magna Dei virtus in minimis ostenditur.*

Quis non miretur illa quondam in Ægypto commissa prælia; quando hinc Principes, Duces ac milites; illinc ranæ, cyniphes ac locustæ ad bellandum concurrerunt? Exod. 8. & 10. Et tamen hæ contemptibiles phalanges de illis superbissimis triumpharunt. Qua de re bene Ropert. lib. 1. in Exod. c. 34. *Grande, inquit, spectaculum Deus vniuerso Orbi præstitit, eum superbiā Ægyptiorum non de leonibus & vrsis, sed de ranis domuit, & muscis.* Et rursus c. 38. *Ecce, inquit, quales instruxit acies, quibus ex ordinibus sua castra compleuit Dominus pugnando pro Israel: rana, cyniphes, musca, atque locusta, fuerunt castrorum eius acies: & ex eiusmodi cohortibus totas contra fortes Ægyptios composuit legiones. Singuli milites secundum se breues quidem, & infirmi: verum pro exercitibus Pharaonis satis valentes, Duce imperio Dei. Nempe, quod multis hominum exercitus facere non potuisset; ista phalanges locustarum strenuè peregère militia.* LX.

Ægyptios Deus vilissimis domuit animalibus. Rupert.

Similes acies Deus olim contra Chananæos armauit, iuxta illud Dei ad Moysen: *Cunctorum inimicorum coram te terga vertam; emittens crabrones priùs, qui fugabunt Heuæum & Chananæum, &c.* Exod. 23. num. 28. Quod iterum Moyses inculcauit: *Crabrones, inquit, mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes, atque disperdat.* Deut. 7. n. 20. Et posteà Deus hoc beneficium Israëlitis in memoriam reduxit: *Misi, inquit, ante vos crabrones, & eieci eos de locis suis.* Iof. 24. n. 12. Et pro eodem beneficio gratias Deo egit Sapiens: *Misisti, inquit, antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent.* Sap. 12. num. 8. Similem victoriam exiguis bestiolis partam refert Theod. lib. 2. ecclesiasticæ historiæ, c. 30. & plura eiusdem generis exempla in ecclesiasticis historiis passim reperiuntur. Cur igitur Deus satellites tam imbelles & infirmos, in hostes adeò strenuos ac truculentos incitauit, nisi vt in militum infirmitate Ducis potentia ostenderetur? Sic Theodor. q. 58. in Exod. *In hoc, inquit, declaratur immensa potentia Dei, qui minutorum animalculorum ministerio succurrit suis, & eorum aduersarios perdit. Quod etiam à Beato Dauide dicitur: Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem.* Pf. 80. num. 14. Hæc etiam ratio huic loco maximè congruit, & citatis proximè locis est omninò literalis, cùm à Salomone assignetur, qui LXI.

Deus paruis animantibus gentes olim debellabat.

Theodor.

Theod.

cum

cum Deo loquutus de his plagis, *Non enim*, inquit, *impossibilis erat omnipotens manus tua, immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones*, &c. *Sed & sine his vno spiritu poterant occidi*. Sap. 11. num. 18. & 21. Quasi diceret: Poterat quidem Deus magnis eos instrumentis flagellare: sed maluit exiguis, vt suam illis potentiam indicaret.

LXII. *Deus punit, non interficit, vt sit pœnitentiæ locus.* Philo.

Respódeo tertiò, punitos fuisse potiùs per mures, quā per leones: quia hi quidem statim lacerarēt, illi verò lentiùs torquerēt: atque adeò per mures daretur locus pœnitentiæ, per leones tolleretur. Deus autem etiam puniens punitorum resipiscentiam expectat. Eādem ferè rationem inculcat Philo Hebr. lib. 1. De vita Moysis, cur Deus Ægyptios per cyniphes potiùs, quàm per vrsos, pardos & leones coercuerit: *Disce*, inquit, *Deum voluisse Ægyptios castigare, nō è medio tollere*. Nam, si leones immitteret, non emendatos interficeret: dum autem immittit cyniphes, pœnam infert, & ad pœnitentiam vocat. Hæc etiam ratio ad Literam proximè accedit, cùm ab ipso quoque Salomone reddatur. Quęrens enim, cur Deus suos hostes per vespas exterminarit, sic respondet: *Non*, inquit, *quia impotens eras in bello subiicere impios iustis, aut bestiis fęuis, aut verbo duro simul exterminare: sed partibus indicans* (id est, per partes, seu paulatim iudicans) *dabas locum pœnitentiæ*. Sap. 12. n. 9. & 10. Vides, vt suam Deus iustitiam cum misericordia temperet; & supplicia inferens, beneficia offerat; & a pœnis, quibus percutit, ad pœnitentiam, qua sanet, præstoletur.

LXIII. *Edaces per edaces mures puniuntur.*

Ad has rationes literales possunt aliæ accumulari. Nam, cùm Philisthæi fuerint epulones & bibones, vt patet ex nominis etymo, Philisthini enim interpretantur, *Potu cadentes*; meritò per mures edacissimos & voracissimos puniuntur. Cùm item fuerint libidinosi, vt diximus; meritò per mures, quos Pierius suprà citatus, salacissimos esse refert, stimulantur. Cùm tandem fuerint detractores & impostores, vt colligi potest ex eorum gigante Philisthæo, exprobrante agminibus Israël, 1. Reg. 17. n. 10. meritò per mures corrosores & insidiatores affliguntur. Adde, quòd fortasse Palæsthini probri causa appellabant Israëlitas, mures. Vnde fortè & Assyrij hanc ignominiam Hebræis inferendam didicerunt, cùm de Hebræis loquuti, *Egressi*, inquiunt, *mures de cauernis suis, ausi sunt prouocare nos ad prælium*. Iudith 14. n. 12. Quia, inquam, Palæsthini in probrum & contemptum Israelitas, mures appellabant; decretum esse non immeritò à Deo, vt per mures torquerentur. Atque adeò inde lucerent contumeliam, vnde contumeliam faciebant.

Aliorum corrosores affliguntur.

Num. VII. Videntes autem viri Azotij huiuscemodi plagam dixerunt? Non maneat Arca Dei Israël apud nos: quoniam dura est manus eius super nos; & super Dagon deum nostrum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Prudēs Philisthinorum ratiocinatio circa plagā.* Abul.

VIdentes autem viri Azotij, &c. Tria his verbis proponuntur. Primò, innuitur quædam Philisthinorum ratiocinatio. Secundò, exprimitur vltima ratiocinationis definitio. Tertiò, inculcator eius definitionis ratio. Quod attinet ad primum. Videntes viri Azotij morbos & mures, quibus opprimebantur; cœperunt apud se ratiocinari, vndenam hæc plaga nasceretur; ab astróne aliquo, an ab Arca Dei: neque enim alia se huius calamitatis principia offerebant. Non ab astro, inquiunt: tum, quia, hoc sæpiùs redeunte, sæpiùs rediret plaga hæc; quæ tamen in hac vrbe nunquam hactenus visa est, vt notat Abulensis: tum, quia astro circumuicinas vrbes pariter aspiciente, illæ quoque simili infortunio laborarent; quas tamen scimus ab hoc labore esse hactenus immunes; vt Vatablus aduertit: Ergo proculdubiò ab Arca Dei emanauit: præsertim, cum sciamus, etiam Ægyptios, Exod. 7. & sequentibus; immò & Chananæos, Exod. 23. & aliis locis paulò superiùs citatis, fuisse à Deo Israelis similibus cladibus attritos. Ita mihi videntur Philisthini ratiocinati. Et quidem rectè. Vnde non immeritò hoc loco dicuntur viri, non solùm à primaria dignitate, quam in vrbe obtinebant; sed etiam à matura prudentia, qua hoc inter se consilium inibant.

Abul. Vatab.

II. *Peccatores cæci ad culpam, oculati ad pœnam.*

Sed vtinam, quemadmodum effectiuum huius plagæ principium indagarunt, ita indagarent & meritorium: nam profectò suam deprehenderent superbiam, quæ has è cœlo plagas deuocauit. Verùm peccatores cæci sunt ad culpam, oculati ad pœnam. Vident, quid patiantur: quid fecerint, non attendunt: vt superiori cap. latiùs disseruimus. Similes Balaamo, qui de se dicebat: *Dixit homo, cuius obturatus est oculus; qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius*. Num. 24. n. 3. & 4. Cur enim dicitur habere oculum obturatum, & apertū? Dupliciter respondet D. Greg. Primò, referendo ad diuersas sciētias, practicam & speculatiuam; quasi hanc haberet, illa priuaretur. Nam lib. 25. Moral. cap. 10. *Balaam*, inquit, *cadens in opere, apertos tenuit oculos in contemplatione*. Ac si diceret: Sciebat quidem speculari; sed nesciebat operari. Quales Principes Israel, iuxta illud: *Speculatores eius cæci omnes, nesciunt vniuersi*. Isai. 56. n. 10. vbi speculatores pariter, & cæci dicuntur. Quia, videlicet, inquit D. Greg. citatus, *Non videbant opere, quod professione cernebant*. Quo statu hominum, scientium bona, & facientium mala, quis alius ærumnosior & infelicior esse potest?

D. Greg.

III. *Iniustus pœna oculatur.*

Respondet secundò ad culpam pro diuersis temporibus ignotam & cognitam. Ignotam, antequàm puniatur: cognitam, postquàm punitur. Igitur lib. 15. Mor. c. 3. *Nescit*, inquit, *impius mala, quæ fecit, nisi cùm pro eisdem malis puniri iam cœperit. Balaam consilium contra Israëlitas præbuit: sed post in pœna vidit, quid priùs ex culpa commiserit*. Et paulò pòst: *Omnis peccator prudens erit in pœna, qui stultus fuit in culpa. Quia ibi iam dolore constrictus ad rationem oculos aperit, quos hic voluptati deditus clausit: & pœna torquente, exigitur, vt sapiat; qui hic, excæcante se superbia, desipiebat. Cui tamen sua sapientia iam tunc minimè proderit; quia hoc, vbi operari iuxta sapientiam debuit, tempus amisit*. Quasi diceret: In præsenti vita, antequàm pœna adueniat, cæcus est; in futura, postquàm pœna desæuierit, oculatus erit: quia hîc suas culpas non videt, quas illic manifestas intuebitur. Rectè quidem se habet vtraque responsio.

IV. *Peccatores vtroque oculo vident pœnā, neutro culpā.*

Respondeo tamen tertiò ad rem præsentem, referendo illum oculum Balaami obturatum & apertum ad culpam, & ad pœnam. Nam Balaamus & cæteri peccatores in hac vita habent oculos obturatos, & apertos: apertos quidem respectu pœnę; quia pœnas suas vident, sentiunt, experiuntur, & à Deo profectas esse nō ignorant, immò de illis maximè dolent, & frequentissimè conqueruntur: obturatos verò respectu culpæ; quia culpas suas nec cogitant, nec deplorant, nec confitentur.

Sed obiter obserua, ipsam Literam de obturatione singulariter loquutam: *Cuius obturatus est oculus*: de apertione pluraliter: *Aperiuntur oculi eius*: quia peccator, quantumuis ad suas culpas cæcutiat: non tantùm malitiæ oculo cæcutit: altero rectæ rationis non omninò caligante. Quamuis enim suas culpas dissimulet & obuoluat; eas tamen, naturali lumine deregente, & propria conscientia manifestante, nō ignorat. Pœnas verò cū palàm experiatur, vtroque oculo perspicaciter intuetur. Sic igitur Philisthini percussos se credebant à Deo Israëlis; sed propter sua scelera percussos se esse, ea saltem humilitate, qua oportebat, minime cogitabant.

V.

Philisthini Arcam à se remouere statuunt.

Non maneat Arca Dei Israël, &c. Quod attinet ad secundum: ex prædicta Azotiorum ratiocinatione hæc prodiit definitio: *Non maneat Arca Dei Israël apud nos.* Cognita enim suorum suppliciorum causa, sibi cautè prouiderunt, ne illa apud se permanente, & effectus permanerent. Dubitabis, verùm illam vellent Israëlitis restituere, an alias vrbes Palæsthinæ transmittere? Illud prius dicet aliquis: hoc posterius aliis cum Abul. magis placebit. Neutrum mihi videtur illis decretum, definitúmque fuisse: sed solùm de remouenda à se Arca certos esse, incertos, quò illam amandarent; ad aliásne vrbes Palæsthinæ, an ad terrā Israëlis; & propterea consilium de re gerenda cum Satrapis Philisthinorum iniisse, vt ex sequ. Num. patebit. Itaque certi erant de Arca apud se nō retinenda: incerti, quonam illam exportandā curarent.

Abul.

VI.

Iusti quò plus merentur, eò minùs superbiunt.

D. Ambr.

Dubitabis item, ex humilitaténe, an ex nimia cæcitate vellent à se Arcam fœderis amouere & ablegare? Erit, qui dicat, ex humilitate. quemadmodum Diuus Petrus, *Exi*, inquit, *à me, quia homo peccator sum, Domine.* Luc. 5. n. 8. Vbi Diuus Ambros. lib. 4. ad finem, *Admirabatur*, inquit, *dona diuina, & quò plus meruerat, hoc præsumebat minùs.* Et quemadmodum Centurio: *Domine*, inquit, *non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Matth. 8. num. 8. De quo Diuus Augustin. serm. 74. De tempore: *Tecto*, inquit, *non recipiebat, corde recipiebat: quanto humilior, tantò capacior, tātò plenior: colles enim aquam repellunt, valles implebuntur.* Vtrunque verò, Petrum & Centurionem, nobis imitandum proponit D. Gregor. Nazianz. Orat. 39. in sancta lumina, ante medium, monens, vt cum puro non nisi puri consuetudinem habeamus: *Petri instar*, inquit, *Iesum à nauicula submoueamus, vtpote tali aduētu indigni.* Et paulò pòst: *Denique vt Centurio ille medicinam ita requiramus, vt tamen laudabili timore perterriti, Medicum in ædes nostras non admittamus.* Pari humilitate Geraseni, expulso Dæmone, & præcipitato in mare cum grege porcorum, *Rogabant* Christum Dominum, *vt transiret à finibus eorum.* Matth. 8. num. 34. In quem locum D. Hieronymus, *Quòd*, inquit, *rogant, vt transeat à finibus eorum, non de superbia hoc faciunt, vt nonnulli arbitrantur; sed de humilitate, qua se præsentia Domini indignos indicabant.* Eandem humilitatem præstitit Iosephus, iuxta aliquorum Patrum interpretationem, quādo videns Beatam Virginem gestare vterum, & cognoscens de Spiritu sancto concepisse, *Voluit occultè dimittere eam.* Matth. 1. n. 19. Quasi se indignum illius consortio iudicaret. Sic enim Origenes hom. 1. in diuersos, D. Bernard. hom. 2. in *Missus est*, D. Hieronym. ad eum locum interpretantur. Idem sentit D. Basilius homil. De humana Christi generatione, colligitque ex verbis Angeli ad Iosephum: *Noli timere accipere Mariā coniugem tuam.* Matth. 1. n. 20. expendens verbum illud, *Timere*, quod reuerentiam, non maleuolentiam significabat: *Ostendit*, inquit, *quod illam non sit abominatus, nec molestè tulerit: sed quod eam metuerit, vt Spiritu sancto plenam.*

D. Greg. Naz.

Imitanda humilitatis exempla.

D. Hieron.

Iusti humiles.

Orig.

D. Bern.

D. Basil.

D. Iosephi erga B. Virginem reuerentia.

VII.

Humilitatis exemplum singulare.

Non dissimiles humilitatis effectus in veteri Testamento reperiuntur. Nam mulier illa Sareptana, videns post ingressum Heliæ in domum suam, filium suum obiisse; eam mortē tribuit non Prophetæ domum intranti, sed sibi Prophetam indignè recipienti: *Quid mihi*, inquit, *& tibi, vir Dei? Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, & interficeres filium meum?* 3. Reg. 17. n. 18. Vbi Theodot. q. 52. *Sunt*, inquit, *admiratione digna verba viduæ: Tuo, inquit, lumine aperta sunt mea peccata, quæ occulta erant. Non dixit, Fuisti mihi malum auspicium; mala conciliauit mihi tuus aduentus: sed potius suis peccatis tribuit, quod acciderat. Tantùm enim ei profuit Prophetæ doctrina.* Quasi præ humilitate doluerit, Prophetam in domum suam indignè suscepisse. Sic & Dauid cernēs Ozam ex tactu Arcæ repentina morte interemptum: *Extimuit Dominum in die illa, dicens: Quomodo ingredietur ad me Arca Domini? Et noluit diuertere ad se Arcam Domini in ciuitatem Dauid: sed diuertit eam in domum Obededom Gethæi.* 2. Reg. 6. num. 9. & 10. quem se ipso digniorem ad recipiendam Arcam existimabat. Quasi diceret Dauid, inquit Carthusianus: *Ad domum meam introducere Arcam non audeo, ne forsitan ob aliquam culpam meam merear percuti, & indignus sim Arcæ præsentia. Itaque ex affectu diuinæ iustitiæ motus fuit ad reuerentialem Dei timorem. Etenim, felix quem faciunt aliena damna peritum.* Sic ille.

Theod.

Iusti ingressus, culpæ cognitionem facit.

Homines res sacras maximè debent reuereri.

Carthus.

VIII.

Iusti vtilitati præferunt humilitatem.

Rupert.

Sed præ cæteris mihi videtur singularis illa humilitas cælestis Sponsæ, diuinum Sponsum à se quodammodo amouentis: *Fuge, Dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnulóque ceruorum super montes aromatum.* Cant. 8. n. 14. Quod Rupertus ibi refert ad eximiā eius humilitatem, non ad suam domum; sed ad alias sua digniores Sponsum inuitantis: *O vocem, inquit, dignam auditu Dilecti, vocem de corde fideli, & mente humili! Hoc enim est, quòd anima quælibet fidelis & sapiens dicere consueuit: Domine, non sum digna, vt intres sub tectum meum. Nō sum digna, vt in me ostendas frequens aliquod præsentiæ, vel visitationis tuæ miraculum. Fuge, Dilecte mi. Non quæro in præsenti vita gloriam, sed desidero gratiam: non quæro claritatem miraculorum; sed opto remissionem peccatorum. Fuge, Dilecte mi; & saltus similes saltibus capreæ, aut hinnuli ceruorum effice; non super me, sed super montes aromatum, super præcelsa merita Sanctorum atque perfectorum.* Vbi videtur Sponsa suæ vtilitati dignitatem Sponsi prætulisse: & vt hæc in præclaris hospitiis integra maneret, libenter præoptasse, vt sua domus, quàm indignam iudicabat, tanto hospite priuaretur. Similiter igitur, dicet aliquis, & Philisthini, ob reuerentialem Dei timorem, Arcam à se dimittere voluerunt.

IX.

Peccatores plagis excæcantur.

Nihilominùs dicendum, eos potiùs ex nimia quadam mentis cæcitate Arcam à se repellere voluisse, ne sibi ipsis nocere pergeret, & ne suo Dagone maior videretur. Quod ex eo patet: quia nunquàm ipsi à cultu sui Dagonis recesserunt, nec ad fidem Israëlis commigrarunt. Sic Pharao Patriarcham Abrahamum de terra sua abire fecit, ne propter illum vlteriùs vapularet. Genes. 12. num. 19. Sic Ægyptij Israëlitas *vrgebant de terra exire velociter*: ne omnes ex eorum præsentia morerentur. Exod. 12. n. 33. Sic facere solent reliqui idololatriæ dilectores, inquit Beda ad hunc locum: *Qui videntes potentiam Christi contra Deos suos, nolunt fidem eius recipere, ne propter hanc solam*

Beda.

cogantur

coganitur omnem Deorum suorum turbam abdicare. Immò sic facere solent & mali Christiani, vt notat idem Beda: *Qui viuentes*, inquit, *propter fidem Christi iniurdicta sibi peccata, quæ amant; ipsam fidei religionem, quantum valent, detestantur: ne huius occasione, desideria, quibus pro Deo seruiunt, iubeantur extinguere.* In his Philisthinis, vt iterum Beda obseruat, illi peccatores adumbrantur, qui nolunt intelligere, vt bene agant; & Arcam scientiæ cælestis a se repellunt, ne cælestem legem seruare teneantur: nescientes miseri, parum inter se differre affectatam ignorantiam, & effrænatam malitiam.

Iniusti ne ea quæ amant, detestentur, ipsam religionem detestantur.

X. *Quoniam dura est manus eius*, &c. Quod attinet ad tertium: Ratio huius decreti, quo Arcam à se repellendam statuerunt, fuit dolor pœnæ. *Quoniam*, inquiunt, *dura est manus eius super nos.* Non dicunt: Quoniam eam iniustè cepimus: Quoniam eam irreuerenter cum Dagone collocauimus: Quoniam arroganter de illius captiuitate superbiuimus. Sed: *Quoniam dura est manus eius super nos.* Nempe, de culpa nihil, de pœna maximè dolebant: vt qui seruili tantùm metu tenerentur. Immò se suo Dagoni, cui seruiebant, parum reuerentes & obsequentes præstiterunt: tum, quia priùs suam, quàm illius pœnam deplorarunt. *Super nos*, inquiunt, *& super Dagon Deum nostrum*: tum, quia Deum suum Dagonem contumeliosè nominarunt, iuxta Paraphrastem Chaldaïcum, qui transfert: *Et super Dagon errorem nostrum.* Meritò enim idola, & obiectiuè, & effectiuè errores dici possunt: quia & multorum errores terminant, & multos inducunt in errores. Vnde oberrare per antonomasiam idem est, quòd idololatrare; iuxta illud Siracidis: *Cùm adhuc iunior essem, priusquàm oberrarem.* Ecclesiast. 51. n. 18. hoc est, Priusquàm idololatrarem. Ex quo maior colligitur Philisthinorum malitia, qui suos errores cognoscebant, & nihilominùs diligebant.

Improbi vt serui de culpa nihil, de pœna maximè dolent.

Errant vehementer idolorum cultores.

XI. Tria circa hunc versiculum aduerte. Primum, humanæ felicitatis inconstantiam. Nam Philisthini paulò ante Arcam fœderis in acie victores ceperunt, & in suam vrbem gloriabundi importarunt; magnum in ea suæ gloriæ trophæum erigentes, magnum suæ victoriæ monumentum collocantes: sed eandem modò multis cladibus attriti remittere compelluntur, vnde gloriam sperabant, ignominiam referentes. Sic temporales honores, quo altiores sunt, eò miserabiliores in ruinas terminantur. Secundum, diuinæ prouidentiæ ineffabilem profunditatem. Nam, vbi Arca fœderis victa & abiecta videbatur; ibi clarior & potentior assurgit ac triumphat: vbi Dagon altior & augustior; ibi vilior & obscurior: vbi sors Hebræorum vilior ac depressior; ibi felicior & sublimior: vbi Philistinorum fortuna illustrior & insignior; ibi calamitosior ac deploratior. Scilicet, Deus per contrarios euentus sua consilia disponit, gloriam per ignominiam, & ignominiam per gloriam molitur. Tertium, veritatis vim insuperabilem. Nam Arcæ potestatem & sanctitatem, non iam Hebræi eius cultores; sed etiam Philisthæi eius profanatores confitentur & prædicant, dicentes: *Dura est manus eius super nos, & super Dagon Deum nostrum.* Quod præconium, cùm ab hoste oriatur, locupletissimum censetur. Quis enim Arcæ laudes negare audeat, quis etiam hostes confitentur? Item Dagonis infirmitatem, non tantùm Hebræi eius contemptores: sed etiam Philisthæi eius adoratores palam testantur & eiulant, ingenuè confitentes, Dagonem ab Arca superatum. Quod te-

Humana felicitatis inconstantia.

Ineffabilis Dei prouidentia.

Veritatis vis insuperabilis.

A stimonium, cùm ab amico feratur, maiorem probabilitatem sortitur. Quis enim dubitet de Dagonis infirmitate, quam etiam eius amici nequaquam inficiantur?

Num. VIII. Et mittentes congregauerunt omnes Satrapas Philisthinorum ad se, & dixerunt: Quid faciemus de Arca Dei Israël? Responderúntque Gethæi: Circunducatur Arca Dei Israël. Et circunduxerunt Arcam Dei Israël.

B *EXPOSITIO LITERÆ.*

ET *mittentes*, &c. supple, *nuntios*, qui congregarent Satrapas. Est enim vulgaris Hebraïsmus, quo quis dicitur mittere, non expressa persona, quam mittit. Psal. 56. n. 4. *Misit de cælo, & liberauit me.* Psal. 104. num. 19. *Misit Rex, & soluit eum.* Matth. 14. n. 10. *Misitq; Rex, & decollauit Ioannem.* Plura exempla refert Maldonatus, ad illa verba: *Mittens occidit omnes pueros.* Matth. 2. num. 16. Igitur Azotij deliberaturi de Arca miserunt nuntios, qui congregarent Satrapas. In Hebræo est, סַרְנֵי *Sarne*, id est, *Principes*: Septuaginta vertunt, *σατράπας*, quod nomen retinuit Latinus. Non est autem Satrapa, nomen sapientiæ, C sed potentiæ, vt notat Abul. Et ex eo colligitur, quia cap. sequenti, Num. 2. Diuini, id est, Sapientes, tanquàm à Satrapis distincti nominantur: quod etiam ex Dan. 2. num. 2. & ex cap. 3. n. 2. facile deprehenditur; vbi etiam Satrapæ & Sapientes distinguuntur. Vnde Chaldæus hoc loco vertit, *Tyrannos*: Lucifer, *Regulos.* Alij in aliis Scripturæ locis paulò pòst citandis, Duces, Comites, Præfectos, Consules, Dynastas. Et rectè quidem omnes. Erant enim Satrapæ, quidam in illis partibus Magistratus, vt docet D. Aug. q. 17. in Iudices, qui suas singuli Satrapias, id est, parua Regna, vt vocat idem D. Augustinus, administrabant. Ita dicti: vel, quia *sat parati* ad suum munus rectè obeundum: vel, quia *sat rapientes*; D dum ex subditorum fortunis, quas diripiebant, locupletabantur. Prior etymologia ad laudem, posterior ad ignominiam spectat. Vtranque D. Thom. lib. 3. De regimine Principum, cap. 22. inculcat. Quamuis mihi vtraque suspecta sit: cùm nomen Persicum, quale est Satrapa, non debeat è Latino fonte deriuari. Et eandem ob causam incerta est illa etymologia Abulensis, dictum fuisse *Satrapam*, quasi *sat potentem*.

Per Satrapas non intelliguntur sapientes, sed Dynastæ.
Abul.
D. August.
Nominis etymon.
D. Thom.
Abul.

Erant autem huiusmodi Satrapæ, Toparchæ, seu Magistratus locales apud Persas & Philisthæos, vt non solùm D. Thomas citatus, sed etiam Scriptura passim testatur. Nam fuisse apud Persas, constat ex 1. Esdr. 8. num. 36. Esther 3. num. 12. Dan. 3. num. 2. & passim alibi. Vnde Da- E rius Rex Persarum, teste Herodoto lib. 3. totam Babylonem in viginti Satrapias, seu Toparchias dicitur diuisisse. Fuisse verò apud Philisthæos, constat non solùm ex hoc c. & sequenti, sed etiam ex Ios. 13. n. 3. Iud. 3. n. 3. 1. Reg. 29. num. 2. & sæpè alias: quamuis pauciores fuerint Philisthinorum, quàm Persarum Satrapiæ. Nã Persicæ ad viginti, vt diximus, excreuerunt. Philisthææ tamẽ quinario claudebantur, iuxta numerũ quinque illarum ciuitatum, Azoti, Ascalonis, Geth, Gazæ & Accaron, quæ erant in ea prouincia Metropoles. Sed & in aliis quoque prouinciis Satrapas fuisse, colligi

II.
Apud Persas & Philisthæos, Satrapæ, Toparchæ dicebantur.

 videtur

videtur ex 2. Paral. 9. n. 14. vbi dicuntur omnes Reges Arabiæ, & *Satrapæ terrarum* certam auri summam Salomoni afferre consueuisse: quamuis fortasse non tam nomen, quam genus illud Magistratus ad reliquas Gentes pertinebat. Igitur omnes Philisthinorum Satrapæ ad consultãdum de Arca in Azotum conuocantur: vel,quia Azotus erat principalis vrbs,& ius vocandi,seu potestatem aliquam monarchicam habebat:vel,si potestas tantum erat aristocratica, seu Optimatibus communis,quia in ea vrbe casus Dagonis,& plaga ciuium contigerat;& vbi malum acciderat,ibi consilium de remedio inquiri oportebat.

III. *Philisthinorũ consilium de Arca Dei.*

Quid faciemus de Arca, &c. Paulò aliter narrat Iosephus lib. 6. Antiq. c. 1. nimirum, hoc consilium initum fuisse post Arcam circũductam. Refert enim Azotios sua plaga commotos, eam ad Ascalonitas transtulisse: hos ad Gethæos, atque adeò singulos ad singulos:ac tandem omnes eandem plagam expertos,in Concilium conuenisse, deliberaturos,quid de Arca ageretur. Non dubito tamen, duplex de hac re Concilium prouinciale, vt ita dicam, fuisse celebratum; vt taceam vrbana, singula in singulis vrbibus collecta: vnum quidem ante; alterum, post Arcam circunductam:& Iosephum breuitati consulentem, posterioris tantùm meminisse; Scripturam verò & prioris, ante Arcam circunductam, hoc loco: & posterioris,post Arcam circunductam, Num. 11. fecisse mentionem. Nam,cùm Arca ad totam Palæsthinam pertineret,vt notat Abulēsis, nihil de illa Azotij, nisi priùs consultis omnibus Philisthinorum Satrapis deliberarent.

IV. Igitur in hoc priori Concilio quæstio ventilanda non erat, an Arca retinēda esset apud Azotios, nécne: iam enim certi erant Azotij de illa à se repellenda, vt ex superiori Num. constat: sed,vtrùm esset restituenda Israelitis, an ad alias Philisthinorum vrbes transferenda. Ratio dubitandi erat:quia, si restitueretur, magnum Israelitis præsidium reddebatur;magno Philisthini trophæo priuabantur. Si ad alias Palæsthinæ vrbes transmitteretur; magno omnes exitio exponebantur: Dij quidem suis aris deiiciendi; homines verò suis vitis ac fortunis spoliandi. Atque adeò vtrinque incommoda occurrebant. Non exprimitur in Litera diuersitas opinionum, in quas alij atque alij consultantium abierunt; sed refertur tantùm sententia Gethæorum: non quidem, vt existimo, quòd illi primi, aut soli dixerunt; sed quòd soli placuerūt. Nam,vt refert Iosephus, quidam, qui patriæ consulebant, remittendam esse Arcam ad Hebræos affirmabant:contendentes propter illius captiuitatem tam multas à Deo vindictas in Philisthinos exarsisse; tam multas plagas, pestes,mortes deflagrasse. Alij,qui hostibus inuidebant, eósque tanto præsidio destitutos exoptabant; retinendam esse suadebant, & toleranda propria damna,ne immensa lucra ex reditu Arcæ hostibus prouenirent. Hæc enim est inuidentium natura, vt malint propria mala pati, quàm aliena bona intueri. Inter extremos medij Gethæi, seu Gethæorum Satrapæ, responderunt:

Dubitant Philisthini de restituēda Arca Israelitis.

Inuidi ne aliis bona videant, patiuntur mala.

V. *Philisthinorum consilium circa Arcam.*

Circunducatur Arca Dei Israël. Quasi dicerent: Neque maneat apud Azotios, neque transeat ad Hebræos,sed in alias atque alias Philisthinorum vrbes transferatur. At quorsum hoc consilium? Respondeo, posse illud dupliciter spectari, & ex intentione humana,& ex directione diuina. Nam, quæ ab hominibus ad certos humanæ industriæ fines diriguntur,ea sæpenumerò à Deo ad alios diuinæ prouidentiæ fines destinantur: vt sequenti Num. illustrabo. Igitur hoc consilium priori modo sumptum eò tendebat, vt ostenderet, prædictas plagas non prouenisse ab Arca, & proinde Arcam non esse ad Hebræos remittendam, eo nomine,vt plagæ apud Philisthinos cessarent. Nam hi Hethæi, qui non solùm Satrapæ, sed etiam Sacerdotes, ac Diuini erant,vt Interl. appellat, ac proinde magis veritatem attingere debuissent, magis à veritate aberrarunt. Azotij nanque crediderunt, plagas fuisse diuinitùs immissas propter Arcam, vt superiori Num. dictum est. Hi verò aut dubitarunt, & experiri voluerunt, an naturaliter contigerint, vt docent Catthusianus,& Nauclerus: aut firmiter crediderunt,contigisse casualiter, seu naturaliter ex aliqua pestilente constitutione astrorum;vt Theodoretus, & Procopius testantur. Quare, *Circunducatur*, inquiũt, *Arca*: & proculdubiò videbitis illã pergere innoxiam; seu plagam post illam non grassari: vnde apertissimè colligetis, eam plagam, quæ in Azotios desæuiit, ab Arca non prouenisse. Quod faciliùs vt persuaderent, se primos tanto periculo exposuerunt, petentes, vt ad se primùm Arca transferretur; iuxta Septuaginta, qui pro illis verbis, *Circundacatur Arca*: transtulerunt, *Transferat ad nos Arca.* Quasi dicerent: Adeò certi sumus,illa sub Arca flagella non erupisse, vt libenter patiamur illam ad nos omnium primos transferri; quin propterea aliquid ex ea detrimenti reformidemus. Quæ fortasse ratio fuit, cur eorum sententia præ cæteris omnibus placuerit, cùm sub tanto onere suffragium tulerint, & securitatem omnibus spoponderint.

Catthus. Naucl.

Theod. Procop.

VI. Simile prorsus fuit consilium Pharaonis, vt superiori cap. n. 3. iam ostendi; cùm plagas per Moysem factas, per suos quoque maleficos fieri nitebatur; ne illæ diuinitùs fieri crederentur. Exod. 7. num. 11. & sequentibus. Et cùm voluit, vt Moyses non statim, sed in crastinum oraret pro ranis abolendis. Exod. 8. num. 10. sperans eam plagam ante preces Moysis cessaturam: atque adeò palam fore, naturaliter contigisse, quæ naturaliter cessasset. Vnde ipse magis in suo populi retinendi proposito obfirmaretur. Simile item fuit consilium Pharisæorum, Tyrannorum & Gentilium Philosophorum, vt Carthusianus aduertit, qui videntes miracula à Christo Domino, ab Apostolis,& ab aliis Apostolicis viris edita, stulto quodam conatu ea eleuare, & in artes magicas, aut certè naturales vires referre nitebantur: ne tantis testimoniis conuicti sibi veritatem persuaderi paterentur.

Iniusti scelerum pœnas diuinæ omnipotentiæ non adscribunt.

VII. Si verò hoc consilium posteriori modo spectetur, in contrarios omninò fines collimabat: nempe, vt persuaderet Philisthinis, & plagam esse à Deo, & Arcam Hebræis restituendam. Decreuerat enim Deus, vt cum Arca per totam Palæsthinam gradiente, pariter & plaga grassaretur: ne Philisthini aut plagam aliunde ortam crederent; aut Arcam diutiùs retinendam definirent. Atque adeò in eodem consilio, & humana industria,& diuina prouidentia pugnabant:illa,vt suaderet,plagam fuisse casualem, aut naturalem;Arcam verò in Palæsthina retinēdam:hæc, vt oppositum conuinceret;& plagam fuisse diuinitùs immissam;& Arcam,nisi perire mallent,ad Hebręos remittendam. Qua in contentione humana tandem industria ignominiosè cecidit: diuina prouidentia gloriosè triumphauit. Adde, fuisse etiam Azotios in eo delusos,quòd cũ vellent suã vrbem à plaga releuare,inde Arcam repellendo;effectũ à Deo

Diuina prouidentia cum humana industria certamen.

Culpa communis, pœna communis. Deo est, vt tota Palæsthina, quacunque Arca pergeret, ingenti plaga grauaretur. *Vt plaga*, inquit Glossa, *communis esset, quemadmodum culpa communis erat.* Sic in astutia sua capti sunt: & minus malum præcauentes in maius inciderunt.

VIII. *Et circunduxerunt Arcam Dei Israël.* Per quæ loca Arcam circunduxerint, dicam sequenti Num. ibi: *Per singulas ciuitates.* Modus verò circunductionis non exprimitur in Litera. Et dubitari potest, quo pacto illam circunduxerint, humerisne hominum, an plaustris? Cum veneratione, an cum detestatione? Crediderim, cum maiori veneratione, quàm cùm eam primùm in Dagonis templum intulerunt; vtpote maius eius Numen in tot plagis iam experti. Quare, cùm eam primùm captam magna cum reuerentia suum in templū importarint: & initio huius capitis Num. 1. §. 8. & Num. 2. §. 12. probabiliùs ostendimus: nunc profectò maiori cum honore circunduxerunt. Quod patet de his, qui credebant plagas ab Arca prouenisse; ne illius Deum ad maiores plagas prouocarent: sed eius gratiam & beneuolentiam ambirent. De his verò, qui plagas esse putabant naturales, non ita constat. Nihilominùs cùm & hi de suo errore certi non essent, in partem, quæ erat cautior, tutiùs inclinabant; teuerentes Arcam, ne fortè quid ab ea detrimenti paterentur. Præpostera sanè impiorum hominum mens, qui Arcam Dei, non propter Deum, seu in gratiam ipsius Dei, vt par erat, venerabantur: sed vt suo damno consulerent; & pœnas, quas ab Arca prouenire suspicabantur, præcauerent. Digni profectò, qui non euaderent plagas, quas solo timore ducti, nullo amore succensi fugiebant: vt ex sequentibus patet. Neque enim illa Arcæ circunductio diuinam in eos iram temperauit, sed excitauit. Num verò plaustris, an humeris Arcam circunferrent, diuinare non possumus. Et quidem vtrouis modo, prout cuique vrbi commoditas, aut pietas fuit, circunferre potuerunt.

Philisthiim plagis edocti Arcam Dei impensius venerantur.

Num. IX. Illis autem circunducentibus eam, fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis magnæ nimis: & percutiebat viros vniuscuiusque vrbis, à paruo vsque ad maiorem. Et computrescebant prominentes extales eorum. Inieruntque Gethæi consilium, & fecerunt sibi sedes pelliceas.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. **I**llis autem circunducentibus eam. Proponitur plaga, quam Gethæi plagam fugientes incurrerunt. Et, vt res tota clarior illustretur, nonnulla dubia breuiter expedienda sunt: ex quorum notitia ipsius textus verba facilè innotescent. Primum: Quo tempore hæc plaga acciderit? Vtrùmne, dum Arca circunducitur, an postquàm circunducta est? Hanc posteriorem partem sibi aliquis suadebit, quia Chaldæus Paraphrastes habet: *Et fuit, postquam circuntulerunt eam.* Item Septuaginta in Bibliis Sixtianis: *Et factum est, postquàm ipsa transiit.* Similiter & Vatablus: *Et factum est, cum eam transtulissent.* Pagninus item, & Caietanus: *Et fuit, postquàm circunduxerunt eam.* Qui proinde omnes interpretari videntur, hanc plagam post circūductam Arcam contigisse. Nec obstant, inquient, illa verba Vulgatæ: *Illis autem circunducentibus eam*: quia significare possunt:

Dubium de tempore quo plaga accidit, & aliquorū opinio exponitur.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

A *Post illam circunductam*: vt colligi potest ex illis verbis: *Cœnantibus autem illis, accepit Iesus panem.* Matth. 26. num. 26. Hoc est, postquàm cœnarunt: vt apertè deducitur ex illis aliis verbis: *Similiter & calicem, postquàm cœnauit.* Luc. 22. num. 20. Nam, cùm Christus Dominus eodem tempore panem & vinum consecrarit, nullo cibo legali, aut vsuali inter vtriusque consecrationem interposito, vt Suar. tom. 3. in 3. part. Disp. 41. Sect. 4. & Barradas tom. 4. concord. lib. 3. cap. 2. probabilius arbitrantur, si vinum post cœnam, etiam & panem post cœnam consecrauit. Ergo, sicut, *cœnantibus illis*, idem est, atque, postquàm cœnarunt: ita, *circunducentibus illis*, idem est, atque, postquàm circunduxerunt. *Suar. Barrad.*

B Nihilominùs illam priorem partem tenebit aliquis, & vrgebit ex Vulgata: *Illis autem circunducentibus eam.* Quæ planè verba significant actionem in fieri, vt vocant, non in facto esse. Nec obstant obiecta verba, *cœnantibus autem illis*: tum, quia nonnulli, quos referunt citati Auctores, probabiliter putant panem à Christo Domino inter cœnandum; vinum autem post cœnam consecratum; atque adeò vtrunque Euangelistam propriè loquutum: tum, quia illud, *cœnantibus illis*, idem esse potest, atque, *discumbentibus illis*; tempus autem discubitus paulò longius esse solet, quam tempus esus; quia finito iam esu, adhuc paulisper discumbitur: vnde Matthæus loquutus fuit de discubitu adhuc durante; Lucas C verò de esu iam finito: quæ duo tempore coinciderunt. Atque adeò semper participium illud significat actionem continuatam, non autem absolutam. Sic igitur participium, *circunducentibus*, significat circunductionem in fieri; non autem in facto esse. Et in hunc sensum transferunt Septuaginta in Bibliis Regiis & Complutensibus: *Et factum est*, inquiunt, *cum pertransibat Arca.* Ad quos D. Greg. accedit, legens: *Cum Arca circunducebatur.* Qui proinde omnes sentiunt, incepisse plagam, non post Arcam circunductam, sed dum adhuc circunferebatur. *D. Greg.*

II. *Aliorum placitum proponitur.*

Vtranque partem mihi videtur Abulensis amplecti, seu ad concordiam reducere voluisse; dicens non incepisse quidem plagam, dum Arca D erat in via ad singulas vrbes: sed postquàm ad singulas accedebat, antequàm omnes circumiret: seu incepisse, antequàm totalis circunductio ad omnes vrbes absolueretur; sed postquàm partiales ad singulas absoluebantur. Cui responsioni subscribo. Vtrùm verò recedente Arca ex vna vrbe, permanserit ibi plaga; an potiùs, cum Arca pariter recesserit? quæstio esse potest. Ad quam Abulens. respondet, non permansisse quidem diu, sed neque statim recessisse. Probat illud prius: tum, quia non crederetur plaga prouenisse ab Arca, si, Arca præsente & absente, æquè perseueraret, quia non multùm laborarent Gethæi ab Arca iam percussi, de Arca à se E repellenda; si scirent post Arcam ab Azotiis repulsam, adhuc plagā apud Azotios perseuerasse; atque adeò apud se etiam perseueraturam: & tamen ipsi Arcam à se repellere diligenter curauerunt; vt à se quoque plagam propulsarent; quod ex sequenti Numero patebit. Probat hoc posterius: quia, si plaga subitò recessisset, nulla superesset dubitatio, quin diuinitùs orta fuerit ab Arca: neque enim sobita ex morbo valetudo naturaliter contingit: & tamen Philisthiim adhuc ea de re aliquantulùm dubitarunt, cùm rem totam per augurium à vaccis desumptum explorare voluerunt, vt ex sequenti cap. constabit.

III. *Abul. Vtraque sententia reuocatur ad concordiam.*

Abul. Probatur primum.

Probatur secundum.

IV.
Discrimen inter Arcam veteris & nouæ Legis.

Sed hoc loco expende longè maximum discrimen inter Arcam veteris Legis, & Arcam nouæ Legis, quæ est Christus Dominus. Nam illa pertransibat malefaciendo, & percutiēdo omnes, vt ex hoc loco patet: hæc autē, inquit Lucas, *Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes.* Actor. 10. num. 38. Æquum enim erat, vt lex illa timoris continuas plagas inferret: hæc autem lex amoris continua beneficia præstaret. Nec te interim terreat verbum pertranseundi, quasi illud significet beneficia tandem pertransitura, & finienda; non enim significat breuem transitum, sed perennem fluxum beneficiorum: quemadmodum & in patria, vbi felicitas non præterit, sed stat, *Transiens ministrabit illis.* Luc. 12. num. 37. vt flumen illud cælestium bonorum non effluens, sed affluens significetur. Cæterùm D. Greg. per Arcam suo ad singulas vrbes accessu multos interficientem, intelligit euangelicos Prædicatores, qui ad quascunque vrbes infidelium, seu impiorum hominum accedunt, gladio verbi multos interimunt; hoc est, multis auferunt carnalem vitam, donaturi spiritualem: *...um*, inquit, *Arca circunduceretur, interfectio magna nimis per singulas ciuitates fieri perhibetur: quia vbicunque Prædicatores verbum ducebant fidei, gratia multiplicabatur conuersionis*: hoc est, iugulabantur peccata, virtutes renascebantur.

Christus Dominus perēnē fluxu beneficia elargitur.
D. Greg.
Prædicatores in Arca expressi.

V.

Fiebat manus Domini, &c. Secundum dubium: A quo inferebatur hæc plaga? Respondeo: A manu Domini, hoc est, à potentia Domini. Sed quid est: *Fiebat manus Domini*; cùm hæc fieri nequeat: sed potiùs sit rerum omnium effectrix? Audi D. Augustin. q. 51. in Num. ad illa verba de Balaamo, cùm prophetare aggrederetur: *Irruente in se Spiritu Dei.* Num. 24. n. 3. seu, vt habent Septuaginta. *Et factus est super eum Spiritus Domini.* Vbi hanc quæstionem excitat, & soluit. *Non,* inquit, *factus est Spiritus Dei, tanquàm factura sit: sed factus est super illum, id est, factum est, vt super illum esset. Quomodo, Qui post me venit, ante me factus est.* Ioan. 1. n. 30. *id est: Factum est, vt ante me esset, vt præponeretur mihi. Sicut, Dominus factus est adiutor meus.* Psal. 29. n. 11. *Non enim Dominus factura est: sed factum est, vt me adiuuaret. Et, Factus est Dominus refugium pauperum.* Psal. 9. n. 10. *id est, Factum est, vt ad eum refugerent pauperes. Et, Facta est super me manus Domini.* Ezech. 1. num. 3. *id est, Factum est, vt super me esset. Et multa alia in Scripturis reperiuntur.* Sic Augustinus. Qui hunc locum similiter exponeret: *Fiebat manus Domini:* hoc est: Factum est, vt manus Domini puniret.

D. August. Dubium de manu Dei puniente, soluitur.

VI.
Fieri manus Domini hoc loco, est manifestari.

Sed responderi adhuc potest dupliciter, & fortasse faciliùs: Primò, si manus Domini sumatur, non pro ipsa potentia diuina, sed pro effectu illius, seu pro flagello & supplicio inflicto; quo pacto sumitur illis verbis Dei ad Iudam & Ierusalem: *Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam.* Isai. 1. n. 15. Et illis Diui Pauli ad Elymam Magum: *Ecce manus Domini super te, & eris cæcus.* Act. 13. n. 11. & passim aliis, quæ Num. 6. iam citaui. Sic enim nullum est incommodum, si manus Domini fieri dicatur. Vt etiam sæpè aliàs fieri dicitur manus Domini, sumpta pro spiritu prophetico. 3. Reg. 18. num. 46. *Manus Domini facta est super Heliam.* Et 4. Reg. 13. num. 15. *Cùmque caneret Psaltes, facta est super eum manus Domini.* Et passim alibi. Secundò, si verbum illud, *Fiebat*, sumatur pro verbo substantiuo, *Erat*, vt est in Hebræo: *Et fuit percussio Domini in vrbe.* Quo pacto etiam Genes. 1. num. 3. 6. & 14. vbi dicitur: *Fiat Lux, fiat firmamentum, fiant luminaria.* In Hebræo semper est verbum substantiuum: *Sit lux, sit firmamentum, sint luminaria.* Hoc igitur modo dicitur manus Domini, seu potentia Domini fieri, hoc est, esse, seu manifestari, & cognosci.

VII.
Fides transitoria magis obest, quam prodest.
Beda.

Sed obiter nota, fieri manum Domini per Arcam transeuntem: Primò, vt significetur fides & virtus in transitu solùm recepta, & non altis radicibus defixa, parum prodesse, ne dicam, plurimùm obesse. Vnde ad hunc locum Beda: *Qui fidem,* inquit, *transitoriè, nec fixa intentione percipiunt, non solùm nihil commodi credendo merentur: sed & pœnam de pretio salutis miseri mercantur æternam.* Secundò, vt significetur iustitia diuina in puniendo, non tam immorari, quàm pertransire. Vnde Isaias cap. 30. n. 32. *Et erit,* inquit, *transitus virgæ fundatus.* Quo in loco non loquitur Propheta pugnantia, sed mysteria: dum attribuit iustitiæ diuinæ *transitum fundatum.* Transitum quidem, vt si homines resipiscant, illicò ipsa pertranseat: fundatum verò, vt si homines indurescant, ipsa perpetuò immoretur.

Deus in puniēdo trāsit, non immoratur.

VIII.
Fueritne plaga in vna, an in pluribus ciuitatibus?

Per singulas ciuitates, &c. Tertium dubium: Vbi facta fuerit hæc punitio? Et quidem Latina editio apertè asserit, per singulas factam ciuitates. Sed, cùm Hebræa editio, Regia, Complutensis, Sixtiana, Lucifer, Vatablus, Clarius, Paguinus & Caietanus transferant numero singulari, *In vrbe*; seu, *In ciuitate*: planè dicendum est in Vulgata sermonem esse per anticipationem de plaga facta, dum Arca totam Palæsthinam peragraret: in aliis verò exemplaribus, sermonem esse de plaga facta in ea vrbe, ad quam primùm Arca ex Azoto translata est.

Lucif.
Vatab.
Clar.
Pagn.
Caiet.

IX.
Vrbs Geth primò punita.

Quæ autem fuerit hæc ciuitas, in Vulgata non exprimitur. Colligi nihilominùs potest ex Septuaginta, in editione Regia, Complutensi & Sixtiana, fuisse vrbem Geth. Nam Gethæi consilium Azotiis tribuentes, vt superiori Num. dictum est, responderunt: *Circunducatur Arca Dei.* Vel iuxta Biblia Sixtiana: *Transeat Arca Dei ad nos.* Et statim subditur: *Et circunduxerunt Arcam Dei*: seu, vt est in omnibus citatis Bibliis: *Et transiit Arca Dei in Geth.* Vnde paulò inferiùs dicuntur Gethæi, consilium de repellenda à se Arca, à qua percutiebantur, iniisse: ergo omnium primi post Azotios illam exceperant. Atque ita testantur D. Hieron. de locis Hebraïcis verbo, *Getha*, Theod. Procop. Vatablus, Brixian. Sulpitius, Antoninus, Abul. & Caietanus.

D. Hier.
Theod.
Procop.
Vatab.
Brixian.
Sulpit.
Anton.
Abul.
Caiet.

X.
Aliqui aliter sentientes, interpretādi.

Quare Iosephus 6. Antiq. 1. dicens, ab Azoto translatam fuisse Arcam ad Ascalonem, de mediata translatione exponi debet, non autem de immediata. Eodem modo exponendi Sabelicus Ænead. 1. lib. 7. & Ioan. Pined. lib. 3. suæ Monarchiæ c. 15. §. 3. Quorum hic sequutus editionem Latinam, docet, Arcam fuisse translatam ab Azoto in Accaronem. Nam Vulgata has duas tantùm ciuitates exprimit: ille verò sequutus Iosephum, asserit, ab Azoto ad Ascalonem commigrasse. Sed vterque de mediato transitu loquuntur. Et eodem modo interpretandus est Origen. homil. 16. in cap. 23. Num. dicens, Arcam ab Azoto translatam in Accaronem, scilicet, mediatè: immediatus enim transitus fuit in Geth.

Sabel.
Pineda.
Origen.

XI.
Homines vt sua probent consilia, periculis obiiciuntur.

Non immeritò autem fuisse dicitur ciuitas Geth primum Arcæ hospitium post Azotum. Nam Gethæi, vt suum omnibus consilium probarent ac suaderent, se ad Arcam recipiendā faciles, ac pronos ostenderunt; ac si nullā ex illius aduentu plagam formidarent. Quemadmodum olim Achitophel, vt ostenderet suum de persequendo

Dauide

Dauide conſilium optimum fuiſſe, ſe ſe obtulit Abſaloni ad illud exequendum. 2. Reg. 17. à n. 1. oſtendens, nihil inde periculi metuendum. Itaque Gethæi, vt Arca ad ſe primùm transferretur, poſtularunt. Sed plane, Deo ita permittente, decepti ſunt; vt qui priùs malignauerunt conſilium, priùs conſilij malitiam ſuo malo experirentur. Quod paulò inferiùs latiùs illuſtrabo.

XII. *In viros pariter ac fœminas deſæuiit plaga.*

Et percutiebat viros, &c. Quartum dubium: In quoſnam hæc plaga deſæuierit? Reſpondeo, in omnes vtriuſque ſexus, & cuiuſque ætatis, & qualiſcunque conditionis Philiſthinos. In primis, in omnes vtriuſque ſexus. Quia licèt Philo in Antiquitatibus Biblicis ſequutus neſcio quas Hebræorum traditiones, commemoret, ſolas fœminas prægnantes fuiſſe hoc ſupplicij genere ſauciatas, vt ſuprà Num. 6. iam aduerti: & licèt Carthuſianus Literæ adhæreſcens, in qua viri tantùm percuſſi memorantur, ſentire videatur ſolos mares, tanquàm magis culpabiles percuſſos; hi enim tantùm contra Iſraëlitas bellauerant, & Arcam Dei ceperant, & in templum Dagonis intulerant: tamen Abul. rectè probat, in viros pariter ac mulieres detonuiſſe. In viros quidem, quia hi in Litera exprimuntur: in fœminas verò, quia, ſi ſua paruulos innocentia ab his cladibus non exemit, vt ſtatim dicam; quo pacto ſua fœminas innocentia, quæ minor erat, cùm & hæ in ſuorum virorum ſcelera, ſi non factis, ſaltem votis conſpiraſſent, ab his plagis vendicaret? Nec obſtat Litera ſolos viros commemorans. Nam in Scriptura virorum nomine, & fœminæ ſignificantur. Vnde illud: *Beatus, inquiens, vir, qui non abiit in conſilium impiorum.* Pſal. 1. nom. 1. fœminas quoque intelligit. Abraham, poſtquàm vxori ſuæ Saræ parentauit; *ſurrexit ab officio funeris.* Gen. 23. n. 3. ſeu, vt habet Chaldæus: *A conſpectu mortui ſui.* Quin etiam in Vulgata ſtatim additur, Num. 4. & Num. 6. *Sepeliam mortuum meum.* Et: *Sepeli mortuum tuum*; cùm de fœmina tantùm mortua ſermo eſſet. Hinc eſt illud: *Homo de domo Iſraël, & de aduenis, qui peregrinatur apud vos, qui obtulerit holocauſtum*, &c. Leu. 17. num. 8. vbi etiam fœminam intelligi oportet. Plura exempla inuenies apud D. Aug. q. 72. in Exod. & q. 49. in Leuit. & conc. 5. in Pſal. 116. & in vtroque libro loquutionum in Geneſ. & in Exod vbi hanc regulam ſtatuit, ſub honoratiori ſexu vtrunque ſignificari. Quare licèt ſoli viri in Litera percuſſi exprimantur, tamen fœminis quoque minimè parcebatur.

Carth.

Abul.

Virorum nomine fœminæ etiam ſignificantur.

XIII. *Dei plaga per omnes ætates peruagata eſt.*

Deinde ſæuiebat hæc plaga in omnes cuiuſque ætatis: quod Litera exprimit, dicens: *A paruo vſque ad maiorem.* Hac enim loquutione omnis ætas ſignificatur. Gen. 19. n. 4. *Viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vſque ad ſenem.* 1. Reg. 30. n. 19. *Nec fuit quiſquam de filiis Iſraël à paruo vſque ad magnum.* Et paſſim alibi. Vnde colligitur magnitudo huius plagæ, quæ neque ab infirmitate muliebri, neque ab innocentia pueril abſtinebat. Talis illa, quam Deus olim minabatur: *Foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem ſimul ac virginem, lactentem cum homine ſene.* Deut. 32. n. 15. Talis & illa, quam fieri in Amalech Saüli imperauit: *Interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum atque lactentem.* 1. Reg. 15. num. 13. & paſſim aliæ, de quibus ad locum Regum proximè citatum latiùs diſſeremus.

XIV. *Etiā in omnes hominum ordines deſæuiit.*

Tandem irruebat hæc plaga in omnes qualiſcunque conditionis: nam illud, *A paruo vſque ad maiorem*, non ſolùm magnitudinem ætatis, ſed etiam dignitatis importat. Vnde Vatablus tranſtulit: *Non obſcuros modò, & humiles, ſed & magnos.* Et poteſt confirmari ex c. 1. Eſther, n. 20. vbi Principes Regni ad Regem Aſſuerum: *Cunctæ, inquiunt, vxores tam maiorum, quàm minorum deferant maritis ſuis honorem.* Hoc eſt, vxores tam nobilium, quàm humilium virorum. Et ſatis id ratio perſuadet: quia illi potiùs & priùs flagellari debuerunt, qui maiores Arcæ iniurias irrogarunt. Hi autem Principes fuerunt, cùm omnium malorum auctores extiterint, & ſuaſores. En magnitudo huius plagæ, quæ viros & fœminas, pueros & ſenes, Principes & plebeios pariter impetebat.

XV. *Deus in miſerendo hominum dignitates non attendit.*

Nam Deus, vt obiter hoc dicam, neque in miſerendo, neque in puniendo reſpicit perſonas hominum: ſed ſola meritorum pondera & momenta expendit. In miſerendo quidem; vt rectè colligitur ex Dauide dicente: *Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ.* Pſal. 4. num. 2. Quaſi diceret: Meam iuſtitiam, non meam dignitatem reſpexit. In quem locum rectè D. Chryſoſtomus: *Non hoc*, inquit, *dicit Propheta ſe volens extollere: ſed doctrinam quandam, & admonitionem valdè vtilem afferens. Ne dicat quiſpiam: Ille fuit exauditus, quoniam erat Dauid: ego verò non exaudiar, quoniam ſum puſillus & abiectus: oſtendit, quòd Deus ſemper res, & facta exactè contemplatur: qua, ſi habueris, exaudieris: ſi non habueris, ne, ſi Dauid quidem fueris, poteris Deo perſuadere.* Vbi plura de hac re.

D. Chryſ.

XVI. *In puniendo perſonas non reſpicere oſtēditur.*

In puniendo verò, ſatis conſtat ex illo oraculo diuino admodum celebri. *Viuo ego, dicit Dominus: quia, ſi fuerit Iechonias, filius Ioachim Regis Iuda, anulus in manu dextera mea; inde euellam eum: & dabo te in manu quærentium animam tuam, & in manu, quorum tu formidas faciem, & in manu Nabuchodonoſor Regis Babylonis.* Ierem. 22. n. 24. & 25. Vbi vides, Deum excutere de manu ſua, & in manus hoſtium ac etiam Dæmonum mancipare illos, qui à bona vita in malam prolabuntur, quantacunque dignitate emineant & excellant. Vnde Hugo Cardinalis in citatum Ieremiæ locum, *Prelatus*, inquit, *licèt in multis ſit vtilis Eccleſiæ: abiicietur tamen à Deo propter malam vitam; quia quem perdit vita, non poteſt ſaluare doctrina.* Quibus ego addo: Quia non poteſt ſaluare dignitas, quem perdit iniquitas. Sic igitur apud Gethæos, non ſolùm humiles, ſed etiam nobiles eodem ſupplicij genere inuoluuntur.

Hugo.

Non ſaluat dignitas, quē perdit iniquitas.

XVII. Theodor. Sulpit. *Triplex Philiſthæorum plaga.*

Et computreſcebant, &c. Quintum dubium: Vtrùm hæc pœna Gethæorum, eadem fuerit atque Azotiorum? Theodor. quidem, & Sulpitius eandem fuiſſe dicunt: ſed, vt clariùs reſpondeatur, recolendum eſt, pœnam Azotiorum fuiſſe triplicem: deiectionem Dagonis, immiſſionem morborum, incurſionem murium: vt iam ex dictis patet. Igitur, quod ad primam attinet, apud Gethæos, & cæteras Philiſthinorum ciuitates, non exprimit Litera, factam fuiſſe vllam idolorum deiectionem ad Arcæ ingreſſum. Immò Abulenſis q. 18. illam expreſſè negat.

Abul.

XVIII. *Omnium idola ad Arcæ ingreſſum deiiciuntur.*

Ego tamen libentiùs affirmo. Neque mihi videor, aut à Litera, aut à ratione longiùs aberrare. Non à Litera: quia c. ſeq. num. 3. dicunt Sacerdotes & Diuini omnibus Philiſthæis: *Dabitis Deo Iſraël gloriam, ſi fortè releuet manum ſuam à vobis, & à diis veſtris, & à terra veſtra.* Ergo ſatis innuunt, omnium deos fuiſſe percuſſos? quorum plagas deprecabantur. Quamuis Caietanus ibi videatur ſumere, Deos, in plurali per ſynecdochen, pro, Deo, in ſingulari. Sed quorſum figurata oratio, quando propria & plana rectè cohæret? Meliùs igitur Dionyſius ibi nobiſcum ſentit: *Ex hoc*, inquit, *videtur, quòd Deus non ſolùm vltionem exercuit in Dagon, ſed etiam in aliis*

Caiet.

Dionyſ.

aliis Philisthinorum diis, seu idolis; sicut & olim in diis Ægyptiorum. Idem etiã significare videtur Orig. hom. 16. in Numer. dicens, Dæmones timuisse Arcæ virtutem: *Quia non solum*, inquit, *affligebantur, & puniebantur allophyli: verum etiam cultus ipse Dæmonum destruebatur; vtpote simulacris eorum, templisque ad ingressum Arcæ corruentibus.* Vbi cùm pluraliter de simulacris loquatur; apertè significat, non solùm Dagonem, sed alia quoque idola corruisse. Eadem videtur esse sententia D. Augustini in Psal. 77. ibi: *Percussit inimicos suos in posteriora*: vbi loquutus de Philisthinis: *Arcam*, inquit, *captiuatam iuxta sua idola posuerunt: & illa quidem vetera, etiam, illis nolentibus, cadunt.* Sic & D. Chrys. in Psal. 131. ibi: *Audiuimus eam in Ephrata*: vbi de hac plaga: *Arca*, inquit, *capta simulacra deiecit.* Sic denique & alij Patres citati, & citandi, quatenus de ruina idolorum pluraliter loquuntur.

Origen. — D. August. — D. Chrys.

XIX. *Philisthini crescente idololatria in idolis puniuntur.* Non est etiam à ratione aliena hæc interpretatio: quia crescente idololatriæ studio apud Gethæos & cæteros Philisthinos, non resipiscentes ex deiectione Dagonis, sed adhuc in diis suis spem suam reponentes; æquum erat, vt cresceret idolorum afflictio: vt non iam vnum, sed omnia disturbarentur. Et sicut olim per Moysem omnia simulacra Ægypti corruerunt: vt superiori cap. Num. 8. dictum est: & posteà per Christum Dominum, iuxta illud: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum: & commouebuntur simulacra Ægypti à facie eius.* Isai. 19. n. 1. Ita modò congruum erat, vt per Arcam in tota Palæsthina simulacra euerterentur: cùm non minùs in Palæsthina, quàm in Ægypto idololatriam corruere oporteret: immò magis, cùm Palæsthina intra terminos terræ Promissionis, vbi vera religio futura erat, clauderetur: vt super. cap. Num. 1. iam retulimus.

XX. Abul. *Abulensis opinio reiicitur.* Neque concesserim Abulensi, quod affirmat: nimirum Gethæos non induxisse Arcam in suum templum, recordatos illam Dagonis deiectionem, & veritos similem suorum idolorum ruinam: Arcam verò extra templum sitam, non fuisse templi simulacris aduersaram. Non, inquam, id concesserim. Nam Gethæi credentes, Arcam non fuisse illarum plagarum effectricem; libenter eam in suum templum inducerent, vt suam omnibus opinionem faciliùs persuaderent; si ostenderent, post illam introductam, adhuc sua simulacra in suo loco stare ac permanere. Et confirmari potest ex D. Basilio in procemio Ethicorum, & in Orat. 3. De peccato, D. Aug. in Psal. 77. Theod. hic q. 13. & aliis, qui pluraliter loquentes, dicunt, Arcam positam fuisse in fanis idolorum, seu iuxta idola constitutam, seu idolis consecratam. Ergo sentiunt, non in vnum tantùm Dagonis templum, sed in reliqua Palæsthinæ introductam fuisse. Quòd si aliqua religione tacti Arcam extra templum collocarunt; potuit illa inde, ac debuit, omnia templi simulacra demoliri: vt cæci homines, qui ex deiectione Dagonis, Arcæ potestatem non crediderant; maiores eius vires tunc experti, suam tandem perfidiam abiurarent. Itaque multò probabilius mihi est, ad ingressum Arcæ in Geth, ac reliquas Philisthinorum vrbes, omnia Deorum simulacra corruisse.

D. Basil. — D. Aug. — Theod.

XXI. *Eodem quo Azotij morbo Gethæi laborant.* Quod attinet ad secundam pœnam, scilicet, immissionem morborum, quos Azotij passi sunt: eodem modo apud Gethæos memoratur. Nam & hos dicit editio Regia & Complutensis percussos *In natibus*: Sixtiana, *In sedibus*: Chaldæus, *In constrictionibus*: Vulgata: *In extalibus*: hoc est, in internis visceribus, quæ mali vi computrescebant, & prominebant foras: seu, vt ex aliis vertit Theodoretus, *Vndique resoluebantur.* In Hebræo est verbum שׁתר *Schathar*, quod hoc tantùm loco reperitur; eiusdem significationis cum verbo סתר *Sathar*, quod est, celare, abscondere, occultare. Et nomen עפלים *Ghephelim*, quod significat vel morbum internum, vel internam corporis partem morbo affectam. Et est sensus: Abscondebantur morbi, vel internæ corporis partes morbo affectę: & propterea morbus, seu dolor ægrior erat, cui non poterat remedium adhiberi.

XXII. *Gethæis per operime morbus grassabatur.* Vnde mihi videtur Scriptura aliquod huius plagæ augmentum significare voluisse Nam Azotiis externæ corporis partes: Gethæis verò præcipuè internæ lædebantur. Quod explicat Pagninus, transferens ex Hebræo: *Et incognita erant eis marisca*: seu, vt clariùs Caietanus: *Et fuerunt absconditæ eis marisca.* Hoc est, vt ipse interpretatur: *Ad interiora corporis retracta est plaga mariscarum.* Sic & Vatabl. vertit: *Factum est, vt manus Domini admodum vehementi impetu percuteret homines vrbis illius, vt laterent eis morbi.* Quasi vehementia huius percussionis in eo consisteret, quòd fieret per morbos latentes, seu *secretos*, vt transfert Clarius. Quod sic explicat: *Quoniam morbus ille absconditus fuit, & non erat in propatulo; grauiùs affligebat Palæsthinos, cùm nullam medelam adhibere possent.* Morbus enim eò periculosior est, quò est occultior. Nam, vt bene Mantuanus de similibus morbis loquutus 3. Georg.

—— Alitur vitium, crescitq́; tegendo.

Extorũ Aruspices extis affliguntur. Et quia hic morbus erat immedicabilis, eò quòd introrsum ad præcordia irrepserat; idcircò dicitur in Litera, facta fuisse *interfectio magna nimis.* Interfectorum verò numerum paulò inferiùs Num. 12. inculcabo. Si quæras: Cur præcipuè exta Philisthinis contabescerent? Respondeo: quia erant Diuini & Aruspices, qui olim ad captanda omina, pecudum exta riotabantur; iuxta illud Mantuani 4. Æneid.

—— Pecudumq́; reclusis
Pectoribus inhians spirantia consulit exta.

Lusitani eadem superstitione correpti. Quam superstitionem in Lusitania quondam præcipuè viguisse, Strabo lib. 3. Geographiæ, & Alexand. ab Ales. lib. 6. genial. dierum, cap. 26. nescio quo fundamento testantur. Vt igitur Deus ostenderet, vanas esse illas extorum inspectiones, ipsa inspicientium exta magnis cruciatibus conuulsit. In eos enim conuenire potest illud: *Torsiones, & dolores tenebunt, quasi parturiens dolebunt.* Isai. 13. num. 8. Sic enim facilè potest intelligere, inania esse extispicia, & auguria ille: *Qui non augurio potuit depellere pestem.* Et præterea, qua parte corporis peccarunt, eadem non immeritò plectuntur.

XXIII. *Eodem & Gethæi murium incursu laborarunt.* Tandem, quod attinet ad tertiam pœnam, nempe, murium incursionem: licèt hoc loco facta fuisse apud Gethæos non exprimatur; tamen duplici argumento conuinci potest, apud eos quoque contigisse. Primò, quia cap. seq. Num. 5. Sacerdotes & Diuini, quinque mures aureos iuxta numerum prouinciarum Philisthinorum faciendos curauerunt, ad propitiandum Deum Israël, & rationem reddunt: *Quia plaga*, inquiunt, *vna fuit omnibus vobis, & Satrapis vestris.* Ergo non solùm Azotios, sed etiam Gethæos & reliquos Palæsthinos hi mures infestarunt. Et confirmatur: quia ex iisdem verbis, tam Septuaginta in Biblijs Sixtianis, quàm Latinus Interpres collegerunt, hanc plagam Azotiis illatam fuisse, & propterea illam Num. 6. inseruerunt, vt ibidem aduertimus, quamuis

quamuis illam in Hebræo non inuenerint. Quid ergo mirum, si ex eodem fundamento apud Gethæos & reliquos Philisthinos fuisse colligatur? Secundò, quia id palàm significant verba sequentia, quæ sunt de consilio ad hàs plagas repellendas, & de remedio ad euitandas: vt iam explicabo.

XXIV. *Inieruntque Gethai*, &c. Duo hîc exprimuntur; & consilium à Gethæis initum, & sedes pelliceæ factæ. Vtraque pars abest à Bibliis Complutensibus & Regiis; siue Latinus, siue Græcus, siue Hebraïcus textus consulatur. Vnde D. Greg. Vatabl. Pagnin. Caietan. & alij, vtranque pariter excludunt. Sixtiana verò nihil dicunt de consilio; addunt tamen: *Et fecerunt sibi Gethai sedes*. Vulgata nihilominùs editio, & consilium initum, & sedes pelliceas factas exprimit. Consilium igitur inierunt Gethæi ad remedium aliquod suis malis inueniendum. Et inuenerunt duplex. Vnum, vt Arcam à se in Accatonem relegarent: quod colligitur ox effectu ad sequentem Numerum exponendo. Alterum, vt sibi sedes pelliceas fabrefacerent: quarum formam & finem oportet hoc loco explicare. Theod. vertit: *Fecerunt sibi sedes aureas*. Et ante illum Philo in Antiq. legit: *Sedilia aurea*. Et quidem, si hæc fuit illarum forma; crediderim, finem fuisse, vt illis Deo consecratis, diuinam iram mitigarent: quemadmodum & ad eundem finem, mures aureos obtulerunt. De qua re sequenti cap. dicemus.

D. Greg. Vatabl. Pagnin. Caietan.

Duplex plaga remedium a Gethæis inuentum.

Theodor. Philo.

XXV. Abulensis existimat, non fuisse sedes, sed feminalia, seu femoralia ex pelliboa confecta ad constringendos extales prominentes, ne penitùs defluerent: & ad repellendos mures, qui in viscera defluentia corrosuri irrepebant. Sed videtur mihi longè à suo significatu sedium nnmen extraxisse. Alioqui, dicet aliquis, etiam significare poterit illas pelles, quibus olim accinctæ Bacchæ, seu Mænades furebaot, inxta illud 7. Æneid.

Abulensis opinio de sedibus pelliceis.

Pampineásque gerunt incinctæ pellibus hastas.

Quasi Philisthini hoc suo morbo, tanquam œstro quodam correpti ac lymphati baccharentur. Vel certè eas vestes pelliceas, quibos Gentilium Sacerdotes induti sacrificabant, iuxta illud Æneid. 8. de Sacerdotibus ad sacrificandum euntibus:

Pellibus in morem cincti, flammásque ferebant.

Quasi Philisthini habitum pelliceum de more assumerent ad offerendnm sacrificium pro hac plaga deprecanda. Vel tandem, tunicas, seu zonas pelliceas, quibus pœnitentes homines induuntur, quales primi parentes, Genes. 3. n. 21. & Helias, 4. Reg. 1. nom. 8. & Ioan. Baptista, Matth. 3. num. 4. more pœnitentium gestarunt. Credibile enim est, Gethæos, sicut votis ac muneribus, ita corporis macerationibus & afflictionibus Deum sibi placare voluisse.

Zona pellicea pœnitentium habitus.

XXVI. Quare, ne sedium nomen in aliennm significatum abducatur; potiùs dicendum cum Carthusiano fuisse mollissima sedilia facta ex pellibus ouinis, & fortè ipsis quoque ouium velleribus mollissimè substrata. Sed quis fuit harum sedium finis? Primò dicet aliquis, vt Philisthini iuxta veterem Gentilium superstitionem pellibus incubantes Deos suos consulerent de remedio contra tot plagas obtinendo. Fuit enim hæc Ethnicorum superstitio, vt oracula petentes, hostias offerrent, & earum pellibus substratis, in Deorum fanis incumberent; ibique responsa per quietem expectarent; iuxta illod de Rege Latino Fauni oraculum consulente, 7. Æneid.

Carth.

Verius Carthusiani placitum.

Gentiles pellibus incubantes Deos suos consulebant.

Pellibus incubuit stratis, somnósque petiuit.

Sed incertum mihi est, an hæc aliarum Gentiom superstitio apud Philisthinos quoque inoleuerit. Secundò, respondet Carthusianus, factas sedes illas pelliceas à Philisthinis, vt sedendo minùs affligerentur. Vbi cernitur præpostera eorum sollicitudo, qui de animorum morbis nihil curabant, & solis corporum morbis diligenter prouidebant: cùm tamen hi facile mitescerent, si illi curarentur. Tertiò addit Lyranus, illas sedes ex pellibus factas fuisse, non solùm, vt molliùs sederent; sed etiam, vt murium importunè irroentium, & intestina corrodentium morsus euitarent. Quamuis, vt verum fatear, ad hos morsus excludendos non sunt pelles admodum imperuiæ, & impenetrabiles, cùm hæ murium dentibus facilè exterantur & corrodantur. Nisi fortè dicamus, fuisse has sedes paulò à terra altiores, & in aëre suspensas; ne possent mures insilire. Quo pacto homines in Brasilia noctu ad noxia vitanda animalia cubant in retibus à terra suspensis: vt nostrates Lusitani ibi diligenter experiuntur; & Maffeius lib. 2. historiæ Indicę non procul ab initio testatur. Ex quibus tandem constat, murium incursionem factam fuisse etiam in Gethæos, & in cæteros Philisthinos. Qnod Luciferi translatin clariùs expressit: *Ebulliunt*, inquit, *illis mures in sedibus*. Hoc est, Terra produxit illis mures, qui eorum viscera noxiis morsibus corroderent & laniarent. Et D. Antoninus: *Quocunque*, inqnit, *ferebant Arcam, sequebatur plaga illa, muribus ex terra ortis, corrodentibus eos in posterioribus.*

Iniusti de animorū morbis nihil curant.

Lyran.

Lyrani opinio de pellibus exponitur.

Maff.

D. Anton.

XXVII. En, quo pacto hominum consilia à Deo eleuentur & elidantur; immò & in eorum capita retorqueantur. Nam Gethæi crediderunt suo illo consilio de circunducenda Arca per vrbes Palæsthinæ, Azotios ab illa plaga liberandos: & nihilominùs non solùm Azotios ac cæteros Philisthinos; sed etiam se ipsos in communem plagam coniecerunt. Et quam Arcam paulò antè ad se transire cupiebant; eandem modò, quàm longissimè à se ipsis remouere nitebantur. Crediderunt insuper, ex circunductione Arcæ palàm fore eas plagas, non ab Arca, sed ab aliqoo astro prouenisse: & nihilominùs luce meridiana clariùs innotuit, eas omnes non ab alio, qnam ab hoc vnn fonte promanasse. Itaque Deus eorum consilia elusit; dum, quæ illi ad vnum finem direxerunt, ad alium omninò contrarinm destinauit. Quod ex aliis Scripturæ locis hîc breuiter illustro.

Ludit hominū consilia Deus.

Impiorum consilia in eorum perniciem relabuntur.

XXVIII. DE Deo loquutus Eliphaz: *Qui*, inquit, *apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilium prauorum dissipat*. Iob. 5. num. 13. In quem locum D. Greg. lib. 6. Moral. c. 12. loquutus de his peruersorum consiliorum architectis, *Inde*, inqoit, *voluntatem Dei peragunt, vnde hanc immutare contendunt. Omnipotentis Dei consilio, dum resistere nituntur, obsequuntur. Dei consiliis humana facta, etiam tunc congruè seruiunt, cùm resistunt.* Fratres Iosephi eum vendiderunt, ne adorarent. Gen. 37. n. 28. Sed, Deo sic statoente, qnia vendiderunt, adorarunt. Gen. 44. num. 6. Vnde D. Chrysost. hom. 61. in Genes. hanc diuinam prouidentiam in his fratribus ostendens: *Consultant*, inquit, *& attentant, & suam declarant malitiam: at sapiens & omnipotens Deus insidiatores ministrare etiam inuitos facit dispensationi futurorum.* Et D. Gregor. citatus: *Diuino*, inquit, *iudicio, quod declinare coacti sunt, retinendo seruauerunt.* Et paulò pòst: *Sic diuinum consilium, dum deuitatur, impletur: sic humana sapientia,* dum

D. Greg.

Quo modo Deus improborum consilia demolitur.

D. Chrys.

D. Greg.

dum reluctatur, comprehenditur. Timuerunt, ne Ioseph super eos excresceret; sed hoc, quod diuinius dispositum fuerat, cauendo factum est, vt eueniret. Vnde humana sapientia voluntati Dei per intentionem restitit, inde eius impletioni militauit.

XXIX. Præcepit olim Pharao, vt Moyses eum reliquis Hebræorum infantibus in flumen deiiceretur. Exod. 1. num. 22. Sed eo consilio vsus est Deus, vt Moyses apud Pharaonem liberaliter educaretur. Exod. 2. a num. 6. Vbi rectè Lipom. *Voluit*, inquit, *Dominus Hebræos multiplicari: Pharao autem voluit Hebræos deleri. Vter ergo inter hos præualuit? Certè Domini voluntas ita promouit, vt Pharao longè aliud agens adiuuerit potius voluntatem Dei tyrannide sua, quàm impedierit.* Et paulò pòst: *Tantum abfuit, vt Moyses perire potuerit per Regis crudelitatem, vt ipsum quoque intra regiam aulam suam educari oportuerit. Sic parabatur à Rege contra Regem, volente Deo.* Vbi vides, Pharaonem Moysis nutritorem factum esse, cum se Moysis præstare voluit occisorem; & cùm Regni sui oppugnatores opprimere voluit, aluisse euersores. Quin etiam, cui mortem volebat inferre, non solùm vitam impertiit, sed etiam & coronam. Narrat enim Iosephus libro 2. Antiq c. 9. Pharaonem aliquando regiam coronam de suo capite detraxisse, & imposuisse capiti Moysis adhuc infantis, quem inter brachia gestabat, & cui indulgentissime blandiebatur, non obscuro præsagio, fore vt regnaret ille, quem Rex Pharao voluit necare.

Lipom. — *Impij eos Deo consilio educant, quos volunt interficere.*

Non solùm educant, sed coronant, Ioseph.

XXX. Adde diuinitùs effectum, vt, qui aliorum filios occidebat, per propriam filiam nescientem quid ageret, ad mortem traheretur, vt rectè obseruat Lipomanus: *Quem*, inquit, *Rex pater persequitur ad mortem, illum Dominus per filiam nutriendum destinat. Sic solent studia impiorum, velint, nolint, conterri, contrà quam intendunt. Non est consilium contra Dominum. Vt rumpantur tibi ilia, Pharao, tu in tua aula nutrire, & educare cogeris eum, qui saluaturus est eos, quos tu persequeris, & te digna morte puniturus.* Quod etiam D. Aug. ser. 89. De tempore, rectè expendit. Nam in primis inuehitur in Pharaonem dira infantibus exitia molientem: *O prodiga*, inquit, *furoris audacia! Nec dum natis pœna mandatur: & ante principium vitæ, periculum concitatur. Cohibe, nefarie homo, insaniam tuam. Quos nec dum vides, insequeris. Quid scelestius? Nondum natos occidis. Seruet ordinem feritas tua: nascantur, antequàm punias.* Et paulò pòst, diuinam prouidentiam admiratur, quæ de sua Regem crudelitate puniuit. *Nouum*, inquit, *miraculi genus fecit misericordia filia parricida. Nam dum paruulum seruat ignara, patrem decepit incauta. Dignum malitia eius sceleris erat, vt filia prouisione periret, qui genitrices interdixerat parturire. Competens processit diuina vindicta, vt suis affectibus puniretur.*

Abiis, quos necare conantur, trahuntur ad mortem.

Pharaonis crudelitas exprimitur.

Est genus miraculi, Tyrannum filiam miserari.

XXXI. Denique profuit Moysi per humanum consilium periclitari, vt per diuinum illustrior redderetur. Nam, vt bene D. Chrys. hom. 54. in Acta: *Iussit*, inquit, *Pharao in flumen proiici pueros. Nisi proiecti fuissent pueri, non fuisset seruatus Moyses; non in aula educatus fuisset. Quando seruabatur, non erat in honore: quando expositus est, tunc factus est in honore.* Itaque Pharaonis consilium de perdendo Moyse, Moysem non modò incolumem seruauit, sed etiam in summam dignitatem prouexit. Multus est Dauid in hac diuina prouidentia decantanda: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit.* Psal. 7. num. 16. Vbi D. Basilius rectè notat, hanc esse insidiis non additam pœnam, sed insitam naturam, *Vt in ipsos insidiatores retia conuertantur.* Idem rursus Psalmographus: *Infixæ*, inquit, *sunt gentes in interitu, quem fecerunt.* Psalm. 9. num. 16. Vbi D. Chrysostomus: *Improbo homine nihil imbecillius. Propriis armis capitur. Quemadmodum ferrum à rubigine, & lana à tinea; ita etiam improbus à vitio.* Et statim ipse Dauid: *In laqueo isto, quem absconderunt, comprehensus est pes eorum.* Vbi loquitur prophetice de Apostolorum persequutoribus: *Quando enim*, inquit Chrysostomus, *bellum gerebant cum Apostolis, illos quidem nihil lædebant: malis autem innumerabilibus se ipsos implicabant.* Et confirmat exemplo trium puerorum, quos in fornacem coniectos flamma seruauit innoxia: coniectores autem vorax absumpsit incendium. Item Danielis, cui leonibus immisso leones pepercerunt; emissarios autem ipsos atrociter laniarunt. Pergit Dauid: *In operibus manuum suarum comprehensus est peccator.* Vbi rectè notat Chrys. comprehendi peccatorem, non tam in manibus Dei, quàm ipsius peccatoris: *Quando enim*, inquit, *struis alicui insidias, tibi ipsi contexis retia.*

D. Chrys. — *Pharao Moysem, quem perdere voluit, illustriorem fecit.*

D. Basil. — *Improbi propriis retibus capiuntur.*

D. Chrys.

Multis confirmatur exemplis.

D. Chrys.

XXXII. Hinc est illa Dauidica imprecatio, seu potiùs prophetica denuntiatio in fraudulentum peccatorem: *Captio, quam abscondit, apprehendat eum.* Psal. 34. num. 8. Æquissima enim ratio postulat, vt quam quis fraudem molitur, patiatur: immò priùs sibi, quàm alteri noceat. Quod D. Aug. apta similitudine confirmat: *Sic esse*, inquit, *putate malitiam, quomodo ignem. Incendere vis aliquid aliud: illud, quod admoues, priùs ardet; nisi ardeat, non incendit.* Et statim accommodās, *Malitia*, inquit, *procedit ex te; & quem priùs vastas, nisi te? Quo profundit ramum, lædit: vbi radicem habet, non lædit?* Quasi dicat: minimè. Immò statim subdit: *Malitia tua, vt alteri non noceat, fieri potest: vt autem tibi non noceat, fieri non potest.* Quasi multò certius sit, quod fraudulentus patitur, quàm quod infert nocumentum. Memineris & Goliam, & Holofernem, suo quemque gladio iugulatum; vt significent improbos, & peccatores, suis omnes machinamentis, quæ in alios constituunt, opprimendos. De quibus proinde Dauid: *Gladius*, inquit, *eorum intret in corda ipsorum.* Psalm. 36. num. 15. Quasi à Deo postulet, eam, quæ potissimùm illis congruit, vltionem, vt ibi D. Ambros. aduertit, scilicet, *vt quemadmodum reuertitur pax in Dei seruulos ab iis, qui non receperint benedicentium pacem; ita etiam malitia peccatorum, qua iustos nocere conantur, in eorum perniciem reuertatur; quò suis telis & vulneribus crucientur.*

Fraus ipsa fraudulentos perdit.

D. August.

Peccatores suo iugulantur gladio.

D. Ambr.

XXXIII. Sed nonnulla hîc exempla raptim carpo. Voluit quondam Diabolus esse Iobi carnifex, dicens ad Deum: *Mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem.* Iob. 2. num. 5. Morem gessit illi Deus. Sed hanc eius nefariam voluntatem in ipsius Dæmonis perniciem conuertit. Dum enim Iobi tortor fieri voluit; factus est Iobi custos, Deo sic imperante: *Animam illius serua.* Ibidem, n. 6. Quis non videt fraudis artificem sapienter à Deo fuisse illusum: & vbi se victorem fore existimauit, victum cecidisse? Vnde D. Ambr. lib. 1. De pœnitentia, cap. 13. *Diabolus*, inquit, *sanctum Iob, magis armauit, postquàm vulnerauit; qui diris perfusus vlceribus, Diaboli quidem morsum pertulit, sed venena non sensit.* Et paulò pòst: *Quanta vis Christi, vt custodia hominis imperetur etiam ipsi Diabolo, qui semper vult nocere. Imperante Christo, & Diabolus ipse sit prædæ suæ custos.* Nec mirum à Deo consilium Diaboli ludificari, cùm etiam ab Apostolo ludificetur. Auidissimus inuolauit Satanas ad deuorandum eum, quem D. Paulus ei tradiderat, ratus corpore pariter & animo disperdendum. Sed Apostolus sic Diabolum elusit, vt dum corpus affligeret,

Diabolus, quorum tortor esse cupit, à Deo custos efficitur.

D. Ambr.

affligeret, animum seruaret: *Indicaui*, inquit, *tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* 1. Cor. 5. num. 5. In quem locum D. Ambros. citatus, Apostoli & potentiam & prudentiam admiratus: *Magna*, inquit, *potestas, magna gratia, qua imperat Diabolo, vt se ipse destruat. Se enim destruit, cùm hominem, quem tentando supplantare studet, ex infirmo fortiorem efficit; quia, dum carnem debilitat, mentem eius corroborat. Illuditur ergo Diabolus, vt ipso mortis suæ vulnere contra se armet, quem debilitandum putauit.* Et paulò pòst, ostendit, ipsas Diaboli tentationes, quibus ipse vtitur ad perdendas animas, nimiùm conducere ad saluandas: dum ita Deus rem temperat ac disponit, vt homo à Diabolo tentatus, tanquàm puer ille prophetitus, Isai. 11. num. 8. *In cauernam eius manum mittat, & de latebris eruat eum, & de veneno eius faciat spirituale antidotum, vt quod venenum est, medicamentum fiat: venenum ad interitum carnis; medicamentum ad salutem spiritus.* Si ergo astutissima Dęmonis consilia sic à Deo euertuntur, & in eius exitium retorquentur, quid mirum, si aliorum hominum machinationes à Deo illudantur, & in eorum capita reuocentur?

Dæmon dum perdit corpus, se perdit.

Dæmonis tentationes ad salutem.

XXXIV. *Deus fuga vitari non potest.*

Ionas proprio fidens consilio, repugnare voluit diuino: nam missus à Deo in Niniuem, fugit in Tharsis, ne ampliùs Niniuem adire cogeretur. Ion. 1. num. 3. Sed diuino consilio effectum, vt fuga in Tharsis, via in Niniuem redderetur: dum is, qui nauigium in Tharsis conscenderat, balænæ remigio in Niniuem deportatur. De qua re D. Greg. lib. 6. Moral. c. 12. *Ecce*, inquit, *fugitiuum Dei tempestas inuenit, sors ligat, mare suscipit, bellua includit: & quia auctori suo obedire renititur; ad locum, quò missus fuerat, suo reus carcere portatur.* Sic ille eleganter. De eadem re loquutus D. Gregor. Naz. in Apologetico, seu Orat. 1. De fuga sua, ad finem: *Solus*, inquit, *ex omnibus rebus Deus est, qui nec fuga vitari, nec superari potest, cùm aliquem arripere, ac sub manum & potestatem redigere voluerit; celeres anteuertit, prudentes decipit, fortes subuertit, sublimes contrahit, audaciam mitigat, potentiam premit.* Quid ergo facit, nisi stultissimè insanit, qui diuinam voluntatem sua calliditate intercipere, vel eludere conatur?

D. Greg.

D. Greg. Naz.

XXXV. *Impiorum consilium eadem molitur, Dei honorem.*

Saul filiam suam Dauidi vxorem spopondit; dummodo Dauid centum occideret Philisthinos. 1. Reg. 18. num. 25. Quorsum spectabat hoc consilium Saülis, tantum honorem Dauidi, quem oderat, deferentis? Rectè Lyranus: *Malitiosè*, inquit, *cogitabat; vt ad consequendum hoc matrimonium, Dauid audaciùs periculis se exponeret, & sic periret.* En consilium hominis. Sed vide, quàm facilè à Deo inuertatur. Nam Dauid pactus se interfecturum centum Philisthinos, ducentos interfecit. *Et celebre*, inquit Textus, *factum est nomen eius nimis.* Vbi suprà, num. 30. Quem in locum D. Gregor. Magnus paulò antè citatus: *Saül*, inquit, *superna prouidentia in sapientia sua est consilio deprehensus. Quia vnde succrescentis militis vitam se extinguere credidit, virtutis eius gloriam inde cumulauit.* Ita ille. Vbi plura egregiè de hac re.

Lyran.

XXXVI. *Abimelech per fratricidiũ regnum assequutus occiditur.*

Abimelech filius Gedeonis septuaginta fratres suos occidit, vt parenti in Regnum succederet. Iud. 9. num. 5. Sed hoc facinus, quo sibi viam ad imperium muniuit, eum non solùm è Regno, sed etiam è vita deturbauit. Nam Sichimitæ *Cœperunt eum detestari; & scelus interfectionis septuaginta filiorum Ieroboal* (id est, Gedeonis) *& vltionem sanguinis eorum conferre in Abimelech fratrem suum.* Ibidem, num. 24. En, vt fratricidium, quo ille ad regiam sedem, tanquàm desertam & vacuam occu-

A pandam, vsus est; à regia illum sede exturbauit. Deinde vna mulier tyrannum sanguinarium pertæsa, ac denique proprius eius armiger, dutæ impatiens seruitutis, hominem de imperio, ac de vita præcipitem egerunt. Vbi suprà, num. 53. Quod D. Basilius hom. 22. de humilitate expendens: *Abimelech*, inquit, *spurius Gedeonis filius, qui septuaginta germanis illius filiis occisis, astutum hoc ad regni confirmationem inuentum ratus est; quos cædis huius habuerat administros, conterit quidem: sed & ipse vicissim ab ipsis conteritur. Ex quo discere poteris, quàm sit inane humana sapientia excellere, & quàm exile sit, & humile, magis quàm magnificum ac sublime.*

D. Basil.

XXXVII. *Peccatores vnde auxiliũ implorant, inde exitium reportant.*

Magnum præsidium habituros se Israëlitæ existimabant in Ægyptiis: à quibus opem, con-
B tempto Numine, implorabant. Sed quàm fallax experti sunt? iuxta illud Dei ad Regem Ægypti: *Fuisti baculus arundineus domui Israel. Quando apprehenderunt te manu, & confractus es, & lacerasti omnem humerum eorum; & innitentibus eis super te comminutus es, & dissoluisti omnes renes eorum.* Ezech. 29. num. 6. & 7. Sicut enim baculus arundineus incumbentem non sustentat; sed fractus, & in frusta desiliens pungit ac vulnerat: ita Ægyptus tueri non potuit Israëlitas, potuit dissipare. Hinc illa Ieremiæ cum Hebræis Ægyptios implorantibus expostulatio: *Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam? Et quid tibi cum via Assyriorum, vt bibas aquam fluminis? Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te.* Ierem. 2. num. 18. &
C 19. Quasi diceret Deus, inquit ibi Theodoretus: *Non me vocasti in auxilium, sed illos: propterea tradidi te illis.* Sic enim factum est, vt Sesac Rex Ægypti Ierosolymam inuaderet, magnáque strage demoliretur. 3. Regum 14. à n. 25. Et statim Theodoretus: *Tale quippiam*, inquit, *accidit his, qui Saluatorem crucifixerunt. Negantes enim illum dixerunt, se non habere Regem, nisi Cæsarem. Hac de causa Cæsari tradidit illos.*

Theod. *Qui Christũ in perniciem Regem nolunt, Cæsari traduntur in perniciem.*

XXXVIII. *Regno priuantur, qui Christum ne priuarentur, occiderunt.*

Quæ me interpretatio monet, vt in hoc Iudæorum consilio paulisper immorer. Quod sicut fuit à Iudæis pessimè institutum; ita fuit à Deo sapientissimè dissipatum. Ergo Iudæi Christum Dominum occidere statuerunt, ne venirent Romani, & tollerent eorum locum, ac Gentem, Ioan.
D 11. n. 44. Sed eo ipso factum est, vt cùm Christum occiderent, à Romanis & Regno & vita priuarentur. Nam, vt ibi Euthymius: *Prætextum*, inquit, *sumpserunt occidendi Christum, ne à Romanis internecioni traderentur; quia verò occiderunt, internecioni traditi sunt: & quæ fecerunt, vt effugerent; ea, quia fecerunt, non effugerunt.* Et D. Basil. paulò antè citatus: *Necem*, inquit, *Christi aggressi, quasi Gentem, & locum suum seruaturi, suo ipsorum consilio vtrunque perdiderunt, extorres facti, & ab institutis suis & cultu abalienati.* Voluerunt iidem Christum occidere, vt eius hæreditate, non iam vt coloni, sed vt domini fruerentur, dicentes: *Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius.* Mat. 21. num. 38. Nihilominùs, vt notat D. Aug. serm. 59. De
E verbis Domini, *In contrarium eis vertit malum consilium. Vt possiderent, occiderunt;* & *quia occiderunt, perdiderunt.*

Euthym.

D. Basil.

Iudæi possessionẽ Christo Domino occiso perdiderunt.

D. Aug.

XXXIX. *Eorum perit doctrina, qui Christi doctrinam perire voluerunt.*

Christum Dominum de diuinis Scripturis disertissimè prædicantem, & crebris multorum sermonibus beneuolentissimè prædicatum apprehendere voluerunt, Ioan. 7. num. 32. vt tota illius, ac de illo prædicatio de medio tolleretur. Sed quid effectum? Optimè D. Chrys. hom. 50. in Ioannem. *Illi*, inquit, *volebant Christum interimere, vt prædicationem tollerent; sed contra euenit: siquidem prædicatio, Christi gratia floruit; illorum verò doctrina extincta*

D. Chrys.

extincta periit. Noluerunt Iudæi per se ipsos Christum Dominum occidere: sed Pilato tradiderunt occidendum, sæpiùs dicentes: *Crucifige eum:* ne ex priuato affectu occisus, quamuis innocens; sed publico iudicio damnatus, tanquam reus, videretur: atque adeò non solùm mortem Christo Domino inferre; sed publicam infamiam impingere voluerunt. Sed hoc eorum consilio vsus est Christus ad suam innocentiam testandam, & eorum malitiam detegendam; dum Iudex ipse, ad quem sistitur, palàm ait: *Ego nullam inuenio in eo causam.* Ioan. 18. num. 38. Quasi diceret: Ergo ipse innocens est, quem Iudex ipse nullius criminis conuincit; & vos maleuoli & iniqui, qui innocentem accusatis. Ita D. Chrysost. hom. 83. in Ioann. *Ipsi*, inquit, *duxerant eum, vt Præsidis indicio damnaretur: contrà autem contigit, vt potius sententia eius absolueretur.* Ad hæc, Iudæi se in Christi Domini morte innocentes significare voluerunt, dicentes: *Nobis non licet interficere quenquam.* Ioan. 18. num. 31. nihilominùs Pilatus ita Domino prouidente, huius mortis procurandæ malitiam in eos refudit; dum *tradidit eis illum, vt crucifigeretur.* Ioan. 19. num. 16. Quod D. Aug. tract. 106. in Ioan. rectè obseruat: *Ideò*, inquit, *illis traditum dixit Euangelista, vt eos crimine implicatos, à quo alieni esse conabantur, ostenderet.*

Iudæi vbi se innocentes ostendere voluerunt, ibi nocentes eunentis sunt.

D. Aug.

XL. Vt Cæsaris amicitiam conseruarent, Christi mortem postularunt, dicentes: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Ioan. 19. num. 12. Vt Romanorum gratiam ambirent, omnem iudiciariam potestatem à se ipsis in Romanos transtulerunt, dicentes: *Nobis non licet interficere quenquam.* Ioan. 18. n. 31. Sed plane suo frustrati consilio, & Cæsaris amicitiam, & Romanorum gratiam perdiderunt. Quod mihi videtur significasse D. Basilius hom. 9. Quòd Deus non est auctor malorum; vbi sic: *An tu, inquit, non vis cecidisse Ierusalem, & templum desolatum post horribilem in Dominum crudelitatem? Fieri autem ista aliter, quomodo fas erat, nisi per Romanorum exercitum: quibus Iudæi propria salutis inimici Dominum tradiderunt?* Quasi diceret: Cæsarem amicum habere voluerunt; & hostem experti sunt: studuerunt sibi deuincire Romanorum animos; & illorum gladios in suum caput acuerunt: curarunt dominorum suorum gratiam sibi conciliare; & illorum iracundiam contra se ipsos prouocarunt. Quid plura? Iudæi tanquàm transfugæ à suo vero Rege, ad alienum defecerunt, dicentes: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Ioan. 19. n. 12. Sed, qui Regem optarunt, Tyrannum inuenerunt. Vnde D. Chryst. citatus: *Sponte sua*, inquit, *se reos professi sunt: ideò & Deus tradidit eos, quando ipsi primi à prouidentia & protectione ipsius se subtraxerunt.*

Iudæi Romanorum gratiã ambire tentantes perdiderunt. D. Basil.

Iudæi quem Regem potarunt, hostem inuenerunt. D. Chrys.

XLI. Nec mirum, Iudæos in suo hoc aduersùs Christum Dominum consilio frustrari, cùm etiam Diabolus eorum pater eludatur. Nam, cùm ipse, omnésque eius satellites consisterent aduersùs Dominum, & aduersùs Christum eius: nihilominùs, inquit Dauid, *Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* Ps. 2. n. 4. Quasi toto risu consultissimas eorum machinationes dissoluantur ac dissipentur. Vnde D. Basil. hom. 22. De humilitate iam citata: *Diabolus, inquit, laqueo, quem Domino struxit, ipse captus est: & in eo crucifixus est, quem se crucifixurum; & mortuus in eo, quem morte se extincturum sperauerat. Si verò Princeps iste Mundi primus, maximus, & inuisibilis, mundana sapientiæ Sophista, suis ipsius commentis capitur, & in extremam reuoluitur insipientiam: multò magis illius discipuli, & æmulatores, etiamsi innumera commententur, vbi se sapientes esse dicunt, stulti facti sunt.* Igitur tam Diabolus, quàm eius filij Iudæi aduersus Dominum *Conuersi sunt in arcum prauum.* Psal. 77. n. 57. Arcus autem prauus, interprete D. Hier. ille est, *qui dum sagittas putatur iacere, sauciat tenentem.* Sic & Iudæi Christum Dominum vulnerare cupientes, vulnerati perierunt.

Solo risu Diaboli fraudes dissoluuntur.

D. Basil.

Iudæi Christũ Dominum interficientes & vulnerantes, vulnerati & interfecti recesserunt.

XLII. Non desperent igitur Christiani inter tot persequutorum sagittas. Sciant, eas tandem in ipsos persequutores retorquendas: *Væ impio*, inquit Propheta, *in malum: retributio enim manuum eius fiet ei.* Isai. 3. n. 11. Quasi diceret: Non aliunde, quàm à suis manibus, seu consilijs in eos exitium paratur. Vbi D. Basil. *Consilia*, inquit, *aduersus iustos inita, in caput malignè consultantium retorquentur: quemadmodum & tela, quæ semel inciderint in corpus solidum, nec cedens, sed repercussiuum, in suos iaculatores resiliunt.* De Ephraïm grauissimum Deo opprobrium inferente, rectè Propheta, *Opprobrium*, inquit, *eius restituet ei Dominus.* Osee 12. n. 14. Hoc est, Inferet ei Dominus iniuriam, quam fecit, nec aliter, quàm restituendo, vt Ribera egregiè obseruat: nam malum in caput malignantis ex iustitia, seu iure restitutionis recurrit. *Qui tetigerit vos*, inquit Dominus, *tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. num. 8. Ex Hebræo legi potest: *Tangit pupillam oculi sui.* Quia qui iustos persequitur, oculos sibi eruit. Vnde D. Cyrill. Alexandrinus, *Semper*, inquit, *persequutoribus Ecclesiæ, conatus ipsorum in caput reciderunt, & tangunt suammet pupillam.* In eandem sententiam Dauid de suis hostibus: *Absconderunt, inquit, mihi interitum laquei sui.* Psal. 34. num. 8. Laquei sui dicit, non solùm, quia illo capiunt; sed etiam, quia illo capiuntur. Est optima ad hanc sententiam illustrandam illa similitudo: *Qui in altum mittit lapidem, super caput eius cadet.* Ecclesiastici 27. num. 28. Vbi aduerte, lapidem cum violentia in altum iaci: sed absque violentia, immò suopte pondere in caput iaculantis relabi. Ita iniurias eum difficultate inferri: sed sine difficultate in caput inferentis reuocari. Sed de hac re sæpiùs dicendi redibit occasio. Interim lege Pined. Iob 5. n. 13. & Lorinum Ecclesiastæ 10. num. 8. plura Scripturæ loca in hanc sententiam accumulantes.

D. Basil. *Tela Damnantium in ipsum resiliunt.*

Qui iustos lædit, sibi oculos eruit. D. Cyril.

Dæmones capientes ipso eodem laqueo capiuntur.

Pined. Lorin.

Num. X. Miserunt ergo Arcam Dei in Accaron. Cùmque venisset Arca Dei in Accaron, exclamarunt Accaronitæ, dicentes: Adduxerunt ad nos Arcam Dei Israël, vt interficiat nos, & populum nostrum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. IN *Accaron.* Septuaginta in Biblijs Sixtianis transferunt: *In Ascalonem.* Quos Theodoretus, Lucifer & Sulpitius imitantur. Nihilominùs Regia, Complutensia & Vulgata, quorum maior est auctoritas, habent: *In Accaron.* Et sic reliqui Interpretes, Vatablus, Pagninus, Clarius, Caietanus, aliíque admittunt. Et potest esse pro hac parte hæc vna coniectura: quòd Ascalonitæ magno cum gaudio ac plausu Arcam Dei exceperunt: rati, eam suæ vrbi decus, ac præsidium fore: vt Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 1. & Sabellicus Ænead. 1. lib. 7. testantur. At verò Accaronitæ eum magno fletu ac tristitia eam recipere compulsi sunt: vt ex hoc loco patet. Non igitur hic de Ascalo

Theod. Lucif. Sulpit. *Arcam in Accaronitas translatam melior sententia.* Vatab. Pagn. Clar. Caiet. Ioseph. Sabell.

Ascalonitis sermo est: sed potiùs de Accaronitis. Exemplaria verò in oppositum citata exponi possunt de mediato transitu à Geth in Ascalonem: vt iam superiori Num. exposuimus.

II. *D. Greg.* *Animæ electo Deo steriles sunt.*

Porrò Accaronitæ interpretantur steriles. Vnde optima illa est D. Gregorij mystagogia: quòd sicut Accaronitæ Arcam Dei recipere noluerunt; ita steriles animæ verbum Dei à se repellunt, ne vllos virtutum fructus ex se producere compellantur. Sed non impunè. Qui enim in hac vita non audiunt verba Dei, illis in æternum priuabuntur. Tumultuante olim populo, ac deos, qui se præcederent, deposcente; iussit Aaron afferri sibi inaures fœminarum, & in ignem proiici: ex quibus vitulus conflatus est, quem loco Numinis adorarunt. Exod. 32. n. 2. & 24. At, cur præcipuè fœminarum aures suis spoliauit ornamentis, nisi vt ostenderet eos, qui in hac vita verba Dei, contemnunt ac reiiciunt; in futura verbis Dei, quæ sunt vera aurium ornamenta, in æternum spoliandos? Sic enim interpretatur Tertul. lib. aduersùs Gnosticos, c. 3. *Aaron* inquit, *iubet inaures fœminarum suarum in ignem conferri. Amissuri enim erant in iudicium sibi vera ornamenta aurium, Dei voces.*

Qui verbum Dei contemnunt, illo in æternum priuantur. *Tertul.*

III. *Nullum grauius supplicium, quam carere verbo Dei.*

Quo supplicio quid acerbius? Certè nullum aliud Paulus & Barnabas comminati sunt Iudæis, qui tanquàm aspides surdæ aures suas obturabant, ne audirent verbum Dei: *Vobis*, inquit, *oportebat primùm loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes.* Act. 13. num. 46. Vbi, quamuis Diuus Chrys. homil. 30. in Acta, Apostolorum mansuetudinem obseruet, non flagra, non cædes, non gehennas minitantium, sed tantùm dicentiũ, fore vt deserantur: certè hoc vnum priuari pane diuini verbi, vt famem paterentur vt canes, supplicium mihi videtur omnium, quæ excogitari possunt, acerbissimum; cùm per illud aditus ad reliqua omnia aperiatur.

D. Chrys. *In minimis mansuetudo commendatur.*

IV. *Vatab.* *Resp. commoda penes Principes.*

Exclamarunt Accaronitæ. Non exprimit Litera, Principésne fuerint, an plebeij, qui in hos clamores eruperunt. Vatablus transtulit, *Ciues*: qui, vel sunt medij inter vtrosque, vel pro vtrisque vsurpantur, quasi ciuitatis incolæ, seu cultores. Crediderim, fuisse Principes: tum, quia ipsi se statim à popularibus separarunt, dicentes: *Vt interficiat nos, & populum nostrum*: tum, quia ad Principes spectat, Reipublicæ commodis prouidere, & omnia eius pericula propulsare. Quamuis hi more Tyrannorum non tam suis, quàm sibi consuluisse videantur; dum priùs se, quàm suos nominarunt: *Vt interficiat*, inquiunt, *nos, & populum nostrum*: ac si priùs sibi, quàm suis, & timuerint, & consuluerint. Similes Pharaoni, qui à ranis infestatus Moysem & Aaronem ad se vocat, & tanquàm humillimus precator, qui aliàs erat superbissimus Imperator: *Orate*, inquit, *Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo.* Exod. 8. num. 8. Priùs à se, quàm à populo suo plagam auertere curabat, quia vitam suam totius Reipublicæ saluti præferebat. Immò ad primam plagam fluminis in sanguinem conuersi remouendam, diuinum auxilium non implorauit: ad hanc secundam ranarum in domos irruentium, exterminandam, valdè sollicitum se ostendit. Cuius rei discrimen optimum Lyranus assignat: *Quia magis*, inquit, *fuit afflictus de secunda. Nam ipsi, & alij potentes bibebant vinum, & alios liquores, quos poterant bibere septem diebus, quibus durauit illa plaga: sed ab improbitate & fœditate ranarum non poterant se defendere.* Quasi ad populi incommoda obdormisceret; ad sua tantùm damna vigilaret: ac proinde de his auertendis multùm, de illis parum sollicitaretur.

Principes vitã suã omniũ saluti præferunt. *Lyran.* *Principes sua tantum damna cauent.*

V. *Boni Principes non sui, sed populi curam agunt.*

Longe aliter, qui paterno potiùs, quam tyrannico affectu dominantur, vt pater in Dauide & Moyse, aliis interim omissis. Nam Moyses audiens latam de sua morte sententiam, orauit Dominum, non vt se à morte erueret; sed vt suum populum à periculis vendicaret: *Prouideat*, inquit, *Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hãc, &c. Ne sit populus Domini, sicut oues absque pastore.* Num. 17. num. 16. & 17. Vbi Procopius: *Moriturus*, inquit, *Moyses commiserationis obliuiscitur: curam agit populi, & successorem constituere dignatur.* In quo addit Lyranus: *Patet charitas Moysis, qui acceptans Dei voluntatem pro se nihil petiit, sed statim ad procurandum bonum populi se conuertit.* Iam verò Dauid, cùm videret Angelum, qui euaginato gladio, multos è populo demetebat, pronus in genua, & fusus in clamores ad Dominum: *Ego sum*, inquit, *qui peccaui, & ego iniquè egi; isti, qui oues sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me.* 2. Reg. 24. num. 17. Tantùm abfuit, vt suorum incolumitati suam anteferret: vt potiùs se in discrimen adduceret, vt suos è discrimine liberaret. Nam, vt notat D. Greg. lib. 25. Moral. cap. 14. *Ira sæuiens, quæ corporaliter populum perculit; rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostrauit.*

Procop. *Lyran.* *Boni Reges omnia in se solos supplicia expetunt & petunt.* *D. Greg.*

VI. *Pagn.* *Caiet.* *Mali Principes singuli sibi præcipuè consulunt.*

Adduxerunt ad nos, &c. Pagninus & Caietanus iuxta Hebræum legunt: *Circumduxerunt ad me Arcam Dei Israël ad interficiendum me.* Vnde magis patescit quod paulò antè dicebam, hos Principes magis de sua, quàm de suorum salute sollicitos fuisse. Nam, cùm omnes simul exclamarint; tamen singuli dicebant: Adduxerunt ad me Arcam Dei *ad interficiendum me*: non autem, ad nos, ad interficiendos nos: quasi singuli suam præcipuè vicem deplorarent, parum alienis malis commouerentur. Nota hoc loco Dæmonis infirmitatem, quam iam satis in superioribus ostendimus. Nam idolum huius vrbis erat Beelzebub; iuxta illud Regis Ochoziæ: *Ite, consulite Beelzebub Deum Accaron.* 4. Reg. 1. num. 2. Beelzebub autem erat Princeps Dæmoniorum; iuxta illud: *In Beelzebub Principe Dæmoniorum eiicit Dæmonia.* Luc. 11. num. 15. Et tamen, cùm tantas habere vires putaretur, suos ab vna fœderis Arca tueri non poterat cultores. Tota eius potentia ad vnius Arcæ præsentiam euanescebat. Deinde obserua extremam Accaronitarum stultitiam & amentiam. Nam videntes suum idolum ab Arca superatum; nihilominùs hanc oderant, & à se propulsare satagebant: illud amabant, & illæsum apud se conseruare nitebantur. Quantò prudentior ille, primùm Magus, posteà Martyr, Cyprianus, qui, vt refert D. Greg. Naz. Orat. 18. cùm videret Dæmonem à Iustina Virgine repulsum; ac totas Dæmonis vires & artes, vnius Virginis constãtiæ ac pudicitiæ succubuisse: huius fidem suscepit, illius cultum abiurauit.

Infirmitas Dæmonis ostenditur. *Peccatorum cæcitas & extrema amentia.* *D. Greg. Naz.*

VII. *Pœnæ affecti, pœnæ socios habere volũt.*

Vt interficiat nos, & populum nostrum. Duplicem sensum possunt efficere hæc verba, causalem, vel consequutiuum: iuxta priorem, Accaronitæ Gethæos criminantur de malo animo, seu intentione, qua Arcam in vicinam vrbem adducebant, non solùm, vt sua se plaga exonerarent; sed etiam, vt eam in alios traducerent, atque adeò pœnarum socios haberent. Quod inuidis, ac maleuolis gratum, & iucundum esse solet: vt patet in Diabolis, de quibus Dauid: *Qui tribulant me, exultabũt, si motus fuero.* Psal. 12. n. 5. Ac si mala aliena forent

eis bona propria. Non placet hic sensus Abulensi; quia non debetent Gethæi in Accaronitas, amici in amicos, tantùm fraudis ac doli machinari.

VIII. *Homines ad malè suspicandum proni.*

Sed alicui fortasse non displicebit. Nam quidquid sit de facto Gethæorum; tamen Accaronitæ de eorum animo malè suspicari potuerunt: quia homines suopte ingenio proni sunt malè suspicari. Vnde Iudas nurum suam Thamar, quæ honestam adhuc viduitatem colebat, suspicatus est, esse meretricem. Genes. 38. num. 15. Hanon Rex Ammonitarum legatos Dauidis ad se consolandum missos, suspicatus est, missos fortassè ad suum Regnum explorandum. 2. Reg. 10. num. 3. Assuerus familiarem suum Amanum in preces coram Regina procumbentem, suspicatus est ad Reginæ thorum maculādum procubuisse. Esther 7. num. 8. Immò etiam & iusti homines aliquando ad malè suspicandum progrediuntur. Nam Ioseph fratres suos in Ægypto duriter tractauit. Gen. 42. à num. 2. Quia, cùm eos videret sine Beniamino, aliquid mali suspicatus est, interprete Theod. scilicet, ne quid fortè grauius de illo, quemadmodum & de se ipso, decreuissent. Moyses videns Rubenitas, & Gaditas, cupidos manendi citra Iordanem in terra vberi, & ad greges pascendos ac saginandos opportuna, suspicatus est, eos laborum tædio superatos à periculis in reliquo itinere subeundis supersedere voluisse. Num. 32. à n. 1. Iosuë, & Eleazar, & reliquæ decem Tribus videntes Tribum Ruben, Gad, & Manasse super Iordanis tumulos aram infinitæ magnitudinis erexisse; suspicati sunt, eos diuino cultui renuntiasse, & se ad Gentilicos ritus transtulisse. Iosuë 22. à n. 10. Tobias cæcus audiens vocem hœdi caprarum in domo sua balantis, nescio qua suspicione commotus: *Videte*, inquit, *ne fortè furtiuus sit.* Tobiæ 2. num 21. Cùm tamen his omnibus suspicionibus falsitas subesset. Ne quis vnquàm suis ad malè suspicandum iudiciis nimiùm credat: cùm tam multa fallacia & inania fuisse deprehendat.

Theod. *Etiam iusti hac malè suspicandi labe inficiuntur.*

IX. *Discrimē inter proborum & improborū suspiciones.*

Itaque & mali, & boni mala aliquando suspicantur. Quamuis bonorū suspiciones bonæ sint; malorum malæ: quia hi mala malè suspicantur ad calumniandum: illi verò mala quidem, sed benè, solùm ad prouidendum, & gubernandum. quod Diuus Chrysostomus egregie expendit homil. quadam de Susanna ad finem primi tomi: loquens de suspicionibus, quibus Ioseph circa sanctissimam Deiparam agitabatur, cùm de illa occultè dimittenda cogitabat: *Maleuola*, inquit, *suspiciones sunt calumniantium: beneuola suspiciones sunt gubernantium. Licuit cuiquam de filio malè suspicari: sed filio non licet calumniari. Vtique suspicaris malum, sed optas inuenire bonum. Qui beneuolè suspicatur, vinci cupit. Tunc enim benè lætatur, quando falsum inuentum fuerit, quod malè suspicabatur.*

X. *Prælati debēt se à malis suspicionibus cohibere.*

Addo nihilominùs, etiam qui gubernant, parcissimos & temperatissimos esse debere in malè suspicando: vt patet in Iosuë, quem cùm Gabaonitæ, compositis mendaciis fraudulenter decepissent; nihil malè de illis suspicatus est, Ios. 6. à n. 3. vt D. Ambros. lib. 3. De officiis, c. 10. optimè aduertit: *Iosuë*, inquit, *quia adhuc erat ignarus locorum, atque incolarum inscius, non cognouit fraudes eorum, neque Dominum interrogauit, sed citò credidit. Adeò sancta erat illis temporibus fides, vt fallere aliquos posse non crederetur. Quis hoc reprehendat in Sanctis, qui cæteros de suo affectu æstimant? Et quia ipsis amica est veritas, mentiri neminem putant: fallere quid sit, ignorant. Libenter credunt, quod ipsi sunt: nec possunt suspectum habere, quod non sunt.* Quare, quantò homines proniores sunt ad malè suspicandum; tantò se debent diligentiùs à malis suspicionibus inhibere. Quod fortasse, quia Accaronitæ non fecerunt, suspicati sunt, Gethæos, non tam Arcam, quàm mortem ad se transferre voluisse. Sed, ne dum perstringimus malè suspicaces, malè suspicemur, dicamus potiùs cum Abulensi, Accaronitas non fuisse causaliter loquutos: nec proinde de Gethæorum animo ac intentione malè suspicatos.

XI. *Quæ iustis in bonum, iniustis cedunt in malum.*

Igitur iuxta posteriorem sensum consequutiuum, quem particula, *Vt*, sæpè importat, vt c. 2. Num. 14. iam aduerti, declarant Accaronitæ quandam rerum consequentiam ex Arcæ ad se aduentu. Quasi dicerent: Adduxerunt ad nos Arcam, quæ occidat nos, & populum nostrum. Et quidem rectè ex aduentu Arcæ, mortem sibi metuebant. Nam Arca, quæ Israëlitas animabat, Philisthinos occidebat. Sicut columna nubis, quæ obūbrabat & excæcabat Ægyptios: illustrabat verò & illuminabat Hebræos. Exod. 14. num. 20. Sicut manna, quod à malis seruatum, multis vermibus scatebat: à bonis autem susceptum, nectare & ambrosia suauiùs exsudabat. Exod. 16. à n. 20. Sicut virga Aaronica, quæ auferebat aquas, conuertendo illas in sanguinem. Exod. 7. n. 20. & ministrabat aquas, eliciendo illas ex silice. Exod. 17. n. 6. Sicut igneus Heliæ currus, qui, vt notat D. Hieronymus homil. De ascensu Heliæ, vnus atque idem, & Prophetæ voluptatem tribuebat, & hostibus incendia minabatur. Sicut caminus Babylonicus, qui, vt Diuus Chrysostomus citatus obseruat, *Vno eodémque momento iustis refrigeria; iniustis verò mouebat incendia.*

D. Hier.

XII. *Christus Dominus ad salutem volat, ad perditionem trahitur.*

Quæ omnia Christum Dominum aptè repræsentabant, vt iam superiori cap. Num. 7. aduertimus, qui ponendus erat in ruinam & resurrectionem multorum. Luc. 2. num. 34. In ruinam quidem, ex malitia nostra: in resurrectionem verò, ex misericordia diuina. Nam ille ex se non ad inferendam mortem, sed ad conferendam vitam veniebat. Vnde Diabolum clamantem: *Venisti perdere nos.* Marc. 1. n. 24. iussit obmutescere, & exire de homine. Ad quem locum Tertul. lib. 4. contra Marcionem, c. 7. *Increpuit planè*, inquit, *vt inuidiosum, & in ipsa confessione petulantem, & malè adulantem: quasi hæc esset summa gloria Christi, si ad perditionem Dæmonum venisset, & non potiùs ad hominum salutem.* Scilicet, ad saluandum promptus aduolabat, ad perdendum inuitus trahebatur.

Tert.

Num. XI. Miserunt itaque & congregauerunt omnes Satrapas Philisthinorum, qui dixerunt: Dimittite Arcā Dei Israel: & reuertatur in locum suum; & non interficiat nos cum populo nostro.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Quo tempore Philisthini de Arca consultarunt.*

M*Iserunt itaque*, &c. Paulò antè Num. 8. de primo Concilio Prouinciali Philisthinorum collecto in Azoto dictum est. Nunc agitur de secundo, idcircò denuò congregato: quia prioris Concilij decreta vtiliter non processerant. Tempus huius consultationis non fuit immediatè post illam Accaronitarum querimoniam, superiori Num. tractatam: sed postquàm Arca omnes Palæsthinæ vrbes perlustrauit: quas reuerà perlustrasse, palàm colligitur ex Num. 9. & 10. sequenti;

quenti; vbi dicuntur singulæ ciuitates ad Arcæ ingressum vulneratæ. Neque enim hoc Concilium cogeretur, antequàm certis constaret experimentis, nullam esse in Palæsthina ciuitatem contra has plagas satis communitam. Nec obstat, prætermitti hoc loco Arcæ transitum ad reliquas vrbes, cùm id fiat, vt breuitati consulatur, præsertim, nulla noua re in illis contingente. Locus huius Concilij, nisi fallor, fuit vltima vrbs, ad quam Arca deuenit; quæcunque illa fuerit: ne sine necessitate dicamus, eam recutisse in Accaron, & ibi Concilium celebratum, id enim neque in Litera exprimitur, neque vlla ratione suadetur.

Locus consultationis.

II. Iam verò, qui miserunt & congregauerunt Satrapas ad hoc Concilium, non mihi videntur fuisse Accaronitæ; quidquid sentiat Abulensis: sed ciues illius vrbis, in quam Arca vltimò penetrauit. Singulæ enim vrbes, cùm aristocratico regimini subessent, in rebus dubiis habebant ius aliarum vrbium Satrapas conuocandi: præsertim quando causa definienda ad omnes pertinebat. Quare, cùm hæc vltima vrbs videret, plagam per omnes alias vrbes, quas Arca intrauerat, deseuisse, nec aliam vrbem superesse, in quam Arcam relegarent; nouum consilium ineundum pro nouo remedio quærendo censuerunt. Tandem Satrapæ congregati, fuerunt numero quinque: neque enim plures erant in Palæsthina, vt ex c. seq. num. 16. colligitur; iuxta numerum totidem ciuitatum, quæ ibidem num. 17. nominantur. Nisi fortè placuit, alios quoque Magistratus ac Summates viros, vtpote ad consilium de re grauissima capessendum, & in quo omnium salus verteretur, quod est probabile, adhiboisse.

Abulensis sententia reiicitur. Abul.

Quot Satrapæ erant in Palæsthina.

III. Cæterùm, ex hoc consilio suam merentur laudem Philisthini, qui non temerè se præcipitarunt ad agendum, quod liberet; sed quid agendum oporteret, maturè consultarunt. Quod in rebus dubiis laudatissimum censetur: vt duo illa Philosophiæ lumina, Aristoteles, & Plato significarunt. Quorum hic consultationem vocat *rem quandam sacram*. Ille verò vlteriùs progressus asserit, *Consilium capere eorum, quæ inter homines sunt, diuinissimum esse*. Et cùm omnibus hominibus prompta ad consilium capiendum voluntas laudi tribuatur, certè propria imperantium nota ac tessera esse debet consultatio. Vnde olim Deus hominem creaturus: *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram*. Gen. c. n. 26. Ad solum hominem, non ad alias creaturas producendas consilium præmisit; vt homo Mundum gubernaturus, sui artificis in se ipso formando consilium imitaretur. Ita mihi videtur D. Greg. Nissen. lib. De opificio hominis, cap. 3. & 4. interpretari: *O rem*, inquit, *admirandam! Sol creatur, nulla deliberatione præcedente, eodémque pacto cælum: quibus duobus nihil esse par creatis in rebus potest. Ad solium hominis fabricationem Creator ille rerum quadam cum consideratione accedit: nam naturam nostram condidit, velut instrumentum quoddam regno administrando idoneum*. Quasi diceret: Creatus est homo cum consilio, vt cum consilio gubernaret, & ex sui molitione disceret, quo pacto & ipse reliqua moliretur.

In dubiis cõsultare sacrū & diuinum

Arist. Plato.

Imperantium tessera consultatio.

D. Greg.

IV. Hinc frequens est in sacris Literis ad consilia capessenda exhortatio. Nam æterna Dei sapientia: *Ego*, inquit, *sapientia habito in consilio, & eruditis intersum cogitationibus*. Prou. 8. n. 12. Extra consilium enim non sapientia, sed amentia reperitur. Idem Parœmiastes: *Inter superbos*, inquit, *semper*

Extra consilium non sapientia, sed amentia.

A *iurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia*. Prou. 13. num. 10. Quasi non possit sapientia præsens & Præses non inueniri, vbi consilia præmittuntur. Et paolò superiùs: *Via*, inquit, *stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit consilia*. Prou. 12. num. 15. Vbi significat sapientiam non solùm oriri ex consilio, sed etiam ad consilium sequi: sicut enim stultus sine consilio præceps fertur; ita sapiens, non nisi maturo consilio præmisso, operatur. Hinc rursus Siracides: *Fili*, inquit, *sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis*. Ecclesiastici 32. n. 24. Quid enim certiùs temeritatem cõsilij expertem, quàm pœnitentia subsequatur? Quare Tobias senior ad filium: *Consilium*, inquit, *semper à sapiente perquire*.
B Tob. 4. n. 19. Hoc enim astrum qui sequitur, non aberrat. Et ideò fortasse Philisthini in id, quod optimum factu erat, collimarunt: quia cum animo verum indagandi, & bonum exequendi, consilium inierunt.

Consilij astrū qui obseruat, non aberrat.

V. Nam, qui aliter consultant, neque vera discunt, neque bona operantur. Vt patet in Herode, qui *Congregãs omnes Principes Sacerdotum, & Scribas populi sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur*. Matth. 2. n. 4. Sed, quia simplici & recto animo non consulebat, totam non didicit veritatem. Nam Consiliarij respondetunt, Christum in Bethlehem nasciturum, iuxta illud Micheæ: *Et tu, Bethlehem terra Iuda, nequaquàm minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum*
C *meum Israël*. Non tamen addiderunt verba illa, quæ in eodem Propheta consequuntur: *Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis*. Mich. 5. n. 2. Ex quibus Christi Domini diuinitas colligeretur, sicut ex prioribus colligebatur humanitas. Scilicet, ita à Deo permissum fuit, ne Herodes totam disceret veritatem, qui peruerso animo consulebat. Nec multùm differt D. Chrysost. hom. 7. in Matth. vbi docet, posteriorem huius prophetiæ partem à Consultoribus prætermissam, *In adulationem*, inquit, *Regis, vt ad humanæ gratiæ lucrum, veritatis damna proficerent*. Nam improbi Consultores Regem improbo animo consulẽtem pranis adulationibus deceperunt, ne verum Deum agnosceret, quem verum hominem agnoscebat. Vnde
D Herodes certus de humanitate Christi Domini, de diuinitate ignarus, vitio Consultorum interficere voluit vt hominem, quem adorare debuerat vt Deum.

Qui maligno consulunt animo, veritatẽ non consequuntur.

D. Chrys.

Improbi Consultores, adulatores.

VI. *Dimittite Arcam Dei*, &c. Quamuis in Litera vna tantùm huius Concilij sententia referatur; triplicem tamen fuisse ex diuersis Auctoribus conijcio. Prima fuit, Arcam illam esse comminuendam in frusta, & tradendam in flammas: vt per quam ipsi peribant, penitùs deperiret. Sed huic facilè omnes restiterunt, vt Dionysius & Lyranus aduertunt, vel timore maioris calamitatis repressi, vel potiùs à diuina prouidentia refrænati. Nam, vt rectè Salomon: *Non est*, inquit, *sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Do-*
E *minum*. Prou. 21. num. 30. *Qui immutat cor Principum populi terræ, & decipit eos*. Iob 12. n. 24. Itaque sola Arca diuino tãtùm præsidio munita circunfusas hominum cateruas perterrebat, ne quid mali contra illam molirentur.

Dion. Lyran. Improbi malo resistunt maioris calamitatis metu.

VII. Secunda fuit, retinendam esse Arcam in Palæsthina, neque ad Hebræos remittendam. Hanc partem suasit vnius non tam oratoris, quàm veteratoris verbosa declamatio, quam Iosephus, vt Num. 8. iam dixi, & latiùs Sabellicus loco suprà citato prosequũtur. Rationũ vires erant, illas plagas non prouenisse ab Arcæ tum, quia sæpè alias

Ioseph. Sabell. Male suasores cogitant impossibilia.

naturaliter contingebant: tum, quia Arca, quæ non potuit ſuam eapriuitatem euitare, minus poſſet tam multas calamitates inferre. Deinde, vt omnes ab Arca ptouenirent; tamen eſſe patienter ſuſtinendas, potiùs quàm vires ex regreſſu Arcæ hoſtibus inſtanrādas; præſtare Deum Iſtaëlis ſibimetipſis iratum eſſe in Palæſthina, quàm Hebræis irerum propitiatum redire in Iudæam. Ita ille; & qui eius partes ſequebantur, in Concilio diſceptabant. Verùm & hi *meditati ſunt inania.* Pſalm. 2. num. 1. *Et cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.* Pſalm. 20. num. 12. ſeu, vt vertit Symmachus: *Cogitauerunt cogitationes impoſſibiles*; ſi non ex ſuo obiecto, ſaltem ex decreto diuino, cui repugnabant.

Symmach.

VIII. Vtriuſque ſententiæ Anctores, cùm ex conſilio, plenáque deliberatione peccarint, vel ex hac vna circunſtantia grauiſſimè peccauerunt. Nam peccatum, non ex ignorantia, non ex infirmitate, non ex repentina, vehementique paſſione, perfectam deliberationem præoccupante; ſed ex pleno conſilio ſuſceptum, grauiſſimum in ſacris Literis reputatur. Quod hîc paucis illuſtro.

Peccatum ex pleno conſilio, grauiſſimum.

Peccatum ex conſilio factum, grauiſsimum in ſacris Literis cenſetur.

IX. MVltis hoc illuſtrari poteſt argumentis. Ex Regibus Iſraël in idololatriam lapſis, neſcio, an aliquis in ſacris Literis peiùs audiat, & execrabilior reputetur, & grauiùs à Deo puniatur, quàm Ieroboam. Hic enim & ſe ipſum, & totum regnum Ephraïm Deo reddidit odioſum: quod proinde innumeris cladibus, dum ſterit, expoſuit: ac tandem in extremum exitium, vnde nunquàm amplius reuixit, præcipitauit. Cur, quæſo, hic vnus Rex ſibi ac ſuis tantum odium & inuidiam idololatrando conflauit? Credo, quia peccatum idololatriæ, non ex ignorantia, non ex infirmitate, ſed ex conſilio commiſit, iuxta illud: *Et excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos*, &c. 3. Reg. 12. num. 28. Nempe, vt Iſraëlitæ hos vitulos adorationis cauſa frequentantes, Ieroſolymam redderent infrequentem, & hoc modo vera religio caderet, falſa ſuperſtitio firmaretur. Regem igitur idololatriam in omnium ruinam prauo conſilio machinantem, diuina vltio acriùs quàm cæteros Reges exagitauit.

Nullus grauius punitur, quàm is, qui ſcelus ex conſilio admittit.

X. Dicitur Dauid in Scriptura, *Feciſſe rectum in oculis Domini, & non declinaſſe ab omnibus, quæ præceperat ei, cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Vriæ Hethæi.* 3. Reg. 15. num. 5. hoc eſt, homicidio Vriæ, quem interficiendum curauit. An Dauid plura alia peccata non commiſit? cùm alienum thorum violauit? 2. Reg. 11. n. 4. cùm populum indebitè recenſuit? 2. Reg. 24. n. 2. cùm aduersùs Miphiboſeth iniquam ſententiam tulit? 2. Reg. 16. n. 4. cùm denique id genus alia patrauit, ob quæ dicere coactus eſt: *Iniquitates meæ multiplicatæ ſunt ſupra capillos capitis mei*? Pſalm. 39. n. 13. Cur igitur vnum tantùm Vriæ homicidium illi vitio tribuitur; ac ſi à reliquis culpis facilè abſoluatur? Crediderim, quia hoc vnum peccatum fuit ex conſilio. Nam Dauid in aliis peccatis, inquit Theodoretus, *non ex mali animi inſtituto, ſed fortuitò, & quodam caſu vulnus acceperat; negligentiæ peccata erant, non malignitatis, vt homicidium.* Peccatum verò ex conſilio adeò erat graue, vt cætera præ illo nulla viderentur.

Peccatum ex conſilio aliis omnibus antecellit.

Theodor.

XI. Sed quid eſt, cur Nathan ſua Dauidi peccata obiecturus, non adulterium, ſed coniugium cum Bethſabee contractum exprobrarit? *Vriam*, inquit, *Hethæum occidiſti gladio, & vxorem illius accepiſti in vxorem tibi.* 2. Reg. 12. num. 9. Certè coniugium cum adultera, eius viro interfecto ex intentione contrahendi cum illa, ſi nunc celebraretur, irritum eſſet ex impedimento criminis, lege eccleſiaſtica inducto, vt Bellarminus libro primo De matrimon. cap. 22. & Sanch. tom. 2. libr. 2. Diſput. 78. latiùs oſtendunt. At in lege veteri prohibitum non erat, nec inualidum: cùm nulla de hac re prohibitio in ſacris Literis exprimatur. Vnde videbatur Dauid iuſtè egiſſe, & illatam iniuriam compenſaſſe, dum fœminam ſuo honore ſpoliatam ad maiorem dignitatem euehebat. Cur igitur ſic à Deo hoc matrimonium reprehenditur, vt vel ipſo adulterio grauius ſignificetur? Procopius exiſtimat, iam tunc tale coniugium prohibitum fuiſſe, licèt inualidum non dicatur: grauius autem adulterio cenſeri ex circunſtantia maioris deliberationis & conſilij: *Significatur*, inquit, *Deum plus hoc coniugio offenſum eſſe, quàm adulterio: adulterium enim cupiditate victus commiſit: coniugium autem deliberationis aſſenſum habet. Cùmque propter adulterium & homicidium plangere deberet; ipſe matrimonio contra leges contracto, cum ea vitæ conſuetudinem habet.* Vbi videre eſt, quanta ex conſilio grauitas peccato accedat, vt matrimonium reddat turpius & execrabilius adulterio.

Bellarm.
Sanch.

Procop.

Conſilium, coniugiũ turpius reddit adulterio.

XII. Hominem in culpam lapſum Deus ad pœnitentiam reuocauit: Angelum verò peccantem ſine remedio perire paſſus eſt. Qua in re licèt diuinæ diſpoſitionis arcana potiùs veneranda ſint, quàm inueſtiganda; tamen Theologi nonnullas huius diſcriminis congruentias aſſignant, quæ à Suar. tom. 1. in 3. part. Diſputat. 4. Sect. 1. colliguntur. Illa tamen eſt ad rem præſentem, quòd Angelus ex conſilio peccarit; vt Propheta oſtendit cum Angelo loquutus: *Dicebas*, inquit, *in corde tuo: In cælum conſcendam: ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte Teſtamenti, in lateribus Aquilonis: ſimilis ero Altiſſimo.* Iſai. 14. num. 13. Homo verò ex quadam indulgentia & beneuolentia in coniugem lapſus fuerit. Atqui peccatum multo conſilio excogitatum, longè grauius eſt, quàm affectu præcipiti commiſſum; iuxta illud Diui Paulini in quadam epiſtol. *Crimineſius eſt, peccatum excogitare, quàm facere.* Et proinde Angelus venia indignior, quàm homo videbatur. Et hanc fortè ob cauſam Moyſes in Geneſis hiſtoria, humanum peccatum, non Angelicum euulgauit: vt peccatum ex conſilio commiſſum, ſaltem ſub ipſius Mundi primordia neſciretur, ne diſceretur.

Peccator ex conſilio venia indignior.
Suar.

D. Paulin.

Cur Moyſes hominis non Angeli peccatũ euulgarit?

XIII. Qui olim haſta, vel gladio occidebant, non ſtatim occidebantur: qui venenis veneficiſque artibus, ſtatim rapiebantur ad necem. Sic longa paraphraſi interpretatur Philo Hebræus lib. De ſpecialibus legibus, ea præcepta, quæ Exod. 21. referuntur. Et de vtriſque homicidis rationem reddit: de prioribus quidem: *Quia fieri poteſt*, inquit, *vt inconſulto repentinóque impetu perciti ſcelus admittant, furori, non rationi obſequuti; ita vt dimidium videatur facinus, cui non acceſſit longa deliberatio.* De poſterioribus verò: *Quia magi & venefici per otium & in ſeceſſu dant operam malis damnatiſque artibus, captantes occaſionem variarum calamitatum inferendarum proximis; ideò lex vult veneficos & veneficas, ne vnum quidem diem viuere.* Itaque peccata ex conſilio commiſſa adeò ſunt grauia, vt omni prorſus venia indigna videantur. Subſcribit Theod. quæſt. 47. in Exod.

Philo.

Facinus quodammodo dimidiant, qui non peccant ex conſulto.

Qui per otiũ mala operantur, vita indigni.

Theodor.

in Exod. docens homicidis à casu patuisse ciuitates refugij, non autem homicidis a consilio, quòd hi venia indigniores, quam illi censerentur.

XIV. *Peccatores ex malitia Diaboli imitatores.*

Nec mirum, cùm horum scelerum Auctores Diabolum imitentur, qui, vt diximus, non ex ignorantia, seu fragilitate; sed ex malitia & consilio delinquit: & proinde digni sint, qui cum Diabolo sine misericordia puniantur. Igitur cœtus hominum ex consilio peccantium à Diuo Ioan. appellantur *Synagoga Satanæ*. Apoc. 2. n. 9. Et Dauid loquutus de illis hominibus, qui mala aduersùs se consilia cogitabant: *Verbum*, inquit, *iniquum constituerunt aduersùm me*. Psalm. 40. n. 9. seu, vt ex Hebræo legit Hieronymus: *Verbum Belial*, hoc est, *Diaboli*, vt Hugo Cardin. & plures alij interpretantur. Deinde Sapiens de illis hominibus, qui cogitantes dixerunt: *Venite, & fruamur bonis, quæ sunt; coronemus nos rosis, antequàm marcescant*, &c. Sap. 2. à num. 6. vbi plurima alia consilia pessima inierunt: de his, inquam, subdit: *Imitantur autem illum* (id est, Diabolum) *qui sunt ex parte illius*. Ibidem, num. 25. Quasi diceret: Non potuerunt non tam scelerata in consilia abire, qui Diabolum prauorum consiliorum artificem magistrum habuerunt. Sic igitur & hi Philisthini tam præpostera consilia ineuntes, Diabolum imitabantur.

Hieronym. Hugo.

XV. *An consiliũ Philisthinorũ de Arca dimittenda fuerit diuinitùs inspiratum?*

Tertia tandem sententia, in quam maior consultantium pars, vtpote saniorem, incubuerunt; fuit, dimittendam esse Arcam, & in suum locum reducendam; ne pergeret maiores efficere strages, ac totam Palæsthinam summorum pariter & infimorum hominum cadaueribus inuoluere. Quæres: Vtrùm hæc sententia fuerit his Satrapis diuinitùs inspirata, & eorum mens diuinitùs conuersa? Illud prius facilè admitto. Nam & Magi Pharaonis in tertia plaga cyniphum diuinitus illustrati sunt ad confitendum: *Digitus Dei est hic*. Exod. 8. num. 19. vt, teste Lyrano, Hebræi & Catholici Interpretes affirmant. Et Propheta falsus Balaam sæpiùs dicebat, se nihil aliud, quàm quod à Domino accepisset, loquuturum. Num. 22. num. 18. & 38. & cap. 23. num. 3. & 12. & 26. & cap. 24 n. 13. Et Caïphas diuino actus instinctu prophetauit, Ioan. 11. num. 51. Sic igitur & hi Satrapæ in re admodum graui diuinitùs illustrati suam edere sententiam potuerunt. Hoc posterius, quantùm ex historia colligitur, probabilius nego. Quia non amore iustitiæ, sed timore vindictæ, dimittendam Arcam monuerunt, dicentes: *Et non interficiat nos cum populo nostro*. Vnde cognouerunt quidem vias bonas, sed suis prauis adhæserunt. Ad veram autem resipiscentiam non satis est cognitio veritatis, nisi accedat operatio virtutis. Hoc enim mysterio dicuntur filij Israël exiisse de Ægypto: *In manu Moysis & Aaronis*. Num. 33. num. 1. Nam, vt ibi Origen homil. 27. *Vtraque*, inquit, *manus necessaria est, vt inueniatur in nobis non solùm fidei & legis cognitio; sed etiam actuum operúmque perfectio*.

Lyran. *Multi licèt iniusti diuinitùs illustrati.*

Non satis est veritatis cognitio, sed virtutis operatio.

Orig.

XVI. *Hebræorum desidia in colenda Arca.*

Quæres deinde, cur Deus non impulerit Philisthinos per aliquos Prophetas ad dimittendam Arcam; quemadmodum per Moysem & Aaron impulit Ægyptios ad dimittendum populum Israël? Respondeo, ad potestatem Arcæ ostendendam, quæ sola suos hostes perterruit, & ab eorum se manibus vendicauit; in confusionem Hebræorum, qui nec timebant, nec colebant illam Arcam, quam etiam hostes & idololatræ formidabant & obseruabant. Deinde ad efficacitatem diuinæ gratiæ manifestandam, quæ ad conuertendos homines hominum opera non indige-

Deus ad hominum salutem, hominum opera non eget.

A bat: immò nec externis, aut miraculis, aut flagellis. Nam de Babylonica seruitute Israëlitas liberauit, solo spiritu suo in cor Cyri, Persarum Regis, se insinuante. 1. Esdr. 1. a num. 1. Qui, quò voluit, Regem impulit, & inflexit. Vt hinc pateat multiformis Dei potestas, quæ non vno tantùm modo, sed aliis atque aliis, prout placuerit, quidquid velit, efficaciter exequatur.

Num. XII. Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valdè manus Dei. Viri quoque, qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium. Et ascendebat vlulatus vniuscuiusque ciuitatis in cœlum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Quid sit mortis pauor.*

Fiebat enim pauor, &c. Procerum sententiam iuuabat totius populi calamitas in singulas horas ingrauescens: quæ hic more epilogi renarratur. Pauor mortis, vel est proprius timor, qui omnes inuadebat, ne & ipsi morerentur: vel est peculiaris quædam passio, interprete Caietano, qua rigebant corpora, stupebant membra, deficiebant spiritus, ac denique omnes tam viri, quàm fœminæ, animi deliquium patiebantur. Talis illa, de qua Moyses: *Robustos Moab obtinuit tremor; obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Irruat super eos formido & pauor: fiant immobiles quasi lapis*. Exod. 15. num. 15. & 16. Talis illa Hebræorum: *Foris vastabit eos gladius, & intus pauor*. Deuter. 32. num. 25. Talis illa Amorrhæorum & Chananæorum, audientium Iordanem ad transitum Arcæ exaruisse: *Dissolutum est enim cor eorum, & non remansit in eis spiritus*. Iosue 5. num. 1. Talis illa Nabalis, qua *Emortuum est cor eius intrinsecùs, & factus est quasi lapis*. 1. Reg. 25. num. 37. Talis illa Reginæ Esther, qua *Corruit, & in pallorem, colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput*. Esther 15. num. 10. Talis illa Iobi dicentis: *Sagittæ Domini in me sunt, quarum indignatio ebibit spiritum meum: & terrores Domini militant contra me*. Iob. 6. num. 4. Talis denique illa Balthasaris: *Tunc facies Regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum, & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur*. Daniel. 5. num. 6. Similis fuit ille pauor Isaac & Abacuc: quorum hic: *Domine*, inquit, *audiui auditionem tuam, & timui*. Abac. 3. num. 1. seu, vt habent Septuaginta: *Obstupui, seu expaui*. Ille autem sentiens filium suum Iacobum præripuisse benedictionem fratri suo Esaü, *expauit stupore vehementi*. Genes. 27. num. 32. Quamuis horum stupor, siue ecstasis, vt multi interpretantur, non à timore, sed ab admiratione dimanarit. Sic igitur & Philisthinos hic pauor mortis, seu lethalis passio exanimabat.

Caiet.

Iustorũ pauor non à timore, sed ab admiratione ortus.

II. Vatab. *Mortis pauor in omnibus Philisthinorũ ciuitatibus.* Caiet. Abul.

Quod non in vna tantùm ciuitate contingebat; quidquid dicat ex aliis Vatablus, transferens iuxta Septuaginta: *In tota ciuitate*: sed in singulis, vt exprimit Vulgata, & ex Hebræo Caietanus aduertit: immò in omnibus simul, vt significat Chaldæus, transferens; *In omni vrbe*. Atque sic Abul. interpretatur. Vnde meritò dicitur *grauissima valdè manus Dei*: seu, vt habet Chaldæus: *Fortis nimis percussio Dei ibi*: vt grauitas, & fortitudo huius plagæ, non solùm ab intensione, sed

etiam ab extensione illius in omnes vrbes intelligatur. Addunt Septuaginta in Bibliis Sixtianis: *Vt intrauit Arca Dei Israël illuc*: hoc est, vbi totam Palæsthinam perlustrauit. Nam, licet, recedente Arca ab vna vrbe in aliã, plaga vrbis relictæ paulatim mitesceret, vt suprà Num. 9. ex Abulensi tradidimus: tamen postquam Arca totam Palæsthinam peruagata est, nec tamen Philisthini resipuerunt; cœpit plaga in omnibus simul vrbibus recrudescere, immò ad omnes etiam villulas atque oppidula extendi, vt Abulens. quæstione 19. ex hoc loco confirmat: in quo non vna tantùm ciuitas, sed omnes simul dicuntur ad cælum vlulasse. *Abul.*

III. *In omnes iuxta scelerum grauitatem plaga defæuiit.*

Viri quoque, &c. Dicuntur viui percussi, non quòd mortui excludantur, seu; quòd non fuerint percussi, qui obierunt: sed quia de his dubitari non poterat, de illis poterat. Septuaginta clariùs expresserunt, transferentes: *Et viui, & qui non moriebantur, percussi fuerunt in natibus*: seu, vt habent Sixtiana: *Et qui viuebant, & non sunt mortui, percussi sunt in sedibus*. In omnes igitur plaga desæuiit; iuxta illud: *Dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim*. Exod. 15. num. 14. Nam habitatorum nomine, vrbani, oppidani & rusticani, æquè omnes intelliguntur. Quamuis in quosdam grauior, in quosdam leuior, iuxta scelerum grauitatem, vel leuitatem, vel potiùs iuxta arcanas diuinæ prouidentiæ rationes, vltio grassaretur.

IV. *Phil. Ponitur numerus interfectorum, ex Philone.*

Numerus interfectorum, qui in hac plaga perierunt, in Litera non exprimitur: tamen apud Philonem in Antiquit. Biblieis expressus inuenitur. Mulierum in vtero habentium, septuaginta quinque millia. Puerorum adhuc infantium & lactentium, sexaginta quinque millia. Mulierum nutrientium & lactantium, quinquaginta quinque millia. Virorum iam adultorum, viginti quinque millia. Omnium simul collectorum, ducenta & viginti millia. Vt interim nihil de illis paruulis, qui simul cum matribus grauidis perierunt. Vnde hanc summam Philo collegerit, aut diuinarit, prorsus nescio. Vnum scio, interfectionem fuisse magnam nimis: vt suprà Num. 6. & 9. habetur.

V. *Abul. Opinio quorundam proponitur & reiicitur.*

Refert Abul. hoc loco, & paulò antè q. 15. quorundam opinionem, quos alicuius auctoritatis esse dicit, asserentium, non solùm Philisthinos percussos fuisse in secretiori parte natium; sed etiam Hebræos recentiores, qui frequentem sanguinis fluxum, seu hæmorrhoidem patiuntur, in pœnam illius sacrilegij, quo postularunt Christi Domini mortem, exclamantes: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*. Et in hunc sensum interpretantur illud: *Percussit inimicos suos in posteriora*. Psal. 77. n. 66. Sed non immeritò credit, illos errare, cùm nullo Scripturæ fundamento innitantur. Et ego addo, temerè interpretari locum illum Psalmi, contra communem omnium Patrum & Interpretum sententiam.

VI. *Vlulatus signum est maximi luctus & desperationis.*

Et ascendebat vlulatus, &c. Sic olim apud Ægyptios, interfectis primogenitis, *Ortus est clamor magnus in Ægypto*. Exod. 12. num. 30. Duplicitet igitur hic exprimitur misera Philisthinorũ comploratio. Primò, quia dicitur vlulatus, quæ non est vox humana, sed lupina. Ac si Philisthini præ doloris sensu in morem belluarum efferati, non clamarent vt homines; sed vlularent vt lupi. Vnde in Scriptura tunc homines dicuntur solùi in vlulatus, quando, rebus iam desperatis, in extremam aleam adducuntur. Sic suprà, nuntiata in vrbem clade: *Vlulauit omnis ciuitas*. cap. 4. n. 13. Sic, iugulato Holoferne: *Vlulauerunt castra Assyriorum*.

A Iudith 16. n. 13. Sic mucrone Domini in Palæsthinam sæuiente: *Vlulabunt omnes habitatores terræ*. Ierem. 47. n. 2. Et sic de cæteris. Adde, vlulare potiùs vt belluas, quàm exclamare vt homines: quia par erat, vt qui belluinis moribus viuebant, belluinis quoque vocibus vterentur.

Secundò, exprimitur eadem comploratio: quia dicitur ascendere in cælum vniuscuiusque ciuitatis vlulatus: quæ notior est hyperbole, quàm vt debeat illustrari. Chaldaïce: *Ascendit in latus cælorum*. Fortasse, non fine aliquo mysterio. Non enim erat oratio iustorum, quæ *penetrat nubes*. Ecclesiastici 35. n. 21. Sed erat vociferatio impiorum, quæ ad cæli latera, irrito ascensu, quodammodo resilit ac detorquetur, nec ad aures Dei rectà pertingit, vt exaudiatur. Et ideò fortasse dicitur vlulatus, quæ est vox significationis expers; quia peccatores non corde, sed ore vocifetantes, nihil magis quàm lupi vlulantes exandiuntur, nec intelliguntur. Plura de hoc verbo vide superiori cap. Num. 13. Atque hæc de tota huius capitis historia. VII. *Discrimen inter orationem iusti & iniusti.*

ANNOTATIO XVIII.

CIRCA LITERAM.

Ordo, quo diuina Philisthæis supplicia infliguntur, illustratur.

DVPLEX in hoc ordine circunstantia diuinam in puniendo iustitiam mirabiliter commendat. Vna, quia non omnes simul plagas effudit. Nam in primis Dagonem in loco Arcæ paulisper sustinuit. Deinde sequentem in noctem loco deiecit. Posteà in frusta comminuit ac dissipauit. Rursus priùs irruit in Dagonis simulacrum: paulò pòst in Philisthinorum corpora desæuiit; postremò, in arborum fructus ac fruges agrorum calamitatem immisit. Ad hæc, vnam principiò vrbem flagellare orsus est: deinde in alias atque alias flagella detorsit: tandem in totam Palæsthinam acerrimè fulminauit. Quæ omnia ex dictis patent. Altera, quia diuina vltio priùs in scelerum causam, quàm in ipsos sceleratos exarsit: scelerum autem causa fuit Dagon, cui honorando & colendo Philisthini præcipuè incumbebant; cui victoriam referebant acceptam; cui Arcam, tanquàm insigne trophæum, consecrabant. In Dagonem igitur plagarum tempestas primùm detonuit; vt hoc diruto scelerum fundamento, scelera ipsa faciliùs euerterentur. Vtranque circunstantiam sua quanque Sectione breuiter illustrabo.

I. *Deus nõ omnia simul supplicia effundit.*

Dei vltio tã diu priùs in causam scelerum, quàm in sceleratos.

SECTIO I.

Cur diuina supplicia non turmatim, sed paulatim inferantur.

FActum quidem, nimirum diuina supplicia, non tota simul, sed sensim & per partes infligi, ex dictis patet. Facti verò ratio est: quia Deus non punit, vt obruat; sed vt corripiat: non vt vexet; sed vt emendet. Nam punitio nimis seuera, & quæ tota simul effunditur, præterita flagitia non curat, sed potiùs in noua præcipitat. Exemplis res erit illustrior.

II. *Deus punit vt corrigat, non vt obruat.*

Quæ,

III.
Peccatores quò plus puniuntur, eò magis effrenati.

Quæ, obsecro, effusior esse potuit punitio, ac seuerior, quam illud ingens diluuium, quo totus Orbis, saluis tantùm octo animabus, inundauit? Gen. 7. à num. 1. Profectò nulla. At, quæ ex tam acri punitione emendatio consequuta est? Certè nullam video. In primis, sunt, qui dicant, vt Annot. 11. Sect. 1. iam retuli, pessimum illum Noë filium Cham, adhuc in Arca commorantem & fluctuantem inter tot naufragia, tot funera, tot pericula, quæ propter violatam castitatem vniuerso Orbi incubuerant, sanctissimas ipsius castitatis leges violasse: ac si eum in flagitia præcipitem, non tam effusa quidem supplicia coërcerent; sed magis quodammodo incitarent. Cui opinioni fauere mihi videtur D. Chrysost. hom. 29. in Gen. Nam inquirens, cur Cham statim post diluuium appelletur pater Chanaan, Gen. 9. num. 22. hanc rationem assignat: *Vt discas, inquit, illum fuisse intemperantem & incontinentem: & mente, qua in tanta turbatione procreandæ proli vacanit, eadem etiam nunc in contumeliam patris prorupit.* Quasi statim post diluuium pater diceretur; quia in ipso diluuio generationi vacasset: nec mirum esse tantam in patre irridendo irreuerentiam ostendisse, qui tantam in filio genetando intemperantiam manifestasset. Clariùs id expressit idem D. Chrysostomus hom. 28. præcedente: *Voluit, inquit, Scriptura per hoc nobis illius intemperantia nimietatem insinuare: & quòd neque calamitatis magnitudo illum coërcere potuit; neque tanta in Arca angustia irrefrenatam illius concupiscentiam sedauit: sed quamuis senior nondum filios procreauerat, hic incontinentia deditus fuit, & cupiditatis intemperantiam non refrenauit.* Vides iuuenem effrænem & effrontem: qui quo tempore totus Orbis seuerissimas violatæ continentię pœnas luebat, ipse continentiam violabat? & cum alios supplicia constringebant, ipse in flagitia soluebatur?

D. Chrys.

A

B

IV.
D. Ambr.
D. Damasc.
Euchet.
Beda.
D. Thom.
Lyran.
Caiet.
Peccatores supplicio non emendantur, sed irritantur.

Sed quidquid sit ea de re, quam D. Ambros. lib. De Noë & Arca, cap. 21. D. Damascenus lib. 4. De Fide, cap. 25. Eucher. lib. 1. in Gen. c. 4. Beda expositione in Gen. c. 5. D. Thomas, aut quisquis est ille Auctor eius nomine inscriptus, Lyra, Caietanus, & plures alij in c. 7. Gen. excludere videntur, dicentes in Arca Noë continentiam ab omnibus non solùm hominibus, sed etiam belluis perfectissimè obseruatam: quidquid, inquam, sit ea de re, illud vnum certum, improbum illum iuuenem ex eo supplicio incolumem euasisse; sed nihilo meliorem, cùm paulò pòst sanctissimo Patriarchæ parenti suo impudentissimè illuserit & insultarit: *Vtpote*, inquit D. Chrysostomus vbi suprà, *neque in tanta calamitate humiliatus.* Quid enim intemperantius, immò & insanius esse potest, quàm in tanta scelerum punitione, adhuc in scelera effrænem præcipitari: nec ex supplicio timorem concipere ad peccata præcauendum, sed audaciam ad multiplicanda? Scilicet, hoc est hominum ingenium, vt immodicis suppliciis non emendetur, sed irritetur: & quò seueriùs premitur, eò licentiùs effundatur.

C

D

E

V.

Sed, quid hunc tantùm iuuenem commemoro; eùm alios quoque viros acerrimum diluuij supplicium reddiderit licentiores? Illos, nimirum, qui suum nomen æternare cupientes, *Faciamus*, aiebant, *nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum.* Gen. 11. num. 4. In quem locum D. Chrysostomus hom. 30. non immeritò admiratur hanc hominum improbitatem, quos tanta punitio cautiores non reddiderit, sed potiùs audaciores effecerit: *Vide oro*, inquit, *quantum inualuerit malitia. Habentes adhuc recentem memoriam generalis in diluuio interitus, in tantam inciderunt insaniam.* Multò mirabilius est, quod addo: à Noë vsque ad Abrahamum, quæ duratio plures annorum centurias inclusit, neminem in Scriptura veræ pietatis & religionis cultorem reperiri. Facile res patebit sacras Literas euoluenti, & intentim D. Augustinum auscultanti; qui lib. 16. De Ciuit. c. 1. *Post Noë, inquit, qui cum coniuge, ac tribus filiis, totidemq; nuribus suis, meruit per Arcam a vastatione diluuij liberari; non inuenimus vsque ad Abraham, cuiusquam pietatem, euidenti diuino eloquio prædicatam.* Quis non crederet post tam seueram punitionem, omnia vitiorum spineta fuisse rescindenda, & pulcherrima virtutum plantaria renouanda? Et nihilominùs ab ipsa pœnarum seueritate non flores sanctitatis germinatoni, sed vepres impietatis inhorruerunt.

D. Chrys.
Pœna non cautiores reddit improbos, sed audaciores.

A Noë vsque ad Abrahamum nullus vera pietatis cultor.

VI.
Peccatores peiores redduntur post supplicia.

Nihilò mitius extitit illud diluuium ignis & sulphuris, quo infamis regio Pentapolitana conflagrauit, Gen. 19. num. 24. At, quæ ex illo consequuta est morum correctio? Dixerim potius extremam morum corruptionem inde subsequutam fuisse. Nam ante illud diluuium, Lot & eius filiæ se in sobrietate & continentia laudatissimè conseruarunt; post illud, se in ebrietatem & incontinentiam miserrimè abiecerunt: vt patet ex loco citato Gen. à num. 33. vt D. August. lib. 22. contra Faustum, à c. 42. latè interpretatur. Ac si ex nimia seueritate punitionis, qui paulò antè timidi erant ad peccandum, paulò pòst audacissimi redderentur. Iam verò illa famis punitione, quæ quondam vniuersæ incubuit Samariæ, quæ potuit acerbior excogitari? Nam totos tres annos ne tenuissimi quidem rores è cælo destillarunt. Iacob. 5. num. 17. & 3. Reg. 17. à num. 1. arescentibus non solùm agris præ siccitate; sed etiam gregibus & hominibus præ fame extabescentibus. Sed, quæ virtutum fruges ex tanta frugum inopia emersère? Nullæ profectò. Immò luxuriantes vitiorum segetes ab his suppliciorum seminibus pullularunt.

VII.
D. Chrys.
Suppliciis non obruuntur vitia, sed oriuntur.

Vnde D. Chrysostomus serm. 2. De Helia: *Proh nefas!* inquit, *nulla ex pœna correctio. Et quasi aduersis hominum malitia prouocetur, sic crescit quotidie, quod puniatur.* Et post alia verba, quæ superiori cap. Num. 3. iam citauimus, subdit: *Perseuerat,* inquit, *in populum fames, malis perseuerantibus populi. Crescit malitia populorum, crescit & inopia rerum. Sæuit cunctorum impietas, sæuit & in cunctos necessitas. Vniuersi deficiunt victu, & ab idolorum non deficiunt cultu. Et quasi diuersitas istu inuicem concertaret, sic se se istu superare contendunt, vt putarent dementes sceleribus famem vincere, facinoribus necessitatem auertere, peccatis inopiam superare.* Vides, vt effusis suppliciis non obruantur vitia, sed oriantur? Certamen quodammodo inter se ineunt flagitia & supplicia, vt neutra alteris cedant: sed quò plura supplicia inferuntur, eò plura flagitia renascantur: & quasi cauendis pœnis optimum sit remedium adiicere culpas: nunquàm cessat stulta improbitas, etiam grauiter punita, peccare; vt nunquam desit punitio, vbi semper adest materia, quæ puniatur. Si enim culparum vena tam multis diuinæ iustitiæ incendiis non arescit: quo pacto ipsa pœnarum incendia culparum diluuiis extinguentur.

VIII.
Iudæi è seruitutis vinculis soluti plus in vitia soluebantur.

Attende vlteriùs extremam illam Hebræorum apud Babylonios seruitutem, omnium, quæ præcesserant, nisi fallor, longè miserrimam: cùm in alias ex modica fortuna deciderent, in hanc ex florentissimo statu laberentur. 2. Paral. 36. à num. 17. Sed quæro, postquàm tandem secundo Nu-

mine à vinculis seruitutis expediti prodierunt; exuerúntne illos laqucos vitiorum, quibus anteà intricati tenebantur? Immò difficiliores se in plagas, funes, nodósque vitiorum implicarunt: vt ex libris Esdræ & Machabæorum facilè innotescet; & interim D. Aug. lib. 18. De ciuit. c. 45. testatur: *Postquàm*, inquit, *Gens Iudæa cœpit non habere Prophetas, proculdubiò deterior facta est: eo scilicet tempore, quo se sperabat, instaurato templo, post captiuitatem, quæ fuit in Babylonia, futuram esse meliorem.* Misera profectò, & præpostera Gentis conditio, quæ & diuinis fota, altáque beneficiis, in luxuriam syluescebat: & diuinis coërcita, castigatáque suppliciis, non redibat ad frugem, sed in belluas efferebatur.

IX.
Nec mortis pœna corriguntur iniusti.

His adde, quod olim contigit Moysi in Ægypto. Egressus aliquando ad fratres suos, vidénsque vltum Ægyptium, qui Hebræum percutiebat, sic exarsit, vt statim Ægyptium occiderit, sabulóque absconderit. Exod. 2. num. 12. Quis non videt seuerissimam huius pœnæ grauitatem? Nam satis esse videbatur iuxta legem Talionis, percutientem repercutere: quid vlteriùs opus erat occidere? Vnde in Moyse ab aliqua culpa vendicando; non parum, & Patres, & Interpretes laborant. Sed ex tam acri vindicta in pacis turbatores, quæ, obsecro, concordia ac tranquillitas redundauit? Vide quod sequitur. Non multos post dies, sed in proximum crastinum iterum egressus Moyses, vidit inter se rixantes, nō iam Hebrꝗum & Ægyptium, homines & natione & religione discrepantes, & perpetua inter se ipsos simultate diffidentes: sed duos etiam Hebræos, quos eadem & natio & religio facere debuerat amore germanos. Adeò pœnę seueritas præteritam discordiam non restinxit, vt potiùs maiores aluerit rixas, & in maius discordiarum incendium eruperit.

X.
Nulla supplicij seueritate ab idolis Hebræi reuocantur.

Vnum quondam vitulum in deserto conflarunt Israelitæ: vnum loco Numinis, sacrilego ausu coluerunt. Exod. 32. num. 4. Non passus est Moyses tantam abire licentiam impunitam; sed quanta potuit ac debuit seueritate, vindicauit. Nam vitulum ipsum *combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israel.* Ibid. n. 20. ne vllum ex eo vestigium superesset, sed omnes, vel minimæ reliquiæ penitùs abolerentur. Ipsos autem vituli conflatores & cultores sic corripuit, vt ad viginti tria millia, Leuitis ad hanc vindictam conuocatis, obtruncarit. Vbi suprà, n. 28. Aptissima videbatur huius supplicij seueritas ad tantum nefas ac piaculum in totam posteritatem abdicandum. Sed, quid tandem factum? Posterósne continuit tam ingentis pœnæ timor, ne quidquam ampliùs de vitulo aureo excogitarent? Immò ex illa cæde & incendio non vnus tantùm, sed duplex vitulus, tanquàm Lernææ hydræ capita pullularunt. Nam Roboam, *Excogitato consilio, fecit duos vitulos aureos, posuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan.* 3. Reg. 12. num. 28. & 29. Quid iniquius, quàm scelera & sacrilegia, quæ debuerant ex suppliciis minui & restringi, potiùs duplicari & augeri?

Pœna aliquando vitia geminantur.

XI.
Sacrilegi nihil pœna mouentur cumulant sacrilegia.

Nec sanè mirum, Ieroboamum alienis suppliciis minimè commotum, vt à propriis sacrilegiis temperarit; cùm etiam in seipso propria ob sacrilegia grauiter percussus, non modò non resipuerit, sed etiam omnes impudentiæ, temeritatisque habenas licentiùs relaxarit. Sacerdotale munus per summum sacrilegium sibi vsurpauerat Ieroboam. Sed, ne impunè ferret, adfuit vir Dei, qui, vt temerarium Regem perterreret, loquutus est ad altare *in sermone Domini*: quod, quamuis lapideum, seu marmoreum; tamen Prophetæ tonitruum non ferens, *scissum est, & effusus est cinis de altari.* 3. Reg. 13. num. 5. Quid verò Ieroboam? Destitítne à sacrilega audacia? Immò verò sacrilegium sacrilegio cumulauit. Audiens enim sermonem hominis Dei: *Extendit manum suam de altari, dicens: Apprehendite eum* Ibidem, num. 4. Quare & Sacerdotis officium retinuit, & Prophetæ exitium tentauit: & cùm alteram manum à thuribulo sibi indebito non auerteret, alteram in Prophetam innocentem violenter iniiceret; vtranque duplici sacrilegio inquinauit. Tantùm abfuit, vt ex illa pœna emendaret culpam, vt potiùs duplicaret.

XII.
Iniusti supplicio in grauiora scelera præcipitantur.

Sed neque hoc posterius sacrilegium abiit impunitum. Cùm enim manum suam extenderet in Prophetam, statim additur in Litera: *Et exaruit manus eius.* En iam Rex duplici flagro diuinitùs percussus, arescente manu, & altari fatiscente. Quid ergo? Resiliit ab insania? Abstinuit à sacrilegio? Immò sacrilegia, & quidem grauiora multiplicauit. Nam anteà ipse sibi tantùm sacerdotale munus vsurpauerat: posteà verò sacerdotale munus plurimis aliis etiam infimis & perditissimis hominibus delegauit. *Post verba hæc*, inquit Textus, *non est reuersus Ieroboam de via sua pessima, sed à contrario fecit de nouissimis populi Sacerdotes excelsorum. Quicunque volebat, implebat manum suam, & fiebat Sacerdos.* Vbi suprà, num. 33. Tam parum apud improbum Regem pœnæ seueritas profecit, vt non modò eum non correxerit, sed in plura & grauiora scelera præcipitarit. Et, vt malitiæ cumulum adderet: *Quicunque volebat*, inquit Textus, *implebat manum suam*: hoc est, ipsius Regis: *Et fiebat Sacerdos.* Nam Rex, interprete Lyrano, vendebat sacerdotium; & qui ei manum non modico, sed copioso pretio implebat, sacerdotium ab eo reportabat.

Rex sacrilegus sacerdotij collator & venditor.

XIII.
Nulla supplicij commemoratio iniustos ad frugē reducit.

Sicut Ieroboamum pœnæ seueritas ad frugem non reduxit: ita nec Regem Oziam; cui sacerdotale munus vsurpare aggredienti summus Sacerdos Azarias obstitit, illis verbis: *Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron.* 2. Paral. 26. num. 18. Vbi quærit D. Chrysost. hom. 5. De verbis Isaiæ, cur non solùm dixit, *Sacerdotum*; sed etiam addidit, *Filiorum Aaron*? Et respondet: vt appellando Sacerdotes, filios Aaron sacrilego Regi in memoriam referret supplicium eorum, qui olim summum sacerdotium, exclusis Aarone, eiúsque filiis, vsurpare voluerunt. Ex his enim, *Alios quidem*, inquit, *terra dehiscens absorbuit; alios verò cælitùs emissus ignis exussit.* Num. 16. num. 31. Atque adeò Regem Sacerdotis officium vsurpantem perterrere voluit seuerissimo supplicio eorum, qui Sacerdotis officium vsurpare contendebant. Sed, quid profuit sacrilego Regi supplicij tam atrocis commemoratio? Profectò nihil: vt D. Chrysostomus fatetur. Nam ipse furens & sæuiens tenebat thuribulum, *& minabatur Sacerdotibus.* Ibidem, num. 19. Tantùm abfuit, vt sua temeritate cederet, vt potiùs in maiorem audaciam prosiliret.

D. Chrys.

XIV.
Qui subditis habenas nimium premit, relaxat magis.

Seuerissimam legem statuit Saül, ne quis suorum militum insequentium Philisthinos, quidquam cibi vsque ad vesperam degustaret: qui secùs facerent, proculdubiò occidendos. 1. Reg. 14. num. 24. Neque solùm seuerus extitit legislator, sed etiam seuerior legis exequutor. Nam filium Ionatham, qui legis inscius parum mellis degustarat, ad capitale supplicium efferri imperauit.

Ibidem,

Ibidem, n. 44. Quid, quæso, tanta seueritudo legis ac supplicij profecit? Continuitne homines in diuinarum legum obseruantia? Immò potiùs ad eas rescindēdas liberiùs relaxauit. Nam populus diurna fame, quam integram ad vesperum seruarat, stimulatus, eò voracitatis processit; vt ne à sanguine quidem, qui Leuit. 3. n. 17. prohibetur, abstinuerit: *Comedit populus cum sanguine*, inquit Textus, ibidem, num. 32. Quare nemo magis ad peccandum habenas suis subditis relaxat, quàm qui eas vltra modum nimiùm testringit.

XV. Priores legis tabulas confregit Moyses. Exod. 32. num. 19. posteriores verò integras & illæsas conseruauit. Exod. 34. num. 29. Discriminis ratio illa mihi videtur ad rem præsentem opportuna, quia priores datæ sunt inter tonitrua & fulgura & clangores buccinæ perstrepentis, Exod. 19. num. 16. at verò posteriores, sudo cælo, sereno Sole, nullis procellis agitato aëre, Exod. 34. à num. 5. Vbi autem minus seueritatis & timoris, plùs autem lenitatis & amoris incumbit; ibi plus obseruantiæ & obedientiæ reperitur. Ea causa est, cur Deus olim, cùm puniret hominū genus, super illud stillare diceretur: *Stilla*, inquit, *cōtra Sanctuaria, & propheta contra humum Israel*. Ezech. 21. n. 2. Er iterum: *Stillauit super nos maledictio & detestatio*. Daniel. 9. n. 11. Ac tandem: *Fluat*, inquit, *vt ros, eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina*. Deuter. 32. n. 2. & sic de aliis. Nam, sicut imber magno impetu effusus, perdit *sata læta, boûmque labores*: neque tam irrigare solet, quàm eradicare; modicis autem guttulis destillatus vtiliter illabitur in terræ viscera, segetésque alit, lætificat, & fœcundat: ita planè & supplicia, quæ nimis seuerè intenduntur; conterunt quidem, & cruciantur; quæ paulatim fluunt, & cum misericordia temperantur, corripiunt & emendant.

Vbi minùs seueritatis, ibi plùs obseruantiæ.

Supplicia misericordia temperata corrigunt.

XVI. Hinc est, quòd Deus suam iram phialis inclusam habere dicatur, iuxta illam vocem è templo Dei egressam: *Effundite septem phialas iræ Dei in terram*. Apoc. 16. num. 1. Nam phiala, etsi magnam habeat capacitatem; tamen angustum habet orificium, ex quo aqua non vbertim effunditur, sed guttatim destillatur. Ita planè & ira Dei non immensos soluitur in torrentes; sed tenuissimos liquatur in rores; ne tam obruat, quàm eluat peccatores. Tota hæc doctrina satis patet in Philisthinis, in quos non statim ab initio omnes pœnas, quas merebantur, exprompsit; sed paulatim sua per interualla temperauit: ne illos duriter collidere, sed leniter emollire videretur. Vtinam Philisthini aptissimo ad emendationem supplicio, vt par erat, vterentur.

Ira Dei non obruit, eluit peccatores.

SECTIO II.

Diuina supplicia non tam in peccatores, quàm in peccandi causas inuehuntur.

I. HVnc ordinem tenuit hoc loco diuina indignatio, vt priùs in Dagonem, quàm in Philisthinos exarserit: his enim adhuc illæsis & intactis, iam ille deiectus & contritus cernebatur, vt ex Litera patet. Ratio est: quia Dagon fuerat Philisthinis tota occasio peccandi, dum in illo spes suas collocabant; & ex illius præsidio vires se contra Arcam fœderis habuisse, sempérque habituros confidebant: Deus autem potiùs causas peccandi, quàm ipsos peccatores destruit & demolitur. Quod paucis illustro.

Deus priùs sæuit in peccatorum causam, quàm in peccatores.

II. Dauid diuinam & misericordiam & iustitiam cantaturus: *Dominus*, inquit, *erigit elisos, & Dominus diligit iustos: Dominus custodit aduenas; pupillum, & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet*. Psal. 145. num. 9. Cùm benefacit, ipsis personis, elisis, iustis, aduenis, pupillis & viduis benefacit: cùm vlciscitur, non tam ipsas peccatorum personas, quàm ipsas peccatorum vias vlciscitur. Vnde rectè D. Chrysostomus ad eum locum: *Non dixit*, inquit, *disperdet peccatores, sed viam ipsorum, hoc est, eorum actionem. Non enim auersatur naturam, sed odio habet vitium*. Sibi similis Dauid: *Iter*, inquit, *impiorum peribit*. Psal. 1. num. 6. Vbi rectè D. Ambrosius: *Perire*, inquit, *iter impiorum dixit, non impios: seruat eorum substantiam, qui, si conuertantur, solum iter impietatis amittent*. Apta est ad diuinam benignitatem illa precatio: *Contere brachium peccatorum & maligni*. Psalm. 9. seu 10. iuxta Hebræos, n. 15. Vbi Diuus Chrysostomus: *Non vult*, inquit, *peccatorem absolutè conteri; sed vires, potentiam, & eius improbitatis fomitem*.

D. Chrys. Deus nō tam peccatores vlciscitur, quàm vias peccatorum. D. Ambr.

D. Chrys. Deus vires ad peccandū atterit, non peccatores.

III. Similis & illa imprecatio Dauidica: *Imple facies eorum ignominia; & quærent nomen tuum, Domine*. Psal. 82. num. 17. Vbi D. August. lib. 50. homiliarum, hom. 34. meritò inquirit, an hæc imprecatio ex odio nasceretur. *An*, inquit, *oderat eos, quorum facies ignominia implere cupiebat?* Et respondet paulò pòst: *Immò & odit, & amat. Odit tua; amat te. Odit quod fecisti; amat quod fecit Deus. Quæ sunt enim tua, nisi peccata? Et quid es tu, nisi quod fecit Deus, hominem ad imaginem & similitudinem suam?* Vides quàm subtiliter peccatum à peccatore distinxit; hunc amore, illud odio prosequendum? Concinit D. Ambros. serm. 10. in Psal. 118. vbi etiam in homine distinguit imaginem Dei, ad quam factus est; & peccatum hominis, quod hanc imaginem delenit; additque non imaginem, sed peccatum à Deo puniendum: *Deus*, inquit, *non punit similitudinem suam, sed cum punit, qui ad similitudinem Dei factus, hoc, quod accepit, seruare non potuit. Punitur ergo illud, quod ad similitudinem Dei esse desistit; hoc est, peccatum tuum. Nam suam Deus non damnat imaginem, sed magis vindicat de eo, qui imagini fecit iniuriam. Vindicatur ergo imago, non condemnatur: vindicatur, quasi expulsa; non condemnatur, quasi rea*. Sic ille.

D. August. Deus peccatores amat, odit scelera.

D. Ambr.

Dei imago in peccatore vindicatur.

IV. Deum probè nouerat Moyses, cùm dixit: *Dominus Deus tuus ignis consumens est*. Deut. 4. num. 24. Sed quid consumit hic ignis? Compedes profectò, non pedes: vt videre est in igne fornacis Babylonicæ, qui ligatos soluit, solutos non tetigit. Dan. 3. num. 23. & 24. Hoc est, peccata, non peccatores consumpsit. Nam Deus, vt bene D. Ambrosius lib. 4. Hexam. c. 3. *Non solet*, inquit, *consumere, nisi sola peccata*. Quare Dauid diuinam imitatus perfectionem: *Iniquos*, inquit, *odio habui*. Psal. 118. num. 113. Vbi D. Ambros. serm. 15. obseruat, non dixisse: *Iniquos viros*; sed tantùm: *Iniquos*, vt significaret suum odium, non tam ad homines, quàm ad eorum peccata terminari: *Quomodo enim*, inquit, *excusaretur iste vir, euangelica viuens disciplina, si iniquos homines odisset: nisi intelligas, quod iniquitatem odio habuit: non eos, qui etsi operentur iniquitatem, possent tamen euangelica prædicatione conuerti?* Et certè ipse Dauid paulò pòst germanus sui interpres, non iam iniquos; sed, *Iniquitatem*, inquit, *odio habui*. Ibidem, num. 163. Vbi rursus D. Ambr. serm. 21. *Odio*, inquit, *habet sanctus iniustitiam, non iniustum, qui potest sæpè conuerti: nec mortuorum reliquias, sed mortuam iniquitatem execratur & refugit*.

Deus peccatoris cōpedes soluit, pedes non tangit. D. Ambr.

Dei ira in iniquis ad iniquitatem terminatur.

V. Non sine mysterio D. Paulus, *Vtinam*, inquit, abscin

D. Paulus nō peccatores, sed peccata extingui cupiebat.
D. Greg.

A *abscindantur, qui vos conturbant.* Gal. 5. num. 12. Non dixit: Vtinam perdantur, vtinam damnentur: sed, vtinam abscindantur, quasi in duas partes diuidantur: vnam, quæ est substantia, conseruandam: alteram, quæ est culpa, destruendam. Sic enim volebat D. Paulus, vt impij secundùm culpam, non secundùm substantiam perderentur. Quod D. Greg. Nissenus lib. De Orat. ægrotantium similitudine optimè declarat, quos quidem omnes volumus non esse, scilicet, ægrotos, quamuis sanos superesse maximè exoptemus: *Quemadmodum*, inquit, *ille qui orat, ne sint ægrotantes, non hominum interitum, sed morbi abolitionem fieri cupit: ita etiam dum quisque Sanctorum orat, vt id, quod naturæ aduersum & inimicum est, ad interitum redigatur, suspicionem quidem imperitioribus prabet, quasi aduersus homines sauiat; sed verè illud tantùm orat, vt peccatum & iniquitas euertantur.* Itaque iusti abolere cupiunt peccata, non peccatores: sicut nos omnes ægritudines, non ægrotantes de medio tolli desideramus.

VI. Descendens olim Moyses de monte, inuenit in mediis castris aureum vitulum stantem, & circa illum quasi viginti tria millia hominum idololatrantium. Quis non crederet, Moysem priùs ab idololatris, quam ab idolo meritas pœnas exacturum? Et nihilominùs idololatris interim prætermissis, in idolum illicò inuehitur. Nam statim vitulum *combussit & contriuit vsque ad puluerem.* Exod. 32. num. 20. In quem locum bene Oleaster: *Aduerte*, inquit, *prudentiam Moysis: priùs in peccatum, quàm in peccatores sæuiit, vt peccati radicem priùs extirparet.* Iacobus in suos illos filios præposterè bellatores, Simeonem & Leui, non leuiter commotus: *Maledictus*, inquit, *furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura.* Gen. 49. num. 7. Vbi Theodor. q. 109. *Maledicit*, inquit, *non ipsis, sed eorum prauis affectibus, ira videlicet, & furori.* Quasi filios quidem suos optimus pater saluos vellet; eorum tamen prauas affectiones, perditas exoptaret.

Oleaster.
Iusti peccatum & peccati radicem extirpant, non iniustos.
Theod.

VII. Sed quid est, cur Iacobus filio suo primogenito Ruben mala acerrimus imprecetur, dicens: *Non crescat.* Gen 49. num. 4. At verò Moyses eidem mitissimus blandiatur, dicens: *Viuat Ruben, non moriatur.* Deut. 33. num. 6. D Vnde hoc dissidium inter Patriarchas adeò concordes? Mitto alias responsiones. Illa est ad rem præsentem, quā insinuat Gennadius apud Lipomanum, scilicet, non fuisse à Iacobo filium maledictum, sed peccatum: à Moyse verò Rubeni pietatem benedictione impertitam. In peccatum enim æquum est, vt maledictio incurrat: peccatorem ipsum prætereuehatur. Immò, si quod in eo bonum reluceat, benedictionibus cumuletur. Itaque Ruben duplicem habuit statum: vnum impietatis, cùm paternum thorum nefario incestu violauit. Gen. 35. num. 2. alterum pietatis, erga fratrem suum Iosephum, quem ab aliis fratribus sine dubio occidendum, *nitebatur liberare de manibus eorum.* Gen. 37. num. 21. E Rubenum igitur secundùm priorem statum maledicit Iacob: Moyses secundùm posteriorem benedicit. Atque adeò vna fuit parentis cura, non filium, sed filij peccatum eneruare, ne cresceret, & in maius incendium augeretur.

Peccatum solum maledicitur, non peccator.
Gennad.
Fraternus amor benedictione dignus.

VIII. Sapienter olim Iethro ad Moysem: *Prouide*, inquit, *de omni plebe viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* Exod. 18. num. 21. seu, vt habent Septuaginta: *Qui oderint superbiam.* Vbi commendat viros, qui oderint non auaros, aut superbos; sed auaritiam, aut superbiam: vt Origen. hom. 11. ad eum locum rectè obseruat: *Tales*, inquit, *oportet esse Principes populi, qui non solùm superbi non sint; sed etiam, qui oderint superbiam: id est, vt non solùm ipsi absque vitio sint, sed etiam in aliis oderint vitia. Non homines, dico, odisse; sed vitia.* Ita ille. Igitur peccatores ita distinguendi sunt, vt homines quidem amentur, vitia coarguantur. Sic eos Christus Dominus distinguebat, cùm etiam peccatores amicos appellabat: *Amice, ad quid venisti.* Matth. 26. num. 50. *Amice, quomodo huc intrasti?* Matth. 22. num. 12. *Amice, non facio tibi iniuriam.* Matth. 20. num. 13. Nam, qui in illis peccatum oderat, naturam diligebat.

Principes solū peccata odisse debent.
Orig.
Christus Dominus hominum peccatum odit, naturam diligit.

IX. Mirabitur aliquis non immeritò, quòd, cùm olim Deus magna seueritate pœnas intenderit B Dauidi, 2. Reg. 24. num. 13. Ezechiæ, 4. Reg. 20. num. 1. Niniuitis, Ion. 3. num. 4. & pluribus aliis peccatoribus; nihilominùs intentas pari facilitate reuocarit. Sed mirari desinet, si aduertat, Deum non in peccatores, sed in peccata excanduisse. Vnde, peccatis extinctis, quamuis peccatores superessent, totam indignationem diuinam deferbuisse quodammodo, & quieuisse. Quod D. Hieronymus in cap. 4. Danielis, ad finem, rectè obseruat. Quærens enim, cur Deus in illos peccatores pœnitentes, suam iracundiam tam facilè deposuerit: *Neque enim*, inquit, *Deus hominibus, sed vitiis irascitur; quæ, cùm in homine non fuerint, nequaquàm punit, quod mutatum est.* Itaque ad diuinæ iustitiæ iacula declinanda, opus non est, vt assumantur arma, C sed vt peccata deponantur: peccatis exarmatos diuina iacula non feriunt, quæ in sola peccata intorquentur.

D. Hier.
Diuina ira tela non nisi in peccata contorquentur.

X. Cùm olim Israëlitæ, duce Phinee, filio Eleazari summi Sacerdotis, pugnassent contra Madianitas, atque vicissent, omnes mares occiderunt. Numer. 31. num. 7. à fœminis tamen miseratione commoti temperarunt. Victores in castra regressos excipit Moyses, non cum triumpho, vt fortè sperabāt, sed magno cum supercilio. *Iratus enim Moyses*, inquit Textus, *Principibus exercitus, Tribunis & Centurionibus, qui venerant de bello, ait: Cur fœminas reseruastis? Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israël ad suggestionem Balaam, & præuaricari vos fecerunt in Dominum?* Ibidem à num. 41. &c. Quasi diceret: D Etsi aliis fœminis propter naturæ imbecillitatem parcendum sit; in has tamen, quia peccandi occasionem præbuerunt; priùs animaduertere oportebat: sicut enim dignum est, vt peccatores conseruentur; ita planè dignissimum, vt omnes peccandi occasiones destruantur.

Peccandi occasiones priùs tollenda, quā peccatores.

XI. Societatem iniit Iosaphat Rex fidelis cum Ochozia Rege idololatra, vt classem in Tharsis nauigaturam; collatis sumptibus, fabricarent, & inter se collectos fructus partirentur. Iniquo animo tulit Deus Regis piissimi cum impiissimo commercium. Prophetam ad Regem mittit, qui acriter comminatus: *Quia habuisti*, inquit, *fœdus cum Ochozia, percussit Dominus opera tua: contritaq; sunt naues, nec potuerunt ire in Tharsis.* 2. Paralipom. 20. E num. 37. Vides, vt Deus non capita iugulet, sed opera: non Reges conterat, sed naues? Ratio planè est: quia peccatores saluos cupit; peccata & peccatorum irritamenta penitùs abolita. Affine est illud: *In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.* Psal. 47. num. 8. Nam per has naues infinita auri & argenti vis, pretiosissimæque merces in Iudæam inferebantur. Vt ex 3. Reg. 10. num. 11. & ex 2. Paralip. 9. num. 10. habetur. Ex tam multis autem opibus in Iudæam importatis innumeræ vitiorum pestes in omnium mentibus pullulabant. Quid ergo Deus? Non in ipsos peccatores, sed in naues,

Regum ad peccatum irritamenta conterit Deus, non Reges.

naues, quæ malorum nutrimenta erant, ac fomenta suam iram exprompsit, vt homines quidem superessent; peccata verò in totum abdicarentur.

XII. *Deus irascitur vitio, non vitioso.* Cùm aliquando à Christo Domino pro puero lunatico & arreptitio sanitas peteretur, vehementer indignatus exclamauit : *O generatio incredula, ac peruersa! Quousque ero vobiscum? Quousque patiar vos?* Sed statim placatus ac tranquillatus: *Afferte huc*, inquit, *illum ad me*. Matth. 17. num. 17. Quò pertinet tam repentina mutatio? Cur paulò antè iratus subitò mansuescit? Optimè ad eum locum D. Hieronymus (D. Hieron.): *In tantum*, inquit, *non est iratus homini, sed vitio, vt statim intulerit: Afferte eum huc ad me.* Quasi diceret : ne in peccatorem, sed in peccatum irasci videretur; illam priorem seueritatem in peccatum, cum hac posteriori lenitate in peccatorem commutauit. Sed cùm tandem puer adduceretur : *Increpauit illum Iesus.* Ibidem, num. 18. At, cur non potiùs Dæmonem iniquissimum obsessorem, quàm puerum à Dæmone obsessum increpauit? Respondet D. Hieronymus: *Quia puer*, inquit, *propter peccata sua à Dæmone fuerat oppressus.* Quasi diceret: Quia puer peccauerat, Diabolus verò cruciauerat. At verò Christus Dominus increpatione digniorem existimauit peccantem, quàm cruciantem. Quasi nihil priùs vellet exscindere, quàm ipsas peccatorum radices; nec tam vellet germina, quàm semina peccatorum extirpare.

Deus potiùs peccatorem corripit, quàm Diabolū, vtpote nequiorem.

Deus solùm germina peccatorum cædit.

XIII. Vnde olim Deus in infami illa regione Pentapoleos, non tam ipsam scelerum luxuriam, quàm ipsam scelerum sementem resecauit, vt colligitur ex illis verbis : *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* Isai. 1. num. 9. Vbi Propheta hoc tantùm inter Sodomam & Ierosolymam discrimen constituit, quòd in hac aliquod semen superfuerit; in illa penitùs exaruerit. Ergo ipsum tantorum flagitiorum semen censuit Deus in illa infami regione penitùs abolendum. Ad quem Isaiæ locum alludens D. Ambros. (D. Ambr.) lib. de Noë & Arca, c. 19. *Meritò*, inquit, *Dominus in huiusmodi specie ciuitatum amputauit magis humana vitia, quàm puniendos homines iudicauit.* Dum scilicet non hominum, sed vitiorum semina excidit. At, si semina excisa sunt, vnde, quæso, dicet aliquis, tam ampla illorum vitiorum seges toto orbe pullulauit. Scilicet, vtiles arbores præiactum semen requirunt, ex quo nascantur: inutiles verò ac noxiæ plantæ, quales erant Sodomiticæ, etiam in inculto agro syluescunt. Ex dictis igitur constat, Deum nihil impensiùs curare, quàm vt peccatores feruentur, peccata aboleantur. Quare priùs Dagonem euertit, quàm Philisthinos puniat; vt ipse scelerum fons statim exarescat, ne vlla deinceps scelerum venena hominibus propinentur.

Semina penitius peccatorum perdit.

Peccata germina inutilibus similia, quæ vbique pullulant.

ANNOTATIO XIX.

CIRCA LITERAM.

Ordo, quo sua Philisthæi supplicia patiuntur, illustratur.

I. *Peccatores diuitias bonis omnibus anteponunt.*



Vitin hoc ordine nescio quid inordinatum. Nam Philisthini non resipuerunt ad primam plagam Dagoni inflictam, neque ad secundam inflictam corporibus, sed ad

A tertiam inflictam diuitiis. Nam, Dagone deiecto & contrito, & corporibus pessimè affectis ac vulneratis, adhuc ipsi suis sceleribus adhærentes, & de Arca ad Hebræos remittenda minimè cogitabant. Verùm vbi noxiæ bestiolæ pullularunt, quæ domos, agros & vineas, ac proinde publicas priuatásque fortunas demoliri cœperunt, statim ipsi suis rebus maturè consulentes, de Arca Hebræis restituenda deliberarunt: vt patet ex Litera hactenùs explicata. Ac si Philisthini suas diuitias bonis spiritualibus & corporalibus anteferrent. Quæ sunt duo maximè inordinata duplici Sectione illustranda.

B

SECTIO I.

Philisthini bonorum temporalium, quàm spiritualium iacturam ægriùs patiuntur.

Sva omnia bona spiritualia vno in Dagone Philisthini collocabant: & nihilominùs hunc dirutum & contritum cùm viderent, nihilo mouebantur. Verùm, cùm agrorum fructus, in quibus suas diuitias habebant, à noxiis bestiolis comesos obseruarunt, incredibiliter doluerunt: & cùm ex iactura bonorum spiritualium ad frugem non redirent; tandem bonis temporalibus perditis ac dissipatis resipuerunt. Ita se habet improbo- C rum hominum ingenium, vt bonis spiritualibus temporalia anteponant, & temporalium iacturam multò pretiosiorem, quàm spiritualium arbitrentur; facilèque spiritualibus renuntient, vt temporalibus potiantur. II.

Improborum hominum ingenium.

Frequentissimè Deus olim in Scriptura Sabbati obseruantiam imperauit. Exod. 20. num. 9. Leuit. 23. num. 3. Deuter. 5. num. 13. & passim alibi. Immò eius violatoribus capitale supplicium statuit. Exod. 31. num. 14. nec illum, qui Sabbati obseruantiam leuissimè transgressus fuerat, paucula ligna colligendo, absoluendum censuit; sed acriter lapidandum. Num. 15. num. 35. Cur tam seuerus extitit huius legis non modò lator, sed etiam executor? Optima ratio mihi videtur D ad rem præsentem illa, quam insinuat Rodulphus (Rodul.) in locum Leuit. citatum : *Magna*, inquit, *Legislatoris super Sabbati obseruatione sollicitudo, frequensque huius præcepti repetitio est: quia homo post præuaricationis reatum, laboribus addictus, dum visibilium trahitur cupiditate, necessitatem vertit in voluptatem. Compescenda igitur erat insana laborandi cupiditas.* Quasi diceret : Adeò propensi erant homines ad diuitias congregandas, vt in hoc labore totam vitam collocarent. Vnde, nisi inde violenter auerterentur, semper terrenis studiis incumberent, nunquàm diuinis obsequiis vacarent. Quare seuerissimis legibus opus fuit, quæ illos à temporalium rerum negotio, ad cœlestium otium transferrent. III.

Peccatores adeò incumbunt terrenis, vt diuina nullo modo cogitent.

E Pharao crebris tandem flagellis defatigatus, liberam exeundi de Ægypto potestatem fecit Israëlitis. Nam Moysem & Aaronem alloquutus: *Ite*, inquit, *sacrificate Domino, oues tantùm vestra remaneant.* Exod. 10. num. 24. Cur quæso, solntis hominibus, captiuas pecudes retinebat? Credo, quia sciebat, Israëlitas tanto amore suarum pecudum teneri, vel certè pecuniæ ex suis pecudibus colligendæ, vt præoptarent esse, cum illis in seruitute remanere, quàm sine illis in libertatem abire; seu cum illis Pharaoni seruire in Ægypto captiuos, quàm sine illis Deo in deserto liberos sacrificare. Immò existimabat, si fortè de Ægypto sine suis gregibus IV.

Iniusti potiùs seruitutē cum diuitiis amāt, quàm sine illis libertatem.

gregibus exirent, quàm primùm in Ægyptum redituros propensiores ad terrenas possessiones in Ægypto, quam ad cælestes pollicitationes in Palæsthina obtinendas.

V. Neque sua Pharaonem opinio fefellit, vt posteà in Babylonica seruitute res ipsa declarauit. Nam, cùm Cyrus Persarum Rex populum Israeliticum à diuturna tandem seruitute liberum abire permitteret, subdidit: *Et omnes reliqui in cunctis locis, vbicunque habitant, adiuuent eum.* 1. Esdr. 1. n. 4. Quasi diceret: si quis Hebræorum maluerit remanere in Babylone, quàm redire in Iudæam, is teneatur suis opibus adiuuare redeuntes. At, quis, obsecro, esse poterat, qui seruitutem libertati anteferret, & potiùs inter gentilitios & prufanos ritus Babylonis, quam inter sacras & diuinas leges

Iniusti parua temporalia in lucra spiritualibus anteferunt.

B

Ierosolymæ viuere præoptaret? *Illi profectò*, inquit Lyra, *qui amore bonorum ibi acquisitorum tenebantur.* Nam ab iniquis diuitiarum possessoribus etiam parua lucra temporalia magnis bonis cælestibus præferuntur.

VI. Accesserunt tandem Israëlitæ post immensas viarum ambages ad terram Galaad, quæ Iordanis ripis adiacebat. Ecce tibi Ruben & Gad, & dimidia Tribus Manasse, quæ *habebant pecora multa, & in iumentis infinitam substantiam*, vt est in Litera: regionis illius fertilitatem admirati, Moysem adeunt, & renuntiantes, illam plagam alendis gregibus esse valde opportunam, *Precamur*, inquiunt, *si inuenimus gratiam coram te, ut det nobis famulis tuis eam in possessionem, ne facias nos transire Iorda-*

C

nem. Num. 32. num. 5. Quid hoc est, boni Israëlitæ? Quæ vos, obsecro, inuasit tam subita satietas illius beatæ Palæsthinæ, ad quam non ita pridem nimis auidi currebatis? Quæ vos tenuit tam insana appetentia huius Regionis Galaaditicæ, nullis partibus cum illa conferendæ? Attendite, quæso, vtranque plagam. Illa quidem à Deo promissa cælestibus benedictionibus abundat, exornanda tabernaculo fœderis, nobilitanda templo Salomonis, & quod caput est, Christi Domini vestigiis consecranda: hæc autem terrenis tantùm frugibus opulenta, & solis gregibus saginandis opportuna, nullam partem continet sanctitatis. Dicite, vtra præstet. Nonne illa tantò altior excellit; quantò cælestia terrenis sublimiùs attolluntur? Ita planè.

Cupidi beata patria bonis renuntiant, vt fruantur terrenis.

D

Et tamen cupidi homines veris illius terræ opibus renuntiant; vt fassis huius diuitiis perfruantur. *His*, inquit Procopius, *similes nonnulli sunt, qui curis huius vitæ victi studio erga Deum elanguescunt. Etsi enim vocati ad fidem fuerint; tamen propter voluptates in numero preborum permanere nolunt.*

VII. Cum eisdem hominibus comparat Diuus Gregorius libr. 27. Moral. c. 7. illos omnes, qui terrestria curant, cælestia contemnunt: *Quos*, inquit, *bene apud Moysen filij Ruben, Gad, & dimidia Tribus Manasse exprimunt: qui multa pecora & iumenta possidentes, dum extra Iordanem ea, qua viderant campestria, concupiscunt, in repromissionis terra hæreditatem habere noluerunt.* Et paulò pòst: *Qui*, inquit, *iumenta plurima possident, Iordanem transire fugiunt: quia quos multa Mundi implicamenta occupant, habitationem cælestis patria non requirunt.*

D. Gregor.

Qui terrena curant, quibus similes?

E

Sed vlteriùs ex Orig. hom. 26. in Num. attende, omnes harum trium Tribuum auctores fuisse primogenitos, Ruben quidem ex Iacobo, Gad ex ancilla Zelpha, Manassem ex Iosepho. Non quidem sine mysterio. Nempe, vt significarent non solùm Hebræos cælestis patriæ exhæredes, qui veteri legi adhærentes, nouam repudiarunt; vt in 1. tom. Annot. 24. Sect. 3. §. 13. ostendimus: sed etiam aliarum Gentium primogenitos, qui terrenas hæreditates,

Orig.

Primogeniti ferè terrena cælestibus anteponunt.

A quas obtinent, cælestibus, quas sperare debuerant, anteponunt.

In illa regione prope Iordanem, ad quam Israëlitæ, quadraginta annorũ itinere absoluto, peruenerunt, & in qua Moyses diuinam legem eisdem in memoriam reuocauit, dicitur plurimum auri prouenire. Deut. 1. num. 1. At, quorsum auri mentio in eo loco pertinebat? Credo, ne in Ægyptum remigrarent. Nam, si gazam Ægyptiacam in memoriam reducerent, nec similem in Palæsthina se habituros sperarent, sine dubio Palæsthinam sanctitatem posthaberent; & in Ægyptiacam opulentiam refunderentur. Facilè Saul illud Dei præceptum de vrbe Amalec penitùs euertenda prætermisit, & Regem Agag, in quem etiam iure belli agere oportebat, incolumem conseruauit. 1. Reg. 15. num. 9. Ratio illa est, quia humanum lucrum diuino imperio præferebat. Nam, vt Lyra ad eum locum: *Cupiditate*, inquit, *ductus sperabat habere de eo magnam redemptionem, vel per eum occulti thesauri reuelationem.* VIII.

Quanto amore homines aurum prosequantur.

Lyran.

Iniusti lucrũ diuino imperio præferunt.

Prohibuit Iosue, ne quis de præda Ierichontina quidquam contingeret. Ios. 6. num. 18. Sed Acham inter præceptum diuinum, & opimum spolium constitutus, hoc illi anteposuit, pallium coccineum, & argenteos siclos, ac regulam auream furatus. Ios. 7. num. 21. Quam cupiditatis vim admiratus D. Ambr. lib. 2. De offic. cap. 26. *Iesus Naue*, inquit, *qui potuit Solem sistere, ne procederet; auaritiam hominum non potuit sistere, ne serperet. Ad vocem eius Sol stetit, auaritia non stetit. Sole itaque stante, confecit Iesus triumphum: auaritia procedente, penè amisit victoriam.* Difficiliùs igitur cupidi homines à terrenis lucris præ diuino imperio cohibentur; quam, vel ipse Sol, ac Luna à suo naturali cursu præ diuino iussu auertuntur. IX.

Difficilius est auarum, quã Solem cohibere.

Legati quondam Babylonij Ierosolymam venerunt, diuinam apud Regem Ezechiam, & potentiam, & magnificentiam inuisuri. At verò Ezechias humanam illis excellentiam & opulentiam ostendit: ac si hanc illi anteferret, & spectabiliorem esse iudicaret. *Ostendit eis*, inquit Textus, *domum aromatum, & aurum, & argentum, & omnia, quæ habere poterat in thesauris suis.* 4. Regum 20. n. 13. De qua re D. Chrysost. in Psal. 117. *Ezechias*, inquit, *eos, qui ex Babylone venerant, non ex iis, quæ diuinitus euenerant; sed ex rebus humanis voluit perterrere & adducere in admirationem, timens, ne ab eis inuaderetur: ideò eis thesauros ostendit, habens fiduciam in thesauris.* Qua Deus iniuria lacessitus, omnibus illum bonis denudandum, per Isaiam illicò prædixit: vt notat Theod. ibi q. 53. *Et quòd*, inquit, *cùm oporteret Dei docere virtutem, & curam, quam est assequutus, ostenderit diuitias, quæ nihil habent firmum & stabile.* Æquum enim est, vt qui terrena diuinis præferunt, vtrisque spolientur. X.

Iniusti humana diuinis iudicant spectabiliora.

D. Ambr.

D. Chrys.

Theodor.

Qui humana diuinis præferunt, illis spoliantur.

Mirum est, quò olim processerit Aaron. Non solùm enim permisit Israelitis, vt vitulum aureum conflarent; sed & ipse, vt est in Litera, *Ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit, dicens: Cras solennitas Domini est.* Exod. 32. num. 5. In Hebræo est: *Solennitas* יְהוָה *Iehouah:* vbi Caiet. *Insaniuit*, inquit, *ipse longè magis, quàm alij. Nam alij non nisi nomen* אֱלֹהִים *Elohim, &* אֱלֹהַ *Elohe, quæ sunt nomina communia tribuerunt idolo: ipse autem incommunicabile & ineffabile nomen Tetragrammaton attribuit, nullo ad hoc instigante, &, quod peius est, voce publica.* At, vnde hæc insania Aaroni orta est? Profectò ex amore rerum temporalium, quas diuinis anteposuit; seu, quod idem est, ex timore damnorum temporalium, quæ ne contraheret, bona diuina non curauit: dum timuit, si hæc curaret, fore vt XI.

Homines ne de principatu eiciantur, idololatriam patiuntur.

illis

Caiet.

illis premeretur. *Ecce*, inquit Caietanus, *quò ducit ambitio principatus*. Scilicet, ne ipse de principatu deiiceretur; passus est, ab eo populo idolum in Deum excitari.

XII. Venio iam ad insignem illam cupiditatem Balaami, qui diuina præ terrenis conculcauit. Nam in primis sollicitatus à Rege Balac per internuntios ad maledicendum populo Dei, ita respondit: *Manete hîc nocte, & respodebo quidquid mihi dixerit Dominus*. Num. 22. num. 8. Vbi notandum, neque illos statim à se repulisse, neque etiam statim cum illis perrexisse. At, cur non repulit statim, tanquàm rem indignam, Deóque iniuriosam deprecatos? Credo, quia in eorum manibus, ea, quæ afferebant, diuinationis pretia conspexit, repulsurus fortasse, si vacuas à muneribus manus conspexisset. Rursum, cur statim cum illis non perrexit: sed priùs expectauit responsum à Domino; seu, vt est in Hebræo, à Iehouah? Quid enim esse poterat mendacissimo Mago cum veracissimo Deo?

Munera etiã à Deo auertũt improbos.

Optimè Lyranus, *Modus*, inquit, *est Magorum maximè cupidorum, qualis erat iste Balaam, fingere coram hominibus, quòd reuelationes sibi fiant à vero Deo, vt sic eis magis credatur, & reportent maius lucrum.* Ac si etiam cum magna diuinitatis iniuria, suam explere vellet cupiditatem.

Lyran. *Magi suo lucro, societatẽ cum Deo habere simulãt.*

XIII. Hic rursus ab aliis internuntiis euocatus: *Obsecro*, inquit, *vt hîc maneatis etiam hac nocte, vt scire queam, quid mihi respondeat Dominus.* Vbi suprà, n. 19. Quid à Deo scire denuò cupiebat, qui iã diuinam voluntatem non ignorabat? Rectè D. August. q. 48. *Ibi*, inquit, *se victum cupiditate monstrauit; vbi loqui sibi Dominum de hac re iterum voluit, de qua eius iam cognouerat voluntatem. Proinde Dominus permisit, eum ire, vt per iumentum, quo vehebatur, eius auaritiam coërceret. Hoc ipso confundens illam dementiam; quòd prohibitionem per Angelum factam, transgredi asina non auderet; quam ille cupiditate transgredi conaretur.* Itaque improbus maleficus malebat suam explere cupiditatem, qoàm diuinam voluntatem implere. Illud etiam hîc expende. Nam Legati à Balac, semel atque iterum missi, nunquam eum, à quo mittebantur, Regem appellarunt: hic autem ariolus importunè officiosus, etiam cum Deo loquutus, Regem appellare non dubitauit: *Balac*, inquit, *Rex Moabitarum misit ad me.* Ibid. n. 10. Quasi diceret, inqoit Lyra: *Propter dignitatem Regiam deberem ire ad eum: quærebat enim licentiam eundi ad eum, motus cupiditate lucri.* Itaque nefariũ Maleficum in contrarias partes hinc diuina voluntas, hinc cupiditas propria trahebant. Sed ille, humana diuinis anteponens, se in auaritiæ abrupta præcipitauit.

D. August. *Inimicorũ cupiditas à Deo per vilissima coërcetur.*

Lyran. *Improbi spe lucri nimis officiosi.*

XIV. Nihilo meliores Pharisæi, ad quos Christus Dominus: *Væ vobis*, inquit, *Scribæ & Pharisæi hypocritæ, qui circumitis mare & aridã, vt faciatis vnũ proselytum.* Matt. 23. n. 15. Quorsum tantũ operæ & laboris collocabant in Gentibus ad Iudaïsmũ conuertendis? Rectè D. Chrys. hom. 44. in Matt. *Non*, inquit, *propter gloriam Dei, vt additis cultoribus honoretur Deus; nec propter misericordiam, volẽtes eum saluare, quem docebant: sed aut propter auaritiam, vt additis in Synagoga Iudæis, sacrificiorum adderetur oblatio, aut propter vanam gloriã, vt videãtur.* Itaque etiam cùm spiritualibus rebus operam dabant, temporalibus lucris ducebantur. Quod statim D. Chrys. ex ipsis Pharisæorum moribus confirmat, dicens, docentis finem, ex docẽtis artibus deprehendi. Nam, qui vitam pessimè instituũt, ad quem bonum finẽ suam doctrinam ordinabunt? *Quando*, inquit, *ipse*, scilicet, Magister, seu Doctor, *in*

Aliqui, etiam in sacris, lucris seruiunt temporalibus.

sanctitate versatur; cognosce, quòd propter Deum errantem corrigere vult: si autem in malis versatur; quomodo alterum propter Deũ corrigere valet ad bonum? Nunquid magis misericors potest esse aliquis alteri, quàm sibi? aut, qui se ipsum mergit in gurgitẽ peccatorum, quomodo alterum de peccatis valet eripere? Igitur peruersi magistri salutem alienam spiritualem non curabant; vtilitatem propriam temporalem ambiebant.

Improbi præceptores suã tantum curant vtilitatem.

XV. Tandem ille adolescens, quem Christus Dominus ad repudiandas suas diuitias admonuit: *Abiit tristis*. Matth. 19. n. 22. Verè adolescens non annis, sed moribus, vt notat D. Aug. epist. 34. ad Paulin. non annis quidem; quia reuera ipse adolescentia iam excesserat, vt ipse paulò antè significauit, dicens: *Omnia hæc custodiui à iuuentute mea.* Ibid. n. 20. Moribus autem; quia nõdum accesserat ad virilem sapientiam, qui bona diuina ac terrena perfecto iudicio inter se non discernebat. Si igitur, qui fidei lumine illustrantur, res creatas suo præferunt Creatori; quid mirum, si Philisthini falso Deo Dagoni fallaces opes anteponant? Quemadmodum olim & Ægyptij videntes suos primogenitos mortuos, & suos Deos miserabiliter laceratos, quorum, obsecro, curam priùs susceperunt, filiorúmne, an idolorum? Sanè ad filios suos sepeliendos prompti accurrerunt: de idolis suis instaurandis parum curarunt. Vt videre est Num. 33. n. 4. Quasi suos filios suis Diis anteferrent, & humana dispendia multò ægriùs, quàm diuina paterentur. Sed de hac re dicendi occasio sæpè recurret. Vide inferiùs Annot. 32.

D. August. *Iuuenis, non vir est, qui diuina ac terrena non discernit.*

Improbi parentes filios Deo anteferunt.

SECTIO II.

Philisthini suas opes, quàm suas vitas sibi auferri, iniquiùs tolerabant.

I. Hoc etiam patet ex Litera, in qua Philisthini propriis in corporibus percussi non resipiscebant: in bonis autem temporalibus flagellati, statim saniores effecti, Arcam Hebræis restituere decreuerunt. Quasi suas diuitias etiam incolumitati suorum corporum præferrent. Ita solent insignes auaritia peccatores: suas opes habent vel propria vita chariores.

Opes multis sunt vita chariores.

II. D. Petrus in pessimum illum Magum dum acriter inuehitur: *Pecunia*, inquit, *tua tecum sit in perditionem.* Act. 8. n. 20. At, cur illum non occidit; quemadmodum occiderat Ananiã & Saphiram? Act. 5. à n. 5. Fortè, quia cupidum & auarum grauiùs vulnerabat, pecuniam, quàm vitam eripiendo. Ita videtur sensisse D. Petrus Dam. Opusc. 6. seu libro, qui appellatur Gratissimus, c. 34. *Pecunia*, inqoit, *cum negotiatore percutitur: at, vbi deest pecunia, percussio non timetur.* Quasi diceret: Omnis plaga, qua pecunia non cæditur, leuis auaro est; si tamen pecunia amputetur, grauissima. Grauiùs igitur illum puniit, dum pecunia, quàm si vel ipsa vita spoliaret.

Grauiùs puniuntur auari pecunia, quàm vita spoliati. D. Petrus Dam.

III. Achab Rex Samariæ, cũ non posset à Naboth patriam hæreditatem extorquere, indignabundus *Non comedit panem.* 3. Reg. 21. n. 4. Rationem ad præsens institutum accommodatã reddit D. Ambros. lib. de Naboth, c. 4. *Non manducauit*, inquit, *panem suum, volens se morte mulctare, quòd ei aliquid negaretur.* Quasi vel ipsam mortẽ tolerabiliorem iudicaret, qoàm leuissimam vnius vineæ iacturã. In eodem loco D. Ambr. *Noui ego*, inquit, *diuitem in agrum proficiscentem, panes breuiores vrbe delatos numerare solere, vt pro numero panis, æstimaretur,*

D. Ambr. *Mortem auari leuiorẽ ducunt, quàm leuerẽ temporalium iacturam.*

Auari homines natura & ingenium.

quot dies in agro futurus esset. Nolebat obsignatum aperire horreum, ne quid de condito minueretur. Quid potuit esse sordidius, quàm plenis horreis cum propriæ vitæ detrimento pepercisse, & potiùs frugem, quàm vitam conseruasse? Pergit Ambr. *Comperi etiam viri fidem, si quando ei ouum esset appositum, queri, quòd pullus esset occisus.* Quasi mallet fame perire, quàm pullastrum occidi. Quod in ipsorum auarorum suppliciū diuina prouidentia videtur retorsisse: vt idem Diuus Ambrosius obseruat diuites ipsos alloquutus: *Hæc*, inquit, *ideò scribo, vt cognoscatis vindicem esse Dei iustitiam, quæ lacrymas pauperum vestro vlciscitur ieiunio.* Vbi vides, diuites auaros faciliùs corporis tormenta, quàm pecuniæ detrimenta tolerare, & proniores esse ad mortem ipsam subeundam, quàm vel tenuissimam iacturam sustinendam.

D. Ambr. *Diuites faciliùs tormenta, quàm pecuniæ detrimenta patiuntur.*

IV. Quis eum non putabit insanum, qui fugiens lictores & satellites ad capitale supplicium reposceutes, lasciniosas vestes non abiiciat, vt promptior & expeditior elabatur? Sed insaniores planè sunt, qui malunt suis implicati diuitiis perire; quàm ab illis explicati superesse. Tales Hebræi, qui de Ægypto fugientes maluerunt vitas suas in periculū adducere, quàm opes, qoas de Ægypto exportauerant, Ægyptiis renuntiare. Suis opibus tenaciter adhæserunt, parum solliciti de periculo, quod eis de illarum retentione proueniret. Si enim illas Ægyptiis remitterent; facilè possent sperare, fore vt cum eis ad pacem & eoneordiam adoittetentor. Sed maior pecuniæ, quàm vitæ amor auaros impulit, vt mallet pecuniam, quàm vitam retinere. Rectè D. Chrys. hom. 6. in Epist. ad Titum: *Quemadmodum*, inquit, *eos qui nudi effugiunt, nemo facilè tenere potest; qui verò vestimenta post se trahit, eum quilibet citò apprehendit: eadem ratione, & diues, & pauper existimandus est. Nam ille quidem, etiamsi capiatur, diffugere facillimè poterit; hic autem, etsi non teneatur, suis compedibus irretitur.* Igitur auari, qui abiiciendo opes, facilè possent vitam conseruare; tamen tenacissimè custodiunt, quamuis vita & salute periclitentur. Imprudentiores planè quàm expertes rationis elephanti. Hi enim, cùm à venatoribus vrgentur, nec euadendi locum nanciscuntur, scientes, totum certamen esse de eburneis dentibus diripiendis; eos, vt loquitur Plin. lib. 8. nat. hist. c. 3. *impactos arbori frangunt, prædáque se redimunt.* Si igitur elephanti dentes suos diffringunt, ne vita spolientur; quæ miseros auaros tenet intemperies, qui pecuniam non abiiciunt, vt vitam tueantur?

Auari malunt incurrere iacturam vitæ, quàm pecuniæ.

D. Chrys.

Auari elephantis imprudentiores.

V. Ægyptij omnem armorum vsum Hebræis in Ægypto commorantibus interdicebant; veriti, ne armati serui in dominorum cædes conspirarent: vt Lyra, Exod. 11. & 13. testatur: exituris tamen de Ægypto, teste eodem Lyra, facilè arma concesserunt; iuxta illud: *Armati ascenderunt filij Israël de terra Ægypti.* Exod. 13. num. 18. vt his armis commodatas sibi opes, si quos fortè in hostes incidissent, tuerentur. Sed quid? Iam tūc Ægyptij non timebant vllam ex Hebræis rebellionem? Timebant quidem, vehementérque timebant, præsertim in ipso exitu de seruitute, in quo serui libertate donati res nouas faciliùs machinarentur, timebant igitur Hebræorum rebellionem: sed vehementiùs formidabant suarum diuitiarum iacturam; si fortasse ab hostibus Hebræos inuadentibus raperentur. Quare suas vitas in discrimen adducebant, vt suas diuitias è discrimine vendicarent: ac si opes, quàm vitas, pretiosiores esse arbitrarentur.

Lyra. *Auari vitas in discrimen adducunt, ne vendāt in discrimen facultates.*

VI. Homicidis capitale supplicium in lege statuebatur, Exod. 21. à n. 12. & passim alibi: vt mortem morte expiarent; & qui ferro perimerent, ferro perirent. Nihilominùs cum domino seruū suum occidente mitiùs agebatur: neque enim ille capite plectebatur. Rationem huius facilitatis reddit ipsa Litera: *Non subiacebit*, inquit, *pœnæ: quia pecunia illius est.* Ibid. n. 21. Vbi Oleaster: *Fuit*, inquit, *hæc lex tam mitis; quia raro quis seruum suum sponte occidit.* Sed, vt clariùs rem exprimā, addo non priuari vita talem homicidam: quia priuabatur pecunia, quā ille sua vita multò habebat chariorem. Ac si non minùs plecteretur, qui sua pecunia, quàm qui sua vita plectebatur. Vnde illa asina Balaami, audiens illas minas à sessore suo dicente: *Vtinam haberem gladium, vt te percuterem:* aptissimè auaro homini respondit: *Nónne animal tuum sum, cui semper sedere consueuisti?* Num. 22. n. 30. Quasi diceret: Vide, qoid feceris. Nam, si me occidis, te ipsum occidis: dum enim meam mihi vitam eripis, tuam tibi eripis pecuniam, quam pro anima geris: & fortasse maius tibi moliris malum; quia gratior tibi est tua pecunia, quàm mihi mea vita.

Non minùs plectitur, qui vita, quā qui pecunia plectitur.

Oleaster.

Qui vel suam occidit, se ipsum occidit.

VII. Iam verò, qui suas opes præferunt suæ vitæ, mirum non est, si eas quoque suo honori anteponant. Qui se olim in Dei obsequium voto consecrabat, poterat, dato pretio, se redimere. Leu. 27. n. 2. At, quo pretio? Illo sanè, quod Deus ipse statuebat, vt patet ex eitato loco; vbi pro diuersitate vouentium, diuersa pretia à Deo in redemptionem eorū decernūtur. Sed, cur non illo, quod ipse vouens assignabat? Optima ratio mihi videtur: qoia, quāuis homines maximo pretio se æstiment, cùm de se cogitant, de se loquuntur: tamen cùm se redimunt, quasi nihili se faciant, vilissimo se cōparant mancipio; vt vno tantùm obolo, vno teruncio redimantur: atqoe adeò quidquid sit de honore, solùm curant, vt pecuniæ consulatur. Ne igitur homines viliùs se ipsos redimerent, quàm valerent; non ab ipsis, sed à Deo ipsorum pretia statuebantur. Vides, vt cùm dignitas & vtilitas veniunt in certamen; huic potiùs, quàm illi victoria deferatur?

Homines nihil honori cōsulunt, vt pecuniæ consulatur.

VIII. Attende vlteriùs aptissimè in hanc rem, quid aliquando cōtigerit Labano? Sororem suam Rebeccam sine vlla mora tradidit seruo Abrahami, deferēdam statim in terram Chanaan, & Patriarchæ Isaac in matrimonium collocandam. Gen. 24. n. 59. At verò filiam suam Rachelem non statim tradidit Iacobo, nepoti eiusdē Abrahami: sed quatuordecim post annos continuæ ac laboriosæ seruitutis. Genes. 29. à oum. 20. Quid ita factum? Nobiliórne erat, aot digoior seruus Abrahæ Eliezer, quàm nepos Abrahæ Iacobus? Neqnaquam. Cur igitur Laban priùs famulo, quàm Domino; priùs alieno homini, quàm sibi cōsanguineo morigeratur? &, quod maius est, hunc seruire cogit, illū honorificè dimittit? Ratio, nisi fallor, illa est: quia Eliezer ditissimus accessit ad Labanum: profectus enim fuerat ex domo Abrahæ cum magno virorum & eamelorum apparatu; &, vt est in Litera: *Ex omnibus bonis eius portans secum.* Gen. 24. n. 10. At verò Iacobus inops, peregrinus & omnium egenus ad Mesopotamiā accessit: quia nihil amplius ex paterna domo dicitur detulisse, quàm paternam benedictionem & paterna mandata, Gen. 28. n. 1. quibus ille pro magno viatico, amplísque muneribus vtebatur. Hinc igitur effectū est, vt huius nobilitas, contemptibilis: illius obscuritas, illustris admodom apud Labanum redderetur. Nam homines auari, non tam sanguinis, quàm auri splendore capiuntur.

Maximus honor pecunioso defertur, nullius egeno.

IX. Hinc etiā est, quòd Laban, maiori beneuolētiæ significa-

significatione seruum Abrahæ exceperit, quā Iacobum: quia hic nihil dederat Racheli; ille verò Rebeccā magnis muneribus donarat. Vnde, *Cum Laban*, inquit Textus, *vidisset inaures, & armillas in manibus sororis suæ: venit ad virum, dixitque ad eum: Ingredere, benedicte Domini. Cur foris stas? Præparaui domum & locum camelis. Et introduxit eum in hospitium, ac distrauit camelos, deditque paleas, & fœnum, & aquam ad lauandos pedes eius & virorum, qui venerant cum eo. Et appositus est in conspectu eius panis*. Gen. 24. à n. 30. Vnde hæc tam eximia amoris significatio? Credo ex eo, quòd videtat inaures & armillas in manibus sororis suæ; quas, cùm non vidisset in manibus Rachelis filiæ suæ, minorem erga Iacobum beneuolentiam exhibuit: quia non tam hospitis honorem, quàm filiæ suæ lucrum spectauit.

Homines munera sūmo honore prosequūtur.

X. Tandem, qui suas opes chariores habent, quàm vitam & honorem, quæ sunt duo ex bonis temporalibus longè maxima; quid mirum, si eas multò charius quàm omnia externa bona prosequantur? Non sine mysterio Christus Dominus: *Et omnis*, inquit, *qui reliquerit domū, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet*, &c. Matth. 19. n. 29. Vbi in serie relinquendorum vltimo loco posuit, *Agros*, quorum nomine omnes diuitias comprehendit. Diuitias igitur postremas nominat: quia in his relinquendis, maior, quàm in cæteris omnibus repudiandis, difficultas reperitur. Sicut enim præ cæteris chariùs amantur: ita præ cæteris difficiliùs relinquuntur. Itaque cupidi homines nihil magis quàm emolumenta temporalia attendunt: præ his non solùm bona spiritualia; sed etiam vitam, honorem, cæteráque externa bona facilè aspernantur.

Bona temporalia cæteris difficiliùs relinquuntur.

XI. Quid his peccatoribus insanius, qui faciunt pecunias suas pretiosiores, quā se: & potiùs suam vitam & suum honorem, immò & suam conscientiam, quàm suam pecuniam perire patiuntur. Talis quōdam Achitophel, qui se præcipitem in barathrū acturus, priùs nihilominùs suis opibus ac facultatibus prouidit: *Porrò Achitophel*, inquit Textus, *abiit in domum suam, & in ciuitatem suam, & disposita domo sua, suspensus interiit*. 2. Reg. 17. num. 23. Quasi mallet, suum corpus in malam crucem, & suam mentem in æternum chaos præcipitare; quàm suas opes & facultates relinquere incustoditas. Talis profectò & Iudas sceleratissimus ille proditor; qui priùs *retulit triginta argenteos*, pro quibus suum tradiderat præceptorem, Matth. 27. num. 3. ne illa pecuniæ summa deperiret: tum demum amens abiit se perditum; & *laqueo se suspendit*. Ibid. n. 5. Suam quidem pecuniam in tuto reponi voluit: suam verò & vitam, & honorem, & conscientiam in extremum exitium deturbauit. Et vlteriùs obserua, miserum proditorem suam quidem pecuniam in templo collocasse, suam verò animam in barathrum deiecisse; iuxta illud: *Et proiectis argenteis in templo, recessit*, &c. Quasi optimum suæ pecuniæ locum statueret: seipsum verò ad profanum atque infamem relegaret. Quod Drogo Ostiensis lib. 1. De passione Domini, eleganter expendens: *Vide*, inquit, *quàm magni ponderabat argenteos. Non proiecit eos in sterquilinio, sed in templo*. Et paulò pòst: *Ecce infelix qualiter excæcatus est: Maluit se ipsum perdere, quàm denarios perire: denarios templo, se ipsum laqueo addixit*. Quid amentius esse potuit, & insanius?

Diuitum insania, qui faciūt opes suas pretiosiores, quam se.

Diuites pecuniā in tēplo collocant, animam in inferno.

Drogo.

XII. Insanitis profectò diuites, insanitis, qui pecuniam omnibus nominibus execrandam; omnibus

Pecunia multis nominibus execranda.

A tamen studiis & affectibus diligitis & vestigatis. Dicite, quæso, quid pecunia sordidius & abiectius? Luto illam comparat Propheta: *Væ*, inquit, *ei, qui multiplicat non sua: vsquequo & aggrauat contra se densum lutum?* Abacuc 2. num. 6. Neque enim magis corpus luto, quàm animus auro inquinatur. Vnde D. Gregorius lib. 34. Moral. c. 8. *Denso*, inquit, *luto se aggrauat, qui per auaritiam terrena multiplicans, peccati sui se oppressione coangustat*. Et magna cum emphasi, *densum lutum*, appellat: tum, quia hoc pertinaciùs adhæret, & multò ægriùs eluitur: tum, quia, qui in hoc incidit, difficiliùs emergit; luti eum densitate cōstringente. Non secùs & diuitiæ miseros auaros turpissimè deformant, & tenacissimè constringunt; B ne ab earum maculis eluantur, & ab earum vinculis enodentur. Libens igitur Diabolus captandis religaudisque hominibus, *Substernit aurum, quasi lutum*. Iob 41. n. 21. Vt qui ad aurum properant, in luto defixi remorentur: & qui auro se exornant, luto inquinatos se experiantur. Quid pecunia fallacius & insidiosius? Certè D. Gregorius Nazianzenus in carmine 3. Iambico ad Seleucum, pecuniam comparat meretrici; quæ profectò est plena insidiarum officina, & fraudum calumniarúmque profundissima vorago:

Sordida.

D. Greg.

Fallax.

D. Gregor. Naz.

Pecunia, meretrix.

——— Census solet
Mentes auaras ludere, atque illis modò
Fauere, nunc his rursus: insida sequens
Meretricis astus, quæ procos fallax suos,
C *Hunc hoc, & illum dispari ludit modo.*

Ita planè & diuitiæ nunc his, nunc illis blandiuntur & adulantur: sed tandem hos atque illos deserunt & illudunt. Non dissimili metaphora vtitur Diuus Chrysostomus homil. de nomine Abraham, in primo tomo, vbi pecuniam vocat, *Transfugam*; quòd ab vno in alium per summam perfidiam transferatur: *Quid*, inquit, *infidelius diuitiis, quæ sæpè nec vsque ad vesperā nobiscum permanent; sed, sicut ingratus transfuga ab hoc ad illum, & ab illo ad alium subinde transeunt?* Consentit Diuus Basilius in epistola ad Chilonem, vbi aurum vocat *blandissimum animæ insidiatorem, parentem peccati, ac Diaboli administrum*. Quid pecunia monstrosius? Certè nulla fera, nulla hydra terri- D bilior. Festiuum est, quod olim Rex Pyrrhus excogitauit ad Fabricium Romanum Ducem perterrendum. Elephantum vasta corporis mole spectabilem, & immani quadam proboscide terribilem, quem nunquàm anteà Fabricius conspexerat, eidem nihil tale cogitanti, subitò obiiciendum curauit. Quid verò Fabricius? Rem eleganter cecinit idem D. Greg. Naz. in carmine iambico 18. de virtute.

D. Chryf.

Pecunia, transfuga.

D Basil.

Pecunia, mōstrum.

Fabricius pecuniæ contemptor.

D. Greg.

Non tremuit: hilari verba sed fronte hæc dedit:
Non me antè nummus, nec modò vicit fera.

Quasi diceret: Pecunia, monstrum quoddam est, multò truculentius quàm hæc fera. Si ego igitur ab ineunte ætate illius belluæ truculentiam con- E tempsi; quid modò ad huius belluæ conspectum multò mitioris expauescam? Nihilo mitiores sunt illæ belluæ, quibus D. Chrysostomus hom. 14. de auaritia, diuitias cōparauit: *Leones*, inquit, *vrsique dum includuntur coërcentúrque in tenebras, erigunt animos, acuúntque iras. Itidem & diuitiæ: dum includuntur & defodiūtur, acriùs rugiunt quàm leones, perturbantq; omnia*. Potiùs igitur est, vt tā dira mōstra iugulentur; quàm intra domesticas ædes grassari permittantur. Quid pecunia grauius & ponderosius? Certè Publicanus hac grauatus stare non poterat, sed sedere: iuxta illud: *Vidit hominē sedentem*

D. Chryf.

Pecunia grauat.

Pecunia stare nequit.

D Petrus Chrysol.

in telonio. Matth. 9. n. 9. Vbi Diuus Petrus Chrysologus serm. 29. *Sedebas vtique, quia stare non poteras, pondere cupiditatis oppressus, & ipsa totus conscientia fraudis incuruus. Aurum natura graue, grauius fit auaritia nimis. Hinc est, quòd plus habentem deprimit, quàm ferentem; & vehementiùs aggrauat corda, quàm corpora. Nascitur in terra profunda: pérque ima venarum cæcis discurrit anfractibus; & dum suam semper repetit ad naturam, cælestes animos ad inferna deponit.* Contrà verò Zachæus, vbi animum à terrenis opibus exonerauit, stare dicitur: *Stans*, inquit, *Zacheus, dixit ad Iesum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* Luc. 19. num. 8. Vbi rursus idem Diuus

D. Petrus Chrysol.

Petrus Chrysologus serm. 54. *Vides*, inquit, *quomodo erectus est, qui iacebat. Iacemus in vitiis, & iacemus oppressi: stamus, cùm bonis operibus erigimur ad profectum.* Vbi planè loquitur de iis, qui in vitiis & in diuitiis iacent, & ab vtrisque eriguntur.

XIII Denique quid pecunia asperius, immò crudelius? Tam aspera quidem est, vt spinis pungentibus & lacerantibus comparetur. Vnde Diuus

D. Chrys.

Chrysostumus hom. 23. in Ioannem. *Christus*, inquit, *diuitiarum fraudes, spinas appellat. Et meritò. Nam quemadmodum spinæ steriles sunt; ita & diuitiæ: quemadmodum illæ, cùm tanguntur, lacerant; ita harum cupiditas: quemadmodum illæ facilè igni comprehenduntur, & odio habentur agricolis; ita huius seculi negotia. Postremò, vt inter spinas fera, vipera,* A *scorpij delitescunt: ita in fraudibus diuitiarum.* Idem

D. Chrys.

Diuus Chrysostomus homil. 3. in 2. Epistol. ad Thessal. *Spinæ*, inquit, *sunt diuitiæ, nullum afferentes fructum, & aspectu deformes, & vsu iniucundæ, lædentes eos, à quibus contingumtur: non solùm ipsæ fructum non habentes, sed & nascentem fructum impedientes.* Vbi plures prosequitur spinarum diuitiarúmque similitudines. Tam crudelis autem pecunia est, vt gladio comparetur, non semel, sed sæpiùs vulneranti eum ipsum, à quo portatur.

D. Chrys.

Ita Diuus Chrysostomus orat. De auaritia, in 5. Tom. *Quod*, inquit, *furenti gladius est, hoc cupido diuitiarum: immò verò longè acerbius quiddam. Nam is qui furit, accepto & adacto sibi gladio, furore sese liberat;* B *& alteram plagam non accipit: cupidus verò dena millena vulnera grauiora quotidie accipit; non liberans sese furore, sed intēsiorem eum efficiens.* Idem Chrys. in Psal. 48. *Diuitiæ*, inquit, *sunt tortore acerbiores: tortor enim corpus vincit, diuitiæ animum vinciunt.* Parum est vincire. Pergunt vlteriùs: pungunt, vellicant, lacerant, excruciant, & omnibus tormentorum generibus affligunt. Quis igitur pecuniam tam multis nominibus perniciosam non execratur? Insaniunt ergo, qui illam nihilominùs toto corde amplectuntur. Et planè insanierunt Philisthini; qui leuiùs corporum vulnera, quàm diuitiarum damna tolerarunt. Sed de hac re, quæ latissima est, dicendi occasio sæpissimè redibit. Interim ad Cap. 6.



LIBER

LIBER PRIMVS REGVM.

CAPVT SEXTVM.

1. FVIT ergo Arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus.
2. Et vocauerunt Philisthiim Sacerdotes & Diuinos, dicentes: Quid faciemus de Arca Domini? Indicate nobis, quomodo remittamus eam in locum suum? Qui dixerunt:
3. Si remittitis Arcam Dei Israël, nolite dimittere eam vacuam: sed quod debetis, reddite ei pro peccato, & tunc curabimini: & scietis, quare non recedat manus eius à vobis.
4. Qui dixerunt: Quid est, quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderúntque illi:
5. Iuxta numerum prouinciarum Philisthinorum, quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga vna fuit omnibus vobis, & Satrapis vestris. Facietísque similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium, qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israël gloriam: si fortè releuet manum suam à vobis, & à diis vestris, & à terra vestra.
6. Quare aggrauatis corda vestra, sicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor suum? nónne postquàm percussus est, tunc dimisit eos, & abierunt?
7. Nunc ergo arripite, & facite plaustrum nouum vnum; & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi.
8. Tolletísque Arcam Domini, & ponetis in plaustro: & vasa aurea, quæ exoluistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus eius: & dimittite eam, vt vadat.
9. Et aspicietis: & si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames, ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem minimè: sciemus, quia nequaquàm manus eius tetigit nos, sed casu accidit.
10. Fecerunt ergo illi hoc modo: & tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulósque earum concluserunt domi.
11. Et posuerunt Arcam Dei super plaustrum, & capsellam, quæ habebat mures aureos, & similitudines anorum.
12. Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames, & itinere vno gradiebantur, pergentes & mugientes: & non declinabant neque ad dextram, neque ad sinistram: sed & Satrapæ Philisthiim sequebantur vsque ad terminos Bethsames.
13. Porrò Bethsamitæ metebant triticum in valle: & eleuantes oculos suos, viderunt Arcam, & gauisi sunt, cùm vidissent.
14. Et plaustrum venit in agrum Iosue Bethsamitæ, & stetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri, vaccásque imposuerunt super ea holocaustum Domino.
15. Leuitæ autem deposuerunt Arcam Dei, & capsellam, quæ erat iuxta eam, in qua erant vasa aurea, & posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die illa Domino.
16. Et quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt, & reuersi sunt in Accaron in die illa.
17. Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto, Domino: Azotus vnum, Gaza vnum, Ascalon vnum, Geth vnum, Accaron vnum.
18. Et mures aureos secundùm numerum vrbium Philisthiim, quinque prouinciarum, ab vrbe murata, vsque ad villam, quæ erat absque muro, & vsque ad Abelmagnum, super quem posuerunt Arcam Domini, quæ erat vsque in illū diē in agro Iosue Bethsamitis.
19. Percussit autem de viris Bethsamiribus, eò quòd vidissent Arcam Domini: & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxítque populus, eò quòd Dominus percussisset plebem plaga magna.
20. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? & ad quem ascendet à nobis?
21. Miserúntque nuncios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philisthiim Arcam Domini, descendite, & reducite eam ad vos.



CAPITIS SEXTI

ARGVMENTVM.



BIPARTITVM est hoc Caput. In priori parte restituitur Arca à Philisthinis. In posteriori excipitur à Bethsamitis. In vtraque sunt multa ad Literam minutiùs exigenda: neque pauciora ad mores vberiùs illustranda.

Num. I. Fuit ergo Arca Domini in regione Philisthinorum, septem mensibus.

EXPOSITIO LITERÆ.

Theod. De loco, in quo Arca mansit, dua sententia proponuntur.

I. FVit ergo, &c. Duplex est difficultas: vna de loco: altera de tempore, quo Arca mansit apud Philisthinos. Quod attinet ad priorem, Septuaginta vertunt: *Et fuit Arca Domini ἐν ἀγρῷ, in agro Philisthinorum.* Quod Theodoretus quæst. 13. sic interpretatur: *Cum, inquit, nulla ciuitas auderet Arcam excipere, eam foris reliquerunt sub dio. Sic enim docuit Historiographus: Fuit enim, inquit, Arca Domini in agro alienigenarum, menses septem. Postquam autem existimarunt, foris manente Arca, se esse liberatos à plagis à Deo immissis; intulit Deus supplicia etiam rebus inanimis. Immisit enim murium multitudinem in vites & segetes, qui omnes eorum fructus perdiderunt.* Ita Theodoretus, cui Procop. assentitur: *Cum*, inquit, *nullam ex oppidis Arcam recipere auderet; eam extra oppida sub dio reliquerunt: sic rati, se posse malis liberari: quamobrem Domino ipsos castigante, etiam frugum terræ penuria mulctati sunt.* Vbi duo asserunt, & Arcam ab vrbibus exclusam, in agris relictam esse: & plagam murium, segetúmve sterilitatem in huius sceleris vindictam inflictam fuisse.

Procop.

Dua superiores sententia explicantur.

II. Sed vtrunque aliqua explicatione indiget, vt verum censeatur. Illud prius verum erit, si sensus sit, Arcam non mansisse totos septem menses in agris; sed interim, dum cõsilium de illa remittenda inter Sacerdotes ac Diuinos peragebatur. Itaque apud Philisthinos fuit; partim in vrbibus, ad quas primùm recipiebatur; partim in agris, ad quos tandem, vrbibus eam excludentibus, relegata est: vt nihil interim dicam de viis, per quas ferebatur. De hoc posteriori loco Septuaginta loquuntur, transferentes: *Fuit in agro.* De illo priori Chaldæus transferens: *Fuit in vrbibus.* Vtrunque complectitur Latinus transferens: *Fuit in regione*, quæ est agris & vrbibus communis. Quin etiam in Hebræo vterque locus significatur illa voce שדה *Sadeh*, quæ, vt notat Pagninus in Thesauro, agrum & regionem significat. Et hoc modo intelligendus est Diuus Chrysostom. ad illa verba: *Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis syluæ.* Psal. 131. num. 6. asserens, Arcam locum loco mutãtem, *vbique in agris & campis oberrasse.* Ita enim nominat agros, & campos, in quibus Arca fuerit, vt non excludat vrbes, in quibus morata est. Immò eas non obscurè innuit, dum ait: *Arcam locum loco mutantem, vbique oberrasse.* Illa enim multiplex locorum mutatio, & vniuersalis vbique commoratio satis apertè indicat Arcam etiam in vrbibus commo-

Pagn. Explicatur. D. Chrys.

Lex euangelica vbique prædicanda.

tatam; in quo euangelica lex figurabatur, non vno tantùm in loco includenda, sed ad omnes Gentium nationes deportanda.

Theod. Procop. Quo tempore inceperit plaga murii, explanatur.

III. Iam verò illud posterius, quod Theodoret. & Procopius asserunt, nempe, plagam murium contigisse in vindictam eius criminis, quo Arcam ab vrbibus exclusam, in agro reliquerunt: hoc, inquam, vt verum sit, sensus esse debet, plagam murium non incœpisse tunc primùm, cùm Arca extra vrbes in agro relicta est; sed iam antea inchoatam, etiam tunc perseuerasse, & fortasse excreuisse. Et sic intelligendi sunt Septuaginta in Bibliis Sixtianis, addentes: *Et efferbuit terra eorum mures.* Non enim de prima, sed de continuata, & fortasse aucta murium productione loquuntur. Quæ quidem continuatio & accretio murium decerni à Deo potuit, ad puniendam non solùm contumaciam Philisthinorum, Arcam retinentium; sed etiam irreuerentiam eorundem, Arcam in agro sub dio collocantium. Illud verò est discriminis in hac plaga explicanda inter Theodoretum, & Procopium citatos: quòd Theodoretus mentionem faciat murium vineas & segetes demolientium: Procopius autem solùm faciat mentionem penuriæ fructuum, nihil de muribus addendo; siue significet eam penuriam, nõ aliter, quàm per murium morsus & corrosiones contigisse: siue per alios quoque pestiferos cæli afflatus, sterilitatem inducentes. Et quidem verò dissimile non est, agrorum fructus non solùm à muribus corrosos; sed etiam de cælo lethaliter afflatos emarcuisse, vt terra pariter ac cælum in Philisthinos coniurasse viderentur.

Discrimen inter superiores sententias assignatur

Opinio Abulensis de tẽpore, quo Arca mansit apud Philisthinos. Abul.

IV. *Septem mensibus.* Quod attinet ad posteriorem difficultatem: Septimestre fuit totum temporis spatium, quo Arca apud Philisthinos permansit, partim intrà vrbes admissa, partim per vias deducta, partim ad agros relegata: quamuis quantùm tẽporis in singulis locis morata fuerit, ignoretur. Sed quæres, quinã fuerint hi menses? Abul. q. 3. existimat hos menses numerandos esse ab Octobri, vel Nouembri, vsque ad Aprilem, vel Maium. Probat: quia Arca venit in agrum Bethsamiticum tempore messis triticeæ, vt paulò inferiùs n. 13. habetur: atqui messis triticea apud Philisthinos incidit in Aprilem exeũtem, vel Maium appetentem: ergo inde retrouersum septem menses numerando ab Octobri, vel Nouembri, hæc mensium summa inchoatur: ac proinde prædictis terminis hoc temporis spatium continetur.

Abulensis opinio approbatur. Abul.

V. Probabilis est collectio, dummodò nimis strictè non accipiatur. Nam tempus messis in terra Chanaan, teste eodem Abul. in c. 8. Gen. ad finem, duobus mẽsibus includitur, & inchoatur à primo mense Nisan, hoc est, à Martio iam adulto: vt patet, quia Arca dicitur transisse Iordanem tempore messis. Ios. 3. n. 15. & rursus c. 4. seq. n. 19. dicitur de Iordane ascendisse, decima die mensis primi, seu mensis Martij. Ergo in hunc mensem tempus messis incidebat. Vnde Israëlitæ decimaquinta die eiusdem mensis Martij dicuntur nouas fruges comedisse. Ios. 5. num. 11. Et propterea mensis primus, seu Martius, quo filij Israel, Num. 33. n. 3. dicuntur exiisse de Ægypto, appellatur mensis nouarum frugum. Exod. 13. n. 4. & Deuter. 16. n. 1. Ac tandem in festum Azymorum, quod in mensem Martium incidebat, manipulus nouarum frugum Domino offerebatur. Leuit. 23. à n. 6. Itaque Martius in terra Chanaan, iam erat tempus messis: vt docet D. Aug. q. 3. in Iosuë ad finem; & latiùs confirmat Suar. tom. 2. in 3. part. Disp.

D. Augẽst. Serar. Torniel. Confirmatur authoritate Patrum.

Disp. 30. Sect. 3. Seratius in c. 3. Iosuę q. 5. August. Tornielus anno Mundi 2544. num. 8. & 10. & anno 2584. n. 1. & anno 2939. n. 1. Nec mirum, cùm illa regio sit calidior, quàm nostra, vtpote vicinior Æquatori: nam nostra in altitudine graduum circiter quadraginta; illa in altitudine graduum triginta duorum tantùm sita est: vt Abul. in c. 3. Iosuę, c. 35. testatur. Quare, dum Arca dicitur in hoc cap. venisse in agrum Bethsamiticum tempore messis triticeæ, venire potuit mense Maio, vel Aprili, vel Martio, & ab vnoquoque eorum potuerunt illi septem menses retrouersum numerari. — *Abul.*

VI. Quòd si obiicias, mensem Martium, in quo Christus Dominus passus est, in Palæsthina frigidum esse: vt patet ex euangelica historia, Luc. 22. num. 55. & Ioan. 18. num. 18. vtrobique enim Petrus & ministri Pontificis dicuntur esse *ad prunas*, seu, *ad lumen*, calefacientes se, *quia frigus erat*: proindéque non posse in eum incidere messem, quæ tempus postulat æstuosum. Facilè respondet D. Ambr. in locum Lucæ citatum: *Si tempus*, inquit, *consideremus, frigus esse non poterat. Sed frigus erat, vbi Iesus non agnoscebatur; vbi non erat, qui lucem videret; vbi negabatur ignis consumens. Frigus ergo erat mentis, non corporis.* Similiter respondet Eusebius Cæsariensis lib. 10. De præparat. euang. cap. 7. vbi adducens citata Euangelij loca, de frigore in tempore passionis Dominicæ, explicansque de eodem frigore illud oraculum: *In die illa non erit lux, sed frigus & gelu.* Zach. 14. num. 6. docet: *Cùm Iudæi recessissent à luce, & eos obscura nox occupasset; eò quòd illuminatio euangelica radios suos in corde ipsorum non immitteret; refrigeratam ipsorum erga Deum charitatem.* Accedit D. Greg. lib. 2. Moral. c. 2. vbi expendens, cur Euangelista quandam Christi Domini ad Iudæos concionem narraturus, præmiserit: *Et hyems erat.* Ioan. 10. num. 22. subdit; *Idcirco ergo hyemis curauit tempus exprimere, vt inesse auditorum cordibus malitiæ frigus indicaret.* Et statim hoc animorum frigus, ex illo, quod in Dominicæ passionis tempore fuisse dicitur, illustrans, *Hinc est*, inquit, *quod de negaturo Petro præmittitur: Quia frigus erat, & stans ad prunas calefaciebat se. Iam namque intus à charitatis calore torpuerat, & ad amorem præsentis vitæ, quasi ad persequutorum prunas, infirmitate æstuante, recalebat.* Eandem responsionem aliqua ex parte insinuat D. Bern. serm. 1. de verbis Isaiæ.

Obiectio quædam diluitur. — *D. Ambr.* — *Vbi Christus nō agnoscitur frigus est.* — *Euseb.* — *Vbi non est lux euangelica, frigescit Dei charitas.* — *D. Greg.* — *Vbi malitia, ibi frigus.* — *D. Bern.*

VII. Sed quis non videt, hanc responsionem esse mysticam? Nam Petrus, cæterique ministri non accedebant ad prunas in remedium interni frigoris, quod externo igne non pellitur, sed externi, quod proinde reuerâ patiebantur. Simile mysterium excogitauit D. Ambros. lib. 8. in Luc. cap. 17. in illis verbis Apostoli: *Apud vos*, inquit, *forsitan manebo, vel etiam hyemabo.* Et paulò pòst: *Permanebo autem Ephesi vsque ad Pentecostem.* 1. Cor. 16. n. 7. & 8. Vbi inquirens, cur Apostolus hybernum tempus apud Corinthios, vernum apud Ephesios traducat; mysticè sine dubio respondet: *Apud Corinthios*, inquit, *hyemem agit, quorum erroribus angebatur; quòd eorum circa cultum frigeret affectus. Cùm Ephesiis Pentecosten celebrat, atque his tradit mysteria, relaxat animum; quia fides cernebat ardore feruentes.* Optima quidem responsio ad mores. Nam impij & peccatores internum quoddam frigus hyemali simile & atrocius patiuntur: quo non solùm torquentur, sed etiam à bonis actionibus retardantur. Et qui inter eos viuunt iusti, sibi videntur, hyemem quandam agere procellosam: quot eorum vident praua opera, tot de cœlo fulminibus vulnerantur. Contra verò iusti cœlesti quodam calore fouentur & nutriuntur, quasi verna quadam temperie perfruantur: & qui eorum consortio vtuntur, geniales quosdam dies vere nouo lætiores sibi agere videntur. Optimè quidem hæc omnia, sed mysticè. Ad Literam respondeo, tempus messis suam habere trium mensium latitudinem, in qua inchoatur, progreditur & completur. Et quamuis sub eius medium ac finem, maiores vigeant æstus, sub eius tamen initium leuiores afflare autas, ex quibus aliquando frigus consequatur: præsertim, si cælum, vt sæpè fit, aliqua intemperie perturbetur: quod naturaliter sæpè accidit: & mirum non est in passione Christi Domini transnaturaliter contigisse. Nam, si Sol meridiana luce conspicuus nocturnas se condidit in tenebras: quid mirum, si vernus calor hyemale se in frigus commutarit?

Proponitur dubium. — *D. Ambr.* — *Iniustis hyemali frigore torpent, iusti verna temperie fruuntur.* — *Superius dubium exponitur.*

VIII. Si quæras vlteriùs: cur Arca tandiu permanserit apud Philisthinos? Respondeo ad Literam: Quia peccatores, quales erant Philisthini, ad restituendā debita difficilè adducuntur: vt paulò inferiùs, num. 6. paucis illustrabo. Mysticè respondeo cum D. Gregorio, Beda & Hugone Victorino, septem menses, qui plenam temporis vniuersitatem significant, permansisse Arcam Domini apud Philisthinos, etiam clamantes: *Non maneat Arca Dei apud nos.* Vt significaretur lex Euangelica, etiam inuitis tyrannis, eámque abolere cupientibus, apud Gentes, vsque ad finem seculi permansura. Quamuis in eo sit discrimen, quòd Arca apud Philisthinos victa iacebat: lex autem euangelica apud Gentes victrix permanebit & triumphabit.

Homines ad restituendum difficile adducuntur. — *D. Greg.* — *Beda.* — *Hugo. Vict.* — *Lex noua etiā inuitis Tyrānis semper victrix permanebit.*

Num. 11. Et vocauerunt Philisthiim Sacerdotes & Diuinos, dicentes: Quid faciemus de Arca Domini? Indicate nobis, quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. ET *vocauerunt Sacerdotes.* Hæc est tertia & vltima Philisthinorum circa Arcam consultatio: ad quam, vtpote grauissimam, grauissimos Consultores accersi oportebat. Igitur communi omnium consensu euocantur Sacerdotes ac Diuini. Sacerdotes quidem triplici de causa. Vna, quia horum magna erat apud omnes Ethnicos auctoritas: vt singulos percurrenti facilè patebit. Nam apud æthyopes, teste Strabone, lib. 17. Geographiæ, Sacerdotum arbitrio Reges creabantur ac deponebantur. Apud Ægyptios, vt testetur Ælianus lib. 14. c. 34. Sacerdotes iudicabant, seu ius ad publicas ac priuatas lites dirimendas definiendásque habebant. Apud Persas, vt auctor est Eusebius in suo Chronico, regnabant Sacerdotes; nemo ad regnum, nisi pariter ad sacerdotium euehebatur. Apud Athenienses in Areopago, vt colligitur ex Iosepho libro 14. Antiq. cap. 16. ius dicebant Sacerdotes, & summus omnium Sacerdos cæteris præsidebat. Apud Gallos, auctore Cæsare lib. 6. De bello Gallico, Sacerdotes, qui Druydæ dicebantur, publicas ac priuatas causas, ciuiles & capitales dirimebant. Tandem apud Romanos, vt docet Tullius lib. 2. De legibus, magna potestate Sacerdotes fungebātur. Quæ omnia refert Baronius tom. 1. anno Christi Domini 57. pag. 435. in editione Romana, qua vtor: & plura

Magna apud omnes nationes Sacerdotum authoritas. — *Strab.* — *Ælian.* — *Euseb.* — *Ioseph.* — *Cæsar.* — *Tul.* — *Baron.*

& plura apud Antonium de Molina tract. 1. De dignitate sacerdotali, cap. 1. inuenientur.

II. Altera, quia de Sacerdotibus magna erat apud omnes opinio sanctitatis. Vnde apud Romanos, teste Plutarcho in problematis, nunquàm Sacerdotes in iudiciis ad iurandum cogebantur, sed tantùm ad simpliciter asserendum, etiam in causis, in quibus aliorum testium iusiurandum exigebatur: ac si non minùs vera loqui Sacerdotes crederentur, cùm simpliciter affirmabant; quam alij, cùm iurabant. Æthyopes verò, vt refert Piet. in Hieroglyphicis lib. 20. tantùm Sacerdotibus tribuebant, vt, si cui Sacerdotes denuntiarent, eius vitam Deo ingratam esse & inuisam, ipse sibi statim mortem inferret, non aliter accipiens Sacerdotis dicta, quàm si ab ipso Deo coràm & palàm loquente proferrentur. Iam verò in sacris Literis pretiosum ex variis aromatibus vnguentum confici à Deo iubebatur, ad vngendos & inaugurandos Sacerdotes: *Facies*, inquit Deus, *vnctionis oleum sanctum, vnguentum compositum opere vnguentarij: Aaron & filios eius vnges, sanctificabisque eos, vt sacerdotio fungantur mihi.* Exod. 30. à num. 25. Sed statim additur illa diuina prohibitio: *Caro hominis non vngetur ex eo.* Ibidem, num. 32. Pugnantia hæc alicui non immeritò videbuntur. Nam, si paulò antè vngi illo oleo, seu oblini illo vnguento Sacerdos iubebatur, quo pacto prohibitum fuit paulò pòst, ne illo caro hominis vngeretur? An Sacerdos humanã exuisse carnem, & Angelicum induisse spiritum credebatur. Ita planè, dicet aliquis, vt eximiam Sacerdotis sanctitatem hyperbolicè commendet. Nec multò aliter Lyranus interpretatur: *Caro*, inquit, *hominis non vngetur, exceptis Regibus & Sacerdotibus, qui quantùm ad officium, sunt supra homines, quia medij sunt intra Deum & populum.* Vbi ostendit, Sacerdotes non solùm Regibus, sed etiam Angelis exæquatos: Regibus quidem, quia eodem vtrique oleo vngebantur: Angelis verò, quia eádem corporis mole vtrique censebantur exuti; ac si omninò obtinerent parem cum Angelis sanctitatem.

Plut. Quanta olim Sacerdotibus fides habebatur.

Piet.

Eximia esse debet Sacerdotum sanctitas.

Lyran.

Sacerdotes nõ Regibus modò, sed Angelis etiam adæquantur.

III. Tertia tandem: quia Sacerdotes cæteris hominibus sapientiores credebantur; præsertim in rebus sacris, de quibus hoc loco agebatur. Vnde olim Iosephus emit totam terram Ægypti: *Præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis: quibus & statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur.* Gen. 47. num. 22. Sed, cur Sacerdotibus tam diligenter à Rege prouidebatur? Respondet Lyranus. *Erant enim, inquit, deputati ad cultum Deorum illius populi, & ad studium scientiarum speculatiuarum. His autem, qui sunt deputati diuino cultui & studio, debet de victu ab his, qui habent curam regendæ communitatis prouideri.* Cùm igitur Sacerdotes ab aliis negotiis soluti, ceremoniis sacris & literariis studiis impensiùs quàm cæteri homines vacarent, necesse erat, vt illis in vtraque facultate prælucerent; ad eósque instruendos maiori sapientia vterentur. Quamuis D. Chrys. lib. 6. De sacerdotio, in Christiano Sacerdote non solùm rerum cælestium, sed etiam temporalium scientiam requirat: dummodò ad res temporales disponendas sola consilia præstet; ad cælestes verò assequendas omnia studia impendat: *Secularia*, inquit, *mundanáque omnia nihilominùs noscat, quàm norum ij, qui in media hominum turba versantur. Rursus verò omnium mundanarum securior viuat, quàm Monachi ij, qui montes ipsos habitandos occuparunt.* Scilicet, ita debent esse Sacerdotes ambidextri, vt cùm res externas agunt, ad spirituale animarum lucrum, & totius Ecclesiæ bonum pertinentes; tantam ha-

Sacerdotes cæteris sapientiores credebantur.

Lyran.

D. Chrys.

Sacerdotes & temporalium scientiam & spiritualium habere debent.

A beant rerum temporalium peritiam, vt in medio foro habitare videantur: dum autem soli Deo contemplando vacant, eiúsque spiritualibus deliciis pascuntur, sic à foro & à vulgo exulent, vt in abdita & inuia solitudine delitescere existimentur. Cùm igitur hæc tria, auctoritas, virtus, & doctrina in Sacerdotibus maximè excellant, eáque omnia bonis consiliis præstandis præcipuè conducant; meritò Philisthini ad hanc consultationem, cuius magnum erat momentum, Sacerdotes euocarunt, vt illorum arbitrio optima rebus agendis definitio poneretur.

Et Diuinos, &c. Euocarunt etiam Diuinos; ita dictos, vel per antiphrasim, seu contrarium sensum, vt Orig. hom. 16. in Num. testatur, quasi B minimè Diuinos; sicut lucus dicitur, quia minimè lucet; & Parcæ, quia minimè parcunt: vel quia res futuras prædicebant, seu potiùs prædicere simulabant. Neque enim verè prædiuinare poterant, qui à diuinitate longissimè recedebant. Nam, vt bene Origen. lib. 6. contra Celsum: *Character*, inquit, *diuini sermonis est prædictio futurorum.* Hoc est, nihil apertiùs diuinitatem, quàm diuinatio indicat ac testatur. Accedit Tertullianus, qui in Apologet. cap. 20. *Idoneum*, inquit, *opinor testimonium diuinitatis, veritas diuinationis.* Nam, vbi vera prædiuinantur; ibi fine dubio aliquis diuinitatis afflatus & instinctus operatur. Vnde ipsi Dæmones, vt paulò pòst refert Tertul. cap. 22. *Æmulantur*, inquit, *diuinitatem, dum furantur diuinationem.* C Ac si diuinitas & diuinatio tam sint indiuisæ comites, vt nunquàm ab inuicem separentur; sed vna ex altera certissimè colligatur. Hinc est illud propheticum: *Annuntiate, quæ ventura sunt in futurum; & sciemus, quia Dij estis vos.* Isai. 41. n. 23. Quasi eo ipso, quòd quis futura prædiuinat, in diuinum ordinem translatus censeatur. Vnde ipse Tertul. lib. De anima, cap. 26. *Diuinior*, inquit, *Moyses, qui decursus generis humani ab exordio Mundi per singulas natiuitates, nominatim, temporatimq́; digessit; satis probans diuinitatem operis ex diuinatione vocis.* Concinit Iustinus Martyr ad Orthodoxos in responsione ad q. 146. *Dij gentium*, inquit, *sicut absunt à vera diuinitate, sic etiam à prænotione rerum futurarum.* Id etiam alij Patres apud D Suar. tom. 1. De Religione, tract. 3. lib. 2. cap. 8. testantur.

IV. *Orig. Diuini olim quo modo appellarentur.*

Orig.

Diuinatio maximum diuinitatis indicium.

Tert.

Dæmones diuinitatis amulatores.

Tert. Qui futura prædicit, in diuinum ordinem transfertur.

Iustin.

Suar.

Igitur malefici homines & aruspices, vt diuinitatem quandam venditarent, à qua Diuini dicerentur, diuinationem simulabant, prædicentes ea, quæ sibi Dæmones suggerebant; aliquando quidem vera, vel casu, vel ita Deo ob peculiarem rationem prouidente, vt infrà obseruabo; frequentissimè tamen falsa: neque enim Diabolus veritatem perpetuò loqui potest, qui *in veritate non stetit.* Ioan. 8. num. 44. Quamuis ille, vt aliquo veritatis fuco sua mendacia coloret, perplexè & ambiguè loquatur; vt in vtramuis partem res contingat, ipse euadat; nec mendacij conuictus teneatur: vt Eusеb. lib. 6. De præpar. euang. c. 10. Socrat. E lib. 4. Histor. eccles. cap. 15. & alij, quos refert Delrio lib. 4. Magiæ, cap. 2. q. 1. testantur. Horum Diuinorum multitudo apud Ethnicos ingens erat; sed apud Philisthinos multò maxima. Vnde Isaias arguens Israelitas, quòd multos augures ac Diuinos inter se versari paterentur: *Augures*, inquit, *habuerunt, vt Philisthiim.* Isai. 2. num. 6. Ac si in nulla Ethnicorum regione frequentiores Diuinorum greges, quàm in Palæsthina nutrirentur.

V. *Diuini diuinationem simulabant.*

Euseb. Socrat. Delrio.

Maxima apud Ethnicos Diuinorum multitudo.

VI. Diuini igitur, quibus Philisthini multùm tribuebant, in hanc consultationem euocantur.

Septua

Septuaginta transferunt, *Vates & Incantatores.* Nec multum differunt: quamuis Incantatores aliquando in bonam partem accipiantur: vide Clemens Alexand. lib. 1. Pædag. c. 2. diuinum Verbum appellat Incantatorem: *Verbum*, inquit, *diuinum solus est humanarum ægritudinum Pæonius Medicus, & sanctus ægrotæ animæ Incantator.* Et eodem nomine appellat Christum Dominum in Exhortatoria ad Gentes, vbi reiiciens fabulosos illos Amphionas, Orpheos & Ariunas, ac similes, qui tygres ac leones musicæ suauitate excantasse dicebantur, subdit de Christo Domino: *Sed non talis*, inquit, *est meus Cantor, seu Incantator, solus quidem ex iis, qui vnquam fuerunt, difficillimas feras, homines mansuefecit.* Huc pertinet illud D. Ambrosij lib. 4. Hexam. cap. 8. *Multi*, inquit, *tentant Ecclesiam: sed sagæ artis carmina ei nocere non possunt. Nihil Incantatores valent, vbi Christi canticum quotidie decantatur. Habet Incantatorem suum Dominum Iesum, per quem Magorum incantantium carmina, & serpentum venena euacuanit.*

Clemens. Christus Dominus sanctus animarum Incantator.

D. Ambr. Nihil valent incantamina, vbi diuina sonant carmina.

VII. *Prædicatores sunt Incantatores.*

Denique Prædicatores Incantatores appellantur, iuxta illud: *Ecce Dominator Dominus exercituum auferet à Ierusalem prudentem eloquij mystici.* Isai. 3. n. 1. & 3. seu, vt vertit Theodotio, *Prudentem Incantatorem.* Prædicatorum enim voces, sunt voces *incantantium, & venefici incantantis sapienter.* Psalm. 57. num. 6. Quod egregiè notat D. Hieronymus in locum Isai. proximè citatum: *Incantator*, inquit, *videtur mihi vir esse eruditus & exercitatus tam in lege & Prophetis, quàm in Euangelio & Apostolis, qui possit singulas animi perturbationes sua sanare doctrina.* Et statim subdit, tales Incantatores, nullos iam in Synagoga reperiri, omnes ad Ecclesiam translatos: *Euentila*, inquit, *omnes Iudæorum Synagogas, & nullum poteris inuenire Doctorem, qui sancta præcipiat, & contemptis diuitiis sectandam doceat paupertatem.* Ex quibus colligitur, quàm procul à Synagoga spiritualis vitæ perfectio peregrinetur, cùm in ea, qui illam tradat, nullus inueniatur.

D. Hieron.

A Synagoga spiritualis vitæ Doctores exulant.

VIII. *Supplicia Dei cognitionem operantur.*

Quid faciemus de Arca Domini, &c. Hebraïcè, de Arca יהוה *Iehouah.* Iam enim suis malis edocti, verum Deum ex illa Arca operantem fateri cogebantur. Cæterùm quæstio hoc loco non erat, retinendáne esset Arca Domini, an remittenda? Iam enim superiori capite decretum fuerat, vt remitteretur. Sed quæstio erat, quo pacto esset remittenda? Quod Caietanus colligit ex Græco, vbi non est: *Quid faciemus de Arca Domini*: sed, τί ποιήσομεν τῇ κιβωτῷ τοῦ κυρίου; hoc est: *Quid faciemus Arca Domini?* Ac si non de ipsa remittenda, sed de modò remittendi consultarent. Verùm hoc ipsum in Vulgata satis exprimitur, dum additur: *Indicate nobis, quomodo remittemus eam in locum suum*: hoc est, currúne vehenda sit, an hominum humeris exportanda? Item, cum muneribúsne, an sine muneribus remittenda? Hoc enim interrogare voluisse Philisthinos, facilè colligitur ex responsione Diuinorum, qui in plaustro, & cum muneribus remittendam statuerunt: vt ex dicendis paulò inferiùs patebit.

Caiet.

Diuini de modo remittendi Arcam consuluntur.

IX. *Proponitur quæstio. Circa Diuinos.*

Inquiri hoc loco potest: An peccauerint Philisthini Diuinos consulendo? Erit, qui affirmet, propter illam Dei prohibitionem: *Nec inueniatur in te, qui Ariolos sciscitetur, & obseruet somnia atque auguria: nec sit Maleficus, nec Incantator: neque Pythones consulat, nec Diuinos, & quærat à mortuis veritatem. Omnia enim hæc abominatur Dominus.* Deuter. 18. à num. 10. Vnde à populo Dei longè abesse debet talis inquisitio; iuxta illud: *Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel.* Num. 23. [A] num. 23. Vbi Origen. homil. 6. *Non vult*, inquit, *Deus auditores nos fieri & discipulos Dæmonum. Melius est enim ignorare, quàm a Dæmonibus discere.* Ita ille. Vbi multa de hac re.

Orig.

X. *Superioris quæstionis resolutio.*

Nihilominùs dico, illos non peccasse contra legem positiuam Hebræorum, vt sic: quia illa non tenebantur, vt per se patet; cùm Israëlitico tantùm populo data fuerit, de quo illi non erant. Quod verò attinet ad legem naturalem; respondeo, quamuis hoc peccatum sit ex suo genere grauissimum; tamen posse excusari propter ignorantiam inuincibilem, aliásque circunstantias, vt docet Valent. 2. 2. disp. 6. q. 12. quem citat & sequitur Delrio lib. 4. Mag. c. 2. q. 4. Vnde Philisthinos facilè excusabit ignorantia. Immò in [B] re dubia recurrentes ad Sacerdotes ac Diuinos, non tanquàm ad Maleficos ac Pythonicos; sed tanquàm ad magistros & Doctores, quos solos habebant, & à quibus instrui & gubernari exoptabant; non solùm absque culpa, sed etiam cum laude mihi videntur recurrisse. Quod ipse posteà euentus manifestauit. Dum enim prudenter interrogarunt, quid optimum factu erat; diuinitùs cognouerunt, quasi docilitatis suæ præmium reportantes.

Valent. Delrio.

XI. *Res sacra ad sacrum pertinent tribunal.*

Illud hoc diligenter obserua, has circa fœderis Arcam quæstiones fuisse sacras, & ad religionem pertinentes; proindéque non nisi ad sacrum tribunal, aut pro tali habitum referendas: & proptereà Philisthinos, cùm eas superiori capite [C] ad Satrapas, qui erant seculares Iudices, detulerunt, grauiter exerrasse, à foro competenti ad alienum transeuntes; ideóque à Deo permissum esse, vt in tanti peccati pœnam, pessimum à Satrapis consilium reportarent. Nam Satrapæ, vt vnam vrbem, quæ ex Arcæ præsentia affligebatur, ea calamitate liberarent, decreuerunt, vt alias ad vrbes Arca duceretur: quo effectum est, vt pestis illa ac lues pariter cum Arca ad alias vrbes deducta, totam Palæsthinam miserabiliter conficeret & cruciaret. Cæterùm, Philisthinos hoc loco saniores ex præterito supplicio effectos, dum quæstionem sacram ad sacrum tribunal retulerunt, hoc est, ad Sacerdotes ac Diuinos, qui apud eos rem sacram administrabant, prudenter egisse, ad [D] proprium & competens tribunal recurrentes: & proptereà factum esse, vt in huius prudentiæ præmium, à Sacerdotibus, Diuinísque redirent optimè instructi ad ea, quæ fieri oportebat, exequenda; nimirum ad Arcam suis legitimis cultoribus redonandam.

XII. *Ecclesiastici sui fori iure ne cedant.*

Ex hoc loco maximè caueant personæ ecclesiasticæ, ne iure sui fori cedentes, ad seculare iudicium recurrant. Nam, qui secùs faciunt, & causam perdunt; vt patet in Philisthinis recurrentibus ad Satrapas, & per eos maiora in exitia coniectis: & grauiter ab Apostolo arguuntur: *Audet*, inquit, *aliquis vestrùm, habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? An nescitis, quoniam sancti de Mundo iudicabunt? & si in vobis iudicabitur Mundus; indigni estis, qui [E] de minimis iudicetis? Nescitis, quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis secularia?* 1. Cor. 6. à n. 1. Quibus verbis efficaciter persuadet, ne futuri secularium Iudices, fiant coram secularibus causidici. Et statim addit, Satius esse causam amittere, quàm eam in alieno foro sustentare: *Quare*, inquit, *non magis iniuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Ibidem, num. 7. Vnde Clemens Rom. lib. 2. Const. cap. 49. *Præclara*, inquit, *Christiana laus est, cum nullo habere negotium. Quòd si ex aliqua tentatione lis oriatur, curet, etiamsi detrimen*

Melius causa cadere, quàm eam alieno in foro sustentare.

Clem. Rom.

detrimentum pati debeat, ne ad Ethnicum iudicium accedat, nec patiatur mundanos magistratus de nobis ius dicere.

XIII. Caueant item Iudices seculares, ne in ecclesiasticas causas se intromittant: alioqui tanquam Satrapæ Philisthinorum de re sacra iudicantes errabunt toto cælo, & litigantes expedire cupientes, in arctiores laqueos impedient, seu potiùs in grauiora exitia præcipitabunt. Immò & ipsi culpam incurrent læsæ diuinitatis in ipsum Deum; seu, quod perinde est, in eum, qui vicem Dei obtinet, magistratum ecclesiasticum rebellantes, eúmque suo Regno pellere molientes: cùm tamen ipsi Iudices seculares ecclesiastico Magistratui subiiciantur: vt D. Gregor. Naz. Orat. 17. ad suos ciues disertissimè aperuit: *Vos quoque, inquit, potestati meæ, meisq́; subselliis lex Christi subiicit. Imperium enim nos quoque gerimus: addo etiam præstantius, & perfectius; nisi verò æquum est, spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere.* Suis ergo se terminis potestas ecclesiastica contineat: observet improbos illos tyrannos, Nabuchodonosorem, Antiochum, Heliodorum, Pompeium, Vespasianum, & similes, in Sancta Sanctorum irruentes imitetur, & cum illis pariter puniatur.

Seculares potestas extra professionem ne euagetur.

D. Greg.

Num. III. Si remittitis Arcam Dei Israël; nolite dimittere eam vacuam: sed, quod debetis, reddite ei pro peccato: & tunc curabimini: & scietis, quare non recedat manus eius à vobis.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. Si remittitis, &c. Non dicunt absolutè, *Remittite:* sed conditionatè, *Si remittitis.* Duplici de causa. Vna, quia solùm ad interrogata respondebant. Cùm enim Philisthini non interrogarent, an deberent Arcam remittere; sed solùm, quo pacto remittere deberent: ad hoc tantùm posteriùs, non ad illud prius respondendum censuerunt. Quæ quidem esse debet prudentia Consultorum, vt solùm ad quæsita respondeant: ne si aliò digrediantur, aut ignorantiam prodant, aut affectum aliquem, quo se abduci sinunt, manifestent. Vnde Tertul. lib. 4. contra Marcionem, cap. 28. *Iusta, inquit, & digna præscriptio est; in omni quæstione ad propositum interrogationis pertinere debere sensum responsionis. Ceterum aliud consulenti, aliud respondere, dementis est.* Addere poterat, aut in aliquem præ posterum affectum propendentis.

Diuinorum responsio duplici de causa conditionalis.

Ad quæsita tantùm respondere debent Consultores.

II. Quare optimi Consultores solùm ad interrogata respondent. Nam, si plura præbeant consilia, quàm petantur, neutra accipiuntur. Vnde Christus Dominus, quærenti iuueni, quid faciendo vitam æternam possideret? *Serua, inquit, mandata.* Quærenti vlteriùs: Quæ? subiecit pauca, in quibus tamen includebantur, seu, vt loquitur D. Paulus, Rom. 13. num. 10. instaurabantur & cætera. Quærenti tandem, quid præterea sibi agendum superesset; euangelica consilia inculcauit. Matth. 19. à num. 16. At, cur non statim ab initio hæc omnia exposuit? Credo, vt ille sitiret sensim instillata, & non fastidiret vbertim effusa: seu, vt iuuenis plura non accipiens, quàm petierat, ad plura petenda incenderetur.

Christus Dominus sensim docuit, ne fastidium pareret doctrina.

III. Altera ratio est, quia necesse non erat, monere Philisthinos ad remittendam Arcam, iam ad id sua sponte incitatos; & qui de illa remittenda minimè dubitabant: vt ipsimet Consultores significarunt, dicentes de præsenti: *Si remittitis.* Hoc est, interprete Vatablo; *Si statuitis remittere.* Nam, quæ in futurum facienda certissimè destinantur, iam in præsenti fieri dicuntur: vt Scripturam consulenti facile patebit. Vnde Dauid loquutus de tempore futuræ Incarnationis: *Misericordia, inquit, Domini plena est terra.* Psal. 128. num. 64. de præsenti loquitur. Vbi Diuus Ambros. serm. 8. *Quomodo, inquit, misericordia Domini plena est terra, nisi per passionem Domini nostri Iesu Christi; quam futuram preuident, quasi promissam Propheta concelebrat? Prophetis autem ea, quæ ventura sunt, preuidentibus, moris est, vt quasi iam decursa memorent, quæ posterioris ætatis sunt.* Igitur, quæ certò futura sunt, iam fieri dicuntur: idcircò Arca in posterum certissimè remittenda, iam de præsenti dicitur remitti. Vel certè factum ipsum pro facti proposito vsurpatur. Remittitis, hoc est, remittere statuitis: vt Vatab. exponebat.

Destinata in futurum, de præsenti fieri dicuntur.

Vatab.

Per passionem Domini terra impletur misericordia.

IV. *Nolite dimittere, &c.* En consilium Sacerdotum ac Diuinorum: optimum illud quidem; quale Philisthini humiliter petentes, audire meruerunt. Sic olim & turbæ & Publicani & milites, consilia salutis æternæ consequendæ, à D. Ioanne Baptista postulantes, saluberrima reportarunt. Luc. 3. à num. 10. Nam, vt ibi Cardin. Toletus. *Meritò, inquit, veritatis doctrina datur iis, qui humilitate se ignorantes agnoscunt; & recto corde eam desiderant, & inquirunt: contra verò superbus, qui discere erubescunt; & duplicibus corde, qui non eo animo, vt faciant, quod audiunt, interrogant; lumen veritatis sæpè negatur.*

Humilibus petentibus optimum consilium datur.

Tolet.

V. Consilium igitur fuit, ne Arca vacua, hoc est, sine muneribus remitteretur. Carthusianus explicat: *Nolite remittere eam inhonoratam.* Rectè quidé, quia iuxta vulgarem opinionem, vbi non est munus, non est honor. Vnde illud præceptum diuinum: *Honora patrem tuum, & matrem tuam.* Exod. 20. n. 12. transferri potest ex Hebræo, vt ibi Oleaster aduertit: *Onera patrem tuum, & matrem tuam:* nempe, donis ac muneribus: quasi tunc parentes magnis honoribus illustrentur, quando amplis muneribus cumulantur. Cuius loci germanus interpres fuit Christus Dominus. Nam Scribas & Pharisæos reprehendens, *Quare, inquit, & vos transgredimini mandatum Dei. Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem. Vos autem dicitis: Munus quodcunque est ex me, tibi proderit.* Mat. 15. num. 3. Dum enim ait, eos violare legem diuinam non dando parentibus munera, quibus sustententur; sed ea sibi reseruando: palàm significat, illam legem diuinam de parentibus honorandis in eo consistere, vt necessaria eis munera ad vitæ sustentationem conferantur. Quasi diceret: Deus iubet, vt parentes à filiis honorentur, hoc est, sustententur. Vos autem munera parentibus conferenda vobismetipsis vsurpatis; atque adeò præceptum honorandi parentes transgredimini, quia eos debitis muneribus defraudatis, & dicitis in honorem parentum redundare ea munera, quæ vobis ipsis retinetis.

Carthus.

Vbi non est munus, non est honor.

Oleast.

Tunc iuxta præceptum, honorantur parentes, quâd de muneribus onerantur.

VI. Sic explicat hunc locum D. Hieronymus in epist. 11. ad Gerontiam de Monogamia: *In Euangelio, inquit, Dominus disserit mandatum legis, in quo dicitur: Honora patrem tuum, & matrem tuam: non in verborum sono, qui inopiam parentum, cassa potest adulatione frustrari: sed in victus necessariis administrandis debere intelligi.* Quod statim probat: quia Christus Dominus eos filios, qui debita parentibus munera eripiebant, damnat tanquam huius legis transgressores. Ergo obseruatores eiusdem erant, qui parentes debitis muneribus cumulabant.

D. Hier.

Qui debita parentibus negant munera, sunt diuinæ legis transgressores.

bant. In eundem sensum explicat illud Apostoli: *Viduas honora*. 1. Timot. 5. n. 3. Et illud: *Presbyteri duplici honore digni habeantur*. Ibidem, n. 17. *Honor*, inquit, *in præsentiarum, vel pro eleemosyna, vel pro munere accipitur*. Quo susteotentur viduæ; præsertim, quæ veræ viduæ sunt, hoc est, non solum suis vitis, sed etiam suis opibus destitutæ: & Presbyteri; præsertim, *qui bene præsunt*; hoc est, qui sui victus immemores ad excolendas aliorum vitas toti incumbunt. De his enim viduis & Presbyteris loquitur Apostolus.

Vidua honoratur, cùm eleemosyna donatur.

VII. Itaque honorare idem est, quod magnis muneribus eumulare; quo sensu Balac Rex Moabitarum ad Balaamum: *Paratus sum*, inquit, *honorare te, & quidquid volueris, dabo tibi*. Num. 22. n. 17. Vbi posterior oratio, repetitio seu explicatio est prioris. Nam, cùm ex Hebræo legi possit: *Paratus sum onerare te*: rectè subdit: *Et quidquid volueris dabo tibi*. Quasi diceret: Onerabo te non fustibus, vt merueras; sed muneribus, vt desideras, in quibus totus honor consistere censetur. Vnde ipse Balaam statim subdidit; *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immutare verbum Domini*. Ibidem, n. 18. Cur non dixit: Si magnos mihi præstiterit honores? Planè, quia hos ab illis muneribus non distinguebat. Hinc etiam est, quòd repulsis prioribus Legatis à Balaam: *Rursùm Balac*, inquit Textus, *multò plures & nobiliores, quàm anteà miserat, misit*. Ibidem, n. 15. In Hebræo est: *Multò plures & ditiores*. Quasi hæc sola putetur nobilitas, quæ ex magnis opibus ac muneribus oriatur. Rectè igitur pro Arca vacua, reposuit Carthusianus, *inhonoratam*. Ac si quæ plena est, honorata debeat appellari.

In muneribus totus consistit honor.

VIII. Sed cur iubent Sacerdotes ac Diuini, remitti Arcam cum muneribus? Ratio est aperta: quia sciebant munerum efficacitatem, non solùm ad homines, sed etiam ad Deos propitiandos; iuxta illud vulgatum:

Munerum potentia exprimitur.

Munera, crede mihi, placant homines̄q;, Deósque.

Vnde Epicharmus apud Menandrum dicebât, nullos Deos esse potentiores, quàm aurum & argentum: quos si habeas, inquit, omnia tibi dabuntur, *Ager, domus, famuli, argentea vasa, amici, iudices, testes: duntaxat largire; nam ipsos etiam Deos habebis obsequentes*. Et quidem hominum animos muneribus conciliari, palam est. Nam quotus quisque est, qui auro non expugnetur? Optimè quidem D. Petrus Damianus lib. 1. epist. 21. in Episcopum Parmensem, non vi, sed pecunia negotiantem Romæ, vbi omnia venalia esse dicuntur: *Ducis*, inquit, *post te castra, auro potiùs armata, quàm ferro: & sic nummi proferuntur è loculis, tanquàm gladij vibrentur è thecis: phalanges planè, quæ te sequuntur, ad tua signa militiæ, non tam litui, buccinæ, vel tubæ clangor excitat, quàm vena metalli vibrantis inuitat. Habens enim, vt habent rustici, pugillum aureum, frangis murum ferreum.*

Dij nulli auro & argento potentiores.

D. Petr. Dam.

Quàm inuicta sint pecuniæ castra.

IX. Immò & D. Paulus, qui excutiebat manus suas ab omni munere, tamen Philippensium muneribus delectabatur: *Benefecistis*, inquit, *communicantes tribulationi meæ*. Philip. 4. num. 14. Hoc est: me in mea paupertate vestris muneribus adiuuantes. Et statim ex aliorum ariditate, quam tacitè perstringit, liberalitatem Philippensium erga se commendat. *Nulla*, inquit, *mihi Ecclesia communicauit in ratione dati & accepti, nisi vos soli: quia & Thessalonicam semel & bis in vsum mihi misistis*. Ibidem, num. 15. & 16. Vbi hanc illis beneficentiam non parum gratulatur. Ac tandem ostendens, quanti faciat eorum munera: *Habeo*, inquit, *omnia, & abundo: repletus sum acceptis ab Epaphrodito, quæ misistis, odorem suauitatis, hostiam acceptam, placentem Deo*. Phil. 4. n. 18. Vbi dicit, tam grata sibi fuisse Philippensium munera, quàm grata solent esse Deo sacrificia in odorem suauitatis exhibita. Deinde, vt suam erga Galatas non vulgarem amicitiam confirmet; ostendit se ab illis & liberalissimè, & beneuolentissimè donatum: *Testimonium*, inquit, *perhibeo vobis; quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi. Ergo inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* Gal. 4. num. 15. & 16. Quasi diceret: Minimè. Neque enim fieri potest, vt inimicus sim eorum, qui me sibi tam multis muneribus obæratum deuinxerunt.

Iusti etiam muneribus delectantur.

Munera amicos faciunt.

X. Iam verò ipse Deus, qui bonorum nostrorum non eget, neminem immunem, hoc est, sine munere in templum venire patiebatur: *Non apparebis*, inquit, *in conspectu meo vacuus*. Exod. 23. n. 15. Vbi non solùm animæ à bonis operibus vacuæ venire in templum prohibentur; vt Theodoretus ibi interpretatur: sed etiam manus à muneribus inanes; vt interpretatur Caietanus. Vnde D. Petrus Chrys. serm. 103. *Indeuotus*, inquit, *satis est vacuus adorator*. Et statim: *Certè, si non damus, quia non accipimus, non queramur*. Quin etiam in lege noua voluit Christus Dominus sub panis ac vini speciebus delitescere; vt cùm suum Deo corpus ac sanguis in sacrificium offertur, rerum etiam creatarum saltem species offerantur; vt D. Irenæus lib. 4. cap. 31. ad finem aduertit: non quòd ipse indigus sit; sed, vt nos fructuosi & grati appareamus, si rerum & personarum conditori, res pariter & personas consecremus. Cùm igitur Philisthini non ignorarent, externa quoque munera Deo fore non iniucunda, ea offerenda decreuerunt.

Deus etiam nostra exceptat munera.

Theod.

D. Petr. Chrys.

Indeuotus vacuus adorator.

D. Iren.

Grati Deo per munera appareamus.

XI. *Sed quod debetis, reddite*, &c. In Hebræo est: *Reddite* אָשָׁם *Asam*, id est, *Peccatum*; seu, vt habet Interlin. in Bibliis Regiis, *Culpatorium*. Et significat oblationem aliquam pro peccato: vt rectè expressit Latinus: *Reddite ei pro peccato*. Sed, quam oblationem pro peccato suo debebant Philisthini? Certè, ex lege positiua, nullam. Nam lex positiua ad solos Hebræos pertinebat, eósque tantùm ad certa munera pro certis peccatis persoluenda obligabat: vt Abul. quæst. 8. latissimè prosequitur. Nihilominùs ex lege naturali debebant; pro tollenda quidem culpa, internam mentis contritionem: pro tollenda verò pœna, si qua superesset, externam aliquam oblationem, vel corporis macerationem, vel simile aliquod satisfactionis genus. Prius debitum in hac vita persolui oportebat, vbi tantùm culpæ remittuntur: posterius differri poterat in futuram, vbi etiam pœnæ expiantur. Si quæras, de vtro debito Sacerdotes Philisthinorum loquerentur? Respondeo: De posteriori. Nam de priori non curabant, suæ perfidiæ ac idololatriæ adhærentes. Immò, cùm duplex sit pœna pro peccato: vna certa ac definita in altera vita, quæ luitur in igne purgante: altera incerta & extraordinaria in hac vita, quæ per temporarias huius vitę ærumnas sustinetur: Philisthinorum Sacerdotes non ad priorem, sed ad posteriorem tantùm tollendam præmonebant. illam enim ignorabant, hanc experiebantur.

Quæ pro peccato munera offerre debeant.

Abul.

Homines facilius externa, quàm interna munera Deo reddunt.

XII. Quod debetis, inquiunt, *reddite ei pro peccato*. Septuaginta in Bibliis Sixtianis transferunt: *Reddentes reddite ei pro cruciatu*. Vbi duo notanda sunt. Primum peccatum appellari cruciatum. Alterum, Deo munera à nobis non dari, sed reddi, cùm nihil Deo dare possimus, quod ab eo priùs non accipiamus. Vtrumque seorsim breuiter illustremus.

Peccatũ cruciatus est.

Peccata

Peccata non recreant, sed cruciant.

XIII. Dicitur hoc loco peccatum, cruciatus. Nec immeritò. Quantumuis enim carnem oblectet & mulceat; nihilominus mentem excruciat & excarnificat. Quod in primis quadrat in peccatum idololatriæ. Vnde illud: *Non est idolum in Iacob, nec videtur simulacrum in Israel.* Num. 23. num. 21. Septuaginta transferunt: *Non est labor in Iacobo, neque apparebit dolor in Israel.* Vbi vides simulacrum & idolum, seu perfidiam & idololatriam, laborem & doloremq; appellari. Sic Dauid: *Seruierunt, inquit, sculptilibus eorum.* Psal. 105. num. 36. In Græco est: *Seruierunt doloribus eorum.* Doleant enim, necesse est, qui peccant: & qui illicitis voluptatibus indulgent, necesse est, vt magnis cruciatibus affligantur.

Peccatū idololatria labor, & dolor.

XIV. Rursùs idem Dauid: *Surgite, postquàm sederitis, qui manducatis panem doloris.* Ps. 126. num. 2. seu, vt D. Hier. in epist. 141. ad Marcellam, cum quinta Editione, & Theodotione transfert ex Hebræo: *Qui manducatis panem idolorum.* Et subdit: *Non frustra quidem doloris panem, aut Hæreticorum intelligunt Sacramenta; aut vitæ istius miserabilis & ærumnosæ interpretantur laborem: apud quam in sudore faciei comedimus panem nostrum, & inter spinas & tribulos breuis vitæ alimenta nascuntur.* Et quamuis hunc doloris panem ad huius vitæ pœnas referat; tamen præcipuè refert ad culpas, è quibus dolores in animos acutissimi erumpunt. Eodem pertinet illud eiusdem Dauidis: *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum.* Psal. 15. num. 3. Ex Hebræo legunt aliqui apud Cardin. Bellarminum: *Multiplicata sunt idola eorum.* Nam idola non immeritò infirmitates dicuntur: tum, quia ipsa in se infirma sunt: tum, quia homines multis infirmitatibus, ægritudinibus, ac doloribus substernunt. Hinc illud: *Væ, qui cogitatis inutile.* Mich. 2. n. 1. Hebraicè: *Væ, qui cogitatis idolum.* Quorum verborum sensum exprimunt Septuaginta transferentes: *Et facti sunt cogitantes labores.* Hoc est: Idola, seu peccata idololatriæ: & deinde quæcunque alia, quæ ab effectu labores appellantur: vt ibi Ribera obseruat, iuxta illud: *Vides, quoniam tu laborem & dolorem consideras.* Psal. 9. seu 10. secundùm Hebræos, num. 14. Et illud: *Labor in medio eius, & iniustitia.* Psal. 54. num. 11.

D. Hieron.

In pane doloris, intelliguntur idola, & Hæreticorum Sacramenta, & miseriæ vitæ huius significantur.

Peccatū idololatriæ infirmitas sunt.

Idololatræ, pro ijs, qui inutile.

XV. Ex quibus locis vlteriùs colligitur, doloris & laboris nomen non solùm in peccatum idololatriæ; sed etiam in reliqua omnia, etiam quæ corporis sensus maximè titillant, conuenire. Vnde Dauid: *Labor, inquit, labiorum ipsorum operiet eos.* Psal. 139. num. 10. Vbi verba omnia profana, lasciua, detractoria, cęteráque id genus, quibus homines incredibiliter delectantur, non immeritò dicuntur, labor labiorum; quia, licèt ad præsens, os & linguam oblectate videantur; tamen in posterum ingentem doloris fornacem in animo accendunt. Sic D. Chrys. ad eum locum: *Laborem, inquit, vocat improbitatem: res est enim huiusmodi improbitas. Affert ei, qui illam possidet, exitium; & vt obruatur, efficit.* Ac si ipsa verba, siue maledica, siue adulatoria, siue ridicularia, siue turpia, quibus quis magnoperè delectatur, magnis eum doloribus mordeant & pungant.

Verba omnia scelerata, etsi delectant, voquntur.

D. Chrys.

XVI. De peccatore loquutus Dauid: *Concepit, inquit, dolorem, & peperit iniquitatem.* Psal. 7. num. 15. vbi peccata à cæteris fœtibus distinguuntur: quia hi, licèt pariantur cum dolore; tamen concipiuntur cum voluptate: at verò peccata & cogitata & facta innumerabiles afferunt cruciatus: vt ibi D. Chrys.

Differentia inter peccatorū, & cæteros fœtus.

D. Chrys.

A rectè philosophatur: *Nemo est*, inquit, *eorum, qui viuunt in scelere, qui non innumerabiles dolores sustineat, & de malis consultans, & consilium exequens.* Et paulò pòst rem apertiùs edisserens: *Si volueris*, inquit, *quis vlcisci quempiam, vel prior iniuriam facere; vide quot mala patitur: furore repletur, ab ira discerpitur, mouet innumerabiles fluctus cogitationum, mille vias ingreditur; inuadit timor, pauor ac tremor, quomodo offendet, quomodo rem perficiet; & ante eum, quem est iniuria affecturus, se ipsum perdit.* Et post pauca obseruat, priùs dixisse Prophetam: *Ecce parturiit iniustitiam*: & posteà addidisse: *Concepit dolorem.* Vt significaret dolores parturientis, qui sunt omnium acutissimi, non solùm in exequendo peccato, sed etiam in excogitando & consultando inueniri: vt suprà Annot. 4. Sect. 2. obseruauimus. B Vbi plura de hac re.

Quanto cum dolore vndè peccatores.

Dolores omnium acutissimos in peccato patiuntur scinti.

XVII. Pugnare inter se videntur Apostolus & Euangelista. Nam D. Paulus de nouissimis temporibus loquutus: *Cùm dixerint*, inquit, *Pax, & securitas: tunc repentinus eis superueniet interitus.* 1. Thessal. 5. num. 3. At verò Christus Dominus loquutus de iisdem: *Erit*, inquit, *tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio Mundi vsque modo, neque fiet.* Matth. 24. num. 21. Quis non videt pugnam inter discipulum & magistrum? Paulus dicit, pacem & securitatem; Christus autem tribulationem magnam fore. Sed pugnam aduertit & composuit D. Chrysostomus homil. 78. in Matth. *Quomodo, inquit, tribulationem illorum dierum ait, si deliciarum luxum, si pax, si securitas, secundùm Paulum futura est? Si deliciis lasciuiunt, quomodo tribulantur?* Et paulò pòst quæstionem soluit: *Proptereà, inquit, non dixit Paulus: Quando erit pax: sed, Quando dicent pacem & securitatem: insaniam eorum hoc modo dicendi ostendens.* Quasi diceret: Quam peccatores vocant suam pacem, inueniunt miseri esse suam crucem: cùm enim pacantur, tunc maximè cruciantur: & vana eorum oblectamenta, propria tormenta efficiuntur. Eadem pugna cerni videtur in verbis Christi Domini. Nam in primis: *Erit tunc*, inquit, *tribulatio magna*; vt iam retulimus. Et paulò pòst: *Sicut in diebus Noë, ita erit & aduentus filij hominis.* Matth. 25. n. 37 Nam, sicut in diebus Noë ante diluuium aquę, diluuium quoddam deliciarum longè latéque restagnabat: erant enim tunc homines *comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes*: hoc est, multis se voluptatibus mancipantes: ita & in secundo aduentu ante diluuium ignis, diluuium quoddam concupiscentiarum deflagrabit; dum omnes voluptatum illecebris æstuabunt. Si igitur tanta tribulatio tunc erit, cur dicitur tanta voluptas affutura? Credo, quia in hac ipsa voluptatum officina, in qua deliciatur corpus, spiritus tribulatur.

Peccatorum pax, maxima illorum crux est.

D. Chrys.

C

D

Vbi deliciatur corpus, tribulatur spiritus.

XVIII. Vnde idem Apostolus loquutus de statu nuptiarum, qui deliciarum esse creditur ab insanis: *Tribulationem, inquit, carnis habebunt huiusmodi.* 1. Cor. 7. num. 28. seu, qui sunt huiusmodi: hoc est, qui in hoc statu viuunt. Vbi D. Anselmus, *Maiores, inquit, tribulationes hi frequenter ex carne suscipiunt, qui carnis voluptatibus delectantur.* Quòd si in carne tribulatio est, vbi sola credebatur esse delectatio: quanta erit, vt rectè arguit idem D. Ansel. in spiritu tribulatio? Quàm procul ab his tribulationibus secedit status virginalis! Ille quidem tribulationes habet; hic exultationem: iuxta illud de virginibus Christo Domino sistendis: *Afferentur in lætitia & exultatione.* Psal. 44. num. 16. vbi D. Chrys. *Quemadmodum*, inquit, *illa afflictionem, ita hæ lætitiam & exultationem.* Et deinceps latiùs prosequitur, germanas virginalis status voluptates, &

D. Ansel.

E

Maiores voluptatibus dolores in peccato. Status coniugalis doloribus, virginalis abundat voluptatibus.

D. Chrys.

A tes,& veras coniugalis tribulationes. Adde, ſi in licitis coniugiis carnis tribulatio reperitur: quæ tribulationum fornax in illicitis adulteriis exardeſcet? Vnde Salomon: *Qui adulter*, inquit, *eſt, propter cordis inopiam perdet animam ſuam; turpitudinem & ignominiam congregat ſibi.* Prouerb. 6. n. 32. vbi declarat, non ſolùm futuram eius pœnam, *perditionem*; ſed etiam præſentem, *turpitudinem & ignominiam*, qua omnis adulteri voluptas euacuatur. Præterquàm quòd, vt notat D. Chryſ. hom. 3. De verbis Iſaiæ, citatum locum expendens: *Quæ poſſit illic eſſe voluptas, vbi metus, vbi diſcrimen, vbi periculum, vbi tantorum malorum expectatio, vbi tribunalia, vbi accuſationes, vbi Iudicis ira, vbi gladius, vbi carnifex, vbi barathrum?* Et plura addit in hanc rem: è quibus aliqua ſupra, Annot. 4. Sect. 1. delibauimus.

Quos angoris adulteri patiantur?

D. Chryſoſt.

XIX. Denique Ioſuë, vt Iſraëlitas à peccatorũ commercio reuocaret, dolores obiicit, ex eorum illicitis connubiis hauriendos: *Si enim*, inquit, *volueritis cum eis miſcere connubia, atque amicitias copulare; erunt vobis ſudes in oculis veſtris.* Ioſ. 23. n. 13. Ac ſi praua cum peccatoribus commercia non modò animos non recreent: ſed etiam oculos ad dolorem ſentiendum delicatiſſimos pungant & cruentent: immò potiùs eruant & excułpant; vt peccator profanis voluptatibus excæcatus, paſſim erret & impingat; & quanto in periculo verſetur, protſus ignoret. Iam verò Dauid, dum inter peccatorum delicias verſabatur; verſari ſibi videbatur inter ærumnas & ſpinas: *Conuerſus*, inquit, *ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina.* Pſal. 31. n. 4. Vbi Theod. *Spinam*, inquit, *peccatum nominauit; tanquàm inutile germen; & ad pungendum natum.* Quid enim eſt patrata culpa, niſi ſpina quædam animo adacta? Vnde, cùm quis ab æſtu concupiſcentiæ deferbuit, vt notat D. Ambroſ. lib. 4. in Luc. cap. 4. ad finem: *Tunc tribulos & ſpinas animo caro, hoc eſt, curarum morſus, ſollicitudinúmque generat. Etenim quaſi clauis quibuſdam ſuffigitur anima corporeis voluptatibus: & cùm ſemel adhæſerit cupiditatibus demerſa terrenis, difficilè in altum poteſt, vnde deſcendit, ſine Dei fauore, reuolare.*

Peccator oculis capitur, vt ſe non videat.

Theod.

Peccatũ ſpina eſt animũ pungens, & clauus cruci affigens.

D. Ambr.

XX. Non ſine myſterio quondam Ionathas, *guſtauit in ſummitate virgæ paululum mellis.* 1. Reg. 14. num. 43. Talis enim eſt peccatorum voluptas, exigua, paululum mellis, quæ ſatis non eſt, vt comedatur; ſed tantùm vt prægustetur. *Guſtaui*, ſeu prælibaui; non deuoraui. Neque inter lances aureas & argenteas, ſed inter lanceas ferreas & præacutas exhibetur: *In ſummitate*, inquit, *virgæ*: vt dum mel percipitur, cuſpis infigatur. Vnde rectè ſubdit: *Et ecce ego morior*: quia vbi vitam ſperabat, mortem inuenit; & in vitali ferculo lethale venenum hauſit; & in mellis dulcedine fellis amaritudinem agnouit. Quis non miretur, ſeu potiùs lamentetur iuuenẽ, ante mellis eſum, inſolenter exultantem: poſt eſum miſerabiliter deflentem? Sic peccatum mœrentem deſerit, quem geſtientem præcipitauit. Vnde D. Ambroſius citatus, loquutus de peccatore, quem libidinis febris agitat & inflammat, *Vbi quis*, inquit, *reſipuerit à furore; tunc conſcientiæ interioris viſus aperitur, factíque ſuccedit pœnitentia, & pudenda ſui vnuſquiſque facinoris erubeſcit.*

Exiguo peccatorum voluptas, & cuſpidata.

Iniuſti vnde vitam ſperãt, inde mortem hauriunt, & venenum.

D. Ambr.

Peccatum inducit maximum in mœrorem.

XXI. Rectè ab Eliphaz deſcribuntur peccatores: *Qui operantur iniquitatem, & ſeminant labores, & metunt eos.* Iob 4. num. 8. Nam, ſicut, qui ſeminant, non parum laborant: ita qui operantur iniquitatem; iuxta illud: *Vt iniquè agerent, laborauerunt.* Ierem. 9. n. 5. Et ſicut quam quis ſementem facit, eandem colligit & meſſem; iuxta illud: *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.* Galat. 6. num. 8. Ita qui peccando labores ſeminant, labores metunt: & quidem multiplicatos, ſicut accidit in meſſe, quæ multis partibus vberior prouenit, quàm ſementis. Nam ſæpe ex vno peccato, quod ſeminant, hoc eſt, cum labore operantur, innumera colligunt infortunia, quibus torquentur. Vnde, cùm agricolæ, meſſis tempore, incredibili gaudio triumphent, iuxta illud: *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe.* Iſai. 9. num. 3. Et illud: *Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.* Pſal. 125. num. 5. Tamen peccatores in hac ſua meſſe, quæ tota laborum eſt, & ſuppliciorum, incredibiliter anguntur ac triſtantur. Meritò igitur hoc loco cruciatus pro peccato B vſurpatur: quia nullum eſt tormenti genus, quo peccatores magis crucientur, quàm illud ipſum peccatum, quod operantur.

Peccator ex peccatorum meſſe labores colligit multiplicatos.

Diſcrimen inter meſſem agricolarum & peccatorũ.

Munera à nobis Deo non dantur, ſed redduntur.

XXII. ALterum, quod hoc loco notandum propoſueram, eſt: Munera ab hominibus Deo dari non poſſe, ſed reddi. *Reddite*, inquiunt Sacerdotes; ſeu, vt habent Septuaginta: *Reddentes reddite.* Vbi notat Brixianus, poni verbum reddendi, more Hebræorum, vt ſatisfactio pro peccato meliùs ſignificetur: *Quia homo*, inquit, *peccans, quantùm in ſe eſt, tollit id, quod eſt Dei, & ſibi* C *vſurpat: atque ideò tenetur iterum ablatum reſtituere, ſi cupiat, Deum ſibi habere propitium.* Nihilominùs hoc non ſolùm verum eſt in oblatione pro peccato; ſed etiam in reliquis omnibus, quæ Deo offeruntur. Nam Deo non tam dare poſſumus, quàm reddere; cùm non niſi, quæ ab illo acceperimus, reddamus. Vnde illud in Miſſæ Canone: *Offerimus præclaræ Maieſtati tuæ de tuis donis ac datis hoſtiã puram*, &c. Et D. Paulus: *Quid habes*, inquit, *quod non accepiſti?* 1. Corinth. 4. num. 7. Hinc illud Eliu: *Si iuſtè egeris, quid donabis ei: aut quid de manu tua accipiet?* Iob. 35. n. 7. Quaſi dicat: Nihil prorſus de tuo, quod ab illo non acceperis.

Ea quæ Deo damus, tanquã accepta reddimus.

Brix.

XXIII. Quo in ſenſu olim Deus ad ſuum populum: *Non accipiam*, inquit, *de domo tua vitulos, neque de* D *gregibus tuis hircos.* Pſal. 49. n. 9. ſcilicet, tanquam à te mihi donatos, & non potiùs reſtitutos: quaſi à tuo dominio in meum transferantur, cùm tamẽ nunquàm ita fuerint ſub tuo dominio, vt de meo exierint. Quam rationem ſtatim reddit: *Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſyluarum, iumenta in montibus, & boues. Cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriero, non dicam tibi: Meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius.* Ibidem, n. 10. & ſequentibus. Quibus verbis ſignificat, ſe omnibus diuitiis affluere: neque noſtras, tanquàm alienas, emendicare; ſed pro arbitrio & iure ſuo, quando voluerit, exigere. Vnde Dauid contemplatus illa ingentia donaria, quæ & ipſe, & cæteri Principes in templi fabricam liberaliter E conferebant, inter alia, quibus Deo gratulatus eſt, *Quis ego*, inquit, *& quis populus meus; vt poſſimus hæc tibi vniuerſa promittere? Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* 1. Paral. 29. n. 14. Et iterum in humiles gratulationes effuſus: *Domine Deus noſter, omnis hæc copia, quã parauimus, vt ædificaretur domus nomini ſancto tuo, de manu tua eſt, & tua ſunt omnia.* Ibid. num. 16. Eò enim magis Deum ſibi conciliabat, quò humiliùs fatebatur, nihil ſe illi offerre, quod ab eo non accepiſſet.

Deus noſtra vt propria, nõ vt aliena exoptat.

Nihil plùs Deum conciliat, quàm omnia Deo eſſe, humiliter fateri.

XXIV. Iam verò ſpiritualia dona, quæ poſſunt à nobis offerri Deo; niſi priùs à Deo in nos ipſos deriuentur?

D.August.

Omnia Deo debentur, à quo omnia habemus.

tur? Ita planè testatur Diuus August. lib. 9. Conf. cap. 13. *Quisquis*, inquit, *tibi*, *Domine*, *enumerat vera merita sua: quid tibi enumerat, nisi munera tua?* Et rursus epist. 105. ad Sixtum: *Cùm Deus*, inquit, *coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quàm munera sua.* Vbi planè fatetur ea, quæ Deo offerimus, non solùm priùs in nos à diuina liberalitate deriuari, sed etiam adhuc sub diuina potestate contineri. Eleganter de hac re D. Bern. ser. De quadruplici debito: *Totum*, inquit, *quod es, illi debes, à quo totum habes.* Et paulò antè: *Cùm*, inquit, *ei donauero quidquid sum, quidquid possum, nónne istud est, sicut est stella ad Solem, gutta ad fluuium, lapis ad montem, granum ad aceruum?* Vbi multa de hac re, quibus non solùm asserit, exigua esse munera, quæ Deo offerre possimus; sed etiam planè fatetur, nihil nos habere offerendum, quod Deo pluribus nominibus non debeatur. Idem rursus in Tract. De diligendo Deo: *Si totum*, inquit, *me debeo pro me facto; quid addam iam pro refecto? In primo opere me mihi dedit; in secundo se: & vbi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo. Quid ergo Deo retribuam pro se? Nam etiamsi millies me rependere possem, quid sum ego ad Deum?* Vides, vt nihil habere fateatur, quo diuina beneficia compenset: cùm sua omnia Deo, à quo accepta fuerant, debeantur?

D. Bern.

Nihil habemus, quo redemptionis munera compensemus.

XXV.
Phil.

Regum dominium Domini, vsus tantùm creatura.

Eleganter ostendit Philo Hebræus lib. De Cherubin & flammeo gladio, nihil nos donare posse, cùm nostra omnia sub diuino dominio contineantur. Nam referens illud Dei præceptum: *Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est.* Leuit. 25. n. 23. sic ex eo argumentatur: *An non*, inquit, *manifestissimè docet, ius possessionis omnium rerum pertinere ad Deum; vsum verò solum ad creaturam. Nihil*, inquit, *in perpetuum cuiquam creatura vendetur; quandoquidē vnus est Dominus, totius creatura possessor proprius ac perpetuus.* Et post aliqua: *Per qua omnia liquere satis puto, nos alienis vti possessionibus; vsumfructum habemus solum. Quod si cognosceremus, curaremus tanquàm res Dei, pracogitantes, morem esse Domini recipere sua, quandocunque ipsi visum fuerit. Sic enim ademptas feremus leuiùs. Nunc plerique, dum existimant hac, sua ac propria; priuati copia eorum, mox opprimuntur mæstitia.*

XXVI.
D. Chrys.

Homines rerum dominiū sibi tribuētes meritò irridentur.

In eandem sententiam D. Chrys. hom. 2. ad populum, eos irridet, qui se proprios externorum bonorum possessores arbitrantur: *Sapiùs*, inquit, *risi testamenta legens, dicentia: Ille quidem habeat agrorum, vel domorum dominium; vsum verò alius. Omnes enim vsum habemus; dominium autem nemo. Etsi enim nobis per omnem permaneant vitam, nullā facientes diuitia mutationem; velimus, nolimus, in fine aliis cedemus, ipsarum vsu solo decerpto; dominio autem nudi & orbati ad illam vitam migrantes.* Immò & Iacob, cùm audiuit à Laban: *Filia mea, & filij, & greges tui, & omnia, qua cernis, mea sunt.* Genes. 31. n. 43. planè irrisit, vt sentit Philo citatus: *Iacob*, inquit, *opinor, valdè risit Labanem, quando ausus est dicere: Filia mea, & filij mei, & pecora mea, & omnia quacunque vides, mea sunt. Nam iste ad singulas voces illud, meum, accinens, non desinit de se ipso loqui magnificè.* Et statim probat, meritò irridendum, qui de rebus alienis, ac sub diuina potestate cōstitutis, tanquàm de propriis, & ad suum dominium pertinentibus gloriatur. Nec mirum irrideri à D. Chrys. & à Iacobo tam vanos rerum æstimatores, cùm etiā ab Ethnico Poëta irrideantur. Nā Horat. lib. 2. epistolarum, epist. 2. ad Florum, eum irridet, qui bona temporalia, quibus vtitur, vocat sua:

Horat.

Non est proprium dominium, quādo vsus citissimè aufertur.

——*Tanquam*, inquit,
Sit proprium cuiquam, puncto quod mobilis hora,

A *Nunc prece, non pretio; nunc vi, nunc sorte suprema*
Permutet dominos, & cedat in altera iura.

Neque enim nostra vocare possumus, quorum nobis vsus quàm citissimè aufertur.

Pertinet ad hanc rem illud Christi Domini: *Si*, inquit, *in alieno fideles non fuistis, quod vestrum est, quis dabit vobis?* Luc. 16. num. 12. hoc est, interprete D. Augustino lib. 2. quæstionum euangelicarum, cap. 35. Si fideles non fuistis in bonis temporalibus dispensandis, quo pacto eritis in spiritualibus? Vbi bona temporalia non immeritò vocantur aliena: quia peccator, *cùm interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Psalm. 48. num. 18. Quo pacto igitur Deo donare possumus, quæ propria non possidemus? Vnde Philosophus ille Stoïcus Epictetus rectè præcipiebat, ne quis in iactura alicuius rei temporalis, diceret: *Illud perdidi*: sed, *Illud reddidi*; nempe, Deo. XXVII.

D. August.

Bona temporalia aliena sunt, non propria.

B

Neque solùm externa bona, quæ nos circunfluunt; sed etiam interna, quibus constamus, aliena à nobis sunt, omnia sub diuino dominio constituta. Vt Philo proximè citatus rectè obseruat: *Deus*, inquit, *sibi omnium vendicauit dominium: vsumfructum verò distribuit suis subditis, vt se ipsis vterentur. Vtimur enim & nobis ipsis, & omnibus, qua circa nos sunt. Nihil horum meum peculiare inuenio.* Quasi & nos nobis simus alieni, sub diuina tantùm potestate inclusi. Quod in primis ostendit in corpore humano: *Vbi enim*, inquit, *erat meum corpus, antequàm nascerer? Quò discessurum post obitum?* Quasi nostrum non sit, quod nobis non tam donetur, quàm commodetur, citissimè repetendum. Deinde in anima: *Vnde*, inquit, *venit anima? Quò discessura? Quandiu nobiscum habitatura?* Quid enim gloriemur, tanquàm de re propria, cuius naturam ignoremus, cuius statum nesciamus, cuius ingressum, vel egressum non agnoscamus? Deinde in cæteris potentiis ac sensibus, quæ nostrum sæpè recusant impetium, nec mandata exequuntur. Et, vt de aliis taceam: *Nónne*, inquit, *ad quemuis morbum lingua deficit? Nónne vel eloquentissimum os obturatur? Nónne multi expectatione mali alicuius attoniti nequeunt hiscere?* Quid ergo inaniter gloriantur illi, tanquàm suæ linguæ possessores, qui dicebant: *Linguam nostram magnificabimus: labia nostra à nobis sunt. Quis noster Dominus est?* Psal. 11. num. 5. Pergit Philo: *Atqui ne sensus quidem dominus comperior: & bonum, si non seruus ab eo per vim tractus ad colores, ad figuras, ad voces*, &c. Quasi diceret: Tantùm abest, vt dominatum habeam in sensum, vt miseram sub eo seruiam seruitutem, & ab eo etiā, quo nolo, inuitus abripiar. XXVIII.

Philo.

Non solùm bona, sed nos nobis ipsis sumus alieni.

C

Multi de se tanquam de suo inaniter gloriantur.

D

Non sine mysterio dictum est à Psalmographo, cùm de æterna patria loqueretur: *Verumtamen oculis tuis considerabis.* Psal. 90. num. 8. Et à Iobo: *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* Iob 19. num. 27. Quæ loca D. Bernard. ser. 8. in Psalmum, *Qui habitat.* expendens, notat, Beatos in patria proprios oculos habituros, quibus illam beatam vrbem intueantur: in via tamen propriis oculis priuari, dum à temporalium rerum obiectis, quandam veluti in captiuitatem abducuntur: *Mei esse*, inquit, *oculi nunc videntur: planè non mei. Occupauit omnia membra lex peccati, cuius factus eram seruus.* Et statim addit, vt ab hac seruitute erueretur, se totum in dominatoris sui manum resignasse, qui se ab hac tyrannide vendicaret, totúmque proinde etiam hoc liberationis titulo sub eius dominatu remansisse. Cùm igitur perfectissimum rerum omnium dominium XXIX.

D. Ber.

Iusti in via excacantur, ne bonis temporalibus capiantur.

E

sit

sit penes Deum, sit, vt nos nihil ei dare, sed tantùm reddere, seu restituere valeamus. Vnde meritò Sacerdotes ac Diuini Philisthinorum, eos iubent, Deo non tam dare, quàm reddere; immò reddentes reddere: hoc enim significat hæc verborum geminatio: vt sæpè in superioribus admonui. Cui illi imperio obsequentes, non pecora, non libamina, sed aurea simulacra obtulerunt, vt ex dicendis patebit, ne auara esset compensatio, sed quàm maximè poterant, copiosa.

XXX. *Et tunc curabimini*, &c. Ex hac oblatione Deo facta duo promittunt Sacerdotes euentura, vt notat Caietanus; nempe, sanitatem corporum; & notitiam diuinæ animaduersionis, seu vnde hæc diuina animaduersio prouenerit. Priorem verò promissionem censet Abulensis, esse conditionatam, quasi dicerent: Si Arca huius punitionis causa est, eámque vos Hebræis restituitis, sanitas vobis restituetur. Nam, si alia ex causa oritur hæc punitio, etiam post Arcam restitutam perseuerabit. Quod Sacerdotes propterea dixerunt, quia adhuc dubitabant, an plaga ab Arca proueniret. Sed quæres: Vtrùm hæc conditionata prædictio vera fuerit: nimirum, sanandos Philisthinos, si Arca restituatur? Respondeo, hanc prædictionem, aut sumi posse formaliter, prout à Diuinis proferebatur; aut materialiter, prout confertur cum suo obiecto. Priori modo, si illi tantùm coniecturaliter loquebantur, prudens esse potuit, & probabilis coniectura; si verò assertiuè, temerè loquuti sunt, & periculo errandi se exposuerunt; quia neque habuerunt diuinam reuelationem, neque sufficiens fundamentum ad hoc asserendum. Posteriori autem modo, respondeo, non fuisse veram ex natura rei, aut ex ordinaria lege diuina: quia nulla externa satisfactio temporarias huius vitæ pœnas, aut ex natura rei, aut ex ordinaria promissione diuina infallibiliter auertit: vt videre est apud Suarez tom. 4. in 3. partem, disput. 37. sectione 9. Fuisse tamen veram de facto, & peculiari Dei decreto, quia re vera post Arcam restitutam, plaga abiit, immò obiit, vt sentit Abulensis, quamuis in Litera non exprimatur.

Caiet.

Abul.

Proponitur quæstio, & explanatur.

XXXI. Posterior promissio continetur illis verbis: *Et scietis, quare non recedat manus eius à vobis.* Hoc est: Scietis, quare hactenus diuina in vobis vltio perseueret: seu vnde hæc vobis punitio oriatur. Quæres item: Quo in sensu hæc promissio procedat, In absoluto, an in conditionato? Respondeo, vt habetur in Vulgata, factam fuisse in sensu absoluto, quasi dicerent: Post Arcam restitutam sine dubio cognosceris, vnde hæc plaga orta fuerit. Si enim cessat, fuit ab Arca: si perseuerat, ab alio principio: atque adeò vtrumuis accidat, certa de hac re cognitio consequetur: quia tunc scietis, quare modò plaga non recedat: ex aliquáne causa naturali, an ex peculiari Dei consilio, propter iniurias Arcæ factas? Dixi, vt habetur in Vulgata, quia in Bibliis Sixtianis, Regiis, & Chaldaicis, est: *Recedet manus eius à vobis.* Quæ non videtur noua promissio, sed prioris confirmatio, aut certè ad alias ægrotum plagas extensio. Ac si non solùm morbi, sed etiam mures tollendi promittantur. Vnde additur in citatis Bibliis: *Placabitur*; seu, *Depropitiabitur vobis Deus*; seu, *Refrigerium vobis erit.* Hoc est: Omnis plaga penitùs auferetur.

Alterum dubium explicatur.

XXXII. Et hoc modo accepta hæc promissio, in sensu conditionato explicanda est, vt prior, & de eius veritate, vt de veritate prioris philosophandum. Si autem iuxta Vulgatam, & in sensu absoluto accipiatur: dubitabis, an sit verum? *Scietis, quare non recedat manus eius à vobis.* Et respondeo, vt in priori. Nam, si sumatur prout à Philisthinis præcisè procedebat: vel illi loquebantur coniecturaliter tantùm; & tunc erat probabilis, quia probabile videbatur, recedente plaga, post Arcam restitutam, captam Arcam illius plagæ causam fuisse; perseuerante autem plaga, aliam illius causam quærendam esse. Vel loquebantur omninò assertiuè, & tunc erat temeraria; quia certò dicere non poterant, cognoscendam esse plagæ causam, post Arcam restitutam. Nam, siue cessaret plaga, siue non cessaret, non infallibiliter sequebatur Arcam esse, aut non esse illius causam. Si verò sumatur hæc promissio cum suo obiecto comparata, non erat vera ex natura rei: quia Arca non erat causa physica illius plagæ, sed tantùm moralis, hoc est, ratio, propter quam Philisthini à Deo puniebantur. Vnde ex illius absentia non sequebatur ex natura rei cessaturam plagam, neque ex illius præsentia perseueraturam. Erat tamen vera de facto, & ex peculiari Dei decreto, quo voluit, vt Philisthini Arcam retinentes plecterentur, restituentes absoluerentur. Vnde ex vi huius decreti, ex restitutione Arcæ causam plagæ Philisthini cognoscebant.

Altera quæstio soluitur.

Num. IV. Qui dixerunt: Quid est, quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderúntque illi.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. QVid est, &c. Dixerant absolutè Sacerdotes: Reddite, quod debetis. Hebraicè, Reddite *Hostiam*: Græcè, *Dona*: Chaldaicè, *Oblationem expiationis*. Quæ, cùm omnia confusè adhuc significata viderentur: rem sibi clariùs explicari voluerunt Philisthini: *Quid est*, inquiunt, *quod pro delicto reddere debeamus ei?* Ac si nihil omninò agere vellent, nisi ex suorum præscripto Sacerdotum: & sicut ab eis de mittendis cum Arca muneribus edocebantur; ita pariter edoceri vellent, quanta & qualia mitti oporteret. Quã in re vtinam Christiani Philisthinos imitarentur: & in negotio salutis suæ totos se ad suorum Sacerdotum non solùm iussum, sed etiam nutum accommodarent.

Christiani ad suorum Sacerdotum non iussum, sed nutum se debent accommodare.

II. Iussit olim Deus, vt sex vrbes refugij, ad quas homicidæ se reciperent, Leuitica in Tribu ponerentur. Num. 35. num. 6. At, cur non aliis potiùs in Tribubus locabantur; vt vel ex eo congruentiùs videbatur, ne cum sacratis hominibus profani miscerentur? Mitto optimas rationes suas singulis locis inserendas. Illa est apta Philonis, lib. De sacrificiis Abelis & Caini, ad finem: *Dicendum*, inquit, *bonum virum mali esse redemptionem. Itaque meritò peccatores ad Sacerdotes veniunt, vt purificentur.* Ita ille. Vbi plures rationes inculcat non contemnendas. Quasi diceret: Idcircò peccatores ad solos Sacerdotes confugere iubebantur: quia, neque prudentiores suorum consultores habere poterant; neque efficaciores suorum scelerum redemptores. Si igitur in lege veteri ita res habuit: quid in noua? Certè suorum scelerum remedia nusquàm peccatores inuenient certiora, quàm apud Sacerdotes. Quid ergo illos adire, ac de sui animi statu diligenter consulere cunctantur: præsertim, cùm ad hoc, vel ipso Philisthinorum exemplo incitentur?

Æquum est sacros profanos non misceri.

Philo.

Peccatores ad Sacerdotes solùm debent confugere, & eos in dubiis consulere.

III. *Pro delicto*, &c. Sixtiana iterũ habent: *Pro crucia-*

An peccatū & delictum distinguātur.

us: quod iam superiori Num. illustrauimus. Interim Vulgata explicanda est. Quare, cùm præcedente Num. dixerint Sacerdotes: *Reddite, quod debetis pro peccato.* Et in præsenti respondeant Philisthini: *Quid est, quod pro delicto reddere debeamus?* Oritur quæstio: an peccatum, & delictum distinguantur. Certum in primis est, aliquando distingui, vt patet ex duplici Scripturæ loco. Vno in Pentateucho, vbi Moyses: *Sicut*, inquit, *pro peccato offertur hostia; ita & pro delicto.* Leuit. 7. num. 7. Quæ propositio esset nugatoria, nisi aliquod inter peccatum, & delictum discrimen interueniret. Altero in Prophetis, vbi sic: *Immoletur super eos holocaustum & pro peccato, & pro delicto.* Ezech. 40. n. 39. Quo in loco peccatum, & delictum, tanquàm duo distincta proponuntur.

IV. *Proponitur aliquorum sententia de distinctione inter peccatū & delictum.* Orig. D. August. D. Greg. Lyran. Abul. & Isidor. *Discrimen assignatum hoc loco reiicitur.*

Dubium tamen non exiguum, in quo distinguantur. Primò, distinguunt aliqui, quòd peccatum sit commissionis, delictum omissionis, quasi derelictum. Ita Origen. homil. 5. ante medium in cap. 7. Leuit. D. Augustin. quæst. 20. in Leuit. D. Greg. homil. 21. in Ezech. Lyra, Abul. Isidorus Clarius in Leuit. & alij. Sed hoc discrimen neque huic loco aptari potest; vbi planè sermo est de peccato commissionis; neque aliis Scripturæ locis, qualis ille est Leuit. 4. n. 27. *Quòd si peccauerit anima per ignorantiam, vt faciat quidquam de iis, quæ Domini lege prohibemur, atque delinquat.* Vbi apertè dicitur delinquere, hoc est, delictum committere, qui facit, seu committit malum contra legem prohibentem.

V. *Aliorū opinio vetilatur.* Orig. Vatab. *Non placet superior opinio.*

Secundò, distinguunt alij, peccatū esse grauius, delictum autem leuius. Ita Orig. loc. cit. & Vatablus ibid. Probat Orig. quia 1. Ioan. 5. n. 16. dicitur peccatum ad mortem, non verò delictum: quasi peccatum, non delictum, ad mortem animæ excurrat. Si hoc discrimen aptari posset huic loco, reprehendi non immeritò deberent Philisthini, qui non grauiter peccasse, sed leuiter tantùm deliquisse fatèrentur: more illorum, qui, cùm de suis culpis parum doleant, etiam grauissimas eleuant & extenuant. Verùm distinctionem non admitto, cùm etiam delictum pro magno crimine capiatur. Nam Abimelech ad Isaac: *Induxeras*, inquit, *super nos grande peccatum.* Gen. 26. num. 10. Hebraicè, אָשָׁם *Asam*, quod hoc loco vertitur, *delictum.*

VI. *Aliorum placitum proponitur.* Esychius.

Tertiò, distinguunt nonnulli contrario modo, peccatum esse leuius, delictum grauius: illud esse ex ignorantia, hoc ex scientia: illud contra hominem, hoc contra Deum. Ita docet Esychius in c. 5. 7. & 22. Leuit. Et in hoc extremo loco ad marginem dicitur, delictum in scripturis esse peccatum *decumanum*; hoc est, maximum: sumpta metaphora à decima quaque vnda, quæ cæteris aquarum mole & impetu excedit. Si hoc discrimen admittatur, suam merentur laudem Philisthini: quia, cùm à suis Sacerdotibus de peccato, quod est leuius, arguantur; ipsi nihilominùs suum delictum, quod est grauius, confitentur. Ac si tantùm abessent à suo crimine extenuando, vt potiùs aggrauarent: more optimorum pœnitentiom, à quibus etiam leuissima peccata, pro grauissimis reputantur. Nihilominùs hoc discrimen verum non est.

Propositum discrimen nō esse verum ostenditur.

Nam crimen Sacerdotis, quod est grauissimum, & ex scientia, & contra Deum, appellatur peccatum. Leuit. 4. n. 3. *Si Sacerdos*, inquit, *qui vnctus est, peccauerit*, &c. Ac proinde crimen leuius, & ex ignorantia, & contra hominem appellari potest delictum: vt colligi potest ex citato loco, vbi postquàm dicitur, *Si Sacerdos peccauerit*, additur: *Delinquere faciens populum.* Vbi populi peccatum, quod erat leuius, quàm Sacerdotis, delictum appellatur.

VII. Ribera. *Vltima aliorum sententia.* D. August. *Proposita quæstionis resolutio.*

Vltimò, Ribera lib. 4. De templo, c. 6. sequutus Eugubinum, sentit, peccatum fieri per scientiam, delictum per ignorantiam. Quod vt verum sit in iis locis, in quibus peccatum & delictum discriminantur: certum est tamen, non semper peccatum, & delictum in Scriptura distingui, sed frequentissimè sine vllo discrimine vsurpari: vt post Origen. & D. Augustin. vbi suprà Ribera citatus confirmat. Atque ita accipi hoc loco dubitandum non est. Nam Philisthini illas Hebræorum distinctiones inter peccatum & delictum non curabant: immò idem numero crimen, de quo agebant, nunc peccatum, nunc delictum sine discrimine appellabant. Præterquàm quòd in Hebræo idem vtrobique nomen אָשָׁם *Asam* reperitur: quod nunc peccatum, nunc delictum à Latino Interprete transfertur. Et similiter in Græco: nam in vtroque loco dicitur: ὑπὲρ τῆς βασάνου, quod Latinus vertit, nunc, *Pro peccato*; nunc, *Pro delicto.*

Non placet Caietani placitum.

Vnde non placet Caietanus dicens, sumi hìc delictum eo modo, quo in Leuitico vsurpatur. Nam ibi à peccato apertè distinguitur: non autem hìc. Hæc ita differueram, cùm in manus venit Lorinus in Leuit. 7. n. 1. vbi latè de hoc discrimine: nobis tamen non contrarius, dum plerunque nullum reperiri confitetur.

Num. V. Iuxta numerum Prouinciarum Philisthinorum, quinque anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga vna fuit omnibus vobis, & Satrapis vestris. Facietísque similitudines anorum vestrorum, & similitudines murium, qui demoliti sunt terram. Et dabitis Deo Israël gloriam: si fortè releuet manum suam à vobis, & à Diis vestris, in terra vestra.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.

IVxta numerum Prouinciarum, &c. Definiunt Sacerdotes ac Diuini munera Deo Israëlis pro peccato offerenda. In primis verò docent, à quibus debeant offerri: nempe singula à singulis vrbibus primariis, quæ in Palæsthina erant, quinque suos singulæ habentes Satrapas, ac Regulos, à quibus regebantur: vt patet Iosu. 13. num. 3. & paulò inferius à n. 16. vnde quinque fuerunt munera iuxta numerum quinque Prouinciarum.

Proponitur dubium, & explicatur.

Dubitabis: an plura fuerint dona, etiam à minoribus oppidis oblata. Affirmandum censeo. Quia, licèt Sacerdotes primariis tantùm vrbibus hæc munera imperarint; vt patet ex hoc loco: tamen & minora oppida pietatis ac religionis æmula, suis quoque muneribus Deum Israëlis honorare voluerunt: vt patebit paulò inferiùs ex Num. 18. vbi dicuntur oblata dona, *ab vrbe murata vsque ad villam quæ erat absque muro.*

II. *Principum exemplo reliqui conformantur.*

Vide, quid possit maiorum exemplum ad virtutē præeuntium. Sic olim in dedicatione tabernaculi: *Obtulerunt*, inquit Textus, *Principes Israël, & capita familiarum, qui erant per singulas Tribus.* Num. 7. n. 2. vbi nominantur Principes, deinde inferiores patres familias: quasi Principes ad religionem ac liberalitatem præuios, statim priuatæ familiæ sequerentur. Quin etiam ex Principibus,

pibus, *Primus obtulit oblationem suam Nasson, filius Aminadab de Tribu Iuda.* Ibid.n.12. Cuius postcà vestigiis cæteri institerunt. Nam ad exemplum Principis de regia Tribu oriundi, facilè se inferiores Tribus cõformarunt. Sic & in templi fabrica. Nam, Dauide offerente *Tria millia talenta auri de auro Ophir, & septem millia talentorum argenti probatissimi.* 1.Par.29.n.4. & multa alia gemmarum, metallorum & marmorum pondera, quæ ibi numerantur, sequitur statim: *Polliciti sunt Principes familiarum, & proceres Tribuum Israël, Tribuni quoque & Centuriones,* &c. Ib.n.6. Quasi Dauide suas opes in templi fabricã tam liberaliter effundente, iniquissimum ducerent cæteri omnes, tam Summates, quàm infimates suas diuitias auarè custodire: sed sui Regis exemplũ sequuti inter se de liberalitate decertarent. Non aliter hoc loco se res habuit. Nam præceptum Sacerdotũ quinque Satrapas ad offerenda munera etiam inuitos traxit; at verò exemplum Satraparũ, quidquid erat populi ad eandem obseruantiã incitauit. Vt hinc facilè pateat, quantò efficacius sit exemplum, quàm præceptum: hoc enim quinque viros: illud innumerabilem populum ad liberalitatem, religionémque induxit. De qua re ad Num. 18. iterum dicemus.

III. *Quinque anos aureos,* &c. Duo munerum genera proponuntur: quinque ani aurei, totidémque aurei mures. In hoc posteriori munere omnes cõueniunt fuisse mures ex auro factos. In illo priori diffident non pauci. Et potest esse triplex explicandi modus. Primus ex Ioseph.lib.6.Ant.c.1, qui asserit, fuisse aurea simulacra: quamuis, quarũ rerum fuerint, non exprimat. Antonius Sabellicus ait, fuisse simulacra illarum quinque vrbium, quæ erant metropoles in Palæsthina. Hug.Card.Dion. Carthus.& Naucl.dicunt, fuisse simulacra hominum, & pro se citant Iosephum, cui etiam Comestor eandem opinionem tribuit. Sed planè Iosephus, vt dixi, hoc non expressit: saltè iuxta duas, quas legi, illius editiones: nisi fortè in hanc sententiam pertrahatur, quòd in recentiori editione Basileensi dicat, fuisse *aureas statuas*: nomẽ autem statuæ non nisi hominibus adscribendum videatur. Præsertim si vocabulum Græcum spectetur. ἀνδριὰς, ἄντος, quod significat statuam, præcipuè virilem.

Ioseph. — *Sabel.* — *Varia de Philisthinorum muneribus sententia.* — *Hugo. Carthus. Naucl. Comest.*

IV. Secundus explicandi modus est ea Bibliis Sixtianis: vbi dicuntur fuisse *sedes aureæ.* Fortasse vt per eas Philisthini resarcirent eam iniuriam, qua Arcam in profana Dagonis sede collocarant. Et consentit Theod. q.13. transferens eodem modo *sedes aureas.* Et ante illũ Philo in Antiquitatibus Biblicis, vertens: *Sedilia aurea.* Sed non explicant hi Auctores, loquantúrne de illis sedibus, quas Gethæi fecerunt, superiori Cap. Num.9. an de illis, quas hoc loco Philisthini faciendas curarunt: quamuis probabile sit, vtrasque miscuisse & confudisse. Nam, cùm ibi legant, factas à Gethæis *sedes*; & hoc loco, factos *aureos anos,* quos Septuaginta superiori Cap.Num.6. vocãt *Sedes*: vbi enim Vulgata habet: *In secretiori parte natium*: vertunt ipsi, εἰς τὰς ἕδρας αὐτῶν. Hoc est, *In sedibus eorum*: vtrunque coniungentes, vertunt, *Sedes aureas.*

Aliorum opinio proponitur. — *Theod. Philo.*

V. Tertius tandem explicandi modus est ex Vulgata, vbi dicuntur ani aurei. Et eodem modo habet Regia & Complutensis editio. Ad quas accedunt D.August. lib.2. de mirab. c.7. D.Greg. Beda, Comestor, Rupert. D.Antonin. Vatabl. Lyra, Abulens. & alij. Nec multò aliter Chaldæus, quẽ sequitur Caietanus transferens: *Mariscas aureas.* Et fortè in eadem significatione accipiunt Sixtiana hoc loco: *Sedes aureas*, pro, *Anis aureis*: quos, vt proxime diximus, *sedes* appellabant. Immò Iosephus explicans fortasse illa, quæ dixerat: *Simulacra aurea*: subdidit; *Annulos aureos.* Hæc enim erat anorum figura, vt annulos, siue circulos aureos referrent. Hugo quidem Victor. legit, *Agnos aureos*: sed fortassè vitio Typographi, pro, *Anos aureos.* Nisi fortè quis dicat, Philisthinos scientes apud Hebr. immolari arietem pro peccato, Leu.6. n.6. similem hostiam pro peccato offerre voluisse. Quamuis huius interpretationis fundamentum in Litera non inueniam.

Tertius dicendi modus explanatur. — *D.August. D Greg. Beda. Comestor. Rupert. Vatab. Lyra. Abul. Caiet. Ioseph. Hug. Vict.*

VI. Ex hac Philisthinorum oblatione, inquit Dionys. *Videtur mos inoleuisse, quòd hi, qui cruciantur in manu, pede, aut alio membro, offerant talium membrorum similitudines cereas, aureas siue argenteas Omnipotenti.* Antiqui Ethnici non solùm pro depellendis malis; sed etiam pro depulsis, in gratiarũ actionem suis Diis marmorea, aut etiam aurea eorum simulacra erigebant; iuxta illud Virgilianum de tutelari hortorum Deo, Ecloga 7.

Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem suppleuerit, aureus esto.

Vbi vides non solùm imagines offerentium; sed etiam Deorum, quibus offeruntur, consecrari solitas. Cæterùm retenta, vt par est, vulgata editione, oritur quæstio:

Dion. — *Mos offerẽdi pro cruciatibus simulacra.* — *Virg.*

Cur Philisthini anos aureos, & mures aureos Deo obtulerint?

VII. DVo sunt in his muneribus distinguenda: figura, & materia: hæc pretiosissima, fateor. Illa despicatissima. Si quæras, cur illã materiam, aurum scilicet, Deo obtulerunt: in promptu est duplex ratio. Vna, vt pretiosissimum munus, quale est aurum, summo Deo tribueretur. Sic enim solebant Ethnici, per aurum supremo Numini litare; iuxta illud Virgilianum.

Et statuam ante aras aurata fronte iuuencam.

Vt dignitate muneris Numinis diuinitatem sibi demererentur. Altera, vt aurum, quod est malorum omnium irritamentum, à se prorsus abdicarent, & in diuinũ cultum venerationémque trãsferrent. Vnde aurum dicebat Ethnicus Vates, vel in mare abiiciendum, vel vni Deo consecrandum, ne si apud mortales seruaretur, peccandi illecebrãm nutriret. Sic enim cecinit Lyricus 3. carm.24.

Vel nos in Capitolium,
Quò clamor vocat, & turba fauentium:
Vel nos in mare proximum,
Gemmas & lapides, aurum & inutile,
Summi materiam mali,
Mittamus, scelerum si bene pœnitet.

Quasi diceret: Si quem suorum scelerum ritè pœnitet; is non solùm scelera omnia abiuret; sed omnia illorum nutrimenta incitamentáque demoliatur, quorum præcipuum est aurum, cuius cupiditate inescatus animus nullum se in flagitiom non deuoluit. Hoc igitur vel mari demergatur, vel Deo consecretur; neutro ex loco ad peccatorum illicium, exitiúmque animorum repetendum. Vtraque ratio facilè posset hoc loco illustrari, nisi id faciendi occasio aliis passim locis superesset. Maior dubitatio est, cur illam tam abiectam anorum, muriúmque figuram supremo Numini Philisthini consecrarint. Et inter alias rationes mysticas, quæ facilè possunt excogitari, triplex occurrit breuiter ac seorsim illustranda.

Donum ex auro pretiosũ. — *Aurũ malorum omnium irritamentũ.* — *Dubium de munerum figura illustratur.*

Prima ratio: vt significarent, pœnas à Deo immissas libenter suscipiendas.

VIII. OBtulerunt Philisthini Domino, & anos, in quibus flagellati sunt, & mures, per quos flagellati: vt membra verberata, & instrumenta verberantia Deo humiliter offerentes suam patientiam apertiùs ostenderent, & diuinam iram faciliùs mitigarent. Nam, quemadmodum sontes nudantes in plagas terga, vt feriantur; & deosculantes humiliter cultros, quibus feriendi sunt, suam ad supplicia ferenda patientiam & lubentiam ostendunt; & Iudicum, spectatorúmque animos ad sui misericordiam inflectunt: ita & Philisthini non subtrahentes corpora verberibus, sed exponentes; nec declinantes verberum

Diuina supplicia humiliter toleranda.

B instrumenta, sed amplexantes, & se promptos ad patiendum offerebant, & Deum ad sui misericordiam prouocabant. Priori modo, scilicet, se flagellis offerendo, Dauid olim Deum sibi propitium reddebat: *Ego*, inquit, *in flagella paratus sum.* Psal. 37. num. 18. Vbi Diuus Ambros. ab humana misericordia ad diuinam argumentatus. *Si seruulum*, inquit, *tuum videas peccata propria confitentem, vltrò offerre se pœnæ, inflecteris, ignoscis: & de Domini miseratione diffidis?* Quasi diceret: Putásne te, ad miserendum proniorem esse, quàm Deum? Absit. Si igitur tu videns seruum promptum ad patiendum, statim ad miserendum propendes: quid dubitas, si tu Deo tuam ad ferendum patientiam ostenderis, Deum tibi suam ad

D. Ambr.

Nihil ad misericordiam magis Deum inflectit, quàm humilitas.

C parcendum misericordiam ostensurum? Et statim à Dauidis exemplo similem nobis promptitudinem ad pœnas, quæ diuinitùs immittuntur, libenter sustinendas, persuadet, dicens: *Amicus Dei, Propheta Dei, Rex ab ipso electus Deo, flagellis se spontaneus offerebat, nec erubescebat, & tu erubescis?* Quasi exclamaret: O rem planè indignam, & ruborem verè erubescendum!

IX. Posteriori modo, nempe verberum instrumenta venerando, diuinam sibi misericordiam Israëlitæ in deserto conciliabant. Nam percussi à serpentibus, serpentem excitare, & placidis oculis respicere, & beneuolis animis contemplari admonentur. Num. 21. num. 8. Quasi foret optima pœnarum medicina, ipsa pœnarum

Eodem Deus instrumento cruciat, & sanat.

D instrumenta humiliter excipere, libenter amplecti, & reuerenter osculari. Vnde Oleaster in locum citatum Num. *Expende*, inquit, *quomodo Deus eodem malo, quo Israëlitas propter peccatum puniuit, eos sanare curauit: serpente momordit, & serpente à morsibus sanauit. Bona sunt & salutifera mala, quibus nos Dominus sæpiùs visitat; si sciamus ea eleuare, & Deo nostro præsentare.* Ita ille. Et statim rem illustrat præsenti Philisthinorum exemplo, qui anos, in quibus vapulabant, & mures, quibus puniebantur, Deo obtulerunt: *Vt his*, inquit, *quibus flagellati erant, Domino præsentatis, plaga immissa cessaret. Cognouerunt enim, nihil plus in nundinis Dei valere, quàm mala à Deo*

Oleast.

E *immissa, cum patientia, qua tolerantur, præsentare Deo.* Hæc ille. Ex qua tandem doctrina admonet Christianos, vt à Philisthinis, vel saltem ab Israëlitis discant, quando suorum scelerum pœnas dant, Deo non irasci: sed potiùs humiliter gratulari, & sua supplicia in peccatorum suorum remedia offerre: vt venena venenis quodammodo expungantur. Sed de hac re Cap. 3. Annot. 6. Sect. 1. & 2. vberiùs disseruimus.

Afflicti supplicio, Deo irasci nō debent, sed gratulari.

A *Secunda ratio: vt significarent, culpas à nobis commissas perpetua recordatione ac deploratione expiandas.*

IN illis anis & muribus, tanquam in signis, suas Philisthini culpas agnoscebant: quas in diuino conspectu proponentes, & cum ingenti animorū pœnitudine detestātes, penitùs delere sperabant. Nec de sua spe caderent, si externū actum internus affectus, qui necessarius erat, sequeretur. Nam sicut venenum temerè haustum, veneno artificiosè condito expellitur: ita peccatum imprudenter admissum, peccato sapiēter recogitato, aboletur. Patet in illo serpente æneo, in quo nō solùm pœnarum instrumenta, vt proximè diximus; sed et- X.

Peccatū sæpè recogitatum aboletur.

B iam culparum venena exprimebantur. Igitur ille serpens, serpentum morsibus medebatur. Omnes enim, qui liberari volebant à serpentibus ignitis; illum serpentem æneum respicere iubebātur. *Vt serpens*, inquit Oleaster citatus, *qui anteà mordens occiderat, cōspectu viuificaret.* Cuius rei mysterium statim declarans: *Qua in re*, inquit, *nos docere voluit Textus, quid valeat post perpetratam culpam eius consideratio ad detestandum. Quantuncunque enim à serpentibus peccatorum sis morsus; si postmodum ea quadam animi pœnitudine consideres, facillimè sanaberis. Recogitabo, ait quidam, omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Tu verò dic: Considerabo omnes serpentes meos ad sanitatē animæ meæ.* Hæc il-

Oleast.

Culpa consideratio ad detestationē multùm valet.

C le. Itaque, sicut serpens ille mordens necabat; visus sanabat: ita peccatum, cùm patratur, mortem infert, cùm recogitatur, ad vitam reducit: dūmodò non ad complacentiam, sed ad pœnitentiam recogitetur. Eandem interpretationem ex Cæsario Arelatensi iam suprà retuli Cap. 4. Num. 3. §. 33. Cuius illa summa est: *Medela nobis contra morsum serpentis, viso serpente, confertur; quando peccatum ipsum peccati cognitione curatur, & crimen criminis confessione aboletur.*

Peccata sunt serpentes venenosi.

XI. Vnde D. Bernardus sermon. in Cant. Ezechiæ, meritò se consolatur illis verbis sancti Regis: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Isai. 38. n. 15. *Oportebat*, inquit Bern. *si fieri posset, reuiuere me, vt ita loquar, denuò, quòd malè vixi: sed, quia hoc non possum, saltem recogita-*

D. Bern.

Peccata patrata necant, recogitata viuificant.

D *bo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ: faciam recogitando, quod reoperando non possum.* Quasi peccata, quæ patrata necarunt, recogitata viuificent. Ad Ieremiam de lacu extrahendum submisit Abdemelech veteres pannos & antiqua vestimenta, quæ computruerant, dicens: *Pone veteres pannos, & hæc scissa & putrida, sub cubito manuum tuarum*, &c. Ierem. 38. num. 12. Quod cùm fecisset Ieremias sic, extraxerunt eum funibus de lacu. Quid, obsecro, mysterij istud est, vt Propheta de lacu, non nisi cum putridis vestimentis extrahatur?

XII. Duplex responsio esse potest. Vnum tradit Bachiarius in epist. ad Ianuarium, De recipiendis

E lapsis, agens de peccatore in suum peccatum demerso, quem Ier. in lacum abditus repræsentabat. *Ecce*, inquit, *frater in lacu est. Mittamus ei pannos veteres; reducamus in memoriam eius, exempla antiquorum, qui per peccatum collapsi postmodum de profundis malorum per pœnitentiam ad superna relati sunt; quæ, cùm ei ante oculos posita fuerint, desperare non poterit.* Eodem modo interpratur Diuus Greg. lib. 25. Moral. c. 7. aliàs 8. vbi per funes, intelligit præcepta; per pannos, exempla; & vtrisque opus esse docet, vt peccator de scelerum cœno extrahatur: funibus quidem, id est, præceptis

Peccator aliorū exemplo à peccatorum cœno emergit.

Bachiar.

D. Greg.

ptis Dominicis, vt extrahendus fortiter religetur: pannis autem, id est, veterum pœnitentium exemplis, vt religandus molliter vinciatur; dum asperitas præceptorum, exemplorum suauitate mollitur. Altera responsio ad rem præsentem accommodatior esse potest: quia, vt quis de cœno peccatorum emergat, necesse est, vt ipsa peccata, tanquàm vetera ac sordida vestimenta, recordetur; eorúmque fœditatem contemplatus ac detestatus, ab illis se propiat & abducat. Itaque peccator in præteritis culpis recognoscendis immoretur, vt ab illis repetendis deterreatur. Sic enim fit, vt peccata, quę commissa in perditionem impulerunt, recogitata proficiant ad salutem.

Qui peccati fœditatem recordatur, detestatur.

XIII. Hanc ob causam Philisthini deformia quidem munera, sed aurea offerebant: vt repræsentarent eos peccatores, qui suorum scelerum deformitatem agnoscentes & execrantes, pœnitentiæ lacrymis eluebant, & cælestis gratiæ radiis inaurabant. Quâ de re D. Greg. multa luculenter. In primis enim notat, res turpissimas, anos & mures, reddi aureas: *Quia*, inquit, *ad pretium æternæ salutis, peccatorum turpitudines atteruntur; splendo deaurantur.* Et paulò pòst: *Dum*, inquit, *commissa attentiùs lugemus, in iustitia splendorem membra deaurantur.* Et post pauca: *Membra*, inquit, *deaurantur, cùm corpus terrena & cœnosa concupiscientiarum fœditate deforme, in splendorem commutatur æternæ vitæ: cùm, videlicet per sanctæ conuersationis pulchritudinem radiat, quod in appetitum mundanæ delectationis, peccatorum fœtore fordebat.* In quam rem adducit illud Apostoli: *Sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibeatis membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Rom. 6. num. 19. Quasi illa ipsa corporis membra, quæ, seruiendo peccato, cœnosa & turpia fiebant; redeundo ad frugem, & iustitiæ incumbendo, pulchra & aurea redderentur.

D. Greg. Vt nostra placeant munera, turpitudines atteruntur, lacrymis deaurantur.

Quæ peccata loget, totus manet aureus.

XIV. Ex quibus patet, scelerum instrumenta, immò & ipsa scelera, si pœnitentiæ lacrymis, & charitatis ardore imbuantur, quodammodo inaurari: hoc est, effici Deo gratissima, quæ anteà ingratissima videbantur. Vnde D. Chrys. hom. 6. in Marcum, loquutus de lacrymis, quibus pedes Christi Domini lauabat: *Vide*, inquit, *quanta sit misericordia Saluatoris. Peccata nostra mali odores sunt, putredo sunt: tamen, si agamus pœnitentiam propter peccata, si ploremus peccata nostra putrida, vnguentum efficiuntur.* Quid diuina misericordia efficacius, quæ non solùm de antidoto remedium parat; sed etiam de veneno? dum ipsamet peccata, quæ animo infixa lethalia erant, obiecta animo, vitalia reddontur; & cœnum in aurum, spina in rosam, mors in vitam commutatur?

D. Chrys. Peccata per pœnitentiam pretiosum vnguentum efficiuntur.

XV. Neque solùm prauæ operationes, sed etiam diabolicæ fraudes, si pœnitentia accedat, deaurantur. Vnde D. Greg. per mures aureos intelligit Dæmones superatos: qui, cùm nobis duri sint & ferrei, si vincant; tamen vtiles nobis & aurei redduntur, si vincantur: *Murium*, inquit, *similitudines deaurantur; dum nosmetipsos eorum* (nempe, Dæmonum) *elisos viribus suspiramus: nam dum ipsorum nos fraudibus victos plangimus; similitudines profectò murium aureas tenemus: dum præterita consilia Dæmonum non habemus in blandimento operis, sed in contemptu reprobationis. Ex auro itaque similitudines murium fiunt; quia præterita fraudes Dæmonum ad fulgorem nobis bona vita proficiunt.* Et paulò antè: *Mures*, inquit, *qui terram demoliti sunt, de auro fieri iubentur; quia & immundi Spiritus, qui carni nostræ corruptionis oblectamenta suggerunt, ad iustificationem nostram memorantur*: scilicet, concurrere, fal-

D. Greg.

A teri indirectè. Nam Dæmones à nobis superati, & ampliores meritorum coronas nobis fabricant; & ex antecedentibus fraudibus feliciter elusis, cautiores & peritiores nos efficiunt ad consequentes feliciùs eludendas.

Tertia ratio: vt significarent, culparum pœnarúmque ruborem peccatoribus semper affuturum.

XVI. Ignominiosam culpam Philisthinorum, ignominiosa pœna sequuta est: vtriusque pudorem sibi perpetuò affuturum, significare voluerunt Philisthini, dum ignominiosa illa anorum & murium simulacra præteritam culpam, & pœnam B indicantia, consecrarunt. Itaque deformia illa munera, ac planè erubescenda magnum in Philisthinis ruborem gignebant, ac perpetuum conseruabant; non solùm de pœnis, quas subierant, sed multò magis de culpis, quas patrarant. Vtrasque enim hæc munera, veluti quædam monumenta perpetuò testabantur. Et quidem Philisthinorum pœnas, hæc eorum donaria fecerunt quodammodo sempiternas. Vnde rectè Dauid de hac pœna loquutus: *Opprobrium*, inquit, *sempiternum dedit illis.* Psal. 77. num. 66. non, quòd illa pœna fuerit valdè diuturna: sed, quòd eius memoria hisce muneribus expressa diutissimè perdurarit: vt rectè ibi expendit Cardin. Bellarminus: *Prouidentia*, inquit, *Dei fecit, vt ipsi Philisthæi anos au-* C *reos appenderent Arcæ, ad memoriam sempiternam morbi pudendi, quo Deus illos affecerat.*

Æternus debet esse peccati pudor.

Bellar.

XVII. Iam verò Philisthinorum culpas obtegere ac velare debuerat perpetuus pudor, quem illa deformia munera ingerebant. Vnde D. Gregor. *Anorum*, inquit, *similitudines ad ruborem fiunt, quia profectò fœditatis nostræ maculas ad memoriam ducimus, vt de iisdem maculis confundamur.* Er quidem de nulla re magis, quàm de peccato erubescere debemus. Sic olim erubescebant Romani, ad quos D. Paulus: *Quem ergo*, inquit, *fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?* Rom. 6. n. a. Vbi aduerte, Romanos iam tunc de peccato ad meliorem frugem translatos esse; & nihilominùs D de peccato non præsenti, sed præterito confundi. Quod D. Chrysost. hom. 12. in eum locum rectè aduertit: *Talis*, inquit, *erat seruitus* (nempe, quæ à Romanis ducebatur olim in peccatis) *vt illorum etiam recordatio pudorem vel nunc pariat. Quòd si recordatio sola pudore afficit, quanto magis ipsa actio?* Suum iam peccatum remissum esse agnoscebat Dauid; & nihilominùs illius tantùm memoria stimulatus, erubescebat dicens: *Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.* Psal. 43. num. 16. Sublato peccato, relinquitur verecundia, ne in posterum repetatur.

D. Greg. Pudor de nulla re magis, quàm de peccato.

D. Chrys.

Sola peccatorũ memoria pudorem creat.

XVIII. Et quidem adeò erubescendum est peccatum, vt etiam sine teste confundar. Vnde primi parentes vbi peccarunt, statim erubuerunt, suam nuditatem foliis obuelantes. Gen. 3. num. 7. Nemo aderat, qui illis peccatum exprobraret: & nihilominùs E ipsi, etiam remotis arbitris, de suo peccato erubescebant. Nam, vt bene Tertul. in Apologetico, cap. 1. *Omne malum*, inquit, *aut timore, aut pudore natura perfudit. Denique malefici gestiunt latere, deuitant apparere, trepidant deprehensi, negant accusati; ne torti quidem facilè, aut semper confitentur: certè damnati mœrent, dinumerant in semetipsis mentis mala impetus; vel fato, vel astris imputant: nolunt enim suum esse, quia malum agnoscunt.* Quòd si quis adeò est inuerecundus, vt magis de teste & arbitro, quàm de malo ac peccato erubescat; is planè nun-

Pudor de peccato connaturalis.

Tertul.

quàm sibi abesse testem, vel ab oculis, vel saltem ab animo patiatur: sequutus consilium Philosophi Senecæ, qui lib. 2. epistolarum, epist. 11. ad Lucilium: *Aliquis*, inquit, *vir bonus nobis eligendus est, ac semper ante oculos habendus; vt sic, tanquàm illo inspectante, viuamus; & omnia, tanquàm illo vidente, faciamus. Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis, assistit. Aliquem habeat animus, quem vereatur; cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat, vt ad memoriam quoque eius se componat, atque ordinet. Qui sic aliquem vereri potest, erit citò verendus.* Ita Seneca eleganter philosophatur.

Senec.

Testis oculatus peccandi licentiam frenat.

XIX. Quare nihil nos inter res humanas efficaciùs armare potest cõtra peccata, quàm pudor de peccatis. Vnde D. Greg. Nissen. hom. 5. in Ecclesiastem: *Videntur*, inquit, *esse arma valida & potentia ad effugienda peccata, pudor qui est insitus in hominibus. Qui ideo, vt puto, est nobis à Deo inditus, vt huiusmodi animi affectio, sit nobis auersio à deterioribus: pudor enim magis, quàm timor, sæpè erudit ad praua fugienda. Sed & pudor sequens debitis reprehensionem per se sufficit ad castigandum eum, qui peccat, ne rursus in similia incidat.* Ea fortasse causa est, cur, Iosepho accusante fratres suos apud patrem de crimine pessimo, Gen. 37. num. 2. pater nihilominùs dissimularit. Non enim dicitur, eos, aut duro flagro verberasse, aut molli verbo perstrinxisse. Credo, quia ingenuos pueros illa suorum criminum ad patrem delatio, atque manifestatio tanto pudore affecerat; vt bonus parens iudicaret, illos tanto pudore satis supérque castigatos ob præteritam culpam; & eodem pudoris fræno à futura retrahendos. Vel etiam eorum pudori consuluit, ne filij peracerba obiurgatione stimulati, impudentiæ callum obducerent, & effrontes redderentur. Vnde Diuus Gregorius Nazianzenus in Carm. ad Vitalianum, laudat eorum patrum consilium, qui aliquando in filiorum culpis paululum conniuent; ne, si asperiùs vrgeant, ex ingenuis faciant impudentes. Sic enim canit:

D. Greg. Nissen.

Pudor arma in peccatum.

Nulli maius peccatorum supplicium, quam pudor.

D. Greg. Naz.

Pueri, si nimis vrgeantur, ex ingenuis fiunt impudentes.

Multa vident, quæ se fingunt non cernere, multa
Dissimulant audisse patres, licèt auribus hausta,
Ne tenerum abrumpat reprehensio dura pudorem,
Auxilium patribus, quo nullum firmius vsquam est:
Probra etenim effrontes faciunt, bonisásque modestos.

Igitur omnibus modis curandum est, ne peccandi pudor amittatur: & si inclementia non prodest, adsit indulgentia, vt conseruetur.

XX. Hinc est, vt D. Gregor. Nissenus paulò antè citatus doceat, valdè salutare esse Confessionis Sacramentum, etiam de occultis peccatis, vt de illis erubescamus: *Per hoc* (scilicet, Pœnitentiæ Sacramentum) *licet animam armare pudoris armis. Nam, qui per occultorum enuntiationem se ipsum veluti proscripserit, memoriam pudoris habet pro pædagogo ad vitam deinceps agendam.* Vbi aduerte, egregia translatione pudorem appellari pædagogum: vt enim hic alumnos suos abducit à malè gestis, & ad rectè facta inducit; ita & ille ingenuos viros à vitiis repellit, impellit ad virtutes, & sicut pueri sine pædagogo, ita & homines sine pudore temerè præcipitantur. Duplex igitur est humanæ vitæ pædagogus: scilicet, timor de iudicio, vt D. Basilius in cap. 1. Isaiæ, ad illa verba, *Quærite iudicium*, asseruit: & pudor de peccato, vt D. Greg. Nissenus Basilij frater, citato loco testatur. Qui pudorem non habet, amittet proculdubiò & timorem; immò & se ipsum perdet, iuxta illud Plautinum in Bacchidibus: *Ego*, inquit, *illum periisse duco, cui quidem periit pudor.* D. autem Bernardus in lib. Meditat. cap. 11. *De die*, inquit, *in diem peccata peccatis addo: erubescenda video, nec erubesco: dolenda intueor, nec doleo: quod est mortis signum & damnationis indicium.* Concinit D. Greg. Nazianz. in carm. ad Olympiadem:

D. Greg. Niss.

Pudor animæ pædagogus.

D. Basil.

Plaut.

Perit, cui pudor perit.

D. Ber.

A

De peccatis nõ pudere damnationis indicium.

D. Greg.

Protinùs extincto subeunt mala cuncta pudore.

Sicut enim pudor omnium virtutum radix est; ita planè significauit, pudoris iacturam esse flagitiorum omnium certissimam parentem.

XXI. Vnde Antichristus: *Faciet*, inquit Ioannes, *omnes pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis.* Apocal. 13. num. 16. In manu quidem imprimet characterem, vt homines faciat ad peccandum audaces: in frontibus, vt faciat ad audendum inuerecundos. Denique nemo erit, cui suum characterem non inurat; vt nemo sit, qui penitùs non depudescat: nam, cùm omnes se viderint eodem charactere sigillatos, minùs ab inuicem erubescent. Vt enim Seneca lib. 2. De Benefic. cap. 16. testatur. *Pudorem rei tollet multitudo peccantium, & desinet esse probri loco commune delictum.* Itaque summa nouissimorum temporum peruersitas ex iactura pudoris aptissimè describitur: nulla enim iustitiæ pars stare potest, si pudoris fundamentum diruatur. Quò pertinet illud Senecæ Poëtæ in Agamemnone:

B

Antichristus omnes faciet depudescere, ad peccandi licentiam.

Senec. phil.

Senec. Poët.

Omnia labũtur, si pudor labitur.

Periêre mores, ius, decus, pietas, fides,
Et qui redire, cùm perit, nescit pudor.

Quasi pudore collapso, omnes aliarum virtutum moles, quæ illo superstruuntur & innituntur, facilè collabantur.

C

XXII. Contrà verò, qui pudorem retinet, quamuis grauiter delinquat, non desperet, nec de salute sua actum credat: nondum enim est omninò deploratus, vt patet in primis parentibus, qui, cùm post peccatum erubuerint, & præ pudore se absconderint, Gen. 3. à num. 7. certam de salute sua spem retinuerunt. Vnde D. Ambrosius lib. De Paradiso, cap. 14. *Adhuc*, inquit, *in his remedium sanitatis est, quia audiunt Dei verbum. Deinde habent remedium, qui se absconderunt: nam, qui absconditur, erubescit: qui erubescit, conuertitur, sicut scriptum est*, Psal. 6. n. 11. *Confundantur & conuertantur valdè velociter.* Vnde, si pudor, qui Adami culpam subsequutus est, anteueniret; sine dubio culpam euitaret. Sed serò, & post meridiem, & ad vesperam, audiuit Adamus Deum loquentem, & se peccantem agnouit. *Quia serò*, inquit Diuus Ambrosius citatus, *venit quædam erroris præteriti verecundia, quæ errorem præuenire debuerat.*

D. Ambr.

Qui pudorem habet, remedium peccati habet.

Ante peccatũ pudor, peccatum tollit.

D

D. Ambr.

XXIII. Denique Diuus Gregorius Nazianzenus Orat. 1. Apologetica hunc pudorem in peccantibus tanti facit, vt illum *pharmacum persuasionis* appellet. Nam, si peccatori impudenti suadere velis, vt meliorem vitam amplectatur, nunquàm persuadebis. At verò peccator verecundus facilè se flecti & duci ad bonam frugem patietur. Vnde Dauid: *Imple*, inquit, *facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Psalm. 82. num. 17. Quasi ex pudore culpæ facilè pœnitentia subsequatur. Propterea, inquit Nazianzenus citatus, *Pudore affici, pietatis pars est, non minima.* Et Orat. 26. docet, pudorem esse illum: *Quo*, inquit, *nullum maius adiumentum ad virtutem excogitari potest.* Peccauit quidem Diuus Petrus, sed cum timore ac pudore: vt ex eo constat, quòd, cùm semel atque iterum negaret, nondum illi credebatur; sed nouus atque importunus inquisitor assistebat, qui prioribus negationibus non contentus, aliam extorqueret: quia scilicet adeò verecundè ac timidè negabat, vt aliud ore promere, aliud sub corde recondere

D. Greg.

Pudor persuasionum pharmacum.

E

D. Greg. Naz.

Pudor maximum ad virtutem adiumentum.

Iusti si labuntur, cum pudore labuntur.

D.Chryſ.

dere videretur. Nam, vt bene D. Chryſoſtomus hom. 5. De verbis Iſaiæ: *Quemadmodum*, inquit, *præclara corpora etiam in aduerſa valetudine multa nobis formæ veſtigia oſtendunt: ſic etiam Sanctorum animæ in ipſis etiam erratis ſuæ virtutis ſigna præſeferunt.*

Qui pudorem amittit, immedicabilis.

XXIV. Verecundè igitur peccans, ſeu pudorem, perſuaſionis pharmacum, in ſe habens, facilè paſſus eſt ſibi pœnitentiam perſuaderi. Non enim longo verborum apparatu, ſed vno oculorum coniectu, à Chriſto Domino percuſſus, ſtatim *egreſſus foras, fleuit amarè*. Luc. 22. num. 61. Contra verò, qui inuerecundè peccat, ſeu perſuaſionis pharmacum, pudorem, à ſe excludit; immedicabilis eſt, nec vllo poteſt verborum ambitu ad pœnitentiam reuocari. Talis Rex Ozias, quem ad ſacrilegium impudentem & effrænem, nulla potuit Sacerdos Azarias perſuaſione coërcere. Vnde à Deo percutitur in fronte, à qua verecundiam abraſerat. *Statimque*, inquit Textus, *orta eſt lepra in fronte eius*. 2. Paralip. 26. num. 14. Nec immeritò: vt vnde verecundia exierat, vindicta ſuccederet. Quod rectè notauit D. Chryſ. homil. 4. De verbis Iſaiæ: *Effloruit*, inquit, *lepra in fronte illius; quia vbicunque eſt impudentia, illic eſt vltio.* Sic & Golias in fronte percutitur: *Infixus eſt lapis in fronte eius.* 1. Reg. 17. num. 49. vt effrontem ad peccandum diuina iuſtitia in fronte mulctaret: vt ibi latiùs oſtendemus. Vtinam, ſi peccata omnia excludere non poſſumus; hunc ſaltem peccandi pudorem nunquàm excludamus. Quem Philiſthini ne excluderent, deformia illa munera Deo conſecrarunt; quò ab eorum conſpectu, vt erubeſcerent, admonerentur.

Perfectam pudoris ſedem punit Deus.

Effrentes ad peccandum in fronte puniuntur.

XXV. *Quia plaga vna fuit omnibus vobis*, &c. Hactenus reddidi cauſas, ob quas hæc certa munera potiùs, quàm alia offerri iubeantur. Nunc in Litera redditur cauſa, ob quam exigantur hæc munera iuxta numerum Prouinciarum Philiſthinorum; hoc eſt, cur quinque dona quinque Prouinciis imperentur. Cauſa autem, iuxta Vulgatam, eſt: *Quia plaga vna*, inquit, *fuit omnibus vobis & Satrapis veſtris.* Iuxta Septuaginta in Bibliis Regiis & Complutenſibus: *Quoniam error in vobis & Principibus veſtris & populo.* Nec multùm differunt Sixtiana: *Quoniam delictum in vobis*, &c. Igitur iuxta Vulgatam ſenſus eſt: Omnes offerre debetis eadem munera, quia omnes eandem plagam ſuſtinuiſtis. Ad releuandam enim communem plagam, interprete Carthuſiano, communem oblationem adhiberi oportebat. Sed obiicies: Non ſolùm primariis vrbibus, ſed etiam minoribus oppidis eadem plaga incubuit, vt ſuperiori Cap. Num. 9. iam oſtendi. Ergo, ſi hæc ratio quidquam efficit, non ſolùm quinque primariæ vrbes, ſed etiam minora oppida ad munera offerenda obligari debuerunt. Reſpondeo, minora oppida ſub primariis vrbibus contineri; ac proinde harum oblationes ad illa releuanda applicari: præſertim, ſi omnia pro rata portione ad illa munera aurea fabricanda ſuas opes contulerunt. Præterquàm quòd veroſimile ſit, vt paulò antè diximus, etiam tenues pagos ac vicos, propria vota ex priuata religione ac pietate conſecraſſe.

Omnibus Prouinciis munera imperantur, quia omnes peccarant.

Carth.

Obiectio quædam diluitur.

XXVI. Iam verò iuxta editionem Græcam, ſenſus eſt: Omnes offerre debetis eadē munera; quia omnes eundem errorem, ſeu idem delictum, eandémque culpam commiſiſtis. Vbi enim par eſt culpa, par & ſatisfactio eſſe debet. Sed dices: Non fuit par omnium culpa, quia non omnes Arcam ceperunt, aut in ſede Dagonis collocarunt. Ergo non omnes ad eandem ſatisfactionem obligari debuerunt.

Vbi par eſt culpa, par debet eſſe ſatiſfactio.

A Reſpondeo, omnes pariter, ſi non facto ipſo, ſaltem voto & aſſenſu eadem ſacrilegia commiſiſſe; ac proinde omnes ad eandem ſatisfactionem fuiſſe obligandos. Ex his duobus ſenſibus, quamuis vterque verus ſit; tamen priorem poſteriori antepono: tum, quia Vulgatæ conformior eſt: tum, quia Philiſthini de culpis parum ſolliciti, de pœnis nimiùm angebantur: proindéque ad has potiùs, quàm ad illas euitandas ſuo Deo munera offerebant.

XXVII. *Facietis ſimilitudines*, &c. Eſt replicatio eiuſdem ſententiæ, vt Abulenſis interpretatur. Vnde Diuus Gregor. eandem in expoſitionem conſpirans: *Vt attentiùs*, inquit, *melioranda vitæ propoſitum commendent, inculcando repetunt, dicentes: Facietis ſimilitudines*, &c. Adeò enim ſunt difficiles homines ad B reddenda debita, vt niſi ſæpiùs admoneantur, non attendant, non curent, diſſimulent, tergiuerſentur; ac tandem ſæpiùs ſollicitati, vix quidquam reddere compellantur. Quare optima eſt illa Parœmiaſtæ admonitio: *Ne dicas amico tuo: vade, & reuertere; & cras dabo tibi: cùm ſtatim poſſis dare.* Prou. 3. num. 28. Ac ſi etiam in liberalibus donationibus omnis cunctatio ac dilatio præcaueri debeat, & amputari. Quòd ſi meritò arguitur, gratuita poſtulata differens; quid differens rigoroſa debita? Quales multi ſunt, in quos Siracides inuehitur: *Multi*, inquit, *præſtiterunt moleſtiam his, qui ſe adiuuerunt. Donec accipiant, oſculantur manus dantis, & in promiſſionibus humiliant vocem ſuam. Et in* C *tempore redditionis poſtulabit tempus, & loquetur verba tædy, & murmurationum, & tempus cauſabitur.* Eccleſiaſtici 29. à num. 4. Hoc eſt, magna cum ambitione petunt; ſed pari cum difficultate ſoluunt. Neceſſe eſt, vt debita ſæpiùs exigantur, & debitores ſæpiùs defatigentur, antequam quidquam reſtituatur. Tandem, ſi iniqui ſunt, qui humanos creditores, ſolutionem in longius differendo, ludificant: quid illi, qui vota Deo præſtita ac debita reddere cunctantur? Rectè Sapiens: *Si quid*, inquit, *vouiſti Deo, ne moreris reddere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio.* Eccleſiaſt. 5. num. 3. Qualis eſt, quæ ſponte & in tempore non redditur; ſed opportunè, importunéque exacta, vix tandem impetratur. Hoc eſſe Philiſthinorum inge- D nium, vt ad ſoluenda debita ægrè adducerentur; nouerant fortaſſe eorum Sacerdotes ac Diuini, qui eos propterea de hac re ſemel atque iterum admonebant.

Abul.

Quàm ſint homines ad reddenda debita difficiles.

D. Greg.

Vota Deo facta non differenda.

XXVIII. Sed quæres primò: Cur non potiùs aurum rude, vel ſaltem auream pecuniam, quàm ſimulacra aurea offerri decreuerunt: præſertim cùm non ignorauerint, lege Hebræorum, omne ſculptile, etiam reptilium, ſeueriſſimè prohiberi, Deuteron. 4. à num. 15. ac proinde non poſſe per hæc dona Deum Hebræorum placari, ſed potiùs irritari? Reſpondet Gregorius Venetus problem. 449. quia Sacerdotes ac Diuini Philiſthinorum, vel ex lege, vel ex Diabolo didicerunt, Deum Iſraëlis aliquando placatum fuiſſe imagine ſerpentis in altum erecti, Num. 21. num. 8. vnde collegerunt etiam E nunc hiſce imaginibus placandum. Quid, ſi dicam voluiſſe Dæmones per has imagines Hebræos ad idololatriam prouocar[illegible] Tanta enim erat Hebræorum inſania, vt videntes Arcam inter aureas imagines ſibi reſtitutam, facilè adduci poſſent ad credendum, in illis imaginibus diuinitatem includi; nec proinde vero Deo, ſed falſis ſimulacris acceptum beneficium referrent. Sed, ſi huc Dæmones collimarunt, profectè aberrarunt. Non enim illæ imagines Hebræis ad idololatriam, ſed potiùs ad diuinum cultum inſeruierunt, vt iam dico.

Omne olim ſculptile ſeueriſſimè prohibebatur.

Venet.

Quàm faciles Hebræi ad idololatriam.

Quæres

XXIX. Quæres secundò: Quid de his simulacris ab Israëlitis factum sit? Respondet Abulensis quæstione 13. aut vasa sacra in ministerium Sanctuarij ex illis conflata esse; aut potiùs ipsa simulacra integra & illæsa in Sanctuario reposita fuisse ad memoriam beneficij sempiternam. Quo pacto olim Deus iussit, thuribula aurea eorum, qui rebellauerant contra Moysem & Aaronem, in laminas producta, & altari affixa perpetuò conseruari: *Vt cernant*, inquit Textus, *ea pro signo & monumento filij Israel*. Num. 16. num. 38. Atque adeò illorum aspectus, interprete Theodoreto, quæstione 36. & coërcebat improbos, & informabat iustos. Quo etiam pacto serpens ille æneus in deserto erectus, conseruatus est in templo Salomonis, vsque ad tempus Ezechiæ Regis, & vlteriùs etiam conseruandus esset, nisi degeneres Hebræi illud diuini beneficij monumentum in idololatriæ simulacrum vertere cœpissent: tunc enim Ezechias serpentem confregit, 4. Regum 18. num. 4. vt omnem idololatrandi occasionem Hebræis aboleret. Sic igitur hæc munera in Sanctuario conseruata sunt ad terrendos hostes, & confirmandos ciues.

Abul. *Munera seruantur in templis ad memoriam beneficij sempiternam.* *Theod.* *Tollenda idololatriæ occasio.*

XXX. Sed dices: Aurum & argentum pertinens ad idola, erat execrabile; cunterique & comburi iubebatur, Deuter. 7. num. 25. vt omnis idololatrandi occasio Hebræis tolleretur. Fateor: sed hoc aurum ad idola non pertinebat. Non enim ex auro idolorum, hæc anorum & murium simulacra conflata referuntur; sed simpliciter ex auro. Vrgebis: saltem pertinebat ad idololatras: quod etiam Deus contemni & comburi præcipiebat; iuxta illud: *Statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, omniaque, quæ in ea sunt, vsque ad pecora; quidquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo tuo.* Deut. 13. num. 15. Respondet Abulensis quæst. 14. ad tertiam rationem, non omne aurum pertineus ad idololatras comburi. Nam de auro Madianitarum magna pars seruata est in tabernaculo testimonij coram Domino. Numer. 31. num. 54. Et iterùm: Quidquid auri & argenti erat apud Ierichuntinos, consecratum est Domino, & repositum in thesauris eius. Ios. 6. num. 4. Denique in templum Ierosolymitanum multi Gentiles religionis & adorationis causa, magna auri & argenti munera conferebant, quæ in eo seruabantur, vt suprà Cap. 4. Numer. 9. §. 23. ostendimus. Illud autem aurum, de quo agitur citato Deuter. loco, ideò Deus comburendum curauit, quia pertinebat ad idololatras de populo Israel: hos autem multò magis Deus, quàm reliquos Gentiles execrabatur: ac proinde aurum aliarum Gentium recipiebat; aurum autem Hebræorum in idololatriam degenerantium concremandum imperabat.

Obiectio quædam diluitur. *Vrgetur responsio, & augetur dubium.* *Abul.* *Respondetur ad instantiã.*

XXXI. Quæres tertiò: Cur Philisthini, sicut offerre iubentur vnum munus pro depellendis morbis, & alterum pro depellendis muribus; non etiam offerre iubeantur tertium pro depellenda plaga suorum Deorum, qui etiam ad præsentiam Arcæ corruebant & conterebantur? vt superiori Cap. Num. 9. ostensum est. Respondeo, vel ne suos Deos Deo Israëlis subiicere viderentur; quasi mallent suos Deos torqueri, quàm humiliari: vel, quia magis curabant suarum diuitiarum iacturam, quam suorum Deorum iniurias, ac proinde has facilè prætetibant, illam auertere nitebantur. De mystico harum imaginum significatu, consule Diuum Gregorium, Bedam, Hugonem Victorinum in Allegoriis huius loci, & Hugonem Cardinalem, qui omnes dicunt, per illas significari quinque corporis sensus, priùs aliquo peccato infectos, & posteà aliquo sacrificio expiatos: vel potiùs ipsa sacrificia, quibus sensus peccato infecti expiantur.

Idololatræ Deos suos torqueri malunt, quàm humiliari. *Per Philisthinorum munera sensus peccato infecti, & sacrificio expiati significantur.*

XXXII. *Et dabitis Deo Israël gloriam, &c.* Vel potest esse nouum præceptum: vel idem, aliter tamen explicatum. Nouum esse significat Diuus Gregorius. Quasi præcipiant Sacerdotes, ne Philisthini post illorum munerum oblationem, tanquàm de bono opere inaniter glorientur; sed potiùs Deo tribuant, quidquid gloriæ inde oriatur: *Deo*, inquit, *gloriam dare, est, de studio boni operis, & de æstimatione humilitatis in semetipso inaniter non gloriari: sed Dei omnipotentis laudibus, omne quod agitur, impendere.* Idem verò præceptum esse, sed aliter explicatum sentiunt alij Interpretes; ita vt sensus sit: Offerte munera, quibus Deo Israëlis gloriam tribuetis: seu per appositionem, vt loquuntur: Offerendo munera, dabitis Deo Israëlis gloriam: seu, Offerte munera, quæ sunt gloria: seu, quæ redundant in gloriam Deo Israëlis.

D. Greg. *Non debent homines de bono opere inaniter gloriari.* *Munera nostra Dei redundant in gloriam.*

XXXIII. Sed quo pacto hæc munera Deo oblata, in Dei gloriam redundabant? Sunt qui existiment, esse vulgarem Hebraïsmum, quo illi dicuntur Deo gloriam dare, qui sua peccata palàm confitentur, & supplicia pro illis accepta à Deo emanasse protestantur. Vtrunque autem facere videbantur Philisthini, dum illa Deo Israëlis munera offerebant. Ita mihi videntur significare Beda, Carthusianus, Vatablus, Lyra & Abulensis, dicentes, dare gloriam Deo, hoc loco esse, proprias culpas confiteri, & omnes plagas à Deo ortas esse, protestari. In quo sensu olim Iosuë ad Achan, *Fili mi*, inquit, *da gloriam Domino Deo Israel; & confitere atque indica mihi, quid feceris; ne abscondas.* Iosuë 7. num. 58. Et Pharisæi ad illum cæcum, quem Christus Dominus sanauit: *Da*, inquiunt, *gloriam Deo. Nos scimus, quia hic homo peccator est.* Ioan. 9. num. 24. Hoc est: Veritatem confitere, à quonam sanatus fueris: nam hic homo peccator cùm sit, conferre tibi non potuit sanitatem. Et Esdras ad Iudæos illicitis coniugiis contaminatos, *Et nunc*, inquit, *date confessionem & magnificentiam Domino Deo patrum nostrorum.* 3. Esdr. 9. num. 8. Quasi Deus sicut peccantium culpis offenditur, ita pœnitentium confessionibus magnificetur. Et Ieremias ad filios Israel: *Date*, inquit, *Domino Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat.* Ierem. 13. n. 16. Hoc est: agnoscite & confitemini peccata vestra, dum superest vitæ tempus.

Deo dat gloriam, qui sua peccata confitetur. *Beda.* *Carthus.* *Vatab.* *Lyra.* *Abul.* *Variis confirmatur exemplis.* *Deus per pœnitentiũ confessionem magnificatur.*

XXXIV. Et Dauid: *Immola*, inquit, *Deo sacrificium laudis.* Psal. 49. num. 14. Hebraïcè: *Sacrificium confessionis.* Nostra enim confessio est laus diuina. Idem rursus: *In voce*, inquit, *exultationis & confessionis, sonus epulantis.* Psal. 41. num. 5. Vbi D. Hieron. Symmachus & Aquila transtulerunt: *In voce laudis & confessionis.* Quasi semper hæc duo, laudatio diuina, & humana confessio coniungantur: & ex hac peccatorum confessione ad sonum epulantis, seu ad eucharisticum epulum via muniatur. Denique, tres pueri in fornace Deum laudaturi: *Peccauimus*, inquiunt: *iniquè egimus, recedentes à te.* Dan. 3. num. 29. Nam, vt bene D. Chrys. hom. 3. in Matth. iam à nobis suprà citatus cap. 3. num. 17. *Hoc est enim*, inquit, *referre gratias Deo, peccata ei propria confiteri, vt cùm mille se aliquis reum fateatur malorum; nulla tamen magna satis se pro his arbitretur pati supplicia.* Tandem nautæ, qui Ionam in mare abiecerunt, in mediis fluctibus *Immolarunt hostias Domino.* Ion. 1. num. 16. Non quidem pecudum, quas ibi

Nostra peccatorum confessio, laus diuina est. *D. Hieron.* *Symmach.* *Aquila.* *D. Chrys.* *Homo per confessionem Deo immolatur.*

ibi non habebant, sed confessionis, interprete D. Hieronymo, qua Deo laudem & gratiam referebant. Ad quod sacrificij genus alludens Propheta: *Reddemus, inquit, vitulos labiorum nostrorum.* Oseæ 14. num. 3. Vbi D. Hieron. *Vituli, inquit, laudes in Deum sunt, labiorum & gratiarū actio.* Et paulò pòst; *Placabilis, inquit, Deo hostia, est pura confessio.* Vbi vides, confessionem peccatorum, appellari gratiarum actionem. Vnde D. Paulus: *Offeramus, inquit, hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius.* Hebr. 13. num. 15. Quasi tunc maximas Deo laudes rependamus, cùm illi nostra peccata confitemur. Quare de bono latrone dicente in cruce: *Et nos quidem iustè; nam digna factis recipimus.* Luc. 23. num. 41. rectè D. August. serm. 8. De verbis Domini, *In eo, inquit, quòd se accusauit, Deum laudauit.* Ac si accusatio propria, sit laudatio diuina.

D. Hier. *D. Hier.* *Deo gratias repēnaere, est peccata confiteri.* *D. August.*

XXXV. Iuxta hæc dabunt Philisthiois Deo gloriam, si per hæc munera, tanquàm per expressa verba, Deo sua peccata confiteantur, & ab illo omnia hæc supplicia prouenisse non inficientur. Nihilominùs, si quis hoc loco nullum Hebraïsmum concesserit, sed planam ac propriam loquutionem; non repugnabo: præsertim, cùm loquantur Philisthini, qui proprium idioma habebant, & alienos Hebraïsmos non curabant. Tunc autem sensus erit, quem ipsa verba præ se ferunt: *Dabitis Deo Israël gloriam,* eius Arcam muneribus cumulando. Donare enim, laudare & honorare est.

Aliter verborum sensus. *Donare, laudare & honorare est.*

XXXVI. *Si fortè releuet, &c.* Sicut manus Domini aggrauata fuerat super tria, nempe, Philisthinos, agros & Deos: ita ab his tribus dicitur hoc loco releuanda: *A vobis, & à terra vestra, & à Diis vestris.* Caietanus singulari numero legit; *Et à Deo vestro:* significans, solùm Dagonem fuisse percussum. Sed meliùs Dionyſ. ex hoc loco colligit, percussos fuisse plures, vt superiori Cap. Num. 9. iàm aduerti. Et Orig. hom. 16. in Num. expressit, dicens: *Cultus ipse Dæmonum destruebatur, vtpote simulacris eorum templisque ad ingressum Arcæ Domini corruentibus.* Chaldæus pro illis verbis, *A Diis vestris,* transtulit: *Ab erroribus vestris:* sicut etiam superiori Cap. Num. 7. pro, *Super Dagon Deum vestrum,* transtulerat: *Super Dagon errorem vestrum:* vt ibi aduerti, & explicaui.

Opinio Caietani existimantis solùm Dagonē fuisse percussum. *Caiet.* *Dionyſ.* *Melior aliorū sententia.* *Orig.* *Vehemens error, idolorum seruitus.*

XXXVII. Quæres: An hoc dixerint Philisthini cum dubitatione & hæsitatione? Negabit aliquis primò: quia paulò superiùs Num. 3. absolutè dixerunt: *Reddite, & tunc curabimini.* Secundò, quia apud Septuaginta non est hæc dubitatio: *Si fortè releuet:* sed caussalis oratio: *Vt releuet, &c.* Tertiò, quia particula, *Fortè,* & similes in Scriptura non semper inferunt dubitationem: vt patet Ierem. 26. num. 3. Ezechiel. 3. num. 11. Luc. 20. num. 13. Ioan. 4. num. 10. & cap. 5. num. 46. & cap. 8. num. 19. & passim alibi: quod præter Interpretes ad ea loca, D. etiam Ambrosius libro 2. De Pœnitentia, cap. 4. & 5. pluresque alij obseruant. Ita interpretari videtur hunc locum D. Gregor. dicens, Philisthinos illis verbis, *Si fortè releuet,* non dubitasse; sed rei difficultatem ostendisse: sicut & Niniuitas dicentes; *Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus?* Ion. 3. num. 9. Vnde rectè subdit D. Gregorius: *Commoneri ad pœnitentiæ lacrymas cum magna fortitudine debemus: quia, si hi, qui pœnitentiam austeram faciunt, vix fiduciam salutis inueniunt; negligentes falsos fieri, quando possunt?*

Dicunt cuiusdam pars negatiua propo-nitur. *D. Ambr.* *D. Greg.* *D. Greg.*

XXXVIII. Nihilominùs sentio, Philisthinos de reconciliatione diuina per illa munera facienda dubitasse: tum, quia erant infideles, qui non tam certam de diuina misericordia fiduciam habebant: tum, quia licèt essent fideles, nec dubitare possent, verè pœnitentes ad diuinam gratiam recipiendos; adhuc tamen dubitare poterant de facto, an illi veram pœnitentiam essent acturi. Et rursus, quamuis agerent, an pœnæ temporales huius vitæ essent illis remittendæ: cùm neque verè pœnitentibus semper remittantur: vt patet in Dauide, qui etiam post veram pœnitentiam de salute filij sui dubitabat: *Quis scit, inquiens, si fortè donet eum mihi Dominus, & viuat infans?* 2. Reg. 12. num. 22. immò illam non impetrauit: *Accidit enim die septima, vt moreretur infans.* Ibidem, num. 18. Dubitarunt igitur Sacerdotes ac Diuini, & hanc suam dubitationem paulò inferiùs prodiderunt, confugientes ad auguria, vt per illa de tota re certiores redderentur.

Pars affirmatiua magis placet.

XXXIX. Docet hoc loco Caietanus, hos Diuinos non fuisse Philisthæos, sed aliunde accersitos. Probat: quia in secunda persona loquebantur: *Si fortè, inquiunt, releuet manum suam à vobis, & à Diis vestris, & à terra vestra.* Non autem, à nobis, & à Diis nostris, & à terra nostra: quo etiam modo paulò antè loquuti fuerant: *Plaga vna fuit omnibus vobis & Satrapis vestris.* Sed, quorsum Philisthini alienigenas Augures accerserent, qui indigenis abundabant? vt paulò superiùs Num. 2. iam aduerti. Præterea, Caietani probatio infirma est. Alioqui etiam diceret, Moysem & Samuelem nō fuisse de populo Israël; quia ille loquutus cum Israëlitis: *Dominus, inquit, Deus vester multiplicauit vos: Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerum multa millia.* Deut. 1. num. 10. & 11. Hic autem cum eisdem de iure Regis loquutus: *Filios, inquit, vestros tollet, & ponet in curribus suis. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias. Agros quoque vestros & vineas dabit seruis suis.* 1. Reg. 8. à num. 11. Immò & Christum Dominum, & D. Petrum de populo Israël excludere cogeretur. Nam Christus Dominus dixerat: *Patres vestri manducauerunt manna in deserto.* Ioan. 6. n. 49. Non autem, *Patres nostri.* Et D. Petrus: *Scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & Principes vestri.* Act. 3. num. 17. non autem: *Principes nostri.* Frequens igitur est hæc in sacris Literis loquutio, vt verborum inter se pronomina confundantur, & vnum pro alio vsurpetur.

Caiet. *Caietani sententia de Diuinis.* *Infirmam esse probatur.*

Num. VI. Quare aggrauatis corda vestra: sicut aggrauauit Ægyptus & Pharao cor suum? Nónne postquàm percussus est, tunc dimisit eos, & abierunt?

EXPOSITIO LITERÆ.

I. Quare aggrauatis, &c. Prudenter quidem. Nam priùs leniter monuerunt: postea grauiter obiurgarunt: vt qui blandis verbis non molliebantur, duris saltem frangeretur. *Quare, inquiunt, aggrauatis corda vestra?* Vnde D. Greg. in his Diuinis euangelicos Prædicatores typicè expressos agnoscit: qui primò suauius alliciunt; deinde seueriùs inuehuntur. Vatablus, Pagninus, & Caietanus legunt in singulari: *Cor vestrum:* Nam, sicut olim credentium Christianorum erat cor vnum ad bonum, Act. 4. num. 32. ita etiam infidelium Philisthinorum erat cor vnum ad malum. Dicuntur autem aggrauari, qui nimio pondere oppressi ab aliquo opere exequendo retardantur. Sic Dauid de Abner ad bellica munia promptissimo dicebat: *Manus tuæ ligatæ non sunt, & pedes tui non sunt compedi-*

Concionatores primò suauiter alliciūt, deinde seuerè inuehuntur. *D. Greg.* *Vatab.* *Pagn.* *Caiet.* *Malorum ad malum concordia.* *Quid sit aggrauari corda.*

compedibus aggrauati. 2. Reg. 3. num. 34. Contra verò Propheta loquutus de filiis Israel: *Aures,* inquit, *suas aggrauauerunt, ne audirent.* Zach. 7. n. 11. Sicut igitur pedes & aures aggrauantur, cùm à suis functionibus impediuntur: ita aggrauantur & corda, cùm suas operationes non exercent.

II. Igitur Philisthini, qui in suo peccato perseuerabant, & in restituenda Arca mille motas extrahebant, & ad placandum Deum Israëlis maximè cunctabantur, meritò dicuntur aggrauati. Est enim peccatum graue pondus, sub quo homines obruuntur. Vnde Diuus Petrus, antequàm dubitaret, leuis super aquas ambulabat: cùm dubitare cœpit, grauis sub aquis mergebatur. Matth. 14. n. 30. In quem locum D. Hieronymus ad cap. 2. Nahum: *Petrus,* inquit, *qui ante leuis pendulo gressu calcabat vndas: postquàm infidelitate aggrauatus vrabatur à fluctibus, manu Domini sublenatur.* Neque enim tantum pondus, nisi manu Domini retineri potuit, ne in profundum mergeretur. Quid est, quòd Ægyptij, viui quidem *descenderunt in profundum, quasi lapis: submersi sunt, quasi plumbum in aquis vehementibus?* Exod. 15. num. 5. & 10. At verò mortui ex vndis emersère, prodièreque in littus, iuxta illud de Israëlitis: *Viderunt Ægyptios mortuos super littus maris.* Exod. 14. num. 31. An viuorum corpora grauiora erant, quàm mortuorum? Ita planè. Quia Ægyptij mortui solis armis graues erant: viui autem, vt notat D. Hieronymus citatus, erant peccatis graues: peccatorum autem pondera multò grauiora sunt, quàm pondera armorum.

Peccatū graue pondus est.

D. Hier.

Quàm graue sit infidelitatis pondus.

Peccatorum pondus armorum pondere maius.

D. Hieron.

III. Hinc est, quòd Dauid nullis quidem armorum ponderibus succumberet, & tamen sub vnius, vel alterius sceleris mole fatigatus anhelaret: *Iniquitates,* inquit, *meæ supergressæ sunt caput meum: & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Psal. 37. num. 5. Vbi illud, *Super me*, interprete Cassiodoro, non significat situm super caput; sed potiùs victoriam peccatorum suo pondere caput frangentium & opprimentium, allidentiúmque ad terram. Neque mirum premi Dauidem sub pondere peccatorum, cùm & Diabolus opprimatur, qui cum Deo loquutus diceba: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Iob. 1. num. 7. Vbi verbum perambulandi segnem prorsus, non celerem motum significat, vt ibi D. Gregorius obseruat; & causam reddens: *Cùm,* inquit, *se non peruolasse, sed perambulasse insinuat; quanto peccati pondere in imis prematur, demonstrat.*

Cassiod.

Pecc ti grauitas caput ad terram deprimit.

D. Greg.

Etiam Diabolus peccati pondere lassatur.

IV. Hoc igitur onere peccatorum grauabantur Philisthini. Et, quod deterius est, illud à suis ceruicibus excutere nolebant; sed sub illo tardi ac pigri perseuerabant. Videbant sacrilegium, quo temerabant Arcam Dei; & nihilominùs illam non dimittebant. Quo improborum hominum statu, nescio, an vllos periculosior inueniatur. Vnde D. Ambrosius serm. 8. in Psal. 118. hanc in peccatis perseuerantiam non immeritò appellat temulentiam: *Dauid,* inquit, *licèt peccauerit, sicut homo; tamen correxit errorem, pœnitentiam gessit, abstinuit à temulentia delinquendi, sobrietate virtutis.* Quasi Dauid, dum à peccato non resipisceret, temulentus videretur; & cùm à peccato surgeret, tunc à temulentia euigilaret. Quid igitur hac in peccato perseuerantia infelicius? Vt enim temulento nemo abiectior: ita nemo perseuerante in peccato calamitosior.

D. Ambr.

Virtus sobrietas, peccatum ebrietas.

V. Sed, quid dico temulentiam? Appellare vlteriùs possumus pestilentiam. Sic enim appellauit ipse Dauid: *Beatus,* inquit, *vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathe-*

Peccatum pestilentia est.

A *dra pestilentiæ non sedit.* Psal. 1. n. 1. Vbi tres peccatorum gradus distinguere videtur: eorum, qui abeunt in consilio impiorum; quia in transitu peccant: eorum, qui stant in via peccatorum; quia aliquantisper in suo peccato immorantur: ac denique eorum, qui in cathedra pestilentiæ sedent; quia in suo peccato se diutissimè sordescere patiuntur. Sic enim ad eum locum Theodoretus: *Non temerè,* inquit, *fecit mentionem primùm de via; deinde de statu; denique de cathedra. Etenim nostra ratio sustinet in primis motionem quandam; deinde statum; postremò firmamentum quoddam stabile.* Hunc igitur tertium statum, seu stabile firmamentum in peccato, quasi omnium deterrimum, cathedram pestilentiæ appellat. Nam, vt D. Basil. hom.

Tres peccatorum gradus.

Theodor.

B 1. in Psal. 1. *Putare,* inquit, *debemus, cathedram dici, stabilem ac firmam in iudicio prauo conuersationem: quòd diuturna exercitatio peccatorum animabus solet habitum ingignere vix vnquàm desiturum, & ægerrimè mobilem. Anima enim morbus, vbi vetustate atque occalluit diuturnitate, vix vllam admittit medelam; aut certè immedicabilis fit prorsus, cùm in his, & in plerisque aliis consuetudo mutetur, & abeat in naturam.*

D. Basil.

Adde, non solùm pestilentem esse horum hominum statum, sed planè diabolicum. Diabolus enim ita suo sceleri inhæsit, vt ab eo nunquàm resipuerit. Vnde D. August. lib. 2. De visitatione infirmorum, cap. 4. deterrens homines à peccatis in confessione præ pudore occultandis. *Non te pudeat,* inquit, *coram vno dicere, quod te non puduit forsitan coram multis, & cum multis facere. Humanum est peccare; Christianum à peccato desistere, diabolicum perseuerare.* Adhuc mihi videtur rem grauiùs, sed planè veriùs exaggeraſſe D. Amb. lib. De bono mortis, cap. 7. vbi infeliciores existimat, qui in peccato morantur, quàm qui in peccato moriuntur: *Grauius,* inquit, *est ad peccatum viuere, quàm in peccato mori; quia impius, quandiu viuit, peccatum auget; si moriatur, peccare desinit.* Et paulò pòst loquutus de illis, qui totam vitam in peccatis traducunt: *Longè,* inquit, *illis plus damnatio profuisset; ne incrementa facerent peccatorum.* Vide supremam huius status calamitatem, cùm etiam vel ipso infortunio gehennali calamitosior censeatur.

VI.

C

D. Aug.

Status peccatoris diabolicus si perseuerat.

D. Ambr.

Infeliciores qui in peccato morantur, quā qui moriuntur.

VII. Quare D. Chrysost. hom. 8. in priorem ad Corinth. hortatus eos, qui cadunt in peccatum, vt surgant, *Non desperemus,* inquit: *neque enim tam casus grauis est, quàm post casum iacere; neque tam graue, vulnus accipere, quàm nolle acceptum curare.* Et rursus hom. 11. *Non ita,* inquit, *simpliciter peccator deflendus est, quàm peccator, quem non pœnitent: quippe, qui post quàm peccauerit, pœnitentiam agit, non lacrymis, sed laude dignus est, in Beatorum chorum translatus: qui autem post peccatum, in eo impudens perseuerat, non tam in cadendo miser est, quàm in iacendo post casum.* Hinc est illa prophetica in Tribum, seu regnum Ephraïm comploratio, quod semel cum suo Rege Ieroboamo in idololatriam collapsum nunquam ampliùs ad pœnitentiam surrexit: *Ephraim,* inquit, *factus est subcinericeus panis, qui non reuersatur.* Oseæ 7. num. 8. Hoc est, interprete D. Hieronymo: Ephraïm non agit pœnitentiam, seu non resipiscit à peccato. Nam, sicut panis, qui inter cineres coquitur, nisi sæpiùs versetur & agitetur, comburitur & consumitur: ita & peccator, si in suis sceleribus diu immoretur, necesse est, vt ab eisdem penitùs absumatur.

D

D. Chrys.

Grauius est iacere in peccato, quam cadere.

E

D. Hieron.

Peccator si perseuerat, à peccatis absumitur.

VIII. Vnde D. Paulus non tam lamentabatur illos, qui peccabant, quàm qui suo peccato mordicus adhærescebant: *Timeo,* inquit, *ne cum venero, lugeam multos ex iis, qui ante peccauerunt, & non egerunt*

pœniten

Qui manet in peccato, sibi iram thezaurizat.

pænitentiam. 2. Corinth. 11. n. 21. Nam illi, qui in transitu peccant, in transitu quodammodo puniuntur: qui verò suis peccatis immobiliter adhærent, thesaurizant sibi iram, nullo vnquam tempore exhauriendam. Neque enim in medicinam puniuntur, vt curentur; sed in vindictam, vt iam hinc æterna supplicia exordiantur. Nam, vt bene D. Basil. in epist. 3. ad Amphilochium: *Qui in malo*, inquit, *perseuerat, habet vulnus immedicabile.* Nec immeritò. Cùm statum similem illi, quem damnatus habet, etiam in hac vita quodammodo sortiatur. Vt enim damnatus nec a peccato resilit, nec medicinam suscipit: sic & ille nec peccatum excludit, nec medicinam admittit, sed immedicabilis damnatur.

D. Basil.

Peccator perseuerans immedicabilis est, & habet statum damnatorum.

IX. *Homines in are alieno soluendo periculosißimè immorantur.*

Cæterùm, inter omnia peccata, in quibus homines perseuerant, in ære alieno periculosissimè immorantur: & ad soluendum, quod Deo, vel hominibus debent, difficillimè compelluntur: vt videre est in Philisthinis, qui Deo aureorum munerum debitores, ægerrimè ad soluendum adducebantur. Vnde olim Deus perseuerantiam in hoc peccato diligentissimè præcauebat: vt paret ex illa lege diuina: *Si quis*, inquit, *furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit, vel vendiderit; quinque boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue.* Exod. 22. n. 1. Et paulò pòst: *Si inuentum*, inquit, *fuerit apud eum, quod furatus est, viuens, siue bos, siue asinus, siue ouis; duplum restituet.* Ibidem, n. 4. Vbi notandum est discrimen. Nam, qui apud se furtum integrum conseruabat; duplum tantùm restituebat: at verò, qui furtum dissipabat, aut à se alienabat; restituere illud in quintuplũ, aut certè in quadruplum tenebatur. Cur, quæso, hi grauiori pœnæ subiiciuntur? Respondet aptè ad rem præsentem Oleaster: *Quoniam tales*, inquit, *elongant se à restitutione; si enim non vendidissent, neque mactassent, sat erat restituere duplum.* Et paulò pòst in expositione morali, docet, ita à Deo constitutum esse: *Vt sciat*, inquit, *quòd malum sit abiicere à se facultatem restituendi.* Nec aliter Caietanus: *Quia furto*, inquit, *accumulant has impotentias, tam grandi pœna punitur.* Quin etiam & Lyranus: *Si apud furem*, inquit, *fuisset inuentum animal, antequàm occidisset, vel vendidisset; non restituebat, nisi duplum: quia præsumebatur, quòd erat inclinatus ad reddẽdum.*

Oleast. *Grauiùs punitur, qui differt restitutionem.*

Caiet.

Lyran.

X. Itaque, quò quis in suo peccato non restituendi tenaciùs perseuerabat, eò seueriùs à Deo puniebatur. Quare Zachæus, cùm de meliori vita ineunda cogitaret: *Ecce*, inquit, *dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus; & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Luc. 19. num. 8. Vbi Caietanus: *Non dicit*, inquit, *dabo: quia in promptu erat, vt daret.* Et quamuis Caietanus loqui videatur de priori parte, seu de dimidio bonorum suorum, ad quod pauperibus dandum promptissimus erat: tamen pari ratione id intelligendum est de posteriori etiam parte, seu de quadruplo, in quo suis creditoribus restituendo minimè cunctabatur, sed festinabat. Non enim dicit, *Reddam*: sed, *Reddo quadruplum*; vt restituendi promptitudinem significaret. Quasi intelligeret Zachæus, ad meliorem frugem properanti, deponendas esse omnes moras, quidquid æris alieni contraxerat persoluendi; & à fortiori, quidquid Deo ex religione debetur, consecrandi. Non enim potest ad Deum currere, & multò minùs conuolare, qui his vinculis innodatur & irretitur; his sarcinis premitur & aggrauatur.

Caiet. *Zachæus ad reddenda debita festinus.*

XI. Quare Dauid ad resipiscendi celeritatem adhortatus peccatores: *Conuertantur*, inquit, *& erubescant velociter.* Psal. 6. n. 11. Vt ex celeri reme-

A dio celerem sanitatem assequerentur. Sic enim D. Bernard. lib. De interiori domo, c. 37. *Velox*, inquit, *confessio velociter medicinam facit.* Ideò igitur Propheta optabat peccatoribus, vt quàm citissimè de peccatis erubescerent & resilirent; quia sciebat, facilem esse medicinam, si conuersio velox esset. *Sanitas* enim *in pennis eius*, inquit Malachias cap. 4. num. 2. non quidem perseueranti in peccato, sed è peccato velociter exeunti. Meritò igitur arguuntur Philisthini, qui non alati ferebantur ad Deum, vt par erat; sed potiùs plumbati in suo peccato detinebantur: & cùm mille plagis de cœlo missis ad remittendam Arcam adigerentur; adhuc tamen mille ambages inquirebant, quibus illam apud se diutiùs retinerent.

D. Bernard. *Velox confessio velocẽ facit medicinã.*

B Quod non erat aliud, quàm corda sua multiplicatis sceleribus aggrauare.

XII. *Sicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor suum*, &c. Comparant Sacerdotes ac Diuini obstinatam Philisthinorum duritiem cum duritie Ægypti & Pharaonis. Sed quæres primò, de qua Ægypti & Pharaonis duritie loquantur? De illáne, qua Ægyptus & Pharao Saram viro suo Abrahæ ereptam retinuerunt; nec priùs dimiserunt, quàm à Deo plagis magnis flagellarentur? Gen. 12. à n. 15. An potiùs de illa, qua populum Israëliticum in diuturna seruitute concluserunt, nec abire liberum permiserunt, anteqũàm ad id acerbissimis suppliciis diuinitùs cogerentur? vt patet ex libr. Exodi, præsertim à cap. 5. Respondeo, de vtraque
C sermonem esse potuisse: re autem vera Sacerdotes ac Diuinos loquutos fuisse de posteriori: tum, quia recentior ac notior & grauior fuit: tum etiam, quia, si de priori loquerentur, non dicerent: *Sicut aggrauauit Ægyptus & Pharao cor suum?* Sed: *Plusquàm aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor suum?* Nam Ægyptij, inquit Burgensis Additione 3. in cap. 12. Genes. *diuinam prouidentiam, & iustitiam aliqualiter fatebantur promptiùs & humiliùs quàm Philisthiim, qui videntes idola sua corruentia, & ipsos multipliciter à Deo plagatos propter detentionem Arcæ Domini, adhuc nitebantur proteruire, dicentes: Nequaquàm manus eius tetigit nos, sed casu accidit.* Cùm tamen Ægyptij, & Pharao eorum Rex, qui Saram abstulerat viro suo, sen-
D tientes diuina flagella, statim illam restituerint, & cum honore deduxerint extra Ægyptum; vt patet ex cap. citato.

Qua sit hac Ægyptiorum & Pharaonis duritiet.

Burg. *Philisthini Ægyptiis duriores.*

XIII. Quæres secundò: Cur hoc loco priùs Ægyptus, quàm Pharao nominetur? Respondeo, vt fiat à minori ad maiorem duritiem progressus. Nam Pharao, vt aduertit Abulensis, magis induratus fuit, quàm Ægyptus. Patet: quia Pharaone populum retinente, nec ad diuinas plagas iniqua decreta reuocante; tamen Ægyptij clamauerunt: *Vsquequò patiemur hoc scandalum? Dimitte homines, vt sacrificent Domino Deo suo. Nónne vides, quòd perierit Ægyptus?* Exod. 10. n. 7. Et posteà dicente tandem Pharaone ad Hebræos: *Surgite, & egredimini à populo meo.* Tamen Ægyptij *vrgebant*
E *populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur.* Exod. 12. à num. 31. Quasi Ægyptij multò ferrent iniquiùs populum retineri, & multò instarent acriùs, vt abiret, quàm Pharao, qui aut pertinaciter retinebat, aut saltem lentè & somnolentè abire imperabat.

Abul. *Maior Pharaonis duritiés, quàm Ægyptiorũ.*

XIV. Sic solent improbi Reges: populo ad vitia præuolant; ad virtutes verò à populo trahuntur. Sic olim præuolauit Achab ad rapiendam vineã Naboth; iuxta illud Dei ad Heliam: *Surge*, inquit, *& descende in occursum Achab Regis Israel, qui est in Samaria: ecce ad vineã Naboth descendit, vt possideat*

Reges volant ad vitia, trahuntur ad virtutes.

eam. 3.Reg.21.num.18.Vbi Septuaginta habent: *Ecce in vinea Naboth est, quia descendit, vt possideat eam.* Quo in loco vides Regem iuxta Vulgatam esse in Samaria: & iuxta Septuaginta esse in vinea Naboth, quæ erat extra Samariam. Quare non immeritò dubitat Caietanus: *Quomodo*, inquit, *verificantur hæc: videlicet, quòd Rex esset in Samaria, & in vinea Naboth: cùm vinea esset, non in Samaria, sed in Iezrahel? Significatur igitur*, addit Caietanus, *celeritas exequutionis cum aggrauatione. Est enim sensus, quòd Achab residens in Samaria, audita morte Naboth, sine mora est in vinea, ad quā descendit.* Tantáque fuit Regis celeritas ad rapinam, vt cùm in agro Iezrahel esset, & regia domus, & vinea aliena; tamen Rex priùs inuolarit in alienam vineá, quàm in domum regiam intrarit: vt ibidem Caietanus aduertit: *Prius*, inquit, *venit ad vineam, quam ad palatium regium in ciuitate Iezrahel.*

Caiet. Regum celeritas ad rapinam.

XV. Sed, vt propositum institutum apertiùs concludam, ostendamque improbos Reges suis subditis ad malum præuolare, paulò aliter interpretor. Dico igitur, Regem simul fuisse in Samaria, & in agro Iezrahel. In Samaria quidem: quia eius satellitium, quo comitatus domo exierat, & regius fortasse currus, quem ascenderat, iter illud facturus, adhuc in Samaria cunctabantur. In agro verò Iezrahel, quia ipse Rex moræ impatiens, & cupiditate plenus, de curru desilierat, & expeditus in equo, ante regium comitatum ad rapinam agendam præuolarat. Vides, vt improbi Reges suis subditis se præstent ad malum duces? vt eorum tarditatem, ad audendum facinus antecedant? vt quò grauiores sunt suis satellitibus ad factum, eò perniciores ad prædam, & quodcunque aliud nefas aggrediendum rapiantur?

Reges subditis sunt ad malū duces.

XVI. Nunc vlteriùs vide, quam difficilè ab illis ad bonum pertrahantur. Nam, cùm olim tabernaculum Domini exædificari cœptum est: *Egressa*, inquit Textus, *omnis multitudo filiorum Israël de conspectu Moysis, obtulerunt mente promptissima atque deuota primitias Domino.* Exod.35. n.20. Posteà verò subditur: *Principes verò obtulerunt lapides onychinos*, &c. Ibid.n.27. Vbi vides, humilem plebem, & celeritate, & voluntate suis Principibus ad religionis actū præcurrisse: celeritate quidem, quia priùs obtulit; volūtate autem, quia obtulit mente promptissima atque deuota, quod tamen in Principum oblatione non exprimitur: quasi Principes à plebe inuiti quodammodo traherentur. Immò paulò inferiùs artifices tabernaculi referentes ad Moysem, eximiam illam offerentium liberalitatem, *Plus*, inquiunt, *offert populus, quàm necessarium est.* Exod.36. n.5. Non dicunt, Plus offerunt Principes: sed, *Plus offert populus*: quasi Principes parciores ab effusa illa liberalitate abstinerent: populus verò multò liberalior, totus in donaria effunderetur. Solent igitur plebeij homines, & tardiores esse ad malum, & velociores ad bonum, quàm Principes ac Dynastæ. Vnde mirandum non est, si magis Pharao, quàm Ægyptus, ad diuina monita induresćat.

Plebeij Regibus præcurrunt ad virtutem.

Populus liberalior in offerendo, quā Reges.

XVII. Quæres tertiò: Quænam sit inter Ægyptiorum ac Philisthinorum duritiem similitudo? Respondeo, quia vtrique ne restituerent, quæ debebant, diuinis plagis restiterunt. Vtra verò durities maior fuerit, dubitabis. Ægyptij ex eo videntur duriores, quia ad eos per Moysem & Aaronem diuina legatio facta est; quam tamen illi contempserunt. At verò ad Philisthinos nullus Propheta cum legatione diuina missus est, qui eos de restituēda Arca admoneret. Deinde Ægyptiorum plagæ fuerunt numero plures; nimirum decem: cùm tamen Philisthinorum fuerint tantum tres; vt iam ex dictis patet. Fuerunt item ex modo, quo inferebantur, mirabiliores. Nam ad Moysis imperium subitò incipiebant ac desinebant: vnde satis patebat, eas non ex causis ordinariis prouenisse. At verò de plagis Philisthinorum, adhuc a multis dubitabatur, naturaliterne, an supernaturaliter contigissent. Prætereà fuerunt effectu ipso grauiores: siquidem per omnes creaturas, astra, elementa, mixta imperfecta, animalia, Angelos inferebantur. Item, in omnibus bonis, domestica supellectile, frugibus, gregibus, aquis, primogenitis, propriis corporibus, omnibúsque sensibus desæuiebant: vt Peter. in cap. 7. Exod. Disp.12. latiùs ostendit. Et fortasse fuerunt etiam tempore diuturniores: nam plagæ Philisthinorum durarunt septem menses, quibus Arca fuit in Palæsthina; vt patet ex initio huius capitis: at verò plagæ Ægyptiorum durarunt vnum circiter annum; vt Hebræi, quos sequitur Genebrardus in Psal.104.num.36. tradiderunt. Quamuis Perer. vbi suprà contendat, durasse tantùm vnum circiter mensem lunarem. Sed obstat. Quia Deus *occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina.* Psal. 77. n.47. At verò grando & pruina diuersis anni temporibus, verno scilicet, & hyberno vt plurimùm, non eodem decidunt. Item Deus percussit florentes eorum vineas, & flauentes eorum segetes. Psal.104. à n.33. eodem autem anni mense non florescunt vineæ, & flauescunt segetes. Non igitur vno tantùm mense Ægyptiæ plagæ includi potuerunt. Atque hæc pro maiori Ægyptiorum obduratione.

Vtra durities maior, Philisthinorum, an Ægyptiorū.

Probatur Ægyptios esse duriores.

Ægyptiorum plagæ tempore diuturniores.

Contra verò Philisthini ex eo iudicari possunt duriores, quia ex maiori scientia peccabant. Audiuerant enim Ægyptiorum plagas: vt patet ex cap.4. Num.8. & nihilominùs culpas talibus plagis dignas committebant. Meritò igitur iudicari poterant duriores. Nam, qui, conspectis aliorum suppliciis, à suis flagitiis non reuocatur; durior censetur, & maioribus suppliciis conterendus: vt patet in Nabuchodonosore & Balthasare: quamuis enim vterque grauissima sacrilegia commiserint; tamen Nabuchodonosor leuiùs punitus est, & in suum tandem regnum à Deo est restitutus. Dan. 4 n.33. Balthasar verò temporali & æterna morte damnatus est. Dan.5.n.30. Cuius discriminis optimam rationem tradidit Theodor. orat.5. in Dan. ad finem: *Inquirendum*, inquit, *est, cur auctor omnium rerum Deus eruditum Nabuchodonosor rursus in regnum reduxerit: istum verò statim & regno priuarit & vita?* Et respondet: *Quia Nabuchodonosor*, inquit, *alterum impietatis pœnas luisse non conspexerat; idcircò dignum venia iusto Dei iudicio existimatum: sed iste summum patris supplicium conspicatus, nihil inde percepit vtilitatis. Iure itaque iustus Iudex illi definito tempore supplicium præscripsit: istum autem nulla venia dignum censuit.*

XVIII. *Ostenditur duriores esse Philisthinos.*

Qui alieno malo non sapit, grauius punitur. Theod.

XIX. Non aliter & Philisthini, qui ex alieno malo sapere & mollescere debuerant; dum adhuc desipiunt & durescunt, insipientiores ac duriores iudicantur. Itaque non dubito, Ægyptios & Philisthinos in duritie, & cordis aggrauatione sibi inuicem cedere, & excedere. Cedere quidem Philisthinos, ratione pœnæ, quam subierunt aliquantulum mitiorem, aut etiam breuiorem, aut certè obscuriorem: neque enim tám apertè videbatur diuinitùs immissa, sicut pœna Ægyptiorum. Excedere verò ratione scientiæ, quam habuerunt aliquantulum maiorem, vt, qui iam experti fuerant Ægyptios ob similem in retinēdo populo obstinationē à Deo grauiter punitos.

Philisthini cedūt Ægyptiis ratione pœnæ: excedūt ratione scientiæ.

Quare

Quare ne ſicut Ægyptij in extremum tandem ſupplicium deuoluaorut, cautè à ſuis Diuinis admonentur.

XX. *Nónne poſtquam percuſſus eſt*, &c. Poteſt eſſe duplex ſenſus. Prior ſic: Quare aggrauatis corda veſtra, non modò ſicur, ſed etiam pluſquàm Ægyptus & Pharao? Nam hic percuſſus, tandem populum dimiſit: vos autem percuſſi adhuc Arcam retinetis. Quaſi ita dicerent: Nónne Pharao, poſtquàm à Deo percuſſus eſt, dimiſit Iſraëlitas? Cur igitur vos Pharaone duriores, poſt tam multas plagas diuinitùs immiſſas Arcam dimittere non curatis? Poſterior ex Abulenſi & Varablo, ſic: Fruſtra aggrauatis corda veſtra, ſicut Ægyptus & Pharao. Nam, ſi hic, quantumuis reluctatus fuerit; tamen à Deo victus eſt, & coactus populum dimittere: pariter & vos, quantumuis humanas vires expromatis, tandem eritis diuinis viribus impares, ac diuinis ſuppliciis ſuccumbetis. Atque ſic verba nectentur, nónne Pharao, poſtquàm percuſſus eſt, tandem ſuccubuit, ac dimiſit Hebræos? Et vos igitur tam multis plagis attriti, neceſſe eſt, vt ſuccumbatis, Arcámque reſtituatis. Itaque iuxta priorem ſenſum damnatur cæca Philiſthinorum obſtinatio: iuxta poſteriorem declaratur vana eorum contentio.

Philiſthini Pharaone duriores.

Etſi peccator reluctetur, tamen malo ſuo ſapit & flectitur.

XXI. Verùm, hæc vt apertiùs explanentur, notandum eſt, Septuaginta in Bibliis Sixtianis tranſtuliſſe: *Nónne quando illuſit eis, dimiſerunt eos?* Et ſimiliter in Regiis & Complutenſibus, niſi, quòd pro ſingulari, *Illuſit*, vertunt in plurali, *Illuſerunt*; nempe, Angelicæ poteſtates, per quas hæc illuſio exercebatur. Sed, quæ fuit hæc illuſio Pharaonis & Ægyptiorum, quæ illos ad dimittendum populum coëgit? Dupliciter reſpondeo. Primò, cum Vatab. & Caiet. fuiſſe operationem, ſeu percuſſionem diuinam, qua Ægyptum flagellauit, tum aliis plagis, tum extrema nece primogenitorum: illam autem percuſſionem appellari non immeritò illuſionem; vel, quia Deus more illudentis, non autem vires ſuas omnes expromêtis, cum Pharaone confligebat; vel, quia percuſſio diuina, quæ in hac vita infertur, quamuis ſit acerrima, tamen leuis quædam illuſio eſt, comparatione illius, quam hominum peccata merentur, & quæ in futuro ſeculo inferetur. Iuxta hunc ſenſum, Græca & Latina editio conueniunt in re ipſa, cùm de eadem actione loquantur: & ſolis differunt vocabulis; dum Græca illuſionem vocat illam eandem actionem, quam Latina dicit percuſſionem.

Deus dũ punit, illudit peccatores.
Vatab.
Caiet.

Leue eſt vitæ huius ſupplicium, & quaſi ludicrum.

XXII. Secundò reſpondeo cum D. Chryſ. fuiſſe illam actionem, qua Deus per Hebræos totam Ægyptum ſuis opibus ſpoliauit. Exod. 12. n. 36. Nam D. Chryſ. in Pſal. 135. n. 10. ad illa verba: *Qui percuſſit Ægyptum cum primogenitis eorum*: oſtendens, Deum non ſolùm vi percuſſiſſe Ægyptum, ſed etiam arte ſpoliaſſe, ſubdit: *Hoc*, inquit, *fecit Deus, volens omni ratione eſſe terribilis hominibus; & oſtendere, quòd & vi & auctoritate poteſt omnia facere.* Et paulò pòſt: *Nam, quòd hoc quoque*, inquit, *magnum metum attulerit alienigenis; audi quid poſteà dicant Vates Azotiorum: Hic eſt Deus fortis, qui percuſſit Ægyptum & quando illuſit eis, tunc ipſos eduxit. Vides eos propter hoc ipſum contremiſcere, propter furtum, propter fraudem, qua eos circumſcripſerit?*

D. Chryſ.

Deus peccatores illudit, dum diuitiis ſpoliat.

XXIII. Eodem modo interpretatur hom. 8. in Matth. vbi loquens de Herode illuſo à Magis, Matth. 2. n. 16. & oſtendens, Deum non ſemper ſuos hoſtes vi conterere, ſed aliquãdo arte illudere, quo pacto illuſit Herodem: *Eſt*, inquit, *diuinitatis virtute dignum, nõ modò apertè conterere inimicos, verùm etiam*

Deus hoſtes ſuos vi non conterit, ſed illudit.

A *cum omni illos facilitate decipere. Sic enim & Ægyptios populi ſui vtilitate ſeduxit: cúmque palàm in Iudæorũ manus, illorum poſſet transferre diuitias: occultè hoc magis fieri, ac decipiendo præcepit; quod certè illum apud inimicos non minùs fecit, quam alia ſigna terribilem. Denique Aſcalonitæ, omneſque per circuitũ alienigenæ, quando Arcam Dei ceperunt, percuſſique plaga ſuaſerunt ciuibus ſuis, ne aduerſùs Dei manum repugnarent; cum cæteris mirabilibus hoc quoque in medium protulerunt, dicentes: Quare aggrauatis corda veſtra, ſicut grauauit Ægyptus & Pharao cor ſuum? Nónne, poſtquàm illuſit eis, dimiſerunt populum ſuum, & abiit? Hæc verò dicebant, cùm ad documentum virtutis Dei, ſignis manifeſtius factis, nequaquàm iſtud eſſe inferius indicarent.* Hactenus Chryſoſtomus.

XXIV. Ex qua interpretatione tria eliciuntur. Vnum, B illam ſpoliationem vocatam fuiſſe illuſionem; quia non vi, ſed arte facta eſt; per ludibrium, non per imperium: ac ſi illa non tam punirentur Ægyptij, quàm illuderentur. Alterum, eam illuſionem fuiſſe viſam non ſolùm Ægyptiis, ſed etiam Philiſthinis multò terribiliorem, quàm aliam quamuis flagellationem: Ægyptiis quidem; quia ad alias plagas diſsimularunt; ad hanc vnam ſtatim populum Iſraëlis dimiſerunt: Philiſthinis autem; quia, cùm alias poſſent Ægyptiorum plagas ad timorem Dei Iſraël in ſeipſis excitandum commemorare; hanc vnam, tanquam omnium acerbiſsimam, commemorarunt. Tertium, rationem, ob quam hæc ſpoliatio, ſeu C illuſio, acerbiſsima omnium plagarum Ægyptiarum viſa ſit, fuiſſe, quòd in ea magis diuina auctoritas oſtenderetur; quia inimicos ſuos non tam apertis viribus, quæ vtcunque præuideri & præcaueri poſſunt, expugnabat; quàm occultis artibus, quæ præuideri & præcaueri nequeunt, decipiebat. Et hanc diuinæ prouidentiæ rationem Diuus Chryſoſtomus citatus aliis exemplis illuſtrat. Addi poteſt & alia ratio, cur hæc illuſio omnium plagarum acerbiſsima viſa ſit, nempe, quòd fuerit diuitiarum ſpoliatio: nam diuitiis ſicut homines iucundiſſimè perfruuntur; ita & moleſtiſſimè expoliantur. De qua re vide quæ diximus in ſuperiori tomo, Cap. 2. num. 7. & in hoc tomo Annot. 19. Sect. 2.

Tria ex ſupradictis eliciuntur.
Primum.
Secundum.
Tertium.
Quartũ etiã addi poteſt.

XXV. D Nihilominùs tota hæc Diui Chryſoſtomi doctrina & interpretatio, tria ſupponit, quæ, minimùm, non ſunt certa. Primum, hanc Ægypti ſpoliationem fuiſſe omnium plagarum Ægyptiarum nouiſſimam, & poſt mortem primogenitorum accidiſſe. Quod tamen negat Diuus Auguſtinus quæſt. 45. in Exod. vbi de hac ſpoliatione loquutus: *Iam hoc*, inquit, *factum fuerat ante mortes primogenitorũ Ægyptiorum: fieri enim quomodo poſſet, vt in tanto luctu ex mortibus ſuorum accommodarent iſta filiis Iſraël.* Quaſi incredibile videretur, Ægyptios bonum pro malo reddituros fuiſſe. Quamuis fatear, ſi ordini rei geſtæ inſiſtamus, priùs primogenitos mortuos, quàm Ægyptios ſpoliatos. Licèt enim priùs à Deo imperetur ſpo- E liatio, quàm denuntietur occiſio, Exod. 11. n. 2. tamen priùs occiſio facta dicitur, quàm ſpoliatio, Exod. 12. n. 35. Nec difficile creditu eſt, Ægyptios in præſenti filiorum ſuorum morte cunctas ſpes abieciſſe. Cui enim bona temporalia non vileſcent, cui mors ob oculos obuerſetur?

Tria ſupponit D. Chryſoſtomus, ſed falsò.
D. Aug.
Primum.

XXVI. Secundum, Ægyptios in hac ſua ſpoliatione inductos fuiſſe ad Hebræos dimittendos. Hoc enim videtur Literæ repugnare, quæ aſſerit, Pharaonẽ cæteróſque Ægyptios, nõ quidem ſuarum opum iactura; ſed primogenitorũ ſuorũ morte incredibiliter cõmotos, de nocte euigilaſſe, liberámque

Secũdum Literæ repugnat.

abeundi facultatem Hebræis permisisse: quin etiam professionem illorum maturiùs accelerasse, *dicentes: Omnes moriemur.* Exod. 12. n. 33. Non autem: *Omnes spoliabimur.* Quasi non ex hac spoliatione, sed ex illa occisione ad Hebræos dimittendos mouerentur: veriti, ne & ipsi, qui superstites erant, si Deo refragari pergerent, suis vitis potiùs, quàm suis opibus priuarentur.

Tertium,

Tertiò, Ægyptios hanc spoliationem indignè tulisse; illáque quodammodo exanimatos, noluisse vlterius in Ægypto populum retinere. Hoc etiam historiæ non congruit: quæ satis apertè significat, Ægyptios non inuitos, sed spontaneos suas opes Hebræis commodasse: Deo hanc illis erga Hebræos beneuolentiam conferente, iuxta illud: *Dabit Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis.* Exod. 11. n. 3. Et rursum: *Dominus dedit gratiam populo suo coram Ægyptiis, vt commodarent eis.* Exod. 12. n. 36.

Primus sensus vt verior retinendus.

Igitur ille secundus sensus sola D. Chrysost. auctoritate firmatus sit: primus enim, vt germanior, & Literæ congruentior, retinendus.

Num. VII. Nunc ergo arripite, & facite plaustrum nouum vnum: & duas vaccas fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.
Tria Philisthinis præcipiuntur. Primum.

NVnc ergo arripite, &c. Respondent iam Vates Philisthinorum ad ea, de quibus Num. 2. interrogabantur: Quo scilicet modo remittenda esset Arca in locum suum? Tria igitur hîc præcipiunt. Primùm, vt faciant plaustrum nouum: *Nunc ergo*, inquit, *arripite*: nimirum, ligna & cætera instrumenta necessaria ad plaustrum fabricandum. Vel certè, *Arripite*, est particula exhortatoria, sicut illa: *Venite, faciamus lateres.* Gen. 11. n. 3 *Venite, & arguite me.* Isai. 1. n. 18. *Venite, exultemus Domino.* Psal. 94. n. 1. Vtrouis modo explices, celeritas faciendi operis commendatur.

Beda. Abul. Celeritas in operando cōmendatur.

Vnde Beda legit: *Festinate.* Et quidem iuxta Abul. ex illo verbo arripiendi tanta præcipitur celeritas, vt ipsa quoque deliberatio ab exequutione quodammodo anteuertatur. *Arripite*, inquiunt: hoc est, etiam absque vlla deliberatione, quæ moras aliquas trahere solet, in opus incumbite. Quo pacto Nadab & Abiu: *Arreptis thuribulis, imposuerunt ignem, & incensum desuper.* Leu. 10. n. 1. Hoc est: sine perfecta deliberatione, immò cum præcipiti quadam festinatione, se ad ministrandum ingesserūt.

II.
In imperante requiritur deliberatio, in exequente festinatio. Salust.

Neque propterea imprudens videri debet hoc Vatum consilium. Nam deliberatio solùm requiritur in imperante: in exequente autem satis est sola festinatio. Vnde præcedente iam in Sacerdotibus matura deliberatione; reliquum erat, vt in populo festina exequutio daretur: iuxta illud Sallustianum: *Priusquam incipias, consulto; & postquam consulueris, maturè facto opus est.* Vnde Sapiens: *In omnibus*, inquit, *operibus tuis esto velox; & omnis infirmitas non occurret tibi.* Eccl. 31. n. 27.

Lyran.

Vbi Lyr. *Secundum Philosophū*, inquit, *libro Ethicorum, consiliari debemus morosè: sed exequi velociter bene consiliata.* Hæc ad diuinum obsequium velocitas valdè laudabilis est. Cùm enim nobis constet de bonitate operis, quid in eo exequendo immoremur?

III.
Priùs Christū sequi debemus, quàm de præmio cogitemus.

Tales se Apostoli præstiterunt, ad Christum sequendum velocissimos. Priùs enim Christū sequuti sunt, quàm de præmio Christum sequentibus tribuendo, Christum interrogarent: *Ecce nos*, inquiunt, *reliquimus omnia, & sequuti sumus te: quid ergo erit nobis?* Matth. 19. n. 27. Priùs relinquunt omnia, & Christum sequuntur: tū demum de præmio consequendo percontantur. Ac si vel minimam illam moram in hac interrogatione consumendam interrumpere vellēt, vt statim ad Christum Dominum festinarent.

D. Ber. D. Petri obedientia commendatur.

Vnde D. Bern. in suis Declamationibus, ad illa verba: *Verè*, inquit, *Simō, verè obediens, in auditu auris, sine pacti conuentione:* scilicet, ad Christū properauit: vt sui memor nominis verè Simonem, hoc est, obedientem se exhiberet. Et paulò pòst nō immeritò inuehitur D. Bern. in eos, qui, vt res temporarias deserant, & æternas inquirant; vt Mundum fugiant, & Christum sequantur; longis consiliorum ambagibus distinentur:

Maxima celeritate ad diuinum obsequium conuolare debemus.

Quantos, inquit, *Mundi sapientia maledicta supplantat? Noli*, inquit, *præcipitanter agere, diu considera, diligentius intuere. Magnum est, quod proponis: & opus habens multa deliberatione. Experire, quid possis: amicos consule, ne post factum pœnitere contingat. Hæc sapientia Mundi, terrena, maledicta, animalis, diabolica, inimica salutis, suffocatrix vitæ, mater tepiditatis, quæ solet Deo vomitum prouocare. Cùm à Deo verbū esse non dubites; quid opus est deliberatione? Vocat magni consilij Angelus; quid aliena consilia præstolaris? Ab ore putei gehennæ eripior; & inducias petam? Abscondi ignem in sinu meo, & exusto iam latere, diu mihi deliberandum est, an expergiscar, an excutiam, an abiiciā illum?* Quasi diceret. Insana planè deliberatio. Quibus verbis satis exprimit, quanta celeritate nobis sit ad diuinum obsequium conuolandum. Similem locum ex Clemente Alexandrino in 1. tom. Annot. 12. Sect. 4. retulimus.

IV.
Homines proposito præmio ad festinandum inuitantur.

Ad eandem celeritatem Christus Dominus omnes homines inuitauit; dum illis meritorum præmia non solùm in futuro seculo promisit, sed etiam in præsenti: *Nemo*, inquit, *est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrē, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Euangeliū, qui non accipiet centies tantùm nunc, in tempore hoc; & in seculo futuro vitam æternam.* Marc. 10. n. 29. & 30. Nam, si hominibus de solo præmio futuri seculi spes proponeretur, non ita fortasse auidi festinarent, cùm ad futura, quæ longiùs absunt, non tam alacres incendantur: dum autem præmio etiam præsentis seculi alliciuntur, quo sperant se quàm citissimè fruituros; dubium non est, quin ad illud consequendum velociores rapiantur.

D. Ambr.

Sic D. Ambr. lib. 1. De pœnitentia, c. 16. *Omne*, inquit, *studium torpescit dilatione. Et ideò Dominus, vt præsentium fructu cumularetur deuotio discipulorum, dixit: quoniam qui dimisisset omnia sua, & Deum sequutus esset, centies tantum reciperet, & hîc, & in futurum. Priùs hîc promisit, vt fastidia dilationis auferret.*

Præmium fastidiū aufert dilationis.

Nam, si homines solùm futuri seculi præmium spectarent, in præsenti desides cunctarētur: si tamen certam illius statim consequendi spem haberent, moras omnes tollerēt, & ad illud comparandum festinarent. Proposito igitur præmio in præsenti seculo ad currendū ocyùs inflammātur.

V.
Per septem Gentes euertendas, septē capitalia vitia intelliguntur. Lyra.

Non sine mysterio promisit Deus filiis Israel, fore vt ad eorū ingressum in terram Chanaan septem Gentes euerterentur, Deut. 7. n. 1. per quas Lyranus septem capitalia vitia intelligit. Et per Hethæum, qui omnium primus nominatur, interpretatúrque *formidans*, intelligit desidiosum ac pigrum; qui vano quodam metu constrictus, à currendo in diuinū obsequium retardatur: iuxta illud: *Dicit piger: leo est in via, & leæna in itineribus. Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Prou. 26. num. 13. Piget ergo ac desidiosus

in

Desidiosus à domo Dei exterminatur.

in domo Dei, omnium primus à Deo extetminatur; quia nec ipse proficit, nec alios proficere finit: sed tanquam offendiculum omnibus obuersatur; tardus ipse, cæteros à diuino obsequio retardat. Metitò igitur Sacerdotes ad desidiam deponeodam Philisthinos adhortaotur, eò celeriùs, quò ipsi anteà lentiùs in restituenda Arca cuoctabantur.

VI. *Et facite plaustrum nouum vnum*,&c. Primo igitur loco præcipiũt Sacerdotes, facere plaustrum: qui fortasse sciebant, Hebræos in solitudine vsos fuisse plaustris ad onera Sanctuarij portanda: vt patet ex Num.7.à n.3. vbi Moyses tradidit Gersonitis leuiora Sanctuarij pondera deferẽtibus duo plaustra: Merariitis verò deferẽtibus grauiora tradidit quatuor: vt iuxta laborum magnitudinem, laborandi præsidia partiretur; vt ibi Lyran.aduertit. Et fortasse ignorabant, Arcam fuisse propriis Leuitarum humeris deportatam, vt patet ex eodem loco: vbi Moyses dicitur, non dedisse plaustrum Caathitis, quia suis humeris portabãt onera sua, nimitum, Arcã, & reliqua vasa Sanctuarij; vt ex c.3. n.15. constat. Cùm igitur Vates Philisthinorũ scitent inter Hebræos vsum fuisse plaustrorum ad portanda onera Sanctuarij, & nescirent fortasse hũc vsum fuisse interdictum ad portandam Arcam: plaustrum absolute facere decreuerunt, quo Arca veheretur. Addo, quamuis Philisthinorum Vates, Hebræorum leges de hac re optimè scirent; adhuc nihilominùs plaostrũ imperare potuisse: tum, quia noo tenebantur iis legibus, quæ ad solos Hebræos pertinebant: tum, quia ipsi non habebant inter se Leuitas, quorũ humeris Arca portanda cómittebatut: tũ denique, quia plaustrum illis necessarium erat ad augurium captandum. Nam ex cursu boum rectà tendentium, aut regredientium, experiri volebant, ao ab Arca calamitas proueniret? Quod non intelligerent, si ipsi Arcam propriis humeris deportarent.

Lyra. Iuxta laborũ magnitudinẽ, laborandi præsidia comparantur.

Cur Philisthæi plaustrum facere decreuerunt.

VII. Sed, cur plaustrum nouum fieri decernunt? Nam, si festinationem tantoperè requirebant, potiùs aliquod plaustrum vetus assumendum, quàm nooum fabricandum videbatur. Respoodẽt Dion. Lyra, & Abul. ita factum propter reuerentiam Arcæ. Nam, sicut Arcam Dagonis sede sublimiorem ac diuiniorem experti sunt: ita quolibet plaustro in profanos vsus iam addicto superiorem & sanctiorem iudicarunt: & propterea nouum plaustrom fieri decreuerunt, optimo ad posteros Christianos documento. Nam, si Arca Domini apud Ethnicos non nisi plaustro nouo imponitur: quo iure Christus Dominus apud Christianos, in animom multis inueteratum sceleribus ingredietur? D.Paulus optans Christianos ad recipiendum Christom Dominum renouatos: *Renouamini*, inquit, *spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.* Ephes.4. n.23. Vbi per *nouum hominem*, interprete Salmerone, Christus intelligitur; iuxta illud: *Induimini Dominum Iesum Christum.* Roman.13. n.14. Et illud: *Quicunque baptizati estis, Christum induistis.* Gal.3. n.27. Postulat igitur D. Paulus, vt priùs Ephesij renouentur, & posteà nouo homine induantur. Quasi dicat: Vt Christum recipiatis, necesse est, vt priùs spiritum mentis vestræ renouetis: neque enim nouus homo Christus in veteri mentis hospitio commoratur.

Dion. Lyran. Abul.

Arca plaustro nouo imponitur ob reuerentiam.

Christiani Christum excepturi renouari debent.

Salm.

VIII. Ad Ioannem olim Deus: *Vincenti*, inquit, *dabo calculum candidum, & in calculo nomen nouum.* Apoc.2.n.17. Diuus Hieronymus in epist. 83. ad Oceanum, quæ incipit, *Nunquam, fili*, pro calculo A candido, legit, *Calculum nouum*, quem interpretatur, esse *cor nouum, & spiritum nouum*: qui Ezech. 36. num. 26. iustis promittitur. Calculo igitur nouo nomen nouum inscribitur: vt significetur, nouum Iesu nomen non nisi nouo cordi, & nouo spiritui inserẽdum. Vaticinatus Zacharias Christi Domini in Ierosolymam ingressum: *Ecce*, inquit, *Rex tuus veniet tibi iustus, & Saluator; ipse pauper ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.* Zachar. 9. nom. 9. seu, vt vertunt Septuaginta: *Super pullum nouum.* In quem locum Clemens Alexand. lib.1. pædag. cap.5. per pullum nouum intelligit non solum humanitatem, quam Verbum sibi hypostaticè vniuit; sed etiam reliquos homines, com quibus per gratiam copulaB tur. *Non satis*, inquit, *habuit* Propheta, *solùm dixisse pullum, sed etiam nouum ei adiecit; humanitatis, quæ in Christo vnita est, nouitatem; & senij expertem cum simplicitate æternitatem ostendens: tales autem nos nouos pullos, qui infantes sumus, diuinus noster alit pullorum domitor.* Quasi diuinum Verbum non solùm suam humanitatem nouam, hoc est, sanctissimam inoocentissimámque requirat: sed etiam nostras animas ab omni labe prauæ vetustatis renouatas desideret, vt in illas ingrediatur.

D.Hier.

In corde iusti nouo, nouum Iesu nomen inscribitur.

Clemens Alex.

Christus animas ab omni vetustate renouatas desiderat.

IX. Vnde nihil Deo gratius, quam, vt frequentissimè bonis motibus renouemur. Dauid saltem decimo quoque anno hanc spiritus renouationem exigebat: *Renouabitur*, inquit, *vt aquilæ iuuentus tua.* Psal.102.n.5. Nam aquila, vt aliqui HeC bræi apud Genebrardum testantur, singulis decenniis veteres pennas exuit, nouas induit; & sic vsque ad centesimum ætatis annum per sua interualla iuueniliter plumescit. Frequentiorem adhuc animorum renouationem imperabat Iodas Machabæus, qui, recepta vrbe, & expiato templo, *statuit, vt ageretur dies dedicationis altaris in temporibus suis ab anno in annum.* 1. Machab. 4. n.59. Hoc est, *singulis annis*, quæ festa, *encænia*, hoc est, festa renouationis dicebantur. Vt ad memoriam templi semel renouati, nouis semper virtutibus exculti animi renouarẽtur. Cæterùm Diuus Paulus oon anniuersariam, sed quotidianam renouationem postulabat: *Adhortamini*, inquit, *vosmetipsos per singulos dies; donec hodie cognominatur.* D Hebr. 3. num. 13. seu, vt ex Græco legi potest, *Ædificate vos*: hoc est, renouate vos per singulos dies. Nam, vt ibi Theodoretus: *Quotidie*, inquit, *oportet eos, qui viuunt, sui curam gerere: ne peccatum loco occupato in nostro corde faciat impressionem.*

Dauid renouationẽ exigebat decennalem.

Iudas Machabæus anniuersariam.

D. Paulus quotidianã.

Theod.

X. Quare acceptissimæ erant Deo illæ oblationes, quæ nouæ fruges primitiuorum dicebantur. Num. 28. num. 26. seu, vt vocat D. Ambrosios lib.2. De Caïn & Abel, cap.6. *Noua nouorum*: quia non solùm dona ipsa noua erant, sed etiam nouis animis offerebantur: *Hoc est enim*, inquit, *verè sacrificium primitiuum, quando vnusquisque se offert hostiam, & à se incipit, vt posteà munus suum possit offerre. Noua igitur fides renouatorum, valida, pubescens, incrementum virtutis acquirens, non remissa, non* E *fessa, non senio quondam marcida, & vigore ignaua, apta sacrificio est; quæ pullulet quodam virenti germine sapientiæ, & iuuenili diuinæ cognitionis feruore pubescat.* Quare nouum plaustrũ significat nouum spiritum, præsertim Prædicatorum, qui, interprete Carthusiano, Arcam diuinæ legis toto orbe deferunt, & animas, quas lucrantur, cœlo inserunt: tanquàm *Currus Dei, decem millibus multiplex.* Psal.67. n.18. Et tanquàm Helias & Helisæus, quorum ille 4.Reg.2.n.12. hic aotem 4.Reg. 13. n. 14. *Currus Israëlis* dicebantur, quia totum Israëlem nouo quodã spiritu, tanquàm nouo quo-

D. Ambr.

Nouæ fruges Deo acceptissimæ.

Concionatores renouari debent in primis.

Carthus.

dam plaustro in cœlum deportare conabantur.

XI. Igitur Philisthini Arcam nouo plaustro imponendam decernunt, vt gratum per se munus ex offerentium reuerentia gratius Deo redderetur. Et quamuis restituendi celeritatem maximè curarent; tamen moras in fabricando nouo plaustro ponendas censuerunt: quia diligentia ad diuinum cultum maturanda quidem est, sed non præcipitanda. Vnde non dicitur tardare, qui debitas moras interponit, iuxta illud de Christo Domino venturo: *Si moram fecerit, expecta illum: quia veniens veniet, & non tardabit.* Abacuc 2. num. 3. Vbi simul dicitur, moram facere, & non tardare: quia illa mora non erat tarditatis, sed maturitatis. Quare maximè arguendus esset ille, qui, vt ad sacram Eucharistiam festinaret, moras ad expiandum animum, & confitenda peccata necessarias abrumperet. Præstaret enim non accessisse ad sacram mensam, quàm sordido animo, & aliqua mortalis criminis labe inueterato, tantum donum excepisse.

Diligentia maturanda, non præcipitanda.

In confessione oportet immorari, ad Eucharistiã.

XII. *Et duas vaccas fœtas*, &c. Secundo loco imperant Vates Philisthinorum, vt duas vaccas fœtas, & eatenùs iugi expertes in plaustro iungant. Vbi duas conditiones requirunt. Prima est, vt sint fœtæ. Quod vocabulum apud Latinos ambiguum est, ad grauidas, quæ nondum pepererunt; & ad enixas, seu quæ iam pepererunt, significandas. Nam grauidas quidem significat apud Virgilium in Tityro:

Duæ boum conditiones.

Virg.

Non insueta graues tentabunt pabula fœtas.

Enixas verò significat apud eundem 8. Æneid.

Fecerat & viridi fœtam Mauortis in antro
Procubuisse lupam.

Sed hoc loco iam enixas significat, vt patet ex verbis sequentibus: *Recludite vitulos earum domi.* Vnde Chaldæus & Septuaginta in Bibliis Sixtianis, Vatab. & Caiet. vertunt, *Lactantes.* Nec multò aliter Theodoretus: *Quæ recèns pepererunt.* Regium verò exemplar, *primò enixas*: quod sequitur D. Chrysost. hom. 6. in Matthæum, legens: *Primiparas.*

Prima est esse enixas.
Vatab.
Caiet.
Theod.
D. Chrys.

XIII. Sed, cur vaccas non solùm lactantes, sed etiam primò enixas ad plaustrum elegerunt? Ratio est, vt miraculum euidentius appareret: si illas à deferenda Arca filiorum amor minimè retardaret. Quid enim magis esse poterat à natura alienum, quàm vaccas, easque lactantes, & primò enixas à filiis suis sua sponte separari? Quod facile patebit. Nam in primis boues, qui gregatim sociantur, separationis iniuriam difficilè patiuntur. Et quidem, si per mortem separentur, incredibiliter dolent, vt D. Bern. serm. 16. de triplici genere bonorum, aduertit: *Tauri*, inquit, *cùm taurum mortuum inuenerint, plorant, mugiunt, & quasi quibusdam debitis humanitatis obsequiis fraterna funera prosequuntur.* Quòd si etiam viui in diuersas partes seiungantur; multis suum dolorem mugitibus manifestant. Vnde Hercules apud Virgilium 8. Æneid. boues à bobus separatus, aduertit:

Etiam bruta difficillimè separationem patiuntur & à filiis, & à grege.

D. Bern.

Virg.

Discessu mugire boues, atque omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui.

Deinde, si à sociis gregariis difficilè recedunt; certè à filiis multò difficilius separabuntur, cùm mirus sit omnium belluarum in fœtus amor. Nã etiam vrsa, raptis catulis, præ nimio in eos affectu incredibiliter sæuit & efferatur, Os. 13. n. 8. *Simiarum generi*, inquit Plinius lib. 8. c. 54. *præcipua est erga fœtum affectio; gestant catulos, omnibus demonstrant, tractarique gaudent, & magna ex parte complectendo necant.*

Plin.

XIV. Sed mirabilius est, quod de piscibus, qui duri-
A oris ingenij videbãtur, narrat D. Amb. lib. 5. Hexam. cap. 3. *Si quid*, inquit, *insidiarum, terrorisque præsenserint circa catulos suos quenquam moliri; quo tueantur eos, vel teneræ ætatis pauorem materno affectu comprimant, aperire ora, & innoxio partus suos dente suspendere; interno quoque recipere corpore, & genitali feruntur aluo abscondere.* Denique D. Basil. hom. 9. Hexam. *Summa*, inquit, *dilectio, summus amor brutis inter parentes ac fœtus suos: quapropter & qui ea condidit Deus, defectum rationis, acrimonia sentiendi opulentiore temperauit.* Quò enim homines per rationem ad tuendos filios vix procedunt; eò bestiæ per affectum insitum impauidæ rapiuntur. Nec aliter D. Amb. lib. 6. Hexam. c. 4. *Sic*, inquit, *temperauit omnia Deus, vt quibus minùs rationis daret,*
B *plùs indulgeret affectus. Quæ fera pro catulis suis non ipsa potissimum se offerat morti?* Vbi multò plura de hac re. Non aliter igitur & vaccæ suos filios amabunt.

Piscium mirus amor erga fœtus suos.

D. Basil.

D. Ambr.
Deus vbi minùs rationis, plùs indulget affectus.

XV. Tandem, si difficilè boues à quibuscunque filiis diuelluntur, certè à primogenitis difficillimè abstrahentur: cùm erga filios primogenitos multò indulgentiùs omnes animantes afficiantur. Nam hirundo, auctore Æliano lib. 15. De natura animalium, cap. 15. pullum in lucem primò editum, primò pascit. Scrofa, auctore Aristotele lib. 6. De historia animalium, c. 18. suem primò natum ad præstantiorem alit nutritque mamillam. Canis, vt refert idem Ælianus, primogeniti catuli primam gerit curam. Sic igitur & vaccæ suos magis
C amabunt primogenitos. Vnde Homerus lib. 17. Iliados comparat Menelaüm pro Patroclo decertantem, cum vitula pugnante pro vitulo primogenito. Sic enim canit:

Quanta sit animalium cura in alendis primogenitis.
Ælian.
Arist.

Hom.

Ἀμφὶ δ' ἄρ' αὐτῷ βαῖν', ὥς τις περὶ πόρτακι μήτηρ
Πρωτοτόκος κινυρὴ, ὃ πρὶν εἰδυῖα τόκοιο.

Hoc est:

Circa autem ipsum iuit, sicut aliqua circa vitulum mater
Primò enixa querula, non antè experta partum.

Ac si nulla maior esse possit amici pro amico decertatio; quàm, quæ à vitula pro vitulo primogenito suscipiatur. Cùm igitur vaccæ filios suos primogenitos, præcipuo amore complectantur, necessaria fuit diuina vis, quæ illas portantes Arcam vlteriùs ageret, ne ad filios redirent.
D
XVI. Secunda conditio est: vt essent iugi expertes. Quamuis enim hanc conditionem Sixtiana non habeant; immò D. Chrysostomus hom. 5. ad finem, in secundam Epistolam ad Timoth. dicat, Deum, per vaccas in area (intellige laborantes, ac proinde iugo assuetas) operatum esse: tamen cætera exemplaria admittunt. Conditionis autem ratio potuit esse duplex. Prior ad honorem Arcæ: sicut de plaustro dictum est. Nam, quemadmodum hoc non debuit profanis vsibus subesse, vt Arcam exciperet: ita & illæ non debuerunt subiici profano iugo, vt Arcam deportarent: atque ita sancta sanctè tractaretur. Nam, si equus, cui summus Imperator Alexander in-
E sidebat, neminem alium sessorem recipiebat, vt scribit Curtius lib. 6. Si rursum equus, aliàs mansuetus, quem pia fœmina summo Pontifici Ioan. I. accommodauit, alterius sessoris impatiens factus est, vt à nemine conscendi deinceps pateretur: vt narrat D. Greg. lib. 3. dialogi, c. 2. quid mirum, si vaccæ, à quibus Arca sacerrimum in terris oraculum vehebatur, nulli alteri, vel iugo, vel oneri subderentur?

D. Chrys.

Arca boues nec iugo, nec oneri subdita.

Curt.

D. Greg.

XVII. Quare in his vaccis Prædicatores euangelici figurantur: tum propter alias rationes, quas apud D. Gregor. Bedam & Hugonem Cardinalem inuenies:

uenies:tum, quia nullũ peccati iugum patiuntur. A Vnde præter alior D. Gregorius, *Prædicatores*, inquit, *electis fidelibus prouidendi sunt, qui per nulla onera criminis subiecti sint imperio diabolicæ potestatis.* Hi enim Christum Dominum imitantur, cuius caro significatur per illam vitulam *de armento, quæ non traxit iugum.* Deut. 21. n. 3. Vt enim diuinum Verbum in carne sine iugo, hoc est, sine peccato requieuit: ita & Euangelium alienis ab omni peccati iugo Prædicatoribur incumbit. Vnde Euangelio recipiendo indignur fuit ille, *qui iuga boum emit quinque.* Luc. 14. num. 19. Hoc est, multas peccatorum sarcinas subiit, more iumentorum: vt D. Bernardus expendit in suis Declamationibus: *An verò*, inquit, *comparatum esse iumentis quis dubitet hominem, qui sibi iuga emerit iumentorum? Nisi, quòd eò sanè ipsis quoque iumentis conuincitur stolidior, & bestialior bestiis cōprobatur; quòd iuga necessitatis earum propria ipse subeat voluntate. Quod enim illis natura est, huic culpa.* Et paulò pòst, cum illo acriùs expostular, quòd non solùm peccatorum iuga subierit, sed emerit: *Quid*, inquit, *eum iuga subisse causamur? Arguamus magis, emisse. Illud enim stoliditatis miserandæ; istud extremæ dementiæ est.* Et probat: quia pro iugo portando, & laborando sub onere, non soluitur pretium, sed comparatur: *Dignus est*, inquit, *operarius mercede sua: nam, vt mercedem pro opere tribuas, inauditum.* Et post pauca, *Quid*, inquit, *iuga emis, & iuga boum, cui iugum suaue gratis offertur? Nec modo gratis tribuitur: sed & copiosa his, qui tulerint illud, remuneratio est? Quid*, C *miser, pro iugo boum distrahis animam tuam; qui iugum Christi suscipiens, emere poteras regnum Dei, mereari vitam, lucrifacere Christum?* Itaque, sicut vaccæ sine iugo ad honorem Arcæ spectabant: ita Prædicatores sine peccato ad honorem Euangelij condocunt.

Prædicatores nullo peccatorum premantur onere.

D. Greg.

Christus Dominus peccati iugo exēptus.

D. Bern.

Quæ oneribus subest peccatorum, Euangelio indignus.

Emunt homines peccatorum iuga.

Peccator leui iugo subducitur, vt graui prematur.

XVIII. Posterior ratio secundæ conditionis est, ad maiorem miraculi euidentiam. Nam vaccæ iugo assuetæ, dediscunt feritatem, discunt mansuetudinem, vias norunt, & per eas rectiùs & pacatiùs gradiuntur, quin recalcitrent, quin exorbitent & exerrent. Non autem vitulæ indomitę, quę iugum excutiunt, de viis exiliunt, liberè euagantur. Vnde, si hæ nunc primùm iugatæ recto itinere incederent, absque vllo ductore & auriga; miraculum D sine dubio euidentiùs appareret.

Eliguntur boues iugo non domita ad miraculum.

XIX. *Et recludite vitulos earum domi, &c.* Tertio loco imperant Vates Philisthinorum, vt earum vituli domi recludantur. Iosephur, quem sequitur Sabellicus, docet, ita factum, ne vituli matres sequentes, eas ab itinere impedirent. Sed potiùs reliqui Interpretes, vt eas domi reclusi suo mugitu reuocarent. Hinc enim miraculum euidentiùs constaret: si matres ad filios domi relictos, ear continuis mugitibus reuocantes, non redirent. Regia & Sixtiana habent: *Et filios earum abducite à tergo:* seu, *A post eas domum.* Quasi non solùm recludi iubeantur; sed etiam ab earum præsentia cum maiori violentia auferri: vt sic matres ad conspectum filiorum recedentium maiori affectu E commotæ, diuinam vim, qua agebantur, euidentiùr testarentur. De mystica vitulorum intelligentia cousule D. Greg. Bedam, Carth. Lyr. in Morali, & alios. De qua re nor Annot. 21. latiùr disseremus.

Ioseph.

Sabel.

Cur vituli includi iubeantur.

* * *

Num. VIII. Tolletisque Arcam Domini, & ponetis in plaustro; & vasa aurea, quæ exoluistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus eius; & dimittite eam, vt vadat.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. TOlletisq; *Arcam Domini*, &c. Tria alia imperant. Primò: Tollere Arcam Domini, seu, יְהוָה *Iehouah*, vt est in Hebręo, hoc est, *Veri Numinis:* iam enim verum Numen fateri suo malo cogebantur; vt Caietanus aduertit: & ponere eam in B plaustro. Non dicunt: *Et religare eam:* sed absolutè: *Et ponere eam.* Credo, non sine mysterio, ad maiorem oraculi euidentiam. Nam, si non religata, adhuc nihilominùs staret; nullur de miraculo dubitandi locus superesset. Dagon quidem firmiter, & in ara sua religatus, corruit: vt superiori Cap. dictum est: Arca verò in plaustro soluta, immobiliter stetit; vt ex dicendis patebit: quia efficacior erat diuina vis ad retinendam Arcam, quàm ferreæ catenæ & trabales claui ad Dagonem retinendum. In quo vana superstitio & vera religio, seu falsitas & veritas adumbrantur: hæc enim absque vllis adminiculis stat: illa multir fixa retinaculis vacillat.

Caiet.

Afflictio Dei cognitionem parit.

Diuina omnipotentia vis.

II. Sed quærer: Cur Philisthinj Arcam nouo plau- C stro portandam imponentes, nullas pœnas dedęriut: cùm tamen Oza, qui illam plaustro etiam nouo deferendam imposuit, maximas luerit, subita morte correptus? 2. Reg. 6. n. 3. & 6. Discriminis ratio multiplex esse potest, vt ad eum locum, si Deur feret, ostendemus. Germana & literalis est: quia Philistbini Arcam plaustro imponentes non peccarunt, cùm ex diuina lege Arcam propriis humerir portare, minimè tenerentur; vt superiori Num. diximur: Oza verò grauiter deliquit; quia, cùm esset Sacerdos, propriis eam humeris subire tenebatur. Vnde Theod. in 2. Reg. quæst. 20. docet, propterea Ozam luisse pœnas: Quia, *cum*, inqoit, *Deus iussisset, vt Sacerdotes Arcam suis humeris ferrent; præter legem, eam tulit in plaustro. Hoc autem* D *eum fefellit, quòd ea sic emissa ab alienigenis, nemini nocuit. Sed oportebat considerare, quòd neque legem norant alienigenæ, neque aderant Sacerdotes, qui conuenienter legi eam portarent.* Vnde colliges, non satis coli Deum à Christianis, nisi maiorem adhibeant cultum, quàm pagani: quia minùs ab hir, quàm ab illis exigitur seruitutis.

Cur Oza punitur nō Philisthini.

Theod.

Christiani maiori cultu Deum colere debent quàm Pagani.

III. *Et vasa aurea, &c.* Imperant secundò, vt vasa aurea, hoc est, munera & simulacra aurea, quæ exoluerant pro delicto; seu, vt habetur in Sixtianis, *Pro cruciatu*, vt suprà explicauimur; in capsellam ad latus Arcæ reponantur. Dixit autem, *Vasa aurea*, more Scripturæ: in qua vasorum nomine, quælibet rerum instrumenta significantur. Nam *vasa psalmi*, Psalm. 70. num. 22. sunt organa. *Vasa* E *mortis*, Psalm. 7. num. 14. sunt iacula. *Vasa belli*, Ier. 21. num. 4. sunt arma. Vnde Isaac ad Esau: *Sume*, inquit, *arma tua, pharetram & arcum.* Gen. 27. num. 3. In Sixtianis est: *Sume vas tuum.* Hinc illud: *Sexcenti viri, ita vt erant armati, stabant ante ostium.* Iudic. 18. num. 16. Chaldæus legit: *Sexcenti viri armati in vasis suis.* Et illud: *Leuitæ circundent Regem, habentes singuli arma sua.* 2. Paral. 23. num. 7. Complutensis habet: *Vas eius in manu eius.* Tandem illud: *Dixit Saul ad armigerum suum.* 1. Reg. 31. num. 4. Iuxta Hebræum: *Dixit ad portantem vasa sua.* Et sic de aliis frequentissimè. Sed præci-

Varia acceptio huius nominis, Vasa.

Vasorum nomine quid præcipuè significetur.

puè vasorum nomine significantur ea, quæ ad supellectilem pertinent. Vnde Pharao ad fratres Iosephi, *Nec*, inquit, *dimittatis quicquam de supellectili vestra*. Gen. 45. num. 20. seu, vt habent Septuagiota in Sixtianis: *De vasis vestris*. Quare vasa aurea hoc loco sunt illa aurea munera, quæ Philisthinorum Vates Deo Israelis consecranda præceperunt, & quę ad sacram diuini cultus supellectilem pertinebant.

D. Greg.

Peccata nostra diuina inaurantur misericordia.

IV. Quæres: Cur, quæ paulò antè anorum & murium similitudines dictæ sunt; nunc vasa aurea appellentur? Mysticam rationem tradit D. Greg. vt significentur peccata, aute pœnitentiam quidem deformia: post pœnitentiam verò pulchra quodammodo, & inaurata; non quidem ratione sui, quæ intrinsecè mala ac turpia sunt, sed ratione diuinæ misericordiæ, à qua superfunduntur. Si enim ferrum auro illitum & illusum splendescit: quid mirum, si peccatum diuina misericordia tectum & tersum, Sole clarius rutilet & coruscet? *Quid est*, inquit Greg. *quòd res ista eadem honestiorum nomine exprimuntur; nisi, quia peccata, quæ pœnitentiæ fletibus tersa non sunt, in deformitate sua attentius videnda atque lugenda sunt: ea verò, quæ iam sunt diluta magnis fletibus, non attentius, neque in deformitate sua respicienda; sed æstimatione humilitatis aliquando cogitanda?* Et paulò pòst loquutus de pœnitente, *Quasi aurea*, inquit, *iam vasa conspicit, quia peccata videt, non quibus se obligatum videat; sed quæ omnipotentis Dei laudibus impendat.*

D. Hieron.

Anima per peccatum fœdata, per pœnitentiā mutatur in decorem.

V. Itaque peccata, quæ pœnitentiæ lacrymis abluuntur, non confusionem pariunt, sed honorem. Vnde D. Hier. in epist. 46. ad Rusticū loquutus de Dauide suum peccatum confitente, *Fœditatem*, inquit, *vulnerum in sanitatis decorem commutat.* Vbi non solùm dicit, animam in decorem commutatam; sed ipsam vulnerum, id est, peccatorum fœditatem; vt ostendat, ipsa quodammodo peccata ex sua natura turpia per diuinā misericordiam decorari & inaurari; quatenus amplam materiam præbent diuinæ misericordiæ laudibus decantandis. Testis sit illa fœmina Samaritana, quæ ante pœnitentiam sua peccata erubescens, illa Christo Domino detegere non audebat: post pœnitentiam verò eadem peccata, quasi noua aliqua luce iam refusa, omnibus palàm Samaritanis ciuibus suis manifestabat. Ioan. 4. num. 29. De qua re eleganter D. Ambros. serm. 30. *Nouo*, inquit, *admirationis genere, mulier, quæ ad puteum Samariæ meretrix aduenerat, à Christi fonte casta regreditur; & quæ aquam petere venerat, pudicitiam reportauit. Statim etiam, indicante Domino, sua peccata recognoscens, confitetur Christum, annuntiat Saluatorem, & relinquens aquæ vasculum, ad ciuitatem non fert hydriam, sed refert gratiam. Vacua quidem videtur reuerti onere, sed plena reuertitur sanctitate. Plena, inquam, redit: quia peccatrix aduenerat, reuertitur prædicatrix. Et quæ hydriæ vasculum amiserat; Christi plenitudinem reportabat: in nullo ciuitati suæ inferens detrimentum: etenim, si aquam ciuibus non intulit; tamen fontem salutis inuexit.* Hæc Ambrosius. Vides, vt cordis dolor, tanquàm auri color præteritis peccatis superfusus ea mirabiliter illustrarit?

D. Amb.

Peccata dolore, tanquā auri colore, illustrantur.

Per pœnitentiam omnes peccati maculæ eluuntur.

VI. Hoc etiam Salomon mihi videtur significasse. Postquā enim dixit: *Tria sibi esse difficilia, via aquilæ in cælo, viam colubri super terram, viā nauis in medio maris*, subdit: *Talis est & via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum, dicit: Non sum operata malum.* Prou. 30. n. 20. Vbi via fœminæ antè peccatricis, sed posteà pœnitētis, cum viis aquilæ, colubri & nauis comparatur: vt enim ex his nulla expressa vestigia relinquuntur; ita ex illa nullæ in animo sordes, aut maculæ supersunt. Quem locum D. Ambrosius citatus, postquam in hunc sensum exposuit, subdit: *Hæc enim virtus Christi est Domini; vt quantumuis peccator, qui eius vnda se lauerit, denuò in virginem reparatus non meminerit antè quid fecerit, & redintia natiuitate, infantiæ innocentiam præferat, iuuentutis scelera non agnoscat; sitq; virgo fido Christi, qui fuerat adulter corruptione peccati.* Et rursus idem D. Ambros. in lib. De Salomone, cap. 5. Ecclesiam ex Gentibus collectam per hanc fœminam antè peccatricem, & posteà pœnitentem interpretatus: *Hanc*, inquit, *posteaquàm Dominus noster Iesus Christus puro baptismatis fonte perfudit, ablutionem & criminis accipit, & nominis; per gratiam fidei post meretricem fit virgo.* Mira sanè pœnitentiæ efficacitas, quæ non solùm contractas scelerum maculas eluit; sed etiam amissum virginitatis statum, saltem quoad meritum instaurat.

D. Amb.

Insultus per pœnitentiam separatur, in virginem.

VII. Inter alia nomina, quæ Ecclesia gentium sortitur, celebertimum est virginis nomen: sic enim eam appellauit D. Paulus, dicens: *Despondi vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.* 2. Corinth. 11. num. 2. Quod D. Chrysost. hom. in Eutropium circa Psalmum 44. in 1. tomo expendens, non immeritò admiratur, quomodo virginis nomen Ecclesiæ gentium tam multis sordibus pollutæ accommodetur: *Admirari libeat*, inquit, *in sponso hoc, quia accepit meretricem, & reddidit virginem. O rem nouam & admirabilem! Nuptiæ apud nos missam faciunt virginitatem: nuptiæ apud Deum perditam exsuscitant virginitatem. Apud nos, quæ virgo est; nupta, non est virgo. Apud Christum, quæ erat meretrix; nupta, mox virgo facta est.* Et post multa de hac re: *Venit*, inquit, *Publicanus, & fit Euangelista. Venit meretrix, & fit virgo.* Vides, quàm pulchram in faciem induantur peccata alioqui admodum deformia, si pœnitentiæ lauacro expientur? Desinunt esse obscœnitatis dumeta, & fiunt germina castitatis. De qua re vide, quæ infrà ad Cap. 7. Annot. 25. Sect. 1. iterum dicemus.

Peccata olim deformia, pulchram in faciem induuntur

D. Chrys.

VIII. Tandem, quis dubitet, fuisse admodum pretiosum illud vnguentum, quo Maria vnxit pedes Iesu? Nam statim *domus impleta est ex odore vnguenti.* Ioan. 12. num. 3. Sed longè pretiosius est contritionis vnguentum, quod in eo adumbratur; interprete D. Bernard. serm. De Magdalena: *Pretiosum*, inquit, *contritionis vnguentum; quo non solùm terrena domus, sed etiam cælestis aspergitur.* At quibus ex aromatibus tam pretiosum vnguentum elaboratur? Pergit Diuus Bernardus: *Vilissima*, inquit, *sunt species, de quibus conficitur, & magna earum copia intra nostros hortulos poterit inueniri. Peccata igitur nostra plantata in conscientiis nostris, quorum numerositas præ multitudine numerari non potest, species eius sunt. Ipsa igitur, in mortariolo pœnitentiæ, macerationis pistillo contusa, & respersa discretionis oleo, doloris igne supposito, & in aheno disciplinæ cocta, vnguentum exhibent pretiosum & acceptum pedibus Saluatoris.* Vides, vt peccata graueolentia, si doloris igne decoquantur, suauissimum efficiant vnguentum, cuius odore militans pariter ac triumphans Ecclesia repleatur? Meritò igitur illa ante pœnitentiam fœda simulacra, post pœnitentiam honestiori vocabulo vasa aurea nominantur.

D. Bern.

Contritio est vnguentum odoriferū, & pretiosum.

IX. *Ponetis in capsella*, &c. In Hebræo est בארגז *Baargaz*, id est, *In capsa. Ba* enim est prępositio, *In*: at verò, *Argaz*, est *capsa*, præsertim textilis, à verbo, ארג *Arag*, id est, *Texere*. Vnde aliqui vertunt: *In cophino textili*: quem dicunt, fuisse compositum ex capillis; qualem Græci vocant, σακκίον, hoc est, saccum, seu, crumenam. Aquila. *In texto coma.*

Quid sit, in quo vasa aurea reposita sunt.

Aquila.

Sym. Theod. Procopius. Vatab. Iosephus.

coma. Symmachus: *In scrinio.* Theodoret. *in quadam vase.* Procopius: *In vrna.* Vatablus: *In arcula.* Iosephus: *In loculo*, seu *marsupio.* Septuaginta: *ἐν θέματι*: quamuis thema potiùs locum aliquem, quàm vasis genus significare videatur: nisi tropicè intelligantur, locum pro re locata accipientes; & fortasse respicientes ad themata mathematica, hoc est, loca cælestia, seu horoscopos & positutas cœli: vt quemadmodum Mathematici has cœli partes obseruant, vt inde hariolentur; ita Philisthini illam capsellam, & munera in ea inclusa notasse significarentur: vt inde coniicerent, quod de Arcæ virtute scire cupiebant. Faciliùs quis se expediret, si apud Septuag. pro *ἐν θέματι*, in themate, legeret, *ἐν θήκῃ*, in theca. Sed hanc lectionem, cùm apud probatos Codices non inueniam, non repono.

X. *Ad Dei munera optima quæque eliguntur.*

Quodcunque autem illud fuerit, in quo aurea munera poni iubeantur, dubitandum non est, fuisse aliquid ouuum, ex præstanti materia, & artificioso opere fabrefactū; quale ad illa munera Deo Israëlis consecrata debito cum honore deferenda requirebatur. Hanc autem capsellam tanti fecerunt Israëlitæ, vt in primo templo simul cum Arca perpetuò conseruarint: nec, nisi cum Arca, è templo erepta fuerit, impendente captiuitate Babylonica: vt Galatinos lib. 4. De arcanis, cap. 9. ad finem, refert ex libro יומא *Ioma*, vbi sic: *In Sanctuario secundo non fuit Arca. Traditio enim est, quòd ex quo abscissa est Arca, abscissa est cum ea vrna manna, & lenticula olei vnctionis, & virga Aaron, & amygdalæ eius, & flores eius, & capsella, quam miserunt Philisthæi, munus Deo Israel.* Magno igitur in pretio fuit, quæ cum rebus pretiosissimis apud Hebræos seruabatur; nec minùs consulebatur eius periculo, quàm aliarum rerum, quas sartas tectas maximè desiderabant.

Quanto in pretio fuerit hæc sacra supellectilis capsella.

XI. *Ad latus eius*, &c. lubetur præterea hæc capsella poni, non quidem super Arcam, quidquid dicat Sabellicus: nam, cùm Arca esset sedes Dei, non decebat quidquam super eam collocari. Neque etiam intra Arcam: tum, quia Philisthini non audebant eam ob reuerentiam aperire, vt superiori capite iam diximus: tum, quia volebant, vt sua Hebræis munera conspicua apparerent: non apparerent autem, si intus in Arca essent, immò perpetuò laterent; cùm Hebræi præ reuerentia nunquàm solerent Arcam aperire: vt Abul. aduertit. lubetur igitur poni ad latus Arcæ, vt est in Litera: seu, vt est in Sixtianis: *A parte eius*: hoc est, seorsim, seu separatim ab Arca. Vtranque dictionem Cōploteosia coniungunt: *Ex latere partis eius*: quo videtur significare illa munera non fuisse ex vtroque latere suspensa; sed in vno tantùm latere alterius partis collocata. Cur autem ad latus potiùs, quàm ante Arcam statuantur, mystica ratio esse potest, quam tradit D. Greg. *Si Arca*, inquit, *diuina cognitionis secretum insinuat, ad latus vasa depeduntur: quia, dum altitudo diuina cognitionis mentem elenat; ad virtutem humilitatis infirma nostra præterita ad memoriam reducenda sunt. Non igitur ponenda sunt ante Arcam; ne dum immoderatiùs infirma respicimus, attolli ad superna nequeamus.* Itaque iuuat peccata nostra ex latere posita aliquando respicere, ne superbiamus: non autem ante oculos posita perpetuò intueri, ne plusquàm par est, nimio mœrore obruamur. Quod hic obiter illustro.

Sabel. *Sabellici opinio de loco capsellæ reiicitur.*

Abul. *Capsella ad Arcæ latus collocatur.*

D. Greg. *Oportet aliquando nostra respicere peccata, ne superbiamus.*

Peccata neque omninò obliuiscenda: neque perpetuò cogitanda.

XII. Illud prius patet in D. Paulo, qui postquàm à Deo factus est vas electionis, vt portaret nomen

A eius *coram Gentibus & Regibus & filiis Israël.* Act. 9. num. 15. statim quasi ad latus Arcæ munera pro delicto apponens, veteris vitæ peccata in memoriam reuocabat. *Non sum*, inquit, *dignus vocari Apostolus, quoniam persequutus sum Ecclesiam Dei.* 1. Corinth. 15. num. 9. Et rursum: *Prius*, inquit, *blasphemus fui & persequutor & contumeliosus.* 1. Timoth. 1. num. 13. Et alibi se vocat *Sanctorum*, hoc est, Christianorum, *minimum*, Ephes. 3. num. 7. Et, *peccatorum primum*, hoc est, maximum, 1. Timoth. 1. num. 15. Vnde D. Chrysost. hom. vlt. in posteriorem Epist. ad Corinthios: *Ea*, inquit, *Sanctis consuetudo: quod perperam fecerunt, rependunt quotidie, deplorant, omnibusque ob oculos ponunt: quod autem ingenuum & eximium, abscondunt, & obliuio-*

Iusti peccata perpetuò recordantur.

D. Chrys.

B *ne transmittunt. Talis est hic sanctus noster: peccata sua, vel nemine impellente, perpetuò versat, excantat.* Vbi nota illud, *Perpetuò*; ne posteriori parti huius digressionis statim illustrandæ aduersetur; intelligendum esse, pro debitis opportunitatibus, in quibus peccatorum recordari expediret: non tamen ita, vt nunquàm eorum memoriam intermitti significetur.

Paulò pòst idem Chrys. eiusdem Apostoli prærogatiuas commemorans, subdit: *Ille*, inquit, *ne tantulum quidem ex tantis præconiis intumuit: se miserum pertinaciter contendit: post tantam gratiam, post tam eximia virtutis opera, post præclaram dicendi libertatem, primum se peccatorum nominat*: nempe, qui se nouissimum Apostolum nominabat. Vbi etiam C aduertit, D. Paulum in omnibus Epistolis, quod legenti facilè patebit, sua peccata recantasse: & se *atra*, vt loquitur, *notatione* descripsisse: vt non solùm in præsentem ætatem, sed etiam in omnem posteritatem suorum peccatorum recordatio perennaret. Adamum *emisit Dominus Deus de Paradiso voluptatis.* Gen. 3. num. 23. Et, vt addunt Septuaginta: *Collocauit eum ante Paradisum voluptatis.* At, cur non potiùs è tota circum regione expulit, & in longius exilium amandauit? Rectè D. Chrysostomus hom. 18. in Gen. quem ad cap. 2. num. 33. iam citaui: *Vt dolens*, inquit, *continuo aspectu munitior & cautior esset in aliis, ne iterum in eadem peccata incideret.* Et paulò pòst: *Vt & spectando memor esset, & inde lucrum faceret.* Quasi nullum D habere posset efficacius remedium ad futura peccata euitanda, quàm si præterita cum dolore recordaretur.

XIII. *D. Chrys. D. Paulus peccata scripta reliquit, vt æternaret eorum recordationem.*

D. Chrys. *Nullum efficacius remedium, quàm præterita cum dolore recordari.*

Sunt, qui dicant, rosas ante peccatum sine spinis vernasse: post peccatum spinis inhorruisse. Ita credit, vt alios interim omittam, D. Ambros. lib. 3. Hexam. cap. 11. Et post alias rationes de hac re, hāc etiam reddit ad præsens institutum, vt rosarum spinæ de sois hominem peccatis admonerent: *Cùm*, inquit, *vnusquisque prosperioris vitæ successibus gratulatur, meminisse culpæ eum conuenit, per quam, nobis in Paradisi amœnitate florentibus, spina mentis, animique sentes iure condemnationis adscripti sunt. Irrutiles igitur, ô homo, licèt, aut splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis, aut fulgore virtutis, semper tibi E spina proxima est. Semper inferiora tua respice. Super spinas germinas: nec prolixa gratia manet. Breui vnusquisque decursu ætatis flore marcescit.* Ac si hæc nos de præterito peccato, & impendente morte admonitio, à peccatis in posterum committendis maximè retardaret.

XIV. D. Ambr. *Rosa post peccatum spinis inhorrescunt, vt hominem pungendo admoneant.*

Quare Dauid, etiam postquàm audiuit à Nathan: *Dominus transtulit peccatum tuum.* 2. Regum 12. num. 13. adhuc nihilominùs dicebat: *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Psal. 50. num. 5. Quasi nondum esset de propitiato peccato securus; sed perpetua illius recordatione XV.

Iustis ad peccatorum recordationem perhorrescunt. cordatione perhorresceret: & secum ita quodammodo loquebatur, vt eum Theodoretus loquentem introducit: *Iniquitatem meam ego cognosco,* &c. *Theod.* *Non enim post impetratam veniam peccati oblitus sum: verùm meorum malorum imagines, & peccata audacter patrata prospicio, & noctu somnio, & interdiu mente reuoluo.* Eandem ferè loquutionem ei tribuit Diuus Augustinus ibidem: *D. August.* *Non posui,* inquit, *post dorsum meum, quod feci; non intueor alios, oblitus mei: non affecto stipulam eiicere de oculo fratris mei, cùm sit trabes in oculo meo. Peccatum meum ante me est, non post me.* Et paulò pòst obseruat Dauidem ex hac suorum peccatorum recordatione inductum fuisse ad bene sperandum de diuina misericordia, & precandum illud vlteriùs: *Auerte faciem tuam à peccatis meis.* Ibidem, num. 11. Cùm *Si iustus à peccatis oculos non auertit, diuinos auertuntur.* enim suam ipse faciem à peccatis suis non auerteret, diuinam auertendam sperabat. *Bene rogas,* inquit Augustinus, *vt Deus auertat faciem à peccato tuo, si tu inde non auertis faciem. Si verò tu peccatum tuum in dorso ponis, Deus ibi faciem ponit. Tu peccatum tuum ante faciem tuam conuerte, si vis, vt inde Deus faciem suam auertat.*

XVI. *D. Ambr.* Nec aliter D. Ambros. in Apologia Dauid, cap. 9. eum, qui peccatorum suorum memoriam penitùs obliterat & abradit, seu, quod deterius est, ex illa delectatur, insipientem vocat: qui retinet & *Insipiens, qui memoriam peccati obliterat: sapiens, qui retinet.* conseruat, sapientem. *Insipiens,* inquit, *delectatur erroribus suis, & nouis vetera adumbrando peccatis, se existimat adiuuari, ideòque exultat in crimine. At verò sapiens aduersum se indicat delictum suum, & tanquàm hostiles acies, ita lapsus culparum suarum, aduersantium modo sibi arbitratur obsistere. Quidquid personuerit, quidquid increpuerit, culpa et propria semper occurrit. Quidquid fuerit dictum, aut lectum, in se dictum putat. Quidquid intenderit, se nutu, se oculis signari putat. Si epuletur, si cogitet, si oret ac deprecetur: ante oculos eius semper est error proprius, & mentis omnibus culpa pulsat conscientiam, nec quiescere, nec obliuisci sinit. Sed hoc bona mentis est; vulnus* *Qui de peccato non dolet, immedicabilis.* *sentire peccati. Nam, qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem; quod est immedicabilis agritudinis: vbi enim doloris sensus, ibi sensus est vitæ.* Vbi multò plura de hac re. Et expende hæc vltima verba. Sicut enim, qui dolet de vulnere, adhuc viuit; qui non dolet, omninò periit: ita, qui dolet de peccato, tanquàm viuus adhuc medicabilis est; qui non dolet, tanquàm iam mortuus prorsus immedicabilis.

XVII. *D. Chrys.* Iam verò D. Chrys. hom. 2. in Psal. 50. pari modo interpretatus: *Non est,* inquit, *oblitus peccati sui, quamuis concessum sibi fuerit. Ille enim in conscientia* *Dauid in anima, vt in tabella, depicta peccata contemplabatur.* *sua, tanquàm in imagine, adulterium & homicidium depictum habebat. Et per singulos dies videbat putredinem; & ideò dicebat: Peccatum meum contra me est semper. Ego illud video, tu ne id consideres: ego illud scribo, tu quasi Dominus dele. Vide enim quid sit: si tu memor sis, Deus non erit memor. Fecisti malum: memor esto, vt Dominus Deus tuus illud obliuiscatur.* Qua de re ne quisquam dubitet, audiat illud Dei oraculum dicentis: *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Isai. 43. n. 25. Addunt Septuaginta: *Tu autem memento.* Quasi dicerent, vt interpretatur D. *D. Chrys.* Chrysost. hom. 41. ad populum: *Recordare tu prior, & ego non recordabor.* Quod paulò pòst magis declarans: *Si homo peccatorū recordatur, Deus non recordatur.* *Pœnitentem,* inquit, *nunquàm oportet obliuioni peccatum tradere; sed Deum quidem rogare, ne eius meminerit: ipsum verò nunquàm ipsius obliuisci. Si nos eius non recordemur, Deus ipsius non obliuiscetur. Si nos eius meminerimus, Deus obliuiscetur.* Et paulò pòst: *Nihil,* inquit, *ita corrigit peccatum, sicut*

A *perennis memoria; nihil tam segnem facit hominem ad malum.*

XVIII. In hunc sensum Dauid: *Cogitatio,* inquit, *hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.* Psal. 75. num. 11. Vbi distinguit cogitationem, & reliquias cogitationis. Illam dicit D. *D. August.* *Dies Deo festus peccatorū recordatio.* Augustinus esse, qua quis sua peccata, antequam remittantur, cogitat & perscrutatur: has verò esse, quibus quis sua peccata, etiam confessione deleta & expiata, in memoriam reuocat, & retractat: illam primam cogitationem necessariam esse ad comparandam gratiam; eas verò cogitationis reliquias ad conseruandam. *Sic debes,* inquit, *recedere à peccatis, prima cogitatione confessus Deo; vt non tibi recedat de memoria, quia peccator fuisti.* Ne scilicet B ingratus Deo ex obliuione priorum scelerum, *Iniusti peccatorū obliuione in deteriora dilabuntur.* quæ tibi remissa sunt, in posteriora relabaris. Et confirmat exemplo Dauidis & Pauli: quorum cogitatio fuit, vt sua Deo peccata confiterentur; reliquiæ cogitationis, vt eadem peccata iugiter recordarentur: illa cogitatione se Deo per gratiam coniungebant; his reliquiis cogitationis solennia Deo festa celebrabant.

XIX. Cæterùm illud posterius, non esse peccatorum memoriam intemperantiùs refricandam, neque illorum recordationi immoderatiùs adhærendum; rectè docuit Abbas Pinufius apud Cassian. *Cass.* collat. 10. cap. 7. dicens, eum, qui pristinas pecca- *Peccata non continuò refricanda, sed æterna cogitanda.* torum sordes excoxerit, & de animo eraserit, etiam de memoria deletum. Quasi illud à Do- C mino audite sibi videatur? *Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lacrymis; quia est merces operi tuo, ait Dominus.* Ierem. 31. num. 16. Vt enim populus de Babylonica captiuitate liberatus, non iam Babylonem plorabundus, sed Ierosolymam exultabundus cogitabat: ita qui peccatorum vinculis expeditur, non iam pristinam captiuitatem deploret, sed nouam libertatem decantet, dicens: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Psalm. 115. num. 17. Et rursus cap. 8. docet, eum, qui iuxta Prophetam non prohibet gladium suum à sanguine, Ierem. 48. num. 10. hoc est, qui illum sanguinem noxium, quo animatur materia peccatorum, salubriter fundit, & quidquid in membris suis carnale, terrenúmque est, resecat & D abscindit; non debere importuna priorum scelerum cogitatione pulsari. Sed potiùs, inquit, *iam* *Homo amissa veterum recordatione in spem futurorum ingreditur.* *non recordationis veteris admissi, sed spe futurorum gaudiorum flere incipiet: nec tam de præteritis malis, quàm de venturis cogitans bonis, non ex peccatorum mœrore lacrymas; sed ex æterna illius lætitiæ alacritate profundet: atque obliuiscens ea, quæ posteriora sunt, id est, carnalia vitia; ad ea, quæ antè sunt, extendetur, hoc est, spiritualia dona, atque virtutes.*

XX. Ratio verò, cur in peccatis confessione iam deletis, replicandis, & in memoriam reducendis, nemo debeat esse nimius, sed moderatus: duplex esse *Cur nimia peccatorum memoria officiat, duplex causa. Prima.* potest. Vna: ne ex peccatorum recordatione aliquid sordis in animo contrahatur. Ita Abbas ille Pinufius collat. cit. c. 9. *Præteritorum,* inquit, *pec-* E *catorum memoriam de industria retractare non oportet: quinimmò, etiamsi violenter irrepserit, protinus extrudatur. Multùm nanque retrahit mentem à contemplatione puritatis, eius præcipuè, qui in solitudine commoratur, implicans eam sordibus Mundi huius, & præfocans fœtore vitiorum. Dum enim recolis ea, quæ secundùm Principem seculi huius, siue per ignorantiam, siue per lasciuiam commisisti; vt concedam tibi, quòd in hac cogitatione posito oblectatio nulla subrepat, certè antiqua putredinis vel sola contagio, necesse est, vt tetro mentem fœtore corrumpat, & spiritualem virtutum fragrantiam excludat.* Et statim monet, vt in his

cogita

cogitationibus non immoremur;sed ab illis quàm citissime resiliamus:*Cùm ergo*,inquit,*præteritorum memoria vitiorum pulsauerit sensum; ita ab illa resiliendum est,sicut refugit vir honestus & grauis, si impudica ac procax fœmina in publico,aut colloquia,aut amplexibus appetatur. Qui vtique nisi se à contactu eius festinus abstraxerit, & vel breuissimam moram inhonestæ confabulationis admiserit; etiamsi consensum impudenda respuat voluptatis; infamiæ tamen ac reprehensionis notam prætereuntium iudicio non euadet.*

XXI. Et paulò pòst obseruat, eum,qui tales cogitationes fouet,in prauas loquutiones prodire;iuxta illud Parœmiastæ: *Oculi tui videbunt extraneas,& cor tuum loquetur peruersa.* Prou. 23. num. 33. Et quod deterius est, cùm ab his cogitationibus letaliter feriatur, non dolere; iuxta illud eiusdem Salomonis: *Eris, sicut dormiens in medio mari,& quasi sopitus gubernator, amisso clauo. Et dices: Verberauerunt me; sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi.* Ibid. num. 34. & 35. Nam,sicut, qui in bellico tumultu furens vulneratur, vulnerari se non putat, cùm grauissime vulneretur:*Solet enim*,inquit,*frequenter accidere,vt dum vel suos, vel aliorum lapsus, imperitorum quispiam miserantis retractat affectu; ipse etiam subtilissimi teli voluptario perstringatur assensu; & initium sub specie pietatis exortum, obscœno & noxio fine concludat.* Quod verbis Salomonis confirmat,dicentis: *Est via,quæ videtur homini recta,& nouissima eius ducunt ad mortem.* Prou. 16.num.25. Vnde tandem optima vsus adhortatione: *Studendum est nobis*,inquit, *vt virtutum potius appetitu, & desiderio Regni cœlorum, quàm noxiis vitiorum recordationibus nosmetipsos ad compunctionem laudabilem prouocemus: quia necesse est, tandiu quempiam pestilentissimis cloacæ fœtoribus præfocari, quandiu supra eam stare, vel cœnum eius voluerit commouere.* Lege D. Bern. ser. 6. ex diuersis, de cute & carne & ossibus animæ;vbi monet, prauas cogitationes diligenter abigendas,ne si vel leuiter in corde versentur,animæ pulchritudo decoloretur.

Quæ mala ex nimia peccatorum memoria oriantur.

Praua cogitationes abigendæ,ne animæ pulchritudo decoloretur.

D. Bern.

XXII. Hanc rationem non parum iuuat doctrina Paciani Episcopi Barcinonensis,qui in Parænesi ad pœnitentiam, monet, non esse sua peccatoribus peccata importunè ingerenda; ne illorum recordatione, tanquàm admonitione, deteriores efficiantur:*Vt cœnum*,inquit,*solet tum maximè fœtere,cùm moueas; & incendium tuum magis ardere,si vertas; & rabies tum vehementiùs sæuire,si prouoces.* Ita peccatores, cùm de suis peccatis importuniùs admonentur, in peccata licentiùs præcipitantur. Quos igitur laqueos crebra peccatorum admonitio aliis tendit;eosdem sua cuique peccatorum cogitatio, si frequentior & expressior fit, quàm oporteat, machinatur. Quare D. Bern. serm. De conuersione ad Clericos, c. 23. loquutus de peccato per pœnitentiam iam deleto: *Sic*,inquit,*de cætero insit memoriæ, vt eam nullatenus decoloret.* Quod planè fiet,si eius memoria renouetur, quantum satis sit ad humilitatem conseruandam, non ad voluptatem repetendam. Vnde,cùm priora peccata, tanquàm primogenita nostra, nobis in memoriam recurrunt,vt prauo illapsu animum infestent:*Planè exclamandum nobis est*, inquit D. Bern.serm.31. ex diuersis, de triplici genere cogitationum nostrarum, *cum sancto Iacobo,atque dicendum: Ruben primogenitus meus,non crescas: ascendisti enim cubile patris tui.* Gen. 49. num. 3. & 4. Quasi diceret: Cùm me nimis graui iniuria læseris ac deformaris; ne repullules ad maiorem reponendam.

Pacian.

Peccatores deli&orum memoria efficiuntur deteriores.

Peccata debemus recordari ad humilitatem, non ad voluptatem repetendam.

D. Bern.

XXIII. Altera ratio,cur non debeant abolita iam peccata frequentiùs retractari, illa est, quòd animus ab illis iam absolutus,iterum vellicetur,& nimia tristitia obruatur. Quæ sane causa fuit, cur Diuus Paulus Corinthios admonuerit, ne peccatorem incontinentia lapsum, & pœnitentia restitutum, grauioribus obiurgationibus vlterius lacerarent: *Sufficit*,inquit,*illi,qui eiusmodi est,obiurgatio hæc,quæ fit à pluribus:ita vt è contrario magis donetis,& consolemini; ne fortè abundantiori tristitia absorbeatur, qui huiusmodi est.* 2. Corinth. 2. num. 7. Peccator enim sui magnitudinem sceleris expendens, à tanta sæpè tristitia absorbetur, vt in extremam desperationem adigatur. Ita Caïn magis respiciens malitiam propriam, quàm misericordiam diuinam: *Maior est*,inquit,*iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Gen. 4. num. 13. Ita & Iudas suam potiùs proditionem, quàm diuinam miserationem considerans,desperando dixit:*Peccaui tradens sanguinem iustum.* Matth. 27. num. 4. Ita denique & illi, qui præteritam malitiam attendentes, & de futura pœnitentia *desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis.* Ephes.4.num.19.Vt igitur peccata aliis importunè obiecta eos in desperationem impellunt:ita & à quolibet impensiùs, quàm par est, recogitata, eum ad desperandum trahunt; vel saltem eò adducunt, vt stupenti similis à bonis operibus languescat; & prælato mersus horrore, doloris impatiens consumatur.

Secunda causa exponitur.

Peccator delictorum memoriâ, tristitiâ absorbetur in desperationem.

XXIV. Mediam igitur tenendam viam Philisthinorum Vates docuerunt: dum aurea vasa, peccatorum symbola,non ante Arcam, sed ad latus Arcæ collocanda imperarunt:non ante quidem, ne perpetuò ob oculos versarentur:non ad tergum autem, sed ad latus,vt aliquando,saltem quando id temporis opportunitas exigeret, in memoriam reuocarentur. Sic enim & recordando conseruaretur humilitas; & recordationem intermittendo,conscientiæ puritas & hilaritas retineretur. Nec sine mysterio illa vasa Deo offerenda, in cophinum textilem,seu ex capillis confectum, vt suprà diximus,hoc est,in loculum quendam cilicinum,siue saccinum includuntur, vt significentur peccata, non nisi sacco & cilicio, pœnitentiæve amictu cooperta, Deo in sacrificium offerenda, & nobis in memoriam reuocanda. Cæterùm,in his mysteriis miotiùs eruendis,eò quis debet libentiùs immorari; quòd vel ipse ingeniorum apex Aug. si ille est, lib. 2. De mirabilibus Scripturæ,c. 7. de tota hac materia loquutus, sic concludat: *Sed in his*,inquit,*multiplex figurarum intelligentia latet,quæ proprij operis industria,& tempore indiget,& otio.*

Media tenenda via in peccatorum memoria.

Peccata pœnitentia habitu Deo offerenda.

D.Aug.

XXV. *Et dimittite eam,vt vadat.* Imperant tertiò,vt vaccas sine duce,sine auriga, quò instinctus tulerit, abire patiantur. Addunt Iosephus,Philo Biblicus, & Theodoretus,vaccas in triuio collocatas, vt ex ambiguitate viarum incertiores ad proficiscendum redderentur: vnde clarior appareret diuinus instinctus,si eas ad viam,quæ ducebat in Iudæam determinaret. Et quamuis hoc non sit in Litera: tamen satis ex ea colligi posse testatur Abul. cùm Num. sequenti iubeantur attendere Philisthini, an vaccæ *ascendant per viam finium suorum*: quasi ad differentiam aliarum viarum, quæ non tendebant ad terram Israel. Vnde non obscurè colligi videtur, in multarum viarum capite fuisse collocatas.

Ioseph.
Philo.
Theod.
Vaccæ in triuio locatæ, vt à Deo determinarentur.
Abul.

XXVI. Elegantem de hac re mystagogiam, vt obiter dicam,prosequitur D.Greg. Nam in vaccis, quæ liberè abire permittuntur, intelligit subditos non solùm doctos,sed etiam probos: quibus aliquando Prælati faciunt potestatem, liberè & pro suo arbitrio viuendi;certi,eos, neque propter doctri-

D. Greg.
Quibus Prælati liberum viuendi ius debeant tribuere.

nam

nam in errorem inducendos, neque propter virtutem iu scelus præcipitandos. Vnde hæc facultas solùm datur, *Vt vadant*; non, vt sistant; non, vt redeant: sed, vt pergant. Nam *ad hoc solum*, inquit, *liberiùs viuere permittendi sunt, vt ad cælestem patriam liberiùs proficiscantur.* Addit nihilominus, non debere adhuc Prælatos omnem omninò eorum curam prætetire: sed pia calliditate explorare, quò tendant. *Et aspicietis*, inquiunt: *quia & cum proprio arbitrio dimittuntur subditi, explorare Prælati debent, an bonum libertatis ad profectum conuertant cælestis itineris.* Quæ doctrina cælestis Sponsi illustratur exemplo, qui sponsæ suæ permisit, vt contemplationis somno pro arbitrio suo indulgeret: *Ne suscitetis*, inquit, *neque euigilare faciatis dilectam, quoad vsque ipsa velit.* Cantic. 2. num. 7. Tan- B tùm illius prudentiæ tribuebat: vt D. Bern. serm. 52. in Cantica aduertit: *Ponitur*, inquit, *in potestate sua, & vacare sibi, & cura illarum* (nempe, subditarum) *intendere, prout oportere iudicauerit. Nouit enim Sponsus, quanta flagret dilectione, etiam erga proximos: propterea securè discretioni eius credendam censuit hanc dispensationem.* Adhuc nihilominùs Sponsus inuigilabat, & aspiciebat, quantùm ipsa contemplando incumberet: & cùm vidit, plusquàm par erat, immorari; eàm à contemplationis somno excitauit: *Surge*, inquit, *& propera, amica mea.* Ibidem, num. 10. Licèt enim ab ancillis ac sodalibus excitari non debuerit; certè ab Sponso ac Principe semper debuit gubernari, ne quo in periculo errandi versaretur. Nam, vt bene D. Bern. C serm. 3. De circuncisione: *Illuminari*, inquit, *necesse est lumine discretionis, ne incurrat, qui currit.*

D. Ber. *Iuste prudentia fidendum.*

Vigilandum Præsuli, ne incurrat, qui currit.

D. Bern.

Num. IX. Et aspicietis: & si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsames; ipse fecit nobis hoc malum grande: sin autem, minimè; sciemus, quia nequaquàm manus eius tetigit nos; sed casu accidit.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. D *Et aspicietis*, &c. Tandem imperant, vt attentè speculentur, in quam partem boues progrediantur. Septuaginta in Sixtianis plura verba accumulant: *Et dimittetis eam, & expelletis eam, & abibitis, & videbitis.* Illud, *expelletis eam*, significat vim aliquam vaccis imprimendam: vt si positæ in triuio boues, à tergo pungerentur stimulo, aut flagro cæderentur. Et quidem, si boues ore ad Palæsthinam spectabant, vt paulò inferiùs Num. 12. dicemus; & nihilominùs à tergo percussæ, non agebantur prorsum in Palæsthinam, sed retrorsum in Iudæam reuertebantur; mirabilior successus videbatur. Illud, *Et abibitis*, dupliciter exponi potest. Primò: Reuertemini in Palæsthinam, E quamuis in Iudæam boues progrediantur: quod ad miraculi euidentiam conducebat; dum boues, quæ non nisi à suis bubulcis actæ viam carpunt, etiam ab illis relictæ procedebant. Secundò: Prosequemini à tergo præeuntes; eo tamen interuallo, vt eas ad progrediendum non impellatis; sed tantùm, quò progrediantur, spectetis. Vtranque expositionem pro diuerso tempore admitto. Nam primò quidem, positis in triuio vaccis, retrorsum cesserunt Philisthini in Palæsthinam, vt boues suo instinctui relinquerentur: posteà verò iam vaccis viam arripientibus, debito interuallo à tergo insti-

Duplex loci huius expositio.

Quomodo superior expositio accipienda.

A terunt; vt quò pergerent, specularentur: vt infrà Num. 12. exprimitur. Atque in his continentur omnia, quæ Philisthinorum Vates ad augurium captandum necessaria esse decreuerunt.

Et si quidem per viam finium, &c. Declarant iam Philisthinorum Vates totum augurium, quod captare cupiebant, duplici pronuntiato. Primum est. Si Arca, seu potiùs boues Arcam ferentes, rectà tetenderint in Iudæam; sine dubio Dei manus pro illa contra Philisthinos militauit. Sed, vt singula minutiùs explicentur: *Si ascenderit*, inquiunt, nempe, Arca vecta à bobus: hoc est, si perrexerit, etiam æquata ac plana via: sic enim verbum ascendendi frequenter in sacris Literis vsurpatur; vt cap. 1. Num. 3. obseruaui. Vel reuerà: *Si ascenderit* per B viam arduam: quia Palæsthina, cùm fuerit maritima, vt supra diximus, humilior erat: Iudæa, vtpote mediterranea, erat sublimior. Vnde Luc. 1. n. 39. *Montana Iudææ* nominantur. Et Moyses de terra promissa loquutus: *Constituit*, inquit, *eum super excelsam terram.* Deut. 32. n. 13. Et D. Greg. lib. 7. Moral. cap. 14. docet, has vaccas *sub Arca Domini ad montana* tetendisse. Ex quo etiam miraculum euidentius apparere posset; si vaccæ, nemine impellente, viam facilem ac decliuem relinquerent; & acclinem ac difficilem superarent.

II.

Vatum augurium duplici captatur pronuntiato. Primum.

Palæsthina humilior, Iudæa sublimior.

D. Greg.

Addunt, *Contra Bethsames*, hoc est, versùs Bethsames: quamuis in Hebræo nulla præpositio præfigatur. Erat autem Bethsames vrbs Israelis proxima Philisthinis, sita in Tribu Iudæ: vt habetur C Iosue 15. n. 10. Nam Palæsthina ad Tribum Iuda, tanquàm ad Tribum viciniorem pertinebat: vt c. 4. Num. 1. dictum est. Alia verò fuit Bethsames in Tribu Issachar: vt habetur Iosuè 19. num. 22. Quin etiam Diuus Hieronymus de locis Hebraïcis, duas alias Bethsames memorat: vnam in Tribu Nephtali, Iosue 19. n. 38. alteram sacerdotalem in Tribu Beniamin; quamuis ea, non tam ad Beniamin, quàm ad Iudam, vel Simeonem pertinere videatur. Ios. 21. n. 16. Magister historiæ, Hugo Cardin. Dionysius Carthusianus & Naucletus dicunt, sermonem esse hoc loco de illa Bethsames, quæ est in Tribu Benjamin. Sed iam dixi, hanc ad Iudam, vel Simeonem potiùs spectare, vt citatum Iosuè locum consulenti facilè patebit. Cæterùm, Bethsames interpretatur, *Domus Solis.* Vnde D illa vrbs Ægypti, quæ à Ptolemæo *Heliopolis*, hoc est, *Solis vrbs* dicitur; nunc mutato vocabulo, sed non significatione, *Bethsames* appellatur, teste Guilandino apud Ortelium: fortè ita dicta ab Hebræis, suæ vrbis nomen ad externam transferentibus: quo pacto & Troiani à patria pulsi, & alieno in solo peregrini, externa loca de patriæ nominibus appellabant, Æneid. 3.

——Paruam Troiam, simulataq́; magnis
Pergama, & arentem Xanthi cognomine riuum.

Nam ab aliis illa quondam Heliopolis; nunc, auctore Platina, dicitur *Damieta*, vel Auctore Ziegléro, in Descriptione Palæsthinæ, *Pelusium.*

III.

De qua ciuitate Bethsames sit sermo.

Magist. hist. Hugo. Carthus. Naucl.

Bethsames etymon.

Guiland.

Virg. *Olim externa loca de patria nominibus veteres appellabant.*

Platin. Ziegl.

Si igitur, inquiunt Philisthinorum Vates, Arca E rectè tetenderit in Bethsames, *ipse fecit nobis hoc malum grande:* seu, vt legit D. Chrysost. hom. 23. in Matthæum, *malitiam grandem.* Vbi aduertit, malitiæ nomine in Scriptura, non semper mala culpæ, sed aliquando mala pœnę significari: vt Matth. 6. num. 34. *Sufficit diei malitia sua.* Sed, ecce tibi aliud suboritur dubium, ad quodnam antecedens, illud pronomen, *Ipse*, referatur? Dicet aliquis, ad ipsum Deum: nec obstare, quòd proximè non antecedat: nam relatiua in sacris Literis, non semper ad proximum; sed aliquando ad remotum antecedens referuntur: vt aduertit Ribera noster

ad illud

IV.

D. Chrys. *Quid malitiæ nomine significetur.*

Dubiũ quoddã proponitur.

Ribera.

Aliquorum opiniones recensentur.

A ad illud Pauli: *Tabernaculum factum est primum, in quo erant candelabra, & mensa, & propositio panum, quæ dicitur sancta.* Hebr. 9. num. 2. Vbi illud relatiuum, *Quæ*, non ad mensam proximè antecedentem; sed ad tabernaculum refertur: hoc enim, non illa, dicebatur sancta. Dicet alius ad Arcam: nec obstate, quòd cum illa genere non conueniat, vt planè non conuenit: nam Arca non solùm in Latino exēplari, sed etiam in Hebræo, ארון *Aron*, & in Græco, κιβωτὸς, fœminei generis est, cùm tamen demonstratiuum, tam Hebræum הוא *Hu*, quàm Græcum αὐτὸς, hoc est, *ipse*, sit masculinum. Id, inquam, non obstare: cum sæpè in Scriptura relatiua à suis antecedentibus genere dissentiant; iuxta illud: *Spiritus Domini repleuit orbem terrarum; & hoc, quod continet omnia, scien-* B *tiam habet vocis.* Sap. 1. n. 7. Vbi illud, *Hoc*, ad *Spiritum* genere dissidentem refertur. Quod ibi Lorinus pluribus exemplis illustrat. Neutram interpretationem excludo: immò vtranque simul admitto. Nam ad vtrunque simul referri potest; Arcam scilicet, & Deum: seu potiùs ad Arcā Deum; hoc est, ad Arcam, quam ipsi Deum Israëlis, aut credebant, aut certè appellabant. Quasi dicerent: Ipse Deus Israëlis, qui est ipsa Arca, aut saltem nomine Arcæ, cui peculiariter assistit, intelligitur; nobis hanc intulit calamitatem.

Lorin. Superiores sententiæ approbantur.

V. *Secundū pronuntiatum.*

Sin autem minimè, &c. Secundum pronuntiatum. Sin autem minimè ascenderit per viam finium suorum: hoc est, si Arca, vel potiùs boues Arcæ portitores, à via in Iudæam tendente aber- C rarint, & in caulas proprias redierint: credendum non est, præsentes calamitates diuinitùs, sed planè naturaliter contigisse: *Scimus*, inquiunt, *quia nequaquàm manus eius tetigit nos.* Ex his verbis satis colligitur, quod suprà dicebamus, hos Sacerdotes non fuisse accolas, sed planè incolas, cùm de se, ac de cæteris Philisthinis sine discrimine loquantur. Quod, quia Caietanus suprà negauit, ne sententiam suam mutare cogeretur, dicit hoc loco, eos ratione amicitiæ se ipsos patientibus connumerasse. Sed hæc solutio necessaria non est, cùm nulla ratio satis conuincat, eos fuisse alienigenas, seu externos à Palæsthina, vt suprà Num. 5. iam ostendimus.

Responsum Caietani reiicitur. Caiet.

VI. Abul. *Sententia Abulensis proponitur.*

Notat hoc loco Abulensis, hoc posterius pro- D nuntiatum, non fuisse tantæ necessitatis, vt prius. Probat: quia, si Deus facit miraculum in confirmationem alicuius rei, illa sine dubio vera est: si autem non facit, non proinde sequitur, infallibiliter esse falsam; quia Deus non tenetur rem veram miraculo confirmare. Quare vaccæ miraculosè pergentes, sine dubio testatentur, plagam diuinitùs contigisse: naturaliter autem in sua pascua, vel præsepia redeuntes, non infallibiliter oppositum suaderēt. Ita ferè philosophatur Abulensis. Sed non assentior: quia in neutro sanè pronuntiato vlla necessitas apparet. Nam signum, quod in vtroque assumitur, nullum habet nexum ex natura rei cum re significata, propter quem illa infallibiliter consequatur. Sicut enim regressus E boum ad suas caulas, non significabat necessariò, illas plagas naturaliter contigisse, vt Abulensis fatetur: ita neque progressus in Bethsames, necessariò significabat, contigisse supernaturaliter, si ipsa rei natura spectetur. Non etiam habet nexum ex diuino instituto cum re significata. Nam, licèt ille boum progressus esset omninò miraculosus: tamen, cùm non constaret Philisthinis, fuisse à Deo exhibitum in confirmationem plagæ diuinitùs immissæ, eam necessariò non significabat. Quod ex statim dicendis magis patebit.

Superior sententia non placet.

VII. *An Vates diuino spiritu mouerentur?*

Sed quæres primò: An Vates Philisthinorum, proprio, an diuino spiritu mouerentur ad hæc signa exhibenda? Dicet aliquis: Diuino, rem ab effectu arbitratus. Ita enim contigit, vt illi euenturum esse prædixerunt. Et confirmari potest à simili. Nam Eliezer, Gen. 24. n. 14. Ionathas, 1. Reg. 14. n. 9. Dauid, 1. Reg. 20. n. 7. externis quibusdam signis vsi sunt, ad occultam veritatem indagandam; non quidem proprio, sed planè diuino spiritu incitati, cùm in illis factis peccasse à nemine dicantur. Nihilominùs oppositum sentio probabilius. Ita docet Caietanus, dicens, *Eos humana præsumptione statuisse sibi ipsis signum, discernendi auctorem plagarum illarum.* Nec immeritò. Nam reuelationem publicam, quòd ita futurum esset, nullam de cœlo habuerunt, vt patet: priuatam verò habuisse nulla ratio conuincit. Ergo, vel humano, vel diabolico instinctu, cui vt Augures, insueuerant, mouebantur.

Diuino non moueri probabilius. Caiet.

VIII. *Deus aliquando ad suā gloriam improborum vtitur testimonio. Soluuntur superioris placiti argumēta.* D. Chrys. Lyran. Abul.

Nec obstat, rei euentum eorum prædictionibus respondisse: cùm sæpè Deus improborum testimoniis ad suam gloriam vtatur; & malitiam impiorum in bonorum vtilitatem conuertat. Nec exempla allata sunt similia. Nam illi viri, vtpote Deo familiares, facilè credi possunt, diuino spiritu incitati, ea sibi signa statuisse: quod de Eliezere docet Diuus Chrysostomus; de Ionatha Lyranus; de Dauide Abulensis. Quamuis addat, signum, quod sibi statuit Dauid, esse proportionatum ad rem significandam: quia ex verbis Saulis, eius animum colligebat, in quo nulla superstitio, sed prudens coniectura reperitur: & proinde facilè posse Dauidem excusari, quin ad diuinum aliquem instinctum recurratur. At verò Philisthinorum Vates nullum cum Deo commercium habentes, ex consuetudine augurandi, suæ artis legibus insistebant; & signis nullam proportionem habentibus ad significandum vtebantur. Vnde nullum apparet fundamentum, cur eis diuinus aliquis afflatus & instinctus tribuatur.

IX.

Simile augurium, & fortasse simili spiritu captarunt olim Ægyptij, vt internoscerent, an Moyses adhuc infans ratione vteretur, cùm Pharaonis diadema suo capiti impositum abiecit & conculcauit: vt refert Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. 9. Nam prunas illi obiecerunt, quas si infans tangeret, infantiliter egisse crederetur: si caueret, omninò prudenter: & tunc, vt reus læsæ maiestatis damnaretur. Sed tantùm abfuit, vt Moyses caueret, vt potiùs in os insereret, more puerorum omnia ori inserentium: vnde impeditioris linguæ factum fuisse dicunt. Sed hæc sunt Rabbinorum somnia: ex quibus tamen, si vera essent, falsa Ægyptiorum auguria conuincerentur. Dum enim per augurium errorem tollere voluerunt, in errorem inciderunt: & per suum errorem Moysem à morte liberarunt, ab ipso tādem Moyse in mortem præcipitandi. Vide Abul. Exod. 2. q. 5.

Ioseph. *Aliqua Rabbinorū somnia exploduntur.*

X. *An peccauerint Philisthini Deum tentando.* Abul. Suar. *Peccasse probabilius: & probatur.* D. Thom.

Quæres secundò: An peccauerint Philisthinorum Vates tentando Deum, & malè augurando? Abulensis q. 18. de priori peccato negat: de posteriori tacet. At verò Suar. tom. De Religione, tract. 3. lib. 2. cap. 10. §. 11. de vtroque probabilius affirmat. Et de priori quidem probatur: quia ille Deum tentare dicitur, qui nouum capere vult experimentum de potestate diuina, quam alioqui satis habet exploratam: vt docet D. Thom. 2. 2. q. 97. art. 2. Atqui Philisthini, cùm iam scire debuissent, diuinam potestatem in illis plagis infligendis intercessisse; nouum adhuc experimentum ea de re capere voluerunt. Ergo tentarunt Deum, & tentando grauiter peccarunt. Nec illos satis

Non placet Abulensis excusatio. Abul.

excusat Abulensis dicens, eos noo agnouisse Deum Israëlis, vt verum Deum; & proinde eum tentando, noo peccasse: cùm hoc peccatum circa verum Deum vt talem cognitum versetur. Non, inquam, illos satis excusat: quia hæc illorum de Deo Israëlis ignorantia, inuincibilis non erat; sed planè crassa, vel affectata, cùm tam multis ad eum cognoscendum motiuis vrgerentur. Ergo illos à peccato non excusabat. De posteriori suadetur, quia ille dicitur incidere in peccatum augurandi, qui ad aliquam veritatem occultam explorandam, mediis inutilibus insistit; hoc est, mediis, quæ neque habent naturalem connexionem cum illo effectu, neque vllam impositionem à Deo ad illum significandum. Nam, qui talia media vsurpat, aliquam illis tribuit vtilitatem, non ab alio ortam principio, cùm hoc non appareat. Ergo à sola auctoritate Dæmonis, cum quo proinde conuincitur pactum expressum, vel implicitum iniisse, in quo huius sceleris deformitas consistit: vt Suar. citatus cap. 9. latè prosequitur. Atqui hæc media, nempe, progressus, aut regressus boum, quibus Philisthini ad diuinam potestatem io illis suppliciis cognoscendam vtebantur; erant prorsus ad hunc finem inutilia: quia neque habebant cum illo connexionem naturalem, aut effectus ad causam, aut causæ ad effectum, aut quamuis aliam: neque præterea vllam impositionem diuinam ad illum significandum; cùm de hac illis noo constaret. Ergo Philisthini illis mediis insistentes, io augurandi peccatom inciderunt.

Vates in peccatum augurandi incidisse ostenditur.

Suar.

XI. Carthus. *Sententia Carthusiani reiicitur.*

Vnde non assentior Carthusiano dicenti, hoc signum sufficiens fuisse ad cognoscendum, quòd illa tribulatio esset à Deo Israel propter Arcam immissa. Quæ enim esse potest hæc sufficientia ad illum effectum, non quidem coniecturaliter, sed certitudinaliter cognoscendum; cùm neque naturalis connexio, neque diuina impositio, inter medium & finem, vel signum & significatum intercedat? Tota igitur coniectura superstitiosa fuit. Atque in hac planè sententia est Orig. hom. 16. in cap. 23. Num. vbi loquutus de his Philisthinorum indiciis: *Quis ergo*, inquit, *in his, si diligenter inspiciat; præscientiam hanc, quæ de boum directione prædicta est, vel fortuitam dicat, vel aliqua arte compositam, & non operatione quadam Dæmonum ministratam, qui pertimuerint Arcæ Domini virtutem, qua non solùm affligebantur & puniebantur allophyli; verùm etiam cultus ipse Dæmonum destruebatur; vtpote simulacris eorum, templísque ad ingressum Arcæ corruentibus?* Vbi vides ex Origeo. sententia, etiam Dæmones persuadere voluisse Philisthinis, illas plagas à Deo Israëlis prouenisse: & proiode suam illi Arcam restituendam esse. Quod quidem persuadebant, non tam studio diuini honoris, quàm sui proprij, quem videbant ab Arcæ præsentia labefactari.

Orig.

Confirmatur ex Origene.

XII. *Obiectio quadam proponitur.*

Sed obiicies, aliquos viros pios, & de augurandi malitia minimè suspectos, similibus aliquando indiciis vsos fuisse ad res occultas indagandas, quin ab aliquo de superstitione arguantur. Ergo idem dici posse de Vatibus Philisthinorum. Antecedens multis poterit exemplis confirmare, qui ecclesiasticas historias curiosiùs volutarit. Sed, vt alia omittam, duo tantùm nobis familiaria, vnum in nostra Lusitania, alterum in nostra Societate decerpo. Illud prius de Serenissimo Infante Petro inuictissimi Sancij I. Lusitaniæ Regis filio in Chronicis Franciscanis 1. part. lib. 4. cap. 20. refertur: qui cùm è Marochio Mauritaniæ metropoli quinque sanctissimorum Martyrum corpora ex Seraphica familia in Lusitaniam exportaret, & io locum multiplici viarum ambage implicatum deueniret, inscius qua pergendum; mulam sanctorum corporum exagogam, siue baiulam, præire iussit, omnibus admonitis, vt præeuntem sequerentur. Ecce tibi mula, ex viis, quæ plures aderant, asperiorem & accliuiorem aggreditur; quam omnes à tergo insequuti ad optatum terminum vllo sine errore peruenerunt: certò postea rescientes, in facilioribus viis, quas mula deseruerat, insidias à Mauris Serenissimo Infanti capiendo latuisse. Auget prodigij magnitudinem primus io Conimbricam ingressus. Nam, cùm omoium vota ad Ædem maximam ferrent: mula viæ dux & antistita, ad valuas sanctæ Crucis, quod est celeberrimum in ea vrbe Canonicorum regularium Cœnobium, augustissimum Alfonsi I. Lusitaniæ Regis monumentum & Mausolæum, restitit immobilis: nec priùs loco cessit, quàm reseratis valuis, templum subiret, & ante aram procumberet, eodem semper in vestigio defixa; donec sacro onere leuaretur, & in eo templo pretiosa lipsana reponerentur, venturis seculis adoranda, vt magna omoium religione & veneratione hactenus adorantur.

Confirmatur exemplo Petri Infantis.

XIII. *Confirmatur secundò exemplo Ignatij sanctissimi Societatis Iesu Authoris.*

Posterius exemplum de beatissimo Patriarcha nostro sancto Ignatio Societatis nostræ Parente & conditore, in historia eiusdem Societatis part. 1. lib. 1. sub initium narratur: qui, cùm secularem militiam vltimò salutaret, & spiritualem initiaturus in Montem Serratum eques contenderet; fortè obuium Maurum de sanctissimæ Deiparæ virginitate perperam loquentem, & statim se in proximum pagum penetrantem, an insequi deberet occisurus, cogitare cœpit: hinc ad necem, Deiparæ studio impellente; hinc à culpa conscientiæ scrupulo reuocante. Sic recentes de militia spiritus nunc ardor ad vindictam suscitabat; nunc timor de peccato sopiebat. Litem vt dirimeret, equum ire sinit, quò velit: eo consilio, vt, si Maurum sequatur, occidat: parcat, si à Mauro auertatur. Quid effectum? Equus à trita via præ oculis, quam Maurus arripuerat, in auersam & inuiam detorquetur, beatissima Virgine, vt credere par est, habenas moderante: quæ suum pudorem non materiali ferro; sed spirituali, quod est verbum Dei, defendi cupiebat. Ab vtroque igitur exemplo, quod sine dubio pietatem redolet & spirat, argumentum duci potest; non esse à religione alienum, talia signa sibi quempiam præfigere, & obseruare. Sed facilis est responsio, tales viros, vel simplici mentis candore excusatos, vel diuino aliquo spiritu instructos. Id enim de illis credere nos iubet eorum fides & religio in cæteris rebus satis cognita & perspecta. Quæ in Philisthinis ratio non militat: qui sicut à fide & religione aberant; ita vanis ac superstitiosis obseruationibus à pueris incumbebant.

XIV. *Opinio credentium boues agi à Diabolo, probatur.*

Quæres tertiò: An hæc Philisthinorum prædictio, à Deo impleta fuerit, an à Diabolo? Hoc est: Deúsne, an Diabolus egerit illas vaccas? Suppono enim ex Litera, eas à nullo homine actas esse, & multò minùs ab obiecto naturaliter determinatas: nam ille ascensus, relictis filiis, cum cæteris circumstantiis suprà explicatis, erat illis violentus, ac proinde ab extrinseco aliquo ductore eas agi oportebat. Respondebit igitur aliquis, actas fuisse à Diabolo: qui sicut dederat signum, ita & impleuerat; agendo boues à Palæsthina in Iudæam, ne maiora ab Arca reciperet nocumenta: vt Orig. citatus significauit. Sed quāuis hoc in ipsa Orig.

exequutio

Non tamen approbatur.

exequutione eőcedatur: adhuc nihilominus censeo, honc effectum diuinum esse, & Deo tribuendum. Quod iam ostendo. Nam vno è duobus modis determinauit Deus illas vaccas. Primò, tanquàm causa particularis: siue per se immediatè, determinando earum phantasiam, aut vim aliquam externam adhibendo: siue mediatè per aliquod instrumentum, seu ministrum, Angelum scilicet, aut Dæmonem. Secundò, tanquam causa vniuersalis: si nimirum Deus præuidens Diabolum propensum ad Arcam deducendam; illi permisit, vt eam deduceret, & cum illo vniuersaliter concurrit, intendens eundem effectum, licèt ad alium finem. Nam Diabolus ad euitandum suum damnum deducebat boues: Deus autem ad manifestandam suam gloriam deduci à Diabolo volebat.

XV. Vtrouis igitur modo fieret hæc determinatio, non est dubium, quin Deo tãquam proprius eius effectus tribuatur. Priori quidem modo, patet; quia effectus nullius causæ magis proprius est, qoàm causæ particularis. Ergo, si Deus, tanquàm causa particularis, vel immediatè per se, vel mediatè per instrumentum concurrebat: ille effectus fine dubio diuinus erat, seu Deo tribuendus. Posteriori probatur: quia, licet impletio prædictionis, seu deductio Arcæ, tota esset à Dæmone, tanquàm à causa particulari: tamen in intentione tota erat à Deo; ita vt, si Diabolus renueret, à Deo per se præstaretur ille effectus, vel ad illum præstandum Diabolus inflecteretur, vel quiuis alius eius exequendi adhiberetur minister. Et ampliùs explicatur: quia Deus antecedenter voluit ac definiuit, vt Arca infallibiliter educeretur de potestate Philisthinorum. Ergo quocunque tandem modo fieret exequutio à Deo, siue vt causa particulari, siue etiam vt vniuersali, Deo tribuenda est, & in diuinam voluntatem reuocanda.

Probatur Deo tribuendam determinationem.

XVI. Quæres quartò: Si hæc prædictio non prodiit ex diuino spiritu, sed potiùs ex instinctu diabolico, vt diximus; cur eam Deus ratam habuit? seu, cur eam voluit infallibiliter implere? Indignum enim videtur, vt quod diabolico suasu prædictum, diuina auctoritate impleatur. Quæstionem multipliciter soluit D. Chrysost. hom. 6. in Matth. *Quoniam*, inquit, *Vatibus ista dicentibus, illarum tunc regionum populi crediderunt, eorũmque implenerunt preceptum; Deus quoque condescensione solita, Vatum sententiam comprobauit. Nec maiestate sua putauit indignum, in effectum operis profanorum dicta perducere; idque agere, vt illi fideliter viderentur ista suasisse. Ad maiorem siquidem Dei gloriam pertinebat, vt virtus eius etiam inimicorum testimonio panderetur: & ipsi quoque Gentilitatis magistri consonam ferrent de veri Dei potestate sententiam.* In quibos verbis triplicem possumus distinguere rationem, cur Deus voluerit illam prædictionem, quamuis diabolicam, implere. Vnam, in fauorem eorum, qui Prælatis etiam improbis obtemperant: dum enim illis, inquantum tenentur, obediunt, non decipiuntur: *Quando*, inquit, *Vatibus ista dicentibus illarum tunc regionum populi crediderunt, eorumque implenerunt preceptum; Deus quoque condescensione solita, Vatum sententiam comprobauit.* Alteram, ad honorem Prælatorum, etiam improborum, quorum Deus auctoritatem seruat ac tuetur, ne à subditis contemnantur: *Nec maiestate*, inquit, *sua putauit indignum, in effectum operis, profanorum dicta perducere, idque agere, vt illi fideliter viderentur ista suasisse.* Tertiam, in gloriam ipsius Arcæ, seu potiùs ipsius Dei, eius potestatem & sanctitatem, etiam inimicorum testimoniis confirmari

Deus in gloriā suam inimicorum vtitur testimonio.

D. Chrys.

Triplex responsi ratio.

Deus fauet illis etiā, qui Prælatis improbis obtemperant.

Deus Prælatorum, etiam improborum consuluit honori & auctoritati.

A oportebat: *Ad maiorem*, inquit, *Dei gloriam pertinebat, vt virtus eius, etiam inimicorum testimonio panderetur: & ipsi quoque Gentilitatis magistri consonam ferrent de veri Dei potestate sententiam.* Quas omnes rationes in proxima Annotatione illustrabo.

Sanctitas, inimicorum etiā testimoniis confirmatur.

Num. X. Fecerunt ergo illi hoc modo: & tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulósque earum concluserunt domi.

EXPOSITIO LITERÆ.

B **F***Ecerunt ergo*, &c. In Hebræo est: *Fecerunt* ויעשו *Haanasim*, id est, viri; quod est nomen prudentiæ & virtutis, vt quantam præstiterint in imperiis suorum Sacerdotum exequendis, ostenderetur. Igitur, quæ Num. 7. & 8. Philisthinorum Vates facienda imperarunt, ea Philisthini hoc Num. & sequenti exequuntur. Nam in primis plaustrum nouum fecerunt: quamuis id hoc loco prætermittatur, credo breuitatis causa, ac de more Scripturæ, vbi aliquando, quæ facienda dicuntur, posteà tacentur, quasi reuerà facta supponantur. Quo pacto Rebecca statuit filium suum Iacobum ex Mesopotamia reuocare, Gen. 27. n. 45. nec posteà reuocasse memoratur. Iacobus statuit fratrem suum Esaü in monte Seir conuenire, C Gen. 33. n. 14. nec posteà conuenisse refertur. Saül statuit, se daturum Samueli quartam partem stateris, 1. Reg. 9. n. 7. nec posteà dicitur dedisse. Filius prodigus statuit, se dicturum parenti suo: *Fac me sicut vnum de mercenariis tuis.* Luc. 15. num. 19. nec tamen posteà id dixisse traditur. D. Paulus statuit, se profecturum in Hispaniam, Rom. 15. n. 28. neque tamen vsquam legitur venisse. Quòd hæc omnia facta supponantur. Qua de re ad c. 1. Num. 21. & ad c. 2. Num. 30. & ad cap. 3. Num. 14. plura exempla dedimus. Ita cùm Philisthinorum Vates nouum plaustrum imperarint, hoc loco factum non exprimitur, sed supponitur.

I. *Qui obtemperant, prudentes sunt.*

De more Scriptura facienda tanquam iam facta supponuntur.

II. Deinde, vitulis domi reclusis, vaccas iugo subD miserunt: eo modo, quo ad Num. 7. à Vatibus Philisthinorum imperatum, & à nobis declaratum fuit. Septuaginta in Sixtianis habent: *Vitulos earum abstraxerunt in domum.* Quasi vberibus affixos magna cum violentia inde reuellerent, & in præsepia abducerent, vt maiori doloris sensu tangerentur matres; proindéque maiori naturæ propensione ad eos redire ostenterentur. Sic enim mihi videtur D. August. lib. 10. De Ciuit. cap. 17. Septuaginta interpretatus: *Imposuerunt*, inquit, *eam, nempe, Arcam, plaustro, eique iuuencas, a quibus vitulos sugentes abstraxerant, subiunxerunt.* Vbi participium, *sugentes*, non modò ætatem, sed etiam actum ipsum sugendi significare videtur: à quo & filij difficillimè separantur; & matres filios separati, difficillimè patiuntur. Sed obiter aduerte, vitulorum stabulum, seu præsepe, tam hîc, E quàm Num. 7. domum appellari: ne quis putet, Magos Reges, *intrantes domum*, Matth. 2. n. 11. ad Verbum infans recèns natum adorandum, stabulum, seu præsepe non intrasse: nam & hoc in sacris Literis domus nomine significatur, vt patet ex hoc loco; & communior antiquorum Patrum sententia apud recentiores Euangeliorum Interpretes persuadet.

Vituli lactentes maiori doloris sensu abstrahūtur.

D. August.

Præsepe, sæpè domus nomine significatur.

Num. XI. Et posuerunt Arcam Dei super plaustrum: & capsellam, quæ habebat mures aureos, & similitudines anorum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Abul.* *Philisthini imperata exequuntur.*

ET posuerunt Arcam, &c. Pergunt imperata exequi, Arcam in plaustro collocarunt, addit Abulensis, & religarunt, ne rueret. Quod tamen in Litera non exprimitur. Et fortasse nec factum est, vt suprà Num. 8. aduertimus: eo mysterio, vt miraculum euidentius appareret; si Arca in plaustro soluta procederet immobilis, nec per accliues vecta semitas de plaustro laberetur. Tandem capsellam & vasa aurea, quæ Num. 8. dicuntur, hoc est, mures aureos & similitudines anorum, vt hic apertè declarantur, ad latus Arcæ, vt imperatum fuerat, reposuerunt. Quæ omnia ex suprà dictis facilè intelliguntur.

II. *Virile est, non puerile obtemperare.* *Tolet.* *Obedientia debet esse ex animo, non simulata.*

Sed obiter nota, & Philisthinos hoc loco suam laudem meruisse, & illorum Sacerdotes suam vituperationem. Philisthinos quidem: quia & facto, & animo suis Vatibus obtemperarunt; etiam Arcam, quam maximè retinere cupiebant, ex eorum consilio remittentes. In cuius testimonium laudis, superiori Num. viri appellantur. Ne quis putet Prælatorũ suorũ Decreris ex animo obtemperare, puerile esse: cùm maximè virile censeatur. Tales optabat D. Paul. Christianos, dicens: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Rom. 13. n. 1. vbi Cardinalis Toletus obseruat, Apostolum dicturum, *Omnis homo*; dixisse, *Omnis anima*: non sine mysterio: *Artificiosè*, inqoit, *vt hanc subiectionem debere esse ex animo, non exteriorem solam, fictam, aut simulatam, indicaret.*

III. *Prælati subditos non debent nimium onerare.* *D. August.* *Prælatus etiam subditorum murmurationibus flectendus est.*

Sacerdotes autem: quia Arcam, quam suis humeris religiosè portare debuissent, in plaustro superstitiose imponi voluerunt: adumbrantes hac in re illos Prælatos, qui, vt loquitur Christus Dominus, *Alligant onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere.* Mat. 23. n. 4. parum curantes, an subditi, tanquàm boues Philisthinorum, mugiant & obmurmurent, dummodo portẽt: cùm tamen etiam iniustis subditorum obmurmurationibus aliquãdo cedendum sit exemplo ipsius Dei, qui murmurationes, ac si essent orationes, aliquando exaudit. Vnde Moyses ad populum murmurantem, *Dabit*, inquit, *vobis Dominus vespere carnes edere, & mane panes in saturitate; eò quòd audierit murmurationes vestras.* Exod. 16. n. 8. Vbi D. Aug. loquutione 75. in Exod. *Notãdũ*, inquit, *nouo hic modo exauditionem dictam non precantium, sed murmurantium: cùm reprehendat vbique Scriptura murmurationem.* Quasi bonus Prælatus non solùm orationibus, sed etiam murmurationibus subditorum aliquando flectendus sit, ne tam multi eorum gemitus & querimoniæ exaudiantur.

IV. *D. Cyril.* *Oratio, & murmuratio æquantur, nõ in principio, sed in effectu.*

Quem locum pari modo interpretatur D. Cyrillus Alexandr. lib. 3. in Ioan. cap. 34. *Modesta*, inquit, *per orationem petitio perfectorum est: cui exequatur imbecillium ac infirmorum obiurgatio & murmuratio. Nam quemadmodum ploratu necessaria sibi alimenta infantes flagitant, & hoc modo mater ad fouendos filios suos prouocatur: sic conquestuosus, obiurgationisque plenus clamor ad Deum, si ab infirmis adhuc & infantibus in habitu virtutis sit, petitionis locum retinet.* Vbi docet, murmurationem & orationem aliquando exæquari: non quidem in principio, cùm hæc à perfecto, illa ab imperfecto corde oriatur: sed in effectu, cùm vtraque Deum exoret, & ad misericordiam inclinet. Igitur, qui oneribus frangunt subditos, nec laborantium gemitibus franguntur, similes sunt Philisthinorum Varibus, qui onerabant vaccas, & earum gemitus, seu mugitus non curabant.

Num. XII. Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames: & itinere vno gradiebantur pergentes, & mugientes: & non declinabant, neque ad dextram, neque ad sinistram. Sed & Satrapæ Philisthiim sequebantur vsque ad terminos Bethsames.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Probatur exequutionis successum fuisse miraculosum.* D. Chrys. D. August. Sulp. Procop. Rup. Lyra. Abul. *Primò.* Caiet.

IBant in directum, &c. Dictum est de prædictione Sacerdorum, & de exequutione Philisthinorum: sequitur dicendum de prædictionis impletione, seu de exequutionis successu, qui planè miraculosus fuit: vt Diuus Chrysostom. hom. 6. in Matth. Diuus Aug. lib. 10. de Ciuit. cap. 17. Seuer. Sulpit. lib. 1. sacræ hist. Procop. Rupert. Lyra, Abul. & alij, vel exprimunt, vel supponunt. Quod facilè colligi potest: tum ex circunstantiis huius deductionis, quas hactenus à Num. 7. obseruaui: tum ex indiciis, quæ hoc loco exprimuntur. Primò, quia vaccæ ibant in directũ per viam, quæ ducit Bethsames, à suis caulis, pascuis & filiis auersæ. Plus aliquid exprimit Chaldæus, transferens: *Verterunt se boues in via super viam Bethsames*: seu, vt transferunt Septuaginta: *Direxerunt vaccæ in via ad viam Bethsames*: nempe, direxerunt *se ipsas*, vt addit Caietanus. Et est sensus: Philisthini collocarunt vaccas auersas à Iudæa, & conuersas in Palæsthinam, vt faciliùs in hanc, quàm in illam graderentur: præsertim, cùm sic ante oculos haberent suos vitulos, quos, vt superiori Num. iuxta Septuaginta diximus, à se ipsis in caulas per violentiam abduci conspiciebant. Et nihilominùs illæ se à Palæsthina in Iudæam conuerterunt; vt in hanc potiùs abirent. Quod sine aliquo ductu diuino fieri non posset: naturaliter enim potiùs notam ac tritam viam ante oculos positam; quàm ignotam & inusitatam, à tergo relicta sequerentur.

II. *Probatur secundò.* *Probatur tertiò.* D. Chrys. D. August. Theod. *Probatur quartò.*

Secundò, quia gradiebantur itinere vno: hoc est, concorditer incedebant, ita vt non in diuersas partes niterentur; sed vtraque in eandem. Quod etiam sine aliqua diuina vi non contigisset: nam bucculæ indomitæ, & nunquàm anteà iugum expertæ, cùm primùm iugantur, tergiuersari solent, dissociari amant, & in partes contrarias obnituntur. Tertiò, quia pergebant, & mugiebant ad mugitus, scilicet, vitulorum domi remanentium respondentes: nam & vituli inclusi mugiebant; vt D. Chrysostomus & D. Augustinus citati, & Theodoretus hoc loco, aliíque obseruant; licèt hoc in Litera non exprimatur. Atque adeò mugitu naturalem affectum ad vitulos redeundi; progressu autem diuinam vim aliò dirigentem testabantur. Quartò, quia non declinabant ad dexteram, neque ad sinistrã: hoc est, rectà pergebant: hac enim phrasi ad rectam viam significandam frequẽter vtitur Scriptura: vt videre est Num. 20. o. 17. Deut. 2. n. 27. Iosuë 1. n. 7. 2. Reg. 2. n. 19. 2. Paral. 34. n. 2. Isai. 30. num. 21. & passim alibi.

alibi. Mirum igitur erat, vaccas iogo minimè assuetas, & præsertim filiorum mugitibus reuocatas, non solùm ingredi, sed etiam ne latum quidem vnguem à recto tramite declinare. Quare diuina planè virtus erat, quæ illas in Iudæam reducebat.

III. *Obiectio proponitur.* Sed dices, satis fuisse diabolicam, si hoc à Deo permitteretur. Permissum verò fuisse, inde posse suaderi: quia, si Christus Dominus passus est, se à Diabolo per aëra in pinnaculum templi, & inde in montem excelsum deportari, Matth. 4. n. 5. & 8. vt tenent D. Gregor. hom. 16. in Euang. & alij Patres, quos Tolet. & Barradas citant & sequuntur: cur Deus Arcam Testamenti, saltem in illius mysterij figuram à Diabolo deduci non pateretur? Fateor, ita fieri potuisse; & fortasse ita factum esse: quia tamen Deus, aut vtebatur Diabolo, vt instrumento: aut, si eum principalem causam esse permittebat, tamen eius effectum intendebat, saltem ad alium finem, nempe, ad suam gloriam, & vtilitatem populi: vt suprà Num. 9. §. 13. & 14. ostendimus; idcircò totum hunc euentum Deo tribuendum, & ideò miraculosum appellandum; quia licèt Dæmonum vires non excederet, tamen supra vires causarum naturalium visibilium contingebat.

D. Greg. Tolet. Barrad.

Superior obiectio soluitur.

IV. *Sed & Satrapæ*, &c. Iusserant Philisthinorum Vates, Num. 9. vt aspicerent, quò Arca à vaccis deferretur. Illi, vt meliùs hoc facerent, eminùs à tergo sequebantur, vsque ad terminos Bethsames. Ex quo loco quid tandem Arcæ acciderit, C conspexerũt, vt infrà patebit. Duo addit hoc loco Philo Biblicus. Vnum, Satrapas Philisthinorum Arcam sequutos fuisse, *cum tympanis, tibiis, & choris*. Alterum, illam fuisse prosequutos *vsque in Silo*. Hoc posterius falsum est. Nam Arca nũquàm ampliùs in Silo reducta est: vt ex dictis Cap. 4. Num. 4. & ex infrà dicendis ad Cap. 7. facilè patebit. Illud prius credibile est, de more veterum, qui hospites cum lætitia dimittebant; iuxta illud Labani ad Iacobum: *Cur, ignorante me, fugere voluisti; nec indicare mihi: vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis?* Gen. 31. n. 27. siue hanc lætitiam exhiberent in fauorem abeuntium, quibus fausta & prospera cum gaudio precabantur: siue in sui ipsorum remanentium gratulationem; qui se molesto hospitis onere liberatos iam esse exultabant: siue denique in vtrunque pariter finem, qui foris in abeuntium honorem, lætitiam præferebant: intus autem de suæ molestiæ, laborisque abscessu latabantur.

Philonis sententia proponitur. Phil.

Approbatur ex parte, & probatur.

V. *Dei hostes suas laudes modulari vel inuiti compelluntur.* Sic igitur Philisthinos Arcam cum cantu dimisisse, improbabile non est: vel de sua vtilitate gaudentes, qui suas à se plagas cum Arca recedere existimabant: vel de Arcæ victoria exultantes, quam Deo Israëlis, à quo partam credebant, gratulabantur. Qua ex re singularis Dei potestas manifestatur; cui victori, vel ipsi hostes victi, Pæana cecinerunt; & Io triumphe, acclamarunt. Vnde regins Vates Dei nomine loquutus: *Mihi*, inquit, *alienigenæ subditi sunt.* Psal. 59. n. 10. vel, E *Mihi alienigenæ amici facti sunt.* Psal. 107. num. 10. Quasi diceret: Mecum Philisthini in gratiam redierunt. Et qui mihi tanquàm victo, paulò antè insultabant: nunc tanquàm victori famulantur vt subditi, & vt amici gratulantur. Ex Hebræo legunt aliqui: *Super Palæstinam iubilabo.* Dum, scilicet, Philisthini meas vires testari, & meas laudes modulari, vel inuiti compelluntur. Quòd si ad mores transferre velis: iubilat Deus, quoties peccatores ad se conuertis intuetur. Nam, si ficta & externa tantùm Philisthinorum pœ-

A nitentia tantam Deo attulit voluptatem, quantam afferet vera & interna Christianorum?

VI. *Solos Satrapas Arcam prosequutos probabilius.* Dubitabis: Soline Satrapæ Arcam prosequerentur? Solos crediderim, ex imperio Sacerdotum. Nam illorum auctoritas satis erat, vt rei euentum testaretur. Nihilominùs sua sponte prosequutos fuisse & Sacerdotes, qui, vt Augures, totum illum progressum ex suæ artis præceptis obseruarent: immò & totam Palæstinam rei nouitate excitam, & successus agnoscendi curiositate permotam, suis conuulsam sedibus ad spectaculum confluxisse: ita Deo prouidente, vt Arcæ potestas manifestior fieret apud omnes, & diuina gloria non à paucis tantùm, sed ab omnibus simul Philisthinis gloriosior & illustrior B caneretur. Sed iam quæ hactenus ad Literam dicta sunt, ad mores vberiùs illustremus.

ANNOTATIO XX.

CIRCA LITERAM.

Cur superstitiosa prædictio diuinitùs impleatur?

I. *Ex tribus in Litera contentis, duo illustranda assumuntur.* IN Litera hactenus explicata tria continentur. Vnum, præceptio & prædictio Vatum, diabolico edita spiritu, ab initio Capitis vsque ad Num. 9. Alterum, præceptionis exequutio, ab ipsis Philisthinis simplici ac sincero animo facta, Num. 10. & 11. Tertium, prædictionis impletio exhibita ab ipso Deo, Num. 12. Ex quibus omnibus duo resultant illustranda. Vnum, cur superstitiosa prædictio diuinitùs impleatur? Alterum, quid in hac impletione mysticè significetur? Hoc in sequenti, illud in præsenti Annot. illustrabo. Quod igitur ad primum attinet, paulò antè Num. 9. tres rationes ex D. Chrysost. inculcaui, cur superstitiosa prædictio à Deo impleretur. Singulas singulis Sectionibus vberiùs explicabo.

D

SECTIO I.

Subditorum obedientia meretur, vt Prælatorum prudentia diuinitùs dirigatur.

II. PRima ratio, cur Deus implere voluerit illam Diuinorum prædictionem, quamuis diabolico editam instinctu; fuit in fauorem subditorum, qui promptam ac simplicem illis obedientiam præstiterunt. Meretur enim subditorum obedientia, vt Prælatorum prudentia diuinitùs dirigatur. Sic Dious Chrysostom. Num. 9. citatus: *Quoniam*, inquit, *Vatibus ista dicentibus, illarum tunc regionum populi crediderunt, eorumque implenerunt præceptum; Deus quoque condescensione solita Vatum sententiam comprobauit.* Ac si Deus propter obediendi volũtatem, quam habent subditi, imperandi potestatem, quam habent Prælati, moderetur. Nam, sicut propter inobedientiam subditorum, Prælati aliquando errare à Deo permittuntur: ita & propter subditorum obedientiã, Prælati ipsi à Deo prouidentissimè gubernantur.

D. Chrys. Deus propter obediendi volũtatem, imperandi potestatem moderatur.

III. D. Greg. Illud prius testatur D. Greg. lib. pastoralis curæ, p. 1. c. 1. vbi loquutus de illis Pastoribus, qui, iuxta Prophetam, *Ignorauerunt intelligentiam.* Isai. 56. n. 11.

Deus aliquando cæcat Prælatos, vt malos subditos errare permittat.

n. 11. subdit: *Quæ nimirum Pastorum imperitia, meritis congruit subditorum: quia, quamuis lumen scientiæ sua culpa exigente non habeant; districto tamen Dei iudicio agitur, vt per eorum ignorantiã, hi etiam qui sequuntur, offendant.* Itaque Deus aliquando Prælatos cæcat, vt malos subditos errare permittat. Io quem sensum explicari potest illud Dauidicum: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Psal. 68. num. 24. Vbi D. Greg. citatus, per oculos intelligens Prælatos, & per dorsa, subditos; ait, illos aliquando obscurari, vt hi incuruentur: *Oculi, inquit, sunt, qui in ipsa honoris summi facie positi, prouidendi itineris officium susceperunt: quibus hi, nimirum, qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis, dorsum flectitur: quia, cum lumen scientiæ perdunt, qui præeunt; profectò cuncti ad portanda peccatorum onera curuantur, qui sequuntur.*

D. Greg.

Prouidentia per eos non exprimitur.

IV. D. Greg. *Prælati iniustitia à Deo permittitur propter subditi inobedientiam.*

Eaodem doctrinam inculcat idem D. Greg. lib. 25. Moral. c. 14. vbi reprehendit illos subditos, qui sui Prælati imprudentiam accusant: quasi non tam ipsi deficiant in obsequendo, quàm Prælatus in imperando; & quasi malè imperantis defectus, ex malè obsequentiũ defectibus non oriatur. *Nullus, inquit, qui talem Rectorem patitur, eum, quem patitur, accuset: quia nimirum sui fuit meriti, peruersi Rectoris subiacere ditioni: culpam ergo proprij magis accuset operis, quàm iniustitiam gubernantis.* Quasi Prælati iniustitia propter subditi inobedientiã à Deo permittatur. Et paulò pòst: *Pro qualitatibus, inquit, subditorum, disponuntur acta regentium: vt sæpè pro malo gregis, etiã verè boni delinquant vita Pastoris.* Vnde non tã ipse Pastor, quàm oues, propter quas peccare permissus est, à Deo puniuntur, vt probat idem D. Greg. in Dauide: *Qui tumore, inquit, repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccauit; & tamen vindictam populus, Dauid peccante, suscepit.* 2 Reg. 24. à n. 1. *Cur hoc?*

Rex peccare à Deo permittitur ob peccata subditorum.

Quia videlicet secundum meritum plebium disponuntur corda Rectorum. Iustus verò Iudex peccantis vitium, ex ipsorum animaduersione corripuit, ex quorum causa peccauit. Quasi diceret: Rex peccare permissus est propter peccata subditorum. Igitur Deus, qui priùs peccatorum radices, quàm frondes abscindit, dissimulato Regis peccato, in peccata subditorum acriter animaduertit. Constat ergo propter subditorum ruinas, Prælatorum lapsus diuinitùs permitti.

V. *Ob subditorũ obedientiam, Prælatorum prudentia gubernatur.* D. Petr. Chrysol. D. Bern.

Cæterùm, hoc posterius, propter obedientiam subditorum, Prælatorum prudentiam diuinitùs gubernari, non difficilè suadetur. Nam, quemadmodum propter subditorum improbitatem aliquando Prælati desipiunt; ita & propter sanctitatem aliquando sapiunt: vt ex subditorum virtute pendere quodammodo videatur prudentia Prælatorum. Vnde patri Zachariæ restituta est vox in gratiam filij Ioannis. Luc. 1. num. 64. Quod expendens D. Petrus Chrysolog. serm. 86. *Hoc*, inquit, scilicet, verbum, *Doctor accipit, quod meretur auditor.* Sic D. Bern. serm. 1. in Septuages. quam dicendi facundiam & prudentiam à Deo accipiebat, suis auditoribus gratulabatur: *Inter loquẽdum, inquit, fateor, nonnunquam sentire mihi videor fauorem studij vestri. Etenim quanto abundantius sugitis, tantò amplius replet vbera mea dignatio Spiritus sancti: & tantò copiosius datur, quod propinem vobis, quantò citius, quod propinatur, hausistis. Propterea sæpius loquor vobis etiam præter consuetudinem Ordinis nostri. Scio enim quis dixerit: Si quid supererogaueris, cum rediero, reddam tibi.* Luc. 10. num. 35. Sicut è viuo fonte, quò plus aquæ hauritur, plus oritur: sic à Prælato, quò plus quæritur, plus accipitur cælestis doctrinæ.

VI. *Prælati matres appellantur.* D. Bern. *Prælati debent esse matres non domini.*

Appellantur in Scriptura Prælati matres: *In domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ,* inquit Sponsa, Cant. 3. n. 4. *Quomodo, si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos,* inquit Isaias c. 66. n. 13. *Filioli mei, quos iterum parturio,* inquit D. Paulus ad Galat. 4. n. 19. Non dicit: Quos iterum gigno, vt pater, sed quos iterum parturio, vt mater. Vnde D. Bern. serm. 23. in Cant. *Discite, inquir, subditorum vos matres esse debere, non dominos.* Nec immeritò hæc appellationem sortiuntur: tum ob alias causas: tum præcipuè, quia sicut matribus vbera lacte à natura distenduntur, non tam ipsarum gratia, quàm filiorum: ita planè quidquid doctrinæ, consilij & prudẽtiæ Prælatis à Deo tribuitur, totum id in subditorum gratiam cõfertur.

D. Bern. *Duæ Spiritus sancti operationes.*

Vnde D. Bern. serm. 18. in Cant. duas distinguens Spiritus sancti operationes; nimirum, infusionem virtutum, quibus nos intùs solidat ad salutem; & effusionem donorum, quibus nos foris ornat ad lucrum: *Illas, inquit, nobis; hæc nostris accipimus: v. g. Fides, Spes, Charitas nobis propter nos dantur: porrò, scientiæ, seu sapientiæ sermo, gratia curationis, prophetia, similiaque, quibus carere cum integritate etiam salutis propria possumus, proximorum proculdubiò in salutem expendenda donantur.* Quare quò perfectiùs subditi suis Prælatis obedierint: eò Prælati vberiùs his donis cælestibus in subditorum gratiam replebuntur.

VII. *Prælatus honori dimina in subditorum vtilitatem.* D. Bern.

Certè olim cælestis Sponsa, quidquid cælestium donorum sibi datum sentiebat, datum in sodalium fauorem non dubitabat: *Introduxit,* inquit, *me Rex in cellaria sua.* Cant. 1. n. 4. Addit D. Bernardus serm. 23. in Cant. ipsius Sponsæ nomine: *Putate & vos pariter introductas. Sola introducta videor, sed soli non proderit: vestrũm omnium est meus omnis profectus.* Et quidem facile fuit, sodalibus hoc persuadere, statim subiicientibus: *Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum.* Addit D. Bernardus eorum nomine: *Scientes te plenis ad nos reuersuram vberibus*: hoc est, ex plenissimo fonte diuinitatis hausturam esse vberes cælestium gratiarum imbres, in nostram vtilitatem effundendos. Ac si apertè colligerent ex introductione Sponsæ ad cæleste conuiuium, plenos cælestis consolationis calices sibi quoque omnibus propinandos: cùm hæc Prælatis dona, non nisi in fauorem subditorum commonicentur: eò quidem vberiora, quò perfectiora obsequia à subditis deferantur.

VIII. *Prælatis dona diuinitùs tribuuntur, ob subditos.* D. Bern.

Hinc est, quòd D. Paulus, cùm de cælestium donorum distributione in Principes & Prælatos Ecclesiæ loqueretur, dixerit: *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ, secundum eundem Spiritum.* 1. Cor. 12. n. 8. Vbi rectè obseruat D. Bern. serm. 53. ex paruis, non dixisse Apostolum, alij datam sapientiam, alij autem scientiam; sed, sermonem sapientiæ, & sermonem scientiæ: quia sapientia & scientia, nisi in sermonem prodeant, non prosunt aliis; sermo autem sapientiæ & scientiæ alios ædificat: hæc autem dona cælestia Prælatis conferri; non, vt intra eorum animos otiosa delitescant: sed, vt foras in vtilitatem subditorum effundantur. Rectè igitur ait Apostolus, dari sermonem sapientiæ, & sermonem scientiæ: *Vt ostenderet*, inquit D. Bernardus, *quòd huiusmodi dona propter alios dantur, scilicet, vt alij ædificentur.* Quis ergò dubitet, si Prælatorum suorum præceptionibus subditi non refragentur, si eorum imperia libenter & humiliter exequantur; cælestia charismata in Prælatos, vt illis prosint, liberaliùs effundenda? Cùm enim hæc

Quò digniores subditi, eò Prælati prudentiores.

hæc dona non propter Prælatos, sed propter subditos conferantur: quò digniores se præstiterint subditi obediendo, eò prudentiores & aptiores ad imperandum Prælati diuinitùs instituentur.

IX. *D. Paulus à Deo accepta aliis communicabat, vt debita.*

Vnde D. Paulus non tam sibi propter se, quàm propter suos subditos, diuina beneficia communicata fatebatur: *Benedictus*, inquit, *Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra; vt possimus consolari eos, qui in omni pressura sunt.* 2. Cor. 1. num. 3. Idcircò suorum conscius debitorum, cælestes diuitias à Deo acceptas, non sibi retinebat, vt proprias; sed aliis communicabat, vt debitas. Quod ibi D. Chrys. expendens: *Apostolicam*, inquit, *dignitatem declarat; ostendens, quòd solatio refectus, ac respiratione refocillatus, non se supinat, otióque dat; quemadmodum nos: sed huc potiùs intendit studium, vt alios vngat, corroboret, atque erigat.* Ac si Apostolica dignitas, non in eo consistat, quòd in se magnis donis affluat & abundet; sed quòd in alios effluat & restagnet. Nam cœlestium largitas gratiarum, quæ Prælatis tribuitur, non ideò tribuitur, vt in illis sistat; sed, vt in alios deriuetur. Qui proinde quantò fuerint ad recipiendum capaciores, tantò Prælati ditiores erunt ad effundendum. Vt enim mulieri de vxoribus Prophetarum, nunquam defuit oleum, quandiu vasa implenda non defuerunt, 4. Reg. 4. num. 6. ita Prælatis bona ad gubernandum prudentia non deerit, quandiu subditis obedientia non defuerit, qua se gubernari humiliter patiantur.

D. Chrys. — *Apostolica dignitas in quo consistat.*

X. *Improbi Prælati in subditorum salutem cælestibus donis cumulantur.*

Neque solùm boni Prælati, sed etiam improbi in salutem subditorum cælestibus donis cumulantur. Quis ignorat, pessimos fuisse illos Scribas & Pharisæos, qui sederunt super cathedram Moysis? Et tamen Christus Dominus de illis dicebat: *Omnia quæcunque dixerint vobis, seruate, & facite: secundùm opera verò illorum nolite facere.* Matth. 23. num. 3. significans, eos ad salutem propriam spiritualibus donis vacuos esse: ad alienam verò cœlestibus præsidiis abundantes: vtique vt bonis subditis non deessent in Prælatis necessaria præsidia, quibus ad salutem iuuarentur. Vnde D. Greg. lib. 4. Expositionis in libr. Reg. c. 4. *Bonus*, inquit, *subditis Pastor tribuitur, qui dona habeat, per quæ illis prosit, & sibi non prosit. Tales quidem erant, de quibus Dominus discipulis præcipit, dicens: Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite. Quasi dicat: Quod vtile pro vobis acceperunt; ab eis, quasi vestrum sollicite: & in eis quasi suum dimittite, quod non habent ad lucrum vestrum sed ad interitum suum.*

D. Greg.

XI. *Prælatus, qui sibi cæcus sit, aliis prælucet ad salutem.* *D. Hier.* *D. Petr. Dam.*

Nemo dubitat, Caïpham pessimum fuisse Pontificem, qui non virtutum merito sed largitionum pretio in Pontificatum irrepsit: vt ex Iosepho lib. 18. Antiq. c. 3. testatur D. Hieron. in c. 26. Matth. & tamen in subditorum vtilitatem dicitur prophetasse, Ioann. 11. num. 51. In quem locum Petrus Dam in libello Gratissimo, c. 10. *Nobis*, inquit, *non sibi vidit, & occultum sapientiæ thesaurum, quem ipse ignorabat, aperuit.* Et paulò pòst: *In manu* inquit, *cæci lumen est positum, non quod ille conspiceret; sed, quod aliis subministraret.* Quasi sic à Deo efficeretur, vt Pontifex, qui sibi cæcus erat, aliis ad salutem præluceret.

XII. *Heli non efficax merito, sed officio Sacerdotis.*

Sacerdotem Heli, vt in 2. & 3. Cap. latè ostendimus, nemo ambigit, desidem ac socordem in diuino cultu extitisse. Et nihilominùs ad natiuitatem Samuelis impetrandam, & prædicendam diuino spiritu abundauit: vt cap. 2. Num. 17. dictum est: immò & ad ipsam Annam fausta benedictione impertiendam, diues & efficax fuit: vt Cap. 1. Num. 20. ostensum est: credo, non ex propriis eius meritis; sed Annæ, in cuius gratiam Sacerdos honorabatur a Deo, ac diuino spiritu replebatur. De qua re idem D. Petr. Dam. citato libello, c. 18. ad finem. *Quis*, inquit, *Heli Sacerdotem nesciat reprobum; & tam pro lenitate sua, quàm pro liberorum effrænata licentia, diuinæ animaduersionis sententia condemnatum? Eius tamen benedictione non fuit sterilis vterus Annæ, cui nimirum fœcunditatem imprecatus est vulua. Hanc itaque benedictionem efficacem reddidit, non meritum hominis, sed officium Sacerdotis; & quod non habebat causa ministri, virtus exhibuit ministerij.* Ita ille. Vbi quamuis hoc oraculum & miraculum tribuat ministerio Sacerdotis, non dubito tamen, sanctissimis quoque Annæ meritis tribuendum, cuius sanctitas efficiebat, vt Sacerdotis potestas efficax redderetur.

D. Petr. Dam. — *Sanctitas postulantis efficit, vt postulata concedantur.*

XIII. *Improbus etiã Dux ad militum tutelam diuinitùs roboratur.*

Confert igitur Deus sapientiam & potentiam Prælatis, in gratiam & fauorem subditorum. Quemadmodum etiam degeneres Duces roborat & confirmat ad bonos & strenuos milites defendendos. Quid Saülem virtutibus inermem contra Philisthæos sic armauit, vt celebres de illis victorias ac triumphos reportarit; vt ex dicendis patebit: nisi magna illa subditorum erga suum Regem obseruantia, magnis bellorum præsidiis sine dubio præferenda? Quæ cùm aliis locis enituit: tum præsertim 1. Reg. 14. à num 24. Vnde D. Greg. paulò ante citatus: *Saül*, inquit, *abiecto Domino, eligitur: & tamen populum Domini de manu Philisthinorum liberaturum perhibetur: quia omnipotens Deus sæpè suis bonis fidelibus per illos Prælatos prodest, qui de officio eiusdem prælationis sibi non placent.* Vides, vt etiam improbus Dux in præsidium ac tutelam militum subditorum, ac fideliter obtemperantium diuinitùs adiuuetur? Ita solet Deus propter merita subditorum, non exigua Prælatis decora & ornamenta conferre. Vt igitur hoc loco Philisthinorum erga suos Vates obseruantia à Deo remuneretur; diuino plane spiritu efficitur, vt ipsorum Vatum oracula compleantur.

D. Greg.

SECTIO II.

Prælatorum auctoritas curatur à Deo, ne potestas à subditis contemnatur.

I. *Deus Prælatorum, etiam improborum, tuetur auctoritatem.* *D. Chrys.*

ALtera ratio, cur Deus implere voluerit illam Diuinorum prædictionem, quamuis auguratricis artis maleficio concinnatam; fuit in fauorem Prælatorum etiam improborum, quorum Deus auctoritatem tuetur, ne à subditis ludibrio habeatur. Sic D. Chrysom. Num. 9. citatus: *Nec maiestate*, inquit, *sua putauit indignum, in effectum operis, profanorum dicta perducere; idque agere, vt illi fideliter viderentur ista suasisse.* Atque adeò eorum auctoritas apud subditos integra seruaretur. Nihil enim Deo magis curæ est, quàm vt famæ, nomini bonæque existimationi Prælatorum consulatur. Neque desunt in sacris Literis exempla, quibus hæc veritas confirmetur.

II. *Deus parentum consulit honori.*

Tentauit olim Deus Abraham; & secreta, seu potiùs interna loquutione dixit ei, vt sibi filium suum primogenitum immolaret. Sed, cùm postea vidit Patriarcham promptum in obsequium, euaginantem gladium, & in pueri iugulum iam euibrantem: *Ecce Angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham, non extendas manum tuam super puerum.* Gen. 22. num. 11. Cur antea ad aurem submissè loquutus, posteà de cœlo validè exclamauit? Credo, vt tanti Patriarchæ

honori consuleret. Nam, si Isaac clamorem de cœlo non audiret, ac Deum prius præceptum reuocantem non auscultaret; forrasse crederet, genitorem suum Abrahamum patrio affectu à diuino obsequio reuocatum. Ne igitur sanctissimi Patriarchæ nomen etiam apud filium sinistra opinione laboraret; palàm Deus magnis clamotibus testatur, Abrahamum ab illo sacrificio, non aliter, quàm diuinitùs impeditum.

III. *Quantū Deus faueat bono nomini Prælatorum.* Moysi præcepit Deus, vt ad Pharaonem ingrederetur: nihilominùs, vt primum apud Pharaonem miraculum ederet, non concessit; sed illud Aaroni faciendum commendauit: *Dices*, inquit, *ad Aaron: Tolle virgam tuam, & proijce eam coram Pharaone, ac vertatur in colubrum.* Exod. 7. num. 9. Et statim: *Tulit Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum.* Ibidem, num. 10. Vnde oritur dubitatio. Nam, si ad Moysem præcipuè legatio pertinebat; cur etiam munus primi miraculi faciendi ad Moysem non spectauit? Respondet Lyranus ad rem præsentem: *Quia Moyses diu fuerat absens de Ægypto; ideò credere poterant Ægyptij* (addo fortasse, & Hebræi) *quòd tunc fuisset imbutus magicis artibus. Sed Aaron à iuuentute manserat in Ægypto, vbi artes magicas addiscere non potuisset, nisi de voluntate & scitu Ægyptiorum: & ideò non poterant eum ita suspectum habere.* Sic ille. Itaque ne Moyses putaretur esse Magus, à primo illo miraculo patrando remouetur. Vides, quantùm Deus faueat bono nomini Prælatorum: vt etiam quando eorum auctoritatem minuere videtur, eam maximè tueatur: & clariores faciat ex bono nomine, quàm ex virtute miraculorum? (Lyr.)

IV. Adde, non semper Moysem vsum fuisse virga, ad ea miracula, quæ posteà edidit, patranda: sed aliquando sola manu ab omni instrumento exarmata magna prodigia operatum. Nam, licèt interuenru virgæ procellas induxerit, Exod. 9. num. 23. tamen, solis manibus in cœlum sublatis, tempestates serenauit. *Tetendit enim manus ad Dominum*, inquit Textus, *& cessauerunt tonitrua & grando.* Ibidem, n. 33. At quæres: cur non semper eadem virga ad miracula edenda vteretur? Respondet ad præsens institutum Procopius: *Ne vulgus*, inquit, *opinaretur, magicæ superstitione virgam esse factam; & ipsi mirificos illos effectus assignaret.* Nihil enim Deus ferebat ægriùs, quàm, vt de Moyse Principe totius populi futuro, praua aliqua superstitionis, artisve magicæ suspicio haberetur. Non igitur, vt Magus vni tantùm addictus instrumento, diabolicis artibus inaugurato; sed vt verus Dei Legatus, ab omni instrumēto independens, & solo diuino præsidio incumbens, nunc virga, nunc manu vtebatur: virga quidem ad inferendas plagas; manu ad auferendas: vt patet ex propositis exemplis; non sine mysterio: vt quò propior est homini manus, quàm virga; eò ipse ad beneficia, quàm ad supplicia propensior videretur.

Moyses in miraculis, nunc virga, nunc manu vtebatur, ne Magus videretur.

Procop.

V. Ad eundem Moysem olim Dominus: *Ascende*, inquit, *in montem istum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israel: cùmque videris eum, ibis & tu ad populum tuum, sicut iuit frater tuus Aaron: quia offendisti me in deserto Sin in contradictione multitudinis.* Num. 27. à num. 12. Vbi vides, Deum non solùm Moysi suam mortem prædixisse, sed etiam mortis causam euulgasse: nempe, illam qualemcunque dubitationem, quam habuit in educenda aqua de petra. Num. 20. num. 12. At, cur exprimitur mortis causa? Respondet Abul. q. 36. in priorem locum citatum Num. aptè ad rem præsentem: *Ne aliquis fortè*, inquit, *intelligeret, quòd Moyses & Aaron non intrauerunt terram Chanaan propter murmurationem factam de Deo, & alia magna peccata Israëlitarum. Nam in his non peccauerunt, quin potiùs omnibus peccatoribus repugnabant. Ad excusationem igitur eorum, recitatur hoc delictum: quia nullum aliud commiserunt, propter quod mererentur mori extra terram Chanaan.* Eadem est & Lyrani responsio, vbi patet, quanto studio voluerit Deus omnem peccati suspicionem, quæ falsò de Moyse haberi poterat, aboleri: ne Prælatus apud subditos malè audiret; & malè audiens, vt fieri solet, saltem post mortem despiceretur.

Deus vult omnem præ.ti suspicionem de iustis aboleri.

Abul.

Lyr.

VI. Iacobus materno, seu potiùs diuino consilio inductus fratri suo senioti Esaü paternam benedictionem præripuit. Gen. 27. à num. 18. Quis non crederet, hæc audiens, Iacobum petuersa fuisse calliditate; & contra fas ac ius, fraternam benedictionem præoccupasse? Certè ita videtur censuisse vel ipse pater Isaac, dicens: *Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* Ibidem, num. 35. Ita & frater eius Esaü suspicatus: *Iustè*, inquit, *vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me in altera vice. Primogenita mea antè tulit; & nunc secundò surripuit benedictionem meam.* Ibidem, num. 36. Vbi Iacobi fraudes duplici nomine accusat; & quod modò benedictionem, & paulò antè, Gen. 25. num. 35. primogenita surripuerit. Quare necesse erat, vt Iacobus, & paterno, & fraterno testimonio conuictus, in manifestam apud posteros infamiam deueniret, callidúsque ac fraudulentus ab omnibus haberetur. Quid ergo Deus, vt Iacobum ab omni infamiæ periculo liberaret? Eius simplicitatem paulò antè prædixit: *Iacob*, inquit, *vir simplex habitabat in tabernaculis*, Gen. 25. num. 27. Vt alienus ab omni calliditate probaretur, qui simplicitatem à pueritia coluisse diuino testimonio dicebatur. Quod egregiè expendit D. Aug. lib. 16. De Ciuit. c. 37. *Iste dolus*, inquit, *Iacob, ne putaretur fraudulentus dolus, & non in eo magnu rei mysterium quæreretur; superiùs dixit Scriptura: Erat autem Iacob vir simplex: hoc est, sine dolo. Quis est dolus sine dolo? Quæ fictio non mentientis, nisi profundum mysterium veritatis?* Consuluit ergo Deus Iacobi auctoritati, ne qua fraudis & calliditaris inuidia, Princeps & caput illius populi apud posteros laboraret.

Deus consulit iustorum auctoritati, ne fraudulenti habeantur.

Deus suo testimonio iustorum crimina anteuenit. D. Aug.

VII. *Deus instorū tuetur innocentiam.* Iustam indignationem concepit Rex Dauid in Nabalem: sed Abigaïlis precibus placatus promisit, se mortem illi non illaturum. Nihilominùs Nabal intra decem dies ex hac vita decessit. Quis non suspicaretur, illam mortem ab ipso Dauide propter recentis odij reliquias procuratam? Et quis proinde regiam fidem, vt parum stabilem & constantem, non accusaret? Sed, ne huiusmodi infamia in Dauidem refunderetur, occurrit Deus, ac se illius cædis auctorem palàm confitetur: *Cúmque pertransissent decem dies*, inquit Textus, *percussit Dominus Nabal, & mortuus est.* 1. Reg. 25. n. 38. Vbi Caietanus, *Scriptum*, inquit, *est hoc ad tollendam omnem suspicionem humanæ imperfectionis.* Noluit enim Deus, vt Rex Dauid apud suos subditos violatæ fidei reus argueretur; sed potiùs apud omnes eius innocentia constaret.

VIII. *Occidit Deus Dauidis filiū, vt adulterij occideret recordationem.* Neque solùm à falsa cum infamia liberauit; sed etiam veram, quam ex adulterio contraxerat, abolendam curauit. Nam filium ex illo adulterio natum, pro cuius vita multas ad Deum preces fuderat Dauid, diutiùs viuere non permisit, 2. Reg. 12. num. 18. ne diutiùs viueret illius adulterij memoria: sepeliri voluit adulterinum filium, vt adulteri parentis infamia sepeliretur. Sic ad eum

locum

Theod.

locum Theodor. q. 26. *Quamobrem*, inquit, *infantem recèns natum morti tradidit Deus?* Et respondet: *Viuus erat futurus argumentum sceleris & iniquitatis. Pij ergo Regis, qui erat etiam Propheta, curam gerens Dominus, non sinit eum viuere.* Ne igitur infamis Rex contemneretur à subditis, & ne infamis Propheta ab auditoribus repelleretur, effecit Deus, vt nullum illius infamiæ monumentum, aut vestigium superesset: sed, extincto filio, tota illius adulterij recordatio extingueretur. Adeò curabat Regis & Prophetæ auctoritatem sartam tectam conseruare.

IX. Qui parentis Dauidis auctoritati consuluit, filij Salomonis, dum pietatem coluit, non imminuit auctoritatem. Ad regnum postquàm Salomon accessit: *Affinitate coniunctus est Pharaoni Regi Ægypti: accepit nanque filiam eius, & adduxit in ciuitatem Dauid.* 3. Reg. 3. num. 1. Et statim referuntur Salomonis in Deum obsequia, Deíque in Salomonem beneficia. Obsequia Salomonis, dum additur: *Dilexit Salomon Dominum, ambulans in preceptis Dauid patris sui.* Ibidem, num. 3. Dei beneficia, cùm subditur: *Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte, dicens: Postula quod vis, vt dem tibi.* Vbi suprà, num. 5. Quorsum hæc de Salomonis in Deum charitate, Deíque in Salomonem liberalitate narratio, statim post illud Salomonis cum Ægyptia fœmina coniugium? Respondeo ex Lyrano, coniugium cum Gentilibus prohibitum fuisse Hebræis, Deut. 7. num. 3. nisi in casu necessitatis, & perfidia priùs abiurata, vt colligitur ex Deut. 21. à num. 12. Sic enim Salmon cum Rahab Chananæa, Mat. 1. num. 5. & Booz cum Ruth Moabitide, Ruth 4. num. 10. contraxerunt. Quia verò dubitari poterat, an in hoc Salomonis coniugio legitima contrahendi ratio interueniret; poterátque proinde Regis fama apud subditos periclitari, malè de suo Rege opinantes, & voluptati potiùs, quàm necessitati tale coniugium tribuentes: occurrit Deus, & Salomonem sibi amicum, séque Salomoni propitium ac beneuolum profitetur, ne quid à subditis de Regis probitate & auctoritate detrahatur.

Deum Reges sibi amicos profitetur, ne quid de eorum auctoritate detrahatur.

Lyran.

X. Prophetam illum, qui comedendo in Samaria apud Pseudoprophetam, Dei præceptum violauit, grauiter puniuit Deus, subita eum morte ac violenta condemnando. Nam, *cùm abiisset, inuenit eum leo in via, & occidit.* 3. Reg. 13. num. 24. Sed statim eundem leonem, quem viui tortorem & carnificem esse voluit; mortui custodem & defensorem constituit: *Leo*, addit Textus, *stabat iuxta cadauer.* Quorsum tam beneuolè seruat, quem tam seuerè damnarat? Credo, vt Prophetæ auctoritati consuleret: ne quis de eo temerè sentiret, aut maleuolè derogaret: immò, qui pro inobedientia punitus cernebatur, pro pœnitentia saluus crederetur. Sic exponit & Lyranus per mortem à leone datam, Prophetæ inobedientiam ostendi: sed per custodiam à leone præstitam, Prophetæ pœnitentiam euulgari, ne contemneretur inobediens Propheta, sed pœnitens exornaretur. De qua re Theod. q. 42. ad eum locum: *Deus*, inquit, *honorauit eum, etiam post decessum. Nam occisorem ei induxit custodem: honorans, vt Prophetam; puniens, vt transgressorem.* Non patitur igitur Deus, vt Propheta populi magister & Doctor vllam in populo infamiam, etiam post mortem patiatur. Mirum est, quàm propitium, beneuolum & indulgentem se præstiterit Rex Babylonius Euilmerodach, in Regem Iudæ Ioachin, quem Nabuchodonosor pater eius aliquot antè annis captiuum abduxerat in Babylonem. Nam in primis, *Subleuauit*, inquit

Cõsulit Deus, ne Propheta post mortem vllam infamiam patiantur.

Lyran.

Theod.

Deus Prophetis quantum deferat honorem.

A Textus, *caput Ioachin Regis Iuda de carcere. Et loquutus est ei benignè: & posuit thronum eius super thronum Regum, qui erant cum eo, Babylone. Et mutauit vestes eius, quas habuerat in carcere, & comedebat panem semper in conspectu eius, cunctis diebus vitæ suæ. Annonam quoque constituit ei sine intermissione, quæ & dabatur ei à Rege per singulos dies omnibus diebus vitæ suæ.* 4. Reg. 25. num. 27. Vbi nihil prætermisit eorum, quæ ad auctoritatem, vtilitatem voluptatémque Regis Ioachini conducere viderentur. Vnde vulgare inter Hebræos verbum erat, duos Reges, Ioachinum & Sedeciam, sic à Deo institutos, vt hic felices Reges perterreret, ille miseros animaret. Cur, obsecro, tam effusa liberalitate vsus est Rex Babylonis erga Regem Iuda: B præsertim, cùm paulò antè inter Babylonios & Iudæos internecina prælia exardescerent? Respondeo, Regem Ioachinum sua sponte se in potestatem Regis Babylonij tradidisse, 4. Reg. 24. num. 12. inductum consilio Ieremiæ: vt testatur D. Hier. in c. 24. Ieremiæ, quem sequitur Abulensis ad locum citatum Regum, q. 10. Et probat: quia, sicut Ieremias frequenter & vehementer admonebat Regem Sedeciam, vt se traderet Chaldæis, aliter sine dubio periturum, Ier. 21. num. 9. & 38. n. 2. ita videtur admonuisse Ioachinum, vt se traderet Babyloniis, ne ipse pariter cum vrbe funditùs euerteretur. Igitur, ne quis de Ieremiæ consilio perperam sentiret, illúdque non propheticum, sed insanum iudicaret; proindéque sanctissimi Vatis C fides & auctoritas, graui apud omnes infamia notaretur: idcircò, inquiunt Lyranus & Abulensis, à Deo consultissimè prouisum, vt Ioachinus maiores in terra aliena, quàm in propria honores compararet. Vnde fieret, vt Propheta Ieremias non modò veterem auctoritatem retineret; sed etiam maiorem assequeretur. Tam diligenter curauit Deus, ne sui Prophetæ auctoritas in populi contemptum ac ludibrium deueniret.

Vulgare Hebræorum verbum de Ioachino & Sedecia.

D. Hieron.
Abul.

Ieremia honori à Deo consultum.

Lyran.
Abul.

Prohibitum erat in lege veteri, ne quis extra tabernaculum sacrificaret: vt patet Leuit. 17. num. 9. Deut. 12. num. 4. & passim alibi. Et nihilominùs Propheta Helias, extra templum, quod tabernaculo successit, & in quo sacrificandi obligatio, quæ in tabernaculo fuerat, procedebat; extra templum, D inquam, in monte Carmelo immolauit, 3. Reg. 18. à num. 30. vt interim alios viros sanctissimos omittam, qui similibus in locis sacrificarunt. Quis non putaret, Heliam diuinæ legis fuisse transgressorem? Quis illius prauo exemplo ad simile facinus audendum non incitaretur? Planè ita foret, nisi Deus occurreret, & Vatem ab ea calumnia vendicaret. Nam, vt palàm testaretur, Heliam non peccasse, immò gratissimum sibi sacrificium in eo loco ex diuina dispensatione obtulisse; ignem è cælo misit, qui totum sacrificium corripuit & absumpsit: quod erat apud Hebræos manifestum acceptationis indicium; vt patet ex illis verbis: *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Cain autem, & ad munera eius non respexit.* Gen. 4. E num. 4. seu, vt Theodotio vertit: *Inflammauit Dominus super Abel, & super sacrificium eius: super Cain autem, & super sacrificium eius non inflammauit.* Ex quo loco colligunt Interpretes, maiorem Dei beneuolentiam erga Abelem, quàm erga Caïnum in eo apparuisse, quòd Abelis, non Caïni sacrificium, lapso de cælo igne, corriperetur. Adeò igitur Deus consuluit bonæ famæ & existimationi Prophetæ, vt eum etiam per miraculum ab infamiæ nota liberarit. Sed totum hoc argumentum priori tomo, Annot. 5. Sect. 2. pluribus exemplis illustraui. Mirum igitur non est, si Deus

XI. *Prophetas Deus etiam per miraculũ ab infamia nota liberat.*

Accepti sacrificij signum.

hoc

hoc loco Sacerdotum,etiam Gentilium , auctoritatem tueatur , ne à subditis contempta in eorum detrimentum vergat ; totiúsque Reip. status periclitetur.

SECTIO III.

Diuina gloria,& potestas , ab inimicorum testimoniis clarior manifestatur.

I. TErtia ratio , ob quam superstitiosa illa prædictio à Deo impleta sit ; fuit , vt diuinam gloriam , & potestatem , etiam inimici testarentur, quorum testimonium,sicut suspectum esse solet, si in damnum tendat : ita firmum ac sincerum , si in gratiam & fauorem exhibeatur. Hanc etiam rationem D. Chrys. num. 9. citatus inculcauit: *Ad maiorem*,inquit,*Dei gloriam pertinebat , vt virtus eius etiam inimicorum testimonio panderetur : & ipsi quoque Gentilitatis magistri consonam ferrent de veri Dei potestate sententiam.* Eandem rationem tradit hoc loco & Procopius : *Deus* , inquit , *condescendens ipsis, Ariolorum sententiæ obsecundauit : vt ipsi etiam hostes virtuti diuinæ testimonium perhiberent ; vtq; magistri ipsorum,de hac re suam sententiam proferrent.* Itaque , si soli Israelitæ sanctitatem & potestatem Arcæ testarentur , illis tanquàm amicis minur fides haberetur. Dum tamen etiam hostes de illius potentia , & gloria testimonium ferebant ; nemo illis fidem denegabat : cùm inimicorum testimonia multò validiora ad rem probandam censeantur. Quod paucis illustro : primùm quidem ex nouo , & statim ex veteri Testamento.

Inimicorum testimonia in damnum suspecta,in laudem firma esse solent.
D. Chrys.
Procop.

II. Diuus Paulus omninò exigebat , vt Episcoporum sanctitas , non solùm amicorum , sed etiam inimicorum testimoniis probaretur. *Oportet* , inquit,*illum testimonium habere bonum ab iis , qui foris sunt.* 1. Timot. 3. num. 7. Hoc est:non solùm à fidelibus,qui in Ecclesia sunt;sed etiam ab infidelibus, qui foris extra Ecclesiam vagantur. Nam,vt bene D. Hieronymus in epist. 61. ad Pammachium, aduersùs errores Ioannis Ierosolymitani , sub initium : *Scribunt*,inquit , *seculi literæ , amantium cæca esse iudicia. Nunquam de amicorum iudicio glorieris. Illud verum est testimonium,quod ab inimica voce profertur.* Quin etiam Christus Dominus de sua innocentia certus , eam non tam suo , & suorum, quàm aduersariorum testimoniis firmatam cupiebat. Rogatus enim à Pontifice de discipulis,& de doctrina sua: *Quid*,inquit,*me interrogas? Interroga eos,qui audierunt. Ecce hi sciunt , quæ dixerim ego.* Ioan. 18. num. 21. In quem locum D. Chrys. *Non arroganter*,inquit,*respondet ; sed fretus veritate, ait: Me de meis rogas? Roga inimicos,insidiatores, qui me ligarunt,vt testificentur. Id enim veritatis maximum est argumentum , cùm quis inimicos , in eorum, quæ dicit,testimonium adducit.*

Episcoporum sanctitas ab omnibus omninò probari debet.
D. Hier.
Christi Domini doctrina inimicorum firmata testimoniis.
D. Chrys.

III. Christum Dominum in præsepi vagientem,& pastores incolæ,& Reges accolæ inuiserunt : non tamen pastores,sed Reges dicuntur eum *procidentes* adorasse,Matth. 2. n. 11. Et quod magis mirere,nec Maria,nec Ioseph dicuntur illam ei adorationem præstitisse. Quid hoc est? Nónne & pastores proni adorarunt? Quis hoc neget? Nónne & Ioseph cernuus ac fusus humi adorauit? Quis de hoc dubitet? Nónne Mater sanctissima , quò maiorem cognitionem habebat,eò profundiorem adorationem exhibuit? Cui id potest in dubium venire? Cur ergo soli Reges dicuntur ab Euangelista in terram procidentes adorasse? Optimam ad præsens institutum rationem inculcat D. Basilius hom. 25. De humana Christi generatione : *Magi*, inquit , *alienum à Deo genus , & à testamentis gens peregrina , primùm adoratione dignati sunt ; quòd ex inimicis testimonia longè præstantiora , fidéque digniora essent.* Taceantur igitur matris,pædagogi & pastorum,vtpote amicorum , testimonia ; & Magorum,Augurum & Gentilium , tanquam externorum , & qui cunctis retrò annis inimici fuerant, proferantur. His enim sine vlla suspicione totus orbis faciliùs acquiescet.

Amicorum tacētur testimonia , non inimicorum.
D. Basil.

Inuidia laborabant Nazareni ciues in Christum Dominum : quò enim magis eos patria cum Domino coniungebat,eò magis eos inuidia a Domino separabat: & nihilominùs eius doctrinam admirabantur. *Docebat eos* , inquit Euangelista , *in Synagogis eorum,ita vt mirarentur,& dicerent:Vnde huic sapientia hæc,& virtutes?* Mat. 13. num. 54. In quem locum D. Chrysostomus : *Quanta* , inquit, *illius esset sapientia,tecum tu ipse cogita;quippe,vel inuidia malo vehementiùs laborantes,ipsum admirabantur.* Minùs enim mirabilis esset illius sapientia & virtus , si soli eam beneuoli & amici , non autem maleuoli & inuidi mirarentur. His autem eam admirantibus,suáque admiratione confitentibus, facilè totus Orbis assentiretur. Suam in societatem Christus Dominus Iudam proditorem cooptauit,Luc. 6. num. 16. at,cur inter amicos posuit,quem inimicum fore præsciebat? Credo , vt domesticus hostis foret suæ sanctitatis oculatus testis ; eamque apud Principes Sacerdotum palàm testaretur,dicens : *Peccaui , tradens sanguinem iustum.* Mat. 27. n. 4. Nemo enim,nisi demens,de inimici testimonio dubitandum iudicaret. Ita mihi videtur interpretatus D. Amb. lib. 5. in Luc. c. 6. docens ideò Iudam Apostolico Collegio adscriptum esse : *Vt sciremus* , inquit , *quanta sit veritas, quam nec aduersarius minister infirmat.* IV.

D. Chrysost.
Christi Domini sapientia ex inuidorum stupore commendatur.
Iudas Christi Domini sanctitatis oculatus testis.
D. Ambr.

Inter Euangelistas principem locum obtinet Matthæus : & inter illa mystica Ezechielis & Apocalypsis animalia , principem figuram , nempe , humanam , sortitur. At , cur primatus inter Euangelistas , & præstantissima forma inter animalia Matthæo potiùs , quàm Ioanni defertur? Fortasse,quia Matthæus inimicus fuerat,& Publicanus:nam inimici testimonio etiam rebelles hominum voluntates ad fidem facilè traherentur. Et quò meliùs humanæ voces,quàm belluinæ intelliguntur ; eò efficacius Matthæi , quàm aliorum Euangelistarum testimonia euangelicam veritatem Hæreticis persuaderent. Et fortasse ea causa fuit , quare Hæretici Ebionitæ aliis Euangeliis exclusis,eo solo , quod est secundùm Matthæum, vterentur : vt D. Irenæus lib. 1. contra hæreses, cap. 26. & lib. 3. c. 11. post medium,testatur. Ac si alia Euangelia,tanquàm amicorum testimonia suspecta haberent : hoc vnum tanquàm ab inimico profectum verissimum iudicarent. V.

Inimicorum testimonio etiam rebelles trahuntur ad fidem.
D. Iren.
Amicorum testimonia suspecta , inimicorum verissima.

Non obscurum de Christi Domini diuinitate testimonium,vel ipsi Dæmones præbuerunt,iuxta illud : *Exibant autem Dæmonia a multis clamantia, & dicentia : Quia tu es filius Dei.* Luc. 4. num. 41. Sed statim sequitur : *Et increpans,non sinebat ea loqui.* Vnde quæstio consurgit : Si non sinebat ea loqui , cur ab initio loqui non impediebat? Crediderim , Christum Dominum partim voluisse Dæmonia loqui , partim prohibere voluisse : tum ob alias rationes:tum ob præsentem,de qua nunc agimus. Voluisse prohibere , vt manifestus Dæmoniorum aduersarius crederetur. Loqui nihilominùs ab initio voluisse ; vt edita ab aduersariis testimonia , certissima iudicarentur : atque adeò aduersariis VI.

Christus Dæmonum manifestus Dæmoniorum aduersarius.

Etiam Diaboli, testimonia & aduersarij certissima iudicantur.

aduersariis testibus maior ab omnibus fides haberetur. Si enim loqui ab initio non permitteret, nullum à Dæmune testimonium obtineret: si verò loquentem non impediret, amico teste vsus fuisse videretur. Loqui igitur permisit, & loqueotem reprehendit, ne quis dubitaret testimonium ab hoste, quod est omnium locupletissimum, habuisse. Intellexerat, nempe, Christus Dominus, opus fuisse, vt sibi non tantùm ab Angelis amicis; sed etiam à Dæmonibus inimicis testimonia præstarentur.

VII. *D. Iren.* Quod rectè obseruauit D. Irenæus lib. 4. contra hæreses, c. 14. *Dæmones*, inquit, *videntes Filium Dei dicebant: Scimus te, qui es sanctus Dei.* Marc. 1. num. 24. Et paulò pòst, huius confessionis rationem reddens:

Vera probatio etiam ab aduersariis procedit.

B *Oportebat enim*, inquit, *veritatem ab omnibus accipere testimonium, & a domesticis, quoniam & amici; & ab extraneis, quoniam & inimici. Illa est enim vera, & sine contradictione probatio, quæ etiam ab aduersariis ipsis procedit: in ipsa quidem manifesta sua visione conuictis de præsenti negotio, & testificantibus, & significantibus: posteà verò ad inimicitiam erumpentibus, & accusantibus, & volentibus, non esse verum suum testimonium.* Quibus verbis ex testium odio, testimoniorum veritatem egregiè conuincit. Hæc, aliáque Dæmonum testimonia, quibus olim Deos se esse negabant, & Christum Dominum verum Deum asserebant, expendens Tert. in Apolog. c. 23. & ex his Ethnicos conuincens:

Tertul.

Dæmones suis testimoniis Deos se non esse clamant.

Credite, inquit, *illis, cùm verum de se loquuntur, qui mentientibus creditis: nemo ad suum dedecus mentitur; quin potiùs ad honorem.* C *Magis fides prona est in aduersùs semetipsos confitentes, quam pro semetipsis negantes. Hæc denique testimonia Deorum vestrorum, Christianos facere consueuerunt: quia plurimùm illis credendo, in Christo Domino credimus. Ipsi literarum nostrarum fidem accendunt: ipsi spei nostræ fidentiam ædificant.* Hæc ille eleganter.

VIII. Christo Domino Ierosolymam appropinquanti acclamarunt omnes turbæ: *Hosanna Filio Dauid: Benedictus qui venit in nomine Domini.* Mat. 21. num. 9. Voluit nempe Christus Dominus suæ sanctitatis testimonium habere, etiam ab iis, qui paulò pòst clamaturi erant: *Tollo, tolle, crucifige eum.* Ioan. 19. num. 15. ne quis de illius sanctitate dubitaret, qui etiam ab hostibus sanctus diceretur.

Christi innocentia inimicorum testimonio efficaciùs suadetur.

D. Ambr.

D Vnde D. Amb. in c. 19. Lucæ, vbi eadem historia refertur, *Verè*, inquit, *memorabile diuinæ operationis insigne, vt aduersùm se testimonium extorqueatur inimicis: cùm Deum negant affectibus, quem vocibus confitentur.* Quasi non posset Christi innocentia efficaciùs suaderi, quàm si eam inimici, veritate cogente, prædicarent. Et certè æquissima fuit diuinæ prouidentiæ ratio, vt Christus Dominus inter latrones crucifigendus priùs ab ipsis crucifixoribus, *Missus à Deo*, nempe, latronum, immò & omnium peccatorum Saluator, ac Redemptor palàm euulgaretur, & praua Iudæorum sacrilegia veris ipsorum testimoniis confutarentur.

IX. Apostoli ad prædicandum Euangelium in totum Orbem diuidendi, E omnes Fidei Articulos vnum in symbolum contulêre; vt eadem omnes mysteria concordibus animis & linguis prædicarent. Aliis igitur alios Articulos conferentibus; D. Thomas contulit illum, qui est de Christi Domini Resurrectione: *Tertia die resurrexit à mortuis:* vt D. Aug. serm. 115. De tempore testatur. Sed, cùm D. Thomas Articulum negauerit, dicens: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, &c. non credam.* Ioan. 20. num. 25. cur eius constituitur Prædicator? Ratio quidem aperta ex dictis est: vt eò maior esset prædicationis fides, quò maior fuerat in-

D. Aug.

D. Thomas resurrectionis negator, illius efficitur concionator.

A fidelitas prædicantis. Aliorum Apostolorum, qui hunc Articulum statim crediderunt, suspecta forer de illa prædicatio: at verò Thomæ, qui illo toto octiduo negauerat, locupletissimum testimonium videretur. Quis enim non crederet inimico, ipsam, quam negauerat, veritatem confitenti? Vnde est illud D. Gregorij hom. 26. in Euangelia: *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem, quàm fides credentium discipulorum profuit.* Mirabilius autem est illud Haymonis: *Plus nobis profuit dubitatio Thomæ, quàm certissima Fides Mariæ.* Hanc enim proterui homines, vtpote matris, suspectam dicerent: illam, vtpote aduersarij, incorruptam iudicarent.

D. Greg.

D. Thomæ infidelitas magis ad fidem profuit, quàm B. Virginis fides certissima

Haym.

X. Iam verò D. Paulus ad Christianos in Fide confirmandos, B plures epistolas scripsit, quàm non solùm singuli, sed omnes simul Apostoli. Nam Iacobus, vnam; Thadæus, alteram; Petrus, duas; Ioannes, tres; omnes simul, septem, eásque non admodum longas scripserunt. At verò D. Paulus numerum duplicauit, scribens quatuordecim satis amplas & copiosas. Rationem reddit D. Cyrillus Ierosolymitan. catechesi 10. ad præsens institutum quàm aptissimam. *Miratus sum*, inquit, *sancti Spiritus dispensationem, quòd aliorum quidem epistolas paruo numero circumscripsit: Pauli autem anteà sui persequutoris quatuordecim esse concessit. Non enim eò quòd minor esset Petrus, aut Ioannes, præcidit gratiam. Absit. Sed, quòd dubia non esset doctrina illius, qui anteà esset inimicus & persequutor; plura concessit illum scribere: vt omnes sic nobis facilius persuadea-* C *mus. Stupebant enim omnes de Paulo dicentes: Nónne hic est, qui priùs persequebatur?* Act. 9. num. 2. Atque hæc ex nouo Testamento.

D. Cyril. Ierosol.

D. Paulus plura reliquit fidei testimonia, vt persequutor.

XI. Neque verò nobis desunt clarissima ex veteri Testamento ad eandem rem confirmandam testimonia. Moyses inter Deum verum, quem colebat; & falsos, quos execrabatur, discrimen positurus, *Non enim*, inquit, *est Deus noster, vt Dij eorum: & inimici nostri sunt Iudices.* Deut. 32. n. 31. Quasi diceret: In eo verus Deus à falsis diis distinguitur: quòd his testimonium perhibetur tantùm ab amicis; illi autem etiam ab inimicis: falsorum deorum potentiam, domestici tantùm, & eorum non tam cultores, quàm adulatores & fautores D commendant: veri autem Numinis maiestatem & potestatem etiam externi & aduersarij & persequutores veritatis vi coacti admirantur, & confitentur. Quo testimonio Fides egregiè firmatur. Nam, vt ibi Interlin. *Firmum*, inquit, *testimonium ab hoste.* Sed iam audi, quàm aperta in diuinam gloriam testimonia ab ipsis Dei hostibus ferantur: vt non minùs per inimicos, quàm per amicos prædicari videatur.

Pseudodeus amicorum tantùm testimonio, verus etiam inimicorum cognoscitur.

Firmum hostis testimonium.

XII. Quis superbior veri Numinis contẽptor, quàm Nabuchodonosor? & tamen is singularis tandem extitit eiusdem Numinis Prædicator: *Benedictus*, inquit, *Deus eorum, Sidrach videlicet, Misach & Abdenago, qui misit Angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum; & verbum Regis immu-* E *tauerunt; & tradiderunt corpora sua, ne seruirent, & ne adorarent omnem Deum, excepto Deo suo.* Dan. 3. num. 95. Vbi & fidem seruorum erga suum Dominum, & beneuolentiam Domini erga suos seruos non mediocriter commendat. Et statim: *A me ergo positum est hoc decretum, vt omnis populus, Tribus & lingua, quæcunque loquuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach & Abdenago, dispereat, & domus eius vastetur. Neque enim est alius Deus, qui possit ita saluare.* Ibidem, num. 96. Vbi verò Deum non modò laudat, sed etiam laudandum omnibus proponit, & maiora in diuinæ, quàm in regiæ

Dei hostes eiusdem fiunt Prædicatores.

Non tantùm laudãt,sed & alus proponũt laudandum.

regiæ Maiestatis violatores supplicia decreuit: nam Regis contemptores paulò antè in personis tantùm proprus, missis in fornacem ignis puniebat:nunc autem contemptores Numinis & in personis propriis, & in omnibus eius domesticis deuastari iubet: *Dispereat*,inquit,*& domus eius vastetur*.Nec verbis tantùm,sed scriptis eriam suum decretum consignat, datis ad omnes literis, in hæc verba: *Nabuchodonosor Rex omnibus populis,gentibus & linguis,qui habitant in vniuersa terra,pax vobis multiplicetur. Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare signa eius, quia magna sunt; & mirabilia eius, quia fortia; & Regnum eius,Regnum sempiternum, & potestas eius in generatione & generationem.* Vbi suprà, à num. 98. Quis non crederet, Deum esse verè laudabilem,qui tam effusè ab ipso hoste laudaretur? Neque enim tanti momenti fuerunt ad diuinam gloriam persuadendam trium puerorum encomia, quàm vnius Regis commendatio:cùm hæc ab inimico,illa ab amicis ederentur.

Nec tantùm verbis, sed scriptis consignant.

Validior Regis,quã trium puerorum cõmendatio.

XIII.

De inimici laudibus dubitari non potest.

Darium Persarum Regem quis ignorat Dei inimicum fuisse ac tyrannum? Sed is tandem in diuinas laudes effusus: *A me*, inquit, *constitutum est decretum, vt in vniuerso Imperio & Regno meo, tremiscant & paueant Deum Danielis. Ipse est enim Deus viuens, & æternus in sæcula, & Regnum eius non dissipabitur, & potestas eius vsque in æternum. Ipse liberator atque Saluator,faciens signa,& mirabilia in cælo, & in terra.* Dan. 6. à num. 26. Voluit (nempe,Deus) ab inimico laudari,ne qua de eius laudibus dubitatio superesset. Quis enim Dei potentiam negaret,quam inimicus fateretur? Denique & Cyrus Persarum Rex fide & religione à vero Deo alienus,eius diuinitatem apertissimè testatur: *Omnia*,inquit, *Regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli, & ipse præcepit mihi,vt ædificarem ei domum in Ierusalem,quæ est in Iudæa.Ipse est Deus, qui est in Ierusalem.* 1. Esdr. 1. num. 2. & 3. Quis suspectum encomiastem esse diceret;quem inimicum esse agnosceret? Quis ambigeret de veritate illius Numinis,cui vel ipse aduersarius tam honorificum testimonium perhiberet? Mitto alios, quos praua voluntas à diuina lege amplectenda reuocabat: sed aperta veritas ad diuinum Legislatorem confitendum impellebat. Diuina igitur fuit prouidentia,vt Fidei veritatem non solùm amici, sed etiam inimici testarentur: ne quis ita proteruus esset,vt de re inimicorum testimonio confirmata dubitaret.

Inimicus suspectus encomiastes non est.

XIV.

Dei potentia Labani extollitur elogio.

Totum hoc argumentum non parum illustrari potest ex Labano, qui Iacobum ex Mesopotamia fugientem insequutus, diuinam cœpit apud eum potentiam prædicare: *Vales*, inquit, *manus mea reddere tibi malum. Sed Deus patris tui heri dixit mihi:Caue,ne loquaris contra Iacob quidquam durius.* Genes. 31.num. 29. Quasi diceret: Satis virium habeo ad te opprimendum, nisi mihi illas frænaret Deus, quem colis, & quem ego scio & confiteor me ipso longè potentiorem. At quorsum hęc à Labano de Deo Iacobi tam illustris commendatio? D. Chrys. hom. 57. in Genes. existimat,vt filias,Liam & Rachelem, adhuc in fide nutantes, & suis adhuc idolis adhærentes in fide confirmaret. Sed quid ita? Nónne efficacius erat Iacobi testimonium, ad Liæ & Rachelis animos illustrandos, ac veræ fidei & religioni subiiciendos? Nequaquàm sanè, auctore Chrysostomo: cùm hoc,vtpote ab amico,inualidum;illud, vtpote ab inimico,validissimum videretur: *Neque enim*,inquit,*sic fide digna erant, quæ Iacob dicebat, vt quæ à Laban dicebantur, qui adhuc idola colebat. Semper enim infidelium & aduersantium religioni testimonia maiorem habent fidem. Et hoc est ex omnipotenti sapientia Dei,vt inimici veritatis, fiant testes veritatis, & lingua sua prædicent.*

D. Chrys.

Inimici,quàm amici efficaciora testimonium.

XV.

Sic & in Ægypto suæ diuinitatis testes adhibuit Deus coram Pharaone non solum Moysem & Aaronem,egregios Prædicatores veritatis,sed etiam ipsos Pharaonis Magos, pessimos veritatis oppugnatores:qui signorum magnitudine conuicti, tandem Regi dixerunt: *Digitus Dei est hic.* Exod.8.n. 19. Vt Rex,qui amicorum Dei oraculis fidem non habuerat,saltem inimicorum testimoniis flecti se & conuinci pateretur. Quo etiam pacto Tertul. fidem Ethnicis persuasurus, omissis aliis argumentis,quibus nouerat,se parum profecisse; tandem prouocat ad ipsorum Ethnicorum testimonia. Nam in Apolog.cap.17.de anima infideli loquutus,*Quæ*,inquit,*licèt carcere corporis pressa,licèt institutionibus prauis circumscripta,licèt libidinibus & cõcupiscentiis euigorata,licèt falsis Diis exancillata; cùm tamen resipiscit, vt ex crapula, Deum nominat, Iudicem quoque contestatur. O testimonium animæ naturaliter Christianæ!* Quasi efficaciora esse non possent ad Ethnicos conuincendos argumenta,quàm quæ ab ipsis eorum conscientiis testimonia proferuntur. Vbi illud,*Anima naturaliter Christiana*,duriùs quidem dicitur: neque enim fides de Christo Domino nobis connaturalis esse potest, seu naturæ viribus acquisita; sed in bonam partem mitiùs expone, vel per hyperbolem; quasi tam conformis sit,seu tam parum repugnet lumini rationis, vt connaturalis quodammodo videatur: vel ita, vt animam naturaliter Christianam appellet, non quidem adæquatè quoad omnem notitiam, quæ de Christi mysteriis habetur; sed inadæquatè quoad eam notitiam,qua Deum esse, rationis lumini naturaliter & euidenter innotescit. Hac ergo notitia conuicti, etiam qui Deum ore tenus negant,animo confitentur.

Quantã vim habeat,vt flectat inimicorum testimonium.

Tertul.

Fides non est nobis connaturalis. Explicatur Tert.

XVI.

Inimicorum testimonia,in rebus etiã humanis, quantùm valeant.

Nec minùs in rebus humanis inimicorum testimonia conuincunt. De regno Dauidis magna olim fuit inter Israelitas concertatio: aliis eum salutantibus, vt Regem; aliis abiurantibus, vt tyrannum:vulgo in diuersas partes abeunte, quot capita erant,tot sententiæ. Quid ergo Abner, vt omnes ad vnum Dauidem aggregaret? Tribui Benjamin persuasit, vt Dauidem sequeretur. 2. Reg. 3. num. 19. Hinc factum,vt totus in populo tumultus conquiesceret: & Dauid concordibus animis ab omnibus Rex salutaretur. Cui enim Benjamitæ Saulis cognati,& proinde Dauidis inimici adhærebant; quis ex toto populo aduersaretur? Immò adhuc Saule superstite,nonnulli *de fratribus Saül ex Benjamin* se Dauidi subdiderunt. 1.Paralipomen. 12. num. 2. Ita Deo prouidente, vt Dauidis ius in regnum; immò & probitas & æquitas, cæteræque virtutes ex inimicorum testimonio probarentur.vt Lyranus ibi obseruat. *Hoc*, inquit,*exprimitur ad declarationem bonitatis Dauid, quòd propinqui Saulis in Dauidis adiutorium venerunt: quia sciebant huius innocentiam, & illius malitiam.* Ex dictis satis concluditur, quantæ sint efficacitatis testimonia ab hostibus,cùm in eorum fauorem, quos oderunt,conuertuntur. Vnde cùm Philisthinorum Sacerdotes à vero Deo alieni, vera de illo promunt oracula,& incorrupta proferunt testimonia; efficaciter eius potestatem diuinitatémque confirmant.

* * *

SECTIO

SECTIO IV.

Suauis prouidentia petit, vt res per faciliora media ad suos fines dirigantur.

I. D. Chrysf. *Deus mediis vtitur facilioribus, in rebus ad suum finem deducendis.*

PRæter ratioues propositas, cur Deus illam Diuinorum prædictionem impleuerit, vltima addi potest etiam ex Diuo Chrysostomo citato, voluisse Deum, Philisthinos per suos Vates edocere, iuxta propriam suæ diuinæ prouidentiæ rationem, quæ, vt Sapiens loquitur, *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Sap. 8. num. 1. Hæc autem suauitas iu eo consistit, quòd res per viciniora ac faciliora media ad suos fines deducantur. Quid autem vicinius ac faciliùs, B quàm vt Philisthini per suos Vates, tanquàm discipuli per suos magistros edocerentur? Sic olim Deus non per Angelum, vel Prophetam; sed per stellam ad præsepe Christi infantis deduxit Magos stellarum obseruatores. Nam, vt bene D. Chrysostomus: *Per ea*, inquit, *illos vocat, quæ familiaria eis consuetudo faciebat: mira quidem dispensatione pietatis ad hominum condescendens salutem.* Quò enim libentiùs Magi hoc medium recipiebant, eò suauiùs per illud ad suum finem dirigebantur.

D. Chrysf. *Magi stellarũ obseruatores, per stellã ducuntur ad præsepe.*

II. Non aliter Diuus Paulus, vt Athenienses ad diuinæ immensitatis fidem hortaretur, non prophetarum, sed Poëtarum oracula in medium adducebat: *In ipso*, inquit, *viuimus, mouemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum Poëtarum dixerunt Ipsius enim & genus sumus.* C Actor. 17. num. 28. De quo loco idem Diuus Chrysostomus citatus: *Quia vnusquisque*, inquit, *consuetudinis suæ amicitia ligatur: & Deus, & missi ab ipso ad totius orbis salutem homines, de ipso cuiusque more Gentis, materias sibi assumunt dicendi.* Sic deoique Hebræos inter Ægyptiaca sacrificia nutritos, non statim à sacrificiis abstraxit; sed per sacrificia ad meliorem finem destinata, ad veram fidem religionémque traduxit. Vnde Diuus Chrysostomus citatus: *Deus*, inquit, *ob deceptorum salutem, per ea ipsa se coli passus est, per quæ illi Dæmones antè coluerant; aliquantulum illa in melius inflectens: vt eos paulatim, & à consuetudine sua reduceret, & ad Philosophiam perduceret altiorem.* D

Homines per proprias consuetudines ducuntur ad Deum.

III. Itaque Deus efficaciter & suauiter trahit. Efficaciter quidem, si effectus ipsi attendantur, qui nunquàm irriti euadunt. Suauiter, si media ipsa spectentur, quæ facillima & accommodatissima applicantur. Eandem rationem assignat iterum D. Chrysostomus hom. 3. in Epist. ad Titum: quærens enim, cur D. Paulus cum Cretensibus loqoutus, carmen illud Epimenidis Poëtæ Cretensis in medium adducat: *Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri.* Tit. 1. num. 12. docet, causam esse, vt per homines non solùm natione, sed etiam religione eosdem, tanquàm per domestica ac familiaria media faciliùs eos ad veritatis notitiam adducat. E Quod non solùm præsenti Philisthinorum exemplo, sed pluribus aliis illustrat.

Deus efficaciter per effectus: suauiter per media trahit. D. Chrysf.

IV. Nam Deus olim Regem Saülem de futuris rerum euentihus per Pythonissam instruxit. 1. Reg. 28. à num. 12. Cur non potiùs per aliquem Prophetarum? *Quia*, inquit, *ei fidem adhibebat; idcircò per hanc Saül audire fecit, quæ se deprehensura essent mala.* Non aliter ad Moabitas de vero Messia edocendos malefici Balaami testimonio vsus est, Numer. 24. num. 17. vt ei nouo ac domestico diuinatori fides ab omnibus faciliùs haberetur: *Adeò*, inquit Diuus Chrysostomus, *vbique & in* A *omnibus condescendit Deus.* Et in eandem rem obseruat, Deum quondam, & humana specie visum, & humana voce sæpissimè loquutum, tanquàm corporeum, vt corporeis hominibus, quæ vellet, facilius suaderet.

Deus hominem per domestica media ad veritatis notitiam adducit. D. Chrysf.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

V. Quod apta similitudine illustrat. *Nam, si pater*, inquit, *nullam habet suæ maiestatis rationem; sed cum puerulis suis lingua torta balbutit; & alimoniam quidem, & edulia, vocabulis appellat non elegantibus, & doctis; sed puerili, nescio qua, atque peregrina prorsus loquutione: multò magis Deus*, &c. Scilicet, ad captum, conditionémque humanam se accommodat; & vt hominibus, quid facto opus sit, faciliùs persuadeat; facillimis ad eorum ingenium vtitur instrumentis. Sic igitur hoc loco, Diuinorum dicta à Deo rata efficiuntur; vt Philisthini, B per eos, quibus credere assuescunt, suauiùs edoceantur.

Deus vt pater ad humanam se accommodat conditionem.

VI. Beda. Immò nec indignum, nec absurdum videri debet, vt Beda hoc loco cap. 11. obseruat, si nos à superstitiosis Philisthinorum Vatibus salubria documenta hauriamus; & quæ illi suis subditis superstitiosè tradiderunt, nos ad spiritualem intelligentiam translata, nostram in vtilitatem teuocemus. Non minùs enim ex malè, quàm ex benefactis, morales & salutares præceptiones aliquando desumuntur. Quod optimis exemplis illustrat. *Nec minùs*, inquit, *sacrum, & mystica pietate plenum est, quòd Dominum in passione persequutor impius, purpurea, vel alba veste induit, spinis coronauit, aceto potauit, cruce suspendit, Regem* C *Latinè, Græcè & Hebraicè scripsit; quàm quòd hunc in natiuitate pia & inuiolata Genitrix pannis inuoluit, in præsepio reclinauit, pastores laudauerunt, Magi adorauerunt; quòd occisum discipuli electi, aromatibus conditum, linteaminibus inuolutum, petrino in sepulcro positum, lapide magno clauserunt.* Vt enim ex his piissimè gestis optima viuendi documenta capiuntur: ita & ex illis crudelissimè patratis; cùm non amari rerum cortices, sed suauissimæ sensuum medullæ; non facta ipsa attendantur, sed mysteria explorentur. Vnde statim monet, vt à quibuscunque hominibus vtilia discamus: iuxta Salomonem, qui vel bestiolas viuendi magistras nobis efficit, dicens: *Vade ad formicam, ô piger; & considera vias eius, & disce sapientiam.* D Prou. 6. num. 6. Mirum igitur nou est, si non solùm Philisthini per suos Vates salubriter discant; sed etiam & nos spiritualiter proficiamus.

Etiam à superstitiosis hominibus salubria documenta haurienda.

Etiam minima bestiola nobis sunt viuendi magistra.

ANNOTATIO XXI.
CIRCA LITERAM.

Quid vaccæ Arcam deferentes mysticè significent?

I. E CVm Patres & Interpretes de hac mystica significatione latè & copiosè disseraut; vt ex dicendis patebit: alienum videri non debet à præsenti instituto, si in eodem argumento illustrando lentiùs immoremur. Duo igitur hac Annotatione expedientur. Vnum, quænam sit hæc significatio? Alterum, quænam sit ratio & congruentia significationis? Illud prius in prima Sectione: hoc posterius in sequentibus explicabo.

Duo proponuntur illustranda.

SECTIO I.

Mystica significatio declaratur.

II. *Per vaccas recto itinere tendentes viri iusti significantur.*

D. Greg.

VAccæ portantes Arcam contra viam, quæ ducit Bethsames, gradientes itinere vno, pergentes & mugientes, & non declinantes ad dexteram, neque ad sinistram, significant Sacerdotes, Prædicatores, & quoscunque viros iustos in æternam patriam tendentes. Ita communiter explicant sacri Doctores & Interpretes, D. Gregor. ad hunc locum, & libr. 7. Moral. cap. 14. & libr. 16. cap. 15. & homil. 37. in Euangelia sub initium. Eandem interpretationem colligit ex eius scriptis sanctus Paterius libr. in Deuter. cap. 27. & libr. 1. in Reges, c. 3. Sic etiam interpretantur D. Chrysostomus homil. 2. in secundam ad Timoth. D. Nilus Abbas in libro Ascetico, D. Bernardus libr. De passione, cap. 23. D. Bonauentura in Psalm. 118. vers. 5. art. 2. D. Isidorus ad hunc locum, cap. 3. Beda cap. 11. Hugo Vict. libro Allegoriarum in 1. Reg cap. 10. Rupertus cap. 15. Petrus Blesensis in Festo omnium Sanctorum, serm. 34. Eucherius, Rabbanus, Hugo Card. Dionysius Carthusianus, Lyranus & alij. Sed quia non omnes eodem modo loquuntur, singulorum sententias minutiùs & apertiùs exprimamus.

S. Pater. D. Chrys. D. Nil. D. Bern. D. Bonau. D. Isid. Beda. Hugo Vict. Rup. Bles. Eucher. Rab. Hug. Car. Carth. Lyr.

III. D. Chrys. *Obedientia malo etiam Sacerdoti deferenda.*

In ptimis Diuus Chtysostomus per vaccas, rationis quidem expertes, sed diuino instinctu gradientes, intelligit Sacetdotes, vita quidem malos, officio autem bonos, qui licèt belluinis moribus viuant; tamen diuina ministeria operantur: proindéque monet, vt omnibus Sacerdotibus, tam bonis, quàm malis, reuerentia & obedientia deferatur; cùm ex eorum operatione (qualescunque ij sint) magna in nos sanctitas & vtilitas deriuetur. Quod illustrat exemplo Christi Domini, in quem à Ioanne baptizatum Spiritus sanctus corporali specie descendit. Sic enim Euangelista: *Baptizatus*, inquit, *Iesus confestim ascendit de aqua. Et ecce aperti sunt ei cœli: & vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam, & venientem super se.* Matthæi 3. num. 16. Vbi quærit, cur Spiritus sanctus sub columbæ forma in Christum Dominum non descenderit, antequàm à Ioanne baptizaretur? Et respondet: vt sub hoc symbolo exprimeretur ministerium Sacerdotis etiam mali & indigni, aut certè nulla ex parte cum baptizato conferendi; per quem tamen ritè operantem magna à Deo beneficia conferuntur: *Intuere*, inquit, *quantùm inter Ioannem & Iesum intersit. Nemo homo tantùm distat ab homine, quantùm à Christo Ioannes. Priùs tamen, quàm Christus baptizaretur, Spiritus non descendit; vt discas, Deum omnia operari, Deum omnia facere.* Scilicet, ministerio Sacerdotis, à quo, licèt indigno, mirabiles effectus proficiscuntur. Non erat Ioannes dignus, vt Christo Domino solueret corrigiam calceamenti, Ioan. 1. num. 27. & nihilominùs post eius operationem factum est, vt cœli panderentur, & Spiritus de cœlo in Christum Dominum aduolaret. Ne quis sit adeò temerarius, vt Sacerdotem, quem se ipso viliorem indigniorémque existimat, contemnat, nihilque ex eo vtilitatis accipere posse arbitretur.

Per ministeria mali etiam Sacerdotis, magna à Deo beneficia conferuntur.

Quanta ex Sacerdotis ministerio vtilitates.

IV. Petr. Bles. *Prædicatores non tam clamoribus, quàm gemitibus concionari debent.*

Deinde Petrus Blesensis per has vaccas mugientes & pergentes in Bethsames, hoc est, in domum Solis, seu in agrum Iosue Bethsamitæ, intelligit euangelicos Prædicatores, toto orbe discurrentes; nec risu, sed fletu Regnum Dei annuntiantes: *Vaccæ*, inquit, *quæ traxerunt plaustrum nouum mugientes vsque ad agrum Iosuë Bethsamitæ, sunt Doctores ecclesiastici, qui mugitibus suis replent cardines terræ; donec Ecclesiam, quam vehunt, non declinantes ad dexteram, neque ad sinistram in agrum Iosuë introducant: scilicet, donec fideles fiant hæredes Dei; cohæredes autem Christi.* Vbi Prædicatorum voces non immeritò mugitibus, qui sunt quidam boum gemitus comparantur: quòd gemendo potiùs, quàm loquendo suos ad pietatem auditores adhortentur. Quam sententiam non dissimili metaphora diuinus explicauit Sponsus, dicens: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Cantic. 2. num. 12. Vbi vox euangelici Prædicatoris, vox turturis appellatur. Nec immeritò: vt Diuus Bernardus sermone 59. in Cantic. obseruat. Nam hæc vox, inquit, *gementi quàm canenti similior, peregrinationis nostræ nos admonet.* Cur enim in lacrymarum valle aliæ, quàm gementium voces audiantur? Et statim: *Illius*, inquit, *Doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum, sed mihi planctum moueat. Verè turturem exhibes, si gemere doceas. Et si persuadere vis, gemendo id magis, quàm declamando studeas, oportebit.* Itaque Prædicatores non immeritò, & mugientes boues, & gementes turtures appellantur; quòd gemendo prædicent, & euntes eant, & fleant, *mittentes semina sua*; vberes ex hac satione manipulos collecturi. Psalm. 125. num. 6.

Prædicator non ad plausum, sed ad fletum mouere debet. D. Bernard.

V. D. Greg. *Iusti labore mugiunt, sed pergunt.*

Tandem D. Greg. hoc loco per has vaccas pergentes & mugientes, intelligit quoslibet viros iustos per feruorem spiritus, & constantiam operis pergentes: sed per laborem carnis, & patientiam mentis mugientes. *Pergunt*, inquit; *quia sancti viri bona incessanter faciunt: mugiunt verò; quia carnalia desideria in semetipsis extinguere, sine magna quotidie tribulatione non possunt. Mugire nanque ad laborem edomandæ carnis pertinet: pergere autem ad perseuerantiam bonæ voluntatis. Nam dum contra naturam caro carnales motus comprimere cogitur, velut mugit, dum graditur: quia propria desideria adimplere prohibetur.* Et statim: *Bene*, inquit, *duo hæc in Sanctorum profectione describuntur; pergere, & mugire: quia etsi eis ad supernam patriam festinantibus, magna est instantia desiderij; est nihilominùs inuincibilis patientia laboris.* Quod tandem illustrat exemplo Apostoli, qui quidem pergebat, dicens: *Ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis.* Phil. 3. num. 14. Et nihilominùs mugiebat, dicens: *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius.* Rom. 7. num. 23. & 24. Sic igitur addit Gregorius: *Mugiunt vaccæ, sed pergunt: quia sancti viri, etsi magna sunt tentamenta, quæ perferunt; viam tamen supernæ patriæ non relinquunt.*

Iusti laboribus non succumbunt.

VI. D. Isid. *Per vaccas, incipientes intelliguntur, secundùm D. Isidorum.*

Cæterùm Diuus Isidorus non quoscunque iustos intelligit; sed eos seorsim, qui seculo renuntiant, & viam Dei exordiuntur, & incipientes appellantur: *Vaccæ*, inquit, *illæ Arcam Dei gestantes, fugam Sanctorum renuntiantium seculo designauerunt, qui nullum delicti iugum traxerunt. Nam, sicut illæ pignorum affectibus à recto itinere minimè digressæ sunt: ita Sancti Mundo renuntiantes, parentelæ obtentu, non debent à bono præpediri proposito.* Hanc etiam interpretationem iuuat Diuus Gregorius citatus: quamuis non tam incipientes in via spirituali, quàm bene proficientes intelligat. Nam sicut vaccæ à Philisthiinis dimissæ sunt, vt vaderent: ita, inquit, *eruditæ mentes subditorum à suis Rectoribus liberè viuere permittuntur; vt ad æternam patriam properent, non iam maioris imperio, sed propriæ arbitrio rationis.* Sed statim monet, hanc viuendi facultatem subditis minimè concedendam; antequàm bene proficiant, & in virtute firmi sint

D. Greg. *Secundùm D. Gregorium, proficientes.*

aç era

ac eruditi: *Nam nec simplicibus*, inquit, *subiectis & bene viuentibus; nec eruditis & infirmis viuendi libertas rectè conceditur.* Et rationem reddit optimam: quia simplices, quamuis boni, facile decipiuntur: infirmi, quamuis eruditi, facile labuntur. Quare iis tantùm subditis viuendi libertatem faciendam esse docet, qui in virtute & prudentes, & constantes agnoscentur. Immò & iis prospiciendum, ne fortè aliquando impingant, aut aberrent. Nam, sicut Philisthini ita vaccas ire dimiserunt, vt nihilominùs à tergo aspicerent, quò irent: ita, inquit, *prouidendum bonorum Rectorum studio est, vt eorum curam non omninò prætereant; sed pia calliditate explorent, iam liberi qualiter viuant:* vt in Litera admonuimus.

Prælati viuendi libertatem prudentibus tantùm debent concedere.

VII. D. Greg. *Per maiorum exempla procedendum.* Addit vlteriùs Diuus Gregorius, illas vaccas, hoc est, iustos proficientes, per viam *confinium suorum* ascendisse, hoc est, per documenta & exempla maiorum suorum, qui olim in via eis fuerant confines, seu vicini; ac tales in patria futuri sperantur. Nunquàm enim rectiùs ac tutiùs in æternam patriam proceditur, quam si maiorū feliciter gradientium vestigiis insistatur. Notat præterea, arctam esse hanc viam, & accliuem. Nā illi non per mundanas delectationes se deorsum præcipitabant: sed per carnis afflictiones in sublime ascendebant: *quotidie de bonis ad meliora proficientes: Ascendere enim*, inquit, *quotidie ad meliora, proficere est.* De his quoque iustis ad perfectionem tendentibus exponit Diuus Bonauentura citatus: *Per vaccas*, inquit, *quæ inter animalia munda deputantur, affectiones mundæ denotantur, per quas portatur Arca fœderis, id est, anima fidelis, fœderata cum Deo fœdere charitatis. Bethsames interpretatur domus illuminationis, id est, domus cælestis. Tunc itaque in directum vadunt vaccæ per viam, quæ ducit Bethsames; cùm mundæ affectiones spiritualem animam deportantes, directè vadunt per viam contemplationis, quæ ducit ad domum illuminationis.* Sic ille. Quamuis de hac materia vers. 14. art. 1. paulò aliter philosophetur.

Arcta est iustorum via & accliuis.

D. Bon.

VIII. Hugo Vict. *Iusti non ab incœpto itinere regrediuntur.* Item verò Hugo Victorinus citatus Prædicatores pariter, & quoscunque fideles iustos, per has vaccas interpretatur: *Pensandum est*, inquit, *quod vaccæ, quæ sub Arca Dei plaustro religantur, pergunt, & gemunt: non tamen ab itinere gressus flectunt. Sic Prædicatores Dei, & quilibet fideles intra Ecclesiam esse debent, vt proximis compatiantur per charitatem, nec de via Dei exorbitent per compassionem.* Vbi plura de hac re: quæ ferè omnia ex Diuo Gregor. hom. 37. in Euang. & lib. 7. Moral. cap. 14. vel 18. desumpsit. Tandem Beda hoc loco, optimos Euangelij Præcones in his vaccis mugientibus, & pergentibus, ad viuum expressos arbitratur: *Qui vno*, inquit, *eodemq́; fidei & veritatis calle gradiuntur, gementes quidem quasi homines separari se ab his, quos diligunt; libentius tamen eos, vbi necessitas ingruerit, quam iustitiæ viam deserentes: ardentius ad victimam passionis, pro Arca Domini properantes, quàm fletu filiorum Arcam deponere consentientes.* Quibus vltimis verbis alludit ad holocaustum, quod de his vaccis in fine itineris factum est: vt paulò inferiùs n. 14. patebit. Vt enim vaccæ deserebant in Palæstbina filios, quos amabant, & pergebant ad flammas holocausti, quæ in agro Bethsamitico illas manebant: ita & Euangelici Præcones charissima quæque in solo patrio relinquunt, & in externas oras pro fide mactandi, & immolandi libentissimè conscendunt.

D. Greg. Beda.

Viri Prædicatores patriam relinquūt, pro fide in externis oris mactandi.

IX. D. Paulus lacrymis ad suos non ponitur. Quod illustrat aptissimo exemplo D. Pauli, ad quem in Cæsarea commorantem cùm venisset Agabus: *Tulit zonam Pauli, & alligans sibi pedes & manus, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus: Virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi, & tradent in manus Gentium.* Act. 21. n. 11. *Ecce*, inquit Beda, *portatrix Arcæ Dominicæ victimanda vacca prophetatur.* Sed, quid Cæsarienses? *Siccisne oculis*, addit Beda, *abscessum, mortemq́; parentis expectant?* Immò, tanquàm vituli mugientes, multis precibus & fletibus profectionem deprecantur. *Quod cùm audissemus*, inquit Lucas, *rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Ierosolymam.* Ibidem, num. 12. Quid tamen Pauli mens? Potuitne filiorum lacrymis, tanquàm vitulorum mugitibus, inflecti, ne Arcam Domini, hoc est, Euangelij fidem in Iudæam deportaret; vbi se in vincula tradendum minimè dubitabat? Absit profectò, absit. *Sed quia*, inquit Beda, *non amore, vel lacrymis filiorum, ad dexteram, non ad sinistram, deflecti poterat matris constantia; vide, quid abitura plorantibus dicat. Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Vbi suprà, n. 13. Itaque D. Paulus habens à tergo lacrymas filiorum reuocantes, & præ oculis flammas holocausti perterrentes; nihilo tamen segnior, quàm vaccæ Philisthinorum, mugiebat quidem parentis affectu, sed Prædicatoris spiritu pergebat.

quin fidem in Iudæam reportaret.

Beda.

X. Constat igitur ex dictis, per has vaccas, Apostolicos viros designari. Huius significationis ratio quadruplex ex Litera desumetur, per sequentes sectiones illustranda. Vna, quia in directum tendebant contra viam, quæ ducit Bethsames: vt constantem & irreuocabilem Sanctorum progressum in æternam patriam designarent. Altera, quia itinere vno gradiebantur, vt concordes Sanctorum animos testarentur. Tertia, quia pergebant, & mugiebant: vt Sanctorum naturalem affectum, & supernaturalem spiritum indicarent. Vltima, quia neque ad dexteram, neque ad sinistram declinabant: vt mediam Sanctorum viam, in qua virtus consistit, adumbrarent. De singulis dicendum.

Quatuor sunt rationes, ob quas per boues viri Apostolici intelliguntur.

SECTIO II.

Vaccæ in directum tendentes constantem & irreuocabilem Sanctorum progressum in æternam patriam designant.

I. PRimò, dicuntur vaccæ in directum tendere, quin vnquam in Palæsthinam, & ad vitulos domi reclusos, non solùm pedibus, sed ne oculis quidem regrederentur. Non aliter sancti viri, in Bethsames, quæ, vt diximus, domus Solis interpretatur, hoc est, in æternam patriam abeuntes, ad ea, quæ reliquerant, neque gressibus, neque affectibus reuertuntur. Vnde D. Gregor. lib. 7. Moral. cap. 14. *Bethsames*, inquit, *domus Solis dicitur. Cum Arca ergo Domini Bethsames pergere, est, cum superna scientia ad æternæ lucis habitaculum propinquare. Sed tunc verè Bethsames tēdimus, cùm per viam rectitudinis gradientes ad vicina erroris latera, nec pro affectu pignorum declinamus.* Nam, si vaccæ, relictis filiis, ad agrum, in quo erant immolandæ, contendebant: cur Sancti, bonis omnibus temporalibus repudiatis, in cœlum, vbi non mactandi, sed coronandi sunt, non properent, non festinent? Idem rursus homilia 37. in Euangelia: *Quid*, inquit, *vaccæ, nisi fideles quosque in Ecclesia designant: qui, dum sacri eloquij præcepta considerant, quasi superimpositam sibi Domini Arcam portant? De quibus* hoc

D. Greg. Viri iusti, ad ea quæ reliquerunt, nullis affectibus reuertuntur.

Iusti tendentes ad coronam, properare debent.

hoc etiam est notandum; quòd fuisse fœta memorantur: quia sunt plerique, qui in via Dei intrinsecus positi, foris carnalibus affectibus ligantur: sed non declinant à recto itinere, qui Arcam Dei portant in mente. Difficilius enim fuit, fœtas, & quæ filiorum amore reuocarentur, in Bethsames festinare. *Si ergo*, addit, *ad æterni Solis habitationem tendimus; dignum profectò est, vt de Dei itinere pro carnalibus affectibus non declinemus.*

II. Igitur sancti viri in æternam patriam tendentes, tam constanter in directum pergunt, vt nunquàm à tergo reuocentur. Vnde Christus Dominus: *Nemo*, inquit, *mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei.* Luc. 9. n. 62. Non ait: *Et rediens retrò*, sed, *Respiciens*: quia, vt bene Euthymius ad eum locum: *Oportet*, inquit, *eum, qui sequitur Christum, confestim omnia despicere, & sequi, ne oculos quidem ab eo diuertendo; ne fortè habitu & specie eorum, quæ à tergo sunt, retineatur.* Quasi vel vnicus respectus sit validissimus quidam nexus, quo, qui ad Deum pergit, retardetur. Cui Domini consilio, vt D. Paulus obtemperaret, & ab hoc se nexu expediret: *Ego*, inquit, *me non arbitror comprehendisse: vnum autem; quæ quidem retrò sunt obliuiscens; ad ea verò quæ sunt priora extendens me ipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis.* Phil. 3. n. 13. Vbi D. Chrysostomus obseruat, non dixisse Apostolum: *Quæ retrò sunt*, non repotans, aut non memorans; sed, *Obliuiscens*: vt non solùm memorandi actum, sed etiam potestatem sibi penitùs auferret. Nisi enim, quæ retrò sunt, perpetua obliuione deleantur; necesse est, vt currentium studium elanguescat.

Iusti nec vno quidem respectu præterita respiciũt. Euthym.

D. Chrys. *Etiam præterita memorandi potestatem sibi auferunt iusti.*

III. Testis sit illa vxor Lot, quæ retrò antequàm aspiceret, expeditissima currebat: aspiciens autem retrò, immobilis stetit, hæsitque *versa in statuam salis.* Gen. 19. n. 26. Nec immeritò, vt notat Philo Hebræus lib. De somniis, ad fin. *Quia, si quis*, inquit, *in anteriora visu, auditúque digna non prospicit, hoc est, in virtutes, & earum opera; malens à tergo relicta respicere, vanam gloriam, cæcas diuitias, insensatam corpulentiam, dementem formositatem, & id genus alia consectando; stabit inanima statua, tabescetq; paulatim.* Vnde illa Ezechielis animalia, in quibus Apostolici viri adumbrantur: *Non reuertebantur, cùm incederent: sed vnunquodque ante faciem suam gradiebatur.* Ezech. 1. n. 9. Quod quidem non carne, sed spiritu impellente, faciebant. Vnde sequitur: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur: nec reuertebantur, cùm ambularent.* Ibidem, n. 12. Nam, sicut impetus carnis, ad ea, quæ retrò sunt, reuocat ac reducit: ita impetus spiritus, ad ea, quæ antè sunt, agitat & impellit. Nec efficacior ille est ad reuocandum retrò; quàm hic ad impellendum prorsum: cùm semper ad proficiendum vrgeat & accendat.

Philo. *Qui retrò aspicit, manet immobilis.*

Iusti incedũt, non reuertuntur.

IV. Quare D. Greg. hom. 5. ad eum locum: *Electi*, inquit, *sic ad bona tendunt, vt ad mala perpetranda non redeant. Qui enim perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* Matth. 10. n. 22. & illustrat ex verbis illis Salomonis: *Iustorum semita, quasi lux splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem.* Prou. 4. n. 18. Neque enim satis illis est, lucem habere matutinam, nisi semper ascendendo meridianam assequantur. *In eorum*, inquit, *animis bonum desiderium, atque intellectus lucis intima pars diei est; sed, quia vsque ad finem vitæ in virtute proficiunt, ad perfectum diem tunc veniunt, quando ad cœlestia regna perducti, in ea luce, quam desiderant, iam minùs aliquid non habebunt.* Quasi nullus alius proficiendi, quàm viuendi terminus iustis præfigatur. Vbi etiam aduerte, spiritualem cursum similem esse solari: vt enim Sol nunquàm stat, semper progreditur, quousque meridianum cœli punctum, quod est altissimum, attingat; ita & virum iustum nunquàm sistere, semper proficere, donec ad altissimum perfectionis gradum euehatur. Quamuis in eo sit discrimen longè maximum: quòd Sol, postquàm illud cæli fastigium attigit, cùm iam non habeat, quò sublimior ascendat; rursus deuergit ac declinat in occasum. Iustus autem non ita: quia, quantumuis ascendat, semper habet, quò altior atque altior feratur; quia nunquàm potest euadere ad illum perfectionis scopum sibi propositum, nempe perfectionem diuinam, iuxta illud: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Matth. 5. n. 48. Idcircò enim iustis non proponitur inferior scopus; ne, si illum attingant, conquiescant. Semper igitur ascendant, qui semper habent, quò altiores enitantur.

D. Greg. *Salus in perseuerantia consistit.*

Cõtinuus iustorum profectus.

Iustorum via solari comparatur.

Iusti in eo Solem excedunt, quòd nullum habeant ascẽdendi terminum.

V. En, vt Apostolici viri oculis ad temporalia bona irretortis, vsque ad Bethsames, hoc est, domum æterni Solis gradiuntur. Sed illud in his vaccis præcipuam admirationem meretur, quòd ne ad vitulos quidem suos, quorum mugitibus reuocabantur, oculos suos referebant. Tales planè sunt spirituales viri, diuinam legem, & corde ferentes, & ore annuntiantes. Sic enim cognatorum affectibus renuntiant, vt nullis eorum gemitibus ab incepto retardentur. Vnde celebris est illa D. Hieronymi ad Heliodorum epist. 1. exhortatio: *Licèt*, inquit, *sparso crine, & scissis vestibus, vbera, quibus te nutrierat, mater ostendat: licèt in limine pater iaceat: per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.* Et paulò pòst: *Facilè*, inquit, *rumpit hæc vincula Dei amor, & gehennæ timor. At contrà Scriptura præcipit, parentibus obsequendum. Sed quicunque eos super Christum amat, perdit animam suam. Gladium tenet hostis, vt me perimat; & ego de matris lacrymis cogitabo? Propter patrem, militiam Christi deseram, cui sepulturam, Christi causa, non debeo?*

D. Hieron. *Iusti nullis cognatorũ lacrymis retardantur.*

VI. Hunc locum ex Hieronymo mihi videtur D. Bernard. transtulisse in epist. 351. ad Hugonem: quem hortatur, vt parentibus, à Religione ad seculum reuocantibus, illud Christi Domini respondeat: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem.* Ioan. 14. n. 28. Ac si non gaudentes de filiorum ad Deum cursu, filios suos odisse conuincantur. Quòd si illi nihilominùs reuocare pergant, iubet vlteriùs Diuus Bernardus, vt non solum *Per calcatum transeat patrem*, vt D. Hieronymus admonebat; sed etiam *Per calcatam pergat matrem*: vt in obsequio Christi, etiam matris, cui maior reuerentia & affectio debetur, amor & pietas deseratur. Et statim: *Phreneticorum*, inquit, *lacrymis ne mouearis, qui te plangunt, de gehennæ filio, factum filium Dei. Heu! quanam miseris tam dira cupido? Quis tam crudelis amor? Quæ tam iniqua dilectio?* Phrenesi sine dubio laborant, qui, quos videntur amare filios, exitiali odio prosequuntur: qui de illorum salute mœrent, de interitu exhilarantur: qui dolent, de barathro in cœlum translatos esse: gaudent, de cœlo in barathrum præcipitatos.

D. Bern.

Patres à Deo si reuocant filios, oderunt.

Per parentes ad Christum via facienda.

Parentũ filios à Deo reuocantium amor phrenesis est.

VII. Patribus D. Bernardi monitis acquieuit aliquando eius discipulus Helias, qui ad parẽtes multis eũ precibus & lacrymis, à Religione reuocantes, epistolam dedit, quæ inter epistolas D. Bernardi est tertia, vbi sic: *Sola causa*, inquit, *quæ non liceat obedire parentibus, Deus est. Verè nunc cognosco, quia inimici hominis, domestici eius. Si me verè, vt boni, vt pij parentes diligitis: si veram, si fidelem erga filium pietatem habetis: quid me patri omnium Deo placere satagentem*

Domestici à Deo reuocantes sunt veri hominis inimici.

A *gentem inquietatis : & ab eius seruitio, cui seruire, regnare est, retrahere attentatis? In hoc vobis obedire non debeo. In hoc vos non agnosco parentes, sed hostes.* Et statim in eos acriùs inuehitor, quòd quem generando in hoc seculo, multis infortuniis obruissent; retinendo in ipso seculo, æternis suppliciis exponant. *Non sufficit,* inquit, *vobis, quòd me in hanc seculi miseriam miseri miserum induxistis; nisi etiam filium insuper gehennæ faciatis? O durum patrem! ô saeuam matrem! ô parentes crudeles & impios; immo non parentes, sed peremptores! Quorum dolor, salus pignoris; quorum consolatio, mors filij est. Qui me malunt perire cum eis, quàm regnare sine eis. Qui me rursus ad naufragium, vnde tandem nudus euasi; rursus ad ignem, vnde vix semiustus exiui: rursus ad latrones, à quibus semiuiuus relictus sum; sed miserante Samaritano, iam aliquantulum conualui, reuocare conantur.*

Parentes non sunt parentes, sed peremptores.

B

VIII. Et paulò pòst optima vsus similitudine, horum parentum in filium, non modò iniuriam accusat, sed etiam dementiam admiratur: *Domus*, inquit, *ardet, ignis instat à tergo, & fugienti prohibetur egredi; euadenti suadetur regredi? Et hæc ab his, qui in incendio positi sunt: & obstinatissima dementia, & dementissima obstinatione fugere periculum nolunt. Proh dolor! Si vos contemnitis mortem vestram; cur etiam appetitis meam? Quare vos non potiùs sequimini me fugientem, vt non ardeatis? An hoc est vestri cruciatus leuamen, si me etiam perimatis? Et hoc solùm timetis, ne soli pereatis? Ardens ardentibus quod solatium præstare poterit?* Et ibidem significat huiusmodi parentes adhuc in hoc mundo superstites, peiores esse diuite auaro gehennæ æterni ignis iam addicto. Nam hic optabat, ne quinque fratres, quos habebat, venirent in eum locum tormentorum, Luc. 16. n. 28. Illi autem ad eandem secum gehennam filios suos alliciunt, & inuitant. Mirum igitur non est, si cognatorum amorem exuere debeamus, qui saluti nostræ aduersantur. Recludendi sunt vituli & relinquendi: hoc est, omnes consanguinei & cognati, qui nobis sunt diuinæ legis violandę auctores, repudiandi, ne dicam obtruncandi.

Qui seculum fugit, flāmas fugit.

Parentes filios à religione reuocantes, diuite auaro peiores.

C

IX. Hinc illa diuina lex: *Si tibi voluerit persuadere frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus, vel filia, siue vxor, quæ est in sinu tuo; aut amicus, quem diligis vt animam tuam, clàm dicens: Eamus, & seruiamus diis alienis, &c. Non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus, vt miserearis & occultes eum, sed statim interficies.* Deut. 13. à n. 6. Quid seueriùs præcipi poterat, ad cognatorum, amicorúmque affectus, si diuinis obsequiis aduersentur, amputandos? Ad quam legem alludens Philo Hebræus lib. De offerentibus victimas: *Si frater*, inquit, *aut filius, vxor, aut filia, familiaris, aut amicus per speciem beneuolentiæ seducere te ad impietatem suam studeat; necandus est, tanquàm hostis publicus, sine respectu priuatæ necessitudinis.* Et paulò pòst: *Debet nobis esse vnica familiaritatis & amicitiæ tessera, Deo placendi studium, & dicendi faciendique pro pietate omnia. Cæterùm cognationes & affinitates reiiciendæ sunt, si non ad eundem finem properant, honorem Dei videlicet: quod est omnis coniunctiuæ beneuolentiæ vinculum insolubile. Nam talibus non deerit cognatio sanctior, & honestior: vt testatur mihi lex ipsa, quæ virtutem seruantes, filios Dei nominat.* Felix, qui terrenam propter Deum cognationem repudiat, diuinam pro terrena cognationem cum Deo initurus. Hominum filius esse desinit, vt in Dei filium adoptetur. Sic enim Deus: *Audi, filia*, inquit, *obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Psal. 44. n. 11. Quasi diceret: Filia hominis esse desine; vt filia Dei constituaris. Filiam meam te appello, ne deinceps velis alterius patris filia noncupari.

Diuina lege iubetur humanos affectum amputare.

D

Philo.

Cognatus seductor hostis publicus.

E

Iusti Deo sacri in Dei filios adoptantur.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

A

X. Citatam legem, quæ auersari iubebat etiam cognatos & amicos, qui Deo aduersabantur, regius Vates diligenter obseruauit, vt ipsemet significat, dicens: *Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi.* Psal. 118. n. 113. seu, vt legit D. Ambros. serm. 15. ad eum Psalmum: *Exleges odio habui.* Vbi per iniquos, seu exleges, intelligit eos, qui propinquos suos à diuinæ legis obseruantia retrahebant. Sine lege enim sunt, qui cognatos suos sub diuina lege viuere non patiuntur. Hos igitur oderat Dauid: & qui inimicos suos Saulem, Semeï, Doëg, ac similes diligebat; is, vt notat D. Ambrosius, etiam cognatos sibi in diuino obsequio aduersantes, odio prosequebatur: ratus id, quod erat, maius nobis periculum à falsis cognatis, quàm à veris hostibus impendere; vt ibi D. Ambros. aduertit, dicens, plurimos à fide, & à martyrio reuocatos, non tam tormentorum vi, quàm prauo cognatorum affectu: *Sapè*, inquit, *cognouimus, quoniam quem formidolosa carnificum pompa non terruit, non diuisi lateris sulcus infregit, nec ardentes laminæ à triumphalis fortitudinis rigore abducere potuerunt; eum inter sacra iam præmia constitutum, vxor teneræ sobolis oblatione miserabilis, vnius lacrymæ miseratione decepit.* Vtinam infausti homines Philisthiorum vaccas imitarentur, quæ vitulos mugientes deserebant, vt holocausto à Bethsamitis faciendo se immolandas deuouerent: & non potiùs vice versa ab holocausto martyrij refugerent, vt filios & vxores & consanguineos lacrymantes sequerentur.

Qui alios à diuina lege retrahunt, iniqui & exleges.

D. Ambr.

Dauid cognatos sibi in diuino obsequio aduersantes, odio prosequebatur.

B

Quantùm valeant cognatorū lacrymæ.

C

XI. Addo, non solùm in bello, quando tyrannorum rabies sæuiebat; sed etiam in pace, quando nullus animos timor exagitabat, miseros, & verè insanos homines, improbo filiorum amore abductos, à vero Numine ad falsa idola defecisse: adeò enim desipiebant, vt mortuos filios in immortales deos consecrarent. Vnde Sapiens: *Acerbo*, inquit, *luctu dolens pater, cito sibi rapti filij fecit imaginem: & illum, qui tunc, quasi homo, mortuus fuerat; nunc tanquàm Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos, sacra & sacrificia.* Sap. 14. n. 15. Sic olim Syrophanes Ægyptius, mortuo filio, simulacrum posuit loco Numinis adorandum. Sic & Ninus Assyriorum Rex filium suum Belum vita functum, noluit intra mortuorum vrnas delitescere; sed supra Deorum aras, erectis simulacris fulgurare. Sic Thare filium suum Aram morte sublatum immortalitate donare voluit, dum eius imaginem consecrauit. Ita refert Lorinus ex diuersis Auctoribus. Sed quidquid sit de his exemplis, de quibus longior esse potest disputatio, certum est ex loco citato Scripturæ, mortuos filios à parentibus viuis in Deos consecratos, inordinato filiorum amore tantam in insaniam patres impellente.

Quidam insano filiorum amore, eos vt deos colunt.

Exemplis veterum confirmatur.

D

Lorin.

XII. Nescio, an vlli praui appetitus periculosiùs nos tentent, quàm inordinati cognatorum affectus: ab his non sæpè vincuntur, qui de illis victores euaserunt? Quam rem D. Greg. lib. 7. Moral. c. 14. grauiter expendens: *Sunt*, inquit, *plerique, qui non solùm aliena non appetunt: verùm etiam cuncta, quæ possederant in Mundo, derelinquunt, semetipsos despiciunt, nullam præsentis vitæ gloriam requirunt; ab huius mundi se actibus separant; & penè quidquid prosperitatis arriserit, calcant. Sed tamen adhuc vinculo carnalis cognationis obligati, dum amori propinquitatis indiscretè deseruiunt; ad ea sæpe per affectum cognationis redeunt, quæ iam, & cum proprio despectu subierunt. Cúmque plusquàm necesse est, carnis propinquos diligunt, à cordis parente diuiduntur. Nam sæpè quosdam videmus, quantùm ad proprium studium spectat, iam præsentis vitæ desideria non habere, Mundum & opere, & professione reliquisse: sed tamen*

Ab inordinatis cognatorū affectibus tentamur periculosiùs.

E

D. Greg.

pro inordinatis affectibus propinquorum, prætoria irrumpere, terrenarum rerum iurgiis vacare, libertatem intimæ quietis relinquere, & Mundi studia in se iam dudum destructa reparare. Vbi plura in hanc sententiam eleganter. Quare quò arctiora sunt iura propinquitatis, eò sunt à nobis studiosius dissoluenda.

XIII. Hinc est, quòd in sacris Literis tantoperè commendetur hic à parentibus & consanguineis recessus: *Egredere*, inquit Deus ad Abraham, *de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Genes. 12. num. 1. Satis fuerat dixisse: *De terra tua:* cur igitur plura alia: *De cognatione tua, & de domo patris tui*, replicantur? D. Ambr. lib. 1. De Abrah. c. 2. *Ideò*, inquit, *addidit singula, vt eius affectum probaret, ne fortè aut imprudenter accepisse videretur, aut fraus aliqua mandatis cælestibus pararetur.* Nam, si infirmus esset, excusare se non posset, ignorantiam aliquam de præcepti intelligentia obtendens: quod tam explicitè propositum audiebat: si verò esset strenuus, vt erat, haberet occasionem merendi, dum repetitis ictibus, suos iugulati, truncarique affectus fortiter tolerabat: quos præcipuè rescindi oportebat. Adde eam replicationem eò potissimùm spectare, vt de patria non solùm pedibus, sed etiam affectibus exiret. Quasi diceret, interprete Ruperto lib. 5. in Gen. cap. 3. *Sicut de terra Chaldæorum, corpore egressus es, animo quoque sic egredere.* Sed, cur Abraham, omnia tepudiare iussus, totam tamen cognationem non reliquit; sed potiùs, vt est in Litera: *Tulit Sarai vxorem suam, & Lot filium fratris sui, vniuersamq; substantiam, quam possederat, & animas, quas fecerat in Haran?* Ibidem, n. 5. Dicet aliquis, reliquisse omnes idololatras, quos tantùm relinquere iubebatur. Addo, reliquisse omnes omniò, si non effectu, saltem affectu: ad hunc enim exeundum diuina admonitio præcipuè spectabat.

Quò plus vetis iussit, tanto plus pius meretur.

D. Amb.

Rup.

E patria non pedibus solùm, sed etiam affectibus exeundum.

Iussi omnes affectu relinquere iubentur.

XIV. Sed, cur Deus egredienti tam multa præmia promittit, dicens: *Faciam te in Gentem magnam*, &c. Ibidem, n. 2. Vbi, si Litera rectè expendatur, septem præmia promissa inuenientur: in quo numero septenario omnium præmiorum vniuersitas, interprete Caietano, significatur? Respondet D. Ambr. vbi suprà: *Sicut*, inquit, *coaceruanda fuerant præcepta, ne quid lateret; ita etiam propenenda præmia, ne fortè desperaret. Tentatur, vt fortis; incitatur, vt fidelis; prouocatur, vt iustus.* Sed vlterius addo: quia Deus tanti æstimat hunc carnalium cognatorum contemptum; vt, quantocunque pretio illum emat, adhuc nihilominùs credat, perexiguo emisse. Vnde non solùm terrenis præmiis Patriarcham inuitauit; sed etiam æternis: teste Diuo Stephano, qui de hac re loquutus: *Deus gloriæ*, inquit, *apparuit patri nostro Abrahæ.* Act. 7. num. 2. Cur enim Deus gloriosa specie insignis Patriarchæ se obiecit, nisi vt spe gloriæ illum ad deserendam patriam, & immoderatos cognatorum affectus subigendos inuitaret?

D. Ambr.

Quot præcepta, tot præmia.

Deus æterno emit pretio cognatorum contemptum.

XV. Duo olim Abraham præcepit seruo suo Eliezer: *Non accipias*, inquit, *vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: sed ad terram, & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac.* Et paulò pòst: *Caue, ne quando reducas filium meum illuc.* Gen. 24. n. 3. & 6. Vbi in primis quæro: Cur potiùs ex Mesopotamia, quàm ex terra Chanaan, vxorem filio suo eligebat; si vtrobique non nisi fœminæ Gentiles reperiebantur? Respondet ad rem præsentem aptissimè Procopius: *Haud fugiebat*, inquit, *Patriarcham, fore vt, si puella longius à paterno genere fuerit submota, & in piam domum deducta, obliuia faceret paterni erroris.*

Qui patris domum relinquit, paterna etiam vitia abiurat.

Procop.

A Quasi in hunc modum ratiocinaretur Abraham: Si vxor Chananæa eligatur; cùm ego habitem in terra Chanaan, ipsa quoque inter cognatos remanebit: & proinde nunquàm patrios ritus, & gentilitias ceremonias dediscet. Si tamen ex Mesopotamia afferatur, à qua ego procul absum; ipsa quoque relinquet paternam domum, & cum domo paternas quoque superstitiones facilè abiorabit. Hæc igitur potiùs, quàm illa cooptetur. Vides, quàm vtile sit, de paterna domo exire, & cognatis ac propinqois renuntiare, vt cælestis doctrina recipiatur? Deinde quæro: Cur Abraham filium suum Isaac in Mesopotamiam reduci minimè patiebatur? Respondet Isidorus Clarius: *Quia ipse inde iussus esset discedere.* Ac si Abraham,
B Deo iubente, tantùm fecerit à patria dissidium, vt neque per se, neque per filium suum eò redire ausus fuerit. Sic eos, quorum saluti consulebat, à patria & cognatis auertendos curabat.

Isid. Clar.

Iussi, neque per se, neque per filios ad patriam reuertuntur.

XVI. Cùm verò Abraham naturales propinquorum affectus io suis tanto studio truncaret; illos profectò in se ipso minimè nutriebat: vt vel ex ipso testimonio diuino satis confirmatur. Nam, cùm Deus ei præcepit, vt filiom immolaret: *Tolle*, inquit, *filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac*, &c. Genes. 22. n. 2. Cùm verò præcepit, vt ab immolando abstioeret: *Non extendas*, inquit, *manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam.* Ibidem, n. 12. Priori quidem loco, filiũ & vnigenitum & dilectum expressit: posteriori autem, absque vlla cognatione, & amoris mentione puerum nominauit. Credo, non sine mysterio: vt patris animum ab inordinato pignoris amore liberum & expeditum significaret. Qui quidem sacrificium facturus, victimam immolandam non esse aliam, quàm filium suum, vnicè non modò genitum; sed etiam dilectum cogitabat: & nihilominùs ab eo immolando non abstitebat; quia, scilicet, immoderatam in filium charitatem, priosquàm filium, iugularat. Sacrificium autem omissurus, non filium, non vnigenitum, non dilectum despiciebat: sed tantùm puerum quasi ignotum & alienum, & nullâ secum necessitudine coniunctum: quia ad hanc misericordiam filio præstandam, non ex naturali parentis affectu, quem iam subegerat; sed ex solo
D Dei præcepto, quod filio præferebat, ducebatur.

C (marked beside "Sed, cur Abraham" line in the left column gutter)

Isaac non filius, sed puer dicitur, vt patris animus ab eius amore liber esset.

XVII. Exiturus olim Iacob de domo Laban, consuluit vxores suas, filias ipsius Laban, an secum pariter exire vellent, quò Deus vocabat, & parentis domui renuotiare? *Responderunt*, inquit Textus, *Rachel & Lia: Omnia, quæ præcepit tibi Deus, fac.* Gen. 31. n. 14. & 16. Cur priùs respondit Rachel, minor natu Liæ soror, & posterior vxor Iacobi; quæ proinde vtroque nomine posterior respon-
E suta videbatur? Credo, quia plus habebat sanctitatis: vbi autem maior est sanctitas; etiam maior esse solet ad relinquendam patriam, & parentes deserendos propter Deum festinatio. Postquàm Nadab & Abiu cælesti incendio conflagrarunt, dixit Moyses ad eorum patrem Aaronem, & ad eorum fratres, Eleazarum & Ithamar: *Capita vestra nolite nudare; & vestimenta vestra nolite scindere, ne fortè moriamini.* Leuit. 10. n. 6. Cur patris & fratrum ingenia tantam ad duritiem informantur, vt etiam in morte eorum, qui illis erant natura & amore coniunctissimi, à luctu & lacrymis refrænentur? Rationem statim teddit ipse Moyses: *Oleum quippe sanctæ vnctionis est super vos.* Ibid. n. 7. Nam, qui diuinis ministeriis consecrantur, nullo doloris sensu propter cognatorum iactutas opprimuntor.

Vbi maior sanctitas, maior parentes deserendi festinatio.

Deo sacri nullo doloris sensu propter cognatos tanguntur.

XVIII. Quam rationem inculcat Philo Hebræus libr. Phil.

2. De

2. De Monach. vbi expedens: Cur summus Sacerdos nemini etiam propinquorum parentare permittatur; iuxta illud: *Ad omnem mortuum non ingredietur omnino: super patre quoque suo, & matre non contaminabitur?* Leu. 21. num. 11. subdit: *Cum enim sit Deo dicatus, ductórque sacrati Ordinis, oportet, eum abdicari omnibus cognationis affectibus; vt charitatem erga parentes, liberos, fratres posthabeat.* Et paulò pòst: *Postulat enim in eo viro lex praestantiorem homine indolem; quippe qui Deo sit familiaris prae caeteris, situs in quodam diuina humanaéque naturae, si verum fateri licet, confinio; vt hoc mediatore Deus propitietur hominibus.* Quò enim quis ad Deum propior accedit; eò longior debet à cognatis & propinquis remoueri. Consentit D. Hieronymus in epist. 25. ad Paulam, De obitu Blesillae: *Sacerdos, inquit, magnus etiam ad patrem mortuum prohibetur accedere; ne anima Dei sacrificiis vacans, & tota in illius mysteriis occupata, aliquo impediatur affectu.* Et propterea fortasse Christus Dominus praecipiebat, vt eius discipuli essent *simplices, sicut columbae.* Matth. 10. num. 6. Nam, vt notat D. Hier. in cap. 7. Oseae, n. 11. *Aues caetera pullos suos, etiam cum periculo vitae sua protegere festinant; & cùm ad nidum suum, accipitrem, colubrum, ceruum, siue cornicem accedere viderint, huc illúcque volitant, & immittunt se morsu, & vnguibus lacerant, & dolorem parentis querula voce testantur: sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit.* Quamuis enim Diuus Hieronymus hoc columbae ingenium in malam partem interpretetur, vt illos significet peccatores, qui damna spiritualia non sentiunt: possumus tamen nos & in bonam vsurpare, vt sanctam Apostolorum simplicitatem exprimamus. Quasi illi digni sint, qui in Apostolatum, ac diuinum obsequium cooptentur, qui inordinato cognatorum amore non teneantur.

Quò quis propius ad Deū accedit, eò longius debet esse à cognatis.

D. Hieron. *Iussi per columbas nullo filiorū amore significantur.*

Illi etiam, qui damna spiritualia non sentiunt.

XIX. *Omnis cognatus Christi seruitio postponendus.* Rabbanus.

Eadem ferè lex ad Nazaraeos pertinebat. *Nazaraeus,* inquit Moyses, *omni tempore consecrationis sua super mortuum non ingredietur: ne super patris quidem, & matris, & fratris, sororísque funere contaminabitur: quia consecratio Dei sui super caput eius est.* Nom. 6. num. 6. Vbi Rabbanus: *Nullus,* inquit, *carnalis eam retrahat affectus; omnis persona, omnis dignitas, omnis consanguinitas Christi seruitio postponenda est.* Non dissimilis obligatio ad Leuitas pertinebat: de quibus consecrandis Deus ad Moysem: *Radant, inquit, omnes pilos carnis sua.* Num. 8. num. 7. In quem locum D. Greg. lib. 5. Moral. cap. 24. *Leuita, inquit, assumptus vocatur. Oportet ergo Leuitas omnes pilos carnis radere: quia is, qui in obsequiis diuinis assumitur, debet ante Dei oculos à cunctis carnis cogitationibus mundus apparere.*

D. Greg. *Deo sacris mūdi cognationū radere iubentur.*

XX. *Sui parcere nesciunt, qui nihil suum norunt.* D. Ambr.

Non aliis, quàm Leuitis, committit Moyses idololatras etiā cognatos occidendos: *Occidat,* inquit, *vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Exod. 32. num. 27. Optima quidem ratione, vt interpretatur D. Ambrosius epist. 56. *Quòd,* inquit, *occidi fecit, à proximis proximos, filios à parentibus, à fratribus fratres; praeceptum euidens, quia praeferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati. Ea est enim vera pietas, qua praeponit diuina humanis, perpetua temporalibus.* Et paulò pòst docet eos armari iussos: *Vt contemplatione,* inquit, *atque amore reuerentia diuina perimerent omnis affectus necessitudinis.* Et post pauca: *Sanctiora, inquit, caeteris ad hoc munus eliguntur ministeria Leuitarum, quorum portio Deus. Nesciunt enim sui parcere, qui nihil suum norunt.* Ita D. Ambrosius eleganter.

XXI. *Tota legis obseruantia parentes odisse.*

In hoc carnalium cognatorum contemptu significauit Moyses totam diuinae legis obseruantiam contineri: *Qui,* inquit, *dixerit patri suo, &*

A *matri sua; nescio vos: & fratribus suis, ignoro vos: & nescierunt filios suos: hi custodierūt eloquium tuum, & pactū tuum seruauerunt.* Deut. 33. n. 9. Vbi eloquij, & pacti nomine totā legem significat, quasi totam obseruaret, qui inordinatum cognatorum affectum sepeliret. Ignoretur igitur temporales parentes, vt Aeternus agnoscatur. *Ille enim,* inquit D. Greg. lib. 7. Mor. cap. 14. *scire Dominum familiarius appetit, qui prae amore pietatis nescire desiderat, quos carnaliter sciuit.* Qui autem vult parentes suos agnoscere, & Deum non ignorare; & vtrunque fieri posse confidit, fallitur: *Graui etenim damno,* addit D. Gregor. *scientia diuina minuitur, si eum carnis notitia partitur.* Quid dico: Fallitur? Immò: Perditur. Vnde D. Hieronymus in epistol. 128. ad
B Fabiolam: *Dum, inquit, propinquitatem respicimus corporum; & corporis, & animae offendimus Creatorem.* Et paulò pòst: *Quanti Monachorum, dum patris, matrísque miserentur, suas animas perdiderunt?* Et statim nos ad veri patris scientiam hortatus: *Illum, inquit, attendamus patrem, qui nunquam moritur; aut qui pro nobis moritur: & qui ideò viuens mortuus est, vt nos mortuos viuificaret.* Sic sapienti Tribui Leuiticae bene precatur Moyses, dicens: *Benedic, Domine fortitudini eius.* Ibidem, num. 10. Vbi in primis à fortitudine laudat: fortiores enim sunt, qui propinquos deserunt, quàm qui hostes aggrediuntur: hi enim timorem vincunt; illi amorem, qui difficiliùs superatur. Deinde, eùm ipse aliis Tribubus benedicat; huic vni diuinam
C precatur benedictionem: *Benedic, Domine:* quia tanta fortitudo, non à Moyse, vt aliarum Patriarcharum virtutes; sed à solo Deo benedictionibus cumulanda videbatur.

D. Greg. *Qui Deum scit, parentes nescit.*

D. Hier. *Fallitur & perditur, qui Dei & cognatorū scientiam iungit.*

Fortiores, qui propinquos deserunt.

XXII.

Aeternam meruit laudem (vtinam in ea constanter permansisset) Asa Rex Iuda, dum ipsius Dei amorem parentum amori antepostuit. Nam Maachan matrem suam, vt est in Litera, *Ex augusto deposuit imperio, eò quòd fecisset in luco simulacrum Priapi.* 2. Paralipomen. 15. num. 16. Vbi Theodoretus Regem non vulgariter commendans: *Adeò, inquit, ardenter diuinas leges est amplexus, vt etiam matrem suam, qua maluit colere Astarten, regno priuauerit.* Quid, obsecro, est difficilius? De domo matris exire, an matrem de domo
D sua repellere? Hoc posterius, nemo sanus dubitabit. Si igitur Asa Rex matrem suā propter Deum repulit de domo propria; cur nos de materna propter Deum non exeamus? Rectè quidem D. Bernardus epist. 104. Gualterum adhortatur, vt Deum matri suae anteponat: *Mater tua, inquit, vult contraria tua, ac per hoc, & sua ipsius saluti. Elige ergo tu è duobus, quod vis; aut voluntati videlicet satisfacere voluntati, aut vtriusque saluti. Verùm, si multùm eam diligis, desere potiùs ipsam propter ipsam; ne, si Christum deseras, vt maneas cum ipsa, propter te pereat & ipsa. Alioqui malè meruit de te, qua te peperit, si propter te perit. Quomodo enim non perit, qua ipsum, quem peperit, perimit?* Haec Bernardus dilucidè ac disertè.

Theod. *Asa matrē à domo expulit ob Deum.*

D. Bern. *Matres se & filios perdunt.*

XXIII.

E Hae in re non solùm veteres Patriarchae, sed etiam Christus Dominus singulare nobis praebuit exemplum, quaesitus inter cognatos & notos, & non inuentus. Lucae 2. num. 44. Quod D. Bernardus epistol. 107. ad Thomam rectè expendit: *Abraham, inquit, praecipitur, exire de terra & cognatione sua: vt videre & possidere mereatur terram viuentium. Iacob, relicto fratre & patria, Iordanem transit in baculo, & excipitur Rachelis amplexibus. Ioseph dominatur Aegypto, mercatione furtiua patri sublatus & patria. Ecclesia iubetur, vt concupiscat Rex decorem eius, & obliuisci populum suum, & do-*

D. Ber. *Christus Dominus inter cognatos quaesitus, non inuentus.*

mum patris sui. Puer Iesus inter cognatos & notos quaritur, nec tamen inuenitur. Fuge fratres tuos, & tu, si tuam vis inuenire salutem. Vbi tota hæc causa veterum Patriarcharũ exemplis suadetur quidem, sed vno Christi Domini exemplo peroratur. At quid, dicet aliquis? Itáne Christus Dominus carni & sanguini renuntiauit, vt etiam Virgini Matri duriuscule responderit, dicens: *Quid mihi, & tibi est, mulier?* Ioan. 2. n. 4. Responsionem quidem emollit D. Bern. serm. 2. De mutatione aquæ in vinum, Christum Dominum alloquutus: *Manifestè*, inquit, *iam video, quod non velut indignans, aut confundere volens Virginis Matris teneram verecundiam, dixeris: Quid mihi, & tibi: cum venientibus ad te iuxta matris præceptum ministris, nihil cunctatus facias, quod illa suggessit. Vt quid ergo, Fratres? Vtique propter nos, vt conuersos ad Dominum iam non sollicitet carnalium cura parentum, & necessitudines illa non impediant exercitium spirituale.*

Christus Dominus propter nos matrem, non matrem, sed mulierem appellauit.

XXIV. Durior adhuc videtur illa Christi Domini responsio. Nam, cùm prædicanti diceretur: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quarentes te.* Respondit: *Qua est mater mea, & qui sunt fratres mei?* Matthæi 12. num. 48. Vbi non solùm videtur propinquos repudiasse, sed etiam negasse. Mitiùs tamen interpretatur Tertullianus lib. 4. contra Marcion. cap. 19. *Nam, si matrem*, inquit, *& fratres eos fecit, qui non erant; quomodo negauit eos, qui erant?* Quorsum igitur tam seuera responsio? Scilicet, addit Tertullianus, *In semetipso docuit: Qui patrem, aut matrem, aut fratres præponeret verbo Dei, non esse dignum discipulum.* Et paulò pòst: *Denique nihil magnum, si fidem sanguini præposuit, quem non habebat.* Vbi non est sensus, vero sanguine caruisse, vt Marcion impudenter nugabatur: sed illo sanguinis affectu, quo propinqui immoderatè diliguntur; vt verus Melchisedech sine carne, & sanguine diceretur. Rursus eundem locum idem Tert. expendens lib. De carne Christi, c. 6. *Solet*, inquit, *id adimplere Christus, quod alios docet. Quale ergo erat, si docens, non tanti facere matrem, aut fratres, quanti Dei verbum; ipse Dei verbum, nuntiata matre & fraternitate, desereret? Negauit ergo parentes, quomodo docuit negandos pro Dei verbo.* Scilicet, Dei verbum pro parentibus minimè deserendum.

Christus Dominus cognatos non negauit solùm, sed repudiauit.
Tertul.
Qui cognatos Christo præponit, non est verus discipulus.
Tert.
Christus Dominus docet exemplo, quod prædicat verbo.

XXV. Nec minùs eleganter de hac re philosophatur Diuus Ambrosius lib. 6. in Luc. c. 8. *Moralis*, inquit, *magister, qui de se cæteris præbet exemplum. Ipse suorum executor est præceptorum. Præscripturus enim cæteris: quoniam, qui non reliquerit patrem, aut matrem suam, non est filio Dei dignus, sententiæ huic primus ipse se subiecit: non quò materna refutet pietatis obsequia; sed quia paternis se mysteriis, ampliùs, quàm maternis affectibus debere cognoscat. Neque tamen iniuriosè refutantur parentes: sed religiosiores copula mentium docentur esse quàm corporum.* Et paulò pòst: *Ergo hic non mater negatur, quæ etiam de Cruce agnoscitur: sed necessitudini corporali, præscriptorum cælestium forma præfertur.* Ab hoc Christi Domini exemplo accusatur & condemnatur inurbanum illud, & planè rusticum verbum illius, qui ad cælestes nuptias inuitatus, respondit: *Vxorem duxi, & ideo non possum venire.* Luc. 14. n. 20. In quem locum D. Ambrosius: *Si propter te*, inquit, *Dominus sua renuntiat matri, dicens: quæ est mater mea? cur tu Domino tuos cupias anteferre?*

D. Ambr.
Christus Dominus & præceptor, & præceptorum executor.
Rusticum est suos Christo anteferre.
D. Ambr.

XXVI. Hoc Christi Domini exemplum sequutus non fuit Ioannes ille, qoi cognominabatur Marcus. Is eoim cùm Apostolum Paulum Euangelium prædicantem sequeretur, siue laborum difficultate deterritus, siue matris, quam Ierosolymæ re-

A linquebat, amore reuocatus; pergere vlteriùs recusauit: *Et discedens ab eis*, inquit Lucas, *reuersus est Ierosolymam.* Act. 13. num. 13. Quem discessum tam ægre tulit D. Paulus, vt eum posteà resipiscentem ad prædicandum Euangelium parum habilem, ne dicam indignum, iudicarit. Nam Barnabæ eum sibi in socium eligenti, resistebat Paulus: *Barnabas*, inquit Textus, *volebat secum assumere & Ioannem, qui cognominabatur Marcus: Paulus autem rogabat eum (vt qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus) non debere recipi.* Act. 15. num. 37. & 38. Adeò credebat indignum ad ministerium prædicandi repetendum, quem paulò antè ab eo munere maternus affectus reuocasset.

Quem maternus reuocat affectus, indignus Euangelio prædicando.

B XXVII. Magis tamen ad illud exemplum Christi Domini imitandum, tenentur Religiosi, qui seculo renunciarunt. Nam, vt Christus Dominus illos propinquos dicitur ignorasse, qui foris stabant; Iudæos intelligens extra Ecclesiam futuros: vt Tert. lib. De carne Christi, citato, interpretatur: ita & Religiosi nescire debent eos propinquos, qui foris stant: hoc est, in seculo commorantur. Vnde D. Bern. serm citato, De mutatione aquæ in vinum: *Quandiu*, inquit, *de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus: at postquàm reliquimus nosmetipsos, multò magis ab eorum sollicitudine liberi sumus.* Et statim addit, Religiosos non magis, quàm mortuos propinquorum suorum affectibus commouendos. Quod optimo confirmat C exemplo: *Legimus*, inquit, *fratrem quẽdam in eremo conuersantem, cùm ad eum carnalis frater auxilij causa aduenisset, respondisse, vt adiret alterum fratrem eorum; cùm ille vtique iam obiisset. Cúmque admiratus, qui venerat, responderet, quia ille obiit: Eremita se quoque similiter obiisse respondit.* Non magis enim Religiosus viuus, quàm laïcus mortuus propinquorum affecto tangebatur.

Tert.
Iudæi, vtpote extra Ecclesiam, à Christo Domino ignorantur.
D. Bern.
Religiosi, vt mortui, propinquorum affectibus nõ debent commoueri.

XXVIII. Simili ratione D. Basil. aliquos sui temporis Monachos tranquillauit: cùm enim eorum quidam de Religione deserenda, vt suis parentibus succurrerent, cogitarent, séque ad id obligatos esse, ea noui ac veteris Testamenti oraculis arbitrarentur; iuxta illud: *Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super terram.* Exod. 20. D num. 12. Et illud: *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* 1. Timoth. 5. n. 8. Cùm, inquam, his se testimoniis communirent ad suam opinionem adstruendam, seu potiùs ad suam affectionem colorandam; occorrit Diuus Basilius in Constitutionibus monasticis, cap. 21. ad finem, citata loca, ad eorum infamiam reprimendam, aptè interpretatus: *Viuis*, inquit, *dicta sunt illa, non mortuis: nam hi quidem ab omni prorsus huiusmodi debito liberi sunt. Tu autem mortuus es, & omni mundo crucifixus.* Quasi diceret: Illa testimonia, quibus tuam causam, ô Monache, tueris; viuos obligant, non mortuos: vnde tibi, qui iam è viuis excessisti, & inter mortuos computaris, minimè patrocinantur. E Quare nihil magis de tuis parentibus, quàm si mortuus iam esses, solliciteris.

D. Basil.
Religiosi, vt mortui, nullis tenentur legibus, vt parẽtibus succurrant.

XXIX. Absit igitur, vt Religiosus, qui è Mundo sublatus, cælestem tãtùm patrem recognoscit, ad terrestrem inordinato aliquo affectu reuocetur. Omnibus Christianis legẽ imposuit Christus Dominus inuocandi communem omnium parentem, *qui in cælis est.* Matthæi 6. num. 9. Quo ex loco rectè colligit Diuus Cyprianus ser. De Oratione Dominica, omnibus pariter impositam legem repudiandi patrem, qui in terris est; præsertim, cùm hic illi aduersatur: *Qui*, inquit, *factus est Christianus,*

Nobis à Christo Domino lex imposita repudiandi patrẽ, qui in terris est.
D. Cypr.

nus, hinc debet incipere, vt profiteatur, se Dei filium, dum nominas patrem sibi in cælis Deum: contestetur quoque inter prima statim natiuitatis suæ verba, renunciasse se terreno & carnali patri, & patrem solum nosse se, & habere cœpisse, qui sit in cœlis. Si igitur Christianus, qui minori cum Deo necessitudine coniungitur, terrenum patrem abdicare debet, præ diuino: quàm infidelis erit filius, Religiosus, qui diuinum deserat præ terreno? Immò quàm belluinus; vaccis sine dubio Philisthinorum postponendus: cùm hæ carnales affectiones præ diuinis obsequiis contemnant; ille, vice versa, debitum Deo amorem excludat, vt terrenis affectibus obsequatur.

Belluinus ille est, qui patrẽ cælestẽ deserit præ terreno.

SECTIO III.

Per vaccas vno itinere gradientes, concordes Sanctorum animi exprimuntur.

I. SEcundò, dicuntur vaccæ pergere itinere vno, hoc est, concorditer; quin vna in vnam partem, altera in alteram renitantur: vt in Litera dictum est. Ita planè & sancti viri Euangelium toto orbe deferentes, magna inter se concordia & charitate copulantur: seu, vt loquitur Beda in Litera citatus: *Vno, eodémque fidei & charitatis calle gradiuntur.* Quem sequutus Hugo Card. *In vno,* inquit, *itinere, vnitatis concordia insinuatur, quam debent habere Doctores in docendo, & Prædicatores in prædicando.* Hanc in euangelizando concordiam Christus Dominus suis discipulis in totum orbem abituris commendauit: *Ecce, ego,* inquit, *mitto vos, sicut agnos inter lupos.* Luc. 10. num. 3. At quibus præsidiis imbelles agnos aduersùs feroces lupos obarmauit? Credo sola charitate & concordia, dum illos *misit binos ante faciem suam.* Ibidem, n. 1. In binario enim, interprete D. Gregorio hom. 17. in Euangelia, charitas intelligitur, qua Apostoli muniti, luporum rabiem, hoc est, tyrannorum sæuitiem non timebant.

Beda.
Hugo Car.
Doctores fidei vno cõcordiæ itinere gradiuntur.
Quàm firmũ præsidiũ concordia.
D. Greg.

II. Nam, vt bene Parœmiastes: *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* Prou. 18. n. 19. Ac si vna charitas, qua duo tantùm fratres coniunguntur, vicem habeat, & armorum, & murorum; & plurium oppidanorum, quibus ciuitas inexpugnabilis reddatur. Vnde celebris fuit ille Scytha, apud Plutarchum in Apophthegmatis; qui cùm quinquaginta filios haberet, singulis porrexit fasciculum iaculorum, vt frangerent: & cùm illi se posse negarent, porrexit singulis singula iacula: quæ cùm facile perfregissent: Sic & vos, inquit, si ab inuicem dissideatis, faciles eritis expugnatu: si verò in eadem semper concordia persistatis, inuicti semper & infracti ex omnibus aduersariorum incursibus euadetis. Neque solùm charitas eos, quos armat, reddit inexpugnabiles; sed etiam aptissimos ad expugnandum. Vnde Moyses ad filios Israël, referens eorum celebres victorias ac triumphos: *Quomodo,* inquit, *persequatur vnus mille: & duo fugent decem millia?* Deut. 32. n. 30. Vbi nota, si vnus mille tantùm persequebatur; seruata bene proportione, fore vt duo fugarent duo millia: & nihilominùs duo fugabant decem millia: quia vbi charitas incipiebat, quæ illo binario significatur; ibi virtus ad expugnandos hostes decuplo maior augebatur.

Concordia instar armorum esse.
Concordiæ exemplũ singulare.
Vbi charitas, ibi virtus decuplo maior.

III. Hæc igitur inter Ecclesiæ Principes, & Euangelij ministros concordia maximè curanda est. Iosephus suis fratribus in Iudæam redeuntibus hoc vnum præceptum inculcauit: *Ne irascamini in via.* Gen. 45. n. 24. Non morantes, sed pergentes ab iracundia reuocat: quia periculosior est hæc iracundia in iis, qui ad prædicandum Euangelium procedunt; quam in iis, qui ad contemplandum conquiescunt: cùm in his priuata tranquillitas soluatur, in illis etiam publica vtilitas interturbetur. Quomodo enim Prædicatores inter se dissidentes cogent Ethnicos ad Fidei vnitatem? Cùm verum sit illud D. Ambros. lib. 2. De Officiis, c. 13. *Fidem non timor cogit, sed affectus exhibet.* Deinde prohibet Iosephus non solùm pugnas; sed etiam iras, ex quibus illæ oriuntur. Vt non solùm ipsas discordias, sed etiam prima discordiarum semina radicitùs euellat. Quod Diuus Ambrosius lib. De Ioseph, cap. 13. obseruat: *Quàm bene,* inquit, *doces, ab iracundia præcauendum? quod ea posset etiam amantes sui separare germanos: & maximè in via fugiendam esse discordiam; vbi ipse viandi comitatus debet esse inuiolabilis, & gratia habere consortium.*

Ira in Prædicatoribus periculosior.
D. Ambr.
Vis charitatis ad fidem conciliandam.
D. Ambr.
Ira etiã germanos separat.

IV. Igitur in via tollantur rixæ, itinere vno Prædicatores gradiantur. Si pedes sunt euangelizantium pacem: absit, vt sint manus inferentium, vel machinantium bella. Immò Christus Dominus Apostolis ad prædicandum ituris, non solùm iras, quæ sunt proxima discordiarũ semina; sed etiam pecunias & virgas, quæ discordiarum incentiua & instrumenta esse possunt, interdixit: *Nolite,* inquit, *possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neque virgam.* Matth. 10. n. 9. Quæ verba D. Ambros. citatus expendens: *Dominus,* inquit, *Iesus dimittens ad euangelizandum discipulos, misit eos sine auro, sine argento, sine pecunia, sine virga, vt & incentiua litis, & instrumenta eriperet vltionis.* Quid enim minùs conuenire Prædicatoribus videatur, quàm non modò dissidium; sed etiam, quæ dissidium suscitant, instrumenta? Quò pertinet & illud Christi Domini ad discipulos: *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* Marc. 9. n. 50. Hoc est, sal doctrinæ ad condiendum orbem; sed pacem inter vos ad conseruandam charitatem. Nam, vt Beda ibi: *Habere,* inquit, *sal sine pace, non virtutis est donum; sed damnationis argumentum.*

Prædicatores euangelizãt pacem, non inferãt bella.
D. Ambr.
Christus Dominus Apostolis, & litis causas eripit, & vltionis instrumenta.
Doctrina sine pace, damnationis argumentum.
Beda.

V. Neque solùm ministros suos voluit Deus Inermes esse, sed omnia armorum genera à domo sua exulare. In templo Salomonis ædificando omnia instrumenta ferrea defuerunt; iuxta illud: *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cùm ædificaretur.* 3. Reg. 6. num. 7. Rationem esse volunt aliqui Rabbini apud Masium, Ios. 8. num. 31. quia ferrum, quod est ad perniciem comparatum, diuino seruire cultui non debebat. Quod etiam Ethnici satis congruum esse iudicarunt: quorum illa fuit lex, teste Marco Tullio 2. De legibus: *Æs & ferrum arcete à delubris, duelli instrumenta, non fani.* Eódem pertinebat illud præceptum: *Si altare,* inquit Deus, *lapideum feceris, mihi non ædificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum super eo, polluetur.* Exod. 20. num. 25. Cuius præcepti rationem, nescio quam, Rabini apud Masium citatum somniarunt. Nefas scilicet fuisse, eorum lapidum, qui ad rem tam sacram essent adhibendi, particulas aliquas scalpello abrasas, in terram decidere. Germana igitur ratio fuit, vt concordia & charitas inter Dei ministros commendaretur: vt sicut ab altari; ita & ab illis ferrum violandæ charitatis Instrumentum exularet. Sic Theodoretus apud Lipomanum: *Deus,* inquit, *lapides cædi prohibebat, vt cædem, & sanguinis humani effusionem hoc exemplo vitandam, fugiendámque doceret.*

Ferrum vt sauciũ instrumentum à diuino cultu arcetur.
Tull.
Rabbinorum somnia exploduntur.
Theod.
Deus nõ vult violãda charitatis instrumenta.

Itaque

VI. Itaque in domo Dei omnia pacata esse debent, omnia redolere concordiam, omnia charitatem spirare. Hinc est, quòd olim Deus Synagogam super duos fratres, Moysem & Aaronē; & Christus Dominus Ecclesiam super alios duos, Petrum & Andream, fundarit. Quod obseruans Auctor Operis imperfecti in Matthæum, hom. 7. *Super fraternitatem*, inquit, *charitatis Ecclesia rectè posuit fundamenta; vt ex radicibus charitatis exuberans quasi humor ascendat in ramos: & hoc super naturalem charitatem, vt non solùm per gratiam, sed etiam per naturam ipsa charitas firmior habeatur. Sic enim fecit Deus, & in veteri Testamento, super Moysem & Aaronem fratres, ponens ædificationis initium.* Quasi firmum esse non possit ædificium, quod alio, quàm charitatis fundamento niteretur: quod autem stat in charitate, sicut *charitas nunquam excidit*. 1. Corinth. 13. num. 8. ita & illud nunquam ruiturum timeretur.

Deus Ecclesiam in charitate fundauit.

Nullum charitate firmius fundamentū.

A B

VII. Creaturus olim Deus nouos in suo populo Magistratus; congregari iussit septuaginta seniores, Moysémque alloquutus: *Auferam*, inquit, *de spiritu tuo, tradámque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non solus graueris.* Num. 11. num. 17. Sed, cur de spiritu Moysis partitus est, qui immensis cælestium gratiarum thesauris abundabat? Optimè ad rem præsentem D. Petrus Damianus in libello Gratissimo, cap. 14. *De spiritu*, inquit, *Moysi vires dedisse Dominus dicitur, vt & ordinatores, & ordinatos vnum debere spiritum habere, perspicuum doceatur: quatenus Rectores Ecclesiæ nequaquam inter se diuersa sentiant; vnde schismata, aut hæreses pestilenter emergant: sed vnum omnes concorditer doceant, atque in vnitate spiritus vnanimiter viuant.* Præstat enim singulis Prælatis mediocrem spiritum inesse, sed eundem; quàm plurimum, sed diuersum. Nam concordia etiam exigui spiritus promouentur; discordia etiam ingentes dissipantur.

Præstat Prælato minor spiritus cum charitate, quàm maior sine illa.
D. Petrus Dam.

C

VIII. Eadem ratione, cùm Deus vellet nouos creare Sacerdotes, loquutus ad Moysem: *Applica*, inquit, *ad te Aaron fratrem tuum, cum filiis suis de medio filiorum Israël, vt sacerdotio fungantur mihi.* Exodi 28. num. 1. Cur, quæso, frater, & fratris filij in sacerdotium, & regiminis societatem eligendi, Moysi proponuntur? Respondet quidem Beda lib. 3. De tabernaculo, c. 2. nostro instituto congruenter. *Quòd*, inquit, *fratrem suum Moyses cum filiis in sacerdotium ordinare præcipitur; quid nobis aliud mysticè commendat, nisi quòd omnes, qui officium Doctoris sortiuntur, tanto debent studio & amore meditationi diuinæ legis adhærere, vt quasi germana videantur cognatione coniuncti.* Mirum enim, quam feliciter diuina ministeria procedant, si ministri ad ea subeunda, fraterna inter se charitate socientur.

Quàm feliciter diuina ministeria procedunt cū charitate.
Beda.

D

IX. Laudatur Salomon, vtpote sapientissimus Rex, quòd cùm ad domum suam administrandam, duos Scribas, hoc est, duos viros doctos elegerit; non alios, quam duos fratres elegerit: *Hi Principes, quos habebat: Elihoreph, & Ahia, filij Sisa Scribæ.* 3. Reg. 4. n. 2. Doctos eligebat, & fratres. Doctos quidem: quia hi solùm digni sunt, quibus magna prouincia gubernanda committatur; si ab imperitis tractetur, sinè dubio dissipanda. Fratres autem: vt nulla eos discordia separaret, quos naturalis concordia vinciebat. Aliàs scindatur Regnum, necesse est, cùm Gubernatores in contraria studia scinduntur. Si igitur ad temporale regimen tanta gubernantium charitas exigitur: quid mirum, si ad diuinam legem docendam & prædicandam requirantur, qui maximo inter

Docti & concordes gubernatione digni.

E

A se charitatis vinculo constringuntur?

X. Nefas erat apud Hebræos connubia inter diuersas Tribus copulare. Vnde præcipitur Sacerdoti, vt ducat vxorem *de populo suo*, hoc est, de Tribu sua, vt patet ex sequentibus: *Ne commisceat*, inquit, *stirpem generis sui vulgo gentis suæ.* Leuit. 21. n. 14. Vbi vides, etiam cum gente sua, si nimirum alterius Tribus sit, non licere Sacerdoti contrahere. Idémque postea omnibus hominibus præcipitur: *Omnes viri*, inquit Moyses, *ducant vxores de Tribu & cognatione sua.* Et paulò pòst: *Ne sibi misceantur Tribus.* Num. 36. n. 7. & 9. Nihiluminus cum Tribu sacerdotali & regia constat fuisse dispensatum; vt D. Epiphan. hæresi 78. & Theod. quæst. 16. in Exod. & q. 52. in Num. D.

Nefas olim connubia diuersas inter Tribus copulare.

D. Epiph.
Theod.
D. Ambr.

B Amb. lib. 3. in Luc. & alij testantur, patétque exemplis. Nam quidam vir Leuites accepit vxorem de Iuda. Iud. 19. num. 1. Sacerdos Ioiadas duxit vxorem Iosabeth filiam Regis Ioram de Tribu Iuda. 2. Paral. 22. num. 11. Elisabeth de filiabus Aaron erat cognata Beatæ Virginis de Tribu Iuda. Luc. 1. num. 36. Quod esse non poterat, nisi hæ duæ Tribus matrimoniis iungerentur. Rationem verò huius dispensationis, præsenti instituto accommodatàm reddit Lyranus in locum Leuitici citatum: *Fuit*, inquit, *concessum, vt Sacerdos posset accipere vxorem de Tribu regia, vt & Rex, qui præesset in temporalibus, & summus Sacerdos, qui præesset in spiritualibus, essent magis concordes, quod ad bonum regimen populi faciebat.*

Confirmatur exemplis.

Lyra.
Inter Ecclesiasticos & seculares concordia.

C XI. Hæc vt in Mundo concordia seruaretur, *Ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem.* Genes. 2. num. 22. At, cur non ex alia materia Euam coagmentauit? Credo duplicem ob causam. Vnam, vt inter illos duos Orbis Principes firmior esset charitas, quàm ipsa natura conciliasset. Alteram, vt ex parentibus adeò concordibus nunquàm discordes inter se filij nascerentur. Vtrámque mihi videtur significasse Theod. quæst. 43. in Gen. *Voluit*, inquit, *Deus ex vno viro & vna muliere subsistere vniuersas hominum Gentes, vt in concordiam coirent, tanquàm ex vna radice florentes. Nam, si, cùm Deus hæc omnia administret; multæ tamen cædes admittuntur: quid non perpetrassent, si è diuersis patribus ortos se esse existimassent?*

Eua ex Adæ costa facta ob duplicem cōcordiæ causā.

Theod.

D *Huius rei gratia vnum quidem virum è terra formauit; & ex eo vnam creauit mulierem; & ex eorum genere repleuit vniuersam terram.* Quasi Deus ad faciendos Mundi Principes concordes, faceret cognatos; & tantam inter eos concordiam curaret, ne qua inter eorum posteros discordia subsiliret. Itaque totum hominum genus propagari voluit Deus, non solùm ex iisdem parentibus, sed etiam ex parentibus, inter se cognatis; vt homines ex illis nati, non solùm tanquàm fratres fraterna se charitate diligerent, sed etiam plusquàm fratres maiorem, quam in fraternam societatem iungerentur.

Totum Orbē Deus ex concordia voluit propagari.

XII. Sed quid? Solùm inter cognatos Principes concordia seruanda est? Absit: Cur ergo illi tantùm

E in charitatis exemplum proponuntur? Respondeo, vt quod in illis præstat natura, in his præstet & gratia. Alioqui homines etiam genere & conditione dissimiles, cùm ad diuinam legem tractandam, vel præcipiendam accedunt, debent esse amore & charitate concordes. Ad fabricandum tabernaculum duos viros elegit Deus, Beseleel & Ooliab; illum quidem ex Tribu Iuda, quæ erat regia; hunc verò ex Tribu Dan, orta scilicet de ancilla: *Ambos vero erudiuit, vt faciant opera*, &c. Exod. 35. num. 35. At, cur tam dissimiles nobilitate homines ad eandem dignitatem eliguntur?

Principes natura, cæteri gratia cōcordes.

Deus non eligit ad suum tabernaculū, nisi cōcordes.

Lyran.
Deus non attendit dignitatem, sed sanctitatem.

eliguntur? Lyra: *Quia*, inquit, *non est personarum acceptor Deus.* Neque enim, cum sua confert beneficia, dignitatem personarum attendit, sed sanctitatem. Addo, vtram dissimilium hominum in tabernaculo fabricando concordia, omnes posteros ad concordiam in Ecclesia seruandam hortaretur.

XIII.
Prædicatores amore germani esse debent.

Eandem ob causam voluit Deus, vt duo Reges, & natione & religione diuersi, Salomon & Hiram, magnam in amicitiam conspirarent ad templum Ierosolymis ædificandum: *Erat pax*, inquit Textus, *inter Hiram & Salomonem, & percusserunt ambo fœdus.* 3. Reg. 5. num. 12. Sub hoc enim typo significare voluit eos, qui prædicando Euangelio, ac dilatandæ Ecclesiæ incumbunt, esse debere, non tam sanguine, quàm amore germanos. B *Non enim*, inquit Diuus Paulus, *est distinctio Iudæi & Græci.* Rom. 10. num. 12. Quod planè verum est, cùm illi omnes in eandem fidei & charitatis necessitudinem coalescunt. Vnum igitur faciat charitas, quos natura facit esse diuersos. Quod mihi videtur Ecclesia Dauidicis verbis à Deo postulare, dicens: *Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum.* Psal. 85. num. 11. seu, vt legit & exponit Diuus Hieronymus: *Vnicum fac cor meum, ne sit multiplex, & diuisum in plures cultus Deorum.* Non debent enim Principes & Doctores Ecclesiæ, qui in medio illius sunt, instar cordis, in plures sectas, tanquàm in plures partes dissecari.

D. Hieron.
Prædicatorũ cor vnicum.

XIV.

Sub eiusdem typo Salomonis suam sponsam alloquentis, suam Deus Ecclesiam alloquitur in C hunc modum: *Vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum.* Cantic. 4. num. 9. Vbi oculorum nomine Doctores & rectores Ecclesiæ intelliguntur. Sed, cur Deus in vno tantùm oculorum, seu Doctorum suorum dicitur vulnerari, qui innumeros alios habebat? Credo, non quia vnus tantùm placuit; sed, quia placuit vnitas. Quasi diceret: In vnitate oculorum tuorum, vulnerasti cor meum. Sic enim D. Thomas interpretatur: *Benè*, inquit, *cùm superiùs pluraliter dixeris oculos: hic singulariter in vno oculo dixit, vt per hoc vnitas Sanctorũ exprimatur.* Quasi Deus nulla re magis, quã hac Prælatorum concordia delectetur. Sed quemadmodum Ecclesiæ Principes vnum habere debent D oculum, propter iudiciorum consensum: ita & vnam manum propter nexum concentúmque virtutum. Eduxit Deus de Ægypto filios Israël: *In manu Moysi & Aaron.* Num. 33. num. 1. Vbi Orig. hom. 27. *In manu*, inquit, *Moysi & Aaron eduxit eos Dominus, & non in manibus. Vnum enim opus vtriusque manus est, atque vna perfectionis expletio.* Ac si illi duo Hebræorum ductores tantam inter se concordiam haberent in operando; vt vna eadémque manu vsi viderentur.

Deo quã placeat vnitas in Doctoribus.

D. Thom.

Concordia in operãdo commendatur.
Orig.

XV.
Concordia in sceptro & regimine.

Vnde, sicut eadem vterque manu, ita eodem vterque sceptro vtebantur. Patet ex eo, quòd Moyses Aaronem alloquutus, dixerit: *Tolle virgam tuam.* Exod. 7. num. 9. Cur enim potiùs non dixit: Tolle virgam *meam*? Moysi enim data fuerat illa virga, non Aaroni: vt patet Exod. 4. num. E 17. Respondet D. August. quæst. 20. in Exod. *Erat vtrique illa virga communis, vt cuiuslibet eorum diceretur, verum diceretur.* Ac si eandem vterque potestatem haberet & exerceret, vt in eadem vterque charitate perseueraret. Atque hinc Baldad Suhites diuinam prouidentiam ac potentiam commendat & admiratur, dicens: *Qui facit concordiam in sublimibus suis.* Iob. 25. num. 2. Hoc est, dicunt aliqui: *In Angelis*, qui miram omnes in concordiam ad decertandum pro diuino honore coalescunt. Alij: *In corporibus cœlestibus*, quæ nulla

D. August.

Angeli, cœli concordes.

A dissensione turbata in concentum harmonicum conspirant. Alij: *In viris perfectis*, qui tanta pace perfruuntur, vt in eis caro spiritui concordasse videatur. Alij tandem: *In Prælatis Ecclesiæ*, qui perinde ac si vnam tantùm haberent manum, eadem semper in diuinam gloriam operantur.

Viri perfecti, & Prælati vnanimes.

XVI.
Principes in gradiendo concordes.

Iam verò vni oculo, & vni manui æquum erat, vt pes vnus responderet. Nam Ezechiel quatuor quidem vidit Cherubinos, in quibus Ecclesiæ Principes ac Doctores adũbrantur; & tamẽ *planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli.* Ezechielis 1. num. 7. Ac si omnes vno pede niterentur & graderentur: quia tanta est omnium concordia, vt quò vnus inclinat, eódem & cæteri incumbant: quò vnus tendat, eódem & cæteri ferantur. B Quid refero singulas corporis partes, cùm omnes habeant *cor vnum, & animam vnam?* Act. 4. num. 32. Vnde, cùm D. Paulus exclamet: *Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem?* Rom. 10. n. 15. Nihilominùs Isaias, vnde Apostolus id transtulit, exclamat: *Quàm pulchri pedes euangelizantis pacem?* Isai. 52. num. 7. Hic singulariter dicit: *Euangelizantis*: ille pluraliter loquitur: *Euangelizantium.* Quia Ecclesiæ Doctores sunt numero plures, amore vnus. Hinc Dauid: *Deus*, inquit, *stetit in Synagoga Deorum.* Psal. 81. num. 1. Hebraïcè: *Deus stetit in Synagoga Dei.* Quasi tota illa Iudicum, seu Principum Ecclesiæ multitudo ad vnitam concordiæ vnitatem reducatur.

Doctores Ecclesiæ multi numero, amore vnus.

XVII.
Principũ tessera est concordia.

Quare manifestus Principum Ecclesiæ character, est concordia: hoc est, nullo euidentiùs ex C signo, nulla clariùs ex tessera, quàm ex concordia cognoscuntur; Christo Domino testante: *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Ioann. 13. num. 35. Quod D. Chrysost. lib. 2. De Sacerdotio, ex iisdem verbis optimè deducit: *Nosti*, inquit, *charitatis vis quanta sit. Certè Christus reliquis prodigiis ac miraculis posthabitis, quæ ab Apostolis edenda essent: In hoc*, inquit, *cognoscent homines, quia discipuli mei estis, si charitatem inter vos mutuam habueritis.* Neque enim germanos Euangelij Præcones ita manifestat magnitudo potestatis, vt magnitudo charitatis. Vnde vaccæ, quas sub Rege Dauide Hebræi iunxerunt ad portandam Arcam, recalcitrarunt. D 2. Reg. 6. num. 6. Hæ verò, quas ad eandem Arcam portandam Philisthini, homines Gentiles subiugarunt, vno itinere gradiebantur. Quia, licèt Synagogæ Doctores inter se aliquando dissiderent: certè nouæ Ecclesiæ magistri, semper debent inter se vnanimes amicari.

D. Chrys.

Prædicatores non tam manifestat magnitudo potestatis, quàm charitatis.

Doctores Synagogæ discordes, Ecclesiæ concordes.

XVIII.
Maior Ecclesiæ charitas, quàm Synagogæ.

Quare non sine mysterio veterem Synagogam fundauit olim Deus super vnum par fratrum, nempe, Moysem & Aaronem, quos populi sui Principes constituit: vt paulò antè diximus. At verò nouam Ecclesiam super duo paria fratrum, nempe, Petrum & Andream, Iacobum & Ioannem. Matth. 4. num. 18. & 21. Cuius discriminis optimam ad præsens institutum rationem inculcat citatus Auctor Operis imperfecti, hom. 7. in E Matth. *Quoniam*, inquit, *abundantior est gratia noui Testamenti, quàm veteris; ideò primum populum ædificauit super vnam fraternitatem: hunc autem super duas.* Ille enim charitatis spiritus, qui super Synagogam fuit simplex; super Ecclesiam duplex, immò & multiplex abundauit.

XIX.
Dissidia inter sanctos non sunt voluntatum, sed iudiciorum.

Fateor, aliquas olim fuisse, siue concertationes, siue lites, siue, quod Tullius esse docet, mitius vocabulum, iurgia, inter veteres aliquos Heroës sanctitate præcellentes: nempe, inter D. Basil. & Euseb. teste D. Greg. Naz. Orat. 20. n. 51. inter D. Chrys. & D. Epiph. auctore Nicephoro lib. 13.

D. Aug.

lib.13. Hist. c.13. inter D.Hier. & Ruffinum, vt scribit D.August. epist. 15. ad eundem Hieronymum: & inter plures alios, quos refert Salm. in Acta, tract.45. sed addo, hæc dissidia, aut non fuisse voluntatum, sed iudiciorum, quæ veram amicitiam non lædunt: diuersum enim de aliqua re iudicium, vt cecinit, nescio quis apud Salmeronem, *Incolumi licuit semper amicitia.* Aut, si in voluntatem proreperserunt, non altè penetrasse ad iugulandam charitatem, sed plurimùm ad stimulandam. Quamuis & hæc leuia iurgia timenda, & cauenda esse doceat August. citatus. Fatetur enim, D.Hieronymum in epistolis ad Ruffinum, indignationis aculeos repressisse: *Veruntamen eas ipsas*, inquit, *cum legissem, contabui dolore, & obrigui timore.* Et statim hanc init cum Hieronymo pactionem: *Si fieri potest*, inquit, *vt inter nos quæramus & disseramus aliquid; quo sine amaritudine discordiæ corda nostra pascantur, fiat. Si autem non possum discere, nisi cum suspicione inuidiæ, aut læsione amicitiæ, quiescamus ab his, & nostra vita salutique parcamus. Minùs certè assequatur illa* scientia, *quæ inflat; dum non offendatur illa* charitas, *quæ ædificat.*

Leuia etiam iurgia timenda & cauenda.

XX. Quòd si etiam inter Apostolos, Paulum & Barnabam, aliquando *facta est dissensio, ita vt discederent ab inuicem*, &c. Act. 15. num. 39. parum refert. Hanc enim dissensionem non discordia quidem, sed sua cuique virtus imperauit: dum Paulus iustitia ductus peccantem aliquando Marcum repellebat, quem Barnabas misericordia tactus, tandem resipiscentem sibi reconciliabat. Atque adeò suæ quisque virtutis studio incensi in diuersas partes recessêre: non quidem sine diuino aliquo instinctu, vt pluribus Gentibus à se inuicem, & à Deo separatis, prædicando Euangelium prodessent. Vnde illa non fuit inimica dissensio; sed, vt est in Græco, παροξυσμός, hoc est, quædam veluti contentio & æmulatio pro salute animarum. Nam idem vocabulum reperitur in Epistola ad Hebræos, cap.10. num. 24. pro quo Latinus Interpres transtulit: *Prouocationem charitatis.* Quare rectè D.Chrysost. ad eum locum: *Vtinam*, inquit, *& nos tales secessiones faceremus, & sic ad prædicandum abiremus.* Et D. Hieronymus in Apologia ad Ruffinum: *Nonne*, inquit, *Apostoli, saluis inter se amicitiis, dissenserunt; cùm Paulus & Barnabas propter Ioannem cognomento Marcum stomachati sunt; & separauit eos nauigatio, quos Christi Euangelium copulabat?* Vnde Diuus Petrus Dam. lib. 2. epist. 11. in eos inuehitur, qui ad suarum discordiarum patrocinium hoc Apostolorum iurgio vtuntur: *Quod vtique*, inquit, *constat, non discordiæ vitio, sed diuinæ dispensationis factum esse iudicio, vt nimirum sancti Apostoli, tanquàm grana tritici, eò spargenda fidei vberiorem messem redderent, quò procul eos ab inuicem dissensionis aura perflaret.*

Iustorum dissidium est potiùs contentio & æmulatio animarum.

D. Chrys.

D. Hieron.

D. Petr. Dam.

Ex iustorum dissidio vberior fidei propagatio.

XXI. Tandem & inter Angelos aliqua dissensionis vestigia sacris in Literis exprimuntur. Nam Hebræorum custos Danielem alloquutus: *Princeps*, inquit, *Regni Persarum restitit mihi, viginti, & vno diebus.* Dan.10.num.13. Dum vterque contendebant: hic populum in captiuitate retinere, vt Persis prodesset: ille è captiuitate vendicare, ne inter Persas periret. Et quamuis nonnulli opinentur, sermonem ibi esse de malo Persarum Angelo; pro qua opinione noster Sancius in Danielem non improbabiliter argumentatur: tamen communior sententia Patrum, quos Salm. citatus, Suar.lib.6.De Angelis, c.19.num.13.ac Pererius in Dan. lib.12. immò & ipse Sanc. referunt, ac sequuntur; vtrunque fuisse bonum Angelum tuetur. Pugnabant igitur hi Angeli: non affectu,

Angeli non affectu pugnant, sed intellectu.

Sanc.

Salm.
Suar.
Perer.

A sed intellectu: dum suo quisque populo consulebat: antequàm de voluntate diuina certior redderetur. Vnde D. Athanasius in suis Quæstionibus, in responsione ad 31. *Ne ipsi quidem Angeli*, inquit, *inter se vnquàm digladiantur, cognoscentes mutuæ dilectionis spiritualis vinculum.* Nemo igitur ex euangelicis Prædicatoribus, ex hac Angelorum pugna sibi per odium & inuidiam pugnandi patrocinium mutuetur: sed quantuis iudicia non conueniant, vno semper charitatis limite gradiantur.

D.Athan.
Angelorum concordia perennis.

SECTIO IV.

B *Vaccæ pergentes, & mugientes, Sanctorum naturalem affectum, sed supernaturalem spiritum indicabant.*

TErtiò, vaccæ pergebant, & mugiebant. Mugiebant quidem, vt naturalem affectum erga filios suos domi relictos manifestarent. Pergebant nihilominùs, vt supernaturalem vim, qua agebantur, & promptam obedientiam, qua Deo parebant, testarentur. Ita planè se habent & sancti viri, qui Arcam Dei portant, & legem diuinam non solùm prædicant, sed etiam exequuntur. Mugiunt quidem, sed pergunt: hoc est: suorum quidem desiderio tanguntur, sed tamen Dei amore vehementiùs inflammantur. Quamuis igitur Sect. 2. dictum sit, ita nobis in diuino obsequio procedendum, ac si nulli propinquorum affectus nos à tergo remorentur: hic tamen vlteriùs obseruandum, non requiri à nobis, vt hos affectus non patiamur; sed ne ab illis superemur. I.

Iusti suorum amore tanguntur, sed Dei amore vehementiùs inflammantur.

C

Ita Patres communiter exponunt. D. Gregor. lib.7. Moral, cap.14. *Sic*, inquit, *quisque propinquorum debet necessitatibus compati, vt tamen per compassionem non sinat vim suæ intentionis impediri: vt affectus quidem mentis viscera repleat; sed tamen à spirituali proposito non auertat. Neque enim sancti viri ad impendenda necessaria, propinquos carnis non diligunt, sed amore spiritualium ipsam in se dilectionem vincunt; quatenus sic eam discretionis moderamine temperant, vt per hanc in paruo saltem, ac minimo à recto itinere non declinent.* Quod statim illustrans vaccarum mugientium, ac pergentium exemplo, subdit: *Propinquorum gratia mentem nostram tenere debet; sed reflectere non debet. Ne hæc eadem mens, aut si affectu non tangitur, dura sit: aut plùs tacta, si inflectitur, remissa.* Quam moderationē in sanctissimo Iobo expressam fuisse ostendit: *Amissis namque vitulis*, inquit, *mugit: quia audita morte filiorum, in terram, tonso capite, corruit: sed recto tamen itinere mugiens graditur; quia os eius in gemitu ad Dei laudes aperitur, cùm protinus dicit: Dominus dedit, Dominus abstulit.* II.

D. Greg.
Iusti spiritualium amore, suorum dilectionem vincunt.

D

Iobi exemplo confirmatur.

Idem Gregor. hom.37. in Euangelia latè disserit de amore erga se ipsum, & erga propinquos moderando, ad illa verba Christi Domini: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Luc. 14.num. 26. Vbi non prohibetur naturalis amor; sed spirituale quoddam odium imperatur: in primis vnicuique in se ipsum: *Tunc*, inquit, *bene nostram animam odimus, cùm eius carnalibus desideriis non acquiescimus, cùm eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur. Quæ ergo contempta ad melius ducitur, quasi per odium amatur.* Quibus verbis non excluditur amor naturæ; sed præcipitur odium culpæ. Deinde, propinquos odisse iubemur, III.

Odiū in parentes à Deo præcipitur, si bono spirituali aduersantur.

E

bemur, non qua propinquos, sed qua nobis in diuino obsequio aduersarios. *Ametur*, inquit, *quilibet in hoc Mundo etiam aduersarius: sed in via Deo contrarius non ametur, etiam propinquus. Quisquis enim iam æterna concupiscit, in ea, quam aggreditur, causa Dei, extra patrem, extra matrem, extra cognatos, extra semetipsum fieri debet; vt eò verius cognoscat Deum, quò in eius causa neminem recognoscit.* Et statim: *Amandi ergo sunt proximi; impendenda est charitas omnibus, & propinquis, & extraneis: nec tamen pro eadem charitate a Dei amore flectendum.* Et rursus, proposito vaccarum exemplo, suos audientium vitulos, non tamen gressibus ad illos redeuntium, sed solis mugitibus respondentium; tales docet esse debere Prædicatores, qui suorum malis compatiantur; non tamen per compassionem à via salutis euagentur.

IV.
D. Bern.
Amor parentum, vermis.

Sic & Diuus Bernardus lib. De Passione Domini, cap. 23. si eius est illud Opus, agēs de amore propinquorum, quem appellat *vermem corrodentem animam.* *Vaccæ*, inquit, *Arcam gestantes, & recto itinere pergentes Bethsames, cùm audirent vocem vitulorum, dederunt quidem mugitum, qui erat signum naturalis affectus; nec tamen se ab arrepto semel itinere deflexerunt. Tu verò, si iam portas, siue professione aperta & solenni, siue occulto proposito, iugum Domini, hoc est, Regulam quancunque per Spiritum sanctum à Patribus institutam: si te prædictorum verminum suggestiones incipiunt corrodere: imitare vaccas allophylorum, portantes Arcam Domini. Redde mugitum, signum affectus: hoc est:* C *Condole, compatere, consolare eos, qui tibi naturali amore coniuncti sunt: nihilo tamen minùs serua viam inceptam: hoc est: perfice bonum propositum, dirigendo pedes tuos, versùs Bethsames, versùs domum Solis; hoc est, ad cælestem patriam, vbi est summa & spiritualis habitatio Solis nostri Domini Iesu, qui est Sol iustitiæ, qui in illa domo lucet in virtute sua, habitans lucem inaccessibilem.* Et statim: *Sic sunt amādi amici, vt affectus amoris erga illos cōseruetur: sic sunt & odiēdi, vt eorum amor nequaquàm Dei amori præferatur.*

Deo sacri parentes solari debēt, non ab incepto itinere desistere.

V.

Nec minùs disertè eandem doctrinam inculcat, lib. De modo bene viuendi, ad sororem, c. 7. *Dei seruus*, inquit, *ita prodesse debet suis parentibus, vt dum illis gratiam carnis præstare studet; ipse à spirituali opere, vel proposito non declinet.* Et paulò pòst: D *Non debemus*, inquit, *odio habere parentes nostros; sed impedimenta eorum qui nos à recto itinere deuiāt.* Atque hinc ad Philisthinorum vaccas digressus, ab illisque exemplum mutuatus: *Sicut vaccæ*, inquit, *amore vitulorum suorum mugiebant, & tamen non declinabant ad dexteram, neque ad sinistram; sed recto tramite incedebant vsque Bethsames, quæ erat in introitu terræ Israel: ita serui Dei recto tramite incedere debent, & pro amore parentum suorum, non debent ad dexteram, neque ad sinistram declinare à bono opere, vel proposito, sed recto itinere vsque ad Bethsames, id est, vsque ad introitum cælestis Regni peruenire.* Et statim illos mugitus non modò doloris, sed etiam orationis esse debere interpretatur: *Sicut* E *vaccæ*, inquit, *pro filiis suis, mugiendo, pergebant; ita conuenit seruis Dei pro parentibus suis mugire, id est, orare, vt bene sit eis, & vt à malo liberentur, atque in bono confirmentur.*

Iustus ita parentes amare debet, vt à proposito non declinet.

Iustorum est pro parentibus orare.

VI.
Petr. Blес.
Multa apud parentes mala inueniuntur.

Eleganter de hac re Petrus Blesensis epist. 20. rationes congerit, cur non debeat propinquorum amor ab instituto vitæ proposito declinare: *Abrahæ*, inquit, *dictū est: Egredere de terra tua, & de cognatione tua: & ego quare non egrediar, aut quare ad parentes meos regrediar; apud quos non inueni, nisi manus harpyarum, consilia Achitophel, vulpium dolos, aculeos scorpionum? Licèt parentibus debeam af-* A *fectionem naturalem; illud tamen non debeo, vt pro eis me perdam; aut pro eis ab honestatis proposito me reflectam. Vaccæ siquidem, quæ in Bethsames deferebant Arcam Domini; licèt eas traheret naturalis quædam affectio vitulorum: ad eos tamen colla sua minimè reflectebant. Multi pro parentibus suis animas perdiderunt.* Dum scilicet in eis plus carnem, quàm spiritum amarunt. Et iterum epist. 102. eandem doctrinam eodem vaccarum illustrat exemplo.

VII.
D. Nil.
Nilus Abbas opinatur, vaccas non mugitum edidisse.

Plus aliquid in his vaccis demiratur Diuus Nilus Abbas in libro Ascetico, dicens, eas neque rediisse ad vitulos, neque eorum desiderio mugiisse: sequutus fortasse Septuaginta, qui saltem, vt in editione Sixtiana habetur, mugituum non meminerunt. Igitur Nilus agens de renun- B ciatione bonorum externorū, de qua plura dicit; tandem venit ad renunciationē propinquorum: *Secundo loco*, inquit, *sanguine coniunctos sic obliniscatur* Monachi, *vt nulla vnquàm eorum memoria interpellentur. Si enim vaccæ currui, quo Arca vehebatur, iunctæ; naturam & vitulos, qui domi tenebantur inclusi, sic oblitæ sunt, ipsius Arcæ victæ maiestate, vt neque ad dexteram, neque ad sinistram declinātes, sine errore iter conficerent; neque ceruicis inflexione vllum amoris erga filios signum ostenderent; neque gemitu dolorem, quod ab illis seiunctæ essent, testarentur: sed quamuis eas, & Arcæ pondus premeret, & amoris aculeus stimularet; tamen non aliter, quàm si præscripta lege incessissent, ne latum quidem vnguem à recto tramite deflexerunt: cur non ij, quibus spiritualis Arca gestanda est, idem efficiāt; & multò etiam magis, ne, qui sunt rationis participes, ab animalibus rationis expertibus in operibus necessariis superentur; nisi videantur id sponte & ratione facere, quod faciunt, illa cogente, vi ac necessitudine?* Verùm, quia & in Hebræo, & in Chaldæo, & in Septuaginta, qui in Bibliis Regiis, & Complutensibus continentur; & tandem in Vulgata vaccæ mugientes exprimuntur, dubitandum non est, mugiisse. Nec sine mysterio: vt significetur propinquorum affectus sentiendus quidem, secundùm naturam: nihilominùs secundùm gratiam superandus.

Iussi Dei maiestate, omnium obliuiscuntur.

Vaccas mugiisse probabilius.

VIII.
Sine affectu esse, vitium Christianorum longè maximum.

Non sunt quidem viri sancti Apostolicique Prædicatores, duri ac rigidi ingenij, totius affectionis & commiserationis expertes; cuius generis Philosophos appellabant Stoïci, *ἀπαθεῖς*, hoc est, sine affectione. Nam hoc vitium in Christianis hominibus est longè maximum. Vnde Diuus Paulus, cùm pessimos notaret peccatores: *Repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos.* Tandem addit, tanquàm grauissimam censuram: *Sine affectione, absque fœdere, sine misericordia*, Rom. 1. à n. 29. Quasi hæc esset extrema malorum linea. Neque mirum videtur, tam multa flagitia confluxisse in eum, qui omni pietatis E affectu in alios se ipsum denudasset. Sed profectò, qui ita ἄστοργος est, hoc est, affectione in alios denudatus, est nimiùm φίλαυτος, hoc est, se ipsum amans: ex hac enim φιλαυτίας, id est, amicitia sui, illa ἀστοργία, id est, duritia in alios emanat. Vnde Diuus Paulus vtrunque vitium coniungit; & prius quidem, tanquàm posterioris fontem: *Erunt*, inquit, *homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione.* 2. Timoth. 3. n. 2. Quasi omni se amicitia in alios euacuet, quisquis immoderato sui amore repleatur.

Qui alios non amant, se ipsos nimiùm amant.

IX. Non debent igitur Christiani Doctores hac ἀπαθείᾳ, seu indolentia, præsertim erga suos domesticos & propinquos laborare, ne infidelibus deteriores habeantur; iuxta illud Diui Pauli: *Si quis autem suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.* 1. Tim. 5. num. 8. Immò non homines videbuntur sanæ mentis; iuxta illud Ouidianum, lib. 1. De Remedio:

Qui sine affectu sunt, infants & infidelibus deteriores, & feris.

Ouid.

Quis matrem, nisi mentis inops, in funere nati
Flere vetat?

Quin etiam dicendi sunt ipsis feris doriores illi, qui erga suos propinquos nullum affectum patiuntur: quales se olim præbuerunt Israelitæ, qui humana viscera exuentes, *Immolauerunt filios suos, & filias suas Dæmoniis.* Psal. 105. num. 37. In quos proinde Ieremias: *Lamiæ*, inquit, *nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos: filia autem populi mei crudelis, quasi struthio in deserto.* Thren. 4. num. 3. Quasi diceret: quid durius ac dirius: sua pignora feræ lactant: homines mactant. Et tanquàm struthio, quæ vel ipso testimonio diuino, *Duratur ad filios suos, quasi non sint sui.* Iob. 39. num. 19. Ita illi nulla erga filios suos pietate afficiuntur. Tales igitur non sunt Christiani Doctores: suorum quidem debito amore tenentur; sed non propterea in via ad Deum tendente retardātur. Humanos quidem affectus non omninò exuunt; sed nihilominùs superinduunt & diuinos. Propinquorum malis, tanquàm homines, condolent; sed ab studio currendi volandique ad Deum non elanguescunt; vt Patres & Interpretes suprà citati exponunt: quorum doctrinam vno, vel altero exemplo breuiter illustro.

Qui sine affectu sunt, struthioni similes.

X. Iobus, audita filiorum morte, plorauit quidem: *Et scidit vestimenta sua, & totondit caput suum.* Iob. 1. num. 20. quæ erant ingentis mœroris argumenta. Sed statim: *Corruens in terram adorauit.* Et quod magis mirere: *In omnibus his non peccauit labiis suis, neque stultum quid contra Deum loquutus est.* Ibidem, num. 12. Quod animi Deo obsequentis indicium fuit non vulgare. Bene igitur ad eum locum Olympiodorus: *Audito*, inquit, *filiorum interitu, natura, quod debet, largitur. Non enim victoria est, non pati; sed, patiendo, inuicto stare animo.* Non fuit igitur Iobi sensus erga filios stupidus; sed neque plusquàm par erat, tener ac delicatus. Doluit eorum externo malo, sed ipse à suo interno bono non recessit. Vnde Diuus Greg. lib. 2. Moral. cap. 17. *Quod*, inquit, *vestimenta scidit, monstrat, quia flagelli dolorem sensit: quod adorauit, apertè ostenditur, quia in dolore positus contra flagellantis iudicium non excessit.* Et statim ostendit, sanctissimum Patriarcham ex hac moderatione vtrique præcepto charitatis in proximum & Deum satisfecisse: *Vt dilectionem*, inquit, *proximi exolueret, impendit filiis luctum: ne dilectionē Dei desereret, expleuit inter gemitus adorationem.*

Iobi amor erga filios, cæterorum exemplum.

Olymp.

D. Greg. *Iusto, licet dolore amittant externa, interna sunt.*

XI. Saül filiam suam Michol, quam Dauidi vxorem spoponderat, planè fœdifragus alteri viro tradidit, nempe, Phalti, filio Laïs. 1. Reg. 25. n. 44. Eandem postea eius frater Isboseth eripiendam Phalti, & restituendam Dauidi curauit: *Tulit eam*, inquit Textus, *à viro suo Phaltiel, filio Laïs; sequebaturque eam vir suus plorans, vsque Bahurim.* 2. Reg. 3 num. 15. Vbi ad rem præsentem obserua constantiam Phaltielis Ibat enim cum Michol, & plorabat. Ibat quidem, vt eam viro suo, vt par erat, restitueret. *Plorabat*, inquit Caiet. *teneritudine amissa tam dulcis societatis.* Itaque in animo Phaltielis pugnabat quidem humanus affectus, sed planè triumphabat diuinus: & quò actior erat ille conflictus, eò gloriosior hic triumphus existebat. Sed aliud, nescio quid, in hoc euentu, obseruatione dignius enitescit. Nam hic vir, quando Michol accepit, dicebatur *Phalti*; vt ex priori loco Regum citato patet: quando verò eam restituit, dicitur *Phaltiel*; vt ex posteriori Regum loco constat, addito, scilicet, nomine Christi אל *El*, quod est vnum è decem Dei nominibus, quæ à Diuo Hieronym. in epist. 136. ad Marcel. colliguntur. Quorsum verò ita?

Diuini de humano affectu triūphus.

Caiet.

Conflictus quò acrior, eò gloriosior.

D. Hier.

XII. Optimam rationem tradidit Caietanus, sequutus aliquos Rabbinos, qui existimant, Michol fuisse quidem acceptam à Phaltiel, non tamen violatam: *Adiunctum*, inquit, *est nomini eius, nomen Dei, El, ea ratione, quia nunquam cognouit Michol, intuitu Dei, eò quòd sciebat, esse vxorem Dauidis, nec repudiatam.* Vnde colliges, eum, qui castitatem colit, adeò præstantem esse, vt donari vel ipsa diuinitate mereatur; aut certè ipso Dei nomine insigniri: quo insignita dicuntur illa *centum quadraginta quatuor millia; habentes nomen eius, & nomen patris eius scriptum in frontibus suis.* Apocal. 14. num. 1. Addi nihilominus potest ad rem præsentem, non immeritò sortitum fuisse nomen Dei, *El*, quod quidem fortitudinem & victoriam sonat; quia naturales hominis affectus supernaturali Dei amore fortiter superauit. Ac si ille, qui naturam suam frangit, ac vincit, vt Deo liberior famuletur; esse desinat homo, & quodammodo Deus efficiatur.

Caiet.

Castus est velut Deus.

Qui naturam suam frāgit, Deus quodammodo efficitur.

XIII. Quis non miretur, illam Machabæorum matrem, filios suos, vt loquitor D. Cyprianus statim citandus, *Non delicatè, sed fortiter diligentem?* Quæ postquàm vidit sex filios per acerbissimos cruciatus martyrio defunctos; septimum, qui solus supererat, maioribus statim cruciatibus laniandus, nisi diuinam legem abiuraret, sic alloquitor: *Fili mi, miserere mei, quæ te in vtero nouem mensibus portaui, & lac triennio dedi, & alui, & in ætatem istam perduxi.* Quò, quæso, tam miserabilis deprecatio spectare crederetur: nisi, vt filius mœstam ac desolatam matrem non desereret; sed mortem suam defugeret, vt matris suæ vitam incolumem conseruaret: Absit tamen, vt eò tenderet, pia quidem, sed generosa parens. Pergit itaque: *Suscipe mortem, vt in illa miseratione cū fratribus tuis te recipiam.* 2. Machab. 7. à n. 27. Lacrymabatur quidem spectās funera: sed exhortabatur sperans trophæa: ad lacrymas eam maternus affectus, ad exhortationes diuinus amor impellebat. De qua re Diuus Cyprianus in libello, De exhortatione martyrij, ad Fortunatum, c. 11. *Admirabilis*, inquit, *mater, quæ nec sexus infirmitate fracta, nec multiplici orbitate commota, morientes liberos spectauit libenter, nec pœnas illas pignorum, sed glorias computauit: tam grande martyrium Deo præbens virtute oculorum suorum, quàm præbuerunt filij eius, tormentis & passione membrorum.* Vbi vides, grauiter quidem doluisse amore filiorum, sed in amore Dei nulla ex parte defecisse?

D. Cypr. *Qualis debeat esse matrum amor in filios.*

Matris Machabæorum constantia.

D. Cypr.

XIV. Nec minus eleganter D. Chrysost. hom. 4. De verbis Isaiæ: *Nónne*, inquit, *velut spectatrix astabat, nihil animo labascens? Nónne astabat obtestans illorum vnumquenque, & mater Martyrum septies ipsa martyrium præstitit? Dum enim illi torquebantur, illa plagam accipiebat. Neque enim adeò sine affectionibus, quæ gerebantur, spectabat. Mater erat, & natura illata vis propriam naturam declarabat: at illa non vincebatur.* Sic ille. Vbi plura de hac re. Vides egregiam vitulam, materno quidem dolore mugientem, sed honore diuino exultantem? Audi vlteriùs Diuum Ambrosium lib. 2.

D. Chrys. *Mater in septem filios septies Martyr.*

D. Ambr.

De

Mater fortis filiorum certaminum spectatrix.

De Iacob & vita beata, cap. 12. *Spectabat*, inquit, A *pia mater filiorum certamina, & quamuis maternorum viscerum compassione quateretur; tamen pietatis studio premebat dolorem. Et offerente Antiocho, cùm posset salutem eligere filiorum, malebat periculum: compressisque natura gemitibus, pœnas filiis optabat augeri, vt mors citiùs appropinquaret.* Et paulò pòst, miram matris constantiam exaggerat & commendat: *Cernens*, inquit, *filiorum agmina; tanquàm pia anima, sui membra corporis in filiis offerebat, & per artus proprios videbatur sibi subire tormenta. Cadebant filij tormentis exulcerati, mortui super mortuos adoluebantur, corpora super corpora volutabantur, capita super capita exsecabantur: refertus erat locus cadaueribus filiorum. Non fleuit mater, non lamentata est, non oculos cuiusquam pressit, aut ora morientis: non lauit uulnera, sciens gloriosiores esse, si euiscerati & concreti pariter puluere & sanguine viderentur, quales solent de bello redire victores, qualia solent trophæa ex hostibus reportare.*

Martyres quò plus puluere deturpati, eò gloriosiores.

XV. D. Ambr. *Quot Martyrum funera, tot trophæa.*

Idem verò Ambros. lib. 1. Offic. cap. 14. post multa de Machabæorum laude, subdit: *Quid de matre loquar? quæ spectabat læta filiorum, quot funera, tot trophæa: & morientium vocibus, tanquàm psallentium cantibus delectabatur: pulcherrimam ventris sui cytharam in filiis cernẽs, & pietatis harmoniam omni lyra numero dulciorem?* Rectè mihi videtur hæc mater inter funera filiorum plorare pariter, & cantare, vt imitaretur vitulas Philisthinorum pergentes, & *mugientes*: seu, vt ex Hebræo transtulit Lyranus in expositione morali: Pergentes, *& cantantes*: quia, licèt maternus amor eliciebat lacrymas; amor tamen diuinus concentus exprimebat.

Bonæ matres plorant pariter, & cantãt.

Lyran.

XVI. D. Greg. Naz.

Iam verò D. Greg. Nazianz. Orat. 22. singularem huius fœminæ constantiam in morte filiorum admiratus, docet eam quidẽ doluisse, nõ quia filij moriebantur; sed veritam, ne non morerentur: *Fortis*, inquit, *& strenua mater, filiorum simul, & Dei amans, atque ita affecta, vt materna ipsius viscera præter naturæ morem distorquerentur. Non enim filiorum, qui supplicio afficiebantur, vicem dolebat: verùm sollicito atque anxio animo erat, ne non ipsis supplicium inferretur; nec eos, qui excesserant, magis desiderabat, quàm reliquos illis adiungi optabat.* Et paulò pòst, notat, egregiam parentem morituris filiis vbera, quibus eos lactauerat, ostentasse: *Non quærendo, vt illi vitæ suæ consulerent; sed ad subeundos cruciatus perurgendo.* In quo extitit longè fortior, quàm Troiana Hecuba, quæ, vt filium Hectorem à periculoso duello cum Achille reuocaret; vbera, quibus eum nutrierat, ostendebat; iuxta illud Homericum Iliad. X.

Machabæorũ mater plorabat, verita, ne non morerentur filij.

Vbera filiis ostentabat, & ad ferendam mortem obtestabatur.

Hom.

—*Lacrymis perfusa gemebat,*
Nudabátque sinum genitrix, maternáque nato
Vbera tendebat, talésque è pectore voces
Mittebat lacrymans: Hector, charissima proles,
Hæc te permoueant, tu me miserare precantem.

Hæc autem parens, ostensis vberibus, totóque materno amore interposito, ad ferendam mortem filios obtestabatur.

XVII. *Beatæ D. Felicitatis amor in filios.*

Non minùs felix extitit in lege gratiæ sanctissima illa Martyr, & mater septem Martyrum, Felicitas: quæ gemebat quidem de morte filiorum, sed de victoria gaudebat; plorabat secundùm carnem, secundùm spiritum exultabat. De qua D. Greg. Magnus hom. 3. in Euãgelia: *Septem*, inquit, *filios sic post se timuit viuos in carne relinquere: sicut carnales parentes solent metuere, ne mortuos præmittant. In persecutionis enim labore deprehensa, filiorum corda in amore supernæ patriæ prædicando roborauit; & parturiuit spiritu, quos carne pepererat.* Nec multò pòst, hanc matris constantiã, non tam in suis, quàm in filiorum suorũ cruciatibus admiratus, concludit: *Non ergo hanc fœminam Martyrem, sed plusquàm Martyrem dixerim.* Quòd scilicet non simplici tantùm, sed septemplici filiorum suorum martyrio torqueretur. Et statim: *Aspexit*, inquit, *mater, & cruciata, & imperterrita filiorum mortem, spei gaudio adhibuit dolorem naturæ. Timuit viuentibus, gauisa est morientibus. Optauit nullum post se relinquere; ne si quem haberet superstitem, non posset habere consortem. Nemo ergo existimet, quòd eius cor, morientibus filiis, etiam carnalis affectus minimè pulsarit. Neque enim filios, quos carnem suam esse nouerat, sine dolore poterat morientes videre: sed* B *erat vis amoris interior, quæ dolorem vinceret carnis.*

D. Greg.

Eandem plusquàm Martyrem non vulgariter commendat D. Petr. Chrys. serm. 134. *Ardebat*, inquit, *& anhelabat, vt eos vno die sacros Martyres pareret, quos vix paruulos per annorum curricula generabat. Ecce mater, quam vita filiorum fecit anxiam, mors securam.* Et paulò pòst: *Discurrebat*, inquit, *lætior inter confossa cadauera, quàm inter cunabula chara filiorum: quia internis oculis tot cernebat brauia, quot vulnera: quot tormenta, tot præmia: quot victimas, tot coronas. Et quid plura, fratres? Non est, non est vera mater, quæ nescit filios sic amare.* Et ibidem vocat hunc filiorum septenarium, sacrum quendam *heptalismum*, hoc est, septem luminum candelabrum: *Qui non vnius*, inquit, *&* C *temporalis tabernaculi illustraret arcanum; sed Ecclesiam sempiternam sacro illuminaret incenso.* Felix igitur Felicitas, quæ filios ad mortem perurgendo, non extinxit, sed accendit?

D. Petrus Chrysol. *Mater vera non est, quæ Christi filios non amat.*

Septem D. Felicitatis filij, septem luminum candelabrum, morte non extinctum, sed accensum.

XVIII. *D. Symphorosa constantia filios ad martyrium adhortatur.*

Non absimilis fuit illa macte animi virago Symphorosa, quæ inter acerrimos cruciatus, quos pro fidei confessione fortiter tolerabat; septem filios, quos mundo pepererat, Christo parturiebat, singulos adhortata, vt maternum sequerentur exemplum, & pro Christo mori, quam sine Christo viuere præoptarent. Eia, inquit, ô mea non tam pignora, quàm viscera. Attendire ad petram, vnde excisi estis. Patrem habuistis Getulium Christi Martyrem: matrem habetis Symphorosam, ad martyrium festinantem & D exultantem. Quid dubitatis vestros sequi, ô boni filij, parentes; & quæ vobis pro Christo infligentur, non tormenta, sed blandimenta reputare? Parentes vestri ad plagas pro Christo subeundas in morem lapidum obduruerunt. Ne, quæso, filij; ne, quæso, vestri vobis animi ad easdem plagas fortiter suscipiendas remollescant. Durate & vos. Quòd si patrem, cui virile robur erat, imitari non audetis; certè à matre, quam fœminea premit infirmitas, ne degeneres excidatis. Hos patior fœmina imbecilla cruciatus: patimini & vos constantes viri. Meo nutriti lacte, vestro me sanguine recreate. Porrexi vbera, reddite vulnera. Hoc beneficio maternum obsequium rependite. Nullum mihi charius ve- E stræ in me charitatis argumentum. Viuam, si vos pro Christo mori sensero. Opto quidem vitas vestras, quas habeo mea chariores: sed vestras pro Christo mortes, quas pretiosiores sentio, præopto. Felicissima erit vita vestra, si felicissima pro Christo morte coronetur. Ita ferè pia mater, quos in vitam eduxerat, inducebat ad mortem: læta quidem pro collata vita, sed lætior pro morte inferenda. Condolebat mater filiis; sed Martyr Martyribus applaudebat. De qua fœmina Vsuardus, Beda, Petrus de Natalibus, & alij, quos Baronius in Marty-

rologio ad 18. diem Iulij refert, consulantur.

XIX. Monet me hic dies, in quo hæc scribo, (qui est Martij nonus) & in quo anniuersaria quadraginta Martyrum natalitia celebrantur, sanctissimæ cuiusdam fœminæ à præcedentibus non degeneris: cuius nomen apud homines in terra petiit; in æterna memoria apud superos scribendum. Vidit hæc illos quadraginta Martyres, quos Diuus Basilius statim citandus appellat *Cæli astra, Ecclesiæ flores*, innumera in primis tormenta pro fide perpessos, ac tandem extremis pro Christo cruciatibus extinctos: vidit vlterius iam demortuos plaustris imponi, ad rogum efferendos; vt eorum cum corporibus memoria suis sepulta cineribus obrueretur. Inter eos aduertit filium suum Melithonem ex eodem Martyrum choro, adhuc spirare, & tormentis, quæ plurima iam toleraт, aliorem superesse: quem proptereà carnifex à cæteris Martyribus segregabat, neque illorum aceruo comburendum adiungebat, spei plenus, fore vt iuuenis superstes fidem abiuraret, & impiis Tyrannorum decretis obediret. Quid ergo pia mater? Plus doluit de filio superstite, quàm alia quæuis mater de extincto doluisset: vt rectè obseruarunt duo illi germani fratres, & clarissima orbis lumina, Diuus Gregorius Nissenus, & Diuus Basilius. Neque enim indignè sustinuit, datum fuisse filium in necem, sed à nece reuocatum. Nam *vt vidit*, inquit Nissenus, *humanitatem carnificis erga virum fortem, contumeliam non tulit: sed illum quidem increpabat, quòd à commilitonibus & collegis Athletā segregasset.* Et paulò pòst, admiratus generosam matrem, quæ in conspectu filij multis cruciatibus fatiscētis, & iam penè animam exhalantis, minimè deficiebat, sed potiùs, vt plura tormenta adderentur, postulabat: *Nunquid*, inquit, *tale aliquid, quale matribus accidere solet, admisit? Nunquid viscera eius commota sunt? aut tunicam circunscidit? aut filios circunfusa est, calidis vlnis torperem ac defectionem resouens ac refocillans? Remoue istbæc. Etiam dicere aliquid einsmodi absurdum est.* Et statim loquentem cum filio matrem, & ad martyrium introducens, *Non meus*, inquit, *filius es tu; non mei partus germen: quoniam Deum recepisti, secundùm Deum natus es. Accepisti potestatem, vt filius fieres: curre ad patrem tuum: ne relinquaris à tuis coæuis: ne secundus ad coronam venias: ne irritum facias votum maternum: non offendes matrem, si victor, si triumphator euaseris.* Quæ, obsecro, Lacæna, aut Spartana fœmina ita quondam suos hostes, vt hæc suos affectus, hostibus acriores superauit?

XX. Iam verò D. Basilius homil. 20. in qua horum Martyrum laudes prosequitur, huius quoque fœminæ constantiam non mediocriter commendat: *Non enim, inquit, lacrymam indecoram effundere, aut aliquid humile loqui, vel indignum agere visa est. Sed, O nate, inquit, perfice cum tuis contubernalibus iter beatum, ne à choro deseraris, néve inferior aliis appareas.* Et statim ad matris laudem regressus, *O matrem, inquit, felicem! ò bonæ radicis bonum germen! ostendit generosa parens, quemadmodum pietatis instituit eum magis, quàm lacte educauerat.* Neque verbis tantùm, sed etiam factis excellens animi mater filium ad martyrium deduxit. Nam & morientem in humeros sustulit, post reliquos Martyres ad pyram baiulandum: & paulò pòst inter maternos amplexus iam demortuum, in plaustrum deposuit, cum cæteris Martyribus ad rogum efferendum: ac tandem ad pyram delatum suis ipsa manibus in ignem coniecit, inter alios Martyres deflagraturum; vt idem omnium

Martyres Cæli astra, Ecclesiæ flores. D. Basil.

Matris colossdam fortitudo, filium ad tormenta incitantis.

D. Greg. Nyss.

D. Basil.

Indecora lacryma in Martyrio.

A corpora ignis absumeret, quorum animas idem felicitatis æternæ portus recepisse credebatur. Quis non miretur diuinæ efficacitatem gratiæ, quæ insitum à natura matrum erga filios affectum tam fortiter & suauiter moderatur: vt neque suus filiis amor, neque debitus Deo cultus denegetur; sed illæsis naturæ legibus, sua diuinis reuerentia & obedientia deferatur?

XXI. Hæc olim ita fuerunt. Sed quid antiqua memoro, cùm nupera ac recentia nihilo inferiora, seu obscuriora nobis ob oculos obuersentur? Iaponiam appello testem, vltimam Orbis metam, sed primam Ecclesiæ militantis aram; iucundissimam aulam Dei; fœcūdissimam virtutum aream, sub hac vna tempestate, multorum Martyrum,

B & seminatam ossibus, & irrigatam sanguine, & in vbertes Christianorum segetes feliciùs indies pullulantem: in qua plures inuenies parentes, suis filiis ad martyrium, & exemplo præeuntes, & doctrina non leuia calcaria submouentes: è quibus illa Tecla totius posteritatis recordationi consectanda: quæ vt Phœnix inter odores, sic inter filios deflagrauit. Nam rogum pro Christo vna cum filiis subitura, & filios animabat, & à filiis animabatur. Eia, mater, dicebant filij, ex te vitam hausimus; tecum vitam profundamus, meliore conditione morituri, quàm nati. Nati enim sumus, tandem morituri: sed æternùm victuri, moriemur. Nulla te de nostris pœnis cura tangat: sola de nostris coronis spes erigat.

C Ambulabimus inter prunas, vt inter gemmas: recumbemus inter flammas, vt inter plumas: quiescemus inter accensas pyras, vt inter maternas vlnas: spiritus oris nostri Christus Dominus. Cùm noster à nobis spiritus recesserit, Christus subibit. Ille reget meliùs nostras animas, quàm ipsæ nostros artus animabant. Tam dulce canentibus concinebat mater: Pergite, ô filij, pro Christo vita vestra, vestras libenter animas profundete. Mortalem ex me genitrice hausistis vitam, per me exhortatricem suscipite immortalem. Hic rogus vterus vobis erit, non maternus, sed diuinus: ex quo non in hanc vitam morti similem; sed in veram atque æternam exeatis. Pergite, ô filij, quos olim cum tristitia

D peperi, sed nunc cum lætitia parturio. Pergite, gaudium meum, & corona mea. Vestra me tormenta exhilarant, vestra incendia coronant. Quidquid lactis ex me suxistis, mihi abundè compensabitis; si vestrum pro Christo sanguinem profundatis. Generosam me appello vitem, quam tam generosi pampini circundant. Felicem arborem, ex qua tam felices Martyrum flores oriuntur. Ter & ampliùs beatam matrem, quæ tam beata filiorum sobole coronatur. Pergite, ô filij, non tam ad tormentum, quàm ad trophæum; & vestram pro Christo mortem, multò pretiosiorem, quàm vestram sine Christo vitam existimate. Itaque pia mater non tam pro filiorum cruciatibus dolebat, quàm pro filiorum

E coronis exultabat: imitata agricolas, qui non tam de seminis corruptione ingemiscunt; quàm de seminis resurrectione hilarescunt. Vnde D. Chrysostomus homil. 41. in priorem ad Rom. de hac re loquutus, *Imitemur, inquit, agricolas, qui, cùm dissolui granum vident, nihil turbantur: vbi superstes, solidumque & integrum in agro iacet, metuunt, tremunt: mox vbi dissolutum iam conspicantur, gaudent? Futuræ enim sationis exordium est, solutum granum. Ita & nos, &c.* Vbi de toto hoc argomento grauiter philosophatur.

XXII. Nescio, an ad perfectionem harum fœminarum euaserit

Tecla Iaponensis mira constantia, filios ad martyrum comitatis.

D. Chrys.

Quàm difficile etiam in fœminis sanctissimis filiorū amore non superari. Procop.

euaserit olim Sara. Nam,cùm Deus Abrahæ imperarit, vt filium suum immolaret; nihil dicitur ea de re Saræ communicatum. Genes. 22. Rationem reddit Procopius ex aliis: *Sunt*, inquit, *qui tradunt,Saram ignorasse, quæ mandata marito dederit Deus: ne materna comploratione totum negotium anteuerteret.* Adeò difficile est, maternum animum filiorum amore non vinci,& à diuino obsequio non reuocari: vt vel Sara alias sanctissima ab hoc naturali affectu superanda timeretur. Certè Agar multò extitit imperfectior: nam timens filij sui mortem, *Abiecit puerum subter vnam arborem, quæ ibi erat, & abiit: seditque è regione procul, quantum potest arcus iacere: dixit enim: Non videbo morientem puerum: & sedens contrà,leuauit vocem suam, & fleuit.* Gen.21.n.15. & 16. Vides,vt doloris impatiens non pergat, sed sedeat; non cantet,sed ploret;non coniiciat oculos, sed auertat? Mirum hoc non est: quia non tam altè eius animo insederat diuinus amor, vt maternum superaret.

Malus improba Agar amor in filiū.

XXIII. D.Ambr. *B.Virginis in filij morte fortitudo.*

Quantò fortior Beatissima Virgo? quæ,vt bene D. Ambr. epist.82.ad finem: *Fugientibus Apostolis ante Cruce stabat,ac piis spectabat oculis filij vulnera.* Quòd si oculis flebat, certè prompto animo laudes Æterno Parenti decantabat: instar vitularum portantium Arcam,gemebat,& pergebat. Gemebat quidem tam amarè, vt dicat D. Anselm. De excellentia Virginis,c.5. *Vtique,pia Domina, non crediderim, te potuisse vllo pacto stimulos tanti cruciatus, quin vitam amitteres,sustinere; nisi ipse spiritus vitæ,spiritus consolationis,spiritus,scilicet, dulcissimi filij tui,te confortaret,te consolaretur.* Pergebat verò tam constanter,vt dicat idem D.Anselm.apud D. Antonin. 4.p.Theologiæ, tit. 15.c.41.§.1. *Ita diuinæ voluntati conformis erat; vt,si oportuisset, ad implendam voluntatem Dei, ipsa filium in Cruce posuisset,atque obtulisset:neque enim minoris fuit obedientia, quàm Abraham.*

D. Ansel.

B.Virginis mira obedientia.

XXIV.

Sic igitur & euangelici Præcones suorum malis ingemiscunt; sed non propterea à veritatis ac sanctitatis itinere retardantur. Gemunt quidem, vt homines; sed vt serui Dei constanter gradiuntur. Testem appello D. Paulum Sect.1. iam citatum,quem Agabus Ierosolymam alligandum, & persequendum euocabat: discipuli verò in Cæsarea profusis lacrymis retinebant. Quid verò Paulus? Flebat quidem,non metu tormentorum: hæc enim siccis oculis ex Agabo audierat: sed amore filiorum, quorum lacrymis affligebatur: *Quid facitis,*inquit,*flentes, & affligentes cor meum?* Act.21. n.13. ac si magis eum discipulorum lacrymæ, quàm propriæ persequutiones ab Agabo prædictæ cruciarent. Et nihilominùs pergebat, dicens: *Ego non solùm alligari,sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu.* Neque enim diuinus amor, qui in Pauli pectore æstuabat, ab humano vincebatur.

Diuinus Pauli amor ab humano non vincebatur.

SECTIO V.

Vaccæ neque ad dexteram, neque ad sinistram declinantes,mediam Sanctorum viam, in qua virtus consistit, exprimebant.

I. *Boues nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, tripliciter explicantur.*

VLtimò, dicuntur vaccæ non declinasse, neque ad dexteram, neque ad sinistram: sed mediam semper viam institisse. Ita planè & sancti viri ad dexteram, vel ad sinistram non declinant. Quod tripliciter potest explicari. Primò,

Franc.de Mendoça in Lib.Reg.tom.2.

A quia in extrema vitia non recedunt; sed virtuti, quæ est in extremorum confinio,adhærent. Sic interpretatur D.Greg.ad hunc locum: *Ad dexteram,* inquit, *declinare,est, virtuti abstinentiæ immoderatè insistere: ad sinistram declinare,est carni abundantius indulgere.* Vbi vitium, quod speciosius quodammodo est,& virtuti propius, ad dexteram; quod deformius,& remotius a virtute,ad sinistram collocatur. In vtrumuis autem latus recedatur;à medio,in quo consistit virtus, receditur; & proinde in vitium, quod est in extremo,declinatur.

Primò. D. Greg. *A medio nūquam recedendum.*

II. D. Hieron. *In mensa nec nimia abstinentia, nec nimia lautities.*

Vnde D.Hieron.in epist.7. ad Marcellam, De institutione filiæ, matrem admonet, ne filiam, aut in nimiam inediam, aut in nimiam lautitiem abire patiatur: sed in mediocritate conseruet: *Sic,* inquit,*comedat,vt semper esuriat.* Nam, si non comedat, declinabit ad dexteram, per nimiam abstinentiam:si non esuriat, declinabit ad sinistram, per nimiam lautitiem: si comedendo esuriat, & esuriendo comedat, temperantiam in medio positam conseruabit. Comedat igitur,vt laboret,esuriat,ne recalcitret. Sed, quia in virgine temperatissima non tam erat periculum declinandi ad sinistram per immoderatas epulas,quàm declinandi ad dexteram per immoderata ieiunia; inde illam efficaciùs retrahit D. Hieron. *Displicent*, inquit,*mihi, in teneris maximè ætatibus, longa & immoderata ieiunia, in quibus iunguntur hebdomades; oleum in cibo,& poma vetantur. Experimento didici, asellum in via, cùm lassus fuerit, diuerticula quærere. Faciant hoc cultores Isidis & Cybeles,qui gulosa abstinentia phasides aues, ac fumantes turtures vorant, ne scilicet cerealia dona contaminent.* Quasi diceret: Dum vnum extremum tenent, in alterum prolabuntur; & dum à pane abstinent, carnibus saturantur. *Hoc* igitur,inquit Hieron. *in perpetuo ieiunio sit præceptum,vt longo itineri vires perpetes supperēt,ne in prima mãsione currētes in medius corruamus.*

Extrema fugienda,mediū tenendum.

III. *Media via tutò incedendum.* Philo.

Neque solùm fugienda sunt extrema vitia,quæ sanctam abstinentiam obsident; sed etiam, quæ virtutes cæteras oppugnant, vt monet Philo Iudæus, lib. Quòd Deus sit immutabilis, ad finem: *Nec ad dextram,*inquit, *nec ad sinistram à regia via deflectendum est; sed progrediendum per mediam. Nam ad vtrumuis latus diuerticula, ob nimietatem, defectúmve culpantur.* Quod statim pluribus illustrat: *Apud petulantes,*inquit,*temeritas dextram, timiditas sinistram obtinet: sic apud tractantes pecuniam illiberaliter,dextrum sordida parcitas,sinistrum larga profusio:item apud forensibus causis deditos,laudatur vafrities, damnatur simplicitas: sunt qui superstitionem,quasi dextram sequuntur, ne in sinistram impietatem incidant.* Vnde rectè monet, vt ab extremis lateribus declinemus; & inter Scyllam & Charybdim incedamus: cùm in recessu ab alterutra, & in medio vtriusque tuta ad virtutem via muniatur: *Est autem,*inquit,*in medio temeritatis, & timiditatis,fortitudo;sordes inter,& profusionem, temperantia: inter vafritiem,& stultitiam,prudentia:inter superstitionem,& impietatē,pietas. Hæ sunt mediæ viæ inter vtraque diuerticula,omnes cōmeabiles & publicæ:per quas non est fas vectari corporeis instrumētis; sed motibus animæ cupiētis inābulare in rebus optimis.*

Extrema vitia cauenda, media virtutis amplectenda.

IV. *Medium,fructus ex diuina lege.*

Certè optimus ille Rex apud eundem Philonem,lib.De creatione Principis, hunc se fructum ex lege diuina decerpere fatebatur, vt neque in dextram,neque in sinistram declinaret: *Assequar* inquit,nempe,ex lege diuina,*vt in neutram partem deflectam, velut in æquilibrio, rectâ regiáque via mandatorum diuinorum incedens,firmis passibus, nec vnquam offensantibus. Talem enim viam Moyses solet appellare regiam, quæ inter defectum, & nimie-*

tatem, tramitem tenet medium: quoniam in ternione, quod medium est, principatum habet, vtrinque contigua ceaptans vinculo insolubili latera, sibi tanquam Regi stipantia. Quibus verbis ipse sibi Rex persuadet æqualitatem in omnes: illis extremis vitiis odij in quosdam, amotis in alios, penitùs exclusis. Hæc autem æqualitas adeò propria est Regis, vt non immeritò à Rege via regia nuncupetur: & quidquid inter extrema medium est, principatum habere videatur. Alludit autem Philo eo in loco ad eum Regem, quem Moyses inaugurandum iussit. Deuter. 17. à num. 14. cui postquàm diuinam legem tradendam decreuit, subdidit: *Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos; neque declinet in partem dexteram, vel sinistram.* Ibidem, num. 20.

Æqualitas in Rege, via regia.

V. *Quidã, dum medium non tenent, abeunt in extrema.* D. Cypr.

Media igitur omnibus tenenda via, ab extremis lateribus recedendum. Vnde D. Cyprianus lib. De singularitate Clericorum, eos reprehendit, qui in extrema vitia declinantes, aut fœminas in eorum secum contubernio habebant, aut cum eis, etiam in tẽplo, simul orare recusabant. Immò hoc extremum ficto & simulato animo libentiùs admittebant; vt illud alterum eis licentiùs permitteretur. Quasi necessariò esset in alterum abeundum: & non potiùs in vtriusque medio consistendum. Quam fraudem Diuus Cyprianus subodoratus: *Hæretica professionis*, inquit, *est ista contradictio calumniosa: qua de bonis praescribit, vt afferat mala: & de sanctitate praiudicat, vt immunditiam subtiliter introducat: de licito calumniat facit, vt obtinere illicitum possit.*

VI. D. Epiph. *Hæretici dum veritatem mediũ ignorant, in extrema mendacia dilabuntur.*

Sic & D. Epiphanius hæresi 78. ad finem, in eos inuehitur Hæreticos, qui in extremos errores abeuntes, Beatissimæ Deiparæ, nunc virginitatem denegabant, nunc diuinitatem tribuebant: *Quidam*, inquit, *contumelia afficere ipsam* (nempe, Virginem Matrem) *ausi sunt, velut copulatam carni*, &c. *Et est hoc impiè nefissimum, ac flagitiosissimum. Quidam se ipsos ita deceperunt, vt in tractatione de ipsa sancta semper Virgine, pro Deo hanc introducere studuerint. Quod totum impium est, ac nefarium.* Hi quidem ad dexteram laudando, illi ad sinistram vituperando declinabant: cùm veritas catholica media gradiatur, fuisse matrem, non corruptam, sed virginem; fuisse mulierem, non creatricem, sed creatam.

VII. D. Greg. *Nimium silẽtium, & nimia loquutio vituperanda.*

Sic tandem D. Greg. lib. 3. Moral. cap. 9. arguit amicos Iobi, nunc immodico silentio obmutescentes, nunc importuno colloquio blaterantes: *Dolorem*, inquit, *videntes diu tacuerunt; sed tardè inchoantes, indiscretè loquuti sunt: quia parcere dolenti noluerunt. Tenuerunt linguam, ne properè inciperet: sed incipientem semel, nequaquàm moderati sunt: ne se ex consolatione vsque ad contumelias effrenaret.* Itaque medium tenere nequaquàm potuerunt: nunc ad dexteram per intempestiuum silentium declinantes: nunc ad sinistram per stultum colloquium relabentes.

VIII. *Nihil magis vult Diabolus, quàm iniustos media via incedere.*

Igitur Deus ab extremis viis, quæ sunt perditionis, ad mediam, quæ est salutis, homines reducit. Contrà verò Diabolus à media, quæ in cælum tendit, homines deterret, & in extremas, quæ ducunt ad inferos, compellit. Vnde, cùm Moyses per internuntios diceret Regi Edom: *Obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam*, &c. *Gradiemur via publica, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes.* Num. 20. n. 17. Ille non modò negauit, sed etiam *Statim*, inquit Textus, *egressus est obuiam cum infinita multitudine, & manu forti.* Ibidem, num. 20. Nam, vt Philo lib. citato, Quòd Deus sit immutabilis: *Id*, inquit, *molestissimè terrenus*

A *Edom fert: timet enim suis dogmatibus, ne subuertantur, confundanturque; & ideo bellum internecinum minatur, si conemur viam vi perrumpere.* Qua igitur re Moyses terrenum Regem placare cupiebat, maximè irritabat. Nihil enim volebat minùs improbus ille Rex, quàm vt populus media via graderetur: vt Diabolum significaret, qui nihil ambit ardentiùs, quàm vt homines à media virtutis via in extremas vitiorum dilabantur.

IX. D. Hieron. *Qui vnam in partem deflectit, deflectit in vtranque.*

Neque multùm curat Diabolus, ad dexteràmne, an ad sinistram declinetur; iuxta illud Diui Hieronymi, in c. 6. Matth. sub initium: *Si à recta via paulùm declinaueris: non interest, vtrùm ad dexteram vadas, an ad sinistram, cùm verum iter amiseris.* Non curat igitur Diabolus, vtram in partem B deflectatur: vel, quia in vtralibet erratur: vel etiam, quia certus est, qui in alteram abierit, in vtranque sine dubio abiturum; & qui ab altero extremo superatur, ab vtroque pariter superandum. Licèt enim extrema vitia inter se pugnent; tamen ad virtutem diruendam amicantur, vnúmque efficiuntur. Vt hac etiam in re verum sit illud Philosophi: *Uni, non nisi vnum contrariatur.* Quia, sicut olim Manasses & Ephraïm inter se contrarij, tamen ad Iudam oppugnandum inter se concordabant; iuxta illud: *Vnusquisque carnem brachij sui vorabit, Manasses Ephraim, & Ephraim Manassem, simul ipsi contra Iudam.* Isai. 9. n. 21. *Ita planè*, inquit D. Basilius ad eum locum, *audacia & timiditas sibi inuicem obluctantur.* Atqui, si C virilem & strenuam fortitudinem in medio constitueris, simul illæ ad pugnam conspirabunt; vt vtrinque ipsam expugnent. Ab altero igitur extremo fugiat, qui noluerit perire sub vtroque.

Vni vnum contrariatur.

D. Basil.

X. *Per sinistram peccata, per dextram virtutes intelliguntur.*

Secundò, non declinant ad dexteram, neque ad sinistram; quia neque virtutibus, quæ sunt ad dexteram, inflantur; neque peccatis, quæ sunt ad sinistram, subiiciuntur. In hanc sententiam explicari potest illud Iobi, c. 23. num. 9. *Si ad sinistram iero, non apprehendam eum: si me vertam ad dexteram, non videbo illum.* Vbi D. Greg lib. 16. Moral. cap. 15. *Ad sinistram*, inquit, *ire, est peccatorum delectationibus consentire. Et nimirum constat, quia Deum apprehendere non valet, qui adhuc in delectatione peccati per sinistram iacet.* D *In dexteram proculdubiò vertitur, qui de virtutibus eleuatur: sed Deum videre non valet, qui priuata latitia de bonis actibus gaudet; quia in eo cordis oculum tumor elationis premit.* Ita ferè exponit D. Aug. q. 48. in Deuter. quid sit, declinare ad dexteram. Nam ad illa verba: *Non declinaueris ab eis*, (scilicet, diuinis præceptis) *nec ad dexteram, nec ad sinistram.* Deut. 28. n. 14. *Ille*, inquit, *declinat in dexteram, qui sibi arrogat, quæ Dei sunt.* Et paulò pòst: *Declinare*, inquit, *ad dexteram est, non Dei gratiæ; sed sibi tribuere velle, quod rectum est.* Quod quidem non est aliud, quàm de virtutibus inaniter gloriari. Vnde declinare ad sinistram, erit, de ipsis peccatis impudenter superbire. Vtrunque autem euangelico Doctori cauendum est, ne appareat, aut vanus iustitiæ simu- E lator, aut manifestus iniustitiæ professor.

D. Greg.

D. August.

Non debent iusti de virtutibus inaniter gloriari.

XI. Salon.

Paulò aliter explicat Salonius illud Salomonis: *Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram.* Prou. 4. n. 27. vbi sic: *Per dexteram*, inquit, *designatur via bona: per sinistram, via mala. Non prohibet autẽ ambulare in dextera via: sed declinare ad dexteram. Iustus declinat ad dexteram, qui de sua iustitia & viribus præsumit. Iniustus declinat ad sinistrã, qui propter carnis fragilitatem saluari se posse desperat.* Iuxta quẽ sensum, in dextera præsũptio de bonis, in sinistra desperatio de malis collocatur. Vel, vt statim addit: *Declinat ad dexteram, qui vult plùs sapere,*

In dextera præsumptio de bonis, in sinistra desperatio de malis collocatur.

In dextera scientia; in sinistra stultitia.
pere, quàm oportet sapere. Declinat ad sinistram, qui seruit stultitia. Vbi & nimia scientia, & nimia stultitia, tanquàm extrema vitia damnantur. Cæterùm, Hugo Cardinalis ad hunc locum: *Non declinant*, inquit, *ad dexteram, neque ad sinistram, qui non extolluntur prosperis, nec franguntur aduersis.* Apposité quoque D. August. citatus docet, ad neutrum latus declinare eos, qui nec pro acquirendis iis, quæ amantur; nec pro fugiendis iis, quæ odio habentur, à diuinæ legis obseruantia recedunt. Vnde regius Vates: *Benefac, Domine*, inquit, *bonis, & rectis corde: declinantes autem in obligationes:* seu, vt legit Symmachus, *in obliquitates; adducet Dominus cum operantibus iniquitatem.* Psal. 124. n. 5. Quasi, qui recta ac media incedunt via, coronentur; qui ad latera declinant, puniantur. Vnde Iob. c. 23. n. 11. *Viam*, inquit, *eius custodiui; & non declinaui ex ea.* Nam nec prosperis, nec aduersis potuit à via virtutis dimoueri, & in extrema vitia dilabi.

Hugo.
Qui prospera & aduersa sapienter tolerat, non declinat ad dextram, nec sinistram.
D. August.
Symmach.
Media via incedentes coronantur: velsi qui puniuntur.

XII.
Nihil mandatis addendum, nec detrahendum.
Tertiò, non declinat ad dexteram, neque ad sinistram: quia veræ synceræque doctrinæ, prout nobis in sacris Literis traditur, adhærent; nihil illi addentes, aut detrahentes: vt Deut. 4. num. 2. & Apoc. 22. num. 18. sub grauibus pœnis præcipitur. Vnde Eua accipiens præceptum de non comedendo pomo, Gen. 2. num. 17. & adiiciens, se accepisse etiam de non tangendo, Gen. 3. num. 3. profectò ad dexteram declinauit. De qua re D. Ambros. lib. De Paradiso, cap. 12. *Discimus*, inquit, *nihil, vel cautionis gratia, iungere nos debere mandato. Si quid enim vel addas, vel detrahas, præuaricatio quædam videtur esse mandati. Pura enim, & simplex mandati forma seruanda est. Plerunque testis, dum aliquid ad seriem gestorum ex suo adiicit: totam testimonij fidem partis mendacio decolorat. Nihil igitur, vel quod bonum videtur, addendum est.* Et probat: quia id, quod Eua addidit, bonum esse videbatur: *Nanque hic*, inquit, *quid offensionis habet prima specie, quod addidit mulier?* Quasi diceret: Nihil omninò. Nam obligata ad non comedendum fœmina; se obligatam dicebat ad non tangendum: vt cautior præcepti obseruatio, & remotior præuaricatio redderetur. Et tamen *illud additamentum*, inquit D. Ambros. *lapsus incipit esse principium:* dum fœmina tanta præcepti seueritate quodammodo irritata ad illud violandum prouocatur.

D. Ambr.
Testimonium in iudicio mendacio decoloratur.
Nimia aliquando præcepti obseruatio, est principium lapsus.
D. Ambr.

XIII.
Diabolus mutilat Scripturas, vt decipiat.
Contrà verò Diabolus truncando ac mutilando Scripturas, in sinistram recedebat. Nam, cùm Dauid dixerit: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te*, &c. Psal. 90. n. 11. ille, vt Christum Dominum ad præcipitium inuitaret, tacuit illud, *In omnibus viis tuis*, dicens: *Angelis suis mandabit de te: & in manibus tollent te.* Mat. 4. n. 6. Quod D. Bernard. serm. 14. in Psalmum citatum, subtiliter expendit: *Animaduertite*, inquit, *& videte, quoniam subticuit malignus & fraudulentus, quod malignitatis suæ commenta dissolueret: nempe, Vt custodiant te in omnibus viis tuis. Nunquid in præcipitiis? Qualis via hæc de pinnaculo templi mittere se deorsum? Non est via hæc, sed ruina. Et si via, tua est, non illius.* Quid fraudulentius, quàm fraudes struere: & vnde ipsæ facilè expediantur, callidè occultare?

D. Bern.

XIV.
Hæretici Diaboli filij in Scripturis mutilandis.
Parentem Diabolum eius filij Hæretici imitantur: & dum Scripturas mutilant & circuncidunt, ad sinistram declinant, æternæ damnationis sententiam ad sinistram audituri. Ex quibus Marcion non solùm *spongia*, ad delenda quædam loca; & *murino dente*, ad corrodenda alia; & *stylo ferreo*, ad alia sulcanda vtebatur; vt loquitur Tertul. lib. De carne Christi, cap. 2. & lib. 1. contra eundem Marcionem, cap. 1. & lib. 4. cap. 7. & lib. 5. cap. 1. &

Tertul.

A passim alibi: sed etiam machæra, hoc est, ingenti gladio ad totam Scripturam iugulandam; vt testatur idem Tertul. lib. De præscriptionibus aduersùs Hæreticos, cap. 38. *Marcion*, inquit, *exertè, & palam machæra, non stylo vsus est: quoniam ad materiam suam cædem Scripturarum confecit.* Vnde miser ad sinistram declinauit, in extremo iudicio ad sinistram relegandus. Neutrum tamen in latus vergunt, qui veris ac firmis Scripturarum testimoniis fideliter innituntur. Sed iterum ad historiam.

Num. XIII. Porrò Bethsamitæ metebant tritieum in valle; & eleuantes oculos suos viderunt Arcam; & gauisi sunt, cùm
B vidissent.

EXPOSITIO LITERÆ.

PORRÒ *Bethsamitæ metebant triticum in valle.* Hactenus dictum est, quo pacto Philisthini Arcam restituerint: deinceps dicendum est, quo pacto Israëlitæ eandem receperint. Proponitur in primis locus & tempus, quo eam receperunt. Locus fuit in valle vrbi adiacente, quam Vatablus refert, amœnissimam fuisse: quo argumento, haud scio. Vnum scio: si non propter varietatem gemmantium florum; saltem propter vbertatem flauentium segetum spectabilem fuis-
C se: præsertim, cùm Hebraïci & Græci Codices pluraliter habeant, (si Latinè licet) *metebant tritica*, seu, *frumenta:* vt ingens copia & abundantia significetur. Chaldæus habet, *In planitie;* sed nomen Hebraicom פּמע *Ghemech* potiùs significat vallem, à radice עָמַק *Ghamach*, id est, *profundum esse:* quales valles esse solent. Vnde illud Dauidicum: *De profundis clamaui*, Psal. 129. num. 1. verti potest: *De vallibus.* Et quamuis initium huius viæ accliue fuerit in montana, vt Num. 9. aduertimus: tamen exitus decliuis esse potuit in vallem: vt ex accliui ac decliui constans, difficilior esset vaccis; proindéque earum progressus mirabilior redderetur. Mysticè D. Gregorius: *Vallis*, inquit, *in sacro eloquio æstimationem designat humilium,*
D *Psalmista testante: Qui emittis fontes in conuallibus.* Psal. 103. num. 10. *Nam infusionem cælestis gratiæ mentibus infundit, dispositis per humilitatem. Bethsamitæ ergo in valle triticum metunt: quia contemplationi vacantes, dum pro humilitatis meritò clariùs superna conspiciunt; ad suauiorem refectionem mentium, ligant manipulos gaudiorum.* Hæc ille. Quasi quò quis humiliùs laborando deprimitur: eò altiùs contemplando assurgat.

I.
Vatab.
Quisnã fuerit locus, in quo Arca recepta est.
D. Greg.
Quò quis humilior laborando, eò altior contemplando.

Tempus fuit nostrum vernum, quod Palæsthinis erat æstiuum, vt Iosephus appellat: vnus, scilicet, ex illis tribus mensibus, Martio, vel Aprili, vel Maio, in quos messis triticea incidebat; vt patet ex his, quæ num. 1. dicta sunt. Et ex eo vlteriùs confirmatur: quia Iordanis in *mense primo*, hoc est,
E in mense Martio, *inundare consueuit super ripas suas.* 1. Paral. 12. num. 15. atqui, inundante Iordane, fiebat messis in Palæsthina, & in Iudæa; iuxta illud: *Iordanis autem ripas aluei sui, tempore messis impleuerat.* Ios. 3. num. 15. Et illud: *Qui multiplicat quasi Iordanis in tempore messis.* Ecclesiastici 24. n. 36. Ergo messis in Martium incidebat: vel saltem à Martio iam adulto incipiebat, & vsque ad Aprilem, & Maium perdurabat. Cùm igitur Arca Iudæam ingrederetur, quo tempore Bethsamitæ metebant triticum, planè sequitur vno ex illis tribus mensibus illuc appulisse. Vnde colliges, quan-

II.
Ioseph.
De tempore, quo Arca est restituta.

Arca Dei captiua hyemauit, libera vernauit.

ta sit inter Arcam Noë, & Arcam fœderis similitudo. Nam illa è diluuio euasit *sexcentesimo primo anno, primo mense, prima die mensis.* Gen. 8. n. 13. hoc est, mense Martio, qui annum apud Hebræos inchoabat: hæc autem è seruitute Philisthinorum exiit tempore messis, hoc est, vno ex vernis mensibus. Igitur sub captiuitate hyemauit; vernauit sub libertate.

III.

Arca Christi resurgentis typus, & iustorum.

Vnde non immeritò vtraque Arca typus esse potuit Christi resurgentis: qui verno tempore, & ex passionis suæ diluuio incolumis enauit, & ex sepolturæ suæ ergastulo liber & rediuiuus exiuit. Immò & in vtraque beatæ Sanctorum animæ exprimuntur: quæ in hac vita sub hyeme tentationum persequutionúmque laborant: in futura sub vere felicitatis, iucunditatísque æternæ conquiescunt. Quarum singulas de corpore exeuntes, vt Æternus Sponsus consoletur: *Surge*, inquit, *propera, amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit.* Cant. 2. num. 10. Ad tempus vernum inuitat: quod Genes. 35. num. 16. vt est in fonte, *Electum anni tempus*, appellatur: *in quo, scilicet*, inquit D. Hieronymus, *cuncta in florem rumpuntur.* Inuitat ad tempus messis, quod est omnium iucundissimum. Vnde est illud: *Lætabuntur coram te, sicut qui lætantur in messe.* Isai. 9. num. 3. Vt, quæ laborioso & calamitoso in tempore vixerat, in beata iucundáque æternitate placidissimè respiraret. Possunt etiam in vtraque Arca pœnitentium animæ adumbrari: sed tandem, cùm diuinæ gratiæ ver appetit; in amœnissimam serenitatem ac libertatem spiritus emergunt. Plures de hac re mystagogias apud D. Greg. Bedam, vtrunque Hugonem, Victorinum & Cardinalem, Dionysium, aliísque inuenies.

Iusti animæ post laborem inuitatur ad quietem.

D. Hier.

Pœnitentes in Arca adumbrati.

IV.

Bethsamitæ, vtpote immodesti, puniuntur.

Et eleuantes oculos suos, &c. Bethsamitæ operi intenti, & colligendis manipulis proni, cùm subito vaccarum mugitu excitarentur, eleuarunt oculos, & viderunt Arcam, & gauisi sunt. Dicunt communiter Hebræi, Bethsamitas in hoc facto peccasse: & in huiusmodi peccati pœnam paulò pòst diuinitùs percussos, ad magnam multitudinem cecidisse. Si ab eis quæras: In quo hæc peccati deformitas consistat? Respondent apud Lyranum: *Quod ista lætitia fuerit inepta, procedens ex leuitate cupitus, & non ex debita reuerentia.* Ac si lenis illa oculorum coniectio, & inanis animarum exultatio in aliquos motus incompositos erumpens, debitam coram Deo, eiúsque Arca modestiam profligaret; & proinde capitale supplicium mereretur. Hæc responsio, si vera est, modestum totius corporis habitum non mediocriter commendat, quem religiosi viri tenere debent, & semper in externis actionibus conseruare. Quod sanè pretium erit paucis illustrare.

Modestus oris, & corporis habitus commendatur.

V.

Ea erat Christi Domini modestia, vt nouum ei esset oculos subleuare.

Theoph.

MVlta hanc modestiam exempla ac testimonia illustrant: ex qoibus pauca colligo, plura iam 1. tom. cap. 1. n. 12. prosequutus: vbi in hunc locum hæc pauca seposui, & promisi. Christus Dominus semper oculos verecundè demissos gerebat; adeò vt si quando oportuerit eos subleuare, id ab Euangelista, tanquàm aliquid nouum atque insolens narretur: *Cùm subleuasset*, inquit, *oculos Iesus.* Ioan. 6. num. 5. vbi Theophylactus aduertit, idcircò Euangelistam hoc expressisse, *Vt discamus*, inquit, *quòd non solitus sit, hinc & inde vagari oculis: sed compositus & attentus sedere; vtpote docens discipulos suos diuiniora quadam.* Sed & Beatissima Virgo, cùm audisset Angelum, *turbata est in sermone eius.* Luc. 1. num. 29. Cur, quæso, non dicitur: *Cùm vidisset, turbata est in visione eius?* Fortasse, quòd ita oculos habuerit modestos ac demissos, vt ingredientem Angelum non viderit; sed tantùm loquentem audierit.

B. Virginis modestia commendatur.

VI.

Vna modestia Pharisæo prætulit Publicanum.

D. Ambr.

Orabant in templo Pharisæus & Publicanus: & tamen, vt Euangelista testatur: *Hic descendit iustificatus ab illo.* Luc. 18. num. 14. Quid verò prætulit Publicanum Pharisæo, nisi modestia oculorum? Nam Pharisæo, vt credere par est, oculos arroganter erigente, coniicientéque in Sancta, Publicanus *nolebat nec oculos ad cælum leuare.* Ibidem, num. 13. Sic exponit D. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 18. *Multùm, inquit, verecundia placet; multùm conciliat gratiæ apud Deum. Nónne hæc prætulit Publicanum; & commendauit eum, qui nec oculos audebat ad cælum leuare?* Et statim, expendens illud Apostoli dicentis de spiritu quieto ac modesto: *Qui est in conspectu Dei locuples.* 1. Petr. 3. n. 4. subdit: *Diues est apud Deum modestia, apud quem nemo diues. Diues est, quia portio Dei est.* Eximiam verò modestiæ laudem, vt sit portio, hoc est, pars, seu hæreditas Dei: pars, quasi sine modestia constare non possit diuinitas: hæreditas, quasi in vna modestia tota opulentia diuina includatur. Quin etiam, eodem Ambrosio interprete, ex tribus Noë filiis, Gen. 9. à num. 22. vnus audax ad oculos immodestè iaciendos paternam maledictionem reportauit: duo, suos oculos, ne turpia viderent, auertentes, non modò paternam, sed diuinam quoque benedictionem meruêre.

Modestia diues, & pars Dei est.

D. Ambr.

Immodestus maledictus.

VII.

Ad visionem Dei in patria, modestia requiritur in via.

D. Bern.

Seraphini coram Deo duabus alis velabant oculos suos. Isai. 6. num. 2. vt ostenderent, eos, qui Deum in patria visuri essent, oculos in hac vita cum debita verecundia clausuros, ne liberè vagari permitterentur. Vnde D. Bern. serm. 2. De verbis Isaiæ: *Vtinam*, inquit, *nihil vnquam vidisset oculus meus; si illa, quod auertat Deus, frustrandus est visione.* Olim Deus ad Abraham: *Leua*, inquit, *oculos tuos in directum, & vide, à loco, in quo nunc es, ad Aquilonem & Meridiem, ad Orientem & Occidentem.* Gen. 13. num. 14. Hortabatur Patriarcham ad oculos erigendos: quia sciebat, eum semper oculos humiliter demissos gestare solitum. Vtinam eius nepos ex fratre, Lot, eadem oculorum modestia vteretur: tantam profectò non incideret in pestem, seu potiùs in flammam. Nihilominùs ipse sua sponte *eleuatis oculis, vidit omnem circà regionem Iordanis*; nempe, Sodomam & Gomorrham: & amœnitate delectatus, erat enim *sicut Paradisus Domini*, eam sibi regionem elegit habitandam. Gen. 13. num. 10. & 11. Eligens, nempe, flores, incidit in vepres: quærens irrigua, incendia inuenit: erigens oculos, affectus præcipitauit. Vnde rectè monet Clemens Alex. lib. 3. pædagogi, cap. 11. demittendos esse oculos, & claudendos: *Cùm per eos*, inquit, *cupiditas ineat prima pugnæ præludia: ante totum enim corpus corrumpuntur oculi.*

Abrahami modestia.

Immodestum omnia videt affectus contraria.

Clem. Alex.

Prima corporis corruptio, oculorum est.

VIII.

D. August.

Prius modestia eius, quàm vita.

Aptissimum de hac re narrat exemplum D. Aug. lib. 6. Confess. cap. 8. Alipius, quo amico familiariter vtebatur, à theatralibus spectaculis, siue vnius studio modestiæ, siue ipsius ingenio naturæ maximè abhorrebat. Aliquando tamen coactus ab amicis, eò se trahi passus est: testatus nihilominùs, se affuturum corpore, vt illis morem gereret; animo defuturum, ne suum solenne ac propositum violaret: immò ad spectacula cæcum fore spectatorem, clausis semper oculis; ne admitteret sensus, quod animus respuebat. Non renuunt amici pactionem; partim eius constantiam periclitati

clitari cupientes;partim non dubitantes,si corpos adesset, & oculos & affectus in spectaculo detinendos. Itur igitur in theatrum: dantur ludi:ferueot omnia immanissimis voluptatibus. Aderant spectatores oculati: vnus inter omnes Alipius, clausis oculis, cæco cæcior consistebat. Ecce tibi in feruore digladiandi, vnus ab altero cæditur, adiicitur andagonista.Fit plausus,cietur strepitus, tollitur in cælum clamor: totum resultat fauentium studiis, & concrepantium vocibus Amphitheatrum.Quid Alipius?Victus curiositate videndi;sed victurus statim,vt sperabat,voluptatem rei, quancunque spectasset, ad priorem se reuocando cæcitatem: *Aperuit oculos*, inquit Augustinus, *& percussus est grauiore vulnere in anima, quàm ille in corpore,quem cernere concupiuit: ceciditque miserabilius,quàm ille,quo cadente factus est clamor.* Et paulò pòst exponens mentis vulnera suscepta ab vno ictu oculorum: *Vt enim,*inquit,*vidit illum sanguinem,immanitatem simul ebibit, & non se auertit, sed fixit aspectum. Et hauriebat furias,& nesciebat;& delectabatur scelere certaminis, & cruenta voluptate inebriabatur. Et non erat iam ille, qui venerat: sed vnus de turba, ad quam venerat; & verus eorum socius, à quibus adductus erat. Quid plura? spectauit, clamauit,exarsit. Abstulit inde secum insaniam, qua stimularetur redire, nec tantùm cum illis, à quibus priùs abstractus est, sed etiam præ illis, & alios trahens.* Vides, quàm multa per vnum obtutum in animo iacula infigantur? Et quidem,si is, qui semel aperuit oculos, tam mulros suscepit ictus: quantò plures suscipiet,qui nunquàm claudit?

Quot vulnera ab vno oculorum ictu consequantur.

IX. *Oculi in hac vita, vt equi indomiti, refrenandi.* D. Nil.

Idcircò iusti solùm sub finem Mundi oculos erigere iubentur à Christo Domino: *His autem,*inquit,*fieri incipientibus,respicite, & leuate capita vestra.* Luc. 21. num. 28. Quasi in hac vita semper oculos deiicere teneantur, & tanquàm equos indomitos refrænare. Sic enim admonet D. Nilus Orat.vltima contra vitia: *Frænum,*inquit,*oculis adhibe,ne proterui vagentur.* Nam,sicut equus effrænis equitem præcipitat,nisi vi cohibeatur:ita oculus vagus totum hominem perdit,nisi cautè refrænetur. Immò,vt in eadem equi metaphora persistatur:sicut equis furentibus ac lasciuientibus,iniectis operculis,teguntur oculi,ne videant, vnde ferociant & ignescant: ita & hominibus ad voluptatem pronis velandus oculus,ne lasciuiat appetitus. Vnde D. Bas. lib. De vera virginitate: *Non,* inquit,*oculorum acies ad omnia passim visibilia pandenda est, ne omnem quoque figurarum atque formarum speciem, sine examine hauriens, ad earum posteà turbetur imagines.* Nam Bona externa, quæ in se ipsis non belligerant, nostris excepta oculis, ad animósque perlata,acriter præliautur.

D. Bas. *Bona externa oculis suscepta acriter præliantur.*

X. *Ab externis ad æterna oculi transferendi.* Clem. Alex.

Ab externis ergo auocandi sunt oculi, vt faciliùs ad æterna animi transferantur. Rectè quidem Clem. Alexandr.lib.2.pædagogi,cap. 6. *Diuinus,* inquit,*pædagogus pueris lactentibus, ne aures eorum offendantur,pudicos & modestos sermones, velut quadam aurea munimenta adhibet: oculos autem dirigit ad rerum honestarum spectaculum, melius esse dicens, labi pedibus,quàm oculis.* Vides,quanta esse omnibus debeat modestia oculorum;non solùm ne corpore,sed multò magis,ne animo labantur?Periculosissima enim sequitur ex immodestis oculorum aspectibus ruina. Mirum est illud Siracidis: *Nequius oculo quid creatum est?* Ecclesiastici 31. num. 15. Quasi diceret: Nihil prorsus. Sua oculus,nequitia superat, quidquid iniquum est. Sed vnde tanta oculo nequitia? Innoxius enim sensus est,si absit consensus: vt ex verbis Christi Domini: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam,iam mæchatus est eam in corde suo.* Matth. 5. num. 29. rectè colligit D. Ambrosius serm. 16. in Psalm. 118. *Non dixit,*inquit, *Qui viderit mulierem,sed, ad concupiscendum viderit. Oculum absoluit,mentem ligauit. Non dixit, Adulterauit eam in oculo,sed, in corde. In oculo visus est,in corde peccatum.* Quod pari ratione lib. 1. De pœnitentia, cap. 13. exponit. Cur igitur tanta oculo nequitia tribuitur,vt nihil eo nequius à Deo creatum affirmetur? Crediderim,quia licèt in illo peccatum non sit,amplissima tamen peccandi materies per illum in animum importatur. Vnde D. Ambr.posteriori loco citato: *Non,*inquit,*vidisse crimen est,sed cauendum,ne origo criminis sit.*

Melius labi pedibus,quàm oculis.

Oculorum nequitia nulla nequior.

D. Ambr.

Videre, crimē non est, sed criminum origo.

XI. Quare,si oculus liberè euagatur, proculdubiò futurum est, vt animus effrænatè præcipitetur. Vnde non temerè D. Gregorius Nazianz. Orat. 2. contra Iulianum, immò prudentissimè, ex ipsius Iuliani adhuc pueri immodestia,omnia eius futura mala prænuntiauit: *Neque enim,*inquit,*mihi boni quidquam significare, atque ominari videbantur, ceruix non stata; humeri subsultantes, & ad æquilibrium subinde agitati; oculus insolens & vagus,furiosèque intuens;pedes instabiles & titubantes,nasus contumeliam & contemptum spirans, risus petulantes & effrænati.* Et post alia id genus dissoluti animi argumenta: *Vt hæc,*inquit,*conspexi,statim proloquutus sum: Quale malum Romanorum terra nutrit?* Nec euentus irritum fecit vaticinium: sed satis superque confirmauit. Quasi immodestus frontis habitus, cordis pessimi euasuri certissimus index habeatur.

D. Greg. Nazianz. *Immodestia sceleris omnis prænuntia.*

Immodestia pessimi cordis index.

XII. Nec minùs prudenter D. Ambr. lib. 1. Offic. c. 18. iam citato, immodestos laïcos ad sacros Ordines non admittebat; & immodestos Clericos ab officio clericali relegabat:ex prauo illorum gestu, non temerè eorum vitia, vel iam commissa suspicatus,vel auguratus committenda. *Meministis,*inquit,*filij,quendam amicum,cùm sedulis se videretur commendare officiis; hoc solo tamen in Clerum à me non receptum, quòd gestus eius plurimùm dedeceret. Alterum quoque cùm in Clero reperissem; iussisse me,ne vnquàm præiret mihi: quia velut quodam insolentis incessus verbere,oculos feriret meos. Nec fefellit sententia: vterque enim ab Ecclesia recessit; vt qualis incessu prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur.* Ex quibus patet exemplis,quàm certò cordis malitia, vel iam præsens, vel futura ex corporis immodestia colligatur.

D. Ambr. *Immodesti laici, nec ad sacros Ordines,nec Clerici ad Officia diuina admittuntur.*

XIII. Eadem sequutus indicia D. Bernardus De gradibus humilitatis, in primo superbiæ gradu, qui est Curiositas: *Si videris,*inquit,*Monachum,de quo priùs bene confidebas; vbicunque stat,ambulat, sedet, oculis incipientem vagari,caput erectum,aures portare suspensas: è motibus exterioris hominis,interiorem immutatum agnoscas. Vir quippe peruersus annuit oculo,terit pede,digito loquitur.* Prou. 6. num. 12. *Et ex insolenti corporis motu recens animæ morbus deprehenditur.* Ita D. Bernardus ab oculo ad animum argumentatus,absque temeritate sentit,non posse immodestum oculum cum modesto animo cohærere. Nec solùm viri sanctissimi, sed etiam improbissimi his vtuntur coniecturis ad internum mentis statum indagandum; & ex modestia oculorum modestos animos subodorantur. Vnde Palladius in vita D. Chrysostomi: *Infelicia,*inquit, *scorta ex ipso oculorum motu pudicos agnoscunt ac fugiunt viros: non secus atque infirmus oculus, Solis iubar,& vultur, vnguentum.* Quòd si infaustæ illæ laruæ,& sphinges, suarum turpitudinum caligine obcæcatæ; in his tamen indiciis sunt adeò perspicaces: mirum non est, si viri diuinitùs illustrati ab ex-

D. Bern. *Peruersi animi indicia.*

Immodestus oculus, cum modesto animo non cohæret.

Pallad.

Cæci etiam in immodestia vitiorum indicia agnoscunt.

terna

terno oculorum habitu internum mentis statum assequantur.

XIV. *Oculi immodesti in internis caligant bonis.*

Nec vanam esse hanc coniecturam, qua ex immodestia oculorum, intemperantia cordis arguitur; inde patet: quia, cùm animus in se ipso cognoscendo intùs non immoratur, oculus ad cognoscenda externa bona vagus & instabilis circumfertur. Hinc diuinus Sponsus ad Sponsam aliqua sui incuria & ignorantia laborantem, *Si ignoras te*, inquit, &c. *pasce hœdos tuos*. Cant. 1. num. 8. Quem locum D. Bernardus citatus expendens, in prioribus verbis, interioris hominis ignorantiam & incuriam recognoscit: in posterioribus externorum sensuum, præsertimque oculorum delicias ac voluptates; docétque ad has digredi & dilabi, qui illa laborat & cæcutit: *Quia Sponsa*, inquit, *se ipsam ignorans, foras mittitur, vt hœdos pascat. Hœdos, quippe, qui peccatum significant, rectè oculos, aurésque appellauerim: quoniam sicut mors per peccatum in orbem; sic per has fenestras mors intrat ad mentem. In his ergo pascendis se occupat curiosus, dum scire non curat, qualem se reliquerit intùs. Et verè, si te vigilanter, homo, attendas; mirum est, si ad aliud vnquam intendas.* Non potest igitur mens in internis bonis non caligare; quando oculi ad externas delicias hauriendas, proterui & immodesti, atque, vt vocant, emissitij, diuagantur.

D. Bern.

XV. *Modestia in locis sacris præcipuè requiritur.*

Cæterùm, cùm in locis omnibus oculorum modestia seruari debeat; tamen in sacratis, coram Arca, seu potiùs, coram Deo, multò debet perfectiùs custodiri. Vbi enim diuina præsentia colitur, ibi maior necesse est, vt modestia adhibeatur. Cuius rei singulare nobis exemplum præbuit Abraham. Audiens enim ex diuino oraculo, fore vt vnus ei filius nasceretur, qui genus paternum in nationes & Reges populorum propagaret, *Cecidit*, inquit Textus, *Abraham in faciem suam, & risit*. Genes. 17. num. 17. At, cur risurus coram Deo, cecidit in faciem, hoc est, faciem abscondit? Optimè quidem ad rem præsentem Diuus Ambr. lib. 2. De Abraham, c. 11. *Et hic*, inquit, *reuerentia significatur, quòd timuit Deum, velut libero risu lædere: quamuis risus lætitiam declararet viri iusti, qui tantis gratulabatur promissis*. Vbi sanctus Patriarcha non solùm aperta immodestia & irreuerentia; sed tenuissima quadam immodestiæ & irreuerentiæ vmbra diuinam præsentiam offendere trepidauit. Quare D. Paulus, postquàm Philippensibus modestiam inculcauit dicens: *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*; subdit: *Dominus enim propè est*. Philip. 4. n. 5. reddens huius modestiæ seruandæ rationem, nempe, præsentiam diuinam. Quasi nusquàm magis, quàm in præsentia Domini, vel minima immodestiæ species remouenda videretur.

D. Ambr. *Vel parua immodestia diuinā offendit præsentiā.*

XVI. *Immodesti Diabolo peiores.*

Vnde vel ipso Dæmone peiores sunt, qui debitam coram Deo modestiam ac reuerentiam non seruant. Nam Diabolus multa contra Iobum certamina machinaturus, ab eo loco, in quo diuina præsentia clarior apparebat, continuò recessit: *Egressúsque est Satan à facie Domini*. Iob. 1. num. 12. & c. 2. num. 7. Quasi ibi non auderet vllas contra Iobum insidias moliri, ne vlla contra Deum irreuerentia vteretur. Id, quod Didymus obseruat etiam in Caïn, qui *egressus est à facie Domini*. Gen. 4. num. 16. Et in Iuda, qui *exiuit continuò*. Ioan. 13. num. 30. nempe, à cœnaculo, in quo Christus erat. Nec immeritò, inquit Olympiodorus in Iobum: *Nullum enim studium improbum habet cum Deo commercium*. Si igitur nec Diabolus, nec pessimi eius filij, Caïn & Iudas, coram Domino suam profligare modestiam, ac reuerentiam Deo debitam denegare ausi sunt: quis, obsecro, adeò sit improbus & proteruus, vt coram Domino insanire ac tumultuari non vereatur? Tanquàm alter Memrod, qui *erat robustus venator coram Domino*. Gen. 10. n. 9. seu, vt ex Hebræo legi potest: *Robustus insidiator in faciebus Iehouah*. Ac si etiam in oculis Domini, ad maiorem eius contemptum, fureret ac debaccharetur.

Olymp.

Coram Deo immodestus, Deo contēptor est.

XVII. *Quæ oculorū eleuatio sit immodesta, quæ non.* *D. Bern.*

Si igitur Bethsamitæ coram Arca Domini, cui summa reuerentia debebatur, parum modesti ac reuerentes extiterunt; meritò puniuntur. Sed non video, quæ sit eorum immodestia, aut vnde colligatur. Nam in primis, non omnis oculorum eleuatio damnanda est, aut vitio tribuenda. Certè D. Bernard. proximè citatus, duplicem non solùm excusat, sed etiam commendat: *Inculpabiliter*, inquit, *oculos leuas, vt vel petas auxilium, vel impendas*. Et priorem quidem laudat in Dauide, Psal. 120. n. 1. posteriorem in Christo Domino, Ioan. 6. num. 5. *Leuauit, inquit, oculos Dauid in montes, vt peteret: leuauit & Dominus super turbas, vt impenderet. Alter miserabiliter, alter misericorditer: ambo inculpabiliter. Tu quoque, si tua, vel fratris necessitate oculos leuas; non solùm non culpo, sed & plurimùm laudo. Hoc enim excusat miseria, illud commendat misericordia.* Potest autem eleuatio oculorum, qua Bethsamitæ vsi sunt, ad alteram ex prædictis reuocari; si dicantur eleuasse oculos: vel, vt Arcam redeuntem, seu potiùs Deum in ea præsidentem implorarent: vel etiam, vt venienti, si fortè illorum opera indigeret, promptissimi subuenirent. Et quamuis neutra ratio Bethsamitas ad eleuandos oculos induceret; plures adhuc possent interuenire, ob quas eos sine culpa eleuarent: præsertim, cùm illa oculorum subleuatio non videatur fuisse immoderata; vt ex Num. 19. clariùs patebit: neque illa Arcam recipientium lætitia inepta, vt ex dicendis statim constabit. Alia igitur inquirenda est causa, cur Bethsamitæ tam grauiter à Deo feriantur? De qua ad citat. Num. latius disseremus.

Bethsamitæ ab immodestia excusantur.

XVIII. *Bethsamitarū lætitia in Arca recipienda.*

Et gauisi sunt, cùm vidissent. Septuaginta habent: Et gauisi sunt εἰς ἀπάντησιν αὐτῆς, hoc est, *In obuiationem*, seu, occursum, *eius*. Quasi hæc eorum lætitia non fuerit tantùm theoretica, in sola sistens Arcæ contemplatione; sed etiam practica, exiens in actiones, quibus redeunti Arcæ obuiam prodierunt, & venientem, in plausus, cantus choreásque effusi, dextra læuáque obeuntes salutarunt. Nam, si Philisthini Arcam à suis finibus recedentem, cum tympanis & tibiis & choris prosequuti sunt; vt Num. 12. ex Philone diximus: cur eandem Bethsamitæ in fines patrios regredientem cum maiori lætitiæ significatione non exciperent, ac venerarentur? Et quemadmodum olim Iacobum de Mesopotamia in Iudæam redeuntem, hinc deducebant Angeli Mesopotamiæ custodes; hinc Angeli custodes Iudææ suscipiebant: vnde ipse in medio duorum castrorum constitutus, gratulabundus exclamauit: *Castra Dei sunt hæc*. Gen. 32. num. 2. vt Hebræi apud Lyranum interpretantur. Ita quidem Arcam ab externis sedibus patrias repetentem, à tergo prosequebantur Philisthini, à fronte venerabantur Bethsamitæ; vtrique in gratulatorias effusi laudes, felicem de captiuitate exitum, & feliciorem in libertatem aditum precabantur.

Angeli Iacobo de Mesopotamia redeunti gratulabantur.

XIX. *Causa lætitiæ Bethsamitarū multiplex. Prima.*

Cæterùm, magnitudo huius lætitiæ, qua Bethsamitæ triumphabant, multis ex capitibus facilè colligetur. Primò, ex magnitudine tristitiæ præteritæ in Arcæ amissione. Nam, si, audito nuntio de Arcæ captiuitate, Heli Pontifex cecidit, & interiit; eius nurus peperit, & contabuit; tota ciuitas in ploratum, immò in vlulatus erupit; tandem vniuersus

uetſus populus acri dolore defixus iacuit,& elanguit, ac de ſe actum iudicauit: quid mirum, ſi nunc, non quidem audito Arcæ aduentu; ſed ipſa palàm, corámque conſpecta omnes incredibili

Secunda.

gaudio exiliant ac triumphent? Secundò, ex magnitudine boni, quod pariter cum Arca recipiebant. Nam Arca erat illius populi munimentum & ornamentum: erat totius vrbis fortitudo & pulchritudo: erat ciuium decor, & hoſtium terror, & vniuerſi Regni gloria, & corona: ac denique ipſius præſentiæ diuinæ apud Hebræos pignus ac præconium ſingulare. His ergo tam multis bonis cum Arca pariter reſtitutis, quid mirum, ſi Bethſamitæ non vulgari quadam lætitia, ſed

Tertia.

exaggerato quodam gaudio perfundantur? Tertiò, ex facilitate reditus. Nam capta ab hoſtibus ſpolia, non niſi magnis pecuniis redempta, aut magnis præliis extorta, in legitimorum poſſeſſorum poteſtatem reducuntur. At verò Arca non ablata ab hoſtibus; ſed oblata: nec ferro, vel auro repetita; ſed ſine prælio, & ſine pretio reſtituta, non potuit non cultores ſuos ingenti gaudio cumulare.

Quarta.

Quartò, ex ſubito & inſperato aduentu. Quis enim ignorat, bona, quò repentiùs adueniunt, eò libentiùs ſuſcipi; & quò magis præter ſpem aduolant, eò magis ad voluptatem fluere? Dum igitur Arca repentina comparet, & cùm minimè ſperabatur, occurrit: debuit ſine dubio noua quadam & inſolenti iucunditate Bethſamitas exhilarare.

Quinta.

Quintò, ex miraculo, quo redibat. Dum enim experimento ipſo diſcunt, vaccas ſine duce, ſine auriga, ignotam viam, & nunquàm anteà tritam inſtitiſſe: nec vitulis à tergo reuocantibus ab itinere deerraſſe; ſed Arcam ad priores ſedes, vnde nequiter erepta fuerat, fideliter reuexiſſe: diuinam ſe in beneuolentiam reſtitutos facilè coniiciunt; indéque maiorem animis hauriunt lætitiam, quàm poſſint vllis verbis, aut ſignis explicare. En quintuplex lætandi ratio, nulla vana, vel ludicra, vel inepta. Ergo non eſt, vnde hæc Bethſamitarum lætitia, leuis, vel futilis, vel inanis colligatur. Quibus autem ſignis hanc lætitiam manifeſtarint, ſequenti Num. §. 17. explicabo.

Num. XIV. Et plauſtrum venit in agrum Ioſuë Bethſamitæ; & ſtetit ibi. Erat autem ibi lapis magnus: & conciderunt ligna plauſtri; vaccáſque impoſuerunt ſuper ea, holocauſtum Domino.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. ET *plauſtrum venit*, &c. Locus, in quem Arca venit, fuit ager Ioſuë Bethſamitæ; ſeu, vt eſt in Bibliis Sixtianis, Oſeæ: fortè, quia erat binominis, ſicut ille Moyſes ſucceſſor, priùs Oſee, poſteà Ioſuë dictus eſt. Num. 13. n. 17. Hæc autem fuit ſecunda

Duplex Arcæ ſtatio in Palæſtina.

Arcæ ſtatio in terra Promiſſionis: nam anteà erat in Silo de Tribu Ephraïm; vt Cap. 1. Num. 3. dictum eſt: poſteà in agro Bethſamitico de Tribu Iuda. Vtriuſque ſtationis meminit Dauid, dicens: *Ecce audiuimus eam in Ephrata, inuenimus eam in campis ſyluæ.* Pſalm. 131. num. 6. Vbi,

Bellar:

interprete Bellarmino, per Ephratam intelligitur Silo ciuitas Ephraïm: per campos ſyluæ intelligitur ager Bethſamiticus, qui ſyluoſus erat, vt patet ex proxima vrbe, quæ dicebatur *Cariathiarim*, id eſt, *ciuitas ſyluarum*, propter ſyluas & nemora, quibus vndique cingebatur.

II. Sed, cur in hoc potiſſimùm agro, Arca Domini conquieuit? Multiplex ratio eſſe poteſt. Neque

Multiplex ratio de loco Arcæ

enim caſu id factum eſt. Nam vaccæ ſicut peculiari prouidentia diuina ibant, ita & ſtabant. Vnde rectè Theod. q. 13. *Plauſtrum*, inquit, *quod à nullo homine regebatur, habebat Arcam, & onus & aurigam.* Hoc eſt, ipſa Arca, quæ ducebatur, non ſolùm onus erat, ſed etiam ductor: quia ipſa pariter,

Theod.

vel potiùs Deus ex illa plauſtrum dirigebat.

Prima ex Abulenſi.

Prima igitur ratio ex Abulenſi eſt, quia Ioſuë, cuius erat ille ager, *reputatus eſt à Deo vir iuſtior cæteris.* Et proinde Arca, Philiſthinorum impietatem pertæſa, ſanctitatem Ioſuë Bethſamitæ, apud quem requieſceret, adamauit. Bene procedit hæc ratio, ſi verum aſſumit. Neque enim Deus, niſi in loco

Deus non niſi in corde ſancto quieſcit.

& corde ſancto requieſcit, iuxta illud: *In ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui.* Eccleſiaſtici 24. n. 15. Vnde Damaſcus, *Requies Domini* appellatur. Zach. 9. num. 1. Et rationem mihi videtur tacitè inſinuaſſe Chaldæus Paraphraſtes, dum vertit: *Damaſcus conuertetur, vt ſit de terra domus maieſtatis eius.* Quaſi diceret: Ideò Damaſcus ſeu Gentilitas, quæ Damaſci nomine intelligitur, requies Domini appellabitur: quia ad Dominum conuertetur, Chriſti ſanguine abluta & ſanctificata. Quare ipſe Deus: *Quis eſt*, inquit, *iſte locus quietis meæ? Omnia hæc manus mea fecit, & facta ſunt vniuerſa iſta: dicit Dominus. Ad quem autem reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos?* Iſai. 66. n. 2. Ac ſi Deus, quamuis omnium rerum conditor & molitor fuerit, ac

Deus ædium auguſta deſeruit, vt habitet, vbi vera colitur pietas.

terrarum omnium dominator ſit, ex quibus proinde poſſit, quamcunque voluerit ſedem, ſuo ſibi iure cooptare; tamen auguſtiſſima Orbis domicilia tranſuolet, & in humili ædicula, vbi vera pietas colitur, conquieſcat.

III. Secunda ratio ex Diuo Gregorio eſt, quia Ioſuë Bethſamita Ieſum Saluatorem ſignificabat. Nam,

D. Greg.

Secunda ex D. Greg.

ſicut ille ſalutem nomine præferebat; & Bethſames, hoc eſt, domum Solis, habitabat: ita & Chriſtus Dominus *ſaluum fecit populum ſuum à peccatis eorum.* Matth. 1. num. 21. *Et in Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Pſ. 18. n. 6. hoc eſt: In humanitate

Humanitas noſtra Sole clarior.

noſtra, quæ Sole clarior ſplendebat, ſedem ſuam collocauit. Quare ſicut ad vocem prioris Ioſuë Sol & Luna ſteterunt, Ioſ. 10. num. 13. non tam ipſum Ioſuë filium Nun, quàm noſtrum Ieſum Æterni Patris Filium venerantes; vt Iuſtin. Martyr quæſt. 45. & D. Ambroſius in poſteriori Apologia Dauid teſtantur: ita ad præſentiam poſterioris Ioſuë ſtetit Arca, non tam ipſum Ioſuë Bethſamitam ſolaris vrbis ciuem, quam illum, qui genitus eſt *in ſplendoribus Sanctorum*, Pſal. 109. num. 3. verum Dei Filium recognoſcens. Ad hunc enim Arca, hoc eſt, tota lex, tanquàm ad vltimum finem & ſcopum collimabat. Hanc rationem inſinuare mihi videtur Iuſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone verſùs finem, vbi loquutus de his vaccis: *Non*, inquit, *ad eum venêre locum, vnde Arca abrepta fuerat: ſed in agrum hominis cuiuſdam, Ieſu, ſeu Ioſuë dicti, illi cognominis, qui Ieſu nomine tranſnominatus fuerat: quique populum in terram introduxit, & hæreditario iure ipſis eam diuiſit: in quem agrum, cùm veniſſent, conſtiterunt. Quo facto indicatur, virtute nominis ductas eſſe: haud aliter, quàm prior populus, per eum, qui nomen Ieſu recepit, in terram eſt deductus.* Itaque poſterior hic Ioſuë Bethſamita, & ille prior Ephraïta, in eo ſimiles extiterunt: quia, ſicut hic populum in terram promiſſam; ita ille Arcam in agrum Bethſamiticum, ſui nominis virtute introduxit: multò veroſimiliores, quia vterque Saluatorem Ieſum repræſentabat, ſeruos & electos ſuos in æternam patriam deducturum.

Iuſt. Mart.
D. Ambr.
Iuſtin. Mart.
Ioſuë IESV Saluatoris noſtri typus.

Sed

A Sed de sanctissimo Iesu nomine aliquid prælibauimus in 1. tom. c. 2. n. 1. plura in 3. tom. cap. 9. n. 2. Deo fauente, cumulaturi.

IV. *Tertia ratio assignatur.*

Tertia ratio est, vt ager Bethsamiticus de Tribu Iuda, terræ Ephratææ, seu de Tribu Ephraïm præponeretur. Nam anteà erat Arca in tabernaculo constituto in Tribu Ephraïm: posteà transferenda erat ad templum in Tribu Iuda ædificatum. Vnde est illud Dauidicum: *Et repulit tabernaculum Ioseph, & Tribum Ephraim non elegit: sed elegit Tribum Iuda; montem Sion, quem dilexit.* Psal. 77. num. 67. Nam propter sacrilegia filiorum Heli, quibus illi diuinum cultum profanarant; æquum erat, vt Arca à tabernaculo in templum, à Silo in Ierosolymam transferretur. In quo transitu translatio fidei ac religionis à Synagoga in Ecclesiam significabatur.

A Synagoga in Ecclesiam fides translata. D. August.

B Vbi rectè obseruat D. Augustinus non exprimi hoc loco Tribum Ruben, aut Benjamin à Deo reprobatas; quæ tamen maiori iure exprimendæ viderentur: illa, propter incestum Ruben; hæc, propter inobedientiam Saulis: sed Ioseph & Ephraïm, quorum erant in eo populo clariora merita; vt, cùm horum familiæ reprobandæ dicerentur; minimè dubitaretur totus ille populus reprobandus: *Eos*, inquit, *potissimùm nominat, qui clarioribus meritis videbantur excellere. Nam Ioseph pauit in Ægypto patrem, & fratres suos; & Ephrem maiori fratri prælatus est. Et tamen Deus repulit tabernaculum Ioseph, & Tribum Ephrem non elegit. Vt per hæc præclari meriti nomina, vniuersum populum illum vetusta cupiditate à Domino terrena præmia requirentem, repulsum & reprobatum intelligamus.*

Reprobi indigni qui nominentur.

C Rursus exprimitur Tribus Iuda electa & dilecta: *Non quidem*, addit Augustinus, *pro meritis ipsius Iudæ; longe quippe maiora sunt merita Ioseph: sed per Tribum Iuda, vnde Christus exiuit, nouum Christi populum illi veteri prælatum Scriptura testatur.*

V. *Vltima ratio ex pluribus conflatur.* D. Bern.

Vltima tandem ratio ex pluribus conflatur. Nam ille ager erat primus locus in terra Israel, qui venientibus de Palæsthina occurrebat; vt Num. 9. diximus; & D. Bernardus in Tract. De modo bene viuendi, ad sororem, serm. 7. expressit: *Vaccæ*, inquit, *recto tramite incedebant, vsque Bethsames, quæ erat in introitu terræ Israël.* In eo igitur Arcam requiescere oportebat: vt viderent Philisthini, qui à tergo sequebantur, Arcam eò vsque diuinitùs dirigi; de quo illi capere experimentum cupiebant: D nec vlteriùs per Philisthinorum vaccas: sed per proprios cultores inter Leuitarũ humeros portandam esse. Ibi enim cessarunt miracula, vbi necessaria esse desierunt. Deinde in eo agro multi aderant messores: apud eos igitur Arcam stare congruebat, vt ipsi, tanquàm oculati testes, Arcæ maiestatem prædicarent, & timorem pudoremque incuterent cæteris Israëlitis, qui paulò antè contemptui habuerant illam Arcam, quam modò vel ipsi hostes cum honore dimittebant; ac tot de cœlo oracula sequebātur. Vnde D. Aug. lib. 10. De ciuit. c. 17. de miraculis in hoc Arcæ regressu præstitis loquutus: *Hæc*, inquit, *Deo parua sunt; sed magna terrendis salubriter, erudiendisq́; mortalibus.*

D. August.

E Prætereà, æquum erat, vt redeuntem Arcam non otiantes ciues, sed laborantes messores in suo agro inuenirent: vt sub hoc typo exprimeretur, diuina gratia per peccatum amissa, non inter voluptatis otia & illecebras; sed inter pœnitentię negotia & labores recuperanda. Tandem necesse fuit, vt Arca ab iniquis possessoribus ad proprios translata, cum gratiarum actione reciperetur. In eo igitur agro debuit cõquiescere, in quo ara sacrificiis offerẽdis opportuna visebatur: qualis erat lapis ille magnus in illo agro Bethsamitico erectus

Gratia amissa non nisi per pœnitentiam recuperanda.

VI. *Quisnam fuerit lapis iste, exponitur.*

A *Erat autem ibi lapis*, &c. Septuaginta in Bibliis Sixtianis vertunt: *Et statuerunt ibi apud eam lapidem magnum*: significantes, hunc lapidem tunc primùm erectum in facti testimonium ac monumentum. Quod sæpè ab antiquis Patriarchis fieri consueuit: vt Cap. sequenti, Num. 12. ostendemus. Nihilominùs, cætera exemplaria, & Vulgata, cui præcipuè adhærendum, significant, hunc lapidem iam ibi præ extitisse: quamuis, vt Vulgatam cum Septuaginta conciliemus, præexistens ibi lapis potuit denuò ad Arcæ receptionem erigi & aptari. Honorifica autem huius lapidis mentio fit: quia erat, & præterito, & futuro mysterio venerabilis. Præterito quidem. Nam Hebræi, vt D. Hieron. in Quæstion. Hebraïcis, Magister historiæ, c. 7. B Rupert, c. 16. Hugo Cardin. Dionysius Carthus. & alij referunt, existimant, hunc lapidem fuisse quandam aram olim à Patriarcha Abrahamo ædificatam: nescio, an illam ipsam, quam ædificauit, filium suum Isaac immolaturus. Gen. 22. num. 9. aliquo fortasse euentu, ab illo monte Moria, in quo primùm erecta fuerat, in hanc vallem Bethsamiticam translatam.

D. Hier. Magist. hist. Rupert. Hug. Car. Carthus.

VII. Et quidem, si Hebræi in hac ara fingenda de more suo non fabulantur (quod tamen Carthusianus suspicatur,) sed reuerà illa Abrahami ara eatenus extabat: credibile est propter dignitatem sacrificij, quod in ea parabatur, magno fuisse in honore apud Hebræos, & præcipua quadam religione obseruatam. Vnde maximè congruebat, vt C Arca Dei, quæ in profana Dagonis ara per Philisthinos collocata fuerat; in sacra ara Abrahami per Bethsamitas collocaretur: vt honor iniuriæ responderet; & quantùm illic dedecoris acceperat, tantùm hîc venerationis obtineret. Vbi etiam aduerte, antiquam illam sanctissimi Patriarchæ obedientiam, denuò commendatam & remuneratam. Commendatam quidem: quia, cùm Arca de hostibus triumpharet; sui triumphi erectura trophæum, & suæ maiestatis occupatura solium, neque sublimius trophæum, neque sacratius solium inuenit; quàm illud altare, quod Abraham suo filio immolando, ædificaret. Remuneratam verò: quia, cùm nullum esset apud Hebræos augustius diuinitatis sacrarium, quàm Arca Dei; eam voluit Deus in ara Abrahami conquiescere; D vt veterem illius Patriarchæ obedientiam nouo beneficio consecraret, nec vllo vnquam tempore illius memoriam exolescere pateretur.

Honor debet iniuriæ respondere.

Obedientia Abrahæ nouis Dei muneribus compensatur.

VIII. *Lapis ille Christi typus erat.* D. Greg. Beda. Carthus. D. Cypr.

Hæc de præterito lapidis mysterio. Sed futuro adhuc venerabilior existebat. Nam lapis ille magnus Christi Domini typus erat; vt D. Gregor. Beda, Carthusianus & alij testantur. Quibus adde D. Cyprianum lib. 2. ad Quirinum contra Iudæos, cap. 16. vbi ostendit, Christum Dominum in Scriptura sub lapidis nomine ac typo frequentissimè adumbratum. Isai. 28. num. 16. *Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Psalm. 117. num. 22. *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* E Zach. 3. num. 9. *Ecce lapis, quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt.* Genes. 28. num. 18. *Surgens Iacob manè tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper.* Exod. 17. num. 12. Aaron & Hur. *sumentes lapidem posuerunt subter eum, in quo sedit*: nempe, Moyses. Deut. 27. num. 8. *Scribes super lapides*; seu, vt legit Cyprianus in singulari; *super lapidem, omnia verba legis huius planè & lucidè.* Iosue 24. num. 27. *En lapis iste erit vobis in testimonium, quod audieritis omnia verba Domini.*

Probatur variis Scripturæ testimoniis.

Tandem

IX. *Ecclesia Christo Domino, vt in lapide angulari, firmiter innititur.* Tandem ad hunc locum perlatus: *Hic est*, inquit, *lapis, super quem posita est Arca Testamenti, quando eam ab allophylis remissam, & reddìtam, in plaustro boues reportauerunt.* Non obscuro quidem vaticinio, forte vt, sicut Arca illo lapide; sic noua Ecclesia Christo Domino firmitet inniteretur. Nam Æternus Pater *ædificauit hanc domum suam super hāc firmam petram.* Mat. 7. n. 24. Vt nullis, aut pluuiis, aut fluuiis, aut flatibus in eam irruentibus labefieret. Vnde Apostolus, vt summam in Ecclesia securitatem fidelibus præstaret: *Superædificati*, inquit, *estis super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Iesu Christo.* Ephes. 2. n. 20. Itaque ex vtroque mysterio, summa erat in veneratione lapis ille, proindeque aptissimus videbatur, vt in eo Arca à Palæsthina in Iudæam regressa locaretur. Sed obiter hoc loco expendendum, cur Christus Dominus in sacris Literis sub lapidis symbolo exprimatur.

Triplex ratio, cur in sacris Literis Christo Domino lapidis nomen tribuatur.

X. *Prima ratio.* PRima. Quia nasci voluit non solùm de peccatoribus, sed etiam de Gentilibus: qualis fuit Rahab, & Ruth. Gentiles autem in sacris Literis
Gentiles, petra. lapides appellantur. Vnde illud Baptistæ ad Iudæos, de cognatione cum Abrahamo se inaniter gloriantes: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Luc. 3. n. 8. Hoc est, De istis Gentili-
D. Ambr. bus & infidelibus, fideles. Vnde D. Ambr. lib. 2. in Luc. *Quid aliud*, inquit, *quàm lapides habebantur, qui lapidibus seruiebant, similes vtique iis, qui fecerant eos?* Et paulò pòst addit non immeritò comparari lapidibus eos homines, *Qui ita*, inquit, *humana sensum natura amiserant; vt dum lapidibus putant diuinitatis altemius inesse rationem; ipsi in naturam lapidum, non vsu corporis, sed mentis habitu verterentur.* Idem D. Ambros. serm. 13. in Psalm. 118. loquutus de Gentilibus, *Qui*, inquit, *metalla & saxa venerando, similem rigorem stuporis attraxerunt.* Iuxta illam Dauidis imprecationem: *Similes illis fiant, qui faciunt ea.* Psalm. 134. n. 18. Lapidescant enim necesse est, qui lapides adorant; cùm non magis à lapidibus, quàm à lapidum cultoribus, intelligendi ac sentiendi vis peregrinetur.

XI. *D. Greg. Nissen. Dei ac Dæmonis adoratores, quid differant.* Concinit D. Gregorius Nissen. Orat. 5. in Cant. vbi discrimen constituens inter Dei ac Dæmonis adoratores, *Vt*, inquit, *qui veram ad diuinitatem respiciunt, proprietates diuina natura in se recipiunt: ita, qui animum ad simulacrorum vanitatem adiiciunt, in illud ipsum transformatur, quod oculis est expositum; & ex homine fit lapis.* Necesse enim est, vt abominabilium idolorum adoratores fiant *abominabiles, sicut ea, qua dilexerunt.* Oseæ 9. num. 10. & lapidum amatores lapidescant. Et statim colligit, naturam, quæ per simulacrorum cultum redditur lapidea, tanquàm lapidem mouere se ad bonum non posse. Igitur Christus Dominus ex his lapidibus nasci voluit; iuxta illu[illegible] nitte agnum, *Domine, dominatorem terra, de petr[illegible] rti.* Isai. 16. num. 1. Hoc est, de Ruth, quæ Gentilis & Moabitis lapideam oaturam referebat. Vnde ipse Christus Dominus parentum nomine minimè dedignatus, lapis voluit appellari: non, vt ipse in lapidis rigorem obdurescerer; sed, vt cognatos suos in charitatis ardorem emolliret.

XII. *Secunda ratio.* Secunda. Per analogiam & similitudinem ad varia lapidum genera, quæ non patum similitudinis cum Christo Domino sortiuntur. In primis ad lapidem fundamentalem, de quo est illud: *Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem proba-*

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

A *tum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum,* &c. Isai. 28. num. 16. Hoc est, Christum Domi- *Christus lapis fundamentalis.* num: vt enim fundamentario lapidi tota ædificij moles inoititur; ita à Christo Domino totum Ecclesiæ ædificium sustentatur. Deinde ad lapidem *Lapis capitalis.* capitalem, seo, qui in capite, & in fastigio totius ædificij collocatur. Vnde illud de Christo Domino: *Educet lapidem primarium.* Zachar. 4. num. 7. seu, vt ex Hebræo legi potest, *lapidem capitis eius.* Vbi articulus, *eius*, fœmineos est: proindéque ad caput Ecclesiæ referri potest. Vt enim lapis capitalis summum ædificium fastigiat, & coronat: ita Christus Dominus totam Ecclesiam nobilitat & illustrat. Tertiò, ad lapidem angu- *Lapis angularis.* larem. Sic enim Isaias proximè citatus appella-
B uit. Et Dauid, *Lapidem*, inquit, *quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Psalm. 117. num. 22. Vt enim lapis angularis duos parietes ligat & nectit, vt firmiùs & tenaciùs coalescant: ita Christus Dominus Synagogam & Ecclesiam in vnius fidei vinculum coniungit; vt eodem vtraque colligata nodo in diuinum cultum amiciùs conspirent. *Ipse enim*, inquit Apostolus, *est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*, Ephes. 2. num. 14. dum in semetipso duos populos condidit in vnum nouum hominem; & reconciliauit ambos in vno corpore Deo per crucem. Vnde appellatur lapis stanneos, Zachar. 4. num. 10. Nam *stannum*, interprete Niceta in Orat. 44. Naz. *Res inter se distractas connectit: vt-*
C *pote quod glutinandi vim habet. Huiusmodi autem quidam in nobis Christus præstitit: siquidem illud verum est, quòd in vnum nouum hominum duos populos creat.*

XIII. *Lapis puluinaris.* Quartò, ad lapidem puluinatem, qualem Iacobus capiti suo supposuit dormiturus. Genes. 28. num. 11. Qui, vt D. Hieronymos in Psalm. 133. D. Augustinus lib. 16. Ciuit. cap. 38. D. Gregorius Naz. Orat. 34. D. Gregorius Magnus lib. 5. Moral. cap. 21. & plures alij tam Patres, quàm Interpretes ad eum locum exponunt, Christum Dominum repræsentabat. Vt enim Iacobus in eo lapide recumbens, suauitet obdormiuit: ita fidelis populus in Christo Domino conquiescens, æterna requie fruiturus designabatur. Vnde Chri-
D stus Dominus appellatur à D. Greg. Niss. in vita Moysis, *lapis confirmatorum, & domus quiescentium.* Et D. Gregorius Magnus, proximè citatus, *Caput*, inquit, *in lapide ponere, est mente Christo adhærere.* Vbi vlteriùs obseruat, superna spectacola non ioanifestari in cælo, nisi iis, qui dum in terra commorantur, caput suum in hoc lapideo puluino reclinant: hoc est, in Christo Domino tranquillissimè conquiescunt. *D. Hieron. D. August. D. Greg. Naz. D. Greg. Mag. D. Greg. Nis.*

XIV. *Lapis ocularis.* Quintò, ad lapidem ocularem, seu plurihus oculis distinctum ac cælatum. De quo Zacharias cap. 3. num. 9. *Super lapidem vnum septem oculi sunt. Ecce ego cælabo sculpturam eius.* Siue illi septem oculi sint septem spiritus Dei: hoc est, omnes spiritus, vel omnes Angeli Dei, qui perpetuò assi- *Qui sint septem oculi in Christo?*
E stunt Christo Domino, ad eius, non modò iussum, sed etiam nutum in quamlibet mundi partem exituri; iuxta illud eiusdem Zachariæ, cap. 4. n. 11. *Septem isti spiritus, oculi sunt Domini, qui discurrunt in omnem terram.* Siue sint septem Spiritus sancti dona, in Christum Dominum largissimè superfusa; iuxta illud Isai. 11. num. 2. *Et requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientia, & intellectus: spiritus consilij, & fortitudinis: spiritus scientia, & pietatis: & replebit eum Spiritus timoris Domini.* Quæ dona, tanquàm lumina: & qui spiritus tanquàm oculi, sanctissimam Christi

Nn animam,

animam, illustrissimam & oculatissimam reddiderunt. Siue denique sint omnis industria, omnis vigilantia, omne consilium Æterni Parentis in Christo Domino perficiendo & exornando.

Omnis enim in nato chari stat cura Parentis.

Tenu', Vnde Tertulian. lib. de resurrectione carnis, cap. 6. summam illam curam, qua Deus primum hominem de limo terræ coagmentauit, refert ad eam, qua Christi Domini corpus de substantia Beatissimæ Virginis compegit: *Limus*, inquit, *toties honoratur, quoties manus Dei patitur: dum tangitur, dum decerpitur, dum deducitur, dum effingitur. Recogita totum illi Deum occupatum ac deditum, manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia; & ipsa in primis affectione, quæ lineamenta ducebat.* Ac tandem huius tanti studij ac sollicitudinis causam reddens, *Quodcunque enim*, inquit, *limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus.* Ex quibus patet, totos diuinæ sapientiæ oculos huic lapidi Christo Domino poliendo, excolendóque incubuisse. Vnde addit Propheta: *Ecce ego cælabo sculpturam eius.* Nam licèt hunc lapidem inuidi Iudæorum oculi multis modis deformarent: eum tamen beneuoli Æterni Parentis oculi mitis cælaturis illustrarunt.

XV. *Lapis metatorius.* Sextò & vltimò, ne longiùs per alios lapides euagemur, ad lapidem metatorium, seu ad metam lapideam. Est autem meta, lapis, cuius multiplex vsus esse solet. Nam in agris distinguit hæreditates: in publicis viis designat spatia leucatum: in curriculis, seu stadiis, indicat locum, quem qui primus attigit, victor euadit. Quibus omnibus modis Christus Dominus dici potest lapis metatorius. *Lapis metatorius hæreditatum.* Nam in primis ipse est meta, seu lapis hæreditaris: quia in primo aduentu Synagogam & Ecclesiam, Iudæos & Gentiles, tanquàm duas hæreditates, veterem ac nouam distinxit. Vnde eum locum Zachariæ 4. n. 7. proximè citatum, *Educet lapidem primarium*, transferunt Septuaginta: *Educet lapidem hæreditatis.* Vt significent, Christo Domino, tanquàm meta, seu limite, terminari Synagogam, & inchoari Ecclesiam: & vt per metam, seu limitem, ius hæreditatis innotescit & roboratur; ita per Christum Dominum nouam Ecclesiam in perpetuam Deo hæreditatem designari & stabiliri. In secundo autem aduentu ipse prædestinatos à reprobis discriminabit: *Sicut pastor segregat oues ab hædis: & statuet oues quidem à dextris suis; hædos autem à sinistris.* Matthæi 25. num. 33. Faciet quidem segregationem, sicut pastor, qui huc illuc discurrendo segregat: sed factam conseruabit, sicut lapis metatorius, qui perseuerando immobilis distinguit. Vnde illud de Ioseph, in sensu proprio; de Christo Domino, in figurato: *Inde pastor egressus est, lapis Israel.* Genes. 49. num. 24. Pastor enim dicitur, & lapis: pastor, qui agnos ab hœdis separat: lapis, qui separatos, tanquàm interposito limite seu meta, in æternum distinguit. Tandem bonos Angelos à malis, tanquàm propriam hæreditatem ab aliena seiungit. Vnde illud: *Lapidem caliginis, & vmbram mortis, diuidit torrens à populo peregrinante.* Iob. 28. num. 4. Quod, quamuis Lyranus vniuersaliùs interpretetur de separatione omnium prædestinatorum à reprobis: nihilominùs pressiùs intelligi potest de diuisione bonorum Angelorum à malis: è quibus hi per lapidem caliginis, id est, Luciferum solo nomine lucidum; factis verò caliginosum, & per vmbram mortis intelligantur: illi autem per populum peregrinantem, qui peregrè à rebus temporalibus ad diuinas se conferat, designentur. Vtrosque verò Christus Dominus in extremo Iudicio, tanquàm torrens inundans separabit: & tanquàm ingens lapis, ne vnquam inter se coëant, distinebit. Est igitur Christus Dominus lapis hæreditatum, seu possessionum, qui suas ab alienis separat ac distinguit.

Est item lapis viarum index, & discriminator: qui certa locorum spatia, & quàm quisque debeat viam carpere, demonstrat. XVI. *Lapis metatorius viarum.* Si quis enim scire velit, quàm diuersus à cæli ianua peregrinetur, seu quàm vicinus cæli aditum aggrediatur; Christum Dominum consulat, non modò loquentem, sed etiam operantem; facta factis componat: & ex factorum similitudine, vel dissimilitudine, quantùm ipse accedat, vel recedat à via salutis, non obscurè deprehendet. Nam, vt bene Diuus Bernardus serm. ad milites templi, cap. 11. *Vita Christi, viuendi mihi regula extitit.* D. Bern. Et Diuus Gregorius lib. 30. Moral. cap. 30. D. Greg. *Deus*, inquit, *inter nos homo factus est: vt non solùm nos sanguine fuso redimeret; sed etiam ostenso exemplo commutaret.* Planiùs adhuc ac pleniùs Diuus Basilius in Constitutionibus monasticis, cap. 2. D. Bas. *Omnis actio*, inquit, *omnis item sermo Saluatoris nostri Iesu Christi, exc olenda pietatis, virtutisque obeunda regula est. Propter hoc enim humanam naturam suscepit; vt in se, velut in tabula quadam, veram nobis pietatem ac virtutem depingeret; eámque omnibus nobis ante oculos statutam, vnicuique pro viribus imitandam, seu archetypum proponeret.* Vt igitur lapis viarum, inscriptis notulis viam in vrbem: ita Christus Dominus verbis & factis viam in cælum demonstrat. *Lapis metatorius stadiorum.* Tandem est lapis, seu meta in extremo stadio defixa; in qua præmia velociùs currentibus, & feliciùs decertantibus proponuntur. Nam ad Christum Dominum qui accesserint, tanquàm ad finem ac metam laborum suorum, coronantur. Vnde sæpè Christus Dominus in Scriptura *finis* appellatur: vt in 1. Tomo, Annot. 1. Sect. 1. aduerti: *finis*, inquam, *perficiens, non interficiens; consummans, non consumens*; vt ibidem ex D. Aug. adnotaui: quia, qui ad huc finem euadunt; ad metam, ad coronam accedunt: D. August. nec vitam finiunt, sed feliciùs exordiuntur. Quare rectè monet Apostolus, vt *per patientiam curramus ad propositum nobis certamen; aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum.* Hebr. 12. num. 2. Vt, ab hoc fine consummatore, consummatæ felicitatis exordia nobis inchoëntur. Quam ob causam Moyses, cùm ad beatam visionem adspiraret, dicens: *Ostende mihi faciem tuam*: stare iubetur super hanc Petram: *Stabis*, inquit, *super petram; cùmque transibit gloria mea, &c. videbis posteriora mea*, &c. Exod. 33. num. 22. Vbi, interprete Diuo Augustino q. 154. in Exod. D. August. post transitum, id est, post passionem & resurrectionem Christi significatur, fore vt populus fidelis ad Christum Dominum concurrat, & in eo fixus per fidem & charitatem, ad cælestem gloriam enitatur. Quid enim in hac meta nisi corona proponatur?

XVII. *Tertia ratio.* Tertia ratio, ob quam Christus Dominus dicatur lapis, ex duplici lapidis proprietate, quæ in eum quàm aptissimè conuenit. Vna est, lapidis soliditas. *Christus lapis ob soliditatem.* quæ in Christo Domino contra omnes vitiorum incursus, & infernorum serpentium morsus extitit singularis. Vnde, cùm D. Gregor. Naz. Orat. 34. suprà citat. D. Greg. Naz. sub illo Iacobi lapide Christum interpretetur; eius Scholiastes interpretationis rationem inculcans, *Lapis*, inquit, *Christus dicitur propter corporis soliditatem ac duritiem, nullas ad affectiones cedentem.* *Christi duritia à Iudæis reprehenditur; ipsis, vt blasphemus, reprehendendus.* Quanta conque enim iacula in Christum Dominum ab eius hostibus, tam visibilibus, quàm inuisibilibus torquerentur: ea quidem ad eximiam illius sanctitatem,

tem, tanquàm ad eximiam corporis soliditatem impacta, statim irrita in ipsos iaculatores resiliebant. Scio quidem Iudæos, hanc eius soliditatem, in malam partem interpretatos; & quæ erat diuina quædam firmitas & stabilitas, vt lapideam aut ferream duritiem accusasse: sed non ignoto, quanto iure à Guerrico Abbate ser. 1. de sancto Benedicto arguantur: *Offenderunt*, inquit, *in lapidem offensionis, & petram scandali: cuius prebata virtus corripiebat & erudiebat insipientes, probabátque mentes: cùm ipsi virtutem sapientiæ, duritiam lapidis interpretarentur: duráque omnia, disciplinam, vultum, sermonem causarentur. Durus est, inquiunt, hic sermo. Esto. Sermo durus est: nunquid non verus est? Lapis durus est: nunquid non pretiosus est? Quare autem veritas dura est tibi, nisi propter duritiam cordis tui? Si cor tibi pietate mollesceret; plùs tibi soliditas veritatis, quàm vanitas mendacij, vel oleum adulationis placeret.* Et paulò pòst; *Non aliam ob causam*, inquit, *pretiosum & electum à Deo lapidem reprobauerunt, nisi quia durum putauerunt. Et erat quidem petra Christus, sed virtute, non duritia. Erat petra; sed quæ conuerti posset: immò & conuersa est in stagna, vel fontes aquarum; vbi mollia & humilia, quibus influeret, inuenit corda fidelium. Nam & isti, qui tam citò offensi quadam specie duritiæ, retrò abierunt, si permansissent cum Apostolis, bibissent forsitan cum eis de consequente eos petra; immò suxissent etiam mel de petra, oleúmque de saxo durissimo.* Hæc ille eleganter ad explicandam soliditatem huius lapidis; mira tamen cum suauitate temperatam: qui, scilicet, obdurescebat ad hostium ictus; liquescebat ad amicorum fletus: rigebat ad plagas; fluebat ad preces.

Guerric.

XVIII. Ad hanc petram respiciens Iobus cap. 29. n. 6. *Petra*, inquit, *fundebat mihi riuos olei.* Vbi Diuus Gregorius lib. 19. Mor. cap. 12. per petram Christum; per riuos olei, eius doctrinam interpretatus, *In his*, inquit, *olei riuis quisquis tingitur, quisquis vngitur; interiùs impinguatur.* In eundem sensum vocat Zacharias citatus c. 4. num. 10. Christum Dominum lapidem stanneum. Quod Nicetas, vbi suprà, in hanc rem expendens, *Aiunt*, inquit, *stannum ex ære & plumbo commixtum ac temperatum esse: quamobrem nec duritiei omninò est expers; nec rursus mollitiem omninò respuit. Eodem ferè modo Emmanuel ex firmissima, nullique perfractioni obnoxia diuinitate, & ex molli, atque, vt ita dicam, affectibus agitata humanitate compositus est.* Accedit Diuus Gregorius Nissenus in vita Moysis: *Lapis*, inquit, *vt Apostolo placet, Christus est; siccus & durus nimiùm infidelibus: cui si qui virgam fidei adducant; potus fit sitientibus intrò in ipsos fluens, atque manens.* Neque solùm sitientibus potus fiet hic lapis, sed etiam esurientibus cibus. Vnde illam Iosephi benedictionem, *Inde pastor egressus est, lapis Israël.* Gen. 49. n. 24. vertunt aliqui ex Hebræo, *Inde pascit lapis Israel.* Vt significetur Christus Dominus, qui in eucharistico conuiuio pretiosus est, & lapis, propter munimentum, quod præstat: & panis, propter oblectamentum, quod affert. Quod si Diabolus præuideret, non tentaret Dominum, dicens, *Dic, vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4. n. 3. præscius, fore vt qui iam lapis erat ad fideles muniendos, is ad eosdem reficiendos in panem verteretur. Igitur Christus Dominus lapis fuit; durus quidem, propter virtutis soliditatem; quamuis blandus, propter morum facilitatem.

Christus petra solida, sed blanda.

Christus lapis stanneus.

D. Greg. Niss.

Christus lapis resluens in fontes aquarum.

Christus lapis, & panis.

XIX. Altera lapidis proprietas est natiua grauitas, qua in infimum terræ punctum cæteris corporibus subiiciendus descendit. Vnde illud: *Descenderunt in profundum, quasi lapis.* Exod. 15. num. 5. Vbi profundus Ægyptiorum descensus, cum descensu

Christus lapis ob humilitatem.

A lapidis, quo profundior esse non potest, comparatur. Cum hac lapidis grauitate rectissimè cohæret Christi Domini humilitas, qua se ille ad infima terræ loca, quasi natiuo quodam pondere abiecit. Nam à sinu Patris desiliit in vterum matris: ab hoc in stabulum: hinc in sepulcrum: deinde in infernum: tandem *A summo cælo egressio eius: & occursus eius vsque ad summum eius.* Psalm. 18. num. 7. hoc est, ex altissimo diuinitatis fastigio ad vilissimum humanitatis nostræ exilium descendit. Quod Diuus Augustinus expendens, *Ipse*, inquit, *tanquàm sponsus, cùm Verbum caro factum est, in vtero virginali thalamum inuenit; atque inde natura coniunctus humanæ, tanquàm de castissimo procedens cubili, humilis misericordia infra omnes, fortis maiestate*
B *super omnes, exultauit ad currendam viam.* Vides, vt hic lapis Christus Dominus ad infimam terræ partem suo se nutu ac pondere abiecerit: & quanta festinatione lapis ad centrum, tanta Christus ad abiectissimum locum adspirauit?

D. August.
Christus ad infimum locum festinat.

Sed, quem summa humilitas infimo loco addixit; eundem omni creaturæ quodammodo subiecit. In primis Angelicæ: *Minuisti eum*, inquit Dauid, *paulò minùs ab Angelis.* Psal. 8. n. 6. Angelis subditur, qui Angelis dominatur: *Videbitis*, inquit Dominus, *Angelos Dei ascendentes & descendentes supra Filium hominis.* Ioan. 1. n. 51. Etiam cùm ad humilia ministeria descendebant Angeli, supra Filium hominis manebant: quia quantacunque esset eorum humilitas, profundior erat humilitas
C Christi Domini. Illis etiam humiliter subiectis, Christus Dominus humilior subiacebat. Primum præfationis honorem Ioannes Deo impertiit: secundum Angelis: tertium Christo Domino: *Gratia vobis*, inquit, *& pax, ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est: & a septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt: & à Iesu Christo, qui est testis fidelis.* Apocalypsis 1. num. 4. & 5. tum ob alias rationes: tum ob singularem Christi Domini humilitatem: qui, sicut secundam ab Angelica naturam sibi hypostaticè vnire voluit; ita secundum reuerentiæ locum obtinere, vt simul esset Alpha & Omega, primus & vltimus. *Primus*, inquit D. Ambrosius, *æternitate: vltimus humilitate.*

XX. *Christus omni se creaturæ subiecit. In primis Angelis.*

D. Ambr.

Adde, & rationali humanæque naturæ se subie-
D cisse: dum se appellauit *nouissimum virorum.* Isai. 53. n. 3. seu, vt est in Hebræo, *Cessationem & desitionem virorum.* Quasi in eo perfectionis humanæ termino sit, in quo homo conseruetur: in quouis alio inferiore, vt Philosophi loquuntur, corrumpatur. Atque adeò omnes homines habeat supra se: nullum infra se. *O nouissimum*, exclamat Diuus Bernardus, *& altissimum! O humilem, & sublimem! O opprobrium hominum, & gloriam Angelorum!* Nec solùm infra hominem se reposuit: sed etiam extra hominem; dum à se humanam naturam quodammodo abdicauit: *Ego autem*, inquit, *sum vermis, & non homo.* Psalm. 21. num. 7. Non quòd humanam naturam exuerit; sed quòd vermiculi quodammodo superinduerit vili-
E tatem: vt sicut vermiculus ab omnibus contemnitur; ita & ipse ab omnibus contemptui haberetur. Quæ fortasse causa fuit, cur aliquando Christus Dominus serpenti se comparauit, dicens: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis.* Ioan. 3. num. 14. Quasi non minùs contemptibilis & execrabilis, quàm serpens ab omnibus reputaretur. Nam omnes, interprete Diuo Epiphanio hæresi 37. *Instar serpentis Dominum Saluatorem ignominia afficiebant.*

XXI. *Deinde hominibus.*

D. Bern.

Christus vermis, & serpens, cur dicatur.

D. Epiph.

D. Epiph.

Ad hæc, vt summum humilitatis exemplum XXII.

Christus ab ipsamet substantia exinanitus. præberetur, non solùm ab humana natura, sed etiam ab ipsa substantia se videtur quodammodo abdicasse: *Infixus*, inquit, *sum in limo profundi: & non est substantia*. Psalm. 68. n. 3. Ac si ita se humiliaret, vt ab omni se substantia exinaniret; iuxta Apostolum dicentem: *Semetipsum exinaniuit*. Phil. 2. num. 7. Vnde cælestis Sponsa, *Oleum*, inquit, *effusum nomen tuum*. Cantic. 1. num. 3. seu, vt legit
D. Ambr. Diuus Ambrosius, *Oleum exinanitum*. Quia tanta fuit Christi Domini humilitas, vt omnem à se, non modò maiestatem, sed etiam entitatem ablegasse videretur. Et sicut homines per superbiam euanescentes ad nihilum rediguntur: ita ipse per humilitatem nihili penderetur. Sed de hac re alibi plura. Hæc interim satis sunt, vt ostendatur, quanta ratione Christus Dominus sub lapidis nomine & typo designetur.

XXIII. *Christus, lapis; lapides, & Christiani.* Sed hic obiter aduerte, sicut Christus lapis dicitur, ita & Christianos lapides appellari. Vnde Iobus de sua illa aquila contemplatricis animæ figura, quæ in cælo cum Christo, in terra cum Sanctis requiescit; *In petris*, inquit, *manet*. Iob. 39.
D. Greg. n. 20. Vbi D. Greg. lib. 3. Mor. c. 34. sicut per petram Christum; ita per petras, Christianos interpretatur: *In sacro*, inquit, *eloquio, cùm singulari numero petra nominatur, quis alius, quàm Christus accipitur? Paulo attestāte, qui ait: Petra autem erat Christus.* 1. Cor. 10. n. 4. *Cùm autem petra pluraliter appellantur: membra eius, videlicet, sancti viri, qui illius robore*
A Christo lapide viuo, vitam hauriunt lapides Christiani. *solidati sunt, exprimuntur*. Sed quemadmodum Christus lapis viuus est: ita & Christiani, ab illo, cui adglutinantur, vitam spirituales haurientes. Vnde Apostolus de Christo loquutus, *Ad quem*, inquit, *accedentes lapidem viuum, &c. & ipsi tanquam lapides viui superædificamini, &c.* 1. Petr. 2. n.
Peccatorum inobedientia. 4. Vbi non solùm viui dicuntur hi lapides, virtute primarij ac viui lapidis Christi Domini in eos deriuata: sed etiam iis, tanquam viuis, operationes viuentium tribuuntur. Nam lapides mortui suis hærent lapidicinis, ex quibus difficilè præciduntur & extrahuntur, difficilè ad ædificium connehuntur & exportantur; difficilè tandem in ipso ædificio collocantur & retinentur, sua eorum grauitate deorsum nutante, & ad infimum locum deuergente. In quo peccatores spirituali vita destitutos repræsentant, qui suis voluptatibus, seu potiùs cœnosis volutabris affixi, difficillimè inde euelluntur, & in spirituali Ecclesiæ ædificio difficillimè coaptantur, sua semper eos misera cupiditate ad priores delicias reuocante.

XXIV. *Sanctorum obedientia.* At verò lapides viui, hoc est, viri sancti, sine opificum labore, hoc est, sine Prælatorum imperio, è suis natiuis locis quodammodo subsiliunt; & quò à Deo vocantur, suapte sponte incitati rapiuntur; vt in spirituale Ecclesiæ ædificium coagmententur. Quod D. Hier. in c. 9. Zach. eleganter expen-
D. Hieron. deus, *Lapides*, inquit, *sancti in tantum erunt leues, & in sublime nitentes, vt non præstolentur ædificantium manus: sed ipsi festinent imponi super fundamentum Christi, & contineri angulari lapide*. Vbi cernitur mira horum lapidum erga primarium illum lapidem Christum Dominum obseruantia: qui non vocem, non clamorem, non imperium, non vllam denique violentiam expectant, vt obsequantur, & suo lapidi angulari adglutinentur; sed ipsi sua sponte properant & festinant, vt suo Domino in domum spiritualem coniungantur & aggregen-
Sanctorum in diuino obsequio celeritas, & parcitas. tur. De quibus ipse Zacharias c. 9. n. 16. *Lapides*, inquit, *sancti eleuabuntur super terram eius*. Quem locum D. Hier. in cap. 28. Ezech. expendens, & cum Septuaginta transferens, *voluentur*; ad eorum cele-
D. Hieron. ritatem, qua in diuino obsequio aguntur, expri-

A mendam, subdit: *Lapides sancti voluuntur super terram, instar rotarum, paululum tangentes humum, & volubilitate sua ad cælestia festinantes*. Vbi similes rotis dicuntur: tum, quia viui erant; *spiritus enim vitæ erat in rotis*. Ezech. 1. n. 20. tum, quia sicut rotæ terram in puncto tangunt, & citissimè agitantur; ita & illi res terrenas quàm parcissimè prælibant, & ad diuinas quàm ocyssimè rapiuntur, vt suo capiti Christo Domino coniungantur; vel potiùs, vt illi pulcherrimū in diadema fabricentur. Illud enim, *lapides sancti*, trāsferri ex Hebræo potest, *lapides diadematis*; quo, scilicet, Christus Dominus coronetur. *Sancti lapides diadematis.*

Et conciderunt ligna plaustri, &c. Solebant veteres Patriarchæ, beneficio aliquo diuinitùs accepto, litare Deo in gratiarum actionem. Sic Noë, finito XXV. *Vetus consuetudo litandi Deo in gratiarum actionem.*
B diluuio. Genes. 8. n. 20. Manuë, facta promissione de filio nascituro. Iudic. 13. n. 19. Dauid, cessante pestilentia, quæ regnum opprimebat. 2. Regum 24. num. 29. & alij frequentissimè. Non aliter & Bethsamitæ, (si illi fuerunt huius sacrificij auctores, quod statim expendam) recepta Arca, quo beneficio nullum maius sperabant; conciderunt plaustrum, seu in frusta minutissima, vt ex Hebræo deducitur, secuerunt; & structa pyra, vaccas, quæ Arcam tulerant, superimpositas in gratiarum actionem immolarunt.

Dubitatur tamen primò, Bethsamitæne, an Philisthini hoc egerint, seu obtulerint holocaustum? XXVI. Veteres Hebræi, quibus Salianus fauet, & quorum doctrinam Mariana sequitur, existimant à Philisthinis celebratum: tum, quia hoc sacrificium fuit *Aliquorum sententia existimantium, hoc sacrificiū à Philisthinis celebratum.*
C diuersum ab illis, quæ sequenti Num. referuntur; & cùm illa à Bethsamitis facta dicantur, videtur, hoc Philisthinis tribuendum: tum, quia factum fuit contra legem diuinam, quæ prohibebat, ne victimæ femellę in holocaustum mactarentur, vt ex dicendis patebit; quod non facerēt Bethsamitæ diuinę legis cultores, sed Philisthini illius legis ignari: tum, quia Bethsamitę non habebant ius ad alienum plaustrum concidendum, & alienas vaccas immolandas; quod ad solos Philisthinos legitimos earum rerum possessores spectabat: tum denique, quia sicut Philisthini Arcam cum muneribus è Palæsthina dimiserunt; ita videntur eandem cum sacrificiis in Iudæa reliquisse, vt ex vtroque capite *Salian. Marian.*
D suam erga illam gratitudinem testarentur. Quod fortasse insinuare voluit Sulpitius illis verbis: *Regnis allophylorum vsque in fines Hebræorum Arcam sequenti, religiosum officium præstiterunt*. Quod enim religiosius officium esse potuit, quàm holocaustum in gratiarum actionem celebratum? *Sulp.*

Nihilominùs Interpretes & Doctores communiori & probabiliori consensu tradunt, hoc holocaustum factum à Bethsamitis. Ita D. Greg. Beda, Hug. Victor. & Cardinalis, Carthusianus, Comest. Sulpitius, Abul. & alij. Quam interpretationem duplex ratio confirmat. Vna: quia Philisthini iussi sunt prosequi Arcam, solùm ad videndum, quò ipsa pergeret, & vbi sisteret, vt inde certam de suis plagis facerent coniecturam supra, Num. 9. non XXVII. *Melior eorum sententia, factum à Bethsamitis.* *D. Greg. Beda. Hug. Vict. Hug. Car. Carthus. Comest. Sulp. Abul.*
E autem ad sacrificandum; & paulò inferius Num. 16. *Viderunt*, inquit Textus, *& reuersi sunt*: nulla facta sacrificij mentione. Ergo non sacrificarunt: præsertim cùm illi nihilo meliores facti, adhuc suis idolis adhærerent, & pristinas cum Hebræis inimicitias conseruarent: quas paulò pòst, sequenti Cap. Num. 10. & deinceps, vbi se dabat occasio, prodiderunt. Altera: quia Hebræis nefas erat cum Gentibus cōmunicare, præsertim in cultu diuino & ceremoniis sacris: vnde illud præceptum Dei ad Moysem: *Iuxta morem regionis Chanaā, ad quam ego introducturus sum vos, nō agetis, nec in legitimis eorum* *Probatur superior sententia.*

ambula

ambulabitis. Leu. 18. n. 3. Ergo non debuerunt eorum sacrificiis interesse; eisque sua præsentia auctoritatem aliquam præstare; ac denique Gentilitio ritu sacrificantibus consentire: & proinde nulla ibi Philisthinorum sacrificia interfuêre.

XXVIII. *Rationes in oppositum diluuntur. Prima. Secunda.*

Neque rationes in oppositum conuincunt. Prima: quia, licèt sacrificia in hoc & seq. Num. diuersa fuerint, omnia tamen à Bethsamitis peragi potuerunt. Secunda: quia, si aduersarij admittere tenentor, Bethsamitas contra legem cum Gentilibus communicasse: cur non admitterent contra legem indebitas victimas obtulisse? Tertia: quia non plus iuris acquisisse videntur Israëlitę in mures & anos aoreos, quàm in plaustrum illud & vaccas: hæc enim omnia Philisthini liberaliter donasse censebantur: proindéque sicut illa priora munera retinere, & in diuinum cultum consecrare potuerunt; ita & hæc posteriora. Quarta: quia ad priora illa munera offerenda, Vatum Sacerdotumque imperium vrgebat; non autem ad hæc posteriora: quare maiorum suorum præceptis obstricti nihil ampliùs agerent, quàm quod illi imperabant. Neque Sulpitius religiosi officij nomine sacrificium intelligit, cùm hoc à Bethsamitis præstitum fuisse dicat; sed officiosum illum comitatum, quo Arcam à tergo sequebantur.

Tertia. Quarta.

XXIX. *Cur plaustrũ combustum, & boues immolati. Abul. Abulensis opinio reiicitur. Duplex quæstionis responsio. Prima.*

Dubitatur secundò, cur Bethsamitæ illud plaustrum, quo Arca vecta est, comburere; & illas vaccas, quæ Arcam portarunt, immolare voluerunt? Respondet Abulensis: *Quia nihil promptius occurrit.* Sed contrà: quia paulò inferiùs Num. sequenti dicuntur Bethsamitæ, holocausta alia, & victimas alias obtulisse: non ergo eis deerat, quod immolarent. Neque sanè metentibus, ac fortè etiam triturantibus in agro triticum, deesse poterant ad vectutam ac trituram alij boues immolandi. Dupliciter igitur respondeo. Primò, vt combusto illo plaustro, & immolatis illis vaccis, quæ Arcam tulerant, feliciter sibi ominarentur Bethsamitæ, Arcam nunquàm ampliùs ex Iudæa auehendam esse, & ad externas Gentes exportandam. Simile quid olim in Bœotia contingebat, vt refert Plutarchus in Problematis Romanis, Problemate 28. nam sponsæ in domum sponsi plaustro ducebantur: vnde illa phrasis *ducendi vxorem*, orta est: iis verò in sponsi domum ingressis, statim plaustrum præ foribus eiusdem sponsi cremabatur: vt omnis spes nouis nuptis eriperetur ampliùs ex illa domo exeundi. Sic igitur post Arcam restitutam, plaustrum & boues, quæ illam portauerant, comburuntur: vt omnis timor illam iterum amittendi, penitùs amittatur. Ita solent & veri pœnitentes ea instrumenta, quibus Deum offenderant, à se penitùs abdicare, & in totum abolere: testati ex hoc indicio, nunquàm ampliùs sibi à Deo recedendum.

Plutarch. Vetus vxorẽ ducendi consuetudo.

Secunda.

Respondeo secundò, vt plaustrum & boues, quæ rei sacræ deseruierant, nunquàm deinceps rebus profanis deseruirent. Nam, sicut Philisthini curarunt anteà, vt plaustrum esset nouum, & boues iugi expertes; ne à rebus profanis aliquid transiret ad diuinas: ita posteà curarunt Bethsamitæ, vt statim illud plaustrum, & boues illæ extinguerentur, ne aliquid à rebus diuinis ad profanas remigraret. Iniquum enim esset, rem sacris ministeriis addictam, profanis vsibus inseruire. Vnde Christus Dominus volens tributum soluere Publicanis, dixit Petro: *Vade ad mare, & mitte hamum; & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle; & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens da eis pro me, & te.* Matthæi 17. n. 27. At, cur tanto miraculo vsus est, vt pecuniam soluendam compararet; & non potiùs ex loculis, quos habebat Iudas, eam deprompsit?

A Respondet ibi D. Hier. *Quia res,* inquit, *pauperum, in suos vsus conuertere nefas putauit.* Si igitur Christus Dominus pecuniam Apostolico collegio addictam, noluit in priuatos vsus expendi; quo pacto rē Deo consecratā in profanos vsus abire patietur?

D. Hier. Pauperũ res, in proprios vsus non expendenda.

XXX. *Lyran. Abul. Rancol. An Bethsamitæ peccauerint sacrificando, & quomodo? Aliquorum opinio proponitur, falsa tamen. Abul.*

Dubitatur tertiò: An Bethsamitæ in hoc sacrificio peccarint? Interpretes, qui hoc dubium attingunt, Lyra, Abul. Rancolius, affirmant. At in quo huius peccati ratio consistit? Dicet aliquis: Quia laïci obtulerunt. Sed falsum assumit. Non enim laïci per se ipsos, aut etiam per Leuitas; sed per Sacerdotes immolasse credendi sunt; vt Abulensis q. a 1. aduertit: quamuis id in Litera non exprimatur. Nec obstat, quòd paulò inferiùs sequenti Num. viri Bethsamitæ dicantur immolasse. Nam, vel illi
B fuerunt Sacerdotes: vel, si laïci; non per se, sed per Sacerdotes immolarunt. Immolare namque in sacris Literis dicuntur non solùm illi, qui sacrificia ipsa exequuntur; sed qui hostias Sacerdotibus offerunt, Deo conficiendas, vt Cap. 1. Num. 3. iam ostendi. Nec difficile fuit hæc per Sacerdotes fieri in vrbe Bethsames, quæ, vt Num. 9. diximus, sacerdotalis erat: & proinde Sacerdotum frequentia abundabat. Dicet aliquis: Quia in loco profano extra tabernaculum immolarunt. Sed contrà: Quia sacrificia licitè fiebant, non solùm in tabernaculo, vbicunque esset; sed etiam coram Arca, quocunque in loco poneretur: vt Cap. 4. Num. 4. 5. 8. ostensum est. Cùm igitur hic adesset Arca, locum sanctificabat, vt in eo sacrificia licitè agerentur.
C Dicet tandem alius: Quia vaccas lactantes ac nutrientes occiderunt, in quo aliqua crudelitatis species apparebat. Vnde præcipiebat olim Deus, vt si quis nidum & matrem pullis, vel ouis incubantem inueniret; saltem ipsam matrem abire pateretur. Deuter. 22. num. 6. *Docens,* inquit Theodoretus quæst. 2 t. *humanitatem: si enim parentes caperet, relictis pullis, statim pulli interirent; quia non haberent, à quo alerentur.* Ita igitur hoc holocaustom de vaccis lactantibus oblatum, aliquid impietatis redolere videbatur propter desertam prolem. Sed hæc ratio leuior est, quàm, vt ex illa aliqua culpa arguatur. Nam in primis lex Deuteronomij, quæ obiicitur, erat in volatilibus, non in terrestribus. Et quamuis in vtrisque par ratio appareret, parum
D interest: quia in lege positiua, qualis illa erat, non valet argumentatio à simili, cùm sæpè pro ratione, Legislatoris voluntas habeatur. Deinde, in causa religionis, seu pro cultu diuino, nullius momenti erat illa vitulorum, absque matribus, solitudo: alioqui nec agni anniculi immolarentur, ne debita ac naturalis in illam teneram & innoxiam ætatem commiseratio offenderetur, aut impediretur sobolis, quæ de illis propaganda sperabatur.

Aliorum placitum reiicitur. Aliorum sententia confutatur.

XXXI. *Vera opinio de Bethsamitarũ peccato. Beda. Explicatur Beda.*

Vera igitur peccati ratio fuit: quia vaccas fœminas in holocaustum obtulerunt; cùm tamen holocaustum, non nisi de masibus fieri præcipiatur. Leuit. 1. n. 3. & Leuit. 22. num. 19. Perfectissimum enim sacrificium, quale erat holocaustum, non
E nisi de perfectissimis victimis, quales erant masculæ, fieri oportebat. Fateor vocata fuisse à Beda, hæc Bethsamitarum sacrificia *bene acta*: quia, licèt ex obiecto essent illicita, ac legi diuinæ repugnantia; ex aliqua tamen circunstantia à culpa excusari potuerunt; qualis fortasse fuit nimius deuotionis feruor, quo ad sacrificandum agebantur: hic enim affectum vehementer accendens, non sinebat satis lucidè speculari intellectum. Nam ex Bethsamitis, alij, vt loquitur Iosephus, *Præ gaudio mittentes opus è manibus accurrebant.* Alij, vt loquitur Theodoretus q. 13. *Lubenter accurrerunt,*

Ioseph. Theod.

rerunt, & admirati sunt Dei victoriam. Alij, vt loquitur Sulpitius, *Certatim ex oppido Bethsames, cum gaudio obuiam ruere, festinare, exultare, gratias Domino referre.* Omnes, vt loquitur Sabellicus, *insperato gaudio, nimiaque lætitia, abortis lacrymis venerabundi currum, quasi cælo demissum excipiebant.* Vnde in tanta festinatione exultationeque, difficile non fuit, aliquam holocausti ceremoniam etiam inculpabiliter præterire. Quod certius erit, si quis dicat cum Dionysio, eos peculiari instinctu diuino actos esse ad eas boues immolandas, ne profanis vsibus superessent: aut certè legem diuinam prudenter interpretatos, quæ iubet, vt in holocausto, quod *de armento fit*, masculus offeratur. Leuit. 1. n. 13. Illas autem vaccas iam non esse *de armento*; sed, *egregias*, vt vocant, hoc est, à grege separatas; seu *eximias*, hoc est, à cæteris exemptas; ac tandem in diuinum cultum iam addictas & consecratas: proindeque ex illis, salua lege, holocaustum fieri potuisse.

Sulp. Nimia tamen huius ... parit. Sabell. D Dion. Quod Deo seruit, profanis vsibus non inseruatur.

XXXII. Dubitatur vltimò: Quid mysticè hoc holocaustum repræsentet? Respondet Beda, repræsentare illud, quod fit de euangelicis Prædicatoribus. Et in exemplum adducit Henoc & Heliam in his geminis vaccis apertiùs repræsentatos. Sed eadem est ratio de cæteris. Nam, sicut vaccæ post magnam itineris defatigationem tandem in holocaustum oblatæ conflagrarunt: ita euangelici Præcones post diuturnos vitæ labores gloriosa martyrii morte defunguntur. Immò, sicut vaccæ ferentes illud plaustrum, super quo erant comburendæ, strenuè pergebant: ita & Prædicatores, annuntiatores Euangelium, cuius gratia sunt immolandi, prę animi affectu, & spiritus feruore, non defatigantur. Quo pacto & Isaac ferebat ligna, quibus erat ipse comburendus. Gen. 22. num. 6. nec tamen illo onere grauabatur: vt rectè expendit Philo Iudæus lib. De Abrahamo: *Ligna*, inquit, *ferenda dedit filio: aquum censens, vt ipsa victima deportaret res, quas postulabat sacrificium: leuissimam sarcinam. Nihil enim est pietate grauius, nihil magis industrium.* Vbi expende illud, *Leuissimam sarcinam.* Quasi illa ligna grauatos non redderent humeros, sed alatos: à cursu non impedirent, sed ad volatum excitarent.

Beda. Per boues mysticè significantur Prædicatores. Philo. Nihil pietate grauius, nihil magis industrium.

XXXIII. Sic & Christus Dominus *Baiulans sibi Crucem*, in qua suffigendus & immolandus erat, *exiit in eum, qui dicitur Caluariæ locum.* Ioan. 19. num. 17. Quam Crucem rectè vocat D. August. tractat. 117. in Ioan. *Candelabrum.* Vt enim super hoc ponitur lucerna, ardora quidem, sed illuminatura domum: ita & Christus Dominus agendus erat in Crucem, quam portabat; moriturus quidem, sed viuificaturus mundum. *Ipsam*, inquit Augustinus, *Crucem suam suo gestans humero commendabat: & lucerne arsura, qua sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat.* Et quidem multò fortior suam Crucem, quàm vaccæ Philisthinorum suam Arcam baiulauit: nam vaccæ descendebant in vallem Bethsamiticam; Christus Dominus in Caluariæ montem ascendebat: quantò autem ascensus difficilior est descensu; tantò maior Christi Domini, quàm illarum boum fortitudo. Repræsentauit quidem, sed non exæquauit Christi Domini in sua Cruce portanda fortitudinem illa vitula, de qua Moyses: *Tollent, inquit, vitulam de armento, quæ non traxit iugum, nec terram scidit vomere, & ducent eam ad vallem asperam atque saxosam, & cadent in ea ceruices vitulæ.* Deut. 21. num. 3. & 4. Nam hæc sine pondere in vallem mactanda ducebatur: vt neque grauitate sarcinæ, neque difficultate viæ laborаret: at verò Christus Dominus sub ingenti Crucis

D. August. Crux Christi Domini candelabrū, cuius lucerna Christus. Christi Domini in Cruce ferenda fortitudo.

A onere in accliuem Caluariæ montem ascendebat, vt vtroque sarcinæ, viæque labore grauius premeretur. Et nihilominùs promptior ad montem, quàm illa ad vallem præuolabat. Illa enim vi trahebatur, vt significant illa duo verba: *Tollent*, & *Ducent*. Christus autem sua sponte, tanquàm ad suum lucrum ferebatur; iuxta illud: *Vadam ad montem myrrhæ.* Cant. 4. num. 6. seu, vt habent Septuaginta: *Vadam mihi ad montem myrrhæ.* Quasi non ad nostram, sed ad suam vtilitatem moriturus in montem myrrhæ, seu Caluariæ festinaret.

Christus Dominus quasi ad suam vtilitatem festinat ad mortē.

XXXIV. Possunt etiam in his vaccis ligna conuehentibus, quibus comburantur, vitæ contemplatiuæ professores adumbrari, qui tanquàm spirituales phœnices odoratissima ligna conuehunt, quibus
B accensis immoriantur; hoc est, incorrupta virtutum opera exercent, inter quæ felici vitæ exitu terminentur. Vnde D. Ambros. lib. 5. Hexamer. c. 23. de phœnice loquutus: *Quis inquit, huic annuntiat diem mortis, vt faciat sibi thecam, & impleat eam bonis odoribus, atque ingrediatur in eam, & moriatur illic: vbi odoribus gratis fœtor funeris possit aboleri? Fac & tu, ô homo, tibi thecam. Theca tua est fides: imple eam bonis virtutum tuarum odoribus: & in ipsa penetralia fidei suaui factorum præstantium odore redolentia totus ingredere: ea te amictum fide, exitus vitæ huius inueniat, vt possint ossa tua pinguescere: & sint sicut ortus ebrius, cuius citò semina suscitantur.* Felix mors, quam præclaræ virtutum actiones antecedunt: & quam homo præuidens non re-
C fugit, sed accersit, antequàm terræ tumulo includatur, virtutum nido circunclusus, vt ibi inter odoratissimas amoris flammas moriatur; statim, nouus phœnix, in æternam & beatam vitam suscitandus.

In vaccis etiam contemplatiui adumbrantur. D. Ambr. Contemplatiui velut phœnices moriuntur.

XXXV. Quòd si quis velit has vaccas in malam partem interpretari, & in illis cupidos & ambitiosos homines exprimere; facilè poterit. Primò: quia hi post multos labores in ambiendis honoribus susceptos, cùm aliquid præmij se recepturos sperant, & optata tandem quiete fruituros; tunc penitùs mactantur, & extremis infelicitatibus deuoueuntur: vt patet in Vria, 2. Reg. 11. n. 15. in Ioab, 3. Reg. 2. num. 34. in Aman, Esther 7 n. 10. & in pluribus aliis, qui postquàm magna suis Regibus
D obsequia præstiterunt, quidquid difficultatis occurrebat, in eorum gratiam libentissimè deuorantes; tandem pro magnis honoribus, quibus donandi videbantur, capitalia supplicia reportarunt. Vt vel hinc discant homines, non mundo seruire, sed Deo: cùm à Deo, non à mundo suorum obsequiorum præmia consequantur. Secundò: quia cupidi & ambitiosi, dum plaustra diuitiis onusta secum trahunt, ex quibus viuant; feretra secum portant, quibus ad sepulturam efferantur: vel potiùs ipsamet sepulcra miseriarum plena sibi excidunt, in quibus tumulentur. Illi enim diuitiarum cumuli, quos aggregant, sunt potiùs ferales tumuli, in quos labuntur. Vnde D. Ambrosius lib. 2. De Caïn & Abel, c. 9. *Impij, inquit, etiamsi videantur*
E *viuere, miseriores tamen sunt omnibus mortuis, carnem suam, sicut tumulum circunferentes, cui infelicem infoderunt animam suam. Quid enim aliud est, quàm sepulta, quæ intra humum voluitur, & terrena auaritia cupiditatibus, cæterisque vitiis includitur, vt gratia cælestis auram spirare non possit.* Hæc Diuus Ambrosius. Nec difficile erit alias id genus mystologias excogitare.

Vaccæ cupidos etiam exprimunt, & ambitiosos. Primò. Secundò. Diuitiarum cumuli, ferales tumuli. D. Ambr. Impij mortui miserabiliores.

* * *

Num. XV. Leuitæ autem deposuerunt Arcam Dei, & capsellam, quæ erat iuxta eam; in qua erant vasa aurea? & posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die illa Domino.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Loquendi modus Scripturæ per hysterologiam.*

LEuitæ autem, &c. Hysterologia est, hoc est, præpostera narratio: cùm, scilicet, præponenda in narratione, postponuntur. Priùs enim Leuitæ Arcam de plaustro deposuerunt, quàm plaustrum conciderent, vaccásque superimponerent, & immolarent: quamuis hæc omnia, priusquàm illa Arcæ depositio, narrentur. Quæ est vulgaris figura Scripturæ passim loquentis per anticipationem: vt Cap. 2. Num. 20. pluribus exemplis illustraui. Nisi fortè cum Septuaginta in Bibliis Complutensibus & Regiis transferamus: *Leuitæ obtulerunt Arcam Domini*: scilicet, ipsi Domino per aliquam precationem, vel Principibus Sacerdotum per aliquam publicam & solennem traditionem, qua de Arcæ reditu constaret. Quod vtrouis modo explicatum subsequi potuit, non præire. Et sic tota hysterología excluditur.

II. D. Cypr. *Leuitis terrã colere vetabatur.*

Hi Leuitæ non erant ex iis, qui in agro triticum metebant: nam Tribus Leuitica seruilibus ministeriis non vacabat. Et propterea, vt notat Diuus Cyprianus lib. 1. epistolarum, epistola 9. iuxta veterem editionem, seu 27. iuxta nouam, in terræ distributione nullam portionem sortita est: *Vt aliis*, inquit, *terram colentibus, ipsa tantùm Deum coleret.* Erant igitur ex iis, qui de ciuitate accurrerunt. Nam Bethsames erat ciuitas sacerdotalis, vt diximus; quam proinde Leuitæ & Sacerdotes incolebant. Nominantur autem Leuitæ in deponenda Arca: quia hoc munus ad illos, non ad laïcos pertinebat. Num. 3. num. 31. & cap. 4. num. 25. Quo autem pacto illam deposuerint, nudámne, an coopertam? & vtrùm eam tangendo, peccauerint? paulò inferiùs Num. 19. expendemus. De capsella & vasis aureis multa in superioribus dicta sunt.

III. *In lapide Arca collocata: in alia ara factum holocaustum.*

Hæc omnia dicuntur Leuitæ, posuisse super lapidem grandem. Addunt aliqui, super eundem lapidem factum fuisse holocaustum; ita vt in vna eius parte, Arca, & donariorum capsella ponerentur: in altera, tanquàm in altari holocaustorum, holocaustum illud offerretur, exemplo Gedeonis, Iud. 6. num. 20. qui ab Angelo admonitus suum supra petram obtulit holocaustum. Verùm, cùm ille lapis non fuerit natiua aliqua rupes, quæ aliquando in immensum porrigitur; sed artificiosus, & in morem cuiusdam termini, seu metæ erectus, ad illas duas regiones conterminas discriminandas; vt ipsi fatentur: non videtur, tantam habuisse capacitatem, vt ex vna parte Arcam & capsellam; ex altera holocaustum reciperet: præsertim, cùm ad illud holocaustum necessaria fuerit ingens pyra; in qua ligna vnius plaustri, ac duæ integræ vaccæ conflagrarent. Vnde periculum esset, ne scintillæ desilirent, fumique nubes cierentur, quibus Arca vicina posset, vel vstulari, vel inquinari. In lapide igitur posita fuit Arca & capsella, vt Litera expressit: holocaustum verò in aliqua ara facta de lapidibus impolitis, iuxta legis præscriptum, Exod. 20. num. 25. & Deut. 27. num. 4. in qua ritè sacrificarent.

IV. *Quomodo laici & Sacerdotes dicantur obtulisse.*

Viri autem Bethsamitæ, &c. Dicuntur, obtulisse: intellige cum recta distributione. Laïci quidem, præbendo animalia: Sacerdotes verò, exequendo sacrificia; ad quos tantùm hoc munus pertinebat. Vnde fit, hæc sacrificia diuersa fuisse ab illo, quod præcedenti Num. narratur, cùm iam non ex victimis aduentitiis, sed ex propriis agerentur. Sacrificiorum genera fuerunt duo. Holocausta, quæ tota cedebant in Dei gloriam: & victimæ, seu hostiæ pacificæ, quæ fiebant in gratiarum actionem pro aliquo beneficio diuinitùs accepto, & in vtilitatem quoque offerentium redundabant, cùm inter Deum, Sacerdotes & laïcos partirentur: vt Cap. 1. Num. 4. dictum est. Quæ tantùm sacrificia in festiuis celebritatibus offerri consueuerunt. Hæc enim obtulit Moyses, accepta lege in monte Sinaï. Exod. 25. num. 5. Et Iosuë, expugnata vrbe Haï. Iosuë 8. num. 31. Et Dauid, introducta Arca in ciuitatem suam. 2. Regum 6. n. 17. Et Salomon, illata Arca in templum. 3. Regum 8. num. 64. Et plures alij, cùm de magno aliquo beneficio Deo gratularentur. Vnde hostia pro peccato, neque in hac, neque in illis celebritatibus oblata est: quia erat, inquit Abulensis, hostia mœroris, quæ festiuo tempori non congruebat. Locus oblationis fuit coram Arca, vbi sacrificia licitè offerebantur, etiam extra tabernaculum; vt superiori Num. aduerti, & sup. Cap. 4. Num. 4. latiùs ostendi. Tempus fuit illa ipsa dies, qua peruenit Arca, vt in Litera habetur: quæ fortè inclinabat iam in vesperum, maiorem diei partem Arca in itinere consumente; sed nihilominùs Bethsamitæ sacrificia in crastinum differenda non putarunt. Adeò ad gratulandum Deo pro accepto beneficio festinabant.

Sacrificiorum duo genera, victima & holocausta. *Quo tempore hæc sacrificia offerebantur.* Abul. *Locus & tempus oblationum.*

Num. XVI. Et quinque Satrapæ Philisthinorum viderunt, & reuersi sunt in Accaron in die illa.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. Abul. *Duplicem ob causã dicuntur Satrapæ in Palæsthinã rediisse. Prima ex diuina prouidentia.*

ET quinque Satrapæ, &c. Hi sunt illi Satrapæ, qui Num. 12. Arcam sequebantur. Postquàm enim viderunt, quid Arcæ acciderat, in Accaronem reuersi sunt. Sixtiana habent: *In Ascalonem.* Quod etiam verum est, si distributiuè sumatur. Nam singuli ad singulas prouincias, quibus præerant, redierunt: quamuis fortè in Accaronem omnes simul intrarint; quòd ea vrbs, interprete Abulensi, prima se regredientibus offerret. Duplici verò de causa dicuntur, in Palæsthinam rediisse. Vna sumitur ex diuina prouidentia: nimirum, vt miraculum, quod viderant, testarentur: volebat enim Deus, vt notitia de sanctitate Arcæ, non vanis rumoribus, sed oculatis testibus vulgaretur. Et propterea fortasse fuerunt quinque Satrapæ, & numero, & qualitate personarum ad faciendam fidem conferente. Satrapæ quidem, seu Reguli; ne quis dubitaret de eorum dictis propter dignitatem, qua in Palæsthina fungebantur. Quinque verò, quia totidem erant Metropoles in Palæsthina; quarum singulis singuli earum Principes sanctitatem Arcæ faciliùs persuaderent.

II. *Secunda ex eorũ malitia.*

Altera ratio sumitur ex propria eorum malitia. Adeò enim erant suis erroribus excæcati, vt videntes sanctitatem Arcæ, tantis prodigiis confirmatam; adhuc nihilominùs non ad Bethsames, domum Solis, pergerent, suas Deo animas in

perpetuam seruitutem tradituri;sed ad suas tenebras, idololatriásque redient, sub infelici Dæmonum tyrannide consumendi. De qua re bene Carthusianus: *Per quinque Satrapas istos*, inquit, *ritè designantur filij seculi, nobiles & potentes secundùm carnem, delectationibus quinque sensuum dediti; qui etsi audiant verba Dei, videántque exempla iustorum, & miracula Omnipotentis agnoscant; rarò tamen, & pauci conuertuntur ad Dominum.* Et confirmat verbis Apostoli dicentis: *Videte vocationem vestram, fratres: quia non multi sapientes secundùm carnem, non multi potentes, non multi nobiles.* 1. Cor. 1. num. 26. scilicet, conuertuntur: non quòd Euangelij veritatem non audiant, & cognoscant; sed, quòd auditam, & cognitam aspernentur: similes quidem *viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit.* Iacobi 1. num. 23. Vbi non dicit Apostolus: similes *mulieri*, quæ promptior est ad maculas ori adhærentes, quas in speculo videt, abstergendas; sed similes *viro*, qui paulò negligentior est in huiusmodi maculis eluendis. Tales igitur sunt, qui in verbo Dei, tanquàm in speculo probè intuentur, quæ ad prauos mores exuendos, induendósque probos requiruntur. Et nihilominùs, sublato ex oculis speculo, seu ex auribus diuino verbo, nunquàm ampliùs ea, quæ viderint, vel audierint, recordantur.

Carthus.

Principes & potentes rarò ad Dominum conuertuntur.

Potentes quàm in maculis eluendis negligentes.

III.

Pessimi qui ex malitia delinquunt.

Pessimum genus hominum, scientium bona, & facientium mala, more illius, qui dicebat: *Video meliora, proboque: Deteriora sequor.* Et proinde non ex ignorantia, aut ex fragilitate; sed ex malitia delinquunt. Quod delicti genus insanabile quodammodo censetur. Vnde cùm Deus olim certa sacrificia ad expianda peccata ex ignorantia, vel ex fragilitate commissa assignarit, Num. 15. à n. 22. nulla tamen ad expiandum peccatum ex malitia præscripsit. Et rationem reddit: *Verbum enim,* inquit, *Domini contempsit, & præceptum illius fecit irritum; idcircò delebitur, & portabit iniquitatem suam.* Ibidem, num. 31. Vbi D. Augustinus quæst. 25. *Aliud*, inquit, *est præceptum contemnere; aliud ignarum, aut victum contra facere. Nam hæc duo quo pacto expiarentur, superius admonuit; illud non dixit vllo genere sacrificij purgari oportere: tanquàm insanabile iudicans, illa curatione, quæ per sacrificia agebatur.* Vnde, quamuis hic peccator non sit desperatæ penitùs salutis; tamen multò difficilioris curationis significatur.

D. August.

Peccatum ex malitia insanabile.

IV.

Christi cruci affixi spectaculum pœnitentiā exigit.

Tales fuerunt Philisthinorum Satrapæ; videntes Arcæ sanctitatem; & nihilominùs ad suam impietatem regredientes. Feliciores illi, qui holocaustum non in valle Bethsamitica, sed in monte Caluariæ præstitum viderunt. Nam *omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur.* Lucæ 23. num. 48. Non minorem enim pœnitentiam clara huius spectaculi miracula exigebant.

Num. XVII. Hi sunt autem ani aurei, quos reddiderunt Philisthiim pro delicto, Domino: Azotus, vnum; Gaza, vnum; Ascalon, vnum; Geth, vnum; Accaron, vnum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.

Vasa per anos aureos explicantur.

HI *sunt autem*, &c. Hic versiculus construitur cum decimoquinto. Cùm enim ibi dicantur vasa aurea posita super lapidem: hic quænam fuerint illa vasa, explicatur; scilicet, *ani aurei*, &c. qui vasorum nomine intelliguntur: vt supra Num. 8. iam diximus. Deinde suis exprimuntur nominibus illæ primariæ vrbes Palæsthinæ, quæ pariter cum Arca sua Deo Israelis donaria consecrarunt. Quas, quia sunt in Scriptura celebres, breuiter agnosce. Omnes fuerunt metropoles, vt Ios. 13. num. 3. habetur. Omnes maritimæ, vt ex Ezech. 25. num. 16. & Soph. 2. num. 5. colligitur. Quod iam superiori Cap. Num. 6. obseruaui.

Præcipuæ Palæsthinæ vrbes Arcæ donaria consecrarunt.

II.

Azoti etymon.

Azotus, id est, *Vastitas*, seu, *deprædatio*, seu, *ignis generationis*, seu, *ignis dilecti*: quia alumnos suos, quos generabat, ac diligebat, prauis moribus corrumpebat, ac inflammabat. Celebris extitit templo Dagonis: vt ex superiori Cap. constat. Sed incendio, quod illi Ionathas admouit, planè lamentabilis. 1. Mach. 10. num. 84. Gazam nuptiæ Samsonis cum Dalila celebrem reddiderunt: sed eiusdem infortunia celebriorem. Nam ibi excæcatus est, & in carcerem coniectus, & ad molam damnatus: ac denique labefactis columnis templum Dagonis, quod etiam in ea vrbe visebatur, funditùs euertit, & eâdem secum ruina quasi tria millia hominum inuoluit. Iud. 16. à num. 4. Nomen inuenit à verbo Hebræo עזז *Gazaz*, quod significat roborare: non verò ab ærario Cambysis, quod Persæ *Gazam* appellant: quidquid dicat Pomponius lib. 1. De situ Orbis, cap. 11. tum, quia multò ante Cambysem iam Gaza dicebatur: tum etiam, quia non in Gaza Palæsthinæ, sed in Gaza Æthyopiæ Ægypti, vt refert Ptolemæus lib. 4. cap. 7. illud ærarium situm erat. Ascalon interpretatur *Ignis ignominiæ*: quia in ea ignis concupiscentiæ exardescebat; qui quidem, vt loquitur Iob, *Ignis est vsque ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.* Iob. 31. num. 12. & proinde eos exprimebat, qui ignominiosis passionibus æstuabant. Geth inclytam fecit Dauidis congressus cum Golia inde oriundo. 1. Reg. 17. n. 4. & eiusdem Dauidis exilium in eadem vrbe apud Regem Achis. 1. Reg. 27. num. 2. Vbi tanquàm in torculari (Geth enim interpretatur *torcular*) tribulationibus pressus in optimos virtutum liquores diffluebat: vt iam alibi ex D. Augustino aduerti. Tandem Accaron celebris fuit inter Ethnicos, propter fanum Beelzebuth, quem Ochozias impiè consulendum curauit. 4. Reg. 1. num. 2. Sed multò celebrior extitit inter Christianos post aduentum Christi Domini, propter Ordinē militarem, qui in illa vrbe florescebat, & loca sancta à nefariis obsessoribus & oppugnatoribus tuebatur: qui nunc, vt putat Abulensis, nomine sancti Ioannis de acie, insignitur. De quo Ordine latissimè agit Hieronymus Romanus part. 1. de Republica Christiana, lib. 7. à cap. 4. Et hi sunt illi milites templi, ad quos D. Bernardus egregium sermonem, tredecim inclusum capitibus, scripsit: eos hortatus ad prælia pro fide ac religione strenuè capessenda.

Infortunia vrbes reddūt celebriores.

Vrbis Gazæ etymologia.

Pomp.

Ptol.

Ascalonis interpretatio.

Vrbis Geth significatum.

D. August.

Vrbis Accaron militari Christi Domini Ordine celeberrima.

Hier. Rom.

D. Bernar.

III.

Quæ dona quæque ciuitates obtulerunt.

Hæ quinque ciuitates, quia verum Deum, vt par erat, non agnoscebant; immò eius cultores acriter insectabantur, acerbissimis minis & execrationibus à Prophetis percutiuntur. Vt videre est Ierem. 25. num. 20. Amos 1. num. 8. Mich. 1. num. 14. Soph. 2. num. 4. Zach. 9. num. 4. Nunc igitur suos singulæ offerunt anos pro delicto; seu, vt iterum vertunt Septuaginta in Sixtianis: *Sedes aureas pro cruciatu*: de qua translatione iam supra Num. 5. diximus. An verò obtulerint singulæ singulos mures aureos, non apparet tam expressum in Vulgata. Videtur distributiuè loqui; ita vt ani, siue circuli aurei ad vrbes primarias spectarint; vt

hoc

hoc Num. exprimitur: mures autem aurei ad minora oppida; vt colligitur ex sequenti. Nihilominùs dubitandum non est, vtraque munera à primariis vrbibus oblata; vt D. Hieronymus, Lyra & Abulensis aduertunt: vtraque enim illis fuerant imperata; supra Num. 5. Et vtraque de facto ab illis oblata, ex hoc & seq. Num. non obscurè colliguntur.

D. Hier. Lyra. Abul.

Num. XVIII. Et mures aureos secundùm numerum vrbium Philisthiim, quinque Prouinciarum, ab vrbe murata vsque ad villam, quæ erat absque muro: & vsque ad Abel magnum; super quem posuerunt Arcam Domini: quæ erat vsque in illum diem, in agro Iosuë Bethsamitis.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Vrbes primariæ mures etiam aureos obtulerunt.*

ET mures aureos secundùm numerum vrbium, &c. Hinc apertè colligitur, quod proximè diximus, etiam mures aureos à primariis vrbibus oblatos: sic enim præcedens & præsens versiculus construuntur. Reddiderunt Philisthiim anos aureos pro delicto, Domino; & mures aureos secundùm numerum vrbium quinque prouinciarum: ita vt sicut singulæ vrbes primariæ singulos anos; ita & singulos mures obtulerint. Atque hic est concors Interpretum consensus. Non concurrisse autem solas primarias vrbes ad hæc donaria; sed etiam & minora oppida, patet ex sequentibus. Vbi vrbes & oppida, à quibus dona oblata fuerint, exprimuntur.

II. *Delr. Omnes vrbes à parua vsque ad maximam obtulerunt.*

Ab vrbe murata, &c. Hæc loquutio non solùm vrbes; sed omnia omninò oppida includit; sicut illa: *A turre custodum vsque ad ciuitatem munitam.* 4. Reg. 17. n. 9. Quasi diceret: ab oppido vsque ad emporium: seu, à mapali vsque ad metropolim; vt Delrius in Adagialibus sacris, Adagio 209. interpretatur. Æquum enim erat, vt sicut plaga ad omnes peruaserat: ita & oblatio ab omnibus prodiret. Septuaginta in Sixtianis vertunt: *A ciuitate confirmata vsque ad pagum Pharisæi.* Sed eodem sensu. Retinuerunt enim vocabulum Hebræum, quod est in fonte, הַפְּרָזִי *Hapherazi,* id est, vsque ad villam absque muro. Nam פְּרָז *Pharaz,* est vicus sine muro: vt patet Esther 9. n. 19. Ezech. 38. num. 11. Zach. 2. num. 4. vbi pro oppidis non muratis, ponitur, פְּרָזוֹת *Pherazoth,* quod est plurale nominis, *Pharaz.*

III. *Varia Authorũ sententia de modo, quo ciuitates ad dona concurrerint.* *Beda. Hug. Car. Carth. Lyra. Abul. D. Hier. D. Isid. Magist. hist. Caiet.*

Dubium tamen est, quo pacto omnia oppida concurrerint. Beda, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Lyra & Abulensis sentiunt, conferendo expensas pro æqua portione ad illos quinque anos, & totidem mures faciendos. D. Hieronymus, D. Isidorus, Magister historiæ, & Caietanus, docent, offerendo solos mures, vltra illos, quos primariæ ciuitates obtulerunt. Alij dicunt, tribuendo etiam quidquid illæ singulæ ciuitates tribuebant; ita vt suos singula oppida circulos, & mures aureos offerrent; licèt minoris ponderis, ne æqualia munera inæqualibus vrbibus atque oppidis imponerentur. Hæc mihi expositio sup. num. 5. non displicuit, nec modò displicet. Nam, si omnia oppida duplici plaga per mures in agros, & per morbos in corporibus laborarunt: cur non etiam duplici oblatione se expiarent? Item, si plaga omnibus illata fuit acerbissima; cur oblatio ab omnibus præstita non esset A copiosissima? qualis profectò non esset, quæ anis quinque tantùm, ac totidem muribus clauderetur. Plures igitur non solùm iuxta numerum maiorum vrbium, sed etiam minorum oppidorum offerri debuerunt. Hanc interpretationem mihi videtur expressisse Isidorus Clarius: *Aliarum,* inquit, *ciuitatum, & locorum homines, audientes consilium Sacerdotum, voluerunt & ipsi offerre Deo Israël anos & mures aureos; timentes quinque præcipuarum ciuitatum oblationem sibi minime suffragaturam.* At minoribus oppidis, dicet aliquis, non fuerunt hæc munera imperata. Fateor. Cur igitur ea obtulerunt? Respondeo, quia voluerunt primarias vrbes imitari, ac tantæ esse æmula pietatis: vt si minùs præcepto, saltem B exemplo maiorum ducerentur. Itaque maioribus vrbibus sua donaria propter præceptum suorum Sacerdotum offerentibus; eadem quoque minores villulæ propter exemplum maiorum vrbium offerre voluerunt.

Superior expositio placet. *Isid. Clar.* *Maiorũ exẽplũ ad pietatẽ multũ valet.*

IV. Vide, quid possint erga inferiores homines exempla superiorum. Quod iam Num. 5. illustrare cœperam; hic iterum pluseulis illustraturus.

Lucan. Laër. Principum vmbra, populares.

Scilicet, in vulgus manant exempla regentum:

Cecinit Lucanus. Solon ille Atheniensis, vt in eius vita Laërtius scribit, vulgares homines Principum vmbras appellabat. Vt enim vmbræ figuras corporum; ita vulgares homines Principum mores imitantur. Et quemadmodum frustra laborabit, qui existente corpore curuo, velit facere C vmbras rectas: ita operam suam perdet, qui Principe in malos mores abeunte, velit Rempublicam ad bonos reuocare. Non minùs elegãter alius appellat vulgus, Principum speculum. Vt enim speculum imitatur consulentem; cum ridente ridet, cum plorante plorat: ita vulgus suorum Principum mores exprimit; sub Principe bono bene viuit, sub iniquo deprauatur. Prudentissimè autem Philo Hebræus lib. De Abraham, Patriarcharum vitas & facta, appellauit *leges, & iura non scripta.* Non minùs enim Respublica ad illorum exempla, quàm ad illorum præcepta conformatur. Immò hæc infirmiora sunt, quàm illa: vel ipso Poëta egregiè concinente:

Vulgus, Principum speculum. *Phil. Maiorũ exẽpla leges sũt; immò legibus fortiora.*

——Non sic inflectere sensus
D *Humanos edicta valent, quàm vita regentis.*

V. *Isid Sic. Egregius Æthiopum mos, vt suos imitentur Reges. Herod.*

Miram Æthiopũ consuetudinem retulit Isidorus Siculus De fabulis antiquis, c. 4. qui adeò suos Principes imitari cupiebant; vt si quem haberent monoculum, alterum sibi oculum eruerent: si quem claudum, alterum sibi crus debilitarent; ne qua in re suis Regibus dissimiles viderentur. Certè Aurelius Imperator, vt refert Herodianus libr. 1. volens philosophica studia in sua Republica languentia iterum excitare; primus ipse literariam se intulit in palæstram: præeunti ciues omnes adhæserunt. Dauid sitibundus oblatam sibi aquam repudiauit, 2. Reg. 23. num. 16. *Vt suo exemplo,* inquit Angelomus, *totus exercitus disceret sitim tolerare.* Nam, si biberet Rex, regium E exemplum milites imitati, aciem desererent, & ad inquirendos fontes dilaberentur. Vnde D. Ambrosius in Apologia 1. pro Dauid, c. 7. de hoc Regis exemplo loquutus: *Exercuit,* inquit, *subditos ad virtutis officium, vt etiam per pericula regali imperio voluntarij milites obtemperarent.* Quos enim firmos ad imperium inuenit; firmiores in posterum ad exemplum inueniendos sperauit.

Variis probatur exemplis, maiorum exẽpla quãtum valeant. *D. Ambr.*

VI. Si quis homo in via occisus, incerto auctore, prope aliquam vrbem deprehendebatur: præcipiebat Deus, vt Principes illius vrbis ad quæstionem vocarentur. Qui si iurati dicerent: *Manus nostra*

Quantũ populares Principum facta imitentur?

Rab. Sal.

A *nostræ non effuderunt sanguinem hunc, neque oculi viderunt.* Deut. 21.n.7. statim tota vrbs immunis ab illo homicidio credebatur. At, cur non fiebat vlteriùs quæstio in populares homines: an fortè aliquis illius criminis reus deprehenderetur? Respondet aptè ad præsens institutum Rabbi Salomon: Quia populares homines in facta Principum adeò conspirant; vt, si Principes innocentes sint, proculdubiò & vulgares homines criminis expertes censeantur. Non sine mysterio, singulis diebus, Sabbato excepto, manna de cœlo Israëlitis defluebat. Exod. 16. n. 23. At, cur Sabbatum excipiebatur? Mysticam, sed præsenti instituto congruentem rationem inculcat Theodoretus q. 32. *Cum*, inquit, *hominibus lege præcepisset quiescere die Sabbati, docuit illos, ipso facto, seruare præceptum.* Adeò sunt homines ad facta, quàm ad præcepta suorum Principum seruanda proniores: vt ne id quidem, quod Deus imperat, sed quod facit, imitentur. Sed de hac re sæpe alibi diximus; & vbi se occasio tulerit, dicemus.

Theod.
Etiã Deus in seruãdis præceptis præbet exemplum.

B

VII.
Triplex loci expositio.

Prima ex Caietano.
Caiet.
Pagn.

Et vsque ad Abel magnum, &c. Dubium est, quid hoc loco per *Abel magnum* intelligatur? Et certè Interpretes alibi parci, hic abundantes extiterunt. Triplex igitur est expositio. Prima, ex Caietano, quam desumpsit ex Rabbi Dauid, est: *Abel*, significare apud Hebræos vallem, seu planitiem, vt videre est Iud. 7. n. 23. docétque Paguinus in Thesauro, verbo אבל *Abal.* Et tunc sensum esse, quòd omnes villæ Philisthinorum, quæ erãt vsque ad illam planitiem, in qua Arca posita fuit, illa, de quibus dictum est, donaria contulerunt.

C

D. Hieron.
Secunda ex D. Hieronym.
Rup.
Proc.
Angel.

Secunda, ex D. Hieronymo in quæst. Hebraïcis, & eius perpetuo assecla Ruperto, Procopio & Angelomo, quam etiam plerique Interpretum retulerunt, est, per *Abel* intelligi illam ciuitatem, quæ anteà Bethsames dicebatur; & propter cædem suorum ciuium, *Abel*, id est, luctum, appellari cœptam esse: dici verò Abel magnum; vel propter magnitudinem illius luctus, quem subita cædes exciuit; vel ad distinctionem alterius vrbis Abel, de qua exclamauit mulier illa sapiens ad Ioab: *Qui interrogant, interrogent in Abela.* 2. Reg. 20. num. 18. & in qua liberales artes tradebantur. Confirmatur hæc interpretatio ex Hebræo, vbi est vsque ad Abel, גדולה *Ghedolah*, id est, *magnam*, in fœminino. Et in eodem genere vertit Symmac. ἕως Ἀϐελ τῆς μεγάλης, hoc est, *vsque ad Abel magnã.* Quod genus ciuitati tantùm conuenit, quæ sola fœminei generis est. Vnde Procopius expresse addit: *Vsque ad Abel ciuitatem magnam.* Et addit ex Symmacho: *Per quam Arcam Domini emiserunt.* Quòd si obiicias verba Literæ, *Vsque ad Abel magnum, super quem posuerunt Arcam Domini:* Arcam verò non fuisse positam super vrbem; sed super lapidem: facilè respondetur, præpositionem, *Super*, idem esse, atque iuxta; vt patet ex illo: *Stans super illam imperauit febri.* Luc. 4. num. 39. hoc est: *Stans iuxta illam.* In hanc quoque expositionem Caietanus inclinat.

D

Confirmatur ex Hebræo.
Sym.

Caiet.
Tertia omniũ communis.
Beda.
Mag. hist.
Vat.
Hug.
Carth.
Lyra.
Abul.
Saa.
Serar.
Mar.
Sal.

E

Tertia communior ex Beda, Magistro historiæ, Vatablo, Hugone Cardinali, Dionysio Carthusiano, Lyra, Abulensi, & ex nostris, Saa, Serario, Mariana, Saliano, est, *Abel*, fuisse nomen illius lapidis, in quo posita fuit Arca: quod dupliciter exponunt. Vel legendo *Aben*, id est, lapidem, pro, *Abel*, mutata litera L, in N. Vel, quod potiùs credo, retinendo nomen, *Abel*, quod est in fonte; dicendóque illum lapidem appellatum fuisse *Abel*, id est, *luctum*, propter cædẽ Bethsamitarum ibi factam, & sequenti Num. narrandam: sicut Area *Athad* dicta est Abel, propter luctum Ægyptiorum. Gen. 50. n. 11. Illa autem

A obiectio, *Abel* sumptum pro lapide, atque adeò masculinum, non posse iungi cum adiectiuo fœminino, גדולה *Ghedolah*, id est, *magnam*: facilè solui potest ex licentia Hebraïci idiomatis, in quo hæc masculini & fœminini generis constructio, sæpè permittitur: vt Pagninus lib. 2. Inst. c. 3. latiùs ostendit. Ex his interpretationibus elige, quam malueris: quamuis tertiæ maior auctoritas suffragatur.

Pagn.

VIII.
An hoc relatiuũ ad Arcã, aut ad lapidem referatur.

Quæ erat vsque in illum diem, &c. Relatiuum, *Quæ*, nonnulli referunt ad Arcã, in hunc sensum: Arca erat in eo loco vsque ad illum diem, quo in vrbem inuecta est: vt ex sequenti capite patebit; siue plures intercesserint, siue pauciores. Quãuis in Hebræo sit: *Vsque in hac diem:* hoc est, per totam diem: nam statim post illum diem ex eo loco in vrbem cum solenni apparatu translata est. Atque ita intelligenda est Vulgata, cùm relatiuo fœmineo vtatur. Quo etiam Septuaginta in Bibliis Sixtianis vtuntur. Alij referunt ad lapidem, quem dicunt, multo tempore, scilicet, vsque ad præsentem diem, quo Auctor hanc historiam scribebat, illo in agro superfuisse. Parum refert, vtrouis modo exponas. Quamuis prior mihi videtur conformior, non solum Vulgatæ, propter relatiuum fœmininum, cum Arca tantùm, saltem in Latino sermone, construendum: sed etiam Hebræo & Græco, vbi nullum est relatiuum, prout in Bibliis Complutensibus & Regiis habetur: sed tantùm dicitur imposita Arca super Abel magnum vsque ad illum diem, in agro Iosuë Bethsamitæ. Quæ loquutio tota videtur ad Arcam referenda: quamuis in obliquo etiam de lapide intelligatur.

B

Referri ad Arcam probabilius.

C

Num. XIX. Percussit autem de viris Bethsamitis, eò quòd vidissent Arcam Domini; & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis. Luxítque populus, eò quòd Dominus percussisset plebem plaga magna.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.
Iechonias natione Hebræus, professione Gentilis.

D PErcussit autem, &c. Sixtiana præmittunt quædam verba hoc loco, quæ in nullis aliis exemplaribus inueniuntur: *Et non fuit*, inquiunt, *delectati filij Iechoniæ in viris Bethsamis; quia viderant Arcam Domini.* Qui autem fuerit hic Iechonias, & filij eius, neque ex Litera constat, neque Interpretes attigerunt. Immò nullus est ex antiquioribus, qui horum verborum meminerit, præter vnum Theodoretum, & qui eum perpetuò sequitur, Procopium. Igitur Theodoretus q. 14. sic ea commentatur: *Filij quidem*, inquit, *Iechoniæ, vt impij & seruientes idolis, ægrè tulerunt, videntes Arcam, & meritò luerunt supplicium.* Ex quibus verbis colligi potest, Iechoniam & eius filios, natione quidem Israëlitas esse; vt redolere videtur nomẽ, *Iechonias*, quod planè Hebræum est: professione

Theod.
Procop.

E verò Gentiles, quia idolis seruiebant: hos autem, cùm viderent Arcam ex Palæsthina redeuntem, & Bethsamitas, propter illius reditum, incredibiliter exultantes, ægrè tulisse; veritos, ne vera religio inter Hebræos reuiresceret; & ipsi à cultu suorum idolorum recedere cogerentur. Sed ob hanc tam nefariam impietatem, à Deo fuisse grauiter vulneratos. Qui enim in communi totius populi exultatione, propter beneficium diuinitùs acceptum non exultat, sed potiùs dolet ac tristatur; inuidus est in homines, quorum non gaudet bono; maleuolus in Deum, cuius honore non lætatur;

Inuidus seuerè vapulat à Deo.

tatur;dignúſque proinde,qui à Deo duritèr vapulet, & ab hominibus penitùs exterminetur. Sed quod attinet ad Vulgatam, tria ſunt hoc loco explicanda: Quæ fuerit hæc percuſſio: In quos exercita: Propter quam cauſam illata. Singula claritatis cauſa ſeorſim attingenda.

Tria proponuntur illuſtranda.

Quæ percuſsio Bethſamitis inflicta ſit.

II. DE hac prima difficultate nihil ampliùs dicitur in Litera, quàm quòd Dominus percuſſerit: genus autem, & modus percuſſionis prorſus tacetur. Neque vllus Interpretum rem attingit. Immò Dionyſius, *Quæ fuerit*, inquit, *plaga illa, neſcitur.* Vnus tantum Antonius Sabellicus exiſtimat, Bethſamitas fuiſſe peſtilentia vexatos: nullo tamen prodito ſuæ exiſtimationis argumento. Quidquid tamen ſit ea de re, non dubito, percuſſionem fuiſſe capitalem, repentinam, & Angelorom miniſterio illatam. Capitalem quidem: quia ea pœna Arcam nudam intuentibus inferebator. Num. 4. n. 20. Qua ſe culpa Bethſamitæ hoc loco innodarunt.

Dion. *Sabel.* *Sabellici ſententia apponitur.* *Percuſſio Bethſamitarum, repens & capitalis.*

III. Repentinâ verò, hoc eſt, ſi non vnico momento, ſaltem perexigoo tempore, nihil tale cogitantibus ac metuentibus inflictam. Neque enim longa mora dicitur inter culpam & pœnam interceſſiſſe. Quare Abulenſis q. 27. arbitratur, eodem die, quo Arca in agrum Bethſamiticum venit, cædem peractam eſſe: vel certè, ſi ad tantæ multitudinis ſtragem hoc ſpatium nimis anguſtum videatur; crediderim, non molto pòſt tempore abſolutam. Sic enim diuina vltio breuiſſimè & velociſſimè fieri conſueuit. Vt illa Sodomornm. Gen. 19. à n. 24. Et illa idololatrantium in deſerto. Exod. 32. num. 28. Et illa tumultuantium cnntra Moyſem & Aaronem. Num. 16. à num. 31. Et illa fornicantium cum filiabus Moab. Numer. 25. num. 9. Et illa ſub Rege Dauide. 2. Reg. 24. num. 15. ac ſimiles. Quòd ſi pœna paulò ante Philiſthinis impoſita lento nimis, ac teſtudineo, vt aiunt, gradu inceſſit, diuerſa ratio fuit: nam illis ſua perfidia obcæcatis, & virtutem Arcæ ignorantibus, illa ſupplicia ſenſim inſtillari oportebat, quæ tanquàm collyria ſpirituales eorum oculos redderent perſpicaces. His autem Arcam Domini agnoſcentibus, & nihilominùs profanantibus, ſtatim diuinæ indignationis calix propinandus erat, & ſine vlla cunctatione hauriēdus.

Quàm celeriter diuina vltio peragatur. *Abul.* *Varijs exemplis illuſtratur.* *Quæ ob cauſam lēta fuerit Philiſthinorum pœna.*

IV. Tandem Angelorum miniſterio illatam; tam bonorum, ſcilicet, quàm malorum: ab vtriſque nanque diuinas vltiones exerceri ſolitas, c. 5. n. 4. iam oſtendi, qui Deo ad nutum obſequuntur. Vnde Sulpitius hoc loco: *Paſſim*, inquit, *Dei nutu in totam vrbem ſæuitum.* Deo, ſcilicet, Angelis innuente, & Angelis ad nutum obtemperantibus. Sed, cur, inquies, non exercetur hoc ſupplicium potiùs per Samuelem, ad quem, tanquàm ad Iudicem illius populi, pertinebat, diuinas iniurias vindicare, & pro violatis legibus meritas pœnas repoſcere: quemadmodum, per Moyſem, quaſi viginti tria millia hominum vitulum conflatilem adorantium, occiſa ſunt. Exodi 32. n. 28. Reſpondeo, Samuelem ſub initio ſui principatos, præſertim poſt recentem calamitatem inchoati, nōdum habuiſſe ſatis virium ad tantam hominum multitudinem coërcendam. Deinde edocendum fuiſſe diuinitùs Samuelem, Heli ignauiſſimi Iudicis ſucceſſorem, de illa ſeueritate, quam deinceps in ſacrilegos exerceri oportebat; ne paria cum ſuo anteceſſore ſupplicia pateretor. Præterea, acceleranda eſſe de cælo hæc ſupplicia; ne, ſi Samuel iudiciario inquirens more, vt par erat, cunctaretur: interim in maiorem peccandi licentiam vniuerſus ſe populus præcipitaret. Tandem exterrendos fuiſſe Hebræorum animos, vt qui paulò antè ſub Heli contra Deom peccauerant, ſacras ceremonias violando; & vlteriùs ſub ipſo Samuele peccare non deſiſtebant, ſacras leges contemnendo; certò ſcirēt, ſe deinceps non iā hominem, ſed ipſum Deum ſuorum ſcelerum vltorem habituros.

Diuina vltio tā per bonos Angelos, quā per malos exercetur. *Sulp.* *Multiplex ratio, ob quam ſuppliciū per Samuelē non exercetur.*

V. Fuit igitur hæc percuſſio, vel per ignem ruentē de cælo, erumpentémve de terra: vel per fulgura & tonitrua, lapidéſque de nubibus eiaculatos: vel per gladios in miſerorum exitium diſtrictos, fuſóque eorum ſanguine imbutos: vel per morbos lethales, ſeu viperinos morſus, ſeu ferinos aliorū animalium incurſus, ſeu peſtilentes feralium ſyderum afflatus: vel per alia denique inſtrumenta, ex multis, quæ in diuinæ iuſtitiæ armamentariis ad malorum punitiones reconduntur. Beda ad myſtica digreſſus, in bonam partem accipit hanc percuſſionem; docétque eos, qui ſecreta diuinæ maieſtatis ſtudioſè contemplantur; diuinitùs percuti, hoc eſt, prauis affectibus truncari, vt deinceps ad vitia mortui videantur. Qua ſe plaga percuſſum gloriabatur, & gratulabatur Deo Apoſtolus, dicens: *Ego enim per legem, legi mortuus ſum, vt Deo viuam. Chriſto confixus ſum Cruci. Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Chriſtus.* Gal. 2. 19. & 20. Et in hanc rem fuſiùs ſpatiatur.

Cuiuſmodi fuerit Bethſamitarum plaga. *Beda.* *Contēplatiui prauis à Deo affectibus truncantur.*

In quos hæc diuina percuſsio ſæuierit?

VI. QVod ad ſecundum attinet, maior eſt inter Interpretes difficultas circa numerū & conditionem occiſorum. Et vt à numero ordiamur: Hebræi, quos D. Hieron. in Quæſtionibus Hebraïcis, Rupert. Lyra, Carthuſ. Abul. Iſidorus Clarius, Saa & alij referunt, ex quibus etiam aliqui ſequuntur; dicunt, fuiſſe occiſos ſeptuaginta tantùm viros. Immò Abul. addit, hanc eſſe communem expoſitionem, & oppoſitam non eſſe rationabilem: quia in illo agro, immò & in tota vrbe Bethſames, quæ non erat admodum frequens, non poterant eſſe ſeptuaginta viri ſupra quinquaginta millia, qui omnes occiderentur: vltra illos, qui ſuperſtites remanſerunt, & occiſos deplorarunt: vt in Litera ſtatim additur.

Opinio de numero occiſorum. *D. Hier.* *Rup.* *Lyra.* *Carth.* *Abul.* *Iſid. Clar.* *Saa.* *Confirmatur ex Abul.*

VII. Quibus ſi obiicias, hanc expoſitionem expreſſæ Literæ aduerſari, quæ aſſerit, percuſſos fuiſſe de populo ſeptuaginta viros, & quinquaginta millia plebis: tripliciter reſpondent. Primò quidem dicunt Hebræi, illos ſeptuaginta viros fuiſſe Iudices, Principes & ſeniores illius populi, proindéque tantæ auctoritatis, vt quinquaginta millibus virorum de plebe poſſent comparari. Atque adeò ſenſum eſſe: percuſſit Dominus ſeptuaginta viros tam præſtantes, vt quinquaginta millia plebis exæquarent; & quorum iactura maior eſſet, quàm ſi quinquaginta millia de plebe occiderentur. Et poteſt hæc interpretatio illuſtrari: quia Scriptura loqui ſolet de paucitate multitudini præferenda, tanquàm de multitudine, & de vno pluribus comparando, tanquàm de pluribus. Vnde Regem Dauidem ad bellum contra Abſalonem exire molientē, populus ſuo Regi metuens retinuit, dicens: *Non exibis, quia tu vnus pro decem millibus computaris.* 2. Regum 18. n. 3. Egregiè verò Salomon in eandem rem: *Melior eſt*, inquit, *vnus timens Deum, quàm mille filij impij: & vtile eſt mori ſine filijs, quā relinquere filios impios. Ab vno ſenſato inhabitabitur patria, & à tribus impius deſeretur.* Eccleſiaſtici 16. à n. 3. ſeu, vt Ianſenius

Triplex obiecti reſponſio. Prima ex Hebræis. *Sæpè in Scriptura vnus pro multis computatur.* *Ianſ.*

Vnus tantùm iustus pro tota vrbe, & Orbe.

nius ex Græco legit, & tandem nouissima editio A Latina restituit: *Et Tribus impiorũ deseretur.* Quibus aliqui addunt: *Et vnus iustus pro toto Mundo.* Vbi vides, vrbem, immò Orbem, vbi habitet vnus tantùm, si probus sit, esse frequentissimè habitatum: Tribum verò, in qua multi impij degant, esse planè desertam & solitariam.

VIII.
Theod.
Iusti totum Orbem dignitate antecellunt.

Quare D. Paulus, loquutus de illis primis ac sanctissimis Patriarchis, *Quibus*, inquit, *dignus non erat mundus.* Hebræor. 11. n. 38. Vbi Theophylactus: *Si vniuersam, inquit, Mundi structuram cum hominibus, qui in eo sunt, opponas hisce, non inuenies tamen, quid illis dignitate respondeat.* Vbi cernis, paucos viros probos, non solùm multis, sed omnibus omninò hominibus præferendos. Vnde D. Chrysost. hom. 27. in Epist. ad Hebræos, vnum B Iosue toti mundo anteponit. Expendes enim quo pacto Sol ad Iosue imperium steterit, Iosue 10. n. 13. *Veniat, inquit, omnis mũdus; magis autem duo, aut tres, aut quatuor, & decem, & viginti Mundi, dicant, & faciant hoc, sed non poterunt.* Iam verò D. Greg. Nazianzen. Orat. 32. n. 33. pulchrè in hanc rem testatur, *Tres in nomine Domini congregatos, plures apud Deum censeri, quàm multos diuinitatem abnegantes.* Quod statim pluribus illustrat exemplis: *An tu, inquit, vniuersos etiam Chananeos Abrahamo vni antepones? Au Sodomitas vni Lot? An Madianitas Moysi? An illos trecentos viros; qui cum Gedeone lamberunt, tot hominum millibus pedem referentibus, inferiores esse contendes? An Abrahæ vernaculos numero haud multo plures, multis illis Regibus,* C *atque innumerabilibus copiis, quas, quamuis ipsi pauci essent; persequuti tamen sunt atque in fugam verterunt?* Quasi dicat: Minimè omninò: cùm illi paucissimi digni sint, qui innumeris præferantur.

D. Chrys. Vnus Iosue pluribus Mũdis anteponitur.

D. Greg. Naz. Pauci iusti innumeris sæculis præferuntur.

IX.

Mira fuit illa Dei promissio ad Heliam: *Derelinquam, inquit, mihi in Israël septem millia virorũ, quorum genua non sunt incuruata ante Baal.* 3. Reg. 19. n. 18. Quibus, obsecro, in tenebris tam multa illa fidelium millia delitescebant; cùm foris nulli ferè nisi idololatræ cernerentur? D. Greg. Nazianzenus citatus existimat, illa millia, non numero, sed virtute censenda esse. Si enim numerus attendatur, pauci erant. Si paucorum virtus spectetur, ad septem millia excrescebant. Et cùm septenarius & millenarius, vniuersitatis numeri sint; ad D immensam quandam multitudinem numerandi videbantur. In eundem sensum Moyses de singulari numero transiit ad pluralem: nam loquutus ad Tribum Leuiticam, *Qui, inquit, dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos, &c. hi custodierũt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt.* Deut. 33. n. 9. Ac si vel vnus puer carnalibus parentum affectibus propter Deum renuntians, multorum virorum instar haberi videretur. Tandem Anna mater Samuelis, cùm adhuc vnum tantùm haberet filium Samuelem; nihilominùs dicebat, se iam plurimos peperisse. Nam de se ipsa loquuta: *Donec, inquit, sterilis peperit plurimos.* 1. Reg. 2. num. 5. Quia vnius sanctitas innumeras aliorum multitudinem, non solùm exæquabat; sed etiam superabat. Quam rem ad eum locum pluribus testimoniis illustraui. Non aliter igitur dicunt Hebræi, illos septuaginta viros à Deo percussos, tam eximios, & de Republica bene meritos fuisse; vt hoc loco pro quinquaginta millibus reponerẽtur.

Fideles, virtute in immẽsam excrescunt multitudinem.
D. Greg.

Qui parentibus propter Deum renũciat, multorũ instar est. Vnus Samuel multos virtute exæquabat.

X.
Secunda responsio ex Abulensi.

Secundò respondet Abulensis, forte in Hebræo fonte, saltem ab initio, quando prior ac simpliciot decurrebat, non fuisse illa verba: *Quinquaginta millia plebis:* sed posteà, vel per malitiam, vel per imperitiam aliquorum in textum irrepsisse. Quam ille suspicionem inde confirmat; quòd Iosephus antiquissimus Auctor, & in sacris Bibliis versatissimus, lib. 6. Antiq. cap. 1. solùm dicat, septuaginta Bethsamitas à Deo percussos esse, quasi plures ipso in fonte non inuenerit. Et præterea, quòd sicut Iosue 21. apud vetustissimos Hebræorum Codices desiderantur duo versiculi, nempe, trigesimussextus, & trigesimusseptimus, vt Masoretæ affirmant: qui tamen erant sacris Bibliis necessariò inserendi: ita hoc loco superfluere potuisse hæc verba, quæ à sacris Bibliis erant necessariò expungenda.

Ioseph.

Confirmatur ex Iosepho.

Tertiò respondet Emmanuel Saa, non esse sensum, quòd percusserit Dominus septuaginta viros, & quinquaginta millia virorum: sed quòd percusserit septuaginta viros in populo, qui con- B tinebat quinquaginta millia virorum. Et confirmat ex Paraphraste Chaldæo, dicente, percussos fuisse septuaginta viros *in vniuersitate.* Quasi diceret: In populo quinquaginta millia continente. Et posset suam expositionem confirmare simili testimonio ex Cantico Deboræ: *Clypeus, inquit, & hasta, si apparuerit in quadraginta millibus Israël.* Iud. 5. n. 8. Vbi loquuta de suo exercitu, qui ex decem tantùm pugnatorũ millibus constabat, Iud. 4. n. 6. & testata, clypeo & hasta caruisse: nihilominùs nominat quadraginta millia Israël, in hunc sensum: Clypeus & hasta non apparuerunt in meo exercitu decem pugnatorum millibus constante, collecto ex Tribu Nephthali & Zabulõ, quæ quadraginta millibus constabant. Itaque cùm duplex C militum numerus distinguatur, minor decem millium, & maior quadraginta millium; non loquitur de vtroque; sed de minori, qui desumptus fuerat ex maiori. Sic igitur hoc loco sermo esse potest de septuaginta Bethsamitis interfectis in populo quinquaginta millium. Hanc expositionem refert & Serar. & Mar. additque Serar. aliam non multò dissimilem, occisos fuisse septuaginta viros, præsentibus ad spectandum quinquaginta millibus virorum.

XI.
Emmanuel Saa.
Tertia responsio ex Saa.

Confirmatur à simili.

Ser.
Mar.

Cæterùm, nulla ex his tribus responsionibus soluit propositum argumentum. Nam prima manifestam infert Literæ violentiam: quia nulla fit in texto comparatio inter septuaginta viros, & quinquaginta millia plebis; sed simplex coniun- D ctio sub eodem verbo percutiendi, vt vterque numerus percussus significetur. Neque Principes & seniores illius populi sub id tẽporis erant tãte auctoritatis, vt pauci possent quinquaginta plebeiorum millibus conferri. Nam in Principes quadrat illud Isai. 1. n. 23. *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* In Sacerdotes verò illud Oseæ 4. n. 9. *Et erit sicut populus, sic Sacerdos.* Vbi Sacerdos populo non antefertur, sed exæquatur. Quis ergo esse poterat Principum & seniorum super vulgares homines excessus? Immò in illa profligatissima, Republica Principes & Sacerdotes ad omnia flagitiorum genera populo anteibant, vt ex iis, quæ ad cap. 2. latè disseruimus, palàm est.

XII.
Nulla ex supradictis responsionibus placet.
Prima ex Hebræis infert Literæ violentiam.

Secunda responsio Abulensis sufficienti coniectura non innititur. Nam, si Iosephus non legit quinquaginta millia plebis, certè legerunt Septuaginta Interpretes, Iosepho antiquiores, ac proinde ea verba in fonte Hebræo inuenerunt. Addo, quamuis illa verba in duplici Iosephi editione, quam consului, non habeantur; haberi tamen in Glossa ordinaria citata ex Iosepho: vnde videntur in aliquo eius exemplari extitisse. Præterquàm quòd si Abulensis propter Iosephi autographum, in quo desunt illa verba, putat Biblicum exemplar, in quo illa inueniũtur, redundare: E

XIII.
Abul.
In secunda non bene coniectatur Abulensis.

cur

cur non potiùs vice versa propter publicū exemplar, in quo sunt illa verba, putabit Iosephi autographum, in quo deſunt, deficiſſe. An Iosephi historia ſyncerior & incorruptior & expurgatior, quàm Biblica, ad nos peruenit? Hoc quis dicat? aut vnde probet? Nam ſi plures ſunt ſacrorum Librorum adulteratores: plures quoque ſunt & defenſores, à quibus ſarta tecta conſeruentur. Iam verò ille defectus in libro Ioſuē, de quo Maſius & Lucas Burg. latiſſimè diſputarunt, parum vrget: quia; vel non erat apud Codices incorruptos; vel ſi erat, poſteà per alios Libros canonicos, aut per Septuaginta Interpretes diuino Spiritu ductos ſuppletus eſt. Quod etiam dicerem de his verbis, ſi Abulenſi concederem, ea in fonte Hebræo deſuiſſe: neque enim temerè irrepſerunt, cùm modo in Vulgata habeantur; de cuius auctoritate non eſt inter Catholicos dubitandum.

Masius. Luc. Burg.

A

B

XIV. *Tota etiam Literæ vim infert.*

Tertia quoque reſponſio non ſatisfacit: quia ſuam quoque Literæ vim infert, cùm verbum percutiendi, æqualiter, & cum ſeptuaginta viris de populo, & cum quinquaginta millibus plebis conſtruatur. Neque iuuat Chaldæus, qui dicit, occiſos fuiſſe *in ſenibus populi ſeptuaginta viros, & in vniuerſitate quinquaginta mille viros.* Quæ verbà prædictam expoſitionē non admittunt: cùm vterque numerus pariter occiſus ſignificetur: & ſolùm minor de popolo; maior de vniuerſitate, hoc eſt, de plebe deſumptus fuiſſe exprimatur. Iuuaret, ſi diceret, occiſos ſeptuaginta viros ex vniuerſitate quinquaginta millium virorum. Locus ex Cantico Deboræ admittere poteſt propoſitam expoſitionem, cùm nullam Literæ inferat violentiam: vt conſideranti patebit. Quàuis faciliùs dici poſſet, in omnibus illis quadraginta millibus, hoc eſt, in toto populo Iſraëlitico (ſumpto numero certo, pro incerto) arma deſuiſſe: nec opus eſſe, vt Debora de ſuo tantùm exercitu decem millibus conſtante loquuta intelligatur. Quare concidit tota hæc Hebræorum interpretatio.

Reſpondetur ad confirmationem.

C

XV. *Vera loci expoſitio proponitur.*

Verior igitur expoſitio, & Literæ congruentior mihi videtur oppoſita, quæ aſſerit, tot fuiſſe occiſos, quot in Litera exprimuntur: nempe, ſeptuaginta viros, ſuper quinquaginta millia plebis. Ita planè ſupponit Diuus Gregorius ad hunc locum: Beda, tum hoc loco, tum etiam libro vno triginta quæſtionum in libros Regum, quæſt. 3. Theod. q. 14. Licèt enim in Latino exemplari habeat: *Quadraginta millia virorum ex populo*; tamen id corrigendum eſt ex Græco, in quo habet, teſte Saliano, *quinquaginta millia.* Item D. Antonius 1. p. tit. 2. c. 6. quamuis ibi taceat illos ſeptuaginta viros de populo, & ſolùm memoret quinquaginta millia plebis. Eodem modo exponunt Eucherius, Angelomus, Comeſtor, nec diſſentit Rupertus: quia quamuis referat illam Hebræorum expoſitionem; tamen concludit, multa millia plebis occiſa eſſe. Tandem omnium diſertiſſimè Carthuſianus, referens pro ſe, licèt tacito nomine, alios Expoſitores, *ſolennes*, vt ipſe vocat: quibus adde Caietanum, qui ſine dubio nobiſcum ſentit. Nec repugnant Emmanuel Saa, Serar. & Mariana: immò hic addit omnes verſiones aliis expoſitionibus à noſtra diuerſis reclamare. Eandem Salianus confirmat: quia dicitur hæc plaga magna, qualis non eſſet ex vſu ſcripturæ, ſi ſeptuaginta tantùm viri cæderentur. Et quidem, ſi illa gloſſa, quam ex Ioſepho retulimus, vera eſt; tem planè contra Abulenſem efficaciùs conuincit.

D. Greg. Beda. Theod. *Hanc ſententiam Authores recenſentur.* Salian. D. Anton.

Euch. Angel. Comeſt. Rupert.

Carth.

Caiet. Saa. Serar. Marian.

Salian.

XVI. *Duæ obiectiones proponuntur.*

Duo tamen ſunt, quæ reddunt hanc expoſitionem creditu difficillimam. Vnum: quia incredibi-

le videtur, tantam fuiſſe in eo populo Bethſamitico hominum multitudinem occidendam. Neque enim alij, quàm Bethſamitæ dicuntur in Litera percuſſi. Alterum: quia Deo indignum videtur, & ab eius clementia alienum, tantam facere hominum ſtragem, præſertim in populo, recentibus adhuc calamitatibus cruento.

XVII. *Reſpondetur ad primam.*

Sed ad primum reſpondeo, terram Iſraël, etſi ſpatiis anguſtam, tamen fuiſſe virorum fœcundiſſimam. Vnde, quando Dauid populum recenſuit, etſi multis cladibus attritum & laceratum; tamen, vt eſt in Litera, *Inuenta ſunt de Iſrael octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium; & de Iuda, quingenta millia pugnatorum.* 2. Reg. 24. n. 9. Quam ſummam ſi coniungas, inuenies mille millia, & trecenta millia. Immò lib. 1. Paralip. cap. 21. n. 5. dicuntur inuẽta fuiſſe ſolùm de Iſrael *mille millia, & centum millia virorum educentium gladium.* Quæ diuerſitas ex eo oritur, interprete Lyrano, quòd in loco citato Regum prætermittantur Leuitæ, qui in loco Paralipomen. recenſentur. Vel, quòd Ioab, qui fuit totius populi cenſor, plures inuenerit, quàm Dauidi manifeſtauerit; ne Rex de tam numeroſo populo gloriatus, aliqua inani arrogantia inflaretur. Si igitur ad hæc mille millia, & centū millia, de Iſrael adiungas illa quingenta millia ex Tribu Iuda, deprehendes mille millia, & ſexcenta millia virorum bellatorum: vt interim ab hoc numero pueri, ſenes, infirmi, opifices, ruſtici, & vrbani, ac fœminæ excludantur; qui, cùm multò plures ſine dubio eſſe debuerint, ſi omnium numerus computetur, innumerabilis propemodum exiſtet. Quotus igitur numerus eſt, quinquaginta millia virorum, qui hoc loco dicitur interfectus, ſi cum illo immenſo numero comparetur?

Numerus virorum Iſrael.

XVIII. *Quàm ingēs bellatorum multitudo ex Iſraël, vno prælio.*

Adde, quodam in prælio inteſtino inter Iudam & Iſraelem, educta fuiſſe in aciem à Ieroboam Rege Iſraël *octingenta millia virorum electorum, & ad bella fortiſſimorum:* à Rege autem Iuda Abia, *bellicoſiſſimos viros, & electorum quadringenta millia,* 2. Paralip. 13. n. 3. Quorum omnium ſumma fuit, mille millia, & ducenta millia virorum pugnatorum, qui omnes vnam in aciem concurrerunt. In qua dicuntur, occiſa fuiſſe *quingẽta millia virorum de Iſraël.* Ibid. n. 17. Sic enim habentur hi numeri in Vulgata emendatiſſima: quamuis in aliis Bibliis minùs correctis, octoginta, & quadraginta, & quinquaginta tantùm millia numerentur. Si igitur ad vnum prælium tam magna bellatorum multitudo concurrit, vt interim illos taceam, qui multis de cauſis in pace remanſerunt: quid mirum, ſi in illo agro Bethſamitico, multis fortaſſe oppidis frequenti, inueniantur quinquaginta hominum millia, non quidem ex pugnatoribus tantùm, ſed ex omni hominum genere conflata; qui ad videndam Arcam ex captiuitate redeuntem vndique conuolarint? Hic enim numerus, licèt per ſe magnus; tamen cum illo priori comparatus, exiguus admodum cenſetur.

D

E

XIX. *Reſpondetur ad ſecundam.*

Ad ſecundum reſpondeo, Deum æquè iuſtum ac miſericordem eſſe. Et quamuis aliquando plures ac maiores ſuæ miſericordiæ, quàm ſuæ iuſtitiæ effectus manifeſtet; iuxta illud: *Miſericors Dominus, & iuſtus, & Deus noſter miſeretur.* Pſalm. 114. n. 5. vbi ſemel iuſtus; & bis miſericors appellatur: quia nobis maiorē ſuæ miſericordiæ, quàm iuſtitiæ ſignificationem præbet: vt rectè expendit D. Ambr. in Orat. funebri De obitu Theodoſij Imperatoris, vt ſic: *Bis, inquit, miſericordiam poſuit, ſemel iuſtitiam; in medio iuſtitia eſt, gemino ſepto incluſa miſericordia.* Quaſi diuina miſe-

D. Ambr. *Diuina miſericordia, iuſtitia abūdantior.*

ticordia non solùm abundantior, quàm iustitia, in hominses deriuetur, sed etiam quodá veluti muro iustitiam vndique circundet, ex quo illam egredi difficillimè patiatur. Quamuis, inquam, ita res habeat: non est tamen denegandum, diuinum sæpè iustitiam nostris sceleribus prouocatam adeò intumescere; vt supra omnes aggeres atque obices à diuina misericordia præfixos latissimè restagnet, & in maximas hominum strages effundatur.

XX. *Diuina iustitiæ vastum ostenditur exemplis.*

Sic totum Orbem diluuio absumpsit. Gen. 7. à n. 10. Totam Pentapolim incendio deleuit. Gen. 19. à n. 24. Totam Ægyptum sub mari rubro demersit. Exod. 14. à num. 24. Totum exercitum Hebræorum de Ægypto egressum, duobus tantùm exceptis, ferro ac flamma profligauit. Num. 14. à num. 29. Quin etiam in Palæsthina, quæ ampliores fines non habebat, quàm Iudæa, propter Arcæ captiuitatem, ducenta & viginti millia hominum interfecit: vt Cap. 5. Num. 12. ex Philone in Antiquit. Biblicis iam retuli. Iam verò ex Assyriis, centum octoginta quinque millia virorum vna in nocte Angelus Domini demessuit. 4. Reg. 19. num. 35. Prætereà diuina indignatio propter Dauidis culpam populum contra legem recensentis, aut de illius multitudine gloriantis, non maiori spatio, quàm sex horarum, septuaginta millia virorum pestilentia extinxit. 2. Reg. 24. n. 15. Denique totum Regnum Iuda, & Israel, suis in sceleribus obduratum, innumeris cladibus atque infortuniis labefecit: vt ex lib. Iud. Reg. & Paralip. facilè deprehendes. Quas calamitates Ieremias contemplatus, queribundus exclamat: *O mucro Domini! vsquequò non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile.* Ierem. 47. n. 6. Vides, vt diuina Iustitia plurima & maxima vltionum monumenta excitarit? Quid igitur mirum, si hoc loco tantam conficiat stragem, vt pessimos homines partim vlciscatur, partim ad meliorem frugem adhortetur? Atque hæc de numero occisorum.

Domini gladius quam acutus in occidendo.

XXI. *Occisos de plebe fuisse, aliqui tradunt & probant.*

Cæterùm de illorum conditione dubitatio est; Distinguantúrne illi septuaginta viri de populo, ab aliis quinquaginta millibus de plebe, in gradu & ordine dignitatis? Negant aliqui, Hugo Victorinus, Caietanus, Saa, Seratius, Mariana, Salianus. Et probari potest: tum ex Hebræo, vbi omnes viri, omnes de populo fuisse dicuntur: tum ex Vulgata, vbi licèt alij de populo, alij de plebe fuisse memorentur; tamen inter populum, & plebem, nullum videtur discrimé reperiri. Atque adeò sensus est: Percussit septuaginta viros supra quinquaginta millia, nullo posito discrimine inter percussos: sed minori numero, vt fieri solet, ad maiorem præmisso. Quæ expositio satis plana, facilis, expeditáque mihi videtur. Alij verò affirmant, dicentes, illos septuaginta fuisse de primatibus, seu de nobilioribus: hæc autem quinquaginta millia fuisse de plebeiis, seu de inferioribus, & obscurioribus. Ita docent D. Greg. Beda, Eucherius & Angelomus, probántque ex Vulgata: quamuis non eodem omnes fundamento. Nam D. Greg. probat: quia quidam de populo, quidam de plebe dicútur. *Appellatione*, inquit, *populi, etiam vrbium nobiles continentur: plebs autem vulgus est reliquum sine nobilitate.* Contrà verò Beda libro vno triginta quæstionum in libros Regum, q. 3. Eucherius & Angelomus, cùm nullú inter plebem, & populum discrimen agnoscant, probant, quia priores, viri appellantur; posteriores non ita.

Hugo Vict. Caiet. Saa. Serar. Marian. Salian.

Alij de nobilioribus simul & plebeis extitisse opinantur. D. Greg. Beda. Euch. Angel.

Beda.

XXII. *Hæc vltima sententia approbatur.*

Hæc mihi magis placet expositio, quòd Vulgatæ conformior videatur. Et neutrum displicet

A huius distinctionis argumentum. Non primum: quia reuerà populi, plebisque vocabula eò distinguuntur, vt populus pro nobilibus, plebs pro ignobilibus vsurpetur; vt docent non solùm Latini Scriptores, Aulus Gellius lib. 10. c. 20. Alex. ab Alex. lib. 6. c. 23. Tiraq. De nobil. c. 37. num. 27. Sed etiam ex sacris, D. Isidor. lib. 9. Erymologiarum, c. 4. vbi sic: *Populus*, inquit, *vniuersi ciues sunt, connumeratis senioribus ciuitatis: plebs autem reliquum vulgus, sine senioribus.* Non secundum: quia licèt viri nomen nobilibus pariter, & ignobilibus commune sit; tamen non est dubium, quin aliquando præstantioribus tribuatur, & abiectioribus denegetur. Et in hunc sensum mihi videtur Latinus Interpres viri nomen in priori membro expressisse, & in posteriori tacuisse: vt

Gellius. Alex. ab Alex. Tiraq. D. Isid. Plebis & populi discrimé.

B sic Hebraici textus mentem explicaret. Quamuis enim in Hebræo omnes dicantur viri, scilicet, percussis septuaginta viros, & quinquaginta millia virorum: tamen Latinus Interpres verborum intelligentiam assequutus, æquiuocationem aduertit; quam vt tolleret, priores tantùm appellauit viros, non posteriores. Id autem discrimiuis, seu æquiuocationis facilè colligere potuit ex Chaldæo, qui priores septuaginta viros dicit, fuisse ex senioribus, id est, ex nobilioribus: cùm autem reliqua quinquaginta millia seniorum esse non possent; neque enim tanta esse poterat nobiliorum multitudo; facilè arguit, hos ad inferiorem ordinem spectare, & propter-

Præstantioribus viri nomen aptiùs accommodatur.

C eà totam rem explicaturus, non viros, sed plebeios appellauit. Itaque non potuerunt omnes occisi esse ex plebeiis: quia saltem illi septuaginta viri, iuxta Chaldæum, ex nobilioribus fuerunt. Non potuerunt item omnes esse ex nobilioribus: quia tanta eorum multitudo eo in populo non daretur. Ergo ad diuersum quique ordinem pertinebant.

Probatur nec omnes esse potuisse ex plebeiis, nec omnes ex nobilibus.

XXIII. Au verò aliqui Leuitæ & Sacerdotes occisi fuerint: negare videtur Iosephus, dicens, nullos ibi fuisse Sacerdotes, qui ad Arcam accederent: & propterea laicos accedentes, fuisse diuinitus vulneratos. Idem exprimit Beda ad hunc locum: *Non Sacerdotes*, inquit, *& Leuitas, quorum officij erat, Arcam portare: sed vulgus ignobile, cui nec vi-*

Beda.

D *dendi eam fas erat, percussit.* Quibus verbis, ne sibi ipsi contradicat, vulgus ignobile sacris tantùm hominibus opponit, & pro laicis cuiusque ordinis vsurpat. Sed & Magister Historiæ saltem illos septuaginta viros non fuisse Sacerdotes ac Leuitas, arbitratur. Nihilominùs oppositum inde potest suaderi: quia Bethsames erat vrbs sacerdotalis, vt suprà Num. 9. & 15. dictum est: vbi etiam fit expressa mentio Leuitarum. Ergo, cùm in Bethsamitibus ea strages facta sit; planè in Leuitis ac Sacerdotibus facta est: fieri tamen potuit, vt cum illis magna laicorum pars inuolueretur.

Quam ob causam hæc percussio illata fuerit.

E

XXIV. *Theod. Multiplex causa supplicij diuini. Prima ex Theodoreto.*

Quod ad tertiam difficultatem attinet, multiplex solet huius percussionis causa assignari. Prima ex Theod. quæst. 14. *Populus*, inquit, *fuit castigatus, vt qui noluerit pro Arca adire periculum, & septem menses eam reliquerit apud alienigenas, & pro ea bellum non susceperit.* Eandem rationem totidem ferè verbis Procopius expressit. Sed contrà: quia hæc culpa totius populi communis fuit; non propria Bethsamitarum: non igitur hi soli pro illa puniri debuerunt. Secunda ex Hugone Victorino, obseruante, Bethsamitas

Hugo Vict. Secunda ex Hugone Victorino.

famitas reliquisse Arcam in agro: *In quo*, inquit, *culpa eorum notari potest, quòd non eam in domum introduxerunt; sed foris dimiserunt, vbi ab omnibus irreuerenter aspiceretur.* Sed contrà: quia non constat, Arcam tanto tempore fuisse in agro Bethsamitico, vt hæc mora vitio tribueretur Bethsamitis: immò fortasse primo quoque tempore, quo decentem apparatum & solennem pompam expedire potuerunt, de illa in vrbem inuehenda cogitarunt.

Lyran. Tertia ex Lyrano.

Tertia ratio ex Lyrano, quòd Bethsamitæ, qui metebant triticum in agro, eleuantes oculos, & videntes Arcam, inaniter & ineptè exultarunt. Sed contrà: quia lætitia de aduentu Arcæ inanis esse non potuit; sed in primis solida. Et quamuis aliqua ibi leuitas interueniret; tanto nihilominùs supplicio minimè plecteretur.

Quarta ex eod. Lyrano.

Quarta ex eodem Lyrano, quòd vaccas fœminas in holocaustum immolarunt; contra præscriptum diuinæ legis, quæ holocaustum de maribus fieri præcipiebat. Sed contrà: quia, licèt sacrificium ex indebitis victimis præposterè factum sit; vt Num. 14. iam concessi: tamen esse non potuit plurium peccatum; sed paucorum, qui illud obtulerunt. Præterquàm quòd illud sacrificium, licèt ex obiecto illicitum; aliqua tamen ex circunstantia potuit à peccato excusari: vt citato loco obseruaui.

Quinta etiam ex Lyrano.

Quinta etiam ex eodem Lyrano, quòd Arcam sine luminaribus extra tabernaculum esse permiserunt. Sed contra: quia luminaria coram Arca extra tabernaculum collocare, nulla ceremonia legalis præcipiebat.

Obiectiō proponitur, & diluitur.

At naturalis reuerentia, dices, id postulabat; iuxta illud, quod dicitur de Iudith redeunte in vrbem post cædem Holofernis: *Et occurrerunt ad eam omnes à minimo vsque ad maximum; quoniam sperabant, eā iam non esse venturam. Et accendentes luminaria, congyrauerunt circa eam vniuersi.* Iud. 13. n. 15. & 16. Respondeo, politicam reuerentiā, qualis hæc fuit, arbitrariam esse, & quam quisque prudenter excogitarit, præstari posse: at verò sacram ac ceremonialem, fuisse statā; nec ex humano arbitrio, sed ex diuino præscripto institutam. Vnde nemo iure exigat accensas faces coram Arca extra tabernaculū, quas nulla lex diuina imperabat: alioqui vituperet Moysem, qui Arcā per desertū sine facibus deferebat.

XXV. *Germana percussionis causa.*

Vltima igitur ac germana ratio ex Litera, est, percussos fuisse Bethsamitas; *eò quòd vidissent Arcam Domini.* Hanc Interpretes communiter tradunt & confirmant. Sed in ea dicendum est, quid iure fieri potuerit, & quid de facto contigerit. Quæstio de iure facilis est. Nam summo Pontifici & aliis Sacerdotibus inferioribus licebat, solū in commotione castrorum, videre & tangere Arcam nudam, iuxta illud: *Ingredientur Aaron, & filij eius, quando mouenda sunt castra, & deponent velum, quod pendet ante fores; inuoluéntque eo Arcam testimonij.* Num. 4. n. 5.

Varius tractandi & contrectandi Arcam modus.

At verò simplicibus Leuitis & laicis, nunquàm id licebat, sub pœna mortis; iuxta illud: *Alij nulla curiositate videant, quæ sunt in Sanctuario, priusquàm inuoluantur: alioquin morientur.* Ibidem, n. 20. Inuolutam verò poterant omnes licitè & impunè videre. Sic enim eam ad bellum procedentem totus populus vidit, suprà cap. 4. & per desertum incedentem totus populus videbat. Tangere autem etiam inuolutam non poterant, nisi Sacerdotes ac Leuitæ de ordine Caathitarum; iuxta illud: *Tunc intrabunt filij Caath, vt portent inuoluta; & non tangent vasa Sanctuarij* (scilicet, nuda) *ne moriantur.* Num. 4. num. 15.

XXVI. *In quonam peccarunt Bethsamitæ.*

Atque ex his quæstio de facto facilè dissoluetur. Nec enim peccarunt Bethsamitæ, quòd vidissent Arcam tectam, sed nudam: hoc enim tantùm, & non illud prohibebatur. Quod potuit contingere dupliciter. Aut, quia Arca nuda venit è Palæsthina, quam Hebræi motu primò primo & indeliberato intuentes, non auerterunt oculos, vt debebant; sed curiosè inspexerunt: vt Caietanus exponit.

Caiet.

Aut, quia venit quidem cooperta: sed ipsi ducti curiositate videndi, suis eam inuolucris denudarunt, denudatámque viderunt, vt sentit Abul. & quidem, ni fallor, probabilius:

Abul. Peccasse ex curiositate videndi, probabilius.

tum, quia sic apparet maior Philisthinorum in Arcam reuerentia, eam cum honore, & suo tectam velo remittentium. Nam, si victores illam cum honore susceperunt; vt Cap. 5. Num. 1. & 2. diximus: quo pacto victi sine honore dimittere auderent; præsertim suorum Diuinorum Imperio vrgente, ne illam vacuam & inhonoram redire paterentur? Tum etiam, quia sic deprehenditur grauior Bethsamitarum culpa, qui non solùm oculos defixerunt in Arca, quæ nuda occurrebat; quod esse potuit ex quadam fragilitate, non valentium oculos ab obiecto, quod præsens aderat, cohibere: sed etiam, vt curiosiùs aspicerent, denudarunt; quod esse non potuit, nisi ex malitia, non solùm in occasione peccantium, sed etiam occasionem ad peccandum inquirentium.

XXVII. *Bethsamitas Arcæ interiora non aspexisse negant aliqui.*

An verò non solùm externam Arcæ faciem aspexerint; sed etiam aperuerint, & interiora explorauerint, dubitari potest. Negant probabiliter Caietanus & Abulensis, ne tantam Bethsamitis temeritatem sine fundamento in Litera adscribant.

Caiet. Abul. Probant alij aspexisse.

Nihilominùs grauitas pœnæ, quam subierunt, de hac etiam culpæ grauitate nonnullam ingerit suspicionem. Quæ quidem ex Hebræo Textu augetur, vbi dicuntur percussi: *Quia viderunt in Arca Domini*: scilicet, vt addit Pagninus: *Quæ erant in ea*: hoc est, Tabulas legis, & reliqua, si quæ in ea claudebantur.

Pagninus.

Seu, vt legit Vatablus: *Quòd introspexissent in Arcam Domini.* Quasi non modò externam faciem, sed etiam internas latebras rimarentur.

Vatab.

Vnde Hebræi apud Isidorum Clarium, fatentur, Bethsamitas desiderio videndi Arcam, eam aperuisse: vel etiam, vt ex eisdem refert Serarius, studio sciendi, an aliquid ex ea Philisthini eripuissent: vel tandem, vt donaria cum Arca missa intra Arcam custodirent. Quæ omnia sacrilegam licentiam arguebant.

Isid. Clar.

Serar.

Vnde Hugo Victorinus percussos ait Bethsamitas, eò quòd vidissent Arcam Domini: *Scilicet, non reuerenter, neque cum timore, vt tantam rem decebat; sed audacter irruentes respexissent.*

Hug. Vict.

Et Eucherius acetosiùs, *Percussissent*, inquit: *quia non solùm appropinquauerunt, sed etiam despexerunt.* Quod citat ex alia, nescio quam, translatione. Et subdit: *Non de visione, sed despectione mulctatos esse.* Ex quibus patet, Arcam non solùm indignis oculis visam fuisse, sed etiam sacrilegis manibus temeratam. Vt nemo iam miretur tam atrocem pœnam sibi subsequutam.

XXVIII. *D. Greg. In Bethsamitis varij adumbrantur Hæretici.*

Cæterùm in Bethsamitis adumbrantur, iuxta D. Gregorium, Hæretici duplici ordine distincti: quidam solo mentis errore decepti, qui in illis septuaginta viris nobilioribus exprimuntur: alij prauis quoque operibus deprauati, qui in illis quinquaginta millibus plebis designantur: iuxta Rupertum, illi, qui in sacris Scripturis diuinitatis mysteria, maiori curiositate, quàm humilitate scrutantur:

Rupert.

iuxta Dionysium, illi, qui Eucharistiæ Sacramentum irreuerenter intuentur, aut sumunt:

Dion.

iuxta Diuū Bonauent. in 4. dist. 9. art. 2. q. 2. ad 4. argumentum, illi, qui in eodem Eucharistiæ Sacramento fatis non habet, Christum

D. Bonau.

Dominum latentem fidei lumine contemplari; A sed vlteriùs cupiunt patentem carnis oculo intueri: & sic de cæteris. Qua de re in sequentibus Annotationibus dicemus.

XXIX. *Luxitque populus*, &c. Hæc verba satis ostendunt, non fuisse percussos tantùm septuaginta viros: tum, quia totus populus loxit; immò, vt docet Iosephus, suum mortuum vnusquisque lugebat: tum, quia dicitur, fuisse plaga magna. Occisio verò septuaginta tantùm virorum; neque plaga magna dici poterat, præsertim in illo populo tam atrocibus plagis assueto; neque ad singulos superstites spectare, qui multò plures sine dubio, quàm septuaginta superfuisse debuerunt. Cæterùm cùm strages, & in nobilibus, & in plebeijs facta fuerit, vt diximus; tamen populus luxisse B dicitur: *Eò quòd Dominus percussisset plebem*: vel, quòd maiorum funera non curabat propter inuidiam & maleuolentiam, quæ in eos, vt plurimùm habetur: vel, quia plebis nomine nobiliores quoque intelligebat. Quamuis enim Principes, dum viuunt plebeiis excellant; tamen, cùm moriuntur, coæquantur. Mors enim pari ratione

Ioseph. *Luctus populi causa.*

Principes cùm moriuntur, cæteris coæquantur.

Horat.

Sortitur insignes, & imos.
Et *æquo pulsat pede pauperum tabernas,*
Regumque turres.

Omnes enim quantumuis sibi videantur cæteris hominibus altiores; tamen sicut homines moriuntur.

XXX. Sed nescio, vtri magis deplorandi, mortuine ob tam atrocem plagam? An viui ob tam insi- C gnem insaniam, qui solas corporales cædes, non autem spirituales ruinas lamentabantur? Luxit populus. Sed quam ob causam? An propter sacrilegia? An propter Arcæ iniurias? An propter innumera peccata, quæ Bethsamitæ commiserant? Non id Historia inculcat. Sed tantùm, *eò quòd Dominus percussisset plebem plaga magna.* Similes Philisthæis, qui, vt ex superioribus patet, propter culpas non dolebant, propter pœnas vlulabant. Immò & Ægyptiis, qui inter suorum crimina, ne minimū quidem luctum edebant; inter natorum funera, clamorem magnū excitabant. Exod. 12. n. 30. Quid autem indignius, quàm fideles Israëlitas nihilo ab infidelibus, idololatris discrimi-nari? Quid insanius, quàm lugêre corpus, à quo D recessit animus: animum autem, à quo recessit Deus, non lugêre? Vtinam Bethsamitæ pro suis culpis funderent, quas pro suis pœnis lacrymas effundebant. Haud dubium, quin suis animis efficaciùs, quàm suis corporibus mederentur. Vnde D. Augustinus serm. 41. De Sanctis: *Sic lugeamus*, inquit, *extinctam nostrā animam, quomodo alienam carnem mortuam plangimus.* Et statim carnales propinquorum luctus prosequutus: *Si vxor*, inquit, *aut filius, aut maritus, mortuus fuerint, in terram se collidunt homines, capillos trahendo, pectora tundendo; & in luctu ac lacrymis non paruo tempore perseuerant.* Atque hinc ad spirituales luctus argumentatus, *Exhibeamus*, inquit, *nos animæ nostræ, quod illi exhibent alienæ carni.* Et in eos, qui secus E faciunt, actitet inuehens, *Carnem*, inquit, *quam non possumus suscitare, plangimus, & animam nostram mortuam non plangimus, quam possumus per pœnitentiam ad statum pristinum reuocare.* Et huius insaniæ rationem, si qua ratio est insaniæ, declarans, *Corpus*, inquit, *mortuum plangimus, quod amamus: animam vero mortuam, quam non amamus, non plangimus, non dolemus.* Sed de hac re multa iam diximus in 1. tom. Annotat. 9. Sect. 3. & in hoc tum. Annot. 13. & 19.

Magis deplorādi, qui ruinas tantùm corporales lamentantur.

Nihil insanius quā lugere corpus, non animum.

D. August.

Iusti animā lugere debēt, non corpus.

Num. XX. Et dixerunt viri Bethsamitæ: Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? Et ad quem ascendet à nobis?

EXPOSITIO LITERÆ.

I. ET *dixerunt*, &c. Scilicet, vel murmurando in publicis circis, & conuentibus. Quemadmodum olim in deserto post ingentem cladem acceptam fusi in querimonias dicebant: *Ecce consumpti sumus: omnes perinimus: quicunque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. Num vsque ad internecionem cuncti delendi sumus?* Num. 17. num. 12. & 13. vel, quod potiùs credo, consultando in vrbano aliquo Concilio, quod ad hanc rem definiendam coēgerunt. Nam, sicut Philisthæi suprà de remedio plagis inueniendo in prouincialibus Comitiis deliberarunt: ita nunc & Bethsamitæ in vrbanis. Deliberationis autem caput ab hac interrogatione desumitur: *Quis poteris stare*, &c. Similes interrogationes in Scriptura, paucitatem, seu raritatem significant: *Quis vnquam innocens periit?* Iob. 4. n. 7. *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo?* Psal. 14. n. 1. *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante?* Isai. 33. n. 14. Quasi diceret: Rarus, aut nullus: vt Hug. Cardin. hoc loco aduertit. Et nos ad c. 2. n. 25. latiùs ostendimus.

Vnde orta sit hæc Bethsamitarum exclamatio.

Interrogatio sæpè in Scriptura paucitatem significat.

II. Illud, *In conspectu Domini Dei sancti huius*, aut intelligi potest de ipsa Arca, quam nō solùm Philisthini, sed etiam Hebræi, Dei nomine appellabant, vt Cap. 4. Num. 7. iam ostendi: aut de ipso Deo, non quidem absolutè (sic enim non tantùm pauci, sed omnes omninò stant in conspectu eius: *In ipso enim* omnes *viuimus, mouemur, & sumus.* Act. 17. num. 28) sed quatenus operabatur ex illa Arca, & in illa colebatur. Vnde Chaldæus transfert: *Quis poterit stare ante Arcam Domini sancti hanc?* Quasi in hunc modum ratiocinentur: Dominus qui in hac Arca manifestatur, sicut sanctissimus est; ita coram illa sanctissimos seruos, ministrósque requirit: & si quos negligentiores inuenerit, grauissimè punit; vt etiam nunc apertissimo didicimus experimento: atqui homines multis imperfectionibus inuoluuntur: ergo, *Quis poterit stare in conspectu Domini sancti huius?* Seu, vt habent Sixtiana: *Quis poterit transire*, &c. Quamuis enim hoc verbum oppositam habeat significationem: tamen ex vtraque perfecta seruitus intelligitur, quæ ad nutum Domini, nunc stando, nunc transeundo, completur. Et est sensus: Quis poterit seruire, seu ministrare satis dignè in conspectu Domini?

Arca Dei nomine appellabatur.

III. In qua ratiocinatione tria sunt obiter expendenda. Primum, Deum, etiam cùm punit, sanctum esse, non iniquum. Vnde Moyses de Deo loquutus: *Terribilis*, inquit, *atque laudabilis.* Exodi 15. n. 11. quia etiam cùm terret ac punit, laude dignus est: non enim punit amore vindictæ, sed zelo iustitiæ. Quod mihi videtur significasse Caietanus dicens, *Deum per laudabilia opera timeri*: si vlteriùs addamus: *Et per terribilia opera laudari*: cùm tamen alij Principes ac Reges, cùm terrent ac puniunt, multorum odium vituperationémque incurrant: quòd non debita iustitia, sed tyrannica licentia ad puniendum moueantur.

Deus, etiam cùm punit, sanctus dicitur, & iustus.

Deus punit amore iustitiæ, non vindictæ. Caiet.

IV. Secundum, Bethsamitas, etiam cùm puniuntur, diuinam sanctitatem confiteri: & proinde non diffiteri suam iniquitatem, cui talem punitionem maximè debitam cognoscunt. Quæ non exi-

Optima laus est in Deum puniente non indignari.

gua

gua eſt laus eorum, qui diuina flagella patiuntur. Vnde Iobus patientiæ merito inter cæteros coronandus: *Hac mihi ſit*, inquit, *conſolatio, vt affligens me dolore non parcat: nec contradicam ſermonibus Sancti.* Iob.6. n.10. Vbi à Deo flagellatus ſic exultat, vt eam flagellationem, ſuam conſolationem appellet: nec in Deum punientem indignetur; ſed ſanctum per excellentiam confiteatur. De qua re ad Cap. 3. Annot.6. Sect.1.& 2.& ad Cap.4. Num. 3. plura diximus.

V. *Dominus, vtpote ſanctiſſimus, ſanctiſſimè coli debet & obſeruari.*

Tertium, ex ſanctitate diuina rectè colligere Bethſamitas, quanta difficultas in diuino obſequio pro dignitate exercēdo reperiatur. Nam ſanctiſſimus Dominus ſanctiſſimè coli obſeruaríque non immeritò expoſcit. Quæ igitur tanta eſſe poterit in homine ſanctitas, vt diuinæ ſanctitati, non dico, cum perfecta adæquatione; ſed ne cum debita quidē proportione accommodetur? Vnde Ioſuë audiens ex populo: *Seruiemus Domino, quia ipſe eſt Deus noſter:* ſubdidit: *Non poteſtis ſeruire Domino: Deus enim ſanctus & fortis æmulator eſt; nec ignoſcet ſceleribus veſtris, atque peccatis.* Ioſ. 24. num. 19. Quaſi diceret: Ne vobis nimium tribuatis: quia quantuncunque vires atque animos intendatis, nunquam ad eam ſeruitutem, quæ diuinæ ſanctitati debetur, peruenietis. Quod etiam confeſſus Eliphaz, *Nunquid homo*, inquit, *Dei comparatione iuſtificabitur, aut factore ſuo purior erit vir? Ecce, qui ſeruiunt ei, non ſunt ſtabiles; & in Angelis ſuis reperit prauitatem. Quanto magis hi, qui habitant domos luteas, qui terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea?* Iob 4. à num. 17. Vbi difficultatem huius ſeruitutis, & ratione, & exemplo confirmat. Ratione quidem: quia creatura, ſicut in infinitum abeſt à perfectione ſui Creatoris; ita à ſeruitute, quæ illi debetur, longiſſimè recedit. Exemplo: quia, ſi Angeli, qui inter cæteras creaturas diuinam perfectionem proximè imitantur, à debita ſeruitute corruerunt; neque puritatem diuino obſequio neceſſariam conſeruarunt: qualem homines ſuapte natura labiles Deo deferent ſeruitutem? qualem apud Deum, qui fragiles ſunt, integritatem retinebunt?

Quàm difficile ad diuinā hāc accedere ſeruitutem.

Cauſa huius difficultatis exponitur.

VI. *An eodē animo Bethſamitæ, quo Philiſthini Arcā dimiſerint.*

Ex tota hac ratiocinatione Bethſamitæ vnum eliciunt decretum, quod ſatis ex conſequentibus intelligitur; quamuis in Litera nō exprimatur: nimirum, Arcam apud ſe minimè retinendam, ſed aliò amandandam. In qua re Philiſthinos imitantur; ſaltem facto ipſo: nam & illi Arcam à ſe ipſis relegarunt; vt ex dictis patet. An verò etiam animo eos imitentur? inquiret aliquis. Nam Philiſthini animo cauendi pœnam, & experiendi, an ea propter Arcam contigerit, à ſe Arcam expulerunt. Quid ergo Bethſamitæ? Eodémne animo de repellenda à ſe Arca conſultarunt? Crediderim in primis eos Arcam à ſe expellere voluiſſe, non quidem ad illud experimentum ſumendum: cùm enim fideles eſſent, dubitare non poterant propter violatam legem, & temeratam Arcam hoc illis nocumentum accidiſſe: ſed ad pœnam euitandam, quam ex præſentia Arcæ indies grauiorem formidabant. Et fortaſſe ad honorandā ipſam Arcam, eámque in ſanctiori alio loco, vbi digniùs coleretur, ſtatuendam. Sed neſcio, an conſultiùs ac religioſiùs deliberarent, non de Arca liberanda, ſed de reuerentia debita erga illam exhibenda. Sic enim & pœnam fugerent, & Arcæ ſanctitate ac dignitate, ſua in vrbe fruerentur.

Dimiſiſſe ad pœnā euitandam probabilius.

VII. *Bethſamitæ inito conſilio Arcā remittunt ad Cariathiarenos.*

Et ad quem aſcendet à nobis, &c. Ex priori decreto hæc rurſus naſcitur dubitatio. Quaſi dicerent: Certi ſumus de remittenda Arca; incerti de termino, ad quem remittatur. Hoc igitur conſultandum: *Ad quem aſcendet à nobis?* Vbi dubitant, & quis poſſit eam dignè recipere, & quis velit expoſcere ſe periculo eam recipiendi. De vtroque enim ſufficiens erat dubitandi ratio; & quia ſanctitati Arcæ nulla par ſanctitas poterat inueniri; & quia cæteri Iſraëlitæ alieno malo cauti, ne in ſimile laberentur, Arcam ſuo recipere hoſpitio non auderent: quemadmodum & ſinguli Philiſthinorum propter eundem metum eam à ſe auertere nitebantur. Sed tamen, lite profligata & peroraта, eam ad Cariathiarenos remittere decernunt: ſiue, quia viciniores, ad quos proinde citiùs poſſet Arca transferri: ſiue, quia fortiores, qui proinde Arcam à Philiſthinis, ſi eam repetere vellent, faciliùs tuerentur: ſiue, quia nobiliores, apud quos proinde Arca maiori cultu ac veneratione ſeruaretur.

Num. XXI. Miſeruntque nuntios ad habitatores Cariathiarim, dicentes: Reduxerunt Philiſthiim Arcam Domini. Deſcendite, & reducite eam ad vos.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Ioſeph.* *Duplex ratio, ob quam nuntios præmiſerunt.*

Miſeruntque nuntios, &c. Ioſephus dicit, nuntios miſſos fuiſſe ad omnes Hebræos. Sed neſcio, an ſumma Bethſamitarum trepidatio tantas moras ſuſtineret. Igitur, antequàm Arcam mitterent ad ciues Cariathiarim, nuntios præmiſerunt, qui eos de re gerenda admonerent, eorúmque beneplacitum & cōſenſum expectarent. Cuius rei duplex ratio ſe mihi offert. Vna, vt prudentiores ac modeſtiores, quàm Philiſthini, ſe præſtarent. Hi enim Arcam remittebant ad alios atque alios, etiam inconſultos; vt ex ſuperiori capite conſtat: parum ſolliciti de periculo alieno, dummodò proprium euitarent. At verò Bethſamitæ ita ſuum damnum effugere cupiebant, vt illud ad vicinos, præſertim inuitos & inconſultos, non transferrent.

Prima, vt Philiſthinis prudentiores eſſent.

II. *Secunda, ob Arcæ reuerentiam.*

Altera, quia non audebant ipſi ad Arcam propiùs accedere, eámque ſuis humeris portare. Nam experti illam acerbam ſtragem propter Arcam viſam; timebant, ne aliam acerbiorem propter tactam paterentur. Quare ciues Cariathiarenos admonebant, vt ipſi deſcenderent, & ſuis eam humeris portantes in ſuam vrbem inferrent. Et fortaſſe cauſabantur, vrbem Bethſames eſſe perexiguam, parum tutam, hoſtibus vicinam, & Philiſthinorum incurſibus expoſitam: at verò Cariathiarim, quæ in Tribu Iuda ſita erat, Ioſue 15. n. 9. ſicuti nobiliorem, ita & munitiorem eſſe, natura loci ad munimentum non parum conferente: erat enim in colle poſita; vnde in ſubiectam vallem Bethſamiticam deſcendebatur; proindéque Arcæ retinendæ ac tuendæ aptior. De plaga verò Bethſamitica nihil dicuntur renuntiaſſe: vel, quia omnibus nota: vel, ne Cariathiarenos, tot ſtrages ac funera replicando, deterrerent: in eo calliditatis arguendi, quòd ſuam mercem, eius vitio non prodito, venditarent.

III. *Arca ideò nō redit in Silo, vtpote multis ſceleribus infectam.*

Quæret aliquis: Cur Arcam in Silo, vnde extracta fuerat, reducendam non curarunt? Dices: Quia in Silo, quæ longiùs aberat, tardiùs poterat reportari: ipſi verò ad eam, quamprimùm à ſe remouendam feſtinabant. Addo, diuina prouidentia ita factum eſſe; ne in vrbem tam multis paulò antè ſacrilegiis profanatam, ſacri ritus ac ceremoniæ rediret. Hanc enim illius vrbis extremam

vastitatem significauit Deus, dicens: *Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio: & videte, quæ fecerim ei, propter malitiam populi mei Israël.* Ierem. 7. num. 12. Atque hæc de tota huius sexti Capitis historia. Cuius extrema pars superest illustranda.

ANNOTATIO XXII.

CIRCA LITERAM.

Arca contra legem visa, sacram Eucharistiam sine debita reuerentia tractatam repræsentat.

I. *Duo ad Literā explicata mysterie de Eucharistia explicantur.*

IN posteriori parte huius Capitis, quæ sola nobis superest locupletanda, duo continentur: culpa Bethsamitarum intuentium Arcam: & pœna eorundem propter Arcam visam pereuntium. De vtraque ad Literam dictum est. Restat, vt vtriusque mysteria illustrentur. Nam illa culpa Bethsamitarum, Arcam cōtra legem intuentium, culpam Christianorum sacram Eucharistiam indignè suscipientium, vel tractantium repræsentat: de qua in præsenti Annotatione dicendum est. Illa verò pœna Bethsamitarum pereuntium propter Arcam indebitè visam, repræsentat pœnam Christianorum, propter Eucharistiam malè susceptam morientium: de qua in 24. Annot. disserendum. Quod igitur ad primum attinet. Ex summa illa reuerentia, qua fœderis Arcam tractari oportebat, facilè colligitur, quanta sacrosanctæ Eucharistiæ, vel tractandæ, vel suscipiendæ reuerentia debeatur. Et vt in pauca conferam, duplicem requiro, negatiuam quodammodo, & positiuam. Illam quidem, summam à peccatis omnibus innocentiam: hanc verò, eximiam virtutum omnium abundantiam: duplici quanque Annotatione illustrandam.

SECTIO I.

Summa à lethalibus culpis innocentia ad Eucharistiam necessaria.

II. *Arca fœderis, etsi Eucharistiā repræsentat, non adæquat.* D. Greg. Beda. Carthus. D. Cyril. Alex. D. Hier. D. Ambr. D. Aug. D. Bonau. Aponius.

SVppono, in Arca fœderis sacrosanctam Eucharistiam fuisse repræsentatam. Ita docent D. Greg. Beda, & Carthusianus ad hunc locum, D. Cyril. Alex. lib. 9. De adoratione, & lib. 4. in Ioan. c. 28. D. Hieronym. D. Ambros. D. August. ad illa verba: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* Psal. 98. n. 5. D. Bonau. serm. 2. in Dominicam quartam Aduentus, Aponius lib. 1. in Cant. ad illa verba: *Nigra sum, sed formosa.* Cant. 1. n. 5. & passim alij. Repræsentat, inquam, fœderis Arca Eucharistiam: non adæquat. Nam, quis non videt, quantò sit Eucharistia purior & sacratior, quàm Arca fœderis? Si igitur hanc Arcam tanta cum reuerentia tractari necesse erat, vt ex Litera iam patet: quanta cum reuerentia Eucharistiam tractari oportebit? Consistit autem hæc reuerentia, præsertim in innocentia ab omni culpa non solùm lethali; sed etiam, quantùm diuina gratia fieri poterit, veniali. De hac in sequenti: de illa in præsenti Sectione disserendum.

Reuerentia ad Eucharistiam in quo consistat.

III. *Eucharistiam præcedere debet examē*

Igitur quantam à lethalibus culpis innocentiam Sacramentum Eucharistiæ requirat, satis ostendit Apostolicum præceptum: *Probet autem se*

A *ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* 1. Corinth. 11. num. 28. Vbi verbum probandi duo significat. Vnum, examen, quo se quisque perscrutari debet, antequàm ad Eucharistiam accedat: quasi dicat: suam conscientiam expendat, examinet, exploret. Alterum, iudicium, quo se morali certitudine credat, lethalis criminis expertem: quasi dicat: sententiam ferat, qua se approbet, & quantùm de diuina misericordia sperare licet, expiatum iudicet. His præmissis, & non antè, ad sacram mensam conuiuetur. Præpostera fuit Ethnicorum superstitio, vt pecudes immolandas priùs examinarent, essentne aliqua macula, seu labe, seu vitio infectæ; iuxta illud Virgilianum: *de culpis lethalibus.* *Veteres immolanda, non immolantes prapostere examinabāt.*

B *Et fibras pecorum, & spirantia consulit exta.*

Non autem ipsos Sacerdotes immolaturos: cùm multò magis ab his, quàm ab illis omnia vitia exulare oporteret. Vnde Tertul. in Apolog. c. 30. *Miror, inquit, cùm hostia probantur penes vos à vitiosissimis Sacerdotibus; cur præcordia potius victimarum, quàm ipsorum sacrificantium examinantur.* Nā, si vitiosæ pecudes irreuerētiam Deo inferre censebantur: quantò grauiorem inferrent vitiosi Sacerdotes? cùm Deus multò magis inquinatum Sacerdotem, quàm infectam victimam detestetur. Tertul. *Deus magis Sacerdotem inquinatum, quā victimā detestatur.*

IV. *Animalia quæ Deo immolabantur, immaculata.*

Fateor, & in lege veteri iussum esse, vt inspicerentur diligenter animalia, antequàm ad aras immolanda sisterentur: *Omnis macula,* inquit Textus, *non erit in eo. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricem*

C *habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem; non offeretis ea Domino; nec adolebitis ex eis super altare Domini.* Leuit. 22. num. 22. Verùm ea lex mysterio plena erat: non, vt in ipsis victimis sisteretur; quarum vitia sine dubio leuiùs ferenda videbantur: sed, vt à victimis ad Sacerdotes efficax duceretur argumentum, optimúmque documentum peteretur, qua ipsi tandem constare deberent ad sacrificandum puritate, cùm tanta à victimis ratione carentibus exigeretur. Qua de re egregiè philosophatur Philo Hebræus lib. De victimarum generibus: *Adhibetur,* inquit, *hac cura, non propter victimas; sed, vt sine omni culpa sint, qui eas mactandas offerunt. Submonentur enim* *In victimarū puritate, Sacerdotum puritas commēdatur.* Phil.

D *his symbolis, vt quoties accedunt ad altaria, vel nuncupatum iri vota, vel reddituri, nullum vitiū, nullámque morbum afferant in anima: sed conentur omninò nitidam & immaculatam in conspectum Dei producere, ne visam auersetur.* Vnde in eos, qui secùs faciebant, & maculatas victimas à sacrificiis excludentes, vitiosas animas ad sacrificandum afferebant, acriter inuehitur idem Philo lib. De Cherubin: *Si quam pecudem,* inquit, *animaduertant parum integro corpore; eiiciunt extra purificatum templi spatium, nec patiuntur adduci ad altaria. Ipsi consauciati animas morbis grauibus, quos eis inflixit impotens malitia, vel potius mutilati castratique membris præcipuis, prudentia, fortitudine, iustitia, aliisque virtutibus, tamen audent sacris operari; rati, oculum Dei externa tantùm inspectare, non etiam occulta conspicere.* *Dementia Sacerdotis est, animalia immunda reiicere, cùm sit immundus.*

E Quid dementius, & hoc facto, & hac ratione facti fingi posset?

V. *Sacerdotis corpus olim integrum, vt animi integritas commendetur.*

Adde, non solas victimas in lege veteri expendi solitas, ne quo vitio laborarent: sed ipsa Sacerdotum corpora, vt sana, vegeta, integra & illæsa existerent. *Omnis,* inquit, *qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, nec panes Deo suo.* Leuit. 21. n. 21. Vbi singula vitia, vt legenti patebit, seorsim exprimuntur. Non quidem, quòd Deus externas corporum prauitates, seu deformitates, præcipuè detestetur: sed, quòd internas animorum labes, & maculas

maculas sub illis mysticè significatas præcipuo quodam odio prosequatur. Quo ex loco argumentum desumens Philo Hebr. lib. 2. De Monarch. *Si mortale, inquit, corpus Sacerdotis inspici oportet, ne quo contractum sit vitio, quantò magis animam immortalem?* Vnde tandem efficacius licet argumentari: Si ad sacrificia legis veteris tractanda, in quibus carnes taurorum & hircorum Deo offerebantur, tanta requirebatur Sacerdotum innocentia: quanta requiretur ad vnum legis nouæ sacrificium, in quo immaculatum corpus, & pretiosus sanguis Christi Domini non solùm tractatur manibus; sed etiam libatur ore, ac tandem intimo in corde collocatur? Probet igitur se ipsum homo, an eam habeat conscientiæ puritatem, quæ ad tantum mysterium accedat.

Philo.

Plus innocentiæ requiritur ad sacrosanctum legis nouæ sacrificiũ.

VI. Aptissimè quidem D. Dionysius Areopagita libro de ecclesiastica Hierarchia, cap. 3. sacram communionem appellat quandam *spiritualem insitionem*. Et paulò pòst de Christo Domino loquutus, *Per hanc, inquit, beneficam clementiam ad participationem sui, suorúmque bonorum inuitat genus humanum. Si igitur ipsius sacratissimæ inseramur vitæ, ipsamq; quantum fas est, imitando, veraciter consortes Dei, diuinorúmque participes efficiemur.* Quæ loquutio vt apertiùs innotescat; aduertendum, ad insitionem, vt feliciter procedat, duo requiri. Vnum, vt truncus, in quem surculus inseritur, viuat: hoc est, aridus non sit, sed viridis, & sua adhuc vegetatiua anima informatus: tunc enim truncus, & surculus ita in vnum coalescunt, vt vna tantùm arbor efficiatur. Et quasi truncus exuetit syluestrem animam, & nobiliorem surculi vitam hauserit, non iam ampliùs in suos flores, frondes ac fructus, qui erant degenerantis naturæ; sed in flores, frondes ac fructus illius surculi, quem amplectitur, qui sunt mitioris, feliciorisque ingenij, propagatur.

D. Dionys.

Eucharistia est spiritualis insitio.

Ad insitionem requiritur, vt truncus viuat.

Miratúrque nouas frondes, & non sua poma.

Virg.

Quòd si truncus aridus sit; tantùm abest, vt surculi vitam viuat; vt potiùs surculus mortuo inclusus trunco immoriatur.

VII. Hoc primum in spirituali Eucharistiæ insitione reperitur. Nam in primis opus est, vt qui illam recipit, viuat per gratiam. Sic enim tam arcto vinculo cum Christo Domino coniungitur, vt non suam, sed illius vitam viuere videatur; dicerèque possit cum Apostolo: *Viuo autem iam non ego: viuit verò in me Christus.* Galat. 2. num. 20. ac proinde iam non humanas, sed diuinas exeat in actiones: non iam loquatur, non iam operetur, vt homo; sed quasi totus in diuinitatem transfusus, diuinam agendi rationem sortiatur. Vnde D. Dionysius Areopagita citato loco, *Verùm, inquit, ad sacra percipienda accessus, id accedentibus tribuit, vt ex communione diuina ad Dei similitudinem, atque conformitatem transeant.* Quòd si recipiens Eucharistiam, tanquàm aridus & mortuus truncus, per gratiam non viuat: quò insitio euadet? Tantùm profectò aberit, vt à Christo vitam hauriat, vt potiùs, quantùm in se erit, Christo vitam eripiat. Nam teste Apostolo: *Reus erit corporis & sanguinis Domini.* 1. Corinth. 11. num. 27. Erit ille truncus aridus, seu illa anima mortua, quidam veluti tumulus, seu quædam vrna, vbi Christus iterum moriatur, ac tumuletur. Seu potiùs, erit illa anima, quædam veluti crux, & mala arbor, cui diuinus ille surculus non inseratur victurus: sed moriturus affigatur. Erit illud corpus non viride lignum, in quo cælestis ille ramus quodammodo reuirescat & reflorescat: sed ferale patibulum, in quo penitùs exarescat, & contabescat. Tales enim peccatores

Ad Eucharistiam vita per gratiam requiritur.

D. Dion.

Qui ad Eucharistiã accedit, in Dei transit similitudinem.

Mortuus per culpam, tumulus est corporis Christi.

A spirituali vita carentes, Christum Dominum, quem suscipiunt, quantùm in se est, spoliant temporali: *Rursum, iuxta Apostolum, crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Hebr. 6. n. 2. Nam, vt bene D. Pet. Damian. lib. 4. epist. 14. *Qui Dominicum corpus pollutis tractare manibus non veretur; crucifigentium Iesum particeps esse conuincitur.* Absit igitur, vt quisquam lethali mortuus peccato ad sacrosanctam Eucharistiam accedat.

D. Petr. Dam.

VIII. Alterum, quod requiritur ad felicem insitionem, est, vt antequàm surculus inseratur, inutiles rami defrondeantur, infructuosi stolones rescindantur, & , vt loquitur Mantuanus: *Exedes trunci resecentur.* Sic enim fit, vt paulò pòst

Exeat in cælum ramis felicibus arbor.

Ad insitionem etiam requiritur inutiliũ ramorum defrondatio.

Virg.

B Nam, si truncus inutilibus ramusculis ac frondibus syluescat; in priores fœtus erumpet, nec cum insito surculo cohærebit. Vnde rursus non vincet truncus per surculum; sed potiùs surculus per truncum interibit; ab illa syluestrium ramorum congerie oppressus, & quodammodo suffocatus. Non aliter, antequàm Eucharistia suscipiatur, debent omnia ex animo flagitia amputari, prauæque affectiones coërceri: vt animus à peccatis liber, tanquàm truncus noxiis frondibus exoneratus, coalescat cum diuino illo surculo Christo Domino; & surculus in trunco inolescat: atque vna fit vtriusque vita, ex qua vna atque eadem operatio consequatur. Nam, si animus vitiosis appetitionibus lasciuiat ac luxurietur, nunquàm cum illo diuino surculo concrescet: sed in priora flagitia prodibit; quibus ille diuinus surculus quodammodo obrutus & oppressus, quantùm in ipso peccatore est penitus exarescet & contabescet.

Ad Eucharistiam debent amputari inutiles peccatorũ frondes.

IX. Ad hanc tropologiam illustrandam non inuitus trahitur Iacobus Apostolus, dicens: *Abiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* Iacob. 1. num. 21. Nam, si ad verbum auditum, nostris animis inserendum, de quo ibi sermo est, planè requiritur, vt omnes omninò culpæ, tam carnales, quàm mentales à peccatore abiurentur, & ipse noua quadam mansuetudine & charitate induatur: quanta peccatorum abolitio, & virtutum coaggregatio requiretur; vt Verbum incarnatum, & in sacra Eucharistia exhibitum, nostris mentibus inferatur? Nam, sicut truncus detondetur, vt surculo inserendo proportionatus efficiatur: ita suscepturus Eucharistiam, expurgari debet, & expiari, vt Domino suscipiendo aliqua proportione accommodetur. Quod Diuus Dionysius Areopagita, vbi suprà, ex ipsa membrorum cum corpore similitudine paulò aliter declarat: *Vult, inquit, Christus Dominus, vt nos illi tanquàm membra corpori congruamus: & per vitæ syncera ac diuina similitudinem compaginemur, ne corrumpentibus mortiferis vitiis, ad diuina & sanctissima membra incongrui efficiamur.* Monstrum planè erit, si humano corpori equinum aliquod membrum affingatur. Sed omni monstro deformius ac prodigiosius portentum, si quis in belluina vitia deformatus, Christo Domino in Eucharistia suscepto, tanquàm membrum sui corpori adglutinetur.

Ad verbum Dei requiritur mundities: multò magis ad Verbum Dei in Eucharistia.

D. Dionys. In Eucharistia Christo Domino, sicut membra corpori, adglutinamur.

Est monstrum in belluina vitia deformatũ Christo Domino adglutinari.

X. Age verò, aliis eandem rem testimoniis locupletemus. Cùm Deus Moysi traderet ritus consecrandi Sacerdotes, *Aaron, inquit, & filios eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonij: cumq; laueris patrem cum filiis suis aqua, indues Aaron vestimentis suis.* Exod. 29. num. 4. Quam cæremoniam Beda interpretatus lib. 3. De tabernaculo, cap. 9. *Notandum, inquit, quod consecraturus eos Moyses, primò*

Quanta munditiei ad Eucharistiam requiratur.

Beda.

lauit aqua, & sic habuam illis sacri gradus imponit: quia, nimirum, necesse est, vt qui ad officium altaris promouendus est, maioribus se solito lacrymarum fluentis abluat; vt quò mundior ad gradum accipiendum accesserit, eò perfectiùs acceptum consummet. Si ergo ad induendas vestes sacerdotales necesse est, vt priùs omnes corporis maculæ abstergantur; quanta cordis munditìes, necesse erit, vt ad sacram Eucharistiam recipiendam adhibeatur.

XI. Celebris fuit ceremonia, qua offerens holocaustum, manum capiti victimæ immolandæ imponere iubebatur: *Ponétque manus*, inquit Legislator, *super caput hostiæ, & acceptabilis erit.* Leuit. 1. num. 4. Qui ritus eò spectabat, vt, qui holocaustum offerebat, priùs suæ innocentiæ testimonium illo externo symbolo præberet: ne impurus ad purum ministerium accedere videretur. Sic exponit Philo Hebræus lib. De victimarum generibus: *Quòd manus*, inquit, *imponantur capiti victimæ, euidens indicium est innocentiæ, vitaq; sine culpa exactæ iuxta naturæ leges, & diuina Oracula. Postulabat enim Deus à sacrificante primùm bonam mentem, sanctam, & in pietate exercitam: deinde vitam benefactis ornatam; vt, dum manus imponit, possit libera conscientia dicere: Manus hæ nec muneribus corruptæ, nec innocenti sanguine pollutæ; noxam, iniuriam, vulnus intulerunt nemini: nulli rei turpi præbuerunt ministerium; sed rebus honestis & vtilibus, quæ viris iustis sapientibúsque probantur.* Vbi omnia peccatorum genera palàm abiurabat; antequàm accederet, sacris operaturus. Quis ergo suscepturus augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, non curet priùs animum omni peccatorum sarcina exonerare?

Qui ad Eucharistiā accedit, omnia vitia abiurare debet.

Philo.

XII. Non licebat in lege veteri ignem inferre in altare thymiamatis, nisi desumptum ex altari holocausti: vt colligitur ex historia Nadab & Abiu, Leuit. 10. à num. 1. qui, cùm in altare thymiamatis inferre vellent ignem alienum, hoc est, aliunde, quàm ex altari holocausti desumptum, pœnas quàm acerbissimas dederunt, subito igne correpti, vt qui in igne peccauerant, igne absumerentur. Altare holocausti, Sacramentum pœnitentiæ repræsentabat: vt enim in illo immolabantur animalia; ita in hoc peccata quodammodo cæduntur, iugulantur, & subiectis contritionis flammis abolentur. Altare verò thymiamatis repræsentabat Eucharistiæ Sacramentum: vt enim in illo incendebantur odores; ita in hoc ad præsentiam Christi Domini pretiosa quædam odoramenta, quæ sunt orationes Sanctorum, cordiúmque affectiones, suauissimè exhalant. Vt igitur ad altare thymiamatis nemo incensum positurus accedebat, antequàm ad altare holocausti, inde ignem desumpturus sisteretur: ita ad Eucharistiæ Sacramentum venire nemo potest, qui alicuius lethalis criminis conscius sibi fuerit, priusquàm ad pœnitentiæ Sacramentum accedens, Confessionis igne expurgetur. Ita Concilio Trid. Sess. 13. c. 7. decernente: *Vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quàtumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Tanta huic Sacramento reuerentia debetur, vt innocentia ad illud non solùm contritione; sed etiam Confessione parta requiratur.

Nemo ad Eucharistiam accedere debet, nisi confessionis igne expurgatus.
Altare holocausti pœnitentiæ typus.
Altare thymiamatis Eucharistia.

Conc. Trid.
Non sufficit contritio ad Eucharistiā, nisi accedat confessio.

XIII. Necessariā ad vetera sacrificia innocentiam admiratus Isaias: *Quis poterit*, inquit, *habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Isai. 33. n. 14. Non est sensus, vt aliqui vulgò fingunt, voluisse Prophetam homines à gehenna deterrere: vt patet ex ipsius Prophetæ responsione statim subiicienda. Sed sensus est, quem Lyranus expressit: *Quis poterit de vobis dignè ministrare in altari holocaustorum?* Rectè enim hoc altare, in quo ignis semper ardebat; qui proinde ignis perpetuus dicebatur, Leuit. 6. n. 12. & 13. per ignem deuorantem, & per ardores sempiternos metaphrasticè explicauit. Respondet igitur Propheta, eum posse cum hoc igne deuorante, & cum his ardoribus sempiternis habitare, hoc est, sacris ministeriis & sacrificiis dignè & ritè inseruire: *Qui ambulat*, inquit, *in iustitiis, & loquitur veritatem: qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere: qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem; & claudit oculos suos, ne videat malum.* Ibidem, num. 15. Hoc est: qui vitam agit ab omni scelere puram, integram & illibatam. Si igitur ad illud altare holocaustorum tanta à grauioribus culpis innocentia requirebatur: quantam habeat, necesse est, qui ad hoc altare thymiamatis, ad hoc eucharisticum conuiuium accedit diuinis epulis fruiturus?

Quanta innocentia ad agnum Eucharisticum requiratur.

Lyran.

XIV. Offerebatur olim Deo, victimarum non solùm armus & pectusculum; sed etiam reticulum iecoris, duo renes, & ventriculus: vt patet Exod. 29. n. 13. & 22. & 26. Leuit. 3. à num. 3. & Leuit. 7. à n. 4. Hoc est, non solùm externæ, sed etiam internæ partes victimarum. Rationem reddit D. Cyrillus Alexandrin. in c. 2. Malach. sub initium, his verbis: *Erat*, inquit, *solenne à qualibet hostia separari Deo armum, & pectusculum, & reticulum iecoris, & duos renes, & ventriculum. Quo quidem Scriptura legalis per inuolucrum indicat omnia interiora eorum, qui se dedicauerunt Deo in odorem suauitatis, sancta & sanctificata esse oportere.* Vnde sumitur argumentum: si tanta puritate nitere oportebat eos, qui vetera Deo sacrificia offerebant; qua debent excellere innocentia, qui augustissimo Eucharistiæ Sacrificio operantur? Curandum maximè illis est, vt nec prauæ cogitationes intus in animo nutriantur; nec peruersæ actiones foris in corpore tumultuentur. Moysi & Aaroni præcepit Deus, vt victimam immolandam traderent Eleazaro Sacerdoti: *Qui*, inquit, *eductam extra castra immolabit in conspectu omnium.* Num. 19. num. 3. Sed, cur non potiùs eam tradi iussit Aaroni? Rectè ad præsens institutum respondet Lyranus: *Quia Eleazar non peccauit in conflatione vituli:* sicut Aaron. Ad Sacrificium autem illud peragendum, innocens Sacerdos admittendus erat, non peccator. Quis non videt, quantò innocentior Sacerdos ad Eucharistiæ Sacrificium requiratur?

Interior, & exterior innocentia requiritur ad Eucharistiam.

D. Cyril. Alex.

Solus Sacerdos innocens, accedere dignus est ad Eucharistiā.

Lyran.

XV. Inter ceremonias, quibus Agnus paschalis edebatur; vna erat, vt comederent illum *tenentes baculos in manibus.* Exod. 12. num. 11. At, quorsum baculi inter conuiuandum, qui potiùs ad iter agendum requiruntur? Crediderim, vt qui ad illud conuiuium, Eucharistici symbolum, accessissent; suis se baculis firmiter sustentarent, ne ruerent: hoc est, vt non solùm firmi starent in fide; sed etiam in nullam degenerem cupiditatem laberentur. Quod mihi videtur D. Greg. Nazianz. Orat. 42. num. 43. significasse: *Lex*, inquit, *fulcientem baculum tibi præscribit, necubi animo titubes, dum sanguinem Dei, & passionem, ac mortem audis: ac dum Dei patronus atque defensor videri cupis, impiè corruas. Quin potiùs sine pudore & confusione corpus ede, sanguinem bibe; si modò vitæ desiderio tenêris: nec sermonibus de carne fidem abrogans; nec ad eos, qui de passione habentur, impingens. Innixus sta, firmus & stabilis: atque ita comparatus, vt nulla in re quatiaris ab aduersariis. In fastigio tuo sta: in atriis Hierusalem pedes statue: in petra suffulci, vt tui secundùm Deum gressus non moueantur.* Ergo, qui in scelerum volutabrum ceciderunt: & in eo submersi

Qui gratiæ baculo non sustentatur, ad Eucharisticū Agnum accedere nō potest.

D. Greg. Naz.

detinen

detinentur, ad hoc accedere conuiuium maximè vereantur.

XVI. Illa quoque fuit sympoſiaca lex paſchalis Agni; vt conuiuæ comederent calceati: *Calceamenta*, inquit, *habebitis in pedibus.* Ibidem. Si illa modò lex conuiuantibus daretur; nihil prorſus haberet nouitatis, cùm omnes calceati & ocreati menſis accumbant: at verò priſcis ſeculis noua admodum videbatur. Tunc enim ea fuit conſuetudo, vt nudis pedibus epularentur, non ſolùm Romani, ſed etiam Hebræi. Romani quidem, vt ex eo patet: quia ille apud Martialem lib. 5. Epigram. conuiuium initurus: *Depoſui ſoleas*, inquit. Et ille alter apud Horatium lib. 2. Serm. Satyr. 8. conuiuium relicturus, ſurgit è menſa: *Et ſoleas*, inquit, *poſcit.* Vnde vterque conuincitur nudis pedibus conuiuio interfuiſſe. Hebræi verò, vt ex eo conſtat: quia, Chriſto Domino menſæ accumbente, Magdalena ſtans retrò, *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & vnguento vngebat.* Luc. 7. n. 38. Quod apertè ſupponit Chriſtum Dominum illo in conuiuio nudos pedes habuiſſe. Quorſum igitur ad paſchalem Agnum calceati conuiuæ accedere iubentur? Rationem inculcat D. Greg. Nazianzenus. Orat. citata, num. 41. *Qui Ægyptum*, inquit, *& res Ægypti fugit, calceos ſumat; vt tutus ſit, cùm ab aliis rebus, tum à ſcorpiis & ſerpentibus, quos permultos Ægyptus alit. Sic fiet, vt ab iis, qui calcaneum obſeruant, & quos calcare iuſſi ſumus, minimè vulneretur.* Vbi & hiſtorialis & ſpiritualis ratio inculcatur. Illa eſt, vt corporis pedes à venenatis morſibus illæſi cuſtodiantur: hæc, vt mentis affectus à lethalibus vitiis puri conſeruentur. Quòd ſi ad paſchalem Agnum tanta corporis mentiſque ſanitas requiritur: quanta vtriuſque puritas ad hoc diuinum epulum requiretur?

Veteres Romani nudis pedibus epulabantur.

Martial.

Id mos apud Hebræos increbuit.

D. Greg. Naz.

XVII. Adde, in illo typico conuiuio lumbos quoque accinctos eſſe oportere: *Renes*, inquit, *veſtros accingetis.* Vbi ſuprà. Non ſine myſterio, vt ad menſam Euchariſticam acceſſuris omnis intemperantia coërcenda ac frænanda iuberetur. Sic enim D. Gregorius Nazianz. citata Oratione, n. 39. *Tibi*, inquit, *per zonam ac temperantiam reſtringatur pars illa, quæ libidine æſtuat, ac velut hinnitum edit. Ita fiet, vt mortificatis membris, quæ ſunt ſuper terram, Paſcha purè comedas; ſolitarij illius Ioannis & Præcurſoris, magnique veritatis Præconis præcinctionem imitans.* Quo pacto enim turpibus concupiſcentiis æſtuanti, & prauis libidinibus efferueſcenti, ad illud frumentum electorum, & vinum germinans virgines patebit acceſſus? An purior animus noſter, quàm Chriſtus? Si igitur animus noſter corpus tabidum & vlceroſum, ac debitis diſpoſitionibus exutum deſerit: quo pacto Chriſtus Dominus animam ſordidam, inquinatam, multiſque ſceleribus infectam ingredietur? Quo argumento eleganter vtitur D. Ambr. ſer. 19. in Pſal. 118. *An verò*, inquit, *cùm animæ noſtræ vigor putrem corporis refugiat portionem; quòd eius gratiam corrupti artus ſentire non poſſint: Deus corruptæ animæ membra quædam dignatur habitare?* Vbi expendo illud, *Eius gratiam corrupti artus ſentire non poſſunt.* Neque enim deeſt Chriſto Domino virtus ad ſanctificandam animam: ſed animæ deeſt neceſſaria diſpoſitio ad ſanctitatem percipiendam.

Corporis voluptates coërcendæ ad Euchariſtiam.

D. Greg. Naz.

D. Ambr.

Anima velut per culpam corrupta inepta eſt ad ſanctificationem.

XVIII. In primo ingreſſu terræ Promiſſionis circuncidit Ioſuë populum. Et poſtquàm omnes ex vulneribus ſanati ſunt: *Fecerunt*, inquit Textus, *Phaſe quarta decima die menſis ad veſperum in campeſtribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ, die altero, azymos panes, & polentam eiuſdem anni.* Ioſ. 5. num. 10. Quem locum Origenes homil. 6. myſticè A interpretatus: *Circuncidimur*, inquit, *quando cum labore quodam, & dolore animi, veteris conſuetudinis culpas nouella inſtitutione mutamus: ſanamur autem, cùm iam noua inſtituta abſque difficultate complemus, & in vſum nobis vertitur, quod priùs difficile videbatur.* Circunciſi igitur, & ſanati fecerunt Paſcha: quia antequàm culpas exuerent, indueréntque virtutes, non debebant immaculati Agni carnibus epulari. *Vides*, addit Origenes, *quia nemo immundus facit Paſcha, nemo incircunciſus: ſed quicunque mundus fuerit, & circunciſus.* Illud Paſcha agnus erat de grege: & nihilominùs mortificatos & ſanctificatos requirebat. At verò Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: quantò igitur maiorem & mortificationem & ſanctificationem à celebrantibus poſtulabit? B Agnus ille Paſchalis *abſque macula.* Exod. 12. num. 5. ſeu, vt habent Septuag. ἄμωμος, id eſt, *Irreprehenſibilis*, irreprehenſibiles conuiuas exigebat. Quam ergo maculam reprehenſione dignam in ſuis conuiuiis patietur ille Agnus Euchariſticus, quem nemo hominum poteſt *arguere de peccato?* Ioan. 8. num. 46. Et in quo Diabolus Princeps huius Mundi *non habet quicquam?* Ioan. 14. num. 30. Et cuius manus ſunt *tornatiles?* Cant. 5. num. 14. ſeu, vt habet Interlin. *In nullo reprehenſibiles?*

Origenes marg.: Orig.

Ad eſum Agni Euchariſtici debent homines mundari & circuncidi.

Agnus Euchariſticus ſine macula, conuiuas exigit irreprehenſibiles.

Interl.

XIX. Neque ſolùm innocens in ſe eſſe debet, qui ad hanc menſam accumbit: ſed etiam, quod eſt maius, innocentem familiam habere. Nam, qui profano ſeruo vtitur, quamuis ipſe ſanctus ſit; ab C hoc conuiuio, tanquàm profanus expelletur. Præcipiebat olim Deus, ne quis dominus, ſeu paterfamilias comederet Paſcha, antequàm eius ſeruus emptitius circuncideretur. Exod. 12. n. 44. *Quia, cùm ſeruus*, inquit Lyra, *ſit quædam res domini ſui, ei imputari debet defectus circunciſionis.* Si ab Agno paſchali propter incircunciſum ſeruum paterfamilias arcetur: quis dubitet, quemuis dominum, propter iniquum ſeruum, ab Euchariſtia repellendum? Sibi poſtulabat Dauid panes ſanctificatos: & nihilominùs Sacerdos Abimelech in eius pueros inquirebat: *Si mundi*, inquit, *ſunt pueri.* 1. Regum 21. num. 4. Quaſi propter dignitatem, vel indignitatem famulorum, dignus, vel indignus Rex ipſe cenſeretur. Nouerint igitur Chriſtiani, D ſi immundos famulos, vel filios domi alant, ſatis ſe mundos non eſſe ad Euchariſtiam recipiendam, quantumuis propriis factis ſibi mundi videantur.

Non ſolùm anima, ſed familia ſancta requiritur ad Euchariſtiam.

Lyra.

Indigni ad Euchariſtiā, qui ſeruos habent immundos.

XX. Egreſſis de Iordane Iſraëlitis Arca fœderis anteibat: populus verò à tergo ſequebatur: *Sequimini*, inquit Ioſuë, *ſitq́; inter vos & Arcam ſpatium cubitorum duum millium.* Ioſ. 3. n. 4. At, cur non propiùs accedebant? *Propter reuerentiam Arcæ*, inquit Lyranus. Si igitur ab Arca profani homines reuerentiæ cauſa abſiſtebant: cur in Euchariſtiam irruere temerarij non formident? In gratiam olim redierunt Iſaac & Abimelech, quam ſplendido conuiuio confirmarunt: *Et poſt cibum & potum*, inquit Textus, *ſurgentes manè iurauerunt ſibi mutuò.* E Gen. 26. num. 31. At cur inter cœnandum, vel ſaltem ſtatim poſt cœnam non iurarunt; ſed potiùs iuramentum in craſtinum diſtulerunt? *Vt iurarent*, inquit Lyra, *ſalua ieiuna propter reuerentiam iuramenti.* Addit Philo Hebræus lib. De Decalogo, non ſolùm linguam iurantis à cibo ieiunam eſſe debere; ſed multò magis mentem ab omni vitio alienam: *Iuraturus*, inquit, *debet ſe ipſum conſiderare; num purus ſit anima, corpore & lingua: illa ab iniquitatibus; hoc à piaculis; hæc à maledicentia. Nefas eſt enim per os, quo profertur nomen illud ſanctiſſimum, quidquam turpe progredi.* Hanc planè reuerentiam

Quanta reuerentia ſit opus ad Euchariſtiam.

Lyran.

Lyra.

Philo.

Magna olim ad iurandum reuerentia: multò magis ad Euchariſtiam.

lauit aqua, & sic habitum illis sacri gradus imponit: quia, nimirum, necesse est, vt qui ad officium altaris promouendus est, maioribus se solito lacrymarum fluentis abluat; vt quo mundior ad gradum accipiendum accesserit, eò perfectiùs acceptum consummet. Si ergo ad induendas vestes sacerdotales necesse est, vt priùs omnes corporis maculæ abstergantur, quanta cordis munditiæ, necesse erit, vt ad sacram Eucharistiam recipiendam adhibeatur.

XI.

Qui ad Eucharistiã accedit, omnia vitia abstinere debet.

Celebris fuit ceremonia, qua offerens holocaustum, manum capiti victimæ immolandæ imponere iubebatur: *Ponétque manus*, inquit Legislator, *super caput hostiæ, & acceptabilis erit.* Leuit. 1. num. 4. Qui ritus eò spectabat, vt, qui holocaustum offerebat, priùs suæ innocentiæ testimonium illo externo symbolo præberet: ne impurus ad purum ministerium accedere videretur. Sic exponit Philo Hebræus lib. De victimarum generibus: *Quòd manus*, inquit, *imponantur capiti victimæ, euidens indicium est innocentiæ, viteq; sine culpa exactæ iuxta naturæ leges, & diuina Oracula. Postulabat enim Deus à sacrificante primum bonam mentem, sanctam, & in pietate exercitam: deinde vitam beneficijs ornatam; vt, dum manus imponit, possit libera conscientia dicere: Manus hæ nec muneribus corruptæ, nec innocenti sanguine pollutæ; noxam, iniuriam, vulnus intulerunt nemini: nulli rei turpi præbuerunt ministerium; sed rebus honestis & vtilibus, quæ viris iustis sapientibúsque probantur.* Vbi omnia peccatorum genera palàm abiurabat; antequàm accederet, sacris operaturus. Quis ergo suscepturus augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, non curet priùs animum omni peccatorum sarcina exonerare?

Philo.

XII.

Nemo ad Eucharistiam accedere debet, nisi confessionis igne expurgatus.

Altare holocausti pœnitentiæ typus.

Altare thymiamatis Eucharistia.

Non licebat in lege veteri ignem inferre in altare thymiamatis, nisi desumptum ex altari holocausti: vt colligitur ex historia Nadab & Abiu, Leuit. 10. à num. 1. qui, cùm in altare thymiamatis inferre vellent ignem alienum, hoc est, aliunde, quàm ex altari holocausti desumptum, pœnas quam acerbissimas dederunt, subito igne correpti, vt qui in igne peccauerant, igne absumerentur. Altare holocausti, Sacramentum pœnitentiæ repræsentabat: vt enim in illo immolabantur animalia, ita in hoc peccata quodammodo cæduntur, iugulantur, & subiectis contritionis flammis abolentur. Altare verò thymiamatis repræsentabat Eucharistiæ Sacramentum: vt enim in illo incendebantur odores, ita in hoc ad præsentiam Christi Domini pretiosa quædam odoramenta, quæ sunt orationes Sanctorum, cordiúmque affectiones, suauissimè exhalant. Vt igitur ad altare thymiamatis nemo incensum positurus accedebat, antequàm ad altare holocausti, inde ignem desumpturus sisteretur: ita ad Eucharistiæ Sacramentum venire nemo potest, qui alicuius lethalis criminis conscius sibi fuerit, priusquàm ad pœnitentiæ Sacramentum accedens, Confessionis igne expurgetur. Ita Concilio Trid. Sess. 13. c. 7. decernente: *Vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quãtumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Tanta huic Sacramento reuerentia debetur, vt innocentia ad illud non solùm contritione; sed etiam Confessione parta requiratur.

Conc. Trid.

Non sufficit contritio ad Eucharistiã, nisi accedat confessio.

XIII.

Quanta innocentia ad ignem Eucharisticum requiratur.

Necessariã ad vetera sacrificia innocentiam admiratus Isaias: *Quis poterit*, inquit, *habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Isai. 33. n. 14. Non est sensus, vt aliqui vulgò fingunt, voluisse Prophetam homines à gehenna deterrere: vt patet ex ipsius Prophetæ responsione statim subiicienda. Sed sensus est, quem Lyranus expressit: *Quis poterit de vobis* A *dignè ministrare in altari holocaustorum?* Rectè eum hoc altare, in quo ignis semper ardebat; qui proindè ignis perpetuus dicebatur, Leuit. 6. n. 12. & 13. per ignem deuorantem, & per ardores sempiternos metaphrasticè explicauit. Respondet igitur Propheta, eum posse cum hoc igne deuorante, & cum his ardoribus sempiternis habitare, hoc est, sacris ministeriis & sacrificiis dignè & ritè inseruire: *Qui ambulat*, inquit, *in iustitiis, & loquitur veritatem: qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere: qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum.* Ibidem, num. 15. Hoc est: qui vitam agit ab omni scelere puram, integram & illibatam. Si igitur ad illud altare holocaustorum tanta à grauioribus B culpis innocentia requirebatur: quantam habeat, necesse est, qui ad hoc altare thymiamaris, ad hoc eucharisticum conuiuium accedit diuinis epulis fruiturus?

Lyran.

XIV.

Interior, & exterior innocentia requiritur ad Eucharistiam.

D. Cyril. Alex.

Offerebatur olim Deo, victimarum non solùm armus & pectusculum; sed etiam reticulum iecoris, duo renes, & ventriculus: vt patet Exod. 29. n. 13. & 22. & 26. Leuit. 3. à num. 3. & Leuit. 7. à n. 4. Hoc est, non solùm externæ, sed etiam internæ partes victimarum. Rationem reddit D. Cyrillus Alexandrin. in c. 2. Malach. sub initium, his verbis: *Erat*, inquit, *solenne à qualibet bestia separari Deo armum, & pectusculum, & reticulum iecoris, & duos renes, & ventriculum. Quo quidem Scriptura legalis per inuolucrum indicat omnia interiora eorum,* C *qui se dedicauerunt Deo in odorem suauitatis, sancta & sanctificata esse oportere.* Vnde sumitur argumentum: si tanta puritate nitere oportebat eos, qui vetera Deo sacrificia offerebant; qua debent excellere innocentia, qui augustissimo Eucharistiæ Sacrificio operantur? Curandum maximè illis est, vt nec prauæ cogitationes intus in animo nutriantur; nec peruersæ actiones foris in corpore tumultuentur. Moysi & Aaroni præcepit Deus, vt victimam immolandam traderent Eleazaro Sacerdoti: *Qui*, inquit, *eductam extra castra immolabit in conspectu omnium.* Num. 19. num. 3. Sed, cur non potiùs eam tradi iussit Aaroni? Rectè ad præsens institutum respondet Lyranus: *Quia Eleazar non peccauit in conflatione vituli: sicut Aaron.* Ad Sacri- D ficium autem illud peragendum, innocens Sacerdos admittendus erat, non peccator. Quis non vidit, quantò innocentior Sacerdos ad Eucharistiæ Sacrificium requiratur?

Solus Sacerdos innocens, accedere dignus est ad Eucharistiã.

Lyran.

XV.

Qui gratiæ baculo non sustentatur, ad Eucharisticũ Agnum accedere nõ potest.

Inter ceremonias, quibus Agnus paschalis edebatur; vna erat, vt comederent illum *tenentes baculos in manibus.* Exod. 12. num. 11. Ar, quorsum baculi inter conuiuandum, qui potiùs ad iter agendum requiruntur? Crediderim, vt qui ad illud conuiuium, Eucharistici symbolum, accessissent, suis se baculis firmiter sustentarent, ne ruerent: hoc est, vt non solùm firmi starent in fide; sed etiam in nullam degenerent cupiditatem laberentur. Quod mihi videtur D. Greg. Nazianz. Orat. 42. num. 43. significasse: *Lex*, inquit, *fulcientem* E *baculum tibi præscribit, necubi animo titubes, dum sanguinem Dei, & passionem, ac mortem audis: ac dum Dei patronus atque defensor videri cupis, impiè corruas. Quin potiùs sine pudore & confusione corpus ede, sanguinem bibe; si modo vita desiderio teneris: nec sermonibus de carne fidem abrogans; nec ad eos, qui de passione habentur, impingeas. Innixus sta, firmus & stabilis: atque ita comparatus, vt nulla in re quatiaris ab aduersariis. In fastigio tuo sta: in atriis Hierusalem pedes statue: in petra suffulci, vt tui secundum Deum gressus non moueantur.* Ergo, qui in scelerum volutabrum ceciderunt: & in eo submersi

D. Greg. Naz.

detinen

detinentur, ad hoc accedere conuiuium maximè vereantur.

XVI. Illa quoque fuit sympoſiaca lex paſchalis Agni; vt conuiuæ comederent calceati: *Calceamenta*, inquit, *habebitis in pedibus*. Ibidem. Si illa modò lex conuiuantibus daretur; nihil prorſus haberet nouitatis, cùm omnes calceati & ocreati menſis accumbant: at verò priſcis ſeculis noua admodum videbatur. Tunc enim ea fuit conſuetudo, vt nudis pedibus epularentur, non ſolùm Romani, ſed etiam Hebræi. Romani quidem, vt ex eo patet: quia ille apud Martialem lib. 5. Epigram. conuiuium initurus: *Depoſui ſoleas*, inquit. Et ille alter apud Horatium lib. 2. Serm. Satyr. 8. conuiuium relicturus, ſurgit è menſa: *Et ſoleas*, inquit, *poſcit*. Vnde vterque conuincitur nudis pedibus conuiuio interfuiſſe. Hebræi verò, vt ex eo conſtat: quia, Chriſto Domino menſæ accumbente, Magdalena ſtans retrò, *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, & vnguento vngebat*. Luc. 7. n. 38. Quod apertè ſupponit Chriſtum Dominum illo in conuiuio nudos pedes habuiſſe. Quorſum igitur ad paſchalem Agnum calceati conuiuæ accedere iubentur? Rationem inculcat D. Greg. Nazianzenus. Orat. citata, num. 41. *Qui Ægyptum*, inquit, *& res Ægypti fugit, calceos ſumat; vt tutus ſit, cùm ab aliis rebus, tum à ſcorpiis & ſerpentibus, quos permultos Ægyptus alit. Sic fiet, vt ab iis, qui calcaneum obſeruant, & quos calcare iuſſi ſumus, minimè vulneretur.* Vbi & hiſtorialis & ſpiritualis ratio inculcatur. Illa eſt, vt corporis pedes à venenatis morſibus illæſi cuſtodiantur: hæc, vt mentis affectus à lethalibus viriis puri conſeruentur. Quòd ſi ad paſchalem Agnum tanta corporis mentiſque ſanitas requiritur: quanta vtriuſque puritas ad hoc diuinum epulum requiretur?

Veteres Romani nudis pedibus epulabantur.

Martial.

Illi mos apud Hebraeos inerat.

D.Greg. Naz.

XVII. Adde, in illo typico conuiuio lumbos quoque accinctos eſſe oportere: *Renes*, inquit, *veſtros accingetis*. Vbi ſuprà. Non ſine myſterio, vt ad menſam Euchariſticam acceſſuris omnis intemperantia coërcenda ac fræñanda iuberetur. Sic enim D. Gregorius Nazianz. citata Oratione, n. 39. *Tibi*, inquit, *per zonam ac temperantiam reſtringatur pars illa, quæ libidine æſtuat, ac velut hinnitum edit. Ita fiet, vt mortificatis membris, quæ ſunt ſuper terram, Paſcha pure comedas; ſolitarij illius Ioannis & Præcurſoris, magnique veritatis Præconis præcinctionem imitans.* Quo pacto enim turpibus concupiſcentiis æſtuanti, & prauis libidinibus efferueſcenti, ad illud frumentum electorum, & vinum germinans virgines patebit acceſſus? An purior animus noſter, quàm Chriſtus? Si igitur animus noſter corpus tabidum & vlceroſum, ac debitis diſpoſitionibus exutum deſerit: quo pacto Chriſtus Dominus animam ſordidam, inquinatam, multiſque ſceleribus infectam ingredietur? Quo argumento eleganter vtitur D. Ambr. ſer. 19. in Pſal. 118. *An verò*, inquit, *cùm animæ noſtra vigor putrem corporis refugiat portionem; quod eius gratiam corrupti artus ſentire non poſſint: Deus corrupta anima membra quaadam dignatur habitare?* Vbi expendo illud, *Eius gratiam corrupti artus ſentire non poſſunt*. Neque enim deeſt Chriſto Domino virtus ad ſanctificandam animam: ſed animæ deeſt neceſſaria diſpoſitio ad ſanctitatem percipiendam.

Corporis voluptates coërcendæ ad Euchariſtiam.

D.Greg. Naz.

D. Ambr. *Anima velut per culpam corrupta inepta eſt ad ſanctificationem.*

XVIII. In primo ingreſſu terræ Promiſſionis circumcidit Ioſuè populum. Et poſtquàm omnes ex vulneribus ſanati ſunt: *Fecerunt*, inquit Textus, *Phaſe quarta decima die menſis ad veſperum in campeſtribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ, die altero, azymos panes, & polentam eiuſdem anni.* Ioſ. 5. num. 10. Quem locum Origenes homil. 6. myſticè

Ad eſum Agni Euchariſtici debent homines mundari & circumcidi.

Orig.

A interpretatus: *Circumcidimur*, inquit, *quando cum labore quodam, & dolore animi, veteris conſuetudinis culpas nouella inſtitutione mutamus: ſanamur autem, cùm tam noua inſtituta abſque difficultate complemur, & in vſum nobis vertitur, quod prius difficile videbatur.* Circumciſi igitur, & ſanati fecerunt Paſcha: quia antequàm culpas exuerent, indueréntque virtutes, non debebant immaculati Agni carnibus epulari. *Vides*, addit Origenes, *quia nemo immundus facit Paſcha, nemo incircumciſus: ſed quicunque mundus fuerit, & circumciſus.* Illud Paſcha agnus erat de grege: & nihilominùs mortificatos & ſanctificatos requirebat. At verò Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus: quantò igitur maiorem & mortificationem & ſanctificationem à celeB brantibus poſtulabit? Agnus ille Paſchalis *abſque macula*. Exod. 12. num. 5. ſeu, vt habent Septuag. ἄμωμος, id eſt, *Irreprehenſibilis*, irreprehenſibiles conuiuas exigebat. Quam ergo maculam reprehenſione dignam in ſuis conuiuiis patietur ille Agnus Euchariſticus, quem nemo hominum poteſt *arguere de peccato*? Ioan. 8. num. 46. Et in quo Diabolus Princeps huius Mundi *non habet quicquam*? Ioan. 14. num. 30. Et cuius manus ſunt *tornatiles*? Cant. 5. num. 14. ſeu, vt habet Interlin. *In nullo reprehenſibiles*?

Agnus Euchariſticus ſine macula, conuiuas exigit irreprehenſibiles.

Interl.

XIX. Neque ſolùm innocens in ſe eſſe debet, qui ad hanc menſam accumbit: ſed etiam, quod eſt maius, innocentem familiam habere. Nam, qui profano ſeruo vtitur, quamuis ipſe ſanctus ſit; ab C hoc conuiuio, tanquàm profanus expellerur. Præcipiebat olim Deus, ne quis dominus, ſeu paterfamilias comederet Paſcha, antequàm eius ſeruus emptitius circumcideretur. Exod. 12. n. 44. *Quia, cùm ſeruus*, inquit Lyra, *ſit quædam res domini ſui, ei imputari debet defectus circumciſionis.* Si ab Agno paſchali propter incircumciſum ſeruum paterfamilias arceatur: quis dubitet, quemuis dominum, propter iniquum ſeruum, ab Euchariſtia repellendum? Sibi poſtulabat Dauid panes ſanctificatos: & nihilominùs Sacerdos Abimelech in eius pueros inquirebat: *Si mundi*, inquit, *ſunt pueri*. 1. Regum 21. num. 4. Quaſi propter dignitatem, vel indignitatem famulorum, dignus, vel indignus Rex ipſe cenſeretur. Nouerint igitur Chriſtiani, D ſi immundos famulos, vel filios domi alant, ſatis ſe mundos non eſſe ad Euchariſtiam recipiendam, quantumuis propriis factis ſibi mundi videantur.

Non ſolùm anima, ſed familia innocentia requiritur ad Euchariſtiam.

Lyra.

Indigni ad Euchariſtiam, qui ſeruos habent immundos.

XX. Egreſſis de Iordane Iſraëlitis Arca fœderis anteibat: populus verò à tergo ſequebatur: *Sequimini*, inquit Ioſuè, *ſitq; inter vos & Arcam ſpatium cubitorum duum millium*. Ioſ. 3. n. 4. At, cur non propiùs accedebant? *Propter reuerentiam Arcæ*, inquit Lyranus. Si igitur ab Arca profani homines reuerentiæ cauſa abſiſtebant: cur in Euchariſtiam intuere temerarij non formident? In gratiam olim redeuntes Iſaac & Abimelech, quam ſplendido conuiuio confirmarunt: *Et poſt cibum & potum*, inquit Textus, *ſurgentes manè, iurauerunt ſibi mutuò*. E Gen. 26. num. 31. At cur inter cœnandum, vel ſaltem ſtatim poſt cœnam non iurarunt; ſed potiùs iuramentum in craſtinum diſtulerunt? *Vt iurarent*, inquit Lyra, *ſaliua ieiuna propter reuerentiam iuramenti.* Addit Philo Hebræus lib. De Decalogo, non ſolùm linguam iurantis à cibo ieiunam eſſe debere; ſed multò magis mentem ab omni vitio alienam: *Iuraturus*, inquit, *debet ſe ipſum conſiderare; num purus ſit anima, corpore & lingua: illa ab iniquitatibus; hæc à piaculis; hæc à maledicentia. Nefas eſt enim per os, quo profertur nomen illud ſanctiſſimum, quidquam turpe progredi.* Hanc planè reuerentiam

Quanta reuerentia ſit opus ad Euchariſtiam.

Lyran.

Lyra. Philo.

Magna olim ad iuſiurandum reuerentia: multò magis ad Euchariſtiam.

lauit aqua, & sic habitum illis sacri gradus imponit: quia, nimirum, necesse est, vt qui ad officium altaris promouendus est, maioribus se solito lacrymarum fluentis abluat; vt quo mundior ad gradum accipiendum accesserit, eo perfectius acceptum consummet. Si ergo ad induendas vestes sacerdotales necesse est, vt prius omnes corporis maculæ abstergantur; quanta cordis mundities, necesse erit, vt ad sacram Eucharistiam recipiendam adhibeatur.

XI.

Quis ad Eucharistiā accedit, omnia vitia abiurare debet.

Celebris fuit ceremonia, qua offerens holocaustum, manum capiti victimæ immolandæ imponere iubebatur: *Ponétque manus*, inquit Legislator, *super caput hostiæ, & acceptabilis erit.* Leuit. 1. num. 4. Qui ritus eò spectabat, vt, qui holocaustum offerebat, prius suæ innocentiæ testimonium illo externo symbolo præberet: ne impurus ad purum ministerium accedere videretur. Sic exponit Philo Hebræus lib. De victimarum generibus: *Quòd manus*, inquit, *imponantur capiti victimæ, euidens indicium est innocentiæ, vitaq; sine culpa exactæ iuxta naturæ leges, & diuina Oracula. Postulabat enim Deus à sacrificante primùm bonam mentem, sanctam, & in pietate exercitam: deinde vitam beneficiis ornatam; vt, dum manus imponit, possit libera conscientia dicere: Manus hæ nec muneribus corruptæ, nec innocenti sanguine pollutæ, noxam, iniuriam, vulnus intulerunt nemini: nulli rei turpi prębuerunt ministerium; sed rebus honestis & vtilibus, quæ viris iustis sapientibusque probantur.* Vbi omnia peccatorum genera palam abiurabat; antequàm accederet, sacris operaturus. Quis ergo suscepturus augustissimum Eucharistiæ Sacramentum, non eum et priùs animum omni peccatorum sarcina exoneraret?

Philo.

XII.

Nemo ad Eucharistiam accedere debet, nisi confessionis igne expurgatus. Altare holocausti pœnitentiæ typus. Altare thymiamatis Eucharistia.

Non licebat in lege veteri ignem inferre in altare thymiamatis, nisi desumptum ex altari holocausti: vt colligitur ex historia Nadab & Abiu, Leuit. 10. à num. 1. qui, cùm in altare thymiamatis inferre vellent ignem alienum, hoc est, aliunde, quàm ex altari holocausti desumptum, pœnas quàm acerbissimas dederunt, subito igne correpti, vt qui in igne peccauerant, igne absumerentur. Altare holocausti, Sacramentum pœnitentiæ repræsentabat: vt enim in illo immolabantur animalia; ita in hoc peccata quodammodo cæduntur, iugulantur, & subiectis contritionis flammis abolentur. Altare verò thymiamatis repræsentabat Eucharistiæ Sacramentum: vt enim in illo incendebantur odores; ita in hoc ad præsentiam Christi Domini pretiosa quędam odoramenta, quæ sunt orationes Sanctorum, cordiúmque affectiones, suauissimè exhalant. Vt igitur ad altare thymiamatis nemo incensum positurus accedebat, antequàm ad altare holocausti, inde ignem desumpturus sisteretur: ita ad Eucharistiæ Sacramentum venire nemo potest, qui alicuius lethalis criminis conscius sibi fuerit, priusquàm ad pœnitentiæ Sacramentum accedens, Confessionis igne expurgetur. Ita Concilio Trid. Sess. 13. c. 7. decernente: *Vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quātumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* Tanta huic Sacramento reuerentia debetur, vt innocentia ad illud non solùm contritione; sed etiam Confessione parta requiratur.

Conc. Trid.

Non sufficit contritio ad Eucharistiā, nisi accedat confessio.

XIII.

Quanta innocentia ad agnum Eucharisticum requiratur.

Necessariā ad vetera sacrificia innocentiam admiratus Isaias: *Quis poterit*, inquit, *habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Isai. 33. n. 14. Non est sensus, vt aliqui vulgò fingunt, voluisse Prophetam homines à gehenna deterrere: vt patet ex ipsius Prophetæ responsione statim subiicienda. Sed sensus est, quem Lytanus expressit: *Quis poterit de vobis*

Lytan.

A *dignè ministrare in altari holocaustorum?* Rectè enim hoc altare, in quo ignis semper ardebat; qui proinde ignis perpetuus dicebatur, Leuit. 6. n. 12. & 13. per ignem deuorantem, & per ardores sempiternos metaphrasticè explicauit. Respondet igitur Propheta, eum posse cum hoc igne deuorante, & cum his ardoribus sempiternis habitare, hoc est, sacris ministeriis & sacrificiis dignè & ritè inseruire: *Qui ambulat*, inquit, *in iustitiis, & loquitur veritatem: qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere: qui obturat aures suas, ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos, ne videat malum.* Ibidem, num. 15. Hoc est: qui vitam agit ab omni scelere puram, integram & illibatam. Si igitur ad illud altare holocaustorum tanta à grauio-

B tibus culpis innocentia requirebatur: quantam habeat, necesse est, qui ad hoc altare thymiamatis, ad hoc eucharisticum conuiuium accedit diuinis epulis fruiturus?

XIV.

Interna & externa innocentia requiritur ad Eucharistiam.

Offerebatur olim Deo, victimarum non solùm armus & pectusculum, sed etiam reticulum iecoris, duo renes, & ventriculus: vt patet Exod. 29. n. 13. & 22. & 26. Leuit. 3. à num. 3. & Leuit. 7. à n. 4. Hoc est, non solùm exteriores, sed etiam internæ partes victimarum. Rationem reddit D. Cyrillus Alexandrin. in c. 2. Malach. sub initium, his verbis: *Erat*, inquit, *solenne à qualibet hostia separari Deo armum, & pectusculum, & reticulum iecoris, & duos renes, & ventriculum. Quo quidem Scriptura legalis per inuolucrum indicat omnia interiora eorum,*

D. Cyril. Alex.

C *qui se dedicaturum Deo in odorem suauitatis, sancta & sanctificata esse oportere.* Vnde sumitur argumentum: si tanta puritate nitere oportebat eos, qui vetera Deo sacrificia offerebant; qua debent excellere innocentia, qui augustissimo Eucharistiæ Sacrificio operantur? Curandum maximè illis est, vt nec prauæ cogitationes intus in animo nutriantur; nec peruersæ actiones foris in corpore tumultuentur. Moysi & Aaroni præcepit Deus, vt victimam immolandam traderent Eleazaro Sacerdoti: *Qui*, inquit, *eductam extra castra immolabit in conspectu omnium.* Num. 19. num. 3. Sed, cur non potiùs eam tradi iussit Aaroni? Rectè ad præsens institutum respondet Lytanus: *Quia Eleazar non peccauit in conflatione vituli: sicut Aaron.* Ad Sacri-

Solus Sacerdos innocens, accedere dignus est ad Eucharistiā. Lytan.

D ficium autem illud peragendum, innocens Sacerdos admittendus erat, non peccator. Quis non videt, quantò innocentior Sacerdos ad Eucharistiæ Sacrificium requiratur?

XV.

Qui gratia baculo non sustentatur, ad Eucharisticū Agnum accedere nō potest.

Inter ceremonias, quibus Agnus paschalis edebatur; vna erat, vt comederent illum *tenentes baculos in manibus.* Exod. 12. num. 11. At, quorsum baculi inter conuiuandum, qui potiùs ad iter agendum requiruntur? Crediderim, vt qui ad illud conuiuium, Eucharistici symbolum, accessissent, suis se baculis firmiter sustentarent, ne ruerent: hoc est, vt non solùm firmi starent in fide; sed etiam in nullam degenerem cupiditatem laberentur. Quod mihi videtur D. Greg. Nazianz. Orat. 42. num. 43. significasse: *Lex*, inquit, *fulcientem*

D. Greg. Naz.

E *baculum tibi præscribit, necubi animo titubes, dum sanguinem Dei, & passionem, ac mortem audis: ac dum Dei patronus atque defensor videri cupis, impiè corruas. Quin potiùs sine pudore & confusione corpus ede, sanguinem bibe; si modo vitæ desiderio teneris: nec sermonibus de carne fidem abrogans; nec ad eos, qui de passione habentur, impingens. Innixus sta, firmus & stabilis: atque ita comparatus, vt nulla in re quatiaris ab aduersariis. In fastigio tuo sta: in atriis Hierusalem pedes statue: in petra suffulci, vt tui secundum Deum gressus non moueantur.* Ergo, qui in scelerum volutabrum ceciderunt: & in eo submersi detinen

detinentur, ad hoc accedere conuiuium maximè vetcantur.

XVI. *Veteres Romani nudis pedibus epulabantur.*

Illa quoque fuit sympofiaca lex pafchalis Agni; vt conuiuæ comederent calceati: *Calceamenta*, inquit, *habebitis in pedibus*. Ibidem. Si illa modò lex conuiuantibus datetur; nihil prorfus haberet nouitatis, cùm omnes calceati & ocreati menfis accumbant: at verò prifcis feculis noua admodum videbatur. Tunc enim ea fuit confuetudo, vt nudis pedibus epularentur, non folùm Romani, fed etiam Hebræi. Romani quidem, vt ex eo patet: quia ille apud Mattialem lib. 5. Epigram. conuiuium inituras: *Depofui foleas*, inquit. Et ille alter apud Horatium lib. 2. Serm. Satyr. 8. conuiuium relicturus, furgit è menfa: *Et foleas*, inquit, *pofcit*. Vnde vterque conuineitur nudis pedibus conuiuio interfuiffe. Hebræi verò, vt ex eo conftat: quia, Chrifto Domino menfæ accumbente, Magdalena ftans retrò, *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis fui tergebat, & vnguento vngebat*. Luc. 7. n. 38. Quod apertè fupponit Chriftum Dominum illo in conuiuio nudos pedes habuiffe. Quorfum igitur ad pafchalem Agnum calceati conuiuæ accedere iubentur? Rationem inculcat D. Greg. Nazianzenus. Orat. citata, num. 41. *Qui Ægyptum*, inquit, *& res Ægypti fugit, calceos fumat, vt tutus fit, cùm ab aliis rebus, tum à fcorpiis & ferpentibus, quos permultos Ægyptus alit. Sic fiet, vt ab iis, qui calcaneum obferuant, & quos calcare iuffi fumus, minimè vulneretur*. Vbi & hiftorialis & fpiritualis ratio inculcatur. Illa eft, vt corporis pedes à venenatis morfibus illæfi cuftodiantur: hæc, vt mentis affectus à lethalibus vitiis puri conferuentur. Quòd fi ad pafchalem Agnum tanta corporis mentifque fanitas requiritur: quanta vtriufque puritas ad hoc diuinum epulum requiretur?

Martial.

Id mos apud Hebræos erebuit.

D. Greg. Naz.

XVII. *Corporis voluptates coërcendæ ad Euchariftiam.*

Adde, in illo typico conuiuio lumbos quoque accinctos effe oportere: *Renes*, inquit, *veftros accingetis*. Vbi fuprà. Non fine myfterio, vt ad menfam Euchariftieam acceffuris omnis intemperantia coërcenda ac frænanda iuberetur. Sic enim D. Gregorius Nazianz. citata Oratione, n. 39. *Tibi*, inquit, *per zonam ac temperantiam reftringatur pars illa, quæ libidine æftuat, ac velut hinniens edit. Ita fiet, vt mortificatis membris, quæ funt fuper terram, Pafcha purè comedas; folitarij illius Ioannis & Præcurforis, magnique veritatis Præconis præcinctionem imitans*. Quo pacto enim turpibus concupifcentiis æftuanti, & praui libidinibus efferuefcenti, ad illud frumentum electorum, & vinum germinans virgines patebit acceffus? An purior animus nofter, quàm Chriftus? Si igitur animus nofter corpus tabidum & vlcerofum, ac debitis difpofitionibus exutum deferit: quo pacto Chriftus Dominus animam fordidam, inquinatam, multifque fcelcribus infectam ingredietur? Quo argumento eleganter vtitur D. Ambr. fer. 19. in Pfal. 118. *An verò*, inquit, *cùm animæ noftra vigor putrem corporis refugiat portionem; quòd eius gratiam corrupti artus fentire non poffint: Deus corrupta anima membra quædam dignatur habitare?* Vbi expendo illud, *Eius gratiam corrupti artus fentire non poffunt*. Neque enim deeft Chrifto Domino virtus ad fanctificandam animam: fed animæ deeft neceffaria difpofitio ad fanctitatem percipiendam.

D.Greg. Nax.

D. Ambr. *Anima velut per culpam corrupta inepta eft ad fanctificationem.*

XVIII. *Ad esũ Agni Euchariftici debent homines mundari & circumcidi.*

In primo ingreffu terræ Promiffionis circuncidit Iofuë populum. Et poftquàm omnes ex vulneribus fanati funt: *Fecerunt*, inquit Textus, *Phafe quarta decima die menfis ad vefperum in campeftribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ, die altero, azymos panes, & polentam eiufdem anni*. Iof. 5. num. 10. Quem locum Origenes homil. 6. myfticè

Orig.

A interpretatus: *Circuncidimur*, inquit, *quando cum labore quodam, & dolore animi, veteris confuetudinis culpas nouella inftitutione mutamus: fanamur autem, cùm iam noua inftituta abfque difficultate complemus, & in vfum nobis vertitur, quod prius difficile videbatur*. Circuncifi igitur, & fanati fecerunt Pafcha: quia antequàm culpas exuerent, induerentque virtutes, non debebant immaculati Agni carnibus epulari. *Vides*, addit Origenes, *quia nemo immundus facit Pafcha, nemo incircuncifus: fed quicunque mundus fuerit, & circuncifus*. Illud Pafcha agnus erat de grege: & nihilominùs mortificatos & fanctificatos requirebat. At verò Pafcha noftrum immolatus eft Chriftus: quantò igitur maiorem & mortificationem & fanctificationem à celebrantibus poftulabit? Agnus ille Pafchalis *abfque macula*. Exod. 12. num. 5. feu, vt habeat Septuag. ἄμωμος, id eft, *Irreprehenfibilis*, irreprehenfibiles conuiuas exigebat. Quam ergo maculam reprehenfione dignam in fuis conuiuiis patietur ille Agnus Euchariftieus, quem nemo hominum poteft *arguere de peccato*? Ioan. 8. num. 46. Et in quo Diabolus Princeps huius Mundi *non habet quicquam*? Ioan. 14. num. 30. Et cuius manus funt *tornatiles*? Cant. 5. num. 14. feu, vt habet Interlin. *In nullo reprehenfibiles*?

B

Agnus Euchariftieus fine macula, conuiuas exigit irreprehenfibiles.

Interl.

XIX. Neque folùm innocens in fe effe debet, qui ad hanc menfam accumbit: fed etiam, quod eft maius, innocentem familiam habere. Nam, qui profano feruo vtitur, quamuis ipfe fanctus fit; ab C hoc conuiuio, tanquàm profanus expelletur. Præcipiebat olim Deus, ne quis dominus, feu patetfamilias comederet Pafcha, antequàm eius feruus emptitius circuncideretur. Exod. 12. n. 44. *Quia, cùm feruus*, inquit Lyra, *fit quædam res domini fui, ei imputari debet defectus circuncifionis*. Si ab Agno pafchali propter incircuncifum feruum paterfamilias arcetur: quis dubitet, quemuis dominum, propter iniquum feruum, ab Euchariftia repellendum? Sibi poftulabat Dauid panes fanctificatos: & nihilominùs Sacerdos Abimelech in eius pueros inquirebat: *Si mundi*, inquit, *funt pueri*. 1. Regum 21. num. 4. Quafi propter dignitatem, vel indignitatem famulorum, dignus, vel indignus Rex ipfe cenfeteetur. Nouerint igitur Chriftiani, D fi immundos famulos, vel filios domi alant, fatis fe mundos non effe ad Euchariftiam recipiendam, quantumuis propriis factis fibi mundi videantur.

Non folùm anima, fed familiæ innocẽtia requiritur ad Euchariftiam.

Lyra.

Indigni ad Euchariftiã, qui feruos habent immundos.

XX. Egreffis de Iordane Ifraëlitis Arca fœderis anteibat: populus verò à tergo fequebatur: *Sequimini*, inquit Iofuë, *fitq; inter vos & Arcam fpatium cubitorum duum millium*. Iof. 3. n. 4. At, cur non propiùs accedebant? *Propter reuerentiam Arcæ*, inquit Lyranus. Si igitur ab Arca profani homines reuerentiæ caufa abfiftebant: cur in Euchariftiam irruere temerarij non formident? In gratiam olim redietunt Ifaac & Abimelech, quam fplendido conuiuio confirmarunt: *Et poft cibum & potum, inquit Textus, furgentes manè, iurauerunt fibi mutuò*. E Gen. 26. num. 31. At cur inter cœnandum, vel faltem ftatim poft cœnam non iurarunt; fed potiùs iuramentum in craftinum diftulerunt? *Vt iurarent*, inquit Lyra, *faltua ieiuna propter reuerentiam iuramenti*. Addit Philo Hebræus lib. De Decalogo, non folùm linguam iurantis à cibo ieiunam effe debere; fed multò magis mentem ab omni vitio alienam: *Iuraturus, inquit, debet fe ipfum confiderare; num purus fit anima, corpore & lingua: illa ab iniquitatibus; hoc à piaculis; hæc à maledicentia. Nefas eft enim per os, quo profertur nomen illud fanctiffimum, quidquam turpe progredi*. Hanc planè reuerentiam

Quanta reuerẽtia fit opus ad Euchariftiam.

Lyran.

Lyra.

Philo.

Magna olim ad iniurandum reuerentia: multò magis ad Euchariftiam.

lauit aqua , & sic habitum illis sacri gradus imponit: qui s,nimirum,necesse est,vt qui ad officium altaris promouendus est , maioribus se solito lacrymarum fluentis abluat ; vt quò mundior ad gradum accipiendum accesserit,eò perfectiùs acceptum consummet. Si ergo ad induendas vestes sacerdotales necesse est,vt priùs omnes corporis maculæ abstergantur;quanta cordis mundities , necesse erit,vt ad sacram Eucharistiam recipiendam adhibeatur.

XI. *Qui ad Eucharistiā accedit , omnia vitia abiurare debet.*

Celebris fuit ceremonia,qua offerens holocaustum , manum capiti victimæ immolandæ imponere iubebatur: *Ponétque manus*,inquit Legislator, *super caput hostia,& acceptabilis erit.* Leuit. 1.num. 4. Qui ritus eò spectabat,vt,qui holocaustum offerebat , priùs suæ innocentiæ testimonium illo externo symbolo præberet:ne impurus ad purum B ministerium accedere videretur. Sic exponit Philo Hebræus lib. De victimarum generibus : *Quòd manus*,inquit,*imponantur capiti victima,euidens indicium est innocentia , vitaq; sine culpa exacta iuxta natura leges , & diuina Oracula. Postulabat enim Deus à sacrificante primùm bonam mentem,sanctam, & in pietate exercitam:deinde vitam benefactis ornatam ; vt,dum manus imponit , possit libera conscientia dicere: Manus hæ nec muneribus corrupta , nec innocenti sanguine polluta ; noxam,iniuriam,vulnus intulerunt nemini : nulli rei turpi præbuerunt ministerium, sed rebus honestis & vtilibus,qua viris iustis sapientibúsque probantur.* Vbi omnia peccatorum genera palàm abiurabat;antequàm accederet , sacris operaturus. Quis ergo suscepturus augustissimum C Eucharistiæ Sacramentum , non curet priùs animum omni peccatorum sarcina exonerare?

Philo.

XII. *Nemo ad Eucharistiam accedere debet, nisi confessionis igne expurgatus. Altare holocausti pœnitentia typus. Altare thymiamatis Eucharistia.*

Non licebat in lege veteri ignem inferre in altare thymiamatis,nisi desumptum ex altari holocausti : vt colligitur ex historia Nadab & Abiu, Leuit. 10. à num.1.qui,cùm in altare thymiamatis inferre vellent ignem alienum , hoc est,aliunde,quàm ex altari holocausti desumptum , pœnas quàm acerbissimas dederunt , subito igne correpti , vt qui in igne peccauerant , igne absumerentur. Altare holocausti,Sacramentum pœnitentiæ repræsentabat : vt enim in illo immolabantur animalia;ita in hoc peccata quodammodo cæduntur, iugulantur,& subiectis contritionis flammis abolentur. Altare verò thymiamatis repræsentabat D Eucharistiæ Sacramentum:vt enim in illo incendebantur odores;ita in hoc ad præsentiam Christi Domini pretiosa quædam odoramenta , quæ sunt orationes Sanctorum , cordiúmque affectiones, suauissimè exhalant. Vt igitur ad altare thymiamatis nemo incensum positurus accedebat , antequàm ad altare holocausti,inde ignem desumpturus sisteretur : ita ad Eucharistiæ Sacramentum venire nemo potest,qui alicuius lethalis criminis conscius sibi fuerit,priusquàm ad pœnitentiæ Sacramentum accedens,Confessionis igne expurgetur. Ita Concilio Trid. Sess. 13. c. 7. decernente: *Vt nullus sibi conscius mortalis peccati,quantumuis sibi contritus videatur,absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.* E Tanta huic Sacramento reuerentia debetur,vt innocentia ad illud non solùm contritione; sed etiam Confessione parta requiratur.

Conc.Trid. *Non sufficit contritio ad Eucharistiā, nisi accedat confessio.*

XIII. *Quanta innocentia ad ignem Eucharisticum requiratur.*

Necessariā ad vetera sacrificia innocentiam admiratus Isaias : *Quis poterit*,inquit , *habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Isai.33.n.14. Non est sensus, vt aliqui vulgò fingunt , voluisse Prophetam homines à gehenna deterrere:vt patet ex ipsius Prophetæ responsione statim subiicienda. Sed sensus est , quem Lyranus expressit : *Quis poterit de vobis* A *dignè ministrare in altari holocaustorum?* Rectè enim hoc altare,in quo ignis semper ardebat;qui proinde ignis perpetuus dicebatur,Leuit.6.n.12. & 13. per ignem deuorantem , & per ardores sempiternos metaphrasticè explicauit. Respondet igitur Propheta,eum posse cum hoc igne deuorante , & cum his ardoribus sempiternis habitare , hoc est, sacris ministeriis & sacrificiis dignè & ritè inferuire: *Qui ambulat*,inquit,*in iustitiis , & loquitur veritatem:qui proiicit auaritiam ex calumnia,& excutit manus suas ab omni munere:qui obturat aures suas,ne audiat sanguinem;& claudit oculos suos,ne videat malum.* Ibidem , num. 15. Hoc est:qui vitam agit ab omni scelere puram,integram & illibatam. Si igitur ad illud altare holocaustorum tanta à grauioribus culpis innocentia requirebatur : quantam habeat,necesse est,qui ad hoc altare thymiamatis, ad hoc eucharisticum conuiuium accedit diuinis epulis fruiturus?

Lyran.

Offerebatur olim Deo,victimarum non solùm armus & pectusculum;sed etiam reticulum iecoris,duo renes,& ventriculus:vt patet Exod. 29.n. 13.& 22.& 26. Leuit. 3.à num. 3. & Leuit. 7.à n. 4. Hoc est,non solùm externæ,sed etiam internæ partes victimarum. Rationem reddit D. Cyrillus Alexandrin.in c. 2. Malach. sub initium,his verbis: *Erat* , inquit , *solenne à qualibet hostia separari Deo armum,& pectusculum , & reticulum iecoris , & duos renes,& ventriculum. Quo quidem Scriptura legalis per inuolucrum indicat omnia interiora eorum,* C *qui se dedicauerunt Deo in odorem suauitatis , sancta & sanctificata esse oportere.* Vnde sumitur argumentum:si tanta puritate nitere oportebat eos,qui vetera Deo sacrificia offerebant ; qua debent excellere innocentia,qui augustissimo Eucharistiæ Sacrificio operantur? Curandum maximè illis est,vt nec prauæ cogitationes intus in animo nutriantur ; nec peruersæ actiones foris in corpore tumultuentur. Moysi & Aaroni præcepit Deus , vt victimam immolandam traderent Eleazaro Sacerdoti: *Qui*,inquit,*eductam extra castra immolabit in conspectu omnium.* Num.19.num. 3. Sed,cur non potiùs eam tradi iussit Aaroni? Rectè ad præsens institutum respondet Lyranus : *Quia Eleazar non peccauit in conflatione vituli:*sicut Aaron. Ad Sacri- D ficium autem illud peragendum,innocens Sacerdos admittendus erat,non peccator. Quis non videt , quantò innocentior Sacerdos ad Eucharistiæ Sacrificium requiratur?

XIV. *Interior , & exterior innocentia requiritur ad Eucharistiam.*

D. Cyril. Alex.

Solus Sacerdos innocens, accedere dignus est ad Eucharistiā. Lyran.

XV. *Qui gratia baculo non sustentatur,ad Eucharisticū Agnum accedere nō potest.*

Inter ceremonias,quibus Agnus paschalis edebatur ; vna erat , vt comederent illum *tenentes baculos in manibus.* Exod. 12. num. 11. At,quorsum baculi inter conuiuandum , qui potiùs ad iter agendum requiruntur?Crediderim,vt qui ad illud conuiuium,Eucharistici symbolum , accessissent, suis se baculis firmiter sustentarent , ne ruerent: hoc est,vt non solùm firmi starent in fide ; sed etiam in nullam degenerem cupiditatem laberentur. Quod mihi videtur D. Greg. Nazianz. Orat. 42. num. 43. significasse: *Lex* , inquit , *fulcientem* E *baculum tibi præscribit , necubi animo titubes , dum sanguinem Dei,& passionem,ac mortem audis:ac dum Dei patronus atque defensor videri cupis , impiè corruas. Quin potiùs sine pudore & confusione corpus ede, sanguinem bibe ; si modo vitæ desiderio teneris.nec sermonibus de carne fidem abrogans ; nec ad eos , qui de passione habentur , impingens. Innixus sta , firmus & stabilis : atque ita comparatus,vt nulla in re quatiaris ab aduersariis. In fastigio tuo sta : in atriis Hierusalem pedes statue : in petra suffulci, vt tui secundùm Deum gressus non moueantur.* Ergo , qui in scelerum volutabrum ceciderunt : & in eo submersi

D. Greg. Naz.

detinen

detinentur, ad hoc accedere conuiuium maximè vereantur.

XVI. Illa quoque fuit sympofiaca lex paschalis Agni; vt conuiuæ comederent calceati: *Calceamenta*, inquit, *habebitis in pedibus*. Ibidem. Si illa modò lex conuiuantibus daretur; nihil prorsus haberet nouitatis, cùm omnes calceati & ocreati mensis accumbant: at verò priscis seculis noua admodum videbatur. Tunc enim ea fuit consuetudo, vt nudis pedibus epularentur, non solùm Romani, sed etiam Hebræi. Romani quidem, vt ex eo patet: quia ille apud Martialem lib. 5. Epigram. conuiuium initurus: *Deposui soleas*, inquit. Et ille alter apud Horatium lib. 2. Serm. Satyr. 8. conuiuium relicturus, surgit è mensa: *Et soleas*, inquit, *poscit*. Vnde vterque conuincitur nudis pedibus conuiuio interfuisse. Hebræi verò, vt ex eo constat: quia, Christo Domino mensæ accumbente, Magdalena stans retrò, *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & vnguento vngebat*. Luc. 7. n. 38. Quod apertè supponit Christum Dominum illo in conuiuio nudos pedes habuisse. Quorsum igitur ad paschalem Agnum calceati conuiuæ accedere iubentur? Rationem inculcat D. Greg. Nazianzenus. Orat. citata, num. 41. *Qui Ægyptum*, inquit, *& res Ægypti fugit, calceos sumat; vt tutus sit, cùm ab aliis rebus, tum à scorpiis & serpentibus, quos permultos Ægyptus alit. Sic fiet, vt ab iis, qui calcaneum obseruant, & quos calcare iussi sumus, minimè vulneretur*. Vbi & historialis & spiritualis ratio inculcatur. Illa est, vt corporis pedes à venenatis morsibus illæsi custodiantur: hæc, vt mentis affectus à lethalibus vitiis puri conseruentur. Quòd si ad paschalem Agnum tanta corporis mentisque sanitas requiritur: quanta vtriusque puritas ad hoc diuinum epulum requiretur?

Veteres Romani nudis pedibus epulabantur.

Martial.

Idē mos apud Hebraos increbuit.

D. Greg. Naz.

XVII. Adde, in illo typico conuiuio lumbos quoque accinctos esse oportere: *Renes*, inquit, *vestros accingetis*. Vbi suprà. Non sine mysterio, vt ad mensam Eucharisticam accessuris omnis intemperantia coërcenda ac frænanda iuberetur. Sic enim D. Gregorius Nazianz. citata Oratione, n. 39. *Tibi*, inquit, *per zonam ac temperantiam restringatur pars illa, quæ libidine æstuat, ac velut hinnitum edit. Ita fiet, vt mortificatis membris, quæ sunt super terram, Pascha purè comedas; solitarij illius Ioannis & Præcursoris, magnique veritatis Præconis præcinctionem imitans*. Quo pacto enim turpibus concupiscentiis æstuanti, & prauis libidinibus efferuescenti, ad illud frumentum electorum, & vinum germinans virgines patebit accessus? An purior animus noster, quàm Christus? Si igitur animus noster corpus tabidum & vlcerosum, ac debitis dispositionibus exutum deserit: quo pacto Christus Dominus animam sordidam, inquinatam, multisque sceleribus infectam ingreditur? Quo argumento eleganter vtitur D. Ambr. ser. 19. in Psal. 118. *An verò*, inquit, *cùm animæ nostra vigor putrem corporis refugiat portionem; quòd cùm gratiam corrupti artus sentire non possint: Deus corrupta anima membra quadam dignatur habitare?* Vbi expendo illud, *Eius gratiam corrupti artus sentire non possunt*. Neque enim deest Christo Domino virtus ad sanctificandam animam: sed animæ deest necessaria dispositio ad sanctitatem percipiendam.

Corporis voluptates coercenda ad Eucharistiam.

D. Greg. Naz.

D. Ambr. Anima velut per culpam corrupta corporis est ad sanctificationem.

XVIII. In primo ingressu terræ Promissionis circuncidit Iosue populum. Et postquàm omnes ex vulneribus sanati sunt: *Fecerunt*, inquit Textus, *Phase quarta decima die mensis ad vesperum in campestribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ, die altero, azymos panes, & polentam eiusdem anni*. Iof. 5. num. 10. Quem locum Origenes homil. 6. mysticè

Ad esū Agni Eucharistici debent homines mundari & circumcidi.

Orig.

A interpretatus: *Circumcidimur*, inquit, *quando cum labore quodam, & dolore animi, veteris consuetudinis culpas nouella institutione mutamus: sanamur autem, cùm iam noua instituta absque difficultate complemus, & in vsum nobis vertitur, quod priùs difficile videbatur*. Circuncisi igitur, & sanati fecerunt Pascha: quia antequàm culpas exuerent, & induerentque virtutes, non debebant immaculati Agni carnibus epulari. *Vides*, addit Origenes, *quia nemo immundus facit Pascha, nemo incircuncisus: sed quicunque mundus fuerit, & circuncisus*. Illud Pascha agnus erat de grege: & nihilominùs mortificatos & sanctificatos requirebat. At verò Pascha nostrum immolatus est Christus: quantò igitur maiorem & mortificationem & sanctificationem à celeB brantibus postulabit? Agnus ille Paschalis *absque macula*. Exod. 12. num. 5. seu, vt habent Septuag. ἄμωμος, id est, *Irreprehensibilis*, irreprehensibiles conuiuas exigebat. Quam ergo maculam reprehensione dignam in suis conuiuis patietur ille Agnus Eucharisticus, quem nemo hominum potest *arguere de peccato*? Ioan. 8. nom. 46. Et in quo Diabolus Princeps huius Mundi *non habet quicquam*? Ioan. 14. num. 30. Et cuius manus sunt *tornatiles*? Cant. 5. num. 14. seu, vt habet Interlin. *In nullo reprehensibiles*?

Agnus Eucharisticus sine macula, conuiuas exigit irreprehensibiles.

Interl.

XIX. Neque solùm innocens in se esse debet, qui ad hanc mensam accumbit: sed etiam, quod est maius, innocentem familiam habere. Nam, qui profano seruo vtitur, quamuis ipse sanctus sit; ab C hoc conuiuio, tanquàm profanus expelletur. Præcipiebat olim Deus, ne quis dominus, seu paterfamilias comederet Pascha, antequàm eius seruus emptitius circuncideretur. Exod. 12. n. 44. *Quia, cùm seruus*, inquit Lyra, *sit quædam res domini sui, ei imputari debet defectus circuncisionis*. Si ab Agno paschali propter incircuncisum seruum paterfamilias arcetur: quis dubitet, quemuis dominum, propter iniquum seruum, ab Eucharistia repellendum? Sibi postulabat Dauid panes sanctificatos: & nihilominùs Sacerdos Abimelech in eius pueros inquirebat: *Si mundi*, inquit, *sunt pueri*. 1. Regum 21. num. 4. Quasi propter dignitatem, vel indignitatem famulorum, dignus, vel indignus Rex ipse censeretur. Nouerint igitur Christiani, si immundos famulos, vel filios domi alant, satis D se mundos non esse ad Eucharistiam recipiendam, quantumuis propriis factis sibi mundi videantur.

Non solùm anima, sed famulia innocētia requiritur ad Eucharistiam.

Lyra.

Indigni ad Eucharistiā, qui seruos habent immundos.

XX. Egressis de Iordane Israëlitis Arca fœderis anteibat: populus verò à tergo sequebatur: *Sequimini*, inquit Iosue, *sitque inter vos & Arcam spatium cubitorum duum millium*. Iof. 3. n. 4. At, cur non propiùs accedebant? *Propter reuerentiam Arcæ*, inquit Lyranus. Si igitur ab Arca profani homines reuerentiæ causâ abstinebant: cur in Eucharistiam irruere temerarij non formident? In gratiam olim redierunt Isaac & Abimelech, quam splendido conuiuio confirmarunt: *Et post cibum & potum*, inquit Textus, *surgentes manè, iurauerunt sibi mutuò*. E Gen. 26. num. 31. At cur inter cœnandum, vel saltem statim post cœnam non iurarunt; sed potiùs iuramentum in crastinum distulerunt? *Vt iurarent*, inquit Lyra, *saliua ieiuna propter reuerentiam iuramenti*. Addit Philo Hebræus lib. De Decalogo, non solùm lingua iurantis à cibo ieiunam esse debere; sed multò magis mentem ab omni vitio alienam: *Iuraturus*, inquit, *debet se ipsum considerare; num purus sit anima, corpore & lingua: illa ab iniquitatibus; hæc à piaculis; hæc à maledicentia. Nefas est enim per os, quo profertur nomen illud sanctissimum, quidquam turpe progredi*. Hanc planè reuerentiam

Quanta reuerentia sit opus ad Eucharistiam.

Lyran.

Lyra.

Philo.

Magna olim ad iurandum reuerentia: maiò magis ad Eucharistiam.

detioentur, ad hoc accedere conuiuium maximè vereantur.

XVI. Illa quoque fuit symposiaca lex paschalis Agni; vt conuiuæ comederent calceati: *Calceamenta*, inquit, *habebitis in pedibus*. Ibidem. Si illa modò lex conuiuantibus daretur; nihil prorsus haberet nouitatis, cùm omnes calceati & ocreati mensis accumbant: at verò priscis seculis noua admodum videbatur. Tunc enim ea fuit consuetudo, vt nodis pedibus epularentur, non solùm Romani, sed etiam Hebræi. Romani quidem, vt ex eo patet: quia ille apud Martialem lib. 5. Epigram. coouiuiom initutus: *Deposui soleas*, inquit. Et ille alter apud Horatium lib. 2. Serm. Satyr. 8. conuiuium relicturus, surgit è mensa: *Et soleas*, inquit, *poscit*. Vnde vterque conuincitur nudis pedibus B conuiuio interfuisse. Hebræi verò, vt ex eo constat: quia, Christo Domino mensæ accumbente, Magdalena stans retrò, *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & vnguento vngebat*. Luc. 7. n. 38. Quod apertè supponit Christum Dominom illo in conuiuio nudos pedes habuisse. Quorsum igitur ad paschalem Agnum calceati conuiuæ accedere iubentur? Rationem inculcat D. Greg. Nazianzenus. Orat. citata, num. 41. *Qui Ægyptum*, inquit, *& res Ægypti fugit, calceos sumat; vt tutus sit, cùm ab aliis rebus, tum à scorpiis & serpentibus, quos permultos Ægyptus alit. Sic fiet, vt ab iis, qui calcaneum obseruant, & quos calcare iussi sumus, minimè vulneretur*. Vbi & historialis & spiritualis ratio inculcatur. Illa est, vt corporis pedes C à venenatis morsibus illæsi custodiantur: hæc, vt mentis affectus à lethalibus vitiis puri conseruentur. Quòd si ad paschalem Agnum tanta corporis mentisqoe sanitas requiritur: quanta vtriusqoe puritas ad hoc diuinum epulum requiretur?

Veteres Romani nudis pedibus epulabantur.

Martial.

Id mos apud Hebraos inoleuit.

D. Greg. Naz.

XVII. Adde, in illo typico conuiuio lumbos quoque accinctos esse oportere: *Renes*, inquit, *vestros accingetis*. Vbi suprà. Non sine mysterio, vt ad mensam Eucharisticam accessuris omnis intemperantia coërcenda ac frænanda iuberetur. Sic enim D. Gregorius Nazianz. citata Oratione, n. 39. *Tibi*, inquit, *per zonam ac temperantiam restringatur pars illa, quæ libidine æstuat, ac velut hinnitum edit. Ita fiet, vt mortificatis membris, quæ sunt super terram, Pascha purè comedas; solitarij illius Ioannis & Præ*D*cursoris, magnique veritatis Præconis precinctionem imitans*. Quo pacto enim turpibus concupiscentiis æstuanti, & prauis libidinibus efferuescenti, ad illud frumentum electorum, & vinum germinans virgines patebit accessus? An purior animus noster, quàm Christus? Si igitur animus noster corpus tabidum & vlcerosum, ac debitis dispositionibus exutum deserit: quo pacto Christus Dominus animam sordidam, inquinatam, multisque sceleribus infectam ingredietur? Quo argumento eleganter vtitur D. Ambr. ser. 19. in Psal. 118. *An verò*, inquit, *cùm animæ nostræ vigor putrem corporis refugiat portionem; quòd eius gratiam corrupti artus sentire non possint: Deus corrupta animæ membra quadam dignatur habitare?* Vbi expendo illud, *Eius gratiam corrupti artus sentire non possunt*. Neque enim deest Christo Domino virtus ad sanctificandam animam: sed animæ deest necessaria dispositio ad sanctitatem percipiendam.

Corporis voluptates coërcenda ad Eucharistiam.

D. Greg. Naz.

D. Ambr.

Anima veluti per culpam corrupta inepta est ad sanctificationem.

XVIII. In primo ingressu terræ Promissionis circuncidit Iosuë popolum. Et postquàm omnes ex vulneribus sanati sunt: *Fecerunt*, inquit Textus, *Phase quarta decima die mensis ad vesperum in campestribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ, die altero, azymos panes, & polentam eiusdem anni*. Ios. 5. num. 10. Quem locum Origenes homil. 6. mysticè A interpretatus: *Circuncidimur*, inquit, *quando cum labore quodam, & dolore animi, veteris consuetudinis culpas nouella institutione mutamus: sanamur autem, cùm iam noua instituta absque difficultate complemus, & in vsum nobis vertitur, quod priùs difficile videbatur*. Circuncisi igitur, & sanati fecerunt Pascha: quia antequàm culpas exuerent, induerentque virtutes, non debebant immaculati Agni carnibus epulari. *Vides*, addit Origenes, *quia nemo immundus facit Pascha, nemo incircuncisus: sed quicunque mundus fuerit, & circuncisus*. Illud Pascha agnus erat de grege: & nihilominùs mortificatos & sanctificatos requirebat. At verò Pascha nostrum immolatus est Christus: quantò igitur maiorem & mortificationem & sanctificationem à celeB brantibus postulabit? Agnus ille Paschalis *absque macula*. Exod. 12. num. 5. seu, vt habent Septuag. ἄμωμος, id est, *Irreprehensibilis*, irreprehensibiles conuiuas exigebat. Quam ergo maculam reprehensione dignam in suis conuiuiis patietur ille Agnus Eucharisticus, qoem nemo hominum potest *arguere de peccato?* Ioan. 8. num. 46. Et in quo Diabolus Princeps huius Mundi *non habet quicquam?* Ioan. 14. num. 30. Et cuius manus sunt *tornatiles?* Cant. 5. num. 14. seu, vt habet Interlin. *In nullo reprehensibiles?*

Adeò *Agni Eucharistici debent homines mundari & circuncidi.*

Orig.

Agnus Eucharisticus sine macula, conuiuas exigit irreprehensibiles.

Interl.

XIX. Neque solùm innocens io se esse debet, qui ad hanc mensam accumbit: sed etiam, quod est maius, innocentem familiam habere. Nam, qui profano seruo vtitur, quamuis ipse sanctus sit; ab C hoc conuiuio, tanquàm profanus expelletur. Præcipiebat olim Deus, ne quis dominus, seu paterfamilias comederet Pascha, antequàm eius seruus emptitius circunciderетur. Exod. 12. n. 44. *Quia, cùm seruus*, inquit Lyra, *sit quædam res domini sui, ei imputari debet defectus circuncisionis*. Si ab Agno paschali propter incircuncisum seruum paterfamilias arcetur: quis dubitet, qnemnis dominum, propter iniquum seruum, ab Eucharistia repellendum? Sibi postulabat Daoid panes sanctificatos: & nihilominùs Sacerdos Abimelech in eius pueros inquirebat: *Si mundi*, inqoit, *sunt pueri*. 1. Regum 21. num. 4. Quasi propter dignitatem, vel indignitatem famulorum, dignus, vel indignus Rex ipse censeretur. Nouerint igitur Christiani, D si immundos famulos, vel filios domi alant, satis se mundos non esse ad Eucharistiam recipiendam, quantumuis propriis factis sibi mundi videantur.

Non solùm anima, sed familiæ innocentia requiritur ad Eucharistiam.

Lyra.

Indigni ad Eucharistiã, qui seruos habent immundos.

XX. Egressis de Iordane Israëlitis Arca fœderis anteibat: populus verò à tergo sequebatur: *Sequimini*, inquit Iosuë, *sitque inter vos & Arcam spatium cubitorum duum millium*. Ios. 3. n. 4. At, cur non propiùs accedebant? *Propter reuerentiam Arcæ*, inquit Lyranus. Si igitur ab Arca profani homines reuerentiæ causa absistebant: cur in Eucharistiam irruere temerarij non formident? In gratiam olim redieruot Isaac & Abimelech, quam splendido conuiuio confirmarunt: *Et post cibum & potum*, inquit Textus, *surgentes manè, iurauerunt sibi mutuò*. E Gen. 26. num. 31. At cur inter cœnandum, vel saltem statim post cœnam non iurarunt; sed potiùs iuramentum in crastinum distulerunt? *Vt iurarent*, inquit Lyra, *saliua ieiuna propter reuerentiam iuramenti*. Addit Philo Hebræus lib. De Decalogo, non solùm linguam iurantis à cibo ieiunam esse debere; sed multò magis mentem ab omni vitio alienam: *Iuraturus*, inquit, *debet se ipsum considerare; num purus sit anima, corpore & lingua: illa ab iniquitatibus; hoc à piaculis; hæc à maledicentia. Nefas est enim per os, quo profertur nomen illud sanctissimum, quidquam turpe progredi*. Hanc planè reuerentiam

Quanta reuerentia sit opus ad Eucharistiam.

Lyran.

Lyra.

Philo.

Magna olim ad iurandum reuerentia: multò magis ad Eucharistiam.

tum frigido veneno infundens, ipse statim erepet A ac moriatur; ac proinde aqua cum veneno hausta vitam potiùs, quàm sitim extinguat: optimo ex belluis ad homines documento; ne suas sic hauriāt voluptates, vt cum illis mortem haurire compellantur. Hanc serpentis prudentiam ad cordis munditiam Sacramento Eucharistiæ suscipiendo necessariam D. Epiphanius, ac D. Ambrosius egregiè transtulerunt. Nam D. Epiphan. hæresi 37. *Habet*, inquit, *hanc prudentiam serpens, velut naturæ rerum docti de hoc animali tradunt. Quando enim siti pressus, à latibulo procedit ad aquam, vt bibat: non simul accipit secum venenum; sed in latibulo relinquit, & sic progressus potum aquarum sumit. Proinde & ipsi hoc imitemur: vt quando ad sanctam Dei Ecclesiam, aut ad preces, aut ad mysteria* (hoc est, ad sacram Eucharistiam) *venerimus; malitiam, aut voluptatem, aut inimicitiam, in cogitationibus nostris nobiscum non feramus.* B At verò D. Ambrosius serm. in Fer. post primam Dominicam Quadragesimæ: *Serpens*, inquit, *cùm venerit ad bibendum aquam; priusquàm bibat, extra fontem euomit venenum suum, & posteà bibit. Ita & nos, quando ad altare Domini communicaturi accedimus, deponamus venenum pessimum; hoc est, iracundiam, odium, inuidiam falsitatem*, &c. *Et sic ad altare Domini, corpore & sanguine eius satiemur.*

Homines sæpe mortem hauriunt in voluptatibus, non sic serpentes.
D. Epiph.

Ad sacram Eucharistiam peccati venenum deponendum.
D. Amb.

XXVI. Tandem, vt rem concludam, memineris, legis veteris sacrificiis nihil mellis, aut fermenti admiscendum. *Omnis oblatio*, inquit Legislator, *quæ offertur Domino, absque fermento fiet: nec quiquam fermenti ac mellis adolebitur in Sacrificio Domini.* C Leuit. 2. n. 11. Huius mysticæ legis literalem fortè rationem inculcat Philo Hebræus lib. De victimas offerentibus. Et in primis de melle: *Fortasse*, inquit, *quia collectrix eius apis, animal est impurum, natum è putribus boum, vt fertur, cadaueribus.* Atque hinc ad legis mysterium progressos: *Hæc*, inquit, *figura docet, profanam ducendam quamcunque voluptatem nimiam: dulcem haustu, sed cruciatus afferentem difficiles, à quibus animam concussam labefactari necessum est.* Deinde de fermento, prohiberi docet: *Propter tumiditatem, quam efficit, æquè figurato præcepto, ne quis elatus ad altare accedat, tumidus fastu atque arrogantia, sed aspiciens Dei magnitudinem, suam mortalitatem agnoscat, quantumuis cæteris fortunatior;* D *& vera æstimatione animos elatos reprimat, cauens insidiatricem superbiam.* Ex quibus palàm est, quanta ad vetera sacrificia accedentium puritas exigeretur. Sed multò planiùs inde colligitur, quanta ad Eucharisticum Sacrificium, illorum omnium sanctissimum & augustissimum, innocentia requiratur. Quod adhuc ex dicendis clariùs patebit

Mel ideò Deo non offerebatur, vtpote ab impuro animali confectum.
Phil.

Nimia voluptas nimios affert cruciatus.

Tumidus ab altari Dominico arcetur.

SECTIO II.

Magna à venialibus etiam culpis innocentia ad Eucharistiam desideranda.

I. Angelus, qui ad cælestes nuptias atque epulas Ioannem inuitabat, ac dicebat: *Qui sitit, veniat; & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Apocal. 22. num. 17. summam quoque ab inuitatis innocentiam prærequirebat: *Qui iustus*, inquit, *est, iustificetur adhuc; & sanctus, sanctificetur adhuc.* Ibidem, num. 11. Quorum verborum duplex sensus esse potest, neuter à Litera alienus. Vnus, vt iustus in iustitia, & sanctus in sanctitate perseueret: cùm hic tantùm coronetur. Alter, propior ad rem præsentem, vt iustus in iustitia, sanctus in sanctitate A accrescat: & qui à lethalibus culpis se sentit expiatum, curet vlteriùs, vt à venialibus expietur. Cælestis enim mensa ab omni labe purgatissima, non nisi mundissimos ab omni macula conuiuas exigebat.

A venialibus culpis debet animus expiari ad Eucharistiam.

II. Quis non videt, quanta diligentia curandum sit, vt templa, altaria, calices, aliáque vasa & lintea sacra, quibus sanctissimum Christi Domini corpus excipitur, non solùm ab omni cœno ac sordibus expurgentur, sed etiam à minima labecula, & leuissimo puluisculo excutiantur? *Sint quidem*, inquit D. Chrys. homil. 61. ad populum, *Vasa vndique tersa, sint refulgentia.* Nihilominùs *animas oportet esse his puriores, sanctiores & splendidiores.* Et rationem reddit: *Quoniam illa propter nos talia* B *fiunt.* Hoc est, illa abstergūtur & nitidantur, vt nos abstergamur & nitidemur. Et pergit suam explicare & inculcare rationem: *Illa*, inquit, *non eius, qui inest, partem capiunt, nec sentiunt: nos autem certè. Sed nunc sordido quidem vti vase non eligeres: anima verò sordida accedis? Multam video rerum inæqualitatem.* Quasi diceret: Quid indignius, quàm tergi & purgari vasa ad Eucharistiam suscipiendam; cùm tamen Eucharistiam nec sentiant, nec agnoscant, nec vllum ex ea capere possint spirituale emolumentum: & tamen animas, quæ norunt & sciunt, quid percipiant, & quid ex ea perceptione lucrentur; si non lethalibus culpis, saltem plurimis venialibus infici & sordidari? Reclamante Propheta: *Mundamini, qui fertis vasa Domini.* Isai. C 52. num. 11. Vbi non vasa ipsa, sed ferentes vasa mundari iubet: quasi non tam in vasis, quàm in ferentibus præcipua munditics requiratur.

Anima ad Eucharistiam vasis sacris puriores esse debent.
D. Chrys.

Ideò maior requiritur munditics, quia sentiunt, quod accipiunt.

III. Mirum, cum quanta corporis munditie & lautitie sacra homines templa ingrediantur: nullam enim hærere patiuntur, aut ori labem, quin priùs abluant; aut vestibus festucam, quin exsufflent; aut calceis lutum, quin abstergant. Quæ igitur eos dementia compellit, vt impuris & incomptis & illotis animis, non modò templa subeant sed etiam ad sacram mensam conuiuentur? Optimum est in tales homines argumentum, quo vtitur Philo Hebræus lib. De Cherubin: *Corpora quidem*, inquit, *abluuntur lauacris & purificationibus: affectiones verò animæ, quibus vita sordidatur, nec volunt, nec cu-* D *rant eluere. Vt candidati templa subeant, dant operam, diligenter emaculatis amicti vestibus: mentem verò maculosam in ipsa sacraria penitissima inferre non verentur.* Si hæc valebat argumentatio in eos, qui Salomonicum templum, & vetera Sacrificia adibant: quanta vi eos vrgebit, qui ad Eucharisticum conuiuium longè sublimius ac diuinius accedunt? Et rursus lib. Quòd Deus sit immutabilis, meritam his hominibus cēsuram impingit: *Est*, inquit, *stultitia, cùm templa non subeas, nisi corpore à balineis*, (hoc est, à balneis, seu per balneas) *nitido; vota sacráque facere mente impura contaminatáque.* Quod intellige de mente, non solùm grauibus, sed etiam leuibus culpis contaminata: vt similitudo procedat. Nam, quemadmodum tem- E plum nemo ingreditur, nisi corpore etiam à minimis sordibus abluto: ita nec ingredi debet, nisi animo etiam à minimis culpis expurgato.

Homines corporis munditiam curant, non animi.
Philo.

Stultum est corpore mundo, immundo animo sacris operari.

IV. Mysterio plena est illa Christi Domini parabola, in qua dicitur homo Rex fecisse prandium, & multos ad illud inuitasse: quibus iam in triclinium collectis, *intrauit Rex, vt videret discumbentes.* Matth. 22. num. 11. Cur, quæso, initio homo, Rex; posteà verò Rex tantùm appellatur? D. Hieronymus respondet: quia initio misericordem, posteà verò vltorem se præbebat. *Quando*, inquit, *inuitabat ad nuptias, & agebat opera clementiæ; ho-*

Propria hominis est mānsuetudo.
D. Hieron.

minis

minis nomen appositum est: nunc autem quando ad vltionem venit; homo siletur, & Rex tantùm dicitur. Addo, ad rem præsentem: quia initio suam nobis clementiam indicabat, vt homo: posteà verò nostram à nobis reuerentiam exigebat, vt Rex. Quis autem non videt, debere bonum seruum in Regis conspectu, non solùm à maximis; sed etiam à minimis offensis abstinere? Iam verò, si non modò seruus in domum Regis; sed etiam Rex in domum serui excipiatur, quanta debet tota illa domus munditie nitere: ne vel minima labe Regis oculi offendantur? Præsertim, si Rex non terrenus sit, sed diuinus. Quod grauiter & eleganter expendit Philo Hebræus lib. De Cherubin: *Si quoties*, inquit, *Reges excipiendi sunt, magnificentiùs excolimus ædes proprias, nihil negligendo, quod ad ornatum pertineat: sed omnia benignè ac liberaliter adhibemus, vt hospitium quàm iucundissimum respondeat dignitati hospitis. Regi Regum, & huius Mundi Rectori Deo, comitatis atque humanitatis causa dignato suam creaturam inuisere; & à summo cælo ad terram, vt generi humano beneficia sua conferret, digresso; qualem tandem domum oportet instrui? Absit enim, vt lapideam ligneámve, quod vel dictu nefas est. Nam etiamsi tota terra aurum, aut si quid auro pretiosius, repente fieret; ne sandalium quidem eius pedibus posset fieri.* Quibus externarum rerum metaphoris satis indicat; quanta debeat animus supremum Regem suscepturus, innocentia etiam a minimis noxis collucere.

Christus Dominus, vt homo clemens apparuit; vt Rex, à nobis postulat reuerentiam.

Philo.
Vt terreni Reges munditie excipiuntur, sic cælestis.

V. Discipulis à Christo Domino quærentibus, quo in loco vellet parari Pascha, signū præbuit Christus Dominus, non leuiter expendendum: *Ecce*, inquit, *introeuntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo, amphoram aquæ portans: sequimini eum in domum, in quam intrat*, &c. Luc. 22. n. 10. D. Ambrosius ad eum locum existimat, Sacramentum Baptismi in illa aquæ amphora adumbratum: *O aqua*, inquit, *quæ Sacramentum Christi esse meruisti: quæ lauas omnia, nec lauaris!* Et paulò pòst: *Per te fœtor rabidæ carnis aboletur, & pereuntia situ viscera, asperso sale, in multam seruantur ætatem. Per te arentibus æstu corporibus dulcis ad gratiam, salutaris ad vitam, suauis ad voluptatem potus infunditur.* Ita ille eleganter. Sed, cur homo, qui Baptismum repræsentabat, duxit in domum, vbi sacra Eucharistia proponenda erat ac sumenda? Illa mihi videtur ratio ad rem præsentem opportuna, vt summa innocentia ad sacram Eucharistiam suscipiendam requisita designaretur. Nam Sacramento Baptismi omnia omninò peccata, tā originale, quàm actuale; tam lethale, quàm veniale expiantur: ita vt ad animam ex hoc lauacro ascendentem, meritò dicat diuinus Sponsus: *Tota pulchra es, amica mea; & macula non est in te.* Cant. 4. n. 7. Vnde olim renatis è fonte Baptismatis, sacra Eucharistia ministrari consueuit: teste D. Dionysio De ecclesiastica Hierarchia, cap. 4. vt horum innocentia ad hoc diuinum Sacramentum conueniens ostenderetur. De Christi Domini latere è Cruce pendentis *exiuit sanguis & aqua.* Ioan. 19. num. 35. Sed D. Chrysost. hom. ad Neophytos, in 5. tomo, nescio quos sequutus Codices, inuerso ordine legit: *Exiuit aqua & sanguis*: & sic legendum esse non modò sentit; verùm etiam ex hac lectione opportunū præsenti instituto mysterium deducit: dum in aqua Sacramentum Baptismi; in sanguine Sacramentum Eucharistiæ recognoscit. Et statim, *Ideò*, inquit, *non ait: Exiit sanguis, & aqua: sed exiit aqua primum, & sanguis: quia prius Baptismate diluimur; & posteà mysterio dedicamur.* Vnde colligo, ad Eucharistiam requiri Baptismum, non solùm quoad sacramentorum: sed etiam quoad effectum innocentiæ; vt non nisi cum innocentia baptismali, omnibus expurgati maculis ad hoc Sacramentum accedamus. Sed quidquid sit de hoc loco euangelico, & de hac verborum transpositione, quæ in Vulgata non habetur: certè idem D. Ioannes in sua Canonica, semel atque iterum exprimit priùs aquam, deinde sanguinem: *Hic est*, inquit, *qui venit per aquam, & sanguinem Iesus Christus: non in aqua solum; sed in aqua & sanguine.* 1. Ioan. 5. n. 6. Credo, vt idem mysterium ostendatur: oportere, vt priùs anima baptismali quadam innocentia decoretur: deinde Eucharistico sanguine reficiatur. Nec abest ab hac interpretatione Tert. lib. De Bapt. cap. 15. vbi loquutus de aqua & sanguine ex Christi latere profluentibus, *Hos duos*, inquit, *Baptismos de vulnere perfossi lateris emisit. Vt qui in sanguinem eius crederent, aqua lauarentur: qui aqua lauissent, etiam sanguinem potarent.* Quasi non essent apti ad Eucharistiæ potum, qui priùs aqua innocentiæ non lauarentur.

In hac amphora Baptismus adumbratur.
D. Ambr.

Ad sacram Eucharistiam requiritur innocentia baptismalis.

D. Dionys.
Olim recèns baptizatis sacra Eucharistia ministrabatur.
D. Chrys.

Ad Eucharistiam lauacro baptismali opus est.

Tertul.

VI. Certè perfectionem huius munditiæ ad sacram Eucharistiam procurandæ Christus Dominus indicauit, cùm ad Petrum ait: *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet; sed est mundus totus.* Ioann. 13. n. 10. Vbi difficultas exoritur. Nam, si totus mundus est, etiam pedes mundi sunt: cur igitur indiget, vt pedes lauet? D. Ambros. lib. 3. De Sacramentis, cap. 1. significare mihi videtur, hanc ablutionem non tam esse necessariam ad mundandos pedes, quàm ad roborandos, ne iterum ruerent: *Quia*, inquit, *Adam supplantatus à Diabolo est: & venenum ei effusum est supra pedes; ideò lauas pedes, vt in ea parte, in qua insidiatus est serpens, maius subsidium sanctificationis accedat: quo posteà te supplantare non possit. Lauas ergo pedes, vt laues venena serpentis.* Quasi diceret: Pedes, hoc est, affectus Apostolorum ex casu primi parentis labiles facti sunt, procliuésque ad malum. Igitur à Christo Domino ante Eucharistiam abluuntur, ne postea in similem ruinam præcipites darentur.

Qui lauantur in aqua lateris Christi, sanguinem potant Eucharisticum.

Apostolorum pedes Adami casu labiles à Christo Domino firmantur, ne ruant.
D. Ambr.

VII. Eodem modo exponit idem D. Ambros. in Psal. 48. num. 6. ad illa verba: *Iniquitas calcanei mei circundabit me*: vbi docet, calcaneum esse appetitum: *In quo*, inquit, *Adam dente serpentis est vulneratus, & obnoxiam hæreditatem successionis humanæ suo vulneri dereliquit, vt omnes illo vulnere claudicemus. Vnde Dominus discipulis pedes lauit, vt lauaret venena serpentis.* Nec aliter in lib. De iis, qui mysteriis initiantur, cap. 6. *Plantam*, inquit, *lauare debebat. Habebat enim primi hominis de successione peccatum; quando eum supplantauit serpens, & persuasit errorem. Ideò planta eius abluitur, vt hæreditaria peccata tollantur.* Vbi peccatorum nomine significare videtur deprauatæ concupiscentiæ motus, qui nobis passim subrepunt, & sine culpa suboriuntur. Nam & hos ad sacram Eucharistiam sumendam frænare & consopire oportebat. Itaque illa pedum ablutio, iuxta D. Ambrosium, eò spectauit, vt Apostolicis pedibus, seu affectibus, non solùm puritas & sanctitas; sed etiam firmitas & tranquillitas tribueretur, ne vnquam vacillarent, aut nutarent. Adde, etiam eum, qui totus mundus est à grauioribus culpis; saltem leuioribus plerunque decolorari. Non possunt enim aliquid pulueris non colligere illi pedes, qui puluerulentis terrenarum occupationum viis gradiuntur. Ad hunc igitur, vel tenuissimum puluerem detergendum pedes lauare iubet: quia quantacunque à grauioribus noxis munditia fruerentur; adhuc nihilominùs maiori à leuioribus defectibus puritate ad mundissi

In Christi lauacro discipulorum venena mundantur.

Qui ad Eucharistiā accedunt, à venialibus culpis abluendi.

mundissimum Dominum recipiendum indigebant. Quod si D.Petrus intelligeret:lauari se iam lotum non recusaret. Nam,vt bene D. Ambrosius loco proximè citato, *Non aduertit*,inquit, *mysterium; & ideò ministerium recusauit.* Alioqui, quid magis optandum, quàm vt à minimis quoque maculis abluamur? Vnde D.Ambros.lib.6. in Luc. cap. 9. *Quis*,inquit,*præferendus magis omnibus videtur esse,quàm Christus,qui pedes suis lauare consueuit hospitibus:& quoscũque sua receperit domo,pollutis non patiatur habitare vestigiis;sed maculosos licèt vita prioris, in reliquum tamen dignetur mutare processus?*

D.Ambr.

Christus immundos hospites non patitur.

VIII. Par fuit in lege veteri ratio, cur victimarum pedes lauari iuberentur. Leuit. 1.n.9.scilicet, vt quidquid labis ex terrena concretione pedibus, seu affectibus adhæreret; totum id, antequàm ad Sacrificium pateret accessus,expurgandum doceretur. Vnde Philo Hebræus lib. De victimarum generibus, *Pedum*, inquit,*lotio significat non humi posthac incedẽdam,sed per æthera. Amans enim Deum anima,re vera in cælum à terris emicat;sumptisque alis petit sublimia;cupida oberrandi cum Sole,Luna,ceterarúmque stellarum sacra militia,ipso Deo duce,atque Imperatore.* Hæc autem tam singularis ad vetera Sacrificia synceritas eò pertinebat,vt significaret, multò maiorem ad Eucharisticum Sacrificium puritatem afferendam. Quin etiam in lege noua Sacerdos paulò antequàm accedat ad Hostiam consecrandam, summas digitorum extremitates abluit & abstergit: *Non sine mysterio*,inquit Diuus Dionysius Areopagita De ecclesiastica Hierarch. cap. 3. *vt, qui iam anteà lotus est,nullam aliam, nisi tantùm summitatum, extremitatúmque suarum lotionem adhibeat. Per quam profectò supremam munditiam illud consequitur, vt castissimo in habitu diuinæ speciei constitutus, ad diuinæ bonitatis imaginem prodeat, vinculis omnibus mortalium affectionum liber, atque expeditus.* Et paulò pòst: *Eos*, inquit,*qui ad Sacramenta cælestia conficienda accedunt; ea oportet esse munditia,vt ipsas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant.* Parum igitur olim referebat Iudæorum panem non lotis manibus manducare: vt illis Christus Dominus explicauit. Matth.15.n. 20. At verò Panis Christi, non nisi lautissimis mentibus excipiendus est; vt mundissimo Domino mundissima habitatio præparetur.

Victimarum lauantur pedes, vt significetur affectuum puritas.

Philo.

D.Dion.

Sacerdotum suprema mundities requiritur ad Eucharistiam.

Mundissimo Domino mũdissima domus præparanda.

IX. Infantibus comparantur adhuc sugentibus,qui hoc cælesti conuiuio fruuntur. Vnde Apostolus fideles ad Eucharistiam hortatus: *Sicut modò geniti infantes*,inquit,*rationabiles, sine dolo lac concupiscite.* 1.Pet.2.n.2.Et Propheta has epulas in Ecclesia futuras præuidens ac prædicens, *Gaudete*, inquit,*vt sugatis, & repleamini ab vbere consolationis eius*.Et statim:*Ad vbera portabimini*, &c. Isai. 66. n. 11.& 12. Et fideles has delicias Matri Ecclesiæ gratulati, *Exultabimus*,inquiunt,*& delectabimur in te memores vberum tuorum.* Cant. 1. num. 4. Vbi omnes, dum ad sacram Eucharistiam accurrunt, non ad solida fercula; sed ad mollia vbera, tanquàm infantes, accurrere videntur. Hinc Patres per metaphoras ab infantibus lactentibus petitas, Eucharisticum conuiuium declarant. Nam D. Aug. tract. 3. in 1. Epistol. Ioannis: *Lac nostrum*, inquit, *Christus est.* Et Clemens Alexandr. lib. 1. Pædag.cap. 6. de Christo Domino loquutus: *Ipse*, inquit, *qui est dilectus, & altor noster, effudit pro nobis suum sanguinem; per quem,qui in Deum credidimus, ad mamillam Patris,quæ curarum obliuionem inducit,nempe,Verbum, confugimus. Verè beati, qui hanc lactant mamillam.* Et D. Chrysost. hom. 61. ad populum,Christum Dominum inducens, tanquàm matrem suos filios alloquentem: *Parentes quidem*,inquit, *aliis sæpè filios tradunt alendos. Ego autem non ita: sed carnibus meis alo; me ipsum vobis appono,vos omnes generosos esse volens.* Cuius similia loca in 1.Tom.Cap.1.Num.23.§.5.iam citaui.En, vt omnes, qui ad Eucharisticam mensam admittuntur, infantes ex maternis suspensi vberibus appellantur.Nec immeritò:nam,vt infantes totius malitiæ expertes sunt: ita & illi esse debent, qui ad hanc mensam epulantur.

Infantilis munditiæs requiritur ad Eucharistiã.

D. Aug.

Christus Dominus tanquàm mater in Eucharistia lactat infìdos.

D. Clem. Alex.

D. Chryſ.

X. Ad hanc mensam respiciens Dauid, *Filij*,inquit, *tui, sicut nouella oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Psal. 127.n. 3. Vbi in primis, qui huic mensæ accumbunt, non dicuntur,inquit D. Chrysost. citatus, *Infructuosæ salices,sed arbores fructum habentes maturum*:quales sunt oliuæ. Immò ex oliuis,non vetulæ,in quibus multi rami aridi & superflui & inutiles:sed nouellæ,quæ, interprete Cassiodoro, *Viridiores,ac fortiores sunt, fructum copiosius afferentes.* Tales esse debent,qui hac mensa nutriuntur. Nihil in eis aridũ,nihil inueteratũ, nihil superfluum ac caducum: sed omnia in eis vireant ac vernent, omnia germinent ac fructificent,necesse est. Adde,non vocari filias,sed filios:vt Cassiodorus citatus obseruauit. Licèt enim par sit vtriusque sexus essentialis perfectio; tamen in fœmineo quædam accidentalis cernitur imperfectio, ab hoc epulo penitùs repellenda: in virili quædam accidentalis perfectio, ad hanc mensam maximè desideranda. Neque enim sola à mortalibus culpis innocentia requiritur, quæ est quodammodo essentialis: sed etiam à venialibus,quę est quodammodo accidentalis,magnoperè desideratur. Vnde illud Dei præceptum: *Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coram Domino Deo tuo.* Exod.23.n.17. Quod expendens Philo Hebr.lib. 2. Allegoriarum: *Tribus*,inquit,*temporibus,ô anima,tota coram Deo semper compareas, non fœmineum vllum affectum tecum trahens; sed virilem,fortem,exercitatamq́; rationẽ, ceu suffitum offerens.* Hinc illa lex holocausti: *Masculum immaculatum offeret.* Leuit.1.n.3. Vbi idem Philo lib.De victimarum generibus, notat, sexum marem ad holocaustum requiri,hoc est,intellectum,seu potiùs totum animum: *Qui sensui*, inquit,*tanquàm vir mulieri præstat toto genere;quippe purus,inculpatusq́; purificatus perfectis virtutibus:ipsa est tota Deo grata, & sanctissima hostia.* Denique de Sacrificio similæ: *Mares tantùm*,inquit Legislator,*comedent illud*. Leuit.6.n.18. Hoc est,interprete Hesychio, *Qui nihil fœmineum,nihil fluxum in cogitationibus,vel operibus habeant.* De qua re in 1.Tom.Annot.4.Sect.2.plura diximus. Si igitur ad vetera Sacrificia, non nisi virtus quædam mascula,hoc est, ab omnibus imperfectionibus aliena requirebatur:quantulã, obsecro, imperfectio mollis & effœminati animi ad Eucharistiæ Sacrificium admittetur.

Fideles ad Eucharistiam accedentes fructuosis & virentibus oliuis comparantur.

Cassiod.

Ad sacrum epulum virilis perfectio requiritur.

Philo.

Affectus masculi,fœminei,nõ viriles.

Philo.

Mascula victima nihil fœmineum & vitiosum habentes Deo offeruntur.

Hesych.

XI. Antequàm Gentilis fœmina ad nuptias cum viro Israëlita admitteretur, veteres nõ modò cultus, sed etiam affectus exuere iubebatur: *Radet*, inquit Dominus,*cæsariem,& circumcidet vngues,& deponet vestem,in qua capta est,sedensq́; in domo sua,flebit patrem & matrem suam vno mense.* Deut.21.n.12. Cultum externum corporis deponere iubebatur:quia, interprete D.Hieronymo,epist.146.ad Damasum, profanos mores, & Gentilitios ritus abiurare oportebat:& quidquid erat superfluum de amore & cura rerum secularium,in vnguium morẽ ferro acutissimo desecare. Iubebatur præterea parentes suos etiam superstites,tanquam iam extinctos deflere: quia, interprete Procopio, necesse erat, omnes carnalis cognationis affectus,non modò leniter sedare,sed etiã penitùs sepelire. Hinc efficax desumitur argumentum. Si fœmina viro Hebræo

Anima, vt sponsa, prius debet exuari, antequàm ad Eucharistiam accedat.

D.Hier.

Debemus parentes etiam superstites tãquàm mortuos deflere.

Procop.

A nnpruta, ita priùs debebat expiari: animam, quæ sacram Eucharistiam suscipiens, Christo Domino adhæret, & quodammodo adglutinatur, quibus sacrificiis prius ablui & mondari oportebit?

XII. Tandem dici vix potest, quanto cum dolotis sensu Christus Dominus patiatur etiam minimas noxas eorum, qui hoc cælesti conuiuio pascuntur. Celebre fuit huins cælestis Panis symbolum & exemplar, manna illod, quod olim *in solitudine* apparuit Exod. 16. num. 14. in solitudine, inquam: quia hic Angelorum Panis, vt rectè obsetuat Philo Hebræus lib. 2. Allegoriatum: *Non vbique apparet; sed vbi desertum est, vacuum vitiis & affectibus.* Dicitur præterea manna simile fuisse coriandro. *Erat autem man*, inquit Textus, *quasi semen coriandri.* Num. 11. num. 7. Philo citatus legit: *Simile* B *pupillæ oculi.* Nam in Græco est: *Quasi semen κορίου*: hoc autem nomen, *κόριον*, non solùm significat coriandrum, sed etiam pupillam oculi, ipso interprete Philone. Sed, cur manna dicitur simile pupillæ oculati? Credo, vt hoc Sacramentum accommodatissimè significaret. Est enim Christus Dominus nobis in Euchatistię Pane propositus, pupilla oculi:tum, quia non minori diligentia à nobis custodiendus est, quàm pupilla oculi custodiatur: tum, quia non minori pretio æstimandus; quàm æstimari soleant oculorum pupillę, io quibus ferri dicuntut, quæ maximo in pretio habenrut: tum denique ad rem præsentem, quia pupilla oculi est tenerrimi ac delicatissimi sensus. Nam, vt acerbissimè doleat, opus non est, vt telo saucietur, aut C flagro percutiatur, aut ingenti aliquo ictu inclementiùs verberetur: sed satis est, si vel leuissimè ac delicatissimè pungatur. Vnus si in eam incidat vel minutissimus apiculus, vel leuissimus atomus: mirum, quantus doloris sensos excitetut, quàm citò lacrymæ exprimantur, quàm periculosè torus oculus ægrescat, & cruore suffundatur. Non aliter & Christus Dominus, qui passionis suæ tempore, flagra, sentes, clauos, aliasque durissimas ac dirissimas plagas, non modò patienter, sed etiam hilariter sustinnit: tamen in Eucharistiæ Sactamento nobis in epulom propositus, si vel minimas offensas à nobis patiatur; mirum, quanto doloris sensu stimuletur. Quid enim indignius, quàm exigua cum teuerentia tractari ab illis, qui in socios, in D amicos, in conuiuas familiariter adhibentut. En quanta ad sacram Euchatistiam innocentia requiratur: adhuc ex dicendis apertiùs illustranda.

Panis Eucharisticus non nisi in deserto vitiorum datur. Philo.
Cælestis panis, vt oculi pupilla, ne minimum quidem offendiculum patitur. Philo.
Eucharistia Sacramentum vt pupilla oculi debet æstimari.
Christus Dominus, aliquis patientissimus, in Eucharistia vel minimam offensam non patitur.

ANNOTATIO XXIII.

CIRCA LITERAM.

Quantus ad sacram Eucharistiam virtutum ornatus requiratur.



I. ACTENVS de reuerentia ad sacram Eucharistiam, vt dicebam, E negatiua: hoc est, de summa ab omnibus culpis, tam lethalibus, quàm venialibos innocentia. Sequitur dicendum de positiua: hoc est, de virtutum omnium ornatu: quarum non solùm habitus requirendi sunt, quibus anima exornetur; sed etiam actus, in quos frequenter egrediatur. Adesse igitur debet, & habitualium virtutum splendor, & actualiom virtutum feruor. De vtroque in duplici Sectione breuiter disserendum.

Habitualis virtus, & actualis ad Eucharistiam requiritur.

SECTIO I.

Habitualium virtutum splendor ad sacram Eucharistiam necessarius.

II. Cælestis Sponsus, qui de cœlo descendit, & nos Eucharistico conuiuio ad cælestes nuptias inuitat; quam requirit animam, nisi *sanctam, nouam, descendentem de cœlo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo?* Apocal. 21. n. 2. Vt eximio Sponsi cultui omnibus virtutibus fulguranti, proportionatus Sponsæ decor, suis quoque virtutibus excellens accommodetur. Serpens damnatus ad terram comedendam, Genes. 3. n. 14. terrenus sit, infaustis auibus; & super pectus suum gradiatur. *Pulchrè enim conuenit*, inquit Philo proximè citatus, *vt factum è terra corpus, cognatis alatur cibis.* At verò homo ad cælestes epulas prægustandas inuitatus, totus cælestis sit, & cælestibus ornatus moribus cælo spatietur. *Anima*, inquit Philo, *ætheree naturæ portio habeat alimenta diuina.* Quòd si ad cæleste manna, de quo agebat Philo, cælestis anima requirebatur; qualis demum requiretur ad ipsum cæli Conditorem, qui in Euchatistia proponitur, suscipiendum?

Anima, vt sponsa, debet virtutibus sponso proportionari, in Eucharistia.
Philo.
Anima, vt cælestis, cælesti fruatur conuiuio.

III. Cùm olim Moyses diuino parens dicto in montem ascendisset, *Operuit*, inquit Textus, *nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus. Septimo autem die vocauit eum Dominus de medio caliginis.* Exod. 24. n. 16. At, cur non statim primo die eum vocauit? Oleaster duplicem rationē assignat: Vnam, ne Moyses superbiret, videns se ad diuinum colloquium protinus admitti. Alteram, vt Deus suam maiestatem ostenderet, more Regum temporalium, qui non statim foras prosiliunt ad supplices audiendos: sed diu expectati vix tandem egrediuntur. Addo, vt Moyses ab humano consortio separatus, & multa gloria circundatus, totos sex dies se ad diuinum colloquium præpararet, & gloriosus quodammodo fieret, antequam cum Deo gloriæ colloqueretur. Quòd si ad alloquendum inter nebulas, non tam ipsum Deum, quàm Angelum, qui pro Deo loquebatur; tanta necessaria erat præparatio: quanta, obsecro, non modò ad alloquendum, sed etiam ad amplectendum ipsum Deum, in Eucharistia propositum, exigetur? Paschalis Agnus quinto ante Pascha die ab agris in vrbem immolandus afferebatur; vt videre est Exod. 12. n. 3. & 6. non sine mysterio: vt quinque corporis sensus per totidem dies ad celebrandum illud Pascha, vel potiùs ad celebrandum Eucharisticum conuiuium in illo Paschate adumbratum expurgarentur. Sic insinuat D. Greg. Nazianz. Orat. 42. n. 27. *Asseruatur*, inquit, *in quintum diem, fortasse quia victima mea id habet, vt sensus expurget, à quibus peccatum oritur, & circa quos bellum committitur.* Vbi, quamuis loquatur de purgatione subsequente: tamen accommodatiùs de antecedente intelligi debet illa ceremonia, quæ Pascha ipsum antecedebat. Mundissimi igitur sensus ad mundissimum Dominum percipiendum afferantor.

Deus superbiendi occasionem tollit.
Oleast.
Si ad Dei colloquium requiritur præparatio, multò magis ad conuiuium.
Omnes sensus ad Eucharistiam expurgari debent.
D. Greg. Naz.

IV. Quis non miretur pulchritudinem illarum vestium, quibus olim Deus Sacerdotes exornauit? *De hyacintho & purpura, vermiculo & bysso fecit vestes, quibus indueretur Aaron, quando ministrabat in Sanctis.* Exod. 39. n. 1. At sub illis externis signis pulchriores virtutom habitus ad sacra ministeria exercenda in Sacerdotibus requirebat. Vnde Theodoret. citatus in Glossa: *Sacerdotibus*, inquit, *suis Dominus omnigenum circumposuit ornatum; qui*

Quantus virtutum ornatus ad Eucharistiam exigatur.
Theod.

ipsos

ipsos doceret, quanta animum suum pulchritudine exornare, ac virtutum ornamentis condecorare tenean-tur. Quamuis hæc verba apud Theod. q. 60. in Exodum, paulò aliter immutata reperiantur. Vbi notat, ex his vestibus aliam aliam fuisse interiorem, aliam exteriorem, vt Sacerdos intus & foris, seu animo & corpore ornatus coram Domino appareret. Si igitur accessus ad altare hircorum & taurorum, tantum in antiquis Sacerdotibus virtutum omnium ornatum exigebat: accessus ad aram Eucharisticam immaculati Agni, quantum omnium virtutum splendorem à nouis Sacerdotibus flagi-

Sacerdotalis virtutum ornatus interior & exterior.

tabit? Cùm olim in die festo Domini, *factum esset prandium bonum in domo Tobiæ*; de conuiuis eligendis cogitauit. Sed, quos elegit? *Dixit filio suo: Vade, & adduc aliquos de tribu nostra, timentes Deum, vt epulentur nobiscum.* Tob. 2. num. 2. Bonum illud prandium Tobiæ, bonum Christi Domini conuiuium repræsentabat. *Quid enim*, inquit Propheta, *bonum eius est, & quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* Zach. 9. n.

Non nisi electi Eucharisticū vocantur ad conuiuium.

17. Si igitur ad bonum Tobiæ prandium, non nisi boni conuiuæ, fideles, domestici ac timentes Deum inuitabantur: quanto omnium virtutum ornatu exculti esse debent, qui ad optimum Christi Domini conuiuium admittuntur?

V. Illi duo germani fratres, Iacob & Esau, ad patrem conuiuantem pro benedictione impetranda accesserunt. Sed Esau maior natu repulsam passus est: Iacob tamen natu minor benedictionem re-

Benedictionē non meretur, qui inecultus ad Eucharistiam accedit.
D. Hier.

portauit. Quæres: cur potiùs Iacob, quàm Esau benedictione impertiatur? Rationem optimam insinuat D. Hieron. epist. 125. ad Damasum, quæst. 3. Quia Rebecca *vestibus Esau valdè bonis, quas apud se habebat domi, induit Iacobum.* Genes. 27. n. 15. Nam *statim vt pater sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens ait: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni.* Ibidem, n. 27. Quasi solo vestimentorum odore inductus fuerit ad benedictionem confetendam. At verò Esau sine vestium cultu & ornatu ad conuiuium accessit. Ergo, si non benedicitur à patre ille filius, qui lautum conuiuium, sine lautis vestibus ingreditur; quam benedictionem ab Æterno Parente sperare debet ille, qui inculta conscientia ad diuinum sacrificium accedit?

VI. Cùm Pharao Iosephum è carcere accerseret, qui eius somnium interpretaretur: *Protinus*, inquit Textus, *ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt, ac veste mutata, obtulerunt ei.* Genes. 41. num. 14. Sed, cur, antequàm somnium explicaret, sic ornatus, & quodammodo propter aliquod meritom coronatus in Regiam processit? An temporales Reges, priusquàm merita offeran-

Diuinæ liberalitatis est, non humanæ, ante merita, præmia largiri.
Lyra.

tur, præmia largiuntur? Vix hoc crediderim, cùm diuinæ liberalitatis proprium hoc esse soleat, non humanæ. Cur ergo? Respondet Lyra: *Quia in fordido, inquit, & vili habitu, non erat licitum aulam regiam introire.* Et confirmat ex Mardocheo, qui indutus sacco, & aspersus cinere caput, in media ciuitate clamabat; & hoc eiulatu, vsque ad fores palatij gradiebatur: sed ibi sistebat, nec introibat: *Non enim*, inquit Textus, *erat licitum, indutum sacco aulam Regis intrare.* Esther 4. num. 2.

Rudes & informes animæ ab Eucharistia excluduntur.

Vbi iterum docet Lyranus, hoc statutum esse ad magnificentiam regalem. Si igitur Pharaonis, si Assueri palatium incultos & pannosos homines excludebat, comptósque atque ornatos vendicabat; ne quid ibi regiis oculis indignum appareret: quo iure ad illud diuinitatis Sanctuarium, in quo Eucharistia proponitur, rudes & informes animi admittentur?

VII. Bis ad Dauidem accessit filius Ionathæ, Miphi-

A boseth. Et quidem prima vice beneuolentissimè exceptus est, & ad regiam mensam inuitatus: sic enim ad eum Rex: *Ne timeas*, inquit: *quia faciens faciam in te misericordiam propter Ionathan patrem tuū: & restituam tibi omnes agros Saul patris tui: & tu comedes panem in mensa mea semper.* 2. Reg. 9. n. 7. At verò, cùm postea rediit, neque dicitur mensa regia exceptus, neque ad paternam hæreditatem in integrum admissus, sed tantùm in dimidiam illius partem simul cum famulo Siba restitutus. *Quid vltrà loqueris?* inquit Dauid. *Fixum est, quod loquutus sum: tu & Siba diuidite possessiones.* 2. Regum 19. n. 29. Quænam, obsecro, huius mutationis causa fuit? Mitto alias literales suo loco explicandas. Illa

Ad regiam Dauidis conuiuium illotus non admittitur, quantò magis ad Eucharistiam.

interim mystica in præsens congruit institutum:

B quia Miphiboseth, cùm dicitur hoc secundo loco ad Dauidem rediisse: *Descendit*, inquit Textus, *in occursum Regis, illotis pedibus, & imonsa barba; vestésque suas non lauerat, à die, qua egressus fuerat Rex, vsque ad diem reuersionis eius in pace.* 2. Reg. 19. n. 24. Quasi vir tam vili & abiecto cultu deformatus, planè indignus esset, qui ad regium conuiuium admitteretur. At, quò nobilior est Eucharistica mensa, quàm Dauidica? Si igitur ab hac humilis & squalidus conuiua excluditur; quo pacto ad illam improbus & sceleratus recipietur?

VIII. Rex Ioachin extremam redactus in fortunam apud Babylonios in carcere iacebat. Ecce tibi Euilmerodach, qui parenti suo Nabuchodonosori in Regnum successit, *Anno, quo regnare cœperat,*

Homines in sacro cōuiuio, vt in regio, culti apparere debent, & exculti.

C *subleuauit caput Ioachin Regis Iuda de carcere. Et loquutus est ei benignè: & posuit thronum eius super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone. Et mutauit vestes eius, quas habuerat in carcere: & comedebat panem semper in conspectu eius cunctis diebus vitæ suæ.* 4. Reg. 25. à n. 27. Mirum est, quanta ei contulerit ornamenta, antequàm regium admitteret in conuiuium. Nam vinculis exoluit, carcere eripuit, benigno sermone deliniuit, regio throno donauit; non vulgaribus tantùm hominibus, sed etiam Regibus præfecit; laceris exutum vestibus, pretiosis induit & excoluit. Sic ornatum & honoratum ad regium tandem conuiuium recepit. Quasi regia mensa dignus non esset, antequàm omnibus illis ornamentis excultus praniteret. Quis ergo

D dubitet, omnium virtutum decora ornamentaque requiri, vt quis ad mensam Regis, non Babylonici, sed diuini admittatur? Quò enim lautior & sanctior hæc mensa est; eò puriores & sanctiores ad eam conuiuæ requiruntur.

IX. Prodigum filium ad paternam domum redeuntem liberali susceptum hospitio benignus pater, *Dixit ad seruos suos*, inquit Euangelista: *Cito proferte stolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum saginatum, & manducemus, & epulemur.* Luc. 15. num. 22. & 23. Vides, quantis ornamentis

Nullus ad sacrum admittitur conuiuium, nisi virtutum insignibus insignis.

decoretur, priùs quàm ad vitulum saginatum admittatur? Non quidem sine mysterio, vt notat Tert. lib. De pudicitia, cap. 9. *Vestem*, inquit, *prist-*

Tertul.

E *nam recipit: annulum quoque accipit: atque ita exinde opimitate Dominici corporis vescitur*; *Eucharistia, scilicet.* Quasi non expediret ad tam sacrum conuiuium admitti, nisi priùs pulcherrimis virtutum insignibus ornaretur. Idem obseruat D. Ambrof. ad eum locum: *Nemo enim*, inquit, *nisi, qui timuerit Deum; nisi signaculum spiritale, vel custodierit, vel receperit, nisi Dominum prædicauerit, Sacramentis debet cælestibus interesse.* Hoc est: ad recipiēdum Christum Dominum, qui in illo vitulo saginato typicè adumbratur, accedere nemo debet, nisi priùs timoris & amoris, Fidei & Spei, cæterarúmque vir-

D. Ambr.

Ad Eucharistiam non nisi sanctissimi moribus requiruntur.

tutum insignibus exornetur. Ad suam mensam requirebat Babylonis Rex Nabuchodonosor, *pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina.* Dan. 1. n. 4. Quo ex loco egregiè argumentatur D. Chrysostomus, hom. 61. ad populum: *Si Rex Babylonis*, inquit, *ex captiuitate deligens adolescentes, pulchros specie, & decoros aspectu sumpsit: multò magis nos sancta mensæ assistentes, specie pulchros esse decet, aureum animæ mundum habentes, vestem puram, calceamenta regia, decorum animæ cultum, aureum ipsius ornatum, cingulum veritatis*, &c. Quibus metaphoris significat, pulcherrimos omnium virtutum habitus, qui ad sacram Eucharistiam requiruntur.

D. Chrys.

X. *Eunuchi, ab omni carnis illecebra puri, ad Eucharistiam vocandi.*

Solebant veteres Reges in ministerium mensæ sibi Eunuchos cooptare: Ægyptij, Genes. 40. n. 1. Persici, Esther 1. n. 10. Babylonij, Dan. 1. num. 3. immò & Israëlitæ, 1. Reg. 8. n. 15. vt ibi fusiùs repetemus. Quales Rex Dauid in suum magnis de rebus consilium voeauit, 1. Paralipom. 28. n. 1. De quibus Auctor traditionum in lib. citatum, ad finem: *Tradunt*, inquit, *Hebræi, illos vocari Eunuchos, qui ab omnibus actibus seculi alieni, orationi tantùm, & lectioni vacabant.* Tales D. Chrysost. proximè citatus Eucharisticæ mensæ, & ministros, & conuiuas desiderabat: *Eunuchos*, inquit, *Regi decet assistere: Eunuchos dico, mente candidos, nullam habentes maculam, mente sublimes, hilarem habentes animæ oculum, & acutè videntem; non autem somnolentum, non supinum, ab impudentia remotum & procacia.* Vbi externa modestiæ & interna sanctitatis ornamenta, ad hoc sacrum conuiuium necessaria comprehendit. Optimum planè fuit illud Apostolorum consilium, qui ad ministrandum mensis viduarum, eligi voluerunt, *viros boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia.* Act. 6. n. 3. Et inter eos Stephanum, omnibus Spiritus sancti donis abundantem. Si tantus virtutum ornatus ad illas viduarum mensas necessarius videbatur: quantus necesse est, vt mensæ Eucharisticæ adhibeatur?

D. Chrys.

Viri sanctissimi mensis viduarum ministrabant; quantò magis mensæ Eucharisticæ?

XI. *Eleazarus sanctificatur ad custodiendam Arcam: quantò magis sacerdos ad tractandam Eucharistiã?*

Ciues Cariathiarim suam in vrbem excepturi Arcam fœderis, *Eleazarum sanctificauerunt, vt custodiret eam*: vt ex sequenti capite, n. 1. patebit. Si non poterat Arca fœderis, nisi à viro sanctificato, debita cum reuerentia custodiri; quanto cum decore sacra Eucharistia in profanatum animum recipietur? Olim Abrahamus seruum suum Eliezer adiuratus: *Pone*, inquit, *manum tuam subter femur meum, vt adiurem te.* Genes. 24. n. 2. In quem locum D. Gregor. citatus in Glossa, & in Catena Lipomani: *Non super femur*, inquit, *sed subter femur manum ponere iubetur: quia inde descensurus erat, qui homo, sed super homines esset. Unde dignum non fuit, vt manum super femur poneret: quia nulla caro super illam est.* Si latus Abrahæ propter Christum Dominum inde proditurum tanta reuerentia dignum erat, vt nullis manibus satis dignè tangendum videretur: quæ, obsecro, manus ad ipsum Christi Domini corpus in Eucharistia tractandum, quæ lingua ad sumendum, quæ tandem ad amplectendum anima digna existimetur? Ad panem & vinum huius Sacramenti typum offerendum, institutus à Deo est *Melchisedech, Rex Salem* Hebr. 7. n. 1. Hoc est, Rex iustitiæ, & Rex pacis. Bis appellatur Rex: quia non externis tantùm ciuibus, sed proprijs quoque appetitibus imperabat. Et quidem Rex iustitiæ, & Rex pacis, vt vtriusque virtutis nomine, omnium spiritualium bonorum abundantiam collegisse probaretur. Quos ergo virtutũ omnium thesauros habeat, necesse est, qui non typicum illud sacrificium Deo offerat, sed multò augustius ac diuinius; verum, scilicet, Christi corpus in illo repræsentatum?

D. Greg. *Femur Abrahæ reuerendum propter Christum: quantò magis ipse Christus?*

Si ad tractandum Eucharistiæ typum Rex iustitiæ, & Rex pacis requiritur: quid ad ipsam Eucharistiam requiretur?

XII. Appellatur in Euangelio Ioseph, *homo diues, quo tempore accessit ad Pilatum, & petiit corpus Iesu*: ac de Cruce refixit, & sindone inuoluit, & sepeliuit. Matt. 27. à n. 57. Sed, cur diues eo tempore dictus sit, mysticè interpretatus D. Ambr. lib. 10. in Luc. c. 23. *Meritò*, inquit, *diues hoc loco dicitur, ubi corpus suscepit Christi. Suscipiendo enim diuitem, nesciuit fidei paupertatem.* Quibus verbis significat illas sanctitatis diuitias, fuisse consequentes, ex Christi Domini corpore reportatas. Nec inmeritò. Nam ex illa cælesti mensa in suos conuiuas, & opulentia, & potentia deriuantur. Potentia in primis: *Pone mensam*, inquit Deus ad Isaiam, *& contemplare in specula: comedentes & bibentes, surgite Principes.* Isai. 21. n. 5. Vbi opportunè ad rem præsentem D. Hieron. *Dicitur*, inquit, *per Prophetam ad omnes credentes; vt comedentes & bibentes corpus & sanguinem Domini vertamur in Principes.* Quasi qui ad hoc conuiuium humiles & abiecti ingrediuntur, ex eo Principes & nobiles egrediantur. Et potentia ab hoc conuiuio desumpta. Sed & opulentiam ex eodem deriuatam significauit regius Vates, dicens: *Edent pauperes.* Et statim: *Manducauerunt omnes pingues terræ.* Psal. 21. n. 27. & 30. Accubuerunt quidem pauperes: sed pingues, id est, diuites surrexerunt: *Vt qui*, inquit Theodoretus, *ab illo diuino cibo tales effecti sunt.* Meritò igitur Ioseph ex illo accessu ad Christi Domini corpus diues effectus est. Nihilominùs in Litera potiùs antecedentes diuitiæ significantur; non quas retulit ex Christo suscepto, sed quas attolit ad suscipiendum. Neque enim Iosepho ad sacrosanctum illud corpus piè religioséque tractandum daretur accessus, nisi magnis virtutum opibus abundaret. Vt discamus priùs à nobis virtutum opes comparandas, quàm ad sacram Eucharistiam suscipiendam accedamus.

Ad Eucharistiam qui accedit, virtutũ diues efficitur. D. Ambr.

Humiles in Eucharistia mensa redduntur Principes. D. Hieron.

Pauperes efficiuntur diuites. Theod.

Ad Eucharistiam virtutũ opulentia prærequiritur.

XIII. *A Christo tangendo prohibetur, qui vel minimis culpis implicantur.* Mariam ad Christi Domini pedes humiliter procumbentem, mira quadam seueritate à se repulit Christus Dominus, dicens: *Noli me tangere.* Ioan. 20. n. 17. Rationem reddit D. Ambr. lib. 10. in Luc. cap. 24. *Prohibetur*, inquit, *tangere: quia nondum euacuauerat lubricum seculi, carnis ambiguum; nondum vitam vixerat Christi.* Si Maria tam multis pœnitentiæ lacrymis abluta, tam multis charitatis ignibus excocta, tam multis cælestium gratiarum dotibus locupletata; adhuc nihilominùs Christo Domino tangendo imparata censebatur: quæ, obsecro, omnium virtutum incrementa ad suscipiendum requirentur? Addit igitur D. Ambr. *Qui vult Christum tangere, sua membra mortificet: & resurrectiro similis, induat viscera misericordiæ: non ambigat renuntiare terrenis.* Vbi ad tangendum Christum, eam mihi videtur requirere sanctitatem, qua in cælo beati perfruuntur. Singularis fuit Annæ, erga filium suum Samuelem, quem Deo vouerat, pietas & religio. Nam, vt bene D. Chrysost. homil. 2. De Anna: *Conspiciebat*, inquit, *infantem illum, non tantùm vt infantem; verùm etiam, vt rem Deo consecratam. Ac mea quidem sententia etiam reuerebatur puerum suum.* Et confirmat exemplo eorum, qui vasa aurea Deo consecrant, à quibus posteà tangendis præ reuerentia abstineot, ne profanent: vt in primo Tomo iam aduerti. Si igitur puer Deo sacer tantam à matre reuerentiam exigebat; vt eum tangere non auderet; rata, sacrum Deo munus non esse profanis manibus violandum: quæ, obsecro, mens erit, tam multis virtutibus exculta, vt ad ipsum Deum in Eucharistia suscipiendum sibi satis digna videatur?

D. Ambr.

Anna Samuelem Deo sacrũ tangere non audebat. D. Chrys.

Profanis homo vasa sacra non attinget.

Minùs audeat peccator tangere aut sumere Eucharistiam.

Primus

XIV. *Primus in vlnas Christum suscepisse dicitur Simeon vir sanctissimus.*

Primus homo, qui in Euangelio dicitur Christum Dominum suis manibus suscepisse, fuit Simeon: *Et ipse*, inquit, *accepit eum in vlnas suas.* Luc. 2. n. 28. At, quanta de illo præconia paulò antè euulgaotur? *Et ecce homo*, inquit, *erat in Ierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, expectans consolationem Israel: & Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.* Ibidem, à n. 25. Vides, quàm multa in eo erant, & expressa exempla, & efficacia argumenta sanctitatis? Nihil mirum: quia sic excoli & expoliri oportebat, qui primus ad Christum Dominum suscipiendum eligebatur: posteris futurus exemplo, vt non nisi magnis ornati virtutibus ad sumendam Eucharistiam in templum conuenirent. Simile argumentum desumi potest ex manna, quod è cœlo cecidit instar roris: *Manè quoque*, inquit Textus, *ros iacnit per circuitum castrorum.* Exod. 16. n. 13. At in quem locum primùm cecidit? Iosephus lib. 2. Antiq. c. 1. existimat, primùm in manus Moysis cecidisse. *Dum Moyses*, inquit, *precabundus palmas attollit, ros de cælo delabitur: qui, cum manibus eius hærens concreuisset; suspicatus ille hanc alimoniam à Deo demitti, degustat, ac mox degustatam aliis offert, vt experti crederent.*

Manna in manus Moysis primùm cecidisse narratur. Ioseph.

XV. *Manus Moysis ad orationem extensa manna primùm susceperunt.*

Vbi expende, non solùm in manus Moysis, vtcunque; sed in manus Moysis ad orationem extensas illum rorem defluxisse. In quo duo nobis inculcantur. Vnum, dignos non fuisse, qui cęlestes illas epulas manibus attingerent, orique inferrent, nisi qui Moysis sanctitatem imitarentur. Alterum, quemadmodum Moyses inter orandum hoc epulo à Deo recreatus est: ita neminem ad easdem epulas satis dignè accessurum; nisi qui priùs familiaribus cum Deo colloquiis vtetetur. Quam igitur sanctitatem habeat, & quanto orationis feruore incendatur, necesse est, qui non illum cæli rorem, sed Æterni medullam Patris, Verbum ipsum, vnà cum corpore & sanguine Christi Domini ore suscipit, & animo recōdit? Optimè D. Chrys. hom. 60. ad populū: *Quo non*, inquit, *opertet esse puriorem tali fruentem sacrificio? Quo solari radio non splendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? Os, quod igne spirituali repletur? Linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Cogita, quali sis insignitus honere, quali mensa fruaris: quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intueri propter emicantem inde splendorem; hoc nos pascimur, huic nos vnimur, & facti sumus vnum Christi corpus, & vna caro.* Ex quibus verbis collige, sicut caro & anima, quæ per vnionem hypostaticam à diuino Verbo assumptę sunt; purissimæ & sanctissimæ, & omnibus donis supernaturalibus instructissimæ fuerunt; vtpote caro & animam ipsius Verbi: ita suo modo carnem & animam, quæ per vnionem sacramentalem Christo Domino copulantur; potissimas & sanctissimas esse debere: cùm iuxta Chrysostomum vnum Christi corpus, & vna anima efficiantur.

Purior esse debet, qui suscepit Eucharistiam.

D. Chrys.

Vnio hypostatica & sacramentalis similes in sanctificando.

XVI. *Manna purissimis susceptum locis repræsentabat Eucharistiam purissimis animis suscipiendam.* Lyra.

Cæleste idem manna, cùm è cælo in terram defluebat, inter pruinam & rorem claudebatur: ita vt priùs substernetetur pruina; deinde plueret manna; postremò ros, tanquàm operculum, infunderetur. Ita veteres Rabbini crediderunt, quibus Lyra in c. 16. Exod. non aduersatur: immò id ex Litera facilè deducit. Nam Textus Num. 11. n. 9. *Cumque descenderet*, inquit, *nocte super castra ros, descendebat pariter & man.* Seu, vt est in Hebræo: *Descendebat super eum man.* Ecce tibi primum subregmen, seu stramen, quo manna excipiebatur. Rursus, Exod. 16. n. 14. *Apparuit*, inquit, *in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram.* Seu, vt Hebraicè habetur: *Manna quoque fuit operimentum roris in circnitu; & ascendit operimentum roris.* Ecce tibi externum inuolucrum, seu stragulum, quo manna obregebatur. Vt inter vtrunque roris & pruinæ stramentum Panis ille Angelorum putior seruaretur. Sed quò sanctior est Panis ille viuus, qui de cælo descendit, & nobis in Eucharistia proponitur epulandus? Magna igitur cordis puritas & sanctitas illum præcedat: magna in melius morum mutatio, & virtutum incrementa illum subsequantur.

XVII. *Manna in vrna aurea seruatum: Eucharistia in anima aurea seruanda.* D. Chrys.

Seruabatur olim manna *in vrna aurea*, teste Apostolo, Hebr. 9. n. 4. vt significaretur hoc diuinum Manna non nisi auream in animam recipiendum. Vnde D. Chrysost. hom. 60. ad populum, in eos, qui vasa aurea in vsum Eucharistiæ offerebant: *Si vis*, inquit, *honorare sacrificium, offer animam: hanc fac auream. Si verò plumbo maneat & testa deterior: vas aureum quid vtilitatis?* De cælo fluebat mãna, iuxta illud: *Ecce ego pluam vobis panes de cælo.* Exod. 16. n. 4. Vt manibus, non terrestribus, sed cęlestibus ab illo populo colligeretur. Quid verò diuinum hoc manna? Vnde, quæso, in terras labitur? Rectè D. Ambr. lib. De iis, qui initiantur, cap. 9. *Manna*, inquit, *illud de cælo; hoc supra cælum: illud cæli, hoc Domini calorum: illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum seruaretur; hoc alienum ab omni corruptione, quod quicunque religiosè gustauerit, corruptionem sentire non poterit.* Panis igitur supercælestis, quibus mentibus, nisi supercælestibus, æquum est, vt capiatur? Angelicus panis erat manna: *Panem Angelorum mãducauit homo.* Ps. 77. n. 25. vt non nisi Angelica puritate tractaretur. Quid ergo mirum, si necesse sit, vt Angelica niteant puritate, qui hoc non modò Angelico, sed diuino Pane saturantur? Rectè D. Dion. Areop. de ecclesiastica Hierarchia, cap. 1. *Dum*, inquit, *ad sacerdotale munus accedimus, superioribus virtutibus propinquamus; imitando pro viribus illarum constantiam, atque perpetuam firmitatem. Cuius vbi similitudinem fuerimus adepti, ad diuinum Iesu radium aciem mentis intendimus.* Quasi nullus ad hanc plusquàm Angelicam mensam nobis pateat accessus, nisi priùs Angelicam saltem puritatem imitemur.

D. Ambr. *Manna de cælo, Eucharistia supra cælum.*

Angelicus panis Angelica puritate tractandus.

D. Dionys.

XVIII. *Castitas ad Eucharistiã.*

Sed, cùm in hoc diuino Pane corpus & anima Christi Domini nobis proponantur: præcipua quadam ratione, corporis & animæ virtutes, castitas, scilicet, & charitas à nobis requiruntur. Castitas quidem: quia, si futura gloria iis, qui mundo sunt corde, promittitur; quo pacto pignus futuræ gloriæ iis, qui impuro sunt corpore concedetur? Elegit Æternum Verbum non solùm Virginem Matrem; sed etiam nutritium Iosephum eadem virginitate donatum; vt ex multis Patribus D. Hieronymo contra Heluidium, ad finem, D. August. serm. 14. De Natiuitate Christi, Ruperto in c. 1. Matth. D. Thoma 3. p. q. 28. art. 3. & aliis, confirmant ex nostris Canis. lib. 2. De Beata Virgine, cap. 13. Barrad tom. 2. Concord. lib. 3. cap. 7. Petrus Moral. in Matth. lib. 4. Tract. 3. & alij. Quam doctrinam Diuus Petrus Damianus lib. 1. epistolarum, epist. 6. non solùm tuetur, sed ex ea ad rem præsentem illustrandam efficaciter argumentatur: *Nunquid ignoras*, inquit, *Dei Filium adeò carnis elegisse mũditiam, vt ne de pudicitia quidem coniugali; sed de clausula potius incarnatus sit virginali? & ne hoc sufficere videatur, vt tantummodo virgo sit mater: Ecclesiæ fides est, vt virgo fuerit & is, qui simulatus est pater.* Atque hinc tandem suum deducit argumentum: *Si igitur*, inquit, *Redempter noster tantoperè dilexit floridi pudoris integritatem, vt non modò de virgineo vtero nasceretur, sed etiam à nutritio virgine*

Iosephus virgo, vt Christum purior tractaret. D. Hier. D. August. Rup. D. Thom. Canis. Barrad. Moral. D. Petr. Dam.

Non minùs in Sacerdote requiritur puritas.

virgine tractaretur; & hoc cùm adhuc puerulus vagiret in cunis: à quibus nunc, obsecro, tractari vult corpus suum: cùm iam immensus regnat in cælis? Si mundis attingi manibus volebat in præsepio positus; quantam corpori suo nunc vult adesse munditiam, iam in paternæ maiestatis gloria sublimatus? Pascebatur olim Verbum infans *inter lilia.* Cantic. 2. num. 16. Hoc est, interprete Ruperto ad eum locum, *Inter Mariam & Iosephum.* At nunc pascit lilia: quia suo corpore & sanguine eos nutrit, qui puritatis candore lilia imitantur.

Christus inter Mariam, & Iosephum tanquam inter lilia pascebatur.
Rup.

XIX.
Charitas ad Eucharistiâ.

Iam verò charitas, quàm sit ad hanc mensam necessaria, prȩuidit Regius Vates, cùm nouam Ecclesiam ad gratias pro hoc beneficio agendas exhortatus: *Qui posuit, inquit, fines tuos pacem, & adipe frumenti satiat te.* Ps. 147. n. 14. Quasi diceret: Priùs te germana charitate roborat; deinde pane Eucharistico recreat. Neque enim hic panis dignè exhibetur; nisi ei, qui illa charitate fruitur & solidatur. Vnde illa in primæua Ecclesia religio, vt communicaturi mutua se pace impertirent. Ad quam alludens Diuus Dionysius Areopagita lib. De ecclesiastica Hierarchia, cap. 3. *Fas, inquit, non est, eos ad vnum colligi* (hoc est, ad Sacramentum Eucharistiæ, quod propter charitatis vnionem, vnum antonomasticè appellatur) *qui aduersùs se ipsos dissident. Nam, si vnum effici cum illa diuina luce studeremus, nunquam profectò in varias concupiscentias delici pateremur.* Eodem respiciens Tert. lib. De Orat. c. 14. *Quale, inquit, sacrificium est, à quo sine pace receditur?* Et pari ratione dicere posset: Ad quod sine pace acceditur. Qui enim sine charitate ad charitatis mensam accedit; Deum non placat, sed irritat. Hinc D. Hier. in epist. 62. ad Theophilum: *Ignoramus, inquit, sine pace communionem.* Probat ex Euangelio: *Vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Matt. 5. n. 25. Et statim: *Si munera, inquit, nostra absque pace offerre non possumus, quantò magis & Christi corpus accipere?* Sed & D. Cyr. Ierosolymitanus in 5. catechesi mystagogica, mysticam illius consuetudinis intelligentiam apertiùs exponit; & ad eam refert solennem illam salutationem, qua Principes Apostolorum vtebantur: *Salutate inuicem in osculo sancto.* Rom. 16. n. 15. & 1. Petr. 5. n. 14. seu, vt ipse legit: In osculo *dilectionis*, vt fraterna inter se dilectione copulati ad diuinæ charitatis epulas conuenirent. Vnde rectè monet D. Chrys. citatus, vt tanquàm virgines prudentes, hoc fulmentes oleum, cum lampadibus, sponso occursamus, ad has diuinas epulas intraturi.

Communicaturi olim mutua se pace impertiebant.
D. Dionys.

Tert.
Pacificum sacrificium pacè requirit sacrificantis.

D. Cyril. Ierosol.

Cũ oleo charitatis Christo in Eucharistia occurrendum.
D. Chrys.

XX.
Locus, in quo Eucharistia ministratur, sublimis indicat sublimes communicantium mentes.
Budæus.

Tandem Christus Dominus, quanta ad Eucharistiam sanctitas requiratur, non obscuris argumentis indicauit. Nam in primis celebraturus vltimam cœnam, in qua hoc diuinum ferculum suis discipulis ministraret, duos ex illis præmisit ad quendam: *Et ipse, inquit, ostendet vobis cœnaculum magnum stratum: & ibi parate.* Luc. 22. num. 12. Cœnacula, vt constat ex Budæo, sunt altiora ædium loca, ad quæ scalis & cochleis ascenditur. Cur igitur Christus sublimem locum ad celebrandum hoc conuiuium elegit? Rectè D. Greg. Nazianzenus Orat. 44. n. 18. *Iesus, inquit, cùm sublimioribus rebus discipulos initiaret, mysterium ipsis in cœnaculo impertit: vt illud indicetur, partim Deum ad nos descendere oportere, quemadmodum olim in Moyse contigisse scimus: partim nos ad eum subuehi; sicq; inter Deum & homines consortium iniri.* Quasi oporteret, vt quemadmodum hoc conuiuium è cælo in terras propter Christi Domini humilitatem descendebat: ita & conuiuæ illo fruituri, propter vitæ suæ sanctitatem, è terra in sublime, quantùm

D. Greg. Naz.

A maximè possent, erigerentur. Nec sine mysterio cœnaculum erat magnum stratum. Nam Christus Dominus nascens in stabulo, degens in deserto, triumphans in asello, moriens in patibulo; tamen in cœnaculo grandi, pulchrisque tapetibus instructo suum corpus consecrauit: vt doceret, quanto apparatu, non solùm externo, sed præcipuè interno cordis, sacra Eucharistia à nobis tractanda esset ac sumenda.

Locus in quo Eucharistia ministratur, pulchrè ornatus, significat susceptientium mentes virtutibus instructas.

XXI.
Christus cum discipulis, non cum externis Eucharistiam celebrat.

At, quos adhibuit conuiuas? Digna planè res, quæ expendatur. Nam, cùm alieno esset & externo in hospitio; nullos tamen alienos, nullos externos admisit: *Cum discipulis, inquit, meis facio Pascha.* Matth. 26. n. 18. Typicam illam legem, hoc in mysterio implendam, recordatus: *Si quis externus*
B *accesserit, occidetur.* Numer. 18. n. 7. Qui enim alienis à Christo moribus viuit, Christo non conuiuit: nescit Christi conuiuium, qui cum Christo non habet consortium. Quod expendens D. Chrys. vbi suprà: *Nullus, inquit, Iudas assistat, nullus auarus. Si quis est discipulus, adsit. Nam tales mensa non suscipit. Ait enim: Cum discipulis meis facio Pascha.* Seruorum & amicorum, immò & filiorum est hic panis. *Non est* autem *bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Matth. 15. num. 26. Discipulo concinente, qui de hoc conuiuio loquutus: *Foris, inquit, canes & impudici.* Apoc. 22. num. 18. Quare Iudas, cùm ex discipolo abiit in canem, factus vnus de grege illorum, de quibus præscius Dauid: *Circumdederunt me*, inquit, *canes multi.* Psal.
C 21. n. 17. cælestem hunc panem non accepit: vt Batradas tom. 4. Conc. lib. 3. c. 3. ex multis Patribus confirmat, quamuis alij aduersentur. Par enim fuit, vt qui in Christum lymphaticus canis præ rabie factus fuerat; huius cælestis panis famem pateretur, vt canis. Ps. 58. n. 7. Solis igitur discipulis, iisque conscientias, vel à minimis sordibus repurgatas, & maximis virtutibus excultas habentibus, hoc diuinum conuiuium ministratur; ne quis posteà auderet sine veste nuptiali, non dico huic mensæ accumbere, sed etiam in cœnaculum intrare. Hoc enim tantùm bonus ille Parens in profano conuiua reprehendit: vt notat D. Chrysostomus homil. 61. ad populum. Non enim dixit: Quomodo hîc recubuisti? Sed: *Quomodo huc in-*
D *trasti?* Vt non solùm sacrilegus accubitus; sed etiam temerarius ingressus damnaretur.

D. Chrys.

Eucharistia filiis, non canibus ministranda.

Iudas factus canis Eucharistiam non suscepit.
Batrad.

D. Chrys.
Ad Eucharistiam non solùm sacrilegus accubitus, sed etiam temerarius ingressus prohibetur.

XXII.
Christus Dominus primus Eucharistiam sumpsit.
D. Chrys.

Denique Christus Dominus in hoc cœnaculo priorius suum corpus consecrauit, primus sumpsit: vt in 1. Tom. Annot. 5. Sect. 1. §. 27. indicaui. Rationem reddit Diuus Chrysostomus homil. 83. in Matth. *Primus, inquit, ipse hoc fecit, vt tranquillo animo ad communicationem mysteriorum induceret.* Quasi diceret: Ne quis horror esset comedendi corpus, & bibedi sanguinem Christi Domini suo ipse exemplo cæteros homines ad hoc epulum inuitauit. Addo voluisse Christum Dominum significare, solam suam sanctitatem huic mysterio tractando parem esse: & proinde ad eam priùs enitendum, quàm ad hoc mysterium accedatur.
E Quod apertiùs expressit D. Dionys. Areopagita, vbi suprà: *Oportet nos, inquit, si ad Christi aspiramus societatem* (in Eucharistia, scilicet, de qua loquitur, ineundam) *diuinam ipsius in carne vitam assiduè intueri, sanctamque ipsius impeccantiam imitari.* Quare priùs Christus induendus est corde, quàm ore suscipiatur: priùs Christi sanguine abluamur, vt eius carne epulemur. *Beati, inquit Ioannes, qui lauant stolas suas in sanguine agni, vt sit potestas eorum in ligno vitæ.* Apoc. 22. n. 14. Quasi à Christo desumenda sit necessaria mundities ad recipiendum Christum; & solus, qui Christi sanguine ablua

Ad Christum sumendum Christi sanctitas requiritur.

D. Dion. Areop.

Christus Dominus priùs induendus corde, quàm ore sumendus.

ne abluatur, Christi corpore dignè epuletur. Nam, qui non sunt abluti hoc sanguine, non habent potestatem in ligno vitæ. Quod mihi videtor D. Paulus significasse: *Habemus*, inquit, *altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt.* Hebr. 13. num. 1. Quasi diceret: Qui adhuc amat veteris legis ceremonias, nec nouo charitatis præcepto per Christi sanguinem renouatur; potestatem non habet ad hoc diuinum conuiuium accedendi. Solus, qui Christi vitam imitatur, de Christi corpore & sanguine saginetur.

SECTIO II.

Actualium virtutum feruor ad sacram Eucharistiam requisitus.

I. *Triplex virtutum actus insit, qui Eucharistiã sumunt.*

IN eo, qui ad sacram Eucharistiam accedit, habitualis gratia vacua non sit: sed in varios virtutum actus erumpat; antecedentes summi desiderij; præsentes singularis lætitiæ; consequentes perpetuæ gratitudinis. Sic enim fiet, vt singulari deuotione ad suscipiendam incalescat; spirituali dulcedine in suscepta liquefiat; perpetua recordatione post susceptã reneatur. Igitur, qui ad hanc mensam accedit, hoc cælesti pabulo fruiturus; debet in primis eximio quodam eius potiendi desiderio æstuare. A proprio sensu mystagogicum transferre liceat illud, quod de se olim sanctissimus Patriarcha Iobus asserebat: *Antequàm comedam, suspiro: & tanquàm inundantes aqua, sic rugitus meus.* Iob. 3. num. 24. Vt eum repræsentaret, qui ad hanc mensam accessurus, erumpit in gemitus, liquescit in lacrymas, & insolito charitatis ardore totus incandescit. In captiuitate positus Daniel, *Lugebam*, inquit, *trium hebdomadarum diebus; panem desiderabilem non comedi; & caro & vinum non introierunt in os meum.* Dan. 10. num. 3. Hoc est: Arctissimo me ieiunio maceraui; quod eò laboriosius existimabam, quòd à pane desiderabili abstinebã. Hunc verò panem sentit Theod. Orat. 10. in Daniel. fuisse illum azymum, quo Pascha celebrari consueuit; & qui Eucharisticum repræsentauit. Si igitur panis azymus desiderabilis, seu desideriorum panis dicebatur; quia in eum non solùm Prophetæ, sed etiam totius populi vota ac desideria ferebantur: quantò nobis desiderabilior esse debet panis Eucharistiæ? Nam, sicut in eo omnia nostra bona continentur; ita in eum omnia nostra studia rapiantur.

Primus. Desiderium ante susceptam.

Suspiria & lacryma ante Eucharistiã.

Theod. *Eucharistia panis desiderabilis.*

II. *Sũpturi Eucharistiam, tanquam infantes lac appetentes.* D. Chrys.

Non immeritò Apostolorum Princeps sacram Eucharistiam sumpturos cum infantibus materna vbera appetentibus comparauit: *Sicut modò geniti infantes lac concupiscite.* 1. Petr. 2. num. 2. Similitudinem D. Chrysostomus hom. 60. ad populum, aptissimè declarat: *Nónne videtis*, inquit, *quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque ad hanc mensam & vber spiritualis poculi: quinimmò cum longe maiori trahamus, tanquàm infantes lactanei, spiritus gratiam; & vnus sit nobis dolor hac esca priuari.* Totus Hebræorum habitos se ad paschalis Agni esum comparantium, desiderium, feruorem, alacritatem indicabat: dum suis induti calceis, & suis accincti renibus, suisque armari baculis, stantes & festinantes in morem viatorum comedebant. Exod. 12. num. 11. eo sanè mysterio, vt summum desiderium ac feruorem ad sacram Eucharistiam accedentium repræsentarent. Ita D. Chrysost. vbi pro-

Hebræorum feruor ad paschalẽ Agnũ indicat Christianorũ feruorem ad Agnum Eucharisticum.

D. Chrys.

A ximè: *Accedat*, inquit, *nemo cum nausea, nemo resolutus, omnes feruentes & excitati. Nam, si Iudæi stantes, & calceamenta pedibus, & baculos manibus gestantes, Agnum cum festinatione comedebant: te multò magis oportet esse solertem. Nam illi in Palæstinam erant prodituri: tu verò debes in cælum migrare.* Quasi diceret: Quis ad cælestem patriam profecturus magno cum studio viaticum non desideret, non inquirat; si illud terrenas sedes quæsituri tanto cum feruore appetebant?

III. *Dauidis sitis non erat de aqua, sed de Eucharistia.*

Magna olim siti æstuans Dauid exclamauit: *O si quis mihi daret potum aqua de cisterna, qua est in Bethlehem iuxta portam!* 2. Reg. 23. n. 15. Quam statim à tribus streuuis militibus allatam & oblatam *noluit bibere*. Ibidem, n. 17. Cuius facti B rationes plures traduntur, suo loco recensendæ. E quibus aliquas prælibat D. Ambr. in Apologia Dauid, c. 7. & post alias, vnam allegoricam ad rem præsentem: *Quòd si altiùs*, inquit, *velis spectare, & introspicere mysterium: sitiebat Dauid, non aquam de lacu, qui est in Bethlehem; sed oriundum ex Virgine Christum in spiritu prauidebat. Volebat ergo bibere, non aquam fluminis, sed potum gratiæ spiritualis: hoc est, non aquarum sitiebat elementum; sed sanguinem Christi. Denique non bibit oblatam aquam, sed Domino profundit: significans, sitire se Christi sacrificium, non naturæ fluentum: illud sacrificium, in quo esset remissio peccatorum: illum sitire se fontem æternum; non qui periculis quæreretur alienis, sed qui pericula aliena depelleret.* Sic Ambrosius C pulchrè ac disertè. Si Dauid ab hoc diuino sacrificio tam remotus; nihilominùs tanto illius desiderio æstuauit, vt præ solo eius appetitu præsentem bibendi voluptatem repudiaret; quid nos in huius præsentia Sacramenti nauseamus & fastidimus? cùm tamen illi tantùm hoc diuino epulo satientur, qui magna eius appetentia afficiuntur.

D. Ambr.

Arguitur nostra ad Eucharistiam nausea & fastidium.

IV. *Eucharistia cõmunicatur optantibus & quærentibus.*

Mirabile conuiuium Christus Dominus facturus, *Secessit*, inquit Euangelista, *seorsum in locum desertum.* Et statim: *Quod cùm cognouissent turbæ, sequutæ sunt illum.* Luc. 9. num. 10. & 11. Sequentibus igitur in desertum conuiuium ministrauit. At, cur non potiùs intra vrbem commorantibus? D. Ambros. ibi aptè ad nostram sententiam re- D spondet: *Gratia*, inquit, *cælestis impartitur alimentum, non otiosis, neu in ciuitate, quasi in Synagoga, vel seculari dignitate residentibus; sed inter deserta quærentibus Christum. Qui enim non fastidiunt, ipsi excipiuntur à Christo.* Si igitur ille panis bordeaceus non nisi appetentibus dabatur; quo iure, seu qua iniuria hic Panis cælestis fastidientibus apponetur? Absit profectò. Neque enim mali, quod fastidiunt, obtinebunt; sed boni, quod appetunt, impetrabunt, iuxta illud: *Desiderium suum iustis dabitur.* Prou. 10. n. 24. Hoc est, iusti, quod desiderant, consequentur. Quid autem magis, quàm hic cibus à iustis desideratur? iuxta illud: *Memoriale tuum in desiderio animæ.* Isai. 26. num. 8. Hoc est: memoria mirabilium tuorum, quæ sacra in Eucharistia continentur. Vnde statim additur: E *Anima mea desiderauit te in nocte.* Ibidem, num. 9. scilicet, in qua Christus tradebatur, & hoc Sacramentum instituit, & in sui commemorationem fieri præcepit. 1. Corinth. 11. à num. 23. Vt sine dubio tota Prophetæ desideria ad hoc vnum Sacramentum collimasse videantur. Iobum eius famuli sic amabant, sic præsentem habere cupiebant, vt dicerent: *Quis det de carnibus eius, vt saturemur.* Iob. 31. num. 31. Nam, vt loquitur Diuus Chrysost. hom. 61. ad populum: *Ardenter amantium hoc est.* Hoc illi, fateor, desiderium habere potuerunt, non explere. Nam Iob visibilis qui-

D. Ambr.

Eucharistia desiderium & memoriale iustorum.

Amici amicorum carnibus vesci desiderant.

D. Chrys.

Solus Christus suã carnem suis amicis comedendam tradidit.

dem erat, non esibilis. Quid verò Christus Dominus? Vt à nobis sic amaretur, sic desideraretur; nec nostrum desiderium frustraretur, sed plenè impleretur; carnem suam nobis dedit ad manducandum: *In maiorem*, inquit D. Chrysostom. *nos inducens charitatem: non tantùm se prabens cupientibus videndum; sed & palpandum & comedendum.* Adeò desiderabat a nobis desiderari.

V.
Aquilarum ad cadauera cupiditas.
D. Hier.

Mira & cupiditate & celeritate ad loca, vbi corpora occisa sunt, aquilæ rapiuntur. Nam, vt loquitur D. Hieron. in epist. 61. ad Pammachium cōtra errores Ioan. Ierosol. *Aquilæ, & vultures transmarina cadauera sentiunt.* Et, vt addit eius Scholiastes, *Triduò prauolare dicuntur, eò, vbi cadauera sint futura.* Quam earum naturam Deus ipse cum Iobo loquutus satis expressit. Quamuis enim aquila in arduis ponat nidum suum, & in petris maneat, & in præruptis silicibus commoretur, atque inaccessis rupibus: nihilominùs *inde*, inquit, *contemplatur escam; & de longè oculi eius prospiciunt; & vbicunque cadauer fuerit, statim adest.* Iob. 39. n. 32. & 33. Ab illa altitudine se demittit, & totum illud transuolat interuallum, & corporibus, quibus inhiat, improuisa adest, & voracissima incumbit: tanto illius cibi desiderio exardescit. Talem nobis fore huius cælestis epuli cupiditatem Christus Dominus significauit, dicens: *Vbicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Matth. 14. num. 28. Nam hoc corpus sine dubio illud est, quod pro antiquis Sacrificiis Æterno Patri in Sacrificium immolatur; iuxta illud: *Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.* Psal. 39. num. 7. seu, vt legit D. Paulus: *Corpus autem adaptasti mihi.* Hebr. 10. num. 5. *Quia*, vt docet D. Aug. lib. 10. De ciuit. cap. 20. *pro illis omnibus oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur.* Igitur ad hoc vnum corpus, pro cæteris Sacrificiis repositum in perpetuum Sacrificium, conuolant fideles velocitate & cupiditate aquilina. Vnde Diuus Amb. lib. 8. in Luc. c. 17. *Est corpus*, inquit, *de quo dictum est: Caro mea verè est cibus. Circa hoc corpus vera aquilæ sunt, quæ alis circumuolant spiritualibus.* Et lib. 4. De Sacramentis, cap. 2. *Bona*, inquit, *aquila circa altare. Vbi enim corpus, ibi & aquilæ. Corpus Christi est in altari: aquilæ vos estis renouatæ ablutione delicti.* At verò Diuus Chrysostom. hom. 24. in priorem ad Corinth. obseruat, non immeritò aquilas dici, qui circa corpus Christi congregantur: *Quia oportet*, inquit, *eum, qui ad hoc corpus accedit, esse sublimem, & cum terra nihil habere commune: assiduè volare, & ad Solem iustitiæ aspicere.* Igitur non minori desiderio iusti ad hoc corpus viuum, quàm aquilæ ad illud mortuum, feruntur.

Sanctorū ad Eucharistiā auiditas non dissimilis.
D. Aug.
D. Ambr.
D. Chrysost.

VI.
Desiderium Eucharistia, pretium est, quo emitur.
D. Hier.

Solum huius cibi desiderium, esse pretium, quo emitur, significauit euangelicus Propheta, dicens: *Omnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite. Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione vinum & lac.* Isaiæ 55. n. 1. Vbi, interprete Diuo Hieronymo, ad Sacramentum Eucharistiæ inuitat: vt ex eo colligit, quòd cùm de potu loquatur, nempe, aqua, vino & lacte, quæ non comeduntur, sed bibuntur; tamen non ait, *Bibite*; sed, *Comedite*: quia hoc Sacramentum, licèt habeat facilitatem & suauitatem potus ad recreandum; tamen habet vtilitatem & efficaciam cibi ad nutriendum. Igitur tam pretiosus cibus nullo alio pretio, quàm desiderio comparatur. Vnde Diuus Gregorius Nazianzenus Oratione 40. *Hoc bonum*, inquit, *solo voluntatis pretio emendum tibi proponitur. Appetitionem ipsam Deus ingentis pretij loco*

D. Greg. Naz.

habet. Miseri quondam Israëlitæ domesticam de suis puteis aquam, ac propria de suis arboribus poma pretio comparabant: *Aquam nostram*, inquiunt, *pecunia bibimus: ligna nostra pretio comparauimus.* Thren. 5. n. 4. At verò Christiani diuinum cibum, in quem nullum ius habere possunt, non pretio, sed desiderio consequuntur. Sic monebat de cælo Angelus, dicens: *Qui sitit, veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ, gratis.* Apoc. 22. n. 17. Quasi diceret: Si volens & sitiens accedat, satis nummatus & pecuniosus erit ad emendum: quia pro sola siti hæ cælestes deliciæ venduntur. Vnde Christus Dominus *clamabat: si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Ioannis 7. num. 37. Ac si diceret: Solam sitim, non aliud pretium requiro: seu, vt loquitur D. Chrysost. hom. 50. *Nemini vim facio, neminem traho: sed si quis libens & promptus accedit; si quis ardet desiderio; hunc ego aduoco.* Sic iterum expressiùs promisit, dicens: *Ego sitienti dabo de fonte aquæ viuæ, gratis.* Apoc. 21. num. 6. Non ementem quæro, sed sitientem. Quæ fortasse causa est, cur Christus in Eucharistia fonti sæpissimè in Scriptura comparetur. Nam ad fontem, cùm sit omnibus communis, iuxta illud Virgilianum 7. Æneid.

Iudæi aquam suam pretio comparabant: Christiani Eucharistiā sola desiderio consequūtur.
D. Chrys.
Eucharistia fons omnibus patens, ex quo gratis hauritur.
Virg.

Et cunctis vndámque, aurámque patentem;

non requiritur, vt pecunia ad emendum, sed sitis ad bibendum afferatur. Quare Dauid sitienti ceruo similis, & ad fontes aquarum properanti, hunc fontem desiderabat, Psalm. 41. num. 2. pro magnitudine cupiditatis, mensuram voluptatis percepturus. Quin etiam Christus Dominus, non nisi cum ingenti desiderio ad hoc epulum accessit: *Desiderio*, inquit, *desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Luc. 22. num. 15. Ne quis desidiosus ad illud accedat: longè peior, quàm Iudæi ad suum manna & Panem Angelorum nauseantes. Hæc de antecedente ad sacram Eucharistiam desiderio.

Dauidis & Christi Domini ad Eucharistiam desiderium.

VII.
Secundum cōmunicātium affectus. Lætitia in suscepta.
D. Cyril. Ierol.

Cæterùm præsentem in hoc conuiuio lætitiam, quantam habere debet, qui tam feliciter epulatur? Rectè Sapiens, postquàm egit de scelerum ruina, dicens: *Amor, & odium, & inuidiæ simul perierunt:* concludit, quasi optimam consequutionem deducens: *Vade ergo, & comede in lætitia panem tuum; & bibe cum gaudio vinum tuum: quia Deo placent opera tua.* Eccles. 9. num. 7. Quem locum D. Cyril. Ierosol. in 4. Catechesi mystagogica de Eucharistico cōuiuio interpretatur. Nam conscientia ab omnibus peccatorum sordibus expiata; quid superest, nisi, vt Eucharisticæ dapes magna cum lætitia & gaudio percipiantur? In eundem sensum olim Nehemias, & Esdras populum ad diuinæ legis obseruantiam excitatum, protinus ad læta ac festiua conuiuia exhortantur: *Ite*, inquiunt, *& comedite pinguia, & bibite mulsum; quia sanctus dies Domini est: & nolite contristari; gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.* 2. Esdr. 8. num. 10. Vbi Lyranus in expositione morali: *Per istam*, inquit, *refectionem potest Eucharistiæ sumptio designari, quæ in diebus solennibus est potissimùm assumenda.* Adde, & eum ingenti cordis lætitia celebranda. Hinc Propheta ad Ecclesiæ filios: *Filiæ Sion*, inquit, *exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis Doctorem iustitiæ.* Ioël. 2. num. 23. Vbi Interpretes communiter Christum Dominum intelligunt: verùm Septuaginta cum allusione ad Eucharistiam, videntur exposuisse, transferentes: *Quia dedit vobis escam iustitiæ*; seu, vt loquitur Diuus Hieronym. *Alimenta iustitiæ.* Hæc autem non sunt materialia, quæ è terra nascuntur, cùm iustitiam nec habeant,

Lyran.
Christus Doctor & esca.
D. Hieron.

beant, nec confetant: ergo spiritualia, quæ in sacra Eucharistia exhibentur, singularem habentia & confereutia sanctitatem. In his igitui epulis percipiendis exultare iubet Propheta, ac lætari. Quid enim est, vnde maior lætitia, quàm ex hoc diuino conuiuio hauriatur?

VIII. *In Eucharistia nō modò os, sed etiam cor lætatur.*

Certè Dauid hanc ex sacra Eucharistia lætitiam, in eos, qui dignè accederent, refundendam, animo præuidebat, & ore non infrequenter decantabat: *Dedisti*, inquit, *lætitiam in corde meo; à fructu frumenti & vini.* Psal. 4. n. 7. Sic enim est in Hebræo, nulla facta olei mentione. Vbi D. Ambr. *D. Ambr.* *Data est*, inquit, *lætitia in corde nostro ab illo tempore, quo accepimus frumentum in corpore, vinum in sanguine, oleum in chrismate.* Quæ vltima verba addidit, propter Græcam & Latinā editionem, quæ B olei meminerunt. Ex quibus colliges, in aliis conuiuiis lætitiam tantùm foris circunfundi; in hoc autem intrò infundi: illic os; hic verò cor potissimùm exultare. *Eucharisticū epulū festiuis cantibus celebrandum.* Rursum, cùm futurā cōmunicantium lætitiam præuideret: *Transibo*, inquit, *in locum tabernaculi admirabilis, vsque ad domum Dei. In voce exultationis & confessionis sonus epulantis.* Ps. 41. n. 5. Vbi iuxta ritus celebrandi dies festos, in quibus laus & confessio præibant, epulum sequebatur: sacrum in Ecclesia conuiuium describit; non solùm externis cantibus, sed etiam internis gaudiis celebrandum. Tandem hanc in noua Ecclesia felicitatem omnibus fidelibus bene precatus: *Et iusti*, inquit, *epulentur, & exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia.* Psal. 67. n. 4. C Quod licèt alij de Beatorum conuiuio in patria anagogicè exponant: tamen Hugo Cardinalis de conuiuio Eucharistiæ allegoricè interpretatur. *Hugo Car. Simile viatorum & Beatorum conuiuium.* Nec immeritò: cùm vtrunque simillimum sit, & vtriusque gaudia ab hoc vno ferculo oriantur; quod in vtroque exhibetur, comedendum in via, clarè intuendum in patria.

IX. *Ingēs in Eucharistia suscipienda gaudium.*

Hac igitur in mensa epulantur iusti pariter, & lætantur. Et quidem tam effuso gaudio, vt dicat Apostolus: *Epulemur in azymis synceritatis & veritatis.* 1. Corinth. 5. n. 8. seu, vt ex verbo Græco elici potest: *Saltemus* præ gaudio, *tripudiemus* præ lætitia. Immò & Sponsa hoc suis sodalibus conuiuium offerens, eos ad insolitos quosdam lætitiæ effectus, seu potiùs excessus inuitat: *Comedite*, inquit, *amici; & bibite; & inebriamini, charissimi.* D Cant. 5. n. 1. Vbi in primis soli amici & charissimi, seu, vt habent Septuaginta, *Proximi & fratres*, ad hoc conuiuium accedere iubentur. *Ad Eucharistiam soli amici & fratres accedāt.* Cæteri, qui à Deo auersi sunt & alieni, procul ab hac mensa repelli debent: vt D. Greg. Nissen. hom. 10. in Cantic. obseruat. *D Greg. Niss.* Deinde notandum illud discrimen. Nam amici quidem iubentur comedere & bibere: charissimi autem etiam inebriari. Quia, quò quis paratior & sanctior & charior accedit; eò maiori gaudio triumphat: *Quò quis sāctior ad Eucharistiam accedit, eò lætior recedit.* qui tandem dilectissimus sic exultat, vt quodammodo inebrietur, & mentis excessum patiatur. Quæ ebrietas & excessus, hoc est, summa lætitia & exultatio, vt notat D. Greg. Niss. loco citato, E *Per illum diuinum cibum & potum semper fit, conueniente cum cibo & potu, mutatione & excessu à deterioribus ad meliora.* Hoc est, si nostra tanto gaudio congruat dispositio.

X. *Tertius communicantium actus. Gratitudo post susceptam.*

Iam verò actus Eucharistiam consequentes, summæ gratitudinis esse debent. Nam, si vel minimis beneficiis non minima debetur gratitudo; quanta necesse est, vt maximo debeatur? Vnde Eucharistia, id est, bona gratia, non solùm significat à Christo collatam; sed etiam à nobis referendam. Rectè Sapiens: *Quando sederis*, inquit, A *vt comedas cum Principe; diligenter attende, quæ apposita sunt ante faciem tuam: & statue cultrum in gutture tuo.* Prouerb. 23. num. 1. & 2. Quæ vltima verba longè aliter vertunt Septuaginta in Bibliis Sixtianis, vbi totum locum sic transcribunt: *Si sederis manducare ad mensam potentis; sapienter intellige ea, quæ apponuntur tibi: & mitte manum tuam, sciens, quid oportet te talia præparare.* Quem locum Diuus Ambrosius lib. 1. De offic. cap. 31. & 32. dupliciter exponit. *D. Amb. Gratitudo pro vulgari conuiuio.* Primò, de vulgari conuiuio, ad quod inuitati gratiam rependere debent; & quidem vberiorem inuitantibus. Quasi diceret Sapiens: Considera quàm lautum & splendidum conuiuium tibi apponitur: & statim cogita de alio lautiori & splendidiori redhibendo: vt B gratia non modò gratia rependatur, sed etiam superetur: *Mensura*, inquit, *vberiore reddendum arbitror. Etenim superiorem non esse in referendo beneficio, est minorem esse: quoniam, qui prior contulit, tempore superior est, humanitate prior.* Et proinde, si magnitudine dòni non superetur, gratia non exæquatur. Et statim ipsius terræ exemplo nos prouocat: *Terra*, inquit, *aut spontaneos fructus germinat, aut creditos vberiore cumulo refundit, ac reddit. Vtrunque debes quodam hæreditario vsu parentis.* Non enim matrissat, qui hanc matris gratitudinem non imitatur; immò hæreditario iure se abdicat, qui huius gratitudinis hæres non existit. *Gratitudo pro spirituali conuiuio.* Secundò exponit de spirituali conuiuio Scripturæ: *Scriptura*, inquit, *diuina, conuiuium sapientia est.* C *Singuli libri, singula sunt fercula. Intellige priùs, quæ habeantur in ferculis dapes; & tunc mitte manum tuam, vt ea, quæ legis, vel accipis à Domino Deo tuo, operibus exequaris, & collatam in te gratiam officiis repræsentes.* Ita Diuus Ambrosius eleganter. Sed non minùs elegans est de spirituali Eucharistiæ conuiuio allegoria: *Gratitudo pro conuiuio Eucharistico.* quod qui accipit, scire debet, quòd talia oportet præparare, hoc est, gratiam gratia rependere, conuiuium pro conuiuio exhibere; ac denique totam mentem ei tradere, cuius carne fruitur & saginatur. Immò, sicut Christus carnem suam & sanguinem suum communicantibus confert: ita à communicantibus pro Christo totam vitam & sanguinem libentissimè profundendum.

D XI. *Gratitudo pro Eucharistia, si non effectu, saltem affectu spectatur.*

Quòd si tantum beneficium paribus exæquare obsequiis non potest; curet saltem gratis affectibus compensare. Nam, vt bene D. Ambrosius citatus, *In beneficio*, inquit, *referendo, plùs animus, quàm sensus operatur. Gratia in eo ipso, quod habetur, refertur.* Quare Dauid imparem se tanto beneficio soluendo non ignarus, de sua inopia queribundus exclamabat: *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini inuocabo.* Psal. 115. num. 3. & 4. Quasi diceret: Ei, qui suum mihi sanguinem propinauit, ego quoque libens & meum propinabo; pro eius sanguine meum profundendo. Nam, vt bene D. Hieronymus epist. 22. ad Eustochium De custodia virginitatis, sub finem: *D. Hieron.* E *Hæc est sola*, inquit, *digna retributio, cùm sanguis sanguine compensatur, & redempti cruore Christi pro Redemptore libenter occumbimus.* Hoc igitur desiderio Dauid suo se benefactori gratum exhibebat. Sed, cùm intelligeret, non esse suum sanguinem, quamuis regium, cum diuino conferendum; quidquid suo muneri deerat, benefactorem suum laudando compensabat, subdens: *Et nomen Domini inuocabo.* Vt quod factis non poterat, votis expleret.

XII.

Hinc Propheta filios Ecclesiæ consolatus: *Comedetis*, inquit, *vescentes, & saturabimini.* Hoc est: lautissimè

Sumentes Eucharistiã diuinas laudes modalentur.

lautissimè & splendidissimè comedetis. Et statim: *Et laudabitis nomen Domini Dei vestri, qui fecit mirabilia vobiscum.* Ioël. 2. num. 26. Hoc est: Gratiarum actiones tam liberali conuiuio debitas persoluetis. *Nam hic*, ait ibi Theodoretus, *bonorum finis & caput est, non bonis ad satietatem repleri: sed potiùs bonorum largitorem laudare, & grata memoria prosequi.* Quòd si in vulgaribus conuiuiis, de quibus loquitur Theod. illa gratiarum actio requiritur; quanta in spiritualibus & Eucharisticis, de quibus Propheta potiùs intelligitur, requiretur? Suam diuinus Sponsus Ecclesiam alloquutus: *Guttur tuum*, inquit, *sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labiisque ac dentibus illius ad ruminandum.* Cant. 7. n. 9. Vbi Philo Carpathius gutturis nomine intelligit id, quod gustatur, cibum, videlicet, ac potum, non quidem vulgarem, sed sacramentalem, corpus, scilicet, ac sanguinem Christi Domini. Et sensus est: Potus tuus, ô Sponsa, qui est sanguis meus, sicut vinum optimum ad potandum dilecto meo; seu, vt ipse legit, *Fratri meo*; hoc est, homini fideli Sacramentum suscipienti. Et fratrem, seu dilectum appellat: *Vt ostenderet*, inquit Philo, *solis rectis corde hanc lautissimam escam, cælestem panem, supersubstantialémque & salutarem potum esse datum.* Sed, cur dicit non solùm dignum ad potandum, sed etiam ad ruminandum; cùm homo, qui solus hoc cibo vtitur, inter animalia ruminantia non ponatur; immò neque vinum, aut quisquis alius potus ruminetur? Mysterium agnoscit idem Carpathius, dicens: *Cælestem hanc escam cogitationum labiis, & meditationum dentibus tractandam esse.* Neque enim solùm, cùm sumitur hic cibus, eius dulcedo percipienda est; sed etiam postquàm sumitur, eius memoria per continuam gratiarum actionem recolenda. Vnde non immeritò dicitur hoc vinum *germinans virgines.* Zach 9. n. 17. seu, vt aliqui ex Hebræo legunt, *Cantare faciens virgines.* Quia, qui hoc cælesti potu reficiuntur, diuinas laudes gratissimis cantibus perpetuò modulantur. Hinc Dauid Psalmum 110. qui totus est de hoc Sacramento, à gratiarum actione exorditur, dicens: *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Et perpetua laudatione concludit, dicens: *Laudatio eius manet in seculum seculi.* Vt significet pro tanto beneficio semper diuinis laudibus incumbendum, nunquàm cessandum.

Theod.

Gratitudo pro Eucharistia perpetua esse debet, non transitoria.

Philo Carpath.

Vinũ Eucharisticum germinare, seu cantare facit virgines.

ANNOTATIO XXIV.

CIRCA LITERAM.

Bethsamitæ propter Arcam malè visam interfecti, significant Christianos propter Eucharistiam indignè susceptam occidendos.

I. *Duplex malè communicãtium pœna.*

EGIMVS de duplici reuerentia ad sacram Eucharistiam suscipiendam necessaria. Agendum deinceps de duplici pœna, eos, qui malè communicant, consequente: scilicet, morte corporali, & spirituali. Hanc enim malè communicantium pœnam pœna Bethsamitarum Arcam contra legem intuentium significauit: vt Diuus Gregorius, Beda, Carthusianus, & alij obseruarunt. Sicut igitur ex dictis constat, Arcam bonorum fœtuatricem, malorum verò vltricem extitisse; ita ex dicendis constabit, sacram Eucharistiam iustis quidem salutarem esse, impiis lethalem; ex illa vitam bonos, mortem impios haurire.

D. Greg. Beda. Carthus.

SECTIO I.

Ab Eucharistia vitam boni, mortem mali sortiuntur.

II. QVemadmodum ex puteo Iacob, *Filij eius, & pecora eius bibebant*, vt mulier Samaritana, Ioan. 4. num. 10. testatur: ita ad sacram Eucharistiam suscipiendam iusti pariter & peccatores accedunt. Sed iusti in vitali mensa ad vitam immortalem nutriuntur: peccatores in salutari pharmaco edunt lethale venenum; & in fonte vitæ hauriunt calicem mortis. Nam hæc eadem Eucharistia, vt ex D. Thoma canit Ecclesia: *Mors est malis, vita bonis.* Et sicut corporalis esca iuxta edentium bonam, vel malam dispositionem prodest ad vitam, vel obest ad mortem, iuxta illud Tertull. in carmine ad Senatorem transfugam:

Esca alitur corpus, corpus corrumpitur esca.

D. Thom. *Eucharistia mors malis, vita bonis.* Tert.

Ita sacra Eucharistia iuxta bonam, vel malam suscipientium habitudinem, aliis vitæ causa est, aliis mortis occasio. De odore, quem Christi Domini exempla & documenta toto orbe spargebant, loquutus D. Paulus: *Aliis quidem*, inquit, *odor mortis in mortem; aliis autem odor vitæ in vitam.* 2. Cor. 2. num. 16. Quod mirandum non esse docet D. Chrysost. ibi homil. 5. *Quandoquidem*, inquit, *& sues dicuntur vnguento præfocari; & lumen infirmis caliginem offundere. Talis est & bonorum natura; non solum sua corrigit, verùm etiam & contraria perdit. Ignis non modo cùm aurum repurgat: verùm etiam cum carbones absumit, maximè suam vim exerit.* Quid ergo mirum, si huius odore Sacramenti, & reficiantur boni, & improbi opprimantur?

Exempla, & documenta Christi aliis odor in vitã, aliis odor in mortem. D. Chrys.

III. Appellatur Deus in sacris Literis, *Ignis consumens.* Deut. 4. num. 24. Vnde Origen. hom. 4. in Iosuë, sub finem, ex Scriptura refert illa verba: *Qui approximant mihi, approximant igni:* nullo tamen loco indicato: neque enim in Vulgata continentur. Ea verò statim ad rem præsentem egregiè expendit: *Si aurum*, inquit, *vel argentum fueris, & igni approximaueris; multò per ignem splendidior & rutilantior effulgebis. Si verò supra fundamentum in te fidei positum, conscius tibi es, superædificasse te ligna fœnum & stipulam; & cum tali ædificatione igni approximaueris, consumêris. Beati igitur, qui proximi sunt, & ita proximi sunt, vt ignis eos illuminet, non adurat.* Vbi alludit ad locum Pauli, dicentis, bonos ædificare aurum & argentum: malos, fœnum & stipulã, & vniuscuiusque opus, quale sit, igne probandum. 1. Corinth. 3. num. 12. Quemadmodum igitur vna eadémque flamma aurum purgat, & splendidius efficit; fœnum cremat, & in cineres redigit: ita vna atque eadem Eucharistia bonos sanctificat, magnísque virtutibus accumulat: malos absumit; magnísque suppliciis inuoluit. Quid vitalius ac salutarius Dei verbo? cùm dicat Propheta: *Misit verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Psal. 106. num. 20. Et nihilominùs Isaias de eodem verbo loquutus: *Verbum*, inquit, *misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel.* Isai. 9. num. 8. Vbi Septuaginta legunt, *Pestem*, seu, *mortem*, misit

Christus, ignis purgãt aurũ, comburens fœnum. Orig.

Dei verbo nihil in se salutarius: malis nihil lethalius.

Dominus

Dominus in Iacob;mutatis vocalibus דבר *Dabar*, id est,*verbum*, in דבר *Deber*;id est,*pestem*,seu,*mortem*. Non sine mysterio. Quia idem verbum, quod,si libenter & humiliter audiretur, profuturum erat ad vitam; dum audacter & arroganter contemnitur, redundauit in mortem. Non aliter Eucharistia à bonis in vitam;à malis in mortem suscipitur. Quod expendens Philo Carpathius in fine superioris Annotationis citatus: *O rem miram!inquit,ô rem tremendam! Hac,quæso,diligenter mecum Sacerdotes attendite:hac,fratres, animaduertite:hac timete semper, & cauete periculum. Ea est enim rerum diuinarum, humanarúmque natura: vt qua pro sua dignitate & excellentia optima esse debent, ac summa; eadem mutato ordine,pessima fiant, atque infima.* Quod statim illustrat, sumpto ab Eucharistia exemplo:cuius causa hæc disserebat: *Licet,inquit,videre quosdam ex hoc sacratissimo conuiuio fieri quotidie prauiores: & quod sine graui dolore commemorare non possum, ob id solùm ad gehennam properare miserrimos; quòd ad tale ac tantum, támque ineffabile & caeleste conuiuium, Angelorum choris optabile, immundo corde, atque sordidato audacter accedere, & insolentissimè deuorare præsumunt.* Quid miserius, quàm ibi mortem inuenire;vbi vitam haurire oportebat?

Phil.Carp.

Mali ex Eucharistia prauiores.

IV. In iisdem que pascuis dy greges pinguescunt: aly marcescunt.

Celebre est in Scriptora illud somnium Pharaonis, in quo dissimiles admodum boues in iisdem pascuis oberrantes sibi videre videbatur: *Putabam,inquit, me stare super ripam fluminis, & septem boues de amne conscendere, pulchras nimis, & obesis carnibus, qua in pastu paludis virecta carpebant. Et ecce has sequebatur alia septem boues,in tantum deformes, ac macilenta, vt nunquam tales in terra Ægypti viderim.* Gen.41. à num. 17. Quis non miretur in iisdem herbarum pascuis; & in iisdem aquarum fluentis saginari quasdam boues,quasdam emaciari? & cùm omnes eodem pabulo vterentur;non omnes tamen eosdem profectus experiri? Sed in hac re mihi videtur præsens mysterium adumbrari. Videmus enim aliquando, & vtinam non frequenter, eos, qui eodem Christi Domini corpore & sanguine nutriuntur, in diuersas conditiones abire: & alios quidem spiritu prouehi;alios carne consumi.

V. Non minori plenum mysterio, quod sequitur. *Faciet Dominus*,inquit Moyses, *mirabile inter possessiones Israël, & possessiones Ægyptiorum*.Exod.9. num.4. Quodnam, quæso, fuit hoc miraculum? Sequitur:*Fecit ergo Dominus verbum hoc altera die: mortuáque sunt omnia animantia Ægyptiorum: de animalibus verò filiorum Israël, nihil omninò periit.* Ibidem, num. 6. Nónne omnes greges & armenta,tam quæ ad Ægyptios, quàm quæ ad Hebræos pertinebant; in iisdem agris versabantur? Ita planè: vt Paulus Burgensis interpretatur. Cur ergo alia interibant, alia pinguescebant? Fortè,vt hac etiam in re mysterium Eucharistiæ panderetur. Nam, vt idem pastus aliis animalibus erat noxius & pestifer; aliis verò salubris & vitalis:ita planè eadem mensa Eucharistica, dignis quidem ad vitam, indignis verò ad mortem præparatur.

Idem pastus alys lethifer, alys vitalis, Eucharistia typus.

Burg.

VI. Magno miraculo conuertit Moyses Nilum in sanguinem,Exod.7.n.20.ita vt ab Ægyptiis minimè potaretur. Sed miraculo non minore in sua eum natura potabilem conseruauit Hebræis, qui de illo non minus commodè, quàm anteà hauriebant: vt videtur Sapiens indicare, loquutus de Ægyptiis: *Pœnas*, inquit, *passi sunt inimici illorum à defectione potus sui. Et in eis,cùm abundarent filij Israël lætati sunt.* Sap.11.num.5. Hoc est,Ægyptij Hebræorum hostes, pœnas dederunt; deficiente aqua Nili, vtpote conuersa in sanguinem: sed inter eos filij Israël, cùm potabili aqua ex Nilo fruerentur, lætabantur. Sic exponit Lyranus: *Quando, inquit, hauriebant Hebrei de flumine,statim quod haustum erat, reuertebatur ad naturam potabilis aquæ; & sic lætabantur filij Israël de diuino beneficio. Nam ex eodem fluuio Ægyptij affligebantur, & filij Israël reficiebantur.* Quod videtur ex Iosepho lib.2. Antiquit.cap.13.desumpsisse. Vbi loquutus de Nilo in sanguinem conuerso. *Erat*, inquit,*talis Ægyptiis:Hebreis autem dulcis, & potabilis existebat.* Igitur, quòd olim in aqua Nili contigit; id modò sacra in Eucharistia contingit, quæ bonos ad vitam suauiter recreat, malos ad mortem acriter punit.

Idem Nilus alys potabilis, alys non ita, symbolũ Eucharistia.

Lyran.

Ioseph.

VII. De ministeriis & sacrificiis tabernaculi loquutus olim Deus, *Quidquid*, inquit, *tetigerit carnes eius,sanctificabitur.* Leu.6. num.27. Quasi ex solo tactu rei sanctificatæ, quædam sanctitas à tangente contrahatur. Quod Hesychius de carne Christi Domini exponit, quæ dignè accedentes, edentésque sanctificat. Nihilominùs de iisdem ministeriis ac sacrificiis loquutus Dominus, Num.3. num.10. *Externus*, inquit, *qui ad ministrandum accesserit,morietur.* Seu,vt habent Septuaginta: *Alienigena tangens morietur.* Vbi videntur significare non solùm ex solenni tactu ad sacrificandum; sed etiam ex simplici,ob aliquam leuitatem,aut temeritatem;mortis pœnam incurrendam. Vnde quæstio exurgit, quam D.Aug.q.5.in Num.excitauit. Nam,si anteà quisquis tangebat, sanctificabatur; cur modò, qui tetigerit, dicitur moriturus? Soluit D.Aug. Quia anteà sermo erat de Leuitis iam consecratis;modò verò de alienigenis adhuc profanis. Ex vno autem, eodémque tactu, & sanctificabantur Leuitæ, & alienigenæ moriebantur. Quæ quidem res, si ad Eucharistiam transferatur,nostrum egregiè confirmat institutum. Hanc enim si quis dignus tangit,vitam accipit: si indignus, in mortem incidit.

Sacrificia tabernaculi bonos sanctificabant, malos occidebant.

D.Aug.

VIII. Panes propositionis dicuntur in Hebræo: *Panes Facierum.* Exod.25. num.30. quòd duas minimùm facies haberent. Credo non sine mysterio; vt Christus Dominus in Eucharistico Pane, duplicem habere faciem significetur: Vnam amabilem, qua bonos sanat,iuxta illud:*Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo.* Psal.20.n.7. & illud: *Illuminet vultum suum super nos, & misereatur nostri.* Psal.66.n.2. Alteram terribilem, qua malos perdit; iuxta illud: *Pones eos,vt clibanum ignis in tempore vultus tui.* Psal.20.n.10. Et illud: *Vultus autem Domini super facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum.* Psal.33. n.17. In hac igitur mensa iusti viuunt, impij moriuntur. Erat manna, *quasi semen coriandri.* Num.11. n.7. Duplici mysterio, ni fallor. Vno, quia tradunt rei rustici periti apud Philonem Hebræum lib.2. Allegoriarum, *etiamsi semen hoc concidatur minutissimè; singulas portiunculas & micas satas germinare, non secus quàm coriandrum solidum.* Sub quo typo non obscurè significatur, totum Christi corpus, non minùs in qualibet hostiæ particula, quàm in tota hostia contineri:seu,vt loquitur D.Thomas, *Tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur.* Altero ad rem præsentem, quia, vt refert Plinius lib.20. natur. hist.cap.20. Coriandri ea vis & natura est,vt homines sanet, serpentes necet: horum lethale venenum sit; illorum salutare medicamentum. Quid aptius ad Eucharistiam significandam, quæ sanctificatas animas fouet, ac nutrit; venenatas perdit,& occidit.

Duplex Christi in Eucharistia facies, amabilis bonis, terribilis malis.

Philo. Manna simile coriandro duplici mysterio. Vno, quia integer & diuisus germinat.

D. Thom.

Plinius. Altero, quia homines sanat, serpentes necat.

IX. Quid salubrius sitienti, quàm pellucidus amnis?

Amnis fitië-ti ceruo salubris, serpenti lethalis.

nis? & tamen, si de illo bibant venenati serpentes, crepant, & rumpuntur: quia, cùm eorum venenum frigidum sit, externum frigus cum interno sic concrescit: vt omnes meatus constringantur & obturentur; per quos, dum spiritus meare nequit, moriuntur. Quæ fortasse causa est, cur venenum euomant, antequàm bibant: vt suprà Annot. 21. Sect. 1. ex D. Epiphanio, ac D. Ambrosio retulimus.

D. Epiph. Ceruus frigida potu ad quinquaginta vitæ annos reparantur.

Contrà verò cerui, qui naturæ calidioris sunt, cùm siti æstuantes ad fontes currunt, & frigidam hauriunt, sic reficiuntur; vt referat Diuus Epiphanius in libello ad Physiologum, eo potu ad quinquaginta annos denuò viuendos reparari. Si igitur salubris aqua veneno superinfusa necat; hausta verò à ceruo, nullis infecto venenis, vitam auget: quid mirum, si Eucharistia cum peccato suscepta occidat; suscepta verò cum singulari cordis munditia, vitam nutriat & extendat?

Arca olim vitam, aliis mortē attulit.

Denique vt ab Arca exemplum desumamus: hæc Bethsamitas occidit; Cariathiarenus seruauit: Ozam interfecit; Obededomum benedixit: Palæsthinos magnis cladibus oppressit; Hebræos firmissimis præsidiis defendit: vt sacram Eucharistiam significaret, quæ malus vlciscitur, bonos tuetor.

X. *Manna vitā propagabat.*

Conuiuium illud Israëlitis de cœlo præstitum, celebraturus Dauid; *Pluit*, inquit, *illis manna ad manducandum; panem cæli dedit eis. Panem Angelorum manducauit homo: cibaria misit eis in abundantia.* Psal. 77. n. 24. Quod conuiuium accommodatius esse poterat ad vitam propagandam? Nam Angelorum dicitur, interprete Hugone: quia homines Angelis propemodum pares, & quodammodo incorruptos efficiebat. Vnde, qui illo fruebantur, auctore Iosepho, vix longo pòst tempore senescebant. Quam ob rem Caleb totos quadraginta annos hoc cibo pastus, *Hodie*, inquit, *octoginta quinque annorum sum, sic valens, vt eo valebam tempore, quando ad explorandum missus sum. Illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseuerat, tam ad bellandum, quàm ad gradiendum.* Ios. 14. num. 11. Quin etiam Moyses his epulis refectus, tam virilem egit senectutem, vt de eo dicatur: *Centum & viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt.* Deut. 34. n. 7. Adde, non solos duces, sed etiam milites ad sexcenta peditum millia, hoc pane epulatos, tam firma valetudine visos esse, vt nunquàm in deserto ægrotatint; iuxta illud: *Non erat in Tribubus eorum infirmus.* Psal. 104. num. 37. Ac si huius panis beneficio quadam veluti immortalitate donarentur. Quod Tertul. lib. aduersùs Iudæos, cap. 3. expressit: vbi de populo loquutus, *In eremo*, inquit, *manna cibatus, quadraginta annis ad instar æternitatis redactus; nec humanis passionibus contaminatus.* Vides, quàm vitale fuerit hoc conuiuium? Sed vide vlterius, quid sequatur:

Idē aliquando vitā eripiebat.

Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum; & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eorum, & electos Israël impediuit. Ibidem, num. 31. En vitale conuiuium in lethale excidium commutatur: non quidem vitio ipsius conuiuij, sed potiùs flagitio conuiuarum. Quid, quæso, Eucharistiam expressiùs repræsentat? Quam qui dignè suscipiunt, vitam prorogant: qui indignè, intempestiua morte præripiuntur.

XI. *Buccella panis Iudæ porrecta aliis vitā attulit, Iudæ mortem.*

Quid suauius, & ad vitam sustentandam accommodatius, illa buccella, quam Christus Iudæ porrexit? Et tamen, *Post buccellam tunc introiuit in eum Satanas.* Ioann. 13. n. 26. qui eum quiescere non siuit, donec eius corpus è patibulo suspenderet, animam ad inferos præcipitaret. Quod Diuus Petrus Damianus in libello Gratissimo, c. 6. rectè expendit: *Nunquid*, ait, *buccella illa, quam Iudæ Dominus porrexit, bona non fuit? Sed quod erat causa salutis, illi factum est materia condemnationis: quia instrumentum pacis non pacatus accepit.* Et paulò pòst: *Nec ideò*, inquit, *Sacramentum esse desijt, quia execrandus accepit; sed potiùs asserendum est, quia indigno eadem res facta est occasio mortis, quæ bonis procurata est ad remedium salutis.*

Christi sanguis, Iudæis causa perditionis, Christianis, salutis.

Quid humano generi salutarius, quàm sanguis Christi Domini? Et tamen Iudæi in suum planè exitium conclamarunt: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Matth. 27. num. 25. Quam Iudæorum precationem expendens D. Chrysostomus posteriori hom. de Cruce & Latrone, in fine tertij tomi: *Illis*, inquit, *ad condemnationem, nobis autem ad iustificationem: illis ad mortem, nobis verò ad vitam.* Et confirmat exemplo Babylonicæ furnacis, Dan. 3. à n. 47. *Non est enim*, inquit, *sanguis Christi deterior Babylonio igne. Ille scit Sanctorum in camino honorare corpora, & Chaldæos comburere: quantò magis sanguis ille pretiosissimus scit perdere incredulos, & saluare fideles?* Quod planè conuenit Christo Domino, non solum existenti in propria specie, sed etiam sub speciebus Eucharistiæ latenti. Sed totum hoc argumentum ex dicendis illustrius fiet.

D. Chrys.

SECTIO II.

Boni ab Eucharistia triplicem vitam hauriunt.

I. *Eucharistia dicitur vita in sensu allegorico.*

Vita in Scriptura sæpè tribuitur Eucharistiæ, nunc in sensu allegorico, nunc in literali. In priori dicitur *Lignum vitæ in medio Paradisi.* Gen. 2 num. 9. *Lignum vitæ his, qui apprehenderint eam.* Prou. 3. num. 18. *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Apoc. 2. n. 7. *Sitienti dabo de fonte aquæ vitæ.* Apoc. 21. n. 6. Et sic de aliis. In posteriori dicitur non solùm *panis viuus.* Ioann. 6. num. 51. quia in se vitam continet; sed etiam *panis vitæ.* Ibidem, num. 48. quia vitam aliis communicat, & dat vitam mundo. Ibidem, num. 33. Congruenter loquuntur Patres. Nam D. Ignatius in epist. 14. ad Ephesios, *Mortis antidotum, & pharmacum immortalitatis* appellat.

D. Ignat.

D. Iren. Dicitur etiā vita in sensu literali.

D. Irenæus lib. 4. aduersùs hæreses, cap. 39. loquutus de vltima Cœna: *Christus*, inquit, *recumbentibus eis ministrabat escam, significans eos, qui in terra recumbebant, quibus venit ministrare vitam.* Diuus Cyrillus Alexand. lib. 4. in Ioan. c. 12. *Carnem*, inquit, *suam viuificantem effecit.* Propterea participantes hæc caro viuificat: eiicit enim mortem ab eis, *& interitum penitus expellit.* Et in eundem sensum cæteri omnes frequenter & concorditer loquuntur.

D. Cyril.

II. *Eucharistia olim à Christianis vita dicebatur.* *Baron.*

Immò veteres Christiani Eucharistiam, quasi proprio vocabulo, *vitam* appellabant: teste Baronio, tom. 1. pag. 160. editionis Romanæ: quibus proinde idem erat ire ad vitā, adorare vitam, suscipere vitam: atque ire ad Eucharistiam, adorare Eucharistiam, suscipere Eucharistiam. Quod desumptum est ex D. August. lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, contra Pelagianos, cap. 24. *Optimè*, inquit, *Punici Christiani, baptismum ipsum, nihil aliud, quàm salutem; & Sacramentum corporis Christi, nihil aliud, quàm vitam vocant.*

D. August.

Eucharistia non simplex, sed multiplex vita.

Addo, Eucharistiam non vitam tantùm vitam, sed plures communicare. Formato hominis corpore de limo terræ, Dominus Deus *inspirauit in faciem eius spiraculum*

raculum vitæ. Gen. 2. n. 7. seu, vt est in Hebræo: חיים *Chajim*, id est, *Vitarum.* Quod ad præsens institutum ita possumus detorquere. Nam, sicut ille Æterni parentis halitus triplicem homini vitam, saltem virtute distinctam, vegetabilem, sensibilem & rationalem communicauit: ita quidem *Spiritus oris nostri Christus Dominus.* Thren. 4. n. 20. ab Æterno Parente exspiratus, non quidem personaliter; neque enim per spirationem procedit; sed spiritualiter, nostrísque mentibus inspiratus, triplicem nobis infundit vitam, corpoream, spiritualem & æternam: vnde illud: *Calicem salutaris accipiam.* Psal. 115. n. 4. Hebraïcè est in plurali, *Calicem salutarium*, seu, *salutum.* Vt non vna tantùm salus, sed illa triplex, quam diximus, vita nobis in Eucharistia communicata significetur. Quod paucis illustrabo.

III. *Eucharistia vitæ corporeæ conseruatrix, & reuocatrix.*

In primis vitam corpoream sacra Eucharistia communicat; aut conseruando habitam, aut perditam reuocando, Christo Domino sæpè testante: *Hic est Panis de cœlo descendens: vt si quis ex ipso manducauerit, non moriatur.* Ioann. 6. num. 50. Et rursus de manducante hunc Panem: *Ego resuscitabo eum in nouissimo die.* Ibidem, num. 54. Itaque hic Panis vitæ, vim habet conseruandi & reuocandi vitam corporalem.

D. Thom. *Eucharistia sub speciebus cibi ad vitã sustentandã aptissimè instituitur, vt vitam sustentare significetur.*

Quærit D. Thom. Opusc. 58. De Sacramento Altaris, c. 9. & sequentibus, cur hoc Sacramentum sub speciebus panis ac vini à Christo Domino institutum sit? Et respondet: Quia hæc sunt præcipua corporalis vitæ conseruandæ alimenta. Nam panis præsertim triticeus, C qualis Eucharisticus esse debet, *Cor hominis confirmat.* Psal. 103. n. 15. Vinum, præsertim aqua dilutum, quale debet esse Eucharisticum, vt Parœmiastes significauit, dicens: *Miscuit vinum.* Prou. 9. n. 2. hoc, inquam, modicum ac dilutum *vinum lætificat cor hominis*; vt cecinit Dauid Psalmo citato. Igitur sub speciebus cibi, ad corporalem vitam sustentandam accommodatissimi, sacra Eucharistia instituitur; vt hac etiam in re signum significato respondeat; & virtus huius Sacramenti ad tuendam vitam corporalem significetur.

IV. *Multi solo Pane Eucharistico vitam diu sustentarunt.*

Quam virtutem non pauci in Ecclesia viri sanctitate præstantes, experti sunt. Nam, quemadmodum olim Helias *ambulauit in fortitudine cibi illius*, quem ab Angelo accepit, *quadraginta* D *diebus, & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Horeb.* 3. Reg. 19. num. 8. Ita multi sanctorum

Grithmun. Patrum, quos refert Grithmundus lib. 2. De veritate Eucharistiæ, in Glossa citatus, & multæ

Bozius. sanctarum fœminarum, quas refert Bozius lib. 15. De Signis Ecclesiæ, c. 2. solam Eucharistiam suscipientes, absque vllo victu in multos dies vitam prorogarunt. De qua re plura collegit sapientissimus & meritissimus nostræ Eborensis

Emmanuel do Valle. Academiæ Doctor Emmanuel do Valle de Moura, in primo De Incantationibus Opusc. Sect. 2. c. 13. n. 6. quod ingeniosè & eruditè lucubratum non ita pridem euulgauit. Nec immeritò dicitur Eucharistia temporalem multorum vitam pro-

D. Cyril. pagare; vt notat Diuus Cyrillus Alex. lib. 4. in E Ioann. c. 14. Nam, cùm diuinum Verbum secundùm naturam vita sit, corpus quoque eius viuificat; coniunctum, scilicet, ineffabiliter Verbo, à quo vniuersa viuificantur. Et quidem, si corpus Helisæi exanime in cadauer, quod tetigit, animam reuocauit. 4. Reg. 13. n. 21. quid mirum, si corpus Christi Domini ad diuinum Verbum, quod est vera vita, hypostaticè assumptum, in vitam mortuos reducat?

V. Mortuos olim Christus Dominus suscitabat, non solùm imperando, sed etiam tangendo. Sus-

A citaturus filiã Archisynagogi, *tenuit manum eius.* Matth. 9. n. 25. Suscitaturus filium viduæ Naïm, *accessit, & tetigit loculum.* Luc. 7. num. 14. Quorsum verò tangere oportebat, præsertim in lege cadauera immunda statuente, eorúmque tactui repugnante? Egregiè D. Cyrillus Alex. citatus, *Hac de causa*, inquit, *in excitandis mortuis non solùm verbo, atque imperio, vt Deus, vtebatur: verùm etiam carnem suam, quasi cooperatricem aliquando adhibebat: vt re ipsa ostenderet, carnem quoque suam viuificam esse.* Et paulò pòst, optimã ex hac doctrina consequutionem deducit: *Quòd si*, inquit, *solo tactu suo corrupta redintegrantur; quomodo non viuemus, qui carnem illam gustamus & mãducamus?*

Christus solo tactu mortuos suscitabat, vt viuificã eiusdem carnis suæ vim significaret. D. Cyril.

Sæuiebat olim Angelus Domini in primogenitos Ægypti, Exod. B 12. num. 29. sed à primogenitis Hebræorum abstinebat. Ibidem, n. 13. Illos sternebat mortuos, hos conseruabat viuos. Quænam, quæso, discriminis ratio, nisi, quia solos Hebræorum primogenitos inueniebat paschalis Agni carne non tam pastos, quàm armatos: & solos Hebræorum postes aspiciebat eiusdem Agni cruore non tam tinctos, quàm munitos? Sic exponit idem Cyrillus, vbi suprà: *Quid*, inquit, *maiores eorum*, id est, Iudæorum, *ab ira liberauit, quando mors in primogenita Ægypti sæuiebat? Nonne palam est, quia diuina institutione perdocti, Agni carnes manducarunt; ac postes & superliminaria sanguine perunxerunt; propterea mortem ab eis diuertisse?* Si igitur mortem omnibus terribilem, caro & sanguis paschalis Agni perterrebat & repellebat: quis dubitet, fore vt corpore & sanguine Christi Domini, multò magis perterreatur mors, ac multò longiùs repellatur?

Sanguis paschalis Agni primogenitos Hebræorum à morte liberabat. D. Cyril.

VI. *Vbi est sacrificiũ Eucharistiæ symbolum, mors non timeatur.*

Admoniti olim Manuë, & eius vxor ab Angelo, quem tamen Angelum esse ignorabant, vt Domino sacrificarent, obtulerunt holocaustum: *Cùmque ascenderet flamma altaris in cælum; Angelus Domini pariter in flamma ascendit.* Iud. 13. n. 20. Quo ex signo *intellexit Manuë, Angelum Domini esse*: & ingenti terrore percussus, *dixit ad vxorem suam: Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Ibid. num. 22. Illa enim fuit veterum Hebræorum persuasio, vt insolitis rerum supercælestium spectris, sensuum facultatem superantibus, aut inferretur mors, aut vita grauiter læderetur: præsertim D dicente Domino ad Moysem: *Non videbit me homo, & viuet.* Exod. 33. n. 20. Quid verò vxor Manuë, vt suum coniugem tanto timore liberaret? *Si Dominus*, inquit, *nos vellet occidere: de manibus nostris holocaustum & libamenta non suscepisset.* Ibid. n. 23. Quasi diceret, optimo quidem vsa argumẽto: Quid times mortem, cùm offers victimam? Quid holocausto, cum sepulcro? Quo pacto moriemur, qui Domino sacrificamus? Salutaris hostia sine dubio mortem abiget. Ne formides. Vitam hæc oblatio extendet, non extinguet. Nec profectò sua fœminam spes fefellit. Nam vterque incolumes perstiterunt. Quamuis enim insolitum illud spectaculum efficax fuerit ad mortem inferendam; tamen holocaustum illud E Deo gratissimum, multò efficacius fuit ad vitam conseruandam. Si igitur sacrificium Manuë adeò salutare fuit, ac vitale: quis in Eucharistico sacrificio mortem timeat, quis vitam non speret?

VII. *Patriarcharũ mortes ante Sem describũtur: post Sem sola vita.*

Nouum quidem ac mirum narrationis ordinem tenuit Moyses in antiquis Patriarchis describendis. Nam ante diluuium singulorum vitas ac mortes euulgauit: *Adam*, inquit, *vixit nongentos triginta annos, & mortuus est.* Genes. 5. n. 5. Seth eius filius nongentos duodecim, & mortuus est. Ibidem, num. 8. Enos eius nepos nongentos

quinqoe,& mortuus est.Ibid.n.1 r.Et sic de cæteris vsque ad diluuiū. Immò & post diluuium eodem modo de Noë loquutus est: *Impleti sunt*, inquit, *omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum,& mortuus est*. Genes.9.n.29. Nihilominùs, cùm ad Sem Noë primogenitum accessit, mutato stylo & narrationis ordine, vitam quidem describit; mortem verò prætermittit: *Vixit*, inquit, *Sem quingentis annis*. Genes.1 t.n.t r. Neque tamen addit: *Et mortuus est*. Quid, obsecro, aliorum Patriarcharum mortes narrantur; vnius tamen Sem prorsos tacetur? Ratio ad præsens institutum opportuna mihi videtur erui posse ex antiquis Hebræis, quos refert D.Hieronym. in epist. 126. ad Euagrium,& in Quæstionibus Hebraicis in Gen. & in c.41. Isaiæ, paulò post initium. Hi enim tradunt, Sem fuisse eundem atque Melchisedech Sacerdotē Dei altissimi; & vixisse vsqoe ad ætatem Abrahæ, eique de prælio reuertenti, panem & vinum obtulisse: immò fuisse illum fabrum ærarium, de quo loquitur Isaias citato cap.41.num.7. qui Abrahamum, vt loquitur D.Hier. *conflauit,& malleo sua artis ad meliora produxit: & confortauit eum in clauis praceptorum Domini; vt non moueretur, sed in timore illius permaneret*. Hinc igitur deducitur ratio. Nam, cùm Sem Sacerdos fuerit, obtulerítqoe panem & vinum, in typum Eucharistici conuiuij, non dicitur obiisse. Quasi typus ille panis, à morte eum liberarit: in symbolum sacrosanctæ Eucharistiæ; quam, qui suscipit, qui adorat, ac veneratur, non morietur in æternum. Facit ad hanc rem, quod sub Daoide contigisse narrat Scriptura. Grauissimam pestilentiam comminatus fuit Deus Israëlitis in tres dies duraturam: *Tribus*, inquit, *diebus erit pestilentia in terra*. 2.Reg.24. n.13. quæ tameo dimidiom diem vix expleuit; iuxta illud: *Immisit Dominus pestilentiam in Israël, de mane vsque ad tempus constitutum*. Ibid. n.15. seu, vt habent Septuaginta: *De mane vsque ad horam prandij*. Cur, quæso, pestilentia ad tres tres dies duratora, in primo sub horam prandij penitùs aboleuit? Alias de hac te in primo Tomo, Annot.16. Sect.2. rationes inculcaui. Illa est ad tem præsentem in sensu allegorico, Tempus prādij esse illud, in quo Eucharisticum coouiuium exhibetor; ante quod mors liberè & impunè sæuiebat: sed illo vitæ ferculo proposito, statim abiisse. Quæ enim morti cum vita conuentio esse poterat? Ita planè D. Cyril. Alex. lib.3. de adorat. *A mane*, inquit, *hoc est, A primis seculi temporibus mors depasta est eos, qui in terra erant: vsque ad horam prandij; hoc est, vsque ad mensa tempus: vbi enim aduenit nobis sancta mensa tempus, nimirum illius mystica, in qua vescimur pane illo cælitus dato, qua priùs terribilis erat, mors cessanit*. Sic igitur Eucharistia morti etiam corporali adoersatur; vt cùm illa apparet, hæc penitùs iugulatur.

Ratio, quia Sē fuit Melchisedech, qui panē & vinū obtulit, Eucharistia typum, D. Hier.

Apparente vita ferculo disparuit mors.

D. Cyr.

VIII. *Eucharistia spiritualis vita cōmunicatrix & cōseruatrix.* D. Thom. *Vtra gratia in Eucharistia confertur: primane, an secunda?* Suar.

Iam verò spiritualem vitam, hoc est, gratiam sanctificantem, in Eucharistia communicari certissimum est in fide: vt ex Scriptura, Conciliis & Patribus Theologi ostendunt cum D. Thoma 3.part.q.79. Solùm dubitabis, de qoa gratia hæc doctrina intelligatur, de primàne, an de secunda? Respondeo, de secunda, seu de augmento gratiæ, ad quod hoc Sacramentum per se institutum est: vt Scholastici Doctores communiter ostendunt. Addo nihilominùs, aliquando etiam primam gratiam in Eucharistia conferri; vt probabiliùs sentiunt Theologi, quos refert & sequitur Suar.tom.3. in 3.p. Disp.63. sect.1. Quia, licèt hoc Sacramentum per se non sit institutum ad primam gratiam conferendam, sed eam iam supponat, cùm sit Sacramentum viuorum: tamen iis, qui bona fide accedunt, existimantes se esse in gratia, & supernaturalem attritionem, quæ est sufficiens dispositio ad gratiam, præmittentes; probabilius est, primam gratiam conferri. Quod cùm cæteris Sacramentis commone sit, in hoc videtur peculiariter concedendum: quia in eo Christus, qui est fons vitæ, continetur. Vnde Eucharistiam vocat Apostolus, *Salutem animarum nostrarum*. 1. Petr.1. num.9. interprete D. Dionysio Areopagita lib. De ecclesiastica Hierarchia, c.t. Sic & Tertull. lib. De pudicitia, cap.18. vocat Eucharistiam *medicam*, quòd salutatem ægris mentibus conferat medicinam.

Eucharistia salus animarum. D. Dionys. Areop. Tertul. *Eucharistia medica.*

IX. *Ab Eucharistico cibo spiritualis vita consequitur.*

Sed his, quæ ad Scholasticos pertinent, omissis, res tota non disputando, sed illostrando breuitet concludatur. Ad hoc Sacramentum respiciens Dauid, *Edent pauperes*, inquit, *& saturabuntur*. Et statim: *Viuent corda eorum*. Psal.21. n. 27. Vtique vita spirituali gratiæ sanctificantis, qua ditabuntur. Quò pertinet illud Oseæ 14. num.8. *Viuent tritico*: seu, vt habent Septuaginta: *Inebriabuntur frumento*. Non quidem communi ac vulgari; nam hoc non inebriat: sed illo Eucharistico ac diuino, sobriam cælestis gratiæ ebrietatem inducente. Sic enim & Isaias c.55. n.1. inuitans sitientes ad aquas, subdit: *Emite, & comedite*. Vt ostendat, se non loqui de aquis elementaribus, quæ non comeduntur: sed de poculis Eucharisticis, quæ more ciborum, spirituali gratia mentes notriont ac sustentant. Non sine magno mysterio Prophetæ temporalem abundantiam promittentes, & Eucharisticam opulentiam significantes, frumentum & vinum cum oleo coniungebant. Nam Dauid Psal.4.n.8. *A fructu frumenti, vini & olei sui multiplicati sunt*. Ierem.c.31.n.12. *Confluent ad bona Domini super frumēto & vino & oleo*. Oseas c.2. num. 8. *Ego dedi ei frumentum & vinum & oleum*. Ioël c.2. num.19. *Ecce ego mittam vobis frumentum & vinum & oleum. Et replebimini in eis*. Et sic de cæteris. Quorsum verò Prophetæ, cum materia hoius Sacramenti, pane & vino, oleum, quod ab illa procul aberat, coniungebant? Sunt qui dicant, rationem fuisse, vt significarent ad Eucharisticum conuiuium nemini accedendum sine oleo Spiritus sancti; hoc est, sine diuina gratia priùs animum perungente & sanctificante. Sic Paschasius Abbas lib. De corpore & sanguine Domini, c.21. in 6. tomo Bibl. 2. editionis. Vbi notat, non fatuas virgines, qoæ non sompserunt oleum secum; sed prudentes, quæ acceperunt oleum in vasis suis: hoc est, non charitatis expertes; sed charitatis participes, ad cælestis Sponsi nuptias intrasse. Matth.25. à n.3. Et proinde neque ad hoc conuiuium corporis & sanguinis Domini intratoros, nisi qui prius charitatis oleo perfundantur: *Neque enim*, inquit, *caro & sanguis sine oleo Spiritus sancti prodest nobis; immo magis officit. Ideò quisquis rectè vult communicare: sic viuat, necesse est, vt templum Spiritus sancti semper esse queat*. Ita ille qoàm aptissimè. Sed, quia in citatis Scripturæ locis, priùs frumenti & vini, quàm olei mentio fit; videtur illud oleum, seu gratia per illud significata, non esse, quæ ad Eucharistiam antecedenter requiritur; sed quæ ex Eucharistia consequenter emanat. Nam, qui hoc pane & vino ritè perfruuntur; diuinæ charitatis oleo, quo spiritoalis vita nutritur, impinguantur. Immò iuges & perennes fiunt gratiæ fontes, qui ex hoc diuino Sacramento à dignè communicantibus hauriuntur.

Cū pane Eucharistia oleum gratia iungitur.

Paschasius.

X. Manna olim Hebræorum impinguabat corpora,

Manna impinguabat corpus, Eucharistia animam.

pota, non sanctificabat mentes; vt ex eo patet: quia *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus; & dereliquit Deũ factorem suum.* Deut.32.n.15. Pinguescebant corpora, sed mentes contabescebant. At verò Eucharistia corpore suscepta, animum pascit & saginat; iuxta illud Tert.lib. De Resurrectione carnis, c.8. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, vt & anima de Deo saginetur.* Nuptiali conuiuio Eucharistica mensa comparatur. Matth.22.n.2. Vt enim sponsa ab sponso, in illa celebritate nuptiali, multa suscipit pignora, torques, annulos, monilia, amoris pronuba: ita anima à Christo Domino in hoc thalamo multis spiritualium munerum diuitiis locupletatur. Vnde Tert.lib. De anima, cap. 41. *O beatum,* inquit, *connubium, si non admiserit adulterium!* Timendum enim est, ne spirituales dotes, quæ animæ in hoc connubio cõferuntur, subeunte adulterio, auferantur: & quæ cum sponso fideliter viuebat, cum adultero infeliciter occidatur.

Tert.
Mensa Eucharistica similis nuptiali, vbi multa dona conferuntur.

XI.
Dignè cõmunicantes spirituali gaudio abundãt.

Postquàm ad hoc cæleste conuiuium Sapiens inuitauit, dicens: *Comede in lætitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum.* Ecclesiast.9. num.7. subdidit: *Omni tempore sint vestimenta tua candida; & oleum de capite tuo non deficiat.* Ibidem, num.8. Vt significaret, spiritualem munditiam, in hoc diuino conuiuio susceptam, nũquàm ampliùs deserendam; sed perpetuò conseruandam: nunquàm perituram eam vitam, quæ tam puro victu sustentetur. Qui pane vitæ fruitur, nemo, nisi filius mortis, moritur. Vnde D. Ambrosius serm.18. in Psal.118. expendens illud Christi Domini: *Ego sum Panis vitæ.* Ioann.6.num. 35. *Quomodo,* inquit, *morietur, cui cibus vita est?* Et statim, mirabiles gratiæ effectus, qui ab hoc pane communicantur, ostensurus, *Accedite,* inquit, *ad eum, & satiamini; quia panis est. Accedite ad eum, & potate; quia fons est. Accedite ad eum, & illuminamini; quia lux est. Accedite ad eum, & liberamini; quia vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Accedite ad eum, & absoluimini; quia remissio peccatorum est.* En quam multi ab hoc vitæ principio, vitæ fructus oriantur.

D. Ambr.
A pane vitæ multiplex vitæ effectus procedit.

XII.
Calculus de altari Prophetam mundauit: Eucharistia communicantem.
Hel. Cret.

Vnus de Seraphim, qui stabant coram Domino, calculum forcipe tulit de altari, & intulit in os Isaiæ, dicens: *Ecce tetigi hoc labia tua; & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.* Isai.6. num.7. Huius calculi, seu carbonis nomine, vt legunt Septuaginta, intelligit Helias Cretensis in Orat. 1. Nazianz. sacrosanctum Christi corpus: vt enim carbo ab igni correptus, sic incenditur, vt totus ignis videatur: ita Christi corpus Verbo diuino hypostaticè vnitum, sic excellit, vt Diuinum appelletur. Si igitur ille calculus solo tactu Prophetam expurgauit, spiritualique vita ac gratia repleuit: quantò id vberiùs præstabit Christi corpus? *Cui Deus,* inquit Helias, *diuinitatis dotes per hypostaticam vnionem impertiuit; ita vt sanet, & vitam afferat, & peccata purget; quoniam rerum omnium effectoris, & viuifici Verbi proprium corpus extitit.* Et quia spiritualis vita gratiæ non solùm animas nostras animat & sanctificat; sed etiam à carnalibus actionibus temperat, excitátque ad spirituales: propterea omnes hi vitæ fructus & effectus sanctissimo Christi corpori, à quo vita spiritualis proficiscitur, debentur.

XIII.
D.Ambr.
In carne Christi spiritualis vita.

Vnde Ieremias, spiritum oris nostri Christum Dominum alloquutus, *In vmbra tua,* inquit, *viuemus in Gentibus.* Thren.4. n.20. Quem locum D.Ambr.serm.19.in Psal.118. expendens, *Vmbra tua,* inquit, *caro fuit, quæ nostrarum æstus refrigerauit cupiditatum, quæ compescuit insolentiam vitiorũ, quæ*

A *restinxit ignes libidinum, quæ auaritiæ diuersarúmque passionum incendia temperauit.* Et statim alludens ad vmbram D.Petri, ad quam omnes ægroti confugiebant: *Vt saltem vmbra illius obumbraret quenquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis.* Act.5.n.15. hinc optimũ deducens argumentum, *Et quid dicã,* inquit, *de vmbra Domini, quando Apostolorum vmbra sanabat?* Neque vmbratilis & otiosa vita est, quæ sub hac vmbra degitur; sed strenua & negotiosa. Vnde illud: *Conuertentur sedentes in vmbra eius, viuent tritico.* Oseæ 4.n.8. Vbi Chaldæus vertit: *Habitabunt in vmbra Christi sui.* Ne quis dubitaret, hunc locum de Christo intelligendum, & vmbræ nomine Christi carnem, vt D.Ambrosius exposuerat, interpretandam. Illud

Dulcis vita non vmbratilis, sub vmbra corporis Christi.

B autem, *Viuent tritico,* transferunt Septuaginta in Regiis: *Confortabuntur frumento:* vt significarent, vitam, quæ degitur sub hac vmbra, non esse vmbratilem ac desidem; sed fortẽ ac virilem. *Panem Angelorum,* inquit Dauid, *manducauit homo.* Ps.77. n.25. Ex Hebræo legit D.Hier. *Panem fortium,* seu, *robustorum.* Vt quanta ex hoc pane spiritualis fortitudo conferatur, demonstretur. Rursus Dauid, *Erit,* inquit, *firmamentum in terra in summis montium.* Psal.71.n.16. seu iuxta Paraphrastem, apud Burgensem: *Erit placenta in capitibus Sacerdotum.* Vbi panis Eucharisticus dicitur firmamentum, ob singularem, quam dignè recipientibus præstat, firmitatem, ad prauos appetitus coërcendos, & diabolicas vires superandas.

D. Hieron.
Panis Eucharisticus, panis fortiũ.

Eucharistia firmamentum ob singularẽ firmitatem, quã præstat.

XIV.
D.Bern.
Eucharistia roborat ad Diaboli tentamenta.

C Hinc Diuus Bernardus serm.in Cœna Domini, rectè docet, suos Monachos hoc Sacramento contra carnem ac Diabolum fortiter armatos esse: *Duo,* inquit, *illud Sacramentum operatur in vobis: vt, videlicet, & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omninò consensum.* Quasi hoc Sacramento muniti prauis appetitionibus ac tentationibus facilè aduersentur. Et statim monet, vt hanc fortitudinem diuino Sacramento acceptã referant: *Si quis vestrûm,* inquit, *non tam sæpè modò, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Quasi hoc vno Sacramento omnes

Huius Sacramenti virtus, quæ in nobis operatur.

D spirituales nequitiæ, & carnales concupiscentiæ penitùs sopiantur. Sic & Diuus Cyrillus Alexandrinus lib.4.in Ioan.cap.17. de hoc diuino Sacramento loquutus, *Non mortem solum,* inquit; *verùm etiam morbos omnes depellit. Sedat enim sæuientem membrorũ nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi extinguit, ægrotos curat, collisos redintegrat, & ab omni nos erigit casu.* Sed & Diuus Chrysostomus in Psalm. 22. num.5. ibi: *Parasti in conspectu meo mensam aduersùs eos, qui tribulant me:* rectè ostendit, quàm facilè in hac mensa omnes tribulationes carnis superentur: *Qui tribulationes,* inquit, *carnis habent, veniunt ad mensam potentis: & tribulationes fiunt consolationes.* Quasi in hac mensa cælestibus præsidiis firmẽtur, quibus aduersarias potestates demoliãtur.

D.Cyril.

D.Chrysost.

In hac mensa carnis tribulationes superantur.

XV.
D.Ambr.
Hæc mensa fortitudinem confert leoninam aduersùs Orcum.

E Certè Daniel illa sua in mensa epulatus, quæ huius figuram præferebat; adeò fortis erat, & strenuus, inquit D.Ambros.lib.2.Offic.c.4. *Vt inter leones fame exasperatos, nulla bestialis sæuitia formidine frangeretur.* Leo leonibus fortior generositatem leonina maiorem, conferente leone de Tribu Iuda, cuius illa mẽsa, corpus & sanguinem repræsentabat. Quòd si Daniel illo suo prandio roboratus leones contẽnebat: quisquis hoc cælesti conuiuio roboretur, vel ipsos Dæmones perterrebit. Vnde D.Chrys. homil.61. ad populum. *Tanquàm leones,* inquit, *ignẽ spirantes ab illa mensa*

D. Chrys.

recedamus facti Diabolo terribiles, &c. Quod idem Chryſ. hom. quadam ad Neophytos in 5. tom. luculentiùs expreſſit: *Cùm*, inquit, *te egredientem poſt conuiuium Dominicum viderit inimicus, poſt cæleſtes epulas, tanquam ignem leonis ore flammantem fugit, & deſerit omni vento velocior, nec approximare contendit: & cùm cruentam linguam tuam de longè ille crudelis proſpexerit; mihi crede, non ſtabit: & cùm os tuum ſenſerit rutilare, greſſum ſuum retrò cum timore torquebit.* Et illuſtrat exemplo Angeli percutientis primogenitos Ægypti, qui vbi videbat litum ſanguinem paſchalis Agni, formidabat, & à cæde abſtinebat. Exod. 12. num. 13. Vnde egregiè argomentatus D. Chryſoſtomus: *Si Angelus*, inquit, *ceſſit exemplo; quantò magis terrebitur inimicus, ſi ipſam perſpexerit veritatem?* Itaque, qui in hac menſa epulantur; non ſolùm ſpiritualem vitam hauriunt, ſed etiam ſpirituales vires, quibus aduerſùs ſpirituales hoſtes fortiter prælientur. Vnde populus Iſraëliticus, poſtquàm cæleſti pane refectus eſt, Exod. 16. à n. 14. & aqua de petra ſatiatus, Exod. 17. à n. 6. tunc primùm legitur ad bellum prouocatus. Sequitur enim: *Venit Amalech, & pugnabat contra Iſraël.* Ibid. n. 8. non permittente Deo, vt antequàm muniretur cæleſti prandio, in prælium prodiret, ne facilè vinceretur: munitum autem illo cæleſti cibo non dubitauit Deus in pugnam extrahere, facilè de hoſtibus triumphaturum, quem cæleſtis cibi præſidium confirmaſſet. Quem locum ſeq. Cap. Annot. 26. ad aliud inſtitutum illuſtrabo. Quòd ſi manna inuictum quodammodo ad pugnandum, Iſraëliticum populum reddebat; Euchariſtica menſa proculdubiò inuictum reddet populum Chriſtianum ad triumphandum.

Quanta ſit viloctas Dæmonum hanc menſam fugientis? D. Chryſ. Chriſti ſanguis Dæmonū terror. Cæleſti pane firmatus facilè triumphat de hoſtibus.

XVI. Tandem æternam vitam in Euchariſtia communicari frequens Chriſti Domini oraculum conuincit: *Qui manducat hunc Panem, viuet in æternū.* Ioan. 6. n. 58. Immò de præſenti: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* Ibid. n. 54. ſcilicet, in ſpe certiſſima, & pignore iam poſſeſſo futuræ gloriæ. Et ſic de aliis. Nec mirum, à Pane æternæ vitæ, vitam nobis æternam communicari. Vnde Diuus Cyrillus Alexandrinus libro 3. in Ioan. cap. 37. *Viuificat*, inquit, *corpus Chriſti, & ad incorruptionem ſua participatione reducit. Non enim alterius cuiuſdam, ſed ipſius vitæ corpus eſt: virtutem incarnati Verbi retinens, & plenum poteſtate illius, quo vniuerſa viuunt, & ſunt.* Mortem ab æternæ beatitudinis menſa procul exulare, nemo dubitat, iuxta illud: *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit.* Apocalyp. 21. num. 4. Morti autem in æternum exulanti, quid, niſi æterna vita ſuccedit: qua beati illi conoiuæ perfruuntur? Sed non minùs ab Euchariſtico conuiuio in æternum exilium amandatur mors: vt ibi à conuiuantibus æterna vita prælibetur. Vnde illud: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Iſai. 25. num. 6. Vbi Euchariſticum conuiuium & ab Auctoris diuinitate, & à ſublimitate loci, in quo fit, & à multitudine conuiuarum, & à lauritie ferculorum deſcribitur & commendatur. Additur verò ſtatim: *Præcipitabit mortem in ſempiternum.* Ibid. num. 8. vt vnde mors in ſempiternum detruditur; ibi vita in ſempiternum fruenda proponatur.

Cæleſtis panis vitā præbet æternam, etiam de præſenti. D. Cyril. Qui communicant incorruptibiles. Ab hac menſa mors æternùm exulat.

XVII. Populus Iſraëliticus, dum Angelorum Pane in deſerto paſceretur, Angelorum quodammodo agebat vitā, *ad inſtar æternitatis redactus*: vt loquitur Tertullianus aduerſùs Iudæos, c. 3. quem ad A finem ſuperioris Sectionis retulimus. Quid magis ergo præſtare potuit Panis Angelicus, quàm diuinus? Si ille quandam veluti æternitatem Iſraëlitico populo conferebat: cur hic æternam vitam non communicet Chriſtiano? Non improbabile iudicat Diuus Auguſtinus lib. 1. De peccatorum meritis & remiſſione, cap. 3. & lib. 1. contra aduerſarium legis, cap. 15. duos illos eximios Heroas, Henoc & Heliam, de ligno vitæ in Paradiſo, hodiéque ſuſtentari. Quo ex alimento adeò viuaces ac vegeti redduntur; vt à Tertull. De Reſurrectione, cap. 8. *Æternitatis Candidati* appellentur. Si igitur illud vitæ lignum æternitatis æmulos reddit: quid mirum, ſi hic Panis vitæ, æternitatis faciat poſſeſſores? Apoſtolos B vocat Diuus Hilarius in Matth. cap. 4. *Rerum cæleſtium Prædicatores, & æternitatis velut ſatores, immortalitatem omnibus corporibus, quibus eorum ſermo aſperſus fuerit, conferentes.* Si Prædicatores, & auditores verbi Dei ſic excellunt; vt illi æternitatem ferere, hi ſuſcipere dicantur: profectò, qui non modò docent ac diſcunt verbum Dei, ſed etiam corpus & animam ac diuinitatem Æterni Verbi in Euchariſtia ſuſcipiunt; totam in ſe æternitatem tranſtuliſſe videbuntur.

Tertul. Panis cæleſtis mortalibus confert æternitatem. D. Auguſt. Tert. Henoc & Helias de ligno vitæ paſti, æternitatis Candidati. D. Hilar. Apoſtoli æternitatē ſerunt, Chriſtiani metunt.

Iobum alloquutus eius amicus Eliu, *Requies*, inquit, *menſæ tuæ erit plena pinguedine.* Iob. 36. num. 16. Addunt Patres Græci in Catena, pinguedine *vitæ æternæ.* Quaſi illa Iobi menſa, quæ Euchariſticam repræſentabat, ipſius æternitatis C deliciis & pingueſceret, & ſuos conuiuas impinguaret. Quis ergo dubitet, Euchariſticam menſam in ea repræſentatam multò feliciùs, quàm illam, ipſius æternitatis deliciis repleri? Atqui, dicet aliquis: Illi Iobi menſæ omnes eius filij non tam accubuerunt, quàm occubuerunt; nec tam epulati, quàm ſepulti ſunt, tota domo magnis turbinibus concuſſa & labefacta. Iob. 2. num. 19. Quibus ergo æternæ vitæ deliciis pingueſcit illa menſa, quæ repentinæ mortis lacrymis amareſcit? Sed facilis eſt reſponſio: Iobi filios in ea menſa factos eſſe, non tam mortuos, quàm immortales. Id ex eo colliges, quòd cùm Deus poſt illas laborum Iliadas ac procellas bona omnia ſanctiſſimo Patriarchæ in duplum reſti- D tuerit; ſolos filios non duplicarit: ſed tot reddiderit, quot præfuerant: decem habuit, cap. 1. num. 2. decem repoſuit, capite vltimo, num. 13. Non aliam ob cauſam, vt tradunt Baſilius, Olympiod. aliique Patres in Catena Græca citati, niſi quòd priores illi filij *migrauerant, non perierant.* Si ergo in illa menſa, quæ hanc diuinam referebat, non contigit lapſus in mortem, ſed exceſſus ad immortalitatem: quis non credat, ab Euchariſtica menſa peregrinari mortem, vitam æternam deguſtari? Dicitur Chriſtus Dominus non immeritò in ſacris Literis, *Paſcua fidelium.* In quibus profectò paſcuis illi fructus oriantur, per quos vita æterna conferatur. Vnde ille character ב *Nun*, quo decimuſquartus octonarius E Pſalm. 118. prænotatur, idem eſt, interprete Diuo Ambroſio, quòd *Paſcua eorum*, ſcilicet, qui in Chriſtum credunt, eique ſeruiunt & obſequuntur. Et propterea Chriſtum Dominum quàm aptiſſimè repræſentabat. Rectè igitur Diuus Ambroſius ſerm. 14. in eum Pſalmum, *Quæ ſunt*, inquit, *paſcua fidelium, niſi Chriſtus? In cuius paſcuis ſe locatum Propheta teſtatus eſt, dicens: In loco paſcuæ ibi me collocauit.* Pſal. 22. num. 2. *Ipſe enim nos paſcit & reficit. Bona paſcua, diuina Sacramenta ſunt. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit reſurrectionis. Carpis lilium,* in

XVIII. Euchariſtica menſa æternitatis deliciis conuiuas æternos reddit. In hac menſa non lapſus ad mortē, ſed exceſſus ad immortalitatem datur. D. Baſil. Olymp. D. Ambr. Chriſtus paſcua fidelium. Flos reſurrectionis.

Lilium immortalitatis.

in quo sit splendor æternitatis. Carpis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem. Itaque in his pascuis, in quibus Christi fideles saginantur; non mortalitatis, sed æternitatis pabula colliguntur.

XIX.

Eucharistia non tantùm æternã vitã, sed propè diuinã tribuit.

Testem appello Melchisedech, qui, cùm illud panis & vini sacrificium obtulerit, Genes. 14. num. 28. dicitur non immeritò à Diuo Paulo; *Neque initium dierum, neque finem vitæ habens: assimilatus autem Filio Dei.* Hebræor. 7. num. 3. Quasi ab illo sacrificio vitam hauserit, non modò æternam, qua principium & finem viuendi excluserit; sed etiam diuinam, qua proximam cum Deo similitudinem expresserit. Sic enim, qui sacram Eucharistiam dignè suscipit, non modò æternam, sed etiam diuinam quodammodo vitam, eandem scilicet cum Christo Domino, sortitur, iuxta illud Christi Domini: *Sicut ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Ioann. 6. num. 57. Vt sicut Pater Filio suam communicat vitam: ita Christus suam Christiano eum ritè suscipienti. Vnde D. Dionysius Areopagita De ecclesiastica Hierarch. cap. 1. docet, Sacerdotem *in Deitatis consortium transire*: & cap. 2. communionem esse *Deificam*: & cap. 3. eos, qui dignè communicant, *per vitæ syncera ac diuina similitudinem Christo compaginari.* Felices igitur, qui hoc cibo perfruuntur: cuius vi à triplici morte liberati, triplici vita cumulantur; iuxta illud: *Misit Verbum suum, & sanauit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum.* Psal. 106. num. 20. Vbi sicut à pluribus mortibus erepti dicuntur: ita & pluribus vitis restituti; dum à diuino Verbo, non solùm per voces aures pulsante; sed etiam per suam substantiam corda nutriente, suscitantur. Ad hanc igitur mensam æternùm victuri accedamus: memores verborum D. Augustini, serm. 46. De verbis Domini: *Si tanto labore agitur, vt aliquantò plus viuatur; quantò agendum est, vt semper viuatur?* Nemo propter spem etiam incertam paulò diutiùs viuendi, amarissima pharmaca perhorrescit: quid ergo propter certissimam spem viuendi in æternum, suauissima Eucharistiæ fercula fastidit?

D. Dionys. Christus Dominus in Eucharistia nobis vitã suã cõmunicat. Sacerdos cõmunicans deifica, in Deitatis consortium transit.

D. August. Spem viuẽdi in æternum in Eucharistia quis non arripiat?

SECTIO III.

Mali in Eucharistia triplicem mortem incurrunt.

I.

Cur Christus Dominus nullam indignè communicantibus pœnam statuerit. Prima ratio. Secunda.

FAteor, Christum Dominum, neque cùm hoc Sacramentum promisit, Ioann. 6. num. 32. neque cùm instituit, Matthæi 26. à numer. 26. vllas minas, aut pœnas indignè communicantibus decreuisse. Ratio facilè potest inueniri. Vna, quia satiùs iudicabat in tantæ charitatis exhibitione, sola beneficia offerre, nulla supplicia commemorare. Altera, quia volebat omnes ad suum conuiuium allicere; neminem ab illo timidum ac pusillanimem deterrere. Tertia, vt significaret hoc sacrilegium adeò esse atrox, vt nemini deberet in memoriam venire, à nemine tanquàm possibile iudicari. Quo pacto Solon apud Athenienses, teste Marco Tullio pro Amerino, nullam statuit pœnam in parricidas: vt ostenderet, hoc facinus esse adeò infandum; vt ne in mentem quidem cuiquam mortalium venire debuisset. Quòd si talis culpa cogitari vt possibilis videri non debebat; quis, obsecro, debitam illi pœnam excogitabit? Certè Diuus Paulus grauissimas assignat: *Reus erit corporis & sanguinis Domini. Iudicium sibi manducat & bibit. Ideò*

Tertia.

Tullius.

inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. 1. Corinth. 11. num. 27. Quibus verbis triplicem mortem distinguit à male communicantibus incurrendam: temporalem; *Dormiunt multi*: spiritualem; *Reus erit corporis*: æternam; *Iudicium sibi manducat.* Singulas quàm breuissimè illustro.

Triplex mors indignè Eucharistiæ, temporalis, spiritualis, æterna.

II.

Morte in primis temporaria, qui sacram Eucharistiam indignè suscipiunt, plectuntur. Illud Apostoli citati, *Ideò inter vos multi infirmi*, &c. perinde est, ac si diceretur: Ideò inter vos multi periculosos morbos contrahunt, & immaturas mortes incurrunt; quia indignè ad Eucharistiam accedunt. Sic enim Diuus Chrysostomus, Theophylactus, Diuus Anselmus, & plores alij interpretantur. Quærunt aliqui rei medicæ curiosi exploratores, cur à quadragesimali ieiunio, & paschali celebritate, frequentiores ægritudines & mortes, vt plurimùm, subsequantur. Et causam naturalem adscribunt mutationi ciborum, tam in quantitate, quàm in qualitate, quæ sub id temporis fieri solet. Verùm Diuus Anselmus loco citato ad peculiarem diuinæ prouidentiæ rationem digreditur: *Adhuc*, inquit, *multi homines post Pascha variis infirmitatibus corripiuntur: quia corpus Redemptoris indignè susceperunt.* Vnde Guillelmus Durandus Episcopus Nimatensis in Rationali diuinorum Officiorum, lib. 6. cap. 10. refert, eam pestilentiam, quæ Romæ grassata est, tempore Pelagij Papæ, vsque ad Gregorium magnum, multáque hominum millia absumpsit, diuinitùs fuisse immissam, in pœnam eorum, qui post quadragesimalia ieiunia, & paschalem communionem ad pristina scelera redierunt. Morte enim plectendi erant, qui Eucharistia, quæ est germana vita, abutebantur. Quòd si post communionem peccantes sic puniuntur: quid, si in ipsa communione peccassent? Vnde Diuus Cyprianus sermone 5. De lapsis, loquutus de fœmina indignè communicante: *Non cibum*, inquit, *sed gladium sibi sumens; & velut quædam venena lethalia, palpitans & trepidans concidit: & quæ fefellerat hominem, Deum sensit vltorem.* Ita ille. Vbi plures euentus non absimiles enarrat. Et plurima apud alios occurrunt, quæ longum esset recensere.

D. Chrys. Theoph. D. Ansel. Qui indignè cõmunicant, immaturo funere rapiuntur.

Durandus. Non tam ob mutationem ciborum post quadragesimã, quam ob indignitatem ad Eucharistiã accedentium morbi contrahũtur.

D. Cypr. Non cibum, sed gladium, & venena lethalia sibi propinans.

III.

Peccãtes post Eucharistiã susceptam illicò puniuntur.

Nec desunt in sacris Literis huius punitionis symbola. Antequàm Israëlitæ de cœlo acciperent manna, murmurarunt quidem; sed nullas suæ murmurationis pœnas dederunt: immò potiùs ipsum manna à Deo impetrarunt: *Ecce ego*, inquit Dominus, *pluam vobis panes de cœlo.* Exod. 16. n. 4. At verò cùm suscepto iam manna epulabantur; quoties murmurabant, toties capitalia supplicia pendebant. Nam in primis, *ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore.* Numer. 11. num. 1. Sed quid Deus ad hæc? *Iratus est*, inquit Textus, *& accensus in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem.* Hoc est, interprete Oleastro, inferiorem, seu viliorem, in qua promiscuum vulgus Ægyptiorum, qui cum Hebræis de Ægypto exierat, residebat. Neque enim Principes; sed vulgares homines, quorum hoc est proprium ingenium, videntur obmurmurasse. Quamuis Rabbi Salomon apud Lyranum, superiorem ac sublimiorem castrorum partem interpretetur, nempe, Duces ac Principes; non tam, quòd ipsi murmurarint, quàm quòd murmurantes non represserint. Quod interim non disputo; certus de pœna, quæ sola ad nostrum facit institutum. Rursum, cùm acceptum manna fastidientes dixerũt: *Quis dabit nobis ad vescendum*

Oleast.

Murmuratio, nõ Principum est, sed vulgarium.

Rab.

Qui murmurantes non reprimunt, puniuntur.

carnes? &c. Num. 11. num. 15. Acceperunt quidem, quod postularunt: sed plane suo malo. Sequitur enim: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis.* Ibidem, n. 33. Tandem, cùm tentati, nescio qua nausea, exclamarunt: *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Num. 21. num. 5. Ecce tibi diuina de cælo vltio. Nam *misit Dominus in populum ignitos serpentes,* qui miseros homines lacerarent. Ibid. num. 6. Sed hinc existit quæstio dignissima exploratu. Cur murmuratores, antequàm manna acciperent, pœnas non dabant: qui tamen post acceptum manna lethaliter verberabantur? Respondet D. Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in Ioan. cap. 34. *Hac,* inquit, *vt mihi videtur causa est. Nam, quoniam nuper ab Ægypto effugerint, panémque cælestem, qui cor hominis corroborat, adhuc non receperint, facilius poterant in cupiditates carnis incidere: propterea & venia digni visi sunt. Postea verò quam Domino fruebantur, vt scribitur: tunc iure acerba dederunt supplicia.* Si igitur, qui manna gustarunt, veniam non merentur, cùm peccant; sed repentinis mortibus subiiciuntur: quam, obsecro, veniam merebuntur, qui inter Eucharisticas delicias in peccatorum cœno volutantur? Mille subeant mortes, debitas pœnas non exæquabunt.

Supplicii Israelis varia confirmatur exemplis.

D. Cyrill.

Qui post Eucharistiam peccant, venia indigni.

IV. Mitto plurimas pœnas capitales, quæ sancta indignè tractantibus in veteri Testamento decernuntur. Exod. 30. num. 20. Leuit. 22. num. 3. Num. 3. num. 10. & passim alibi: quibus pœnis illæ repræsentantur, quæ indignè communicantibus debentur. Quod Diuus Basilius lib. de Baptismo, cap. 3. expendens: *Si tales,* inquit, *minæ aduersus eos positæ sunt, qui temerè ad ea sacra accedunt, quæ ab hominibus sanctificantur? quid dicendum est de eo, qui in tantum ac tale mysterium temerarius est. Quantò enim Deus maior est templo,* Matthæi 23. num. 17. *tantò grauius & terribilius est, corpus Christi temerè contingere, quàm fit, accedere ad arietes, vel tauros.* Quin etiam in nouo Testamento extat supplicium capitale eorum, qui indignè sacrificarunt. Vnde quidam dicuntur Christo Domino nuntiasse *de Galilæis illis, quorum sanguinem Pilatus miscuit cum sacrificiis eorum.* Lucæ 13. num. 1. Hoc est, in quos irruit Pilatus, vt sanguis victimarum, sanguine malè sacrificantium expiaretur. *Hac autem pœna,* inquit D. Ambrosius ad eum locum, *figura quadam videtur eos tangens, qui coactu diabolico non purè offerunt sacrificium.* Nam, si vel iniquus Iudex non reliquit impunitos eos, qui irrationales pecudes indignè sacrificabant: quo pacto æternus Iudex, eos, qui sacrosanctum Christi Domini corpus indignè suscipiunt, impunè abire patietur? Et quidem, si homicidium, & in lege, & in Euangelio morte punitur. Genes. 9. num. 6. Matth. 26. num. 52. Apocalyp. 13. num. 10. quibus mortibus dignum est, vt puniatur Deicidium? quale committunt indignè communicantes: vt statim dicam.

Si sacra indignè tractantes puniuntur, multò magis sacram Eucharistiam.

D. Basil.

Pœna indignè sacrificantium.

D. Ambr.

Si homicidii morte punitur, quantò magis Deicidium.

V. Iam verò mortem spiritualem infelicissimè incurrere eos, qui ad sacram Eucharistiam indignè accedunt, quis ignorat? Rem hoc vno illustro argumento. Homicidæ, & à fortiori Deicidæ, mortem incurrunt spiritualem: sed, qui Eucharistiam indignè suscipiunt, non solùm homicidæ sunt, sed etiam Deicidæ: ergo, &c. Prima illa propositio inde potest illustrari: quia homicida non minùs sui, quàm aliorum occisores in sacris Literis censentur: quòd sibi spiritualem vitam eripiant; aliis temporalem. Vnde de Caino fratrem

Indignè communicantes sunt Deicidæ.

Homicida, sui etiam homicida sunt, animus.

A suum Abelem occidente, quærit Diuus Chrysostomus hom. 8. in Epistolam ad Romanos: vter eorum potiùs occisus dici debeat: *Trucidauit,* inquit, *Cain, trucidatus est Abel: vter igitur mortuus erat? Is, qui post mortem clamabat: an qui, dum viueret, timidus trepidúsque erat? Hic enim, hic, quouis mortuo miserabilior erat.* Et rursus idem Chrysostomus hom. 19. in Genes. de iisdem fratribus loquutus: *Quis est,* inquit, *qui mala patitur, occidens, an occisus? Manifestum, quòd occidens. Nam occisus vsque ad nostra tempora in ore omnium decantatur, & prædicatur, & coronatur; vt veritatis primus testis: sed, qui occidebat, etiam tunc vitam agebat miserabiliorem, quàm vllus homo.* Esaü fratris sui Iacobi homicida fuit, si non effectu, saltem affectu,
B dicens: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Genes. 27. num. 41. Sed Rebecca periculo obuiam itura. *Cur,* inquit, *vtroque orbabor filio in vno die?* Ibidem, num. 45. Vno tantùm occiso orbanda videbatur: & nihilominùs vtroque dicit. *Altero quidem,* vt Caietanus interpretatur; *quia occidetur: altero; quia non erit mihi vsui occisor.* Quasi non minùs mortuum iudicaret occisorem, quàm occisum; hunc temporali tantùm, illum etiam spirituali vita denudatum. Absalon fratrem suum Amnonem inter epulas occidit. 2. Reg. 13. à num. 28. Sed non minùs ipse cædendo, quam frater cadendo mortuus iudicatur. Vnde Saluianus lib. 2. De prouidentia Dei, de illorum parente Dauide loquutus: *Nesciat,*
C inquit, *quem de filiis duobus tam bonus pater potissimum amiserit: illum, qui manu fratris occisus est in hoc seculo, an illum, qui sua periit in futurum.* Itaque homicida non minùs sui, quàm alterius occisor reputatur; dum alterum temporali vita spoliat, se ipsum spirituali. Quid ergo Deicida? quanto maiori iure mortuis adscribetur.

D. Chrysost.

Caino occiso Abelis, magis occisus, quam Abel.

Non minùs mortuus occisor Esau, quàm occisus Iacob.

Caiet.

Salu.

Alio confirmatur exemplo Absalonis & Amnonis.

VI. Altera propositio, eos, qui Eucharistiam indignè suscipiunt, non solùm homicidas, sed etiam Deicidas esse, facilè suadetur ex Diuo Paolo: *Quicunque manducauerit Panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* 1. Cor. 11. num. 27. vbi Theodor. *Hoc,* inquit, *significat, quòd quemadmodum tradidit ipsum*
D *Iudas; ipsi autem insultarunt, & eum probris, & contumeliis affecerunt Iudæi: ita, eum ignominia & dedecore afficiunt, qui sanctissimum eius corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum & incestum os immittunt.* Concinit Diuus Chrysostomus homil. 60. ad populum: *Considera,* inquit, *quantùm aduersus proditorem indignaris, & contra eos, qui crucifixerunt. Itaque considera, ne tu quoque sis reus corporis & sanguinis Christi. Illi sanctissimum corpus iugularunt: tu verò polluta suscipis anima post tot beneficia.* Quasi diceret: Si indignè suscepisti, non minùs tu, quàm ille Christum Dominum in crucem sustulisti. Nec immeritò. Nam, si illi, qui Baptismo abutuntur, grauissimè peccant, iuxta Diuum Paulum: *Rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Hebr. 6. num. 6. Hoc est, omnibus illudendum & irridendum proponentes. Quid mi-
E rum, si Christum crucifigere dicantur, qui non solùm Baptismum, in quo Christi efficacia reperitur; sed etiam Eucharistiam, in qua Christi præsentia continetur, indignè tractant?

Mali in Eucharistia Iudas, & Iudæi pares.

Theod.

D. Chryf.

Peior Iudæis, qui polluto corde, post tot beneficia Dei suscipit.

VII. Immò Tertullianus lib. De idololatria, cap. 7. peiores quodammodo existimat, indignos Christi Domini susceptores, quàm vel ipsos crucifixores: nam hi semel, illi quotidie crucifigunt. *Proh scelus!* inquit, *semel Iudæi Christo manus intulerunt: isti quotidie corpus eius lacessunt. O manus præcidendæ! Viderint iam, an per similitudinem dictum sit,*

Tertul.

Qui pollutus Deû suscipit, peior crucifixoribus.

sit, si te manus tua scandalizat, amputa eam. Quæ magis amputanda, quàm in quibus Domini corpus scandalizatur. Vbi obitèr nota quàm dignum supplicium sit, vt manibus truncetur, qui impuris manibus Christum Dominum attingit.

VIII. Diuus Augustinus libro primo de sermone Domini in monte, c. 38. in 4. tomo, refert homini, qui Thomæ Apostolo alapam impegerat, vitam à leone ereptam, & manum à cane præcisam, mordicúsque apprehensam, in domum, vbi Apostolus conuiuabatur, illatam; testem diuinæ vltionis, omnibus, qui aderant, futuram. Quid minus supplicij meretur, qui Christum Dominum in Eucharistia sacrilegis manibus non tam suscipit, quàm occidit? Dignus profectò, qui à leone occidatur. Nam, si Prophetam de Iuda, panem in Samaria contra præceptum diuinum comedentem, leo occidit. 3. Regum 13. num. 24. hominem sacram Eucharistiam sacrilega manu tangentem, & sacrilego ore deuorantem, quis neget, dignum esse, qui à leonibus discerpatur; immò & a canibus deuoretur? Sic enim refert Optatus Mileuitanus discerptos ac deuoratos à canibus fuisse quosdam Hæreticos, qui sacram Eucharistiam canibus deuorandam obiecerunt. Canes enim obiectam Eucharistiam venerantes, ipsos proiectores, & dilacerarunt, & deuorarunt.

D. Aug. Iniuria Apostolo illata à Deo punitur.

Sacrilegus in Eucharistia grauibus pœnis dignus.

IX. Itaque malè communicantes, Christum Dominum iterum crucifigunt. Si igitur homicidæ morte puniuntur, quibus mortibus punientur Deicidæ? Rectè mihi videtur Diuus Paulus in C hanc rem argumentatus à minori, cùm antiquæ legis violatorem, & contemptorem huius Sacramenti inter se ipsos comparauit: *Irritam*, inquit, *quis faciens legem Moysi; sine vlla miseratione, duobus, vel tribus testibus moritur: quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit?* Hebr. 10. à num. 8. Vbi Theodoretus aduertit, non opponi legem veterem legi nouæ; sed Filio Dei, & Christi sanguini, quia in hoc tota legis nouæ perfectio continetur. Si igitur violator illius legis temporariæ & imperfectæ, sine vlla miseratione occiditur: quas mortes æquum est, vt patiatur violator noui & æterni Testamenti, in sanguine Christi: quem sine dubio conculcat, quisquis D indignè ad hoc sacrificium accedit? Vt Diuus Chrysostomus ibi latè interpretatur.

Legis veteris supplicia non legi nouæ, sed Christo Domino opponuntur.

Tota legis perfectio in Christo Domino continetur.

X. Quin etiam addit Diuus Chrysostomus homil. 60. ad populum, hos indignos Eucharistiæ susceptores, non solùm Christi Domini corpus & sanguinem conculcare, iuxta Apostolum: sed etiam energumenis deteriores esse: *Dicam*, inquit, *aliquid terribilius. Non tam graue est, energumenos intus esse, quàm istos. Dæmonium enim patiens peior est, qui postquàm peccauit, accedit.* Et ratio mihi videtur aperta: quia Diabolus Christum timet & fugit; iste præsumptuosus contemnit, & temerarius inuadit. Grauiter olim puniebatur homo profanus, qui comedebat de sanctificatis per ignorantiam. Leuitic. 22. n. 24. Quod expendens Diuus Hieronymus libro primo aduersùs Pelagianos, sub E finem: *Si damnatur*, inquit, *in lege ignorantia, quantò magis in Euangelio conscientia?* Quibus ergo mortibus expiari debent sacrilegia eorum, qui prudentes & scientes, quanta in hoc mysterio diuinitas includatur, illotis manibus ac mentibus irrumpunt? Morte quidem morientur: spiritualem incurrunt, in æternam destinandi. Quod breuiter perstringo.

D. Chrys. Eucharistia indigni, energumenis deteriores.

A

XI. Tandem malè communicantes mortem æternam subituros, palàm testatur Apostolus: *Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit.* 1. Corinth. 11. n. 29. hoc est, æternam damnationem. Id enim significat iudicium: *Procedent, qui malè egerunt in resurrectionem iudicij.* Ioan. 5. num. 29. *Qui conturbat vos, portabit iudicium.* Gal. 5. num. 10. Et passim alibi. Igitur ab hac mensa, vbi æterna vita dignè communicantibus propo- B nitur, in æternam mortem malè communicantes delabuntur. Pistor ille Pharaonis, inter somniandum farinam & cibos regios super caput suum sibi portare videbatur. Gen. 40. num. 17. Sed quid ei regia fercula profuerunt? Nam tertium post diem, à natalitio conuiuio, quod Pharao celebrabat, ad patibulum damnatur. Ibidem, num. 22. Sisara lactis poculo ex diuturna fatigatione reficitur. Iudic. 4. num 19. Sed refectus & consopitus, trabali clauo configitur: *Qui soporem morti socians defecit & mortuus est.* Ibidem, n. 21. Neque potuit lactis dulcedine mortis amaritudinem declinare. Isboseth inter spicas triticeas, saturitatis & abundantiæ præsagia, occiditur. 2. Regum 4. n. 6. Et vbi felicitatis indicium habere potuit; habuit infelicitatis præcipitium.

Indigni in mortem incurrunt æternam.

XII. Aman in Assueri conuiuio, Regis ac Reginæ *hostis & inimicus pessimus* declaratus, *illicò obstupuit; vultum Regis ac Reginæ ferre non sustinens.* Esth. 7. n. 6. Et paulò pòst, conuiuium cum patibulo, infeliciter suspensus, commutauit. Ibidem, n. 10. Tandem miser ille conuiua, qui non habens vestem nuptialem ad Æterni Regis conuiuium intrauit, *Ligatis manibus & pedibus* mistus est *in tenebras exteriores.* Matth. 22. num. 13. In quibus omnibus euentibus illi significantur, qui ab Eucharistica mensa, cui indignè accubuerunt, in æternam gehennam detruduntur, quin ab illo cælesti conuiuio vllum præsidium mutuentur. Quare, cùm in extremo Iudicio à supremo Iudice audierint: *Nescio vos, unde sitis:* dicere incipient, vt se illi notos faciant: *Manducauimus coram te, & bibimus:* einsdem tecum mensæ socios non ignores: in tua tecum mensa conuiuati sumus; immò & de tuo corpore ac sanguine saginati. Quid igitur illos nescias, quos tam amicum in hospitium suscepisti, ac tam familiarem in societatem cooptasti? Et nihilominùs eandem vocem rursus audient: *Nescio vos, unde sitis:* immò & illam seueriorem: *Discedite à me, omnes operarij iniquitatis.* Lucæ 13. num. 26. & 27. Vt vbi æternam vitam habere poterant: ibi in æternam mortem præcipitentur. Optima igitur illa est Diui Augustini admonitio serm. 1. De tempore: *Mutet vitam, qui vult accipere vitam. Nam, si non mutet vitam; ad iudicium accipiet vitam: & magis ex ipsa corrumpitur, quàm sanatur; magis occiditur, quàm viuificatur.* Atque hæc de toto Capite sexto. Iam ad septimum accedamus.

Variis firmatur exemplis.

Indigni in Iudicio à Christo Domino nesciuntur.

D. Aug. Qui vitam vult in Eucharistia, vitam mutet.

LIBER PRIMVS
REGVM.

CAPVT SEPTIMVM.

1. VENERVNT ergo viri Cariathiarim,& reduxerunt Arcam Domini,& intu-
lerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium eius
sanctificauerunt,vt custodiret Arcam Domini.
2. Et factum est, ex qua die mansit Arca Domini in Cariathiarim, multi-
plicati sunt dies(erat quippe iam annus vigesimus)& requieuit omnis domus Israël post
Dominum.
3. Ait autem Samuel ad vniuersam domum Israël,dicens: Si in toto corde vestro reuerti-
mini ad Dominum,auferte deos alienos de medio vestri,Baalim & Astaroth:& præpa-
rate corda vestra Domino,& seruite ei soli,& eruet vos de manu Philisthiim.
4. Abstulerunt ergo filij Israël Baalim & Astaroth,& seruierunt Domino soli.
5. Dixit autem Samuel: Congregate vniuersum Israël in Masphath,vt orem pro vobis Do-
minum.
6. Et conuenerunt in Masphath: hauserúntque aquam, & effuderunt in conspectu Do-
mini,& ieiunauerunt in die illa,atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Iudicauítque
Samuel filios Israël in Masphath.
7. Et audierunt Philisthiim, quòd congregati essent filij Israël in Masphath, & ascen-
derunt Satrapæ Philisthinorum ad Israël. Quod cùm audissent filij Israël,timuerunt à
facie Philisthinorum.
8. Dixerúntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum no-
strum,vt saluet nos de manu Philisthinorum.
9. Tulit autem Samuel agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum
Domino:& clamauit Samuel ad Dominum pro Israël,& exaudiuit eum Dominus.
10. Factum est autem,cùm Samuel offerret holocaustum,Philisthiim iniere prælium con-
tra Israël:intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim,& exter-
ruit eos,& cæsi sunt à filiis Israël.
11. Egressíque viri Israël de Masphath persecuti sunt Philisthæos,& percusserunt eos vs-
que ad locum,qui erat subter Bethchar.
12. Tulit autem Samuel lapidem vnum, & posuit eum inter Masphath, & inter Sen: &
vocauit nomen loci illius,Lapis adiutorij:dixítque: Hucusque auxiliatus est nobis Do-
minus.
13. Et humiliati sunt Philisthiim, nec apposuerunt vltrà, vt venirent in terminos Israël.
Facta est itaque manus Domini super Philisthæos,cunctis diebus Samuelis.
14. Et redditæ sunt vrbes, quas tulerant Philisthiim ab Israël, Israëli, ab Accaron vsque
Geth,& terminos suos: liberauítque Israël de manu Philisthinorum: erátque pax inter
Israël & Amorrhæum.
15. Iudicabat quoque Samuel Israëlem cunctis diebus vitæ suæ.
16. Et ibat per singulos annos circuiens Bethel,& Galgala,& Masphath,& iudicabat Israë-
lem in supradictis locis.
17. Reuertebatúrque in Ramatha: ibi enim erat domus eius,& ibi iudicabat Israëlem:ædi-
ficauit etiam ibi altare Domino.



CAPITIS SEPTIMI

ARGVMENTVM.

Totum Caput duas diuiditur in partes.



Hactenvs dictum est de calamitate populi Israëlitici propter peccata Heli & filiorum eius. Deinceps dicendum de felicitate eiusdem propter merita Samuelis. In duas igitur partes diuido hoc caput. In priori describitur temporalis & spiritualis felicitas totius populi, consequuta ex Arcæ reductione, & introductione in domum Abinadab. In posteriori hæc felicitas, vt in rebus humanis fieri solet, à Philisthinis acriter tentatur & oppugnatur: sed à Samuele feliciter sustentatur & propugnatur. Vtraque pars explicabitur ad Literam, & illustrabitur ad mores.

Num. I. Venerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt Arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa: Eleazarum autem filium eius sanctificauerunt, vt custodiret Arcam Domini.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. V*Enerunt ergo*, &c. Cariathiarim fuit olim vrbs Gabaonitarum; vt patet Iosue 9. num. 17. posteà cessit in sortem Iudæ: vt patet Iosuë 15. n. 9. quæ etiam ibidem, num. 60. dicebatur Cariathbaal, & iterum Ios. 18. num. 14. Non procul aberat à Bethsames, vt Iosephus 6. Antiq. c. 1. testatur: quinque millia distare expressit Burchardus apud Masium in secundum locum Iosuë citatum. Auctor Quæst. Heb. in Paral. non procul ab initio, eandem facit cum Hebron, seu Cariatharbe, de qua Iosuë 14. num. 14. sermo est, & quæ interpretatur *Ciuitas quatuor*; nempe, Patriarcharum, qui in ea sepulti dicebantur; nimirum, Adam & Eua, Abraham & Sara, Isaac & Rebecca, Iacob & Lia, vt ibi refert Lyran. Vnde Caleb loco Iosuë proximè citato, in laborum suorum præmium, eam vrbem incolendam à Iosuë postulabat: fortè, vt ibi feliciter habitaret, vbi tam sancti Patriarchæ feliciter sepelirentur. Immò & Dauid diuino oraculo admonitus, in ea vrbe suum regnum inchoauit. 2. Regum 2. n. 2. fortasse, vt veterum Patriarcharum mortem recordatus, regia potestate moderatiùs vteretur, tanquàm & ipse moriturus. Iuxta hanc sententiam mystica ratio potest assignari, cur Arca in hanc vrbem introducatur: nempe, vt à Philisthinis pulsa, & à Bethsamitis contempta inter sanctorum Patriarcharum ossa conquiescat: & vt Israëlitæ eam vrbem religionis causa frequentantes, veterum Patriarcharum, & vitam imitari, & mortem præstolari admoneantur.

Qua fuerit vrbs Cariathiarim. Ioseph. Burch.

Cariathiarim an sit Cariatharbe, id est, Ciuitas quatuor, ob Patriarchas ibi sepultos. Lyra.

Mortis recordatio & Regē & regnum moderatur.

Ideò Arca in hanc vrbem ducitur, vt inter sanctos Patriarchas religiosius coleretur.

II. Nihilominùs Eusebius de locis Hebraïcis, seu Latinus eius Interpres D. Hieronymus, vtranque vrbem distinguunt. Interpretatur verò Cariathiarim, *Ciuitas syluarum*. Iosuë 15. n. 9. & 60. à vicino monte Iarim, syluarum feracissimo. Quo etiam ex nomine aptissima quidem fuit, ad Arcam suo hospitio suscipiendam: vt ex dicendis paulò inferiùs patebit. In hac vrbe natus fuit Propheta

Euseb.

Vrbis Cariathiarim etymon.

A Vrias. Ierem. 26. num. 20. quem aduersùs Ierosolymæ peccata prophetantem Rex Ioachim *percussit gladio; & proiecit cadauer eius in sepulcris vulgi ignobilis.* Ibidem, num. 23. Fortasse non sine magno mysterio: vt palàm esset, veritatem à Regibus ac Principibus repulsam, à vulgaribus ac ignobilibus viris amplectendam. Igitur viri, seu, interprete Carthusiano, Principes Cariathiarim à Bethsamitis vocati præstò affuerunt: bene secum actum existimantes, si Arcam Dei apud se habere permitterentur: qua nihil apud Hebræos gloriosius ac diuinius censebatur.

Veritas à Regibus repulsam patitur, à plebeiis amplectitur.

III. *Et reduxerunt Arcam Domini*, &c. Verbum reducendi non significat hoc loco iteratam vecturam: nunquàm enim anteà in hanc vrbem Arca B introducta fuerat. Quo pacto verbum retribuendi non semper significat repetitam donationem: vt, cùm Deus, à quo omnia bona primò conferuntur, dicitur retribuere: *Retribue seruo tuo* Psal. 118. n. 17. Et passim alibi. Significat igitur vecturam quandam laboriosam, per viam arduam & accliuem: vt patet ex fonte, vbi est: *Et ascendere fecerunt Arcam Domini.* Nam Cariathiarim altior erat, quàm Bethsames: hæc enim in valle sita erat, vt ex dictis patet; illa in colle, vt patebit ex dicendis. Vnde à Bethsames in Cariathiarim ascendebatur. Tria sunt hoc loco breuiter expedienda.

Verbum reducendi significat vecturam Arcæ laboriosam.

Tria hoc loco explicanda proponuntur.

IV. Primò enim quæret aliquis: Cur tam citò ac promptè venerint Cariathiaritæ, ad exportandam Arcam in suam vrbem: nec ex accessu ad illam, ti- C muerint eandem plagam, quam Bethsamitę pertulerunt? Dicet aliquis: Quia Bethsamitarum plagam ignorabant. Sed hoc vix credi potest, cùm ob plagæ magnitudinem, tum ob locorum vicinitatem. Potiùs igitur respondeo cum Abulensi: quia sciebant illam plagam non propter Arcam, sed propter irreuerentiam in Arcam contigisse. Vnde, cùm irreuerentiam præcauerent, quamuis ad Arcam accederent, non timebant: irreuerentiam verò omnem diligenter amouerunt; quia, vt sentit Carthusianus, Sacerdotes, seu Leuitæ Arcam suis tectam inuolucris inter humeros exportarunt.

Ideò Cariathiaritæ festinarunt, vt irreuerentiam præcauerent.

Abul.

Carth.

V. Qua in re Cariathiaritæ exemplo esse possunt Christianis stultè timidis, qui videntes plagas in- D dignè communicantium, fugiunt Eucharistiam; cùm tamen illæ plagæ, non tam ab Eucharistia, quàm ab irreuerentia in Eucharistiam oriantur: vnde hanc irreuerentiam fugere; Eucharistiam verò frequentare debuissent. Alioqui poterunt comparari illi pigro, de quo Salomon, *Abscondit*, inquit, *piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam.* Prouerb. 19. num. 24. Nam, sicut hic mauult perire fame, quàm mouere manum: ita illi malunt perdere vitam spiritualem ac diuinam, quæ est in Eucharistia; quàm propriam conscientiam ad eam dignè recipiendam expurgare: causati, nescio quos, metus vanos & intempestiuos. Sic enim apud Salomonem: *Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendus sum.* Prou. E 22. n. 13. Et iterum: *Leo est in via, leæna in itineribus.* Quo metu perculsus exire non audet: sed, *Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo.* Prou. 26. n. 13. Atque adeò fugiens Eucharistiam, fontem vitæ; à se ipso occiditur metuens, ne à leone, quem facilè posset euitare, occidatur.

Supplicia non ab Eucharistia, sed ab irreuerentia in Eucharistiam oriuntur.

Malus manult perdere vitam spiritualem, quàm conscientiam expurgare.

Malus vnde vitam sperabat, ibi mortē inuenit.

VI. Qui verò debitam cum diuina gratia adhibet reuerentiam, Cariathiaritas imitetur, accedat ad Arcam, Eucharistiam frequentet; nec vana formidine terreatur: vt egregiè monet Abbas Theonas apud Cassianum, collat. 23. capite 21. *Non debemus*, inquit, *nos à Dominica communione suspendere*;

Theonas.

Non debet metus nos ab Eucharistia deterrere.

Satius est frequenter accedere cum humilitate, quàm carò cum præsumptione.

A *pendere; quia nos agnoscimus peccatores: sed ad eam magis ac magis propter animæ medicinam, & purificationem spiritus auidè festinandum est. Verumtamen ea humilitate mentis, ac fide, vt indignos nos perceptione tantæ gratiæ indicantes, remedia potiùs nostris vulneribus expetamus.* Sic ille. Vbi vlteriùs aduertit, satius esse frequenter accedere cum humilitate, confitentes nos ad tantum conuiuium imparatos aduenire, quàm rarò, cum præsumptione, existimantes nos iam satis paratos esse, vt tanto bono perfruamur. De qua re consule Salmeronem tom. 9. tract. 41. & 42. latissimè disserentem.

VII.
Errant qui propter Monachorum ruinas Religionem detestantur.
D. Aug.

Ex eodem Cariathiaritarum facto improbantur illorum consilia, qui videntes aliquorum in Religione viuentium ruinas, Religionem detestantur: cùm tamen non propterea Religio detestanda sit, sed illa Religiosorum ignauia præcauenda. Vnde D. Aug. epist. 137. de hac re grauissimè loquutus, concludit: *Nolite*, inquit, *propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari; vnde apotheca Dominica fructu olei luminosioris implentur.* Quasi diceret: Fugite quidem vitia eorum, qui Religione abutuntur: ipsam nihilominùs Religionem, ex qua tam vberes fructus proueniunt, colite & obseruare. Sic enim & Cariathiaritæ videntes plagas Bethsamitarum; ab irreuerentia quidem in Arcam abstinuerunt: sed ad ipsam Arcam venerabundi conuolarunt. Atque adeò eas plagas ab irreuerentia potiùs, quàm ab Arca profectas facile effugerunt.

VIII.
Samuelem deportationi Arcæ interfuisse probabilius.

C . Secundò quæret aliquis: An Samuel in hac deportatione Arcæ interfuerit, & an præiuerit saltando, quemadmodum Dauid, 2. Reg. 6. n. 13. totis viribus ante Arcam saltauit? Ego quidem non dubito interfuisse: erat enim Princeps illius populi à primis annis Religioni deditissimus, qui cæteris proculdubiò ad diuinum cultum anteiret: præsertim, cùm verosimile sit, hanc Arcæ translationem publica auctoritate factam esse, ex communi consilio Pontificis Achitobi, & Iudicis Samuelis, & Principum ac seniorum totius populi; & fortasse, Deo priùs consulto, & diuino oraculo accepto. Quod facilè credi potest: tum ex grauitate rei, quæ non debuit temerè definiri, & exequutioni mandari: tum ex felicitate successus, qui proinde videtur, prudentissimo consilio humano, D immò & oraculo diuino tribuendus. Non dubito igitur interfuisse Samuelem: saltasse tamen non affirmo. Immò D. Ambr. lib. 1. Offic. c. 43. expressè negat: *Saltauit*, inquit, *ante Arcam Domini Dauid, non saltauit Samuel, nec ideò ille* (id est, Samuel) *reprehensus: sed magis iste.* (id est, Dauid) *laudatus.* Vbi probat, diuersas actiones diuersis temporibus congruere: easque, quamuis inter se contrariæ videantur, si res ipsa spectetur; tamen, si spiritus, quo fiunt, attendatur, inter se maximè conuenire.

D. Ambr.
Non saltasse ante Arcam probatur ex D. Ambr.

IX.
Probatur ratione superior sententia.

Ratio verò, cur Samuel ante Arcam non saltauerit, illa fortasse fuit, quòd ipse Arcam suis humeris portarit. Erat enim Leuita de ordine Caathitarum, vt cap. 1. Num. 1. dictum est: quibus hoc munus incumbebat; vt patet Num. 4. num. 15. A E quo labore se ille fortè non excusauit; quamuis iudiciaria potestate fungeretur: immò quò erat potestate celsior, eò esse voluit pietate humilior, vt superbiam filiorum Heli suo exemplo contunderet & condemnaret. Nam illi suprà cap. 4. num. 4. dicuntur quidem fuisse cum Arca ad bellum prodeunte: non tamen Arcam suis humeris portasse; & propterea fortasse, neque sibi, neque Arcæ consulere potuerunt: at verò Samuel Arcam suis humeris portans, & se & Rempublicam liberauit, vt ex dicendis parebit: sua enim humilitate obtinuit,

Iustus quò potestate celsior, eò pietate humilior.

A quod illi sua superbia perdiderunt. Adde, quamuis Samuel Arcam non portasset; adhuc saltare non debuisse in hac pompa: quippe quæ propter recentem Bethsamitarum stragem lugubris fuerit, & potiùs fletibus, quàm saltibus prosequenda: vt diuina indignatio conquiesceret, & optata populo serenitas rediret.

X.
Ideò transfertur Arca in vrbem Cariathiarim, quia munitior.
Rup.
Vrbis Silo interpretatio.

Tertiò quæres: cur in hanc potissimùm vrbem Cariathiarim Arca Domini inferatur? Germana ratio est, vt ad finem capitis præcedentis iam aduerti, quia hæc vrbs erat vicinior & munitior. Mystica esse potest, quam tradidit Rupert. ad hunc locum, existimans per vrbem Silo, quæ, vt ait, interpretatur *Abruptio*, significari Synagogam, quæ dicebat: *Dirumpamus vincula eorum.* Ps. 2. n. 3. per B Cariathiarim, quæ interpretatur Ciuitas syluarum, vt diximus, significari Ecclesiam Gentium: *Quæ erat*, inquit, *sylua magna, bestiis ferocibus, id est, malignis spiritibus inhabitata & peruia: nunc autem ciuitas est fide fundata, muro diuinitatis & Angelorum præsidiis communita.* Arca igitur à Silo in Cariathiarim translata, significabat Euangelium à Synagoga in Ecclesiam transferendum. Vnde Dauid literaliter de Arca, mysticè de humanitate Christi Domini loquutus: *Ecce*, inquit, *audiuimus eam in Ephrata; inuenimus eam in campis syluæ.* Psal. 131. num. 6. Vbi Rupertus citatus: *Iam*, inquit, *non inuenitur illic, vbi audiuimus eam: iam non inuenitur in illa, de qua processit, Gente: sed in Gentibus, quæ priùs fuerant, tanquàm sylua à bestiis, id est, malignis* C *spiritibus possessa; nunc autem in modum camporum, sepibus gratiæ Dei circundata, cultiles sunt & fæcundæ.* Quem sensum Lorinus in locum Psalmi citatum, fusiùs illustrat: additis aliis sensibus tropologicis, quos consule.

Ecclesia Gentium olim vt sylua bestiis ferocibus habitata, nunc Angelorũ præsidiis munita.

Arca translatio Euangelium significat à Synagoga in Ecclesiam transferendum.
Lorin.

XI.
Christus Dominus vt xenium Herodi mittitur à Pilato.

Eodem mysterio, quo Arca ad vrbem Iarim translata est, mihi videtur Christus Dominus missus ad Regem Iarim, hoc est, ad Herodem. Luc. 23. num. 7. iuxta illud Oseæ 10. num. 6. *Et ipse in Assur delatus est, munus Regi vltori:* seu, vt Septuaginta in Bibliis Sixti transtulerunt: *Et ipsum in Assyrios ligantes, tulerunt munera Regi Iarim.* Quem locum aliqui explicant de Christo Domino à Caïpha ad Pilatum ducto. Verùm D. Cyril. Hierosolymitanus Catechesi 13. de Crucifixo & sepulto, rectè cum aliis obseruans, Pilatum non D fuisse Regem, potiùs explicat de missione & oblatione Christi Domini ad Herodem: *Herodes autem*, inquit, *tum Rex erat, & aderat Hierosolymis.* Sic & Tertul. lib. 4. contra Marcionem, c. 42. loquutus de Christo Domino: *Herodi*, inquit, *velut munus à Pilato missus, Oseæ vocibus fidem reddidit. De Christo enim prophetauerat: Et vinctum eum ducent xenium Regi.* At verò D. Cypr. in expositione Symboli, si eius est illud Opus, quod inter Opera D. Hieronymi sub nomine Ruffini circumfertur, circa medium, postquàm eum locum similiter exposuit: *Et bene*, inquit, *addidit nomen Iarim, quod est syluester. Non enim erat Herodes de domo Israel, nec de illa vinea Israelitica, quam eduxerat Dominus* E *de Ægypto, & plantauerat in cornu, in loco vberi: sed erat syluester, id est, ex sylua alienigenarum: quasi, qui de Israelitica vitis nequaquam palmitibus pullulasset.* Igitur Christus Dominus ad Regem Iarim, hoc est, syluestrem, seu Gentilem translatus, significabat catholicam fidem à Iudæis ad Gentiles transferendam. Quod D. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi citata, vlteriùs illustrat ex Ieremia: *Spiritus oris nostri Christus Dominus, captus est in peccatis nostris, cui diximus: In vmbra tua viuemus in Gentibus.* Thren. 4. num. 20. Vbi distinguens duplicem Ierosolymam, hoc est, Synagogam occidentem Christum,

D. Cyril.
Tert.
D. Cypr.
Christus Dominus sic translatus, fidem à Iudæis ad Gentiles transferendã significabat.
D. Cyril.

A Synagoga vita excessit ad Gentes.

Christum, & Ecclesiam viuentem sub Christo: *Illa*, inquit, *Cruci affixit: hac autem nunc adorat Christum Dominum.* Et statim expendit Ecclesiæ verba: *In vmbra tua viuemus in Gentibus.* Non dicit in Iudæis: *Non enim*, inquit, *in Israël amplius, sed in Gentibus conuersaturam indicat vita gratiam.* Itaque Christus Dominus à Synagoga ad Ecclesiam transit; illic mortuus, hic viuus: immò illic suos occisores occidit, hic suos ad vitam suscitat cultores; æternæ vitæ sub illius vmbra fruituros. Sed de hac te in 1. tom. Annot. 24. latè disseruimus.

XII. *Et intulerunt eam in domum*, &c. Cùm in vrbe Iarim non esset proprius Arcæ locus, nempe, Sanctuarium, vt probat Abul. hoc loco q. 3. necesse fuit Arcam inferre in aliquam priuatam domum. De qua duo sunt explicanda, vbi, & cuius fuerit hæc domus? Quod ad primum attinet, dicitur in Litera, fuisse in Gabaa. Et quæstio est, an Gabaa sit nomen proprium cuiusdam vrbis in Tribu Beniamin. Iosf. 18. n. 28. & Iud. 19. num. 14. An potiùs nomen appellatiuum, significans collem aliquem in vrbe Iarim, in quo esset domus Abinadab: nam Gabaa collis interpretatur. Priorem partem tenet Lyran. qui sequutus Auctorem Quæst. Hebr. Rupertum, Angelomum, Magist. histor. hoc loco, in additione, & nescio quos alios, dicit in primis Arcam à Philisthinis restitutam, antequàm à Dauide in domum Obededom reciperetur, in pluribus locis fuisse, nempe, in vrbe Iarim, in Masphath, in Galgala, in Nobe, in Gabaa, & hinc translatam fuisse in domum Obededom. Deinde asserit, præsentem locum explicandum esse de duplici Arcæ translatione: vna, in vrbem Iarim: altera, in vrbem Gabaa, licèt immediatæ non fuerint; sed vna longo tempore post aliam sequuta. Ita vt sensus sit: Reduxerunt Arcam in vrbem Iarim, & longo pòst tempore eam transtulerunt in vrbem Gabaa, in domum Obededom. Mouetur, quantùm suspicor, quia 2. Reg. 6. num. 4. dicitur Dauid tulisse Arcam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa; & non dicitur, eam tulisse de Cariathiarim. Ergo Gabaa non erat ille collis inclusus in Cariathiarim; sed potiùs diuersa ab illa ciuitas.

Abul.
Duo explicantur de domo, & domi. in qua Arca remansit.
Gabaa esse nomen vrbis proprium, sentit Lyranus.
Lyran.
Rup.
Angel.
Mag.
Multis in locis fuit Arca, antequàm esset in domo Obededom.
Lyrani fundamentum.

XIII. Nihilominùs posteriorem partem probabiliùs sequuntur Beda, Dionysius, Comestor lib. 2. historiæ, c. 9. Vatablus, Caietanus, Torniel. Zieglerus in Descriptione Terræ sanctæ, verbo, *Cariathiarim*, & ex nostris Pineda in præuio Salomone, lib. 5. c. 5. num. 5. Saa, Serarius, Marian. Salianus. Et fauet Iosephus lib. 6. Antiq. c. 1. Nam loquutus de Cariathiarim, subdit: *Ibi apud Aminadabum quendam Leuitam, opinione religionis ac iustitia celebrem in edibus eius collocant.* Ergo sentit, domum Abinadab in vrbe Iarim, non autem in vrbe Gabaa sitam esse. Atque ita videntur intellexisse Septuaginta, quos sequitur Theodor. dum non retinent nomen, *Gabaa*, sed transferunt, ἐν τῷ βουνῷ; hoc est, *In colle*: sic apertè indicantes, non de vrbe, sed de colle sermonem esse. Idque satis perspicuè ex Litera deducitur. Nam, cùm hoc Num. dicatur Arca posita fuisse in Gabaa: Num. sequenti additur, mansisse in Cariathiarim viginti annos. Ergo Gabaa non erat vrbs diuersa à Cariathiarim: sed pars illius, seu collis in illa inclusus. Probatur vlteriùs, primò retorquendo Lyræ argumentum. Quia 1. Paral. 13. num. 5. & 6. vbi eadem historia narratur: *Congregauit Dauid cunctum Israël, vt adduceret Arcam Dei de Cariathiarim. Et ascendit Dauid, & omnis vir Israël ad collem Cariathiarim, qui est in Iuda; vt afferrent inde Arcam Domini.* Et rursus 2. Paral. 1. n. 4. *Arcam Dei adduxerat Dauid de Cariathiarim.* Quid apertiùs ad ostendendum, illam

Fuisse nomen appellatiuum collis, probabilius.
Beda.
Dion.
Comest.
Vatab.
Caiet.
Torn.
Ziegler.
Pined.
Saa.
Serar.
Mar.
Sal.
Ioseph.
Probatur superior sententia primò.
Theod.
Secundò ad hominem.

Arcæ translationem in domum Obededom, factam non fuisse à Gabaa vrbe, sed à Cariathiarim, seu à Gabaa colle, qui erat in illa vrbe? Secundò efficaciùs: quia Arca nunquàm fuit in aliquo ex illis locis, in quibus eam collocat Lyranus: ac proinde, neque in vrbe Gabaa: sed à Cariathiarim in domum Obededòm immediatè commigrauit; vt Abulensis hoc loco à q. 10. vsque ad 17. latè confirmat: & ex eo colligitur, quòd nunquàm id in Scriptura referatur; quamuis semel tantùm dicatur Arca deducta in castra, tempore Saülis. 1. Reg. 14. num. 18. sed statim fuit in priorem locum sine dubio restituta. Tertiò, quia ad hunc locum solùm pertinebat agere de translatione Arcæ in Cariathiarim. Ergo mentio translationis in vrbem Gabaa, quamuis aliquando Arca illuc transierit, superuacanea erat, & proinde omittenda videbatur. Quare hæc domus Abinadab, non solùm ad discrimen eorum, qui idem nomen habebant, & alibi habitabant, interprete Vatablo: sed etiam ob reuerentiam ipsius Arcæ, interprete Carthusiano, dicitur fuisse in colle, non quidem suburbano, vt Caietanus aduertit: sed intra vrbem posito, vt Arca esset magis honorata. Nam secundùm legem Moysi, Num. 2. num. 2. & passim alibi, Arca in medio totius populi locabatur. Addit Beda, illum collem fuisse arcem totius ciuitatis. Nec immeritò: vt humana præsidia diuinis cederent: & deinceps sola Arca pro arce totius vrbis haberetur. Quod egregiè transferri potest ad sanctissimam Virginem Deiparam super omnes cælos exaltatam: ex cuius fastigio, instat arcis munitissimæ, mundo patrocinatur.

Probatur adhuc efficaciùs.
Abul.
Probatur tertiò.
Arca ideò in colle sita est, vt ibi esset honoratior.
Vatab.
Carth.
Caiet.
Beda.
Vt pro arce totius vrbis haberetur, & B. Virginem adumbraret, mundo patrocinantem.

XIV. Quod attinet ad secundum: Hæc domus fuit Abinadab, quem Magister historiæ, Hugo Card. & Dionysius Carthusianus Sacerdotem significant. Theodoret Procop. & Caietanus Leuitam dicunt. Abulensis, etsi Leuitam non neget; laïcum tamen esse potuisse ad recipiendam Arcam in domum suam, & custodiendam contendit. Nam & Dauid laïcus de Tribu Iuda Arcam in domum suam recepit. 2. Reg. 6. num. 12. Quod aliqui etiam confirmant exemplo Obededom Gethæi, in cuius domum Arca recepta est. Ibidem, n. 11. existimantes, illum non solùm laïcum fuisse, sed etiam alienigenam, seu Philisthæum de vrbe Geth, nuper ad Iudaïsmum conuersum. Sed repugnat Abul. q. 22. dicens, Obededom non solùm Israëlitam, sed etiam Leuitam fuisse, idque in suum locum probandum seponit. Quamuis igitur laïcus posset Arcam custodire: tamen hic Eleazarus Leuita fuit. Immò Iosephus fuisse dicit, non solùm Leuitam, sed etiam *opinione religionis ac iustitia celebrem*: & propterea ciues Cariathiaritas Arcam in eius domo collocasse: *Idoneum sacrario locum existimantes, vbi vir iustus haberet domicilium.* Neque immeritò: nam vbi iustus est, ibi templum est. Vnde Diuus Chrysostomus hom. 2. De Anna, loquutus de matre & domo Samuelis, *Hac mulier*, inquit, *attendebat ad puerum, etiam priusquàm illum in templum induceret: & diligebat impensiùs, tanquàm filium; & curabat tanquam Deo dicatum; existimans, se per illum sanctificatam iri; quando domus ipsius iam erat facta templum; vt quae Prophetam ac Sacerdotem intra se contineret.* At verò D. Cyprianus epist. 56. ad Martyres in carcere constitutos: *O beatum*, inquit, *carcerem, quem illustrauit vestra præsentia! O beatum carcerem, qui homines Dei mittit ad cælum! O tenebras lucidiores Sole ipso, & luce hac Mundi clariores, vbi modò constituta sunt Dei templa, & sanctificata diuinis confessionibus membra vestra.* Vbi vides, non solùm sanctorum Martyrum corpora,

De Abinadab varia Auctorum sententia.
Magist. hist.
Hug.
Carth.
Theod.
Proc.
Caiet.
Abul.
Abul.
Fuisse iustum & Leuitam magis placet.
Ioseph.
D. Chrysost.
Vbi iustus est, ibi templum est.
D. Cypr.
Martyres in vinculis, Dei templa: & ipsa vincula propter Martyres.

pota, templa Dei esse; sed etiam profana ergastula ptopter Iustorum præsentiam in diuina quædam delubra consectari? Quòd si paterfamilias iustus sit, toti familiæ sanctitatem efficaciùs afflabit.

XV.

In domum Abrahæ ingrediuntur Angeli, quia iustus erat.

Philo.

Libenter olim ingressi sunt in domum Abrahæ tres Angeli. Gen. 18. num. 5. Credo: quia patreinfamilias iustum, & ad opera charitatis spontaneum cognouerunt: proindéque totam illius domum magnis felicitatibus cumularunt. Vnde Philo Iudæus lib. De Abrahamo, *Si fortunata*, inquit, *domus visa est quibusdam, in quam viros sapientes diuertisse contigit; non facturos id, ac ne inspecturos quidem, si vidissent intus aliquod animæ vitium insanabile: equidem dicere non possum, quid huic domui defuerit ad summam felicitatem, in qua apud homines hospites excipi sustinuerunt Angeli. Quî poterant enim, vel intra primum limen subsistere, nisi sensissent totam domum ad nutum patrisfamilias paratam, ceu nanalem turmam bene constitutam ad vnum celensma sui gubernatoris? Quî poteram conniuarum & hospitum speciem sumere; ni pro cognato conseruóque suum conuiuatorem habuissent? Certè sic existimandum est, ad eorum introitum partes omnes domus profecisse in melius, afflatas quadam aura virtutis absolutissimæ.* Vbi eximiam illius domus sanctitatem colligit: & à posteriori, ex ingressu Angelorum; neque enim hi, nisi sanctissimum hospitium introissent: & à priori, ex sanctitate patrisfamilias, qui sicut vitæ probitate Angelos referebat; ita domum totam ad Angelicam puritatem suscitabat. Vbi enim paterfamilias iustus est, tota familia spirat sanctitatem. Quid ergo mirum, si Abinadab vir iustus, & secundùm sui nominis etymon ad omnia Dei obsequia spontaneus (Abinadab enim interpretarut *Pater meus spontaneus*) tam sanctum ad recipiendam Arcam offerat domicilium, vt nihil à templo differre videatur?

Vbi paterfamilias iustus est, tota domus spirat sanctitatem.

Abinadab etymologia.

XVI.

Eleazar sanctificatus dicitur, quia sacris initiatus.

Eleazarum autem, &c. Tripliciter intelligi possunt Cariathiaritæ, Eleazarum sanctificasse. Primò, quia eum sacris initiarunt in Sacerdotem, vel Leuitam: vtro de genere ille fuerit; iuxta diuersas de Abinadabi statu sententias paulò ante citatas: neque enim satis erat de sacerdotali, aut Leuitico genere natum esse, vt statim quis se in sacerdotalia, aut Leuitica officia ingereret: sed oportebat, vt suis quisque ceremoniis priùs consecraretur: Sacerdos quidem sacerdotalibus; de quibus Exodi 29. à num. 4. & Leuit. 8. à num. 2. Leuita autem Leuiticis; de quibus Num. 8. à num. 6. vt Abulensis ibi q. 19. testatur. Atque in hunc modum exponunt verbum sanctificandi, Dionysius Carthusianus, & Hugo Cardinalis, cum quibus mihi videtur Caiet. consentire. Sed duo huic expositioni aduersantur. Vnum, quia hæc consecratio fiebat à summo Sacerdote, & in tabernaculo; vt patet ex locis Exodi, Leuitici & Numerorum citatis: in vrbe autem Iarim nulla fit mentio summi Sacerdotis: & prætereà nunquàm in ea fuit tabernaculum; vt patet ex his, quæ Abulensis hoc loco q. 18. disseruit. Ergo non potuit ibi Eleaaarus sacris initiari. Alterum, quia hæc consectatio non erat necessaria ad custodiendam Arcam, cùm etiam à laïco posset custodiri: vt paulò antè diximus. Ergo frustra adhiberetur. Ad primum responderi potest, delatum fuisse Eleazarum in vrbem Silo, aut Nobe, vbi erat tabernaculum; atque ibi à summo Sacerdote Achitobo, nepote Heli, qui ei in summum Sacerdotium successit, vt cap. 2. Num. 32. iam ostendi, fuisse consecratum. Ad secundum, licèt illa consecratio necessaria non esset; tamen fuisse maximè congruentem, vt res sacerrima, qualis erat Arca, non nisi à sacro custode seruaretur. Quare non mihi videtur hæc expositio contemnenda.

Abul.

Carth.
Hugo.
Caiet.

Duo contra superiorem sententiam obiectiones.

Abul.

Obiecta diluuntur.

XVII.

Dicitur etiam sanctificatus, quia ad custodiendam Arcam præparatur.

Secundò, sanctificarunt: quia eum præpararunt ad Arcam dignè custodiendam. Nam verbum קדש Chadas, non solùm significat, *sanctificare*, sed etiam *preparare ad rem sanctam*, iuxta illud: *Sanctifica illos hodie & cras lauéntque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium.* Exod. 19. n. 10. Et illud: *Sanctificauit ergo* Samuel *Isai, & filios eius, & vocauit eos ad sacrificium.* 1. Reg. 16. n. 5. Nam hi, qui in vtroque loco sanctificari dicuntur, non censentur sacris initiari, quia non erant de Tribu Leuitica; sed præparari, vt sacrificiis diuinis dignè adessent, vel per externum aliquem corporis cultum & ornatum tantis ministeriis cõgruentem, vel potiùs per aliquam iustam & sanctam actionem, se ipsos sanctificantem. Sic igitur Cariathiaritæ sanctificarunt, seu præpararunt Eleazarum. Quia *hortati sunt eum*, inquit Dionysius, *vt per continentiam ab vxore ad tempus, per orationes & sacrificia exhiberet se ad custodiendam Arcam idoneum.* Vbi aduerte, quanta ad sacrum ministerium præparatio & sanctificatio requiratur. Quamuis enim Eleazarus esset & religione & iustitia insignis; vt ex Iosepho paulò superiùs retulimus: adhuc tamen opus fuit, vt sanctior & purior ad custodiendam Arcam redderetur. Quòd si ministerium veteris legis tantam puritatem requirebat: quantam ministerium nouæ legis postulabit? Vnde Carthusianus in Art. De sensu mystico: *Per hoc*, inquit, *quod Eleazarus sanctificatus est, quatenus dignus esset Arcam custodire: præfiguratum est, quàm puros & sanctificatos esse oporteat Sacerdotes nouæ legis, qui Christum vnigenitum Patris consecrant, offerunt, tractant & sumunt.*

Cuiusmodi fit hæc præparatio.

Dionys.

Quæ puritas ad nouæ legis mysteria requiratur.

Carth.

XVIII.

Tertiò, sanctificatus dicitur, quia Arcæ custodia præfectus.

Iosceph.
Abul.
Brix.
Vatab.
Saa.

Tertiò, sanctificarunt: quia illum huic custodiæ præfecerunt: sic enim transtulit Chaldæus, cui Iosephus, Abulensis, Isidorus Clar. Vatablus, Saa, aliique assentiuntur: hoc est, quia illum elegerunt ad hoc munus obeundum. At, cur non potius elegerunt parentem eius Abinadab? Dicet aliquis: Quia Abinadab iam erat mortuus. Quod minùs probo. Alius: Quia Eleazarus erat sanctior. Quod non definio. Ego: Quia Abinadab, vt pote paterfamilias, totius domus custodiæ attendebat: à qua Deus nolebat eum feriari, ne Arca suo hospiti onerosa redderetur. Eleazarus autem, vt pote filiusfamilias, à domesticis curis expeditus, custodiendæ Arcæ multò promptior poterat excubare: quin res domestica vllum dispendium pateretur. Vbi diuina bonitas elucet, quæ sua obsequia cum minimo nostro dispendio coniungit. Nota obiter, hunc Eleazarum, qui Arcam religiosè custodiuit, fuisse fratrem illius Ozæ, qui Arcam temerariè tetigit. 2. Reg. 6. num. 6. vt Abulensis ibidem, q. 8. supponit. Et ex eo probabiliter colligitur, quòd vterque dicatur filius Abinadab, in cuius domum Arca recepta est. Vt intelligas, in eadem sancta domo, & sub eodem sancto parente, nutriri posse duos fratres, vnum diuinæ legis cultorem, alterum contemptorem; vt de Abel & Caïn, de Isaac & Ismael, de Iacob & Esaü, pluribúsque aliis dici potest. Cæterum, hæc custodia in eo consistebat, vt nunquam Eleazarus inde Arcam auferri pateretur. An verò oporteret, aut etiam liceret Arcam in priuata domo existentem aliquo solenni cultu sacrificiorum venerari; dubitatio est, quam Abul. à q. 3. vsque ad 10. & rursus q. 20. & 21. latissimè tractat, & negatiuè decidit. Sed qualis qualis fuerit ea custodia, dubitandum non est, magnis fuisse beneficiis à Deo remuneratam. Vnde Theod. q. 14. De Arca loquutus: *Postquàm*, inquit, *prompto & alacri animo accepit eam Abinadab, totam eius* domum

Cur Eleazari pater ad Arcæ custodiam non sit electus.

Deus sua obsequia, cum minimo nostro dispendio coniungit.

Abul.

Sub eodem sancto parente, quàm diuersi fratres nutriantur?

Abul.

Deus Arcæ custodem magnis beneficiis cumulauit.

Theod.

domum impleuit benedictione. Quid enim minùs fecit Abinadab, quàm Obededom? Nam, ficut Obededom Arcam, licèt Ozæ vltricem, fuo hofpitio libenter & confidenter excepit, parum follicitus de fuo periculo, vt debitum Arcæ honorem exhiberet: ita Abinadab, Arcam, quamuis adhuc de recenti Bethfamitarum ftrage cruentatam magna eum fiducia fuum in domicilium fufcepit, fuo damno nihil timens, vt Arcæ honori prouideret. Vt igitur Deus domum Obededom ad Arcæ ingreffum magnis felicitatibus cumulauit, 2. Reg. 6. n. 11. ita planè credendus eft non minoribus benedictionibus totam domum Abinadab ad eiufdē ingreffum Arcæ repleuiffe: immò non vnam tantùm domum priuatam; fed totum populum Ifraëliticum non exiguis pacis, tranquillitatifque muneribus cumulaffe: vt ex fequenti Num. patebit.

Num. II. Et factum eft, ex qua die manfit Arca Domini in Cariathiarim, multiplicati funt dies, (erat quippe iam annus vigefimus) & requieuit omnis domus Ifraël poft Dominum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Arca multos annos manfit in vrbe Cariathiarim.* Philo. *Explicatur Philo.*

ET *factum eft*, &c. Hoc eft: Contigit, vt poftquàm Arca in vrbe Iarim conftituta fuit, multi anni laberentur. Neque obftat Philo in Antiquitatibus Biblicis, dicens: *Et quieuit terra feptem annis.* Nam, vel loquitur propriè de vno tantùm feptennio; & tunc audiendus non eft, cùm facræ Hiftoriæ manifeftè contradicat: vel loquitur figuratè, fumens feptenarium, qui eft numerus plenus & perfectus, & vniuerfitatem fignificat: vt c. 2. Num. 5. latiùs oftendi, pro diuturna duratione; & tunc nobis non repugnat. Hæc autem annorum multitudo dupliciter fumi poteft: aut pro toto tempore, quo Arca fuit in Cariathiarim: aut pro tempore, quod decurrit vfque ad illam Samuelis concionem, fequenti Num. referendam. Priori modo, plufquàm quadraginta anni elapfi funt. Nam Saül (includendo etiam tempus, quo Samuel iudicauit) regnauit quadraginta annis. Act. 13. n. 21. Dauid autem Saülis fucceffor fub initium regni fui, Arcam ab vrbe Iarim tranftulit in ciuitatem fuam, 2. Reg. 2. à n. 2. & 1. Paral. 13. à num. 5. Ergo plufquàm quadraginta annos fuerat Arca in vrbe Iarim. Quamuis negandum non fit, femel ex hac vrbe à Saüle in caftra aduersùs Philifthæos deductam effe, 1. Reg. 14. n. 18. fed ftatim à caftris in eandem vrbem Iarim fuiffe reftitutam: vt Rabbanus & Eucherius reftantur.

Quomodo hæc annorū multitudo intelligatur.

Rab. Euch.

II. Iofeph. *Hic pofteriori modo illa annorum multitudo intelligenda.*

Pofteriori modo elapfi funt viginti anni, vt in Litera exprimitur, & Iofephus, Chronologi & Interpretes communiter obferuant. De hac pofteriori annorum fumma, potiùs quàm de illa priori, intelligenda funt illa verba: *Multiplicati funt dies:* vt ftatim indicat illa caufalis: *Erat quippe iam annus vigefimus.* Ita vt fenfus fit: Ab Arcæ aduentu multi anni iam elapfi erant: vt ex eo patet, quòd iam vigefimus annus agebatur, ex quo Arca vrbem illam intrarat. Quæres: Quid illis viginti annis à populo ageretur? Auctor Quæft. Hebraïc. fentit, Ifraëlitas eo tempore nihil aliud egiffe, quàm multas miferias toleraffe. *A tempore*, inquit, *quo reprobatum eft facerdotium Heli, vfque ad Samuelis Ducatum, viginti fuerunt anni, miferiarum referti.* Sed, cùm poft Arcæ ingreffum in Cariathiarim nullæ populi calamitates per totos vigin-

Hos totos annos Ifraëlitas multas toleraffe labores fentiūt aliqui.

ti annos in Scriptura referantur: potiùs intelligi debet ille Auctor, vt eum Salianus interpretatur, de vltimis viginti annis Pontificis Heli, magna in miferia confumptis; vt patet ex bellis Philifthinorum, illatis cladibus, Arcæ captiuitate, aliifque fimilibus; quamuis, ne his quidem pœnis totum viginti annorum fpatium, datum fuiffe conftet. Refpondeo igitur, Hebræos toto illo tempore poft Dominum requieuiffe: vt fequentibus verbis exprimitur. Quæ verò fuerit illa requies iam explicandum.

Salian. *Non placet eorum fententia, probabilius enim eft, quieuiffe.*

III. *Requiefcere poft Dominū in malā partē aliquando vfurpatur.*

Et requieuit, &c. Requiefcere poft Dominum aliquando in malam partem vfurpatur: contra eos, qui fuis peccatis adhærentes, de diuina mifericordia temerè præfumunt. Quales erant proceres Ierufalem: de quibus Propheta: *Principes eius in muneribus indicabant: & Sacerdotes eius in mercede docebant: & Prophetæ eius in pecunia diuinabant: & fuper Dominum requiefcebant.* Mic. 3. n. 11. Hoc eft, temerè præfumebant. Quamuis ibi in Hebræo diuerfum verbum ponatur, quàm hoc loco ponitur: vt ibi Ribera obferuat. Verùm hic dubium non eft, quin in bonam partem vfurpetur: vt patebit ex dicendis. Multiplex igitur effe poteft huius verbi interpretatio. Nam in editione Sixtiana eft: *Et refpexit omnis domus Ifraël poft Dominum.* In Regiis & Complutenfibus: *Et reuerfa eft.* In Hebræo: *Et luxerunt, feu, lamentati funt.* Vnde Vatablus transfert: *Et lamentatione quadam poft Dominum vniuerfa domus Ifraël anhela fuit.* Quamuis Abulenfis ex Hebræo legendum fentiat: *Et feftinauit, feu, parauit fe* omnis domus Ifraël poft Dominum. Tandem in Chaldęo: *Et quieti fuerunt.* Cui propior Vulgata: *Et requieuit.* Diffidium facilè tolletur, fi aduertas, inter ינח *Ianachn*, à verbo נוח, *Nuach*, quod eft, *requiefcere*: & ינהו *jinahu*, à verbo נהה *Nahah*, quod eft, *lamentari*, & יחשו *jinchetfu*, à verbo חוש *Nachats*, quod eft, *feftinare*, non effe magnum difcrimen penes characteres: vnde facile fuiffe, vt alij aliter transferrent. Idem diffidiū tolli poteft in editione Greca ex fimilitudine verborū, ἐπέβλεψεν, id eft, *Refpexit*, & ἐπέστρεψε, id eft, *Reuerfa eft.*

Rib. *Hic fumitur in bonam partem.*

Multiplex huius verbi, requieuit, interpretatio. Vatab.

Abul.

Verborum fimilitudo variæ lectionis anfam præbet.

IV. *Propria quies illorum eft, qui peccata fua lamentantur.*

Et quidem qooad myfticam intelligentiam omnes quàm aptiffimè cohærent. Nam, qui ad Dominum refpiciunt, & per veram pœnitentiam conuertuntur, & priores culpas lamentantur, & ad meliorem frugem feftinant; hi propriè requiefcunt. Et vt hæc requies firmior & ftabilior intelligatur; explicari poteft per modum cuiufdam pactionis, quam verbum requiefcendi aliquando importat; iuxta illud: *Requieuit Syria fuper Ephraim.* Ifai. 7. n. 2. Hoc eft, inito inter fe pacto, Syria & Ephraïm ftabilem concordiam & amicitiam copularunt. Sic igitur domus Ifraël, tanquàm percuffo fœdere, à quo non liceat refilire, diuinæ legi firmiter adhæfit; & in Domino ftabiliter requieuit. Quo pacto requiefcunt in Domino, qui à fuis peccatis ex animo refipifcunt. Vnde eft illud: *Si iniquitatem, quæ eft in manu tua, abftuleris à te, & non manferit in tabernaculo tuo iniuftitia. Tunc leuare poteris faciem tuam abfque macula, & eris ftabilis, & non timebis.* Iob. 11. n. 14. Quafi vera quies & ftabilitas mentis ex vera pœnitentia oriatur. Contrà verò, qui à Deo oculos auertunt, & fuorum fcelerum vinculis detinentur, nec præterita mala deteftantur, à vera quiete & ftabilitate longiffimè recedunt. Vnde Ieremias: *Peccatum*, inquit, *peccauit Ierufalem: proptereà inftabilis facta eft.* Thren. 1. num. 8. Quafi peccatores eo ipfo, quòd peccent, à tranquillitate mentis expellantur. Quare Dionyfius Carthufianus in fenfu myftico huius loci, *Conquiefcere*, inquit, *ftudeamus in Deo:*

Qui ex animo refipifcunt, quafi ex pacto requiefcunt. *Peccatores à mentis tranquillitate excluduntur.*

Dion. Carth.

In Deo, vt in fine nostro quiescendum.

Instabilitas peccatoris exprimitur.

Ex vera ad Deum conuersione suprema quies consequitur.

Concilium impiorũ, concilium inquietorum.

A *ipse est enim finis noster; ad quem semper respicere & adspirare debemus: in quo solo vera & salutaris quies consistit, & in ipso per fidem, sapientiam & virtutes defigimur: optimum est enim gratia stabiliri cor.* Hebr. 13. num. 9. *Impij autem in circuitu ambulant.* Psalm. 11. num. 9. *Quoniam rebus vanis, caducis & variabilibus, magis quam summo & incommutabili bono inhærent. Et hæc ipsa inhæsio tam inordinata, peccatum est, & agitatio mentis. Nam, sicut virtutes mentem in Deo stabiliunt & quietant, sic passiones & vitia inquietam & nutantem & gyriuagam reddunt.* Vis vlteriùs nosse iustorum quietem? Audi Regium Vatem: *Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.* Psalm. 22. num. 2. Hebraïcè: *super aquam tranquillitatum*, seu, *quietum*: quasi ex vera conuersione ad Deum suprema quies & tranquillitas B consequatur. Vis prætereà agnoscere peccatorum instabilitatem? Audi Isaiam: *Impij, quasi mare feruens, quod quiescere non potest.* Cap. 57. n. 20. Vnde Concilium impiorum, Psalm. 1. n. 1. dicitur in Hebræo per antonomasiam *Concilium inquietorum*: ac si nihil inquietius impiis reperiatur. De qua re Tom. 1. Annot. 4. Sect. 3. & in hoc Tomo, Annot. 4. Sect. 1. & 2. multa cumulauimus.

V.

Aliqui existimant totos hos annos peccasse Israëlitas.

Serar.

Quæres: Vtrùm hæc totius populi quies, & à peccatis feriatio inceperit post annum illum vigesimum absolutum, an statim ab initio post Arcam in vrbe Iarim collocatam? Serarius dicit totum hoc spatium vicenarium *plenum fuisse impietatis.* Quod probat ex Num. sequenti, in quo Samuel hortatur Hebræos, vt Deos alienos de me- C dio auferant, & ad verum Deum toto corde conuertantur: quasi toto vicennio anteacto, idolis seruierint, & à vero Deo exularint. Nihilominùs Iosephus 6. Antiq. cap. 2. oppositum expressit:

Ioseph.

Oppositum colligitur ex Iosepho.

Cùm populus, inquit, *toto hoc vicennio votis & sacrificiis operam daret, magnámque religionis & cultus diuini curam præ se ferret; Samuel, animaduersa eorum promptitudine, putans, se nactum occasionem adhortandi ad libertatem, & bona, quæ illam consequuntur, orationem & tempori accommodans, & negotio; verba in hanc fermè sententiam ad eos facit.* Vbi planè ostendit, Samuelem non ex mala populi dispositione, reprehendendi occasionem desumpsisse: sed potiùs ex bona eius præparatione captasse opportunitatem adhortandi ad meliora. Ita sentit Car- D thusianus:

Samuel non ex populi malitia, sed ex pietate adhortando occasionem sumpsit.

Carth.

Cùm enim, inquit, *viderent, qualiter à Philisthæis erant percussi, propter sua, & Heli, filiorúmque eius facinora, & quàm grauiter Deus plagauerat Philisthæos propter Arcæ præsentiam, atque quàm miraculosè Arcam reduxit, compuncti sunt, & admonitionibus Samuelis obtemperarunt.* Vbi non loquitur solùm de hac vltima Samuelis concione, cùm pluraliter loquatur de admonitionibus: sed de aliis ante habitis, quibus per totum vicennium populum informabat. Eandem responsionem approbat Caietanus:

Probatur multorum authoritate.

Caiet.

Hic enim sensus, inquit, *quadrat rebus gestis, & sollicitudini, & bonæ famæ Samuelis, vt quàm primùm potuerit, postquàm cessauit clades Bethsamitarum, per viginti annos non destiterit vacare iis, quæ ad salutem erant populi.* In eandem sententiam E Lyranus, Abul. Torniel. Salianus, & alij conspirant.

Lyra.
Abul.
Torn.
Salian.

Quantũ prosit populo bonus Rector.

Ex quibus patet, quid profuerit populo boni cura Pastoris. Nam, quem incuria Sacerdotis Heli paulò anteà profligauerat, cura Samuelis instaurauit: & qui sub Heli ignauo duriter vapulauerat, sub strenuo Samuele feliciter requieuit.

VI.

Philo.

Non minùs profuit olim suis subditis cura & sollicitudo Abrahami. Facta est aliquando rixa inter pastores gregum Abram & Lot, Genes. 13. n. 7. Sed vnde rixandi occasio orta est? Philo Iudæus lib. De Abrahamo credit, totam rixandi occasio- A nem à pastoribus Lot, potiùs quàm à pastoribus Abram, ortam fuisse. Et rationem reddit ad præsens institutum accommodatam:

Serui, si non habeant castigatorem, sunt vtriùsque contentiosi.

Serui, inquit, *huius*, nempe, Lot, *contentiosi erant & morosi, quod castigatorem non haberent. Itaque seruitutis immemores præ licentia semper rixabantur, cum sapientis nostri magistris pecorum, plerumque cedentibus, propter sui heri mansuetudinem.* Igitur pastores Lot superbi erant, & insolentes, quia non habebant à quo refrænarentur: pastores Abram pacifici & mansueti; quia herilem imitati mansuetudinem, & veriti disciplinam, in officio continebantur. Vnde patet, bonos familiæ mores à bona patris ac Principis institutione pendere: & propterea populũ Israëlis ex ignauia Heli in multa scelera degenerasse; ex B disciplina Samuelis in pristinas virtutes refloruisse.

Boni familiæ mores à bonis parentis moribus pẽdent.

In hanc posteriorem responsionem libentior inclino. Illud tamen in fauorem prioris non negauerim: quamuis toto hoc vicennio publica honestas, fides & religio in populo Israëlitico floruerit; tamen priuatas aliquas latebras non defuisse, in quibus idola cum suis cultoribus, aliáque flagitia cum suis amatoribus conderentur: ad quas penitùs exhauriendas & repurgandas Samuel in publicam concionem prodierit: hortaturus nõ solùm bonos, vt profanos ritus iam animo abiuratos, iterum solenniter abiurarent; sed etiam malos, vt tandem falsos Deos contemnerent, atque vni vero adhærerent ac deseruirent: eáque omnes concione excitatos, è quodam scelerum veterno euigilasse, & C ad meliorem frugem rediisse.

Samuelem ex aliquorũ malitia cæteros adhortatum placet.

Num. III. Ait autem Samuel ad vniuersam domum Israël, dicens: Si in toto corde vestro reuertimini ad Dominum, auferte Deos alienos de medio vestri, Baalim & Astaroth; & præparate corda vestra Domino; & seruite ei soli: & eruet vos de manu Philisthiim.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.

Cur tota Resp. Hebræorum vna domus appellatur.

D **A**It autem Samuel, &c. Describitur concio à Samuele habita, ex circunstantiis. In primis auditorium fuit vniuersa domus Israël, hoc est, tota Respublica Hebræorum: quæ, licèt numerosissima fuerit, tamen vna domus appellatur; vel, quia ab vna tantùm Iacobi domo ortum habuerit; vel, quia omnes illius Reipublicæ familiæ non minori necessitudinis vinculo, quàm germani fratres, vnam componentes familiam, tenebantur. Quod planè in Ecclesiæ typum non dubito præcessisse; quæ, cùm toto orbe latissimè fusa sit, vna tantùm domus propter animorum coniunctionem appellatur; iuxta illud: *Deus, qui inhabitare facit vnius moris in domo.* Psal. 67. num. 7. Hoc est: Deus, qui fideles numero innu- E meros, animo vnanimes in Ecclesiæ domo continet & custodit.

Fideles in Ecclesia numero innumeri, animo vnanimes sunt.

Et illud: *Qui habitare facit sterilem in domo, matrem filiorum lætantem* Psal. 112. n. 8. Hoc est: Qui Ecclesiam Gentium quondam sterilem, nunc fœcundam, vna constituit in domo, plurimis filiis abundante. Vnde D. Cypr. epist. 75. aliàs lib. 1. epistolarum, epist. 6. *Foris*, inquit, *non esse Ecclesiam, nec scindi aduersum se aut diuidi posse; sed inseparabilis atque indiuiduæ domus vnitatem tenere, manifestat Scriptura diuina fides: cùm de Sacramento Paschæ & Agni, qui Agnus Christum designabat, scriptum sit: In domo vna comedetur: non*

D. Cypr. Ecclesia Gentium, olim sterilis, nunc fœcunda, vna constituitur in domo.

eiicietis

eiicietis de domo carnem foras. Exodi 12.n.46. *Quod item circa Rahab,quæ ipſa quoque typum portabat Eccleſiæ, expreſſum videmus; cui mandatur & dicitur: Patrem tuum,& matrem tuam,& fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipſam in domum tuam.& omnis,qui exierit oſtium domus tuæ foras,reus ſibi erit.* Ioſ.2.n.18.& 19. *Quo Sacramento declaratur,in vnam domum ſolam,id eſt,Eccleſiam, victuros, & ab interitu Mundi euaſuros, colligi oportere.* Sic ille. Vbi plura de hac re.

II.

Quiſnam fuerit concionis locus,dubium. Abul.

Locus huius concionis non exprimitur in Litera.Sed,ſi abſolutè loquendum eſt,non fuit vnus tantùm, ſed multiplex: quod colligit Abulenſis, cùm ex eo,quòd prędicabat ad vniuerſam domum Iſraël; quæ non poterat in vnum tantùm locum conuenire: tum ex eo, quòd Samuel, vt habetur paulò inferiùs,Num.16. *Ibat per ſingulos annos circumiens Bethel & Galgala & Maſphath.* Ne quis eſſet angulus tam obſcurus,quem veritatis prædicatio non clararet,non illuſtraret. Vbi euangelici Præcones exprimuntur,qui non ſedendo,ſed currendo,euangelizant. Vnde non tam linguæ,quàm pedes euangelizantium ſpecioſi appellantur. Iſai. 52.n.7.& Rom.10.n.15. Nec illi Ezechielis Cherubini,cap.1.n.6. dicuntur habuiſſe linguas, ſed pennas: quaſi magis de pennis, quibus volabant; quàm de linguis,quibus prædicabant, gloriarentur.Iam verò illi Seraphini, Iſai. 6. n. 3.volabant & clamabant, hoc eſt, volatus clamoribus præmittebant; ſeu priùs volare, quàm clamare dicebantur: quia clamores ſine volatibus parum profuturos non dubitabant. Quòd ſi Ioannes vidit Angelum ſtantem & clamantem, Apoc. 19. num. 17. ac proinde, qui priùs prædicaret,quàm volaret:nihil mireris. Nam ſtabat in Sole,cuius celeritatem circumeundo orbem exæquabat:& proinde ſtando volabat; hoc eſt,ſummam in ſuo munere cõſtantiam retinẽdo,totum orbem nihilo ſegnior Sole circumibat.De qua re Num.16.plura dicam. Nihilominùs hoc loco de certa aliqua concione ſermo eſt:vt colligitur ex Litera; vbi eſt verbum de præſenti, *Ait*, quod determinatam actionem ſignificat;nõ autem, *Aiebat*,quod plerunque ſignificat morem conſuetudinémque agendi: vt infrà Num. 16. *Ibat*,hoc eſt,ire ſolebat:& proinde certus ei locus aſſignari debet,qui,cùm in Litera non exprimatur,diuinandus eſt; vel certè inde coniiciendus; quòd cùm proximè de Cariathiarim ſermo præceſſerit; in eadem vrbe hæc concio, quæ ſtatim ſequitur,habita fuiſſe videatur.Nec immeritò;quia,cùm in ea vrbe eſſet Arca,præcipuam in ea religionem vigere oportebat:ad quam Samuel Iſraëlitas hac concione hortabatur.

Concionatores non ſedendo,ſed currendo euangelizant.

Concionatoris celeritas Solis æquat celeritatem.

Concionis locum fuiſſe in vrbe Cariathiarim,videtur probabilius.

III.

Cõcionis materia fuit, vt ab idolis auerterentur.

Abul.

Concionator quærere debet audientium opportunitatem.

Iam verò materia huius concionis fuit,vt omnes per veram pœnitentiam,& auerterentur ab idolis, & ad vnum & verum Deum conuerterentur.Sed, cùm Samuel non ſolùm poſt annum vigeſimum abſolutum; ſed ſtatim à prima Arcæ reductione prædicare inceperit;vt ſuperiori Num.aduerti:dubitari poteſt, an hac eadem concione ab initio vſus fuerit.Negat Abul.q.25. Et rationem reddit: quia Hebræi ab initio erant parum diſpoſiti ad hanc prædicationem:nam à Deo longiſſimè aberrabant, & idolis tenaciſſimè adhærebant: quare oportuit eos paulatim emollire,& per faciliora ad difficiliora reuocare: aliàs totus prædicandi labor in irritum abiret.Vnde eos à principio monuit,vt verum Deum colerent, & Sanctuarium frequentarent;quod erat facilius:poſteà,quod difficilius illis erat,vt omnia idola contererent,idololatriámque deteſtarentur. Ita ferè Abulenſis. Quæ reſponſio ſanam includit doctrinam,quamuis fortè huic loco parum congruentem. Sanam quidem: quia,cùm prædicatio profutura bene præparatos audientium animos requirat, opus eſt,vt in tempore, ſeu opportunè exerceatur. Quod paucis illuſtro.

Bona ad prædicandum opportunitas captanda.

IV.

Cõcionatores, vt piſcatores & ſatores,opportunitatem piſcandi & ſerendi quærunt.

Prædicatores in ſacris Literis ſæpenumerò dicuntur piſcatores: *Ecce ego mittam piſcatores multos,dicit Dominus.* Ierem.16.n.16. *Stabunt ſuper illa piſcatores.* Ezech.47. num. 10. *Faciam vos fieri piſcatores hominum.* Mat.4. num. 19. & ſic de aliis. Ratio eſt: quia ſicut hi captant opportunitatem piſcandi,ne fruſtra laborent:ita & illi prædicandi, ne ſurdis auribus inclament. Eandem ob cauſam dicuntur & ſatores: *Exiit,qui ſeminat,ſeminare ſemen ſuum.* Luc.8. num. 5. Nam,ſicut hi terræ cælique ingenium obſeruant, ne importunè ſeminantes ſemina amittant; iuxta illud Georgicon præceptum:

Virg.

At priùs,ignotum ferro quàm ſcindimus æquor,
Ventos,& varium cæli prædiſcere morem
Cura ſit,ac patrios cultúſque,habitúſque locorum.

Vt nubes in loco, & in tẽpore pluuias effundunt, ne lutũ faciant.

D. Bern.

Ita & Prædicatores auditorum diſpoſitiones præmeditantur, ne ſuo labore fructúque fruſtrentur. De Prædicatoribus Iſai.cap.6.n.8. *Qui ſunt*,inquit, *iſti,qui vt nubes volant?* Nam,vt nubes,ſi in imbres ſoluantur extra tempus, ſterilitatem inducunt; ſi in tempore,fertilitatem:rurſus,ſi in agris pluant, fructuoſos reddunt;ſi in vrbibus,cœnoſas: ita etiam Prædicatores,ſi extra tempus & locum verba faciant,ruinas auditoribus moliuntur;ſi in loco ac tempore,viam illis præmuniunt ad ſalutem. Vnde D. Bernard. ſerm. 58. in Cantica: *Væ nubibus*, inquit, *pluentibus imbres, qui lutum faciant, fructum non afferant.*

V.

Concionator in ipſa importunitate opportunitatem captare debet.

D.Greg.

Suum diſcipulum hortatus Apoſtolus ad prædicandum, *Prædica*,inquit, *verbum,inſta opportunè, importunè.* 2. Tim.4. num. 2. Hoc eſt, etiam cùm importunus videris, opportunè prædica: ſeu in ipſa importunitate opportunitatem capta. Sic D. Greg. 1 2. p. Paſtoral. cap. 4. *Dicturus*,inquit, *importunè, præmiſit opportunè: quia, ſcilicet, apud auditoris mentem ipſa ſua vtilitate ſe deſtruit; ſi habere importunitas opportunitatem neſcit.* Quaſi tam neceſſaria ſit ad prædicandum temporis & loci opportunitas,vt vel in ipſa importunitate requirenda ſit:ea verò inuenta, nemo in prædicando videatur importunus. Romanos hortatur D. Paulus,vt ſint *ſpiritu feruentes,Domino ſeruientes.* Rom. 12. num. 11. ſeu, vt ibi legit Diuus Ambroſius, *Tempori ſeruientes.* Sed,quid opus eſt,ſeruire tempori, qui ſpiritu ferueſcunt, cùm potiùs ſeruire debeant æternitati? Rectè D. Ambroſius ad eum locum: *Quoniam*,inquit, *dixerat: Spiritu feruentes: ne hoc ſic acciperent, vt paſſim & importunè verba Religionis ingererent tempore inimico, per quod fortè ſcandalum excitarent,ſtatim ſubiecit: Tempori ſeruientes: vt modeſtè,& cum honeſtate, aptis & locis & perſonis, & apto tempore Religionis fidem loquerentur. Sunt enim quidam, etiam hoc tempore, quo pax eſt, qui ſic perhorrent verba Dei, vt audientes, cum magna ira blaſphement.* Temperare igitur debent Prædicatores ſuum feruorem, ne malis diſpoſitis auditoribus in damnationis incendium conuertatur.

D. Ambr.

Concionatores tempori ſeruire debent.

VI.

Prædicatio nõ niſi opportuno tempore exercenda.

Cùm ad prædicationem,cæleſtis Sponſus ſuam Sponſam inuitaret: *Surge*, inquit, *propera,amica mea.* Et ſtatim: *Tempus putationis aduenit.* Cant.2. n. 10. Vbi D.Bern.ſermon.58. *Quoniam*,inquit, *operi huic, ſicut & omni rei ſub cælo, non omne tempus*

A *suppetit,& aptum est;addit is,qui innitat,tempus aduenisse.* Quasi non deberet talis prædicatio,nisi opportuno tempore exerceri. Vbi etiam aduertit,D. Paulum ad suum prædicandi ministerium non prodiisse,nisi,cum dixit: *Ecce nunc tempus acceptabile,ecce nunc dies salutis.* 2. Corin. 6. n. 2.& Christum Dominum non inuitasse suos discipulos ad prædicandum,nisi cùm leuare oculos iussit,& videre regiones: *Quia albæ sunt iam ad messem.* Ioan. 4. n. 35. Immò & ipsum Christum Dominum noluisse Ierosolymam ascendere ad prædicandum & manifestandum se Mundo: *Quia tempus*, inquit, *meum nondum aduenit.* Ioan. 7. n. 6. Præterea D. Petrum, quia ante tempus putationis eduxit gladium,& serui auriculam amputauit;statim à Christo Domino audiisse: *Conuerte gladium tuum in locum suum.* Matth. 26. n. 52. Vt in posterum caueret, ne gladio,quod est verbum Dei,extra tempus vteretur. Denique Christum Dominum interroganti Præsidi,non respondisse ad vllum verbum, Matth. 27. n. 14 quia sciebat,nondum tempus putationis aduenisse,in quo infidelium incredulitas rescinderetur: hoc est, vt notat D. Chrysost. hom. 87. in Matth. quoniam minimè se persuasurum præuidebat. Ac proinde, vt Theoph. Iansenius & alij aduertunt,ne Iudæi responsione irritati magis insanirent,& grauiùs peccarent. Ex quibus omnibus rectè concludit D. Bern. abstinendum esse ab ea prædicatione,quæ non speratur profutura.

D. Bern.
Etiam Christus Dominus concionandi opportunitatē captabat.
Verbo Dei extra tempus nō vtendum.
D. Chrys.
Theoph. Ians.
Cauendum à prædicatione non profutura.
D. Bernar.

VII. Non omnino silentio Christus Dominus apud Herodem vsus est. Luc. 23. n. 9. Rationem reddit D. Greg. lib. 22. Moral. cap. 12. *Ipse*, inquit, *quia Herodem vidit, non profectum quærere; sed signa, vel scientiam velle mirari, requisitus ab eo tacuit. Quod factum oportet nos audientes discere, vt quoties auditores nostri, nostra volunt quasi laudanda cognoscere, non autem sua peruersa mutare; omninò taceamus: ne si ostentationis studio verbum Dei loquimur; & illorum culpa, quæ erat, esse non desinat; & nostra, quæ non erat, fiat.* Quare prudentes viri,cùm nullam de audientium profectu spem concipiunt,tacent;iuxta illud Prophetæ: *Ideò prudens in tempore illo tacebit: quia tempus malum est.* Amos 5. n. 13. Nec immeritò,inquit Lyra, *cùm videat, eam prædicationem nō esse ad emendationem; sed magis ad peccatorum aggrauationem.* Vnde Dauid: *In corde*, inquit, *meo abscondi eloquia tua; vt non peccem tibi.* Psal. 118. n. 11. Vbi D. Ambr. serm. 2. *Peccat*, inquit, *Deo, qui commissa sibi secreta mysteria putauerit indignis esse vulganda. Periculum itaque non est, falsa solùm dicere; sed etiam vera, si quis ea insinuet, quibus non oportet.*

Christus Dominus tacuit: quia importunè quærebatur.
D. Greg.
Lyran.
Concionator prudens tacet: quia videt nō profuturum.
D. Ambr.

VIII. Simile quidem est Euangelium *thesauro abscondito in agro.* Matth. 13. n. 44. Nam,sicut,qui thesaurum inconsultè prodit, omninò perdit: vt videre est in Rege Ezechia, qui, cùm thesauros domus suæ Legatis Babyloniis ostendit,amisit. Isai. 39. à n. 4. Ita,qui verbum Dei indignis prædicat, illius fructibus priuatur. Vnde,qui hunc thesaurum inuenit prudens homo, *Abscondit illum*, inquit D. Ambros. citatus, *in corde suo, nec diuulgat eum, sciens, quia si diuulgauerit Babyloniis thesaurum Dei, magnam offensam contrahet; vt dicatur ei sermone prophetico: Auferentur omnia, quæ in domo tua sunt: & de filiis tuis tollent, & erunt Eunuchi in palatio Regis Babylonis. Per quæ significatur, quòd is qui prodiderit diuina mysteria, posteritatem animæ suæ, seminariumq; virtutum habere non possit.* Diutiùs olim Diuus Paulus commoratus est apud Ephesios, quàm apud Corinthios. Nam scribens ad Corinthios: *Spero*, inquit, *me aliquantulum temporis manere apud vos, si Dominus permiserit. Permanebo autem Ephesi*, &c. 1. Corinth. 16. num. 7. Vbi vides, aliquantulum temporis, hoc est,breuissimas moras apud Corinthios posuisse:apud Ephesios verò longius tempus, vt verbum permanendi significat,collocasse. Discriminis rationem optimam ad præsens institutum colligit D. Ambros. citatus ex eodem Apostolo:quia Ephesij erant bene dispositi ad percipiendam fidem: nam apud illos, inquit Apostolus, *Ostium mihi magnum apertum est, & euidens*, &c. Ibidem, n. 9. At verò Corinthij, non ita; iuxta illud: *Ego, fratres, non potui vobis loqui, quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Lac vobis potum dedi, non escam; nondum enim poteratis: sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis.* 1. Corinth. 3. à n. 1. Æquum igitur erat,vt optimus veritatis Prædicator, quàm primùm desereret fastidiosos veritatis auditores: apud studiosos verò diutiùs moraretur. B

Qui Dei verbum indignis prædicat, eius fructū amittit.
D. Ambr.
D. Paulus, vt optimus concionator, fastidiosos deserens, apud auidos commoratur.
D. Ambr.

IX. Quin etiam Christus Dominus auditorum dispositioni consulens,non importunè suam doctrinam ingerebat,sed commodam in occasionem reseruabat: *Adhuc*, inquit, *multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò.* Ioan. 16. num. 12. Quasi diceret,vt ibi notat D. Chrysost. *Non est ignorantiæ meæ adscribendum, quòd non dicam, quæ dicere oporteret: sed auditorum imbecillitati.* Vnde laudatur fidelis seruus & prudens,quem constituit Dominus super familiam suam, *Vt det illis cibum in tempore.* Matth. 24. num. 45. Hoc est,doctrinam in optima occasione,seu dispositione. *Si enim*, inquit ibi Diuus Thomas, *vult dicere verba, quando non competit, perdit.* Neque solùm in tempore doctrina C præbenda est,sed etiam ad mensuram,iuxta alium Euangelistam: *Vt det illis in tēpore tritici mensuram.* Luc. 12. num. 42. Vt non solùm commoditas temporis,sed etiam capacitas auditoris attendatur: ne, si Prædicator plura ingerat,quàm auditor capiat, inutiliter refundantur. In cuius rei typum manna olim in deserto,ad mensuram, non ad gulam; ad necessitatem, non ad voluptatem tribuebatur. *Colligat*, inquit, *vnusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum.* Exod. 16. n. 16. Sicut enim immodico cibo non nutriuntur vires, sed obruuntur: ita vberiori cælestium mysteriorum notitia, quàm fert animus,non pinguescit corpus, sed contabescit. Vnde,si auditor non tam voluntate proficiendi,quàm curiositate sciendi,plura,quàm par sit, à D Prædicatore audire velit: ex eo repellatur, quòd Prædicator non sit mysteriorum possessor,sed dispensator; vt non pro suo arbitrio illa communicet, sed pro Domini imperio illa partiatur; iuxta illud Apostoli: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4. n. 1. Quasi diceret: Non existimet auditor,nos esse dominos mysteriorum Dei, sed ministros; non possessores, sed dispensatores: proindéque non esse plura à nobis euulganda, quàm quæ nobis à Domino imperentur: vt iis tantùm,quibus opus est,& quando opus est,& quomodo opus est, cælestis doctrina distribuatur.

Auditorum imbecillitati consulendum.
D. Chrys.
Concionator, vt fidelis dispensator, auditoris attendit capacitatem.
D. Thom.
Vberior aliquando verbi Dei notitia animū obruit.
Concionatoris est imperata solū euulgare.

X. Non sine mysterio Satrapæ Philisthinorum Arcam à Palæsthina auehendam curauerunt. Suprà, cap. 5. n. 11. Vt ostenderetur prædicatio veritatis ab incredulis ac malè dispositis remouenda. E Vnde D. Greg. ibi: *Arcam*, inquit, *Dei sancti Prædicatores auferunt: quia ad damnationem indiscreti Prædicatoris agitur, si diuina mysteria non imitanda perfidis, sed irridenda & conculcanda deferantur.* Neque Satrapæ tantū; sed etiā, vt addit Greg. Satraparum Dominus hoc præceptum inculcauit, dicens: *Nolite dare sanctū canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.* Matth. 7. n. 6. Nam, vt ibi D. Chrysostomus, *Nihil*, inquit, *hinc affertur amplius*

D. Greg.
Prædicatio à malè dispositis remouenda.
D. Chrys.

Ex concione ad incredulos cumulantur scelera.

amplius, quàm noxa cumulatior: siquidem & ab illis sancta temerantur, & ipsi desperatius insolescunt. Vbi etiam expendit verbum illud, *conuersi*, simulationis plenissimum esse: *Bene*, inqoit, *ait: conuersi disrumpant vos: modestiam enim simulant, vt secreta condiscant: cùm verò didicerint, repentè alij ex aliis effecti, irridens, insultant, atque illudunt, quasi quadam à se arte deceptus.* Hos igitur auditnres verbi, seu pòtiùs impostores, Christus Dominus fugiendos docoit, non solùm verbo, sed etiam exemplo. Nam veniens in patriam suam, non solùm ab illa quàm primùm exioit: sed etiam quandiu in ea fuit, addit Euangelista, *Non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem illorum.* Matth. 13. n. 58. Vbi non ipsa incredulitas præcisè, fuit ratio noo faciendi miracula; alioqui nunquàm apud incredulos miracula pattarentur; contra quàm sępenumerò factum nouimus: sed talis incredulitatis dispositio, quę etiam miracula cootemneret, & suis erroribus pertinaciter adhæreret. Quando igitur non speratur fructus prædicationis, sed potiùs roina audientium timetur, silcat Prædicator. Atque hæc quoad doctrinam Abolensis: quæ omninò sana est, & cuius illostrandæ occasio passim alibi recurret.

Cùm non speratur fructus, sileat Prædicator.

XI. Non tamen mihi videtnr huic loco conuenire. Neqoe enim adduci possum, vt credam, Samuelem propter defectum dispositionis in auditoribus requisitæ, hanc prædicationem de abiuraodis idolis post annum vigesimum distolisse. Nam Israelitæ ad hanc prædicationem audiendam statim ab initio satis dispositi videbantur. Viderant enim ingentes Philisthinorum plagas, mirabilem Arcæ reditum, subitam Bethsamitarum stragem: quæ tria eorom animos noo mediocriter commouebant, & ad vnum Deum amplectendum, cuius gratia illa omnia gererentur, & ad falsos Dcos detestandos, à quibus nihil auxilij præstaretur, non parum excitabant. Quare tam multis prodigiis diuinitùs præparatos vrgere debuit Samuel statim ab initio ad omnem idololatriam penitùs abolendam. Alioqui illam ignauiam Iudicis Heli, cui in potestatem successerat, hæreditasse videretur. Et confirmatur: quia, si Iacobus ascensorus in domum Dei Bethel, oe vnam quidem noctem apud se idola cōmorari passus est, sed statim: *Abiicite*, inquit, *Deos alienos, surgite & ascendamus in Bethel.* Gen. 35. n. 2. quo pacto Samuel coram Arca Dei, Dæmonum simulacra totos viginti annos delitescere pateretur? An infirmior erat Arca Dei io patrio solo, quàm in alieno? Absit. *Si* igitur io Palęsthina ne vnam quidem noctem Dagonis consortium admisit: qoo pacto in Iudæa cū vanis simulacris tam multos annos simul cohabitaret? Adde, quod superiori Num. dictum est, post Arcam restitutam, statim omnem domū Israel post Dominum requieuisse: non requiescit autem in vero Deo, qui alienos veneratur. Tandem, vana esset cura & sollicitudo Samuelis, si ab ioitio verū Deum colendum prędicaret, & tamen falsos Deos exclodendos non admoneret: cùm primus veræ religionis gradus, vt patet ex initio Decalogi, Exod. 20. num. 3. in falsis Diis abiurandis cōsistat. Quare ab initio proculdubiò de extermioādis idolis setiò agit: nunc autē in eandem prædicationem acrior incumbit, dicens:

Ab initio cōuenientiùs Samuelem magis videtur consentaneum.

Confirmatur ampliùs superior sententia.

Non requiescit in vero Deo, qui alienos veneratur.

XII. *Si in toto corde vestro*, &c. Per conuersionem ad Dominum in toto corde, veram pœnitentiam declarat: sic enim Dominus illam declarauerat: *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Ioël. 1. n. 12. Hoc est, inqoit Theodoretus: *Non diuidentes hoc in voluptates, & vota:* seu deliciis pariter, & lacrymis impendentes. Tria verò ad veram pœnitentiam requirit. Primū, vt auferant Deos alienos. Sic enim

Per conuersionem ad Deum, vera pœnitentia declaratur.

A Iacob ascēsurus in Bethel, ac Dominum oraturus; priùs conuocauit omnem domum suam, & ait: *Abiicite Deos alienos, qui in medio vestri sunt*, &c. Et tūc demum: *Surgite, ascendamus in Bethel*, &c. Gen. 35. n. 2. & 3. Quasi in domum orationis ad verum Deum orandū ascendere non possent, antequàm à propria domo falsos Deos exterminateot. Sed dubitatio existit, quam D. Greg. attigit: Dionys. verò, & Abul. clariùs excitarunt. Nam, si omnis domus Israel post Dominū requieuerat; ac proinde Deos alienos iam abstulerat: quo pacto ounc, vt actum agat, admonetur? Aliquis respondebit, inquit Abulensis: quòd Samuel loquebatur hoc generaliter, sicut Prædicatores faciunt; qui interdum redargount aliqoa peccata, quæ in populo non sunt. Ita

B ille. Sed refellit: quia reuerà dicūtur Israelitę Num. sequenti idola abstulisse. Adde, Samuelem non solùm fuisse Prædicatorem, sed etiam Prophetam: & proinde verba in incertum non iactasse; sed quod populo maximè necessarium erat, attigisse.

Vt verus Deus adoretur, idola exterminanda.

D. Greg. Dionys. Abul.

XIII. Dupliciter igitur respondeo. Primò, præcepisse Samuelem, vt Deos alienos, quos effectu ipso iam eiecerant, nunc iterum affectu detestarentur. Quo pacto & nunc salubriter admonentur Christiani, vt peccata semel per confessionem expiata, sæpissimè per nouam detestationem abiorent. Sic olim Iosue ad populum, iam in amicitiam cum Deo restitutum, *Fecistis*, inquit, *omnia, quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini, mihi quoque in omnibus obedistis.* Ios. 22. n. 2. Et tamen paulò pòst: *Auferte*, io-

C quit, *Deos, quibus seruierunt patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto, ac seruite Domino.* Ios. 24. n. 14. Si iam falsis Diis renuntiauerant, quorsum iterum renuntiare admonentur? Credo, vt, quod opere cōpleuerant, nouo animi decreto firmum ratumque haberent. Sic olim Israelitæ contra Madianitas decertantes, iuxta Moysis imperium, *Omnes mares occiderunt.* Num. 31. n. 7. Et nihilominùs cū ex pręlio victores triūphatoresque regrederentur, Moysem audiunt imperantē: *Ergo cunctos interficite, quidquid est generis masculini.* Ibid. n. 17. Nónne iam omnes erant interfecti? Cur ergo iterum interfici iubentur? Dici potest, oc Israelitas sui facti pœniteret: sed integrū adhuc propositum vlciscendi Dei hostes, non modò conseruarent, sed etiam renouarent.

Peccata sæpiùs abiuranda.

Quod opere completur, nouo animi decreto firmandum.

XIV.

D Tribum Leui consecrauit Moyses io ministeriū Tabernacoli multò ante mortem Aaroois. Num. 3. n. 6. Immò, vt sentit Lyranus, primo anno post egressum de Ægypto, cùm Leuitæ manus suas in suorum strage cognatorū Deo consecrarunt Exod. 32. n. 29. Et nihilominùs Deut. 10. n. 8. narrata morte Aaronis, quæ cōtigit anoo quadragesimo egressionis ex Ægypto, vt Nom. 33. n. 38. exprimitur, statim subditur io Litera: *Eo tempore separauit* Moyses *Tribum Leui, vt portaret Arcam fœderis Domini, & staret coram eo in ministerio*, &c. Si igitur Tribus Leui ante mortē Aaronis primo anno ab egressione de Ægypto, separata fuit à populo, ac Domino consecrata: cur iterum post mortē Aaronis, & anno post egressum de Ægypto quadrage-

E simo iterum separatur & consecratur? Ratio esse potest ad rē præsentem, vt quæ facto ipso se Deo deuouerat, iterum se animo deuoueret, & nunquàm facere desineret, quod semper renouaret.

Lyra.

Deuoti Deo, iterum ac sæpius deuouendi.

XV. Abrahamum de patria sua Vr Chaldęorum, iam egressum, Gen. 11. n. 31. denuò compellat & inuitat Deus ad egrediendum: *Egredere*, inquit, *de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui.* Gen. 12. n. 1. Vt priorem effectum posteriori affectu cumularet. Quasi diceret, interprete Ruperto lib. 5. in Genes. c. 3. *Sicut de terra Chaldæorum corpore egressus es, animo quoque sic egredere.* Nec

Ideò Abrahā bis egredi iubetur, vt & corpore & animo egrederetur.

D. Aug.

aliter D.Aug.q.24.in Genes.egredi iubetur de Vr Chaldæorum: *Non vt corpus*, inquit, *inde eiiceret, quod iam fecerat; sed vt animam euelleret*. Ita ferè expedit eandem difficultatem D. Ambr. lib. 1. De Abraham, c.2. *Consideremus*, inquit, *ne fortè hoc sit exire de terra sua, hoc est, de illecebris & delectationibus corporalibus*. Vt non solū patriam desereret, sed etiam patrias ab animo delicias ablegaret; & vnde pedibus egressus fuerat, inde & affectibus egrederetur. Sic olim Deus cum Moyse familiariter loquutus: *Veni*, inquit, *& mittam te ad Pharaonem*. Exod.3.n.10. Sed, si Moyses coram Deo præsens aderat, quò vlteriùs euocatur? Rectè Lyran. *Licet*, inquit, *esset præsentialiter coram Deo; tamen dixit, Veni, per hoc significans, vt deberes esse promptus mente, sicut erat præsens corpore*. Iam verò in deserto vocauit Dominus Moysem, dicens: *Ascēde ad Dominum, tu & Aaron*, &c. Exod.24.n.1. Dicto illi audiētes, *Ascenderunt & viderunt Deum Israel*, &c. Ibid. n.9. Sed iam in monte consistentem, iterum Deus in montem euocat: *Ascende*, inquit, *ad me in montem*. Ibidem, num.12. Quorsum, qui iam ascenderat, iterum ascendere iubetur? Seuerus in Catena Græca, distincta imperia interpretatur; ita vt aliquid ampliùs hoc posteriori oraculo, quàm illo priori imperetur: *Non in montem*, inquit, *tantùm, quem iam ascenderat; sed ad me*, inquit, *vt sublimiorem adhuc, quam cæteris ascensum proponat iis, qui accedere velint ad Deum*. Verùm, quia & prius oraculum Moysem non solùm in montem, sed etiam ad Dominum euocauit; dici vlteriùs potest, iussionem non tam fuisse diuersam, quàm eandem repetitam: ita vt, quod priùs opere fecerat, id posteà voluntate perficere; aut saltem priorem voluntatem renouare, ratámque habere iuberetur.

D.Ambr.

A patria non solùm pedibus, sed affectibus recedendum.

Lyra.

Obediens & corpore & mente promptum se exhibere debet.

Seu.

Qui ad Deū accedere vult, plus cæteris ascendere debet.

XVI. Graoissima fuit illa Dei in populum comminatio: *Non ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es*. Exod.33. num. 3. Quid verò populus? *Audiens sermonem hunc pessimum, luxit, & nullus ex more indutus est cultu suo*. Ibid.n.4. Lautiores vestes, quibus in festiua illa celebritate Pentecostes, seu legis diuinitùs acceptæ ornabatur, deposuit: immò, vt addunt Hebræi, coronas, torques & monilia, cæteráque corporum ornamenta, quibus in illius celeberrimi diei gratiam se excoluerat, abiecit. Sic exutum & pœnitentium ritu deformatum, iterum Deus alloquitur: *Iam nunc depone ornatum tuum*. Et statim: *Deposuerunt ergo filij Israel ornatum suum*. Ibid.n.5.& 6. Sed, ecce tibi dubitatio. Quorsum monet Deus, vt populus iam exutus exuitur, iam denudatus denudetur? Respondet Burgēsis Addit. 3. non inculcari à Deo nouam spoliationem; iam enim se omnes spoliauerant: sed nouam spoliationis præteritæ approbationem. Vt quod bene fecerant, fecisse gauderent, ac de suo sibi facto complacentes exultarent. Quare Dauid a Deo probatum se dicebat: *Domine, probasti me, & cognouisti me*. Ps. 138.n.1. Et nihilominùs in eodem Psalmo, iterum, vt à Deo probaretur, postulabat: *Proba me, Deus, & scito cor meum*. Ibid.n.23. Semel à Deo probatus, sæpiùs probari cupiebat; vt & ipse virtutes semel exhibitas, sæpiùs curaret exhibendas: & si actum agere non posset; ratum nihilominùs, quod egerat, haberet. Sic igitur hoc loco Israëlitæ Deos alienos, quos abiecerant, iterum abiicere iubentur, vt intelligant, diuina imperia non solum opere exequenda esse; sed etiam voluntate prosequenda: & quæ semel in Dei obsequium facta sunt, nouo semper affectu approbanda. Atque hæc de prima responsione.

Non solùm se debet iniqua spoliare, sed spoliationem iterum approbare.

Burg.

Dauid sæpiùs à Deo probari petit, vt semel actum, ratum habeat.

XVII. Secundò respondeo, præcepisse Samuelem, vt Deos alienos auferrent; quia, vt vult Abulensis, adhuc aliqui eos colebant; quamuis tam pauci, vt præ multitudine colentium verum Deum, nulli ferè viderentur: & propterea absolutè dici posse omnem domum Israel post Dominum requieuisse. Vel etiam, vt sentit Dionysius: quia, licet omnes omninò verum Deum colerent, & alienos detestarentur; adhuc tamen aliqui eorum simolacra retinebant, si non propter cultum idolorum, saltem propter pretium auri & argenti, ex quo constabant. Samuel autem volebat, vt hæc etiam idololatrandi occasio & illecebra de medio tolleretur: sequutus exemplum Moysis, qui non solùm idololatriam abolendam curauit; sed etiam idolum conterendum. Exod.32.n.20. ne idololatria semel mortua reuiuisceret, & ex suis cineribus iam sepulta repullularet. Immò sequutus diuinum præceptum, quo Israëlitæ non solùm vanas idolorum figuras execrari iubebantur: sed etiam pretiosas eorum materias, aurum & argentum aspernari. *Sculptilia eorum*, inquit Legislator, *igne combures: non concupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt; neque assumes ex eis tibi quicquam*, &c. Deut.7. n.25. Quasi illa materia, quantumuis pretiosa, in qua tam execrabilis figura insedisset, abominabilis Deo redderetur.

Abul.

Ideò iubentur idola auferre, non quod colerēt, sed quod ob pretium retinerent.

Dionys.

Ideò Moyses idolum contriuit, ne ex cineribus iterum idololatria pullularet.

Materia idolorum, licèt pretiosa, Deo execrabilis.

XVIII. Addo, quamuis fortasse nemo iam idololatriam coleret, neque idola apud se conseruaret; adhuc nihilominùs Samuelem non immeritò præcepisse, vt Deos alienos auferrent, hoc est, vt illas affectiones propensionésque ad cultum idolorum ex longa idololatrandi consuetudine haustas, & quodammodo iam innatas, penitùs abolerent. Vera enim pœnitentia non solùm debet tollere ex animo peccata; sed etiam peccandi concupiscentiam sopire: ita vt illæ carnis leges, mentis legibus repugnantes, quæ in corporis membris sentiuntur, adhuc in corpore viuo præmoriantur. Aliàs, dum concupiscentia fouetur, necesse est, vt idololatria timeatur. Nam, sicut qui concupiscentias domat ac frangit, Martyr est; vt D.Ambr.serm.20.in Psal. 118. luculenter ostendit: ita, qui suas concupiscentias fouet ac nutrit, idololatra; vt Carthusianus in sensu mystico huius loci insinuat. Rectè igitur monet Samuel, vt non solùm idola exterminentur; sed etiam, vel minimæ ad ea propensiones ex animo eradantur.

Iubentur à Samuele etiā idololatrandi affectus reijcere.

D. Ambr.

Qui suos frāgit affectus, Martyr est: qui fouet, idololatra.

Carth.

XIX. Seorsim verò nominat Baalim & Astaroth. De vtroque nomine multa noster Serarius in cap. 2. Iud.q.1.& 2.& Pineda in præuio Salomone, lib.7. cap.11.n.2. nos pauca colligemus. Quod attinet ad prius. Neque in Hebræo, neque in Græco, neque in Chaldæo, est nomen *Baalim*: Chaldæus enim legit: *Transire facite errorem Gentium de inter vos*. Iam enim diximus cap. 5. Num. 7. idolum appellari errorem, obiectiuè & effectiuè, quia errores terminat & gignit. At verò Septuaginta transferunt: *Auferte Deos alienos*. Verùm, quia Baalim idem significat, & alioqui cum Astaroth in Scriptura coniungitur, Iud. 3. n.7. 1. Reg.12.n.10. idcircò Latinus illud retinuit. Est autem nomen plurale à singulari *Baal*, seu, *Beel*, seu, *Bel*: vt in aliis atque aliis Scripturæ locis vsurpatur. Secundum etymon idem est, quod dominantes, seu possidentes. Et quamuis sit nomen appellatiuum, seu generale idolorum, vt Theodoretus in cap.32. Ieremiæ obseruat: tamen aliquando ex aliquo additamento ad certos aliquos Deos significandos determinatur. Nam Baal Tyriorum, est Hercules, apud Tullium lib. 3. De Natura Deorum: Baal Aquileiensium, est Apollo, apud Herodianum in Maximino: Baal Assyriorum, est Belus Nini pater, apud Diuum Hieronymum in cap.2.

Serar.

Pined.

Ideò idola appellantur errores, quia eos gignunt & terminant.

Theod.

Idola diuersarum gentium numerantur.

cap. 2. Oseæ: Baal Carthaginensium, seu Pœnorum, est Iupiter, apud D. Augustinum quæst. 16. in Iudices, & sic de aliis. Hoc loco generaliter sumitur pro quolibet idolo. Omnia enim Samuel exterminanda præcipiebat. Nam Deus omnium omninò idolorum nõ solùm simulacra, sed etiam nomina detestabatur; iuxta illud: *Auferam nomina Baalim de ore eius, & non recordabitur vltrà nominis eorum.* Oseæ 2. num. 17. An verò nomen, Baalim, significet Deos omnes, tam mares, quàm fœminas? dubitatio est, quam Serarius citatus affirmatiuè decidit. Quamuis hoc loco mihi videatur pro solis maribus vsurpandum: vt nomen, Astaroth, æqua distributione pro solis fœminis vsurpetur; & ea vtroque omnis Deorum ac Dearum multitudo de medio tollenda præcipiatur: fauente Grammatica Hebræorum, apud quos his terminationibus, *Im*, & *Oth*, masculina & fœminina vocabula distinguuntur.

Deus nõ idola solùm, sed & nomina detestatur.

Baalim est nomen idolorum velut genericum.

XX. Quod ad posterius attinet: Astaroth non est apud Septuaginta, transferentes: *Auferte Deos alienos de medio vestri, & lucos.* Verùm, cùm hæc idola inter nemora & lucos colerentur: à loco rem locatam significarunt. Vel fortè non legerunt in Hebræo: עשתרות *Astaroth*; sed אשרות *Asseroth*, id est, *Lucos*. Sed sensus idem est: quia semper idola, vel ea suo nomine, vel ea suo loco indicantur. Aquila vtrunque coniungens, vertit: *Lucos Astaroth*: & maiori cum emphasi, vt significet, non solùm idola auferenda; sed etiam nemora, in quibus colebantur, eradicanda: ne, si locus remaneret, idololatria repullularet. Est autem Astaroth nomen plurale à singulari, Astarath: quemadmodum Septuaginta dicunt pluraliter Astarthas, singulariter Astarthen. Et quamuis generaliter significet quamlibet Deam; vt Montanus in cap. 2. Iud. aduertit: tamen, vt diximus de Baalim, ad certas ea certis circunstantiis limitatur. Nam Astarthe Sidoniorum, Philisthinorum & Tyriorum, est *Venus*; apud Herodotum lib. 1. Tullium lib. 3. De Natura Deorum, Theodoretum hoc loco, quæst. 14. Procopium, & alios. Astarthe Edessenorum, est *Luna*; apud Lucianum, de Dea Syria. Astarthe Babyloniorum, est *Diana*; apud D. Epiphanium, hæres. 19. Astarthe Pœnorum, est *Iuno*; apud D. August. quæst. 16. in Iudices. Et sic de aliis. Dicitur autem singularis Dea, non solùm Astarthe, nomine singulari; sed etiam Astaroth, nomine plurali, 1. Reg. 31. num. 10. Vt magna eius prærogatiua & excellentia significetur: quo pacto vnus ac verus Deus, plurali nomine *Elohim* honoris gratia appellatur. Quæ fortasse causa fuit, cur hæc Dea per excellentiam *Cælestis* dicta fuerit; vt Tertul. in Apolog. cap. 24. D. August. lib. 2. De ciuit. cap. 4. Saluianus lib. 8. De Prouidentia, & alij apud Pamelium in Tertul. citati testantur. E quibus Saluianus loquutus de Afris: *Cælestem*, inquit, *Afrorum Dæmonem dico: cui ideò, reor, veteres pagani tam speciosæ appellationis titulum dederunt, vt quia in eo non erat Numen, vel nomen aliquod esset: & quia non habebat aliquam ex potestate virtutem; haberet saltem ex vocabulo dignitatem.* Vnde aliqui existimant, per nomen, Astaroth, non significari hoc loco omnes gẽtium Deas; quod paulò antè diximus; sed hoc præcipuum idolum, ad quod magis afficiebantur: nec multùm refert, vtro modo intelligas. Figura huius idoli alia ab aliis traditur: A Suida quidem, fuisse dicitur figura astri: quod Serarius citatus latiùs probat. Et hanc fuisse credit, quam Herodianus lib. 5. appellauit *Astroarchen*, id est, Astrorum principem; & Ieremias cap. 44. num. 17. *Re-*

Non solùm idola auferenda, sed loca, in quibus colebantur.

Aquil.

Mont.

Astaroth aliquando ad certas Deas determinatur.

Pluralis numerus adhibetur aliquãdo honoris gratia.

Tert. D. August. Salu.

Ideò idola speciosa habent nomina, quia Numina nõ habẽt.

Varia de figura idoli huius sententia. Serar.

A *ginam cæli*, hoc est, Ducem & Principem luminum reliquorum. A Rabbi Kimhi dicitur fuisse figura ouis. Nam, sicut Iupiter Ammonius arietinis cornibus fingebatur: ita æquum fuit, vt Iuno, quæ eius dicebatur *& soror, & coniux*, sub ouina specie fingeretur.

XXI. Vnde autem nomen, Astaroth, idolo inditum fuerit: non omnes eodem modo definiunt. Quidam ab vrbe Astaroth, Gen. 14. n. 5. Deut. 1. n. 4. Iosu. 9. n. 10. in qua huius idoli cultus vigebat, & eius fabricandi artifices habitabant. Alij, a gregibus, seu pecudibus, quæ Deut. 7. n. 13. iuxta Hebræũ dicuntur *Astaroth*: vt sic idola, quæ pecudum figuram habebant, pecudum nomen sortirentur. Vide quibus Dominis ac Diis, nõ solùm Ethnici, B sed etiã Hebræi subiiciebantur. Expostulabant illi quidem cum Deo, quòd hominibus subiicerentur, dicentes: *Imposuisti homines super capita nostra.* Psal. 65. num. 12. Et tamen ipsi sua sponte se belluarum gregibus subiiciebãt. Tertiò tandem alij, à diuitiis, quæ dici possunt *Astaroth*, vel à verbo עשר *Ghasar*, quod significat *Ditari*, seu, *Beari*, vel ab ipsis gregibus dictis in Hebræo, *Astaroth*, ex quibus diuitiæ colliguntur. Sicut apud Latinos, à pecudibus, pecuniæ, & pecuniosi appellantur. Idem igitur nomen & pecudes & diuitias ea pecudibus conflari solitas significabat. Nec sine mysterio, vt diuitiæ irrationales, seu bestiales esse insinuentur. Vnde olim Ioseph pecuniam, quam suis fratribus restituere volebat, collocari iussit, C non in saccis triticeis, ex quibus vescerentur homines; sed in saccis hordeaceis, ex quibus iumenta pascerentur: vt facilè mihi videor colligere, tum ex eo, quòd sacci triticei omninò pleni erãt; iuxta illud: *Iussit ministris, vt implerent eorum saccos tritico.* Gen. 42. n. 25. ac proinde pecuniam capere non possent: tum etiam ex eo, quòd vnus ex fratribus Ioseph, *Aperto sacco, vt daret iumento pabulum in diuersorio, contemplatus est pecuniam in medio sacculi.* Ibid. num. 27. Aperto, inquam, sacco, vtique hordeaceo: neque enim triticum iumentis, præsertim in tanta annonæ caritate, tribui congruebat. Vbi vides, pecuniam tam abiectam significari, vt non inter cibos hominum; sed iu- D mentorum seruaretur. Igitur hæc idola à pecudibus, seu à pecuniis inde conflatis, dicebantur Astaroth, quòd suos cultores locupletare ac beare dicerentur: cùm tamen eos potiùs amentes redderent & insanos; ac denique in vilitatem redactos pecuinam.

In nomine Astaroth, vnde inditũ, variant Authores.

Hebræi, vt pote caci, hominibus obedire ægrè ferebãt, & belluis se subiiciebant.

Diuitiæ irrationales sunt, & bestiales.

Pecunia non inter cibos hominũ, sed iumentorũ rectè collocatur.

XXII. *Præparate corda vestra Domino.* En secundum, quod Samuel ad pœnitentiam requirebat. Chaldæus vertit: *Firmate cor vestrum in cultu Domini.* Nam verbum הכינו *Hachinu*, à radice כון *Chon*, quod hoc loco ponitur, præparare & confirmare significat. Vterque sensus germanus est, & vterque breuiter explicandus. In priori quæritur: Quid sit præparare corda Domino? D. Gregor. respondet, non esse aliud, quàm internam mentis puritatem ac munditiam curare: *Cor*, inquit, E *Domino præparat, qui mentem non solùm ab immunda cogitatione separat; sed etiam cogitationum sanctarum ac virtutum fulgoribus illustrat; vt velut abiectis & comminutis idolis, se Dei templum efficiat: dum illic diuinæ gratiæ sedem erigit, vbi reprobos spiritus manere per praua desideria non permisit.* Et concludit, rectè præcepisse Samuelem, vt priùs Deos alienos abiicerent; deinde corda Domino præpararent: quia rectus ordo veræ conuersionis postulat, vt priùs mala reprobentur; deinde bona exerceantur.

Corda Domino præparare, est internam curare mentis puritatem.

D.Greg.

Rectus conuersionis ordo est mala reprobare, bona exercere.

XXIII. Diuus Bonauentura sermone 1. in Dominica

D.Bonau. Triplex corda præparãdi modus ex D.Bonau. Primus, vt discipuli magistro, vt ei credamus. Secundus, vt serui Regi, vt ei pareamus. Tertius, vt pœnitentes Iudici, vt ei satisfaciamus.

quarta Aduentus, docet, tripliciter nos posse corda nostra Domino præparare. Primò, tanquam discipulos magistro sapientissimo, vt ei credamus. Sic illud: *Esdras autem parauit cor suum, vt inuestigaret legem Domini.* 1. Esdr. 7. num. 10. Secundò, tanquam seruos potentissimo Regi, vt ei pareamus; quo pacto Dauid: *Paratus sum*, inquit, *& non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.* Ps. 118. n. 60. Tertiò, tanquàm pœnitentes Iudici rectissimo, vt ei per cõtritionem de præterito, & emendationẽ de futuro satisfaciamus; iuxta illud: *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.* Eccles. 2. n. 20. Quibus omnibus modis potuit Samuel populum admonere, vt corda sua Domino, tãquàm docenti magistro, & iubenti Regi, & absoluenti Iudici præpararet. Dionysius Carthus. sic exponit: *Præparate corda vestra Domino: Id est*, inquit, *ad gratiam & virtutes, seu ad earum incrementa disponite vos, faciendo, quod in vobis est, & obicem auferendo.* Vbi supponit, potuisse populum, faciendo, quod in ipso erat, & tollendo obicem, se ad gratiam præparare. Quod cùm sit omninò Theologicum, non est hoc loco facile disputandum; sed Scholasticis relinquendum. Nihilominùs, quantùm ad intelligentiam horum verborum necessarium est, breuiter attingendum, & in partem, quæ verior & certior est, determinandum.

Carth. Præparare corda ex Carthusiano est, ad gratiã & virtutes se disponere.

XXIV. *Triplex ad gratiam præparatio.*

Triplex igitur distingui potest præparatio. Vna, ad gratiam præuenientem. Altera, ad sanctificantem. Tertia, ad augmentum gratiæ sanctificantis. De singulis dicendum. Primò. Ad gratiam præuenientem omnium primam, nulla requiritur, aut sufficit ex parte hominis præparatio. Probatur. Quia hæc, quæ fingitur præparatio ex parte hominis, debet esse ordinis naturalis, cùm supponatur antecedere omne auxilium ordinis supernaturalis. Ergo non est accommodata dispositio ad gratiam præuenientem, quæ est ordinis supernaturalis: nam proportionata dispositio ad formam debet esse in eodem ordine cum forma, ad quam disponit. Si verò non est proportionata formæ, rectè sequitur, neque requiri, neque sufficere, vt ea introducatur. Et seorsim, quòd non requiratur, patet: quia Deus vocat, excitat & præuenit hominis voluntatem, quando & quomodo vult, nulla eius præparatione requisita; iuxta illud: *Inuentus sum à non quærentibus me, palàm apparui iis, qui me non interrogabant.* Rom. 10. num. 20. & Isai. 65. n. 1. vt videre est in Dauide, quem maximè obtenebratum Deus illuminauit; iuxta illud: *Illumina tenebras meas.* Psalm. 17. num. 29. in Diuo Paulo, quem maximè indispositum Deus excitauit: vt D. August. lib. De gratia & libero arbitrio, cap. 6. obseruat; & in ipso Augustino, quem minimè se præparantem ad gratiam diuina gratia præuenit: vt ipsemet fatetur lib. 5. Confess. cap. 1. *Domine*, inquit, *quis similis tibi? Quia oculum tuum non excludit cor clausum, nec manum tuam repellit duritia hominum; sed soluis eam, cùm voles, & non est, qui se abscondat à calore tuo.* Et sic de aliis. Quod inde patet: quia Deus potens est, quamlibet voluntatem, quantumuis indispositam, & in suis peccatis obstinatam, ad gratiam excitare: neque enim hoc sine impietate negari potest, vt Diuus Augustinus in Enchirid. cap. 10. & passim alibi testatur. Ergo nullam ex parte hominis præuiam dispositionem requirit. Quæ veritas est de fide in Concil. 2. Arausicano, can. 4. definita, condemnante eum, qui dixerit, Deum expectare voluntates nostras, vt à peccato purgemur.

Ad gratiam præuenientem nulla requiritur, aut sufficit ex parte hominis præparatio.

Probatur prima pars conclusionis.

D. Aug.

Fundamentũ conclusionis apponitur.

D. Aug.

XXV. Quòd autem non sufficiat, suadetur ex Scriptura: *Sine me nihil potestis facere.* Ioan. 15. num. 5. Hoc est, sine auxilio gratiæ supernaturalis, nihil potestis facere conferens ad salutem. Qui autem solis naturæ viribus posset se ad gratiam præuenientem disponere, multùm posset facere: *Quid habes, quod non accepisti?* 1. Corinth. 4. num. 7. Hoc est: Quid habes ad salutem conducens, quod non accepisti ex dono gratiæ? Si autem gratiam excitantem quis habet absque auxilio supernaturali, multùm habet, quod non accepit. *Non volentis, neque currentis; sed miserentis est Dei.* Rom. 9. num. 16. Hoc est, volentis, aut currentis hominis non est, se ad gratiam disponere ac præparare. Vnde Esau voluit quidem paternam benedictionem, &, vt eam obtineret, cucurrit ad venandum, & nihilominùs non obtinuit, vt D. Anastasius Nicenus quæst. 59. obseruat. Vt significaret supernaturale beneficium, non ex vi naturæ, sed ex dono gratiæ obtinendum. Hinc illud de Æterna Sapientia: *Præoccupat, qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat.* Sap. 6. n. 14. Vbi illa præoccupatorum concupiscentia non videtur antecedens ad præoccupationem: alioqui Deus non præoccuparet illos; sed ab illis præoccuparetur: est igitur consequens, ita vt sensus sit: Deus præoccupat homines, qui præoccupati, Deum concupiscunt. Tandem ratione probatur. Quia præparatio hominis ex naturalibus liberi arbitrij viribus elicita, quæcunque sit, gratiam excitantem non meretur: neque de condigno, vt nemo, nisi Pelagianus, negabit: neque de congruo; tum, quia est inferioris ordinis, cum quo illa congruitas non stat; tum, quia alioqui nostra iustificatio non esset ex absolutissima gratia omne prorsus meritum excludente. Licèt enim gratia sanctificans meritum de congruo non excludat: prima tamen excitans excludere debet; vt D. August. epist. 105. & 106. testatur: & diuersitatis ratio est; quia illud meritum ad gratiam sanctificantem fundatur in gratia dispositionis supernaturalis: vnde non tollit rationem gratiæ in forma, quam meretur: hoc autem ad gratiam excitantem, si daretur; fundaretur in natura operis naturalis: vnde rationem gratiæ, saltem absolutissimæ, in forma, quam meretur, impediret. Cùm igitur hominis præparatio nullo modo gratiam mereatur; nullo etiam modo censetur dispositio ad illam: cùm dispositio moralis, qualis hæc esset, in eo consistat, quòd ei forma ex aliquo merito debeatur.

Secunda conclusionis pars suadetur. Primò ex Scriptura.

D. Anast.

Suadetur secũdò ratione.

D. August. Discrimẽ inter gratiam sanctificantem & præuenientem.

XXVI. *Obiectio quædam proponitur.*

Dices, deberi quidem ex gratuita Dei promissione, & statuta lege, qua decreuit hominem moraliter bene operantem, supernaturaliter præuenire. Quam colliges ex illis verbis: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ioann. 1. num. 12. Hoc est, potestatem, qua bene operantes moraliter, se ad gratiam adoptionis præpararent. Et ex illis: *Omnes homines vult, saluos fieri.* 1. Tim. 2. num. 4. qua ex voluntate ad gratiam vocet eos, qui bene moraliter operẽtur, iuxta vulgatum principium: *Facienti, quod in se est, Deus gratiam non denegat.* Occurrendum, talem promissionem, aut legem fingendam non esse, cùm neque in Scriptura exprimatur, neque ex vllis eius principiis colligatur. Nam ea, quæ citantur, non conuincunt: siquidem in priori sermo est, de potestate data hominibus gratiæ præuenientis, vt se ad gratiam adoptionis disponant: quod patet ex antecedentibus & consequentibus: *Quotquot autem receperunt eũ, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Vbi agitur de recipientibus & credentibus, vtique per auxilium gratiæ: non autem de iis, qui ex liberi arbitrij viribus absque auxilio

Superior obiectio diluitur.

lio gratiæ operantur. In posteriori sermo est de voluntate saluandi omnes homines, siue bene, siue malè operentur, offerendo omnibus sufficientia auxilia gratiæ: non autem de voluntate saluandi eos, qui bene moraliter operentur; eò quòd bene operentur. Vnde hæc auxilia diuina, non ex hominis dispositione; sed ex diuina beneuolentia offeruntur: cùm etiam indispositis offerantur. Nec illud proununtiatum aliud significat, quàm facienti, quod in se est, diuina gratia præoento, gratiam sanctificantem non denegari. Vt Suar. lib. 2. De Prædest. c. 18. cum D. Thoma alijsque Theologis exponit. Vel, si de prima gratia excitante intelligatur: sensus est, Deum facienti, quod in se est, hoc est, non ponenti obicem, auxilium præuenientis gratiæ conferre: non præcisè, quòd obicem non ponat, quasi id ei debeatur: cùm alioqui etiam ponentibus obicem, sæpè illud conferat: sed ex voluntate, qua omnes vocat, & quæ in non ponentibus obicem, non impeditur.

Expositio proununtiati.

Suar. D. Thom.

Dixi in conclusione, Ad gratiam præuenientem omnium primam: quia gratia præueniens multiplex est, quarum antecedens potest esse dispositio ad subsequentem, cùm omnes sint eiusdem ordinis supernaturalis: prima verò omnium non habet vllam antecedentem, quæ dispositio ad illam censeatur: vt ex dictis patet.

Gratia præueniens multiplex est.

XVII. *Ad gratiam sanctificantẽ requiritur & sufficit præparatio ex auxilio diuinæ gratiæ.* Conc. Trid.

Dicendum secundò: Ad gratiam sanctificantem requiritur & sufficit ex parte hominis præparatio, seu, dispositio ex auxilio diuinæ gratiæ. Quòd requiratur, definitum est in Concilio Trid. Sess. 6. can. 3. *Si quis, inquit, dixerit, sine præuenien te Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Et similiter alia antiquiora Concilia, Mileuitanum & Arausicanum, loquuntur. Et confirmat D. Thom. 1. 2. quæst. 109. artic. 6. Quia primi tantùm agentis est mouere ad vltimum finem; cùm ordo finium sit secundùm ordinem agentium: sed præparatio ad gratiam sanctificantem tendit in Deum, tanquàm in vltimum finem supernaturalem. Ergo à Deo, tanquàm à primo principio supernaturali, procedit. Quòd sufficiat, probatur: quia hoc saltem conuincitur ex illo principio: Facienti quod in se est, Deus gratiam non denegat. Hoc est: Ei, qui per auxilium gratiæ præuenientis se disponit completè ad gratiam sanctificantem, gratia infallibiliter confertur; non quidem ex condigno, cùm adhuc existat in peccato; peccatori autem nullum donum supernaturale ex condigno debeatur; sed ex congruo: congruit enim diuinæ bonitati, vt is, qui supernaturaliter præuentus, ad gratiam sanctificantem se completè disponit, sanctificetur. Et confirmatur ratione philosophica. Quia, quando causa secunda materiam sufficienter disponit, & formam introducere non potest: ad Deum pertinet, eius defectum supplere, formam introducendo: vt patet in anima rationali, ad quam generans disponit: sed cùm producere non possit, Deo relinquitur producenda. Ergo similiter, cùm peccator ex auxilio gratiæ solùm se possit ad gratiam disponere, ad Deum pertinebit gratiã conferre. Dixi in probatione completè: quia plures sunt operationes, quæ ad gratiã sanctificantem disponunt: aliæ remotæ, vt aliqua supernaturalis cognitio, fides, ac similes ex parte intellectus; pia affectio ad res fidei, spes, ac similes ex parte voluntatis: aliæ verò proximæ, vt dilectio Dei super omnia, & perfecta de peccatis contritio: quibus positis, tota ad gratiam dispositio completur, vt statim gratia conferatur.

Probatur authoritate Cõciliorum & Theologorũ. D. Thom.

Probatur secunda cõclusionis pars.

Confirmatur ratione philosophica.

Multa sunt operationes ad gratiam sanctificantẽ disponentes.

XVIII. *Ad augmentũ gratiæ sanctificantis datur in homine præparatio, quæ est operatio ex eadem gratia.* D. Thom.

A Dicendum tertiò: Ad augmentum gratiæ sanctificantis datur in homine sanctificato præparatio: quæ est operatio ex eadem gratia. Voco præparationem, cum D. Thoma proximè citato; quia, licèt talis operatio habeat perfectam rationem causalitatis moralis, meritoriæ de condigno; quia tamen physicè non producit illud augmentum, sed Deo producendum relinquit; dici potest ad illud præparare. Quod igitur iustus per supernaturales virtutum actus præpatet se ad augmentum gratiæ, quod Deus in eo producit; ac proinde io gratia & sanctitate proficiat & crescat; patet ex Scriptura multis locis: *Ascensiones in corde suo disposuit.* Et statim: *Ibunt de virtute in virtutem.* Psalm. 83. num. 6. & 8. *Iustorum semita, quasi lux*

Probatur ex sacra pagina.

B *splendens, procedit & crescit vsque ad perfectam diem.* Prou. 4. num. 18. *Ne verearis vsque ad mortem iustificari.* Ecclesiastici 18. num. 22. *Qui iustus est, iustificetur adhuc; & sanctus, sanctificetur adhuc.* Apoc. 22. n. 11. Hinc D. Paulus gratias Deo agit pro augmento donorum supernaturalium, quo Thessalonicenses proficiebant: *Gratias, inquit, agere debemus semper Deo pro vobis, fratres: quoniam supercrescit fides vestra; & abundat charitas vniuscuiusque vestrûm in inuicem.* 2. Thessal. 1. n. 3. Sic & D. Petrus: *Lac concupiscite, inquit, vt in eo crescatis in salutem.* 1. Petr. 2. n. 2. Et iterum apertiùs: *Crescite, inquit, in gratia, & in cognitione Domini nostri, & Saluatoris Iesu Christi.* 2. Petr. 3. num. 18. Et

C similia passim testimonia occurrunt, quibus congruenter Patres & Concilia loquuntur. A quibus breuitatis causa supersedeo, præsertim in re apud Catholicos indubitata.

XXIX. *De qua præparatione in præsenti sermo sit.*

His positis, dicendum superest, de qua præparatione Samuel loquutus fuerit. In primis, non de prima, cùm fictitiam esse, ex dictis constet. Dices, quamuis nemo se per bona opera mortalia solis naturæ viribus ad gratiam excitantem præparet; tamen potuisse Samuelem Hebræos admonere ad hæc moralia bona exercenda, vt saltem tollerent obicem & impedimentum diuinæ gratiæ. Fateor, ita potuisse: tamen de facto, si Litera spectetur, plus aliquid mihi videtur ab illis postulasse. Dixit enim: *Præparate corda vestra Domino, seu, erga Dominum:* vt habent Sixtianæ

D scilicet, tanquàm in finem supernaturalem. Ergo loquebatur de præparatione supernaturali tali fini proportionata: qualis non erat illa moralium bonorum exequutio solius naturæ viribus elicita. Quare dicendum est, loquutum fuisse de secunda & tertia præparatione respectu diuersorum. Nam respectu eorum, qui adhuc erant in peccato, loquebatur de secunda, quæ fit per gratiam excitantem, hoc est, per actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, & similes, disponentes ad gratiam iustificantem. Quasi diceret: Credite in Dominum, quem videtis tam multis prodigiis vestram in vtilitatem fulgurantem. Sperate in eum, quem cernitis tam multa vobis bona temporalia & spiritualia proponentem. Diligite dilectorem ve-

De secunda & tertia respectu diuersorum sermonẽ esse, dicendum est.

E strum: & quæ in vos beneficia tam liberaliter effundit, quantis maximis poteritis obsequiis, compensate. Denique omnes anteactæ vitæ noxas, quò grauiores fuerunt, eò vberioribus contritionis lacrymis diluite & abstergite: eò feruentioribus amoris incendiis excoquite & expiate. At verò respectu eorum, qui iam à suis peccatis resipuerant, ac diuina gratia inhærente fruebantur; de quibus paulò antè dictum fuerat, post Dominum requieuisse: loquebatur de tertia, quæ fit per supernaturales virtutum actus, ab ipsa gratia procedentes, & ad eiusdem augmentum spectantes.

tes. Ac si diceret: Ne patiamini gratiam vobis diuinitùs communicatam, languere vacuam, & otiosam desidere: date pecuniam Domini vestri ad mensam, vt vsuras spiritualium bonorum colligatis. Ne permittatis bonum diuinæ gratiæ semen in vobis præfocari: sinite, vt erumpat in fructus vberioris gratiæ, quibus vestrarum horrea mentium repleantur.

XXX. Nec sua caret emphasi verbũ, *Præparate*. Nam ad celeritatem diuinæ beneuolentiæ ac beneficentiæ ostendendam, bonorum operum complementa non imperat, sed tantùm exordia requirit: quæ statim à Deo magnum in augmentum promoueantur. Deus enim daturus magna, parua postulat: perfectionem communicaturus, solam exigit præparationem. Hinc Dauid: *Desiderium*, inquit, *pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Psal. 9. num. 17. Hoc est, interprete Bellarmino, non expectat, vt oratio foras prodeat; sed tantùm, vt eius desiderium, quæ est præparatio ad illã, intus in animo concipiatur: sic enim ad benefaciendum festinat, vt nõ minùs conceptis votis, quàm importunis precibus exoretur. Vnde ipse Dominus ad Dauidem: *Dilata*, inquit, *os tuum, & implebo illud.* Psal. 80. num. 11. Vbi rectè Titelmanus: *Non dicitur*, inquit, *extende ad opus manus tuas; & ego implebo eas: sed dilata tantùm os tuum. Quid enim facilius, quàm os aperire? Quid facilius, quàm os dilatare.* Vbi ex facilitate aperiendi os, colligitur celeritas diuina ad beneficia concedenda: ex capacitate oris dilatati, diuina liberalitas ad cumulanda. Atque hæc de priori significatione verbi, *Præparare*.

Diuinò beneuolentia non opera complementum imperat, sed tãtùm exordiũ requirit.

Bellar. *Deus non minùs conceptis votis, quàm importunis precibus exoratur.*

Thelm.

Quàm facilis Deus ad diuina beneficia largiẽda.

XXXI. Iuxta posteriorem, firmitas in bono proposito iis, qui iam à peccatis resipuerant, & post Dominum requieuerant, commendatur. Nam humani cordis instabilitas tanta est, vt à D. Bernardo lib. De interiori domo, cap. 62. atomis temerè volitantibus comparetur: *Facilius*, inquit, *atomos Mundi possem dinumerare, quàm motus cordis mei. Velocitas animalium & volatilium meis motibus æquiparari non potest.* Vbi & sequentibus capitibus plura de hac re. Quòd si aliquando in bono pedem figat, adsunt vndique qui impellant, vt ruat, iuxta illud Dauidicum: *Impulsus, euersus sum, vt caderem.* Psal. 117. n. 13. Vbi D. Bern. sermone 85. in Cantica: *Quæris, quis ille impulsor? non est vnus: Impulsor diabolus: impulsor Mundus: impulsor homo. Quis iste homo sis, quæris? Quisque sui. Noli mirari. Vsque adeò homo impulsor sibi est, & suimet præcipitator, vt non sit, quòd ab altero impulsore formidet.* Cùm igitur tam facilis sit homo ad ruinam; necesse est, vt in vno Deo, à quo tota sumitur stabilitas, solidetur, extra quem tota firmitas creata fluctuat & vacillat. Vnde D. Paulus: *State*, inquit, *in fide.* 1. Corinth. 16. n. 13. Vbi D. Chrys. hom. 44. rectè notat, non monuisse Apostolum, vt starent in peregrina sapientia, sed in fide. *Nam isthic quidem*, inquit, *consistere non potes, abripi potes; in fide stare licet.*

Quanta sit humanæ cordis instabilitas.

D. Bernard.

D. Bernard. *Multi homines in malum impulsores: ipse suimet præcipitator.*

Stabilitas in solo Deo reperitur.

D. Chrysost.

XXXII. *Et seruite illi soli, &c.* Tertio loco monet Samuel, vt soli Deo ab omnibus seruiatur. Chaldæus: *Seruite ante eum in solitudine sua.* Quasi templum Dei ita sit à cõsortio aliorum Deorum alienum, vt vel ipsa solitudo videatur. Vnde qui alteri seruit, etiam bona agens, Deo non seruit. Et rationem reddit D. Greg. *Quia*, inquit, *qui totum hominem condidit, habere eum communem cum aduersario non dignatur.* Quod fusiùs illustrat D. Bonauentura serm. 1. in Dominicam decimamquartã post Pentecosten, ad illa verba: *Nemo potest duobus dominis seruire.* Matth. 6. n. 24. *O quàm dissimiles*, inquit, *sunt isti duo domini, Deus & Diabolus! Primus enim est suauissimus*, iuxta illud: *Suauis Dominus vniuersis.* Psal. 144. num. 9. *Secundus, crudelissimus*, teste Propheta: *Tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium.* Isai. 19. num. 4. *Deo seruitur, flendo, per pœnitentiam; Diabolo, ridendo, per lasciuiam.* Vnde Christus Dominus: *Plorabitis & flebitis vos; Mundus autem gaudebit.* Ioan. 16. num. 20. *Deo seruitur, vigilando in custodia contra Diabolum: Diabolo seruitur, dormiendo in negligentia contra Dominum.* Hinc Apostolus: *Non dormiamus*, inquit, *sicut & cæteri; sed vigilemus, & sobrij simus.* 1. Thessal. 5. num. 6. *Deo seruitur, ascendendo de virtute in virtutem vsque in cælum: Diabolo, descendendo de vitio in vitium vsque ad infernum.* Quò referri potest illud: *Ascendunt montes, & descendunt cãpi.* Psal. 103. num. 8. *Et illi quidem ascendunt vsque ad cælos: isti autem descendunt vsque ad abyssos. Cùm ergo nemo possis duobus dominis seruire, repudiemus alterum, scilicet, Diabolum, vt soli Deo seruiamus. Præparate corda vestra Domino, & seruite illi soli.* Sic Bonauent. egregiè de hac re philosophatur.

Soli Deo seruiẽdum: nam qui alteri seruit, Deo non seruit.

D. Greg.

D. Bonau. *Quàm dissimiles domini, Deus & Diabolus.*

Discrimen inter Dei & Diaboli seruitium.

Acriter inuehitur Saluianus lib. 8. De Prouidentia, in Afros, qui, cùm Christum colerent; suis tamen idolis seruiebant: & à Dæmonum sacrificiis exeuntes, ad Christi Domini sacrificia introibant: *Tolerabilior*, inquit, *& minùs nefaria Gentilitas in hominibus professionis suæ. Illud perniciosius ac scelestius, quòd multi eorum, qui professionem Christo dicauerant, mente idolis seruiebant.* Et paulò pòst: *Non tam immanis criminis fuisset, ad templum Domini non venire. Quia Christianus, qui ad Ecclesiam non venit, negligentiæ reus est: qui autem sic venit, sacrilegij. Minoris autem piaculi res est, si honor Deo non deferatur; quàm, si irrogetur iniuria. Ac per hoc quicunque ista fecerunt, non dederunt honorem Deo, sed derogarunt.* Præstat igitur verum Deum non colere, quàm simul cum falso colere: quia, qui verum Deum non colit, fateor, non laudat: sed, qui simul cum falso colit, vituperat.

Salu. *Nemo potest Deo seruire & idolis.*

Melius Deũ non colere, quã simul cũ falso colere.

XXXIII. Quare, qui vtrique domino seruire volunt, à Deo seuerissima comminatione deterrentur: *Disperdam*, inquit, *qui iurant in Domino, & iurant in Melchon.* Soph. 1. num. 5 Erat autem Melchon idolum Ammonitarum. Vbi D. Hieron. *Hi sunt*, inquit, *qui seculo pariter & Domino putant se posse seruire, & duobus dominis satisfacere, Deo & mammonæ: qui militantes Christo obligant se negotiis secularibus, & eandem imaginem offerunt Deo & Cæsari.* Idcircò Dauid totum se vni Deo deuouebat: *Confitebor*, inquit, *tibi, Domine, in toto corde meo.* Psal. 9. n. 1. Vbi Theodoretus rectè obseruat totum cor Deo dicatum, vt nulla eius pars alienis dominis deseruiret: *Proprium*, inquit, *est perfectorum hominum, totum cor Deo dedicare, & omnem mentem ipsi consecrare. Qui enim partitur cogitationes in mammonam & Deum, in Christum & in aurum; in præsentem vitam, & in futuram, non potest verè dicere: Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.* Nec aliter ipse Vates ad Deum orabat, dicens: *Clamaui in toto corde meo.* Psal. 118. n. 145. Vbi Interlinearis, *Mens*, inquit, *diuisa non impetrat.* Diuisa autem censetur, quæ dimidiam sui partem Mundo, dimidiam Deo consecrauit. Tota igitur vnienda est, & integranda, vt à Deo exaudiatur. Vnde D. Ambrosius serm. 19. in eum Psalmum, *Sicut*, inquit, *corporaliter tunc bene clamatur, cùm toto ore clamatur: ita spiritualiter toto est clamandum corde, si volumus magna referre; & à Domino, quæ poscimus, impetrare.*

Deus seuerè minatur illis, qui Deo seruire volũt & mammonæ.

D. Hieron.

Dauid totum se Deo tradidit, vt nulla pars alieno relinqueretur.

Theod.

Mens diuisa inter Deũ & Mũdum, non impetrat.

D. Ambr.

XXXIV. Absit igitur, vt ad Deum orandum, vel colendum diuisa mente accedamus. Nam in mentem

dimidia

Deus tamè. ia in cor de illa mediatum non intrat. dimidia sui parte mutilatam, quo pacto diuina illa immenitas ingredietur; quæ ne ab integra quidem, & expedita capi potest: Non possunt profectò in eodem animo duo domini coniungi; sed hic, vel ille foras excludatur, necesse est, iuxta illud: *Coangustatum est stratum, ita vt alter decidat: & pallium breue vtrunque operire non potest.* Isai. 28. num. 20. Quasi diceret Propheta, interprete Diuo
D. Hier. Hieronymo: si vnus lectus duos sponsus capere non potest; nec vnum pallium duos viros operire: quo pacto cordis nostri angustiæ Deum ac
Cor humanū duobus dominis angustum. Diabolum complectentur: Quare, si vnus non exeat, alter non ingredietur. In cuius rei mysterium non intrauit olim Esaü in conclaue, vbi pater decumbebat, nisi postquàm exiit Iacob: *Et egresso*, inquit Textus, *Iacob foras, venit Esaü.*
Philo. Genes. 27. num. 30. Quod Philo Hebræus lib. De temulentia, in hanc rem probè obseruat, sub Iacobo prudentiam, id est, virtutem, ac proinde Deum eius auctorem: sub Esaü insipientiam, id est, vitium, & consequenter Diabolum eius fautorem interpretatus. Egresso Iacob intrauit Esaü: *Quamuisper enim*, inquit, *inambulat in anima prudentia, exterminatur amicus insipientiæ: sed quàm primùm illa migrat, alter reuertitur, gaudens ob discessum inimici infensissime, propter quam exulauerat.*
Ab eo corde, in quo Christus est, exulat Diabolus. Ita planè, Deo cor nostrum possidente, exulat ab eo Diabolus: sed Deo ab animo propter peccatum exeunte, ingreditur, & crudeli in eum tyrannide dominatur.

XXXV. Posuit Deus olim verbum in ore Balaami. Num. 23. n. 5. At, cur non posuit etiam in corde.
Orig. Respondet optimè Origen. hom. 14. in Num.
Verbum Dei in corde sceleribus infecto sedem non habet. *Quoniam*, inquit, *In corde eius desiderium mercedis erat, & cupiditas pecuniæ; verbum Dei non in corde, sed in ore eius ponitur.* Nequit enim diuina Sapientia in eo animo regnare, in quo deformia scelerum portenta stabulantur. Panis ille Angelorum Hebræis de cælo lapsus ita fuit inter Ægyptiacos & Chananæos cibos ministratus, vt cum neutris iungeretur. Nam, deficiente cibo, quem Hebræi de Ægypto extulerant, incepit manna. Exod. 16. à num. 3. Incipiente verò cibo, quem de regione Chananitide acceperunt, manna defecit. Iosu. 5.
Nullum cælestibus deliciis cum humanis commercium. num. 11. Ipsum verò manna, his atque illis cibis deficientibus, abundauit; non quidem sine mysterio, vt palàm fieret, nullum esse cælestibus deliciis cum sublunaribus commercium: ab his penitùs ieiunaturum, qui voluerit illis epulari. Immundæ censebantur in lege veteri illæ volucres, quæ pariter volabant & natabant; vt cygnus, mergulus, & similes, Leuit. 11. num. 17. Vt sub earum nomine immundi censerentur illi homines, qui diuinis simul ac profanis voluptatibus
Immundi, qui diuinis simul, & terrenis inhiant voluptatibus. inhiarent. Nam, vt beoe Diuus Paulus, *Non potestis*, inquit, *calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum.* 1. Corinth. 10. num.
D. Bernar. 21. Vnde Diuus Bernard. sermone 6. de Ascensione Domini, ad finem, *Errat*, inquit, *omninò, si quis cælestem illam dulcedinem huic cineri; diuinum illud balsamum huic veneno; charismata illa Spiritus misceri posse huiusmodi illecebris arbitratur.* Et paulò pòst in illud Saræ ad Abrahamum: *Eiice ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum*
Nulla inter Deū & Diabolū pactio interuenit. *filio liberæ.* Genes. 21. num. 10. Ostendens, quantùm inter has duas matres, & inter hos duos filios discrimen sit, in typum eius discriminis, quod inter diuinam & profanam seruitutem, & inter Dei ac Diaboli seruos intercedit: *Nulla*, inquit, *conuentio veritati, & vanitati; luci, & tenebris; spiritui, & carni; igni, & tepiditati.* Quibus similitudi-

A nibus ostendit, nullam posse inter Deum ac Diabolum pactionem, aut concordiam interuenire: & proinde, qui vni adhæreſcit, ab altero recessurum. De qua re suprà Annot. 16. Sect. 2. plura cumulauimus. Quare Hebræi rectè admonentur, vt soli Deo seruiant, neque in partem suorum obsequiorum Deos aduocent alienos, ne audiant illud Sapientis: *Væ peccatori terram ingredienti duabus viis.* Ecclesiastici 2. n. 14. Hoc est, Deo simul, & Diabolo seruire cupienti: cùm enim Deum amplecti nequeat, ad inferos cum Diabolo deiicietur.

Et eruet vos de manu Philisthiim. Non fuit irrita XXXVI.
hæc sponsio Samuelis: vt infrà patebit ex victoriis, quas Hebræi, abiurata idololatria, de Philisthinis reportarunt. Quamuis, vt ex dicendis pa- *Victoria semper pietatem consequitur.*
B lam erit, non omninò è Philisthinorum seruitute emerserunt vsque ad Regnum Dauidis, qui tandem *percussit Philisthiim, & humiliauit eos, & tulit frenum tributi de manu eorum.* 2. Reg. 8. num. 1. Hoc est, Israëlitas immunes reddidit ab onere tributi, quod Philisthinis pendebant. Cæterùm, ante hoc tempus non omninò liberi erant à Philisthinorum iniuriis; partim, vt augerentur eorum merita; partim, vt peccata, quæ subinde committebant, punirentur. Quæ etiam causa fuit, cur Hebræi in terra Promissionis relicti fuerint inter hostes, Iud. 1. vt, scilicet, luerent peccatorum pœnas, & augerent meritorum coronas. *Inter labores augentur merita, rerum coronæ.*
Vt Theod. ibi quæst. 6. & 7. aduertit. Theod.

C

Num. IV. Abstulerunt ergo filij Israël Baalim & Astaroth, & seruierunt Domino soli.

EXPOSITIO LITERÆ.

Abstulerunt ergo, &c. Nihil superest in his I.
verbis, iam suprà explicatis, vlteriùs explicandum. Illustrari tamen posset obedientia Hebræorum, qui Samuelis iussa fideliter auscultarunt, & inter dictum ac factum nullas moras posuerunt. Nam statim abstulerunt Deos alienos, Baalim & Astaroth, eo modo, quo illos Samuel *Obedientia Hebræorum commendatur.*
D auferendos præceperat; vt superiori Num. dictum est: & soli Deo seruierunt. Dices, Samuelem tria præcepisse: vt auferrent Deos alienos: vt præpararent corda Domino: vt soli Deo deseruirent. Hebræos autem hoc loco exequutos fuisse primum & vltimum, scilicet, abstulisse Deos falsos, & vero Deo seruisse: non autem illud medium; quia non dicuntur corda Domino præparasse. Nihilominùs omnia peregisse intelligendi sunt. Quamuis enim ille actus præparandi corda non exprimatur, quia erat internus: tamen per externum sufficienter declaratur. *Obiectio quædam proponitur & diluitur.*

Itaque ad Samuelis concionem omnes Israëlitæ non solùm aures audiendi, sed etiam manus II.
operandi attulerunt. Vtrasque ab auditoribus exigendas significauit olim Eliezer, cùm dedit Re- *Ad concionē afferre oportet, & aures, & manus.*
E beccæ, nouam Ecclesiam adumbranti, *inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem.* Gen. 24. num. 22. In quem locum D. Ambros. lib. 1. De Abraham, cap. 9. *Inaures*, inquit, *Rebecca, pij auditus insignia: & viria* (hoc est, armillæ) *ornamenta factorum sunt. Has inaures habebat, quæ non grauarent aurem, sed demulcerent: has virias, quæ manum non materiali auro onerarent, sed spirituali actu leuarent. Et iam sume inaures, quas tibi Abraham reliquit: sume, quas transmisit, virias. Audi verba Domini Dei tui, sicut ipse* D. Ambr.
audiebat:

Pluris æstimantur manus, quam aures.

audiebat: exequere iussa, sicut ipse præceptauit implere. Et obiectua maioris ponderis fuisse armillas, quam inaures: has duorum, illas decem siclorum: vt exprimatur verus obediens, ad plura, quàm præcipiuntur, exequenda paratissimus: pluribus ad operandum manibus, quam ad audiendum auribus instructus.

III. *Auditores nunc aures ad concionem afferunt, non animum operandi.* D. Petr. Dam.

Sed vereor, ne hodierno die habeat Euangelium plenos auribus, & truncatos manibus auditores, qui verba curiosè trutinentur; sed monita minimè exequantur. Quas de sua tempestate querimonias iactabat olim D. Petr. Damianus in Apologetico De contemptu seculi, cap. 29. quod in proprio Opusculorum tomo, est Opusculum duodecimum: *Equidem*, inquit, *fuit olim tempus, quo bona annuntiantibus Mundus egebat: sed elapsa sunt, atque euoluta tempora, quibus Religiosus quisque possit secularibus fructuosè consulere; & in mente carnalium spiritualia non inutiliter seminare.* Et duplici exemplo rem illustrat. Vno Ionæ, qui breuissima concione sceleratissimam vrbem ad pœnitentiam reuocauit. Ion. 3. à num. 4. *Quis*, inquit,

Duplici exemplo superior sententia confirmatur.

hoc tempore, non dicam infirmæ ætatis, vel sexus; sed ipsis etiam viris præsumat ieiunia triduana præscribere, vt nec aquam bibere, nec quicquam omnino cibi liceat degustare? Ecce apud Gentiles bruta etiam pecora ad Prophetæ vocem triduanos cibos leuant: & ipsi homines sub euangelica disciplina vltra diem ieiunare contemnunt. Illi ad pænitentiam, vno prædicante, vnanimiter confluunt: isti Prædicatorum turbas indesinenter audiunt, & obedire nullatenus acquiescunt. Sic ille, de primo exemplo.

IV. *Quàm faciles olim audientium animi ad bonum.*

Altero non minùs euidenti Esdræ, qui Hebræis cum fœminis alienigenis illicita coniugia contrahentibus, facili oratione diuortia persuasit. Immò non populum alloquendo, sed Deum orando, 1. Edr. 9. à num. 6. totum populum à suis sceleribus ad veram pœnitentiam abstraxit, c. 10. sequenti, à num. 1. Tanta vnus vir auctoritate populum etiam rebellem & contumacem expugnauit. *Quis nesciat*, inquit Damianus, *quantus virorum amor circa vxores proprias vigeat? quanta circa filios pietas parentum pectus adstringat? Quis ignoret ad dissoluendum duplex huius necessitudinis vinculum, quo mœrore, qua amaritudine se potuerunt viscera humana concutere? quo vehementissimi doloris incendio paternus affectus, coniugalis amor compulsus est æstuare? Habentes tamen veram circa Deum pietatem, ad nihilum redegerunt falsæ pietatis imaginem, atque vt essent in spiritu veraciter pij, facti sunt contra carnem & sanguinem laudabiliter rigidi. Armauerunt se contra iura naturæ, vt naturarum Auctori feliciter militarent. Obliti sunt erga filios, quòd fuerant genitores, vt veri patris ipsi adscriberentur heredes, atque vt supernæ pacis sibi fœdera resarcirent, coniugalis thori copulam resciderunt. Nesciunt seruare matrimonij fidem, vbi fides melior ad proprium recalescit auctorem.* Ita ille copiosè & luculentè.

D. Petrus Dam.

V. *Quàm difficiles nunc & obstinati ad pænitentiam.*

En, quàm difficilem litem vnus Esdras apud Israëlitas perorauit. Sed quid modò efficit apud Christianos multorum turba Prædicatorum? Pergit Damian. *Quis, rogo*, inquit, *nunc possit incestuosa coniugia, quantumuis instantissima prædicatione, rescindere? Quis valeat, non dicam populum, sed vel vnum hominem ad illiciti matrimonij repudium prouocare? Clamant sacri Canones; humanæ in tantum scelus indicant leges; obsistunt Prædicatores Ecclesiæ: & cuncta hæc perditis hominibus, velut aniles næniæ, risum potiùs mouent, quàm ad corrigenda scelera compungant.* Ita ille grauissimè, & proh dolor! etiam verissimè. Ad quæ exempla addi potest præsens Hebræorum, propter vnius Samuelis cōcionem, ad veram pœnitentiam redeuntium: in opprobrium quidem Christianorum, qui multorum Prædicatorum vocibus libentes aures patefaciūt, obstinatos animos occludunt.

Num. V. Dixit autem Samuel: Congregate vniuersum Israël in Masphath, vt orem pro vobis Dominum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. Caiet. *Secunda Samuelis concio ad populum.* Carthus.

Dixit autem Samuel, &c. Hæc fuit altera Samuelis actio ad populum: vt notat Caietanus. Nam superiori Num. egit cum populo ante ablatos Deos: nunc autem post ablatos. Putat autem Carthusianus, non dixisse Samuelem immediatè ad populum, sed mediatè per internuntios, quos transmisit in vniuersam terram Israël, vt vndique populum ad comitia congregarent. Vbi explicandum, qua auctoritate, & quo fine, & in quem locum iusserit Samuel populum congregari.

II. *Congregandi populum auctoritas semper apud summos Magistratus, erat.* Sigon. *Esse etiam apud Hebræos, variis probatur exemplis.*

Quod attinet ad auctoritatem: Hæc apud omnes Gentes, penes summos Magistratus, quicunque illi essent, residebat. Idémque erat apud Hebræos, vt Sigon. lib. 7. De eorum Rep. c. 2. testatur. Patétque exemplis. Nam Moyses & Aaron sæpiùs dicuntur populum congregasse: non solum in Ægypto, Exod. 4. n. 20. sed etiam in deserto, Num. 1. n. 18. & passim alibi. Iosue c. 23. num. 2. *Vocauit omnem Israelem maioresque natu, & Principes, ac Duces, & Magistros.* Et rursus c. 24. num. 1. *Congregauit omnes Tribus Israël in Sichem.* Samuel non solùm hoc loco, sed etiam infrà cap. 10. num. 17. *Conuocauit populum ad Dominum in Masphath.* Et iterum cap. 11. num. 14. *Dixit ad populum, Venite, & eamus in Galgala.* Rex Dauid, 1. Par. 28. n. 1. *Conuocauit omnes Principes Israël, Duces Tribuum, & Præpositos turmarum.* Rex Salomon, 3. Regum 8. num. 1. supponitur populum congregasse: subditur enim: *Tunc congregati sunt omnes maiores natu Israël, cum Principibus Tribuum, & Duces familiarum filiorum Israel, ad Regem Salomonem.* Quam totius populi congregationem iussu Regis factam esse, dubitandum non est: quamuis enim hoc loco non exprimatur; tamen 2. Paral. 5. n. 2. exprimitur. Rex Iosias, 4. Regum 23. num. 1. *Misit, & congregati sunt ad eum omnes senes.* Rex Asa, 2. Paralip. 15. num. 9. *Congregauit vniuersum Iudam, & Benjamin.* Et sic de cæteris. Igitur Samuel ordinariam potestatem conuocandi populum habebat, vt Iudex: vt nihil interim dicam de potestate delegata, qua, vt Propheta, fruebatur.

Ordinaria potestas congregando populum penes Samuelem.

III. Carth. *Triplex finis populum congregandi.*

Quod ad finem attinet: Carthusianus triplicem distinguit: ad orandum Deum: ad renouandum pactum inter Deum & populum: ad tractandum de communi bono. Nam ad hos omnes fines comitia indici consueuerunt. Ad orandum quidem Deum. Ios. 7. num. 6. Iud. 20. num. 18. 3. Regum 8. à num. 12. Ad renouandum autem pactum inter Deum & populum. Exod. 24. num. 3. Ios. 8. num. 35. Iud. 2. à num. 4. Tandem ad tractandum de communi bono, siue spirituali, Deut. 4. à num. 1. Ios. 24. à num. 2. Act. 1. à num. 15. siue temporali, Iud. 9. num. 6. 3. Regum 12. num. 1. Act. 6. num. 2. Et passim alibi. Ex his tribus finibus Caietanus hoc loco tertium silet: primum excludit: & secundum duntaxat admittit. Sed non video, cur non omnes intendantur: præsertim,

Caietani sententia reiicitur.

cum

cùm omnes sint inter se coniuncti & subordinati. Nam oratio, ad amicitiam cum Deo renouandam, præmittenda erat: hæe autem renouata cum Deo amicitia ad commune bonum totius Reipublicæ statueodum maxime requirebatur. Quare Samuel populum congregauit, vt oraret pro illo Dominum; vt in Vulgata exprimitur: *Vt orem*, inquit, *pro vobis Dominum.* Nec refert, quod obiicit Caietanus, in Hebræo non esse, *Vt orem*: sed, *Orabo.* Nam vulgatus Interpres Origenis sensum assequutus, transtulit: *Vt orem*: aliquem finalis causalitatis ordinem ibi recognoscens. Præmissa verò oratione, velut optima bonarum actionum ductrice & gubernatrice, populum ordinare voluit, & ad diuinum cultum renouandum, & ad commune bonum inquirendum.

Eiusdem obiectio diluitur. Caiet.

IV. Quod attinet ad locum: Fuit hic coouentus in Masphath: oon quidem illa, in qua Iephte habitabat. Iud. 11. n. 11. 29. & 34. quidquid dicat Eusebius De locis Hebraïcis, à D. Hier. latinitate donatus, & Abul. hoc loco: nam hæc erat in terra Galaad trans Iordanem, vt patet ex citato loco Iudicum; ideóque ibi Masphath Galaad ad distinctionem alterius Masphath de Tribu Iuda dicebatur: Sed alia in confinio Benjamin & Iuda, vt sentit Adrichomius; seu, ad Iudam pertinente, vt docet Euseb. citatus. Et haoc 3. Reg. 15. num. 22. dicitor ædificasse Rex Asa, qui fuit longo tempore post Samuelem. Vnde existit dubitatio, quo pacto Samuel populum in eam conuocarit? Respondeo, aut plures vrbes cognomines fuisse ad eandem Tribum spectantes: aut Regem Asa non condidisse hanc vrbem à primis fundamentis, sed aliqua ex parte dirutam instaurasse: aut tandem Samuelem, non in vrbem; sed in locum, in quo posteà vrbs ædificata est, populum congregasse. Quamuis hoc postremum minùs probem; cùm paulò inferiùs dicatur Samuel iudicasse in Masphath: quod quidem in ipsa vrbe, non autem in vrbis futuræ loco fieri oportebat.

Quisnā fuerit concionis locus. Euseb. Abul. Adrichom. *Dubiū quoddam proponitur & explicatur.*

V. Sed vlteriùs inquires, cur potiùs in Masphath, quàm in alia qoauis vrbe populus congregari iubeatur? Respondeo: quia Masphath erat Regni Sedes, in qua scilicet Samuel iudicabat: & proinde magno hominum conuentu frequentissima. Voluit ergo Samuel, vt publica idololatria, quæ in Hebræos irrepsetat, noo solùm priuata, sed etiam publica abioratione in loco maximè patenti deleretur. Neque enim æqoum est, vt quæ in foro publico peccantur, in secreto angulo retractentur. Adhue nihilominùs vrgebit aliquis, dicétque, vrbem Iarim, in qua erat Arca, aot vrbem Silo, siue Nobe, in qua erat Tabernaculum; non minùs freqoentes fuisse, cùm ad eas Religionis causa multi vndique conuolassent. Ergo in illis idololatriam abiurari potoisse. Fateor. Addo tamen, noluisse Samuelem ad eas vrbes populum conuocare, & coram Arca, aut in Tabernaculo publicas preces fundere, ne Sacerdotis, aut Pontificis partes sibi assumpsisse videretur; cùm tamen ipse Sacerdos non esset, sed simplex Leuita; vt superiori Tomo, Annot. 17. latiùs ostendi. Nam, qui populum ad religionem inuitabat, religionem temerario ausu profanare non debebat.

Publica idololatria publice in loco abiuranda. *Occurritur obiectioni.*

VI. Instabis: Hoc periculum satis effugiebat, si populum in Betbel, aut Galgala conuocaret: in quibus vrbibus Arca, vel Tabernaculum nonquàm fuit: & alioqui erant celeberrimæ, ac totius populi conuentu frequentissimæ, cùm non minùs in his, quàm in illa Samuel iudicaret, & principatus sui Sedem stabiliret: vt paulò inferiùs ex Num. 16. patebit. Facilè responderi potest, concedendo totum, & pares nobilitatis rationes in his omnibus vrbibus admittendo; ac tandem huius vrbis, potiùs quàm aliarum electionem in liberam Samuelis voluntatem reuocando: aliqua enim eligenda erat: & vbi non præualebat ratio, præponderabat libertas. Nihilominùs aliquam fortasse loci commoditatem, maiotem in hac, quàm in cæteris vrbibus Samoel spectauit: nempe, vicinitatem, aut capacitatem, aut facilitatem conueniendi in illam: aut denique, quod caput est, celebritatem, quam habebat, cùm aliis fortè nominibus, tum præsertim illa insigni victoria, quam Iosue cap. 11. num. 8. ibi de multis Regibus comparauit. Vt hinc sumeretur auspicium, fore vt pari felicitate alienigenæ vincerentur.

Altera proponitur, & explicatur.

VII. Esto, dicet aliquis, vt ob rationes traditas in hac potissimùm vrbe publica fieret idololatriæ abiuratio; nihilominùs oratio publico in loco fieri non debebat; cùm potiùs intrare in cubiculum, & clauso ostio, orare Patrem in abscoodito iubeamur, Matth. 6. nom. 6. Respondeo, licèt in priuatis causis priuata commendetur oratio: tamen in publica necessitate, publicam adhibendam, quæ apud Deum efficacissima cēsetur. Vnde Iudith vniuerso populo ad portam ciuitatis congregato, nihil aliud, quàm publicam rationem indixit: *Stabitis*, inquit, *ad portam nocte ista, & ego exeam cum Abra mea: & orate.* Et paulò pòst: *Nihil aliud fiat, quàm oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.* Iudith 8. n. 32. & 33. Quaota verò fuerit huius publicæ orationis efficacitas, optimi euentus felicitas comprobauit. Sic olim Heliodoro Ierosolymam opprimente, & pupillorum viduarúmque facultatibus inhiante; *Sacerdotes*, inquit Textus, *ante altare cum stolis sacerdotalibus iactauerunt se, & inuocabant de cælo*, &c. 2. Machabæorum 3. n. 16. Et statim: *Alij etiam gregatim de domibus confluebant, publica supplicatione obsecrantes*, &c. Ibidem, n. 18. Et rursus: *Accinctæq; mulieres ciliciis pectus per plateas confluebant: sed & virgines, quæ conclusæ erant, procurrebant ad Oniam*, &c. n. 19. Ac tandem: *Vniuersæ autem protendentes manus in cælum, deprecabantur.* num. 20. Itaque tota ciuitas in publicam supplicationem effusa, tantam apud Deum efficacitatem habuit, vt ipsos de cælo Angelos in sui præsidium deuocaret: vt ex eodem capite constat.

In publica necessitate publica oratio adhibēda. *Quæ sit efficacia publicæ orationis.*

VIII. Non aliter & Niniuitis in publicam orationem prouolutis, monente Rege, ac iubente, *Clament ad Dominum in fortitudine.* Ionæ 3. num. 8. diuina indignatio deferboit, & diuina miseratio enituit: Deo ad publicas preces accurrente ac patrocinante. Vnde D. Chrysost. homil. 2. in 2. ad Corinth. loquutos de Niniuitis, *Deus*, inquit, *frequenter reueretur multitudinem vnanimem & consentientem in precando; vt veluti pudore victus non audeat illis negare.* Quid exaggeratiùs dici poterat? In vinculis tenebantur & Iacobus & Petrus: sed Herodes *occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio.* Act. 12. n. 2. Petrum verò non occidit, dicentem: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suū, & eripuit me de manu Herodis.* Ibid. n. 11. Cur, quæso, Iacobus Herodis gladio cecidit? Petrus euasit? nisi, qoia non pro Iacobo, sed pro Petro, tota Ecclesia dicitur deprecata, iuxta illud: *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo.* Vbi suprà, num. 5. Quam publicæ orationis efficacitatem D. Chrysost. homil. 79. ad popolum expendens: *Vis*, inquit, *discere, quanta sit orationis in Ecclesia factæ potentia? Vinctus erat Petrus, multisque catenis circundatus: oratio autem fiebat si-*

D. Chrys. *Deus semper publicis precibus patrocinatur.* *Ideò Petrus nō occiditur, quia pro eo publica fiebat oratio.* D. Chrys.

ne intermissione ab Ecclesia pro eo. Et statim eum à carcere liberauit. Quid hac igitur sit oratione potentius, qua columnam & Ecclesiæ turrim adiuuit? Hanc igitur ob causam voluit Samuel in publico orare; tota communitate præsente, eiúsque orationem adiuuante: *Quatenus*, inquit Dionysius, *ex multarum præsentia facierum exaudibilior esset sua oratio.* Vt statim rei euentus prodidit, Philisthinis magis per vnanimes preces, quàm per militares vires expugnatis.

Dionyf. *Hostes magis per vnanimes preces, quàm per vires expugnantur.*

IX. Hac oratione ita Samuel illam vrbem consecrauit, vt in posterum publicus orationis locus haberetur. Vnde multis pòst annis Israelitæ, bellicis cladibus attriti: *Venerunt*, inquit Textus, *in Masphath contra Ierusalem: quia locus orationis erat in Masphath, antè in Israël.* 1. Machab. 3. num. 46. Sic & plura alia loca propter illustres Patriarchatum memorias frequentari celebraríque consueuerunt. Nam in montem Moria, Abrahæ sacrificio consecratum, *Perrexit* Rebecca, *vt consuleret Dominum.* Gen. 25. n. 22. vt Diuus August. quæst. 72. in Genes. testatur. In eundem montem religionis causa secessit Iacob, cùm iret in Mesopotamiam, Gen. 28. num. 11. vt Hebræi & Catholici apud Lyranum affirmant: sperans ibi propter loci sanctitatem aliquid sibi diuinitùs reuelandum: nec sua spe frustratus est, cælum ibi apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes, &, quod maius est, ipsum Angelorum Dominum contemplatus. In Hebron, seu Cariatharbem ire voluit Absalon, voti reus, 2. Reg. 15. n. 7. vt in vrbe quatuor Patriarcharum monumentis insignita, vt iam suprà num. 2. ex Lyrano aduertimus, gratiosam se Deo hostiam offerre velle simularet.

Quanta hominis fiducia sit in locis sacris preces fundentium.

D. Aug.

X. Helias in cælum transferendus priùs diuersa loca peragrauit, 4. Reg. 2. à n. 1. nempe, Galgalam prima populi circuncisione insignem, Iof. 5. n. 9. Bethel nocturna Iacobi reuelatione illustrem, Gen. 28. num. 19. Iericho celebri Iosuè triumpho memorabilem, Iof. 6. n. 20. Iordanem pedibus Sacerdotum Arcam deferentium consecratum, Iof. 3. n. 16. Has, inquam, vrbes lustrauit Helias, antequàm in cælum raperetur: vt loca redolentia & spirantia sanctitatem, postremùm salutaret. Denique, cùm Tribum Gad moriturus Moyses benediceret: *Vidit*, inquit Textus, *principatum suum, quod in parte sua Doctor esset repositus, qui fuit cum Principibus populi, & fecit iustitias Domini, & iudicium suum cum Israël.* Deuter. 33. num. 21. Vbi Lyranus: *Iste Doctor*, inquit, *fuit Moyses sepultus in sorte Gad. Et hoc cessit ad magnum honorem & dignitatem illius Tribus.* Nam Tribus Gad, licèt propter Zelpham ancillam eius matrem, seruitutem seruiret: tamen propter Moysem principem in ea sepultum, dicitur habitura principatum.

Iustorum est loca sancta perlustrare, antequam moriantur.

Lyra.

XI. Tandem, postquàm Abraham agrum Ephronis in sepulturam vxoris suæ emit: *Confirmatus est ager*, inquit Textus, Genes. 23. num. 17. seu, vt est in Hebræo: *Surrexit ager*; hoc est, interprete Caietano: *Eleuatus est in meliorem conditionem, per hoc, quòd emptus est ab Abraham.* Quare, sicut veteres Patriarchæ bis omnibus locis ob illustria facta sanctitatem contulerunt: ita & Samuel vrbem Masphath sua oratione consecrauit, vt ad eam omnes Deum precaturi conuenirent; certi, fore, vt ibi à Deo audirentur. Quare non assentior Hieronymo Romano in sua Republica Hebræa, asserenti, Masphath fuisse orationis locum, quòd in ea aliquando Arca extitisset. Nam Arca nunquàm fuit in Masphath: vt suprà Num. 1. cum Abulensi iam dixi. Et quamuis fuisset, satis non esset. Nam etiam fuit in Cariathiatim, in agro Bethsamitico, & in Silo; quæ tamen non propterea orationis loca censebantur. Solùm igitur ab hac Samuelis oratione hæc prærogatiua in hanc vrbem redundauit.

Caiet. *Iusti sua virtute locis sanctitatem conferunt.*

Authoris censura sententia retexitur.

Num. VI. Et conuenerunt in Masphath; hauseruntque aquam, & effuderunt in conspectu Domini; & ieiunauerunt in die illa; atque dixerunt ibi: Peccauimus Domino. Iudicauítque Samuel filios Israël in Masphath.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. ET conuenerunt, &c. Narratur iam publica scelerum detestatio, seu pœnitentia Hebræorum, quam veram fuisse non dubito. Nam *Israëlitæ*, inquit Sabellicus, *ob eas clades, quas adierant, erant diuinis rebus vehementer addicti. Nullus enim populus fuit vnquam, aut in secundis contumacior, aut in aduersis obsequentior.* Et quidem Masphath, quæ speculatio, seu iudicium interpretatur, veræ pœnitentiæ peragendæ non parum congruebat. Qui enim sua scelera verè speculando cognoscit, necesse est, vt ea rectè iudicando condemnet. Tres igitur actiones in hac detestatione intercedunt, hauriendi aquam, ieiunandi, dicendique, *Peccauimus*, quæ illis tribos actionibus in vera pœnitentia repertis, Contritioni, Confessioni, Satisfactioni, licèt non eodem ordine, correspondent: vt Caietanus, aliique Interpretes aduertunt. Eas hoc loco breuiùs ad Literam exponam: & in seq. Annot. vberiùs ad mores illustrabo.

Israëlitæ in aduersis obsequentiores. Sabel.

Masphath etymologia ad pœnitentiam consentanea.

Caiet.

II. *Hauseruntque aquam*, &c. Hæc prima actio hauriendi & effundendi aquam in conspectu Domini, tripliciter potest explicari. Primò dicunt Hebræi, Samuelem multa maledicta in aquam congessisse, eámque statim singulis Hebræis propinasse, vt eorum fidem tentaret, exploraretque. Nam, qui innocentes eam biberent, illæsi remanebant. Idololatris verò, vt primum degustassent; statim labia sibi mutuò adhærescebant, ita vt ab inuicem separari non possent. Et in eos hoc iudicio deprehensos Samuelem capitaliter animaduertisse: & propterea additum in Litera: *Iudicauit Samuel filios Israël in Masphath.* Hoc est: Innocentes absoluit, nocentes condemnauit. Confirmant à simili ex aqua zelotypiæ, Num. 5. à num. 12. quæ propinata fœminis, de quarum pudicitia dubitabatur, innocentibus non nocebat; adulteras verò magnis doloribus cruciabat. Addunt, simile quid olim contigisse Hebræis, quibus Moyses aquam, in quam vituli pulueres sparserat, propinauit. Exod. 32. num. 20. Nam innocentes nihilò mutati hauriebant: idololatræ verò aureis tamentis ad barbas adhærentibus & concrescentibus prodebantor. Hanc Hebræorum expositionem referunt Auctor Traditionum, Rupertus, Magister historiæ, Hugo Cardinalis, Dionysius Carthusianus, Angelomus, Lyra, Abulensis & alij. Ex quibus nonnulli addunt, Samuelem, vt Moysem perfectiùs imitaretur; etiam idolum illud Astaroth in pulueres redegisse, & coniecisse in aquam, & propinasse Israelitis; ac tandem simili indicio, atque Moysem, reos à non reis discriminasse.

Samuel aquæ maledixit, vt eorum fidem tentaret.

Similibus exemplis confirmatur.

Rup. Magist. hist. Hugo. Dionys. Ang. Lyra. Abul.

III. Nihilominùs hoc videtur esse commentum Rabbinorum. Nam hæc veritatis cognoscendæ

inquisi

Superitæ Rabbinorum commẽta explodantur.

inquisitio, est manifesta Dei tentatio, ac proinde
illicita, nisi a Deo fieri præsciatur. Vnde etiam io
lege ooua grauiter peccabaot olim illi Iudices,
qui iudicio candentis ferri, aut feruentis aquæ ad
cognoscendam criminum veritatem vtebantur;
ita vt quos ferrum, vel aqua non læsisset, tan-
quàm innocentes absoluerent; quos læsisset, tan-
quàm reos condemnarent. Et propterea summi

D.Greg. Simulem experientiam esse illicitam probatur ex Iure canonico.

Pontifices in Iure canonico, D.Greg. 2. quæst. 5. c.
Mennam, & Stephanus V. ibid. cap. *Consulusti*, &
Lucius III. De purgatione canonica, cap. *Ex
tuarum*, & Honorius III. De purgatione vulgari,
cap. *Dilecti*, & alij, damnant, & grauibus feriunt
censuris tam peruersos ac temerarios veritatis

Suar.

inquisitores. Qua de re Suarius lib. 1. De irreli-
giositate, c. 3. vbi agit de hac tentatione Dei,

Sanc. Delr.

Sancius in Decalog. lib. 2. cap. 34. o. 1 2. & latis-
simè Delrius lib. 4. De Magia, c. 4. q. 4. sect. 3. & 4.
consulantur. Ergo credibile non est, Samuelem
absque diuina reuelatione, de qua nobis non con-
stat, illo artificio, seu potiùs maleficio ad depre-

Confirmatur ampliùs ratione.

hendendos idololatras vsum fuisse. Accedit, quòd
hæc inquisitio necessaria non erat: nam omnes
paulò anteà Deos alienos iam abstulerant, & mo-
dò se idololatras fuisse publicè fatebantur: potiùs
igitur oportebat, vt de Deo bene sperare, quàm
insolitas torturas subire iuberentur. Præterquàm
quòd verba textus nihil minùs, quàm haoc ex-

Haurire aquam hoc loco quid sit.

positiooem includere videntur. Nam haurire
aquam hoc loco noo est idem, quod bibere:
C quia, quam hauseruot, eandem in conspectu Do-
mini effuderunt: aqoa verò, quæ bibitur, fotas
non effunditur. Et quamuis propriè biberent: ad-
huc tamen ille effectus contrahendi labia, nullo
modo declaratur. Quid igitur oportet liberas ex-
positiooes, & uollum in Litera fuodamentum
habentes comminisci?

IV.

Hanc aquam fuisse pœnitẽtia lacrymas, colligitur ex D.Gregor.

D.Greg.

Secundò igitor dicunt alij, aquam, quam He-
bræi hausisse & effudisse dicuntur, fuisse aquam
lacrymarum ex imo pectore haustam, & in con-
spectu Domini effusam. Ita Diuus Gregorius:
Quid est, inquit, *aquam haurire, nisi de profunda
animi pœnitentis confusione lacrymarum fluenta pro-
ducere? Velut enim aquam haurimus, dum, quàm pro-
funda iniquitate cecidimus, considerantes plangimus.*

Lacrymæ non sunt ad inanẽ gloriam effundenda.

D Et statim obseruat, hanc lacrymarum aquam, non
in conspectu humano, sed diuino effundi oporte-
re, ne ad humanam gloriam colligendam, sed ad
diuinam misericordiam impetrandam, lacrymari
videamur: *Quam profectò*, inquit, *aquam in con-
spectu Domini effundimus; si, cùm pœnitendo com-
pungimur, de eiusdem compunctionis fletu non quæ-
rimus fauorem seculi, sed solum fructum diuinæ pla-*

Beda.

cationis. De lacrymis quoque exponit Beda: *Hau-
serunt*, inquit, *compuncti de imo pectore fontem la-
crymarum, quem effunderent, quasi gratissimum Deo
libamen per oculorum vascula proferendo.* Ita etiam
Vatablus & alij Doctores, quos citat, sequuti
Chaldæum Interpretem, qui, vt refert idem Va-
tablus, ita habent: *Hauserunt aquas è puteo cor-
E dis sui, & abundè lacrymati sunt coram Domino re-
sipiscentes.* Cui quidem sensui fauet Chaldæos,
transferens: *Effuderunt cor suum in pœnitentia ante*

Aliorum authoritate stabilitur.

Lyran. Abul. Dion.

Dominum; scilicet, in lacrymas resolutum. Noo
displicet hæc interpretatio Lyrano & Abulensi,
q. 27. Nec longè ab ea mihi videtur abesse Dio-
nysius, contemplatus misericordiam diuinam
esse fontem, ex quo omoia bona spiritualia hau-
riuntur: & qoia contritionis lacrymæ inter bona
spiritualia numerantur, Hebræos ex illo mise-
ricordiæ fonte has lacrymas hausisse; & rursus
ad thronum diuinæ misericordiæ effudisse: vt

A vnde exierant hæc flumina, eódem reuerterentur.
Nec parum conuenit huic aquæ cum lacrymis
pœnitentiæ: nam, sicut hæc aqua effusa hostes
terruit & fugauit; vt paulò inferiùs patebit: ita

Pœnitentiæ lacrymæ terrent Dæmones.

& lacrymæ contrito ex corde defluentes, nimio
terrore quatiunt Dæmones, & in fugam effusis-
simam compellunt: vt superiori tomo Annot. 9.
Sect. 2. Num. 12. latiùs disserui. Mystica est hæc
expositio, cùm à verbis paulò remotior sit, quam-
uis non cootemnenda.

V.

Aquam hoc loco effundere, fuisse quãdam ceremoniam, alijs placet.

Dion. Lyran. Caiet. Abul. Ioseph. Beda.

Tertiò igitur dicunt alij ad Literam con-
gruentiùs, interuenisse hoc loco externam quan-
dam ceremoniam: quia reuerà elementarem
aquam, & hauserunt de fonte, & in conspectu
Domini effuderunt. Ita Dionysius, Lyranus, Ca-
B ietanus, Abulensis, & alij. Sed qoæ fuit hæc cere-
monia? Iosephus lib. 6. Antiq. c. 2. significat, fuis-
se sacrificium: *Haurientes*, inquit, *immolauerunt
Deo.* Beda suprà citatus significat fuisse libamen:
Haurientes, inquit, *aquam inter preces & ieiunia,
libauerunt Domino.* Et rursùs eandem aquam vo-
cat, *gratissimum Deo libamen.* Nihilominùs Abu-
lensis q. 28. neutrum fuisse ostendit: quia sacrifi-
cium de animalibus; libamen verò de farina, oleo,
vino, thure & sale; neutrum verò de aqua fieri iu-

Non esse sacrificium, nec libamen, ostẽditur ex Abulensi.

bebatur: vt ex primis quatuor capitibus Leuitici
constabit. Adde sacrificium & libamen per Sacer-
dotes fieri oportere: quales non erant omnes, qui
hoc loco aquam haosisse & effudisse in conspectu
Domini dicuntur: non fuit igitur verum sacrifi-
C cium, aut libamen, nisi fortè translatè, seu meta-
phoricè: quo pacto Dauid, cùm Sacerdos non es-
set, dicitur libasse aquam Domino. 2. Reg. 23. n.
16. non quidem propriè, sed figuratè, hoc est,
suam concupiscentiam in diuinam gloriam, non

Quid in hac re statuendũ proponitur.

Tertul.

bibendo: sed effundendo aqnam, subegisse. Quare
dicendom, hanc aquæ effusionem fuisse externam
quandam ceremoniam, quam Tertul. lib. aduer-
sùs Psychicos, c. 7. *Aqnationem* vocat: adhibitam
ad coofirmandum fœdus, quod Israëlitæ cum
Deo de nunquàm ampliùs idololatrando inie-
runt. Nam fœdera non solùm apud Ethnicos, sed
etiam apud Hebræos externo aliquo signo firma-
bantur: nempe, aut occisioue animalium; vt Gen.
15. n. 9. & Ierem. 34. n. 18. aut erectione lapidom;
D vt Gen. 31. n. 45. & Iosue 24. n. 27. aut celebratio-
ne conuiuij; vt Gen. 26. n. 30. & Exod. 24. n. 11. aut
denique effusione aquæ; vt hoc loco.

VI.

Varia huius ceremoniæ mysteria. Primum ex Carthusiano.

Carthus.

Secũdum ex Vatablo.

Vatabl.

Tertium ex Lyrano.

Sed, quorsum hæc ceremonia spectabat? Re-
spondeo, multis fuisse plenam mysteriis. Nam
primò, fiebat in modum execrationis: vt sicut
aqua effundebatur: ita sanguis eorum, qui ad ido-
lolatriam redirent, effunderetur. Ita Carthosia-
nus. Secundò, in signum spei de remissione pec-
catorum; quasi dicerent: Sicut aqua in terram ef-
fusa euanescit: ita peccata coram Deo abiecta de-
lebuntur. Ita Vatablus. Tertiò, in signum propriæ
humilitatis: vt sicut aqua frigida, vilis est, & faci-
lè effunditur; & effusa ad nihilum valet vltrà: ita
& ipsi nihil se ipsis vilius & abiectius & infru-

Lyran.

Quartum ex Caietano.

E ctoosius coram Deo existimarent. Ita Lyranus
ex Rabbi Salomone. Quartò, ad perfectam pec-
catorum renunciationem significandam: vt si-
cut aqua effusa, nihil sui relinquit in vrna, nec
colorem, nec odorem, nec saporem; ita illius ido-
lolatriæ abiuratæ nulla in animis expressa vesti-
gia relinquereotur. Ita Caietanus, sequutus for-

Caiet.

Quintum ex Glossa.

tasse Rabbi Leui, idem asserentem. Quintò, ad
ostendendum firmum animorum decretum, nun-
quàm ampliùs in idololatriam relabendi: vt
sicut aqua effusa ex vrna, nunquàm ampliùs
in vrnam redit: ita illa peccata ex animis

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

eiecta, nunquàm ampliùs in animos remigrarent. Ita Glossa ad hunc locum desumpta fortasse ex Rabbano; quam sequitur Hugo Cardinalis: sic etiam & Lyra in morali, docet, significari hoc loco abiectionem peccatorum *sine recidiuo.* Vltimò, in honorem Verbi carnem assumpturi. Nam, vt docet D. Cyrillus Alexandrinus hom. 18. apud Turrianum nostrum lib. 3. pro epistolis decretalibus, cap. 6. illa aqua, Æternum Verbum, quod est fons vitæ significabat: terra autem, humanam carnem ab Æterno Verbo assumendam. Quod mysterium præuidit Samuel, & aquam in terram effundens repræsentauit: immò pronus in genua, vt credere par est, à longè quodammodo salutauit & adorauit. Adde & ipsum diuinum Verbum liberalem sui cum natura humana coniunctionem expressurum, simili metaphora vsum fuisse; cùm dixit: *Sicut aqua effusus sum.* Psal. 21. num. 15. hoc est: tam liberaliter me in naturam humanam effudi; vt me totum illi communicarem.

Gloss. Hugo. Lyra. Vltimum ex D. Cyril.

D. Cyril. Verbum æternũ fons vitæ.

VII. Præter has huius ceremoniæ significationes, Interpretum testimoniis confirmatas; facilè possunt aliæ excogitari. Vna sit, animorum synceritas. Nam, sicut ea, quæ sub aquis latent, oculis patent: ita quæ sub animis synceris continentur, foras produntur; iuxta illud: *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium: sic corda hominum manifesta sunt prudentibus.* Prou. 27. n. 19. Vnde, vt rectè aduertit Caietanus, effuderunt aquam in conspectu Domini, cuius oculis omnia patescunt: vt ostenderent, nihil se velle occultare. Altera significatio esse potest animorum innocentia. Nam sicut populus diuinam legem accepturus, lauare iubetur vestimenta sua. Exod. 19. n. 10. Et maiores ciuitatis in casu homicidij manus suas abluebant, Deuter. 21. num. 2. Et Iob aquis niuis se lotum desiderabat, Iob. 9. n. 30. Et Dauid lauabat per singulas noctes lectum suum, Psal. 6. num. 7. Et rursum lauabat inter innocentes manus suas, Psal. 25. n. 6. Et sic plures alij de more Hebræorum, vt suam innocentiam testarentur. Ita hoc loco Hebræi, vt se post abiuratam idololatriam innocentes assererent; aquam, qua abluerentur, effundebant. Tertia significatio, ingens pœnitentiæ fructus. Nam, sicut aqua campos irrigat, oblimat ac fœcundat: ita pœnitentia animos. Quò referri potest illud: *Quomodo descendit imber, & nix de cœlo, & inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti.* Isai. 55. num. 10. Ita planè & pœnitentia, & quæ illius feruore soluuntur lacrymæ, non modò sordidas mentes à peccatis expiant; sed etiam steriles, virtutibus fœcundant, vt ab hoc nouo rigatu, nouæ bonorum operum segetes feliciter oriantur. Quarta denique significatio esse potest, futura per Baptismum ablutio animorum. Nam, sicut olim frequentes corporum ablutiones, Leuit. 15. num. 6. Marc. 7. num. 3. Hebr. 9. num. 10. & passim alibi, Baptismi prænuntiæ videbantur: ita & hæc aquæ effusio Baptismum significauit. Turrianus citatus ex hac aquæ effusione confirmat aquæ benedictæ adspersionem in Ecclesia fieri solitam. Nam, *Si,* inquit, *effusione aquæ iussa fieri à Samuele, secundùm spiritum in nomine Dei, qui futurus erat homo, tantùm valuit, vt victoriam de hostibus, Deo de cœlo sonante perterrefactis, impetraret: cur non multò etiam plus ad terrendos & fugandos Dæmones valebit effusio aquæ per verbum Dei iam incarnati, & pro nobis in aqua morem effusi?* Psal. 21. num. 15.

Ex illa ceremonia potest colligi primò, animorum synceritas.

Secundò, animorum innocentia.

Populus diuinã legem accepturus lauari iubebatur.

Tertiò, ingens pœnitentiæ fructus.

Quartò, futura per Baptismum animorum ablutio.

Turrian.

Valor aquæ benedictæ sit tenus.

VIII. *Et ieiunauerunt in die illa,* &c. Si præcedens actio hauriendi & effundendi aquam, Baptismum significet, vt proximè diximus; rectè sequitur hæc secunda ieiunandi: quia post Baptismum pœnitentiæ, æquum est, vt ieiunium consequatur. Vnde pessimè egerunt Israëlitæ de mari rubro, Baptismi symbolo exeuntes; & statim de Ægyptiis epulis cogitantes. Exod. 16. num. 3. Quorum intemperiem vt Christus Dominus castigaret, statim vbi in Iordane baptizatus est, *Ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Matt. 4. num. 2. Quod Tertul. lib. De Baptismo, cap. 20. rectè expendit: *Dominus,* inquit, *de figura Israëlis exprobrationem in ipsum retorsit. Nanque populus mare transgressus, in solitudinem translatus, cùm diuinis copiis aleretur; nihilominùs ventris & gulæ meminerat potiùs, quàm Dei. Deinde Dominus post aquam segregatus in deserta: quadraginta dierum ieiunia emensus, ostendit, non pane viuere hominem Dei, sed verbo Dei; tentationésque plenitudini & immoderantiæ ventris appositas abstinentia elidi.* Verùm, si aqua illa effusa cordis contritionem significat; vt etiam ostendimus: nõ immeritò sequitur hoc ieiunium. Nam post internam cordis pœnitentiam, necesse est, vt externa corporis maceratio subsequatur. Vnde D. Gregor. *Dum mens,* inquit, *flendo compungitur, necesse est etiam, vt caro, quæ delectationibus subiacuit, affligatur.* Et D. Cæsarius Arelatensis hom. 1. *De contritione animi,* inquit, *redimuntur crimina voluptatum, & per dura crucis exercitia, decepta dudum carnis gaudia puniuntur: ac sic mortificatione præsenti futura mortis sententia præuenitur.* Sicut enim in peccato præit anima, & sequitur caro; illa volendo, hæc exequendo: ita & in pœnitentia fieri debet, vt internum animæ dolorem externa carnis afflictio comitetur.

Pœnitentiam ieiunium cõsequitur.

Tertull.

Christus Dominus Israëlis intemperiẽ ieiunio suo castigauit.

D. Greg.

D. Cæsar.

Vt in peccato præit anima, sequitur caro: sic in pœnitentia, anima dolore, caro afflictione.

Quæres: An hoc ieiunium indictum fuerit à Samuele: an ab ipso populo, absque vllo monitore, sponte susceptum. Hoc posterius aliquis affirmabit eo argumento, quòd nullum ieiunandi præceptum, aut consilium datum à Samuele in Litera exprimatur. Et quòd aliquando populus de communi consensu absque vllo, vel iussu, vel monitu Superioris ieiunasse commemoretur, vt videre est Iud. 20. n. 26. Iudith 4. num. 8. Ion. 3. n. 5. 1. Machab. 3. n. 47. Illud tamen priùs affirmat D. Hieron. lib. 2. aduersùs Iouinianum: *Congregatum,* inquit, *Samuel populum in Masphath, indicto ieiunio, roborauit, & fecit hostibus fortiorem.* Et quidem probabilius: tum, quia populus sub id temporis se totum Samueli dirigendum tam perfectè committebat, vt non nisi quò ille duceret, sequeretur: tum, quia Samuel gubernando ad salutem populo tam perfectè inuigilabat; vt nihil inculcare desineret, quod ad eius salutem pertineret: tum denique, quia publicum ieiunium à Prophetis & à summis Magistratibus indici consueuit; à Ieremia & Baruch, Ierem. 36. n. 9. à Saüle, 1. Reg. 14. n. 24. ab Achab, 3. Reg. 21. n. 9. à Iosaphat, 2. Paral. 20. n. 3. ab Esdra, 1. Esdr. 8. num. 21. à Iuda Machabæo, 2. Mach. 3. n. 12. & sic de aliis. Ergo & à Samuele, hoc loco; quamuis non exprimatur in Litera. Et idem fortasse dicendum est de locis pro priori parte citatis. Semper enim credendum videtur, publicas actiones in publica causâ à publica potestate proficisci. Quæres item: Quænam fuerit huius ieiunij forma. Illud absolutè dici potest, Iudæorum ieiunia stricta fuisse. Vnde Epigrammatarius lib. 4. Epigramm. 4. stricta ieiunia dicturus, dixit: *Ieiunia Sabbatariorum:* hoc est, Iudæorum, qui à Sabbato, quod colebant, Sabbatarij dicebantur. Et Persius Satyr. 5. ad finem, de homine magnis se ieiuniis macerante. IX.

D. Hieron.

Fuisse tamen præceptum, probabilius.

Probatur variis Scripturæ locis.

Matt.

Iudæorum ieiunia stricta.

Iudæi cur dicti Sabbatarij.

Recu

——*Recutitáque Sabbata palles.*

Hoc est, Iudaïca ieiunia, quæ a sanctitate, qua fieri debebant, vel à Sabbatorum parasceue, seu peruigilio, in quo ieiunabatur, Sabbata vocabantur, ipso totius oris pallore repræsentas. Hinc Octauius ad Tiberiũ, vt refert Suetonius in ipso Octauio, c.76. suam commendans & exaggerans abstinentiam: *Ne Iudæus quidem*, inquit, *mi Tiberi, tam libenter Sabbati ieiunium seruat, quàm ego seruaui, qui in balinee demum post horam primam noctis, duas bucceas*, seu buccellas, *manducaui.* Vbi dicit, non modò diurnam famem seruasse; sed etiam sub noctem modico victu soluisse: instar Iudæorum, qui se pari ieiunandi forma macerabant. Vnde Philo Heb. lib. 2. De vita Moysis, vocat ieiunandi disciplinam, qua Iudæi vtebantur, *austeram & tetricam.* Et eos qui secùs ieiunant, reprehendit: *Sunt enim*, inquit, *qui sic ieiunant, vt nec merum desit, nec cupedia, dapsiliter appositis cibis & poculis, non tantùm vẽtrem expleturis, verùm etiam excitaturis subuentraneas concupiscentias.* Et statim Iudaïca ieiunia, longè dissimilia commendans, *Sed vbi*, inquit, *sic ieiunatur, vt nec cibum, nec potum attingere liceat; ne quid corporearum affectionum purgata menti obstrepat: ibi intentis omnibus ad placandum Patrem omnipotentem, id vnum agitur, vt concedat præteritorum peccatorum veniam, & in posterum nouis beneficiis suam gratiam augeat.* Hæc autem ieiunandi seueritas in eo consistebat, interprete Abulensi, vt vigintiquatuor horarum, seu vnius diei naturalis spatio integra fames seruaretur: quod ex ieiunio in die Expiationis, Leuit. 16. n. 29. & Leuit. 23. n. 32. confirmabat: quamuis id neutro in loco exprimatur. Apertiùs tamẽ id colligitur ex Iudith 6. n. 20. vbi postquàm tota dies orando, & consequenter ieiunando transacta dicitur, subditur facta cœna magna ab Ozia, in qua omnes Presbyteri, *Simul expleto ieiunio refecerunt.* Quod vlteriùs ex D. Hieronymo lib. 2. contra Iouinianum confirmatur, dicente, Iudæos non nisi post ortum stellæ sua ieiunia soluere consueuisse. Hoc igitur ieiunandi ritu vsi fuerunt hoc loco Israëlitæ, tota die ieiunantes, & non nisi post Solis occasum, seu ortum stellæ, ieiunium soluentes.

Suet. — *Philo. Iudæorum ieiunantium disciplina austera & tetrica dicitur à Philone.* — *Abul. Hæc ieiunãdi seueritas in quo consistat.* — *D. Hieron.*

X. *Peccauimus Domino*, &c. Hæc fuit tertia actio exercita in Masphath. Quamuis enim apud Hebræos non fuerit confessio sacramentalis: fuit tamen ceremonialis: vt vel ipsi Rabbini apud Galatinum lib. 10. c. 3. & Genebr. in Psalmum 31. ibi; *Delictum meum cognitum tibi feci.* Et Bellarm. lib. 3. De pœnitentia, cap. 3. testantur. In qua non solùm Deo, sed etiam homini peccata sua; non solùm in genere, sed etiam in specie, cum firmo proposito non relabendi, confitebantur. Qualis fuit illorum confessio, qui à Ioanne baptizabantur, *Confitentes peccata sua.* Matth. 3. num. 6. vt docent D. Basil. lib. 1. de Baptismo, & in Regulis breuioribus, Interrogatione 288. Tertul. lib. De Baptismo, cap. 20. Auctor Operis imperfecti in Matth. hom. 3. & ex nostris Salmer. tom. 4. tract. 4. Maldonat. in locum citatum Matth. Barrad. tom. 2. concord. libr. 1. cap. 4. Suar. tom. 2. in 3. part. ad q. 38. art. 3. Canisius lib. 1. De corruptione verbi Dei, cap. 8. & alij. Talis fortasse fuit & hæc confessio. De qua plura in Annotat.

Iudæorũ confessio ceremonialis, non sacramentalis. — Galat. Genebr. Bellar. — D. Basil. Tert. — Salm. Mald. Barrad. Suar. Canis. — *Similis Iudæorum confessio in Iordane.*

XI. *Iudicauitque Samuel*, &c. Dubiũ est, cur scribatur hoc loco Samuel, filios Israël iudicasse. Caietanus & Serarius existimant, quòd ab hoc tempore eius munus inceperit. Quibus fauere videtur D. Gregorius Nissenus in Oratione De laudibus Basilij fratris sui, sub initium, vbi loquutus de tempore, quo iudiciaria potestas Samuelis in-

Samuelis munus ab eo tempore incœpisse volunt aliqui. — Caiet. Serar.

A cepit: *Cum*, inquit, *Israëlitarum res per eum statum, quo nullius certi magistratus imperio continebantur, in promiscua populi, atque confusa potestate male se se haberent; Samuel extitit, qui per se se subditos in officio contineret, & à consuetudine, atque commercio alienigenarum prohiberet.* Vbi tempus aliquod à morte Heli vsque ad principatum Samuelis interponere videtur, in quo aliqua anarchia interfluxerit. Sed huic expositioni non assentior. Nam, vt Abulensis q. 23. aduertit, Samuelis principatus incepit à morte Heli. Et probatur: tum, quia aliàs totos viginti annos sine Iudice ille populus aberrasset: nam à morte Heli iam vigesimus annus agebatur: hoc autem singularis prouidentia, quam Deus de illo populo habebat, minimè pateretur: tum, B quia, si post viginti annos à morte Heli, incepit præfectura Samuelis, quæ cum Regno Saülis quadraginta annos durauit. Act. 13. num. 21. fit, vt maior annorum summa ab exitu filiorum Israël de Ægypto vsque ad quartum annum Salomonis admittenda sit, quàm ab Scriptura memoretur. Nam illa summa fuit 480. annorum, 3. Reg. 6. num. 1. computando quadraginta tantùm annos à morte Heli vsque ad mortem Saülis, vt Chronologi communiter concedunt: & nos in primo Tomo, Annotatione 3. Sect. 6. à §. 10. aduertimus. Ergo, si nunc sexaginta anni à morte Heli vsque ad mortem Saülis interponuntur, necesse est, vt viginti anni vltra illam summam prædictam augeantur. Alij dicunt, iudicare hoc loco idem esse, C atque condemnare, castigare, necare: quia Samuel idololatras aquæ potæ indicio proditos interfecit: quemadmodum & Moyses in deserto vituli conflatores & adoratores occidendos curauit. Sed iam suprà diximus, hæc fuisse Hebræorum nugamenta: tam seuera enim supplicia, si tunc Samuel exerceret, Scriptura clariùs aperiret.

D Greg. — Abul. *Eorum sententia non placet: & probatur.* — *Aliorum sententia cum Rabbinis explodantur.*

XII. Dicendum igitur cum Lyrano, Abulensi, Saliano & aliis, propterea Samuelis principatum hoc loco commemorari, quòd Samuel in Masphath non modò populum Deo conciliarit, sed etiam ipsius populi dissidia sustulerit, lites composuerit, pacem & concordiam firmarit: quod ad bonum Iudicem spectabat. Nam, licèt hæc omnia toto illo vicennio peregerit: tamen in hanc D curam studiosior incubuit, eo maximè tempore, quo totus populus ad Deum per veram pœnitentiam redibat: quale fuit præsens. Addit D. Gregorius, non immeritò iudicasse in Masphath, quæ interpretatur *Speculatio.* Nam, vt iudicium rectum euadat, necesse est, vt diligens causæ cognitio, & feruens rerum cælestium contemplatio præcedat: *Vnde*, inquit, *resurgens à mortuis Dominus prius in discipulorum faciem insufflauit; & posteà dimittendi, retinendique peccata, auctoritatem tribuit: vt profectò monstraret; quia, qui illam mentis speculationem non habet, iudex animarum esse non debet.* Sed iam has pœnitentium actiones ad mores illustremus.

Lyra. Abul. Salian. *Quid in hoc verso dicendum statuitur.* — D. Greg. *Ad iudicium requiritur feruens verũ cælestium contemplatio.*

E

ANNOTATIO XXV.

CIRCA LITERAM.

Confessio peccatorum illustratur.

I. OENITENTIA Hebræorum, de qua in Litera hactenus dictum est, monet, vt de vera Christianorum pœnitentia nonnihil hoc loco disseramus. In illa tres actio-

eiecta, nunquàm amplius in animos remigrarent. Ita Glossa ad hunc locum desumpta fortassè ex Rabbano; quam sequitur Hugo Cardinalis: sic etiam & Lyra in morali, docet, significari hoc loco abiectionem peccatorum *sine recidiuo*. Vltimò, in honorem Verbi carnem assumpturi. Nam, vt docet D. Cyrillus Alexandrinus hom. 18. apud Turrianum nostrum lib. 3. pro epistolis decretalibus, cap. 6. illa aqua, Æternum Verbum, quod est fons vitæ significabat: terra autem, humanam carnem ab Æterno Verbo assumendam. Quod mysterium præuidit Samuel, & aquam in terram effundens repræsentauit: immò pronus in genua, vt credere par est, a longè quodammodo salutauit & adorauit. Adde & ipsum diuinum Verbum liberalem sui cum natura humana coniunctionem expressurum, simili metaphora vsum fuisse; cùm dixit: *Sicut aqua effusus sum*. Psal. 21. num. 15. hoc est: tam liberaliter me in naturam humanam effudi; vt me totum illi communicarem.

Gloss. Hugo. Lyra. Vltimam ex D. Cyril.

D. Cyril. Verbum æternũ fons vitæ.

VII. Præter has huius ceremoniæ significationes, Interpretum testimoniis confirmatas; facilè possunt aliæ excogitari. Vna sit, animorum synceritas. Nam, sicut ea, quæ sub aquis latent, oculis patent: ita quæ sub animis synceris continentur, foras produntur; iuxta illud: *Quomodo in aquis resplendent vultus prospicientium: sic corda hominum manifesta sunt prudentibus*. Prou. 27. n. 19. Vnde, vt rectè aduertit Caietanus, effuderunt aquam in conspectu Domini, cuius oculis omnia patescunt: vt ostenderent, nihil se velle occultare. Altera significatio esse potest animorum innocentia. Nam sicut populus diuinam legem accepturus, lauare iubetur vestimenta sua. Exod. 19. n. 10. Et maiores ciuitatis in casu homicidij manus suas abluebant, Deuter. 21. num. 2. Et Iob aquis niuis se lotum desiderabat, Iob. 9. n. 30. Et Dauid lauabat per singulas noctes lectum suum, Psal. 6. num. 7. Et rursum lauabat inter innocentes manus suas, Psal. 25. n. 6. Et sic plures alij de more Hebræorum, vt suam innocentiam testarentur. Ita hoc loco Hebræi, vt se post abiuratam idololatriam innocentes assererent; aquam, qua ablueientur, effundebant. Tertia significatio, ingens pœnitentiæ fructus. Nam, sicut aqua campos irrigat, oblimat ac fœcundat: ita pœnitentia animos. Quò referri potest illud: *Quomodo descendit imber, & nix de cælo, & inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen seventi, & panem comedenti*. Isai. 55. num. 10. Ita planè & pœnitentia, & quæ illius feruore soluuntur lacrymæ, non modò sordidas mentes à peccatis expiant; sed etiam steriles, virtutibus fœcundant, vt ab hoc nouo rigatu, nouæ honorum operum segetes feliciter oriantur. Quarta denique significatio esse potest, futura per Baptismum ablutio animorum. Nam, sicut olim frequentes corporum ablutiones, Leuit. 13. num. 6. Marc. 7. num. 3. Hebr. 9. num. 10. & passim alibi, Baptismi prænuntiæ videbantur: ita & hæc aquæ effusio Baptismum significauit. Turrianus citatus ex hac aquæ effusione confirmat aquæ benedictæ adspersionem in Ecclesia fieri solitam. Nam, *Si*, inquit, *effusione aquæ iussa fieri à Samuele, secundùm spiritum in nomine Dei, qui futurus erat homo, tantùm valuit, vt victoriam de hostibus, Deo de cælo tonante perterrefactis, impetraret: cur non multo etiam plùs ad terrendos & fugandos Dæmones valebit effusio aquæ per verbum Dei iam incarnati, & pro nobis in aquæ morem effusi?* Psal. 21. num. 15.

Ex illa ceremonia potest colligi primò, animorum synceritas.

Secundò, animorum innocentia.

Populus diuinã legem accepturus lauare iubebatur.

Tertiò, ingens pœnitentiæ fructus.

Quartò, futura per Baptismum animorum ablutio.

Turrian.

Vnde mos aquæ benedictæ sit ortus.

VIII. *Et ieiunauerunt in die illa*, &c. Si præcedens actio hauriendi & effundendi aquam, Baptismum A significet, vt proximè diximus; rectè sequitur hæc secunda ieiunandi: quia post Baptismum pœnitentiæ, æquum est, vt ieiunium consequatur. Vnde pessimè egerunt Israëlitæ de mari rubro, Baptismi symbolo exeuntes; & statim de Ægyptiis epulis cogitantes. Exod. 16. num. 3. Quorum intemperiem vt Christus Dominus castigaret, statim vbi in Iordane baptizatus est, *Ieiunauit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*. Matt. 4. num. 2. Quod Tertul. lib. De Baptismo, cap. 20. rectè expendit: *Dominus*, inquit, *de figura Israelis exprobrationem in ipsum retorsit. Nanque populus mare transgressus, in solitudinem translatus, cùm diuinis copiis aleretur; nihilominus ventris & gulæ meminerat potiùs, quàm Dei. Deinde Dominus post aquam* B *segregatus in deserta: quadraginta dierum ieiunia emensus, ostendit, non pane viuere hominem Dei, sed verbo Dei; tentationésque plenitudini & immoderantiæ ventris appositas abstinentia elidi*. Verùm, si aqua illa effusa cordis contritionem significat; vt etiam ostendimus: nõ immeritò sequitur hoc ieiunium. Nam post internam cordis pœnitentiam, necesse est, vt externa corporis maceratio subsequatur. Vnde D. Gregor. *Dum mens*, inquit, *flendo compungitur, necesse est etiam, vt caro, quæ delectationibus subiacuit, affligatur*. Et D. Cæsarius Arelatensis hom. 1. *De contritione animi*, inquit, *redimuntur crimina voluptatum, & per dura crucis exercitia, decepta dudum carnis gaudia puniuntur: ac sic mortificatione præsenti futuræ mortis sententia præuenitur*. Sicut C enim in peccato præit anima, & sequitur caro; illa volendo, hæc exequendo: ita & in pœnitentia fieri debet, vt internum animæ dolorem externa carnis afflictio comitetur.

Pœnitentiam ieiunium cõsequitur.

Tertull.

Christus Dominus Israëlis intemperiẽ ieiunio suo castigauit.

D. Greg.

D. Cæsar.

Vt in peccato præit anima, sequitur caro: sic in pœnitentia, anima dolore, caro afflictione.

IX. Quæres: An hoc ieiunium indictum fuerit à Samuele: an ab ipso populo, absque vllo monitore, sponte susceptum. Hoc posterius aliquis affirmabit eo argumento, quòd nullum ieiunandi præceptum, aut consilium datum à Samuele in Litera exprimatur. Et quòd aliquando populus de communi consensu absque vllo, vel iussu, vel monitu Superioris ieiunasse commemoretur, vt videre est Iud. 20. n. 26. Iudith 4. num. 8. Ion. 3. n. 5. 1. Machab. 3. n. 47. Illud tamen priùs affirmat D. Hieron. lib. 2. aduersùs Iouinianum: *Congrega-* D *tum*, inquit, *Samuel populum in Masphath, indicto ieiunio, roborauit, & fecit hostibus fortiorem*. Et quidem probabilius: tum, quia populus sub id temporis se totum Samueli dirigendum tam perfectè committebat, vt nõn nisi quò ille duceret, sequeretur: tum, quia Samuel gubernando ad salutem populo tam perfectè inuigilabat; vt nihil inculcare desineret, quod ad eius salutem pertineret: tum denique, quia publicum ieiunium à Prophetis & à summis Magistratibus indici consueuit; à Ieremia & Baruch, Ierem. 36. n. 9. à Saule, 1. Reg. 14. n. 24. ab Achab, 3. Reg. 21. n. 9. à Iosaphat, 2. Paral. 20. n. 3. ab Esdra, 1. Esdr. 8. num. 21. à Iuda Machabæo, 2. Mach. 3. n. 12. & sic de aliis. Ergo & à Samuele, hoc loco; quamuis non E exprimatur in Litera. Et idem fortasse dicendum est de locis pro priori parte citatis. Semper enim credendum videtur, publicas actiones in publica causa à publica potestate proficisci. Quæres item: Quænam fuerit huius ieiunij forma. Illud absolutè dici potest, Iudæorum ieiunia stricta fuisse. Vnde Epigrammatarius lib. 4. Epigramm. 4. stricta ieiunia dicturus, dixit: *Ieiunia Sabbatariorum*: hoc est, Iudæorum, qui à Sabbato, quod colebant, Sabbatarij dicebantur. Et Persius Satyr. 5. ad finem, de homine magnis se ieiuniis macerante.

D. Hieron.

Fuisse tamen præceptum, probabilius.

Probatur variis Scripturæ locis.

Matt.

Iudæorum ieiunia stricta.

Iudæi cur dicti Sabbatarij.

Recn

——*Recutitáque Sabbata palles.*

A

Suet.

Hoc est, Iudaïca ieiunia, quæ a sanctitate, qua fieri debebant, vel à Sabbatorum parasceue, seu peruigilio, in quo ieiunabatur, Sabbata vocabantur, ipso totius oris pallore repræsentas. Hinc Octauius ad Tiberiú, vt refert Suetonius in ipso Octauio, c.76. suam commendans & exaggerans abstinentiam: *Ne Iudæus quidem*, inquit, *mi Tiberi, tam libenter Sabbati ieiunium seruat, quàm ego seruaui, qui in balineo demum post horam primam noctis, duas bucceas*, seu buccellas, *manducaui.* Vbi dicit, non modò diurnam famem seruasse; sed etiam sub noctem modico victu soluisse: instar Iudæorum, qui se pati ieiunandi forma macerabant.

Philo. *Iudæorum ieiunantium disciplina austera & tetrica dicitur à Philone.*

B

Vnde Philo Heb. lib. 2. De vita Moysis, vocat ieiunandi disciplinam, qua Iudæi vtebantur, *austeram & tetricam.* Et eos qui secùs ieiunant, reprehendit: *Sunt enim*, inquit, *qui sic ieiunant, vt nec merum desit, nec cupedia, dapsiliter appositis cibis & poculis, non tantùm vẽtrem expleturis, verùm etiam excitaturis subuentraneas concupiscentias.* Et statim Iudaïca ieiunia, longè dissimilia commendans, *Sed vbi*, inquit, *sic ieiunatur, vt nec cibum, nec potum attingere liceat; ne quid corporearum affectionum purgata menti obstrepat: ibi vacantibus omnibus ad placandum Patrem omnipotentem, id vnum agitur, vt concedat præteritorum peccatorum veniam, & in posterum nouis beneficiis suam gratiam augeat.* Hæc autem ieiunandi seueritas in eo consistebat, interprete

Abul. *Hæc ieiunandi seueritas in quo consistat.*

C

Abulensi, vt vigintiquatuor horarum, seu vnius diei naturalis spatio integra fames seruaretur: quod ex ieiunio in die Expiationis, Leuit. 16. n. 29. & Leuit. 23. n. 32. confirmabat: quamuis id neutro in loco exprimatur. Apertiùs tamẽ id colligitur ex Iudith 6. n. 10. vbi postquàm tota dies orando, & consequenter ieiunando transacta dicitur, subditur facta cœna magna ab Ozia, in qua omnes Presbyteri, *Simul expleto ieiunio refecerunt.*

D. Hieron.

Quod vlteriùs ex D. Hieronymo lib. 2. contra Iouinianum confirmatur, dicente, Iudæos non nisi post ortum stellæ sua ieiunia soluere consueuisse. Hoc igitur ieiunandi ritu vsi fuerunt hoc loco Israëlitæ, tota die ieiunantes, & non nisi post Solis occasum, seu ortum stellæ, ieiunium soluentes.

X. *Iudæorũ confessio ceremonialis, non sacramentalis.*

Galat. Genebr. Bellar.

D

Peccauimus Domino, &c. Hæc fuit tertia actio exercita in Masphath. Quamuis enim apud Hebræos non fuerit confessio sacramentalis: fuit tamen ceremonialis: vt vel ipsi Rabbini apud Galatinum lib. 10. c. 3. & Genebr. in Psalmum 31. ibi; *Delictum meum cognitum tibi feci.* Et Bellarm. lib. 3. De pœnitentia, cap. 3. testantur. In qua non solùm Deo, sed etiam homini peccata sua; non solùm in genere, sed etiam in specie, cum firmo proposito non relabendi, confitebantur. Qualis fuit illorum confessio, qui à Ioanne baptizabantur, *Confitentes peccata sua.* Matth. 3. num. 6. vt docent D. Basil. lib. 1. de Baptismo, & in Regulis breuioribus, Interrogatione 288. Tertul. lib. De Baptismo, cap. 20. Auctor Operis imperfecti in Matth. hom. 3. & ex nostris Salmer. tom. 4. tract. 4. Maldonat. in locum citatum Matth. Barrad. tom. 2. concord. libr. 1. cap. 4. Suar. tom. 2. in 3. part. ad q. 38. art. 3. Canisius lib. 1. De corruptione verbi Dei, cap. 8. & alij. Talis fortasse fuit & hæc confessio. De qua plura in Annotat.

D. Basil. Tert.

Salm. Mald. Barrad. Suar. Canis. *Similis Iudæorum confessio in Iordane.*

XI. *Samuelis munus ab eo tempore incepisse volunt aliqui.*

Caiet. Serar.

Iudicauitque Samuel, &c. Dubiũ est, cur scribatur hoc loco Samuel, filios Israël iudicasse. Caietanus & Serarius existimant, quòd ab hoc tempore eius munus inceperit. Quibus fauere videtur D. Gregorius Nissenus in Oratione De laudibus Basilij fratris sui, sub initium, vbi loquutus de tempore, quo iudiciaria potestas Samuelis in-

A

cepit: *Cum*, inquit, *Israëlitarum res per eum statum, quo nullius certi magistratus imperio continebantur, in promiscua populi, atque confusa potestate male se se haberent; Samuel exiitit, qui per se se subditos in officio contineret, & à consuetudine, atque commercio alienigenarum prohiberet.* Vbi tempus aliquod à morte Heli vsque ad principatum Samuelis interponere videtur, in quo aliqua anarchia interfluxerit. — D Greg.

Abul. *Eorum sententia non placet: & probatur.*

Sed huic expositioni non assentior. Nam, vt Abulensis q. 23. aduertit, Samuelis principatus incepit à morte Heli. Et probatur: tum, quia aliàs totos viginti annos sine Iudice ille populus aberrasset: nam à morte Heli iam vigesimus annus agebatur: hoc autem singularis prouidentia, quam Deus de illo populo habebat, minimè pateretur: tum,

B

quia, si post viginti annos à morte Heli, incepit præfectura Samuelis, quæ cum Regno Saülis quadraginta annos durauit. Act. 13. num. 21. fit, vt maior annorum summa ab exitu filiorum Israël de Ægypto vsque ad quartum annum Salomonis admittenda sit, quàm ab Scriptura memoretur. Nam illa summa fuit 480. annorum, 3. Reg. 6. num. 1. computando quadraginta tantùm annos à morte Heli vsque ad mortem Saülis, vt Chronologi communiter concedunt: & nos in primo Tomo, Annotatione 3. Sect. 6. à §. 10. aduertimus. Ergo, si nunc sexaginta anni à morte Heli vsque ad mortem Saülis interponuntur, necesse est, vt viginti anni vltra illam summam prædictam augeantur.

Aliorum etiã placita cum Rabbinis exploduntur.

C

Alij dicunt, iudicare hoc loco idem esse, atque condemnare, castigare, necare: quia Samuel idololatras aquæ potæ indicio proditos interfecit: quemadmodum & Moyses in deserto vituli conflatores & adoratores occidendos curauit. Sed iam suprà diximus, hæc fuisse Hebræorum nugamenta: tam seuera enim supplicia, si tunc Samuel exerceret, Scriptura clariùs aperiret.

XII. Lyra. Abul. Salian. *Quid in hac re dicendum statuitur.*

Dicendum igitur cum Lyrano, Abulensi, Saliano & aliis, propterea Samuelis principatum hoc loco commemorari, quòd Samuel in Masphath non modò populum Deo conciliarit, sed etiam ipsius populi dissidia sustulerit, lites composuerit, pacem & concordiam firmarit: quod ad bonum Iudicem spectabat. Nam, licèt hæc omnia toto illo vicennio peregerit: tamen in hanc curam studiosior incubuit, eo maximè tempore,

D

quo totus populus ad Deum per veram pœnitentiam redibat: quale fuit præsens. Addit D. Gregorius, non immeritò iudicasse in Masphath, quæ interpretatur *Speculatio.* Nam, vt iudicium rectum euadat, necesse est, vt diligens causæ cognitio, & feruens rerum cælestium contemplatio præcedat: *Vnde*, inquit, *resurgens à mortuis Dominus priùs in discipulorum faciem insufflauit; & posteà dimittendi, retinendique peccata, auctoritatem tribuit: vt profectò monstraret; quia, qui illam mentis speculationem non habet, iudex animarum esse non debet.* Sed iam has pœnitentium actiones ad mores illustremus.

D. Greg. *Ad iudicium requiritur feruens rerũ cælestium contemplatio.*

E

ANNOTATIO XXV.

CIRCA LITERAM.

Confessio peccatorum illustratur.

I.

POENITENTIA Hebræorum, de qua in Litera hactenus dictum est, monet, vt de vera Christianorum pœnitentia nonnihil hoc loco disseramus. In illa tres actio-

De tribus pœnitentiæ actionibus dicendum hoc loco.

nes coneutrerunt. Prima:Confeſſio peccatorum; illis verbis : *Peccauimus Domino.* Secũda:Separatio à peccatis;dum *effuderunt aquam*, quæ ſemel effuſa non teuocatut. Tertia:Satisfactio pro peccatis; qoia *ieiunauerunt in die illa*:vt quidquid pœnarum pro culpis debebatur,illo ieiunio lucraretur. Totidem actiones in vera Chriſtiaoorum pœnitentia concurrunt : ſingulæ ſingulis Annotationibus illuſtrandæ. In hac igitur de prima actione, ſcilicet,peccatorum confeſſione diſſerendum, in qua & vtilitas & facilitas huius confeſsionis, præſertim diuina gratia præuente, oſtendetur.

SECTIO I.

Vtilitas ſacramentalis Confeſsionis.

II. *Simulata confeſſio grauius vlcerat.* *D. Bernard.*

SErmo eſt de vera, humili & ſyncera confeſſione: nam, quæ talis non eſt, ſed ficta, ſimulata ac ſuperba, mentem non ſanat; ſed grauiùs vlcerat. Vnde Diuus Bernardus De interiori domo, cap. 37. *Simulata*, inquit, *confeſſio non eſt confeſsio, ſed duplex confuſio. Excludit enim miſerationem Dei, miſeria ſimulatio: nec dignatio locum habet, vbi fuerit dignitatis præſumptio.* Quare D. Ambroſius lib.1. De pœnitentia, c.17. oſtendens, bonam confeſsionem eſſe Diaboli expultricem; nos ſtatim reuocat à ſimulata : *Debemus*, inquit, *cauere, ne remedium noſtrum ſit eius triumphus.* Quaſi Diabolus, qui in bona confeſsione facilè vincitur, in mala ſuperet ac triumphet. Idem lib. 2. De pœnitentia, cap. 11. hortatus, ne opus pœnitentiæ perperam exerceatur, ſubdit rationem: *Ne in ipſa*, inquit, *pœnitentia fiat, quod poſteà indigeat pœnitentia.* Nam, ſicut vera confeſsio eſt ſalubre antidotum : ita ſimulata lethale venenum. Hinc Tertullianus lib. De pœnitentia, cap. 8. *Tantùm*, inquit, *releuat confeſſio delictorum, quantùm diſsimulatio exaggerat. Confeſsio enim, ſatisfactionis conſilium eſt; diſsimulatio contumacia.* Nec immeritò. Quia profectò conſilium ſordeſcendi in ſuis peccatis potiùs, quàm reſipiſcendi ab illis, capeſsit, quiſquis illa ſimulatæ confeſsionis patrocinio potiùs tegenda, quàm delenda curat. Caueat igitur ab hac confeſsione peccator, ſciens, ſe non mentiri homini, ſed Deo. Act. 5. num. 4. Deo autem mentiri, tanta eſt impudentia, vt maior eſſe non poſſe videatur. Riſit olim Sara ad inſperatam Angelorum promiſsionem : & riſui addens mendacium, dixit: *Non riſi.* Geneſ. 18. n. 15. Quo ex loco rectè colligit D. Auguſtinus q. 37. non fuiſſe illos Angelos à Sara cognitos, vt Angelos, & multò minus, vt Deum. Nam Angelis, aut Deo, quibus eius riſus occultari non poſſet, nullo modo mentiretur. Quæ ergo eſt illius hominis inſania, qui ſciens, ſe ſua peccata Deo confiteri, mentietur? Igitur vera & ſyncera confeſſio, de qua ſola agimus, miram confert ritè confitentibus vtilitatem. Nam eos, & à peccatis omnibus ſoluit, & à peccatorum pœnis liberat, & bonorum ſpiritualium diuitiis cumulat.

D. Ambr. Dæmon in bona confeſſione vincitur, in mala triumphat.

Tertul. Vera confeſſio, ſalubre antidotum: ſimulata, lethale venenũ.

Quã magna ſit impudentia mentiri Deo. *D. August.*

Mendaces nec Angelos cognoſcunt, nec Deum.

Pœnitentia à peccatis omnibus ſoluit.

III. QVod ad primum attinet: per veram confeſſionem omnia delentur peccata : omnibus ſtatim culpis exoluuntur, qui eas, qua debent pœnitentia, confitentur. In huius rei typum, cùm olim Iacob filios ſuos ad abiicienda idola hortaretur, dicens: *Abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt*, Geneſ. 35. n. 2. illi non ſolùm abiecerunt; ſed etiam, vt eſt in Litera: *Dederunt ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* Ibidem, num 4. Quaſi non putarent, ſatis iam à ſe Deos alienos abiectos eſſe, niſi Iacobo omninò diſperdendi traderentur. Qua in re nouæ legis pœnitentes figurantur, qui non ſolùm peccata ex animo abiiciunt: ſed etiam tam peccata ipſa, quàm eorum circunſtantias Sacerdoti confitentur; vt ab eo penitùs deleantur. Nam, vt bene D. Bernardus ſuprà citatus, poſtquàm dixit omnia peccata noſtra in diuino conſpectu ſcripta eſſe, ſubdit: *Quod ibi ſcribit tranſgreſsio, hìc delet confeſsio.* Quaſi non ſola abiectio ſatis ſit; ſed etiam, cùm præceptum vrget, confeſsio, vel in re, vel in voto requiratur, vt peccata obliterentur. Hæc autem, ſi accedat, omnes maculæ eluantur.

D. Bernard. Quod ſcribit tranſgreſſio, delet cõfeſſio.

IV. Grauiſsimas olim pœnas ſubiit Nabuchodonoſor, ſuis ſceleribus ſatis debitas. Nam *ex hominibus abiectus eſt, & fœnum, vt bos comedit; & rore cæli corpus eius infectum eſt.* Daniel. 4. n. 3. Quanta fuerit culparum & pœnarum proportio, rectè expendit D. Cyril. Ieroſolymitanus catecheſi 2. De pœnitentia: *Leoninos*, inquit, *habebat vngues: raptor enim Sanctorum fuerat: fœnum, tanquàm bos, comedebat; pecus enim fuerat, neſciens, quis illi regnum contulerat: tinctum erat corpus eius rore; etenim prauidens à rore extinctum ignem, non credidit.* Sed, quid illi tam ſeuera ſupplicia præſtiterũt? Potueruntne hominem, peccatorum ſuorum aut cœno extrahere, aut vinculis exoluere, aut ſordibus excoquere & expiare? Minimè profectò, antequam ſcelerum purgatrix confeſſio adueniret. Hac verò tandem accedente, ecce tibi flagitiorum nexibus exolutus ad priorem Regni dignitatem reuocatur. *Cùm agnouit*, inquit Cyrillus, *Altiſſimum, vocéſque gratias agentes ad Deum emiſit; & deuenit ad eorum, quæ patrauit pœnitentiam, tunc reſtituit illi Deus Regni honorem.* Atque ab hoc exemplo cæteros vrget peccatores, ne minorem de diuina miſericordia ſpem concipiant, ſi peccata ſua pari humilitate confiteantur. *Quid igitur*, inquit, *Nabuchodonoſori tantis obnoxio ſceleribus, peccata eius primùm confeſſus eſt, peccata remiſit Deus, regnúmque reſtituit: tibi verò agenti pœnitentiam non remittet; neque regnum cæleſte, ſi te pro dignitate geſſeris, concedet?* Quaſi diceret: Remittet vtique & concedet. Vbi enim vera adfuerit pœnitentia, peccatorum venia non tardabit. Vnde eſt illud Tertull. in carmine De Senatore ad idololatriam transfuga:

D. Cyril. Supplicia vitiis ſimilia.

Vbi eſt cõfeſſio, ibi honorũ omnium reſtitutio. *D. Cyril.*

Non erit in culpa, quem pœnitet antè fuiſſe.

Tertul. Si adeſt pœnitentia, deeſt culpa.

V. Hanc in ſpem veniæ erigebatur Dauid, cùm peccati ſui confeſsionem ſepties iterabat. Semel quidem dicens: *Dele iniquitatem meam.* Iterum: *Ampliùs laua me ab iniquitate mea.* Tertiò: *Et à peccato meo munda me.* Quartò: *Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* Quintò: *Et peccatum meum contra me eſt ſemper.* Sextò: *Tibi ſoli peccaui.* Septimò: *Et malum coram te feci.* Pſalm. 50. à num. 3. Septies, qui eſt numerus vniuerſitatis, hoc eſt, frequentiſsimè ſui peccati confeſsionem repetebat; quia hanc vnam medicinam ſuo morbo præſentiſsimam iudicabat. Quod expendens D. Ambroſius in Apologia 1. De Dauid, cap. 8. *Delicta*, inquit, *ſæpè repetendo, meritò magnam miſericordiam poſcit: nec ſolùm magnam miſericordiam, ſed etiam multitudinem miſerationum. Quod ergo peccatum talis non diluat deploratio? Quam culpam precatio huiuſmodi non emundet?* Atque ab hoc Dauidis exemplo vnum peccatum ſæpiùs confitente, reliquos confundit peccatores, qui ne multa quidem

Dauid ſepties iterat peccati cõfeſſionem, vt plus miſericordiæ conſequatur.

D. Ambr.

David vnum tantùm peccatum sæpiùs confitebatur, rarò innumeri Christiani.

dem semel confitentur: *Ille*, inquit, *pro vno peccato miserationum multitudinem deprecatur: nos pro pluribus peccatis vix semel eius misericordiam credimus obsecrandam.* Quare addit, non semel tantùm, sed sæpiùs replicandam confessionem, vt diuina miseratio copiosior infundatur. Quò pertinere dicit illud Dauidicum: *Ampliùs laua me*: ducta similitudine ab infectoribus pannorum: vt enim pannus pluribus coloribus inficitur, vt vltimò tandem perfectissimè imbuatur: ita & animus frequenti confessione expiari debet, vt abundantia diuinæ gratiæ cumulatissimè saturetur. *Sicut*, inquit, *muricum plurium in purpura infectione: ita in lauacro regenerationis, miserationum est multitudo cælestium, vt iniquitas deleatur.*

Iterandam Confessionem similitudine explicatur.

VI.

Conscientia si occultatur, marcescit vt germen, si proditur, reuiuiscit.

D. Ambr.

Peccatorem ad hanc scelerum confessionem hortabatur Dauid, dicens: *Reuela Domine viam tuam.* Psalm. 36. num. 5. Vbi Diuus Ambrosius: *Quis*, inquit, *reuelat viam suam, nisi, qui Deo, occultorum suorum arbitro interna sui pectoris confitetur?* Et statim expendit verbum reuelandi, quod est, ab vmbra quodammodo ad Solem extrahendi. Quasi diceret Propheta, inquit Ambrosius: *Aperi conscientiam tuam, ne eam seculi istius grauet vmbra, vel carnis.* Quod statim egregiè illustrat, optimam ab agricultura similitudinem mutuatus: *Prorumpentia*, inquit, *semina, si fuerint obumbrata, tenuantur: soli obiecta, pinguescunt. Quid de seminibus loquor? Ipsas arbusculas, quominùs se in altum subiiciant, vmbra syluestris internecat, & prohibet brachia ramosa diffundere.* Non aliter & conscientia, dum occultatur, marcescit: dum ad lucem per confessionem aperitur, reuiuiscit quodammodo, & reflorescit. Nec minùs eleganti similitudine rem declarat, ad illa Dauidis verba: *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo.* Psalm. 37. num. 19. vbi ab arte medica deducens exemplum, *Dauid*, inquit, *non vult latere sua delicta. Nam, vt febres in alto sitæ non queunt mitigari; cùm foras eruperint, spem afferunt desinendi: ita peccatorum morbus, dum tegitur, inardescit; si confessionibus proditur, euaporat.*

Peccatorum morbus dum tegitur, inardescit.

VII.

Peccatores muti, vt pisces.

Mysterio plenum fuit illud miraculum, quo voluit Christus Dominus, vt didrachma publicanis à Diuo Petro solueretur: *Vade*, inquit, *ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.* Matth. 17. num. 27. Vbi piscis, qui inter cætera animalia ἄφωνος; hoc est, mutus, & sine voce appellatur, significat peccatorem profundo suorum scelerum silentio inuolutum: ab huius tamen aperto ore peti voluit didrachma suis exactoribus tribuendum. Vt significaret, ab ore peccatoris eruendam esse confessionem, qua suis debitis exoluatur. Sic tropologicè exponit D. Ambrosius lib. 4. in Lucam, cap. 5. *Didrachma*, inquit, *non otiosè in ore piscis inuentum est. Ex ore enim tuo iustificaberis. Etenim pretium nostræ immortalitatis, est nostra confessio.* Et confirmat ex Apostolo: *Ore confessio fit ad salutem.* Roman. 10. n. 10. Itaque sua peccata, qui manifestat & accusat, prorsus expiat & emondat. Cùm olim Moyses Deum pro populo idololatra deprecaretur: *Obsecro*, inquit, *peccauit populus iste peccatum maximum.* Exod. 31. n. 31. Cur non potiùs, ô Moyses, populi peccatum extenuas & excusas; vt veniam faciliùs assequaris? Respondet Lyranus: *Quia confiteri culpam, via est ad veniam.* Immò eò dignior veniâ populus fiebat, quò se indigniorem fateretur.

Confessio debitorum, pretium est.

Qui peccata sua accusat, expiat.

D. Ambr.

Confessio via ad veniam.

Lyran.

VIII.

Imago peccatoris in leproso exprimitur.

Celebris in lege erat habitus illius leprosi, qui à lepra sanari cupiebat: *Habebit*, inquit, *vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Leuit. 13. n. 45. Vbi exprimitur

A imago peccatoris à suis peccatis abluendi. Dissuta habet vestimenta, vt appareat lepra: quia nullum habere debet in animo peccatum, quod Sacerdoti non confiteatur. Nudum habet caput in morem seruorum, qui, non nisi aperto capite, suis dominis ministrant: neque enim quis abiectiorem seruit seruitutem, quàm, qui suis peccatis famulatur. Sed, cur os veste tegere oportebat? Procopius: *Ne loquendo*, inquit, *odor horrendus diffundatur, nec docere alios præsumat; ne dicatur ei: Qui prædicas, non furandum, furaris.* Rom. 2. num. 21. *Quare tu enarras iustitias meas?* Psalm. 49. num. 16. Sic Procopius. Nec multò aliter Diuus Isidorus & Lyra interpretantur. Addo, ne à suis peccatis se excuset. Alioqui os habebat liberum & apertum,

B quo se contaminatum ac sordidum clamabat. Quasi hæc esset optima scelerum medicina, si apertum haberet os ad sua peccata confitenda; clausum ad excusanda.

Nemo peccatore abiectiorē seruit seruitutem.

Procop.

D. Isid.

Lyra.

Optima scelerum medicina, confessio.

IX.

Quàm malū peccatoris silentium.

Diuerso modo se habuit Dauid, quandiu in suo peccato obdormiuit, aut certè sub Dauidis nomine quilibet impœnitens peccator: *Quoniam*, inquit, *tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Psalm. 31. num. 3. Nam ad iactanda, aut etiam excusanda sua scelera, tota die clamabat: ad confitenda, tota die obmutescebat. Vnde tacendo recrudescebant vulnera, quæ confitendo facilè sanarentur. Paulò aliter exponit D. Aug. de silentio peccatorum, quæ tacebat; & de clamore meritorum, quæ iactabat. Nam inquirens, quomodo di-

C catur & tacere, & clamare, subdit: *Tacuit, vnde proficeret; non tacuit, vnde deficeret. Tacuit confessionem, clamauit præsumptionem. Tacuit peccata sua, clamauit merita sua. Si clamaret peccata sua, & taceret merita sua, innouarentur ossa eius. Modò autem remansit in vetustate, qui noluit confitendo amare nouitatem.* Itaque perfecta peccatorum confessio, singularis quædam est animorum renouatio, & à scelerum vinculis absolutio. Vnde, sicut, qui è carcere exeunt, lætitia exiliunt: ita exultare debent, qui sua peccata confitentur; iuxta illud Dauidicum: *Confiteantur tibi populi, Deus.* Et statim: *Lætentur & exultent.* Ps. 66. num. 4. & 5. Vbi D. Augustinus: *Tristis*, inquit, *esto, antequàm confitearis: confessus exulta,*

D *iam sanaberis: dum confitentis conscientia saniem collegerat, & apostema tumuerat, cruciabat te, requiescere non sinebat. Confitere, exeat in confessione, & defluat omnis sanies; iam exulta, iam lætare.* Certissima enim mentis sanitas ex oris confessione subsequetur.

D. Aug.

Aliqui peccatores tacent peccata, clamant merita.

Quanta sit animi peccata confitentis lætitia.

D. Aug.

Pœnitentia à peccatorum pœnis liberat.

X.

Omnis pœna eximitur per perfectissimā confessionem.

QVod ad secundum attinet: Debitis pœnis liberantur, qui peccata sua confitentur: & quidem æterna semper; temporali verò magis, aut minùs, prout maior, aut minor fuerit confessionis perfectio. Omni quidem pœna eximetur, qui suas culpas perfectissimo dolore fateatur. Testis sit illa mulier peccatrix, quæ ad pedes Christi Domini

E sua crimina non loquendo, sed lacrymando confessa, veniam sine vlla pœna reportauit, cui Christus Dominus, *Remittuntur*, inquit, *peccata tua. Vade in pace.* Lucæ 7. num. 48. & 50. Quod Hugo Victorinus suis in quosdam Psalmos Annotationibus, c. 64. expendens, *Christus*, inquit, *vt ostenderet mansuetudinem suam, & paruicordibus daret fiduciam appropinquandi; citò veniam indulsit, pœnam nullam indixit.* Testis & bonus latro, qui suas in Cruce culpas confessus, illis verbis: *Nos quidem iustè: nam digna factis recipimus.* Lucæ 23. num. 41. statim fiduciam habuit postulandi Paradisum:

Hug. Vict.

Variis testimoniis confirmatur.

Memento mei, cùm veneris in Regnum tuum. Ibidem, num. 42. Et meritum imperrandi: *Hodie mecum eris in Paradiso.* num. 43. Vnde D. Chryſ. ſer. De Lattone, ad finem 3. tomi: *Ecce*, inquit, *quantùm præſtitit confeſſio, vt ſine dilatione introduci Latro mereretur in Paradiſum.* Quaſi diceret: Abſque vlla pœna pro ptioribus culpis dennò impoſita, protinùs euolauit ad coronam. Et rurſus homil. ſeq. De Cruce & Latrone: *Inſpice*, inquit, *quantùm præſtat confeſſio. Confeſſus eſt, & Paradiſum patefecit: & totam confeſſus fiduciam meruit, vt Regnum poſt latrocinium poſtularet.* Immò & impetraret. Facta enim confeſſione, nulla iam reſtabat pœna in exilio ſubeunda; ſed gloriæ corona io regno ſuſcipienda.

D. Chryſ.

Confeſſio patefacit Paradiſum.

XI. Grauiſſimam pœnam comminatus fuit olim Deus ei, qui Caïnum occidiſſet: *Omnis*, inquit, *qui occiderit Caïn, ſeptuplum punietur.* Gen. 4. num. 25. Ecce tibi poſt multum temporis Caïn occiditur à Lamech, vt veteres Hebræi tradiderunt, teſte D. Hier. in Quæſtionibus Hebraïcis, immò & Patres Catholici, teſte eodem D. Hieronymo epiſt. 125. ad Damaſum, q. 1. quibus recentiores Interpretes aſſentiuntur. At, quę pœna hunc occiſorem ſequuta eſt? Sacras Litetas omnes replicate, oullas inuenietis. Quid ergo Lamechum ab homicidij pœna immnnem fecit? Quid diuinam contra illum ſententiam reuocauit? Planè ipſa homicidij confeſſio. Ipſe nanque ſuam confeſſus culpam, *Occidi*, inquit, *virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum.* Ibid. num. 23. Hæc autem culpæ confeſſio fuit ei pœnæ ſolutio: vt egregiè Theod. q. 44. in Gen. ioterpretatur: *Pœnam*, inquit, *euaſit propter peccati confeſſionem: & contra ſe ferens ſententiam, euitauit ſententiam diuinam.* Graue olim peccatum Iudas & Thamar commiſerunt. Sed in hanc capitale ſupplicium decernitur, non in illum: *Producite*, inquit, *eam, vt comburatur.* Gen. 38. num. 24. Immò nunquàm Iudas huius peccati reus, vel accuſatur, vel nominatur. Nec immeritò: quia Iudas ſuum peccatum agnouit, & confeſſione deleuit, dicens: *Iuſtior me eſt.* Ibid. num. 26. In quem locum D. Ambr. lib. 2. De Pœnitentia, c. 8. *Ideò*, inquit, *culpa eius deputatum non eſt; quia ipſe priùs ſe accuſauit, quàm ab aliis accuſaretur.* Dum autem ſe accuſauit, non modò culpam à ſe tranſtulit, ſed & pœnam.

Lamech culpam euaſit propter peccati confeſſionem.

D. Hier.

Theod.

Confeſſio & culpam, & pœnam transfert.

D. Ambr.

XII. Quare rectè Salomon, *Iuſtus*, inquit, *prior accuſator eſt ſui.* Prou. 18. num. 17. Vt non ſolùm à culpis eauatur, ſed etiam à pœnis liberetur; ac Dæmonem ad pœnas repoſcenté facilè tefellat ac repellat. Vnde D. Ambr. proximè citatus: *Nouit*, inquit, *omnia Dominus: ſed expectat vocem tuam; non vt puniat, ſed vt ignoſcat: non vult, vt inſultet tibi Diabolus, & celantem te peccata tua arguat. Præueni accuſatorem tuum: ſi te ipſe accuſaueris, accuſatorem nullum timebis: ſi te detuleris ipſe, etſi mortuus fueris, reuiuiſces.* Tantùm abeſt, vt ritè confeſſus moriatur; vt potiùs à morte, ſi quam incurrit, vendicetur. Eundem Salomonis locum pari elegantia illuſtrat D. Ambr. in Pſ. 35. *Iuſtus*, inquit, *nouit, quemadmodum peccatorum ſuorum vincula diſſoluat: nec expectat accuſatorem, ſed præuenit; vt confitendo, ſuum allenet omne delictum: nec habeat, quod aduerſarius criminetur. Vocem enim eripit aduerſario, & quaſi dentes quoſdam paratos ad prædam criminationis infeſta, peccatorum ſuorum confeſſione conſtringit.* Si igitur peccator confeſſione ſua prænenit accuſationem; præuenit pariter & damnationem: & conſequenter omnes pœnas, quæ damnatis inſliguntur, anteuertit.

D. Ambr.

Peccator per confeſſionem à morte vendicatur.

Qui confeſſione præuenit accuſationē, præuenit & damnationē.

XIII. In multos olim teos capitalis pœna decernebatur, A in ſacrilegos, in homicidas, in adulteros, & ſimiles peccatores. Ea tamen ab iis, qui ſua crimina confiterentur, ſtatim euitabatur: *Anima*, inquit Teatus, *quæ peccauerit* (nempe, quodcunque peccatum) *conuicta delicti, reddet omnia, quæ per fraudem voluit obtinere: pro peccato autem ſuo offeret arietem, & dimittetur illi.* Leu. 6. à num. 2. Hoc eſt: ſatisfaciet parti, & ſacrificabit Deo: & ſic ab omni ſupplicio libera abire permittetur. At, cur à morte eripitur, quam ex legis decreto merebatur? Reſpondet Rop. lib. 1. in Leu. c. 26. Quia illud, *Conuicta delicti*, ſic intelligi oportet: *Quòd teſte conſcientia, conuicta eſt, vt ſemetipſam accuſaret confeſſione ſpontanea.* Et ſtatim rem illuſtrat, non ſolùm in veteri Synagoga, ſed etiam in noua Eccleſia. Nam B *Eccleſia*, inquit, *latentem peccati cauſam ſecreta confeſſione proditam gaudenter admittit intra veniæ ianuas: deprehenſa verò per alium crimina, non ſolùm forenſe Tribunal, ſed etiam ſynodica irrecuperabiliter plectit ſeueritas.* Vbi vides, nihil tam rigidum in peccatores à legibus decerni, quod per ſpoutaneam & ſecretam confeſſionem, & multò magis ſacramentalem non emolliatur.

Nihil tam ſeuerum legibus decernitur, quod per confeſſionem non emolliatur.

Rup.

Confirmatur etiam in noua Eccleſia.

XIV. Cum primis parentibus peccantibus ſic egit Deus, vt neutrum maledictum appellarit. Horum tamen filium Caïnum, fratricidij reum, maledicto percuſſit: *Nunc igitur*, inquit, *maledictus eris ſuper terram.* Gen. 4. num. 11. Diſcriminis ratio illa eſt: quia parentes præuaricationis confeſſio à maledicto liberauit; filium criminis negatio induit in C maledictum. Sic enim Tert. lib. 2. contra Marcionem, c. 25. exponit: *Ideò*, inquit, *nec maledixit ipſum Adam, nec Euam, vt reſtitutionis candidatos, vt confeſſione releuatos: Caïn verò & maledixit, & cupidum morte luere delictum, mori interim vetuit, vt præter admiſſum, etiam negationis exemplo oneratum.* Quaſi diceret: Caïoo ſuam culpam, non modò non coofitenti, ſed etiam neganti maledictum incuſſit, & pœnam ipſa morte ſeueriorem; dum viuere permittitur in continuo mortis metu, qui animum atrociùs, quàm mors ipſa corpus exedebat. Ita ferè de hac re philoſophatur D. Ambr. lib. De Paradiſo, c. 14. Vbi loquutus de inobedientia Euæ, quam illa tandem confeſſa eſt, dicens: *Serpens decepit me, & comedi.* Gen. 3. c. 13. ſubdit: *Veniabilis culpa,* D *quam ſequitur profeſſio delictorum. Ideò non deſperata mulier, quæ non reticuit Deo, ſed magis confeſſa peccatum eſt.* Quaſi diceret: Pœnam, quam præuaricatio induait, confeſſio abegit. Et ſtatim de Caïno addit illum, quia culpam neganit, vt temporariam pœnam euaderet; remiſſum Diabolo, vt ſimul cum eo pœna torqueretur æterna. Noluit Caïn ſe accuſare, ne pœnæ, quam timebat, ſubiaceret: *Et ideò*, inquit, *accuſatori Diabolo eius accuſatio reſeruata eſt, vt cum Angelis flagelletur, qui cum hominibus noluit flagellari.* Itaque, qui à confeſſione abſtinet, damnationi ſubiacet: qui verò de ſua ſe culpa accuſat, à ſua ſe pœna eacuſat. Vnde D. Ambr. lib. 2. De Abel & Caïn, c. 9. *Confeſſio*, inquit, *pœnarum compendium eſt.* Nam etiam æternas pœnas, quas E propter tranſgreſſionem metemur, propter confeſſionem euitamus.

Peccatores cōfeſſio liberat à maledicto.

Tert.

D. Ambr.

Veniabilis culpa, quam ſequitur confeſſio.

Qui à confeſſione abſtinet, damnationi ſubiacet.

D. Ambr.

Confeſſio pœnarum compendium.

Pœnitentia bonorum ſpiritualium diuitiis cumulat.

XV. QVod attinet ad tertium: Exigua mihi videretur confeſſionis vtilitas, ſi à meritis tantùm pœnis vendicaret, & non infinitis propè bonorum cumulis augeret. Sed has planè cæleſtium bonorum diuitias humilis confeſſio importat. Et, vt alia bona abeſſent, illud quidem ſatis foret, quòd

Peccator per confeſſionem ſacris dignus efficitur.

quòd peccator humiliter confessus, diuino sacrificio non solum recipiendo, sed etiam offerendo dignus efficiatur. Dauid sua Deo peccata humiliter confessus: *Ego sum*, inquit, *qui peccaui, ego inique egi.* 2. Reg. 24. num. 17. Quid præmij tam humilis confessio reportauit? Sequitur statim: *Venit Propheta Gad ad Dauid in die illa, & dixit ei: Ascende, & constitue altare Domino*, &c. Ibid. num. 18. Quod Dauid fideliter exequutus: *Ædificauit altare Domino, & obtulit holocaustum, & pacifica.* Ibid. num. 25. Vbi D. Ambr. Apolog. 1. De Dauid, c. 7. *Quo facto*, inquit, *statim dignus sacrificio iudicatus est, qui absolutione æstimabatur indignus.* Quid felicius? Quid gloriosius accidere poterat peccatori, quàm vt confessus sua peccata, quibus æternum a Deo exilium merebatur; ad spirituale sacerdotium, & sacramentale conuiuium, & familiare cum Deo commercium erigeretur?

D. Ambr.

XVI. Singulare profectò hoc est bonum ex humili confessione profectum. Sed haud dubium, quin plura alia ex eodem fonte oriantur. Vnde peccatorem, quem transgressio vituperabilem reddidit; confessio laudabilem constituit. Patet in benedictione Iudæ, cui pater Iacobus felicitatem precatus & vaticinatus: *Iuda*, inquit, *te laudabunt fratres tui.* Gen. 49. num. 8. Quæ laudum materia à nominis etymo colligitur. Nam Iudas, interprete D. Hier. est idem, quòd *confessio*: qui autem sua peccata confitetur, tantùm abest, vt ignominiam contrahat; vt potiùs immortales laudes mereatur. Ad peccatorem Deus: *Narra*, inquit, *si quid habes, vt iustificeris.* Isai. 43. num. 26. seu, vt habent Septuaginta: *Dic tu iniquitates tuas primus, vt iustificeris.* Quem locum D. Chrysost. procemio in Isaiam, expendens: *Non dixit*, inquit, *Ne plectaris supplicio: sed, Vt iustificeris. Nonne sufficiebat peccatori indulgentia & remissio pœnæ?* Peccatori quidem sufficiebat: sed non Deo, qui sua peccata confitentem non modò supplicio liberat; sed etiam præmio coronat: vt videre est in bono Latrone, qui sua crimina confessus, non solùm è patibulo eripitur: sed etiam in Paradisum introducitur: *Hodie*, inquit, *mecum eris in Paradiso.* Lucæ 23. num. 43. *Non dixit*, inquit Chrys. *Liberum te & immunem reddo supplicij: sed ipsum in Paradisum introducit iam iustum.*

Peccator per transgressionē vituperabilis, per confessionē laudabilis efficitur.

D. Hier.

D. Chrys.

Deus per confessionem non modò supplicio liberat, sed præmio coronat.

D. Chrys.

XVII. Notat ibid. D. Chrys. à Medicis quidem curari plagam; non tamen tolli cicatricem, qua semper facies redditur deformata: à Deo autem non modò culpam tolli, sed etiam omne eius vestigium abstergi; vt nulla ibi deformitas, sed mira quædam venustas relinquatur: *Quamuis*, inquit, *innumeris modis adnitatur Medicus interlinere cicatricem, & eam è medio auferre; non poterit tamen. Repugnat huic facto naturæ infirmitas, artis insuper vis inualida; denique tenuitas medicamentorum. E diuersa Deus, quando peccata abolet, nullam reliquam facit cicatricem, nullum vestigium finit manere: sed vnà cum sanitate eximium etiam confert formæ decus.* Ita vt, si innocens & pœnitens conferantur; hic illi totius meotis pulchritudine præferendus videatur. Moyses populum alloquutus: *Cum*, inquit, *ductus pœnitudine cordis tui, reuersus fueris ad Deum, & obediens eius imperiis*, &c. *reducet te Dominus Deus tuus de captiuitate tua; & maioris numeri esse te faciet, quàm fuerint patres tui.* Deut. 30. à n. 1. Cur, quæso, dicit sceleratos filios sanctissimis patribus præferendos? Credo, quia patres innocentes, filij pœnitentes extiterunt: quorum Deus causam studiosiùs tuetur.

D. Chrys.

Deus tollit peccata, & peccatorum cicatrices, ad pulchritudinem.

Pœnitentes innocentibus præferuntur.

XVIII. Duodecim hominum millia elegit Moyses, qui aduersùs Madianitas præliantes, *omnes mares occiderunt, & Reges eorum, Eui & Recem & Sur & Hur & Rebe, quinque Principes Gentis* Num. 31. num. 8. Et tamen paulò anteà sexcenta hominum millia à Madianitis, non tam viris, quàm fœminis percussa ceciderunt. Numeror. 25. a n. 1. Quid, quæso, hos tam multos labefecit, & illos tam paucos coronauit; nisi vna confessio peccatorum, quæ illos paucos ex priori clade admonitos; non autem illos plures sua temeritate præcipites obarmabat? Sic Orig. hom. 25. in Num. *Qui priùs*, inquit, *à mulieribus victi sunt, nunc expiatione habita, & gesta pœnitentia, etiam Reges vincunt. Ex hoc intelligamus, quantùm valeat conuersio ad Deum; quantùm prosit emendatio peccatorum.* Vbi vides, fortiores extitisse pœnitentes, quàm innocentes: qui innocentiam coluerant, cecidisse; qui ad pœnitentiam se receperant, triumphasse. Erant olim in Niniue plusquàm centum viginti millia hominum, qui nesciebant, quid inter dexteram & sinistram interesset: hoc est, qui innocentiam conseruabant. Et tamen Deus neque propter tantam innocentium multitudinem, censuit, illi ciuitati parcendum esse: *Ego*, inquit, *non parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquàm centum viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram & sinistram suam?* Ion. 4. num. 11. Contrà verò quinque ciuitatibus infamibus condonaturum se promisit, si in illis, non dico quinquaginta, aut triginta, aut viginti, sed decem tantùm pœnitentes inuenirentur: *Non delebo*, inquit, *propter decem.* Gen. 18. n. 33. Quasi digniores & potentiores apud Deum decem pœnitentes, quam centum viginti millia innocentium viderentur.

Quanta fortitudo ex pœnitentia oriatur.

Orig.

Potentiores apud Deum pœnitentes, quam innocentes.

XIX. Quid dico, decem pœnitentes? Vnus, si Deo irato occurrat, eius iras serenabit: *Circuite*, inquit, *vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Ier. 5. num. 1. Immò non solùm propter vnius viui & præsentis lacrymas; sed etiam propter vnius mortui ac sepulti cineres diuina indignatio quodammodo deferuescit ac tranquillatur. Quod D. Chrys. hom. 42. in Gen. obseruat: *Multa*, inquit, *Domini bonitas est, & sæpè solet etiam propter paucos multis dare salutem. Et quid propter paucos? Sæpè quando non inuentus est in præsenti vir iustus, propter defunctorum virtutem, viuentium miseretur.* Et probat ex diuino oraculo ad Regem Ezechiam: *Protegam*, inquit, *vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum.* 4. Reg. 20. num. 6. Vbi Dauidis pœnitentis tanta auctoritas apparet, vt proximè post diuinam attendatur. Saul propter peccatum suum meruit, vt regno priuaretur: vnde Samuel ad illum, *Abiecit*, inquit, *te Dominus, ne sis Rex.* 1. Reg. 15. n. 23. At verò Dauid propter peccati sui confessionem meruit, vt inter alios Reges Israel, in catalogo primogenitorum Christi Domini, ipse solus Rex, semel atque iterum diceretur: *Iesse*, inquit Euangelista, *genuit Dauid Regem. Dauid autem Rex genuit Salomonem.* Matth. 1. num. 5. & 6. Quasi tanti à Deo fieret pœnitentia, vt sola dignior esset, quæ regia corona donaretur.

Propter vnius viui, vel etiā mortui lacrymas Dei ira deferuescit.

D. Chrysost.

Deus etiam propter defūctorum virtutem, viuentiū miseretur.

Pœnitentia sola Reges digna corona.

XX. Ex illis duobus filiis Dauidis, Amnon & Salomon, senior erat Amnon, ad quem proinde regnum spectabat: iunior Salomon, qui proinde ius ad regnum non habebat. Et nihilominùs Deus ita rem disposuit, vt hic iunior potiùs, quàm ille senior regnum obtineret. Vt patet ex 3. Reg. 1. n. 39. Ratio fortasse esse potest: quia Amnon filius erat Dauidis adhuc innocentis: at verò Salomon filius Dauidis iam pœnitentis. Sicut autem pœnitens sæpè innocenti præponitur: ita pœnitentis filij, filiis innocentis aliquando præferuntur.

Pœnitentis filij, innocentis filiis præferuntur.

Multæ

Gubernandis peccatorum animis, magis videtur inseruire Petrus pœnitens, quàm Ioannes innocens.

Multas ob causas Christus Dominus primatum Ecclesiæ potiùs tribuit Petro, quàm Ioanni, quem alioqui vnicè diligebat. Sed, vt interim reliquas omittam, aliis iam locis redditas, & aliis iterum reddendas, illa est ad rem præsentem; quòd Ioannes innocentiam conseruarat, Petrus ad pœnitentiam confugerat: gubernandis autem peccatorum animis, magis quodammodò pœnitens, quàm innocens inseruire videretur. Inde profectum, vt vtrunque veteris & nouæ legis pontificatum contulerit Deus hominibus, non quidem in statu innocentiæ, sed pœnitentiæ constitutis: Aaroni quidem, postquàm peccauit in fabricando vitulo. Exod. 32. à n. 2. Diuo autem Petro, postquàm negauit in passione, & negationem pœnitentiæ lacrymis expiauit: nam posteà in resurrectione pascendarum ouium curam suscepit. Ioan. 21. n. 17. Vt palàm esset, quanto in honore pœnitentes apud Deum haberentur. Vnde Diuus Cyrillus Ierosolymitanus catechesi 2. De Pœnitentia, ab exemplo Aaronis rectè argumentatur: *Illum quidem*, inquit, *propter crimen non vetuit Deus ad summum sacerdotium peruenire: te verò ex Gentibus venientem, salutem consequi vetabit?* Quasi diceret: si ad supremam dignitatem pœnitens admittitur; quid te pœnitentem à diuina gratia excludet?

Quanto in honore pœnitentes sint apud Deum. D. Cyril.

XXI. Christus Dominus ad vitam reuocatus, priùs dicitur fœminis, quàm viris apparuisse: immò per fœminas suam viris resurrectionem euulgasse: *Ite*, inquit, *nunciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, ibi me videbunt.* Matthæi 28. num. 10. At, C cur hic honor priùs fœminis tribuitur, quàm viris, qui illo digniores videbantur? Dicet aliquis: Propter maiorem Apostolorum humilitatem, vt futuri omnium Gentium magistri priùs fœminarum discipuli efficerentur. D. Greg. Niss. Orat. De Resurrectione, dicit: *Quia fœmina priùs peccauerat, Christum Dominum priùs fœminis apparuisse: vt suam erga peccatores beneuolentiam ostenderet, & quantam illis parasset medicinam, testaretur.* Addo: Quia fœmina suam priùs culpam confessa fuerat. Licèt enim Adamus priùs se de ligno comedisse manifestarit, Gen. 3. num. 12. tamen Eua priùs se deceptam, atque adeo aliquem defectum incurrisse, confessa est. Ibid. num. 13. Quæ verò in con- D fessione prior fuit, æquum erat, vt ad hunc honorem prior assumeretur. Ad hæc primus vir & prima fœmina, quibus Christus Dominus in Euangelio dicitur apparuisse; fuerunt Petrus & Magdalena pœnitentes: immò, cùm Petrus & Ioannes ad sepulcrum currerent; non dicitur Christus apparuisse Ioanni innocenti, sed Petro pœnitenti; iuxta illud: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Luc. 24. num. 34. vt maior pœnitentibus honor deferretur.

Futuri gentiũ magistri priùs humiliandi.

D. Greg. *Christus Dominus resurgens priùs erga peccatores suam ostendit beneuolentiam.*

Prior in confessione, etiam in honore prior est.

Christus Dominus non Ioanni innocenti, sed Petro apparet pœnitenti.

XXII. Mirum est, quòd D. Petrus in Cœna, ausus non fuerat Christum Dominum interrogare, quisnam esset proditor: sed Ioannem ad interrogandum submiserit. Ioan. 13. num. 24. Et nihilominùs post resurrectionem Domini, intrepidus accesserit ad interrogandum, quid futurum erat de Ioanne, dicens: *Domine, hic autem quid?* Ioan. 21. num. 21. Quid hoc est? An maiorem interrogandi fiduciam post negationem comparauit? Ita planè, inquit D. Chrys. ad eum locum. Sed, cur ita? Quia iam tunc, vt sentit D. Chrysost. Summi Pontificis auctoritatem habebat: *Qui enim*, inquit, *tunc non est ausus Iesum interrogare, sed id muneris alteri delegarat: hic commissa sibi fratrum cura, non modò alteri vicem suam mandat, sed & ipse magistrum interrogat.* Quasi ex pastorali cura statim fiducia consequatur. Sed addo ad præsens institutum cum D. A Thom. 3. p. q. 89. art. 3. ad 3. Quia tunc innocens quidem erat: at nunc post negationem, pœnitens. Nescio enim, quo pacto, qui ad pœnitentiam redit, maiorem ad Deum accedendi fiduciam acquirit. Vnde, cùm Ioannes in Cœna propior Christi Domini lateri adhæreret; post resurrectionem cedere visus est, & propiores partes Petro deferre: *Conuersus* enim *Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem.* Ioan. 21. num. 20. Ac si innocens Ioannes, propiorem & potiorem locum Petro pœnitenti deferendum iudicaret; & qui Petro ante pœnitentiam præibat, Petrum post pœnitentiam sequeretur.

Propter Pastoris fiducia.

D. Chrys. D. Thom.

Peccator post confessionem, maiorem ad Deum fiduciã acquirit.

Locus honoratior pœnitenti tribuendus.

XXIII. Certè prodigus ille filius, postquàm pœnitentiam egit, festiuiùs à parente tractatur, quàm se- B nior ille filius, qui semper innocentiam conseruasse gloriabatur. Nam, qui inter mercenarios recenseri cupiebat; inter paterna brachia fouetur, & ad lautissimum conuiuium, quale nunquàm filius primogenitus à parente obtinuerat, inuitatur. Luc. 15. à n. 20. Quod expendens D. Bern. serm. contra pessimum vitium ingratitudinis: *Prodigus*, inquit, *filius ad filiorum numerum adspirare timebat; beatum se reputans, si vel in mercenariorum numero recipi mereretur. Minimè tamen sufficere potuit paterna pietati, nisi tam copiosam ei misericordiam exhiberet; cui posset & ille, qui nunquam à patre discesserat, senior filius inuidere.* Quasi pœnitens innocenti non solùm adæquaretur, sed etiam præferretur. Quod breuiùs quidem, sed non minùs eleganter expressit Tert. lib. De pœnitentia, c. 8. dicens: *Chariorem senserat, quẽ lucrifecerat.* Hoc est: Quem per pœnitentiam receperat, in maiorem sui amoris gratiam computauit. Et statim effusam boni parentis beneuolentiam erga filium redeuntem admiratus, *Et si, nudus*, inquit, *redieris, recipiet, quia redisti; magisq; de regressu tuo, quàm de alterius sobrietate lætabitur.* Diuinus ille pastor, relictis nonaginta nouem ouibus in deserto, ad vnam ouiculam errantem & balantem reducendam festinauit Luc. 15. num. 4. Vbi Tert. citatus: *Grex*, inquit, *vna charior non erat. Vna illa conquiritur; vna pro omnibus desideratur: & tandem inuenitur, & humeris pastoris ipsius refertur: multùm enim errando laborauerat.* Vbi vides, sanctissimis illis Angelorum choris, qui in illis nonaginta nouem ouibus in deserto relictis, figurantur; vnum tantùm hominem pœnitentem in illa oue errabunda expressum, quodammodo anteponi. Immò, cùm Deus olim super alas Cherubin ascenderit & volarit, Ps. 17. num. 11. tamen ouem errantem ipse *imponit in humeros suos gaudens.* Luc. 15. num. 5. Vbi D. Hier. in epist. 61. ad Pammachium, contra errores Ioannis Ierosolymitani: *Dei Filius*, inquit, *propter vnam morbidam ouem, alapas, crucem, flagella sustinuit: & suis humeris portauit ad cælum, baiulans & patiens delicatam peccatricem.* Vides, quàm multa pœnitentibus à Deo conferantur?

Pœnitens innocenti non solùm adæquatur, sed etiam præfertur.

D. Bern.

Deus chariores habet, quos per pœnitentiam lucratur.

Tertul.

Vnus pœnitẽs multis Angelorũ millibus antefertur.

D. Hier. *Quot beneficiis pœnitentes prosequatur Deus.*

XXIV. Laudauit olim Christus Dominus Ioannem Baptistam; non tamen in os, immò neque præsen- E tibus eius discipulis, qui laudes ad illius aures deferrent. Sed, *illis abeuntibus cœpit dicere ad turbas de Ioanne.* Matt. 11. num. 7. vt D. Chrys. ibi aduertit. At verò Magdalenam præsentem & audientem, non semel quidem magnis laudibus prædicauit: vt videre est, Matth. 26. num. 10. Luc. 7. n. 44. & iterum Luc. 10. num. 42. Discriminis ratio est ad rem præsentem, vt ostenderet, quàm beneuolo animo erga pœnitentes afficiatur: vt eos etiam innocentibus aliqua ex parte anteponat. Certè in lege veteri, holocausta, quæ à iustis fiebant; & victimæ pro peccato, à peccatoribus offerri

Deus sæpè pœnitentes innocentibus anteponit.

D. Chrys.

Theod.

Peccator post pœnitentiam in eodem manet loco, ac si nunquàm peccasset.

ferri solitæ, in eodem loco offerebantur. Leu. 6. n. 25. Rationem reddit Theod. q. 4. *Ad demulcendos*, inquit, *oblatores, vt cognoscant, se non esse alienos à Sanctis; cùm per pœnitentiam sanantur.* Vt hinc intelligant peccatores, se, si verè resipuerint, inferiori in loco apud Deum non futuros; sed in eodem reponendos, quem haberent, si primam innocentiam conseruassent.

XXV.

Philo.

Peccatores per pœnitentiam à meretricio luxu reparantur, in virgines.

D. Chrys.

Hinc est, quòd impuræ mentes, si vera pœnitentia purgantur, à meretricio luxu ad virgineum statum reuocentur. Hoc enim Philo Hebr. lib. De Cherubin insinuauit: *Homo*, inquit, *quando liberos sibi quærit, ex virginibus reddit mulieres. At verò Deus, quando incipit cum anima habere consuetudinem, eam, quæ modò mulier fuerat, restituit in virginitatem pristinam.* Confirmat D. Chrys. hom. 6. in Matth. vbi de Magdalena loquutus, *Illa*, inquit, *in Euangelio meretrix, virgines quoque ipsas honestate superauit; & incredibili in Christum amoris igne succensa, & à maximis sordibus peccatorum largissimo lacrymarum fonte purgata.* Quasi per ignem & aquam, hoc est, amorem ac dolorem, ab eo impuritatis cœno excoqueretur & ablueretur. Sed &

Rup.

Meretrix pœnitens virgo efficitur.

Rupertus ad illa verba: *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Oseæ 2. num. 19. inquirit, quo pacto Ecclesia Gentium, quę meretrix fuerat, multis deseruiens amatoribus, in Dei sponsam, quæ virgo esse debuerat, assumatur: *Ecce*, inquit, *ad desponsationem adducitur; & inter blanditias ineffabiles sponsa fore promittitur, quasi virgo, immò verè virgo.* Iuxta illud: *Despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo* 2. Corinth. 11. num. 2. Cùm tamen Corinthiorum Ecclesia, ad quam loquebatur, adulterino idolorum amori mancipata, à mentis puritate longissimè aberrarit. Sed nihil mirum, cùm ad cælestem Sponsum meretrix per pœnitentiam reducta, virgo efficiatur: *Talis*, inquit Rupertus, *animarum amator Deus, vt quantumcunque anima fornicata fuerit, statim vt vero Deo per fidem coniungitur, virgo fit.* Quam rem eleganter illustrat D. Petr.

D. Petrus Dam.

Illustratur ampliùs ex D. Petro Damiano.

Dam. in epist. 4. De Dei omnipotentia, c. 3. in 3. tom. Bibliothecæ secundæ editionis: *In carnali*, inquit, *sponsione, complexus viri, corruptio carnis, dispendium castitatis. E contrà, cui cælestis Sponsus adhæserit, protinùs abluit maculas turpitudinis, & ad florem reuocat redolentissima castitatis. De prostibulo virginem, de corruptione reddit integritatem.* Et statim: *Nouimus*, inquit, *vtriusque sexus homines post abominabiles voluptatis illecebras, ad tantam religiosa vita peruenisse munditiam, vt non modò castos atque pudicos quoslibet in sanctitate præcederent: sed & non contemnenda multorum virginum merita superarent.* In quam rem plura sanctorum Patrum testimonia suprà cap. 6. n. 8. §. 5. & sequentibus; & in 1. tomo, Annot. 9. sect. 2. §. 15. retulimus.

XXVI.

Pœnitētia ex brutis homines, ex Diabolis facit Angeles.

D. Chrys.

Quid si dicam, per pœnitentiam non solùm ex peccatricibus virgines effici: sed etiam ex brutis homines, immò & ex Diabolis Angelos constitui? Id si dixero, non absurdo illustrare potero argumento, desumpto ab arca Noë. Nam D. Chrys. nunc Ecclesiam, nunc maximum Ecclesiæ Doctorem, Apostolum Paulum cum arca Noë componit: immò & Arcæ Noë præponit: Ecclesiam quidem, in procemio ad enarrationē in Isaiam: *Non*, inquit, *aberrabit quis, si profiteatur Ecclesiam Arca illa esse præstantiorem. Etenim Arca, & excipiebat animalia, & conseruabat: Ecclesia verò semel suscepta animalia immutat.* Quod statim variis illustrat exemplis: *Ingressus*, inquit, *illò est miluus: egressus est miluus: introiit lupus, exiit lupus.* Et sic de cæteris. *Huc ingressus est miluus, egreditur columba: introiit lupus, exiit ouis: ingressus est serpens, egressus est agnus: non quidem immutata natura, sed explosa malitia.* Ita ille. Qui similiter de Paulo philosophatur in hom. 1. de eius laudibus, in tomo 3. ad finem: *Arca*, inquit, *illa coruum recipiens, coruum rursus emisit: & includens lupum, feritatem eius mutare non potuit. Hic verò, nimirum Paulus, accipitres, miluósque suscipiens, fecit columbas, & excludens omnem irrationalitatem, atque ferocitatem, mansuetudinem spiritus introduxit.* Et clariùs paulò antè: *Recipiens irrationabilibus animalibus penè stultiores, imitatores effecit Angelorum.* Ita D. Chrys. de Ecclesia, maximóque Ecclesiæ Doctore ratiocinatur.

XXVII.

Morum conuersio per pœnitentiā fieri solita declaratur.

Sed eadem fieri potest circa pœnitentiam ratiocinatio. Cùm enim tam Ecclesia, quam D. Paulus has hominum conuersiones per pœnitentiam efficiant, immediatiùs hæc in pœnitentiam quadrat similitudo. Igitur Arca Noe immitem naturam helluarum, quas recepit, non transtulit in aliam mitiorem. At verò pœnitentia longè aliter se habet. Quas enim ad se recipit feras, laruas, hydras, sphynges, harpyias & chimæras, atque huius generis innumera portenta; hoc est, peccatores in tam prauas scelerum figuras deformatos, vt non homines, sed bruta quædam animalia, immò & auernalia quædam spectra videantur. Quas, inquam, laruas & monstra, & monstris ipsis monstrosiores peccatores ad se recipit, ita ab omni vitio excoquit & expurgat, ita fingit ac polit, ita comit ac format, ita cicurat ac serenat; vt à brutis in homines: immò à Dæmonibus in Angelos commutare censeatur. Veniunt enim ad Arcam, seu ad arcem, seu potiùs ad aram pœnitentiæ, innumeri peccatores, tam insolentes, vt leones; tam crudeles, vt tygres; tam sanguinarij, vt lupi; tam rabidi, vt canes; tam obscœni, vt equi; tam callidi, vt vulpes; tam multiformes, vt polypi; tam maleuoli, vt viperæ; tam terribiles, vt dracones; tam prauis denique ex moribus concreti, vt vel ipsam Diaboli malitiam exæquare, ne dicam, superare videantur. Sed dum in ara pœnitentiæ, velut in quadam spiritualis metamorphoseos officina subiguntur & molliuntur & excoquuntur; non solùm a feris in homines animantur: sed etiam à Diabolis in Angelos conuertuntur. Vnde Diuus Chrysostomus in priori loco citato, totam hanc metamorphosim; non vanam, sed veram; non Circæam, sed diuinam, tribuit pœnitentiæ, spiritualium conuersionum effectrici. Et statim: *Est*, inquit, *pœnitentia medela delictorum, prauaricatorum solutio, aduersus Diabolum armatura, simul & gladius caput ipsius præsecans; salutis spes, euasio ignorantia. Ipsa homini cœlum aperit, & in Paradisum introducit.* Rursum verò in posteriori loco, loquutus de Paulo, totum mundum ad pœnitentiam trahente, & per pœnitentiam renouante, *Omnem*, inquit, *quanta est sub cœlo, regionem, quasi volitans circumiuit, ex hominibus Angelos faciens, quin ipsos homines, quasi ex Dæmonibus in Angelos prouehens.* Quis igitur inficietur, plurimos bonorum spiritualium cumulos à pœnitentia conferri, quæ bestias in homines, Dæmones in Angelos conuertat?

D. Chrys.

SECTIO II.

Facilitas sacramentalis Confessionis.

I.

Quæ sit huius Sacramenti difficultas.

Nihil magis homines ab hoc Sacramento deterret, quàm summa difficultas, quam in eo suspicantur. Quid enim, inquiunt, difficiliùs, quàm in lucem promere, quæ in tenebris patrantur?

tur? Et aperire animi sensa, quæ omnibus, non solùm hominibus, sed etiam Angelis occluduntur? ac de se bene sentientibus, pessimas sui æstimationes ingerere? fateri se superbum, auarum, & obscœnum, a quo humilis, liberalis & continens credebatur? Fateor: sunt hæc, si natura spectetur, difficillima: sed quæ, diuina gratia præeunte, quàm facillima reddantur. Meritò, vt possimus expostulare cum eo, qui ad confessionem diuinitùs excitatus reluctetur: *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?* Psal. 93. num. 20. Fictitius est iste labor, quem perhorrescis. Tui te cordis iniquitas, non operis difficultas à confessione deterret. Timidos illos & ignauos promissæ terræ exploratores imitatus, quædam in hoc Sacramento fingis monstra de genere gigantæo, quibus superandis te imparem arbitraris: cùm tamen Iosuë & Caleb, & qui illos Christiani milites imitantur, facilè possint ea omnia *sicut panem deuorare.* Num. 14. num. 9. cùm non ferro & flamma; sed ore & lingua expugnentur.

Cordis iniquitas, non difficultas à confessione deterret.

II. Igitur, antequàm huius Sacramenti difficultas inquiratur; vide, obsecro, quanta eius facilitas in veteri Testamento præfiguretur. Homicidis constituit Deus sex ciuitates refugij; tres citra Iordanem. Num. 35. num. 13. totidem vltra Iordanem. Deuter. 19. num. 3. At, cur non alia loca ad recipiendos profugos, quàm ciuitates, eásque munitissimas destinauit? Respondet Philo Hebræus citatus in Glossa ad caput illud Num. vt maior profugis securitas præstaretur: *Neque*, inquit, *effugium dedit in loca, quæ deserta forent, aut parum tuta; ne cædis innita reus facilè caperetur.* Talia Deus præbuit confugia peccatoribus, nempe, Sacramenta pœnitentiæ. Quod enim tutius ac securius esse potest munimentum, quàm Sacramentum confessionis; ad quod qui se receperit, pacatissimus conquiescet: fremat quantumuis hostis, rugiat, insidietur. Nam, vt bene D. Ambr. lib. 7. in Lucam, c. 15. *Accusationis excludis inuidiam, qui accusatorem præuenit confitendo.* Fuerunt præterea illæ refugij vrbes, propriæ Leuitarum, vt citato Num. loco habetur: fortè, quia Leuitæ, sicut sanctiores erant, ita ad hospitalitatem ac pietatem proniores; vt facillimus & benignissimus accessus confugientibus daretur. Tales sunt, qui audiendis confessionibus præsunt Sacerdotes, mites, faciles, benigni. Vnde D. Aug. lib. De vera & falsa pœnitentia, c. 20. *Sacerdos*, inquit, *adsit beneuolus, paratus erigere, & secum onus portare. Adiuuet confitentem orando, eleemosynas dando, & cætera bona pro eo faciendo, iuuet leniendo, consolando, spem promittendo, & cùm opus fuerit, etiam increpando. Sit particeps laboris, qui particeps vult fieri gaudij.*

Facilitas confessionis in veteri Testamento figurata.

Philo.

Quàm firma refugij ciuitas sit confessio.

D. Ambr.

D. August.

Sacerdotes audiendis confessionibus mites ac faciles.

III. Sed, cur Deus illas refugij ciuitates circa Iordanem ita collocauit, vt aliæ quidem forent citeriores, aliæ verò vlteriores? Credo, vt suum cuique refugium pateret sine labore flumina transmittendi. Ita voluit Deus, vt peccatores in Ecclesia, suas intra parochias constituti, haberent Sacerdotes, ad quos confugerent, quin longiùs euagari cogerentur: atque ita suas facerent confessiones, vt nulla confitentes defatigatio sequeretur. Adde, illas vrbes in sua quamque regione ita fuisse constitutas, vt mediam terræ partem obtinerent, & planæ æquabilésque ad eas viæ sternerentur; vt omnis ad illas confugiendi difficultas tolleretur, Sic enim præcepit Deus: *Tres ciuitates separabis tibi in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possessionem, sternens diligenter viam; & in tres æqualiter partes totam terræ tuæ prouinciam diuides, vt habeat è vicino, qui propter homicidium profugus est, quò possit euadere.* Deut. 19. num. 2. & 3. Quæ omnia eò spectaut, inquit ibi Glossa, *Vt qui saluandus est, facilius euadat.* Quid ergo aliud illæ refugij ciuitates, in quibus homicidæ saluabantur, significabant, quàm illa sacramentalis confessionis tribunalia, ad quæ pœnitentes recipiuntur? Vt enim ad illas facillimus vndique aditus patebat; ita ad hæc non difficilis nobis via aperitur. Quam salutis facilitatem & felicitatem noua in Ecclesia sub Sacramento pœnitentiæ futuram vaticinatus Dauid, *Quoniam*, inquit, *Deus saluam faciet Sion, & ædificabuntur ciuitates Iudæ.* Ps. 68. num. 36. Vbi notat D. Aug. Iudam interpretari confessionem: vt sicut pro temporali Hebræorum salute ciuitates refugij destinabantur; ita pro spirituali salute Christianorum, ciuitates confessionis erigerentur.

Deus sine labore vllo vult peccatores confiteri.

Quàm facilis ad confessionem via.

Glossa.

D. Aug.

Ciuitates refugij in Ecclesia sunt confessiones.

IV. At, quæ, obsecro, difficultas est, quæ peccatores à suis peccatis confitendis deterreat ac retardet? Dices: Ingens pudor, quo quis tenetur, & quodammodo ligatur, ne suam prodat ignominiam, & inquinatam conscientiam manifestet. Fateor, hæc potissima causa est, quæ peccatores à suis criminibus confitendis mutos quodammodo efficit, & elingues. Verùm, si res suis momentis expendatur, facilè intelliges, hunc pudorem potiùs ad peccantem, quàm ad confitentem pertinere. Vnde D. Ambros. lib. 2. De pœnitentia, cap. 10. *Nihil est*, inquit, *quod pudori esse debeat, nisi non fateri, cùm omnes simus peccatores. Vbi ille laudabilior, qui humilior; ille iustior, qui sibi abiectior.* Et lib. 3. in Lucam, loquutus de Dauide, suum peccatum agnoscente & confitente: *Si*, inquit, *iniquitatem suam Dei amicus cognoscit; si Deo se peccasse confitetur: cur tu de confessione criminis erubescis? cùm criminis commentum, non confessio, sit pudori.* Pariter & Theodoretus De prouidentia, lib. 10. De oraculis: *Nullus*, inquit, *pudor vos à confessione remoretur. Neque enim pudenda est peccati confessio, sed perpetratio.* Ironicè perstringit Tertul. lib. De pœnitentia, cap. 10. hominem prauè erubescentem de confessione delicti: de patratione verò gloriantem: *Nam tu*, inquit, *verecundia bonus, ad delinquendum expandens frontem: ad deprecandum verò subducens.* Quasi diceret: Pessimam induis verecundiam ad confitendum, optimam exuis ad peccandum. Ne igitur bonus de tua verecundia tibi videaris. Rectè expendit D. Chrysost. procœmio in Isaiam, Dæmonis stratagema, pudorem à peccato remouentis, & in pœnitentia collocantis: *In peccato*, inquit, *sanies, in peccato probrum ac dedecus, in peccato derisio est. In pœnitentia fiducia loquendi, in pœnitentia libertas, in pœnitentia expurgatio peccati.* Et paulò pòst de prædicta Dæmonis calliditate incautos admonens peccatores: *Cùm nosset*, inquit, *Satanas, quia peccatum verecundiam habet, pœnitentia fiduciam; ordinem reprobus permutauit & inuertit: pœnitentiæ dedit verecundiam, fiduciam peccato.* Et statim suis rem exemplis hypotheticè illustrans, tandem in peccatorem exclamat: *O te miserum! cùm effectus es peccator, non erubescebas: quando iustus efficeris, te primùm pudet.* Quo quid iniquius ac peruersius? Non debet igitur prauus pudor peccatorem à confitendo retardare, quem bonus à peccando non repressit.

Pudor magis ad peccantem, quàm ad confitentem pertinet.

D. Ambr.

Theod.

Non est pudenda confessio, sed peccati perpetratio.

Tert.

D. Chrysost.

Dæmonis stratagema pudorē in confessione collocare, à peccato remouere.

Nihil iniquius, quàm iustum effici & pudere.

V. Sed, demus humanæ prauitati ac fragilitati, vt aliquo pudore sua peccata confitendi teneatur: certè multa adsunt huiusce pudoris minuendi atque extenuandi argumenta. Vnum, quia vni tantùm reuelantur. Vnde Diuus Augustinus lib. 2. De visitatione infirmorum, cap. 5. *Non te pudeat*, inquit, *coram vno dicere, quod te non puduit, forsitan coram multis, & cum multis facere.* Et paulò pòst: *Heu! cur*

Multa pudoris extenuandi argumenta.

D. August.

Primū, quia vni tantùm reuelantur peccata.

eur erubeſcis confiteri, quod facere nequaquam erubuiſti? Melius eſt coram vno aliquantulum ruboris tolerare, quàm in die iudicij coram tot millibus hominum grauis repulſa denotatum erubeſcere. Alterum, quòd ſub ſtrictiſſimo & indiſpenſabili ſigillo deteguntur: ita vt non tam alteri, quàm tibi vni credita videantur. Quod rectè expendit Tertullianus lib: De pœnitentia, cap. 10. *Periculum*, inquit, *pudoris tunc onerosum eſt, cùm penes inſultatores in riſiloquio conſiſtit: vbi de alterius ruina alter attollitur, vbi proſtrato ſuperſcenditur. Cæterùm, inter fratres, atque conſeruos, vbi communis ſpes, metus, gaudium, dolor, paſſio; quid tuos aliud, quam te opinaris?* Quaſi non minùs occulta relinquantur, quæ Confeſſario dicuntur, quàm quæ à pœnitente retinentur. Immò magis occulta apud Confeſſarium, quam apud pœnitentem videantur: nam pœnitens euulgare poteſt, Confeſſarius non poteſt. Tertium, quia peccatori à peccatore manifeſtantur. Quid autem erubeſcat pœnitens de ſe fateri, quod de ſe Confeſſarius non diffitetur? Vnde Tert. proximè citatus: *Quid conſortes caſuum tuorum vt plauſores fugis?* Et D. Aug. lib. De vera & falſa pœnitentia, c. 19. *Non erubeſcat*, inquit, *peccator confiteri peccata peccatori. Si enim Sacerdos peccare non haberet, erubeſcere poſſet, qui peccata ſua ei manifeſtaret.* Cùm autem vterque ſub peccato ſeruiant, liberior à pudore eſſe debet, qui per confeſſionem à ſeruitute peccati liberatur.

Secundū, quòd ſub ſtrictiſſimo ſigillo deteguntur.
Tert.
Tertium, quia etiam peccatoris manifeſtantur.
Tertul.
D. Auguſt.

VI. Quartum, quia confeſſio compendium eſt pœnarum: quis autem non ferat libens cum pudorem, quo æterna pœna compenſetur? Quis non facilè iudicet verecundiam, per quam à gehenna eripiatur? Hinc enim colligit Tert. lib. De Pœnitentia, c. 9. huius confeſſionis facilitatem: quæ, *Cùm* inquit, *proſtruit hominem, magis releuat; cùm ſqualidum facit, magis mundatum reddit; cùm accuſat, excuſat; cùm condemnat, abſoluit. In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.* Quid enim confuſionis habere poteſt illa confeſſio, per quam æternæ damnationis pudor aboleatur? Vnde Tertul. citatus c. 10. *Ego*, inquit, *rubori locum non facio, cùm plus de detrimento eius acquiro.* Hoc eſt: Non fugio eum ruborem, quo ſuffuſus æternum fugio ruborem. Et paulò pòſt c. 12. *Si*, inquit, *de exomologeſi retractas, gehennam in corde conſidera, quam tibi exomologeſis extinguet: & pœna priùs magnitudinem imaginare, vt de remedij adeptione non dubites.* Quid ergo difficultatis habere poteſt confeſsio, ſeu pudor ex confeſsione ſubſequutus, in quo ad extremam difficultatem effugiendam præſidium reperitur.

Quartū, quia confeſſio compendium pœnarum eſt.
Tertul.
Rubor confeſſionis æternum ruborem tollit.

VII. In forenſi quidem tribunali quiſquis quæſtionum vi adductus, propria peccata confitetur, ad capitalem pœnam vlteriùs damnatur: at verò in hoc ſacramentali iudicio, quiſquis confitetur, abſoluitur; vt iā in ſuperiori ſect. ex Ruperto aduertimus: & vlteriùs D. Chryſ. hom. 20. in Gen. elegāter expendit: *In humanis*, inquit, *iudicijs, ſi quis facinora confiteretur; ſententiam capitalem in caput ſuum accerſeret: at miſericordia Dei, & animarum noſtrarum Medici tanta eſt tamq; ineffabilis bonitas & clemētia, vt omnem rationem tranſcendat. Nam, ſi facinora confeſſi fuerimus, noſtri ipſorū facti accuſatores, in tantam miſericordiā prouocabimus Dominū, vt non ſolum nobis donet liberari à peccatis, ſed & in iuſtorum catalogo numerari.* Idē obſeruat D. Aug. ad illa verba: *Confiteantur tibi populi omnes: lætentur & exultent Gentes.* Pſ. 66. n. 4. & 5. Vbi diſcrimen ſtatuens inter eos, qui apud forenſe & ſacramentale tribunal ſua crimina confitētur; dicit illū ſēper triſtari & ante cōfeſſionē propter tormenta, & poſt confeſſionē propter ſuppliciū capitale: hūc autē etſi ante cōfeſſionem triſtetur, propter peccatum; poſt confeſſionē lætari, propter veniam: *Ille*, inquit, *qui plangit in tormentis, ſi victus dolore fuerit, profert ad mortem vocem ſuam. Nuſquam ergo lætus, nuſquam exultans; antequam confiteatur, exarat vngula; cum confeſſus fuerit, damnat carnifex.* Hic autem, qui apud Deum ſe accuſat, exultat & lætatur. *Quia bonus eſt*, inquit, *cui confitetur. Ad hoc exigit confeſſionem, vt liberet humilem: ad hoc damnat non confitentem, vt puniat ſuperbum.* Subſcribit Caſſiod. ad illa verba: *Confitebimur tibi, Deus, confitebimur.* Pſal. 74 n. 2. Vbi oſtendens quantò vtilior ſit in interno, quàm in externo tribunali confeſſio, *Mortem*, inquit, *plerunque generat, vel ſemel terreno Iudici crimina confiteri: Deo autem frequentata confeſſio non parturit periculum, ſed ſalutem.* Adde, in externo iudicio nihil proficere reorum lacrymas ad veniam obtinendam: ſanguine, non lacrymis miſerorum culpas expiandas: at verò in interno ſolis lacrymis, & culpas & pœnas aboleri. Quod D. Chryſ. hom. 6. in Matth. rectè obſeruans, *In ſæcularibus*, inquit, *iudicijs, quantumlibet poſt acceptam ſententiam lamenteris & lugeas; non tamen effugies flendo ſupplicium: hic vero, ſi toto corde ingemueris ad Deum, ſoluiſti repentè ſententiam, veniamq; conſequutus es.* Ex dictis efficiter vrgeo argumentum. Nam, ſi cui reo, apud externum Iudicem ſua crimina confitenti, abſque vllo alio diſpendio ſubeundo, venia promittatur; quis illū pudor à confeſſione retardabit? Profectò nullus. Qui igitur nos pudore à confeſſione prohibemur, certiſſimam ex confeſſione veniam habituri?

D. Chryſ.
Minus confeſſionis tribunal, quàm forenſe.
D. Auguſt.
In forenſi tribunali ſemper adeſt triſtitia: in ſacramentali poſt confeſſionem lætitia.
Caſſiod.
In forenſi morti damnatur ſemel confeſſus: hic iterata confeſſio vitam parit.
D. Chryſ.
Vrgetur efficaciter argumentum.

VIII. Quintum huius pudoris eleuandi argumentum ſit, quia pudor ex confeſſione, qualis qualis eſt, potiùs debet honor appellari. Vnde D. Cypr. ſerm. De paſſione Domini, *Dum*, inquit, *Iudicis & tortoris vices non parcens, peccator aſſumit; confeſſione confuſionem honorat; & in cōſpectu Dei veniam impetrat.* In cuius rei typum, cùm Chriſtus Dominus Lazarum ſuſcitauit, cuius facies ſudario erat ligata: *Soluite*, inquit, *eum.* Ioan. 11. n. 44. Hoc eſt: non ſolùm à pedibus inſtitas, ſed etiam ab ore ſudarium remouete. Aperiri voluit eius faciem, & omnibus manifeſtam apparere. Non quidem ſine myſterio, vt bene D. Ambr. lib. 2. De Pœnitentia, c. 8. obſeruat: *Quia*, inquit, *venia donatus eſt, reuelare faciem, aperire vultū iubetur. Non habet enim quòd erubeſcat, cui peccatum remiſſum eſt.* Tantùm enim abeſt, vt peccator ſua crimina humiliter confeſſus, pudore ſuffundatur; vt potiùs miro quodam fulgore illuſtretur. Neſcio an huc ſpectare voluerit D. Ambr. libr. 10. in Luc. cap. 22. cùm de Petro dixit: *Petrus, quia tertiò negauerat, tertiò confitetur. Sed negauit in nocte, confitetur in die.* Quia minùs erubeſcere debet confeſſio, quàm negatio: hæc tanquàm maximè erubeſcenda tranſigatur in tenebris: illa tanquàm maximè prædicanda in luce perhibeatur.

D. Cypr.
Quintū, quia talis pudor, honor potiùs debet appellari.
D. Amb.
D. Amb.
D. Petrus minùs erubuit confeſſionem, quàm negationem.

IX. Denique Deus in Scriptura nonnunquàm pœnitens introducitur: *Pœnituit*, inquit, *eum, quòd hominem feciſſet.* Gen. 6. n. 5. *Pœnitet me, quòd conſtituerim Saül Regem.* 1. Reg. 15. n. 11. *Pœnituit eum ſecundùm multitudinem miſericordiæ ſuæ.* Pſ. 105. n. 45. & ſic de alijs. Sed, quæ ratio eſſe poteſt, cur pœnitentia, quæ cū diuina immutabilitate ſtare nequit, Deo tribuatur? Mitto interim alias ad locū Regum citatū cumulandas: illa huc ſpectat. Vt pœnitentiā honoraret: ne peccator de illa erubeſceret, quā ſibi peccatorū omniū ſanctificator attribuebat. Quam rationē mihi videtur inſinuaſſe Tert. lib. De pœnitētia, c. 2. vbi obſeruās, Deū hominum ſtrages in diluuio editas miſeratum, quodammodo doluiſſe, ſubdit: *Iam inde in ſemetipſo pœnitentiam dedicauit.* Hoc eſt, ſanctā quodammodo reddidit, & honoratam,

Deus pœnitens aliquando introducitur: vt pœnitentiam honoret.
Ten.
Pœnitentiam Deus in ſemetipſo ſanctificauit.

tam, ne deinceps à peccatoribus, tanquàm vilis & abiecta despiceretur. Adde D. Ambros. in Ps. 37. vbi expendens illud: *Misertus est Deus super malitia.* Ion. 3. n. 10. seu, vt habent Septuaginta, *Egit pœnitentiam super malitia*: hoc in Græca translatione mysterium deprehendit: *Vide*, inquit, *quomodo te Scriptura hortatur, vt & in pœnitentiam non refugias.* Nam, si Deus pœnitentiam dicitur subiisse, quis insanus pudor, peccatorem à pœnitentia deterrebit? Idem D. Amb. lib. 2. in Luc. c. 3. reddens rationem, cur Christus Dominus susceperit *Baptismum pœnitentiæ*, quem Ioannes prædicabat. Marc. 1. n. 4. subdit: *Nemo refugiat lauacrum gratiæ, quando Christus lauacrum pœnitentiæ non refugit. Nemo se dicat exortem esse peccati, quando Christus venit ad remedium peccatorum. Si pro nobis Christus lauit, quantò magis nos nostra delicta lauare debemus?*

D. Ambr.

D. Ambr. *Nihil nos à pœnitentia debet deterrere, quando Deus illam dicitur subiisse.*

X. D. Greg. *Pudor non ad præteritam, sed futuram vitam debet conducere.*

Quòd si nihilominùs aliquis pudor ex peccatorum confessione peccatorem subsequatur; is non debet esse præteritæ vitæ tortor, sed futuræ institutor. Quod mihi videtur eleganter expressisse D. Greg. Niss. hom. 3. in Eccles. *Qui*, inquit, *per occultorum enuntiationem se ipsum veluti præscripserit, memoriam pudoris habet pro pædagogo ad vitam deinceps agendam.* Vbi pudor anteactæ vitæ, dum memoriæ frequens occursat, tanquàm pædagogus & doctor, peccatorem admonet & auertit, ne deinceps pudenda exequatur. Sed de hac re ad Cap. 12. & 13. iterum disserendum.

ANNOTATIO XXVI.
CIRCA LITERAM.

Separatio à peccatis illustratur.

I. *Perfectum à peccatis diuortium illustratur.*

ALtera Hebræorum actio fuit illa, qua hauserunt aquam, & in terram effuderunt; vt hac ceremonia testarentur, sicut aqua semel ex phiala effusa, nunquàm amplius in phialam reuocatur; ita sua peccata semel ex animo eiecta, nunquàm amplius in animum reducenda. Quod est perfectum à peccatis diuortium, duplici Sectione illustrandum: vna, qua laudentur, qui à peccatis separantur; altera, qua vituperentur, qui in peccata relabuntur.

SECTIO I.

Laudabiles, qui à peccatis omninò separantur.

II. *Deus peccatorem non modò suscitat, sed à sepulcro peccati foras extrahit.* D. Greg.

SAtis non est, peccata confiteri, nisi ab illis penitùs recedatur. Suscitaturus Christus Dominus Lazarum, magna voce clamauit: *Lazare, veni foras.* Ioan. 11. n. 43. Quem locum D. Greg. homil. 26. in Euangelia mysticè interpretatur de egressu ab statu peccati per confessionem: *Lazaro*, inquit, *nequaquàm dicitur: Reuiuisce: sed, Veni foras. Omnis quippe peccator, dum culpam suam intra conscientiam abscondit, introrsum latet, in suis penetralibus occultatur. Sed mortuus venit foras, cùm peccator nequitias suas sponte confitetur. Lazaro ergo dicitur: Veni foras: ac si apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur: Cur reatum tuum intra conscientiam abscondis? Foras iam per confessionem egredere, quia apud te interiùs per negationem lates. Veniat itaque foras mortuus, id est, culpam confiteatur peccator.* Sic ille. Et eodem modo

Hugo Vict. lib. 22. mor. c. 11. exponit. Quem Hugo Vict. in Annotationibus ad quosdam Psalmos, c. 7. imitatur. Iuxta quam expositionem certum est, satis non esse peccatorem per internam contritionem reuiuiscere; nisi etiam per externam confessionẽ, cùm præceptum confessionis viget, sanctificetur.

Cæterùm, D. Aug. in lib. 83. quæst. q. 65. propiùs ad rem præsentem, exponit de egressu ab statu peccati, non solùm per confessionem; sed etiam per separationem, qua ab occasione & periculo relabendi longissimè recedatur: *Quòd*, inquit, *exiit à monumento, animam significat recedentem à carnalibus vitiis.* Itaque non dixit Dominus Lazaro, *Redi ad vitam*: sed, *Exi à monumento.* Quid enim prodesset Lazaro, si intra tumulum inclusus, & sub terræ mole oppressus, ad vitam rediret; statim, si nouum miraculum non adesset, moriturus: cùm sub ingenti pondere laborans, liberum de cælo spiritum ducere non posset, quo vitam sustentaret? Ita planè peccatori in suis sceleribus mortuo ac sepulto, non dicit Dominus tantum; *Reuiuisce*: hoc est, confitere: sed, *Exi foras*: hoc est, à periculo & occasione relabendi separare. Quid enim ei prodesset, si intra eadem peccandi incitamenta constitutus, ad vitam vocaretur; statim proculdubiò, si magnum gratiæ præsidium non adesset, eadem in peccata ruiturus? Sicut igitur Lazaro sepulto satis nõ fuit redire ad vitam; nisi etiam à sepulcro exiret: ita & peccatori satis non est in gratiam restitui, nisi etiam à peccandi occasionibus, quàm longissimè separetur.

III. D. August. *Peccatori nõ satis est ad vitam restitui, nisi à peccato omninò separetur.*

Immò, postquàm exiit Lazarus, addidit Christus Dominus: *Soluite eum, & sinite abire.* Ibidem, n. 44. volens, vt non solùm exiret de sepulcro; sed etiam ab eo longiùs recederet: & hac ratione quodammodo præcauens, ne in sepulcrum recideret, si vicinus maneret. Quæ omnia tropologicè ostendunt, non solùm à peccandi periculo vtcunque exeundum; sed ab eo longissimè recedendum. Vnde Diuus Greg. Naz. Orat. 40. *Caue*, inquit, *ne rursus emoriaris, iisq́; qui in sepulcris habitant aggregêris, ac peccatorum tuorum funibus constringaris. Incertum enim est, an rursus ex sepulcro excitaberis, vsque ad postremam resurrectionem; quæ quidquid factũ est, ad iudicium adducet, non, vt curetur; sed, vt iudicetur.* Non sine mysterio D. Petrus, postquà negauit, *Egressus foras, fleuit amarè.* Matt. 26. n. 75. *Nec enim*, inquit Beda, *in atrio Caiphæ retentus poterat agere pœnitentiam: egreditur foras, vt ab impiorum Concilio secretus, pauidæ negationis sordes liberis fletibus abluat.* Sic ille, hanc expositionem à D. Hier. totidem ferè verbis mutuatus. Sed addo, foras egressum fuisse, non solùm, vt præteritas negationes liberiùs deploraret; sed etiam, vt à nouis cautiùs abstineret. Si enim in illa hominum fæce & peccandi occasione persisteret; timendum erat, ne iterum ac sæpiùs negando laberetur.

IV. *Deus peccatorem à peccatis longè iubet recedere.*

D. Greg.

Non potest agi pœnitentia inter impios. Beda.

Ideò D. Petrus foras egreditur, vt à nouis negationibus cautiùs abstineret.

V.

Optima illa est Christi Domini admonitio: *Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, & proiice abs te.* Matth. 18. n. 8. Non solùm enim iubet, vt peccatum, seu peccandi periculum abscindatur; sed etiam, vt procul abiiciatur. Nam, vt bene D. Bern. ser. 10. in Psal. *Qui habitat*, sub finem, *Est*, inquit, *& alios inuenire, in quibus quidem adhuc manet peccatum; sed iam non dominatur, aut præualet in eis, euulsum quodammodo, nec dum tamen expulsum: deiectum, sed non prorsus eiectum.* Peccatorum syluas diuina iustitia non solùm demetit; sed etiam radicitùs extirpat; iuxta illud Ioannis Baptistæ: *Iam securis ad radicem arborum posita est.* Matth. 3. n. 10. At, quorsum nouos ille pœnitentiæ Prædicator diuinam illam commemorat punitionem? Cur non dicit, arborum frondes detondendas, sed radices exsecandas? Credo, vt quod diuina punitio factura erat, hoc humana pœnitentia præoccuparet: & quemadmodum illa culpas hominum radicitùs

D. Bernard. *Deus peccata iubet procul abiicere.*

Peccata radicitùs euellenda.

radicitùs euellit, ne repullulent; ita & hæc anteuertere, & citiùs eradicare niteretur. Nam, vt egregie D. Bern. serm. 2. De Assumptione Virginis, *An verò*, inqoit, *aliud est, quàm fictio exectanda, si peccata superficie tenus radas, non intrinsecùs eradices? Certus esto, quoniam pullulabit vberiùs. Excisam, non extirpatam arborem in sylua pullulare videas densiorem. Quod periculū si volumus declinare, securim ponamus, necesse est, ad radices arborum, non ad ramos.*

D. Bern.

Peccata non auulsa radicitùs, pullulant vberiùs.

VI. Præceptum illud erat Nazaræis in lege veteri, ne acetū biberent: *Acetum*, inquit, *ne bibant*. Num. 6. n. 3. Sed, quorsum hoc præceptum; cùm vel ipsa potus acerbitas à bibendo remoueret quoscunque homines, etiam nulla lege obligatos? Mysterium profectò aliquod lex spectabat, quod probè ad rem præsentem Rabbanus explicauit: *Acetum*, inquit, *bibunt, qui post vitæ sanctitatem in vetustatem præteritorum vitiorum labuntur, & corruptione veteris nequitiæ delectantur.* Vbi vides hominum in sua peccata relabentium insaniam: siquidem acetum vino anteponunt; & contempta diuinæ gratiæ suauitate, quam semel degustarunt, ad priorem scelerum acerbitatem reuocantur. Hos igitur continet diuina lex, ne acetum bibant, & prioribus scelerum illecebris inebrientur.

Quanta sit hominum in peccata acetū relabentium insania.

Rab.

VII. Haustis olim ad inferos centum quinquaginta viris ex Tribu Leuitica, qui contra Moysem & Aaronem tumultuati, summum sacerdotium præripere conabantur; præcipit Deus Eleazaro, vt tollat thuribula, quæ iacebant in incendio, & producat ea in laminas, & affigat altari. Num. 16. n. 37. Vbi quæres, cur in laminas producta, & altari affixa esse voluerit? Credo, vt omnis occasio simile sacrilegium patrandi tolleretur. Nam, si integra remanerent, ad sacrilegos vsus facilè traherentur: si producta quidem in laminas; sed altari non affixa, facilè inde sublata, in noua thuribula conflarentur, profanis iterum vsibus addicenda. Dum autem & producta in laminas, & altari affixa remanebant; præteritæ quidem punitionis recordatio supererat, & nulla ad præteritum sacrilegium via relinquebatur: quorum vtrunque à Deo diligenter curabatur.

Deus peccandi occasionem tollit.

VIII. In veri pœnitentis symbolum dicebat Dauid, Deo gratulatus: *Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* Psal. 29. n. 12. Vbi peccatum comparat cum habitu saccino, aspero, humili & abiecto, quo reuerà peccatores induuntur: quamuis sibi vestibus sericis, auro, gemmísque ornati videantor. Hunc igitur habitum dicit non exutū, sed conscissū. Nō sine mysterio. Nam habitum, quem nocturno tēpore dormiturus exuis; matutino iterum vigilaturus assumis. At verò, quem non modò exuis; sed etiā scindis, rumpis, & in frusta discerpis, nunquàm ampliùs recipis induendum. Sic igitur peccatum non est ita exuendum, vt iterum induatur: sed ita dissipandum ac lacerandum, vt nunquàm ampliùs in animum reuocetur. Non dissimili mysterio mihi videtur cælestis Sponsa suum cum peccato diuortium significasse: *Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa?* Cant. 5. n. 3. Vbi culpam suam vocat tunicam, non vtcunque ablatam, sed omninò expoliatam. Magno quidem discrimine. Nam, si quis ingressus domum, pallium de humeris deponat: paulò pòst egressurus facilè illud in humeris reponit. Contrà vero, si quis nocturnus viator incidat in latrones, à quibus pallio expolietur, qui, parto spolio, se proripiāt in syluas, condant in tenebras, & ab oculis viatoris, nunquàm ampliùs vidēdi auferantur: de suo pallio viator actum credat, illóque se iterum induēdum penitùs desperet. Talis igitur Sponsa suo se peccato non modò exuebat; sed etiam expoliabat: quia eo animo renuntiabat peccatis, vt nullo ea tempore in mentem reuocaret.

Peccatorum habitus asper & humilis.

Peccatorum habitus lacerandus, vt nunquā ampliùs induatur.

Peccator debet se peccatis non exuere tantùm, sed spoliare.

IX. Libenter olim Pharao permittebat Hebræis, vt viri tantùm de seruitute exirent, dummodò filij in seruitute relinquerentur: *Quomodo ego*, inquit, *dimittam vos & paruulos vestros? Ite tantum, viri, & sacrificate Domino.* Exod. 10. à n. 10. Sed, cùm Moyses nouis plagis instaret, etiam pueros dimittendos, permittit tandem Pharao; dummodò greges & armenta in Ægypto retineantur: *Ite*, inquit, *sacrificate Domino. Oues tantùm vestræ & armenta remaneant: paruuli vestri eant vobiscum.* Ibidem, n. 24. Cur, quæso, filiis, aut gregibus relictis, facilem abeundi facultatem concedebat? Ratio mihi videtur opportuna: quia existimabat, Hebræos sine filiis, vel sine pecudibus egressos, paulò pòst vel charitate filiorum, vel pecuniarum cupiditate in Ægyptum redituros. Quod quidem Moyses subodoratus, pactionem non admisit: *Cum paruulis*, inquit, *nostris & senioribus pergemus, cum filiis & filiabus, cum ouibus & armentis. Non remanebit ex eis vngula.* Vbi sup. n. 9. & 26. Talem se Diabolus tyrannum exhibuit suis captiuis: facilè eos è sua seruitute abire sinit, & in Christi libertatem transmigrare, dummodò illi, vel in se aliquam propensionem ad malum, vel prope se aliquam occasionem ad ruinam superesse patiantur. Sperat enim improbus hostis, fore vt facilè reuocet, quos adhuc catenatos, & veluti compeditos remisit. Sperat item, vt miseri illi, postquàm redierint, tenaciùs ament seruitutem, quam libertati iam possessæ prætulerunt. Quare necesse est, ita peccatis renuntiare, vt ne minima quidem vngula, hoc est, ne minima quidem ansa Diabolo relinquatur; qua semel elapsos, iterum prehendat, & in idem scelerum barathrum reducat.

Ne minima quidem ansa Diabolo relinquenda, vt iterum semel elapsos comprehendat.

X. Victima pro peccato immolanda, extra castra immolari iubebatur. Leuit. 4. n. 12. & Num. 19. n. 3. Rationem reddit Lyran. in priorem locum citatum: *Quia peccator debet esse elongatus de cætero, non solùm à peccato, sed etiam ab occasionibus eius.* Quod magis explicat in posteriorem locum. Nam, cùm totus Israel in tria castra diuideretur, iuxta Hebræos: vnum, quod appellabant Diuinitatis, nempe, ipsum Tabernaculum: alterum Leuitarum, Tabernaculo proximè circunfusum: tertiū totius populi, & Tabernaculum & Leuitas circumplexum: addit Lyr. sacrificiū illud pro peccato extra omnia illa tria castra fieri solitum: *Ad designadum*, inquit, *quòd idololatria debebat simpliciter à toto populo elongari: quia periculosiùs inficit, quàm lepra; propter quam tamen eiiciebantur leprosi de tribus castris prædictis.* Sicut igitur lepra non solùm hærens in corpore, sed etiam serpens prope corpus, timetur & præcauetur: ita etiam peccatum, non solùm quod iam intus residet in anima; sed quod foris animum circunsidet, & cominùs expugnare conatur; timendum est, & præcauendum.

Lyran.

Quàm longè debeat esse peccator à peccati occasionibus.

Peccatū idololatriæ lepra periculosius.

XI. Fœmina alienigena à viro Hebræo in vxorem recipiēda, necesse erat, vt priùs externo cultui penitùs renuntiaret: *Radet*, inquit Legislator, *cæsariē, & circūcidet vngues, & deponet vestē, in qua capta est; sedénsque in domo tua flebit patrē & matrē suam vno mēse.* Deut. 21. à n. 12. Vbi Lyr. in morali: *Per hanc*, inquit, *mulierem significatur peccatrix anima pulchra ratione imaginis, sed captiua ratione criminis. Hanc amat Christus, & vult sponsam habere per fidē formatā charitate: sed oportet, vt deponat vestes, in quibus capta est; id est, vitia & peccata præterita, & radat cæsariem, & circumcidat vngues, id est, peccatorum circunstantias aggrauātes deponat, & peccandi occasio-*

Non est digna Christi sponsa illa anima, quæ inter peccandi discrimina commoratur.

Lyra.

nes caueat, & fleat patrem suum, & matrem, id est, plangat, quod habuit Diabolum patrem & matrem congregationem malorum. Ex qua interpretatione intelliges, non esse dignam, quæ ad diuinas nuptias admittatur, illam animam, quæ sua quidem crimina detestatur: si tamen adhuc inter peccandi discrimina commoretur. Quia licèt tunc peccandi affectum non habeat; proxima tamen est, vt paulò pòst exeat in effectum.

Deus apud illos manet & commoratur, qui in peccata non reincidunt.

XII. De vero pœnitente, & in pristinam gratiam perfectè restituto, ait Christus Dominus: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ioan. 14. n. 23. Quasi non satis esset venire, nisi etiam & maneret. Nam, vt bene D. Greg. hom. 30. in Euangelia: *In quorundam, inquit, corda venit, & mansionem non facit: quia per compunctionem quidem Dei respectum percipiunt: sed tentationis tempore, hoc ipsum, quod compuncti fuerant, obliuiscuntur; sicq; ad perpetranda peccata redeunt, ac si hæc minimè planxissent.* Hi quidem Domino præparant hospitium, sed non domicilium; ingressionem, sed non mansionem; recipiunt venientem, sed non retinent commorantem: quia, quem per pœnitentiam admittunt, per reincidentiam excludunt. Non taliter verus pœnitens, qui maximè cauet, ne peccato, à quo semel resipuit, iterum adglutinetur; & qui per gratiam semel resurrexit, per culpam iterùm moriatur; nunquàm ampliùs fortasse ad vitam spiritualem suscitandus. *Christus*, inquit Apostolus, *resurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltrà non dominabitur.* Rom. 6. n. 9. Nemo Christianus ignorat, corporalem Christi Domini resurrectionem, prototypum quoddam exemplar nostræ spiritualis resurrectionis extitisse: vt quemadmodum ille semel è sepulcro egressus est, nunquàm ampliùs in sepulcrum regressurus; ita non semel è peccato eruamur, nunquàm ampliùs in peccatum ruituri. Quod expendens Guerticus Abbas ser. 2. de resurrectione, *Christus*, inquit, *moriens delictorum nostrorum perdidit pœnam; & resurgens iustificationis perpetuæ nobis condidit formam. Vt quemodo Christus resurgens à mortuis iam non moritur; mors illi vltrà non dominabitur: sic Christianus conresurgens Christo, iam non peccet ad mortem; nec ei peccatum vltrà dominetur.* Perpetuam igitur in gratia sanctificante vitam agat, qui semel è peccati morte rediuiuus emersit. Putam semper à peccati sordibus animam seruet, qui semel eam per pœnitentiæ lauacrum emaculauit. Vnde est illa diuina admonitio: *Lauamini, mundi estote.* Isai. 1. n. 16. Vbi non solùm monentur, vt animos lauent; sed etiam, vt loti perseuerent. Quid enim prodest, à peccatorum cœno egredi, & iterum in idem cœnum refundi? lauari, sed mundos non perseuerare? Sic eum locum exponit D. Aug. ser. 66. De tempore: *Lauatur*, inquit, *& mundus est, qui & præterita plangit, & iterum non admittit. Lauatur, & non est mundus, qui plangit, quod gessit, nec deserit; sed post lacrymas, flenda, hæc quæ fleuerat, repetit.* Contrà quàm monuerat Siracides: *Fili, peccasti? Non adiicias iterum.* Eccles. 21. n. 2.

D. Greg.

Christi Domini resurrectio, nostra typus est. Christiani nō solùm lauari debent, sed mundi perseuerare.

Guert.

Christianus Dominum nō ampliùs moriturum imitari debet.

D. August.

XIII. Quare, qui peccatis renuntiarunt; curare maximè debent, ne iterum iisdem inuoluantur. Idcircò Hebræi, postquàm ad veram Religionem, quam aliquando deseruerant, redierunt, *Quater in die, & quater*, scilicet, in nocte, *confitebantur, & adorabant Dominum Deum suum.* 2. Esd. 9. n. 3. Vbi Lyranus in primis obseruat diurnas & nocturnas preces: *In quo*, inquit, *apparet veritas pœnitentiæ, qui subtrahebant sibi quietem noctis pro magna parte.* Et rursus in expositione morali propiùs ad rem præsentem, expendit numerum quaternarium: *Per hoc*, inquit, *significatur, quòd vera confessio peccatorum, & vera confessio diuinarum laudum, habet annexam quadraturam stabilem virtutum.* Quasi non possit de vera pœnitentia gloriari, qui in quadro constantiæ non quiescat; sed in globo volubilitatis agitetur, & multiplices nunc ad Deum, nunc ad Diabolum cursus moliatur.

Lyra.

Vera pœnitentia in constantia quadro quiescit.

XIV. Non contemnendum huius pœnitentiæ exemplum; sine vllo ad priorem idololatriam relapsu, præbuerunt olim Israëlitæ. Nam, cùm Moyses quadraginta dies in monte cum Deo moraretur; populus sine duce in idololatriam dilabitur. Exod. 32. n. 4. Sed populo ad Deum per pœnitentiam reducto, iterum Moyses à Deo in montem euocatur: & alios quadraginta dies à populo auulsus, apud Deum detinetur. Exod. 34 n. 28. At, quis hoc diuinum consilium non admiretur? Nam, si prior illa quadragesimalis mora, quam Moyses in monte posuit, occasio fuit populo peccandi; cur à Deo in eandem occasionem iterum populus inducitur, iterum, quod maximè timendum erat, peccaturus? Credo, non, vt peccaret; sed potiùs, vt eius pœnitentia probaretur. Licèt enim peccandi occasio, in quam quis sua sponte se immittit; sæpissimè illi in ruinam efficiatur: tamen illa, in quam, Deo ducente, agitur; ad probandam eius constantiam potiùs conducit. Relinquitur igitur populus alios quadraginta dies sine duce, non, vt labatur; sed, vt probetur. Facilè enim conuinci posset, firmam pœnitentiam non habuisse, si qualibet occasione prioris facinoris oblata, statim à suo proposito decideret, & in priora scelera refunderetur. Dū verò ex priori ruina cautior, iterum quidē auelli potuit à suo duce; minimè tamē à suo Deo: veram se pœnitentiam habuisse, satis supérque confirmauit.

Peccatorum probata pœnitentia est, si iterum non labuntur.

Occasio, in quam Deus inducit, non est ad ruinā.

XV. Non ignobile de hac re exemplum Iosephi fratres præstiterunt. Cùm enim suam præteritam in fratrem suum inuidiam ac sæuitiam firmiter retractassent, & largiter deplorassent; nondum tamen de vera illorum pœnitentia constabat; quousque oblata simili inuidendi & sæuiendi occasione longissimè ab vtroque malo abesse cernerentur. Quid ergo Iosephus? In conuiuio, quod omnibus parauit, plures partes detulit Benjamino: ita vt quinque partibus excederet. Genes. 43. n. 34. Vbi Lyranus, *Voluit*, inquit, *eum honorare in hoc præ aliis, vt videret, si per hoc alij fratres ipsi Benjamin inuiderent; sicut ei inuiderant, eò quòd à patre plùs amaretur.* Et cùm sensit, eos in inuidiam non relabi; planè censuit, illos verè de inuidia pœnituisse. Rursus cap. seq. à n. 1. artificiosam illam scyphi calumniam vni Benjamino machinatur, simulans eum in perpetuā seruitutem abducendum. Vbi Theod. q. 105. *Ioseph*, inquit, *experiri volens animam fratrum, & liquidò nosse, an Benjamin calumniam passum defenderent: ob id in eius sacco scyphum abscondit. At, vbi non tantùm patrocinari, sed & pro eo certare illos prospexit: fraternum animum exhibuit, & bono animo esse iussit.* Quasi dubium non esset, de præterita in fratrem suū crudelitate, verè & ex animo doluisse, illos, qui tam eximia erga alterum fratrem charitate vterentur. Non enim germanam agunt pœnitentiam, qui solùm præterita mala deplorant; sed qui insuper ab illis resiliunt, & quā longissimè abducuntur; ne vlla relabēdi occasione periclitentur.

Iosephus plùs detulit Benjamino, vt fratrum de inuidia probaret pœnitentiam.

Lyra.

Theod.

Alterius fratris charitate an iterum in crudelitatem labantur explorat.

XVI. Sed memoria quoque dignū est illud veræ pœnitentię, ac resipiscentię specimen, quod aliquādo Geraritæ ediderunt. Nā hi Saram Geraris peregrinantem abstulerunt viro suo, & Regi Abimelech obtulerunt. Gen. 20. n. 2. Sed Rebeccā in eadē regione peregrinantē, neque viro suo auferre, neque suo Regi offerre ausi sūt. Gen. 26. à n. 6. Cuius discriminis ratio duplex esse potest. Vna, quia Abraham

Quæ quis diuino aggreditur imperio, nullo subiacet periculo.

ham & Sara, sua sponte Geraris peregrinabantur, quin à Deo illic commorari iuberentur: vt patet ex priori loco Genes. citato. At verò Isaac & Rebecca, Deo iuspirante & imperante, illic versabantur, iuxta illud Dei oraculum: *Quiesce in terra, quam dixero tibi,& peregrinare in ea.* Gen. 26. n. 3. Quod autem quis suo ductus arbitrio aggreditur, non est à periculo immune. Quod verò diuino actus instinctu, vel imperio exequitur, nulli potest errori, aut periculo subiacere: Deo semper sua iussa auspicante, & in melius promouente, vt iam suprà Annot. 3. Sect. 1. §. 16. expendimus.

Vera pœnitentia illa est, qua iterum relabi non sinit.

Altera, præsenti nata instituto, quòd Geraritæ grauiter à Deo flagellati propter illam priorem iniustitiam, sic ab ea resipuerant, vt in similem relabi non auderent. Hæc enim vera est pœnitentia, quæ sic præteritas culpas detestatur, vt in illas recidere perhorrescat.

XVII. Tandem illud singularis exemplum pœnitentiæ, Dauidem, non omittamus. Qui sic præteritas culpas abiurauit, vt omnem non modò voluntatem, sed quodammodo & potestatem in illas relabendi, sibi præscidisse atque eripuisse videretur. Quod duplici exemplo confirmabo. Vnum sic habeto. Nolebat Dauid etiam in effœta senectute, à prœliis subeundis otiari. Vnde senex, commisso cum Philisthæis prœlio, bellator interfuit: & cum gigãte Iesbi-benob, infeliciùs quidem, quàm olim cum gigante Golia decertauit: hunc enim vnius iactu lapidis puer deiecit; illum ne ferro quidem armatos senex potuit superare. Immò, nisi Abisaï filius Saruiæ, Dauidi laboranti ac deficienti, præsidio adesset, & proterum illũ monomachum obtruncaret: nescio, an tunc de Regis vita ac salute extremùm ageretur. Quid verò Dauid? suóne periculo cautior à prœliis abstinebat? Immò ardentior ad prœlia ferebatur. Quod regni proceres obseruantes, & suo Regi metuentes, de illo à prœliis in posterum auocando & reprimendo, communicato consilio interpositóque iureiurando deliberarunt: *Tunc iurauerunt*, inquit Textus, *viri Dauid dicentes: Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israël.* 2. Reg. 21. n. 17. Alias nequaquàm Rex à suscipiendis bellis, suáque præsentia tractandis arceretur. Cur, obsecro, Dauid, etiam in frigente languentéque ætate, tam feruidus & strenuus prœliis incumbebat? Optima mihi videtur ratio ad rem præsentem: quia meminerat Dauid se olim, vertente anno, eo tempore, quo solent Reges ad bella procedere, misisse Ioabum & vniuersum Israëlem, qui aduersùs Ammonitas decertarent: se verò Ierosolymis inter vrbanas delicias & otia remansisse: & dum milites in acie fortiter confligendo, suos hostes superarent; se in solario domus suæ molliter deambulando, ab vna fœmina superatum. 2. Reg. 11. à n. 1. Quid ergo? Rei indignitate commotum, ita secum statuisse: Victus sum in otio à fœmina, victurus in prœlio Ammonitas? Proh pudor! Absit igitur: vt in posterum ignauus desideam in vrbe, cùm mei in puluere milites alacres prælientur. Præstat inter arma mori, quàm inter delicias viuere. Quicunque me casus in prœlio maneat, libens adibo, vt hanc in pace ruinam subterfugiam. Mille in me pugnantem iacula torqueantur; vnus me otiantem impudicus oculus non deprædetur. En, vt vera Dauidem pœnitentia non solùm à peccato, sed etiam à peccandi periculo auocauit.

David non modò voluntatem, sed relabendi potestatem auferebat.

Duplici confirmatur exemplo.

David ideò otia bello vitabat, ne iterum in culpã laberetur.

Præstat inter arma mori, quàm inter delicias viuere.

XVIII. Accipe & alterum exemplum. Desiderauit olim Dauid aquam de cisterna, quæ erat in Bethlehem iuxta portam. Ecce tibi tres fortes, irrumpunt in castra Philisthinorum, qui cisternam obsidebant, & haustam inde aquam ad Regem suum retulerunt. Quid verò Dauid? Oblatam aquã *noluit bibere; sed libauit eam Domino.* 2. Reg. 23. n. 16. At, cur rem tanto desiderio expetitam, ac tanto periculo partam & oblatam repudiauit? Alias aliis locis rationes, prout se dabat occasio, prælibaui: omnes, si Deus feret, ad proprium locum coniungam & cumulabo. Nunc verò vna mihi videtur præsenti congruere instituto. Nempe, venisse Dauidi in memoriam, prauam illam concupiscentiam, qua paucis antè annis alienam vxorem expetierat: & ne in similem aliquando recideret, etiam ab honesta cupiditate abstinere voluisse: non ignarum, ad illicitas concupiscentias frænandas, etiam licitas frangendas, & omnibus sibi modis curandum esse, ne semel ab insano victus appetitu, iterum se vinci pateretur. Ita ferè Diuus Gregorius homil. 34. in Euangelia: *In sacrificium*, inquit, *Domini effusa aqua conuersa est, quia culpam concupiscentiæ mactauit per pœnitentiam reprehensionis suæ. Qui ergo quondam concupiscere alienam coniugem nequaquàm timuit; post etiam, quia aquam concupisset, expauit. Quia enim se illicita perpetrasse meminerat, contra semetipsum iam rigidus, etiam à licitis abstinebat.* Ex quibus constat, quanto debeat studio verus pœnitens non solùm præterita peccata expiare, sed etiam futura præcauere. Quare Israëlitæ hoc loco, effundendo aquam, palàm significant, se sua peccata per confessionem effundere, nec magis ad illa, quàm effusam aquam in vrnam, è qua effunditur, redituros.

Iusti cautiores ab honestis etiam abstinent cupiditatibus.

Secundum Dauidis apponitur exemplum.

D. Greg.

Vt aqua semel effusa in vrnam non reuertitur: sic peccata.

SECTIO II.

Vituperabiles, qui in eadem peccata relabuntur.

I. PEssimum genus hominum, qui in eandem scelerum voraginem, à qua feliciter emerserant, infeliciter reuoluuntur: parum distat ab illis, qui suis semper sceleribus adglutinantur. Vnde est illud: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas.* Ierem. 13. n. 23. Vbi per Æthiopem, qui totus niger est, intelligitur ille, qui in suis sceleribus perpetuò sordescit: per pardum, qui varius & maculosus est, intelligitur ille, qui in neutro statu, bono aut malo, diu conquiescit; sed alterna vicissitudine nunc ad gratiam venit, nunc ad vitium recurrit. Hic autem pardus cum illo Æthiope comparatur, ac si nihil vnus ab altero discriminetur. Immò haud scio, an deterior iudicari debeat conditio eorum, qui à gratia deficientes, in peccatum relabuntur. Et ratio esse potest: quia, qui redeunt in peccatum, vnde exierant; grauiùs peccant; duriùs vapulant; difficiliùs reparantur. Quæ tria breuiter illustrabo.

Æthiops est, qui in suo peccato perseuerat: pardus, qui labitur & relabitur.

Quæ incurrant, qui in peccatum redeunt.

II. Quod ad primum attinet: Grauiùs peccant. Nam, vt bene Apostolus: *Contigit eis illud veri prouerbij: Canis reuersus ad suum vomitum; & sus lota in volutabro luti.* 2. Petr. 2. num. 22. Quantò enim canis ad vomitum regressus, turpiùs manducat: quantò sus à lauacro in volutabrum desiliens, turpiùs sordescit; tantò quidem & homo ad crimina paulò antè abiurata reuolutus, turpiùs inquinatur. Vnde D. Bernard. serm. 2. De Assumptione: *Reuersus*, inquit, *ad vomitum canis, odibilis erit multò plus, quàm antè: & fiet filius gehennæ multipliciter, qui post indulgentiam delictorum, in easdem denuò sordes inciderit; vt sus lota in volutabro luti.* Quam doctrinam D. Cyrillus Alexandrinus lib. 5. in Ioannem cap. 17. illo-

Peccator ad peccatum reuersus vt sus turpiùs inquinatur.

D. Bern.

D. Cyril. Alex.

ftat ex verbis Christi Domini ad fœminam in adulterio deprehensam,& ab ipso Christo Domino absolutam? *Vade, & iam amplius noli peccare.* Ioan.8. n. 11. Quorsum enim hoc consilium spectabat, nisi, vt deteriorem lapsum præcaueret? *Nam incassum*, inquit Cyrillus, *sumitur medicina, si post instauratam sanitatem; per vita incontinentiam, qui conualuit, in pristinum incidit morbum. Quinimmò relapsus in ægritudinem periculosior esse solet, & exitio propior, quàm prior ille languor: & quos prima valetudo aduersa non extinxit, sæpius iterata post redditam incolumitatem ægrotatio sustulit è vita. Haud secus frustra pœnitentiæ medicamentum sumitur, si post eam peractam ad præterita vitæ sordes reditur. Hæc enim secūda admodū periculosa est animæ febricitatio.*

Deterior est qui relabuntur.

Si ad peccatū reditur, frustra ea est pœnitentia medicina.

III. Clarius id expressit Christus Dominus ad languidum probaticę piscinę, quem inueniés in templo, tanquàm gratias pro accepto beneficio referentem: *Ecce*, inquit, *sanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Ioan.5.num.14. *Quibus verbis*, inquit D. Cyril. citatus, *significauit, per peccati iterationem, hominem in deteriora prolabi mala. Quid prodest, obsecro, studiosè vestes abluere; & lotas rursum luto inquinare? Quid lauare manus; & ablutas iterum contaminare sordibus? Sicut sus lota*, dicit Sapiens, *in volutabro luti: ita stultus, qui iterat stultitiam suam.* Vbi obiter aduerte, duplicem locum confundi: priorem ex D. Petro citato, de sue lota, & posteriorem ex Parœmiaste. Prou. 26. n. 11. Vbi recidentem in peccatum comparat non cum sue lota, sed cum cane ad vomitum redeunte. In eandem sententiam D. Bernard. serm. 54. in Cant. docet, plùs timendum, in peccatum recidenti, quàm in peccato perseuerantí. Nam triplicem timorem inculcans, *Timeas quidem*, inquit, *pro accepta gratia, ampliùs pro amissa; longè plus pro recuperata.* Et optimas de primo ac secundo timore causas reddens, de tertio subdit: *Iam, si gratia propitiata redierit, multò magis tunc timendum, ne fortè contingat recidiuum pati; iuxta illud: Iam ampliùs noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Audis, recidere, quàm incidere esse deterius? Proinde, innalescente periculo, innalescat & metus.* Si tantus timor occupare debet pœnitentem, ante telapsum, ne fortè contingat: quanta tristitia occupare debet peccatorem, post relapsum, quo maximè periclitatur?

Qui iterum peccant, in deteriora prolabuntur.

D. Cyril.

D. Bern. *Plus timendū relapso, quàm in peccato perseueranti.*

Triplex timor; tertius plus timendus.

IV. Iam D. Chrysostomus serm. De lapsu primi hominis, in primo tomo eleganter ostendit, quantò sit relapsus in culpam primo lapsu deterior: *Noli*, inquit, *peccare post veniam: noli vulnerari post curam: noli sordidari post gratiam.* Et statim singulorum causas reddens: *Cogita*, inquit, *grauiorem culpam esse post veniam: renouatum vulnus peius dolere post curam: molestiùs hominem sordidari post gratiam.* Et rursum harum motationum peruersitatem expendens, *Indulgentia*, inquit, *ingratus est, qui post veniam peccat: sanitate indignus est, qui semetipsum, postquàm curatus est, vulnerat: nec mundari meretur, qui se ipsum post gratiam sordidat.* Ac tandem huius grauitatem relapsus demonstrans, *Graue est*, inquit, *hominem instructum delinquere; grauius absolutum peccare. Seruo peior est, qui patronum post datam libertatem offendit.* His adde Tertul. in carmine ad Senatorem transfugam, seu à fide deficientem: vbi sic eum insectatur:

D. Chrys. *Quæ sequantur mala ex recidentia.*

Seruo peior, qui liber patronum offendit.

Tertul.

——*Minus esses fortè notandus,*
Si tantum hoc scires, & in hoc errore maneres:
At cum vericole penetraueris ostia legis,
Et tibi nosse Deum paucis accesserit annis,
Cur linquenda? aut cur retinenda relinquis?
Nil; colis, dum cuncta colis?

A

Et quamuis tantorum Patrum nobis auctoritas deesset: satis tamen conuinceret illa Diui Petri assertio, loquentis de relapsis in peccatum: *Melius*, inquit, *erat illis non cognoscere viam iustitia, quàm post agnitionem retrorsum conuerti ab eo, quod illis traditum est sancto mandato.* 2. Pett. 2. n. 21. Cuius assertionis ratio est: quia viam iustitiæ agnoscentes, & tamen deserentes; grauius peccant, quia ex maiori scientia, & cum maiori ingratitudine. Nam experti suauitatem diuinæ gratiæ, & magnitudinem diuinæ erga se beneuolentiæ: nihilominùs vtranque repudiantes prioribus se voloptatibus immergunt. Narraturus facet Scriptor Saülis peccatum in Pythonissa consulenda: priùs eius religionem in auferendis de terra Magis & ariolis narrauit: *Saül*, inquit, *abstulit Magos & ariolos de terra, & interfecit eos, qui Pythones habebant in ventre.* 1. Reg. 28. n. 3. Rationem reddit Lyranus nostro instituto congruentem: *Istud*, inquit, *ponitur hic ad declarationem sui facinoris; quia quod destruxerat, quasi zelo legis, iterum requisiuit.* Vbi patet, grauius censeri illud peccatum, quod semel à nobis extinctum, iterum per nos ipsos resuscitat: siquidem vt Saülis peccatum grauius ostendatur, dicitur semel sepultum, iterum rediuiuum pullulasse. Contrà verò peccatum ebrietatis, quod Noë incurrit, Genes. 9. num. 21. ex eo leuius iudicatur, quòd non fuerit repetitum. Vnde D. Chrysost. hom. 29. in Genes. *Multa*, inquit, *erant, propter quæ illi venia debebatur. Et in primis, quòd non in id vitij postea relapsus est: id, quod maximum fuerit indicium, quòd ignorantia, non negligentia, priùs deliquit.* Quasi diceret: Leuius fuit eius peccatum, quia fuit semel commissum, non iteratum post pœnitentiam: hoc enim plerunque ex malitia, illud sæpè ex ignorantia contingit.

V. *Melius viam vitæ non cognoscere, quàm cognitam derelinquere.*

B

Lyran. *Saulis peccatum grauius, quia repetitum.*

D. Chrys. *Venia digni, qui non relabuntur.*

C

VI. Huc pertinet illud Siracidis: *Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid proficit lauatio illius? Sic homo, qui ieiunat in peccatis suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se.* Ecclesiastici 34. n. 30. & 31. Vbi fit quædam comparatio inter Baptismum legalem & spiritualem. Sicut enim nihil proderat lauari à tactu mortui, si mortuus iterum tangeretur, Num. 19. n. 11. ita nihil prodest expiari ab immunditia peccati, si peccatum iterum committatur. Vnde D. Greg. lib. 9. Regist. epist. 39. *Mortuum*, inquit, *est omne opus peruersum, &c. Baptizatur ergo à mortuo, & iterum tangit mortuum; qui praua opera, quæ se meminit egisse, deplorat: sed in eisdem se iterum post lacrymas implicat. Anima itaque mortui lauatione non proficit, hoc iterum faciendo, quod planxit. Pœnitentiam enim verè agere, est, commissa flere; sed iterum plangenda declinare.* Nec te moueat, quòd solùm dicatur nihil proficere, qui ad priora scelera recurrit. Est enim figurata oratio, tenuibus verbis vehementem significatum includens; vt Cap. 2. Num. 24. fusius ostendimus. Et Cap. 12. Num. 9. & 21. iterum ostendemus. Quare, nihil proficit, idem est, atque in extremam miseriam deficit; & multò infeliciorem conditionem in relapsu, quàm in primo lapsu sortitur. Vnde Diabolus in animā, à qua exiecat, regressurus: *Assumit septem alios spiritus nequiores se, & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.* Luc. 11. n. 26. Nam in primo lapsu vnus aderat Dæmon, malus quidem: sed in secundo septem, & quidem nequiores. Rursus in primo, vnus tanquàm hospes introierat: sed in secundo, plures tanquàm domestici habitabant. Vnde atrium, quod vnus in primo ingressu custodiuit: plures in secundo penitùs dissipatunt.

Nihil prodest peccatum expiari, si iterū impletur.

D

D. Greg.

Multò infelicior relapsi, quàm lapsi conditio.

E

Anima in relapsu fit multorum Dæmonum hospitium.

Eleganter

VII.

D. Bernard.

Qui iterum labuntur sentinæ similes.

Eleganter D.Bernardus serm. De conuersione A ad Clericos, c.7. comparat animam à peccato in gratiam, & à gratia in peccatum alterna vicissitudine recurrentem, cum sentina, ex qua, quantùm effluat, tantùm statim influat: vnde nullo tandem labore exhauriatur. Nam expendens illa Dei verba ad Caïnum, iuxta translationem Septuaginta: *Peccasti? Quiesce.* Gen. 4. num. 7. hoc est, si lapsus es, ne relabaris: rectè ostendit, non posse veteres culpas purgari, si nouæ accumolentur: sicut nec sentinam a priori confluge exhauriri; si posteriori aliqua ex æquo resarciatur: *Vanum*, inquit, *tibi est, dum adhuc sordes influant, sentinam exhaurire: dum peccare non destiteris, pœnitere. Quis enim eorum ieiunia probet, qui ad lites & contentiones ieiunant?* Isai. 58. num. 4. Et statim: B *Claude fenestras morti, obsera aditus, foramina obstrue diligenter, & sic demum non subeuntibus nouis, sordes poteris expurgare vetustas.* Vides, quàm misera sit illius animæ conditio, quæ tanquam sentina à vitiorum fæcibus, vel sorbendis, vel resorbendis, nunquàm interquiescit? Seu tanquàm æstuarium alternis subsidens & intumescens, sic egestis peccatorum sordibus exinanitur, vt statim aliis deouò ingestis repleatur?

VIII.

Qui in circuitu ambulant & relabuntur, Dæmonem imitantur.

Has pessimas surgentium & ruentium peccatorum vices, explicaturus Dauid, *In circuitu*, inquit, *impy ambulant.* Psalm. 11. num. 9. Quia in eadem semper peccata reuoluuntur: patrem suum Diabolum imitati, qui non tam dicitur ire, qoàm circuire, teste Apostolo: *Circuit quærens, quem deuoret.* 1. Petr. 5. num. 8. Immò Diabolo se ipsom C prodente. *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Iob. 1. n. 7. Perpetuum circuitum molitur: quia nonquàm à sua iniquitate loogiùs recedit; sed in eandem per multiplices gyros & flexus & ambages, tanquàm serpens per sinuosa volumina currendo & recurrendo, iterum atque sæpiùs implicatur. Tales Diabolus generat filios, paternam fraudulentiam exprimentes, & in circoitu ambulantes: quos, cùm modò videas, a peccato recessisse; paulò pòst, cùm minimè arbitreris, nescio quo ductos Meandro, in idem peccatum sentias remigrasse. Sic eleganter expressit D.Bernardus serm. 12. in Psalmum, *Qui habitat:* vbi hos fictos à peccato recessus, & veros in peccatum recursus acriter insectatus, *Qui*, inquit, *in circuitu ambu-* D *lat; proficiscitur quidem, sed proficit nihil. Væ homini, qui sequitur hunc circuitum, qui nunquàm à propria volumate recedit. Si conaris auellere, paululum sequi videbitur; sed in dolo. Circuitus est, aliunde reditum parat, non ab ea penitùs abducetur. Satagit vndique, vndique fugitat; hæret tamen semper propria voluntati.* Quæ peruersitas tanta est, vt non humana, sed diabolica videatur.

D.Bernard.

Qui in circuitu ambulat, nihil proficit.

IX.

Relapsus in culpã punitur grauiùs.

Quod ad secundum attinet: Duriùs vapulat. Patet iam ex dictis. Nam illud Christi Domini iam citatum: *Ne deterius tibi aliquid contingat.* Ioan. 5. num. 14. non modù significat grauiorem culpam, sed etiam duriorem pœnam: vt D. Cyprianus lib. De disciplina & habitu virginum, expressit: *Grauius*, inquit, *comminatur, quòd nulla sit* E *venia vltrà delinquere, postquàm Dominum nosse cæpisti.* Vbi, pro nolla venia, intellige difficillimam. Sed, vbi grauior comminatio præcedit, non dubites grauiorem pœnam, nisi pœnitentia intersit, affuturam. Et ratio ipsa demonstrat: quia grauiorem culpam grauior sequitur & pœna. Si igitur graoiùs peccat, qoi relabitur; proculdubiò grauiùs ponietur. Hinc eleganter D. Bernardus, serm. 3. in Cantica: *Si dixeris*, inquit, *mihi Iesu: Dimittuntur tibi peccata tua: nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam meam: si reinduero* A *eam, quantùm profeci? Si rursus pedes meos, quos laueram, inquinauero, nunquid aliquid lauisse valebit? Sordens omni genere vitiorum, iacui diu in luto fæcis: sed erit sine dubio recidenti, quàm iacenti deterius.* Hoc autem deterius infortunium non solùm penes maiorem culpam; sed etiam penes grauiorem pœnam, quæ ex illa sequitur, spectatur.

D.Cypr.

Firmatur ratione.

D Bernar.

X.

Achab in bello occiditur, quia relapsus.

Grauius igitur supplicium incurrunt, qui in priorem culpam relabuntur. Peccantem olim Achab non puniuit Deus; immò pœniteoti veniam promisit: *Non inducam*, inquit, *malum in diebus eius; sed in diebus fily sui.* 3. Regum, capite 21. num. 29. Et nihilominùs Achab paulò pòst in bello victus & occisus est: vt patet ex cap. 22. seq. num. 35. Quid ergo? Diuinum oraculum falsum B est? Absit. Sed potiùs propositum humanum immutatum, & regius animus ad priora flagitia relapsus: vt rectè Diuus Ambrosius lib. De Naboth, cap. 17. aduertit: *Considera*, inquit, *quia Iezabelem habuit vxorem, cuius inflammabatur arbitrio; quæ conuertit cor eius, & nimiis sacrilegiis execrabilem fecit. Et hunc ergo pœnitentia eius reuocauit affectum. Dominus autem non potest mutabilis æstimari, si confessionis immemori, non putabat esse seruandum, quod promiserat confitenti.* Vbi cernitur peccatum primò commissum diuinas iras facilè euasisse; in quas tamen iteratum incurrit: quòd grauiùs à Deo secundus, quàm primus lapsus puniatur. Vxor Lot Sodomis impunè degebat, nullísque à Deo pœnis torquebatur. Sed, cùm C inde egressa, eódem remeauit, si non quidem effectu, saltem affectu, respiciens retrò: *Versa est in statuam salis.* Genes. 19. num. 26. Cur, quæso, repetendo potiùs, quàm habitando Sodomam, punitur, nisi vt hoc supplicio demonstraretur, duriùs recidentem in peccatum, quàm primò cadentem puniendum? Sic exponit D. Cyril. Alex. lib. 5. in Ioan. cap. 17. suprà citatus, dicens: *Inde sumendum esse nobis exemplum: ne ad deploratas reuertamur peccatorum illecebras.* Et confirmat auctoritate Christi Domini dicentis: *Memores estote vxoris Lot.* Luc. 17. num. 32. Vbi non tam Sodomorum supplicium, quàm vxoris Lot, in memoria retinendum esse voluit: quia illud inflictum fuerat commorantibus in peccato; hoc autem saltem D iuxta mysterium, in peccatum relabenti: & & proinde grauius erat, altiúsque memoria conseruandum, vt peccatores à simili relapsu perterreret.

D.Ambr.

Grauiùs à Deo punitur secundus lapsus.

D.Cyril.

Vxor Lot grauiùs punitur, vt relapsa.

XI.

Israëlitæ ad peccatum redire cupientes capite plectuntur.

Hebræi in Ægypto commorantes nullis à Deo suppliciis plectebantur: sed iidem ab Ægypto egressi, dum in Ægyptum redire moliuntur, aut certè præpostero Ægypti desiderio tenentur; capitali à Deo supplicio damnantur. Nam, cùm desiderarent Ægyptias carnes & pisces, & ad Ægyptios cucumeres, cepe & allia suspirarent: *Ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eũ plaga magna nimis.* Num. 11. n. 33. Rursus, cùm inter se deliberarent de eligendo duce, à quo in Ægyptũ reducerentur, dicentes: *Constituamus nobis ducem,* E *& reuertamur in Ægyptum.* Num. 14. n. 4. statim capitalis in eos sententia promulgatur: *In solitudine hac iacebunt cadauera vestra.* Ibidem, num. 29. Cur igitur in Ægypto commorantes nullis suppliciis mulctantur; & nihilominùs in Ægyptum redire cupientes, grauissimis pœnis afficiuntur: nisi, vt hoc exemplo palàm fiat, grauiùs à Deo puniri peccatum repetentes, quàm primum perpetrantes? Quod expendens D. Cyril. citatus, *Profligati sunt*, inquit, *ab hostibus: illorum gerentes typum, qui virtutis iter ingressi, ad præterita vitæ tenebras, pedem retrò ferre laborant. Nemo enim mittens*

Variis sacra pagina locis confirmatur.

D Cyril.

manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est Regno Dei. Luc. 9. num. 62. Quis ergo non expauescat relapsum, a Deo tam grauiter puniendum?

XII. Semei quondam grauissimè Dauidem offendit: nam maledicebat & mittebat lapides contra Dauid, dicens: *Egredere, egredere, vir sanguinum, & vir Belial,* &c. 2. Reg. 16. num. 7. Sed, vbi primùm veniam à Dauide postulauit, impetrauit, dicente Rege: *Non morieris.* 2. Reg. 19. num. 23. Idem à Salomone sub capitali pœna obligatus, ne Ierosolymis huc atque illuc egrederetur; tamen aliquando contra Regis præceptum egressus, sic Regem offendit, vt neque veniam à Rege petere auderet; nec fortasse, si peteret, exoraret: quare ad supplicium elatus, inobedientiam morte expiauit. 3. Reg. 2. à n. 36. Sed, en tibi dubitatio, B cur tã facilè remittatur prior culpa, quæ sine dubio ex obiecto grauior erat; cùm odiũ, iniuriam, contumeliam, rebellionem, scandalum, pluréśque id genus deformitates importaret: hæc autem posterior, tam seuerè puniatur; quæ tamen leuior erat, cùm solam inobedientiam includeret, eámque magna ex parte releuandam propter circunstantiam necessitatis, qua Semei ad excundum vrgebatur, ne suos sibi seruos fugitiuos perire pateretur? Optimè tamen quæstionem dirimit D. Cyrillus Alexandrinus citatus, posteriorem culpam, quamuis ex obiecto leuiorem; tamen ex circonstantia recidiui, grauiorem iudicari, & proinde grauiori supplicio puniri: *Quia,* inquit, *secundo deliquisse, & mandatum Regis neglexisse, morte mulctatus est.* C Vnde patet, quantò grauiora sint posteriorum supplicia culparum: nam, cùm priores sæpè impunitæ relinquantur; posteriores tamen capitali senteotia feriuntur.

Faciliùs remittitur peccatum lapso, quã relapso.

D. Cyril. Culpa, quãuis leuior, relapsu fit grauior.

XIII. Atque vtinam temporaria tantùm morte damnarentur, qui in peccata relabuntur: sed planè in æternam quoque relegantur; iuxta illud: *Inimici Domini mentiti sunt ei, & erit tempus eorum in secula.* Psalm. 80. num. 16. Vbi in primis aduerte, peccatores priora peccata retractantes, & statim repetentes, dici posse per antonomasiam, *mendaces.* Quia, cùm priores culpas coram Deo retractent, abiurent, anathematizent ac detestentur: posteà tamen easdem iterantes, fidem frangunt, ac Deo mentiuntur. Igitur *Inimici Domini,* inquit Dauid, D *mentiti sunt ei.* Hoc est, interprete D. Aug. Inimici Domini renuntiarunt operibus Diaboli: & nihilominùs ad eadem opera redierunt (hoc enim est, mentiri Deo) seu, vt ex Hebræo legi potest, *negarunt Deum:* quasi Deum negent, qui Deo mentiuntur, seu promissis Deo factis non stant. Nam, cùm nemo mentiatur, nisi ei, quem decipi posse confidat: qui Deo mentitur, Deum posse decipi sperat: ac proinde Deum esse non credit, cùm in Deum nulla possit cadere deceptio. Mentiuntur itaque Deo, qui in priora peccata, contra datam fidem relabuntur. Quæ igitur illos punitio consequetur? Addit Propheta: *Et erit tempus in secula.* Quasi diceret: Non ergo ad præsens tantùm, sed etiam in æternum punientur.

Æterna morte damnãtur, qui Deo per recenidentiã mentiuntur.

D. August.

Mentiri Deo, est Deum negare.

E

XIV. Quod tandem ad tertium attinet: Difficiliùs reparantur. Quod D. Paulus grauiter expressit: *Impossibile,* inquit, *est, eos, qui semel sunt illuminati; gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti; gustauerunt nihilominùs bonum Dei verbum, virtutésque seculi venturi; & prolapsi sunt: rursus renouari ad pœnitentiam.* Hebr. 6. à n. 4. Vbi, quamuis Patres, D. Cyrillus citatus, D. Epiphanius hær. 56. contra Catharos, D. Athanasius lib. De peccato in Spiritum sanctum, D. Ambros. lib. 2. De pœnitentia, cap. 2. D. Chrysostomus,

Difficiliùs ad gratiã redeunt, qui redeunt ad peccata.

D. Cyril. D. Epiph. D. Athan. D. Ambr. D. Chrys.

A Theodoret. Theophyl. Oecumenius & alij existiment, Apostolum loquutum fuisse de renouatione per Baptismum, quam iterare impossibile est, cùm Baptismus sit initerabilis: tamen etiam exponi potest de renouatione per pœnitẽtiam; vt Dionysius Carthusianus, Hugo Cardinalis, Lyra, & ex nostris, Salmeron, Ribera, Vasquez, Iustin. & alij fatentur: ad quam impossibile est, hoc est, difficillimum est, redire eos, qui ab statu gratiæ in priora peccata remigrarũt. Vnde D. Ambr. lib. 2. De pœnitentia, cap. 20. *Faciliùs,* inquit, *inueni, qui innocentiam seruauerint, quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Eódem pertinet illud eiusdem Apostoli: *Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis; iam non relinquitur pro peccatis hostia.* Hebr. 10. num. 26. non quòd nullum supersit pro peccatis remedium; id enim sine hæresi affirmari non potest; vt Theologi cum Patribus & Conciliis contra Nouatianos ostendunt: sed, quòd hostia cruenta Christus Dominus non ampliùs pro his peccatoribus moriatur; aut certè, quòd eius meritum his peccatoribus difficillimè applicetur.

Theod. Theoph. Oecum. Baptismus est initerabilis.

Cath. Hugo. Lyran. Salm. Ribera. Vasq. Iust. D. Ambr.

Christi Domini meritũ relapsis difficillimè applicatur.

XV. Primum Salomonis templum septem annis perfectum est: vt patet ex 3. Reg. 6. num. 38. At verò secundum templum Zorobabelis, non nisi quadraginta sex annorum spatio perfectum est: vt Ioann. 2. num. 20. habetur. Rem ad præsens institutum mysticè traducit Beda lib. 2. in Esd. c. 8. *Notandum,* inquit, *quòd Salomon prius templum in pace sui Regni permaxima, tempore breui, nullo contradicente, perfecit: nunc autem destructum propter peccata, filij transmigrationis in magna cordis compunctione, labori longo insistentes, & sæpissimè ab inimicis retardati, tandem diuinitùs adiuti restaurarunt. Facile nanque est, conuersum quenque ad fidem agnitionémque veritatis abrenuntiare Diabolo, & confiteri Deum viuum, Sacramenta Christi percipere, atque acceptam vitæ innocentiam, comitante eius gratia, seruare: sed multi laboris est, eum, qui accepta fidei Sacramenta peccando contemnit, pristinam recipere dignitatem.* Quibus verbis eleganter ostendit, longè minorem esse primæ generationis per gratiam, quàm secundæ regenerationis difficultatem.

Difficilior regeneratio per gratiã, quàm generatio. Beda.

XVI. Simile quid accidit Ierosolymæ. Nam, cùm primùm à Dauide, siue à Salomone ædificata est; nullo opus fuit militarium instrumentorum apparatu: cùm verò post captiuitatem Babylonicam restituitur; *Media pars iuuenum,* inquit Textus, *faciebat opus, & media parata erat ad bellum.* Et rursus: *Vna manu faciebat opus, & altera tenebat gladium.* 2. Esdr. 4. à n. 16. In quem locum Beda lib. 3. cap. 20. *Talis,* inquit, *est ædificatio spiritualis; quæ in animarum salute geritur: vt in Baptismate renati per fidem, & confessionem sanctæ Trinitatis, absque vllo nostro labore per gratiam Dei ciuitas, ac domus eius efficiamur. At, si post ablutionem sacri fontis, Diabolo seducente, ad peccata relabimur; & virtutum mœnia hostis victor, nostrorum igne vitiorum deiicit: grauioribus necesse est orationis, afflictionis, vigiliarum, & vitæ arctioris studiis, ea, quæ perdidimus bonorum operum ædificia reparemus. Nam & expertis vitiorum illecebris difficiliùs, quàm incognitis caremus, minorísque laboris est, incognitam earum cauere voluptatem, quàm reiicere cognitam.* Quare, qui peccatis renuntiarunt, curare maximè debent, ne iterum iisdem inuoluantur: veriti, ne sic implicari contingat, vt nunquàm amplius explicentur.

Qui peccatis iterum implicatur, difficiliùs explicatur.

ANNO

A

ANNOTATIO XXVII.

CIRCA LITERAM.

Satisfactio pro peccatis illustratur.

I. TERTIA Hebræorum actio, fuit ieiunium: qua omnes perfectæ pœnitentiæ partes expleuerunt. Neque enim satis erat peccata confiteri, & à peccatis separari: sed etiam in peccatorum satisfactionem aliqua pœnalia, vt appellant, opera subire. Inter quæ principem locum obtinet ieiunium. De quo in primo Tomo, B Annot. 8. Sect. 5. latè disseruimus. Hoc loco duplex eius fructus continetur. Nam ieiunantes Hebræi & internas culpas diluerunt, & externos hostes profligarunt. Vtrunque hac Annotatione illustrabimus: eius ad curanda interna peccata efficacitatem, & ad repellenda externa pericula potestatem ostendentes.

Duplex ieiunij fructus proponitur illustrandus.

SECTIO I.

Ieiunij ad curanda interna peccata efficacitas.

II. ALiqua pœnalia opera in peccatorum satisfactionem Deo offerenda nemo Christianus dubitabit. Nam, vt bene D. August. lib. 50. homiliarum, homil. vltim. cap. 15. *Non sufficit*, inquit, *mores in melius commutare; nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium.* Vnde fœmina sanctissima Paula apud D. Hieronymum in eius epitaphio, quæ est epistola 27. ad Eustochium, ab eodem Hieronymo admonita, vt paulum aliquid remitteret de seueritate, qua suum corpus macerabat, respondebat: *Turpanda est facies, quam contra Dei præceptum, purpurisso & cerussa & stibio sæpe depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacauit delicijs. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina, & serica pretiosissima, asperitate cilicij commutanda.* Qua in re mihi videtur imitata fœminam peccatricem, quæ instrumenta lasciuiæ, nempe, oculos, capillos, odores, in instrumenta pœnitentiæ conuertit: *Lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat.* Luc. 7. num. 38. Quod expendens Diuus Gregorius hom. 33. in Euangelia: *Quod*, inquit, *sibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat. Oculis terrena concupierat: sed hos iam per pœnitentiam conterens flebat. Capillos ad compositionem vultus exhibuerat: sed iam capillis lacrymas tergebat. Ore superba dixerat: sed pedes Domini osculans, hoc in Redemptoris sui vestigia figebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se inuenit holocausta. Conuertit ad virtutum numerum, numerum criminum: vt totum seruiret Deo in pœnitentia, quidquid ex se Deum contempserat in culpa.*

Non satis est pœnitere, nisi adsit satisfactio.
D. Aug.
D. Hieron.
Instrumenta peccati, in pœnitentiæ instrumenta conuertenda.
D. Greg.

III. Similia refert D. Ambr. ad Virginem lapsam, cap. 8. vbi victam delicijs virginem, rigidis pœnitentiæ instrumentis obarmat, vt fortior pugnet, & felicior vincat: *Lugubris*, inquit, *tibi accipienda est vestis & mens, ac membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt: defluant oculi lacrymis, qui masculum simpliciter non aspexerunt: pallescat facies, quæ quondam viruit impudicè: denique totum corpus incuria maceretur; cinere adspersum, & opertum cilicio perhorrescat; quia malè sibi de pulchritudine placuit. Cor vero sit liquescens, sicut cera, ieiunijs; quia in membra corporis, eium haberet dominationem, malo cessit imperio. Gradis plaga alta & prolixa est medicina. Grande scelus grandem habet necessariam satisfactionem.* Cæterùm inter opera satisfactoria ieiunium præcipuè recensetur: ad quod proinde pœnitentes frequentissimè confugiebant. Dauid: *Humiliabam in ieiunio animam meam.* Psal. 34. num. 13. Achab: *Ieiunauit & dormiuit in sacco.* 3. Reg. 21. num. 27. Niniuitæ: *Prædicauerunt ieiunium.* Ion. 3. num. 5. Immò & bestias ad ieiunium compulerunt: *Homines & iumenta & boues & pecora non gustent quicquam.* Ibid. num. 7. Hebræi sæpe ad ieiunium pro peccatis expiandis confugiebant. 2. Esdr. 9. num. 1. Iudith 4. num. 8. Esther 4. num. 3. Ierem. 36. num. 9. Baruch 1. num. 5. 2. Machab. 13. num. 47. & passim alibi. Quasi hoc vno pretio cætera pœnarum debita facile soluerentur.

D. Ambr.
Membra, quæ ad peccatum seruiebant, pœnitentia maceranda.
Præcipua pro peccatis satisfactio, ieiunium.
Ieiunium, pœnitentium perfugium.

IV. Itaque ieiunij efficacitas ad internas culpas abstergendas, satis colligitur ex hoc loco. Dum enim Hebræi in Masphath ieiunarunt, præteritas culpas penitus eluerũt. Vnde Tertul. lib. aduersùs Psychicos, cap. 7. *Deliquerat*, inquit, *Israël. In aquatione apud Masphath congregatus à Samuele,* C *ita statim delictum ieiunio diluit: vt periculum prælij simul fugerit.* Vbi obiter nota, cùm in illa aquatione, nullum peccatum interuenerit; vt ex dictis ad Num. 6. patet: hunc Tertul. locum ita esse dispungendum, vt verbum delinquendi cum aquatione minimè coniungatur: sed ita: *Deliquerat Israël*: scilicet, aliis delictis. Tunc infixo puncto, subdit: *In aquatione*, &c. Vbi iam agit de præcedentium remedio delictorum. Cùm enim Israël ex præteritis peccatis superiorum bellorum damna incurrisset; sublatis per ieiunium peccatorum debitis, omnia pariter bellorum damna tollebantur. D. Basilius hom. 1. De laudibus ieiunij, ieiunium vocat, *Pharmacum efficax abolendo peccato.* Et rem artis medicæ exemplo declarat: *Quemadmodum*, inquit, *vermes, qui in intestinis germinant,* D *pharmacis quibusdam vehementer acribus & amaris excutiuntur: ita peccatum in imis secessibus habitans, extinguit, enecátque ieiunium.* Et statim addit singularem huius excellentiam pharmaci: nam alia quidem præsentibus morbis medentur; hoc autem præseruat & à futuris. Vnde primis parentibus abstinentiæ legem datam asserit, quàm si seruassent, à Paradiso non exulassent. Et paulò pòst: *Quoniam*, inquit, *non ieiunauimus, exulamus à Paradiso: ieiunemus igitur, vt ad illum postliminio reuertamur.*

Per ieiunium non solùm diluuntur peccata, sed pericula tolluntur.
Tertul.
D. Basil.
Ieiuniũ peccati pharmacum.
Qui non ieiunant, à Paradiso exulant.

V. D. Hieronymus epist. 22. ad Eustochium, scribit, se domandis carnis rebellionibus, quas in eremo patiebatur, hoc vnum remedium applicuisse: *Mens*, inquit, *desiderijs æstuabat in frigido* E *corpore, & ante hominem suum iam carne præmortua, sola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio destitutus, ad Iesu iacebam pedes, rigabã lacrymis, crine tergebam, & repugnantẽ carnẽ hebdomadarum inedia subiugabam.* Vt enim arx naturæ situ inexpugnabilis, sola fame superatur: ita caro suorum appetituum satellitio munita, solo ieiunio coërcetur. Vnde D. Cypr. serm. De ieiunio & tentationibus Christi, *Ieiunium, inquit, si discretione regatur, omnem carnis rebellionem edomat, & tyrannidem gulæ spoliat & exarmat. Ieiunium extraordinarios*

D. Hier.
Ieiunium domandæ carni remediũ præsentaneum.
D. Cypr.

rios motus in cippo claudit & arctat, & appetitus vagos distringit & ligat. Ieiunium, si humilitate ornetur, seruos Dei mundi efficit contemptores. Ieiunium carnes azymas mundat & solidat; & putredines, qua ex adipe prodeunt, consumit & siccat. Vbi nota illam metaphoram: *Motus in cippo claudit.* Nam cippus erat instrumentum ligneum, ad quod mancipiorum pedes, ne fugerent, ligabantur. Sic ergo ieiunio liberi & illiberales appetitus in seruitutem rediguntur; & ne ad illicita euagentur, circumligantur.

Qua bona secum afferat ieiunium.

VI. Concinit D. Leo ser. De ieiunio decimi mensis: *Ieiunia*, inqoit, *nos contra peccata faciunt fortiores, concupiscentias vincunt, tentationes repellunt, superbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bona voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt.* Neque mireris, si dicantur ieiunia, nos contra peccata reddere fortiores. Nam, sicut corpora, suo alimento, quod est cibus, vires acquirunt; ita & mentes, suo, quod est ieiunium; vt testatur idem D. Leo serm. 2. De ieiunio eiusdem mensis: *Sēper*, inquit, *virtutis cibus, ieiunium fuit.* Clariùs Diuus Chrysost. hom. 1. in Genes. *Ieiunium*, inquit, *anima nostra alimentum est: & sicut corporalis iste cibus impinguat corpus: ita & ieiunium animam habiliorem efficit & valentiorem.* Hoc ergo ieiunio, tanquàm proprio alimento nutrita mens tam fortis euadit, vt quidquid in mundo vitiorum est, nempe, concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ, 1. Ioan. 2. num. 16. totum id facilè superet, subiiciat ac refrænet. Vnde idem D. Leo serm. 8. De eodem ieiunio: *Cùm*, inquit, *vniuersa vitia per continentiam destruantur, & quidquid auaritia sitit, quidquid superbia ambit, quidquid luxuria concupiscit, huius virtutis soliditate superetur; quis non intelligat, quantùm nobis per ieiunia conferatur?* Atque hinc facilè conuincitur Dæmonis furor & stultitia, qui Christo Domino ieiuniis armato has tres tentationes, gulæ, superbiæ & auaritiæ obtrudat, omnes vnico ieiunij clypeo facillimè repellendas.

D. Leo. Ieiunium fortiores reddit.

Ieiunium mentis cibus & alimentū. D. Chrys.

Omnia Diaboli tētamenta, vno ieiunij clypeo repelluntur. D. Leo.

VII. Ad hoc peccatorum remedium hortabatur olim Deus, dicens: *Sanctificate ieiunium, vocate cœtum.* Ioël. 1. num. 14. seu, vt habent Septuag. *Sanctificate ieiunium, prædicate curationem.* Vbi non sine mysterio curatio post ieiunium prædicatur: *Vt monstraretur*, inquit D. Hieron. lib. 2. aduersùs Iouin. *ieiunium sanctificari cæteris operibus: & sanctificatum ieiunium curationi proficere peccatorum.* Subscribit Theod. ad eum locum: *Docemur*, inquiens, *vt ieiunium animæ malè habenti sit medicina salutaris. Quare ieiunio subiunxit curationem.* Et ne quis dubitet de huius efficacitate medicinæ; obserua, vocari à Propheta *curationem*; quòd, eâ adhibitâ, statim curatio subsequatur. Quis non doleat miseros peccatores suis concupiscentiis, tanquàm incendiis, æstuantes; iuxta illud: *Omnes adulterantes, quasi clibanus succensus à coquente.* Oseæ 7. n. 4. At, quo flatu tanti æstus sopientur? Duplicem assignat D. Hier. cit. de his peccatorum remediis loquutus: *Quæ*, inquit, *Dei misericordia, & ieiuniorum rigore restinguuntur.* Adsit Dei misericordia, tanquàm Auster pluuius & benignus: non desit abstinentia, tanquàm Aquilo rigidus & aridus: his duobus flatibus hinc inde incursantibus, vasta illa libidinum incendia comprimentur.

Ieiuniū animæ ægrotātis medicina. D. Hier.

Theod.

D. Hier. *Concupiscentiarum incēdia ieiunio restinguūtur.*

VIII. Quod D. Hieronym. statim ad fornacem Babylonicam digressus, eleganter illustrat: *Quomodo*, inqoit, *ibi quartus speciem habens, quasi filij hominis, immensos mitigauit ardores, & inter camini æstuantis incendium docuit flammas calorem amittere; & aliud oculis comminari, aliud præbere tactui: sic & in animo virginali, rore cælesti, & ieiuniorum rigore calor puellaris extinguitur, & in humano corpore Angelorum impetratur conuersatio.* Felix ieiunium, quo misera peccatorum incendia restinguuntur. D. Basil. hom. 1. De laudibus ieiunij, & D. Chrys. hom. 2. in Genes. vocant ieiunium *pædagogum.* Vt enim sub hoc pueri; ita sub illo peccatores, cuiuscunque sint ætatis, corriguntur. Vtinam talem haberet vniuersus Orbis censorem. Totus ad frugem sine dubio traheretur, teste eodem Basil. orat. 5. De ieiunio: *Si ieiunium*, inquit, *omnes in rebus agendis adhiberent: nulla res profectò prohibere posset, quominùs optimam pacem per omnem terrarum orbem traheremus; & neque Gentes, ita me Deus amet, contra se arma mouerent; neque loca deserta homines, qui scelere & maleficio pascuntur, alerent; neque ciuitates calumniatores, neque mare piratas: denique neque vita nostra tot ærumnis esset referta.* Rem illustrat D. Athan. lib. De virginitate, exemplo trium puerorum, qui ieiunantes, pallorem & maciem & ariditatem corporum exuerunt, hilarioresque & vegetiores gratioresque Regi visi sunt, quàm qui cibo regio vescebantur. Dan. 1. num. 15. Sicut enim ieiunium in his pueris corporum vitia extinxit: ita & in peccatoribus animorum labes abstergit: *Vide*, inquit Athan. *quid faciat ieiunium: morbos sanat, distillationes exsiccat, Dæmones fugat, malásque cogitationes expellit, & mentem nitidiorem reddit, & cor purgatius, & corpus salubrius, & ad thronum Dei hominem sistit.*

D. Hier. *Ieiunantibus Deus ipse peccatorum restinguit incendia.*

D. Basil. D. Chrys. *Ieiunium animæ pædagogus.*

D. Athan.

Ieiunium corpus reddit nitidius.

IX. De populo sedente manducare & bibere, dicit Scriptura: *Videns ergo Moyses populum, quòd esset nudatus.* Exod. 32. num. 25. De se autem ieiunante, ait Dauid: *Operui in ieiunio animam meam.* Psal. 68. num. 11. Nudantur quidem epulones, dum æternis suppliciis subeundis inermes exponuntur. At verò ieiunantes, inducto ieiunij velamine, sua peccata obtegunt, ne à supremo Iudice puniantur. Quod expendens D. Ambr. lib. de Helia & ieiunio, cap. 4. *Gula*, inqoit, *nudos facit: ieiunia operiunt & exutos.* Et statim: *Bonum operimentum, quod animam tegit, ne à tentatore deprehendatur, ne à tentatore nudetur. Bonum velamen, quod tegit culpam.* Vbi vides animam ieiunio operiri, non solùm tanquàm vestimento, quo præterita vitia occultentur; sed etiam, tanquàm scuto, quo futura præcaueantur. Vnde D. Chrysost. serm. 2. De ieiunio, obseruat, primos parentes ieiunij præcepto armatos esse, etiam ante pugnam ad futura peccata declinanda. Atque ex eo loco rectè argumentatus, *Cùm*, inquit, *ante conflictum ad resistendum libidinosis voluptatibus, clypeus nobis abstinentia necessarius fuerit; multò magis in ipso nostro certamine, ieiunij auxilium ad nostram victoriam flagitandum est.* Hoc est, si primi parentes, cùm nullas carnis rebelliones sentirent, cùm diuinis præsidiis abundarent, cùm multa dona supernaturalia obtinerent; adhuc nihilominùs ieiunij clypeo indigebant, ne inermes & intecti ab hostibus inuisibilibus cæderentur: quantò magis nos inter maiora prælia, & minora præsidia constituti, hoc ieiunij clypeo armari debemus, ac muniri?

Epulones nudi & inermes suppliciis patent.

D. Ambr. *Anima ieiunio, tanquàm clypeo operitur.*

D. Chrys.

Quò plùs periculis expositi, eò amplius ieiunij clypeo indigemus.

X. Adde, ieiunium non solùm esse clypeum, quo peccata repelluntur; sed etiam gladium, quo iugulantur. Vnde D. Ambr. lib. de Helia & ieiunio, cap. 10. *Ieiunium*, inquit, *culpæ interfector est.* Et cap. 11. seq. *Profundum*, inquit, *animæ, virtus ingressa ieiunij, culpam latentem interficit.* Culpis autem a ieiunio interfectis, quid superest, nisi, vt

culparum

D. Ambr. Ieiunium est gladius, quo peccata iugulantur.

culpatum suasor ac nutritor Diabolus repellatur? Testis sit Diuus Athanas. proximè citat. *Quisquis*, inquit, *ab immundo spiritu vexatur, certum habere debet, hoc pharmaco, ieiunio, inquam, statim spiritus malos afflictos abscedere, vim ieiunij metuentes.* Vnde Christus Dominus de illo Diabolo, quem ne Apostoli quidem eiicere potoeruut, *Hoc genus*, inquit, *non eiicitur, nisi per orationem & ieiunium.* Matth. 17. num. 21. Vbi rectè Tertul. lib. cit. cap. 8. *Docuit*, inquit, *aduersus diriora Damonia ieiuniis praeliandum. Quid enim mirum, si eadem operatione spiritus iniquus egreditur, qua sanctus inducitur?* Nam, sicut ad Christum Dominum ieiunantem, *Accesserunt Angeli, & ministrabant ei.* Matth. 4. num. 11. ita ab eodem ieiunante Diabolus fusus, fugatúsque abscessit. Et vlterius aduerte, Christum Dominum non inter conuiuia; sed inter ieiunia à Diabolo timeri, & tanquàm Dei Filium adorari. Nam, *cùm ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, accedens tentator, dixit ei: Si Filius Dei es, dic, vt lapides isti panes fiant.* Matth. 4. à num. 2. Vbi Diuus Petrus Chrysol. serm. 12. *Diabolus*, inquit, *qui manducantem contempserat Christum; & bibentem, velut hominem, computarat; vbi ieiunantem vidit, suspicatur Deum, Dei Filium confitetur.* Et serm. 13. quam Diabolus de ieiunio opinionem concipiat, exponens, *Audite*, inquit, *quid de ieiunio ipse sentiat & iudicet inimicus. Sciuit Diabolus ieiunium cunctis virtutibus anteferri. Dei Filium credit, quem liberum a mentis conspexerat seruitute. Ieiunum viderat vrbium delicias, spiralentis eremi habitatione mutasse; mollitiem carnis, vestis asperitate calcasse; agresti cibo, mundi totam frauasse luxuriem; & quod solum Deitatis insigne est, hominibus dimisisse peccata: & tamen non eò dixit: Si Filius Dei es. At vbi vidit Dominum iugiter ieiunantem, proclamat: Si Filius Dei es*, &c. Et paulò pòst, inquirit Chrysologus, cur Diabolus hoc potiùs signū, quàm quoduis aliud à Christo Domino flagitarit? *Signum*, inquit, *panis petit, qui signum ieiunij pertimescit, vt iciunij tremendum sibi refugiat signum.* Neque solus Christus, sed etiam Christiani suis ieiuniis Diabolum terrent. Vnde Diuus Ambrof. ser. 25. in Quadragesim. *Castra*, inquit, *sunt nostra ieiunia: qua nos à Diaboli oppugnatione defendunt.* Et paulò pòst: *Murus quidem est Christiano ieiunium, inexpugnabilis, intransgressibilis inimico.*

D. Athan.

Tertull. *Aduersus diriora Damonia ieiunio praeliandum.*

D. Chrysol. *Diabolus Christū Dominum ieiunantem adorat vt Deū.*

Credit Diabolus ieiuniū cateris virtutibus anteferri.

D. Ambr. *Non solum Christus Dominus, sed Christiani ieiunio Diabolo terribiles.*

XI. *Ieiunio quisque domat, & ad se rediens compellit.*

Sed adhuc perniciosior est alius hostis, quem ieiunium frangit ac domat; nempe, quisque sui. Patet in illo prodigo, quem gula perdidit, inedia ad patrem reuocauit. *Ego*, inquit, *hic fame pereo: surgam & vadam ad patrem meum.* Luc. 15. num. 17. Domuit inedia, & in gyrum rationis compulit; quem gula præcipitem dederat, & in belluinam licentiam effrænarat. Vnde D. Petrus Chrysologus serm. 1. *Fames*, inquit, *renocat, quem saturitas exulerat: & si tantum prastitit vel iunita fames; probate, quid voluntarium possit conferre ieiunium?* Primum hominem gula deiecit, edentem de ligno scientiæ. Gen. 3. num. 6. Sed eundem abstinentia erexit, ieiunantem à ligno vitæ. Emisit enim eum Deus de Paradiso terrestri: *Ne fortè*, inquit, *mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vita, & comedat.* Ibidem, num. 22. Quasi ad nouam eum abstinentiam coëgerit; vt prioris defectum, posterioris obseruantia compensaret: & qui comedendo mortem incurrerat; ieiunando ad vitam reduceretur. Quod mihi videtur significasse Tertul. lib. aduersùs Psychicos, cap. 3. dicens, Deum homini post lapsum iterum mandasse ieiunium: *Vt homo*, inquit, *per eandem materiam satis Deo faciat, per quam offenderat: atque ita salutem amulo modo redaccenderet inedia, sicut extinxerat sagina.*

D. Chrys.

Gula priorū parentum posterori ieiunio cōpēsatur. Tert.

XII. *Ad maiorem corporis integritatem per ieiunium peruenitur.*

Ex dictis patet ieiunij vis ad interna peccata medicanda. Quibus expiatis, mirum est, quantam ad pulchritudinem ac perfectionem ieiunantes reducantur. Vnde Dauid, *Genua*, inquit, *mea infirmata sunt à ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum.* Psalm. 108. num. 24. Quasi diceret: Quamuis per ieiunium infirmitatem contraxerim; tamen per diuinas consolationes, perpetuas ieiunij comites, ad maiorem integritatem perfectionémque euasi. Quare D. Hieronymus, aut quisquis ille est Auctor Commentariorum in Psalmos, qui in septimo Diui Hieronymi tomo circumfertur: *Et nos ergo*, inquit, *quando ieiunamus, quando facies nostra pallida sunt, quando fœdi videmur, cognoscamus nosmetipsos tunc pulchriores apparere Christo. Tales diligit milites Christus, qui ieiuniis vacent. Annona nostra & esca, ieiunium est.* Tantus verò decor, tanta pulchritudo per ieiunium confertur, vt homines Angelis exæquare videatur. Vnde D. Chrysost. serm. 1. De ieiunio, *Ieiunium*, inquit, *est Angelorum imitatio.* Et homil. 1. De pœnitentia, *Ieiunium*, inquit, *ex hominibus Angelos facit.* Certè D. Athan. serm. De Virginitate, *Angelorum*, inquit, *cibus est ieiunium.* At verò D. Ambros. lib. De Helia & ieiunio, cap. 3. testatur, Ioannem Baptistam propter ieiunium in sacris Literis Angelum appellari: *Hic est enim*, ioquit Christus Dominus, *de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum*, &c. Matth. 11. n. 10. Et inter alia ieiunij præconia, *Quid est*, inquit, *ieiunium, nisi substantia & imago calestis? Ieiunium refectio anima, cibus mentis est. Ieiunium vita est Angelorum, ieiunium culpa mors, excidium delictorum, remedium salutis, radix gratia, fundamentum castitatis.*

D. Hieron.

Annona animarum, ieiunium.

D. Chrys. *Ieiunium ex hominibus Angelos facit: & est Angelorum cibus.* D. Athan. D. Ambr.

XIII. D. Basil. *Ieiunātes sub peculiari Angelorum tutela continentur.*

Cæterùm D. Basil. Orat. 5. De ieiunio, testatur, ieiunantes, si non Angelos, saltem peculiari curæ Angelis esse: *Nonnulli*, inquit, *ex Angelis ad eam rem ordinati sunt, vt eos, per singulas Ecclesias, qui inedia corpus suum affligunt, describant. Quapropter da operam, ne propter exigua eduliorū voluptatem, damnum tam ingens accipias, vt ab Angelo in numerum eorum, qui à nimio cibo abstinent, non referaris.* Quid ergo excellentius, quàm, vel Angelum esse, vel sub peculiari Angelorū tutela contineri? Ad hæc, quandam beatitudinis statum sortiuntur, qui ieiunia colunt & frequentant. In cælesti Paradiso primus parens, ieiunandi ab vna arbore præceptum accepit, Genes. 2. num. 16. Rationem reddit D. Hieron. lib. 2. aduersùs Iouin. ne hoc ei ad veram beatitudinem deesset: *Beatitudo*, inquit, *Paradisi, absque abstinentia cibi non potuit dedicari. Quandiu ieiunauit, in Paradiso fuit: comedit, & eiectus est.* Immò, vt ostendat, ieiunium, non solùm felicitatis, sed etiam virginitatis esse munimentum, rectè obseruat, Adamum, simul atque à ieiunio cecidit, non solùm à felicitate, sed etiam à virginitate cecidisse: *Eiectus*, inquit, *statim duxit vxorem. Qui ieiunus in Paradiso virgo fuerat, satur in terra matrimonio copulatur.*

D. Hier. *Beatitudo Paradisi, ieiunium.*

Ieiunium, virginitatis custos.

XIV. *Helias ideò calo dignus, quia ieiunādi calestem agebat vitam.*

Quare, qui in terra à ieiunio non recedunt, digni sunt, qui in Paradisum reducantur. Vnde Helias, qui in terris eandem ieiunandi formam obseruauit, 3. Reg. 19. num. 8. non immeritò obtinuit, vt in eondem Paradisi statum reuolaret. Nam, vt bene Diuus Petrus Chrysol. serm. 2. *Helias*, inquit, *Dominici continuatione ieiunij defacatus à carnali pondere, mortis victor euolauit ad calum.* Nec minùs eleganter D. Ambr. lib. De Helia, c. 2. *Meritò,*

D. Chrysol.

D. Ambr.

Meritò, inquit, *illum dignum cælo, diuina indicauit sententia, vt cum ipso raperetur corpore, quoniam cælestem vitam viuebat in corpore, ac cælestem visum conuersationis exhibebat in terris.* Ex quo ostenditur, addit D. Hieronymus loco proximè citato; *posse nos per ieiunium redire in Paradisum, vnde per saturitatem fueramus eiecti.* Vides, vt proprius ieiunantium locus sit Paradisus? vt propria ieiunantium conuersatio sit cum Angelis? vt propria ieiunantium vita sit Angelica? Quis ergo malit in exilio mori, comedendo; quàm in Paradiso viuere, ieiunando? Quis præoptet ventri seruire cum belluis, quàm ieiunio vacare cum Angelis? Quis belluinam vitam Angelicæ anteponat?

D. Hier.

Proprius ieiunantium locus, Paradisus.

XV. Sed parum est, ieiunantes ad Angelicam eodere putitatem, cùm etiam accedere videantur ad diuinam. Ieiunauit Moyses, & vidit gloriam Dei. Exod. 24. à num. 15. At verò populus largiter epulatus, ne in Moysem quidem oculos poterat intendere. 2. Cor. 3. num. 7. Quod Tertul. lib. cit. cap. 6. rectè expendens: *Moyses*, inquit, *quadraginta diebus, totidémque noctibus supra humana naturæ facultatem ieiunium perennauit, spiritali fide virtutem subministrante, & vidit oculis Dei gloriam, & audiuit auribus Dei vocem, & corde concepit Dei legem, iam tunc docentis, non in solo pane viuere hominem, sed in omni verbo Dei.* Et statim Moysi populum opponens, subdit: *Cum quidem nec ipsum Moysem Deo pastum, inediámque eius nomine saginatam constanter contemplari valeret pinguior populus.* En vt saturi longissimè recedant, non solùm à consuetudine diuina, sed etiam à consuetudine eorum, qui familiare cum Deo commercium habuerunt: cùm tamen ieiuni intimam cum Deo familiaritatem sortiantur. Hinc est, quòd olim Deus Adamom in Paradiso terrestri comedentem, quodammodo ignorabat. Genes. 3. num. 9. At verò Heliam quadraginta diebus ac noctibus ieiunantem familiariter alloquebatur. 3. Reg. 19. num. 9. Quod Tertul. citato lib. & cap. egregie obseruat: *Cum*, inquit, *Helias in spelunca diuertisset, quam familiari congressu Dei exceptus est? Quid tu, Helia, hic? Multò amicior ista vox, quam, Adam vbi es? Illa enim pasto homini minabatur; ista ieiuno blandiebatur. Tanta est circunscripti victus prærogatiua, vt Deum præstet homini contubernalem, parem verè pari.* Quem locum D. Hieronymus lib. 2. aduersùs Iouinianum, totidem penè verbis ex Tertulliano transtulit.

Ieiunantes ad diuinam videntur accedere dignitatem.

Tertul.

Saturi à Deo longè recedunt, ieiuni intimam cum Deo familiaritatem sortiuntur.

Tert.

Saturitas Dei ignorantiam parit.

XVI. Vides, vt hi duo proceres, Moyses & Helias, tam familiares Deo per ieiunium euaderent, vt penè pares Deo viderentur? Ea causa fuit, quare Christus Dominus in monte transfiguratus, Moysi & Heliæ se ostenderit. Matth. 17. num. 3. Quia, scilicet, vt loquitur Tertul. citat. vterque fuerat collega ieiuniorum suorum. A quo iterum D. Hieronymus, vbi suprà, mutuatus, *Dominus*, inquit, *noster, atque Saluator, non ob differentiam virginitatis, & nuptiarum, vt quidam putant; sed ob ieiuniorũ consortia, Moysem & Heliam transfiguratus in monte secum ostendit in gloria.* Quin etiam D. Petrus tria tribus tabernacula præoptabat: *Faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, Moysi vnum, & Heliæ vnum.* Ibidem, num. 4. Vt, qui paria ieiuniorum spatia, nempe, quadraginta dies, & quadraginta noctes transegissent; paribus domiciliis reciperentur. Quid ergo magnificentius esse potest, quàm Deo, non solùm abscondito, sed reuelato in gloria comitem assidere, & pares cum Deo sedes habitare? Ad hanc igitur dignitatem homines per ieiunia euehuntur. Nam mens per ieiunium acuitur, vt Deum perfectiùs contempletur: sicut per saginam obtunditur, ne a Deum contemplandum euehatur. Vnde est illud Tertul. lib. de anima, cap. 20. *Opimitas sapientiam impedit; exilitas expedit.*

Christus Dominus Moysi & Heliæ se ostendit, vt ieiuniorum suorũ collegis.

Tertul.

D. Hier.

Ieiuni pares cũ Deo domicilium habent.

SECTIO II.

Ieiunij ad repellenda externa pericula potestas.

I. PRimò. Hostes externi per ieiunium facilè repelluntur ac superantur. Patet ex hoc loco, Nam Israelitæ Philisthinos, potiùs ieiunando, quam pugnando fuderunt ac fugarunt. Vnde Tertul. lib. aduersùs Psychicos, cap. 7. superiori Sectiam citatus: *Israël*, inquit, *in adaquatione apud Masphath congregatus à Samuele, ita statim delictum ieiunio diluit, vt periculum prælij simul fugerit.* Immò vlteriùs sentit, Hebræis ad bellum confirmandis ac toborandis, magis ieiunium, quam ipsum holocaustum profuisse: *Cum Samuel*, inquit, *offerebat holocaustum, in nullo magis procuratam audiuimus Dei clementiam, quam abstinentia populi.* Et paulò pòst: *Ceciderunt pasti os impasti, armatos inermes. Hæ erunt vires ieiunantium Deo, cælum pro eiusmodi militat.* Quasi ieiunij potestas non solùm frangeret hostes, sed etiam cælum in ieiunantium præsidium armaret. Non aliter Diuus Hieronym. lib. 2. aduersùs Iouin. *Congregatum*, inquit, *Samuel populum in Masphath, indictio ieiunio roborauit, & fecit hostibus fortiorem.* Accedit D. Leo serm. 1. De Quadragesima, vbi loquutus de Hebræis hoc loco ieiunantibus, *Vt superare*, inquit, *hostes suos possent, vires animi & corporis, indicto sibi reparauere ieiunio.* Et paulò pòst: *Abstinentes ergo à cibo & potu, seuera sibi castigationis adhibuere censuram, & vt hostes suos vincerent, gulæ illecebram in se ipsis antè vicerunt.*

Ieiunium de hostibus victores reddit.

Tertul.

Israëlitis plus ieiunium, quã holocaustum profuit.

D. Hieron.

Cæli militat ieiunantibus.

D. Leo.

II. Neque desunt alia ex aliis Scripturæ locis exempla, quibus eadem veritas confirmetur. Celebrem de Amalecitis victoriam Iosue reportauit, Exod. 17. num. 13. quam totam D. Hieron. lib. 2. aduersùs Iouin. orationi Moysis, & populi ieiunio censuit tribuendam: *In Exodo*, inquit, *aduersùs Amalech, oratione Moysis & totius populi, vsque ad vesperam ieiunio dimicatum est.* Non minus gloriose idem Iosue de Amorrhæis triumphauit. Iosu. 10. à num. 11. At quo præsidio? Ieiunio quidem, vt sentit Tertul. aduersùs Psychicos, cap. 10. *Iesum*, inquit, *Naue debellantem Amorrhæos prandisse illa die existimamus, qua ipsis elementis stationem imperauit?* Quasi diceret. Minimè. Sed eò fortiùs armatus, quò magis in prælus suos hostes labefecit. Consentit D. Hieron. citatus: *Iesus*, inquit, *Naue stationem imperans Soli & Lunæ; & inediam plusquam vnius diei, victoris exercitus protelauit.* Filij Israël duplici prælio cum Benjamitis congressi, in vtroque victi ceciderunt: duobus virorum millibus supra viginti in primo prælio interfectis: in secundo duo de viginti millibus desideratis. Sed tandem in tertio feliciter superarunt. Iud. 20. à num. 18. Discriminis ratio esse potest: quia in prioribus bellis, si Litera expendatur, nullis se ieiuniis armarant: in postremo ieiuniis instructi & communiti ad bellandum prodierunt: *Venerunt*, inquit Textus, *in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino: ieiunaueruntque die illo vsque ad vesperam.* Ibidem, num. 26. Quasi à ieiunio vires sumerent, quibus hostem profligarent.

Iosue olim ieiunio dimicabat.

D. Hier.

Tertul.

Iosue ieiunus Solem constituit.

D. Hier.

Ieiunio semper de hostibus triumphat.

III. Saule fortiter pugnante aduersùs Philisthæos, eósque

Saül plus ieiunio dimicabat, quàm telis, D.Ambr.

eósque feliciter debellante, *Non manducauit vniuersus populus panem.* 1.Reg.14.num.24. Cui ieiunio illam victoriam tribuit D.Ambr. serm. 25. De Quadragesima: *Bonus*, inquit, *planè Rex, qui hostes suos non tam armis, quàm deuotione vincebat; & plus dimicabat religione, quam telis.*

Iosaphat nullam feliciorem victoriam reportauit, quàm ieiunio.

Nescio, an gloriosior triumphus vllus fuerit, quàm ille, quem Iosaphat de Moabitis, Ammonitis & Idumæis reportauit: cùm eius exercitu penitùs incruento, nullus ex hostibus non ceciderit cruentatus. 2. Paral. 20. num. 14. Si quæras huius certaminis præsidia, nulla fortiora inuenies, quàm ieiunia. Nam Iosaphat ad bellum proditurus *Prædicauit ieiunium vniuersæ Iuda.* Ibidem, n. 3. Hoc ieiunio armatis milites, illi tam multi hostes sustinere minimè potuerunt. Cùm Rex Ezechias à Sennacherib Assyriorum Rege graui obsidione teneretur, ab ipso quidem hoste inuitabatur ad epulas, dicente: *Comedite vnusquisque vineam suam, & vnusquisque ficum suam, & bibite vnusquisque aquam cisterna suæ.* Isai. 36. n. 16.

Hostes vt vincantur, faciliùs ad epulas inuitantur.

Non dubitabat enim, facilè ab hostibus expugnandos, qui priùs ab epulis oppugnarentur. Nihilominùs Ezechias ad ieiunia, quæ sunt bellorum certissima præsidia, confugiebat; quibus tantùm valuit, vt facilè hostium vires & insultus irrideret, Isai. 37. à num. 26. *Quid enim aliud obsidionem soluit, & Angelum è cælo in hostium vindictam euocauit*, inquit Tertul. cit. c. 7. *quàm Ezechiæ Regis humiliatio, vtique ieiunio preces prosequente?*

Tertull. *Ieiunium præsidia è cælo deuocat.*

Ieionasse verò Ezechiam, licèt in Litera, neqoe apud Isaiam citatum, neque 4. Reg. 18. & 19. vbi eadem historia refertur, exprimatur; tamen ex eo colligit Tertull. quòd semper pœnitentiæ mœrorem, qualem habebat Ezechias, ieiunium comitetur: *Neque enim*, inquit, *cibi tempus in periculo, nec saturitatis cultus in sacro: semper inedia mœroris sequela est, sicut lætitia, accessio sagina.* His ergo ieiuniorum armis victoria de Assyriis, teste Tertulliano, comparatur.

Tert. D. Hier.

Concinit D. Hieronymus lib. 2. aduersùs Iouin. *Assyriorum*, inquit, *impetum, & potentiam Senacherib, Ezechiæ Regis lacrymæ, saccus & humiliatio victus fregit, prostrauit & vicit.* Mitto alia huius generis exempla, quibus satis confirmatur ieiunij ad terrendos profligandósque hostes efficacitas.

IV.

Daniel per ieiunium leonibus terribilis.

Tertul. D. Hier.

Secundò. Non solùm hostes; sed etiam feræ rationis expertes ab iis, qui ieiunio armantur, facilè coërcentur. Nam Daniel inter leones constitutus, dicitur à Tertull. & à D. Hieronym. proximè citatis, *Deo per ieiunium miserabilis; sed leonibus in lacu horribilis.* Quia, ieiunando, Deum ad misericordiam prouocabat: leones ad timorem compellebat.

D. Ambr.

Addit Diuus Ambros. lib. De Helia & ieiunio, cap. 7. leones Danielis ieionio non solùm territos, sed etiam edoctos fuisse: *Daniel*, inquit, *trium hebdomadarum ieiunio leones quoque docuit ieiunare.*

D.Basil. *Ieiunium membra solidat, feras exarmat.* D.Ambr.

Idémque docuit D. Basil. homil. 1. De laudibus ieiunij. Et quamuis ieiunare nollent; nunquàm tameu Prophetæ carnibus ieiuoio solidatis vescerentur. Nam, vt rectè prosequitur Diuus Ambrosius: *Abstinentiæ soliditate membra durata non patuerunt vulneri. Sic eum constrinxerant ieiunia, vt in eius corpore ferarum morsibus locus esse non posset. Clausa tenebant feri leones ora, quæ abstinentia prophetica sanctitatis comprimebat; vt ea aperire non possent, meritis quibusdam vinculis alligata.* Et pariter ea de re Diuus Basilius citatus philosophatur: vbi docet, Danielem inter leones ita fuisse solidatum: vt *quasi è lapide, aut ferro, aut alia quapiam rigidiore materia concretus* videretur.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

V.

Etiã barbari Reges ieiunij vires non ignorarunt.

Hanc ieiunij vim ne ipse quidem Rex Ethnicus Darius ignorauit. Nam, cùm non auderet solo imperio Danielem à leonibus liberare; veritus Procerum rebellionem, nisi eum leonibus traderet: liberare voluit ieiunio. Misso enim Daniele in lacum leonum, *Abiit Rex in domum suam, & dormiuit incœnatus; cibique non sunt allati coram eo.* Daniel. 6. num. 18. Quorsum enim tam seuerum sibi ieiunium indixit; nisi vt ieiunando, Danielem, quem amabat, & innocentem agnoscebat, à leonum morsibus vendicaret? Ita sentit Diuus Hieronymus ad eum locum; indéque egregiè argumentatus, *Si Rex*, inquit, *nesciens Deum, hoc facit pro altero, quem vult de discrimine liberari: quantò magis nos pro peccatis propriis, inedia & vigiliis debemus Deum ad clementiam flectere?*

D.Hieron.

Neque solùm firmata ieiunio corpora leonibus resistunt, ne ab illis lacerentur: sed etiam ipsos inuadunt leones, strangulant & discerpunt. Patet in Samsone, qui dum Nazaræorum temperantiam & ieiunia coluit, *Dilacerauit leonem, quasi hædum in frusta discerperet.* Iud. 14. num. 6. Sed, cùm ab hac temperantia in profanas delicias immersus degenerauit; terribilis esse desiit leonibus, & cœpit fieri etiam pueris contemptibilis. Iud. 16. à n. 21.

Samson ieiunus leones lacerabat: saturpueris etiã contemptibilis.

D.Basil.

Quod expendens D. Basil. Orat. 5. De ieiunio, *Samson*, inquit, *quando inedia corpus macerabat, millenos sternebat hostes, portas ciuitatum effringebat; leones denique ipsi robur manuum ipsius ferre non poterant. At, cum se ebrietati amorique meretricio dedisset; robur omne penitùs amiserat, oculisque captus ludibrio erat pueris.*

D. Hier.

Quare concludit D. Hieronym. lib. 2. aduersùs Iouin. citato: *Quàm pulchra res, quæ placat Deum, leones mitigat, Dæmones terret?*

VI.

Ieiuni & flãmas superant & vndas.

Tertiò. Parum esset, feras, quæ aliquando exuunt feritatem, & cicurantur, à ieiunantibus edomari. Altior euadit ieiunij potestas: nam etiam in alias creaturas sensus expertes, & proinde totius disciplinæ incapaces, miram exercent, qui ieiunant, potestatem: Noë in arca, & Lot in Sodomis, parcissimo ac temperatissimo cibo victitasse, non immeritò credit D. Ambrosius lib. De Helia & ieiunio, cap. 5.

D. Ambr.

Quid inde factum, nisi vt alter vndas, alter flammas, ieiunando, superaret? *Vicit igitur*, inquit Ambrosius, *sanctum Noe, vel etiam Lot, Abrahæ nepotem ebrietas; quorum alter cùm ieiunaret, diluuio superstes fuit, alter incendio.* Inter flammas Babylonicæ fornacis, tres pueri versabantur illæsi. Dan. 3. à n. 24.

D.Ambr.

Immò, vt addit D. Ambros. citatus cap. 7. *Vapore ignis non ad dispendium sui, sed ad gratiam mutabantur.*

Ignis Martyribus ad gratiam cèduit. D.Ambr.

Quæ vis, obsecro, illas flammas rerum aliarum victrices superauit? Planè ieiuniom, qoo pueri in adamantis naturam obdurati, nullum ab incendio detrimentum susceperunt: *Ita vt*, inquit D. Ambr. citatus, *eorum nullus capillus capitis exureretur: quia illa quoque ieiunia comam pauerant.*

D. Basil.

Vnde D. Basil. homil. De ieiunio, comparat hos pueros cum lapide, *amianto*, qui ab igne non læditur, sed purior redditur & candidior. Tales & hi pueri, *tantum incendium cum ieiunio ingressi conculcarunt, liquidum ac roscidum aërem in igne tam vehementi respirantes. Neque enim ignis, vel pilos eorum ausus est attingere, eò quòd ieiunio essent aliti.* Abstinebat enim incendium ab iis, quos ieiunium nutriebat.

Ab iis qui à cibo abstinēt, abstinet incendium.

VII.

Helias curru igneo vectus ob ieiunium.

Curru igneo Helias in Paradisum raptus est, nec minima tàmen ex parte violatus. 4. Reg. 2. numer. 1. Vbi Diuus Ambros. lib. citato, cap. 3. *Quis*, inquit, *humana virtute equos igneos, currus igneos potuisset ascendere, regere currus aëreos,*

nisi, qui naturam humani corporis, incorruptibilis ieiunij virtute mutasset? Quòd si Helias tantùm in cælestem ignem, ieiunando, valebat; vt eum modò non sentiret, vt proximè diximus; modò e cælo in terras deuocaret, siue ad suum sacrificium absumendum, 3.Reg.18. num. 38. siue ad improbum Principem quinquagenarium deuorandum, 4. Reg. 1. n. 10. Si, inquam, Helias tantùm poterat in cælestem ignem, quid non posset in gehennalem? Sic enim D. Chrysost. serm. 3. De Helia, rectè argumentatur, dicens: *Quantum iste ergo gehennæ ignibus illusisset; qui sic cælestia assueuerat temperare?* Nec mirum tantùm Heliæ in elementum licuisse, qui etiam cælo dominabatur: *Viuit*, inquit, *Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto; si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* 3.Reg.17. num.1. Clauis cæli constituitur lingua Prophetæ, quia ieiuna erat: vt notat D. Ambros. citatus cap.2. *Helia*, inquit, *ieiuno ore vox emissa cælum clausit sacrilego populo Iudæorum.* Et similiter loquitur D. Basil. citatus: quasi vel ipsum cælum ieiunanti linguæ obtemperaret. Iam verò illa clarissima cæli lumina, Sol, & Luna, Iosuë non tam imperanti, quàm ieiunanti paruerunt, Iosuë 10. num. 13. vt superiori Sect. ex Tertul. aduersùs Psychicos, cap.10. diximus. Vbi addit: *Stetit Sol in Gabaon, & Luna in Aialon, vt exandiret Deus hominem parem Solis.* Parem Soli in incorruptibilitate appellauit: quia non minùs quàm Sol, ipse ieiunabat; &, ieiunando, vniuerso Orbi præfulgebat.

D. Ambr.

D. Chrys. *Ieiunium etiã gehennali igni dominatur.*

Cæli clauis ieiunium est, quod ieiunus moderatur.

D. Ambr.

D. Basil.

Tertul.

Ieiunus Soli par est.

VIII. Vltimò. A morbis ac morte suos ieiunium liberat cultores. D. Ambr. lib. De Helia, cap.8. *Ieiunium*, inquit, *est infirmitatis allenamentum, alimentum salutis.* D. Basil. hom. 1. de laudibus ieiunij appellat ieiunium *sanitatis matrem.* Et paulò pòst: *Non solùm*, inquit, *ad venturi seculi fugienda mala, & assequenda bona vtile est ieiunium; sed hic interim ipsi carni conducibilius.* Et confirmat exemplo nauis, quam nimio grauatam onere placidior fluctus haurit, & lenior flatus mergit, & latentior scopulus infringit: cùm tamen æquo librata pondere, sine periculo decurrat. Sic epulis prægrauatos, morbis faciliùs obrui: tenui contentos victu, incolumitate perfrui. Illostrat ex sacris Literis. Nam Israëlitæ simplici ac moderato cibo de cælo pasti, *Iter*, inquit, *faciebant; neque vllus eorum in castris, aliqua inualetudine conflictabatur.* Psal. 104. num. 37. *Cùm verò in mentem illis venisset carnium, ac voluptatum Ægyptiarum desiderium eos cepisset; terram, quæ illis promissa erat, non conspexerunt:* scilicet, repentino interitu præoccupati. Psal. 77. à num. 30.

D. Ambr. *Ieiuniũ, salutis alemẽtum.*

D. Basil.

Saturi faciliùs morbos incurrunt.

Probatur ex sacris Literis.

IX. Diuus Chrysost. Orat. De ingluuie & ebrietate, in 5. tom. *Moderatè*, inquit, *edentium corpora, robusta sunt, sensusque expedite munus suum explent: illorum verò, qui gula & luxuria student, flaccida, & quauis cera molliora, & morborum examinibus obsessa.* Et rursus homil. 1. De pœnitentia, post multa in hanc rem, vtitur testimonio Medicorum: *Qui*, inquit, *mille morborum torrentes à delicatis cibis, crapulâque prouenire dicunt; quasi à pessimo quodam fonte, paruos riuos, bonam corporis habitudinem, & animæ sanum intellectum, non tamen delentes, quàm depopulantes.* Vnde è contrario fit, vt à ieiunio ac temperantia ciborum, optima corporis constitutio ac sanitas oriatur. Idem præterea serm. 1. de ieiunio, *Ab vno*, inquit, *ligno si abstinuisset Adam, si ab vno ieiunasset, mortua fuisset mors: immò non fuisset mortua, quæ non erat. Si hoc pharmaco vsus fuisset Adam, non fuisset mortale nostrum genus.* Itaque sicut mors & morbus à cibo: ita vita & sanitas à ieiunio procedit. Omnes Magos & ariolos & sapientes Babylonis ad capitale supplicium efferri Nabuchodonosor imperabat: vnum Danielem, eiúsque socios non modò vita, sed honoribus augebat, Dan. 2. n. 12. scilicet, illorum conuiuia mortem, horum ieiunia vitam merebantur. Vnde D. Hier. lib. 2. contra Iouin. *Periclitantur*, inquit, *in Babylone Magi; omnis coniector & ariolus & aruspex cæditur. Daniel & tres pueri reuelationem merentur ieiunio: & pasti leguminibus pulchriores sunt, & prudentiores his, qui de mensa Regis carnibus vescebantur.*

D. Chrys.

Vbi saturitas, ibi morborũ examina.

Mortalitas à saturitate orta.

In ieiunio vita, in conuiuiis mors.

D. Hier.

X. Ionatham Saülis filium leuis quædam in cibo intemperantia morti temporariæ addixit. 1. Reg. 14. n. 44. Quo ex loco D. Ambr. ser. 25. De Quadragesima, rectè argumentatus, *Si ignorans*, inquit, *Ionathas indictum a patre ieiunium, quia resoluerit, morti addicitur: qui sciens indictum à Christo resoluit ieiunium, quid meretur?* At verò diuitem epulonem splendida conuiuia æternam in mortem coniecerunt: epulabatur enim quotidie splendidè: & sepultus est in inferno. Luc. 16. num. 19. & 22. Ex quo etiam loco desumens argumentum Diuus Basilius, vbi suprà, *Terreat*, inquit, *te diuitis exemplum. Non enim ob crimen iniustitiæ, sed ob vitæ mollitiem exustus est in camino ardente.* Vt igitur cibi intemperantia Ionatham in temporariam mortem; diuitem epulonem in æternam præcipites dedit: ita planè cibi abstinentia alios à temporaria morte, alios ab æterna liberauit; vt ex dictis patet. Magna igitur est ieiunij potestas, quæ tam multis è periculis, externis & internis, temporariis & æternis, homines tutos reddit & immunes. Sed de toto hoc argumento multa in 1. Tom. dicta sunt, & plura, cùm occasio tulerit, dicentur. Nunc iterum ad historiam.

Morte dignus, qui ieiunium frangit.

D. Ambr.

D. Basil. *Epulones morte damnantur æterna.*

Num VII. Et audierunt Philisthiim, quòd congregati essent filij Israël in Masphath: & ascenderunt Satrapæ Philisthinorum ad Israël. Quod cùm audissent filij Israël, timuerunt à facie Philisthinorum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. ET *audierunt*, &c. Dubitari potest, quando Philisthini hoc audierint; vtrúmne, antequàm congregarentur; an postquàm congregati sunt? Illud prius tenet Abulensis: tum, quia Samuel aliquos dies antè prædixerat Israëlitis, fore vt congregarentur in Masphath; quo tempore huius consilij fama perlabi potuit ad Philisthinos: tum, quia, cùm vno tantùm die congregati fuerint in Masphath; non potuerunt Philisthini tam exiguo spatio, & audire, & ascendere, & bellare contra Hebræos. Nihilominùs hoc posterius videtur Literæ congruentius: quia audierunt, quòd congregati essent; non verò, quòd congregandi. Hanc posteriorem expositionem si quis magis probet; vel dicet contra Abulensem, Hebræos in Masphath plures dies, quàm vnum commoratos, quod non videtur Literæ repugnare: vel, vna tantùm si die morati sunt, illa omnia propter locorum vicinitatem, & celeritatem rumorum, & expeditam Philisthinorum accurrentium alacritatem, vna tantùm die contingere potuisse.

Antequàm congregarentur, audisse sentit Abulensis.

Abul.

Oppositum probabilius.

II. Et confirmari potest ex simili euentu apud Danielem. Nam, cùm Balthasar nocturnum conuiuium lautissimè instruxisset; nocturnum, inquam, vt ex eo patet, quia fiebat ad candelabrum, cuius

Confirmatur simili euentu superior sententia.

cuius mentio fit, Daniel. 5. num. 5. cùm, inquam nocturnum conuiuium celebrasset; additur in Litera: *Eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæus. Et Darius Medus successit in Regnum.* Ibidem, num. 30. & 31. Vnde mirandum quidem est, tantam rerum mutationem tam exiguo tempore fieri potuisse: sed factam non dubitandu[illegible]n in historia apertissimè exprimatur. Sicut [illegible]tur tunc Chaldæis nihil tale cogitantibus, & vino somnoque indulgentibus, Persæ improuisi adfuerunt, & interfecto Rege, vrbem occuparunt; siue ad tantam celeritatem diuinitùs

D. Thom.

adiuti, vt D. Thom. lib. 3. De regimine Principum, cap. 7. significat; siue ex insidiis propè vrbem dispositis subitò erumpentes, vt verè pro-

Per.

pius esse Pererius noster ex Xenophonte & Herodoto existimat: ita nunc Israelitis Deo per sacrificia propitiando intentis, nec vllo hostium metu perturbatis, Philisthæi repentini irruerunt; fortè ex occultis latebris, in quibus insidiosi delitescebant, improuisò emicantes; vbi primùm congregatos esse per occultos exploratores cognouerunt. Quamuis & tertia exposi-

Additur tertia loco expositio:

tio addi possit: Hebræos non vno omnes die, sed alios quidem citiùs, alios autem seriùs conuenisse in Masphath: præsertim, cùm Septuaginta exprimant, omnes filios Israël congregatos fuisse: tanta verò multitudo vno tantùm die cogi potuisse non videatur: atque adeò interim dum quidam congregati iam erant, & alij congregandi; famam ad Philisthinos perlatam esse, quæ illos ad C prælium exciuit.

III.

Et ascenderunt, &c. Non quidam eorum tantùm, sed omnes Satrapæ, seu, vt vertit Chaldæus, Tyranni Philisthinorum, qui erant quinque iuxta totidem Palæsthinæ Satrapias, mihi viden-

Omnes Satrapas ascendisse probatur, ad bellū inferendum.

tur ascendisse: vt qui superiori capite, num. 16. mirabilem Dei prouidentiam circa Arcam viderant, nec crediderant, modò contra populum illius Arcæ cultorem insurgentes pro meritis punirentur. Adde hos Satrapas non solitarios;

Ioseph. Carth. Abul.

sed cum valido exercitu ascendisse: vt Iosephus, Carthusianus & Abulens. adnotarunt, & ex sequenti prælio innotescit. Neque enim ad inquirendum, sed etiam ad præliandum ascendebant. Illud enim, *Ad Israël*, est, *contra Israël*: nam D præpositio אל *El*, quæ in fonte ponitur, non solùm significat, *Ad*, sed etiam, *contra*: vt ex 2. Reg. 5. num. 19. & aliis passim locis palàm est.

Mag. hist.

Vnde Magister historiæ addit, Philisthinos audientes populum esse inermem, aduersùs eum armatos ascendisse. Neque solùm domesticas opes ac vires; sed etiam externas Philisthini ad hoc prælium collegerunt, nempe, vicinos *Principes Tyriorum*: qui quidem huic prælio interfuisse, Ecclesiastici 46. numer. 22. referuntur; ita Deo permittente, vt illustrior esset de hostibus victoria, & clarius Dei erga Israelitas patrocinium.

IV.

Lyranus. Abul.

Ad inobedientiam legis vlciscendam ascendisse, credunt aliqui.

Sed quare Philisthini tam subiti ad arma conuolarunt? Lyra & Abulensis existimant, quia E Philisthini Hebræis à se victis, legem imposuerant, ne quando populum congregarent: vt sic eos distraherent, & à se mutuò diuellerent; distractisque atque diuulsis, omnem de rebellionibus machinandis occasionem auferrent: quam legem cùm modò violatam audirent, stimulatos ad eam inobedientiam vlciscendam processisse. Nihilominùs huius legis nulla hoc loco

Opposita sententia verior.

mentio reperitur. Immò intra illos viginti annos, qui iam ab Arcæ restitutione excurrerant, sæpiùs fuerant Israelitæ congregati; partim ad

A transferendam Arcam ex Bethsames in Cariathiarim, vt patet ex Num. 1. partim ad audiendas Samuelis conciones, quæ ab initio frequentes ad vniuersam domum Israelis habebantur, vt patet ex Num. 3. quin tamen Philisthim ad eas congregationes impediendas ac disturbandas prouolarint. Aliter igitur respondent Dionysius

Dionys. Caiet. *Ponitur alterū responsum.*

& Caietanus, nimirum, Philisthæos aliquam Hebræorum rebellionem suspicatos. Quæ suspicio tunc potiùs, quàm anteà incidit: quia hæc Hebræorum congregatio erat cæteris numerosior; vt enim ex Septuaginta retulimus, conuenerant omnes filij Israel: & quia iam Hebræi amissas vires satis collegerant & instaurauerant: vnde quos anteà, vt victos ac miseros contemne- B bant, modò iam, vt validiores ac potentiores formidabant.

V.

Quare Diabolus bonis operibus aduersatur.

Hæc Philisthæi ex proprio sensu moliebantur. Sed non dubito in eam quoque mentem à Diabolo impulsos, qui illum Hebræorum conuentum maximè oderat, ac disturbare cupiebat: tum, quia in eo plangebantur præterita peccata, & pristina cum Deo fœdera renouabantur: tum, quia metuebat, ne ibi libertas Hebræorum de Philisthinorum potestate à Deo impetraretur; qua parta Israëlitæ à Philisthinorum vsu & consuetudine longiùs semoti, puriorem & synceriorem fidem colerent, nullo infidelium commercio corruptam ac vitiatam: tum, quia sentiebat, Hebræis libertate donatis, & Philisthinis à suo in Hebræos imperio depulsis, minora sibi fore præsidia ad hos in superbiam erigendos, & ad illos pro sua libidine vexandos; & proinde verebatur, ne quod de vtrisque emolumentum sperabat, sibi è manibus elaberetur. Idcircò Philisthinos in Hebræos acriter concitabat.

VI.

Sulp. *Peccatū terrore plenum.*

Quod cùm audissent, &c. Tria fortasse Israëlitas terruerunt. Vnum, proprij conscientia peccati. Ita sentit Sulpitius lib. 1. sacræ historiæ. Nec immeritò. Nam peccatum adeò est timore plenum, vt etiam pœnitentes turbare soleat, ac terrere. Et si iam non sollicitet pro culpa, quam de misericordia diuina sperare quis valeat expiatam: sollicitare tamen possit pro pœna, dum ignorat, in præsentine seculo, an in futuro maneat subeunda? Alterum, inæqualis vtriusque

Causa terroris varia assignantur. Ioseph. Mag. histor. Abul. Naucl.

exercitus conditio. Nam Hebræi erant inermes, cùm ad sacrificandum & orandum venerint: Philisthini tamen armati, cùm venerint ad præliandum. Ita sentit Iosephus, quem Magister historiæ, Abulensis, Nauclerus, & alij sequuntur. Tertium, repentinus hostium aduentus. Nam vix eorum famam audierant, cùm statim faciem viderunt: quod mihi videtur Litera indicasse: *Cùm audissent*, inquit, *filij Israël, timuerunt à facie Philisthinorum.* Quasi eodem tempore, & audiretur fama, & præsentia cerneretur. Tropologica huius loci interpretatio mihi videtur ad mores

Qui Deo se credunt, grauiùs affligūtur.

valdè accommodata. Nam, quemadmodum Hebræi, cùm suis peccatis renuntiarunt, & pœni- E tentiam egerunt; grauiùs à Philisthinis oppugnati sunt: ita qui ad meliorem frugem redire volunt, acriùs à Diabolo tentantur, & maiores ab hominibus persequutiones patiuntur: vt

D. Greg. Beda. Carthus.

Diuus Greg. Beda, Carthusianus & alij interpretantur, sequenti Annot. referendi; vbi totum hoc argumentum vberiùs illustrabo.

* * *

A *Num. VIII.* Dixeruntque ad Samuelem: Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum; vt saluet nos de manu Philisthinorum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. **N**E cesses pro nobis*,&c. Impares se Hebræi propulsandis Philisthinis crediderunt, si humanæ vires spectarentur: quia Philisthini armati promptique ad bellandum concurrebant; ipsi verò Hebræi sine armis, nihil minùs, quàm bella cogitabant. Quare ad diuina præsidia confugerunt, nimirum, ad preces Samuelis, quas continuas & feruentes postulauerunt. B Continuas quidem, dum aiunt: *Ne cesses*; seu, vt est in Hebræo: *Ne taceas*, hoc est, orationem ne intermittas, ne interrumpas. *Multùm enim valet deprecatio iusti assidua.* Iacob. 5. num. 16. Feruentes verò, dum addunt: *Pro nobis clamare.* Quod non tam de clamore oris, quàm de clamore, hoc est, de feruore cordis intelligebant; hæc enim oratio frequentiùs auditur; iuxta illud: *Ad te clamauerunt, & salui facti sunt.* Psal. 21. num. 6.

Oratio debet esse feruens, & assidua.

II. At, cur non ipsi statim ad Deum confugiunt oraturi; sed potiùs Samuelem, vt Deum oret, deprecantur? Respondeo primò: quia, qui impetrare aliquid à Deo volunt, non sua tantùm auctoritate nituntur; sed quàm multos possunt, ad Deum submittunt precatores. C Vnde Pharao ad Moysem & Aaronem, *Orate*, inquit, *Dominum, vt auferat ranas à me & populo meo.* Exod. 8. Hebræi ad Ieremiam, *Cadat*, inquiunt, *oratio nostra in conspectu tuo, & ora pro nobis ad Dominum Deum tuum.* Ierem. 42. num. 2. Iidem in Babylone captiui ad alios Ierosolymis commorantes, *Pro nobis*, inquiunt, *ipsi orate ad Dominum Deum nostrum; quia peccauimus Domino Deo nostro, & non est auersus furor eius à nobis vsque in diem hanc.* Baruch 1. n. 13. D. Paulus, quamuis ad exorandum Deum efficacissimus: tamen aliorum preces fidelium requirebat: *De cætero*, inquit, *fratres, orate pro nobis, vt sermo Dei currat & clarificetur, sicut & apud vos.* 2. Thess. 3. n. 1. Denique Christus Dominus discipulos suos, si non ad orandum pro se (neque enim D Filius apud Patrem seruorum precibus indigebat) saltem ad orandum secum inuitauit: *Sustinete hic, & vigilate mecum.* Matt. 26. num. 38. Sic igitur Hebræi Samuelem sollicitabant, vt Deum sibi propitium ac beneuolum exoraret.

Multi deprecatores faciliùs exaudiuntur.

Ad orationē multos congregari, patet variis Scriptura locis.

III. Secundò: quia ipsi adhuc de suorum scelerum conscientia erubescentes, ad Deum beneficia petituri accedere non audebāt: quemadmodum Publicanus suorum scelerum pudore suffusus, *A longè stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare.* Luc. 18. n. 13. Sic & ante illum Esdras Deum precatus: *Deus meus*, inquit, *confundor & erubesco leuare faciem meam ad te; quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt*, &c. 1. Esdr. 9. num. 6. Quare innocentes ad deprecandum pro nocentibus plerunque E interponuntur. Sic olim fœmina Thecuitis pro Absalone Dauidem exorauit. 2. Reg. 14. à n. 2. Sic Bethsabee eundem Regem pro Salomone, 3. Reg. 1. à n. 17. Sic Esther Assuerum pro Mardochæo, Esth. 7. n. 3. Et sic alij pro aliis: qui, scilicet, deprecari pro se ipsis non audebant; veriti, ne excludi potiùs, quàm audiri mererentur.

Peccatores à Deo verentur excludi.

IV. Tertiò: quia tantùm Samuelis sanctitati deferebant, vt vnam illius orationem plùs apud Deū, quàm aliorum omnium preces, valituram arbitrarentur. Quasi dicerent, inquit Carthusianus: A *De propriis meritis non præsumimus, nec de viribus nostris confidimus: sed te esse Dei amicum cognoscimus.* Itaque ad vnum Samuelem confugiebant: quia illum vnum se ipsis digniorem esse ad exorandum Deum iudicabant: præsertim cùm ad Samuelis sanctitatem dignitas Prophetæ, & potestas Iudicis accederet. Prophetæ autem est, Deum inuocare; iuxta illud: *Et Samuel [illegible]s, qui inuocant nomen eius.* Psal. 98. num. 6. Iudicis verò, seu Principis, Deum pro suo populo multis precibus adire. Quo pacto Moyses in montem ascendebat, vt Deum pro populo precaretur. Exod. 32. à num. 30. Atque adeò ex triplici capite; primo, sanctitatis; secundo, dignitatis propheticæ, tertio, potestatis iudiciariæ; ad Samue- B lem pertinebat, Deum pro suis subditis tanto in periculo constitutis deprecari. Ad hæc, volebat populus, vt labores æqua proportione inter se diuiderentur: & Samuel quidem orando; populus autem pugnando, de hostibus triumpharent: quemadmodum & quondam Amalecitæ, pugnante quidem populo, sed Moyse Deum deprecante, victi ceciderunt. Exod. 17. à num. 9. Cæterùm Samuelis charitas & efficacitas ad orandum pro populo, satis apertè ex statim dicendis colligetur. Sed tamen multò illustrior patebit ex cap. 12. numer. 23. vbi eam vberiùs illustrabo.

Vnius iusti oratio multorū instar est. Carth.

Ex triplici capite Samuelem orare oportebat.

C *Num. IX.* Tulit autem Samuel agnum lactentem vnum, & obtulit illum holocaustum integrum Domino: & clamauit Samuel ad Dominum pro Israël, & exaudiuit eum Dominus.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. **T**Vlit autem Samuel*, &c. Plùs facit Samuel, quàm Hebræi postulauerant. Nam hi solùm monuerant, vt oraret; ille verò insuper & sacrificauit: diuinam beneficentiam imitatus, quæ plùs facit, quàm postuletur. Vnde D. Greg. hoc loco: *Pastores*, inquit, *boni non solùm orationum* D *præsidia conferunt; sed etiam sacrificiorum.* Quo pacto Iobus pro filiis suis non solùm preces effundebat: sed etiam *consurgens diluculò offerebat holocausta pro singulis.* Iob. 1. num. 5. vt nihil de paterna erga filios prouidentia & beneuolentia præteriret.

Boni Pastores plùs faciunt, quàm ab eis postuletur. D. Greg.

II. Quod igitur attinet ad sacrificium, plures leges diuinas videtur hoc loco Samuel violasse. Vnam, quia sacrificauit, cùm non esset Sacerdos, ad quem solum sacrificare pertinebat; iuxta illud: *Aaron & filios eius constitues super cultum Sacerdotis: externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur.* Num. 3. n. 10. Et illud ad Aaronem: *Tu autem, & filij tui, custodite sacerdotium vestrum. Si quis externus accesserit, occidetur.* Num. 18. num. 7. Alte- E ram, quia sacrificauit extra locum à Deo constitutum, quod minimè licebat; iuxta illud: *Qui obtulerit victimam, & ad ostium tabernaculi testimonij non adduxerit eam, vt offeratur Domino, interibit de populo suo.* Leuit. 17. num. 9. Et illud de loco sacrificiis destinato: *Offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras.* Deut. 12. num. 6. Tertiam, quia sacrificauit agnum lactentem: quod tamen Deus videtur prohibuisse, dicens: *Non coques hædum in lacte matris suæ.* Exod. 23. n. 19. & Deut. 14. num. 21. hoc est, hædum adhuc lactentem: & eadem videtur ratio de agno.

Multas leges Samuel hoc loco violasse probatur.

Nihilo

III.

Nullā tamen violaſſe dicēdum eſt, & patet.

Varia Samuelis excuſationes proponuntur.

Nihilominùs dicendum eſt, Samuelem, nullam ex prædictis legibus violaſſe: vt ex effectu colligitur. Nam per hoc ſacrificium miſericordiam a Deo imperrauit: qui verò male offert, Deum non placat, ſed peccat. Vnde neque a ſacris Literis, neque a ſanctis Patribus, hoc ſacrificium reprehenditur; ſed potiùs laudatur. Quomodo verò Samuel excuſetur, difficultas eſt. A prima quidem lege alij aliter eum excuſant. Nam quidam dicunt, eum fuiſſe Sacerdotem, atque adeò alienum munus non vſurpaſſe. Sed hoc planè falſum eſt: quia Samuel nō erat de filiis Aaron, qui ſoli coram Deo ſacerdotio fungebantur: vt in primo Tom. Annotat. 17. ſatis iam oſtendimus. Dicunt alij ſecundò, Samuelem, neque fuiſſe Sacerdotem, neque per ſe ipſum ſacrificaſſe; ſed per aliquem Sacerdotem. Quo pacto Dauid, Salomon & cæteri omnes, qui victimas Deo offerendas Sacerdotibus tradiderunt, dicuntur ſacrificaſſe: quamuis ſe ipſi non ingererent in munus ſacerdotale. Ita Rabbi Leui & Vatablus docuerunt.

Rab.

IV.

Stultos eſſe, qui Samuelē non fuiſſe Sacerdotem, ſacrificaſſe aſſerunt.

Et latiùs confirmat Auctor quæſtionum ex veteri Teſtamento, quæſtione 46. qui ſub nomine Diui Auguſtini in quarto eius operum tomo circumfertur: vbi ſtultitiæ damnat eos, qui negantes, Samuelem fuiſſe Sacerdotem, aſſerunt ſacrificaſſe: *Non enim*, inquit, *intelligunt: quia, ſi natus Sacerdos non eſt Samuel, & ſacerdotium egit, præſumptor dicitur: quia hoc Deus ſtatuit, vt naſcerentur, non fierent Sacerdotes: & de Samuele hoc ſentire, puto tutum non eſſe. Quomodo enim poſſet fieri, vt vir laudabilis, & Dei teſtimonio commendatus hoc ageret, quod inconceſſum ſcribat?* Et confirmat vlteriùs: quia vel Samuel hoc officium ſibi indebitum vſurpauit; vel poſtulauit à Deo facultatem illud exercendi. Non primum: quia daret eaſdem pœnas, quas Chore & Ozias, ſacerdotium ſibi vſurpantes, dederunt; quorum ille terræ hiatu vſque ad inferos hauſtus eſt, Numer. 16. à num. 31. hic autem, ſubita lepra in fronte percuſſus, vſque ad diem mortis ſuæ leproſus perſeuerauit, 2. Paralipom. 26. à num. 19. Non ſecundum: quia incurreret eandem ſtultitiam, quam Propheta Balaam dicitur incurriſſe. Nam, ſicut hic poſtulans à Deo facultatem eundi, quò Deus nolebat; ſtultior extitit, quàm aſina, quæ ire noluit, vnde ab Angelo exterrebatur, Numer. 22. à num. 19. ita & Samuel poſtulans facultatem exercendi munus ſacerdotale, quod prohibitum à Deo fuiſſe non ignorabat; par in ſtultitia Balaamo videretur. Sentit igitur hic Auctor, Samuelem non per ſe ipſum, ſed per Sacerdotem ſacrificaſſe. Nec obſtare, quòd ipſemet Samuel dicatur, agnum obtuliſſe: *Ipſe enim*, inquit, *ſemper offerre dicitur, cuius oblationes ſunt, quas ſuper altare imponit Sacerdos.*

Confirmatur ratione & variis Scripturæ locis.

Superior ſententia probabilis, oppoſita tamen communior.

Hæc interpretatio per ſe probabilis eſt: accedente autem huius Auctoris teſtimonio, probabilior. Nihilominùs communior Interpretum ſenſus eſt, Samuelem per ſe ipſum ſacrificaſſe: quod ex hoc loco, & ex cap. 16. num. 5. deducunt. Vbi, cùm nulla fiat mentio Sacerdotum, & aliæ in Litera circunſtantiæ ſuadeant, Samueli, non vt imperanti, ſed vt exequenti ſacrificium tribuendum; non videtur denegandum, ipſum per ſe ſacrificaſſe.

V.

Abul. Caiet. Dionyſ. Serar. Genebr.

Quare tertiò dicunt alij, Samuelem, licèt non fuerit in Sacerdos, nec proinde ſecundùm legem ſacrificare potuerit; tamen ex priuilegio & diſpenſatione diuina ſacrificaſſe. Ita Abolenſis, Caietanus, Dionyſius, Serarius hoc loco, & Genebrard. in Pſalm. 98. num. 7. Et confirmari poteſt exemplo Gedeonis, Iud. 6. num. 19. Et Manuë, A Iud. 13. num. 19. Et Heliæ, 3. Regum 18. à num. 32. qui, cum Sacerdotes non eſſent: nihilominùs ſacrificarunt: Deo vtique diſpenſante; cùm eorum ſacrificia in Scriptura non reprehendantur, ſed potius laudentur. Idem ſuaderi poteſt ex ſacrificio Agni paſchalis, qui etiam à laïcis ſacrificari conſueuit; iuxta illud: *Immolabitque eum vniuerſa multitudo filiorum Iſraël.* Exod. 12. num. 6. Vbi non Sacerdos, ſed populus dicitur ſacrificaturus. Et quamuis Litera non conuincat; facile enim explicari poteſt de immolatione mediata interuentu Sacerdotum; vt paulò ſuperiùs in ſimilibus euentibus aduerti: tamen & auctoritas, & ratio perſuadent.

Suadetur variis exemplis.

VI.

Philo.

Firmatur aliquorū authoritate.

Auctoritas quidem Philonis libr. 3. De vita B Moyſis, poſt medium; vbi loquutus de Agno paſchali, *Non vt aliàs*, inquit, *plebeij homines victimas adducunt ad altare mactandas à Sacerdotibus: ſed iubente lege, tota gens ſacrificat, dum pro ſe quiſque mactat hoſtiam ſuis manibus: tunc vniuerſo populo concelebrante lætas epulas; dum quiſque ſe gerit pro Sacerdote.* Et in lib. De Decalogo, ad finem, loquutus de feſto paſchali, *Quando*, inquit, *populariter ſinguli ſacrificant, non expectatis Sacerdotibus, ipſi permiſſu legis, fungentes ſacerdotio.* Hoc etiam expreſſit Diuus Iſidorus Peluſiota lib. 3. epiſtolarum, epiſt. 75. *In veteri*, inquit, *Teſtamento, ſacerdotij munere fungi, exceptis Sacerdotibus nemini licebat: Paſcha tamen tempore omnes ſacerdotij honore afficiebantur: vnuſquiſque enim pecudem immolabat.* C Quamuis Bachiarius in epiſtola ad Ianuarium, non multò poſt initium, loquutus de Aarone, *Scimus*, inquit, *quod ſine Sacerdote Paſcha celebrari non poterat.* Verùm hoc inde refellitur, quòd Hebræi in Ægypto primum Paſcha celebrarunt, Exod. 12. à num. 21. abſque Sacerdotibus, qui poſtea creati ſunt. Leuit. 8. à num. 2. non igitur ad Paſcha celebrandum Sacerdos requirebatur. Quod recentiores etiam Interpretes aduertunt. Ratio verò: quia, cùm hoc ſacrificium fieri conſueuerit *per familias & domos*. Exod. 12. numer. 3. fieri moraliter non poterat, vt in ſingulis domibus ſinguli Sacerdotes reperirentur, qui agnum ſacrificarent: ad laïcos igitur, & præcipuè ad patremfamilias hæc immolatio pertinebat: vt Bellarm. lib. 1. De D Miſſa, cap. 7. & alij teſtantur. Quia, ſicut in loco huius ſacrificij diſpenſabatur: non enim erat templum, in quo fieri ſacrificia lex præcipiebat; ſed quælibet priuata domus: ita & diſpenſari potuit in ſacrificante, vt & laïcus eſſe poſſet. Eodem igitur modo diſpenſari potuit cum Samuele, vt quamuis purus Leuita, Sacerdotis tamen officio fungeretur.

D. Iſid.

Bachiar.

Bachiarij placitum refellitur.

Probatur ratione.

Bellarm.

VII.

Carth.

Diſpenſationis cauſam refert ex aliis Carth.

Cauſa verò huius diſpenſationis, iuxta aliquos, quos refert Carth. eſt: *Quoniam*, inquit, *Icaboth filius Phinees, filij Heli, adhuc paruulus erat.* Et proinde neceſſe fuit, vt eius defectus per Samuelem suppleretur. Vbi in primis aduerte, pro *Icaboth*, dicendum fuiſſe, *Achitob*, eius fratrem ſeniorem. E Nam Icaboth iam anteà vix natus ſtatim obierat: vt cap. 4. num. 20. oſtēdimus. Achitob verò auo ſuo Heli in ſummum ſacerdotiū ſucceſſit: vt c. 2. n. 32. iam diximus. Licèt enim Achitob nuſquàm dicatur in Scriptura ſummus Sacerdos; tamen ſatis colligitur fuiſſe: tum, quia erat filius maior natu Phinees, futuri ſummi Sacerdotis, niſi ante patrem ſuum Heli in prælio moreretur. 1. Reg. 14. n. 3. tum, quia erat pater Achimelech, ſummi Sacerdotis. 1. Reg. 22. n. 9. Filius autem ſenior vnius Sacerdotis, & pater alterius ſatis apertè colligitur, fuiſſe ſummus Sacerdos. Deinde aduerte,

Nunc eandē non fuisse sufficientem demonstratur.

A hanc causam dispensationis non fuisse sufficientem: tum, quia Achitob iam non erat paruulus, sed minimum duos & viginti circiter annos natus, quia erat vno saltem anno senior fratre suo Icaboth, qui iam vnum & vigesimum annum inchoaret, si superesset; nam ab illius ortu septimestris Arcæ captiuitas iam excurrerat, supra Cap. 6. Num. 1. & à libertate Arcæ, iam vigesimus annus agebatur, suprà, in hoc capite, Num. 2. vnde iam idoneus videbatur Achitob sacrificio peragendo: tum, quia, licet paruulus esset; non propterea Samuel, qui non erat Sacerdos, eius defectum suppleret; sed aliquis inferiorum Sacerdotum, ex familia Aaronica, qui ibi non deerant, neque iuxta ordinem diuinæ prouidentiæ deesse poterant; vt notat citatus Auctor Quæstionum ex veteri Testamento. Et ex eo patet: quia viri Bethsamitæ obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas, supra c. 6. n. 15. vtique per Sacerdotes, vt ibi diximus. Potior igitur ratio dispensandi mihi videtur sanctitas & dignitas Samuelis: erat enim sanctissimus Propheta, cui proinde illa dispensatio maximè illo tempore congruebat. Atque hæc de prima lege.

Potior dispensationis causa, Samuelis virtus.

VIII. *A secūda lege facilè Samuel excusatur.*

A secunda lege facilè aliquis Samuelem excusabit, dicens, Tabernaculum fœderis fuisse per id temporis in Masphath. Sed quia hoc incertum est: potiùs dixerim, ex diuina dispensatione, in alieno loco immolasse: quemadmodum etiam cum Gedeone, Manuē & Helia, de quibus iam diximus, dispensatum est: immò & cum aliis C laïcis, saltem in agno paschali immolando, quem extra tabernaculum in singulis domibus priuatis offerebant: vt paulò antè diximus. Ita docent Interpretes citati, & ante illos Theod. quæst. 15. *Cum*, inquit, *sciret Deus populi propensionem ad impietatem, diuinum cultum loco circunscripsit. Piis enim, & iis, qui sciunt scopum legis, quilibet locus est consecratus ad Dei cultum. Nam & celeberrimus ille Helias, cum diuinum templum omnes ad se vocaret ex lege; in Carmelo extruxit altare, & obtulit sacrificium.* 3. Reg. 18. à num. 32. Ita ille. Quem totidem propè verbis Procopius imitatur. Sed de hac re, quæ in primo Tomo, Annot. 6. Sect. 1. & 2. diximus, consulantur.

Theod.

IX. *A tertia etiā excusatur.*

A tertia tandem lege non inuenio, qui Samue- D lem excuset. Neque mirum; cùm etiam non inueniam, qui accuset. Dicet aliquis, illam legem intelligendam esse de hœdo, quem solum exprimit; non autem de agno, quem Samuel obtulit. Nihilominùs Abulensis in caput 23. Exod. quæst. 36. probabiliùs sentit, etiam de agno ac cæteris animalibus terrestribus intelligendam; cùm par in omnibus ratio videatur. Dicendum igitur, illam legem tripliciter intelligi posse. Primò propriè, vt verba sonant, non esse coquendum animal vllum in lacte matris, pro aqua; ne Hebræi Ethnicos imitarentur, qui hoc artificio vtebantur, vt carnes ederent sapidiores: adeò, inquit Martialis,

Abul. Tripliciter illa lex intelligenda.

Martialis. Gula ingeniosa est.

——*Ingeniosa gula est.*

Hoc autem modo non immolauit Samuel, cùm non coctum, sed assum agnum iuxta leges holocausti sacrificarit. Secundò, non esse animal in lacte matris, hoc est, simul cum matre occidendum; ne fœtura impediretur: eandem enim ob causam præceptum erat, Deuter. 22. num 6. vt si quis nidum inueniret, & in eo matrem pullis incubantem; pullos caperet, matrem abire pateretur. Sed, ne hoc quidem modo Samuel sacrificauit; cùm solum agnum dicatur obtulisse: immò nec matrem offerre posset, iuxta A legem holocausti, Leu. 1. n. 3. quæ solùm masculum animal offerre præcipiebat. Tertiò denique non esse animal infra octo dies natum, comedendum, vt omnis crudelitatis species tolleretur. Quo tandem modo etiam patet, non fuisse legem violatam à Samuele; cum paulò adultiorem agnum, licet adhuc lactentem, immolarit: quod lex non prohibebat, immò præcipiebat: nā de his fœtibus teneris & lactaneis loquuta: *Septem diebus*, inquit, *erunt sub vbere matris suæ: die autem octauo, & deinceps, offerri poterunt Domino.* Leuit. 22. n. 27. Quocunque igitur modo lex illa explicetur, a Samuele minimè violatur. Præterquam quòd ea lex intelligitur de mactatione animalium ad conuiuium, non autem ad sacrificium, quod tantùm B hoc loco Samuel curabat.

Quocunque modo lex intelligatur, non fuit a Samuele violata.

X. *Turnielli sententia reiicitur.*

Obtulit igitur Samuel agnum, vt est in Litera; non autem *vitulum*, vt reposuit Augustinus Turniellus: sed videtur ei vitulus pro agno irrepsisse. Maius dubium oritur ex Siracide, qui in Bibliis Complutensibus & Regiis de Samuele loquutus, *Inuocauit*, inquit, *Dominum omnipotentem, in oppugnando hostes*, circunstantes vndique in oblatione ἀνδρὸς γαλαθηνοῦ, id est, *Viri lacte nutriti*, seu, *lactentis*. Ecclesiastici 46. numer. 17. seu, vt vertit Diuus Hieronymus: *Viri inuiolati.* Quam lectionem textus Glossæ ordinariæ, plurésque alij Codices conseruant. Et explicat Lyranus, referendo, virum inuiolatum, ad Samuelem: quasi sensus sit: Inuocauit Dominum, & oppugnauit C hostes in oblatione sua, quæ erat Deo gratissima, vtpote cuiusdam viri inuiolati; seu, à quodam viro inuiolato exhibita. Vbi nulla fit mentio agni, qui hoc loco oblatus dicitur. Nihilominus dicendum est, aut illam editionem Græcam esse corruptam, & pro ἀρνός, id est, *agni*, irrepsisse ἀνδρός, id est, *viri*: aut nomine viri lactentis, intelligendum esse agnum masculum. Viri enim nomen in quouis grege significat masculum animal: vt patet, non solùm ex profanis Literis, iuxta illud Virgilij Eclog. 7.

Torn.

Lyranus. Samuelē seipsum Deo obtulisse obiicitur.

Occurritur obiectioni.

Vir gregis ipse caper.

vbi nostri, Pontanus & Lacerda, pluribus Græcorum, Latinorúmque exemplis id illustrant: sed etiam ex diuinis, iuxta illud Dei ad Noë de brutis D in arcam ingressuris: *Ex omnibus animantibus mundis tolles septena & septena, masculum & fœminam.* Genes. 7. num. 2. Vbi in Hebræo pro masculo & fœmina, est: *Virum & vxorem eius:* vt ibi Caietanus & Oleaster obseruant. Sic igitur potuit in Ecclesiastico agnus masculus, viri nomine significari. Et hunc esse germanum sensum, conuincit vulgata editio nouissimè correcta, quæ habet: *In oblatione agni inuiolati:* alludens ad hunc agnum, qui hoc loco dicitur immolatus. Addit Litera, *Lactentem*; cuius caro sapidior ac tenerior esse solet. Vnde nescio quis Poeta, agnum in esum expetit: *Qui plùs lactis habet, quam sanguinis.* Et Epigrammatarius porcellos,

Pontan. Lacerd. Viri nomen in grege masculum animal significat. Caiet. Oleast.

Martial.

Lacte mero pastos, & pigræ matris alumnos.

E Sicut igitur in conuiuia delicatiores & suauiores carnes expetebantur: ita & in sacrificia expeti oportebat; cùm Deus humano more in sacrificiis cum hominibus epularetur. Vnde olim Deus, cum illis, qui secùs faciebant, acriter expostulabat: *Si offeratis*, inquit, *cæcum ad immolandum, nónne malum est? Et si offeratis claudum & languidum, nonne malum est? Offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam. Dicit Dominus exercituum.* Malachiæ 1. numer. 8. Quasi diceret: Si epulas terreno Principi, nisi pretiosissimas, non offers: quid mihi victimas offerre audes

Ad sacrificia sapidiores carnes expetebantur.

des abiectiſſimas? Additur, agnum fuiſſe vnum: quia plures offerre, non patiebantur temporis anguſtiæ, ad quas eum repentinus hoſtium aduentus redigebat. A

XI. *Quomodo agnus integer oblatus ſit.*

Sed maior eſt difficultas in eo, quod ſequitur, obtuliſſe agnum, ſeu holocauſtum integrum. Nam, vel eſt ſenſus, agnum non fuiſſe in membra diuiſum; ſed integrum flammis traditum: vel diuiſum quidem fuiſſe; nihilominùs integram illam membrorum collectionem in ignem coniectam. Prior ſenſus eſt contrarius legi holocauſtorum, quæ ſic habet: *Diuident membra, caput, & omnia, quæ adhærent iecori, & imponent ſuper ligna, quibus ſubiiciendus eſt ignis.* Leuit. 1. num. 12. Poſterior eſt ſuperfluus: nam holocauſtum, vt patet ex nominis etymologia, idem eſt, atque *totum incenſum*: ſatis igitur erat dicere, agnum fuiſſe oblatum in holocauſtum, vt totus atque integer oblatus intelligeretur. Ab hoc nodo expedita eſt Græca tranſlatio, quæ pro vocabulo, *integrum*, habet, *Cum vniuerſo populo.* Et eſt ſenſus: Samuel tanquam miniſter, cum vniuerſo populo adiutore & precatore, obtulit agnum in holocauſtum. Verùm Latina, cui reſpondet & Hebræa, adhuc manet implicata. B

Aliquorum ſententia proponitur.

Dicunt igitur aliqui, Samuelem repentino hoſtium incurſu præoccupatum, non habuiſſe moras ad agnum diuidendum, iuxta legem holocauſti: & proptereà integrum, hoc eſt, totum atque indiuiſum in ignem conieciſſe; idque hoc loco ſignificari.

Quid hoc loco dicendum ſit.

Sed difficilè mihi perſuadeo, Samuelem illud ſacrificium, quod ex diuina diſpenſatione egit, & quo diuinam miſericordiam impetrauit; diuinis legibus minimè ſeruatis obiiſſe. Potius igitur, extremam in ſententiam abierim, dixerimque Samuelem etiam in ea rerum perturbatione, trepidationéque animorum, perfectiſſimum holocauſtum obtuliſſe; ſeu duplicem integritatem ſeruaſſe: vnam quodammodo intrinſecam victimæ, omnes illius partes in diuinam gloriam & honorem incendendo: alteram quodammodo extrinſecam, omnes holocauſti ceremonias, ritus ac leges obſeruando; nihil enim tanto miniſtro dignius videbatur, quàm vt diuina officia etiam inter temporalia pericula perfectiſſime exequeretur. C

XII. D. Greg. *Chriſtus Dominus hoc agno figuratur.*

Myſtice verò ſub hoc agno intelligit Diuus Gregorius primò Chriſtum Dominum: *Qui*, inquit, *agnus dicitur pro innocentia, Lactens pro aſſumptione naturæ, vnus pro ſingularitate potentiæ, integer pro fidei noſtræ firmiſſima ſoliditate.* Et quidem ab illo agno, de quo Baptiſta: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Ioan. 1. num. 29. de quo Diuus Petrus: *Redempti eſtis pretioſo ſanguine, quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati.* 1. Petr. 1. num. 19. de quo Ioannes: *Vidi agnum ſtantem, tanquam occiſum.* Apoc. 6. num. 6. de quo Propheta: *Quaſi agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Iſai. 53. n. 7. ab illo, inquam, agno, vim efficacitatémque deſumpſit hic agnus typicus Samuelis, vt Philiſthinos repelleret, Iſraëlitas tueretur. Secundò, intelligit D. Greg. eum, qui ſe Deo in perpetuum conſecrat ſeruitutem. Agnus enim eſt, qui per bonum caſtitatis & innocentiæ, Redemptori noſtro conformatur: lactens, qui ſana Patrum doctrina paſcitur ac nutritur: vnus, qui poſt initia religioſæ conuerſationis, nunquàm à propoſito innocentiæ, ad pollutæ vitæ maculas regreditur: integer, qui internam pariter & externam puritatem conſeruat; vt corpore ſimul & animo illibatus Deo famuletur. Et ſicut agnus à Samuele oblatus, à Chriſto accepit, vt Deum placaret: ita & hic à Chriſti meritis habet, vt Deo in holocauſtum gratiſſimum offeratur. D

Agnus eſt, qui ſe Deo in perpetuam conſecrat ſeruitutem.

Et clamauit Samuel, &c. Hactenus de ſacrificio. Deinceps de oratione. Cuius ſeruor explicatur, dum clamare dicitur, non tam ore, quam corde: vt Caietanus, & alij poſt Diuum Gregorium aduertunt. De qua te in 1. tomo, cap. 1. n. 13. à §. 8. multa diximus. Solebant antiqui Principes diuinis potiùs, quàm humanis præſidiis confidentes, cùm in anguſto ponebantur, ad Deum confugere, eiúſque opem magnis affectibus implorare. Sic Moyſes, Pharaone eiúſque exercitu à tergo vrgente, clamabat ad Dominum, ipſo Domino teſtante, ac dicente: *Quid clamas ad me?* Exodi 14. num. 15. Sic Ioſué, cùm eius exercitus ab Haïtis cæderetur, fuſus in preces exclamauit: *Heu! Domine Deus, quid voluiſti traducere populum iſtum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amorrhæi, & perderes, &c.* Ioſ. 7. num. 7. Sic Rex Ezechias difficillima obſidione preſſus ab Aſſyriis, orauit in conſpectu Domini, dicens: *Domine Deus Iſraël, qui ſedes ſuper Cherubim, tu es Deus ſolus, &c. Inclina aurem tuam, & audi, &c.* 4. Regum 19. à num. 15. Sic Ioſaphat magna hoſtium multitudine inuadente ad extremum ſalutis periculum redactus, confugiens ad orationis aſilum, *Domine*, inquit, *Deus patrum noſtrorum, tu es Deus in cælo, & dominaris cunctis regnis gentium, &c.* 2. Paralipom. 20. à num. 6. Sic denique & Iudas Machabæus pugnaturus contra Lyſiam, eiúſque exercitum ex ſexcentis electorum virorum millibus conflatum, opem à Deo implorauit: *Benedictus*, inquit, *& Saluator noſter, qui contriuiſti impetum potentis in manu ſerui tui Dauid, &c.* 1. Machab. 4. à num. 30. Et ſic de cæteris, qui difficultatibus preſſi, & ſola in Deum fiducia innixi, totos ſe in preces effundebant; inde potius, quàm ex armis vires contra hoſtes accepturi. Non aliter & Samuel clamauit ad Dominum.

XIII. *Orationis feruor cordis clamoribus exprimitur.* Caiet. D. Greg. *Iuſti difficultatibus oppreſſi ad Deũ per preces confugiebant.* *Variis Scriptura locis oſtenditur.*

Et exaudiuit eum Dominus, &c. Hic fuit orationis effectus: orantem à Deo exaudiri. In Hebræo eſt: *Et reſpodit ei Dominus.* Nã verbum ענה, *Hanah*, quod ibi ponitur, ſignificat etiam reſpondere. Nec ſine myſterio: ad oſtendendum in Deo idem eſſe, exaudire & reſpondere: quia vbi primùm exaudit, ſtatim reſpondet: nec ampliùs preces ac vota noſtra, quominus impleat, cunctatur. Sed vnde conſtitit exaudiſſe? Rabbini dicunt, ex igne cælitùs delapſu holocauſtum corripiente ac deuorante, quod erat diuinæ acceptationis indicium, vt alibi notauimus, ex primo ſacrificio Aaronis, Leu. 9. n. 24. & ex ſacrificio Manuë, Iud: 13. n. 20. & ex ſacrificio Heliæ, 3. Reg. 18 n. 38. Vnde illud, *Holocauſtum tuum pingue fiat.* Pſ. 19. num. 4. ſeu, vt ex Hebræo legi poteſt, *incineretur*, vel, *in cinerem redigatur*: igne, ſcilicet, de cœlo illud abſumente, & gratiſſimum Deo eſſe ſignificante. Verùm ignem de cælo in hoc ſacrificium deſiluiſſe incertum eſt. Immò Ioſephus non obſcurè ſignificat, modo ordinario conſumptum eſſe. Certius igitur mihi eſt, ab effectu diuinam acceptationem patuiſſe: cùm ſtatim poſt ſacrificium, tonante cælo, & pugnante populo, Philiſthini terrefacti ceſſerint ac ceciderint: vt ex dicendis patebit. Ipſo enim facto oſtendit Deus, ſibi Samuelis holocauſtum & orationem placuiſſe, cuius votis tam feliciter reſpondit. E

XIV. *In Deo idem eſt exaudire & reſpondere.* *Deum exaudiſſe ob ignem cælo delapſum tradunt Rabbini.* Ioſeph. *Superior ſententia vt minùs certa reiicitur, certa apponitur.*

Cæterùm duo requiruntur (vt interim alia omittam) vt oratio ſuum effectum ſortiatur: nempe, vt tam ille, qui orat, quàm illi, pro quibus orat, quantùm in ſe eſt, ad diuina beneficia recipienda cooperentur. Neutrum hoc loco defuit. Nam & Samuel & Iſrael ſe hoc loco per lacrymas & pœnitentiam expiarant. Vnde mirum non eſt, ſi à Deo exaudiantur. Quanti igitur momenti ſit probitas orantis, vt voti compos efficiatur,

XV. *Vt oratio exaudiatur, duo requiruntur.*

mihi videtur innuere Dauid. *In te, Domine, speraui: tu exaudies me, Domine Deus meus.* Psal. 37. n. 16. Quasi diceret: Collocaui in te meam spem; non possum de tuo in me præsidio ac fauore dubitare. Tu exaudies me. Vnde Origenes hom. 2. in eum Psalmum, *Si essemus,* inquit, *tales, quales nos esse vult sermo dininus: sicut Helias diceremus vtique Deo, vt daret pluuiam, & plueret.* 3. Reg. 18. à num. 42. *Sicut Samuel in diebus messium peteremus, vt præstaret de cælo imbrium copiam, & audiremur.* 1. Reg. 12. n. 17. *Nunc autem quomodo nos audiet Deus, cùm nos ipsum non audiamus? Quomodo faciet ille, quod volumus, cùm nos, quod ille vult, non faciamus? Vult, nos tales esse Deus, vt quasi Dij cum Deo loquamur.*

Oratio probitas multùm conducit.
Orig.

XVI. Quare Ieremias, vt veros Prophetas à falsis discriminaret, *Si Prophetæ,* inquit, *sunt, & est verbum Domini in eis; occurrant Domino exercituum,* &c. Ier. 27. num. 18. Quasi, qui suis moribus sanctitatem colunt; suis etiam precibus efficacitatem habeant. Vbi D. Hieronymus, *Ostendit,* inquit, *verum Prophetam posse Domino precibus resistere: secundum quod & Moyses stetit in percussione contra Dominum, vt auerteret iram furoris eius.* Psal. 105. num. 23. *Samuel quoque idem fecit. Et Dominus ad Moysem: Dimitte me, vt percutiam populum istum.* Exod. 32. n. 10. *Quando autem dicit: Dimitte me: ostendit se precibus Sanctorum posse retineri.* Suum populum hortatus est olim Deus ad detestanda peccata, & ad virtutes amplectendas: *Dissolue,* inquit, *colligationes impietatis,* &c. *Frange esurienti panem tuum,* &c. Isai. 58. num. 6. & 7. Deinde verò magna illi beneficia pollicetur; & inter alia, eius preces magnam apud Deum efficacitatem habituras: *Vocaberis,* inquit, *ædificator sepium, auertens semitas in quietem.* Ibidem, num. 12. Quis, obsecro, iste ædificator sepium, nisi optimus apud Deum intercessor, qui suis precibus, tanquàm sepibus diuinam iram intercludit, ne in peccatores effundatur?

Iusti moribus, precibus efficaces.
D. Hier.
Confirmatur varijs testimonijs.

XVII. Audi D. Hieronymum ad eum locum: *Aquila,* inquit, *legit, qui se opposuit Dei iracundiæ sæuienti. Symmachus transtulit, murum opponens cadenti: qualis fuit Moyses & Aaron, qui iræ Dei restiterunt; & quasi ædificato muro, indignationi eius posuerunt terminum. Quod & Ieremiæ dicitur, ne occurrat Domino, ne iræ eius velit resistere, & indignationem ita precibus, quasi quodam muro intercludere.* Ierem. 7. n. 16. Et Moysi, quasi teneretur ab eo Dominus, *Dimitte me,* inquit, *& percutiam populum istum.* Exod. 32. num. 10. *Istiusmodi ergo ædificator maceriarum, murorumq́; ac sepium, conuertet semitas in quietem, vt nequaquàm Dei ira desæuiat: sed placatus sit ei Dominus, & omnes indignationis semitæ conquiescant.* Hactenus Hieronymus. Vbi vides illorum preces, qui peccatis renuntiant, & virtutibus incumbunt, esse arces, quæ Deo in genus humanum sæuienti obtenduntur: non autem illorum, qui nullum habent cum virtutibus, magnum cum vitiis commercium.

D. Hier.
Iustorū preces arces sūt, quæ diuinæ iræ obtenduntur.

XVIII. Immò oratio propriis orantis virtutibus destituta, sic in medio cursu elanguescit, vt ad Deum nequeat peruenire: quæ verò orantis virtutibus innititur, ad Deum feliciter appropinquat. Quod insinuans Dauid, *Custodiuit,* inquit, *anima mea testimonia tua, & dilexit ea vehementer. Seruaui mandata tua & testimonia tua,* &c. Et statim: *Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo.* Psal. 118. à n. 167. Quasi diceret: Non deficiat oratio mea, non resiliat à suo ascensu, deorsum in terram non detorqueatur: siquidem diuinæ legis obseruantia innititur, & virtutum præsidiis, tanquàm alarum remigiis, in sublime promouetur. Vnde D. Ambros. serm. 22. in eum Psalmum, *Volare,* inquit, *facit orationem bona vita, & dat alas precibus spirituales,* A *quibus Sanctorum ad Deum euehatur oratio.* Et statim: *Dauid orationem suam dirigit in cælestia, dans illi flabra iustitiæ, sapientiæ flamina, & remigia deuotionis & fides, innocentiæ puritatisq́; subsidia: peccato enim ingrauescit oratio, & longè fit à Deo. Tantò autem plus grauatur; quantò improbior est vita deprecantis. Innocentium ascendit oratio.* Itaque si bonis operibus oratio innitatur, ad diuinum conspectum feliciter euolabit. En quàm necessaria sit ad bonum orationis effectum probitas orantis.

Oratio virtutibus destituta, vt languida, ad Deum non accedit.
D. Ambr.
Probi mores alas addunt orationi.

XIX. Sed non minùs necessaria est eorum, pro quibus oratur, ad bonum cooperatio. Vnde Deus ad Moysem, *Quid clamas ad me? Loquere filiis Israël, vt proficiscantur.* Exod. 14. num. 15. Quasi diceret: Quid orando defatigaris, vt tuus populus ab B insequentibus hostibus liberetur; si ille cunctando ac desidendo hostilibus iniuriis se exponit? Fac, vt ipse expergiscatur, & proficiscatur; & meum tuis precibus patrocinium non requires. Necesse enim est, vt ij, pro quibus oratur, orantibus cooperentur. Quod D. Chrysost. hom. 1. in priorem ad Thess. rectè expendens: *Si nos,* inquit, *in virtutis studio seduli fuerimus; efficaces erunt & preces aliorum pro nobis: si verò desides fuerimus, nemo nos iuuare poterit.* Et statim variis exemplis rem illustrat. Nam in primis, regnante Ezechia, liberauit Deus Ierosolymam de manu Sennacherib, propter Dauidis sanctitatem; iuxta illud: *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum.* 4. Reg. 19. num. 34. At verò, regnante Sedecia, C ne propter sanctitatem quidem ipsius Dauidis, eam liberauit è manu Regis Nabuchodonosor: vt patet ex 4. Reg. 25. à n. 1. Nónne eadem Dauidis sanctitas & auctoritas eandem semper efficacitatem obtinebat? Obtinebat quidem, si secundùm se spectaretur: verùm illam Dauidis auctoritatem apud Deum, vnius Regis pœnitentia promouebat; alterius malitia debilitabat.

Ad orationem etiam requiritur eorum virtus, pro quibus oratur.
D. Chrys.
Variis res illustratur exemplis.

XX. Profuit quidem Iobi oratio amicis suis, iuxta illud: *Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Iob. 42. num. 8. Eadem nihilominùs oratio mioimè Iudæis profutura dicitur; iuxta illud: *Si fuerint tres viri isti in medio eius, Noë, Daniel & Iob,* &c. *Viuo ego, dicit Dominus; quia nec filios, nec filias liberabunt.* D Ezech. 14. à num. 14. Ratio est: quia illi de suo peccato doluerant; hi verò in suo perseuerabant. Deinde Moysis oratio in monte Sinaï, tenuit Deum, ne in populum irasceretur. Exod. 32. num. 10. Et tamen tenere Deum non posset Ierosolymis, etiamsi ibi adesset, quominùs in populum desæuiret; iuxta illud: *Si steterit Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ierem. 15. num. 1. Cur ita? Planè, quia populus in deserto aliquantulum à suo peccato resipuerat: Ierosolymis verò in suo peccato indurnerat. Tandem Samuelis oratio nihil profuit Sauli peccanti. 1. Reg. 16. num. 1. Et multùm hoc loco profuit Israeli pœnitenti: *Samuel,* inquit Chrysostomus, *pro Israëlitis orauit, & efficax fuit precatio. Sed quando? Quando & ipsi bene placebant, & quiescebant, tunc & hostes* E *vincebant.* Denique Noë, Ieremias, Ezechiel, & Daniel, aliique Prophetæ, Deo gratissimi extiterunt, & multa à Deo beneficia impetrarunt: & tamen orantes pro populo non audiuntur; aut certè, si orent, dicuntur non exaudiendi, vt patet ex citatis locis: quia populus suis sceleribus adhærescens, nihil eorum precibus cooperabatur.

Iusti non impetrant, si desit eorum virtus, pro quibus precantur.
Variis Scripturæ locis res palàm fit.

XXI. Hinc est, quòd cùm Deus Ezechielis orationem pro populo non admitteret; statim illa omnia illius populi peccata manifestarit. Prophetæ namque deprecanti ac dicenti: *Heu! heu! heu! Domine Deus,*

Deus scelera, propter quæ orationem nō admittit, manifestat.

Deus, ergóne disperdes omnes reliquias domus Israel effundens furorem tuum super Ierusalem? Ezech. 9.n. 8. statim Deus respondit: *Iniquitas domus Israël & Iuda, magna est nimis valdè, & repleta est terra sanguinibus, & ciuitas repleta est auersione. Dixerunt enim: Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* Ibidem, num. 9. Quasi diceret, inquit Diuus Chrysostomus loco citato: *Poterunt ista probare, quòd non tui contemptu, sed propter multa illorum peccata, supplicationem tuam non accipio.* Contrà verò D. Paulus, qui pro sua parte laborare nunquàm desinebat; Christianorum precibus incredibiliter iuuabatur: *Scio*, inquit, *quia hoc mihi proueniet ad salutem per vestram orationem.* Phil. 1. num. 19. Quid enim proficiet deprecantis oratio, si illorum vita, pro quibus suscipitur, in peius semper deficiat? Vnde concludit D. Chrysostomus: *His itaque cognitis nec Sanctorum preces contemnamus, neque totum in illas proiiciamus: hoc quidem, ne desideamus, ac temerè insidiis opprimamur: illud verò, ne extra multum lucrum & profectum excidamus.* Meritò igitur Samuel precatus pro populo, dicitur à Deo exauditus: quia ipse Samuel vitæ sanctitate excellebat; & populus ad pœnitentiæ normam se conformabat.

Nihil proficit oratio, si eorū vita, pro quibus est, in peius deficit.
D. Chrys.

Num. X. Factum est autem, cùm Samuel offerret holocaustum, Philisthiim inite prælium contra Israel: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa super Philisthiim, & exterruit eos, & cæsi sunt à facie Israël.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.
Plus roboris in sacrificiis situm, quàm in armis.
Ioseph.

FActum est autem, &c. Samuel eò perduxerat sacrificium, vt agni carnes super aram iam posuerit; nondum tamen sacra flamma penitùs adoleuerit: vt Iosephus testatur. Itaque inchoatum erat sacrificium, non absolutum, cùm Philisthini repentè irruerunt, armati contra inermes, & bello lacessere imbelles non dubitarunt, sperantes ex imparatis victoriam faciliùs reportandam. Sed ignorarunt improbi, & suo tandem malo didicerunt, validissima contra hostes munimenta potiùs in sacrificiis, quàm in armis sita esse; iuxta illud: *In tympanis & cytharis, & in bellis præcipuis expugnabit eos.* Isai. 30. num. 32. Vbi non tam bellantibus, quàm sacrificantibus, Deúmque per instrumenta musica collaudantibus singularia contra hostes præsidia diuinitùs promittuntur. Ab hoc Samuelis exemplo suos hostes inter sacrificia perterrentis illustrat D. Gregorius Nazianzenus Orat. 20. post medium, eximiam Diui Basilij magni auctoritatem, qua Valentem Imperatorem, templum ingressum, ac diuina sacrificia conspicatum terrefecit: *Postquàm*, inquit, *intus fuit, atque ipsius aures Psalmorum cantu, non secùs ac tonitruo quodam personuerunt; plebisque pelagus vidit, omnemq́; ordinem & concinnitatem, quæ tam in sacrario, quàm prope sacrarium erat, Angelicam potiùs, quàm humanam; atque ipsum quidem (nempe, Basilium) ante populum rectò corpore stantem, qualem Scriptura Samuelem describit, nec corpore, nec oculis, nec animo, perinde ac si nihil noui contigisset, vllam in partem se mouentem, sed Deo, vt ita dicam, & altari affixum: humanum quiddam passus est, atque oculorum vertigine ac tenebris totus impletur.* Et paulò pòst ostendit, illam Imperatoris perturbationem initio paucis cognitam; tandem, cùm Rex ad donaria offerenda accessit, omnibus patuisse: *Ita enim*, inquit, *titubare cœpit, vt nisi quispiam ex sacrarij ministris vacillantem, supposita manu, retinuisset; miserè vtique & luctuosè prolapsurus fuerit.* Itaque Samuel & Basilius suos hostes non pugnando, sed sacrificando terruerunt. Et proinde Philisthini, quos armis exutos, & proinde expugnatu facillimos existimarunt; eosdem non tam armis, quàm sacrificiis munitos, & proinde inexpugnabiles inuenerunt.

D. Greg.
D. Basilius Valentem Imperatorem sacrificiis terrefecit.

Metus Imperatoris exprimitur.

II.
Verba Pontificis Leonis orantis Attilam domuerunt.

Non minorem vim ad terrendos hostes armatos habuerunt alij sanctissimi Heroës prorsus inermes. Nam, cùm olim Attilas Hunorum Rex, cognomento, *Flagellum Dei*, tota Italia minabundus desæuiret, & Romam ipsam Pontificij caput imperij iam iam depopulaturus intraret: ecce tibi Leo Magnus & Pontifex Maximus, qui sui memor nominis, *Quasi leo confidens absque terrore* erat. Prou. 28. num. 1. & quasi *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebat occursum.* Prou. 30. num. 30. Deo priùs per vota & sacrificia ritè nuncupato, occurrit obuius, nullo militari satellitio cinctus; sed vnico orationis præsidio munitus: & truculentum mansuetus affatur ac precatur; vt iras ponat, minas auferat, vires molliat, pugnas auertat, suam Romam pace ac tranquillitate frui patiatur. Mirum dictu! Tam facili intercessione commotus, redit ad mentem amens, iratus mitescit, furibundus placatur, & à tota Italia, nunquàm ampliùs rediturus abscedit: ingenuè confessus, cùm à suis postea, cur cessisset, rogaretur; sibi conspectos fuisse prope Leonem humiliter loquentem, duos Apostolorum Principes Petrum & Paulum terribiliter fulgurantes; qui sibi, nisi Leoni cederet, exitium minarentur. Itaque vnum Attilam ab aliis inexpugnabilem, vnius verba Pontificis, non pugnantis, sed orantis expugnarunt. Ita ferè Eutropius lib. 15. de rebus Romanis, Platina in vita Leonis, & alij prodiderunt. Par fuit illa vis, qua summus Hebræorum Pontifex Iaddus Alexandrum Macedonem domuit ac frænauit. Nam, cùm Alexander Syria multis partibus expugnata, Ierosolymam iam iam inuaderet expugnandam: Iaddus fusis priùs ad Deum precibus, & sacrificiis ritè procuratis, obuius procedit, pontificio in habitu venerandus; præeunte Sacerdotum agmine, sacerdotalibus vestibus candidato. Quid verò Alexander, armatus cum inermibus pugnaturus? *Vt vidit*, inquit Iosephus lib. 11. Antiq. c. 8. *Sacerdotes in vestitu byssino, Pōtificemq́; in stola hyacinthina auro distincta, tiaram in capite gestantem, cum præfixa lamina aurea, insculpta Dei nomine: solus ad eum accedens, nomen illud adorauit, & salutauit Pontificem:* mirantibus, qui circùm stabant, Syriæ Regibus, & vix credentibus, Regem mentis compotem, qui ab omnibus adoratus vnum Hebræum Pontificem adorarit. Sed ea vis inerat Pontifici precibus & sacrificiis munito, vt Imperatorem propriis viribus ferocientem, & partis victoriis exultantem premeret ac domaret. Affinis fuit & ille afflatus, planè diuinus, qui in clarissimum Orientis Apostolum, mundi iubar, Societatis nostræ lumen & columen, sanctissimum Franciscum Xauerium aliquando incubuit. Cùm enim innumera multitudo Barbarorum, quos Badegás vocant, effera, sanguinaria, truculenta, belluis quàm hominibus propior, in Christianos sacro de fonte recèns susceptos insiliret, omnes sine dubio perditura: Xauerius priùs Numine multis cum precibus ac lacrymis implorato, solus & inermis occurrit, & cædes ac minas anhelantem vnico aspectu & affatu ita terret, vt effusior in fugam se conuertat, quàm ad pugnam conuolarat. Igitur non omnis per

D. Petrus, & D. Paulus Leoni sic subueniunt.

Eutrop.
Platin.

Ioseph.
Summus Hebræorum Sacerdos precibus Alexandrum expugnauit.

S. Franciscus Xauier precibus barbaros auertit in fugam.

per oratores, quàm per bellatores hostiles exercitus diuinitùs atteruntur.

III. *Intonuit autem Dominus*, &c. Ecce tibi diuinus furor. Sonuerunt tonitrua, &c, vt ait Caietanus ex Iosepho, fulmina ceciderunt. Et videtur hoc historia insinuare, dicens, Philisthæos exterritos, & cæsos fuisse: exterritos quidem per tonitrua magno fragore perstrepentia: cæsos autem, seu, vt est in Ecclesiastico citato, contritos per fulmina magno impetu saucianti. Quamuis Diuus Gregorius exterritos fuisse à Deo, cæsos verò ab Israëlitis significet: vt sequenti Num. expendam. Addunt Iosephus, Magister historiæ, Dionysius, Abulensis, Naucleros, Sabellicus & alij, etiam terram contremuisse, & magnis hiatibus fatiscentem, plurimos Philisthinorum deuorasse: vt non solùm de cælo dimicaretur contra Philisthinos, quemadmodum olim contra Sisaram, Iud. 5. num. 20. sed etiam totus pugnaret Orbis terrarum *contra insensatos*. Sap. 5. num. 21. At, cur Deus cælestibus potiùs præsidiis, quàm humanis Hebræos contra Philisthinos adiuuit? Credo duplici de causa. Vna, ne si illi propriis viribus hostes vincerent, à superbia vincerentur; sibique tribuerent, quod à Deo sine dubio accepissent. Altera, ne hostes de diuino præsidio erga illum populum dubitarent; sed diuinitùs adiutos certo experimento comperirent. Vtramque rationem Auctor De mirabil. Scriptur. lib. 2. cap. 8. expressit: *Philisthinorum, inquit, agmina, quasi arena maris innumerabilia per plana se terræ Israel effuderunt; quæ Dominus, Samuele orante, à facie filiorum Israel ingenti cæli fragore perterrebat: quatenus per hoc, & Israël non propria virtute vicisse intelligeret; & hostes, Dei protectionem & auxilium erga hunc esse populum scirent.*

Philisthæi exterriti per tonitrua, cæsi per fulmina.

D. Greg. Ioseph. Magist. Dionys. Abul. Naucl. Sabel.

Deus cælestibus præsidiis iuuit Israëlem.

Duplicem ob causam à Deo adiutus.

IV. Sic olim, cùm Iosue aduersùs quinque Reges præliaretur; *Dominus*, inquit Textus, *misit super eos lapides magnos de cælo vsque ad Azeca; & mortui sunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filij Israël.* Iof. 10. num. 11. Quod factum est, inquit Lyra, ne filij Israël sibi victoriam adscriberent: certo experimento cognoscentes, eam potiùs Deo pro illis dimicanti tribuendam. Eòdem spectarunt multa alia prodigia in fauorem Hebræorum à Deo edita, de quibus Dauid: *Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua.* Psalm. 39. num. 6. Quorum multitudinem D. Chrysost. ad eum locum expendens, *Numerum*, inquit, *& omnem narrationem superant miracula, quæ à tua potentia facta sunt. Non est enim qui possit tibi facere similia. Sunt enim pulcherrima & maxima tua opera. Vincunt autem laudes humanas, ea, quæ administrantur à tua prouidentia; quæ in Ægypto, quæ in deserto, quæ duce Moyse, duce Iesu, duce Samuele facta sunt*, &c. Eò nanque illa omnia miracula spectabant: vt Hebræos contra externos hostes adiuuarent, & contra domestica vitia muoirent: ne scilicet, hostilem potentiam vincentes, ab interna superbia vincerentur: sibi tribuentes, quod vni Deo acceptum referre oportebat.

Deus dimicat, vt ei victoria adscribatur.

Lyran.

Omnia Dei opera sunt miracula, quæ laudes humanas vincunt.

D. Chrysost.

V. Atque ea causa est, cur sæpè Deus infirmis admodum instrumentis magnas victorias operetur; ne aliqui inde superbia victoribus suboriatur: sed potiùs vnum Deum totius auctorem victoriæ fateantur. Quod egregiè expendit, & pluribus exemplis illustrat Saluianus lib. 7. De prouidentia, aliquantulum post initium: *Per infirmos*, inquit, *res acta est, ne opus cælestis dexteræ, virtuti adscribetur humanæ, sed diuinæ. Siquidem & dux Sisara, quem Hebræus timebat exercitus, à muliere prostratus est.* Iud. 4. num. 21. *Et Abimelech ciuitatum expugnatorem fœminea manus percussit.* Iud. 9. num. 53. *Et ferrata Assyriorum acies, viduâ opitulante, ceciderunt.* Iudith 13. à num. 9. *Et ne de solis fœminis tantùm loquar, Benadab Regem Syriæ, cui præter innumera populi sui millia, & triginta duo Reges, exercitúsque eiusdem numeri seruiebant; nónne ideò à paucis Principum pedissequis Dominus vinci voluit, vt, quis esset auctor talis victoriæ, nosceretur?* 4. Reg. 20. à n. 14. *Contra Madianitas quoque, qui instar locustarum, cuncta complenerant; Gedeon iubetur pugnare cum paucis: non, quia plures in exercitu non haberet: sed vetatur multos ad bellum ducere; ne multitudo sibi posset aliquid de victoria vsurpare. Homini aduersùs innumera Barbarorum millia pugnaturo, trecentos tantùm viros Deus reliquit.* Iud. 7. num. 6. *In eam quippe exiguitatem redigi agmen militum iussit: vt sibi de patrato diuinitùs opere paucitas vsurpare nihil posset.* Hactenus Saluianus. Igitur, ne Israël de suis viribus nimiùm intumesceret; diuina illi, non humana præsidia conferuntur: vt non tam ab his, quàm ab illis partam victoriam Deo gratularetur. Tonitrua & fulmina pro illo depræliantur, vt in eum quadrare videatur, quod de suo cecinit Theodosio Claudianus:

Deus aliquando infirma vtitur instrumento, ne qua victoribus superbia oriatur.

Saluian.

Variis illustratur exemplis.

Israëli, ne superbiat, diuina præsidia conferuntur.

Claud.

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes; tibi militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Ne inferior Israëliticus exercitus sub Samuele, quàm Romanus sub Theodosio videatur. De qua re Annot. sequent. Sect. 3. plura dicemus.

Num. XI. Egressique viri Israël de Masphath, persequuti sunt Philisthæos, & percusserunt eos vsque ad locum, qui erat subter Bethchar.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. Egressique viri Israël, &c. Difficultas est, quomodo filij Israël, quos exarmatos fuisse diximus, egredi, & persequi, & percutere Philisthinos potuerunt. Ad quam tripliciter respondetur. Primò, Israelitas dici exarmatos, quia non habebant arma ad bellicum apparatum necessaria; quamuis alioquin haberent arma ad vsum ciuilem ac domesticum requisita: quibus vtcunque muniti, inuehi potuerunt in Philisthinos, præsertim iam diuinitùs exterrefactos. Quin etiam lapidibus, vt cætera abessent, facilè possent territos propulsare. Ita Abulensis exponit. Secundò, in vrbe Masphath fuisse aduenas pariter & incolas: & quàuis illi ad precandum & sacrificandum venerint exarmati; tamen his, qui in propria vrbe versabantur, aliqua armorum genera suppetere oportebat, quibus armati insequi & percutere potuerunt fugientes. Quod, interprete Caietano, innuisse videtur vel ipsa Litera, dicens, egressos fuisse viros de Masphath: quasi præcipuè oppidani, qui maiori armorum præsidio vtebantur, ad cædendos hostes prosilirent. Tertiò ex Iosepho, cui etiam Abulensis & Sabellius assentiuntur, Philisthinos ita fuisse de cælo perterritos, vt abiectis armis, vel etiam coruscationum vi de manibus excussis, se in fugam expeditiores penetrarent. Vnde, cùm Hebræi abiecta, vel excussa arma collegissent, commutata vice armati in inermes irruerunt: eósque persequuti sunt vsque ad Bethchar, id est, *domum agni*; qui locus terram Israël à terra Philisthiim discriminabat. Chaldæus legit, vsque ad Bethsaron, id est, *domum planitiei*. Iosephus vsque ad Corrhæos; non

Triplex difficultatis responsio.

Prima ex Abulens.

Abul.

Secunda ex Caietano.

Tertia ex Iosepho & aliis.

Ioseph. Abul. Sabell.

Locibuius sequendum varios Auctores, etymologia.

Ioseph.

Samuelem in Philisthæos irruisse negant alij, alij affirmant probabilius. Ioseph.

non quidem illos, de quibus Gen. 14. num. 6. qui erant in montibus Seir: sed alios in terminis Palæsthinæ, ita fortasse Iosephi tempore nuncupatos. Quæres: An Samuel cum cæteris Israëlitis irruerit in Philisthæos? Sunt, qui negent; existimantes, eum potiùs, cæteris ad bellandum in apertum prodeuntibus, in secretum locum se ad orandum recepisse: vt orantem Moysem, cùm Iosue aduersùs Amalech præliabatur, imitaretur. Nihilominùs Iosephus affirmat; & quidem probabiliùs, nisi fallor: tum, quia Samuel non modò erat ciuilis Iudex, sed etiam militaris dux: tum, quia nemini legitur, hanc suam potestatem delegasse: tum, quia in tanta rerum trepidatione vix tempus ad eligendum alium ducem superesset; & vix alius populum trepidantem ad pugnandum confirmaret: tum denique, quia Samuel in termino huius excursionis lapidem erexit in victoriæ monumentum; vt ex sequenti Num. patebit. Ergo eò vsque cum cætera multitudine fugientes hostes insequendo videtur excurrisse.

II. *Huius historiæ meminit Ecclesiasticus.*

Tota hæc historia ab Ecclesiastico narratur. Nam inter cæteros viros gloriosos loquutus de Samuele, *Inuocauit*, inquit, *Dominum omnipotentem in oppugnando hoste, circumstantes vndique in oblatione agni inuiolati. Et intonuit de cælo Dominus; & in sonitu magno auditam fecit vocem suam; & contriuit Principes Tyriorum, & omnes duces Philisthiim.* Ecclesiastici 46. à num. 6. Vbi tria obseruanda.

Tria hoc loco obseruanda.

Primum, vt iam superiori Num. aduerti, in aliquibus Bibliis legi, *In oblatione viri*, pro, *In oblatione agni*: orta fortasse diuersitate ex similitudine nominum Græcorum, *ἀνδρὸς*, id est, *viri*, & *ἀρνὸς*, id est, *agni*: vtranque verò lectionem, bonum sensum habere posse; si oblatio viri actiuè sumatur, pro ea, quam fecit Samuel, vir inuiolatus: seu, vt est in Græco, *Lactens*, aut *lacte nutritus*; quia infantilem innocentiam in virili ætate præferebat. Oblatio autem agni, passiuè, pro ea, quæ de agno facta est: hanc verò posteriorem lectionem præferendam esse, cùm in Vulgata nouissimè correcta habeatur: illam autem priorem, vel, vt corruptam, deserendam; vel ad sensum prioris reuocandam; sumendo virum pro agno masculo: vt diximus. Secundum, quamuis hoc loco Regum, soli Philisthæi percussi dicantur: tamen etiam percussos fuisse sine dubio Principes Tyriorum; vt in loco Ecclesiastici habetur: quia fortasse Tyrij propter locorum vicinitatem socia arma cum Philisthinis auxilia fortè implorantibus aduersùs Israëlitas copularant. Nam, cùm Palæsthina propter superiores clades ab Arca illatas, militibus orbata esset; nec satis virium ad renouandas pugnas obtineret: externa à vicinis gentibus præsidia emendicauit. Sed frustra: quia malè fœderatæ acies iustissima punitione diuinitùs feriuntur. Nec sine mysterio priùs dicuntur contriti Tyriorum Principes, quàm Philisthinorum duces: quia seuerissima punitio priùs debetur, non tam ipsis malis, quàm qui malis patrocinantur. Tertium, cùm superiori Num. dicantur Philisthini exterriti & cæsi: & rursus hoc Num. dicantur fusi & percussi: dubium esse, an omnes hæ plagæ ab eodem principio, an potiùs singulæ à singulis processerint. Ecclesiasticus videtur omnes Deo tonanti tribuisse; dum Israëlem, siue Samuelem nullius auctorem memorat. Vulgata huius loci duas priores tribuit Deo; eo fortasse modo, quo diximus, terrorem per tonitrua, cædem per fulmina operanti: tertiam verò plagam persequendi & percutiendi fugientes, Israëlitis: & sic Caietanus interpretatur. At verò D. Greg. solam primam exterrendi, Deo tonanti tribuit duas po-

Samuel in virili ætate puerilem innocentiam præferebat.

Malè fœderatæ acies à Deo puniuntur; & præsertim, qui malis patrocinantur.

An hæ plagæ omnes Deo tribuendæ: vera sententia.

Caiet. D. Greg.

A steriores, percutiendi in acie, & in fuga, Israëlitis. Cuius verba statim referam. Nihilominùs sensus, quem efficit Vulgata, planior & germanior videtur. Nam Hebræi in acie, cùm essent admodum impares, cædere non potuerunt Philisthinos. Opus igitur fuit, vt priùs à Deo terrerentur tonitruis, & cæderentur fulminibus: ac posteà in fugam versi, ipsis Hebræis persequendi ac percutiendi traderentur.

Quid hoc loco sentiendum.

III. D Greg. *Dæmones priùs contritione terrentur, caduntur pœnitentia.*

Hæc de literali huius loci intelligentia. Moralis à D. Gregorio luculenter inculcatur. In primis notat, Philisthæos priùs exterritos, posteà cæsos fuisse: quia Dæmones priùs à nobis cordis deuotione exterrentur: deinde operis exequutione cæduntur: *Terrentur*, inquit, *electorum deuotione; ca-* B *duntur opere: & quia opere deuotio prior est; terreri priùs, posteà verò cadi, rectè perhibentur. Nam priùs donum bonæ voluntatis à Domino accipimus: vt consilium malorum spirituum postmodum confutare valeamus.* Secundò notat, vt paulò antè dicebam, Philisthæos à solo Deo exterritos fuisse; deinde verò ab Israëlitis percussos: quia Deus priùs operatur per auxilium gratiæ, vt nos illi cooperemur: *Bene*, inquit, *Dominus super Philisthæos intonare & exterrere eos dicitur: filij autem Israël, illos cadere perhibentur: quia bona desideria nobis per diuinam gratiam ministrantur; sed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrij ad virtutum victorias promouemus. Ordo igitur cælestis militiæ est, vt antè tonans fragore magno audiatur Deus; & pòst miles ad cædenda hostium agmina progrediatur: vt videlicet in se priùs dona gratiæ vi-* C *deat; deinde ad certaminis campum validiùs erumpat, & securus victoriæ prouentum speret; qui eis, quibus coronetur, viribus, ante congressionis tempora fultus est.*

Deus vult, vt illi cooperemur.

IV. *Tentatio contemplatione comprimitur.*

Tertiò obseruat, Hebræos de Masphath ad pugnam egressos, hoc est, de contemplatione ad tentationem comprimēdam: *In Masphath etenim*, inquit, *quæ speculatio dicitur, morantur, qui in diuinarum rerum contemplatione persistunt. Sed ad cædendos Philisthæos exeunt, cùm ex arcano internæ meditationis consulti venientes, comprimunt vires aduersæ dominationis. Intus enim latenter ordinant; qualiter foris in apparato opere hostium cuneos irrumpant. Tantò quidem grauiores pugnas eis procedentes exhibent; quantò dum interna cogitant, apud se quietiores latent.* Quar- D tò obseruat, Israëlitas, persequendo suos hostes, processisse vsque ad locum, qui est *subter Bethchar*. Nam Bethchar est domus agni, & summam perfectionem Christi Domini agni immaculati significat. Ad hanc igitur domum Sancti in hac vita non attingunt; sed infra illam, ac prope illam conquiescunt: & quò propiores ad eam accedunt, eò securiores euadunt. Nam ad illam Philisthæi, id est, maligni spiritus non appropinquant, sed infra illam penitùs conteruntur. Vbi etiam addo, non immeritò Hebræos à sacrificio agni, ad domum agni excurrisse: quia tota Sanctorum vita à Christo incipit; in Christum desinit: à Christo nascente in stabulo exorditur; in Christum morientem in E Cruce terminatur: à Christo accipit merita, quibus in hac vita proficiat; à Christo accipit præmia, quibus in futura coronetur. Significat etiam Bethchar, eodem D. Greg. interprete, cælestem patriam, in qua Ioannes vidit agnum stantem. Apocalyp. 14. num. 1. Non igitur vsque ad illam, sed vsque ad locum, qui est subter illam, Philisthæi percutiuntur: quia maligni spiritus non vsque ad cælestem patriam, ad quam non irruunt; sed vsque ad vltimum vitæ terminum, quem obsident & ambiunt, debent à viris sanctis percuti & superari. Beda & Rabbanus, Bethchar non solùm domum

Tota Sanctorum vita à Christo incipit, in Christum desinit.

D. Greg.

Hostes debent ad vltimum vitæ terminum superari.

Beda. Rab.

Prædicatores nosque debet prætantur vsque ad cæ- terisionem.

domum agni, sed etiam domum agnitionis intetpretantur: quia Prædicatores, inquinit, eò fidei ignaros prædicando insequuntur, quousque omnis eorum error penitùs expurgetur.

Num. XII. Tulit autem Samuel lapidem vnum, & posuit eum inter Masphath, & inter Sen; & vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij. Dixitque: Huc vsque auxiliatus est nobis Dominus.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.
Prima causa, ob quam lapides eriguntur, est ad mortuorum memoriã conseruãdam.

TVlit autem, &c. Plutibus de causis lapides in Sctiptura eriguntur. Vna ad memoriam mortuorum conseruandam. Sic Iacob, mortua & sepulta Rachele in via, quæ ducit Ephratam, *erexit titulum super sepulcrum eius.* Gen. 35. n. 20. vt saltem in sepulcro, viua Rachelis memoria, seruaretur. Sic *Absalon erexerat sibi, cùm adhuc viueret, titulum, qui est in valle Regis. Dixerat enim: non habeo filium; & hoc erit monumentum nominis mei.* 2. Reg. 18. n. 18. Cùm enim videret, nullum sibi filium superesse, qoi parentis memoriam cum dignitate ad posteros transmitteret; ipse sibi titulum erexit; seu, vt Iosephus lib. 7. Antiq. c. 10. exponit, *Statuam marmoream*, in qua defuncti Principis memoria perennaret.

Iosephus.

Secunda, ad fœdera stabilienda.

Altera, ad fœdera semel inita, in posterum stabilienda. Sic Iacobus pactus cum socero suo Laban, *Tulit lapidem, & erexit illum in titulum*, &c. Gen. 31. n. 45. Sic Iosuë, pactus cum filiis Israël, *Tulit lapidem pergrandem, posuitque eum subter quercum*, &c. Ios. 24. num. 26. ne illa fœderum memoria illis expressa lapidibus, vlla temporum labe deleretur.

Tertia in Dei beneficiorum recordationē.

Tertia, ad beneficia diuinitùs accepta perpetuę recordationi commendanda. Sic Iacob inter dormiendum diuino fruitus colloquio: *Surgens mane, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum.* Genes. 28. n. 18 Idem rursus de Mesopotamia regressus, & à Deo sibi apparente ac benedicente magnis beneficiis cumulatus, *Erexit titulum lapideum, in loco, quo loquutus fuerat ei Deus.* Genes. 35. num. 14. Sic Moyses descendens de monte, in quo cum Deo loquutus fuerat, *Ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim Tribus Israël.* Exod. 24. num. 4. Sic Iosue, transmisso Iordane, duodecim lapides in littore, totidem in fluminis alueo erigendos curauit, Ios. 4. num. 8. & 9. vt in illis tanti beneficij memoria perpetuò vigeret.

II.
Quarta, ad nobilitatis & sanctitatis memoriam conseruandam.

Quarta, ad memoriam auitæ nobilitatis & sanctitatis conseruandam. Quo pacto Rubenitæ & Gaditæ, ac dimidia Tribus Manasse, videntes, se à cæteris Hebręis, interfluente Iordane, diuisos esse, & timeotes, ne à posteris, fide quoque & religione diuisi crederentur: *Ædificarunt iuxta Iordanem altare infinitæ magnitudinis.* Ios. 22. num. 10. Quod omnes Israëlitas & Cisamnenses & Transamenses eiusdem fidei ac religionis Professores esse testaretur.

Quinta, ad alicuius victoriæ monumentum.

Quinta & vltima, ad memoriam alicuius victoriæ illustrandam in præsens, & in posterum retinendam. Quo pacto veteres duces, victis hostibus, trophæa & monumenta erigebant: vt in profanis Literis passim reperitur: & interim Vuolfangus lib. 9. c. 1. latiùs ostendit.

Vuolfang.

Sic olim Saül, expugnata vrbe Amalech, erexit sibi fornicem triumphalem. 1. Reg. 15. num. 12. Et Samuel hoc loco, deuictis Philisthinis, lapidem vnum ad perpetuam memoriam excitauit.

Discrimē inter Samuelem & Saulem.

Quamuis in eo sit discrimen, quòd Saül propriam gloriam ambierit: vnde sibi dicitur, non Deo, illum fornicem erexisse: at verò Samuel diuinæ gloriæ statuerit; vt ex eo patet, quòd eum vocarit Lapidem adiutorij, dicens: *Huc vsque auxiliatus est nobis Dominus.* Quasi diceret: Sicut pugnandi auxilium à Deo profectum est; ita vincendi decus soli Deo tribuendum.

III.
An Samuel in erigendo lapide legem diuinam violarit.

Sed quæres: An Samuel violarit diuinam legem, quæ has lapidum erectiones prohibebat: *Non facietis*, inquit Legislator, *vobis idolum & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, vt adoretis eum.* Leuit. 26. num. 1. Qua in re, constat inter omnes, Samuelem non peccasse, cùm à nemine arguatur, ab omnibus commendetur. Sed, quo pactu excusetur, dubitatur.

Prima Samuelis excusatio arguitur.

Dicet aliquis, primò excusari: quia lex probibebat lapidem erigere ad eum adorandum; non autem ad alios fines, præsertim qui in diuinam gloriam redundabant, & quos Samuel intendebat. Immò ad metandos agros, & distinguendas leucas, & indicandas vias, lapides erigere, legi non repugnabat: vt Apollinarius & Procopius aduertunt.

Apollin. Procop.

Sed contrà: quia iuxta legis mentem illa lapidum erectio, non solùm cum animo, sed etiam cum periculo adorationis prohibebatur: vt Lorinus cum Abulensi & aliis iunioribus interpretatur.

Lorin. Abulens.

Hoc autem periculum cùm hoc loco non abfuerit; videtur planè hic lapis contra legis mentem collocatus.

Secunda item refellitur.

Secundò igitur respondebit aliquis, periculum adorationis tunc interuenire, cùm insignis lapis erigebatur, quem lex disertè prohibebat, dicens: *Nec insignem lapidem ponetis*: hoc est, lapidem politum, depictum, insignitum, eleganter figuratum, quem proinde Pagninus ex Hebræo vocat lapidem *Speculationis*, hoc est, sua pulchritudine visendum, seu spectandum; & qui ad solam adorationem factus videretur: non autem, cùm erigebatur rudis aliquis & impolitus lapis, qui neminem sui specie ac venustate ad se adorandum inuitaret.

Retorquetur argumentum.

Sed contrà: quia lapis à Samoele erectus non videtur fuisse de hoc genere, rudis & impolitus: sed in primis, vt fatetur Abulensis, magnus, & sua mole spectabilis; deinde fabrè dolatus, & graphicè expolitus, & aliqua fortasse epigraphe victoriam testante eleganter notatus & insculptus, qualis ad tantæ victoriæ monumentum necessarius videbatur.

IV.
Vera Samuelis excusatio apponitur.

Tertiò igitur respondeo, Samuelem, diuino priuilegio vsum, non egisse contra legem: quo pacto sacrificando extra locum, sacrificiis ex lege deputatum; &, cùm non esset legaliter Sacerdos, non peccauit, vt diximus, quòd priuilegio vteretur. Et pari ratione excusatur Iosue, & si qui alij Prophetæ post legem lapides erexerunt. Immò eandem ob causam excusat Abulensis in c. 4. Ios. q. 12. Rubenitas & Gaditas, ac dimidiam Tribum Manasse, altare infinitæ magnitudinis erigentes: quia Deo sic mandanti obtemperarant.

Abulens.

Confirmatur, & occurritur Petro Bles. & Abulensi.

Et ex Litera confirmatur: vbi nulla huius facti reprehensio continetur; saltem post eorũ intentionem omnibus patefactam. Vnde immeritò vocat Petrus Blesensis epist. 106. illud altare *sacrilegum*: cùm à Deo stare permissum fuerit, nec iussum labefactari. Itaque ob diuinum priuilegium hi lapidum erectores ab omni culpa excusantur.

Blesens. Abulens.

Addit Abulensis citatus, etiam præciso priuilegio, excusari posse ob auctoritatem personarum; quæ tanta erat, vt de illis nulla sinistra opinio, aut suspicio idololatriæ haberetur. Non sic sunt excusandi Saul & Absalon, qui ambitioso quodam studio sibi titulos & lapides erexerunt; cùm neque priuilegium habuerint; neque tantam auctoritatem, vt à se

omnem

omnem finistram suspicionem amouerent. Atque A hæc de his, qui lapides post legem excitarunt. Nam Iacobus & Moyses lapideos titulos citatis locis erigentes ante legem; legem saltem positiuam, quæ nulla tunc erat, violare non potuerunt: naturalem verò, quæ idololatrandi periculum cauere iubet, ex eo minimè violarunt, quòd diuino instinctu agerentur: qui autem Deo iubenti obtemperant, nullum peccandi periculum incurrunt: vt suprà Annot. 3. Sectione 1. §. 17. obseruaui. Vnde occasione huius lapidis nemo vnquàm dicitur idololatriam incurrisse.

Iacobus & Moyses ante legem lapides erexerunt.

V.

Inter Masphath & inter Sen, &c. De loco, in quo hic lapis constitutus est, nonnulla est diuersitas. Nam Vulgata dicit: *Inter Masphath & Sen.* Magister historiæ: *Posuit eum in terminus:* hoc est, B inter terminos, seo, extrema loca, inter quæ hæc excursio & concertatio facta est. Vatablus: *Inter Mizpa & inter Sichen.* Et in Scholio docet, Sichen fuisse promontorium, seu partem rupis, quæ longiùs procurrebat. Alij, apud Eucherium & Carthusianum: *inter Masphath & Siceleg.* Tandem Septuaginta, vt eos legit & sequitur D. August. lib. 17. De Ciuitate, cap. 7. *Inter Masphath nouam & veterem.* Per quas D. Augustinus nouum & vetus Testamentum intelligit: in quorum medio Christus Dominus illo in lapide figuratus reperitur: *Masphath*, inquit, *interpretatur intentio: Lapis ille adiutorij, mediatus est Saluatoris; per quem transeundum est à Masphath vetere ad nouam, id est, ab intentione, qua expectabatur in carnali C regno beatitudo falsa carnalis, ad intentionem, qua per nouum Testamentum expectatur in regno cælorum beatitudo nouissima spiritualis.* D. Gregorius per hos duos terminos, inter quos lapis statuitur, intelligit electos & reprobos, inter quos Christus Dominus collocatur. Et nomen, *Sen*, qui ab illo interpretatur *Excussio*, accommodat reprobis, à Christo Domino excutiendis & separandis: *Modo*, inquit, *velut in area frumentum & palea, electi simul sunt; sed dum ad vita terminum ducimur, electi à reprobis Dominica virtute diuiduntur: & velut inter se lapidem habent medium, dum illi pondus Redemptoris in damnationis suæ indicium sustinent; & isti in eius fortitudine æternæ gloriæ palmas tenent.* Vice versa Beda per *Sen*, quem interpretatur *nominatum*, in- D telligit populum Gentium; quarum nomina scripta sunt in cælis. Luc. 10. n. 20. & quas, *vt propriæ oues vocat nominatim*. Ioan. 10. n. 3. & consequenter per Masphath, populum Iudæorum: *Tulit igitur*, inquit, *Dominus lapidem pretiosum, angularem, electum, hoc est, semetipsum, & posuit inter Iudæorum & Gentium populum, qui potenti sui spiritus auxilio vtrunque congregaret in vnum.* Angelomus per Masphath & Sen, intelligit legem & Euangelium: in quorum medio Christus Dominus, & à Vatibus prædictus, & ab Apostolis prædicatus, mundo innotuit, & Diabolum superauit.

Magist. hist. De loco lapidis erecti variant Authores.
Vatabl.
Eucher.
Carthus.
D. August.
D. August.
Christus Dominus inter legem nouam & veterem, in illo lapide figuratus.
Per hos duos terminos probi & reprobi intelliguntur, primò.
Beda.
Populum Gentium & Iudæorum, secundò.
Angelom.
Legem & Euangelium, tertiò.

VI.

Et vocauit nomen loci illius, &c. De nomine etiam huius lapidis aliqua difficultas esse potest. Nam Iosephus 6. Antiq. 2. docet, vocatum fuisse hunc lapidem à Samuele *fortitudinem*: at verò exemplaria Hebræa, Græca & Latina, vocatum dicunt *Abenhaazer*, id est, Lapidem adiutorij. Potuit oriri diuersitas ex similitudine verborum Hebræorum. Nam עזר *Ghazar*, est, auxiliari: vnde עזר *Ghezer*, id est, auxilium. At verò עזז *Ghazaz*, est roborare, vnde עז *Ghoz*, id est, fortitudo. Ex qua fortè similitudine fieri potuit, vt à Iosepho Lapis fortitudinis diceretur; qui in Hebræo Abenhaazer, id est, Lapis adiutorij, appellatur: accepto nomine ab euentu, vt sæpè alibi fit. Voluit igitur Samuel, non bel-

Vocari Lapidem adiutorij placet, non fortitudinis. Ioseph.

licam suorum militum fortitudinem, sed diuinam vim ac potestatem sibi auxiliatricem, in eo lapide perpetuo consignari: vt nulla sibi gloria ex hoc certamine, sed tota Deo tribueretur. Cæterum, quamuis hic lapis modò nomen accipiat: tamen paulò antè c. 4. n. 1. per anticipationem, vt ibi diximus, Lapis adiutorij nuncupatur.

Inuſti omnia Deo referunt auxilianti.

VII.

Allegoria huius lapidis ad Christum Dominum communiter refertur, non solùm ex loco medio, quem obtinet, vt proximè obseruauimus: sed etiam ex nomine, quod sortitur, scilicet, *Lapis adiutorij.* Vnde D. Hieron. in epist. 127. ad Fabiolam, de quadraginta duabus mansionibus, in mansione 11. hunc lapidem & illum, in quo erant septem oculi, Zachariæ 3. n. 9. & illum, in quo sedit Moyses, orans pro Iosue pugnante contra Amalech; & in quo Aaron & Hur eius manus sustentabant. Exod. 17. n. 12. hos, inquam tres lapides, non distinguit; sed vnum atque eundem facit: *Sedet*, inquit, *Moyses super lapidem dictum à Zacharia, qui septem habebat oculos; & in Samuelis volumine appellatur Abenhaezer, id est, Lapis adiutorij, & vtraque manum eius Aaron & Hur, id est, montanus, lucidusq; sustentant.* Sed non intelligas fuisse vnum atque eundem re ipsa. Nam ille ocularis, mente solùm apprehensus fuit. Ille Mosaïcus erat in deserto Sin. Hic autem in terra Promissionis existebat. Solùm igitur fuit vnus atque idem significatione: quia omnes Christum Dominum significabant. Quo etiam pacto docuit idem D. Hieron. in Psalmum 133. ad finem, hunc lapidem adiutorij fuisse illum, quem Iacobus in Mesopotamiam profectus, supposuit capiti suo dormiturus, Gen. 28. n. 11. fuisse, inquam, non tam numero, quàm mysterio. *Lapis*, inquit, *ille, qui erat ad caput Iacob, Christus erat, lapis angularis. Lapis, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. Lapis ille, qui scriptus est in regnorum libro, Abenhaezer. Lapis iste Christus est. Abenhaezer autem interpretatur Lapis adiutorij.* Vbi obiter aduerte cum eodem D. Hieron. Iacobum non in paterna domo, sed in aspera solitudine inuenisse eum lapidem, qui Christum repræsentabat. Nam Christus non inter paternas delicias, sed inter pericula & labores inuenitur. *Iacob*, inquit, *eo tempore, quo fugiebat in Mesopotamiam, fratrem suum, venit ad Luz am: & ibi posuit lapidem ad caput. Sub capite ipsius lapis erat Christus: nunquàm sibi posuit lapidem ad caput, nisi eo tempore, quo persequutorem fugit. Quandiu erat in domo patris sui, & habebat refrigeria carnis, lapidem non habebat ad caput. Recessit de domo nudus: recessit in virga, & statim in ipsa nocte inuenit lapidem, & posuit ad caput suum. Qui talem habebat puluillum, in quo refrigerabat; videte visionem eius. Vidit, inquit, scalam*, &c.

Christus Dominus vetus adiutorij Lapis. D. Hieron.
Tres lapides ab Scriptura memoratos, vnum fuisse D. Hieronymus testatur.
D. Hier.
Christus Dominus in lapide Iacobi figuratus.
D. Hieron. Christus Dominus non inter delicias, sed labores inuenitur.

VIII.

In eandem significationem coniungit D. Petrus Chrysol. serm. 27. De scandalo tollendo, hunc Lapidem adiutorij, & illum angularem, Isai. 28. n. 16. & illum abscissum de monte sine manibus, Dan. 2. n. 33. docétque omnes typos fuisse Christi Do- E mini, quem Iudæi reprobantes, suum in scandalū conuerterunt; & cùm deberent ex hoc lapide sibi domicilium ad æternam vitam ædificare; sepulcrū ad æternam mortem ædificarunt. Vnde planè equū fuit, vt lapis molaris appenderetur collo huius populi, & proiiceretur in mare. Luc. 17. n. 2. *Quia lapis*, inquit, *molaris, dum triticum terit, dum farinam fundit, à polline furfurem dum secernit; panem piè laborantibus subministrat. Bene ergo illi, qui eligit minister scandali magis esse, quàm pacis; ut collum lapis alligatur molaris: vt hoc illum ad mortem trahat, quod illum trahere debuisset ad vitā: quia sensu*

D. Chrys. Ex hoc lapide Iudæi sepulcrum sibi ædificarunt.

ad vitam datos, mortis conuertit in scandalum: suadendo aliud videre, aliud audire, aliud sentire, aliud sapere, quàm erat in Christo, quàm erat in scientia salutari. Itaqoe infelix Iudæorum populus Lapidem adiutorij sibi in lapidem supplicij commutauit: & vbi ædificium habere potuit, habuit præcipitium: & in lapide molari, quod est instrumentum panis faciendi ad vitam sustentandam; inuenit instrumentum, quo famem pateretur, vt caois; ac tandem in æternam mortem truderetur.

Iudæi famem patiuntur, vt canes.

IX. *Huc vsque auxiliatus est nobis Dominus*, &c. Samuel posuit lapidem, & imposuit nomen. Vtriusque rei nunc causam inculcat, his verbis: *Huc vsque auxiliatus est nobis Dominus:* Siue illam verbis tantùm expresserit; quod solùm historia significat: siue etiam literis in eodem lapide consignarit; quod veri dissimile non est ad facti memoriam expressiùs conseruandam. Porrò his verbis vnum exprimit, alterum innuit. Exprimit quidem diuinum auxilium sibi ac suis præstitum: vt tota hæc victoria in diuinam laudem & gloriam referatur: optimo exemplo ad euaogelicum Præconem, ne de sua contra spirituales hostes fortitudine glorietur: sed totam à Deo acceptam fateatur. Vnde D. Greg. *Lapis*, inquit, *vnus à Samuele tollitur, cùm à sancta Ecclesia Prædicatore Redemptoris fortitudo singulariter prædicatur.* Nam, sicut Samuel in eo trophæo non suas vires, sed diuinas prædicauit: ita Prædicator non suam gloriam ostentare debet inter dicendum, sed diuinam. Quod in sequenti Annot. paucis illustrabo. Innuit autem, hoc auxilium non fuisse ad totalem hostium stragem, calamitatémque effusum; sed ad certos tantùm euentus limitatum, dicens: *Huc vsque:* neque enim extra terram Promissionis licuit excurrere, Palæsthinósque suis sedibus ac finibus propulsare: triplici de causa. Vna, ne populus victor, nimiùm insolesceret: præstat enim in mediocri victoria esse humilem, quàm in magnifica arrogantem. Altera, ne hostibus procul ac penitùs exturbatis, omni metu victor populus solueretur. Satius enim est, prudenter timere & prouidere, quàm temerè sperare & exultare. Tertia, vt sumpto ab externis hostibus ad internos documento, intelligamus, nunquàm spirituales hostes sic à nobis in hac vita debellari, vt non supersiot adhuc alij debellandi; & sic vicisse gaudeamus, vt posteà vinci posse cogitemus.

Verisimile est lapidem literis consignatum.

D. Greg. *Prædicatores fortitudinem suam Deo acceptam referant.*

Triplici de causa non fuit cæleste auxilium ad totalem hostium stragem.

Num. XIII. Et humiliati sunt Philisthiim: nec apposuerunt vltrà, vt venirent in terminos Israël. Facta est itaque manus Domini super Philisthæos, cunctis diebus Samuelis.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. ET *humiliati sunt*, &c. Ex Hebræo legi potest: *Contriti sunt.* Nam verbum ענה *Chanagh*, vtrunque significat, humiliare, & conterere. Et quidem superbis æquè durum est humiliari & conteri; vt, si quando humilientur, prorsus contriti sibi videantur. Vox passiua, *Humiliati sunt*, non voluntariam & fructuosam humilitatem significat: sed violentam & pœnalem. Neque enim ipsi se humiliarunt, & à sua superbia resipuerunt: sed humiliati sunt, & sine vllo humilitatis merito in humilitatis vilitatem corruerunt. In quos homines rectè exclamat D. Bern. ser. 34. in Cantica: *Quanti, inquit, humiliantur, & humiles non sunt? Alij cum rancore humiliantur; alij patienter; alij libenter: primi, rei; sequentes, innoxij; vltimi, iusti.* Vera igitur humilitas est, quam quis libenter subit: non quam patitur inuitus.

Superbis durũ humiliari.

Vera humilitas est, quam quis libenter subit, non patitur. D. Ber.

II. Sed difficultate non caret, quod additur: *Nec apposuerunt vltrà, vt venirent in terminos Israël.* Nam Philisthini sub initium regni Saülis Israelitas inuaserunt. 1. Reg. 13. num. 5. & 17. Et iterum, confirmato Saülis regno, *Congregantes Philisthiim agmina sua, in prælium conuenerunt*, &c. 1. Reg. 17. num. 1. Immò *erat bellum potens aduersùm Philisthæos omnibus diebus Saül.* 1. Reg. 14. num. 52. Vnde tandem Philisthini non solùm irruerunt in Israël, sed etiam eius exercitum profligarunt. 1. Reg. 31. à num. 1. Quin etiam sub tributo Hebræos tenuerunt vsque ad tempora Dauid Regis, qui *tulit frænum tributi de manu Philisthiim.* 2. Reg. 8. n. 1. Quo pacto igitur verum esse potest, quod hoc loco dicitur, Philisthinos non venisse vltrà in terminos Israël? Respondeo in primis illud, *vltrà*, statim determinari verbis sequentibus: *Facta est manus Domini super Philisthæos cunctis diebus Samuelis.* Hoc est, quandiu Samuel solus imperabat. Nam eo tempore non dicuntur Philisthæi ad prælium descendisse. Tanti momenti erat, iustum & strenuum Principem populo præesse; vt sub eo populus ab hostibus ne tentaretur quidem; tantùm abest, vt vinceretur.

An Philisthini venerint vltrà in terminos Israël.

Superiori dubio respondetur.

III. Deinde addo, dictionem Hebræam, עוד, *Ghod*, siue Latinam, *vltrà*, non semper perpetuitatem, sed aliquando longum tempus duntaxat significare; vt multis patet exemplis: *Non vocaberis vltrà Iacob, sed Israël erit nomen tuum.* Genes. 35. n. 10. Et tamen posteà sæpiùs Iacob vocatur. Item: *Israël non turbabitur ampliùs.* 2. Regum 7. num. 10. Et tamen posteà turbatus est. Deinde Regina Saba *Non habebat vltrà spiritum.* 3. Regum. 10. n. 5. Et tamen posteà spiritum collegit. Præterea: *Et vltrà non venerunt latrones Syriæ in terram Israël.* 4. Regum 6. num. 23. Et tamen posteà venerunt. Rursum: *Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium.* Isai. 2. num. 4. Et tamen posteà bellici tumultus non defuerunt. Tandem: *Non dabo vos vltrà opprobrium in Gentibus.* Ioël. 2. num. 19. Et tamen posteà in multò maius opprobrium illos tradidit. In quibus omnibus locis, *vltrà*, non perpetuam durationem, sed diuturnam tantùm significat: vt Lyranus, cæterique Interpretes aduertunt. Igitur hoc loco dicuntur Philisthini, non venisse vltrà in terminos Israël: hoc est, diu à terra Israël oppugnanda abstinuisse. Qua in re, interprete Diuo Gregorio, malignos spiritus repræsentant: qui, cùm ab iis, quos tentant, fortiter repelluntur; ad eosdem tentandos iterum accedere, diu reformidant: vt patet ex Luc. 4. n. 13. *Diabolus recessit ab illo vsque ad tempus.* Nam, vt bene ibi D. Ambr. *Instare formidat, quia refugit triumphari.*

Verbũ, vltrà, longum tempus significat aliquando, & probatur.

Lyran. *Maligni spiritus, si expelluntur fortiter, diu iterũ accedere reformidant.* D. Greg.

D. Ambr. *Causa diabolica formidinis.*

IV. *Facta est itaque*, &c. Manus Domini dicitur fieri super aliquem, quando aliquid in eo operatur, siue in bonum, siue in malum. In bonum quidem, vt cũ dicitur: *Manus Domini facta fuerat super Heliam.* 3. Reg. 18. n. 46. Et rursum: *Cumq; caneret Psaltes, facta est super eum manus Domini.* 4. Regum 3. n. 15. Sic præterea: *In Iuda verò facta est manus Domini, vt daret eis cor vnum.* 2. Paralip. 30. num. 12. Non aliter & Dauid: *Fiat*, inquit, *manus tua super virum dexteræ tuæ.* Psal. 79. num. 18. Et iterum: *Fiat manus tua, vt saluet me.* Psalm. 118. num. 173. Et sic de aliis. In malum verò, vt cùm dicitur: *Fiebat manus Domini per singulas ciuitates interfectionis*

Facta super aliquem manus Domini, aliquando sumitur in bonum.

Aliquando vero in malum. ctionis magnæ. 1. Regum 5. num. 9. Concinit illud: *Manus Domini super eos erat, & vehementer affligi sunt.* Iud. 2. n. 15. Et illud: *Ecce manus Domini super te, & eris cæcus.* Act. 13. n. 11. Et sic de cæteris.

Hic loco sumitur in malam probabilius. Vtrùm verò hoc loco dicatur manus Domini fieri super Philisthæos, in bonum, illuminando eorum mentes, nequid contra Hebræos, ac proinde contra Dei voluntatem moliantur; an potiùs in malum, terrendo eorum animos, & graues pœnas illis minitando, ne quid mali contra Israëlitas machinentur: dubium est, in hanc posteriorem partem cum Iosepho, Dionysio & Abulensi decidendum: nam Philisthini ad malum insigniter propensi, non tam amore, quàm terrore ducebantur. Vnde Vatablus legit: *Fuit manus Domini contra Philisthinos.*

Ioseph. Dionys. Abul.

Vatab.

B

V. *Israel solis Samuelis meritis hostes vincebat.* Durauerunt autem huiusmodi induciæ, vt sic appellem inter Hebræos & Philisthinos cunctis diebus Samuelis: non quibus vixit; nam, regnante Saüle, & viuente adhuc Samuele, bellum inter vtrosque exarsit, vt paulò antè dixi: sed quibus obtinuit principatum. Et rationem reddit Carthusianus hoc loco: *Quia Hebræi*, inquit, *sub Samuele Domino seruierunt; & ita tam meritis Samuelis, quàm propriis, istam aduersariorum suorum repressionem fortiti sunt.* Et in mystica expositione ostendens, quantùm sit Reipublicæ munimentum bonus Princeps, *Sic*, inquit, *præsidentibus viris virtuosis ac sanctis, repelluntur à subditis contrariæ potestates. Nempe, secundùm Iudicem populi, sic & ministri eius. Et qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Ecclesiastici 10. num. 2. *Quo constat, quantum bonum, & quàm præfulgidum Dei donum sit, idoneus & condignus Pastor. Ideò verè ait Scriptura: Multitudo sapientum sanitas est orbis terrarum: & Rex sapiens stabilimentum populi est.* Sap. 6. num. 26. Hæc ille. Hinc patet, quantùm vtilitatis ex bonis Prælatis toti Reipublicæ oriatur; cùm boni Principes non solùm spirituales vires, sed etiam temporales strenuè tueantur: illis verò deficientibus, omnia Reipublicæ præsidia labefactentur; vt videre est in Saüle, qui, dum in diuinæ legis obseruantia stetit; stetit & regnum: vbi primùm suæ probitatis iacturam fecit; totum regnum in extremas clades & exitia præcipitauit.

Carth.

Bonus Princeps magnum Reip. munimentum.

C

Saül dum in fide stetit, stetit regnum.

D

VI. *Obiectiones contra superiorem sententiam proponuntur.* Sed exsistit hoc loco dubitatio: Nam, si hæc pax inter Hebræos & Philisthinos solùm durauit, quandiu Samuel solus tenuit principatum; nihil durauit. Probo: Quia Samuel ante Saulem solos viginti annos, principatum gessit: vt in primo Tomo, Anuotatione 3. Sectione 6. ostendimus: hoc autem bellum, & consequenter pax ex illo subsequuta, incepit post vigesimum annum præfecturæ Samuelis: vt patet ex hoc capite, num. 2. & sequentibus: vbi priùs dicitur elapsus vigesimus annus à reductione Arcæ, & consequenter à principatu Samuelis: & postea bellum initum, & pax ex eo consequuta. Ergo nullum superfuit tempus sub Iudice Samuele, quo hæc pax viguisse dicatur. Quid ad hoc respondeam, apud Interpretes non inuenio. Dicet aliquis, hoc bellum initum fuisse aliquot annis, antequàm Samuel vigesimum in præfectura annum expleret; quamuis post illum per recapitulationem scribatur. Sed contrà: quia ille vigesimus annus numeratur à reductione Arcæ, vsque ad concionem Samuelis; vt ibi ostendimus: hoc autem bellum post illam concionem factum est; vt ex ipso historiæ ordine planum videtur. Ergo & post illum vigesimum annum. Respondeo igitur tripliciter: primò, hoc bellum contigisse initio vigesimi anni, vt

Occurritur tacitæ responsioni.

E

Respondetur superioribus obiectis primò.

A historiæ veritas saluetur: deinde verò vsque ad expletum eum annum sub Iudice Samuele illam pacem viguisse. Secundò, hic sermonem esse posse de pace, quæ floruit totis viginti annis, quibus Samuel imperauit: nam, excepto hoc vno prælio, de quo hic agitur; totum tempus præfecturæ Samuelis ab omnibus bellicis tumultibus cum Philisthinis interquieuit. Tertiò addi potest, hoc loco sermonem esse conditionalem, in hunc sensum: Bellum à Samuele contra Philisthinos tam fortiter gestum esse, & pacem cum illis tam firmiter stabilitam: vt si Samuel in præfectura perseueraret; cunctis eius diebus aurea quædam pax & tranquillitas ageretur: & manum Domini semper futuram fuisse super Philisthæos, interuentu Samuelis; qui eos in officio contineret, ne rebellarent; & si quid noui molirentur, in eorum fines vltor insiliret. Atque hæc dum alia aptior responsio non occurrit.

Respondetur secundò.

Respondetur tertiò.

Num. XIV. Et redditæ sunt vrbes, quas tulerant Philisthini ab Israël, Israëli; ab Accaron vsque Geth, & terminos suos: liberauitque Israël de manu Philisthinorum: eratque pax inter Israël & Amorrhæum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Boni ducis est, & possessa retinere, & amissa recuperare.* ET redditæ sunt, &c. Philisthini anteà præliis victores nonnullas Hebræorum vrbes, vt refert Ioseph. lib. 6. Antiq cap. 1. occuparant; quas modò Samuel victor ab eisdem vi eripuit; vt sentit idem Iosephus: vel à Philisthinis sponte oblatas recepit; metuentibus, ne amitterent proprias, si retinerent alienas, vt colligitur ex fonte, vbi est verbum תשבנה *Taschuba*, hoc est, *redierunt*: quasi non vi eriperentur, sed sponte ad antiquos possessores redirent: vel certè pacto inito, & propositis pacis conditionibus recuperauit; vt potiùs credit Abulensis. Vtcunque fuerit, felicitas fuit Samuelis, vt cunctas sui populi iacturas resarciret. Boni enim Imperatoris est, non solùm possessa retinere sed etiam amissa recuperare. Quo pacto Ioas Rex Israel, non solùm repulit vim Benadab Regis Syriæ; sed etiam eum compulit ad restituendas vrbes, quas ipse Benadab ceperat à Ioachaz Rege Israelis, & patre ipsius Ioas. 4. Reg. 13. n. 25. Atque hinc patet, non modò Samuelis militaris fortitudo, suos defendentis, & aduersarios spoliantis; sed etiam eximia ipsius Dei in populum liberalitas plura votis beneficia conferentis. Nam populus solùm postulauerat, vt saluaretur de manu Philisthinorum, suprà n. 8. Deus autem vlteriùs concessit, vt Philisthinos spoliaret, & ab eis captas vrbes extorqueret.

Ioseph.

Abulens.

Eximia Samuelis fortitudo & liberalitas.

II. Quot autem, & quæ fuerint hæ vrbes? non exprimitur in Litera. Biblia Sixtiana dicunt, fuisse vrbes ab Ascalone vsque ad Azob. Vulgata, ab Accarone vsque Geth. Fortè non est pugna: quia inter vtrosque terminos regio illa priùs capta à Philisthinis, & posteà ab Israëlitis recepta claudebatur. Dubium tamen est, an Accaron & Geth sumi debeant hoc loco exclusiuè; ita vt nō ipsæ extremæ vrbes, sed interiacentes tantùm reciperentur: an etiam inclusiuè; ita vt mediæ simul & extremæ ad Israëlitas rediēt. Vtrúque probabile existimat Abul. sed illud prius probabilius: quia Accarō & Geth etiā multò pōst ad Philisthinos pertinuerunt.

Abul.

Sumi hoc loco exclusiuè Accarõ & Geth, probabilius sentit Abulensis.
Ioseph.

A

nuerunt: Accaron quidem tempore Machabæorum; vt patet ex 1. eorum lib. c. 10. n. 89. Geth autem tempore Oziæ Regis; vt patet ex c. 6. Amos, n. 2. qui sub eo Rege prophetauit. Et eodem mihi videtur Iosephus citatus inclinare, dicens, agrum, quam latè inter Geth & Accaronem patet, a Samuele armis receptum. Non ergo extremę illæ vrbes, sed tantùm mediæ, cũ suis terminis, id est, pagis, compitis & territoriis ad Israëlitas redierunt.

III.
Bonus Pastor animas à Dæmonibus victas Deo reducit.
Dion.

Vtcunque res habuerit, certum est, Samuelem non solùm possessa conseruasse, sed etiam amissa recepisse. Quod Dion. mysticè expendens: *Sic*, inquit, *virtuosus Prælatus animas à Dæmonibus victas Christo reducit: & congregationes deformatas reformat, atque ab Ecclesia malignantium, in Ecclesiam Deo militantium, multos restituit ac deducit.* Adde &

B

pœnitentem priora peccata tetractantem, & ad meliorem frugem se recipientem hoc loco significari posse: quem constat, non solùm à Dæmonis seruitute liberum exire; sed etiam mortificata per peccatum merita recuperare: vt Theologi cum D. Thoma 3. p. q. 89. communiter inculcant. Vnde post illam Dei exhortationem: *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* Ioel. 2. n. 12. sequitur illa promissio: *Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus & rubigo & eruca.* Ibidem, n. 25. Quæ mysticè explicata, significat testitutionem meritorum, quæ per peccatum mortificata delituerant. Illa enim merita, quæ peccatum quodammodo abstulerat, facta post peccatum pœnitentia, reuocat ac reducit.

D. Thom.
Peccator per pœnitentiam amissa merita recuperat.

C

IV.
Lyra.
Carthus.
Philisthinis Israël commutata vice imperauit.
Abul.

Liberauitq́ Israël, &c. Lyra & alij, quos tacito nomine refert Carth. ita liberatum putant Israëlem de manu Philisthinorum, vt etiam illos miserit sub tributum: & Hebræi, qui anteà seruiebant; posteà, commutata vice, imperarint: contrà verò Philisthini de dominatu abierint in seruiturem. Quæ interpretatio displicet Abulensi: tum quia Philisthæi sub tributo tenuerunt Israelitas vsque ad regnum Dauidis. 2. Reg. 8. n. 1. tum, quia Philisthæi paulò inferiùs, omni armorum genere Israelitis interdixerunt, tanquàm hominibus, quos suo sub imperio tenebant. 1. Reg. 13. n. 19. Non ergo, vice versa, Israelitæ Philisthinis imperabant. Solùm igitur Samuel populum ab ea tyrannide, qua à Philisthinis opprimebatur, recreauit. Ita sentit

Oppositũ sentit Abulensis, sed eius rationes non conuincunt.

D

Abul. quãuis eius rationes non conuincant. Nam, vt sunt varię regnorum vices, potuerũt Philisthini Samueli imperanti tributa pendere; & rursum Samuele principatum deponente, ac Saüle occupante, ab ea subiectione resilire; & Hebræis tributa imperare. Vnde illius populi sub bono Principe felicitas, sub impio infelicitas manifestior redderetur. Et clarior appareret insania Hebræorum, qui à bono Principe, sub quo feliciter regebantur ad impium, sub quo pessimè tractarentur, defecerunt.

V.
Amorrhæus nomen genericũ ad Philisthæos.

Eratq́ pax inter Israël & Amorrhæum, &c. Id est, inter Israëlẽ & Philisthæum. Nam quãuis Amorrhæus propriè sit nomen specificum, significans vnam è septẽ Gentibus, quæ terrã Chanaan habi-

E

tabant; vt patet ex Ios. 3. n. 10. aliquando tamen est nomen genericũ, significans omnes Chananæos, vt patet ex verbis Domini: *Nondum completa sunt iniquitates Amorrhæorum.* Gen. 15. num. 16. Hoc est, omniũ Chananæorum. Et rursum ex verbis Iosuë: *Heu! Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Iordanem fluuiũ, vt traderes nos in manu Amorrhæi, & perderes?* Ios. 7. n. 7. hoc est, in manus Chananęi. Et ratio est: vel quia Amorrhæus primus occurrit Israëlitis terram promissam ingressis: qui à primo hoste, cæteros eiusdem regionis nomina-

Probatur ratione.

A

runt: vel, quia Amorrhæus inter cæteros Chananæos erat fortissimus; iuxta illud: *Altitudo cedrorum, altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus.* Amos 2. n. 9. à quo proinde in cæteros Chananæos nomen deriuatum: vel denique, quia Amorrhæus, cùm numerosissimus fuerit, plurimas colonias in diuersas Chananeæ partes propagauit; vnde omnes idem nomen acceperunt: vt Masius ad caput 10. Iosuë, num. 5. obseruat. Vbi Hebronitæ, qui erant Hethæi, à nomine generico Amorrhæi appellantur. Sic igitur Philisthini hoc loco de nomine generico illius regionis, appellari potuerunt Amorrhæi. Quamuis enim Philisthini non fuerint propriè Chananæi, nec inter illas septem Chananæorum gentes numerentur: tamen pro-

Mas.

B

pter vicinitatem & affinitatem cum illis contractam, Chananæi dicebantur: vt cap. 4. num. 1. iam aduertimus; & proinde etiam Amorrhæi.

VI.
Aliorum sententia reiicitur.

Quæ interpretatio potiùs placet, quàm quæ ab aliis traditur, firmatam pacem inter Israëlem & Amorrhæum propriè dictum. Nam, sicut hîc non agitur de bello contra Amorrhæos: ita consequens non erat, vt de pace cum illis inita ageretur. Dices, Amorrhæum in Philisthinorum auxilium venisse: & simul cum illis aduersùs Hebræos depugnasse. Sed hoc in primis Litera non exprimit, neque hoc loco, neque Ecclesiastici 46. vbi eadem historia replicatur, vt diximus: expressura profectò, si contigisset. Nam, sicut Ec-

Tacita obiectio occurritur.

C

clesiasticus meminit Tyriorum, cum Philisthæis ad hoc bellum coëuntium; ita planè meminisset Amorrhæorum, si illi in hoc prælium conspirassent. Deinde, quamuis Amorrhæus Philisthinos adiuuisset; non propterea Samuel, cum illo, sed cum præcipuis belli auctoribus, qui erant Philisthini, pacem statuisse diceretur. Neque enim consequens erat, vt à bello cum Philisthæis, ad pacem cum Amorrhæis scribendam, digressio fieret. Cum Philisthæis igitur & pugna & pax inita commemoratur. Hoc Samuelis factum ita laudat Caietanus, vt dicat, nec tempore Samsonis, nec tempore Heli tantum beneficium collatum fuisse Israëli. Quæ laus, quamuis parua sit, si ad tempus Heli referatur, in quo nihil præclarè gestum memoriæ proditur: tamen, si referatur ad

Caiet.
Laus Caietani de Samuele.

D

Samsonis tempus, in quo illustria facinora edita narrantur; eximia censetur.

VII.
Per hanc pacem significatur pax inter Iudæos & Gentiles constituta.
D. Greg.
Dionys.

Cæterùm huius pacis inter Hebræos & Philisthæos confirmatæ multiplex esse potest mystagogia. Nam iuxta Diuum Gregorium significat pacem, quam Christus Dominus fecit inter duos populos, Iudaïcum & Gentilem. *Ipse enim*, inquit Apostolus, *est pax nostra, qui fecit vtraque vnum.* Ephes. 2. num. 14. Iuxta Dionysium significat eam pacem, quam inter se habere debent boni fideles cum peccatoribus, quantùm sine offensa Dei queunt. Vnde est illud Apostoli: *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes.* Rom. 12. num. 18. Hæc enim pax

Significatur etiam pax bonorum fideliũ cum peccatoribus.

E

inter Christianos acerrimo bello Dæmones lacessit. Vnde Tertullianus libro Ad Martyres, capite primo, *Inueniat*, inquit, *Diabolus pace munitos, & concordia armatos; quia pax vestra bellum est illi:* iuxta Bedam, significat eam pacem, quæ in singulis hominibus esse debet inter carnem & spiritum; cùm huic illa concordissimè ancillatur: *Erit*, inquit, *in te pax, cùm deuicta in te vitia cuncta virtutibus fauere docueris: & membra, quæ fuerant arma iniquitatis, peccato; feceris arma iustitiæ Deo.* In quã sententiam rectè addit Carthusianus, fugiendam à nobis eam pacem, in qua spiritus tanquã seruus, carni,

Tert.
Beda.
Significatur etiam pax in vnoquoque inter carnem & spiritum.
Carth.

Fugienda illa pax, in qua caro spiritui dominatur.

carni, tanquàm dominæ, famuletur: *Absit*, inquit, *à nobis pax inordinata & pessima, qua spiritus acquiescit desideriis carnis, & ratio concupiscentiis seruit; ita quòd fatua famula dominæ principetur. Hæc est pax inquinata, quam cum Eua habuit Adam: quando ad Euæ suggestionem comedit fructum prohibitum.* Sed totum hoc argumentum commodiori loco fusiùs illustrabo.

ANNOTATIO XXVIII. CIRCA LITERAM.

Hebræorum cum Philisthinis pugna & victoria ad mores illustratur.

I. *Quinque res proponuntur illustranda.*

PLVRA sunt in Litera hactenus explicata, in primis digna, quæ ad mores illustrentur. Primum, Hebræi pœnitentiam agentes à Philisthinis acriter oppugnantur. Secundum, oppugnati, precibus & sacrificiis vehementiùs insistunt. Tertium, insistentes, per fulgura ac tonitrua diuinitùs adiuuantur. Quartum, adiuti, gratos se in Deum exhibent, & suæ gratitudinis erigunt monumentum. Quintum, erigentes, pacis ac tranquillitatis beneficio, à Deo remunerantur. Singula singulis Sectionibus illustrabo.

SECTIO I.

Quo tempore renuntiamus peccatis, grauiùs tentamur.

II. *Pœnitentes grauiùs à Diabolo affliguntur.*

QVod ad primum attinet: Hebręi conuenerant in Masphath, præterita flagitia abiurauerant, obortis lacrymis diluerant, ieiuniis corpora macerauerant, ac denique ad veram fidem, religionémque in posterum colendam, animum mentémque intenderant; vt Num. 6. dictum est: cùm subitò Philisthinorum Satrapæ cum ingenti non modò suorum, sed etiam Tyriorum exercitu instant oppugnatores. Quid hæc significent, rectè expendit D. Greg. *Ablatis*, inquit, *Diis alienis, peracto ieiunio, exhibita à Prædicatore censura examinis; ad Israël Philisthinorum Principes ascendunt: quia cum altiori vita proficimus, maligni spiritus, qui semper bene agentibus inuident, nobis infestiores sunt.* Et statim aduertit, non paucos, neque abiectos milites; sed omnes Principes & Satrapas Philisthinorum contra Israëlem ascendisse: *Quia*, inquit, *contra perfectiores Christi milites, non quorumlibet malorum spirituum, sed fortiorum Dæmonum prælia excitantur. Nec vnus spiritus malus electorum singulis, sed innumeri deputantur.* Quamuis, quod Dæmones faciunt ad certiorem electorum ruinam: ad nubiliorem eorum triumphum à Deo ordinetur: *Vt tantò*, pergit D. Greg. *sit copiosior fidelium gloria, quantò eis irrogata fuerint prælia grauiora.* Tandem, cùm Samuel offerret holocaustum; Philisthiim iniêre prælium contra Israel: *Quia maligni spiritus*, inquit Diuus Gregorius, *tunc aduersus fideles subditos grauiores tentationes commouent, cùm contra se stare instantiùs Pastores vident.*

D. Greg.

Contra fortiores Christi milites, fortiores Dæmones concertantur.

Quò prælium grauius, eò nobilior triumphus.

Dæmones tum subditos aduersantur, cùm vident bella sibi à Pastoribus intentari.

III. Sed non desunt aliunde grauissima ad eandem rem confirmandam & illustrandam argumenta. Iacobus in domo Laban soceri sui totos viginti annos pacificè transegit. Gen. 31. n. 38. At, vbi de illa seruitute deserenda cogitauit; statim Labanum sibi sensit inimicum & persequutorem. Ibidem, n. 23. Ita planè, qui Diabolo deseruiunt; omnia tuta & qoieta sibi fluere arbitrantur; sed, cùm de illo iugo diabolico excutiendo deliberant; statim Dæmonum incursus, minas, tædas in se acriter iactatas experiuntur. Vnde D. Cypr. lib. 3. epist. 1. *Non impugnat*, inquit, *aduersarius, nisi milites Christi: hæreticos prostratos semel, & suos factos contemnit, & præterit: eos quærit deiicere, quos videt stare.* Perrexit idem Iacob fugiens ex Mesopotamia: *Et transiuit vadum Iaboc*: seu, vt putat Magister historiæ, Vadum Iordanis: *traductísque omnibus, quæ ad se pertinebant, mansit solus.* Gen. 32. n. 22. & 23. Sed, quid deinde? *Et ecce vir luctabatur cum eo vsque manè.* Ibidem, n. 24. At, quis porrò ille vir? Procopius refert ex antiquis Rabbinis, fuisse Diabolum, qui, cùm videret, Iacobum sibi è manibus quodammodo elabi, & ab idololatris, ad veri Numinis cultores remeare; doloris impatiens fugientem inuadebat, & in priorem idololatrarum colluuiem reuocabat. Rabbinis quidem illum virum esse Diabolum asserentibus non assentior. Assero tamen, talem se Diabolum hominibus exhibere; in peccato dormientes souet, & curat altiùs consopire: sed à peccato euigilantes, & ad meliorem frugem resipiscentes, pungit, lacerat & cruentat. Vnde D. Petr. Chrysologus serm. 96. *Hostis*, inquit, *plus ducem, quàm militem petit; nec obsidet mortuos, sed impugnat viuentes: sic Diabolus non peccatores quærit capere, quos possidet subiugatos; sed vt iustos capiat, sic laborat.*

Vbi peccator à Diabolo seruitio excedit, minas incurrit & tentationes.

D. Cypr.

Diabolū cum Iacob luctari crediti aliqui, sed falsò.

Procop.

Peccatores è peccato euigilantes luctu statim exercentur.

D. Petrus Chrysol.

IV. Hebræi in Ægypto plusquàm ducentos annos seruitutem seruierunt: eam tamen adeò facilem ac blandam, vt à Pharaone vacare ac feriari dicerentur: *Vacant*, inquit, *& idcircò vociferantur.* Exod. 5. num. 8. Verùm, cùm fugam meditari cœperunt, & de illa seruitute deserenda cogitarunt; longè acerbioribus molestiis à Pharaone exercentur: *Opprimantur*, inquit, *operibus luti, & expleant ea.* Ibidem, num. 9. Non aliter & Diabolus, dum ei deseruiunt peccatores, adulterinam quandam simulat lenitatem: sed, cùm ab eo transfugere moliuntur, crudam durámque tyrannidem exercet. Vnde D. Bern. in serm. De conuersione ad Clericos, c. 18. *Quotidianis*, inquit, *discimus experimentis, eos, qui conuerti ad Deum deliberant, tentari acriùs à concupiscentia carnis; & vrgeri grauiùs in operibus luti & laterum, qui Ægypto egredi, & Pharaonis imperium effugere moliuntur.* Rem declarat Diuus Chrysostomus hom. 31. in Gen. piratarum similitudine, qui fugientes naues, quò pluribus mercibus fuerint oneratæ, eò plenioribus velis insequuntur: *Quemadmodum*, inquit, *pirata, quando videt nauem multis mercibus oneratam, & plurimas adducentem diuitias, tunc potissimùm variis moliuntur insidiis, vt possint mercibus omnibus nauigantes illos spoliare: ita sanè & Diabolus, cùm viderit spirituales diuitias coaceruatas, alacritatem feruidam, mentem vigilem, & quotidie diuitias augeri; cruciatur, & dentibus frendet, & quasi pirata circuit, & innumeras excogitat artes, vt si quà vel paruum inueniat aditum; quidquid nobis est spiritualium diuitiarum deprædetur.*

Diabolus seruis suis simulatum exhibet otium.

D. Bern.

Transfugis verò negotium.

D. Chrys.

Naues quò plùs oneratæ, eò plùs à prædonibus obsidentur: ita anima à Diabolo.

V. Antequàm populus Israëliticus panem de cælo manducaret, Exod. 16. à num. 4. & aquam de petra diuinitùs subministratam hauriret, Exod. 17. à num. 6. nullas incursiones hostiles passus est. Vbi verò illo pane & illo potu se refecit, & contra viarum difficultates se muniuit, statim sequitur: *Venit Amalec, & pugnabat*

Diabolus ad cælum tendentium sanguinem lambere desiderat.

Strab.

contra Israël. Exod. 17. n. 8. Vbi Strabus: *Amalec,* inquit, *interpretatur bibens, vel lambens sanguinem; & significat Diabolum, qui Sanctos de Ægypto exeuntes, & ad terram Promissionis tendentes semper impugnat, & animarum sanguinem lambere desiderat.* Et quamuis non dicat, eam pugnam ab Amalec susceptam esse in inuidiam illius conuiuij, quo se populus ad sequendum diuinum imperium roborarat: tamẽ hoc ipsum clarissimè expressit D. Aug. serm. 93. De tempore:

D. August.

Bibit, inquit, *de petra populus; & statim bellum iniit contra Amalec. Videte, Fratres, quia posteaquàm quisque de petra biberit, id est, Christi Sacramenta susceperit; necesse est illi ad pugnam procedere. Tandiu enim aliquis Diabolum contra se pugnantem non sentiet, quandiu opera illius exercere voluerit. Qui verò illum reliquerit, & de petra bibens,* B *Christum sequi elegerit, necesse est, vt illum patiatur infestum.* Eandem rem multò antè Origen. hom. 11. in Exod. expenderat. Nam illam Amalecitarum contra Israëlitas pugnam commentatus, *Antequàm,* inquit, *Israel manducaret panem de cælo, & biberet aquam de petra, non refertur populus pugnasse, sed dicitur ad eum: Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis.* Exod. 14. num. 14. *Tu ergo, cùm cœperis manducare manna, panem cælestem verbi Dei, & bibere aquam de petra, cùmque ad interiora doctrinæ spiritualis accesseris: expecta pugnam, & præpara te ad bellum.*

Qui frequenter confugit ad Sacramenta, grauius bellum patitur.

Orig.

VI. Populum de Ægypto exeuntem, & Gentilitiis ritibus ac ceremoniis renuncianté reformaturus C olim Deus, & ad pietatem, veríque Numinis cultum instructurus, legem dedit Moysi in monte Sinaï, Exod. 20. vsque ad 31. inclusiuè, vbi omnia præcepta, & moralia, & ceremonialia, & iudicialia diligentissimè prosequutus; tandem *dedit Moysi duas tabulas testimonij lapideas scriptas digito Dei.* Exod. 31. n. 18. Sensit Diabolus, quantùm sibi ex illis tabulis detrimentum nasceretur: eam legem fore illius populi ad veram fidem ac religionem pædagogum, dediscendas esse superstitiones Ægyptiacas, abolendas prauas consuetudines, extinguendam idololatriam, reformandos mores, excolendam fidem, vnum ac verum Deum totis animis amplectendum. Quid ergo? In iras exarsit; quidquid vi, D aut fraude voluit, intendit; omnia machinamenta adhibuit, vt traditam legem rescinderet, vt idololatriam nutriret, vt felicia illius populi ad veram pietatem exordia perturbaret: vt denique is, qui fidem tueri debebat, Aaron, conflato vitulo suum ad fidem destruendam patrocinium conferret. Sic enim populum stimulauit, vt congregatus aduersùs Aaronem, diceret: *Surge, fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Exodi 32. num. 1. Quod D. Petrus Chrysologus serm. 96. citato expendens, *Sic legem,* inquit, *diuinis & veracibus satam præceptis, humanis & mendacibus fucauit inuentis; vt de Sacerdote fieret persequutor, de Doctore deprauator existeret, de defensore legis redderetur inimicus.* Itaque, vbi prima sanctitatis fundamenta à Deo iaciuntur: ibi pessima impietatis machinamenta à Diabolo suscitantur; E vt irrita euadant, quæ feliciter cœperunt.

Diabolus aduersus salutis fundamenta, machinatur insidias.

D. Petrus Chrysol.

VII. Quin etiam, cùm Christus Dominus *seminauit bonum semen in agro suo,* Matthæi 13. num. 24. statim *Venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici.* Ibidem, num. 25. Vbi Diuus Petrus Chrysologus citatus, notat, non seminasse, sed superseminasse: quòd Diabolus ad inchoata bona destruenda promptior accurrat. Item, non in medio spinarum; sed in medio tritici superseuisse zizania: quòd ad optimos fructus eludendos potissimùm enitatur: *Diabolus,* inquit, *be-*

D. Chrys.

Diabolus bene inchoata destruere conatur.

A *nesos inter fideles; inter sanctos, peccatum; inter pacificos, lites, inter simplices, dolos; inter innocentes, nequitiam gratis serere consueuit: non vt acquirat zizania; sed vt triticum perdat: nec vt reos capiat; sed vt adimat innocentes.* Quam Dæmonis fraudem mihi videntur olim Hebræorum hostes adumbrasse. Nam, *cùm seuisset Israel, ascendebat Madian & Amalec, cæterique orientalium nationum; & sicut erant in herbis, cuncta vastabant.* Vbi Origenes hom. 7. Dæmonum conatus ad vberes virtutum fructus demoliendos recognoscit: *Frequenter,* inquit, *accidit, vt aliquis in opere spirituali multum desudans, fructus quàm plurimos fecerit, & repleuerit horrea sua iustitiæ frugibus, & multa bona opera recondiderit in conscientiæ suæ conclaui: posteà verò, si negligat, & post laborem* B *procliuius ad voluptates & luxurias vergat; omnia ei bonorum semina, & fructus sancti operis, dominante libidine, corrumpantur.* Nihilominùs, cùm illi hostes potiùs ad sementem, quàm ad messem destruendam conuolarint; potiùs mihi significare videntur, ipsos Dæmones, non ad consummata virtutum opera labefactanda; sed ad inchoata impedienda concurrentes. Mirum enim est, quantopere conetur Diabolus, eos, qui meliorem frugem aggrediuntur, à sanctis propositis deterrere, & à bonis cœptis deturbare.

Optimos semper fructus intercipit.

Origen.

Bonorum operum principia Diabolus labefactare conatur.

VIII. Ad hanc rem pertinet in sensu mystico illud Dei ad Iobum: *Per quam viam spargitur lux: & diuiditur æstus super terram.* Iob. 38. num. 24. Quasi C diceret: Vbi primum à Deo in intellectum cælestis gratiæ lumina infunduntur; statim à Diabolo in voluntate quædam inferorum incendia excitantur. Sic enim D. Greg. lib. 29. Moral. c. 12. aliàs 14 exponit: *Cùm,* inquit, *diuina lux in mentes humanas spargitur; mox ab occulto aduersario, contra fulgentem mentem, tentamenta succrescunt.* Et statim: *Hostis nanque callidus, quos iustitiæ luce splendescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit.* Et rursum: *Post lucem ergo æstus sequitur: quia post illuminationem diuini muneris, tentationis certamen augetur.* In quindecim templi gradibus totidem psalmi singuli in singulis canebantur: qui propterea *canticum graduum* inscri- D buntur. In primo igitur gradu, à quo incipiebat ascensus, canebatur Psalmus 119. In cuius secundo versiculo Dauid, *Domine,* inquit, *libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Sed, cur, inquies, Dauid in primo statim ascensu, à labiis iniquis, & à lingua dolosa postulabat liberari? Optimè D. Basilius citatus in Glossa, *Cùm,* inquit, *incipit homo ascendere, id est, cogitat proficere, contempto seculo, soli hærere Deo, incipit pati linguas aduersantium, &, quod est grauius, à salute auertentium. Has, qui non patitur, nondum proficere conatur.*

Mentes a Deo illuminatæ, tenebrosa bella experiuntur.

D. Greg.

Olim in singulis templi gradibus singuli psalmi canebantur.

In ipso cæli ascensu maledicas linguas patiuntur iusti.

D. Bas.

IX. Rem expertus est ipse Dauid. Nam, cùm à Deo postularet, de iustificationibus illius edoceri; hoc est, ad meliorem viuendi rationem traduci, subdit: *Multiplicata est super me iniquitas superborum.* E Psal. 118. n. 69. quasi eum tentantium, & à via salutis retrahentium. Vnde D. Ambr. serm. 9. in eum Psalmum: *Quantò magis,* inquit, *quis Deo seruire desiderat, tantò magis in se excitat aduersarios: & tanquam athleta fortis coronam iustitiæ reportare desiderans, irritat in se plurimos, & lacessit, qui inuident nostro profectui.* Denique Christus Dominus, cùm seuerioris vitæ exempla edidit orando, pernoctando & ieiunando; tunc diriora sustinuit Dæmonis tentamenta. Nam statim accessit tentator, Matth. 4. num. 3. Nec alius quidem, quàm ipse Lucifer: vt D. August. lib. 9. De Ciuitate, cap. 21. testatur;

Si crescit proficiendi desiderium, crescunt aduersarij.

D. Ambr.

D. August.

D.Chryſ. Etiam Chriſtus Dominus cùm ſeueriore vita edidit exempla, grauiora ſuſtinuit tẽtamenta.

teſtatur; ſeu, vt vocat D. Chryſoſtom. in Pſal.2. *Archidæmon*: vt ſicut nobilitate naturæ cæteris anteibat; ita & tentandi poteſtate acrior deſæuiret. Nec ſemel tantùm, ſed ſæpiùs Diabolum tentatorem paſſus eſt; iuxta illud: *Tentabatur à Satana.* Matc.1. num.13. *Tentabatur à Diabolo.* Luc. 4.num. 2. Vbi verbum illud, *tentabatur*, non vnum actum, ſed frequentiam importat. Immò non ab vno tantùm Dæmone, ſed à pluribus tentationes patiebatur: vt Euſebius lib.9. demonſt. cap.7.teſtatur. Vbi enim maiora virtutum indicia exhibentur: ibi plures ad tentandum Dæmones congrediuntur.

Euſeb.

X.

Cur in Quadrageſima homines acrioribus tentamentis vrgeantur.

Caſſ.

Hinc tandem eſt, quòd acrioribus tentationibus quadrageſimali tempore Chriſtiani vrgeantur: quòd tunc à diabolica ſeruitute exire impenſiùs conentur. Sic enim veteres illi Eremitæ docuerunt apud Caſſianum, collat.21. cap.28. vbi loquutus de ieiunio quadrageſimali: *Frequentiſſimè*, inquit, *ſeniores noſtri idcircò illis diebus maximè impugnari omne Monachorum genus, antiqua inimicæ gentis conſuetudine, teſtabantur, & ad tranſmigrandum de ſuis ſedibus acriùs perurgeri: eò quòd ſecundùm illam ſimilitudinem, qua tunc Ægyptij filios Iſraël violentis afflictionibus opprimebant, nunc quoque verum Iſraël, id eſt, Monachorum plebem intellectuales Ægyptij duriſſimis ac luculentis operibus incuruare conentur; ne per amicam Deo quietem, terram Ægyptiam deſerentes, ad eremum virtutum ſalubriter tranſeamus.* Conſentit D. Leo ſerm.2. De Quadrageſima, vbi fidelem animam alloquutus: *Semper tibi, ô anima Chriſtiana, vigilandum contra ſalutis tuæ aduerſarium fuit: ſed modò tibi maior cautio, & ſollicitior adſumenda prudentia eſt, quando idem hoſtis tuus acriori ſæuit inuidia.* Et rationem reddit huius maioris inuidiæ, qua Diabolus in Quadrageſima exagitatur: Quia *nunc*, inquit, *in toto mundo poteſtas ei antiquæ dominationis aufertur, & innumera illi captiuitatis vaſa rapiuntur. Renuntiatur atrociſſimo prædoni à populis omnium nationum: & nullum iam genus hominum reperitur, quod non tyrannicis legibus reluctetur. Fremit ergo expoliati hoſtis impius furor, & nouum quærit lucrum, quia ius perdidit antiquum.*

D.Leo. Quo Dæmon acriùs ſæuit, eò acriùs vigilandum.

Ideò Dæmon in Quadrageſima ſæuit acriùs, quia penitùs ſpoliatur.

XI.

D.Bernard. Diabolus in Quadrageſima ex inuidia maiores infert tentationes.

Sed & D. Bernard. ſerm.3. De ieiunio Quadrageſimæ, maiorem ſpiritus feruorem à nobis tunc requirit, vt ardentiora iacula inimici extinguere valeamus. *Propterea*, inquit, *ſi fortè diebus cæteris ſtudia veſtra aliquatenus intepuerant; dignum eſt, vt nunc in feruore ſpiritus recaleſcant.* Et ruſum ſerm.7.in Pſal. *Qui habitat*, oſtendit, Diabolum in Quadrageſima, ex inuidia hominum ad pœnitentiam redeuntium, grauiores tentationes inferre: & rem epiphonemate concludens, *Ex vehementiſſimo*, inquit, *proprij cruciatus lmoris in tantum prorupit malitia inueterata furorem, his præſertim diebus ſanctis acriùs ſe indicans veſtra deuotione torqueri.* Ac tandem ſerm.2.in eundem Pſalm. docet, Eccleſiam in Quadrageſima frequentiùs vſurpare illum verſiculum, *Angelis ſuis Deus mandauit de te*, &c. vt implorato frequentiùs Angelorum ſubſidio, contra Dæmones tunc acriùs impugnantes ſe tueatur. Ex quibus tandem conſtat, eos, qui ſaniorem viuendi formam exordiuntur; turbulentioribus à Dæmone tentamentis exagitari. *Nam omnes*, inquit D.Paulus, *qui piè volunt viuere in Chriſto IESV, perſecutionem patientur.* 2.Timoth.3.num.12. Quaſi, antequàm bonum viuendi ſtatum ineant, à tentationibus ferientur: poſteà tentationibus obruantur. Vnde Sapiens: *Fili*, inquit, *accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccleſiaſtici 2.num.1. Neque enim otia, ſed prælia agenda ſunt illi, qui mundi Principi, & victori Chriſto Domino triumphaturus adhæret. Sed de hac re, quæ in 1. Tomo, Annot.20. Sect.3. diximus, conſulantur.

Inuocandum Angelorum ſubſidium, vt eo tempore acriùs impugnetur.

Non otia, ſed prælia agit, qui relicto Diabolo, Chriſto adhæret.

SECTIO II.

Ad Deum recurrant, qui ab hoſtibus oppugnantur.

I.

QVod ad ſecundum attinet: Iſraëlitæ à Philiſthinis acriter oppugnati, & humano præſidio penitùs deſtituti, confugiunt ad diuinum: *Ne ceſſes*, inquiunt ad Samuelem, *orare pro nobis.* Ac ſi preces, lacrymæ & ſacrificia Samuelis, illis, pro armis, muris & propugnaculis ad arcendos hoſtium incurſus ſatis eſſe viderentur. Hinc Dauid non minùs precibus, quàm gladiis ſuos milites armatos cupiebat: *Exaltationes*, inquit, *Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.* Pſal.149.num.6. Vbi D.Chryſoſt. *Oſtendit*, inquit, *quòd canentes & laudantes ſic vincent.* Quaſi nulla poſſent efficaciora præſidia comparari, ad victoriam de hoſtibus reportandam, quàm Sanctorum orationes: ita vt illæ quidem Deo cantilenæ in ore, hoſtibus gladij ancipites in manibus videantur.

Nulla validiora iacula, quàm Sanctorum preces.

D. Chryſ.

II.

Olim plùs proficiebant iuſti orando, quàm duces bellando.

Cùm Amalec Iſraelitas acriter oppugnaret, eoſdem Ioſue fortiter dimicando non poterat propugnare. Quid ergo Moyſes? non ad repellendum hoſtem, ſed ad precandum Deum promptus accurrit. Ita factum, vt ſuis precibus facilè obtineret, quod Ioſue ſuis viribus non præſtabat. Exod.17.num.11. Vnde Sacerdos Eliachim Iſraëlitas ab Aſſyriis grauiter oppreſſos, non ad pugnas, ſed ad preces hortabatur: teſtatus, ſicut olim contra Amalecitas; ita nunc contra Aſſyrios, plùs orando, quàm pugnando, profecturos: *Scitote*, inquit, *quoniã exaudiet Dominus preces veſtras.* Et ſtatim celebri cõfirmans exemplo: *Memores*, inquit, *eſtote Moyſi, ſerui Domini: qui Amalec confidentem in virtute ſua, & in potentia ſua, & in exercitu ſuo, & in clypeis ſuis, & in curribus ſuis, & in equitibus ſuis, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecit.* Iudith 4. num.12. Vbi totam illam victoriam attribuit, non Ioſuë, quamuis fortiſſimè prælianti; ſed vni Moyſi ſanctis precibus inſiſtenti. Ad quam rem alludens D. Greg. Nazianz. Orat. 12. quæ eſt prima De pace, *Pugnantibus*, inquit, *manuum extenſio innumerabilium copiarum inſtar erat, orationis operâ trophæa erigens.* Et clariùs D. Chryſoſtomus ſerm. De Moyſe, in 1.tomo, *Fit*, inquit, *Moyſe orante, occulta pugna, manifeſta victoria: latenter dimicat, vt euidenter deuincat.* Et poſt multa de hac Moyſis oratione, ſubdit: *Quis iuſtorum non orando pugnauit? Quis hoſtem non orando deuicit? Orationibus Danieli viſa panduntur, ſopiuntur flammæ, feræ hebeſcunt, cadunt hoſtes, inimici vincuntur. Quantò enim purior, frequentiórque fuerit celebrata oratio, tantò celerior veniet inimica vindicta. Hoſtis, dum oras, premitur: dum ceſſas, erigitur.* Hæc ille.

Alio firmatur exemplo.

D.Greg.

Sanctorum preces, copiæ innumerabiles.

D.Chryſoſt.

Iuſti precibus occulta pugna dimicãt, ſed aperta victoria.

III.

Vana ſunt præſidia humana, niſi diuinis confirmentur.

Quare iidem Iſraelitæ ad potentiam Holofernis repellendam, magnis ſe ſumptibus, & militaribus præſidiis munierunt: *Præoccupauerunt*, inquit Textus, *omnes vertices montium. Et muris circumdederunt vicos ſuos, & congregauerunt frumenta in præparationem pugnæ*, &c. Iudith 4. à num. 3. Sed perinde ac ſi hæc omnia munimenta irrita & inania cenſerent, ad maiora orationum præſidia

conuolarunt: sequitur enim: *Et clamauit omnis populus ad Dominum instantia magna: & humiliauerunt animas suas in ieiuniis & orationibus.* Ibidem, à num. 8. Vbi rectè Lyranus, *Fecit*, inquit, *primò, quod potuit, ne tentaret Deum: sed residuum, quod facere non poterat, Deo precibus commendabat.* Certus omninò, vana esse omnia præsidia humana, nisi diuinis firmarentur. Certè ipsa Iudith, non modò cùm ingens ab hostibus periculum instabat, precibus efficaciter incumbebat; vt videre est capit. 9. à num. 2. sed etiam cùm iam pugna penè confecta, & victoria parta videbatur; adhuc nihilominùs de orandi contentione nihil omnioò remittebat. Iam enim steterat ante lectum Holofernis arctissimè dormientis; iam eius gladium manu altera euaginarat; iam altera eius comam capitis apprehenderat; iam nihil aliud superesse videbatur, quàm victoria, quàm triumphus: & nihilominùs Iudith adhuc de suis viribus timida, diuinas efficaciter implorabat, dicens: *Confirma me, Domine Deus, in hac hora.* Iudith 13. num. 9. Hoc enim si abesset orationis præsidium, parum de cæteris confidebat.

Lyran.

Iusti etiã propè parta victoria ab oratione non desistunt.

IV. Non exiguas contra Absalonem copias habebat Rex Dauid, qoibus facilè posset contundere filium inueniliter exultantem, & in paternum solium irruentem: nihilominùs quasi parum humano præsidio, multùm diuino inniteretur; ad solam orationem confugit, dicens: *Domine Deus meus, in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. Nequando rapiat, vt leo, animam meam; dum non est, qui redimat, neque qui saluum faciat.* Psalm. 7. num. 2. & 3. Vbi Absalonem vocat leonem ad impugnandum: se verò imparem fatetur ad resistendum. Quam Dauidis de diuinis præsidiis fiduciam, & de propriis diffidentiam admiratus D. Chrysost. *Collegit*, inquit, *exercitum, & multos secum habuit: quomodo ergo non est, qui redimat, neque qui saluum faciat?* Et respondet: *Quoniam, ut vniuersum quidem Orbem terrarum auxilij loco habet; nisi opem diuinam fuerit assequutus. Nec se esse ducit in solitudine, licèt solus sit; si sit illius auxilij particeps.* Hinc est, quòd idem Dauid fugiens Absalonem, non aliam institerit viam, quàm oliuarum. *Rex quoque*, inquit Textus, *transgrediebatur torrentem Cedron: & cunctus populus incedebat contra viam oliuæ, quæ respicit ad desertum.* 2. Reg. 15. n. 23. Nam oliua typus est diuinæ misericordiæ, quam Dauid suis precibus implorando, potiùs quàm suis armis resistendo; è persequutoris sui manibus se euasurum sperabat: seorsim verò in illo monte Oliuarum, ex quo Christum ad cælum ascensurum præuidebat, vberiorem implorantibus gratiam largiendam non dubitabat. Ita ferè D. Cyril. Hierosol. Catechesi 2. De pœnitentia, *Cùm*, inquit, *Absalon aduersùs illum*, id est, Dauidem, *arma cepit; quamuis multa illi ad fugam via paterent: per montes tamen oliuarum fugere maluit, firma inuocans mente liberatorem illum, qui istinc cælos ascensurus erat.* Itaque vbi accommodatior orationi patebat locus; ibi efficacius de diuina misericordia subsidium contra suum persequutorem sperabat.

Dauid humilitas, qua se filio imparẽ credebat, cõmendatur.

D. Chrys.

Omne Orbis auxiliũ sine diuino, nullum est.

Oliua, diuinæ misericordiæ typus.

D. Cyril.

In ascensionis dominicæ locũ confugiebat Dauid, vtpote orationi aptiorem.

V. Ingentes animos puer adhuc Dauid contra Philisthæum, veteranum bellatorem, afferebat. At, vnde illos hauriebat? Ex baculo, funda ac lapide, quibus tantùm armatus in aciem prodibat? Sed, quis non videt, quàm infirma illa fuerint ad animos tanto in discrimine augendos instrumenta? Vnde ergo? Credo ex oratione, qua se priùs ad bellandum præmunierat: vt ipsemet non obscurè significauit, dicens ad Gigantem: *Ego venio ad* A *te in nomine Domini exercituum.* 1. Reg. 17. num. 45. scilicet, priùs humiliter implorato; vt D. Chrysost. homil. 3. De Dauide & Saule exponit. Et subdit: *Hæc*, inquit, nempe, oratio, *Barbarum illum, & alienigenam prostrauit; eò quòd priusquàm mitteret lapides, eum precationis robore fuerat aggressus. Neque enim vulgari more proiecit lapidem; sed priùs dixerat: Tu venis ad me in Diis tuis: ego autem venio ad te in nomine Domini Sabbaoth. Hæc vox lapidem manu direxit in Goliath: hæc pauorem incussit Barbaro: hæc hostis confidentiam fregit.* Et paulò pòst ad alia huius orationis miracula digreditur: *Quid miraris*, inquit, *si vox iusti, & furorem mitigat, & hostes deiicit, cùm impios quoque spiritus expellat? Loquebantur tantùm Apostoli, & fugiebant aduer-* B *saria potestates.* Vbi non loquitur de quacunque Apostolorum voce: sed de illa, quam Christus Dominus appellauit Dæmoniorum expultricem. Matth. 17. num. 21. nempe, oratione. Quod aliis pergit exemplis illustrare: quibus ostendit, quàm mirabiles ex oratione effectus subsequantur.

Dauid gigantem facta prius oratione debellauit.

D. Chrys.

Oratio Dæmones fugat.

VI. Recepit se idem Dauid in speluncam Odollam, 1. Reg. 22. num. 1. & cùm ibi magno esset in vitæ periculo constitutus, Psalmum edidit 141. vbi Deum magnis clamoribus deprecatur. Et inter alia: *Periit*, inquit, *fuga à me, & non est, qui requirat animam meam. Clamaui ad te, Domine. Dixi: Tu es spes mea, portio mea in terra viuentium.* num. 5. & 6. Quasi diceret: Cùm nullus mihi supersit, aut fugæ locus, aut vitæ meæ patronus; meum à C te vno, ô Domine, patrocinium spero. Hunc verò Psalmum Propheta sic inscripsit: *Intellectus Dauid, cùm esset in spelunca, oratio.* Vbi rectè quidem orationem suam in summo vitæ discrimine ad Deum emissam, appellauit intellectum suum; vt egregiè obseruat Cardinalis Bellarm. *Quia in hoc Psalmo*, inquit, *declaratur prudentia & sapientia Dauid, qui, cùm esset delitescens in spelunca; sapienter cogitauit vnicum remedium in tantis malis esse orationem ad Deum.* Si enim prudentia consistit in mediis ad finem proportionatis eligendis: prudentissimus sanè ille est, qui repellendis periculis preces adhibet, cùm nulla media ad eum finem aptiora videantur.

Deus per orationẽ laborantibus patrocinatur.

Bellar.

Summa prudẽtia est oratione vti in laboribus.

VII. Simili prudentia vsus fuit Rex Ezechias: cùm D enim ab exercitu Assyriorum acriter oppugnaretur; humanis præsidiis parum credens, ad orationem se transtulit, quam omnium validissimam iudicabat. Nam, missis legatis ad Isaiam: *Si fortè*, inquit, *audiat Dominus Deus tuus, fac orationem pro reliquiis, quæ relictæ sunt.* 4. Reg. 19. num. 4. Vbi aduerte, sicut Israelitæ hoc loco ad orationem Samuelis confugerunt; ita & Ezechiam Regem ad orationem Isaiæ confugisse: quia hanc gratiorem & efficaciorem apud Deum fore non dubitabat. Vnde emphaticè dixit: *Si fortè audiat Dominus Deus tuus:* non autem Dominus *Deus noster*: vt & suam humilitatem, & Prophetæ auctoritatem erga Deum demonstraret. Verùm & ipse posteà ex Prophetæ responso bene anima- E tus, Deum orauit. Nam, cùm acciperet literas à duce Assyriorum Rabsaces, blasphemiarum in Deum plenissimas, *Ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & orauit.* Ibidem, num. 14. Non arma exprompsit, sed suspiria; non milites protulit, sed lacrymas; non vires comparauit, sed preces: quia has apud Deum plùs esse valituras sperabat. Immò, quantùm Rabsaces de diuino honore per blasphemias detraxit; tantùm Ezechias per suas preces voluit resarciri: vt rectè aduertit Lyranus. Oratio enim non solùm hostem debilitat; sed etiam Deum honorat. Verùm

Ezechias validiores preces humanis præsidiis iudicauit.

Oratio non solùm hostem debilitat, sed etiam Deum honorat.

Lyran.

de

de hac re iam in Litera diximus: & multò plura in primo Tomo, Annot. 11. Sect. 3. inculcauimus: adhuc, vbi se occasio dederit, dicturi.

SECTIO III.

Qui Deum in prælijs orant, feliciter exorant.

I. *Si homo Deo militat, omnes ei militat creaturæ.* D. Cyril.

QVod ad tertium attinet: Dum Israëlitæ Deum per preces obtestantur, à Deo per fulgura & tonitrua mirabiliter defenduntur. Vnde D. Cyrillus Alex. lib. 7. contra Iulianum, sub initium, *Quod*, inquit, *per omnipotentem Deum, sæpissimè victa sint fortes & inexpugnabiles hostium acies, ex sacris Scripturis, si quidem quis videre voluerit, poterit facilè. Nam diuinus quidem Samuel Iudæorum terram Philisthinis bello depopulantibus, grauémque & molestum impetum facientibus, precibus ad Deum fusis, grandinem de cælo descendere fecit tam copiosum & grauem & intolerabilem, vt pedestri exercitu cum equitum alis cadente, absque labore Israëlita victores euaserint; & pro his, qui Deum timebant, cælum arma moueret.* Vbi vides eft, quàm promptè omnes creaturæ, non modò sublunares, sed etiam cæleftes in hominum obsequium desiliant; si homines à seruitute suo Creatori debita non resiliant. Pareant homines vni Deo: creaturæ hominibus obsequentur.

II. *Oratio longiùs vulnerat, quàm sagitta.*

Non aliter Deus adfuit Helisæo, innumeris Syrorum agminibus circunclusō: nam oranti plura Angelorum agmina adfuerunt, eius patrocinium ac tutelam suscepturа; quàm fuerant hostium examina in eius perniciem & exitium circunfusa. 4. Reg. 6. à num. 17. Quod expendens D. Ambros. sermon. 86. De Barbaris non timendis,

D. Ambr.

Oratio, inquit, *longiùs vulnerat, quàm sagitta. Sagitta enim non nisi proximè conspectum vulnerat aduersarium: oratio autem etiam longiùs positum vulnerat inimicum.* Et paulò pòst, *Errat*, inquit, *qui putat, cùm prosperè aliquid gesserit, propria se fortitudine superasse: scire enim debet, quòd aduersary meritis magis, quàm virtute vincuntur; & non tam virtute, quàm sanctitate superamur: sicut Sanctus Helisæus hostes suos non armis superabat, sed oratione vincebat.* Et paucis interpositis: *Vbi sunt, qui dicunt, plusquàm preces Sanctorum, hominum arma posse? Ecce vna oratio Helisæi totum exercitum vulnerauit, & vnius Prophetæ meritis omnis est hostium numerus captiuatus. Qua caterua Regum, qua turba militum talem victoriam perpetrarunt, vt ita hostes prosternerent, vt de illis nullus occumberet? Hæc est vera, hæc incruenta victoria; vbi sic aduersarius vincitur, vt de vincentibus nemo lædatur.*

Incruenta per orationem victoria reportatur.

III.

Neque minùs propitium Deum expertus est Dauid in orationem fusus: nam, cùm maximis periculis vrgeretur, *In tribulatione*, inquit, *mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui; & exaudiuit de templo sancto suo vocem meam.* Psalm. 17. num. 7. Sed, quid inde factum? Ecce tibi omnia elementa, terra, aqua, aër, ignis, immò & omnes propemodum creaturæ à Deo pro Dauide contra eius hostes obarmantur. Terra: *Commota*, inquit, *est, & contremuit terra.* Aqua: *Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum.* Aër: *Et intonuit de cælo Dominus, & altissimus dedit vocem suam.* Ignis: *Ascendit fumus in ira eius; & ignis à facie eius exarsit: carbones succensi sunt ab eo.* Vbi vides, Deum vnius Dauidis precibus euocatum, statim omni armorum genere instructum accurrisse: siue hæc omnia metaphoricè

Omnia elementa Dauidi oranti subuenerunt.

A dicta intelligantur: siue etiam propriè, vt sentit Titelmanus, quando Deus magnum de cælo edidit fragorem, vt Dauidem in Philisthæos incitaret. 2. Reg. 5. num. 24. Itaque militaris potentia arma comparat ad pugnandum: sed deuota oratio de cælo tonitrua ac fulmina, immò omnia elementa euocat ad vincendum. Vnde de Moyse, non tam armis, quàm precibus suos hostes debellante, rectè D. Petrus Chrysologus serm. 43. *Per orationem, inquit, ad triumphos suos militare sibi omnia mandat elementa.*

Moyses per orationem elementis imperabat.

IV. *Dauid plùs domi orans suos adiuuabat, quàm miles, dux.*

Probè nouit idem Dauid, quàm certum à Deo, sperare posset in prælijs subsidium; quod precibus imploraret. Nam, cùm in effœta & affecta senectute tractandis armis ineptior redderetur;

B Regni Proceres inter se vnanimes conspirantur, ne illum deinceps ad bellum exire paterentur: *Tunc iurauerunt*, inquit Textus, *viri Dauid, dicentes: Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israël.* 2. Reg. 21. num. 17. Quid ergo Dauid, cùm non posset suos milites pugnando adiuuare; adiuuare voluit orando. Domi enim sedens, dum illi in acie versarentur; Psalmum decimumnonum composuit, & inscripsit: *In finem*; seu, vt Septuaginta habent: *Ad victoriam*: quem Deo modulatus, pro felici suorum militum pugna & victoria precabatur. *Plus enim poterat*, inquit Lyranus ex Hebræis, *iuuare existentes in prælio, suis orationibus absens, quàm pugnando corporis viribus præsens.* Nec immeritò.

Lyran.

C Nam Psalmi, vt appellat Diuus Ambrosius sua in eos Præfatione, sunt *arma & scuta*: scuta, quibus milites proteguntur: arma, quibus hostes impugnantur. Testis sit Rex Iosaphat, qui aduersus triplicem exercitum progressus, non hastas torquendo, sed psalmos cantando, ita suos hostes labefecit, vt ne vnus quidem euaderet; ita suos milites seruauit, vt ne vnus quidem periret. 2. Par. 20. à num. 21.

D. Ambr. *Psalmi arma & scuta.*

V. *Theodosius hostes, plùs prece, quàm gladio feriebat.*

Extant & in ecclesiasticis historiis, clarissima exempla, quibus hic diuinus fauor erga milites, non tam armis, quàm precibus decertantes confirmatur. Mirum est, quòd D. Augustin. lib. 5. De Ciuit. cap. 26. narrat de Theodosio Imperatore Iuniore: qui aduersùs Eugenij tyranni robustissimum

D. August.

D simum exercitum, *magis*, inquit, *orando, quàm feriendo pugnauit.* Sed quid inde factum? Pergit Augustinus: *Milites nobis, qui aderant, retulerūt, extorta sibi esse de manibus, quæcunque iaculabantur: cùm à Theodosij partibus in aduersarios vehemens ventus iret, & non solùm quæcunque in eos iaciebantur, concitatissimè raperet; verùm etiam ipsorum tela in eorum corpora retorqueret.* Ad quem euentum alludens D. Ambr. & accommodans illud Dauidicum: *Gladius eorum intret in corda ipsorum.* Psalm. 36. num. 15. *Sæpè*, inquit, *iacula in ipsos, qui ea iecerint, refunduntur. Quod etiam proximo accidit bello: vt subitò ventus oriretur, qui infidelibus excuteret scuta de manibus; ac tela omnium atque missilia in peccatoris exercitum retorqueret.* Quod diuinum pa-

D. Ambr. *Orationum merito iacula in hostes retorquentur.*

E trocinium erga fideles magis precibus, quàm viribus confligentes, pluribus pergit verbis eleganter illustrare. Quem etiam euentum refert Paulus Orosius lib. 7. cap. 35. vbi pias Theodosij preces commemorans, *Dominum Christum*, inquit, *solus solum, corpore humi fusus, mente cælo fixus orabat. Dehinc postquàm insomnem noctem precum continuatione transegit, & vestes propemodum, quas in pretium præsidij calestis appenderat, lacrymarum lacunas reliquit; fiducialiter arma corripuit.* Et paulò pòst pugnæ successum describens, *Continuò*, inquit, *magnus ille & ineffabilis turbo ventorum in ora hostium*

Oros. *Humilitas orantis Theodosij.*

hostium ruit. Ferebantur per aerem spicula missa nostrorum, atque vltra mensuram humani iactus, manu in aëre portata unsquàm propemodum cadere, priusquàm impingerent, sinebantur. Tela etiam, quæ hostes vehementer intorserant, excepta ventis, impetu supinata, ac retrorsum coacta ipsos infeliciter configebant. Denique in banc rem citat externum Poëtam Claudianum De tertio Honorij Consulatu, quem etiam D. August. vbi suprà citauerat: & cuius nos carmina, Num. 10. huius Capitis, retulimus. Addit Theodor. lib. 5. historiæ, cap. 24. Theodosium pridie ante certamen, cùm immensas aduersatiorum, & exiguas suorum vires conspexisset; non despondisse animum, nec certaminis capessendi consilium mutasse: sed intrepidum & fidentem animi dixisse, fas non esse, vt statua Herculis, quam Eugenius in suo exercitu præferebat, victrix euaderet; & Crux Christi, quam ipse præeuntem sequebatur, victa despiceretur. Quare integram noctem in oratione transigenti apparuisse duo Senatus Apostolici lumina longè clarissima, Ioannem & Philippum, séque Imperatori ad futurum certamen antesignanos promisisse: nec datam fidem violasse. Nam prælio iniri cœpto, tutelares illos duces, iuuando patrocinandóque promptissimos adfuisse: & non solùm violentos turbines suscitasse, qui aduersariorum spicula in ipsos vehementiùs retorquebant; sed etiam ingentes pulueris nubes exciuisse, quibus hostes verberati suos oculos aut claudere, aut perdere cogebantur. His præsidiis, licèt exiguis, tam feliciter processisse Imperiales, vt fusis fugatisque hostibus, tandem ad Tyrannum spe victoriæ plenum in sublimi colle recumbentem, & de nulla re minùs, quàm de suo extremo fato cogitantem inuolarent. Quem fastu tumentem, & quos sentiebat irrepere, quasi suos interrogantem, an Imperator victus, ac vinctus afferretur: subitò audiuisse, non Theodosium ad Eugenium deferri, sed Eugenium ad Theodosium deferendum. Manus vinculis, collum iugo præpararet, quàm primùm è solio in ergastulum præcipitandos. Nec aliter effectum. Quo ex euentu neminem ignorasse, humiles Theodosij preces multò plùs ad victoriam, quàm superbas Eugenij vires potuisse. Vides, vt firmissimum bellandi præsidium, non ab armis, sed ab orationibus potissimùm desumatur?

Theod.

D. Ioannes & D. Philippus Theodosio auxiliantur.

Humiles preces plùs efficiunt, quàm superbæ vires.

VI. Æquè mirandum, quod Eusebius lib. 5. historiæ ecclesiasticæ, cap. 5. scribit. Cùm olim exercitus Marci Aurelij Cæsaris, contra Germanos & Sarmatas instructus, ingenti siti opprimeretur: milites Christianos ex ea legione, quæ Melitina dicebatur, positis genibus, se totos ad orationem conuertisse; hostibus rei nouitatem admirantibus: & suis precibus à Deo impetrasse, non solùm fulmina, quæ hostes in fugam versos terruerunt; sed etiam effusum imbrem, qui exercitum magna siti laborantem mirificè recreauit. Cuius etiam euentus Tertullianus in Apologetico, c. 5. & lib. Ad Scapulam, c. 4. pluresque alij meminerunt. Denique nemo in bellico periculo constitutus ad Deum per orationē confugit; qui ex eo mirabiliter non eruatur. Vnde Dauid plurimos in se hostes perpessus querebatur: *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me?* Psalm. 3. num. 2. Sed statim Deum sui adiutorem expertus, se ipsum consolabatur: *Tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Ibidem, num. 4. Quasi diceret, vt eum Diuus Chrysostomus ibi loquentem introducit: *Mea mecum viscera bellum gerunt: meus populus, meus contra me armatur exercitus: oues meæ lupi facti sunt, & leones agni, & tauri cornupetentes. Sed tu es, Domine, pro me. Fundatus supra petram fidei non cado.* In Hebræo est: *Tu autem, Domine, clypeus circa me.* Quasi non magis clypeus pugnantem, quàm Dominus orantem muniat ac tuetur. Immò Diuus Gregorius Nissenus lib. De Orat. sub initium, docet, orationem non solùm in bellicis, sed in omnibus periculis patronam adesse singularem: *Oratio,* inquit, *virginitatis sigillum est, matrimonij fides, viatoribus scutum, dormientium custos, agricolarum fertilitas, nauigantium salus.* Et statim: *Oratio Ionæ cetū, domum effecit: Ezechiam ex portis mortis ad vitam reduxit: tribus adolescentibus in ventum rorantem, flammam conuertit: Israëlitis aduersùs Amalecitas tropheum erexit: & centum octoginta quinque millia Assyriorum vna nocte gladio inuisibili prostrauit.* Sed de hac re in 1. Tomo, Annot. 9. & 11. plura diximus.

Euseb.

Milites per preces à cælo fulmina, & ad sitim flumina consequuntur.

Tertul.

Spem suam Dauid in oratione tantùm collocabat.

D. Chrys.

Deus orantium clypeus.

D. Greg.

Mira orationis effecta numerantur.

SECTIO IV.

Qui à Deo in præliis adiuuantur, suas Deo victorias gratulentur.

I. QVod attinet ad quartum: Victores Israëlitæ suam Deo, non sibi victoriam acceptam retulerunt. Nam lapidem in victoriæ monumentum erigentes, non aliis elogiis & acroamatis inscribendum iudicarunt, quàm illis: *Huc vsque auxiliatus est nobis Dominus.* Ac si ex diuino auxilio tota illa victoria staret; idque ipsi Deo gratè ingenuè faterentur. Sic debent optimi bellatores, quidquid in bello fortiter & feliciter gerunt, in Dei patrocinium referre. Abrahamo de bello cum victoria redeunti, processit obuius Melchisedec: *& benedixit ei.* Sed quas benedictiones impertiuit? quas gratulationes decantauit? *Benedictus,* inquit, *Abram Deo excelso, qui creauit cælum & terram: & benedictus Deus excelsus, quo protegente, hostes in manibus tuis sunt.* Gen. 14. num. 20. Vbi victorem Abrahamum ita laudat, vt potiùs in Deum victoriæ auctorem laudem refundat. Quod D. Chrysost. hom. 35. in Genes. obseruans: *Vide, oro,* inquit, *quomodo non solùm iustum prædicat; sed & Dei præsidium agnoscit. Neque enim absque illius gratia potuisset tanta potentia munitos vincere.* Eadem fuit Abrahæ mens; cùm ibidem, num. 22. persanctè iurauit, nihil se de hostili præda accepturum. Duplici de causa: Vna, ne victoriam sibi tribuere videretur, quam Deo tribuendam non dubitabat. *Ego enim,* inquit Abraham apud Diuum Chrysostomum citatum, *nihil ad bellum attuli, præter voluntatem & promptitudinem: victoriam autem & triumphum operatus est Deus ineffabili virtute.* Quasi diceret: non mihi debentur hæc munera, qui nihil egi: sed Deo, qui totam victoriam reportauit. Altera, ne gloriam suarum diuitiarum, quas vni Deo acceptas referebat, sibi Rex Sodomorum deinceps arrogaret: *Ne dicas,* inquit: *ego ditaui Abram.* Ibid. n. 24. *Quasi diceret,* inquit D. Chrysost. citatus: *Habeo Deum, qui innumera mihi suppeditet bona: superna innitor gratia: non opus mihi diuitiis tuis: non indigeo humanis facultatibus, contentus sum Dei in me beneficentia.* Itaque gloriam Deo debitam, neque sibi arrogabat, neque in quempiam alium detorquebat.

Abrahā victoriam Deo acceptam retulit.

D. Chrys.

Duplicem ob causam de hostili præda nihil sibi reseruauit.

D. Chrysost.

II. Vnum Dauid adhuc puer percussit & occidit Philisthæum. 1. Reg. 17. n. 50. Sed vir factus innumeros Philisthinorum aceruos strauit: vt patet 1. Reg. 18. num. 27. vbi ducentos percussit, & abstulit

Ideò Dauid victor toties euasit, quia diuino tantùm fultus præsidio præliabatur.

tulit præputia eorum. Et 2. Reg. 5. num. 20. & 25. vbi integros eotum exercitus profligauit. Er eodem lib. c. 8. num. 1. vbi percussit & humiliauit eos, & tulit frænum ttibuti de manu eorum. Et tandem cap. 21. à num. 17. vbi, licèt in extrema senectute, victor tamen de Philisthæis euasit. Cur, quæso, vnus Dauid tanto fuit terrori Philisthinis, eósque tam frequentibus præliis attriuit? Credo: quia primam illam cum Golia monomachiam, noo suis viribus confisus iniit; sed certa de diuino præsidio fiducia armatus: vt patet ex illius verbis ad Saülem: *Dominus, qui eripuit me de manu leonis, & de manu vrsi, ipse me liberabit de manu Philisthæi huius.* 1. Reg. 17. num. 37. Immò & ex illius factis: qui descensutus in arenam cum Golia, priùs deposuit arma Saülis: ibidem, num. 4. Non aliam ob causam, inquit D. Chrysost. hom. 46. in Geoes. nisi, *vt virtus Dei aperte monstraretur; & non armis, quæ fiebant, mira adscriberentur.* Adde: quia partam de Golia victoriam non suo robori, sed diuino auxilio adscripsit: vt ex eo colligitur; quòd gladium, quo Philisthæum iugulauit, in Dei tabernaculo suspenderit, innuente Scriptura, cap. 21. n. 8. & affirmante Iosepho lib. 6. Antiq. c. 11. vt victoriam illam non sibi, sed Deo tribueodam fareretur. Dignus autem erat, vt victot ex consequentibus præliis exiret, qui primum non vi propria, sed ope diuina fretus inchoaret: dignus, vt victricibus palmis frequenter ornaretur, qui primam suæ victotiæ laudem in Deum auctorem referebat. Idem institutum mihi videtur illustrare ratio, quam Diuus Ambr. lib. 1. Offic. cap. 35. inculcat: vbi docet, idcircò Dauidem contra Philisthæos feliciter depognasse, quòd ante pugnam Deum consuluisset: vt patet 2. Reg. 5. num. 19. & 23. Qui autem Deum in omnibus præliis consulebat, non ex se, sed ex Deo victoriam sperabat. *Nunquàm*, inquit Ambrosius, *nisi consulto Domino bellum adorsus est: ideò in omnibus victor præliis vsque ad summam senectam, manu promptus, bello aduersùs Titanas suscepto, ferocibus bellator admiscebatur agminibus, gloriæ cupidus, incuriosus salutis.* Vbi cupidum gloriæ intellige, noo tam propriæ, quàm diuinæ: vel, si propriæ; tameo quæ tota ad diuinam referatur. Igitur Dauid, quamuis nulli bellatorum secundus; tamen primas auxiliatori suo Deo in omnibus præliis humilis deferebat.

D. Chrys. — *Ideò Saülis arma deposuit, vt Dei virtus apertiùs monstraretur.* — *Ioseph.* — *D. Ambr. Primã victoria laudem Deo retulit.* — *Dauid consulto priùs Deo hostes aggrediebatur.*

III. Sic ipse Danid suum in cæteris rebus gratum Deo animum demonstrabat: beneficia, quæ à Deo petebat & accipiebat, statim toto animo gratulatus: *Confitebor*, inquit, *tibi, Domine, in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei.* Psal. 137. num. 1. Vbi D. Chrysost. *Non*, inquit, *quemadmodum nonnulli molles ac dissoluti, qui, antequàm quidem accipiant, sunt vehementes; postquàm autem acceperint, elanguescunt. Sed hic quidem, & antequàm acceperit, vrget; & postquàm acceperit, perstat agens assiduè gratias.* Vnde sanctissimus Iobus, eos, qui sua sibi dona tribuebant, nihilo ab idololatris differre iudieabat: *Si osculatus*, inquit, *sum manum meam ore meo; quæ est iniquitas maxima, & negatia contra Deum altissimum.* Iob. 31. num. 27. & 28. Quasi diceret: Testor, me nunquàm meam manum fuisse osculatum. *Quod tunc fieri arbitrer*, inquit D. Bern. serm. 28. io Cant. *Cùm donum Dei, non Deo, sed meritis adscribitur actionum.* Quam ingratitudioem vocat iniquitatem maximam, & negatiooem contra Deum. Dum enim quis sua sibi bona tribuit; Deũ bonorum omniũ auctorem esse quodammodo negat. Vnde idem D. Bernard. serm. 4. in Cant. *Si in te*, ioquit, *& non magis in Domino gloriaris; propriam profectò, & non Domini manum osculari conuinceris: quod iuxta beati Iobi sententiam, est iniquitas maxima, & negatio in Deum.* Quare ad eandem gratitudinem hortatus idem D. Bernard. serm. 3. in Cant. *Accipiendo*, inquit, *donum, osculare manum: hoc est, non tibi, sed nomini eius da gloriam. Da semel, & da iterum, tum pro donatis criminibus, tum pro collatis virtutibus.* Cauendum eoim maximè est, ne vllum donum à Deo accipiatur, quod non statim in Deum per debitam gratiarum actionem reuocetur.

Dauid vtpote gratus omnia accepta Deo gratulabatur. — *D. Chrys.* — *Nihil ab idololatra differt, qui sibi sua adscribit, non Deo.* — *D. Bernard.* — *Qui sua sibi tribuit, Deũ quodammodo negat.*

IV. Prudenter quidem ille, qui amicum media nocte suum in hospitium excepit, ad alium pertexit amicum, dieens: *Amice, commoda mihi tres panes; quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quid ponam ante illum.* Luc. 11. n. 5. Quod D. Bernardus serm. 17. ex paruis, refert ad beneficia, quæ à Deo in aliorum grariam postulantur. Et congrueoter ad præsens institutum expendit verbum illud, *Commoda*; non, *Da*, quo se fatetur acceptorum debitorem. *Notandum*, inquit, *quòd non ait, Da; sed commoda mihi tres panes: quasi reddisurus: quia Sacerdos peccatori conuertenti debet quidem gratiam diuinitùs impetrare: fructum verò eiusdem gratiæ non sibi debet, sed Deo referre.* Non sine mysterio Dauid loquutus de euangelicis Prædicatoribus, quorum sonus exiuit in omnem terram, &c. subdidit: *Lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.* Ps. 18. num. 8. Sic enim significauit prædicationis & conuersionis gloriam, non humanæ industriæ, sed diuinæ virtuti tribuendam. Quod D. Bern. epist. 135. expendens: *Profectò*, inquit, *lex Domini conuertit animas: & non ego. Testimonium Domini fidele sapientiam præstat paruulis, non ego.* Et rem illustrat apta similitudine ducta à eharacteribus, quorum pulchritudo, non tam calamo, quàm manui tribuitur: *Laudatur*, inquit, *de bona litera tornatura manus, non calamus. Fateor, vt multùm tribuam mihi, lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Quam sioilitudinem iterum inculcat serm. 13. in Cantica, vbi loquutus de antiquis Heroïbus glotiosa quædã prodigia operantibus: *Iara*, inquit, *luce reperio laudabilem, siue mirabilem alium apparere, atque alium esse, siue sit Helisæus, siue Helias mortuorum suscitatores: ipsi quidem suo non imperio, sed ministerio foris exhibent nobis noua & insueta. Deus verò in ipsis manens, ipse facit opera.* Et statim huius, non illorum esse gloriam significans: *Nec laus calami*, inquit, *laudabilis est pictura, siue scriptura, nec gloria linguæ, aut labiorum sermo bonus.* Quasi diceret: Sicut prudens setmo non linguæ triboitur, sed intellectui; & elegans scriptio non calamo, sed manui imputatur: ita nostrorum operum gloria oon tam nobis, quàm Deo præcipue adscribenda est.

Si quis quid à Deo postulat, se accepti debitorem fateri debet. — *Humana salus non Prædicatori, sed Deo tribuenda.* — *D. Bernard.* — *Illustratur res similitudine.* — *Deus est, qui mira in iustis operatur.*

V. Vnde illi in cælesti Regno seniores, qoos vidit Ioannes: *Adorabant viuentem in secula seculorum, & mittebant coronas suas ante thronum.* Apoc. 4. n. 10. Vbi Rup. lib. 4. ad finem: *Considerantes*, inquit, *quòd non suis meritis, sed gratia præuenientis & subsequentis misericordiæ, coronas assequuti sunt, &c. Nonne ipsi suam dignitatem parui faciunt, & totum, quod meruerunt, cum humili reuerentia illi attribuunt? Mittunt ergo ante thronum coronas suas: id est, quidquid virtutis, quidquid habent dignitatis, Deo cum gratiarum actione offerunt.* Vtinam omnes accepta à Deo beneficia perpetua gratiarum actione seruaremus: nam, qui illa sibi tribuunt, omnibus spoliantur. Vnde est illud de Rege Tyri, seu Lucifero; qui in illo adumbratur *Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* Ezech. 28. n. 17. In quem locum

Iusti etiam in cælo Deo suas coronas offerunt & referunt. — *Rup.*

D. Bernard. *Lucifer omnẽ suam amisit pulchritudinem, cùm suam fecit.*

locum D. Bernard. serm. 74. in Cant. *Nolo*, inquit, *decorem, qui mihi tollat sapientiam. Quaeris, quis ille sit tam noxius, tàmque perniciosus decor? Tuus. Adhuc fortè sine intellectu es? Planius audi. Priuatus, proprius. Non culpamus donum, sed vsum. Denique, si aduertisti, non in decore, sed in suo decore dictus est ille perdidisse sapiẽtiam.* Et paulò pòst: *Perdidit eam, cùm fecit suam.* Et statim: *Proprietas in causa est. Quòd sibi sapiens fuit: quòd non dedit gloriam Deo: quòd non retulit gratiam pro gratia: quod non secundum veritatem ambulauit in ea, sed ad suam eam retorsit voluntatem: istud est, cur eam perdidit; immò istud est, quod eam perdidit. Etenim sic habere, perdere est.* Itaque, qui cælestium donorum sibi gloriam vsurpat, omnium iacturam incurrit.

VI.
Gloria in bello ad duces, pax ad milites transfertur.
D. Bern.

In bellicis victoriis ac triumphis ita solent munera, seu præmia inter duces ac milites partiri, vt ad solos duces tota gloria, ad milites verò pax & lætitia transferatur. Quod Diuus Bernardus serm. 13. in Cant. ex sacris Literis obseruat: *Golia*, inquit, *prostrato, lætatus est populus pace recepta: sed Dauid singulariter extitit gloriosus. Iosuë, Iephte, Gedeon, Samson, Iudith, gloriosè in diebus suis triumpharunt de hostibus: sed pace tum gaudio fruentibus cæteris, nemo eis communicauit in gloria. Iudas Machabæus multis & ipse inclytus victoriis, cùm frequenter exultanti populo pacem fortiter pugnando tribuisset, nunquid gloriam quandoque est partitus alicui? Facta est, inquit, non gloria; sed lætitia magna in populo.* 1. Mach. 4. num. 58.

Et quia Deus est in bello dux, omnis ei gloria tribuenda.

Ex quibus locis efficaciter argumentatus, ostendit multò minùs bonorum operum gloriam nobis cum Deo diuidendam, sed totam Deo consecrandam: *Quid minus*, inquit, *ab his omnibus conditor omnium fecit, quominus & ipse debeat gloriari singulariter? Solus cuncta creauit, solus de hoste triumphauit, solus captiuos liberauit; & socium habebit in gloria?* Quasi diceret: Minimè. Æquissima planè fuit illa partitio facta ab Angelis in Christi Domini Genethliaco canentibus: *Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2. num. 14.

D. Bernard. *Qui ad Dei gloriã anhelat, iniquæ voluntatis homo est.*

Quare inquit Diuus Bernardus proximè citatus: *Non bonæ, sed iniquæ voluntatis est, qui nequaquam pace contentus, superbo oculo, & insatiabili corde inquietus anhelat & ad gloriam Dei, nec pacem proinde retinens, nec gloriam apprehendens.* Et rursus in epistol. 126. ad Episcopos Aquitaniæ: *Displicet* inquit, *mortalibus Angelica illa partitio, qua gloria Deo, pax hominibus nuntiatur; & dum gloriam vsurpant, turbant pacem.* Et paulò pòst: *O stulti filij Adam, qui contemnentes pacem, & gloriam appetentes, & pacem perdunt, & gloriam!*

VII.
Mala homini tribuenda: bona Deo, à quo procedunt.

Hanc in dementiam ne homines abirent, diligenter olim Noë, & præcauit, & curauit. Nam, vt filios suos admoneret ad gloriam Deo tribuendam, cùm maledixit vni, *Maledictus*, inquit, *puer Chanaan*: & cùm benedixit alteri, *Benedictus*, inquit, *Dominus Deus Sem.* Genes. 9. num. 25. & 26. At, si malo maledixit, cur non benedixit & bono, sed potiùs Deo illius? Credo, vt ostenderet hominis mala, homini esse tribuenda: bona tamen non nisi Deo, à quo bona cuncta procedunt. Ædificauit olim Iosuë altare Domino *de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigit*, Iosuë 8. num. 31. vt legem diuinitùs latam, Exod. 20. num. 25. quæ sic altare fieri præcipiebat, obseruaret. Cur autem ex lapidibus impolitis fieri altare à Deo præcipiatur, multiplex est ratio.

Rab. *Totum illud quod impetratur, procedit à Deo.*

Sed inter alias ad rem præsentem accommodata est illa, quam tradit Rabbi Isaac: *Ideò*, inquit, *artificum manus ab altarium lapidibus abesse debuit, ne id boni, quod apud aras impetrant homines, humano operi ferre acceptum possint.* Sed totum à diuina bonitate ac liberalitate processisse fateantur.

VIII.
Christus Dominus omne bonum soli Deo tribuendum docuit.
Caiet.

Ad Christum Dominum accedens quidam, ait illi: *Magister bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* Ad quem Dominus: *Quid me interrogas de bono?* Hoc est: Quid me appellas bonum? *Vnus est bonus Deus.* Matth. 19. num. 16. & 17. Vbi, vt rectè aduertit Caietanus, bonum se esse non negauit: sed alios docuit homines, omnium rerum bonitatem in vnum Deum, tanquam in primarium auctorem, à quo procedit, referendam: *Dixit hoc*, inquit, *ad docendum exemplo suo, quòd, cùm laudamur, retorquere proprias laudes in diuinam debeamus.* Nam, si qua gloria digni sunt, quibus Deus mentem animúmque inspirat rectè agendi: quanto maiori gloria dignus est ille huius consilij auctor, & operis exequutor?

Victoria de Lucifero in cælis, nõ Angelis, sed Christo Domino referenda.
Rup.

Priùs Ioannes descripsit mulieris partum, qui natum de Beatissima Virgine Christum repræsentabat. Apocal. 12. num. 5. Et statim pugnam & victoriam Michaëlis & Angelorum, de Lucifero ac Dæmonibus narrauit. Ibidem, num. 7. & 8. vt significaret, interprete Ruperto ad eum locum, illam pugnam fortiter initam, & illam victoriam feliciter partam, non tam Angelicæ virtuti, quàm diuinæ illius sanctissimi partus potestati tribuendam. Vnde Dauid non de Angelo, sed de ipso Deo: *Tu*, inquit, *confregisti capita draconis.* Psal. 73. num. 14. Immò & ipsi Angeli victores ac triumphatores: *Nunc*, inquiunt, *facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi eius.* Vbi sup. num. 10. Vt totam illius pugnæ, & victoriæ gloriam vni Deo adscribendam faterentur.

B. Virgo totã suam gloriã Deo curauit soluendam.
D. Bern.

Sed nemo vnquam Beatissima Virgine humilior, suam in auctorem suum gloriam refudit. Nam, cùm Elisabetha innumeras eius laudes decantaret, & præ cæteris, quæ erat omnium longè maxima, salutaret Matrem Dei; ipsa ne suas laudes recipere sibi, sed retribuere Deo videretur, *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum*, &c. Luc. 1. num. 47. Quod D. Bernard. serm. de verbis Apoc. *Signum magnum*, eleganter expendens, *Magna quidem*, inquit, *præconia; sed & deuota humilitas, nihil sibi passa retinere, in eum magis vniuersa refudit, cuius in se beneficia laudabantur.* Non mediocris quidem laus sanctissimæ Deiparæ virtutibus debebatur: sed ipsa totam Deo soluendam curabat; vt ab eo suas omnes virtutes initium habuisse palàm testaretur. Quamuis igitur Samuel & Israëlitæ suis precibus victoriam de hostibus reportarint; nullam tamen victoriæ laudem sibi, sed potiùs vni Deo acceptam retulerunt. Quod planè illa inscriptione testati sunt: *Huc vsque auxiliatus est nobis Dominus.* Sed de hac re plura diximus in 1. Tomo, Cap. 1. Num. 19. & Cap. 2. Num. 1. 3. & 10. & Annot. 14. latiùs: plura, vbi feret occasio, dicturi.

SECTIO V.

Qui Deo victoriam gratulantur, firma pace à Deo stabiliuntur.

I.
Qui Deo victoriam tribuit, plures reportat.

QVod ad quintum & vltimum attinet: Dum Hebræi vnam illam victoriam Deo tribuerunt, plures de hostibus victorias reportarunt; cunctósque Philisthinos à suis terminis repulerunt; vt ex sequentibus patebit: & præcedente Sect. §. 2. perstrinximus. Vnde factum, vt secura pace deinceps fruerentur. Quasi ille lapis in diuinam

A diuinam gloriam erectus; murus esset, qui Israëlitas defenderet, Philisthinos propulsaret, pace & tranquillitate totum populum repleret. *Nam, cùm nos Deo gratos exhibemus*, inquit D. Bernardus serm. De septem misericordiis, *locum in nobis facimus gratiæ; vt maiora adhuc accipere mereamur.* Quare in Israëlem quadrat hoc loco illud Dauidicum: *Qui posuit fines tuos pacem.* Psal. 147. num. 14. Nam, qui antea præliis exardescebat; vbi hunc lapidem erexit, Deóque tanquàm suæ gratitudinis monumentum consecrauit; mira pace tranquillitatéque à Deo remuneratur. Ita planè fieri à Deo solet, vt qui victorias Deo acceptas referunt, ab ipso Deo pacis munere coronentur.

D. Bernard. *Maiorem fortiuntur gratiã, vt maiora mereantur.*

II.

Æterna potiuntur pace, qui, vt vnã sint, à sancta Trinitate accipiunt.

B Feliciter olim *Michaël & Angeli eius præliabantur* cum Dracone, quem tandem victum in terram proiecerunt. Apoc. 12. num. 7. Et statim huius victoriæ laudem non sibi arrogantes vsurparunt, sed Deo humiliter tribuerunt. *Nunc*, inquiunt, *facta est salus & virtus & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius; quia proiectus est accusator fratrum nostrorum.* Ibid. n. 10. Quid, obsecro, ex hac gratitudine pro bello feliciter gesto reportarunt? *Persliterunt*, inquit D. Greg. Naz. Orat. 52. *in sua dignitate: enim primum illud est, quòd pacati sunt, ac dissidij expertes, quippe qui à sancta Trinitate acceperint, vt vnum sint.* Ex illa enim contra impios pugna, in æternam secum pacem coierunt. Abrahamum de bello cum victoria redeuntem ingenti plausu excepit *Rex Salem.* Genes. 14. num. 18. Hoc est, vt Diuus Paulus Heb. 7. num. 2. interpretatur, *Rex pacis.* Non sine mysterio, vt fortiter pugnantem, & feliciter vincentem, gloriosæ pacis munera coronarent. Nec tantùm Rex pacis, verùm & ipse *Deus pacis*, vt Diuus Paul. Rom. 15. num. 33. appellat, ad pacem eum inuitauit: *Noli*, inquit, *timere Abram: ego protector tuus sum.* Genes. 15. num. 1. seu, vt est in Hebræo: *Ego scutum tibi*: quo te, scilicet, de tanto prælio victorem quieta in pace coronabo. Æquum enim erat, vt qui pro nepote liberando arduum ac difficile prælium susceperat; ab ipso Deo in tranquilla ac secura pace seruaretur. Quid enim mirum, si is, qui in bello innocentem protexit, à Deo in pace protegatur?

D. Greg. Naz.

C

Deus vt scuto, pace coronat gratos.

III.

Diuini cultus propugnator æterna pace coronatur.

Iusta aliquando Phinees indignatione exarsit, cùm Israëlitem ac Madianitidem publicè peccantes animaduertit, & arrepto pugione, vtrunque palàm trucidauit. Num. 25. a num. 6. Quid igitur præmij tam strenuum bellatorem pro diuina gloria dimicantem consequi oportebat? *Ecce*, inquit Deus ad Moysem, *do ei pacem fœderis mei: & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum.* Num. 25. num. 12. Quod Philo Hebræus lib. 1. De Monarchia, expendens, notat, pugnaci homini, sed iustissimam cædem aggredienti, non immeritò pacem fœderis conferri: *Quia iudicauit*, inquit, *Deus immunem à malitia debere esse in posterum propugnatorem diuini cultus fortissimum.* Quasi, qui tam iustam pugnam susciperet, sempiterna pace dignissimus videretur. Consenuit Dauid in præliis Domini præliandis: ex quorum felici successu nullam sibi, totam Deo gloriam tribuebat: *In te*, inquit, *inimicos nostros ventilabimus cornu: & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.* Psal. 43. n. 6. & 7. Et sicut nihil de suis ad pugnam viribus præsumebat: ita nullam sibi de victoria laudem arrogaret: immò & pugnandi robur, & vincendi decus Deo tribueret, à quo acceptum non dubitabat. Sed,

Philo.

quanta ex his iustissimis præliis pax consequuta fuerit, successoris Salomonis pacatissimum Regnum demonstrauit. Pacificus enim filius bellatoris patris *habebat pacem ex omni parte in circuitu. Habitabatque Iuda & Israel absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua.* 3. Reg. 4. num. 24. & 25. Vbi emphaticè dicitur, *sub vite, & sub ficu*: hoc est, extra vrbes, & in agris: vbi sicut esse solet minùs præsidij; ita & plùs timoris, nisi omnes firmissima pace pro muro vterentur. Quod ipse Salomon Deo acceptum referebat, dicens: *Nunc autem requiem dedit Deus meus mihi per circuitum & non est Satan, neque occursus malus.* 3. Reg. 5. num. 4. Itaque ex confertissimis præliis pro Dei gloria susceptis, factum est, vt placidissima in totum Regnum pax consequeretur.

Ex Dauidis gratitudine & humilitate, æterna Salomonis pax profecta est.

Quod apertiùs innotescet, si per allegoriam ad Ecclesiam transferatur, quæ ex continuis Martyrum præliis securissimam tandem pacem comparauit. Vnde Dauid Ecclesiam alloquutus, & suam ei pacem gratulatus: *Qui posuit*, inquit, *fines tuos pacem.* Psal. 147. num. 14. Vbi Diuus Chrysostom. *Hoc*, inquit, *valdè propriè dici potest de Ecclesia. Nam, quod est mirabile, cùm ea peteretur bello, pace fruebatur, & cùm ei omnes ponerent insidias, in summa securitate maximam capiebat voluptatem.* Vbi etiam aduertit, Christum Dominum in cælos ascensurum, non dixisse absolutè: *Pacem do vobis*: sed, *Pacem meam do vobis.* Ioann. 14. num. 27. Nam hæc etiam inter hostes & tyrannos & persequutores efflorescit: cùm à nemine violetur, ac de sua securitate deiiciatur. Et ne quis dubitaret, totam Ecclesiæ pacem à Christo Domino profluxisse; prædixit non immeritò Propheta, citato Psalmo nom. 13. *Confortauit seras portarum tuarum.* Hoc est, inquit Diuus Chrysostomus: *Eam, nempe, Ecclesiam, muniit validiùs, quàm Ierusalem, non vectibus, & portis, sed Cruce circumseptam.* Quare sicut Iudæam ille Lapis adiutorij, tanquàm murus, de Philisthinis defendebat: ita & Ecclesiam vna Christi Domini Crux contra oppugnatores suos strenuè protegit ac tuetur. Vnde est illud de Christo suam protegente Ecclesiam, ac pacificante: *Et erit iste pax, Assyrius cum venerit in terram nostram, & quando conculcauerit in domibus nostris.* Mich. 5. num. 5. Hoc est: quando venerit Diabolus, siue quicunque alius tyrannus, & Ecclesiam magnis persequutionibus oppresserit & vexauerit; ipse Christus Dominus erit pax, qui pugnantem tuebitur, & vincentem in pace collocabit. Quod illustrat exemplo Diui Pauli, qui multis quidem aduersitatibus tentabatur; *periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus*, &c. 2. Corinth. 11. num. 26. *Sed in his omnibus*, addit Hieronymus, *vincebat propter illum, qui dilexerat eum. Et ideò implebatur pace, quia impletus fuerat contumeliis.* Vbi vides, ex iusta pugna pacis donum pullulasse. Sed de hac re suus erit dicendi locus. Iterum ad historiam.

IV.

Ecclesia ex cõtinuis Martyrum præliis æterna pace fruitur.

D. Chrys.

Christi Domini pax etiã in bello spectatur.

Omne Ecclesiæ robur ex Cruce.

D

Ex bello progenere, periculis ex gentibus — *Ex bello propter Dominũ plena pax.*

D. Hieron.

E

Num. XV. Iudicabat quoque Samuel Israëlem cunctis diebus vitæ suæ.

EXPOSITIO LITERÆ.

IVdicabat quoque, &c. Ita habent concordissimè omnia exemplaria, Hebræa, Græca & Latina. Sed difficultas est, quo pacto hæc vera sint. Nam, viuente adhuc Samuele, regnante Saül; vt ex toto hoc libro palàm est: regnante autem Saüle,

I.

Quomodo verũ sit, Samuelem iudicasse.

non potuit iudicare Samuel, cùm iam potestatem non habuerit, sed totam transtulerit in Saülem. Ergo non iudicauit Israëlem omnibus diebus vitæ suæ.

II. *Prima responsio ex Montano & Adrichomio.*

Prima responsio colligitur ex Montano in Apparatu de seculis, & super Acta Apostolorum, & ex Adrichomio in anno mundi 2850. dicentibus Samuelē 38. annis iudicasse, Saülem duobus; ex qua annorum summa constare illos 40. annos, qui Actor. 13. num. 21. Regno Saülis, simul cum principatu Samuelis, vt est communis interpretatio, tribuuntur. Probant in Saüle, ex ipsa Litera: *Duobus annis regnauit.* 1. Reg. 13. num. 1. Quod propriè accipiendum esse contendunt. In Samuele autem probant per consequentiā. Nam, si Saül duobus tantùm annis regnauit; necesse fuit, vt Samuel 38. iudicarit, vt illi quadraginta anni vtriusque præfecturæ implerentur. Ex hac, inquam, sententia colligitur prima ad hunc locum responsio: scilicet, hæc verba esse intelligenda, vt sonant: Samuelem, postquàm ad principatum accessit, nunquàm ab eo recessisse; sed reuerà cunctis diebus vitæ suæ, nempe 38. annis iudicasse; quibus per eius mortem expletis, successisse Saülem in regnum; & duobus annis, quibus superstes fuit, regnum obtinuisse. Hæc responsio nullo modo mihi probatur: quia supponit duo, nisi fallor, apertè falsa.

Impugnatur.

Vnum, Samuelem nullo tempore vixisse de principatu deiectum; sed in principatu constitutum tandem obiisse. Quod planè repugnat historiæ capitis sequentis, vbi describitur Samuel à suo populo contemptus, & suo imperio spoliatus. Alterum, Samuelem nunquàm concurrisse cum Saüle regnante: sed mortuo Samuele Saülem suum regnum inchoasse. Quod etiam sequenti historiæ manifestè aduersatur, in qua describitur Samuel vnxisse Saülem in Regem; & regnanti dedisse mandata contra Amalec, & mandata præuaricanti supplicia denuntiasse; & plura alia cum eo regnum tenente transegisse. Fieri igitur non potuit, vt Samuel *cunctis diebus vitæ suæ* absolutè iudicarit; & ei mortuo successerit Saül, duobus tantùm annis regnaturus.

Euasio præcluditur.

Respondebit aliquis, hoc fortasse pressus argumento, Samuelem vixisse quidem duobus ante mortem suam annis priuatum, & à præfectura deiectum: atque eo tempore cum Saüle iam Rege facto concurrisse. Id tamen non tollere, quominùs dicatur cunctis diebus vitæ suæ iudicasse; quia hoc tempus exiguum fuit: & quod parum abest à fine, nihil abesse censetur; iuxta vulgarem Scripturæ regulam, quæ in magno aliquo numero, paruos aliquos, quasi non fuerint, prætermittit: vt ex nostris Salmeron Tom. 1. prolog. 11. quinquagena 3. can. 50. Riber. Amos 5. n. 61. Sanches Act. 1. n. 5. pluribus exemplis illustrant.

Salmer. Riber. Sanches.

Sed contrà argumentor in primis ad hominem: quia hoc posito iam Samuel non iudicauit 38. annis, vt illi contendebant; sed tantùm 36. Neque Saül regnauit duobus tantùm annis, vt illi ex loco Regum citato efficaciter confirmasse sibi videbantur; sed quatuor annis: ex qua summa tam exigua duos detrahere, non conuenit cum illa vulgari Scripturæ regula, quæ allegatur. Deinde, quia re vera Samuel pluribus annis, quàm duobus, priuatus vixit: vt ad caput 15. num. 1. latiùs ostendemus. Non igitur cunctis diebus vitæ suæ simpliciter iudicauit.

III. *Respondet secundò Caietanus. Caiet.*

Secunda responsio parum dissimilis ex Caietano est, Samuelem etiam regnante Saüle, retinuisse iudiciariam potestatem, & nunquàm eam, quādiu vixit, deposuisse. *Hinc apparet*, inquit, *quòd quamuis creatus fuerit Saül Rex: non tamen depositus est Samuel à dignitate & auctoritate Iudicis.*

Caietani responsio facilè conuincetur.

Sed hæc responsio ex his, quæ sequenti cap. dicemus, facilè conuincetur. Nam Iudæi Regem pro Iudice postularunt, volentes, vt iudiciaria potestas in regiam mutaretur; & eorum votis ac precibus Deus indulgendum censuit: vnde, introducta regia potestate, abolita est iudiciaria. Alioqui non esset tam grauis iniuria Iudæorum in Samuelē; neque tam singularis patientia Samuelis in Iudæos: si nec illi Samuelem sua potestate abdicarunt; nec Samuel sua se potestate abdicari passus est. Quin etiam, si regnante Saüle, adhuc Samuel potestatem iudiciariam haberet; vel alter alteri subordinaretur; vel neuter: si hoc posterius, monstrosam illius Reipublicæ gubernationem admittas, necesse est; in qua duo suprema capita reperiantur: si illud prius, non subordinabis Saülem Samueli, cùm Rex temporali Principi in suo Regno minimè subiiciatur: si Samuelem Sauli; ergo iam Samuel à suprema Iudicis potestate, qua fungebatur, & qua nulli erat secundus, exulabat.

IV. *Carth. Respondet tertiò Carthusianus.*

Tertia responsio, ex Dionysio Carthusiano, est, Samuelem, quandiu vixit, si non habuit supremam iudicandi potestatem; habuisse tamen docendi & instruendi facultatem, qua Regem & populum ad diuinæ legis intelligentiam & obseruantiam edocebat & instruebat, tanquàm Leuita, Propheta & iustus. Et in hanc sententiam mihi videtur Serarius quæstione 3. propendere: ita verbum iudicandi interpretatus, vt significet Samuelem magnos & assiduos labores in communi Regis & Regni vtilitate, huc illuc circumcursando, & nullum sibi otium, aut remissionem indulgendo posuisse.

Serat.

Carthusiani responsio reiicitur.

Nihilominùs, quamuis Samuel, regnante Saüle, eum populum docuerit & instruxerit; tamen id satis non est, vt simpliciter dicatur iudicare. Nam iudicandi munus non solùm vim directiuam, sed etiam coactiuam importat, quam illa docendi instruendique facultas non includit. Item verbum iudicandi à proprio significatu iurisdicendi, ad figuratum docendi ac instruendi, quod meminerim, non transfertur. Tandem, aliqua hoc loco æquiuocatio interueniret, dum idem verbum iudicandi ante electionem Saülis propriè post electionem translatè sumeretur: quod nisi necessitas cogat, non est facilè admittendum.

V. *Respondent quartò Lyra & Abul. Lyran. Abul.*

Quarta igitur responsio ex Lyrano & Abulensi, quæ mihi germanior videtur, est, Samuelem iudicasse omnibus diebus vitæ suæ; non quidem simpliciter, sed cum aliqua limitatione vsque ad certum aliquem terminum. Neque nouum esse in Scriptura, vt propositiones vniuersales per Synecdochem limitentur, & sub eis aliquot particulares excipiantur: vt iam cap. 1. n. 21. aduerti, & pluribus exemplis confirmaui. Quibus alia addi possunt. Nam Genes. 35. num. 26. dicuntur filij Iacob *nati in Mesopotamia Syriæ.* Et tamen Benjamin non in Mesopotamia, sed iuxta Ephratam natus est. Ibidem, à num. 16. Absalon dicitur ingressus ad concubinas patris sui *coram vniuerso Israël.* 2. Regum 16. num. 22. Nec tamen omnes adesse poterant Israëlitæ. Consilium Chusāï Arachitæ dicuntur approbasse *omnes viri Israel.* 2. Regum 17. num. 14. Nec tamen defuerunt, qui reprobarent. Ad vitulos aureos, quos fecit Ieroboam, *omnes* ire dicuntur. Tob. 1. num. 5. Nec tamen dubitandum aliquos abstinuisse. Tobiam arguisse dicuntur *omnes proximi eius.* Tob. 2. num. 8. Quem tamen aliqui sine dubio non arguebant. *Omnes viri Iuda* consumendi dicuntur

dicuntur in terra Ægypti. Ierem.44.à n.12.Et tamen aliqui euasuri supponuntur: dum statim additur, *Non reuertentur, nisi qui fugerint.* Ibidem, num.14. Omnes profugos Israel gladio casuros, prædicit Ezechiel cap.17.n.11. Sed statim supponit, aliquos a morte eripiendos, dum addit: *Residui autem in omnem ventum dispergentur.* Prophetæ dicuntur *sancti.* Luc.1.n.70. & Act.3.num.21. Nec tamen omnes fuerunt; vt Balaam, & qui in extremo Iudicio damnati dicent: *Nónne tu nomine tuo prophetauimus*, &c. Matth.7. num. 22. *Primum sermonem*, inquit Lucas, hoc est, Euangelium, *feci de omnibus, quæ cœpit Iesus facere, & docere.* Act.1. Nec tamen ipse omnia scripsit. Nam, *Si scribantur per singula*, inquit Ioannes, *nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Ioann. 21. n.25.& sic de aliis. Hunc igitur in modum dicitur hoc loco Samuel, *cunctis diebus vitæ suæ* iudicasse. Quamuis aliquos transegerit priuatus, & à iudicandi munere deiectus.

VI. *Dubitatio. Prima responsio.* Sed dubitabis, quænam fuerit huius muneris limitatio: seu ad quem vitæ terminum peruenerit Samuel iudicando, & in quo cessauerit? Primò, sunt, qui liberiùs ac licentiùs in verbis ludant, dicántque, *cunctis diebus vitæ suæ*, idem esse, atque *cunctis diebus principatus sui.* Quasi principatus per antonomasiam, vita appelletur; & illi soli dicantur viuere, qui dominentur, iuxta illud Moysis: *Dele me de libro vitæ.* Exod.32.n.32. seu, vt Caiet. interpretatur, *de libro principatus in hoc mundo.* Vbi principatus dicitur vita; sicut & seruitus dici potest mors: quod suprà ad cap. 4. n.9. latiùs illustraui. Cæterùm hæc interpretatio nugatoria est: quia efficit hunc sensum: Iudicabat cunctis diebus, quibus iudicabat.

VII. *Secunda responsio.* Secundò, dicunt alij, Samuelem iudicasse *cunctis diebus vitæ suæ*; nempe, firmæ, vegetæ ac robustæ; quæ sola vita dicitur: nam, quæ in senectutem fœtam morbis, & effœtam viribus denergit; *mors est potiùs dicenda, quàm vita*, inquit Tullius in somnio. Vnde Sophocles in Antigon. negat viuere, qui vitæ voluptatibus carent: (Sophocl.)

Nam nulla cui mentem voluptas recreat,
Non viuere herclè existimo; sed mortuum,
Viuentis illum præ se ferre imaginem.

(Senec.) Et Seneca in primo choro Herculis Oetæi, laboriosam vitam morti similem appellat: sicut fortunatam, Superum æuo parem:

Par ille est Superis, cui pariter dies
Et fortuna fuit. Mortis habet vices,
Lentè cùm trahitur vita gementibus.

(Martial.) Martialis verò lib.6.epigr.70.seu 48. in emendatis, canit, non diu viuentium, sed valentium esse vitam:

Ætatem Priami, Nestorisque
Longam qui putat esse, Martiane,
Multùm decipitúrque, fallitúrque:
Non est viuere, sed valere, vita.

Quo pacto & Berzellai octogenarius præmortuum se putabat; atque sepulcro, quàm palatio aptiorem. 2.Reg.19. à n.35. Sic igitur & Samuel dum vixit, hoc est, dum valuit, & viguit; Israëlem iudicabat: vbi autem viuere, hoc est, valere desiit; desiit iudicare, & cœpit in suos se filios exonerare; vt quo ille munere fungi non poterat, senior per ætatem factus; eodem iuuenes validiores fungerentur. Sed hæc responsio, vt arguta sit, solida non est: quia Samuelis ætas non erat adeò senilis, vt gerendo magistratui prorsus inepta redderetur: vt ex dictis in superioribus patet, & ex dicendis ad caput sequens clariùs patebit. Et quamuis ipse filios suos in regiminis sui societatem subrogarit: ipse tamen a se suam præfecturam non abrogauit; quam adhuc poterat, nisi populi malitia obsisteret, suis humeris feliciter sustentare.

Tertiò igitur dicendum, Samuelem iudicasse *cunctis diebus vitæ suæ*, vsque ad Regnum Saülis. Hæc enim præcedentis regiminis limitatio ex narratione sequentis facilè colligitur. Cùm enim dicatur hoc loco Samuel iudicasse omnibus diebus vitæ suæ; & paulò pòst addatur, Saül ad regnũ ascendisse: palam est, illos dies vitæ Samuelis cum exclusione intelligendos; & vsque ad regnum Saülis exclusiuè limitandos. Addunt tamen aliqui, Samuelem, saltem ex nutu Saülis omnibus simpliciter diebus vitæ suæ, iudicandi potestatem habuisse. Quod vt verum concedamus: tamen non videtur ea potestas intelligi hoc loco; ne sub eodem verbo iudicandi, ordinaria ac delegata potestas cum aliqua æquiuocatione significetur. Fateor item Samuelem habuisse aliquam extraordinariam potestatem à Deo delegatam: qua Saülem peccantem reprehendit; & Agag Regem Amalec interfecit; & Dauidem in Regem vnxit; aliáque id genus suo arbitrio disposuit, & sanxit. Qualem Deus potestatem sæpenumerò Prophetis conferebat. Verùm hoc loco de ordinaria potestate sermo est: secundùm quam dicitur in sequentibus prouinciam obire, & iudicia exercere: quod ad ordinarios Iudices spectat. Satius igitur est, si dicatur omnibus diebus vitæ suæ vsque ad regnum Saülis ordinaria potestate iudicasse. VIII. *Tertia & vera responsio.*

Mystica est, & ad instruendos Prælatorum mores accommodata, Diui Gregorij expositio, Samuelem iudicasse cunctis diebus vitæ suæ, si non imperiis, saltem exemplis. Ita vt illa verba, cunctis diebus vitæ suæ, non significent durationem temporis, quo iudicauit, sed instrumenta, quibus iudicauit. Sic enim sanctissimi Doctoris verba accipio: *Qui sunt*, inquit, *dies vniuscuiusque Doctoris, nisi virtutum spiritualium claritates? Omnibus namque diebus vitæ suæ Israël iudicat, qui lucem iustitiæ, quam loquendo asserit, ad subditorum fidelium exemplum perfectione repræsentat bonæ conuersationis. Qui autem virtutum spiritualium lucem non habet, quia ad docendum assumit bonæ conuersationis extranea; diebus profectò iudicat vitæ alienæ.* Itaque bonus Prælatus à suis moribus desumere debet documenta & exempla, quibus ad pietatem subditos informet. Nam, qui alienis tantùm exemplis docent, similes sunt illis, de quibus Dominus: *Ecce ego ad Prophetas, qui furantur verba mea vnusquisque à proximo suo.* Ierem. 23.num.30. *Verba quippe*, addit Gregorius, *furantur, qui bonum, quod docendo prædicant, operando non sequuntur: quia veluti clam de alieno tollunt, quod dato proprio laboris pretio suum nequaquam faciunt.* V.g. Si quis exemplo obedientiæ Abrahæ, quod ipse non sequitur, alios ad obediendum adhortetur, furatur: quia aliena vsurpat & expendit. Si tamẽ non priùs vtatur illo exemplo ad prædicandum, quàm suum faciat sequendo, furti reus minimè arguetur; sed ex propriis egisse existimabitur. *Doctor igitur*, addit Gregor. *in se priùs virtutum spiritualium radios bene viuendo fouat, quos prouidendus subditorum itineribus loquens administret. Quia & lucerna tunc iis, qui in domo sunt, vtiliter ostenditur: si ipsa anteà, eo, quod sparsura est, lumine repleatur.* Cæterùm numerus dierum, seu annorum, quibus Samuel ante Saulem iudicauit, satis colligitur ex hoc capite, fuisse viginti annorum. Quia IX. D. Greg. *Prælati iudicare debẽt nõ tam imperio, quã exemplo.* *Prælati, qui de alienis docent exẽplis, fures sunt.* *Prælatus vt luceat, priùs debet lumine repleri.*

num.2.dicitur, Arca fuisse viginti annos in Cariathiarim post mortem Heli,& ante creationem Saülis: quo tempore non fuit alius Iudex, quàm Samuel. Ergo viginti annos iudicauit. De qua re in primo Tomo, Annot.3.Sect.6.à §.6.latiùs diximus: iterum ad cap.13.n.1.aliquid dicturi.

Quot annos Samuel iudicauerit.

Num.XVI. Et ibat per singulos annos circuiens Bethel & Galgala & Masphath: & iudicabat Israëlem in supradictis locis.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Boni Pastoris est singulis annis prouinciã lustrare.*

ET *ibat per singulos annos*, &c. Describitur vigilantissimi Principis erga suos subditos sollicitudo. Primò, quia singulis annis prouinciam lustrabat: neque enim sæpiùs, aut poterat, aut oportebat. Quamuis dubitationem moueant verba Dionysij: *In tribus*, inquit, *solennitatibus hebdomadarius, vtpote Pascha, Pentecostes & Scenopegia, ascendebat ad oppida illa, & iudicabat plebem in eis.* Et similia verba habet Magister historiæ. Vbi nescio, an voluerit, Samuelem in singulis celebritatibus singulas vrbes perlustrasse; an potiùs in singulis omnes: atque adeò ter in anno totam prouinciam obiisse. Sed hoc posterius videtur nimis laboriosum; & fortè impossibile: quia Samuel maiorem anni partem in Ramatha commorabatur, vt ex sequẽti Num. patebit: reliqua verò anni pars toti Israeli ter peragrando non videtur sufficisse. Illud verò prius parum congruum videbatur: quia in illis celebritatibus, totius populi concursus fiebat ad vnam tantùm partem, in qua erat tabernaculum. Si igitur Samuel tunc alias vrbes inuiseret, vacuas inueniret. Adde, illas celebritates ad prouinciam obeundam, intempestiuas esse: quia in illis res sacræ, vota, sacrificia, & reliqua ad diuinum cultum pertinentia curabantur, non autem res temporales, ciuiles & forenses, ad quas præcipuè componendas Samuel Israëlem peragrabat: non igitur in illis celebritatibus prouinciam obibat. Quare potiùs crediderim, Samuelẽ alio anni tempore extra illas celebritates semel tantũ excurrisse, & populũ perlustrasse. Atque ita Iosephus, quem sequitur Sabellicus, expressit.

Dionys.

Magist.hist. Dionysij verba proponuntur, & expenduntur.

Ioseph. Sabellic.

II. *Samuel quotannis præcipuas lustrabat vrbes. Præcipuarum vrbium etymologia.*

Secundò, enituit Samuelis sollicitudo; quia præcipuas vrbes Israëlis circuibat: nimirum, Bethel, id est, domum Dei, Iacobi somnio insignẽ. Gen.28.n.19. Galgala, id est, rotam; lapidum, in Iordanis aperti monumentum, erectione, & prima populi circuncisione, & Paschæ celebratione memorabilẽ. Iosu.4.n.20.& Iosu.5.à n.9. Masphath, id est, speculam, Samuelis oratione & sacrificio, ac totius populi lacrymis & pœnitentia perillustrem: vt patet ex hoc c.Num.6. Quamuis Abulensis dicat, hanc vrbem Masphath, in qua Samuel hoc loco dicitur iudicare, esse illam, quæ est in terra Galaad trans Iordanem. Iud.11.num.11. Quem sequitur Salianus. Licèt in eo differant: quòd Abul. has vrbes non distinguat: Salian. maximè: & credo probabilius, vt sup. Num.6. diximus. Fundamentum verò, quo Salianus sibi persuadet, hanc vrbem Masphath, in qua Samuel iudicabat, esse illam transamnẽsem, sitam in terra Galaad, est; quia aliàs tota hæc Samuelis peragratio citra Iordanem contineretur: nec vltra Iordanem excurreret ad visitandas duas Tribus Ruben & Gad, & dimidiam Tribũ Manasse, quæ ibi morabantur. Iosu.22.à n.1. cùm tamen ad eundem populum spectarent, & eiusdem Principis iudicio subiacerent; qui non debebat tam illustrem suæ ditionis partem, velut incultam & incuratam præterire. Vtcunque res fuerit: celebriores quidem fuerunt, & proinde frequentiores hæ vrbes, quas Samuel circuibat: atque adeò illas visitando, totum Israëlem commodiùs perlustrabat; quem fortasse oppidatim percurrere non valebat.

Abul.

Salian. Abul.

Proponitur Saliani fundamentum.

III. *Has vrbes Samuel non inueniebat sanctificatas, sed reddebat.*

Ad celebritatem verò harum vrbium miram quoque sanctitatem accessisse, Septuaginta in Biblijs Sixtianis prodiderunt, transferentes: *Iudicabat Israëlem in omnibus sanctificatis his*; seu, vt habet Lucifer: *In omnibus sanctificationibus his.* Vbi mihi videntur ea loca, dici sanctificata, non quidem antecedenter ad visitationem Samuelis, sed consequenter. Neque enim ille eas vrbes sanctificatas inueniebat, sed reddebat. Immò fortasse illæ vrbes, sicut numero ciuium ampliores erant; ita & multitudine vitiorum turpiores. *Hoc enim proprium est magnarum vrbium*, inquit Saluianus lib.8. De prouidentia, *vt lustris plena sint, ac lupanaribus fœteant: & quantùm præcellunt cæteras magnitudine, tantùm præstent impuritate.* Quod confirmat exemplo Romanæ vrbis; quæ olim quantò potestate sublimior; tantò vitiositate inferior videbatur. Quam proinde D.Leo serm.1.In Natali Apostolorum Petri & Pauli, appellat *Magistram erroris*. Et paulò pòst, *Cum pene*, inquit, *omnibus dominaretur Gentibus, omnium Gentium seruiebat erroribus.* Hoc igitur magnatum vrbium commune malum illæ quoque Israëliticæ fortè contraxerunt. Quam ob causam Samuel illis præcipuè visitandis ac repurgandis diligentiùs incumbebat. Nam in illis iudicia tam sanctè, integrè synceréque obibat; vt vrbes, quæ fortasse sentinæ malorum erant, redderentur officinæ sanctitatis: adeò vt sanctificata, seu sanctificationes per antonomasiam dicerentur.

Saluian.

Ciuitas quò maior, eò vitiosior.

D.Leo. Roma erroris Magistra.

IV. *Quot scelera reperiantur in foro iudiciali.*

Vtinam modò loca iudiciis exercendis destinata, tale nomen habere possent, & non potius quædam omnium malorum voragines appellari. Sed, proh dolor! dum iudicia corrumpuntur; qui iudicantur, ab antiquis sceleribus non emergunt, sed ad noua audentiores effrænantur. Audi D. Cypr.lib.2.epistolarum, epistol.2. ad Donatum, aliàs epistol.1. loquentem de foro, hoc est, de loco, in quo iudicia exercentur: *Forum*, inquit, *fortasse videatur immune*: nempe, à flagitiis, quæ ibi puniri debuerunt, non patrari: *illuc aciem tuam flecte. Plura illic, quæ detesteris, inuenies.* Et statim: *Inter leges ipsas delinquitur, inter iura peccatur. Innocentia, nec illic, vbi defenditur, reseruatur. Sæuit inuicem discordantium rabies, & inter togas, pace rupta, forum litibus mugit insanum. Hasta illic, & gladius, & carnifex præsto est.* Et paulò pòst, aliis flagitiis enumeratis, *Quis inter hæc*, inquit, *vero subueniat? Patronus? sed præuaricatur & decipit. Index? sed sententiam vendit. Qui sedet crimina vindicaturus, admittit: & vt reus innocens pereat, fit nocens Index. Flagrant vbique delicta, & passim multiformi genere peccandi, per improbas mentes nocens virus operatur. Hic testamentum subiicit; ille falsum capitali fraude conscribit: hic arcentur hæreditatibus liberi; illic bonis donantur alieni. Inimicus insimulat, calumniator impugnat, testis infamat, vtrobique grassatur in mendacium criminum, prostituta vocis venalis audacia; cùm interim nocentes, nec cum innocentibus pereunt.* Hoc est, propter Iudicum prauitatem innocentes condemnantur: nocentes absoluuntur: nec saltem hi cum illis, quod tolerabilius esset, paribus pœnis coërcentur: sed vt in extrema mala iniquitas prorumpat, perdit innocentes, nocentibus patrocinatur. Pergit Cyprianus: *Nullus de legibus*

D.Cypr.

Nulla Iudicũ integritas: nulla Patroni veritas reperitur.

Præposterè iudicia exercentur.

gibus metus est : de Quæstore, de Iudice pauor nullus. Quod potest redimi, non timetur : esse iam inter nocentes innoxium, crimen est : malos quisquis non imitatur, offendit. Consensêre iura peccatis, & cœpit licitum esse, quod publicum est. Quis illic rerum pudor? Quæ esse integritas possit? Vbi, qui damnent improbos, desunt : soli qui damnentur, occurrunt. Hæc Cyprian. si vsquàm alias elegantissimè ac disertissimè, & vtinam non verissimè. Vides, vt iudiciorum tribunalia fiant maleficiorum latibula? Non ita ea loca, in quibus Samuel æqui tenacissimus iudicabat. Adeò in illis veritas, fides, iustitia, cæteræque virtutes florescebant, vt non tam fora, quàm templa diceres : nec tam ibi humanæ lites perstrepere, quàm diuinæ laudes personare viderentur.

Iudiciorum tribunalia, maleficiorum latibula.

V.

Samuel rem suam non agebat, sed suorum.

B

Tertiò, apparuit sollicitudo Samoelis; quia rem suam non agebat, sed suorum: ne subditi adeuodo suum Iudicem, sumptus facerent, tempus perdereot, vires frangerent, milléque iocommoda extra patriam, mille detrimeota in Principis Curia paterentur : ipse, quiescentibus omnibus, solus discurrebat; omnibus otiantibus, solus laborabat. Non timebat iniurias temporum, non refugiebat viarum asperitates, non recusabat hospitiorum angustias. Denique oec parcebat suo labori, nec consulebat suis expensis, nec seruiebat suæ ineolumitati; sed omnia sua in suorum vtilitatem conferebat. Vrbes ingressus, cioium pompas, plausus, apparatus, quibus exciperetur, non curabat, immò seuerissimè prohibebat. Totus suo

C

muneri intentus alienas causas iudicabat, dirimebat lites, examinabat mores, puniebat culpas, repellebat malos, diligebat bonos, omnem Reipublicæ statum ad æquitatem & saoctitatem reuocabat. Ac tandem sui memor muneris, ciuium munera non expetebat : vnde nullas sibi pecunias, plurimas Deo animas lucrabatur. Ante Euangelium, Euangelij professor; ante Christum, Christianus; ante Paulum, Pauli imitator, qui dicebat : *Quæ est ergo merces mea? vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponam Euangelium.* 1.Cor.9.n.18. Et iterum : *Cùm essem apud vos, & egerem; nulli onerosus fui. In omnibus sine onere me vobis seruaui, & seruabo.* 2.Corinth.11.num.9. Ac tandem: *Non ero,* inquit, *grauis vobis: non enim quæro quæ vestra sunt, sed vos. Nec enim debent filij parentibus thesaurizare; sed parentes filiis.* 2.Corinth.12. num.14. Cui consentiens D. Petrus, *Pascite,* inquit ad Ecclesiæ Prælatos, *qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes, non coactè, sed spontaneè secundùm Deum, neque turpis lucri gratia.* 1.Petr.5.num. 2. Vbi agentes spontaneè, & agentes spe lucri inter se opponit. Neque enim spoote suas oues amant, qui ad lucrum, quod ex illis sperant, rapiuntur. Mercenarij sunt, qui suis, non suarum ouium commodis inseruiunt. Fateor quidem dignum esse operarium mercede sua, Luc.10.n.7. & neminem vnquàm suis stipendiis militare, 1. Corinth.9.num.7. & propterea, suas visitatoribus expensas in Iure canonico decerni. Glossa in cap.1. verbo, *Visitatus.* De censibus, & sæpè alibi : addo tamen eos sumptus moderatos esse debere, ne visitati iusto ampliùs prægrauentur. Gloss. in cap. *Cùm Apostolus.* verbo, *Sumptuosa.* & in c. *Cùm instantia.* verbo, *Prægrauari.* In quam sententiam explicari potest illud Sapientis : *Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos, & in necessaria domus tuæ, & ad victum ancillis tuis.* Prouerb. 27. Lac, inquit, non sanguis : quia hoc indigent pecora, non illo. Vnde significat, iniquissimum esse, si necessaria ouibus alimenta, in pastorum

Optima Samuelis commendatio.

Verus Euangelij Præco solo studet animarum lucro.

Nemo suis militat stipendiis.

Iniquum est ouium alimenta, esse pastorum delectamenta.

A

delectamenta transferantur. Quamuis igitur Pastores naturale & positiuum habeant ius, exigendi à suis ouibus necessarias in vitæ subsidium expensas : laudabiliùs tamen agebat Diuus Paulus, qui hunc à se fauorem abdicabat; & Euangelium sine sumptu reponebat. Quam sanè perfectionem antiquior Paulo Samuel ante Euangelium sectabatur, qui se totum io suorum vtilitatem expendebat; nihil ab eis proprium in lucrum emendicabat: vt infrà ex cap.12.num.3. clariùs patebit.

VI.

Martini Cardinalis integritas commendatur.

D. Bernard.

Sic olim in Ecclesia Martinus quidam Cardinalis, quem D. Bernardus lib.4. ad Eugenium, immortaliter commendat : quòd, cùm Apostolicus legatus Daciam obiret, adeò pauper regressus fuerit; vt ne equum quidem, quo reueheretur, haberet : & cùm ab Episcopo Florentino quendam dono datum accepisset; vbi primùm suspicatus est, donationem fuisse parum synceram, & nescio quo ambitu factam; statim equom remiserit : ne vt munusculo inseruiret, sui muneris integritatem deserere cogeretur. Vnde conclodit Bernardus : *Quid dicis, mi Eugeni? Nónne alterius seculi res est, rediisse legatum de terra auri, sine auro; transisse per terram argenti, & argentum nescisse; donum insuper, quod poterat esse suspectum, illicò reiecisse?* Longè aliter, qui potiùs congregandis pecuniis, quàm lucrandis animis incumbunt, dum prouincias sibi commissas inuisunt. In quos proinde inuebitur D.Bernard. serm. 20. in Cantica : *Christi,* inquit, *opprobria, sputa, flagella, clauos, lanceam, crucem & mortem, in fornace auaritiæ conflant & profligant in acquisitionem turpis quæstus. Hoc solo à Iuda differentes, quòd ille horum omne emolumentum denariorum numero compensauit: isti voraciori ingluuie lucrorum infinitas exigunt pecunias.* Paruo lucro contentus est Iudas : hi verò ne ingentibus quidem saturantur. Vnde, si illum triginta denariorum pondus in Tartarum demersit; quam profundam in voragionem demergentur, qui infinitis propemodum rapinis onerantur? Ille pretiosa vnguenta à Christi pedibus ad pauperes detorquebat: hi & Christi pedes, & pauperes denudant, vt ipsi locupletentur. Sed de hac re ad Cap. sequens Annot, 32. plura cumulabo.

D.Bernard.

Omnia Christi tormenta in auaritiæ fornace conflantur.

D

Num. XVII. Reuertebatúrque Ramatha: ibi enim erat domus eius : & ibi iudicabat Israëlem. Ædificauit etiam ibi altare Domino.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.

Duo Prælatorum munia, residere & visitare.

R*Euertebatúrque*, &c. Duo sunt Prælatorum munia loogè grauissima. Vnum, in propria domo maiorem anni partem residere : alterum, creditam sibi prouinciam semel in anno perlustrare: vt ita omnes, tam qui procul absunt, quàm qoi propè sunt, facilem ad illum inueoiant accessum. Vtrunque muous Samuel egregiè exer-

E

cuit : prius qoidem, vt præcedenti Num. diximus : posterius verò, vt habetur hoc præsenti. Nā obito & lustrato Israële, propriam in domum reuertebatur : quam habebat in Ramatha, vbi natus & educatus fuerat, saltem ad tertium ætatis annum: vt c.1. & 2. dictum est. Quem regressum non ideò instituebat, vt animum ab itineris laboribus paululùm remitteret : sed potiùs, vt subditorum se adeuntium negotiis liberiùs occuparet. Nam ibi quoque iudicabat Israëlem, non vacabat otio, non iodulgebat genio, non piger ac desidiosus feriabatur. Atque adeò oullam anni par-

tem à negotiandi labore immunem, & à soi gregis curandi studio liberam abire patiebatur. Ita facere debent boni Prælati: vt Annot. seq. latiùs illustrabo.

Proponitur obiectio, & responsio apponitur.

Sed obiicies: Samuel ex voto, quod vouit mater eius, c. 1. n. 11. & cui ille suum præstitit consensum; tenebatur in tabernaculo iugiter habitare. Ergo neutrum munus poterat obire: scilicet, aut visitandi prædictas vrbes à tabernaculo distantes: aut residendi in Ramatha, vbi tabernaculum non erat. Respõdeo, ita esse, quandiu ille principatum non obtinuit: posteà verò cum eo dispensatum, vt suo munere rectè fungeretur. Quemadmodum & Religiosi modò, cùm in Episcopos eliguntur, extra claustrum commorantur; vbi tamen, si nouum illud munus non accederet, commorari tenerentur. Et facilior erat dispensatio, destructo iam ac dissipato illo tabernaculi loco in Silo: vbi Samuelis mater suum votum nuncuparat. Nam, si materia voti illum præcisè locum includebat; eo sublato, votum tollebatur: si tamen respiciebat tabernaculum; vbicunque foret, aliquam diuinam dispensationem interuenire oportebat, qua obligatio Deo præstita, à Deo remitteretur.

II.

In extruendo altari videtur Samuel fecisse contra legem.

Ædificauit etiam ibi, &c. Altare erexit in Ramatha, vtique ad sacrificandum. In quo videtur fecisse contra legem: si non in fabrica ipsius altaris; quia suppono ex terra, seu ex lapidibus impolitis constitutum fuisse, iuxta præscriptum legis, Exod. 20. n. 24. & 25. saltem in loco, quia erat extra tabernaculum, vbi sacrificare non licebat. Deut. 12. n. 13. Nam in Ramatha, nec Arca, neque Sanctuarium vnquàm fuisse legitur: vt Lyra, Caietanus & Abulensis obseruant. Nihilominùs constat inter omnes Interpretes; Samuelem non peccasse. Dubitatur tamen, quo pacto à culpa excusetur.

Lyra. Caiet. Abul. Excusatur à Lyrano.

Lyra existimat: quia prædicta lex non obligabat, quandiu Arca stabilem locum non habebat, vt videtur non habuisse, postquàm à Philisthinis capta est, cùm frequenter in alia atque alia loca transferretur: tunc enim ait, potuisse victimas saltem ex deuotione, quolibet in loco immolari: & sic in deserto contigisse, vbi Arca stabilem sedem non habebat.

Theod. Procop.

Parum differt Theod. q. 15. & perpetuus eius assecla Procopius, dicentes, ante templum ædificatum omnibus licuisse vbique sacrificare; immò & post templum, Prophetis scientibus scopum legis, & ab omni periculo idololatriæ, quod lex cauebat, præscindentibus.

III.

Certũ est legem omnes obligasse. Probatur triplici ratione legis.

Nihilominùs dicendum, eam legem in terra Promissionis semper, & omnes etiam Prophetas obligasse; nisi diuina aliqua dispensatio interueniret. Probatur: quia ratio legis erat triplex. Vna, ne Deorum multitudo crederetur, si in multis locis fierent sacrificia. Altera, ne daretur occasio immolandi Dæmoniis in secretis locis, si etiã in illis fieri sacrificia liceret. Tertia, ne aliqua idololatriæ suspicio haberetur, etiam cum vni Deo sacrificia offerrentur. Hæc autem triplex ratio legis semper vrgebat, siue Arca stabilẽ sedem, siue mobilem haberet; siue in templo, siue in tabernaculo coleretur; siue per Prophetas, siue per non Prophetas sacrificia curarentur. Nam etiam de Prophetis, vt sunt suspiciosæ malorum hominum mentes, sinistra aliqua suspicio haberi posset, qua peruersi homines suis sacrilegiis patrocinarẽtur: vt igitur in totum hæc pericula abessent, necesse fuit, vt lex omnes, & toto tempore in terra Promissionis obligaret.

Confirmatur amplius dicta sententia.

Addo, Arcam, postquàm à captiuitate reducta est, stabilem sedem habuisse in Cariathiarim; vt suprà n. 2. dictum est. Nec obstat, quòd semel à Saüle in castra ducta fuerit: infrà c. 14. Nam etiam in Silo stabilem sedem habuit; quamuis inde in castra aliquando abstracta fuerit, suprà c. 4. Immò & à templo, quod stabilissimum Arcæ habitaculum erat, eam aliquãdo abstraxit Ieremias, 2. Mach. 2. n. 4. ne ab hostibus caperetur. Quare, si Arca stabilem locum habente, non licuit in quouis loco immolari; profectò non licuit hoc tẽpore Samueli, cùm Arcæ stabilis locus non deesset. Et quamuis, Arca & tabernaculo separatim existentibus, licuerit vtrobique sacrificare; vt c. 4. & initio huius septimi iam diximus; quia vterque locus censebatur ad sacrificandum diuinitùs deputatus: nunquàm tamen licuit vbique.

Obligatio legis limitatur.

Dixi, hanc legem obligasse in terra Promissionis. Nam in deserto ceremonialia præcepta non obligabãt: vt Interpretes colligunt ex illis verbis: *Cũque introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis, vt pollicitus est, obseruabitis ceremonias vestras*. Exod. 12. n. 25. Quasi ante eum ingressum ad eas seruandas minimè tenerentur. Et ex illis: *Non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie; singuli, quod sibi rectum videtur*. Deut. 12. n. 8. Quasi in deserto ceremonialibus legibus soluti vagarentur, quibus erant in terra Promissionis obstringendi. Atque adeò secundùm legem debebat Samuel ab erigendis aris, & offerendis hostiis extra Sanctuarium abstinere.

IV.

Excusatur Samuel ex priuilegio, & dispensatione legis.

Lyran. Abul.

Dicendum igitur, Samuelem excusari ex priuilegio & dispensatione legis. In quam interpretationem etiam Lyranus magis inclinat, eámque Abulensis efficaciùs tuetur. Hoc pacto Gedeon, Iud. 6. n. 20. & Manuë, Iud. 13. n. 19. & Dauid, 2. Reg. 24. n. 25. & Helias, 3. Reg. 18. n. 32. erectis altaribus sacrificia Deo extra tabernaculum licitè obtulerunt.

Multiplex ratio, cur Samuel excusetur.

Prima ratio.

Ratio verò, cur à Deo cum Samuele in hac lege dispensetur, multiplex excogitari potest. Vna, quia in quo loco Iudicis tribunal figebatur, in eodem altare Domino erigi oportebat: vt ex altari firmaretur tribunal, & ex sanctitate sacrificiorum, iudiciorum rectitudo seruaretur. Neque enim posset Samuel in suo tribunali consulentibus respondere, & litigantes concordare, nisi in diuino altari per orationes & oblationes, Deum sibi propitium redderet, ab eóque lucem ad cognoscendas & definiendas causas imperraret.

Secunda ratio.

D. Greg.

Altera, quia necesse erat, vt quidquid in tribunali ad bonam Reipublicæ gubernationẽ decerneret, totum id ad altare Domini, hoc est, ad diuinum cultum & gloriam referret. Nam, vt bene D. Greg. *Valdè*, inquit, *otiosum est Doctoris studium, si per hoc, quod ab illo in terris agitur, cæleste ædificium non augetur.*

Tertia ratio.

Tertia, quia, ne inter secularia negotia Iudicis mens obrueretur; opus erat, vt frequenter à tribunali ad altare se conferret: vt inter spiritualia opera paulisper recrearetur. Et propterea hoc altare in Ramatha patria Samuelis, & cælestis patriæ symbolo erigebatur. Nam, vt notat D. Greg. *Inter officij sui onera tam immensa corrueret, si ad amorem cælestium per spei suæ desiderium non rediret.* Debent igitur boni Prælati ab externis curis ad internas delicias aliquando se transferre: illas omninò à se non amputent; sed has omninò non aspernentor. Vnde est illud Dei præceptum: *Sacerdotes caput suum non radant, neque comam nutriant: sed tondentes attondeant capita sua*. Ezech. 44. num. 20.

Externa rerum temporalium cura mediocres esse debent.

Vbi neque rasam, neque prolixam capillaturam gestare permittuntur; sed modicè attonsam: vt externas rerũ temporalium curas, comæ vocabulo significatas, neque penitùs euellant, neque nimiùm luxuriari patiantur: sed mediocriter rescissas ac mutilatas, cũ internis & spiritua

& spiritualibus deliciis alternent. Sic enim D. Greg.lib.1.Regist.epist.24. exponit: *Quia,inquit, cuncti qui præsunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent,nec tamen eis vehementer incumbere: Sacerdotes rectè,& caput prohibentur radere, & comam nutrire; vt cogitationes carnis, de vita subditorum, nec à se funditus amputent,nec rursum ad crescendum nimis relaxent.* Atque hæc de Litera huius capitis. Cuius extremam partem sequenti Annot. breuiter illustrabo. — D. Greg.

ANNOTATIO XXIX. CIRCA LITERAM.

Duplex Prælatorum obligatio visitandi, ac residendi illustratur.

I. *Duo Prælatorum munera illustranda proponuntur.*



TROQVE munere Samuel diligenter fungebatur. Priori quidem: quia præcipuas suæ ditionis vrbes, Bethel,Galgala & Masphath semel in anno visitabat. Posteriori autem: quia reliquam anni partem in sua Curia, & iudiciaria cathedra residebat:vt ex Num.16.&17. palàm est. Hinc sumere debent exemplum ecclesiastici Pastores: vt suas Diœceses statis temporibus obeant; & in suis cathedralibus Ecclesiis, quidquid temporis reliquum fuerit, consumant. Si enim Samuel ad curanda temporalia negotia, nullo præcepto positiuo perurgente, vtrunque munus tam diligenter exercebat:quid ecclesiastici Prælati ad spiritualia negotia tractanda, diuino præsertim Iure obligante, desides & ignaui fierentur? Vtranque igitur visitandi & residendi obligationem, sua quanque Sectione, non tam scholastico ac Theologico rigore,quàm floridiori & vberiori schemate ad mores illustrabo.

SECTIO I.

Visitandi obligatio.

II. *Samuel Prælatis proponitur imitandus.* — Carth.

SAmuelem suam prouinciam, vt in Litera diximus,diligenter obeuntem,proponunt Interpretes ecclesiasticis Prælatis imitandum. Nam in primis Dionysius Carthusianus,de Samuelis in hoc suo munere diligentia præfatus, *Sic omninò,* inquit, *sic veri Episcopi, Archidiaconi, Abbates & cætri visitatores, omni tempore opportuno,& in Iure determinato, debent subditos suos, Cœnobia,Collegia, Parochias,charitatiuè,ac strenuè visitare, vitia extirpare, collapsa & deformata totis viribus reformare, bonos confirmare in bonis, & pronocare ad meliora, præcipua quæque loca diligentius custodire.* Et Lyran. addit, Samuelem proprio labore & impensa per illas vrbes discurrisse: vt subditis esset vtilis, & non grauis:& ante Euangelium,euangelicum præceptum sequeretur: *Gratis accepistis, gratis date.* Mat.10.num.8. Et tunc se crederet maximum lucrum reportare,cùm nihil temporale ex suo labore lucraretur, iuxta illud Apostoli: *Quæ est ergo merces mea? vt Euangelium prædicans,sine sumptu ponam Euangelium.* 1.Cor.9.num.18. Idem etiam de Samuele asseruit Dionysius: *Propriis, inquit, expensis visitauit loca præfata ad populum iudicandum & erudiendum. Quo planè exemplo reprehenduntur,*

Lyran. *Iusti tunc lucrari credunt, cùm nihil ex suo labore lucrantur.* — Dionys.

A *qui in visitationibus grauant visitatos expensis,& sumunt ab eis munuscula: quod in Iure frequenter ac distinctè,etiam sub pœna excommunicationis prohibetur.* Ita ille. Addit præterea Abulensis,Samuelem prouinciam obire solitum, non solùm,vt in priuatas personas inquireret:sed præcipuè, vt immediatos Iudices in officio contineret;& multò maximè vt religionis cultum, sartum tectúmque in suo populo conseruaret. Sic & reliqui interpretes Samuelis curam in pascendo suo grege,& à periculis eruendo,non mediocriter commendant.

Abul. *Visitatoris cura qualis esse debeat.*

IIII. *Tria Prælatis documenta à Samuelis exemplo eruũtur.*

Ab his Samuelis exemplis, tria possunt documenta ad ecclesiasticos Principes transferri. Vnum, vt suos greges diligenter visitent. Alterum,ne visitando nimiis sumptibus grauent. Tertium, B vt absque vllo personarum respectu, non solùm in pauperes & humiles,sed etiam in diuites & potentes, immò & in ipsos immediatos aliorum Iudices inquirant: & quos noxios deprehenderint, non solùm moneant & arguant; sed puniant & castigent. De hoc tertio ad caput 12. n. 3. fusiùs disputabo. Illud secundum in Litera huius capitis obiter præstrinxi,fusiùs suo loco illustraturus. Quod ad primum attinet; nimis vrget exemplum Samuelis.Nam,si ille nullo præcepto positiuo,vt dicebam,obligatus,in hanc curam suæ prouinciæ diligenter obeundæ, tam sedulus incumbebat:quid ecclesiastici Pastores ab ea cura elanguescant,in quam tam multis præceptis pontificiis impelluntur? vt videre est in Concil. To- C let.4.c.35.& Brachar.2.c.1.& Arelatensi c.17.c. *Decernimus.* cap. *Episcopum.*cap.*Placuit,*10.quæst. 1.& nouissimè in Trid.multis locis,Sess.7.De Reformatio.c.8.& Sess. 21. in Decreto: item de Reform. c.8. & Sess. 24. in Decreto: rursum De Reform.c.3. & sæpè alibi:in quorum vltimo loco citato sic statuit: *Patriarchæ,Primates,Metropolitani & Episcopi propriam Diœcesim per se ipsos;aut si legitimè impediti fuerint, per suum generalem Vicarium, aut Visitatorem,si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt,saltem maiorem eius partem; ita tamen, vt tota biennio per se, vel Visitatores suos compleatur; visitare non prætermittant.* Quid igitur tam multis legibus obstricti ad oues suas visitandas,negligentes desideant ac dormitent?

Conc. Tol. Conc. Brac. Arel. Trid. *Prælati decretis pontificiis ad visitandũ impelluntur.*

D IV. *Boni Pastores oues intuitiuè debent agnoscere.*

Neque desunt alia in sacris Literis incitamenta,quibus Pastores ad hoc munus vehementer vrgeantur. Nam Sapiens, *Diligenter,*inquit,*agnosce vultum pecoris tui,tuósque greges considera.* Prou.27. num.23. Vbi emphaticè dicens, *Vultum,*mihi videtur ad facialem,vt vocant, & intuitiuam notitiam adhortari,non solùm ad abstractiuam, & ex aliorum relatione comparatam. Nec sine mysterio singulariter loquitur:*Vultum pecoris:*non quòd Pastor vnius tantùm pecoris notitia contentus esse debeat;sed quòd ita omnes subditos agnoscere teneatur,vt etiam,Interprete Salonio, animos & actus singulorum contempletur.Et in hanc curam Prælatum inducit,& timore,& amore:sequitur enim: *Non enim habebis iugiter potestatem; sed* E *corona tribuetur in generationem & generationem.* Ibidem,n. 24. Timore quidem,dum finem huius potestatis,seu mortem obiicit;eámque vel naturaliter irrepentem,vel in pœnam negligentiæ diuinitùs inflictam. In qua negligens Pastor non mediocriter terrebitur, ad reddendam suarum ouium rationem prouocatus illis verbis: *Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quid dices, cùm visitauerit te?* Ier.13.n.20. Vbi cum emphasi dicitur: *Cùm visitauerit te:* vt optimus ille Pastor sua visitandi diligentia illam visitandi negligentiam in pessimo Pastore reprehendat.

Salon. *Negligens Pastor morte mulctatur in pœnam, diligens corona in præmium donatur.* *Deus suo exẽplo Pastores impellit ad visitandum.*

Amore autem, dum coronam proponit, optimis animarum curatoribus imponendam; vt, qui laboriosi Pastores in terra fuerant, gloriosi Imperatores in cælo efficiantur. Sicut & Apostolus ad curam pastoralem adhortatus, subdit: *Et cùm apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcessibilem gloriæ coronam.* 1. Petr. 5. num. 4. Vbi non immeritò dicitur, non Pastor Pastorum, sed Princeps: vt non iam ad pastoritium laborem, sed ad imperatorium honorem vocaturus significetur. Non minùs efficaciter in hanc curam impellit & Siracides, dicens: *Pecora tibi sunt? Attende illis.* Ecclesiastici c. 7. num. 24. In Græco est, ἐπισκέπτε, quod Iansenius vertit, *Inspice & visita*: à verbo, ἐπισκέπτομαι, quod visitare & considerare significat: quasi qui suas oues non visitat, nullo modo illis attendere censeatur.

Qui suas oues non lustrat, non curat.

V. Sed exemplis iam agatur. Multam suorum sollicitudinem habuit Iacobus, qui filium suum Iosephum, quem vnicè diligebat, alloquutus, *Vade*, inquit, *& vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos & pecora; & renuntia mihi, quid agatur.* Genes. 37. num. 14. Videbat, quantum in periculum mitteret filium, quem se ipso habebat chariorem, non tam agnos, quàm lupos inuisurum; & nihilominùs mittebat, & periculum patiebatur, ne ipse suo muneri deesset: satius esse ratus, vnum temporaliter perire, quàm plures spiritualiter aberrare. Nec alium, quàm filium charissimum, eius gregis visitatorem delegabat: vt ipse parens non propter negligentiam, sed propter impotentiam ab eo se munere exonerasse crederetur. Nam, qui filium sibi se ipso chariorem, tanto periculo exponebat, libentiùs ipse periculum subiret, si effœta iam senectus, exhaustæque vires paterentur. Adde ex Philone lib. De Iosepho, conspicatum fuisse patrem in filio, *Generosum animum, & maiorè, quàm pro priuata fortuna*: & propterea eum à prima ætate exercere voluisse munere visitandi greges: quod existimabat, *velut preludium quoddam Magistratuum, ne pueri ingenium priuatis rebus quodammodo inuolutum premeretur diutius: sed quam primum elucesceret.* Didicit igitur à rudibus annis hanc erga suos greges prouidentiam Iosephus, quam in virili ætate conseruauit. Nam annos triginta natus, cùm ad Ægyptium imperium accessit; nihil priùs habuit, quàm vt subditam sibi prouinciam visitaret. *Egressus est itaque Ioseph ad terram Ægypti, & circuiuit omnes regiones Ægypti.* Gen. 41. n. 46. Quod in eo mirificè commendat Philo citatus. *At regius*, inquit, *Vicarius assumpta Ægypti procuratione obibat eius regionis præfecturas & oppida, omnibus nouum Magistratum officiosè & hilariter excipientibus, quos tum beneficiis, tum comitate sibi deuinciebat, elucente in ipso vultu hominis eximia quadam gratia.* Ita Iosephus regiis insignibus ornatus, nouo & perillustri coniugio susceptus, gloriosissimo titulo Saluatoris mundi insignitus, non otio, non inertiæ, non voluptati indulgebat: sed promptus ad labores, vigilans ad curas, prouidens ad negotia totam Ægyptum perlustrabat. Quod Oleaster hoc loco Prælatis in memoriam reuocat: *Debent*, inquit, *gubernatores visitare, & videre suis oculis quæ sibi commissa sunt.* Neque enim fas est, vt qui fortè ad honores sui muneris obtinendos vigilarunt & laborarunt; ij posteà ad exercendos eiusdem muneris labores obdormiscant & elanguescant.

Visitandi cura in Iacobo commendatur.

Philo.

Iacobus visitandi cura Iosephũ erudire voluit.

Eadem in Iosepho cura exprimitur.

Prælatorum quidam vigilant ad honores, ad labores obdormiscũt. Oleast.

VI. Non minùs illustre fuit in hac re Moysis exemplum. Nam is in Pharaonis Curiam susceptus, & inter regias delicias nutritus, & ad regios honores in Ægypto obtinendos destinatus, minimè passus

Eadem cura Moysem illustrem fecit.

A est, se ab his deliciis abduci, his voluptatibus immergi, his honoribus inebriari; sed vbi primùm agnouit, se diuinitùs electum in Israelitici populi ductorem ac defensorem (vt reuerà cognouisse ex Act. 7. num. 30. colligitur) statim ad suum munus exequendum festinauit: *In diebus illis* (inquit Textus) *postquàm creuerat Moyses, egressus est ad fratres suos.* Exod. 2. num. 11. visitandos vtique, & tam ab alienis iniuriis, quàm à propriis culpis eximendos. Quod apertè significauit D. Stephanus, dicens: *Cùm autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, vt visitaret fratres suos filios Israel.* Act. 7. num. 23. Quod munus feliciter peregit; & occidendo Ægyptium, qui Hebræo iniuriam inferebat; & concordando Hebræos, qui à se inuicem discordabant. Itaque

B Moyses in confinio honorum apud Ægyptios, & laborum apud Hebræos constitutus; maluit hos labores visitandi fratres suos suscipere, quàm illos honores imperandi apud adulterinos parentes obtinere. Vnde Philo lib. 1. De vita Moysis, eos arguens, qui ad honores euecti labores fugiunt, Moysem illis opponit: *At hic*, inquit, *euectus in summum rerum fastigium, nepos tanti Regis habitus, spe omnium destinatus successor auiti solij, nec aliud quàm Rex iunior appellatus, sequutus est maiorum suorum instituta Gentilia; adoptiuorúmque parentum bona, etsi splendida, tamen adulterina iudicauit.* Igitur Moyses sui memor officij, maluit fratres suos, quamuis humiles & abiectos, cum la-

Moyses maluit labores visitandi, quã honores imperandi.

Philo.

C bore non exiguo visitare; quàm apud Pharaonem, adoptiuósque parentes summo cum honore residere. Neque in deserto ab hoc suo munere interquieuit; vbi singulas non solùm Tribus, sed etiam familias obibat; & quid in singulis ageretur, prænotabat; iuxta illud: *Audiuit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorij sui.* Num. 11. num. 10. Quasi totum castrorum locum circumcursaret, singulis tentoriis manus admoueret, nihil vsquàm inexploratum præteriret: vt vbi remedio, vbi supplicio opus esset, prouidus suo munere fungeretur.

Hoc munus etiam in deserto non deserebat.

VII. Sic olim & Isaï futurus multorum Regum caput & origo, filios suos Curiæ ac militiæ seruientes inuisebat; nec per alium, quàm per Dauidem

D filium iuniorem, quem diuina prouidentia his præludiis ad Regnum prædocere & exercere videbatur: *Accipe*, inquit, *fratribus tuis ephi polenta, & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos, & decem formellas casei has deferes ad Tribunum, & fratres tuos visitabis, si rectè agant; & cum quibus ordinati sunt, disce.* 1. Reg. 17. num. 18. Vbi vigilantissimus parens, quos per se inuisere non poterat; amantissimo ac diligentissimo filio commisit temporaliter & spiritualiter inuisendos: ne qua in re suis filiis deesse videretur. Temporaliter quidem, quia victum necessarium submisit: spiritualiter verò, quia in eorum mores diligentem fieri inquisitionem præcepit: & non solùm, vt peccata obseruaret, iuxta illud: *Visitabis, si rectè agant*: sed

Isaï quos per se visitare nõ poterat, charissimo filio commendabat.

Hæc visitatio spiritualiter & temporaliter esse debet.

E etiam, vt pericula peccandi, quæ ex malorum consuetudine oriuntur, impediret, iuxta illud: *Cum quibus ordinati sunt, disce.* Optimo ad ecclesiasticos Principes documento, vt greges suos ita visitent, vt temporalibus eos iuuent alimentis & spiritualibus auxiliis tueantur. Quod munus Dauid in puerili ætate diligenter obitum, in virili non dimisit: sed diligentiùs exercuit, *Perambulabam, inquit, in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam: facientes præuaricationes odiui, &c.* Psal. 100. à n. 2. Ac deinceps toto Psalmo ostendit, suam erga suos curam

Sollicita Dauidis cura prænotatur.

curam & prouidentiã. Non enim dicit: Quiescebam, recumbebam, dormiebam: sed, *Perambulabam in medio domus meæ.* Qua in re, vt bene Lorinus noster, *Denotat*, inquit, *sollicitam curam domus, & diligentem perlustrationem, atque visitationem totius familiæ ac Regni*, &c. Et deinceps cum Titelmano latè spatiatur, ad exhortandos ecclesiasticos Pastores: Primò, ne extra suas domos, hoc est, Diœceses euagentur, Principum aulas, & Regum Curias ambitionis gratia frequentando: *Sed in medio domus suæ.* Secundò, ne in aliquo angulo domus suæ recondito & inaccesso molliter cubent, ignauiter desideant, dormiendo, stertendo, & corporis voluptatibus indulgendo: sed prompti ac ptonidi, sui memores officij *perambulent.* Tertiò, ne vanas exerceant perambulationes, per plateas equitando ad inanem apparatum; per syluas venando ad incongruam voluptatem; per domos viduarum circuncursando ad turpe lucrum: sed in innocentia cordis sui ad omnes vitiorum pestes, vel procul ablegandas, vel penitùs extinguendas. Vltimò, ne segniores sint ex zelo animarum, quàm Diabolus sit ex odio. Nam, si hic *circuit quærens quem deuoret.* 1. Petr. 5. n. 8. cur illi non discurrant, quæsituri quos saluent: & quidem tanquàm *rationem pro salute animarum reddituri?* Hebr. 13. num. 17. Hoc si facerent, non tam multæ passim animæ deperirent, quæ à Dæmone, tanquam leone rugiente & circumeonte miserè deuorantur. Ita ferè hi, duo interpretes in rem nostram philosophantur.

Lorin.

Titel.

Prima Prælatorum cura, vt domos suas nõ regias frequentent.

Vt non otientur, sed perambulent.

Vt non perambulent per plateas equitando.

Vt ne segniores sint ex zelo, quã Diabolus ex odio.

A

B

VIII. Dauidis exemplum nihilo segniot arripuit Iosaphat, Rex Iuda, qui, cùm haberet *infinitas diuitias & multam gloriam*, vt est in loco statim citando; tamen de nulla re magis, quàm de eora ac sollicitudine iû suo tegno obeundo ac perlustrando gloriabatur: *Igitur tertio anno regni sui, misit de Principibus suis, vt docerent in ciuitatibus Iuda: & cum eis Leuitas & Sacerdotes: docebántque populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum.* 2. Paral. 17. à num. 9. Addit Iosephus lib. 9. Antiq. c. 1. Regem Iosaphat non solùm per alios, sed etiam per se ipsum tegnum suum perlustrasse, omnésque ad pietatem instruxisse, constitutis per singula loca integerrimis Iudicibus, qui nihil magis, quàm iustitiam colerent. Ierosolymam verò præcipuo quodam studio ad diuinæ legis obseruantiam excoluisse. *Dicebat enim*, inquit Iosephus, *rectum iudicium constitutum esse debere in ea ciuitate, in qua & templum Dei, & habitaculum erat Imperatoris.* Iam verò Helias per turbinem in cælum ascensurus, priùs in terra præcipuas quasdam vrbes perlustrauit. Vnde ad discipulum Helisæum, *Dominus*, inquit, *misit me ad Bethel.* 4. Reg. 2. n. 2. Qua diligenter perlustrata, rursus ad Helisæum, *Dominus*, inquit, *misit me in Iericho.* Ibidem, num. 4. Qua pariter obita & inspecta; tertiò ad discipulum, *Dominus*, inquit, *misit me vsque ad Iordanem.* Vbi suprà, num. 6. Quibus omnibus locis peragratis, tandem igneo sublimis in curru ad cælum transfertur. Quorsum verò tam multa loca peragrauit; & quidem non humano doctus arbitrio, sed diuino actus imperio, antequam in cælum reciperetur? Crediderim, vt illarum vrbium ciues priùs inuiseret, instrueret, excoleret, & ad pietatem ac religionem informaret. Neque enim recipiendus in cælum, meliùs se poterat ad tam felicem ascensum præparare, quàm si totam illam prouinciam suæ doctrinæ, fidei ac tutelę creditam obiret. Vnde non immeritò timere possunt animarum Pastores, qui suas non obeunt Diœceses, ne à cælestis patriæ ingressu arceantur.

Iosaphat vigilantia in obeundo regno.

Ioseph.

Ipse Rex pietatis Doctor.

Helias ad sali ascensum visitando præparatur.

C

D

E

IX. Ad hæc, Nehemias, patriæ restitutus totam Ierosolymam etiam de multa nocte circumibat: *Egressus sum*, inquit, *per portam vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam stercoris: & considerabam murum Ierusalem dissipatum, & portas eius consumptas igni. Et transiui ad portam fontis, & ad aquaductum Regis. Et ascendi per torrentem nocte, & considerabam murum: & reuersus veni ad portam vallis, & redij.* 2. Esd. 2. à n. 13. Vbi vides, Nehemiam neque tempori, neque labori pepercisse, quominus illam vrbem semel atque iterum visitaret: nam & nocturno tempore totam obiit; & semel obitã itetum perlustrauit. Quòd si tantam habuit curam de materialibus ædificiis resarciendis, quàtam habere debet ecclesiastici Principes de spiritualibus? De quibus Beda ad eum locũ lib. 3. cap. 17. *Doctorum*, inquit, *spiritualiũ est, sæpius nocte surgere, ac solerti indagine statum sanctæ Ecclesiæ, quiescẽtibus ceteris, inspicere, vt vigilãter inquirant, qualiter ea, quæ vitiorum bellis sordidata, siue deiecta sũt, castigando emendent & erigant.* Et statim inuehitur in eos, qui spirituales suarum Ecclesiarum ruinas intuentes; ad eas reparãdas non festinant, non accurrunt. Sed, *relicto*, inquit, *veritatis magisterio; communi cum ceteris ignauia torpent, ac temporalibus curis inseruiunt.* Et obserua, Nehemiam, non solùm pulchra & sublimia Ierosolymæ loca obiisse, sed etiam humilia & abiecta, qualis erat *porta stercoris*, vt cit. loco dicitur; seu, *sterquilinij*, vt c. 3. seq. n. 13. appellatur: sic vocati solita, qoia per illam, Lyra interprete, totius vrbis fæces & immunditiæ egeri & exportari consueuerant: vt ab eius exemplo discant ecclesiastici Prælati, infima quæque & abiectissima suæ Diœcesis oppidula, pauperum tabernas, viduarum casulas, ægrotantium domunculas; & quod caput est, etiam spurcissima vitiorum prostibula & latibula visitare: vt omnes vndique & corporum, & animorum miserias, tam corporalibus, quàm spiritualibus auxiliis eluant & abstergant.

Nehemias etiam nocte obibat & lustrabat vrbem.

Beda.

Principes ecclesiastici spiritualibus debent inuigilare.

Non solùm magna, sed humilia oppida perlustranda.

Lyran.

X. Neque propterea à sacerrimis & sanctißimis locis perlustrandis interquiescant; sed iis quoque inuisendis strenuam operam impendant: si quid in eis cultum & ornatum est, vt laudent & conseruent: si quid in deterius labi cœptum, vt reparent & resarciant, atque in priorem restituant dignitatem & venustatem. In cuius rei typum olim *Ioachim summus Pontifex de Ierusalem venit in Bethuliam, cum vniuersis Presbyteris suis, vt videret Iudith: qua, cùm exisset ad illum, benedixerunt eam omnes vna voce, dicentes: Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israël, tu honorificentia populi nostri.* Iudith 15. à n. 9. Vt enim summus Pontifex nobilem illam viraginem inuisit; non vt argueret, aut corriperet, aut meliorem in frugem recoqueret, cùm nihil in ea repurgandum appareret; sed vt approbaret, & magnis laudum titulis insigniret, & omnibus imitandam exhiberet: ita & Principes Pastorésque ecclesiastici suas prouincias & Ecclesias, licèt excultas & expurgatas esse sciant, inuisere debent & perlustrare; vel vt probent & laudent, suáque auctoritate confirment; vel saltem, vt minimis quoque labeculis detersis sine ruga & macula nitidiores efficiant & cultiores: ac tandem possit vnusquisque suam Ecclesiam, tanquàm *virginem castam exhibere Christo.* 2. Cor. 11. n. 2. vt purissimo Sponso purissima Sponsa consecretur.

Prælati loca sacra lustrare debent, vt nihil ornatus, nihil desit munditiei.

Ecclesia purissima Sponsa purissimo debetur.

XI. Non immeritò D. Ioannes ad septem Asiæ Episcopos scribens, septem Angelos appellauit: *Angeli*, inquit, *sunt septem Ecclesiarum.* Apoc. 1. n. 20. quos deinceps cap. 2. & 3. & ad suũ muneris exequendum

Prælati Angeli sunt, quia Angelicam celeritatem imitantur.

quendum sub nomine Angelorum adhortatur. Vt enim Angeli *omnes sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis.* Hebr. 1. num. 14. & ad curandam humanum salutem, aura flammáque velociores huc illuc rapiuntur; iuxta illud: *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Psal. 103. num. 4. ita Principes & Præsides animarum, non solùm excubare debent in earum salutem & tutelam; sed etiam quocunque oportuerit, tanquàm Angeli veloces peruolare. Huc fortasse respexit D. Paulus: *Pro Christo,* inquiens, *legatione fungimur.* 2. Cor. 5. num. 20. Nam, quemadmodum Legatus non quiescit in patria, sed in alieno solo peregrinatur: ita & curatores animarum non otiantur inter patrias ac domesticas delicias, sed per externas domos, & vrbes cursitantes, animarum salutem sibi creditarum negotiantur. Hinc etiam Christus Dominus Medico similem se esse dixit: *Non necesse,* inquit, *habent sani Medico, sed qui malè habent.* Marc. 2. num. 17. Vt enim Medicus nullam minùs incolit domum, quàm suam; alienas verò perpetua vicissitudine frequentat: ita planè Episcopi & Prælati ecclesiastici non debent in propria domo otiosi recumbere; sed per alienas suo sub patrocinio & pastorali cura constitutas prouidi euagari. Neque satis est, alios ad hoc munus delegare; cùm ipsi per se illud obire teneantur: quia sicut absens Medicus ægrotanti satis opportunè non medetur; ita absens Episcopus delinquenti satis opportunè non auxiliatur.

Dicuntur Legati; quia sæpe ad animarum salutem peregrinantur.

Christus Dominus Medicus dicitur, ob perpetuam visitandi vicissitudinem.

XII. Vnde, cùm supremus mundi Princeps intelligeret, satis non esse, multifariam multísque modis genus humanum per Prophetas visitare: *nouissimè loquutus est nobis in filio.* Hebr. 1. num. 1. Qui vt *Pastor & Episcopus animarum nostrarum.* 1. Petr. 2. num. 25. *Visitauit nos oriens ex alto.* Luc. 1. num. 78. Vt calamitates nostras propiùs intuitus & expertus, faciliùs releuaret. Quod munus vt feliciter ac diligenter exequeretur, teste Euangelista, *Circumibat castella in circuitu docens.* Marc. 6. num. 6. Vbi verbo circumeundi, diligens & indefessa significatur excursio. Et castellorum nomine non obscurè insinuatur pastoralis Christi Domini curam tantam fuisse, vt non modò circa magnifica emporia; sed etiam circa abiecta oppidola versaretur. Quod Theophilus Antiochenus in Catena aurea, rectè obseruauit: *Non solùm,* inquit, *in ciuitatibus prædicabat Dominus; sed etiam in castellis; vt discamus parua non spernere: neque magnas semper quærere ciuitates; sed verbum Dei in vicis abiectis & vilibus seminare.* Et diligenter obserua circunstantiam temporis, quo hæc geruntur. Nam, cùm Christus Dominus Dæmonem ab obsesso homine expelleret, dicebant Pharisæi: *In Principe Dæmoniorum eiicit Dæmones.* Matthæi 9. num. 34. Quid verò Christus Dominus? Sequitur statim: *Et circumibat Iesus omnes ciuitates & castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium Regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem* Ibidem, num. 35. Vbi Diuus Chrysostomus homilia 33. *Christum,* inquit, *videmus his contumeliis & iniuriis affectum, non modò vltum non fuisse; sed ne commotum quidem: quippe qui etiam post hæc maledicta, vrbes & vicos Iudææ circumiret, prædicans Euangelium, & curans omnem languorem.* Sed cum aureo Chrysostomi ore aureum Chrysologi sermonem coniungamus, qui sermone 170. rectè expendens, sicut *aduersarius* noster *Diabolus circuit, quærens, quem deuoret.* 1. Petr. 5. n. 8. ita Christum Dominum circuisse *castella*, vt quæreret, quem seruaret; luculenter in hanc rem spatiatur: *Ille,* inquit, *cuius maiestatem vox fidelium quotidiana testatur; tuus propter te circuit, apparet, videtur & tenetur in locis. Quo se mouet immobilis plenitudo? quò accedit, vel vnde recedit, quo plena sunt omnia? Et tamen vadit, redit, ascendit, descendit, habitus suscipit, formas variat, commutat officia. Et nunc ignem tibi resplendet in rubo. Nunc elucescit cælesti flammeus in columna. Nunc te, vt aquila, protegit pennis sapientia, vt cælestem prouocet ad volatum. Nunc sicut gallina educit, vocat, recipit, protegit, portat, fouet, ambit, amplectitur; & sui volatus oblita, imo versatur in puluere, vt te familiaribus alat, erudiat, instituat nutrimentis. Nunc vt pastor bonus altissimis errantem solus requirit in montibus, solus inuenit, solus suis humeris imponit, & cælestes euehit & perducit ad caulas. Sic vt te mutet in melius; ipse sua toties mutat & commutat officia. Et quia diu circumierat, vt diriperet & deuoraret inimicus; nunc necessariò circuit, vt te vindicet & eripiat Christus.* Sic ille eleganter describit munus Christi Domini suas oues diligentissimè visitantis.

In excessu Christi Domini excursio in perlustrando.

Theoph.

Prædicatores non semper magnas quærant ciuitates ad prædicandum.

Christus Dominus maledicta beneficiis rependebat.

D. Chrys.

D. Petrus Chrysol.

XIII. A Christo Domino Apostolorum Principes didicerunt: nam Diuus Paulus ad Barnabam, *Reuertentes,* inquit, *visitemus fratres, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant.* Actor. 15. num. 36. Non ita pridem apud illos prædicauerat: & tamen ad illos prædicaturus redibat, vt primum gratiæ vigorem semper in illis vernantem conseruaret. Immò nunquàm in eodem loco desidiosus consistebat. Sed huc illuc infatigabilis circuncursabat. Nam sub initium suæ conuersionis, *In Synagogis prædicabat Iesum.* Actor. 9. num. 20. Vt vbi eum anteà oppugnauerat: ibi eum posteà propugnaret. Deinde verò in fidei professione paulò adultior, longiùs excurrebat, *In virtute signorum & prodigiorum, in virtute Spiritus sancti. Ita,* inquit, *vt ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium Christi.* Rom. 15. num. 19. Vbi Diuus Chrysostomus homilia 29. obseruat, non solùm Romanorum prouincias à Diuo Paulo perlustratas; & totam *Phæniciam & Syriam & Ciliciam & Cappadociam*; sed etiam Barbarorum gentes, *Saracenos & Persas & Armenios, reliquósque barbaros.* Idque ingeniosè colligit ex verbo, *Per circuitum.* Quo non breuis aliqua excursio, sed perennis circunuagatio designatur. Vbi vlteriùs expendit singularem Apostoli modestiam de suis rebus non magnificè & arroganter; sed demissè & humiliter loquentis. Nam, sicut ingentia miracula, quæ passim ediderat, non magno verborum apparatu explicauit; sed breuissimo compendio circumclusit, dicens, *in virtute signorum & prodigiorum*; ne vanus suorum factorum ostentator videretur: ita innumeras prouincias, quas obierat, non longa computatione recensuit, sed vnico verbo collegit, dicens, *Per circuitum:* ne ad vanam ostentationem omnes ac singulas numerasse crederetur: *Quemadmodum,* inquit, *aceruos miraculorum vno sermone percurrens, dixit, in virtute signorum & prodigiorum: ita infinitas vrbes & gentes & populos & regiones vno complectitur verbo dicens, Per circuitum. Procul enim erat ab omni fastu.* Nec his adhuc excursionibus contentus Apostolus, alias maturabat: *Nunc verò,* inquit, *locum non habens in his regionibus, &c. proficiscar in Hispaniam.* Vbi suprà, num. 23. & 28. Vna regione obita non quiescebat; sed ad aliam obeundam properabat: vix Italiam excoluerat, cùm ad Hispaniam excolendam animum intendebat; vt vtranque Hesperiam in morem Solis nascentis & occumbentis circumiret, & perpetuo splendore collustraret.

D. Pauli cura in visitando commendatur.

Prædicabat in Synagogis.

Deinde totum orbem excurrebat.

D. Chrys.

Singularis Apostoli modestia de se humiliter loquentis.

XIV. Denique, cùm Apostolorum Diœcesis fuerit

totus

Totus orbis D. Pauli Diœcesis.

totus orbis, totum D. Paulus circuibat: vt videre est Act. 20. & 21. vbi dicitur Apostolus innumeras vrbes peruagatus, Asson Mitylenem, Chium, Samum, Miletum, Ephesum, Choum, Rhodium, Pataram, Cyprum, Ptolemaïdem, Cæsaream, & plures alias. Vnde D. Chrysost. proœmio in Epistolam ad Romanos de Paulo loquutus:

D. Chrys.

Diuina, inquit, *illa anima vniuersum terræ Orbē circumplexa erat, & in se ipso circumferebat omnes; omnes amabat sic, vt si genuisset: quin potiùs maiorem præ se ferebat charitatem, quam quiuis pater.* Et paulò pòst eius in peragrando Orbe velocitatem & charitatem expressurus: *Qui quidem*, inquit, *veluti volatilis præ charitate effectus, omnes assiduè circumibat, nusquàm manens, nusquàm stans.* Et rursus hom. 34. in Genes. ostendens, hanc Apostoli in orbe percurrendo celeritatem, ex illius erga Deum charitate processisse, quæ alas ad volandum infatigabiliter annectit: *Feruidus*, inquit, *Christi amator, & quasi alatus in vniuerso orbe currens, in corpore incorporea facere studens, clamabat dicens: Charitas Dei vrget nos.* 2. Cor. 5. num. 14. Ac tandem hom. 1. De laudibus Pauli, loquutus de sacrificio sui ipsius, quod Apostolus Deo quotidie immolabat, subdit: *Statim orbem vniuersum studuit offerre, qui terram ac mare, Græciam & Barbariem, omnemq́; prorsus, quanta est sub cælo, regionem, quasi volitans circuiuit: non simplici labore, veluti in vacuum itinera percurrens; sed peccatorum spinas euellens, & verbum seminans pietatis, ex hominibus Angelos faciens. Quinimmò ipsos homines quasi ex Dæmonibus in Angelos prouehens.* Et rursus homilia 2. de eiusdem Apostoli laudibus, addit plures terrarum plagas vni Paulo, quàm vlli Angelorum commissas esse: *Angelis*, inquit, *sæpè diuersarum Gentium cura commissa est; sed nullus eorum ita creditum sibi populum gubernauit, vt Paulus vniuersum gubernauis Orbem.* Et paulò pòst: *Michaëli gens commissa est Iudæorum: Paulo vero terra ac maria atque vniuersi Orbis habitatio.*

Alatus erat in orbe peragrando.

Vt se Deo obtulit, totum Orbem etiam obtulit.

XV.

Quanta verò celeritate Diuus Paulus commissum sibi Orbem visitando perlustrarit, patet iam ex dictis, patebitque vlteriùs ex dicendis. De Palladio cursore quodam Romani Imperij celeberrimo ac celertimo, dicere solebant ad Imperatorem Theodosium eius Principes ac Dynastæ cum festiuo quodam plausu ac lepore, Palladium fecisse Romanum imperium breue & angustum: quia tanta illud celeritate percurrebat, vt breuissimis inclusum spatiis videretur. Ita refert Nicephorus lib. 14. c. 21. Quid verò Paulus? Non modò Romanum imperium, sed vniuersum Orbem exiguum reddebat & angustum, ob nimiam celeritatem, qua illum circumibat. Vnde D. Thomas in caput 15. Epistolæ ad Romanos, Diuo Paulo accommodat illud Iob. 38. num. 25. *Quis dedit vehementissimo imbri cursum?* Vt significaret, quanta celeritate imber in terram fertur; tanta quidem Apostolum totam terram circumuagari. Immò non vt imber, sed vt aliger totam terram peragrabat: non enim ambulare videbatur, sed volare. Quod Diuus Chrysostomus citatus expressit, dicens: Apostolum *totam sub cælo regionem, quanta quanta est, volitando* circumiuisse. Et paulò pòst, *Tanquam pennatus*, inquit, *totum docendo peruolauit Orbem: & velut incorporeus labores omnes periculáque contempsit.* Vbi mira Pauli velocitas in toto Orbe peruagando demonstratur: tum, quia aligeris animalibus confertur, quæ per aëra quàm ocyssimè feruntur: tum, quia incorporeis & spiritualibus mentibus comparatur; quæ à loco in locum breuissimo temporis spatio commeant & rapiuntur. Et, quod ampliùs mireris, vbi plùs laboris apparebat, eò libentior conuolabat, iuxta illud: *Prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus est Christus; sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de eo.* Rom. 15. num. 20. & Isai. 51. num. 15. Hoc est: Prædicaui Euangelium Gentibus barbaris & incultis, nulla prorsus veræ fidei religionisque notitia imbutis & informatis, & proinde multò difficiliùs & laboriosiùs imbuendis & informandis. Quod D. Chrys. ad eum locum homil. 24. rectè expendens, *Vides*, inquit, *illuc accurrentem, vbi plùs erat laboris, vbi plus sudoris?* Itaque D. Paulus suo labori non parcebat; vt traditas sibi Diœceses perlustraret, & necessariam Diœcesanis doctrinam impertiret.

Palladius celeberrimus ac celerrimus cursor.

Paulus in percurrendo Orbe, imber, aliger, Angelus.

Paulus vbi plùs laboris erat, eò libentior conuolabat.

D. Chrys.

XVI.

Iam verò D. Petrus, vt ad Dominum citior præuolaret, de naui desiliens, *misit se in mare.* Ioan. 21. num. 7. vt significaret, eum, ad quem omnium animarum cura pertineret, non esse inter exiguas vnius nauiculæ angustias diutiùs includendum; hoc est, inter angusta vnius vrbis spatia retardandum: sed in mare, seu in aquas multas; hoc est, vt Ioan. Apoc. 17. num. 15. interpretatur, in populos multos liberiùs exiturum, vt eos euangelicum cogens in rete, tandem ad beatæ patriæ littus extrahat, & ad Christi Domini pedes sistat, æterna pace ac requie fruituros. Totum igitur in pelagus populorum se D. Petrus immittebat, vt omnibus subueniret, omnes ad salutem reuocaret. Vnde, vt refert D. Epiphan. apud Lorin. Act. 15. num. 36. quamuis Romæ pontificiam Sedem fixerit; tamen adeò crebras excursiones inde faciebat ad venandas animas, suósque greges visitandos, vt in vrbe Linum & Cletum constituerit Episcopos, ne vrbs diu sine Episcopo relinqueretur. Hinc etiam & cæteri Apostoli, non stantes, sed ambulantes per antonomasiam appellantur; iuxta illud Dei oraculum ad Iesum Sacerdotem magnum: *Dabo tibi ambulantes, de his, qui nunc hìc assistunt.* Zach. 3. num. 7. Hoc est: Dabo tibi Apostolos, qui eant in Mundum vniuersum, & prædicent Euangelium omni creaturæ; & ab hoc studio peragrandi Orbis, ambulantes appellentur: & sint de numero eorum, qui hìc assistunt, hoc est, de numero Angelorum: quòd propter viuendi puritatem, & currēdi in totum Orbem velocitatem similes Angelis videantur. Sic D. Hieronymus interpretatur. Denique & reliqui Apostolorum successores non immeritò Episcopi appellantur, hoc est (vt alias interim omittam etymologias Sect. seq attingendas) visitantes. Vnde dies visitationis 1. Pet. 2. n. 12. dicitur in Græco dies ἐπισκοπῆς, hoc est, episcopalis functionis. Quasi hoc præcipuum sit Episcoporum munus, oues suas visitare.

D. Petri similis cura, similis velocitas.

Apostoli non stantes, sed ambulantes antonomasticè appellantur.

D. Epiph.

Episcoporum etymon.

D. Hier.

XVII.

Indignum igitur est Apostolicis Prælatis, domi quietos & otiosos desidere, & cùm per se possint, alios ad visitandas oues sibi creditas delegare, & totum laborem ac pondus sui muneris in aliorum humeros transfundere: vt ipsi quidem solo præsulatus honore fulgeant; alij toto portandi onere prægrauentur. Similes profectò Sacerdoti Ozæ, qui Arcam propriis humeris portandam, boum tergis imposuit deferendam. 2. Reg. 6. num. 7. Quod Lyranus in expositione morali obseruans, *Per hoc*, inquit, *significatur, quòd Principes & Prælati proprios humeros debent submittere ad portandum onus sui officij, ne percutiantur a Domino; sicut Oza, qui ad deportationem Arcæ boum humeros applicauit. Cui similes sunt, qui regendas Ecclesias suas aliis tradunt, etiam ignorantibus: & ipsi in aliis occupantur.* Hinc illa iustissima D. Bern. expostulatio cum illis Prælatis, qui suum honorem cum nemine partiuntur;

Qui alios mittunt ad oues visitandas, portant honorem, non onus.

Lyran.

D. Ber.

partiuntur;& tamen laborem ſuum in alios transfundunt : ſuas opes per ſe ipſos tenaciſſimè cuſtodiunt;& ſuas oues aliis liberaliſſimè committunt. Igitur lib.4. De conſid. ad Eugenium, *Satis, ſupérque*, inquit, *Epiſcopi ad manum habent, quibus animas credant : & cui ſuas committant facultatulas, non inueniunt ? Optimi, videlicet, aſtimatores, qui magnam de minimis; paruam, aut nullam de maximis curam gerant. Patientius ferimus Chriſti iacturam, quàm noſtram. Quotidianas expenſas quotidiano reciprocamus ſcrutinio; & continua Dominici gregis detrimenta neſcimus. De pretio eſcarum, & numero panum cum miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt: rara autem cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit aſina, & eſt, qui ſubleuet eam: perit anima, & nemo eſt, qui reputet.* Si quem igitur vnius Samuelis exemplum minùs moueat, ſaltem tot Patrum documenta, tot exempla Patriarcharum, tot ipſius Eccleſiæ præcepta vrgeant & impellant ad hoc ſuum munus obeundum.

Aliqui alio laborem, non opes partiuntur.

SECTIO II.

Obligatio reſidendi.

I. *Chriſtus Dominus vtrunque munus exercuit.*

NOn minùs hoc reſidendi, quàm illud viſitandi munus Samuel expleuit. Poſtquam enim ſuam prouinciam ſtatis temporibus obibat, reuertebatur in Ramatha; ibíque tanquàm in primaria ſui principatus Sede iudicabat Iſraelem, ac Domino ſacrificabat : hoc eſt : temporalibus & ſpiritualibus negotiis intentus, tam quæ ad forenſem adminiſtrationem, quàm quæ ad diuinum cultum pertinebant, diligenter exequebatur. Par igitur eſſe debet eccleſiaſticis Prælatis, & ad reſidendum, & ad viſitandum ſollicitudo. Vtrunque munus feliciter explebat ſummus ille Paſtorum Princeps, Chriſtus Dominus, dicens : *Inhabitabo in illis, & inambulabo.* 2 Corinth. 6. num. 16. Nam & inhabitando reſidebat, & inambulando viſitabat. Quandiu Iudæam pro ſua quodammodo Diœceſi obtinebat : *Notus in Iudæa Deus* : intra illam quidem viſitabat ; iuxta illud : *Pertranſiit benefaciendo & ſanando omnes.* Act. 10. num. 38. Sed pariter intra illam reſidebat, ad gentium regiones minimè diuagatus, iuxta illud : *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſrael.* Matth. 15. num. 24. vt in vtroque boni Paſtoris munere ſingulare exemplum poſteris animarum curatoribus præberet. Vidit Iſaias Seraphinos ſtantes : *Seraphin*, inquit, *ſtabant.* Et ſtatim, volantes : *Seraphin*, inquit, *volabant.* Iſai. 6. num. 2. Per ſtantes, intelligit Lyranus, Prælatos reſidentes: ſed per volantes pari ratione intelligere potuit viſitantes. Ne videretur pigra & iners reſidentia, ſuo tempore viſitabant. In quam interpretationem trahi poteſt D. Bern. ſerm. 4. De verbis Iſaiæ : *Credo*, inquit, *ſicut in ſtatione immutabilitatem, ſic & in volatu alacritatem permitti : ne, videlicet, inſenſibilis quædam & quaſi lapidea ſtabilitas æſtimetur.* Si non volarent ; addere poſſet, vt antitheſim compleret : & ne leuis atque inconſtans quædam alacritas cenſeatur ; ſi non ſtarent. Optimum Regem Ioſiam cum melle & muſica comparat Scriptura: *In omni*, inquit, *ore quaſi mel indulcabitur eius memoria, & vt muſica in conuiuio vini.* Eccleſiaſtici 49. num. 2. Vt enim mel præſentes recreat, muſica etiam remotos oblectat : ita bonus Princeps, & eos, qui ſibi adſunt in Curia, reſidendo; & eos, qui abſunt in tota prouincia, viſitando, iuuat, promouet, ad pietatémque informat. In eundem ſenſum verus animarum Paſtor & Doctor appellatur gladius & ſagitta, iuxta illud : *Poſuit os meum quaſi gladium acutum, & poſuit me quaſi ſagittam electam.* Iſai. 49. num. 2. Vt enim gladius cominùs, ſagitta eminùs hoſtem ferit : ita & bonus Paſtor lupos propè inſidiantes, reſidendo, abigit; & procul graſſantes, viſitando, terret ac fugat.

Lyra. Seraphinis ſimiles, qui illud exercēt.

D. Bern. Lapidea ſtabilitas Prælati reſidentis eſt, ſi non luſtrat.

Boni Paſtores præſentibus & remotis iucūdi eſſe debent.

II. *Vt vtrunque munus exprimatur, Prælati flammæ comparantur, primò.*

Deum non modò temporalem mundi machinam, ſed etiam ſpiritualem Eccleſiæ molem feliciter gubernantem alloquutus Dauid, *Qui facis*, inquit, *Angelos tuos, ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.* Pſal. 103. num. 4. Vbi iuxta myſticam intelligentiam, Angelorum nomine eccleſiaſtici Prælati non immeritò exprimuntur, qui & cum ſpiritu, & cum igne aptè ad rem præſentem comparantur. Cum igne quidem : quia ſicut ignis immobiliter adhæreſcit materiæ, quam corripit ; & nihilominùs mobiliter nititur & conatur in ſublime, velut propriam in patriam, ad quam tendit : ita & Prælatus ſua in Curia, reſidendo, conquieſcit, & ſuam prouinciam, viſitando, peruagatur. Vnde D. Bernard. proximè citatus, agens de illis propheticis Seraphinis, *Vide*, inquit, *flammam quaſi volantem & ſtantem ſimul; nec miraberis iam Seraphim ſtantes volare, ſtare volantes.* Cum ſpiritu verò : quia ſunt quodammodo anima ſuæ Diœceſis : nam, ſicut anima tota eſt in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis : ita Prælatus, partim reſidendo, partim viſitando, toti Diœceſi ac ſingulis Diœceſeos partibus adæquatur. Vnde Patriarcham Noe, & in arca ſedentem, & toto pelago fluctuantem, tanquàm optimum Prælatum, ſuæ Curiæ incubantem ac toti Diœceſi prouidentem, D. Ambr. lib. De Noë & arca, c. 16. non immeritò appellat incorporeum : *Velut incorporeus*, inquit, *corpore ſuperferebatur diluuio, non abſorbebatur: corpus quidem gerens, quaſi in arce poſitus interna; ſed qui corpus ipſum inſuperabilis paſſionibus, quaſi incorporeus in medio tantorum motuum gubernaret.* Itaque bonus Prælatus, & Curiam ſuam, reſidendo, fouet; & ſuam Diœceſim, viſitando, non deſtituit.

D. Bern.

Secundò cum ſpiritu.

D. Ambr. Noë bonorum Prælatorum exemplar.

III. *Heliſæus myſticè vtrunque munus obiuit.*

Myſterio plenus fuit modus ille, quo Heliſæus exanimem puerum animauit. Nam in primis ingreſſus domum, *Clauſit oſtium ſuper ſe, & incubuit ſuper puerum*, &c. 4. Reg. 4. num. 34. Et paulò pòſt: *Reuerſus deambulabat in domo, ſemel huc atque illuc.* Ibidem, num. 45. Ac tandem regreſſus in receſſum, iterum *incubuit ſuper eum.* Vbi videre eſt, Prophetam ingens illud prodigium editurum, quadam viciſſitudine, & in abdito quieuiſſe, & in aperto deambulaſſe : vt ſignificaret eccleſiaſticum Principem, partim reſidendo, partim viſitando, in ſuarum ſalutem ouium incumbentem. Nam peccatores ſuis ſceleribus mortui, ac tota Diœceſi quodammodo ſepulti, nullo modo congruentiùs ad vitam reuocantur, quàm ſi à ſuis Prælatis, partim in ſua Sede quieſcentibus, partim totam prouinciam peragrantibus, tanquàm à propriis animabus informentur. Ex quibus patet, vtrunque viſitandi ac reſidendi munus ab eccleſiaſticis Paſtoribus diligenter obeundum. Et, quia de priori dictum eſt, ſupereſt, vt de poſteriori paucis diſſeramus, maximam eius neceſſitatem explicando. Quæ duplici ex capite ſpectari poteſt: nempe, ex præcepto, à quo oritur : & ex territorio, ad quod pertinet. Vtrunque breuiter illuſtrabo.

Præceptum reſidentiæ quale

IV.

QVod attinet ad præceptum : Quæſtio eſt inter Theologos: An reſidentia Prælatorum ſit

de Iure

Prælatorum residentia est de Iure diuino.

de Iure diuino: nam de ecclesiastico non est dubitatio. Quæ difficultas priscis seculis vix audita; tandem in Concilio Tridentino acerrimè disputata est: & Sess. 23. Decreto De reformat. c. 1. in partem affirmatiuam resoluta; vt Auctores infrà citandi arbitrantur. Probatur: quia licèt in sacris Literis hæc Prælatorum residentia nusquàm exprimatur; tamen in earum principiis non obscurè continetur. Primò, quia Prælati dicuntur Pastores; non tam propter dignitatem, quam inter oues habent, seu vtilitatem, quam ex ouibus sortiuntur, quàm propter munus pascendi oues; vt patet ex verbis Christi Domini: *Pasce oues meas.* Ioan. 21. n. 17. Non enim dicit: Pastor esto, sed, *Pasce*, ne tam honorem deferre, quàm laborem committere videatur. Hoc autem munus, vt probè exerceatur, Prælatorum præsentiam requirit: neque enim absens Pastor satis commodè potest suas oues pascere. Ergo residentia à Iure diuino proficiscitur. Quo enim Iure imperatur finis, eodem etiam media, quæ ad illum requiruntur, imperantur. Et vlteriùs confirmatur ex verbis Christi Domini, quæ mihi videntur præsens institutum efficaciter demonstrare. Nam Christus Dominus ait, bonum Pastorem suis ouibus se præbere & audiendum & videndum: audiendum quidem per verbum doctrinæ; iuxta illud: *Oues vocem eius audiunt.* Ioan. 10. n. 3. videndum autem per exemplum vitæ; iuxta illud: *Ante eas vadit, & oues illum sequuntur.* Ibidem, num. 4. Sic enim D. Cyrillus Alexand. lib. 7. in Ioan. c. a. interpretatur. Atqui oues Pastorem audire & videre non possunt, nisi præsentem. Ergo planè iubet, vt præsentem suis se ouibus ostendat.

Conc. Trid.

Probatur primò ex Prælatorum nomine.

Confirmatur ex verbis Christi Domini.

D. Cyril.

V.

Probatur secundò ex Prælatorum munere.

Secundò, quia Prælati dicuntur in Scriptura, non domini, sed ministri, iuxta illud: *Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4. num. 1. Et illud: *Neque vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis.* 1. Petr. 5. num. 3. Et illud: *Reges Gentium dominantur eorum,* &c. *Vos autem non sic: sed, qui maior est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor est, sicut ministrator.* Luc. 22. n. 26. Vnde Christus Dominus operarios eos vocat & messores: *Rogate dominum messis, vt mittat operarios in messem suam.* Matth. 9. num. 38. Et rursus: *Dignus est operarius mercede sua.* Luc. 10. num. 7. Et propterea ab Apostolo cum milite, cum vinitore, cum pastore, cum boue triturante, comparantur. 1. Corinth. 9. à n. 7. Quorum munera seruilia potiùs sunt, quàm imperatoria. Quare Propheta non ad honorem mittitur, sed ad laborem: *Vt euellas*, inquit, *& destruas, & disperdas,* &c. Ieremi. 1. num. 10. Vbi D. Bern. lib. 2. De consideratione ad Eugenium, *Disce*, inquit, *exemplo prophetico præsidere, non tam ad imperitandum, quam ad factitandum. Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro.* Itaque Prælati, vt Christus Dominus, non veniont ministrari, sed ministrare. Atqui ministri debent loco sui ministerij adesse, vt proprias ministrorum functiones exequantur. Ergo Prælati suis debent Ecclesiis præsentes insetuire: alioqui, si in syluis animi gratia, vel in Curiis ambitionis causa diutiùs immorentur; nihil minùs, quàm ministri videbuntur.

Prælatorum munia potiùs seruilia, quàm imperatoria.

D. Bern.

VI.

Probatur tertiò ex nomine Episcopi, quod operis est, non honoris.

D. August.

Tertiò, Prælati dicuntur Episcopi; iuxta illud: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act. 20. n. 28. Episcopus autem, inquit D. Augustinus lib. 19. De ciuitate, c. 19. *Nomen est operis, non honoris.* Interpretatur enim, eodem Augustino teste, *Superintendens*: quasi desuper intendat, & incumbat subditorum vtilitati. Quamuis illud, *super*, non

A significet tantùm mediatam curam, quasi Episcopus non per se, sed per alios in subditorum salutem intendat. Nam & per se immediatè multa circa illos aliquando operatur: sed significat etiam excessum curæ, quasi super alios, seu plusquam alij intendat & incumbat in salutem subditorum. Debet enim optimus Episcopus omnes industriæ neruos intendere, vt nihil in salutem suorum subditorum intentatum prætermittat. Quare Diuus Chrysostomus hom. 10. in priorem ad Timoth. docet, Episcopatum, *non principatu ac dominationis fastu, verùm cura regiminis & charitatis affectu* desiderandum. Quippe quòd non modò bonum opus sit, sed etiam magnum onus. Neque propriam in dignitatem, sed alienam in vtilitatem

Illud, super, curæ excessum denotat.

D. Chrys.

B ordinetur. Vnde D. Augustinus citatus, *Intelligat*, inquit, *se non esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.* Et D. Bernardus lib. 3. De consideratione ad Eugenium, *Præsis*, inquit, *vt prosis: vt dispenses, non imperes. Hoc fac; & dominari non affectes hominum homo, vt non dominetur tui omnis iniustitia.* Ps. 118. num. 133. Vnde idem D. Bernardus orat. in transit. Malachiæ Episcopi non mediocriter eum laudat, quòd Episcopatum susceperit ad laborem, non ad honorem: *Inter pericula*, inquit, *rexit Ecclesiam; post pericula sibi continuò successorem alterum canonicè ordinauit: ea siquidem conditione susceperat, vt postquam cessante persequtionis rabie alter securè posset institui; ad Sedem propriam remeare permitteretur.* Adeò ab honoribus abhorrebat, ad

Episcopi munus, magnum onus.

D. Bernar.

C labores inclinabat. Interpretatur etiam Episcopus, auctore Suida, speculator, qui aliorum mores inspiciat ac reformet. Vnde Athenienses, quos ad visitandas vrbes subditas mittebant, *Episcopos* appellabant. Et Homerus Iliad. 10. Hectorem Troiæ Episcopum nominat. Et Tullius lib. 7. ad Atticum, scribit se maritimæ oræ Episcopum à Pompeio constitutum. De qua etymologia consule Salmeronem in 1. ad Timot. Disp. 10. copiosè disserentem. Atqui nemo potest intendere & incumbere in suis subditis instruendis, & eorum moribus speculandis, nisi inter illos versetur. Ergo Prælati ex diuino iure suis Ecclesiis assistere tenentur.

Episcopus interpretatur, speculator.

Homer.

Tullius.

VII.

Probatur quartò ex nomine Doctoris.

Quartò, quia Prælati debent esse Doctores, iuxta illud: *Oportet Episcopum Doctorē esse.* 1. Timoth.

D 3. n. 2. Vnde, cùm ipse Apostolus ecclesiasticam Hierarchiam recenseret: *Et ipse*, inquit, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Ephes. 4. n. 11. Vbi, cùm alias quidem dignitates particulis quibusdam disiunctiuis ab inuicem discriminasset: tamen Pastores & Doctores copulatiuè coniunxit. *Ad ostendendum*, inquit ibi D. Thomas, *quod proprium officium Pastorum Ecclesiæ est, docere ea, quæ pertinent ad fidem & bonos mores.* Quod videtur desumpsisse ex D. Augustino epist. 59. vbi Paulino quærenti, in quo Pastores & Doctores apud Apostolum distinguantur; sic respondet: *Pastores*, inquit, *& Doctores eosdem puto esse: ideò cùm prædixisset Pastores, subiunxisse*

D. Thom.

D. August.

Pastores & Doctores apud D. Paulum nō distinguūtur.

E *Doctores: vt intelligerent pastores, ad officium suum pertinere doctrinam.* Et statim ex ipsa Litera hunc eruens sensum, *Ideò*, inquit, *cum superiora distingueret, dicendo: Quosdam autem Apostolos, quosdam autem Prophetas, quosdam verò Euangelistas: hoc tanquam vnum aliquid duobus nominibus amplexus est: Quosdam autem Pastores & Doctores.* Vnū igitur atque idem est Pastorum & Doctorum munus. Atqui Doctor præsens esse debet, vt non tam scribendo, quā loquendo efficaciùs vrgeat & impellat: vt rectè significauit Apostolus scribēs ad Galatas, quos verbis potiùs, quàm literis instruendos

dos ſperabat, dicens: *Vellem autem eſſe apud vos modò, & mutare vocem meam.* Galat. 4. n. 20. In quem locum D. Hieronymus: *Scriptura diuina*, inquit, *ædificat lecta: ſed multò plus prodeſt, ſi de literis vertatur in vocem; vt qui per epiſtolam docueras, præſens inſtruas audientes. Magnam ſiquidem vim habet vox viua: vox de auctoris ſui ore reſonans, quæ ea pronuntiatione profertur atque diſtinguitur, quæ in hominis ſui corde generata eſt. Sciens itaque Apoſtolus maiorem vim habere ſermonem, qui ad præſentes fiat; cupit vocem ſuam Apoſtolicam literis comprehenſam, in præſentiam commutare: & quia hoc magis expediebat his, qui in errorem fuerant deprauati; viuo eos ad veritatem retrahere ſermone.* Ex quibus patet, Doctores ſuis diſcipulis præſentes eſſe debere, vt ſuo munere vtiliùs fungantur. Ergo & Paſtores ſuis non debent ab Eccleſiis longiùs remoueri, ſed iiſdem præſentes & vigilantes incubare.

D. Hieron. Viua vox Doctoris magnã vim habet.

VIII. Quintò, quia in Scriptura multa Prælatis tribuuntur, quæ perſonales eorum functiones, & proinde actualem præſentiam requirunt. Dicuntur enim Prælati *lux mundi, ſal terræ, ciuitas ſuper montem poſita; lucerna poſita ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Matth. 5. à n. 13. Vt enim lux præſentes tantùm illuminat; & ſal non condit cibos, neque incorruptas carnes ſeruat, niſi quibus intimè inſpergatur; & ciuitas ad ſe non inuitat, niſi quibus ante oculos obuerſetur; & lucerna non collucet, niſi iis, qui in eadem ſecum domo pariter exiſtunt: ita Prælati non docent, non mouent, non regunt, ad æternam denique patriam facem non præferunt, niſi quibus præſentes aſſiſtunt. Deinde Prælati munus per intimam quandam cum ſubditis familiaritatem explicatur, iuxta illud Petri Apoſtoli: *In omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus.* Act. 1. n. 21. hoc eſt, quo nobis familiariſſimus adfuit. Et illud Moyſis de ſuo ſucceſſore: *Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis hominem, qui ſit ſuper multitudinem hanc: & poſſit exire, & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere.* Num. 27. n. 16. & 17. hoc eſt, qui ſemper populo adſit, nunquàm ab eo ſeparetur. Quaſi hoc ſit proprium munus Prælati, ſuis ſemper ſubditis adeſſe, & cum illis intimùm verſari. Vnde comparatur Paſtori, qui non ſolùm quærit ouem errantem, ſed etiam inuentam *imponit in humeros ſuos gaudens.* Luc. 15. n. 5. qualem ſe præbuit Chriſtus Dominus: & qualem Iſaias multò antè prædixit: *Sicut paſtor*, inquit, *gregem ſuum paſcet; in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit; fœtas ipſe portabit.* Iſai. 40. n. 11. Quę omnia quis non videt, non poſſe, niſi à præſentibus Prælatis exerceri? Prætereà curam Prælatorum erga ſuos ſubditos explicat Scriptura per curam matrum & nutricum erga ſuos filios & alumnos. Nam Deus ad Moyſem, *Porta*, inquit, *eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum.* Num. 11. num. 12. Et Propheta ſtatum nouæ Eccleſiæ mente præcipiens; *Ad vbera*, inquit, *portabimini, & ſuper genua blandientur vobis.* Iſai. 66. num. 12. Et diuino Sponſo, tanquàm lactanti & nutrienti, vbera tribuuntur: *Meliora ſunt vbera tua vino.* Cant. 1. n. 2. Vnde Apoſtolus eos, qui Eccleſiam ingrediuntur, tanquàm infantulos adhortatus, *Sicut modò*, inquit, *geniti infantes, rationabile, ſine dolo, lac concupiſcite.* 1. Petr. 2. n. 2. Et D. Paulus, *Lac vobis*, inquit, *potum dedi.* 1. Corinth. 3. n. 2. Ad quæ ac ſimilia loca reſpiciens Clemens Alexandr. lib. 1. Pędagogi, cap. 6. *Verbum*, inquit, *eſt omnia infanti, & pater, & mater, & pædagogus, & altor.* Et idem planè diceret de ſingulis Prælatis Verbi Vicariis. Vt igitur matres & nutrices ſuis ſemper filiis & alumnis A adſunt, vt eos lactent, nutriant, foueant & indulgentiſſimo gremio complectantur: ita planè & Prælati ſuis ſemper adeſſe debent Diœceſanis, vt eos doceant, inſtruant, informent, & ad diuinæ legis normas moderentur. Qui ſecùs faciunt, non legitimæ matres ſunt, ſed prorſus adulteræ. Immò, vt loquitur Damaſus Papa epiſt. 4. planè meretrices: *Quæ ſtatim, inquit, vt pariunt, infantes ſuos aliis nutricibus tradunt educandos, vt ſuam citiùs libidinem explere valeant.* Sic enim Epiſcopi faciunt, dum ſibi commiſſos populos Vicariis inſtituendos concredunt, vt liberiùs ipſi ſecularibus curis immergantur.

Probatur quintò ex modo loquendi Scripturæ.

Omnia quæ Prælatis in Scripturis tribuuntur, eorũ præſentiam requirunt.

Propriũ Prælatis munus cum ſubditis intimùm verſari.

Confirmatur ex officio matris & nutricis.

Clem. Alex.

Qui ſecùs faciunt, ſunt adulteræ matres & meretrices.

IX. Vltimò, quia Prælati ex Iure diuino tenentur, etiam cum propriæ vitæ periculo, cùm opus fuerit, ſuas oues tueri; iuxta illud: B *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* Ioan. 10. n. 11. Et illud de Chriſto Domino: *Ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* 1. Petr. 3. n. 16. Quod D. Paulus diligenter obſeruans: *Ego autem*, inquit, *libentiſſimè impendam, & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris.* 2. Cor. 12. n. 15. Vnde D. Bern. epiſt. 237. monet Eugenium Papam, vt pro ouibus ſibi creditis intelligat, ſe miniſtrare debere, *non ſolùm ſubſtantiam, ſed ipſam quoque animam.* Et Rup. in c. 10. Ioan. non mediocriter laudat Paſtores, qui has partes moriendi pro ſuis ouibus expleuerunt: *Aſperſa ſunt*, inquit, *ouilia ſanguine Paſtorum, maduerunt campi, cruentata ſunt paſcua, ditatum eſt cælum animabus, quas Paſtores pro ouibus poſuerunt.* C Cęterũ D. Chryſ. hom. 29. in epiſt. ad Rom. ſub finē, poſtquàm multa dixit de laboribus, quos Paſtores pro ſuis ouibus ſubire tenebantur, ſubdit: *Bonus Paſtor, & talis, qualem Chriſtus vult, cum innumeris componi poteſt Martyribus. Siquidem Martyr ſemel propter ipſum moritur: hic verò millies propter gregem.* Iam verò D. Auguſt. epiſt. 180. ad Honoratum, eos Paſtores, qui oues ſuas inter pericula non relinquunt, ipſis etiam Martyribus anteponit: *Qui clades*, inquit, *hoſtiles ideò non fugit, ne deſerat miniſterium Chriſti, maiorem charitatis inuenit fructum, quàm qui fugiens atque comprehenſus ſuſcipit martyrium.* Et paulò pòſt, eum qui ſe obiicit lupo, ne ab eo grex dilaceretur, magnoperè commendans, *Fit hoc*, inquit, *vbi Dei charitas flagrat, non mundi* D *cupiditas fumat.* Ac tandem docet, magis cauendam eſſe ſpiritualem ſubditorum mortem, quàm propriam temporalem: *Magis*, inquit, *timeamus, ne lapides viui extinguantur, deſerentibus nobis, quàm ne lapides & ligna terrenorum ædificiorum incendantur, præſentibus nobis: magis timeamus, ne membra corporis Chriſti deſtituta ſpiritali victu necentur, quàm ne membra corporis noſtri oppreſſa hoſtili impetu torqueantur.* Itaque Prælati in extremum vitæ periculum ſe libentes offerre debent ex Iure diuino, vt ab ſpiritualis vitæ periculo ſuas oues tueantur. Hoc autem præſtare commodè non poſſunt, ſi procul abſint: cùm non videant lupum venientem, neque gregem periclitantem; neque ea celeritate, qua opus eſt, valeant ſubuenire. Vnde D. Auguſt. lib. E De Paſtoribus, cap. 8. *Furantur*, inquit, *lupi inſidiantes, rapiunt leones frementes, cùm oues non hærent Paſtori.* Ergo præſentes adeſſe Iure diuino obligantur: niſi fortè iuſta, vt abſint, neceſſitas occurrat: in qua interuenire ſolet non tam diſpenſatio, quàm interpretatio Iuris: cùm ſummus Pontifex, vel etiam Epiſcopus in Caſibus, quibus poteſt, interpretatur Ius diuinum ob inſtantem neceſſitatem non obligare. Hanc partem, vt probabiliorem, ſequuntur ex noſtris, Valent. 2. 2. Diſput. 10. quæſt. 3. punct. 5. Azor 2. parte, lib. 7. cap. 4. Vaſq. tract. De beneficiis, c. 4. §. 2. Reginal. poſteriori tomo,

Probatur vltimò ex obligatione ponẽdi vitam pro ouibus.

D. Bern.

Rup.

Prælati pro ouibus morientes Martyribus anteferuntur.

D. Auguſt.

Magis timenda ſpiritualis ſubditorum mors, quàm propria temporalis.

D. Auguſt.

Valent.
Azor.
Vaſq.
Reginald.

Filliuc. Sà. Bellar. *Olim ex Magistratibus fiebant Episcopi, non è contra.* *Confirmatur authoritate Theologorum.*

tomo,lib.30.tract.3.c.5.Filliuc.tom.2.tract.28.p.2.c.6.Emmanuel Sà in Aphorismis, verbo, *Residentia.* Tandem Card.Bellar.in epist. manu scripta ad Clementem VIII. Pontificem Maximum de officio summi Pontificis: vbi eos seorsim notat, qui secularibus magistratibus implicati suas deserunt Diœceses; laudátque antiqua secula,in quibus ex secularibus Magistratibus Episcopi eligebantur; vt Ambr. Nectar. Chrysost. & Greg. non autem vice versa ex Episcopis Magistratus seculares. Eandem sententiam tenet in lib. 5.de æterna felicitate,cap. 4. & paulò fusiùs confirmat in Admonitione ad Episcopum Theanensem nepotem suum,Controuersia 1. Ita sentiunt & alij,qui antiquiores pro hac parte Theologos citant: quibus ego longiorem de hac re disputationem, vtpote illorum propriam,remitto. Atque hæc de necessitate residentiæ ex parte præcepti,à quo oritur.

Commoda ex præsentia Prælatorum.

X. *Præsentia Prælati Ecclesia moribus efflorescit.*

IAm verò necessitas residentiæ, ex parte territorij,ad quod pertinet,seu Diœcesis,vel Parochię, quibus Prælati assistunt;confirmari potest,& illustrari duplici ex capite: nempe,& ex commodis, quæ præsente Prælato in Ecclesiam redundant,& ex incommodis, quæ illo absente, subsequuntur. Commoda quis non videt? Nam cultus diuinus celebrior viget:Clerus obseruãtior viuit:pauperes indulgentiùs fouentur: boni ad pietatem studiosiùs incenduntur: mali à suis vitiis celeriùs refręnantur:tota denique Ecclesia legibus proficit,moribus efflorescit. Optimè in hanc rem D. Athan. Patriarcha Constantinopolitanus in epistola 1. ad Episcopum Cretensem: *Si quisque Pastor*, inquit, *in Diœcesi,quæ sibi obtigit,vel biduum moretur, experiri liceat permulta peccata, & damna non esse futura in populo. Sanè augentur oues, & in tuto sunt,cùm præsunt veri Pastores: non autem, qui solùm ebibant lac,& lana tegantur.* Vnde non leuiter reprehendit mercenarium Pastorem, qui non modò, *si lupum videat,sed si vulpem,fugit:* hoc est,qui non modò,si graue damnum;sed,si leue reformidet;statim oues deserit, & se in pedes proripit:parum attendens quantis bonis expulientur oues, Pastoris sui præsentia destitutæ.

D.Athan.

Pastores mercenarij non modò lupum fugiunt, sed vulpem.

XI. *D. Hier.* *Boni mores præsente Prælato florent, recedente marcescunt.*

Certè D. Hieronymus lib. 2. in Epist ad Galatas,ibi: *Æmulantur vos non bene:* c.4.n.27.agens de bonis Doctoribus, qui Ecclesiam non modò verbis,sed etiam factis præsentes instruunt,& informant, *Si quando*, inquit, *Doctor quis in Ecclesia contigerit, sermone ornatus & vita, qui audientes quasi stimulis quibusdam concitet ad virtutes,videmus omnē plebem circa eleemosynas,ieiunia,castitatem,susceptionem pauperum,sepulturas & cætera similia festinare, feruere,discurrere. Cùm autem ille recesserit,paulatim emarcescere; & subtracto cibo,tenuari,pallere,languescere,& interitum sequi omnium, quæ prius vigebant.* Quæ maiora poterant commoda ex præsentia boni Pastoris exoriri? Et statim à verbis Christi Domini præfatus. Lucæ 10. n. 2. *Precemur*, inquit, *Dominum messis, vt mittat operarios ad metendum, qui spicas populi Christiani, quæ stant in Ecclesia futuro tritico præparatæ, metant,colligant, & in horrea comportantes,nequaquàm perire patiantur.* Sicut igitur à præsente messore fruges ex agris colliguntur, & in horrea congregantur, quibus vniuersa Respublica ditatur: ita præsens Ecclesiæ cultor ingentes animarum fructus in terra colligit, omnes tandem in cælo collecturus; quibus militans pariter ac triumphans Ecclesia locupletętur.

Prælatus est messor, qui congregat in horrea.

XII. *Prælatus sua Ecclesia animo & spiritu.*

A Prælatus in sua Ecclesia, quid est aliud, quàm anima,quàm spiritus in suo corpore? vnde Moyses olim Principes & Prælatos populi,spiritus appellauit.Nam agens cum Deo de suo successore, *Prouideat*, inquit, *Dominus Deus spirituū omnis carnis, hominem,qui sit super multitudinem hanc.* Num. 27. n. 16. Nam sicut Ioannes ad diuinam potentiam in tyrannorum humiliatione prędicandam,Deum appellauit *Dominum Dominorum.* Apoc. 17.n.14. ita & Moyses ad diuinam prouidentiam in Prælatorum electione ostendendam, Deum appellat, *Dominum spirituum*,hoc est,Prælatorum,quasi diceret: Tu, qui Dominus es Prælatorum, seu,qui Prælatos eligis,ac disponis:optimum nunc præfice. Dicturus igitur, Dominum *Prælatorum*,dixit, B *spirituum.* Prælati enim suas Ecclesias non minùs, quàm spiritus sua corpora,animant & informant. At,quis non videt,quanta ab animo in corpus bona deriuentur? Nam ille color,ille sensus,ille motus,illæ vires altrices,vegetatrices & cognitrices; illa denique innumera decora & ornamenta,quibus corpus excolitur & expolitur; vnde nisi ab animo proficiscuntur? Quod ex illius absentia facilè colligitur. Recedente enim animo, bona illa omnia à corpore recedūt:& solū superest cadauer quoddam iners,rude,pigrum,informe,paulò pòst in vermes ac putredinē abiturum. Quæ omnia D. Chrys.hom.12.in Gen.eleganter expendit.Nō aliter à Pręlato,qui suam Ecclesiam præsens administrat;singularia quędā & eximia ornamenta,emo C lumentáq; in illam conferuntur. Vigent leges,florent mores, vernat sanctitas:charitas, iustitia,pax, cæteræq; virtutes pulcherrimū in chorū sociantur.

Vt animo præsens animat, ita Prælatus.

D. Chrys.

XIII. *Confirmatur Adami exēplo in Paradiso cōstituti.*

Exemplis res fiet illustrior. Hominem extra Paradisum condidit Deus: extra Paradisum tamen euagari non permisit; sed quàm primùm in Paradiso collocauit: *Tulit Dominus Deus hominem,& posuit eum in Paradiso voluptatis.* Gen.2.n.15.Condidit quidem extra Paradisum:ne fortè, si in Paradiso conderetur,intumesceret,arbitratus,eam sedem debitam sibi esse,ac naturalem. Collocauit nihilominùs in Paradiso:quia non expediebat, vt mundi Princeps & rector,alibi quàm in sua Curia ac metropolitana Sede commoraretur. Discat hinc Præ D latus, primùm non superbire, ex cathedræ celsitudine,quam occupat;sciens eam aduentitiam sibi esse, non natiuam; datam, non agnatam. Discit prætereà extra illam non aberrare; sciens, optimo cuique Principi suam Curiam firmiter inhabitandam: vt inde tanquam Sol è mundi medio, suæ doctrinæ radios quoquouersum ex æquo iaculetur. Quis ignorat, vrbem Sichimam fuisse olim incontinentiæ labe fœdatam,& turpitudinis lue corruptam: dū eius Princeps Sichem libidinis facibus exarsit; & omnes oppidanos,vt suū in incendium ligna quodāmodo, ac nutrimenta coniicerent,exorauit? Gen. 34. n. 1. Et tamen Iacobus morti vicinus,eam filio suo castissimo Iosepho, vt partem præcipuam legauit: *Do tibi*, inquit, *partem vnam extra fratres tuos*, &c. Gen. 48.num.22.seu, E vt ex Hebræo legi potest: *Partem præcipuam*, hoc est, Sichimam. At, cur castissimo suo filio vrbem turpissimam commisit:nisi vt Iosephus in ea præsens resideret; & suæ castitatis exemplo, ab omni turpitudinis cœno expiaret? Quamuis D. Ambr. lib.De benedictionibus Patriarcharum,c. 3. hanc vrbis expiationē potiùs referat ad ipsum Iacobū, eam in gladio & arcu suo, hoc est, in verbo & exemplo repurgantem;& ad eius filios,Simeonem & Leui, merita de sceleratis hominibus supplicia reposcentes: *Immaculatus*,inquit, *& castus*, nempe,Iacobus, *de hoc terreno diuersorio,& impuritatis*

Sichima turpis olim Iosepho traditur, vt eam vir castissimus suo exemplo expiaret.

D. Ambr.

Eam Iacob verbo & exēplo dicitur repurgasse.

auctoribus manubias reportauit: locum stupris & flagitiis vacantem ad incolatum Sanctorum verbis cælestibus & gladio capiens spirituali. Vt vbi inhabitatores antè lasciuiæ, & Principes luxuriæ versabantur; vbi fuerant incentiua libidinis, & fomenta nequitiæ: ibi nunc sancti Sacerdotes magisteria doceant castitatis, & plurima virginalis integritatis exempla, quodam superna lucis fulgore resplendeant. Verùm, siue Iacobo pietate insigni, siue Iosepho castitate præstanti, siue Simeoni & Leui acerrimis incontinentiæ censoribus ea repurgatio & expiatio tribuatur: certum est, vrbem sceleratam & incontinentem per optimos Præsides ac Prælatos ad frugem rediisse. Ne quis dubitet, quamlibet Diœcesim, cui reformandæ præsens Prælatus insistit, facilè ad pietatem renouari.

XIV.
Nulla vrbs vetere Roma sceleratior.

Quæ vrbs in toto orbe, veteri Roma sub idolis adhuc laborante sceleratior? Quam proinde Ioannes describit: *Plenam nominibus blasphemiæ.* Apoc. 17. n. 3. quòd tam multas vero Deo blasphemias inspergeret, quàm multas falsis Diis aras erigeret. *Matrem fornicationum & abominationum terræ.* Ibidem, n. 5. Quòd non modò ipsa innumeras vitiorum pestes gigneret & nutriret; sed etiam in totum Orbem, cui imperabat, funderet & propagaret: *Ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu.* Ibid. n. 6. quòd insignem Martyrũ carnificinam imperando, cum illorum sanguine extremam insaniã hauriret. Sed, vbi primũ in hac vrbe pontificiã Sedẽ Apostolorum Principes collocarunt; tanta morũ mutatio facta est, vt quę olim dicebatur *Ciuitas vanitatis*, Isai. 24. n. 10. interprete D. Hier. eadem nũc ciuitas sanctitatis toto orbe appelletur. Vnde D. Leo ser. 1. in Natali Apostolorũ Petri & Pauli, suam Romę felicitatem gratulatus, *Quæ*, inquit, *eras magistra erroris, facta es discipula veritatis.* Et paulò pòst, *Isti sunt*, inquit, *qui te ad hãc gloriã prouexerũt, vt gens sancta, populus electus, ciuitas sacerdotalis, & regia per sacrã beati Petri Sedem, caput Orbis effecta, latius præsideres religione diuina, quàm dominatione terrena.* Vbi plura elegãter de hac re. Nec minùs eleganter D. Chrysost. hom. 32. in Epist. ad Rom multa de aliis Romę laudibus præfatus; ac tandẽ progressus ad laudes, quas ex pontificia Sede sortita est: *Ciuitas*, inquit, *ista hinc facta est insignis, plusquàm à reliquis omnibus.* Et statim: *Non ita cælum splendescit, quãdo radios suos Sol ex se dimittit; quemadmodum Romanorum vrbs duas illas lampades vbique terrarum effundens.* Si igitur hæc scelerũ vorago, hæc vitiorũ sentina, hęc implacata idolorũ omniũ Charybdis, ex vnius Põtificis præsentia sic arescit, sic exhauritur, sic tranquillatur: quis dubitet, fore vt quælibet Diœceses ex suorum pręsentia Pastorũ ad pietatem componantur?

Nulla tamen pontificia Sede sanctior.
D. Hier.
D. Leo.
D. Chrysost.
Cælum Sole illustre, Roma Petro & Paulo illustrior.

XV.
D. Greg. Naz.
Constantinopolis Greg. præsentia bene instituta.

D. Greg. Naz. Orat. 32. immortaliter laudat Constantinopolim, olim quidem prauis moribus efferatam; sed posteà sanctissimis legibus ab ipso Gregorio præsente ac præsidente institutam: *Si*, inquit, *ciuitatem Orbis oculum, terra marique potentissimam, orientalis atque occiduæ oræ velut nodum & vinculum; ad quam extremi totius terræ fines concurrunt; & à qua velut à communi fidei emporio incipiunt: si hanc, inquam, ciuitatem salutifera doctrina fulcisse ac firmasse haud magnum atque amplum censeri debet; quo tandem modo quidquam aliud magnum atque studio dignum videri queat?* Quibus verbis satis declarat, quanta in hac vrbe interpolanda ac reformanda difficultas extitisset. Et statim subdit, quantùm laboris in ea excolenda posuerit, quantùm vtilitatis ex eo labore redundarit: *Si autem*, inquit, *præclarum atque laudabile existimandum est, liceat mihi quoque per vos nonnihil hoc nomine gloriari: aliquam ipsi quoque partem his, quæ videtis, contulimus. Tolle per circuitum oculos tuos, & vide, quisquis es, qui doctrinæ nostræ censuram facis, vide textam hanc gloriæ coronam pro mercenariis Ephraim, & corona contumeliæ. Vide Presbyterorum concilium canicie ac prudentia ornatum, Diaconorum modestiam, Lectorum concinnitatem, plebis discendi studium.* Et plura in hanc rem prosequitur, quibus ostendit, quanta ex præsentia Pastoris in suas oues commoda subsequantur.

XVI.
D. Greg. Naz.
Discrimen inter Noë arcã, & Cæsaream à Basilio seruatam.

Comparat idem D. Greg. Naz. Orat. 20 in laudem magni Basilij, Cæsaream vrbem Cappadociæ florentissimam cum arca Noë, foris inter vndas vagante, & intùs feras includente. Vt enim Noë illam arcam: ita Basilius hanc vrbem in suam fidem susceperunt. Sed cum hoc discrimine, quòd arca seruauit ipsum Noë: at verò Basilius seruauit ipsam vrbem, & omnium, qui illam incolebant, reddidit seruatricem: *Noë*, inquit, *arcam fidei suæ commissam accepit, & secundi mundi semina paruo ligno credita, atque aduersus aquarum vim conseruata. Hic autem* (nempe, Basilius) *impietatis diluuium effugit: suámque ciuitatem arcam salutis effecit, in hæreticorum vndis facilè & leniter supernatantem.* Aderat Basilius in sua vrbe tanquàm Noë in sua arca, & domestici peccatores, tanquàm belluæ suapte natura indomitæ, ad illius exemplum mitescebant: & externi hæretici, tanquàm fluctus importunè sæuientes, ad illius doctrinam obmutescebant. Tantum emolumentum ex præsentia sui Præsulis in vrbem redundabat. Vulgare est quod de Greg. Thaumaturgo Neocæsareæ Epis. narrat D. Greg. Niss. in eius vita, ad finem, optimum Pastorem, vbi suum obitum præsensit, totam vrbem agrumque circumuicinum diligenter perscrutatum, scire voluisse, an aliqui adhuc extra fidem superessent. Vt igitur cognouit nõ plures, quàm septemdecim numerari, qui antiquo errori adhærerent: *Acerbum quidem etiã hoc*, inquit, *ad Deum suspiciens: deesse aliquid eorum plenitudini, qui seruantur. Veruntamen magna gratiarum actione dignam rem esse aiebat: quod totidem simulacrorum cultores relinqueret ei, qui sibi successurus esset in Ecclesia; quot ipse Christianos accepisset.* Optimus planè colonus, qui suo viridario diligenter incũbens, noxias herbas radicitùs euulserit, vtiles feliciter seminarit. Tantũ valet præsentis Episcopi sollicitudo ad Diœcesim crebris malis syluescentem, opportunis remediis coercendam.

Hæretici vt sæui fluctus circa illã importunè sæuiebant.
D. Greg. Niss.
Quot fructus D. Gregorij præsentia in Neocæsarea attulerit.

XVII.
D. Bernar.
Claraualliis olim cælo similis ex D. Bernardi præsentia.

Suam Clarauallem comparat D. Bern. epist. 64. cum Ierosolyma, non solùm terrestri, sed etiam cęlesti: vbi loquutus de quodam Philippo, qui peregrinationem in Ierosolymã destinarat, quã tamen professione in Claraualle anteuerterat: *Philippus*, inquit, *vester volens proficisci Ierosolymã, compendium viæ inuenit, & citò peruenit, quò volebat. Transfretauit in breui hoc mare magnũ & spatiosũ, & prosperè nauigans attigit iam littus optatum, atque ad portum tandẽ salutis applicuit.* Quod veluti ænigma ingeniosus Oedipus aperiens subdit: *Et si vultis scire, Clarauallis ipsa est Ierusalem: ei, quæ in cælis est, tota mentis deuotione, & conuersationis imitatione, & cognatione quadam spiritus sociata.* Vnde, quæso, tanta Claraullis felicitas, vt in Paradisũ non modò terrestrẽ, sed etiã cælestẽ translata quodammodo videretur? Credo ex præsentia optimi coloni & sanctissimi Abbatis Bernardi, qui vallem illam nomine ipso clarã, suo cultu reddidit clariorẽ. Quare, si quando ab illa diuelli oportebat, ita publicis totius Ecclesiæ negotiis exigentibus, sibi à suis visceribus separari videbatur. Quod ipse ingenuè fatetur, epist. 143. ad Clarauallenses: *Ex vobis*, inquit, *perpendite, quid patiar ego. Si vobis molesta est absentia mea,*

Discessus à Claraualle nemini quàm Bernardo molestior.

nemo

nemo dubitet, mihi esse molestiorem. Tot me, necesse est, affici curis, quot vos estis, & ad singulos quosque vestrùm dolere absentiam, timere pericula. Duplex contritio ista non me deseret, quousque meis visceribus ego reddar. Quasi à propriis visceribus sibi videretur auulsus, dum a suis Claraualensibus exulare cogebatur.

XVIII. Immò hoc exilium à sua Claraualle, multò ægriùs, quàm exilium à cælesti patria indicabat. Nam in epist. 144. ad eosdem Claraualenses, *Est,* inquit, *commune exilium ipsumq; molestum satis, quòd quandiu sumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino. Huic accessit & speciale, quod penè impatientem me reddit, vt cogar viuere sine vobis.* Et statim multa præfatus incommoda, quę in exilio à cælesti patria tolerabat, subdit: *Cæterùm aduersùs hæc omnia vnum mihi remedium qualecunque erat, & verè datum desuper, pro vultu, videlicet gloriæ, qui absconditus est vsque adhuc, videre interim templum Dei sanctũ, quod estis vos.* Et paulò pòst conqueritur, etiam hoc solatium sibi ademptum: *Ecce, inquit, hoc tertio, nisi fallor, auulsa sunt à me viscera mea. Paruuli ablactati sunt ante tempus: ipsos, quos per Euangelium genui, nõ licet educare. Propria denique deserere, & aliena curare cogor. Et dubito penè, quid magis ægrè feram: an subtrahi illis, an intricari istis. Itáne, bone Iesu, tota deficiet in labore vita mea, & anni mei in gemitibus? Bonũ mihi, Domine, magis mori, quã viuere est; nõ tamẽ, nisi inter Fratres.* Discant ab hoc viro cæteri Pastores, nunquàm à suis ouibus abesse: quòd si aliquando ob cõmunem vtilitatem abesse contingat; discant suã absentiam, vel ipsa morte duriorem iudicare; quòd nequeant debita suis ouibus commoda prouidere.

Discessum à Claraualle, à cælesti patria exilium indicabat.

Cùm discedebat, auelli sibi viscera credebat.

XIX. Iam verò quid Prælato diligentiùs curandum, quàm vt suam Diœcesim, quibus poterit laboribus perficiat? Homo extra Paradisum conditus, in Paradiso à Deo collocatur. Neque enim decebat, Paradisi cultorem, extra Paradisum residere: sed in Paradiso, vt in sede ac domicilio proprio commorari. At, quorsum, dicet aliquis, in Paradiso ponitur? Vt ipséne Paradisi deliciis recreetur? An, vt Paradisus per illum perficiatur? Hoc posterius significauit Moyses, dicens: *Tulit Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum.* Genes. 2. n. 15. Discant hinc Prælati, quorsum è paruis oppidulis, in quibus sæpè nati sunt, ad amplas metropoles, quibus præsideant, à Deo transferantur: nempe, vt earum non tam opes colligant, quàm oues curent: non vt suam voluptatem captent, sed vt in animarum salutem excubent: non vt ferientur pigri, sed vt prouidi operentur. Rursum inquiret aliquis, cur dicatur Deus, Paradisum per se plantasse; colendum autem homini tradidisse: & non potiùs vtrunque & plantandi & colendi laborem, aut ipse sibi assumpserit, aut homini delegarit? Crediderim, vt partito labore, ad laborandum homini præiret exemplo: & quantam ipse curam in plantando Paradiso ab initio posuerat, tantam in eodem colendo homo posteà collocaret. Optimo ad Ecclesiæ Prælatos documento, qui animas Christi sanguine in libertatem vendicatas, suscipiunt suo labore in libertate conseruandas; vt præeuntem suo exemplo Redemptorem, optimi adiutores suo obsequio imitentur: & quantum charitatis specimen in redimendis animabus Christus Dominus exhibuit; tantum ipsi debita proportione in iisdem curandis edere teneantur.

Pastorũ munus est, non opes colligere, sed oues curare.

Deus præit laborando, vt laborent homines.

XX. Arcam fœderis ita Dominus fabrefecit, vt suos ei annulos annecteret, annulis suos vectes insereret, quibus per desertum portaretur: *Vectes,* inquit Textus, *fecit de lignis Setim, quos vestiuit auro, & quos misit in annulos, qui erant in lateribus Arcæ ad portandum eam.* Exod. 37. n. & 4. & 5. Ad quem locum notant Interpretes, illos vectes suis annulis ita insertos esse, vt nunquàm inde extraherentur; vt, cùm Arca portanda esset, nulla mora in eis inserendis poneretur. Quam expositionem non modò sequitur, sed etiam ad præsens institutum egregiè detorquet Petrus Blesensis epist. 150. *Vectes,* inquit, *quibus Arca Domini deferebatur, licèt moueri & trahi in varias partes possent; extrahi tamen, aut auelli omninò non poterant. In quo manifestissimè figuratur, quòd Ecclesiæ Prælati, etsi ad varias Reipublicæ necessitates distrahuntur ad tempus; à sponsæ amplexibus, & à populi sibi crediti sollicitudine minimè separantur.* Ex quibus patet Prælatorum perpetua & affixa promouendis & iuuandis animabus sollicitudo: vt ne minimum quidem momentum ab hac cura vacuum & otiosum sibi abire patiantur.

Prælatorũ in suo munere sollicitudo, debet esse perpetua & affixa.

Blesens.

XXI. Quòd si aliqui, vt suas in Regum Curias præposteras itiones, diuturnásque in illis commorationes excusent; ad veterum exempla Patriarcharum, Prophetarúmque confugiant, dicántque, sic olim missos fuisse, Moysem ad Pharaonem, Nathanum ad Dauidem, Ieremiam ad Sedeciam, Heliam ad Achabum, Holdam ad Iosiam, Ioannem ad Herodem, & sic de aliis; optimè occurrit idem Petrus Blesensis, epist. 14. illos diuino actos imperio paruisse; non ambitionis euectos alis inuolasse: contra quam faciunt negligentes suarum ouium desertores: *O Clerice,* inquit, *curialis, nunquid Dominus misit te ad Regem? In obsequium eius te misit, aut potiùs intrusit ambitio. Certe post signa in rubo, in serpente, in manu leprosa; ab iniuncta legatione Moyses se excusat. Tu verò, si tibi legatio etiam impossibilis à Rege iniungitur, sponte te offers.* Hos nemo dixerit curatores ouium, sed opum venatores; non animarum præsides, sed honorum aucupes. Quibus enim cordi est animarum cura, nihil aliud curant, quàm suas oues: iis pascendis, saginandis, tuendísque à luporum rabie, dies noctésque incumbunt.

Veteres Prophetæ missi sũt ad Curiam, nõ ambitione ducti, sed diuino imperio.

Blesf.

Prælati curiales, non curatores ouiũ, sed opum venatores.

XXII. Propitiatorio constructo, fecit vlteriùs Moyses duos Cherubinos ex auro ductili: *quos posuit ex vtraque parte Propitiatorij.* Exod. 37. num. 7. Per quos, inquit Lyranus in expositione morali, Ecclesiæ Principes designantur: multis quidem nominibus. Primo, quia erant Cherubini, id est, plenitudo scientiæ, quæ in Prælatis debet prælucere. Secundo, quia erant duo: vt gemina charitas Dei & proximi, quæ debet in Prælatis feruentiùs æstuare, indicaretur. Tertio, quia erant ex auro ductili, hoc est, facti inter malleum & incudem: quia Prælati debent semper esse parati ad persequutiones pro salute gregis sui sustinendas. Quarto ad rem præsentem, quia erant positi ex vtraque parte Propitiatorij: *quia Prælati semper debent intendere suarum Ecclesiarum regimini, & non stare in Curiis Regum, vel Principum, nisi in casu necessitatis, & ad hoc vocati.* Qua quidem perpetua inter oues residentia, nescio, an quidquam gratius Deo à Prælatis offeratur.

Lyran.

Quas ob causas Ecclesiæ Prælati in Cherubinis adumbrentur.

Vt perpetuam habeant suarum Ecclesiarum curam.

XXIII. Nemo ignorat, Deum quondam beneuolentiùs ad Abelis, quàm ad Caïni munera respexisse. Genes. 4. n. 4. & 5. Discriminis rationem in 1. tom. c. 1. Num. 4. §. 6. & Annot. 18. Sect. 1. §. 13. multipliciter prælibaui. Sed illa præsenti congruit instituto, quã insinuat Philo Bibl. agens de electione Dauidis, & referens gratulatorium quendam hymnum, quem dicit à Dauide in Regem electo decantatum, in quo,

Philo.

Ideò Deo placuit Abel, quia semper inter oues versabatur.

quo præter alia cecinerat, *Abelis, quando pascebat pecora, sacrificium acceptabilius fuisse, quam Caini.* Quasi illa inter oues cura, ille labor, illa sollicitudo oblatum Deo sacrificium multò gratius reddiderit, ac iucundius. Atque hinc mihi videtur innuere rationem, cur Dauid fratrum suorum minimus, potiùs quàm alij fratres seniores, ad regnum eligeretur? Nam cæteri in Regis Curia morabantur; vnus Dauid pascebat oues, & in pascuis versabatur. 1. Reg. 16. n. 11. illa enim assidua curandis ouibus occupatio Dauidem reddebat & aptiorem regno, & Deo iucundiorem. Vtinam hinc sibi persuaderent omnes Ecclesiæ Pastores, nihil se Deo gratius, nihil suis gregibus vtilius facturos vnquàm, quàm si vigilantes ac diligentes inter ipsas oues perpetuò commorentur.

Dauid nata minimus eligitur in Regem, quia pastor.

XXIV. Certè boni Pastores ita sibi persuadent. Nam D. Ambrosius tam sedulam & assiduam suarum ouium negotiis tractandis operam nauabat, vt dicat D. August. lib. 6. Confess. c. 3. se, quandiu Mediolani fuit, nunquàm ad illum adeundum liberum aditum inuenisse. Ipse verò Augustinus nihilo segnior suis ouibus curandis prouidebat. Vnde in lib. De operibus Monachorum, c. 29. conqueritur, nullum ferè legendi, aut orandi tempus, sibi à suarum ouium negotiis vacuum superesse: *Testem, inquit, inuoco super animam meam, quoniam mallem per singulos dies certis horis, quantum in bene moderatis Monasteriis constitutum est, aliquid manibus operari, & certas horas habere ad legendum & orandum; quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati, de negotiis secularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo precidendis.* Et paulò pòst. *Quem tamen laborem non sine consolatione Domini suscipimus pro spe vitæ æternæ, vt fructum feramus in tolerantia.*

D. Ambr.

D. August. Boni cultores omne tempus in curandis ouibus insumunt.

XXV. Iam verò D. Bernardus serm. 52. in Cant. suis se subditis die noctéque adeundum & consulendum exponebat: *Ipsi, inquit, me vtantur, vt libet: tantùm, vt salui fiant, Parcent mihi, si non pepercerint & in eo potius requiescam, si non me inquietare timuerint pro necessitatibus suis.* Vnde in serm. De sancto Benedicto, exclamat cum Propheta: *Ego, inquit, factus sum, tanquàm vas perditum.* Psal. 30. n. 13. Et exponens ad hanc rem, *Bene, inquit, seipsum perdis, qui nihil vnquàm pro se facis: sed omnis eius intentio, & omne desiderium tendit ad Dei placitum, & vtilitatem fratrum suorum.* Tandem D. Cyril. Alexand. lib. 6. in Leuit. ad finem, assiduos ouium curatores, & perpetuos excubitores in salutem animarum, Moysem & Aaronem, cæteris Prælatis proponit imitandos: *Si quis, inquit, vult Pontifex non tam vocabulo esse, quàm merito; imitetur Moysem, imitetur Aaronem. Quid enim dicitur de eis? Quia non discedunt de tabernaculo Domini. Erat ergo Moyses in tabernaculo Domini. Quod autem opus eius erat? Vt à Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt Pontificis opera: vt à Deo discat legendo Scripturas, & sæpius ruminando: aut populum doceat; sed illa doceat, quæ ipse à Deo didicerit, non ex proprio corde, vel ex humano sensu.* Mitto innumeros alios Prælatos, quibus nihil erat antiquius, quàm vt suis ouibus non modò perpetui assiderent; sed etiam intimi inhærerent: vt spiritualem earum vtilitatem prouidentissimi vndique captarent & curarent.

D. Ber. D. Bernardus diurnus nocturnúsque animarum curator.

D Cyril.

Moyses & Aaron Prælatis proponuntur imitandi.

Incommoda ex Prælatorum absentia.

XXVI. Sed iam incommoda, quæ ex Prælatorum absentia subsequuntur, quis ignorat? Quadraginta tantùm dies à populo Moyses abfuit, non quidem ad voluptatem propriam; sed ad communem vtilitatem: non ad Regum Curias ambitionis gratia digressus; sed in monte cum Deo familiariter colloquutus: non grege sine custodia relicto; sed optimo Vicario Aaroni impensè commendato. Et nihilominùs quis nescit, quanta culparum, quanta pœnarum incommoda, ex hac absentia in populum redundarint: pessima idololatriæ lue in tot hominum millia grassante; & acerba vltione ob tam atrox piaculum in sacrilegos desæuiente? Exod. 32. à n. 1. Quod flagitium rectè obseruans ad eum locum Hugo Cardinalis aptè concludit: *Quid ergo de Clericis Curatis, qui tanto tempore Parisiis morantur? Nec excusantur, si Theologiam audiunt: quia & Moyses accepturus legem, & ex præcepto Domini moratur cum Domino.* Quòd si hæc consequutio tantam vim habet in iis, quos studij causa in Academiis detinentur, quantam habebit in iis, qui ambitionis gratia in Principum Curiis commorantur? Breuiores moras traxit Samuel absens à Saüle: nam dies tantùm septem ab illo abfuit. 1. Reg. 13. n. 8. Sed hæc tam exigui temporis absentia satis fuit, vt populus à Saüle, Saül à Deo dilaberetur: populus quidem ignominiosam in fugam versus: Saül detestandum sacrilegium operatus. Ex quo totius Regni iactura, & miseranda totius populi calamitas subsequuta satis ostendit, quantum malum ex tantula Principis absentia oriatur. Vt nemo mirari debeat, si magnas animarum ruinas videat in ea Diœcesi, à qua proprius Pastor, nescio quo auectus turbine, diu peregrinetur.

Ex Moysis absentia idololatria orta.

Hugo.

Ex Samuelis absentia fuga & sacrilegium.

XXVII. Quid memoro septem dies? Breuior absentia ruinam intulit nihilo breuiorem. Nam triduo, antequàm Dauid veniret in Siceleg, *Amalecitæ,* inquit Textus, *impetum fecerant ex parte australi in Siceleg, & percusserant Siceleg, & succenderant eam: & captiuas duxerant mulieres ex ea, à minimo vsque ad magnum.* 1. Reg. 30. n. 1. & 2. Itaque, si Dauid tribus antè diebus aduenisset, totam illam stragem antecuerteret, & vrbem ab ea plaga incolumem conseruaret: sed, quia triduo seriùs vrbem intrauit, tam atroci clade labefactam deprehendit. Quod infortunium Lyranus ad spiritualem intelligentiam traducens, *Significatur,* inquit, *quòd in absentia boni Prælati à sua Diœcesi, Dæmones incendunt populum suum igne concupiscentiæ carnalis & cupiditatis, & ducunt eum captiuum, multiplicibus peccatis irretitum.* Age verò, si Principis absentia per tres dies tantum calamitatibus aditum patefecit, quantum patefaciet per tres menses, &, quod est deterius, per tres annos; ne moras commemorem longiores?

Ex Dauidis breui absentia, vrbis strages & ruina.

Lyran.

XXVIII. Longè mirabilius est, quod addo de Christo Domino, qui egressus cum discipulis in montem oliuarum, eos in primis optimis consiliis & monuit & muniuit dicens: *Orate, ne intretis in tentationem. Et ipse auulsus est ab eis, quantum iactus est lapidis, & positis genibus orabat.* Luc. 22. n. 40. & 41. Vbi singula expende. Discipulos quidem reliquit, non proprio arbitrio temerè commissos; sed optimo consilio fortiter armatos, vt orarent, ac tentationes præcauerent. Deinde inuitus quodammodo, non sponte sua ab eis recessit: *Auulsus,* inquit, *est ab eis.* Quasi non sponte digredi, sed vi quadam auelli videretur. Præterea non se ab illis procul abduxit; sed *quantum iactus est lapidis.* Ac si ita abesse vellet, vt facilè reuocari posset. Nam, vt ibi Salmeron tomo 10. tractat. 12. *Significabat,* inquit, *parua illa distantia, quia Prælatus non debet separari à grege maximè tempore tribulationis.* Tandem secessit, non ad quiescendum ac dormiendum, sed ad vigilandum & orandum;

Christus Dominus inuitus à discipulis recedebat.

Si recedebat, non procul recedebat, vt facilius reuocaretur.

Salmer.

duos;

dum; ex qua ſpecula vtiliùs ſæpè quàm in præſentia ſubditis prouideret. Ad hæc; ne longa orandi mora aliquam expectandi nauſeam diſcipulis commoueret; breuiter orauit: vnam, ſcilicet, horam; iuxta illud: *Non potuiſtis vna hora vigilare mecum?* Matth. 26. num. 40. Vides Chriſti Domini à ſuis diſcipulis abſentiam, tempore quidem breuem, loco parum diſtantem, fine ſanctiſſimam, cæteris circunſtantiis, vt aduertimus, circunſpectam; & tamen in ea diſcipuli ab oratione ceſſarunt, & ſuo vitio dormierunt. Quid igitur ſubditis non timendum, ſi Prælati ab eis longiſſimè, diutiſſimè & inconſultiſsimè digrediantur: non ad orandum, ſed ad otiandum: non ad commune bonum, ſed ad priuatum lucrum: non ad diuinam voluntatem conſulendam, ſed ad Principum gratiam & fauorem aucupandum?

Vnius tãtùm horæ ſpatium aberat.

XXIX. De hoc Prælato à ſuis ſubditis recedente, & in alienas curas auolante, eſt illud Parœmiaſtæ: *Sicut auis tranſmigrans de nido ſuo; ſic vir, qui derelinquit locum ſuum.* Prouerb. 27. n. 8. Vbi Lyranus, *Per hoc,* inquit, *intelligitur malitia Prælati, animarum curam negligentis, pro curis & negotiis terrenis.* Concinit & Ianſenius: *Accommodatur,* inquit, *hæc parabola contra Prælatos & Paſtores, qui, derelicto grege ſibi commiſſo, commigrant alio, oues luporum rapacitati relinquentes.* Et vberiùs explicatur. Quia, ſicut auis tranſmigrans è nido ſuo multis exponitur periculis, aucupum, & accipitrum, qui illius vitæ inſidiantur: ita Prælatus, qui extra ſuam Diœceſim, diutiùs, quàm oportet, euagatur; in plures Dæmonum laqueos ſe induit, quibus difficilè enodetur. Neque ſolùm volucri nidum deſerenti; ſed etiam nido deſerto multa diſcrimina incumbunt.

Lyran.

Ianſen.

Prælatus extra ſuã Diœceſim diuagans, in multos Dæmonũ laqueos ſe induit.

Nam, ſi pulli, antequàm plumeſcant, & per ſe pabula aucupentur, deſerantur; aut fame contabeſcunt; aut ſerpentinis morſibus exponuntur. Si oua in medio fotu & incubatione, antequàm in fœtus coaleſcant, & in pullos animentur, relinquantur; frigido perflata aëre euaneſcunt, atque irrita euadunt, & antequàm viuant, quodammodo moriuntur. Non aliter Diœceſani & Parochiani à ſuis Prælatis deſerti ac deſtituti, multis corporum animorúmque periculis pateſcunt. Nõ enim habent, à quibus ſuſtententur in fame, curentur in mortis, pacificentur in litibus, tranquillentur in ſcrupulis, adiuuentur in tentationibus; ac denique à peccatis, in quæ ruunt, diligenter eruantur. Vnde neceſſe eſt, vt multa corporum animorúmque calamitas miſeris inferatur, quæ ſine dubio de manibus negligentium Prælatorum requiretur.

Multis etiam exponit Diœceſanos.

XXX. Hinc illa eſt prophetica comminatio negligentes in Paſtores: *Væ Paſtoribus Iſraël, qui paſcebant ſemetipſos,* &c. Ezech. 34. n. 2. Et ſtatim: *Diſperſæ ſunt oues meæ, eò quòd non eſſet Paſtor: & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri.* Ibid. n. 5. Vbi, cùm priori loco ſupponantur eſſe Paſtores: tamen poſteriori penitùs eſſe negantur. Crediderim, quia Paſtores à ſuis gregibus abeſſe, perinde eſt, atque non eſſe. Non minora enim incommoda gregibus inferuntur, ſi Paſtores abſint, quàm ſi Paſtores non ſint. Neque magis terrentur lupi, ſi ſentiant canes à gregibus abeſſe, quàm ſi ſentiant, nullos eſſe. Infelices igitur Paſtores, ex quorum à gregibus abſentia, greges à lupis infeliciter deuorantur. Certè quanta neceſsitate conſequatur ſubditorum ruina ex abſentia Prælatorum, illud ceremoniale præceptum ſatis indicat, in quo Deus ad Aaronem, *Excubate,* inquit, *in cuſtodia Sanctuarij, & in miniſterio altaris, ne oriatur indignatio ſuper filios Iſraël.* Num. 18. n. 5.

Abeſſe ab ouibus, eſt nõ eſſe paſtorem.

Si abſint Prælati, ingrauia ſupplicia incurrunt ſubditi.

A Vbi Deus, diligens & aſsiduum miniſterium Sacerdotibus imperat: ſed ex illius defectu graue & acre ſupplicium vniuerſo populo comminatur: non ſine myſterio ad rem præſentem. Nam abſentibus & negligentibus Prælatis, ſubditi, vel antiquis vitiis adhæreſcunt, vel in noua effrænantur: ob quæ meritò à Deo puniuntur. Et quidem, ſicut corpus, ſublatis oculis, impingit, offendit ac præcipitatur: ita populus ſeparatus à ſuo Paſtore, qui inſtar oculorum eſſe debet, paſsim errat, & in mille præcipitia peſſum ruit. Nam, vt bene D. Athanaſius epiſt. 1. ad Epiſcopum Cretenſem: *Perinde eſſe videtur, gregem abeſſe à paſtore, vt cæcum duce carere.*

D. Athan.

Subditus ſine Prælato, cæcus ſine duce.

XXXI. Dicet abſens Prælatus, ſuam abſentiam per B optimum Vicarium ſuppleri. Sed planè fallitur: nam quis melior Vicarius Moyſis eſſe potuit, quàm Aaron? Et nihilominùs, illo abſente, hic elanguit: & cùm populum à vitulo conflando reprimere deberet; ipſe autum à populo extorſit, vt vitulum conflaret. Exod. 32. n. 2. Sic *Vicarius,* inquit Hugo Cardinalis, *pecuniam extorquet à populo ſibi commiſſo; de ſalute animarum parum curat.* Quis melior Nehemiæ Vicarius optari potuit, quàm Eliaſib Sacerdos? Et nihilominùs hic, abſente Nehemia, ſuum munus peſsimè adminiſtrauit; dum ſacra profanis ſacrilega temeritate commiſcuit & confudit. Vnde regreſſus in vrbem Nehemias, *Veni,* inquit, *in Ieruſalem, & intellexi malum, quod fecerat Eliaſib Tobiæ, vt faceret ei theſaurum in veſti*C*bulis domus Dei. Et malum mihi viſum eſt valdè.* 2. Eſdr. 13. n. 7. & 8. Ad quem locum Lyranus, *Per hoc,* inquit, *ſignificatur, quod abſentia boni Principis de terra ſua, & boni Prælati de ſua Eccleſia; frequenter ſunt occaſiones malorum in illis pullulantium: ſicut præſentia gubernatoris eſt cauſa ſalutis nauis; & eius abſentia periclitationis.*

Abſente Prælato, Vicarius, etſi bonus, malus efficitur.

Hugo.

Lyran.

XXXII. Quis opportunior inueniri potuit Vicarius Domini ad Iſraëliticum populum gubernandum, quam Angelus Domini? Certe nullus. Hic enim ſicut ſanctitate & dignitate ad Deum propior accedebat: ita diuinas in gubernando populo vices feliciùs obtineret. Hunc igitur receſſurus Deus à populo in ſui muneris Vicarium deſignauit, dicens: *Mittam præcurſorem tui Angelum,* &c. D *non enim aſcendam tecum.* Exod. 33. n. 2. & 3. Quid verò populus? Intelligens, proprij Paſtoris præſentiam ne tanto quidem Vicario poſſe compenſari; hanc ægerrimè tulit compenſationem: ſequitur enim: *Audiénſque populus ſermonem hunc peſſimum, luxit; & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.* Ibid. n. 4. Peſsimum appellauit hunc ſermonem, hoc eſt, hanc commutationem. Peſsimè nanque agitur cum populo, à quo proprius Paſtor remouetur; licèt optimus Vicarius ſubſtituatur. Et hunc internum animi ſenſum ac dolorem non ſolùm lacrymis prodidit; ſed etiam lugubri habitu manifeſtauit: quippe qui ex abſentia proprij Paſtoris, licèt ſub optimi Vicarij præſentia conſtitutus, futuras ſibi clades, damna & exitia non E temerè augurabatur. Nec ſine myſterio lautiorem illum cultum, coronas, torques, armillas ac pretioſas veſtes, quibus ſe paulò antè, vt dicunt Hebræi, ad diuinam legem ſuſcipiendam exornauerat, abiecit; & cum lugubri ſacco, cinere & cilicio, aliiſque feralibus indumentis commutauit: vt ex diſcrimine inter hos cultus, quid diſcriminis eſſet inter proprium, & Vicarium Principem teſtaretur. Denique Chriſtus Dominus orationis cauſa à diſcipulis receſſurus, optimum illis Vicarium reliquit, Petrum, qui ſua vmbra infirmos ſanabat, ac Dæmones perterrebat. Et nihilominùs

Lacrymatur populus abſentiam proprij Paſtoris.

Petrus Chriſti Vicarius vna hora non potuit vigilare.

Salm. hilominùs, vt ibi notat Salmeron, tam Petrus, quàm cæteri non potuerunt vna hora in oratione vigilare; sed desides & inertes dormierunt. Vnde posteà Christus Dominus transiturus ex hoc mundo ad Patrem, ita Petrum Vicarium reliquit; vt ipse nihilominùs vsque ad consummationem seculi nobiscum remaneret. Matthæi 28. n. 20. Vt hinc cæteri Prælati desumant exemplum, ne se ita suo munere in suos Vicarios exonerent; vt ipsi à toto grege longiùs auertantur.

XXXIII. Ad hæc, Apostolus Paulus ab Epheso ac tota Asia digressurus, optimos quidem Vicarios præfecit, & quidem optimis consiliis instructos: *Attendite*, inquit, *vobis & vniuerso gregi; in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Act. 20. num. 28. B Quis non crederet Asiaticis Ecclesiis commodissime prouisum & consultum esse, quibus absente Paulo tam boni Vicarij relinquebantur; ij, scilicet, quos Spiritus sanctus Episcopos instituerat, & quos Apostolus ad vigilem animatum curam incitarat? Et nihilominùs vix Paulus abfuerat, cùm ingens morum inclinatio ac depravatio facta est; irruentibus lupis, & sacra ouilia deprædantibus. Quod ipse Apostolus prævidit ac prædixit: *Ego scio*, inquit, *quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exurgent viri loquentes peruersa, vt abducant discipulos post se.* Ibidem, n. 29. & 30. Quos pietatis euersores non immeritò appellat lupos, non solùm ob crudelitatem, qua in agnos inuehuntur; sed etiam ad rem præsentem, ob sagacitatem, qua lupos imitantur. Nam, *Lupi*, inquit D. Ambrosius lib. 7. in Luc. cap. 10. *bestiæ sunt, quæ somnum canum, absentiam ac desidiam pastorum explorant*: vt tutiùs inuadant, & licentiùs desæuiant, & largiùs effuso pecudum cruore saturentur. Quisquis igitur Vicarius adsit, si proprius Pastor absit, totus grex periclitatur.

Absens Prælato, etiamsi à bonis Vicariis subditi regantur, exponuntur infortuniis.

Pietatis euersores lupi appellantur. D. Ambr.

XXXIV. Vnde nulla est miserior gregis conditio, quàm proprij Pastoris absentia. Quod mihi videtur Moyses significasse, cùm Deum pro suo successore interpellauit: *Prouideat*, inquit, *Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc. Et possit exire & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere: ne sit populus Domini, sicut oues absque pastore.* Num. 27. n. 16. & 17. Vbi Pastorem requirit, qui perpetuos suo gregi excubitor adsistat: id enim illis verbis exeundi & intradi educendi & introducendi significatur, vt Interpretes communiter obseruant. Et rationem reddit: *Ne sit*, inquit, *populus Domini, sicut oues sine pastore.* Dicturus enim miserrimam populi conditionem, non dixit; Ne sit populus sicut oues sine pascuis; aut sicut oues inter lupos; aut sicut oues in montibus ac syluis dissipatæ: sed, *Sicut oues sine pastore.* Si enim grex hoc vno incommodo laboret, vt pastore destituatur; dubium non erit, quin statim in omnia alia discrimina præcipitetur. Sic & Propheta Michæas, vt miserrimam Israelitici exercitus conditionem prædiceret, *Vidi*, inquit, *cunctum Israel, quasi oues non habentes pastorem.* 3. Reg. 22. num. 17. Non dixit: Vidi cunctum Israel fusum ab hostibus, captiuum, spoliatum, interfectum, aliásque in clades miserabiliter inclusum: sed tantùm, *Vidi cunctum Israel, quasi oues non habentes pastorem.* Nam populus, qui Pastoris sui absentia destituitur; parùm abest, quin in mille pericula & exitia, in mille cruces ac neces conijciatur. Tandem & Zacharias, vt extremam Synagogæ vastitatem denuntiet, non ipsum populum perdendũ, sed Pastorem mactandum vaticinatur: *Framea*, inquit, *suscitare super Pastorem meum, &c. Percute Pastorem, & dispergentur oues.* Zach. 13. num. 7. Ablato enim ab ouibus Pastore, necesse erat, vt statim oues aberrarent, & in extrema infortunia dilaberentur. Dubium igitur esse non poterat, quin ex Prælati absentia, quamplurima in subditos incommoda subC sequantur.

Absentia Prælati origo omnium malorum sui populi.

Quis ignorat, in quanta damna spiritualia corruerit domus illius fœminæ extraneæ & alienæ, cuius meminit Parœmiastes, quæ pudore penitùs profligato, coniugale domicilium in adulterinum prostibulum commutabat: & innocentes iuuenes more aucupis in turpitudinis retia includebat? Sed prima tantorum scelerum labes, tantæque licentiæ occasio, non aliunde, quàm ex absentia viri sui orta est. Hanc enim suis amatoribus peccandi tempestiuitatem offerebat: *Veni*, inquit, *inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec elucescat dies. Non est enim vir in domo sua, abiit via longissima.* Prou. 7. n. 18. & 19. Nempe, D coniugis absentia totam libidini domum reserabat: ita enim comparatum est, vt cùm familiæ parens & custos à domo peregrinatur, statim in eam domum multa flagitiorum examina inundantur. Atque hæc circa Samuelis residentiam. Et de toto Cap. septimo. Iam ad octauum, huius Tomi vltimum, accedamus. XXXV.

Absentia coniugis domum libidini exponit.



LIBER

LIBER PRIMVS REGVM.

CAPVT OCTAVVM.

1 FACTVM est autem, cùm senuisset Samuel, posuit filios suos Iudices super Israël.
2. Fuitque nomen filij eius primogeniti Ioël: & nomen secundi Abia, Iudicum in Bersabee.
3. Et non ambulauerunt filij illius in viis eius: sed declinauerunt post auaritiam, acceperúntque munera, & peruerterunt iudicium.
4. Congregati ergo vniuersi maiores natu Israël, venerunt ad Samuelem in Ramatha.
5. Dixerúntque ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis Regem, vt iudicet nos; sicut & vniuersæ habent nationes.
6. Displicuítque sermo in oculis Samuelis, eò quòd dixissent: Da nobis Regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad Dominum.
7. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.
8. Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt à die, qua eduxi eos de Ægypto, vsque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, & seruierunt diis alienis; sic faciunt etiam tibi.
9. Nunc ergo vocem eorum audiui: veruntamen contestare eos, & prædic eis ius Regis, qui regnaturus est super eos.
10. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat ad se Regem.
11. Et ait: Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis: Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, faciétque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum.
12. Et constituet sibi Tribunos & Centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum.
13. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas.
14. Agros quoque vestros, & vineas, & olìueta optima tollet, & dabit seruis suis.
15. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit, vt det eunuchis & famulis suis.
16. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo.
17. Greges quoque vestros addecimabit, vósque eritis ei serui.
18. Et clamabitis in die illa à facie Regis vestri, quem elegistis vobis: & non audiet vos Dominus in die illa, quia petistis vobis Regem.
19. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquàm: Rex enim erit super nos.
20. Et erimus nos quoque sicut omnes gentes: & iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.
21. Et audiuit Samuel omnia verba populi, & loquutus est ea in auribus Domini.
22. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & constitue super eos Regem. Et ait Samuel ad viros Israël: Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.



CAPITIS OCTAVI
ARGVMENTVM.

STARE diu nescit humana felicitas. Nam statum Israëlis à Samuele feliciter administratum, vt patet ex superiori Capite; filiorum eius iniquitas miserabiliter labefecit, vt patebit ex hoc præsenti. Quod diuido in tres partes. In prima, totus populus filiorum Samuelis iniuriis grauiter lacessitus, Regem ab eo petit. In secunda, Samuel iniqua petitione non leuiter offensus, antè denuntiata Regis tyrannide, populum ab ea petitione deterret. In tertia tandem populus ex salubri admonitione nihilo sanior effectus, in sententia persistit: & à Deo voti compos fieri iubetur. Singulas partes ad Literam explicatas, sicubi opus erit, ad mores illustrabo.

Capitis partitio.

Num. I. Factum est autem, cùm senuisset Samuel, posuit filios suos Iudices Israël.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Reges priùs animũ, quàm honores abiiciunt.*

F*Actum est autem*, &c. Erui potest ex hoc loco non exigua Samuelis commendatio. Nam quandiu viguit, & ad prouinciam gubernandam vires habuit, onus cum honore portauit. At verò, postquàm senuit, & vitio senectutis tam multis laboribus ferendis imparem se esse sensit, onus cum honore abiecit, & filios suos posuit Iudices Israël. Non ita plerunque Principes, & regnorum gubernatores. Nam etiam cùm suorum munerum onera portare non possunt; honores tamen suorum munerum non abiiciunt: & priùs sibi animum a corpore auferri, quàm regiminis clauum à manu extorqueri patiuntur.

II. *Nescit humana ambitio regio se honore abdicare.*

Testor ego vos, profani Reges. Quotus enim quisque est, qui suis se regiis insignibus, solio, D corona, sceptro priuari patiatur? In primis Pharao suo solio nunquam cessit. Nam gratulaturus Iosepho somnij interpretationem, & magnis cum honoribus cumulaturus, *Tu*, inquit, *eris super domum meam; & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni solio te præcedam.* Gen. 41. num. 40. Cætera quidem liberaliter donat: vnum tamen solium auarè retinet. Nescit enim humana ambitio regio se honore abdicare. Quod apertiùs patet ex iis, quæ sequuntur: *Tulit enim*, inquit Textus, *annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum.* Ibidem, num. 42. & 43. E At, cur ille, qui tam multa donauit, & omnia præter solium regium promisit, ascendere eum fecit super currum suum secundum, non autem super currum suum primum? Credo, quia Reges prima regni insignia sibi semper tenaciter vsurpant: & quamuis illa promittant; cùm tempus donandi aduenit, mẽtiuntur. Sed infelix Rex, dum partem sibi nobiliorem retinere voluit, retinuit abiectiorem. Tolerabilior enim erat secundus currus, quàm primus. Nã ex profanis honoribus ille peior, qui est maior: ille melior, qui est minor: vt egregiè philosophatur Philo Heb. 1. lib.

Reges prima semper regni insignia sibi vsurpant.

Ex profanis honoribus ille peior, qui est maior.

Philo.

A De migratione Abrahami, vbi hunc Genesis locum expendens, *Miserior*, inquit, *est Rex Pharao, qui putatur illustrior, & primario curru vectatur. Nam in rebus inhonestis excellere, insignis turpitudo est: sicut secundo loco censeri, leuior miseria.*

III. *Reges omnia largiuntur, non coronam*

At verò regium diadema nunquam sibi præripi passus est Assuerus. Nam, cùm ad eum diceret Aman: *Homo, quem Rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella Regis est, & accipere regium diadema super caput suum*, &c. Esth. 6. num. 8. *Dixitque ei Rex: Festina, & sumpta stola, & equo, fac, vt loquutus es Mardochæo.* Ibidem, num. 10. Quid hoc est, bone Imperator? Nonne Aman tria a te requirebat, stolam, equum & diadema? Ita planè. Nónne & B tu illius votis annuisti, dicens: *Fac, vt loquutus es?* Negare non potes. Quid ergo palinodiam canis: & solùm iubes, vt stola & equo donetur Mardochæus: illud verò, quod promiseras, diadema non largiris: Rectè Lyranus: *De diademate*, inquit, *regio tacuit: quia non videbatur sibi conuenienter dictum, quod alius à Rege portaret diadema regium.* Addo: quia suo diademati tam tenaciter adhærebat, vt illud, quamuis aliàs promissum; sibi nihilominùs retineret. Maluit nimirum ambitiosus Rex fidem frangere, quàm coronam perdere: ingens admittere mendacium, quàm regium dimittere diadema.

Lyran.

IV. *Non patiuntur se sceptro denudari.*

Iam verò suo sceptro nullus vnquàm Rex pati solet, se aliquando denudari. Quod mihi videtur C Dauid significasse. Nam in singulare certamen cum gigante descensurus: *Tulit baculum, quem semper in manibus habebat, & fundam*, &c. 1. Reg. 17. num. 40. Sed interim libet, iuuenem ad certamen festinantem, paucis interpellare. Dic, age, optime duellator: vtro armorum genere tibi in hoc certamine vtendum esse decreuisti? Fundáne, an baculo? Credo, sola funda: hanc enim præ cæteris armis expetisti. Quid ergo baculum portas? Nónne vides, tibi fore impedimento ad rotandam fundam, ad iaciendum lapidem, ad feriendum hostem? Et si fortè primum ictum perdas, facilè te ab hoste disperdendum? Mitte igitur baculum, ne tuum tecum exitium, potius quàm præsidium deportes? Nihilominùs Dauid tulit baculum, quem semper in manibus habebat. Credo duplici ex causa. Vna literali: vt bellico vteretur stratagemate; ostentans baculum, & occultans fundam; vt cùm Philisthæus à solo baculi ictu sibi præcaueret, à subito lapidis iactu improuidus quateretur. Altera mystica: nam Dauid de, pastore Rex futurus, suo baculo pastoritio regium sceptrum designabat. Dum igitur tenebat baculum; & illum ne deponeret, deponendæ vitæ periculum incurrebat: adumbrabat eos Reges, qui suis sceptris tam mordicùs adhærent, ac tenaciter affiguntur, vt malint cum eis perire, quàm sine illis seruari. Quod malum omnibus ferè Regibus commune esse, D. Ambros. lib. 5. Hexam. cap. 15. lamentatur: *Quem*, inquit, *inuenies hominum, qui sponte deponat imperium: & ducatus sui cedat insigne: fiátque volens numero postremus, ex primo?*

Dauidis stratagema singulare.

D. Ambr.

V. *Iusti ambitiosam dominandi tenacitatẽ facilè relinquunt.*

Hanc igitur ambitiosam gubernandi tenacitatem Samuel à se penitùs amputauit, & cùm se vitio senectutis ad gubernandum inutilem agnouit: gubernaculum transtulit in filios, meliùs, vt ipse sperabat, ab illis administrandum. Sic olim in noua Ecclesia optimi Pontifices præstiterunt: quorum meminit D. Petrus Damianus lib. 1. epistolarum, epistol. 10. & quorum imitatus exempla, duos Episcopatus, quibus præfuit, repudiauit.

D Dam.

Quo

Quo releuatus onere, *Liber*, inquit, *quasi diu stipitibus attritos agitare pedes, durisque catenis edomitas subleuare ceruices, illúdque propheticum alacriter decantare: Dirupisti, Domine, vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis.* Psal. 115. num. 17. *Nostis planè hæc in me proiecta fuisse onera, non suscepta: & vt ita loquar, retiaculum non ingressus sum, sed violenter opertus. Quapropter occasione nacta, pondus libenter abieci, quod vltroneus antè non subij.* Quæ quidem est non obscura humilis Prælati nota ac tessera: honores renuentem suscepisse, libentem repudiasse.

VI. *Bartholomæus à Martyribus Diœcesim Bracharensem repudiauit.*

Nec in Lusitania inter nostrates Antistites alterum desidero Samuelem. Nam ille Bracharensis notæ sanctitatis Archipræsul, & Hispaniarum Primas, Bartholomæus à Martytibus, tanquàm alter Samuel totos viginti annos suæ præfuit Diœcesi: quam vbi senio confectus non potuit de more suo annuatim perlustrare, tanquàm alter Samuel repudiauit, alterique remisit perlustrandam: ne per ætatem impar oneri, per ambitionem suppar honori videretur. Quò pertinet illa Christi Domini ad ignauum seruum obiurgatio: *Serue nequam, quare non dedisti pecuniam meam ad mensam; & ego veniens cum vsuris vtique exegissem illam!* Luc. 19. num. 23. Quasi diceret,

D. Hieron. Prælati, qui onera non deponunt, cùm ferre nequeũt, à Deo increpantur.

interprete D. Hieronymo in epist. 1. ad Heliodorum: *Quare non deposuisti ad altare,* (hoc est, Quare non renuntiasti) *quod ferre non poteras? Dum enim ignauus negotiator denarium tenes; alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat, occupasti.* Æterna igitur commendatione digni sunt illi Principes, qui quod regiminis onus ferre non possunt, aliorum humeris reiiciunt deferendum. Quibus omnibus facem mihi videtur Samuel prætulisse, dum se à præfectura quodammodo abdicabat, & filios suos Iudices constituebat. Quamuis, quam illis potestatem detulerit, paulò inferiùs explicabo.

VII. *Hebræorum sententia de ætate Samuelis.*

Cùm senuisset, &c. Duplex hoc loco occurrit difficultas literalis. Vna, quanta fuerit sub hoc tempus ætas Samuelis. Ex doctrina quidem Hebræorum colligitur fuisse natus annos trigintaquinque. Quod sic ostendo: Nam Hebræi dicunt, totam Samuelis vitam annis quinquaginta tribus inclusam esse. Et probant, quia Samuel venit in tabernaculum, triennis; vt cap. 1. num. 22. iam ostendimus: vt ibi maneret *iugiter*; seu, vt est in Hebræo; *In seculum*: quod illi spatium quinquaginta annorum interpretantur. Ergo quinquaginta tres annos tantùm vixit. Ab his autem, si auferas decem & octo annos, quibus Samuel vixit cum Saüle iam Rege; vt Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 13. testatur; remanent trigintaquinque. Ergo illos tantùm sub hoc temporis agebat Samuel.

Ioseph.

VIII. *Reiicitur & exploditur Hebræorum sententia.*

Nihilominùs hæc Hebræorum opinatio falsa est: tum, quia Samuel dicitur hoc loco senex; qualis non est vir annos trigintaquinque natus: tum, quia iam habebat filios imperio maturos, ac proinde natos annum circiter trigesimum; quos ipse quinque tantùm annis maior gignere non posset: tum denique, quia Samuel viginti iam annos iudicauerat Israëlem; vt ex cap. 7. num. 2. colligitur. Ergo, si modò plures, quàm triginta quinque non habebat; sequitur eum quindecim annos natum ad gubernandum accessisse: quod tamen insolens omninò est; præsertim in iis, qui non successione, sed electione ad regimen assumuntur: de quorum nomero fuit Samuel; cùm ipse primus ex maioribus suis iudicauerit Israëlem; ac proinde non habuerit, cui successerit: præterquàm quòd sub id temporis in populo Israëlitico Magistratus, non iure successionis, sed electionis tradebantur. Neque ratio Hebræorum quidquam efficit. Nam seculum plurimos annos indeterminatè significat; vt sacras & profanas Literas consulenti facilè patebit. Et quamuis determinatè significaret quinquaginta annos; sine dubio eo loco numerus certus pro incerto poneretur, vt sæpè fit: cùm Anna illius determinatæ durationis nullam reuelationem habuerit: neque enim vllum apparet fundamentum, ex quo illa reuelatio colligatur.

Octuritur Hebræorum fundamento.

IX. *Vera Samuelis ætas sub idem tempus.*

Dicendum igitur censeo, Samuelem sub id temporis fuisse maiorem quinquaginta annis; sed minorem sexaginta, saltem expletis. Illud prius patet: quia alioqui dici non posset senuisse; nisi quis cum Beda hoc loco ad quandam metaphoricam confugiat senectutem; quæ tamen non pertinet ad Literã explicandam. Hoc posterius sic ostendo: Quia Samuel conceptus & natus est sub Iudice Heli: vt patet ex cap. 1. à num. 17. Et fortasse iam Heli aliquot annos in iudicando transigente; vt Abulensis eodem cap. in text. ante quæstionem 13. arbitratur: sed Heli iudicauit Israelem quadraginta annis; vt patet ex cap. 4. num. 18. ergo, quando Heli mortuus est, nondum Samuel erat quadragenarius; sed aliquot annis minor; aot certè nouem mensibus, quibus in materno vtero maturuit. Atqui post mortem Heli, vsque ad hoc tempus iudicauit tantùm septem menses, quibus Arca fuit in Palæsthina, cap. 4. n. 1. & viginti annos, quibus Arca fuit in vrbe Iarin, cap. 7. n. 2. Ergo sub hoc tempus nondum erat perfectè sexagenarius.

Beda.

Probatur superior sententia.

X. *Proponitur obiectio, & diluitur.*

Dices: Talis ætas, quamuis senilis sit, caduca tamen & decrepita non est, sed adhuc integra & vegeta ad gubernandum. Ergo, si Samuel senior non fuisset, non se imperandi labore exonerasset. Respondeo, Samuelem non tam annis, quam curis grauatum, & laboribus confectum; vt Interlin. & Hugo Cardin. aduertunt, adeò contabuisse, vt centenario maior videretur: & propterea suum filiis munus delegasse. Cùm enim mallet subditos in laboribus sociare, quàm ad labores destinare: vbi primùm illud per ætatem agere non potuit; etiam hoc per dignitatem agere recusauit: ne similis Lucifero euaderet, qui non stare coram Deo, vt stabant cæteri Angeli. Daniel. 7. num. 10. sed desidiosus & imperiosus sedere *in monte Testamenti, & in lateribus Aquilonis* cupiebat. Isai. 14. num. 13. Ad quem alludens D. Bernard. ser. De sancto Benedicto, *Qui*, inquit, *laborem fugiunt, honorem captant: illum se nouerint imitari, qui sessionem, altitudinémque quæsiuit.*

Desidiosi similes Lucifero.

D. Bern.

XI. *Luciferi desidia grauibus verbis arguitur.*

Et paulò antè inuehitur in hunc honoris amatorem, osorémque laboris: *O impudens*, inquit, *ô imprudens, millia millium ministrant ei, & decies centena millia assistunt: & tu sedebis? Cherubim*, ait *Propheta, stabant, & non sedebant: quid laborasti, vt iam sedeas? Omnes administratorij sunt spiritus, missi in ministerium, propter eos, qui hæreditatem accipiunt salutis: & tu sedebis? Quid seminasti, vt iam metas?* Et paulò pòst: *Duo manipuli sunt, quos quæris, honoris, scilicet, & quietis. Sessionem affectas, & altitudinem. Sed non sic, non sic. Non colliges, quia non seminasti. Qui seminauerunt laborem & vilitatem, metent honorem pariter & quietem.* Sic ille. Et similia repetit serm. 2. in Octaua Paschæ, & serm. 3. & 5. De verbis Isaiæ: & De gradibus humilitatis, in grado primo superbiæ. Itaque superbus Lucifer laborem refugiebat, ad honorem adspirabat,

D. Paulus sine labore honorem repudiabat. adspirabat. Longè aliter D. Paulus honorem sine labore non admittebat. Vnde in epist. ad Rom. cap. 1. num. 1. *Paulus*, inquit, *seruus Iesu Christi, vocatus Apostolus.* Vbi D. Anselm. quærit, cur se non dicat absolute Apostolum; sed, vocatum Apostolum. Et respondet: *Nondum se dicit Apostolum; quia nondum Romanis prædicauerat, nec adhuc Apostolus esse videbatur.* Quasi illo se honore indignum iudicasset, quem multo labore anteà non emisset. Sic ergo & Samuel, cùm laborare non potuit, noluit imperare.

XII. *Prima sententia ex D. Augustino ponitur & confirmatur.* D. Aug. *Posuit filios suos*, &c. Altera difficultas: Vtrùm Samuel posuerit filios suos supremos Iudices, an tantùm delegatos, & subordinatos sibi. Priorem partem mihi videtur significasse D. Aug. in Psal. 98. ad illa verba: *Vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Vbi sic: *Samuel*, inquit, *& ipse sanctus senex mortuus est, relictis filiis successoribus.* Nam, si filij in dignitatem patri successerunt; cùm patet supremam habuerit, eandem & filij habuerunt: nec alibi quàm hoc loco acceptam, cùm nusquàm alibi eam suscepisse referantur. Et confirmatur: quia D. August. eodem modo loquitur de filiis Samuelis succedentibus Samueli; atque de filiis Aaronis succedentibus Aaroni: sed hi in supremam dignitatem parenti successerunt; vt patet Num. 20. à num. 25. & Deut. 10. à num. 6. ergo & illi.

D. Carthus. Superior sententia alterius etiam firmatur authoritate. Hoc ipsum sentire mihi videtur Carthus. hoc loco: tum, quia dicit, nullum alium Iudicem Israël, filios suos constituisse Iudices; & intelligere videtur, supremos: nam delegatos, etiam Heli constituerat; vt cap. 2. num. 22. ex Iosepho, *Ioseph.* aliisque retulimus. Licet enim ibi de pontificali tantùm dignitate dictum sit: de iudiciali tamen pari ratione, & fortasse maiori, idem videtur dicendum: facilius enim erat Iudices, quàm Pontifices constituere: cùm horum constitutio à diuina lege, illorum ab humano arbitrio penderet. Tum, quia dicit Samuelem, non aliter, quàm ex diuino instinctu filios suos populo præfecisse: hic autem diuinus instinctus non videtur necessarius ad Iudices delegatos, sed ad supremos constituendos.

XIII. *Vera sententia apponitur, reiicitur superior.* Nihilominùs dico, Samuelem suis filiis potestatem tantùm delegatam commisisse. Probatur primò, quia Samuel iudicauit Israëlem cunctis diebus vitæ suæ; vt patet ex præcedenti cap. num. 15. saltem vsque ad creationem Saülis in Regem, vt ibi exposuimus. Ergo filij solam potestatem delegatam habere potuerunt. Secundò, quia filij Samuelis nusquàm numerantur inter Iudices Israël: sed potiùs Samuel eorum vltimus vbique assignatur. Tertiò, quia gubernatio illius populi fuit monarchica, quæ duos supremos Iudices non patitur. Ergo saltem vterque supremus Iudex esse non potuit: & cùm Scriptura eodem modo de vtroque loquatur; neuter potiùs fuit. Quartò, quia, cùm populus Regem petiit, non dicitur, Samuelis filios, sed Deum ac Samuelem spreuisse; vt ex hoc cap. Num. 7. patebit. Ergo Samuelis filij principatum supremum non habebant. Vltimò, quia potestas constituendi supremos Iudices in illo populo, non erat penes Samuelem, sed solùm penes ipsum Deum; vt Carthus. ex D. Thoma, Alensi, aliisque confirmat: & *Carth.* nos paulò inferius Num. 5. ostendemus. Neque *Occurritur tacitæ obiectioni.* est, cur dicatur Samuel, ex diuino instinctu id fecisse, cùm nulla nos ad hanc reuelationem asserendam necessitas impellat. Solùm igitur constituit Samuel filios suos, delegatos Iudices, sibique subordinatos, vt meliùs per eos communes causas definiret, & publico regimini prouideret. At-A que ita exprimit Abul. in cap. 12. quæst. 3. *Samuel*, *Abul.* inquit, *constituerat filios suos iudices, non quasi totaliter ipse principatum cessisset; sed, quia subdelegabat filios suos*, &c.

Duo sunt in hoc Samuelis facto obseruanda. XIV. Vnum est, Samuelem filios suos præficiendo, speculatiuè, seu materialiter errasse: quia, quos Iudices populo vtiles fore existimauit, eos perniciosissimos fuisse deprehendit. Ne quis Prælatus ita se peritum & expertum credat, vt nusquàm se posse errare confidat. Vnde D. Greg. hoc loco, *Ecce*, inquit, *qui prophetiæ spiritu plenus fuerat, quos Iudices Israëli ponebat, non cognouit. Quid ergo mirum, si falli in disponendis ordinibus possunt, qui prophetiæ gratiam non accipiunt: si ij, qui prophetiæ spi-* B *ritum habent, eundem spiritum ad disponenda cuncta non habent?* Et paulò antè docet, aliquando Prælatos innocentes & prudentes ita fuisse à Deo derelictos: *Ve ea*, inquit, *quæ recta intentione disponerent, secundùm Dei prouidentiam recta non essent; quatenus illorum infirmitas, electorum sequentium firmitas fieret.* Ita ille. Quasi diceret, derelictos fuisse à Deo huiusmodi Prælatos, vt posteriores Principes, videntes illos priores tam peritos & expertos, tamen in eligendis magistratibus aberrasse; se quoque in rebus omnibus errare posse, & nihil humani à se alienum esse arbitrarentur.

Prælati sæpè in electione errant. *D. Greg.* *Volt Deus Prælatos errare aliquando, aliorum exemplo.*

Vnde Iob, postquàm illos tres amicos suos, XV. Reges & sapientes de multis erroribus conuicit: *Sapiens non sibi sapiens videri debet.* *Conuertimini*, inquit, *& venite; & non inueniam in* C *vobis vllum sapientem.* Iob. 17. num. 10. In quem D. Greg. locum D. Greg. lib. 13. Moral. cap. 14. *Quid est*, inquit, *quòd eos ad sapientiam vocat; & tamen optat, ne illos sapientes inueniat: nisi, quòd ad veram sapientiam venire non possunt, qui falsa sua sapientia fiducia decipiuntur?* Quasi diceret: Sapientes sint: non tamen sibi videantur. Multi enim ad sapientiam peruenirent, nisi putarent peruenisse. Et paulò pòst, *Rectè*, inquit, *beatus Iob conuersionem auditorum desiderans, exoptat, ne in eis vllum sapientem inueniat. Ac si eis apertè dicat: stulti esse apud vosmetipsos discite, vt in Deo verè sapientes esse valeatis.* Hinc est illa Prophetæ deploratio: *Væ, qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Isai. 5. num. 21. Et illa Salomonis admo- *Qui se credit insipientem, sapit: qui sapientem, desipit.* D nitio: *Ne sis sapiens apud temetipsum.* Prou. 3. num. 7. Et illa prædicatio Apostoli ad Romanos ex sua prudentia superbissimos: *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos.* Rom. 12. num. 26. Ac denique illa exhortatio ad Corinth. multùm sibi ex sua sapientia tribuentes: *Nemo se seducat: si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens.* 1. Cor. 3. num. 18. Quare deterior est stulto, quisquis sibi videtur sapiens; iuxta illud: *Vidisti hominem sapientem sibi videri? magis illo spem habebis insipiens.* Prou. 26. num. 7. Nam, qui se stultum putat, sapit: qui sapientem, stultescit.

Alterum, quod obseruo, est, Samuelem in hoc XVI. facto practicè & formaliter non errasse, seu non peccasse. Patet, quòd neque à sacris Literis, ne- E que ab antiquis Patribus & Interpretibus arguatur: sed potiùs excusatur; immò & laudetur. Nam *Samuel in eligendo filiis non peccauit.* Carth. *Hoc*, inquit, *sanctus Samuel non fecit, carnali* *Carthus.* *affectu: sicut nunc multi promouent suos cognatos, nedicam & filios, ad prebendas & ecclesiasticas dignitates: sed quoniam iudicauit eos ad iudiciale officium verè dignos.* Ita ille. Nam, si tales non agnosceret, & tales semper fore non speraret, nunquàm illos ad eum honorem promoueret. Vnde D. Gregor. *D. Greg.* *Quis*, inquit, *de tanto viro dubitet, quia, si futuram peruersitatem filiorum prænosceret, eos vtique forensibus honoribus non præferret? Qui ergo reprobos scien-*

tes

ter prouehunt, hoc Prophetæ exemplo sibi blandiri nequaquàm possunt: quia tunc solum innoxiè agitur, cum in eis, tempore, quo promoti sunt, subsequutæ iniquitatis signa nulla patuerunt. Non igitur peccauit in eorum electione, quos bonos & Reipublicæ vtiles fore iudicauit.

XVII. *Filios Samuelis bonos tunc esse duplici probatur iudicio.* Carth. D.Greg.

An verò filij Samuelis sub id temporis eo munere digni fuerint, non solum opinione hominum, sed etiam re ipsa; quæstio est. Affirmat, licèt cum aliqua formidine, Carthus. *Forsan,* inquit, *tunc digni erant; quamuis post suam promotionem corrupti sint corde: quemadmodum Saul. Principatus quippe ostendit virum, & honores mutant in multis mores.* Sed D. Greg. omnem formidinem excludit, & eorum probitatem confirmat: tum ex eo, quòd Samuelis filij dicantur: tum ex eo, quòd illustribus nominibus appellentur: *Aptè,* inquit, *ij, qui Iudices Israëli à Samuele positi sunt, eius filij dicebantur: vt ex eo non solùm per carnem crederentur geniti; sed etiam conuersationis eius splendoribus adornati. Quare & eorum nomina caute assignantur: vt ex titulo nominis, illa, quæ tunc eis inerat, cognoscatur forma virtutis.* Ita ille.

Neutrũ tamẽ esse efficax, ostenditur.

Vtrunque indicium probabile est, sed neutrum efficax: quia licèt plerunque bonorum filij boni sint, & illustribus nominibus in Scriptura boni appellentur: sæpè tamen ex bonis nascuntur mali; vt sequenti Annot. ostendetur: & illustribus sæpè nominibus etiam mali celebrantur; vt ex sequenti Num. patebit.

Cur Samuel filios elegerit. Lyran.

Si autem quæras, cur Samoel potiùs filios, quàm alios homines Reipublicæ præfecerit: dixerim; vel, quia meliores non inuenit; vel, quia existimauit eorum auctoritatem plùs apud Hebræos valituram, saltem propter reuerentiam patris, qui de illa Republica optimè merebatur; vel, quia, Interprete Lyrano, credidit eos, paternæ iustitiæ & integritatis fore imitatores.

Num. II. Fuitque nomen filij eius primogeniti, Ioël; & nomen secundi, Abia; Iudicum in Bersabee.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Filius primogenitus Samuelis binomen.* D.Hier.

Fuitque nomen, &c. Duplex est huius loci difficultas. Vna, circa nomina Iudicum. Altera, circa loca iudiciorum. Quod attinet ad priorem: Filius primogenitus Samuelis dicitur hoc loco, Ioël; sed 1.Paral.6.n.28.dicitur Vasseni. Vbi sic, *Filij Samuel: primogenitus Vasseni, & Abia.* Licèt enim Regia & Complotensis ibi retineant nomen Ioël: tamen in Hebræo, & Latina nouissimè correcta ponitur *Vasseni.* Vnde patet primogenitum Samuelis fuisse binominem. Nec sine mysterio, vt D.Hier. in Quæstion. Hebraïc. ad eum locum Paralip. testatur. Mysterium autem duplex esse potest. Vnum, si dicamus cum communi Latinorum interpretatione, Ioëlem, postquàm Iudex factus est, in auaritiam declinasse, & munerum acceptorem fuisse. Hoc enim posito, rectè ille, qui, cùm pietati studebat, dicebatur *Ioël*; hoc est, *Fuit Deus,* vt Interl. interpretatur:

Postquàm Index factus est, mores mutauit in peius.

postquàm auaritiæ seruire cœpit, dictus fuit *Vasseni,* seu potius *Iessani,* per literam *Iod,* י, formatiuam nominum propriorum: aut tandem *Sani,* vt in Bibliis Sixtianis habetur; hoc est, *Alter,* seu *mutatus:* à radice שָׁנָה *Sanah,* hoc est, mutare; quòd ab illa priori sanctitate multùm degenerarit. Alterum mysterium, si dicamus cũ vulgari traditione Hebræorum apud D. Hieronymum citatum; ex his duobus fratribus solum Abiam fuisse munerum acceptorem; Ioëlem verò ab iis recipiendis sem-

A per abstinuisse: & ex eo tantùm eiusdem sceleris consortem appellari solitum; quòd fratrẽ Abiam non corripuerit. Si hoc enim verum est, non immeritò appellatur Vasseni; hoc est, alter, seu diuersus, seu mutatus à fratre suo; vt ab illius studiis alienus fuisse significetur. Itaque secundùm Latinos dicitur mutatus à se ipso: secundùm Hebræos verò dicitur mutatus à fratre suo.

Eiusdem sceleris consors malo nomine dignus.

II. D.Greg. *Nomina sæpè moribus conueniunt, sæpè non conueniunt.*

Cæterùm, D. Gregor. probitatem horum fratrum, cùm primùm Iudices creati sunt, ex eorum nominibus colligebat: nam *Ioël* interpretatur, *Fuit Deus*, vt diximus: & *Abia*, *Fuit pater:* ac si quandam erga suos subditos, & paternitatem, & diuinitatem exhiberent. Verùm indicium, vt paulò antè dixi, non est efficax. Quia licèt, vt B ille alius eccinit,

Conueniunt rebus nomina sæpè suis.

Probatur variis Scripturæ locis. D. Isid.

Aliquando tamen sub speciosis nominibus vitiosi mores inuoluuntur. Nam Salomon dictus fuit, *Ididia,* hoc est, *Amabilis Deo.* 2.Reg.12.n.25. & tamen ipse *adamauit mulieres alienigenas multas.* 3.Reg.11.n.1. Absalon interpretatur, *Patris pax:* & tamen ipse paternam domum bellicis tumultibus conturbauit. 2.Reg.15.n.11. Vnde D.Isidor. lib.2. suæ enarrationis in libros Reg. c.3. *Mirũ,* inquit, *videtur in historia, quemadmodum patris pax possit intelligi, qui patrem bello est persequutus.* Ierusalem interpretatur *Visio pacis:* quæ tamen pacem ei oblatam non vidit, non recepit, vt Christus Dominus supposuit illis verbis: *Si cognouisses & tu, & C quidem in hac die, quæ ad pacem tibi.* Luc.19. n.42. Quasi diceret: Tuam pacem minimè cognouisti. Tandem Capharnaum interpretatur, *Ager pœnitentiæ:* & tamen Christus Dominus illi impœnitentiam exprobrauit, dicens: *Et tu Capharnaum, vsque ad cœlũ exaltata, vsque ad infernũ demergêris.* Luc.10.n.15. Ita planè & hi fratres sub magni nominis vmbra pessimos mores occultare potuerũt.

Sub boni nominis vmbra pessimi occultantur mores.

III. Rabban. *Qui in bonis moribus non perseuerant, bonis nominibus indigni.* Virg. Beda.

Quamuis non dubitem, illos fuisse bonos, cùm primùm electi sunt; vt superiori Num. iam dixi: licèt in sua bonitate parum constantes; vt rectè colligit Rabbanus ex ipsa nominis etymologia, ne illam omninò vanam & inanem esse dicam: *Bene,* inquit, *qui in inchoata iustitia non permanserunt, & paternitatem Domini neglexerũt, Fuit Deus, D & Fuit pater, nominati sunt; vt significentur paternitate Dei indigni.* Quasi illo verbo de præterito, quod in eorum nominibus includitur, eorum inconstantia in bono significetur: & de vtrolibet dici possit, Deum & patrem, hoc est, æquum & bonum, iam non esse, sed fuisse: quo pacto & Troiani sua lamentabantur infortunia, dicentes: *Fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens Gloria Teucrorum.* Eodem modo interpretatur & Beda: *Illi,* inquit, *iuxta nomen suum incipientes quidem, sed non perseuerantes vsque in finem, vt salui fierent; suas traditiones & scelera legi pariter & gratiæ prætulêre.* Atque hæc circa nomina Iudicum.

IV. *De loco iudiciorum opinio Beda apponitur.* Beda. Ioseph. *Iosephus tamẽ videtur probabilior.*

Iudicum in Bersabee, &c. Hæc est altera difficultas circa loca iudiciorum. Et quidẽ omnia exem- E plaria, Hebræa, Græca & Latina habent, illos Iudices fuisse in Bersabee, quæ est ciuitas in extrema Iudæa, versus Austrum; vt cap.3. n.20. dictum est: vbi quondam Abraham & Isaac fœdus inierunt cum Abimelec. Genes.21. num.31. & Gen. 26.n.28. & propterea nomen accepit, *Bersabee,* id est, *puteus iuramenti.* In hoc igitur loco existimat Beda, fuisse vtrunque Iudicem; & mysticam reddit rationem: *Vt vita,* inquit, *fontem & propinarent & biberent.* Nihilominùs Iosephus 6. Antiq. 3. asserit, Prouinciam à Samuele fuisse diuisam, & suam cuilibet filio partem assignatam; alte-

rúmque in Bethlehem, alterum in Berſabee præfuiſſe. Ioſephum ſequitut Magiſter hiſtoriæ; niſi, quòd pro Bethlehem habeat Bethel: quæ planè ſunt vrbes diuerſæ; vt patet ex D. Hieronymo in locis Hebraïcis: ex eóque facilè oſtenditur, qoòd Iacob profectus de Bethel, perrexit in Bethlehem; & inter vtranque vrbem Rachelem ſepeliuit. Geneſ. 35. à num. 15. ſed facilè dici poteſt, cum Dionyſio, Bethel pro Bethlehem, vitio Scriptorum apud Magiſtrum irrepſiſſe. Vtrique duci idem Dionyſius, Rabbaous, Hugo Cardinalis, Nauclerus, Sabellicus & alij aſſentiuntur.

D. Hier. — Dionyſ. Rabban. Hugo. Nauc. Sabel.

V. *Obiectio quædã diluitur.*

Vnde oritur difficultas: Nam, ſi ſuam quiſque partem adminiſtrabat, cur hoc loco ſola Berſabee nominatur, ac ſi vterque in illa reſideret? B Reſpondeo: vel, quia Scriptura breuitati ſtudens, præcipuam vrbem poſuit, ex qua facilè poſſet intelligi minùs præcipua: vel, quia eorum alter propriam deſerens ſtationem, ad fratrem in Berſabee veniebat, vbi ſimul ambo diutiùs morabantur, fortaſſe loci amœnitate delectati: nam Berſabee ciuitas erat nemoroſa; vt ex eo patet, quòd Abraham plantauerat ibi nemus Geneſ. 21. num. 33. ad ſuos hoſpites arborum amœnitate recreandos, vt ibi Lyranus ex antiquis Rabbinis interpretatur. Vide, quò impulerit peſsimos Iudices ſtudium voluptatis. Foreſia iudicia deſerebant, & voluptatis aucupia ſectabantur. Non curabant exemplum patris ſui Samuelis, C totam prouinciam ſingulis annis diligenter obeuntis; vt patet ex cap. præcedenti, Num. 16. vt eum litigantes facilè adire poſſent, & ipſe poſſet litigantium ſomptibus & expenſis obuiam ire. Sed in amœnis locis, iiſque ab hominum commercio longiùs abductis, deſides ac delicioſi pigrabantur. Non ſine magno popularium detrimento, qui in extremam Iudæam, vbi Berſabee ſita erat, pro ſuis cauſis ditimendis, cum magnis expenſis venire cogebantur: vt Abulenſ. Iſidor. Clar. & nouiſsimè noſter Mariana obſeruant. Iniqui planè Iudices, qui ſe in inuios receſſus includebant, ne vllas à litigantibus moleſtias ſentirent. Quadrat in hos filios Samuelis illa comminatio Eliphaz: *Longè fient filij eius à ſalute, & contererentur in porta, & non erit, qui eruat.* D Iob. 5. num. 4. Vbi Lyranus aduertit, quod nos in 1. Tom. non ſemel obſeruauimus, Iudices in portis ciuitatis palàm ſedere, & iudicia exercere ſolitos, vt facilè poſſent à litigantibus adiri. Qui ergo Iudices ſe ab his publicis locis ſubtrahebant, ne fatigarentur à litigantibus, importunáque in dirimendis litibus faſtidia ſubirent; digni planè erant, qui ad ea publica loca, quæ deſeruerant, reuocati, meritis à Deo ſupplicijs afficerentur.

Lyra. — *Iudices forũ negligunt, voluptatis locũ eligunt.* — Abul. Iſidor. Mar. — *Iudices olim iudicia exercebant in portis ciuitatis, vt facilis litigantibus eſſet aditus.* Lyran.

Num. III. Et non ambulauerunt filij illius in viis eius: ſed declinauerunt poſt auaritiam, acceperúntque munera, & peruerterunt iudicium.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Filij Samuelis à paternis moribus degenerarunt.* Abul.

ET *non ambulauerunt*, &c. Proponitur malitia filiorum Samuelis in genere, ſtatim in ſpecie magis declaranda. Abulenſis dupliciter exponit. Non ambulauerunt in viis Samuelis: vel, quia prouinciam ſingulis annis, vt Samuel, non luſtrabant: vel, quia parentis mores ſuis moribus non A exprimebant. Vtraque expoſitio verum aſſumit: ſed hanc poſteriorem priori antepono. Nam ambulare in viis alicuius, non ſolet in Scriptura tam materialiter vſurpari, vt ſit idem atque, iter agere cum illo; ſeu eaſdem cum illo vias carpere: & proinde non ambulare in viis Samuelis, nihil aliud ſignificet, quàm prouinciam, quam Samuel peragrabat, non peragrare. Sed abſtractiùs accipitur, & tranſlatiùs, vt ſit idem, atque alicuius opera imitari. Vnde Achaz dicitur, ambulaſſe in via Regum Iſraël. 4. Reg. 16. num. 3. Amon in via Manaſſes. 4. Reg. 21. num. 21. Ioſias per omnes vias Dauid. 4. Reg. 22. num. 2. & ſic de aliis frequenter. Sed vlteriùs mihi videtur hoc locò Samuel tacitè excuſari à peccatis filiorum: ne quis B putaret, Samuelis ignauia, eius filios deliquiſſe; quemadmodum ignauia Sacerdotis Heli, eius filij deliquerunt. Nam, cùm inter vias Samuelis, & vias filiorum eius, quædam fiat hoc loco comparatio, ſeu potiùs oppoſitio; & viæ filiorum dicantur, ad iniquitatem deflexiſſe: manifeſtè colligontur viæ parentis ſemper ad pietatem ſpectaſſe. Vnde vlteriùs patet, non erraſſe filios propter negligentiam parentis, qui à via ſanctitatis nunquam aberrauerat.

Filij Samuelis propter parentis negligentiam non peccarunt.

II. *Auaritia, idolum falſitatis.*

Sed declinauerunt, &c. Proponitur malitia filiorum Samuelis in ſpecie. Dicuntur enim in tria mala declinaſſe: ſiue vterque ſimul in omnia conſpirarint; vt Latini docent Interpretes: ſiue vnus tantùm munera acceperit, altero conſen- C tiente, nec increpante; vt Hebræi tradunt, quos ſuperiori Num. retulimus. Primùm igitur declinabant in auaritiam. Chaldæus habet: *In mammonam falſitatis.* Auaritia enim quædam falſitas, ſeu mendacium eſt, ſicut auarus fictus & mendax: ſuas enim miſerias ſimulat & promit; ſuas diuitias diſſimulat & condit: foris pauperem, ſordidum & inopioſum ſe oſtendit; intus prægrandes diuitiarum cumulos coaceruat: vnde non immeritò hypocrita appellatur; iuxta illud: *Quæ eſt enim ſpes hypocritæ, ſi rapiat?* Iob. 27. n. 8. Vt enim hypocrita, ficta quadam ſanctitatis ſpecie, multas peccatorum ſordes occultat; indéque fit, vt, ſi non verbis, ſaltem factis ipſis mentiatur: ita planè & auarus, obiecta oculis paupertate, ſeu D potiùs miſeria, ingẽtes theſauros intus obtegit & inuoluit: vnde ſequitur, vt non ſolùm loquendo, ſed etiã agendo mendax iudicetur. Meritò igitur auaritia dicitur mammona, ſeu idolum falſitatis; quòd multiplices dolos, fraudes & mendacia machinetur. Septuaginta vertunt: *Declinauerunt in conſummationem*, vel, *vtilitatem propriam.* Nam *συντέλεια*, quæ hoc loco ponitur, eſt quædam conſommata vtilitas, ad quam filij Samuelis aſpirabant. Deinde in munerum acceptionem: ad hoc enim malum ipſa cupiditas immediatè impellebat. Tandem in peruerſitatem iudiciorum, quæ cum acceptione munerum proximè ſociatur. En duo effectus externi, vt notat Caietanus, ab illo interno cupiditatis affectu prodeuntes. Neque enim ab auaritia, quæ eſt radix omnium E malorum, 1. ad Timoth. 6. num. 10. aliæ propagines pullulare potuerunt. Nec plura ſunt in his Num. quæ literali indigeant explicatione. Multa, quæ illuſtrationem deſiderent moralem, ſequenti Annot. illuſtranda.

Auarus verus hypocrita. — *Filij Samuelis in auaritiam & cupiditates declinarunt.* — Caiet.

* * *

ANNOTA

ANNOTATIO XXX.
CIRCA LITERAM.

Filij non semper parentum mores imitantur.

I. Horat. QVAMVIS sæpè filij paternos mores exprimant: vt in 1. Tomo, Annot. 4. à §. 30. latiùs illustraui, & illud Lyrici tetrastichon decantatissimum confirmat:

Fortes creantur fortibus & bonis:
Est in iuuencis, est in equis patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquila columbam.

Duo proponuntur illustranda. Nihilominùs & oppositum frequenter contingit: vt ex optimis parentibus pessimi filij, ex pessimis optimi generentur. Pro priori parte est apertum exemplum in filiis Samuelis, qui à sanctissimo parente in extremam malitiam degenerarunt. Pro posteriori plura alia exempla ex sacris Oraculis facilè colligentur, quibus constabit, innocentissimos filios ex sceleratissimis parentibus, tanquàm rosas ex spinis, prodiisse. Vtranque partem breuiter illustrabo.

SECTIO I.

Ex optimis parentibus pessimi filij aliquando oriuntur.

II. D. Ambr. NOuum non est in sacris Literis, longè diuersos à parentibus filios aliquando generari; ex optimis pessimos, & ex pessimis optimos prodire. Quod Diuus Ambrosius in Epist. ad Romanos, cap. 11. expendens, *Nec enim*, inquit, *quia Iacob laudatur; omnes ex eo nati filij eius meritò dicendi sunt*, scilicet, pares, vel similes. *Aut, quia Esaü displicet; omnes ex eius origine reprobi sunt: cùm videamus & de Iacob traduce natos, factos perfidos, & & de Esaü, fideles, & Deo charos. Nam, quia & de Iacob multi sunt perfidi, dubium non est. Omnes enim Iudæi non credentes, ex eo habent originem. Et quia de* D *Esaü sunt boni & fideles, probat Iob, qui est ex filiis Esaü, quintus ab Abraham; hoc est, nepos Esaü.* *Ideò pessimi ex optimis oriuntur, ne quis à proprio virtutis studio recedat.* Neque deest peculiaris diuinæ prouidentiæ ratio, cur hæc diuersitas inter parentes & filios inducatur. Nam ex optimis pessimi aliquando oriuntur; ne quis maiorum suorum virtutibus innixus, à proprio studio ac labore virtutis sibi acquirendæ nimis securus otietur: sed potiùs certò sciat, nihil sibi paternam sanctitatem, nisi propria accedat imitatio, profuturam. Cur autem ex pessimis optimi quoque aliquando oriantur, ex sequenti Sect. patebit. Quare, vt quod est huius proprium, demonstremus, nempe, aliquando optimos pessimis filiis parentes esse, ab huius loci exemplo ordiamur.

III. Theod. Philo. *Samuelis encomia apponuntur.* Quis, obsecro, sanctior Samuele, quem Theodoretus q. 14. in 1. Reg. non solùm sanctissimum, sed etiam *diuinissimum* appellat? Et Philo Hebræus lib. De temulentia, non solùm vocat, *Regum Prophetarúmque maximũ*; sed etiam homine nescio quid sublimius & augustius esse significat: *Is Samuel*, inquit, *fuit fortassis homo: accipitur tamen, non vt compositum animal, sed vt mens solo Dei cultu ac ministerio gaudens.* Et tamen pessimos filios habuit, quibus nihil paternæ virtutes profuerunt. D. Chrys. Vnde D. Chrysost. hom. 9. in

A Matth. *Quid*, inquit, *filios Samuelis necessitudo iuuit parentis, cuius non fuerunt virtutis hæredes?* Quasi diceret: Nihil eis profuit esse cognatione coniunctos cum eo, à quo fuerunt imitatione penitùs alieni. *Nihil tamen filiis virtus parentis profuit.* D. Hier. At verò D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, ironicè loquutus, *Et reuerà*, inquit, *magnos fructus ex liberis Samuel cepit. Vt quia ipse placuit Deo, tales genuerit, qui Domino displicerent!* Hoc est: Nihil pretij Samuel ex filiis reportauit, cùm Deo ipse gratissimus ingratissimos habuerit. Et clariùs ad finem eiusdem libri, multa ex Theophrasto de filiorum incommodis philosophatus: *Hæredem*, inquit, *desiderabit hominem cohæres Christi, & optabit liberos, nepotúmque serie delectabitur, quos forsitan sit occupaturus Anti-*B *christus? Cùm legamus Moysem & Samuelem filiis suis alios prætulisse; nec putasse liberos, quos videbant Domino displicere?* *Samuel liberos non putauit, quos vidit Deo displicere.* Quasi diceret: Stultissimè desiderat filios tanquàm paterni nominis ad posteritatis memoriam seruatores; quos nescit, an habiturus sit paternorum morum euersores. De qua re in cap. 1. Epist. ad Titum, multa præfatus, subdit: *Samuel quoque, qui talis fuit, vt inuocaret Dominum, & Dominus exaudiret eum, & in tempore messis, pluuiam hyemis impetraret; habuit filios, qui declinauerunt post auaritiam,* &c. Vbi singularia parentis facta, & insignia filiorum crimina inter se opponit: quasi hi pessimè viuendo, ille sanctissime operando inter se contendere viderentur.

C Neque plura desiderantur exempla. Nam quis Moyse perfectior, quem D. Gregorius Nissenus in eius vita, ad finem, testatur, perfectionem homini possibilem assequutum? Et Philo Hebr. in lib. 1. De illius vita, asserit, Moysem *stupori fuisse omnibus familiaribus, tanquàm nouum naturæ miraculum, incertis, qualis mens habitaret in eius corpore, humanáne, an diuina?* IV. D. Greg. *Moysis sanctimonia cõmendatur.* Philo. Et tamen filios habuit tam degeneres, vt nullam ex paterna sanctitate vtilitatem reportarent. De quibus D. Chrysostomus citatus, *Quid*, inquit, *Moysis liberis paternæ profuit cura iustitiæ; cuius eis non successit imitatio? Itaque neque ad illos patris imperium, quasi ex successione defertur, qui illum vocabulo tantùm significabant parentem: sed ad eum Reipublica* D *administratio migrat, qui illius erat filius, virtute, non genere.* D. Chrys. *Estne tamen filij à paternis moribus alieni.* Quasi diceret: Degeneres filij paternam hæreditatem amiserunt: quia paternam sanctitatem non curarunt. At verò Iosuë, domo ac Tribu à Moyse remotus, in Moysis hæreditatem fuit cooptatus: quia Moysi erat sanctitatis imitatione propinquus.

V. Philo. *Noë iustitia filij impudentiam frænare non potuit.* Quis deinde iustior Noë, qui primus in veteri Testamento iustus appellatur? Genes. 6. num. 9. vt Philo Hebræus lib. De congressu quærendæ eruditionis, post medium, aduertit; quasi primatum iustitiæ obtinere diceretur? Et tamen filium habuit adeò impudentem; vt ne ipsa quidem patris præsentia ac reuerentia, reddere eum potuerit verecundum.
E De quo D. Chrysostomus citato loco, *Quid*, inquit, *Noe filius de patris virtute lucratus est, qui ex ingenuo factus est seruus?* D. Chrys. Vbi alludit ad illam paternam maledictionem: *Seruus seruorum erit fratribus suis.* Genes. 9. num. 25. Pergit Chrysostomus: *Vidisti certè quàm non suffecerit ad profectum liberis, paterna nobilitas. Vitia siquidem voluntatis vicerunt priuilegia naturæ; & peccantem non modò de nobilitate patris, verùm de ipsa libertate etiam pepulerunt.* Ita ille. Efficaciora enim sunt propria dedecora ad filios deprimendos, quàm paterna ornamenta ad exaltandos.

VI. *Perfectio Isaac profani filii meliori negauit.* D. Hier. Præterea inter veteres Patriarchas, quis vnquàm ad euangelicam perfectionem propior accessit, quàm Isaac? De quo Diuus Hieronymus in epistola 26. ad Pammachium, in obitu Paulini: *Ante Euangelium*, inquit, *euangelicam portauit crucem.* Et tamen eius filius Esaü nullam sanctitatem redolebat, solam profanitatem spirabat: vt Diuus Paulus Hebr. 12. num. 16. testatur. D. Chrys. Quod expendens Diuus Chrysostomus vbi suprà: *Esaü*, inquit, *nónne sancti Isaac erat filius, magno etiam patris fauore munitus; qui, scilicet, studebat, atque cupiebat primatum ei benedictionem donare: propter quod etiam ille omnia patris iussa faciebat? Sed tamen, quia prauus moribus erat, nihil ex his omnibus adiutus prorsus est. Sed & iuxta naturæ ordinem prior, & de patris voluntate securior: quia tamen displicebat Deo; omnia, quæ iam tenere videbatur, amisit.* D. Hier. Accedit Diuus Hieronymus in epistol. 61. ad Pammachium, aduersùs errores Ioannis Ierosolymitani, vbi ostendens, non esse generantis vitio malitiam generati tribuendam, subdit: *Ex Rebecca & Isaac, & Esaü genitus, hispidus tam mente quam corpore, quasi bonum triticum in lolium auenasque degenerat: quia non in seminibus, sed in voluntate nascentis causa est vitiorum atque virtutum.*

VII. D. Ambr. *Abrahami virtus filios ab impietate nō continuit.* Iam verò Abrahami sanctitatem quis non miretur? De quo Diuus Ambros. lib. 1. De eodem, cap. 2. *Magnus*, inquit, *planè vir, & multarum virtutum clarus insignibus; quem votis suis Philosophia non potuerit adæquare. Denique minus est, quod illa finxit, quàm quod iste gessit: maiórque ambitioso eloquentia mendacio simplex veritatis fides.* Et tamen filios genuit patriæ virtutis exhæredes. Philo. Vnde Philo Iudæus lib. De nobilitate, loquutus de Abrahamo, *Primus*, inquit, *Gentis conditor multos liberos suscepit è tribus mulieribus, nempe, Sara, Agar, & Cethura: vnus tamen è multis solus successit in patrimonium: reliqui omnes sicut à pietate degenerarunt; ita separati sunt ab eius gentilitate, cuius nullas virtutes expresserant, exciderúntque ab illa nobilitate celebratissima.* Vbi mirum est, non modò vnum, vel alterum; sed plerosque à paterna sanctitate degenerâsse: immò vnum tantùm patrios mores expressisse. Adeò bona femina per negligentem cultum in degeneres fœtus deprauantur. *E filiis patrum virtutem parentū imitantur.* D. Ambr. Non sine mysterio Christus Dominus, *Hanc*, inquit, *filiam Abrahæ alligauit Satanas.* Luc. 13. num. 6. Ecce tibi bonus pater & mala filia. Vnde Diuus Ambros. serm. 2. in Psalm. 118. *Si dicas*, inquit, *Abrahæ sum filia; Abraham quidem saluatur; sed te nobilitas generis non iuuabit, nisi fides seruauerit. Non te decipiat data patribus repromissio. Non suscipio personam hominis: non suscipio prærogatiuam generis; nisi videro congruentem generi morum nobilitatem, vt fiat iusti generis electio.*

VIII. Philo. *Adamus Cain habuit patrem virtute exhæredē.* Cæterùm, quis vnquàm perfectiorem habuit ex hominibus parentem, quàm illi duo germani fratres Abel & Caïn? Nam *Adamus*, inquit Philo citatus, *ille est, à quo omnis patritia nobilitas descendit.* Et tamen eorum alter terram humano sanguine, & se fraterno maculauit. In quem Philo citato loco: *Quid*, inquit, *huic profuit nobilitas generis ignobilem præ se ferenti animum? Quem ipse rerum humanarum inspector Deus, vt vidit, aversatus damnauit: non præsenti quidem supplicio, quod confestim ei calamitatis sensum adimeret; sed mille mortes intentando, vt sentiret alios super alios pauores & aceruatas molestias, atque ita dignam pro maleficio pœnam reciperet.* Tandem primus ille Tergena (sic enim Philo nominat Adamum) ge-

A neris sui claritate omnibus posteris præluxit. Hi enim ad alios homines, ille ad solum Deum genus suum referebat. Nam *illi*, inquit Philo, *nemo parens, auctórque vllus, nisi Deus fuit.* *Primi parentis elogium.* Et tamen neque illa paterna sanctitas ad diuinitas eum tenuit, quominùs in peccatum, indéque in profundum miseriarum pelagus laberetur. Vnde, vt rectè Philo, *Hæc*, inquit, *lex communis est mortalium omnium, quæ præscribitur, ne quis virtutis expers claro genere, natalibúsque splendidis magnoperè sibi placeat.*

Hinc est, quòd Ioannes Baptista grauiter objurgabat Hebræos de propria virtute parum sollicitos, & de patria nobilitate nimiùm superbos: *Genimina*, inquit, *viperarum, ne cœperitis dicere: Patrem habemus Abraham.* Luc. 3. num. 8. IX. *Quæ patriæ non se iuuat virtutes tali parente indignos est.*
B Quasi diceret: Si moribus viuitis viperinis; paternas Abrahæ virtutes, non solùm non iacteris, verùm etiam ne iactare quidem incipiatis. Quasi non modò effusa gloriatio de patriis virtutibus: sed etiam prima ad gloriandum aggressio, aliena esse debeat ab eo, qui patrias virtutes non exprimat, non imitetur. Nam, vt bene D. Cyrillus in Catena aurea, ad eum locum, *Quid*, inquit, *confert carnalis generositas, nisi consimilibus studiis fulciatur? Vanum est igitur extolli de bonis prædecessoribus, & deficere ab eorum virtutibus.* D. Cyril. Immò, vt egregiè D. Basilius ibidem, non solùm vanum, sed etiam *Turpe*, inquit, *est alienis ornare decoribus, quem virtus propria non venustat.* D. Basil. Vnde rectè admonet Philo Hebræus lib. De creatione Principis, Philo.
C *Nemo*, inquiens, *summam felicitatis in generis nobilitate collocauit, honestas actiones negligat: reputans grauiori animaduersioni fieri obnoxium, quisquis ex optimis prognatus, maiores suos vitiis dedecorat, discedens à virtutum exemplis domesticis: quorum reliquiis omnibus deletis ex animo, non potest meritam reprehensionem effugere.* *Improbi maiores suos virtutis dedecorant.*

Neque solùm de parte Abrahami, sed etiam de Patre Deo Iudæi gloriabantur, dicentes: *Vnum Patrem habemus Deum.* Ioann. 8. num. 41. Et verè quidem loquebantur; iuxta illud: *Filius meus primogenitus Israël.* Exod. 4. num. 22. Et illud: *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* Deuter. 32. num. 6. Et passim alibi. X. *Nec ipsa Dei cognatio Iudæis profuit ad salutem.*
D Nec tamen, vel ipsa diuina cognatio illis profuit ad salutem. Vnde Diuus Chrysostom. hom. 9. in Matth. *Iudæi*, inquit, *quondam filiorum Dei honore gaudebant: sed decoloratos vitiis nihil iuuit tanta nobilitas. Si igitur Dei quis filius factus, nisi huic generis splendori meritum virtutis addiderit; etiam maius profectò habebit supplicium: quid mihi iam auorum atque proauorum memoras dignitates?* D. Chrys. Veriùs possunt Christiani hanc cum Deo cognationem profiteri; iuxta illud: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Ioann. 1. num. 12. *Christiani verius Dei filii dici possunt.* Addit tamen Chrysostomus: *Sed plurimis ex huiusmodi filiis nihil patrem profuisse Paulus demonstrat. Si circumcidamini, inquit, Christus vobis nihil proderit.* Galat. 5. num. 2. *Quod si Christus nihil proderit iis, qui sibi ipsis non attendunt:*
E *quomodo homo aliquid conferet? Nequaquam ergo ob generis claritatem erigamus cristas*, &c. Sic Chrysostomus de hac re probè philosophatur.

Totam hanc doctrinam Philo in lib. De nobilitate, iam citato, egregiis similitudinibus concludit: *Quid*, inquit, *prodest oculis orbato, sacrum maiorum perspicacitas, nequaquam hæreditaria? Quid prodest ad dicendum elingui, paterna, vel auita eloquentia? Quid conferunt ad vires tabe diuturna confectas, principes generis propter athleticum robur adscripti fastis Olympicis? Immò quid etiam, si fuere victores in omnibus sacris Græciæ certaminibus?* XI. Philo. *Superiora egregiis similitudinibus concluditur.*

Ad eundem sanè modum iniustis liberis iusti parentes, luxu perditis sobrij, & in vniuersum malis boni vtilitatem nullam afferunt. Vnde D. Hieronymus in epistola 48. acerrimè inuehitur in Sabinianum, qui, cum viueret pessimis moribus; tamen de virtutibus Episcopi, à quo fuerat in Diaconum ordinatus, stultè gloriabatur: *Fortè*, inquit, *blandiris tibi, quòd a tali Episcopo Diaconus ordinatus es. Iam superiùs dixi, nec patrem pro filio, nec filium pro patre puniri. Anima enim quæ peccauerit, ipsa morietur.* Ezech. 18. num. 4. *Et Samuel habuit filios, qui recesserunt à timore Domini, & abierunt post auaritiam & iniquitatem. Et Heli Sacerdos sanctus fuit: sed habuit filios, qui fornicabantur cum mulieribus in tabernaculo Dei; & in similitudinem tui impudenter sibi Dei ministerium vendicabant. Quantò magis Episcopus, qui te ordinauit, probus est: tantò tu ampliùs detestandus, qui talem hominem fefellisti.* Igitur improbi filij bonorum parentum præsidio ad salutem acquirendam nihil omninò adiuuantur, nisi eorum virtutes imitentur.

D. Hier.

Vnusquisque propria, non patria virtute salutem quærit.

XII. Fateor, non deesse aliqua Scripturæ loca, quæ significare videantur, semper ex bonis patribus bonos filios propagari. Nam Parœmiastes, *Iustus*, inquit, *qui ambulat in simplicitate sua, beatos post se filios derelinquet.* Prou. 20. num. 7. Verùm D. Hieronymus ad eum locum, seu quisque ille est Auctor, D. Hieronymi inscriptus nomine, illum mysticè interpretator: *Non hoc*, inquit, *secundùm literam semper stare potest. Nam & beatus Samuel, vir iustus ac simplex, dissimiles sui filios reliquit. Et Achaz, iniustus ac reprobus, beatum post se filium reliquit Ezechiam. Sed filios iusti dicit eos, qui exempla iusti sequuntur. Vnde omnes electi propter fidem filij vocantur Abrahæ.* Quamuis hæc expositio nugatoria mihi videatur: efficit enim hunc sensum: Iustus beatos, hoc est, iustos post se filios derelinquet, qui illum imitantur; hoc est, qui sunt iusti: vbi idem per idem explicatur. Melius igitur exponetur indefinitè: Iustus, vt plurimùm, iustos filios derelinquet. Quamuis aliquando secùs contingat: vt patuit in filiis Salomonis.

Iustus, vt plurimùm, filios iustos habet.
D. Hier.

D. Hieronymi expositio reiicitur.

XIII. Præterea Isaias cap. 65. num. 23. de iustis loquutus, *Non laborabunt*, inquit, *frustra: neque generabunt in conturbatione, quia semen benedictorum Domini est; & nepotes eorum cum eis.* Vbi absolutè significatur, à bonis non nisi bonos generari. Quod si verum est, *Quomodo*, inquit ibi Diuus Hieronymus, *Samuel vir beatus & iustus filios pessimos genuit, qui non ambulauerunt per viam patris? Et Dauid, de cuius Christus natus est semine, duos genuit filios, Amnon & Absalon, quorum alter fratris, alter patris extitit parricida?* Et respondet, hunc locum, & similia, quæ affert, intelligenda esse, non de carnali, sed de spirituali filiorum propagatione: *Secundùm quam*, inquit, *Abraham omnes fideles, Prophetæ suos alumnos diuino plenos spiritu, D. Paulus Timotheum, Lucam, Titum, & in vinculis Onesimum, D. Petrus Marcum Euangelistam, multósque alios, cæterique cæteros genuerunt.* Quamuis & hæc loca aptiùs explicari possunt indefinitè sic: A bonis patribus, bonos, vt plurimùm, filios oriri. Ne, si ad mystologiam recurramus, ille sensus nugatorius efficiatur: Bonorum patrum bonos filios, bonos esse.

Explicatur locus à Diuo Hieronymo.

D. Hier.

Meliùs tamè explicatur indefinitè.

XIV. Significat igitur Scriptura, frequens esse, vt à bonis patribus boni filij nascantur; quamuis nonnunquàm & oppositum contingat: vt patet ex propositis exemplis. Verùm, qui paternas virtutes non imitantur, nihil de paterna nobilitate sortiuntur. Immò, vt bene Diuus Petrus Chry-

Qui parentem non imitatur, negat genus.
D. Chrys.

A sologus serm. 123. *Qui genitoris*, inquit, *opera non facit, negat genus, Domino dicente: Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis.* Ioann. 8. num. 39. *Ille fidem generis probat, cui tantus paterni operis assertor assistit.* Et consequenter addere potuit, ille genus negat, qui nihil de paterna probitate imitatur. Vnde Theophrastus in lib. De Nuptiis, asserebat, meliores hæredes esse amicos, qui iudicio eliguntur; quàm filios, qui natura comparantur. Nam hi sæpè parentes suos solo sanguine attingunt: illi moribus imitantur. Boni autem hæredes non solum diuitiarum esse debent, sed etiam & virtutum.

Theoph.
Boni hæredes qui sint.

B

SECTIO II.

Ex pessimis parentibus optimi filij quandoque generantur.

I. HAnc assertionem non pauciora exempla, quàm priorem confirmant: vt ex dicendis patebit. Interim ratio, cur diuina prouidentia sic disponat, vt ex malis parentibus interdum boni filij generentur; illa mihi videtur propria & germana: ne quis maiorum suorum malitiam contemplatus de propria virtute desperet; sed potiùs eam acquiri à se posse confidat, si acquirendi labor impendatur. Nam, si multa arborum genera, natura sua infœcunda, cùm diligentem subeunt culturam, fœcundantur; & C facilè, vt cecinit Mantuanus,

Ideo à pessimis optimi oriuntur, ne quis de propria virtute desperet.

Mant.

Exuerit syluestrem animam, cultúque frequenti,
In quascunque voces artes, haud tarda sequentur.

Quid mirum, si homines prauis orti parentibus, labore & studio accedente optimi euadant; & syluestres parentum suorum mores in ciuiles atque ingenuos commutent?

II. Quo fortasse mysterio illa virga Aaronica, quamuis amygdalina non fuerit, vt Abulensis in cap. 17. Num. quæst. 51. arbitratur: ramen in flores, frondes fructúsque amygdalinos germinauit; vt ex citato capite constat: ne D quis dubitet, etiam ex pessimis parentibus posse optimos filios generari, si labor exhibeatur. Præterea, si ex frutice spinoso nascuntur rosæ, eò gratiores, quò pluribus aculeis sepiuntur: nam, vt bene Diuus Basilius in epistola 149. ad Libanium: *Illi stimuli sunt quædam amatoria illectamenta his floribus affixa; quæ quò minùs contactum admittunt, eò magis colligendi desiderium accendunt.* Si, inquam, rosæ ex spinis oriuntur: quid mirum, si ex vitiosis parentibus generosi filij producantur; eò magis commendandi, quò illi minùs? Nam, vt bene Diuus Chrysostomus homil. 3. in Matth. circa medium: *Nescio*, inquit, *quomodo magis ille resplendet, qui ex parentibus à virtute prorsus alienis, ipse tamen fuerit de virtute mirabilis.*

Abul.
Optimi à pessimis generantur, si desit labor.

D. Basil.

D. Chrys.
Bonus à pessimo vt rosa oritur ab spina.

III. E Tandem, si catuli leonum, tygrium, aliarúmque ferarum humana industria cicurantur; iuxta illud Satyrographi:

Etiam feræ humanis artibus mansuescunt.

Longa dies homini docuit parere leones.

Et illud Prophetæ Baruch cap. 3. num. 17. *Vbi sunt principes Gentium: & qui dominantur super bestias, quæ sunt super terram? Qui in auibus cæli ludunt?* &c. Hoc est: Qui terrestres & volatiles animantes feritate natiua exuunt, & peregrina docilitate induunt. Et illud Iacobi Apostoli cap. 3. num. 7. *Omnis natura bestiarum & volucrum &*

serpentium & caterorum domantur, & domita sunt a natura humana. Si, inquam, feræ ferinos mores, quos à parentibus hauserunt, humana accedente industria, dediscunt, & domesticis vsibus atque artibus assuescunt: quid mirum, si homines peruersorum parentum filij ab antiquis eorum vitiis abducantur, & nouis sæpè virtutibus exornentur? Belluis peior erit, qui suorum parentum vitiis, belluis tenacior adhærescit. Nam, vt bene D. Chrysost. hom. 4. in Matth. post medium, *Illa*, inquit, (hoc est, belluæ) *quanquàm naturaliter sauiant, si humana tamen arte palpentur, plerunque mansuescunt: tu autem, qui naturalem illarum feritatem, in eam, qua contra naturam est, mansuetudinem sapè commutas; quam habebis excusationem, tuam mansuetudinem naturalem in feritatem, qua natura tua est inimica, conuertens? Cùmque naturaliter feram ad mansuetudinem trahis; te naturaliter mansuetum in ferarum rabiem, natura repugnante, perducis? Et leonem quidem mitigas reddisque tractabilem; furorem verò animi tui, omni prorsus efficis leone sauiorem?*

Feris peior, qui parentum vitiis tenacior adhæret.
D. Chrys.

IV. Eandem doctrinam iterum inculcat idem D. Chrysost. hom. 9. in Genesim, vbi de effrænatis animi appetitionibus loquutus, *Domanda*, inquit, *illa sunt, & rationis imperio magistranda.* Et statim à feris argumentatus, *Leonibus*, inquit, *imperamus, & animos eorum mansuetos facimus. Et dubitas, num mentis ferociam in mansuetudinem mutare possis? Atqui naturâ bestia feroces sunt; & præter naturam mansueta: contrà verò, tu præter naturam ferox; naturâ autem mitis. Et qui bestiis id, quod naturâ eis inest, auferre, & quod eorum natura aduersatur, inserere potes; id, quod natura tibi præstitit, conseruare non potes?* Quasi diceret: Nullum maius absurdum excogitari potest, quàm non redire homines per disciplinam ad naturam: cùm tamen feræ per disciplinam extra naturam transferantur. Et statim eiusdem rei indignitatem alio colligit ex capite: *Quia leones*, inquit, *rationis participes non sunt: & nihilominùs videmus, sapè duci eos mansuetos per forum. Anima verò tua ratio concessa est, & Dei timor. Ne igitur prætextus & causationes affer. Potes enim, si vis, mansuetus esse, & placidus, & æquus.* Quæ est optima argumentatio. Nam, si natura irrationalis rationi obsequitur, & disciplinam patitur; cur rationalis vtranque abiiciat & aspernetur? Lege eundem D. Chrysost. hom. 3. De Dauide & Saüle, idem argumentum replicantem. Concinit Philo Hebræus lib. De præmiis & pœnis, post medium, vbi docet, *Turpe esse ac dedecorosum, animalia venenis armata, & carnium humanarum auida, insociabilia, solitariáque non aspernari pacem, nec abhorrere ab induciis: hominem verò suapte natura mite animal, natum ad societatem ac concordiam, pertinaciter sauire in vitam sibi similium.*

D. Chrys.
Fera extra naturam feruntur: homines non redeunt ad naturam.
Fera parent rationi, non homo rationalis.
Philo.

V. Nemo igitur ex prauis editus parentibus, bonum se posse fieri desperet. Nam, si feræ, doctrina imperante, intrinsecam sibi naturam quodammodo exuunt & abiiciunt: cur filij extrinsecam cum parentibus similitudinem, ratione impellente, non aboleant & expungant? Præsertim, si ex sacris Oraculis in memoriam reducant, optimos sæpè filios ex pessimis parentibus processisse. Nimirum, Abrahamum ex Thare, Gen. 11. n. 26. Ionatham ex Saüle, 1. Reg. 13. num. 3. Ezechiam ex Achaz, 4. Reg. 16. num. 20. Iosiam ex Ammone, 4. Reg. 21. num. 24. Timotheum ex patre Gentili, Act. 16. num. 1. Christum Dominum ex Thamar, Ruth & Bethsabee, plurimisque aliis peccatoribus, Math. 1. à num. 2. Eandem rem illustrans D. Hieronymus in epistola 61. ad Pammachium, contra errores Ioannis Ierosolymitani, *Iephte*, inquit, *inter viros sanctos Apostoli voce numeratus; meretricis est filius.* Eius enim genus à matre meretrice prodit Scriptura, Iud. 11. num. 1. Eius verò nomen in Sanctorum Catalogo reponit Apostolus, Hebr. 11. num. 32. ne de praua stirpe bonus surculus oriri posse dubitetur. A pessimis parentibus Cham, Nemrod, Assur, aliisque eiusdem fæcis, natos fuisse Niniuitas, qui se ad veram pœnitentiam receperunt, testatur D. Chrysost. hom. 29. in Genes. Et subdit: *Illos* (id est, Niniuitas) *& nos imitemur, cùm sciamus, quòd neque parentum malitia nos offendet, si voluerimus resipiscere; neque parentum virtus nobis proderit, si fuerimus negligentes.* Ex decem leprosis, quos Christus Dominus sanauit, *Non est*, inquit, *inuentus, qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.* Luc. 17. n. 18. Recesserunt à Christo, qui erant ex fidelibus nati: & qui erant ex infidelibus, accesserunt: *Vt nullus Gentilis*, inquit Theophylactus, *desperet: nullus de sanctis parentibus glorietur.* Et Theophylus in Catena aurea, *Hinc poterit*, inquit, *quisque conicere, quòd nihil impedit quenquam placere Deo, etsi de genere profano processerit, dummodò bonum gerat propositum. Nullus etiam natus ex sanctis superbiat: nouem enim, qui Israëlita erant, ingrati fuerunt.*

Fera intrinsecam naturam exuunt, non homines extrinsecam.
Optimi sæpè filij ex pessimis parentibus processerunt.
Probatur variis Scriptura locis.
D. Chrys.
Theoph.
Theoph.
Nullus de bonis parentibus glorietur.

VI. Latiùs circa hoc argumentum spatiatur Diuus Petrus Damianus Opusc. 6. qui est liber gratissimus, cap. 19. vbi totam hanc rem pluribus similitudinibus exemplisque illustrat: *Etsi*, inquit, *fur sit ille, qui seminat: terra tamen, auctore Deo, vires germinandis frugibus administrat. Licet sordida sit manus, aut leprosa, qua plantat: mundus certò fructus decerpitur, cùm ad maturitatis plenitudinem peruenitur. Ex adulterino sapè coniugio pulchra soboles nascitur: & ex obscœna voluptate parentum spectabilis oritur species liberorum.* Deinde exemplis agit: *Alios quidem*, inquit, *filios Iacob ex legitimis vxoribus genuit: alios ex concubinarum seruili conditione suscepit.* Gen. 29. à num. 31. *At, cùm ad capessendam hæreditatem vtrique perueniunt: parili inter se distribuendarum sortium iure ceduntur.* Iosu. 13. à n. 7. *Phares de Theristrato*, (id est, ornata theristro, quod est fœmineum ornamentum) *& exposita in biuio nascitur.* Gen. 38. à num. 14. *sed non minimus inter Israëlitarum cognationum Principes inuenitur.* Ibidem, num. 29. *Salomon ex ea, qua fuit Vria, cognoscitur habuisse principium.* Matth. 1 n. 6. *qui tamen regalis sceptri tenuit incomparabiliter principatum.* 3. Reg. 1. à num. 33. *Obed certò ex Ruth Moabitide duxit originem: sed egregium Regem David, magnum videlicet meruit habere nepotem. Booz quoque Rahâb meretrix genuit: qui tamen in Dominica genealogia catalogo meruit numerari.* Matth. 1. à num. 5. *Et quid alios memorem, quandoquidem & ipse Dei mediator & hominum de peccatoribus originem duxit?* &c. *Quid ergo certiùs confirmatum esse potest, quàm ex pessimis optimos aliquando generari?*

D. Dam.
Variis similitudinibus res illustratur.
Variis etiam confirmatur exemplis.

VII. Sed optimo exemplo in Esaü & Iobo res vlteriùs illustratur. Nam Esaü fuit incontinens & impurus; iuxta illud Apostoli: *Ne quis fornicator, aut profanus, vt Esaü.* Hebr. 12. n. 16. Et nihilominùs Iobus, qui ab eo duxit originem, continentiam coluit, & castitatem; iuxta illud: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine.* Iob. 31. num. 1. Et rursum: *Si deceptum est cor meum super muliere: & si ad ostium amici mei insidiatus sum.* Ibidem, n. 9. Quod expendens D. Chrysostomus hom. 2. De patientia Iob: *Membra*, inquit, *qua à fornicatore successionem duxerunt, maxima pudicitia claruerunt.* Præterea Esaü, si non

Ex Esaü incontinente Iobus continens.
D. Chrys.

effectu

Esaü saltem affectu fratricida: Iobus effectu pater.

effectu ipso, saltem affectu fuit fratricida, iuxta illud: *Venient*, inquit, *dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum*. Gen. 27. num. 41. At verò Iobus ex eo natus, etiam alienos, tanquàm fratres, immò & tanquàm filios diligebat, iuxta illud: *Pater eram pauperum*, &c. Iob. 29. num. 16. Vbi rursum D. Chryſ. citatus:

D Chrysost.

Radix, inquit, *parricida: qui verò de radice floruit, iustitiæ triumphator. Ille cum natura pugnauit, fratrémque alienum esse duxit: hic & alienos fratres esse putauit.* Tandem ex illis duodecim Patriarchis, vt proximè dicebam, Hebrææ gentis conditoribus, alij quidem ex liberis, alij verò ex ancillis processère. *Nec tamen*, inquit Diuus Chryſ. hom. 3. in Matth. *differentia parentum fecit differentiam filiorum: siquidem illi omnes similiter Patriarchæ, & Tribuum Principes exstiterunt: priuilegium enim Ecclesiæ ista iam designabat æqualitas.* Vt enim iam ab eo tempore in Synagoga, non quibus quis parentibus, sed quibus moribus esset, attendebatur: ita & nunc in Ecclesia non tam natales, quàm morales conditiones spectantur.

In Ecclesia nō genus spectatur, sed mores.

Vbi non est, inquit Apostolus, *Gentilis & Iudæus, circuncisio & præputium, Barbarus & Scytha, seruus & liber: sed omnia & in omnibus Christus*. Col. 3. num. 11.

VIII.

Filius eò laudabilior, quò parentes habuit deteriores.

D. Chryſ.

Quibus admonitus exemplis nemo in patris vitiis consenescat; sed ad proprias virtutes enitatur. Nam, vt bene D. Chryſ. citat. *Si propria*, inquit, *virtute decoretur, parentum suorum non decoloratur opprobriis.* Immò bonus filius eò laudabilior est, quò parentes habuit deteriores. Vnde D. Chryſ. ser. De cura salutis proximi habenda, & de nomine Abraham, in 1. tom. Abrahamū laudat, quòd ex malis ortus, ipse bonus fuerit: *Propterea*, inquit, *laudo iustum, qui tales parentes habens, talis ipse factus sit. Ecce enim valdè rarum & admirabile est, ex agresti radice dulcem fructum produci.* Atque hinc laudationis argumentum desumens, *Non accusandi sunt*, inquit, *ob parentum malitiam filij piè viuentes: sed & vt admirabiles habendi; eò quòd cum pietatem à parentibus non acceperunt, nec habuerunt, qui manu ducerent; quasi in eremo & inuio euntes, viam, quæ in cælum fert, inuenire potuerint. Non igitur crimen est, habere patrem impium: sed imitari patris impietatem.*

Parentis vilitas filij virtutem nō obscurat, sed nobilitat.

D. Chrysost.

Isaias c. 1. num. 1. fatetur, se filium Amos, quem D. Chryſ. enarratione in Isai. significat fuisse hominem vilis & abiectæ conditionis: & fortasse illum armentarium, qui vellicabat sycomoros. Amos 7. num. 14. Nec tamen nobilem Prophetam de ignobilitate parentis erubuisse: *Vt doceamur*, inquit, *quia vilitas paterni generis nulla ex parte obscurat filij virtutem: neque nobilitas censetur, eò quòd è Magnatum sanguine sis prognatus; sed si ipse efficiaris magnus.* Quæ omnia, quamuis vera sint; fateor tamen paternas affectiones sæpenumerò in filios deriuari.

Filij plerumque patribus similes.

D. Dam.

Vnde D. Petrus Damian. ser. 19. *Iuxta conuersationem*, inquit, *parentum sæpè proueniunt merita filiorum: vt & honestis progenitoribus proles honesta respondeat; & reproba reprobis in prauitate concurrat.* Et paulò pòst addit, idcircò præmia, vel supplicia parentibus debita, aliquando in filios detorqueri: *Nam propter sanctum Dauid*, inquit, *posteritas eius defectioni obnoxia, diutiùs regium obtinuit principatum. E contrà Ionathas, cùm & in Deum pius, & sancto Prophetæ esset amicus; propter paternæ tamen superbiæ fastum, gladio subiacuit impiorum.* Manifestum exemplum est in Herodiade, ex Herode; turpissima filia, ex turpissimo parente: quæ cùm introisset conuiuium, & saltasset, dicitur placuisse Herodi. Marc. 6. num. 22. Neque mirum, cùm improbus non soleat improbo displicere.

D. Petrus Chrysol.

Vnde D. Petr. Chryſ. serm. 174. *Respondet*, inquit, *suo turpis generi: dum pati complacet turpiori. De adulterio nata*

A *quæ non nisi turpis debuit procreari.* Paucis verò interpositis, *Et reuerà*, inquit, *suam credidit tunc Herodes, cùm talem vidit. Nam putasset alienam, si pudicam vel aliquantulum peruidisset.* Rectè quidem. Sicut enim leo in prolem suam non agnoscit ceruum; neque tygris agnum; neque coruus cygnum; neque aquila columbam; neque tandem feræ ac sanguinariæ quælibet animantes, vllas alias cicures & mansuetas: ita neque impudicus & inuerecundus pater, pudicum ac verecundum filium inter suos recognoscet. Adeò certa esse solet naturæ lex, vt ex prauis parentibus nati filij deprauentur. De qua re in 1. Tomo, Annot. 4. Sect. 4. à §. 33. plura inculcauimus.

B

ANNOTATIO XXXI. CIRCA LITERAM.

An, & quomodo Samuel à peccatis filiorum excusetur?

I.

Quo pacto Samuel excusetur, progenitur explicandum.

QVamuis Heli non excusetur à culpis filiorum, sed omnes in illius caput refundantur; vt in 1. Tomo satis ostēsum est: tamen Samuel ex filiorum peccatis nullam contraxit culpam. C Quod ex eo satis colligitur, quòd neque à sacris Literis, neque à sanctis Patribus eam ob causam arguatur: sed ab vtrisque purus & integer, totiúsque expers sceleris iudicetur. Difficultas tamen est, quo pacto excusetur? Quod deinceps explicandum.

SECTIO I.

Tripliciter Samuel à filiorum culpis excusatur.

II.

NOn semper filiorum culpæ parentibus tribuuntur: quia illis etiam inuitis, & domui D suæ salubriter consulentibus, laxant aliquando filij scelerum habenas, & in abrupta vitiorum præcipitantur. Qua de re nihil grauius dici potest, quàm quod D. Aug. epistol. 137. scripsit ad Ecclesiam Hipponensem, non leuiter commotam, propter nescio quæ scelera, ab vno, vel altero ex domesticis sanctissimi Episcopi commissa:

D. August.

Grauis D. Augustini epistola ad Ecclesiam Hipponensem.

Quantumlibet, inquit, *vigilet disciplina domus mea, homo sum, & inter homines viuo. Nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit, quàm arca Noe, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus est.* Genes. 9. num. 25. *Aut melior sit, quàm domus Abraha, vbi dictum est: Eiice ancillam, & filium eius.* Genes. 21. num. 10. *Aut melior sit, quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Iacob dilexi; Esaü autem* E *odio habui.* Malach. 1. num. 3. *Aut melior sit, quàm domus ipsius Iacob, vbi lectum patris filius incestauit.* Gen. 35. num. 22. *Aut melior sit, quàm domus ipsius Dauid, cuius filius cum sorore concubuit.* 2. Reg. 13. num. 14. *Cuius alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellauit.* 2. Reg. 15. num. 10. *Aut melior, quàm cohabitatio Pauli Apostoli; qui tamen, si inter bonos omnes habitaret, non diceret: Foris pugnæ, intùs timores.* 2. Cor. 7. num. 5. *Nec diceret, cùm de sanctitate & fide Timothei loqueretur: Neminem habeo, qui germanè de vobis sollicitus sit: omnes enim sua quærunt, non quæ sunt Iesu Christi.*

Probat in domo, licèt iusta, posse esse iniustum.

Philip. 2. num. 20. *Aut melior, quàm habitatio ipsius Domini Christi; in qua vndecim boni, perfidum & furem Iudam tolerauerunt.* Ioan. 12. num. 6. *Aut melior sit postremò, quàm calum; vnde Angeli eeciderunt.* Apoc. 12. num. 9. Hæc Augustinus. Et inter hæc aliaque exempla, quæ in sacris Literis multa sunt, addere poterat: Aut melior, quàm domus Samuelis; vbi eius duo filij declinauerunt post auaritiam, &c. Non igitur semper vitio parentum, aut dominorum, filij, aut serui vitiantur.

III. Ex his patet, non semper filiorum culpas parentibus tribuendas: nec proinde mirum esse, si ab illis Samuel excusetur. Sed quo pacto excusari possit, breuiter ostendo. Primò excusatur, quia Samuel non peccauit in educatione filiorum suorum. Nam illos à pueris optimè erudiuit, vt testatur D. Hieronymus in cap. 1. Epist. ad Titum, vbi Samuelem & Isaac in suis quenque filiis instruendis comparat & exæquat. Et fortasse Samuel admonitus recenti exemplo filiorum Heli, qui malè instituti, & se, & parentem perdiderunt; cautior extitit, & suis se filiis diligentem exhibuit pædagogum, exemplis præeundo, documentis informando, & suppliciis, si quando opus erat, coërcendo. Hæc enim omnia ad veram pædagogiam requiruntur. Vide D. Ansel. in Epist. primam ad Timoth. c. 3. ad illa verba: *Oportet, Episcopum Doctorem esse:* hæc tria ad docendum præsidia in Episcopo requirit: *Nihil prodest*, inquit, *conscientia virtutum frui, nisi & creditum sibi populum possit instruere, & eos, qui contradicunt, redarguere. Innocens ergo absque sermone conuersatio, quantùm exemplo prodest, tantùm silentio nocet: & latratu canum, & baculo pastoris, luporum rabies deterrenda est.* Vbi planè in Episcopo desiderat, vt innocenter viuat, & prudenter instruat: & si quando opus erit, non ignauiter feriat. *Cùm igitur parentes*, inquit D. Hieron. citatus, *bene instituunt liberos suos, & à parua ætate Dominicis erudiunt præceptis: hi si posteà se luxuriæ dederint, & superatè vitiis, libidini fræna permiserint, nunquid culpa ad parentes redundabit, & sanctitatem patris, filij peccata maculabunt?* Quasi diceret: Absit. Non igitur Samuelis culpa, eius filij corruerunt. Fateor quidem, licèt parentis sanctitas filiorum vitio non polluatur; minui tamen docendi & arguendi libertatem. Idcircò D. Paulus definit, vt in Episcopum eligatur, qui habuerit *filios fideles, non in accusatione luxuriæ, &c.* Ad Tit. 1. n. 6. Nam, qui improbos habuerit filios, etsi innocens esse possit; liber tamen ad alios arguendos esse non potest. *Qua enim libertate*, inquit D. Hier. vbi suprà, *possumus alienos filios corripere & docere, quæ recta sunt; cùm nobis statim possit, qui fuerit correptus, ingerere: Antè doce filios tuos?* Et statim: *Non itaque iustus polluitur ex filiorum vitiis: sed libertas ab Apostolo Ecclesiæ Principi reseruatur; quòd talis fiat, qui non timeat, propter vitia liberorum, extraneos reprehendere.* Quamuis ne hac quidem in re mihi videatur Samuel peccasse: cùm ex libertate, qua filios arguebat, liberior & audentior ad extraneos arguendos redderetur. Cur enim alienorum peccata dissimularet, qui suorum peccatis non parcebat?

Excusatur Samuel primò, quia filios bene instituit.
D. Hier.
D. Ansel.
Tria ad docendum in Episcopo requisita.
D. Hieron.
Filiorū vitiis minuitur docendi & arguendi libertas in parente.
D. Hier.

IV. Secundò, excusatur Samuel: quia non peccauit in electione filiorum suorum in Iudices. Nam illos eo munere dignissimos, & tunc esse, & semper fore, ex præsentibus eorum moribus prudenter existimauit. Neque enim quid posteà futurum erat, certò præuidere tenebatur. Nam, vt bene Diuus Hieronymus in epistola 48. ad Sabinianum, loquutus de illo optimo Episcopo, qui pessimum Diaconum ordinauerat: *Nec mirum*, in-

Excusatur secundò, quia bene in Iudices elegit filios.
D. Hieron.

A quit, *quamuis sanctum hominem, tamen in homine deligendo potuisse falli, cùm etiam Deum pœniteat; quòd Saul in Regem vnxerit. Et in duodecim Apostolis Iudas sit proditor repertus. Et de ordinis tui hominibus Nicolaüs Antiochenus, immunditiarum omnium, & Nicolaitarum hæreseos auctor extitisse refertur.* Sic olim sanctissimi Patriarchæ in successoribus deligendis bona fide aliquando errauerunt. Nam, quis dicat, Isaac vllam culpam incurrisse; quando de filio suo primogenito Esaü benedicendo satagebat? Genes. 27. à num. 2. *Cùm tamen*, vt loquitur D. Hieron. in epistola 125. ad Damasum, q. 3. *eo magis tempore erraret, quò filium sanguinariæ deditum voluptati, & eum, qui postea fratrem, si posset, occideret; prætermisso illo, qui innocenter habitaret domi,*
B *vellet offerre, & suam magis voluntatem facere, quàm Dei.* Verùm totus hic error materialis fuit, cùm illi de voluntate diuina non constaret: vt ipse D. Hier. fatetur. Quis item dicat, peccasse Iosephum, quando filium suum primogenitum Manassem præferendum censuit filio suo secundogenito Ephraïm? Gen. 48. num. 17. Et tamen D. Amb. lib. 2. De Iacob & vita beata, c. 9. *Errauit*, inquit, *& ipse Ioseph, vt ad dexteram eius* (id est, Iacobi) *applicuisset filium suum seniorem, & ad sinistram ipsius filium iuniorem.* Sic ille. Adeóque errasse affirmat, vt oculatus filius parente cæco cæcior videretur. Nam statim subdit Ambr. *Adeò Iacob, licèt impedito corporis aspectu, melius videbat; vt videntem doceret errasse.* Nec tamen ille error culpabilis fuit, cùm à Iose-
C pho simplici animo ageretur. Sicut igitur sanctissimi Patriarchæ indigniores filios dignioribus præferendos bona fide censuerunt: sic & Samuel absque morali culpa decipi potuit, in filiis suis Reipublicæ præficiendis. Qui verò bona fide Iudices constituunt, etiam indignos; non censentur consortes eorum criminum, quæ ab illis posteà in iudiciis exercentur.

Veteres Patriarchæ in filiorū electione bona fide aliquando errauerunt.
D. Hier.
D. Ambr.
Confirmatur etiam Iosephi exemplo.

Tertiò, excusatur: quia Samuel non peccauit in peruersa filiorum gubernatione: cùm illam multo tempore ignorarit. Nam, vt scribit Sabellicus, populus non audebat, parenti filiorum crimina indicare: veritus fortasse, ne parens suorum filiorum criminatores iniquè pateretur. Atque adeò filiorum suorum scelera ignorabat: vt ad illa
D verba: *Displicuit sermo*, &c. Num. 6. Lyra, Burgens. & Abulensis arbitrantur. Adde Theodor. & Procopium, qui huius ignorationis rationem reddunt: quòd Samuel in patria sua Ramatha; filij verò in Bersabee habitarint. Verùm, cùm hæc loca inter se longiùs non abessent, quàm itinere duarum & viginti horarum, teste Adrichomio: non videtur Samuel filiorum scelera ignorasse ob locorum distantiam, quæ exigua erat; sed præcipuè ob ignauum ciuium timorem: qui veriti, ne, si filiorum mala ad parentem deferrent, aut parentis beneuolentiam perderent, aut filiorum iram incurrerent: omnia dissimulabant. Vnde obiter colligere licet miseram hominum conditionem, Principum videlicet, ac subditorum. Quorum
E Principes veritatem audire nolunt: subditi dicere non audent. Quod breuiter illustro.

V.
Excusatur tertiò ex ignorantia peruersæ gubernationis filiorum.
Sabell.
Lyran.
Burg.
Abul.
Theod.
Procop.
Loquenda veritatis ignauus timor.

SECTIO II.

Principes ad veritatem audiendam difficiles: subditi, ad loquendam.

I. QVàm difficiles aures præbere soleant Principes vera dicentibus, significauit olim Iob ad amicos

Reges veritatem non audiunt, nisi magna patientia obfirmati.

ad amicos suos Reges: *Audite*, inquit, *quæso, sermones meos, & agite pœnitentiam: sustinete me, vt & ego loquar.* Iob. 21. num. 2. Reges ad pœnitentiam hortaturus, quam illis iniucundam fore non dubitabat; priùs audientiam postulat, & patientiam: quia sciebat, res molestas à Regibus non audiri, nisi fortè magna ad audiendum patientia obfirmarentur. Obtulit Eliezer seruus Abrahæ Rebeccæ inaures aureas. Gen. 24. num. 22. Nunquid puellæ nobili, ac nubili, & in domo liberali atque opulenta enutritæ deesse poterant hæc aurium ornamenta? Minimè crediderim. Cur igitur non obtulit potiùs alia munera exotica & peregrina, quorum nouitate magis Rebecca delectaretur?

Principes ad veritatem audiendam auribus mutilati.

Dixerim, vt aliquid mysterij eo munere significaret: nimirum, inaures obtulit; vt exigeret aures, quibus sciebat Principes magna ex parte mutilatos. Gedeonem creare voluerunt in Regem Israëlitæ: *Dominare*, inquiunt, *nostri, tu & filius tuus.* Iud. 8. num. 22. Quid verò ille? *Date mihi*, inquit, *inaures ex præda vestra.* Ibid. num. 24. Quasi diceret: Reges plerumque surdastri sunt, immò & auribus truncati. Si igitur vultis, vt vobis imperem, date mihi inaures vestras, vt ego vobis præbeam aures meas: neque enim suscipio honorem imperandi, nisi priùs recipiam laborem audiendi. Optimus planè Imperator, qui à plerisque Regibus esse voluit alienus: & quas alij aures amputant, vt surdescant; hic sibi præoptabat, vt audiret.

II. Hinc est, quòd cùm olim ad Iobum ex innumeris infortuniis ad pristinam fortunam restitutum, omnes eius cognati & amici conuenirent; singuli singulas ei inaures aureas præstiterint. *Dederunt ei*, inquit Textus, *ouem vnam, & inaurem auream vnam.* Iob. 42. n. 11.

Iobo ad pristinum statum restituto, ad audiendum inaures dantur.

Quasi dicerent: Ad regiam dignitatem, ex qua cecideras, rediisti. En tibi offerimus inaures. Memento, vt aures arrigas, & eas ab omnibus vellicari, hoc est, te ab omnibus admoneri, libenter patiaris. Et propterea fortasse non omnes vnam, sed singuli singulas inaures præbuerunt: vt ipse non tantum vnam omnibus aurem patefaceret, quæ multitudine loquentium facilè obtunderetur; sed singulis singulas reseraret, vt suas singulæ voces attentiùs ac distinctiùs audirent, & singulæ à singulis monitoribus commodiùs vellerentur. Nec sine mysterio cum inaure obtulerunt pariter & ouem: quæ, interprete D.

D. Greg. *Principum innocentia, in audiendi patientia maximè consistit.*

Gregorio ibi, innocentiæ typus est: quia Principum ac Regum innocentia, in audiendi patientia, magna ex parte consistit. Si enim Reges salubria monita auribus non excludant: innocentiæ thesauros ex animo non amittent. Vel etiam, quia ouis symbolum est patientiæ, qua indigent Principes, qui bene monentibus aures præbent. Patienter enim obmutescant, vt oues: non insolenter excandescant, vt leones.

III. Sed, proh dolor! cùm Reges omnia corporis membra rosis foueant, solas aures sepiunt spinis, quibus si quis vera loquatur, cruentetur.

Reges se rosis foueat, aures spinis.

Non satis intelligentes illam Ecclesiastici sententiam: *Sepi aures tuas spinis.* Ecclesiastici 28. n. 28. Nam ibi Sapiens monet, aures sepiendas, non vt vera, sed vt adulatoria excludantur. Galatis D. Paulus tam familiariter & amicè vtebatur; vt si oculos ab illis peteret, impetraret: *Oculos*, inquit, *vestros eruissetis & dedissetis mihi.* Gal. 4. num. 15. Sed, cùm eorum aures verbo veritatis fricare cœpit, spinosas esse sensit: *Ergo*, inquit, *inimicus vobis factus sum, verum dicens vobis?* Ibidem, num. 16. Vbi D.

D. Hier. *Veritatis inimicitia comes.*

Hieronym. *Hæc est*, inquit, *conditio veritatis, vt eam semper inimicitiæ consequantur: sicut per adulationem perniciosam amicitiæ conquiruntur. Libenter enim quod delectat, auditur; & offendit omne, quod nolumus.* Vnde fuit illud inter veteres Philosophos verbum non vulgariter celebratum: Ex tribus pulcherrimis matribus, tres deformissimos filios generari; ex pace, otium; ex amicitia, contemptum; ex veritate, odium.

IV. Quis olim beneuolentior Herodi, quàm Ioannes? *Herodes enim*, inquit Euangelista, *metuebat Ioannem; sciens eum virum iustum, & sanctum, & custodiebat eum, & audito eo, multa faciebat, & libenter eum audiebat.* Marc. 6. num. 20 Quod fortasse contigit, antequàm Ioannes in eius execrandam libidinem incurreret: & cùm solùm de virtutibus ac vitiis abstractiùs loqueretur. Tunc enim non poterat Ioannis sanctitas, integritas & auctoritas, etiam impio ac scelerato Regi displicere. Verùm, postquàm Ioannes Regis incontinentiam, debita libertate notauit, & censorio vngue perstrinxit, dicens: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.*

Ioannes veritatis Prædicator ab Herode occiditur.

Marc. 6. n. 18. ecce tibi Rex totus in odium versus, & in furorem, Ioannem obtruncat, & qui veritatem iugulare non potuit, præconem iugulat veritatis. *O humana dementia!* exclamat D. Fulg.

D. Fulg.

in ser. De decollatione Baptistæ: *Vt luxurietur Herodes, necatur Ioannes!* Et statim in ipsum Herodem incurrens: *Numquid, ait, Propheta suo te terruit merito, & non diuino iudicio? Res est extrema dementiæ, odisse loquentem, nec metuere iudicantem.*

V. Sed hæc agitat Regum animos intemperies, hæc versat insania: vt verbis adulatoriis byssinas aures offerant; veracibus spinosas, vel minimùm, surdas. Nam, cùm aliorum sensuum vsura voluptuosè perfruantur; solas aures ad veritatem audiendam sibi obsurdescere patiuntur.

Moyses se elinguem fatetur, quia mittebatur ad Pharaonem, quem surdum existimabat.

Olim Deus ad Moysem, *Ingredere*, inquit, *& loquere ad Pharaonem Regem Ægypti.* Exod. 6. num. 11. Sed Moyses, *Quomodo*, inquit, *audiet me Pharao; præsertim, cùm incircuncisus sim labiis.* Ibidem, num. 12. In Græco est: ἄλογός εἰμι, hoc est, *sine sermone sum*; vt habent Sixtiana, Latinitate donata: seu, *mutus sum*; vt interpretatur Philo in libro, Quòd deterius potiori insidietur.

Philo.

At, quo pacto Moyses non solùm infacundum se appellat, sed etiam mutum? Credo, quia mittebatur ad Pharaonem, quem surdum existimabat. Nam, qui surdo loquitur; ita loquitur, ac si non loquatur: immò non secùs loquitur, quàm si penitùs obmutescat. Vides, vt Reges ad veritatem capiendam, vsum aurium amittant?

VI. Cæterùm, D. August. q. 16. in Exod. transtulit: *Ecce ego gracili voce sum.*

D. August.

Vnde inepta alicui videbitur ista Moysis excusatio: vt iam in 1. Tom. Annot. 22. Sect. 1. aduerti: nam quæ vocis gracilitas tanta esse potest, vt ad vnum hominem alloquendum non sufficiat? Quid igitur ais, Moyses? Si ad ingentem populum prædicaturus mitterere, optimam excusationem afferebas: at loquuturus cum vno homine, eóque Rege, vrbanis sermonibus, non inconditis clamoribus assueto, blanda potiùs voce indiges, quàm ferrea; gracili, quàm castrensi; fistula tibi opus est, non tuba, sibilo, non tonitruo.

Regius fastus veritatis concionatores de proximo loqui non sinit. *D. Aug.*

Quid igitur vocis gracilitatem causatis? Dubitationem hanc excitat, & per interrogationem more suo dissoluit D. August. citatus: *Mirum est*, inquit, *tam gracili voce Moysem fuisse, vt ne ab vno quidem homine posset audiri. An fortè Regius fastus non permittebat eos, de proximo loqui secum?* Sic ille. Quasi diceret: Pharao optimos veritatis monitores sic auersabatur, vt non solùm eos libenter non audiret: verùm etiam nec ad se proximè accedere pateretur. Quare, si quando illis

Messorum potius, quàm Oratorum lateribus opus est ad veritatem dicendam.

do illis præbebat aures, procul à se positos esse iubebat. Vnde, nisi illi voces intenderent; & potiùs messorum, quàm Oratorum latera ad loquendum obstinarent, minimè audirentur. Cùm igitur Moyses gracili voce vteretur: *Quomodo*, inquit, *audiet me Pharao?* Sic manifestè exprimens, Regis animum à veritate audienda maximè alienum.

VII. Vtinam sic à deceptoriis adulationibus audiendis abhorterent. Sed has auidissimè & libentissimè audiunt, vt dicebam. Veritatem pungentem ac mordentem detestantur: primum parentem imitati, qui Deum ab esu ligni prohibentem non audiebat; Diabolum falsa quadam diuinitatis spe adulantem auscultabat. Quod D. Chrys. in serm. De lapsu hominis, in 1. tomo, non sine magno doloris sensu expressit: B *Proh nefas!* inquit, *praeceptum Domini contemnitur; & persuasio serpentis auditur: despicitur Deus prouidens; & serpens auditur decipiens: spernuntur salutaria monita; & recipiuntur venenata colloquia.* Denique vitium hoc est, omnibus quidem, sed multò magis Regibus genuinum: vt velint, non quidem stimulari veracibus dictis, sed adulatoriis titillari. Vnde D. Hieronymus epist. 22. ad Eustochium. De custodia virginitatis, post medium: *Naturali*, inquit, *ducimur malo; adulatoribus nostris libenter fauemus: & quanquàm nos respondeamus indignos, & calidus rubor ora perfundat; attamen ad laudem suam intrinsecùs anima lætatur.* Quantum igitur adulatio mulcet, tantùm syncera veritas prouocat & irritat. Quæ est causa, cur nemo audeat, ad Principes C iniucunda deferre.

Reges adulantes audiunt, non vera prædicantes.
D. Chrysost.
D. Hier.
Quantùm Reges mulcet adulatio, tantùm veritas irritat.

VIII. Vnde fit, vt nemo setiùs, quàm Rex, de sui Regni malis admoneatur. Toto in populo tumultuabatur Adonias, & sceptrum regium contra fas & ius meditabatur. Et nihilominùs Dauid planè inscius & ignarus quodammodo dormiebat; iuxta illud Bethsabee: *Ecce*, inquit, *nunc Adonias regnat, te, Domine mi Rex, ignorante.* 3. Reg. 1. n. 18. Aman olim magnas tragœdias excitabat in Hebreos, immò & in Assyrios clades vrgebat; ac tandem in ipsum Regis caput insidias moliebatur: & tamen Rex Assuerus de nulla re minùs cogitabat. Vnde, cùm primùm audiit, admirabundus interrogat: *Quis*, inquit, *est iste, & cuius potentiæ; vt hæc audeat* D *facere?* Esth. 7. num. 5. Babyloni Medorum exercitus imminebat, vrbem in proximam noctem occupaturus. Dan. 5. num. 30. Et tamen Balthazar ne somniabat quidem de armis, totus epulis indulgebat. Ibidem, à num. 1. Totam Niniuem fama de illiùs excidio peruaserat; omnes oppidanos ad ieiunium & saccum Prophetæ comminatio adegerat: cùm tandem post hæc, *Peruenit verbum ad Regem Niniue.* Ionæ 3. n. 6. Misera planè Regum conditio, qui cùm tristia audire nolint, etiam necessaria ignorant. In quos proinde conuenit id, quod de omnibus dixit D. Hieronymus in epist. 48. citata ad Sabinianum: *Solemus*, inquit, *mala domus nostra scire nouissimi: ac liberorum, & coniugum vitia, vicinis canentibus ignorare.*

Nemo setiùs quàm Rex de regni sui malis admonetur.
Probatur variis Scripturæ locis.
D. Hier.

IX. E Ex hac Regum insolentia, nolentium audire veritatem, nascitur illa timiditas subditorum, veritatem dicere non audentium: qua nihil perniciosius esse potest. Vnum populus in deserto vitulum conflauit: sed hunc statim Moyses *combussit & contriuit vsque ad puluerem.* Exod. 32. n. 20. At verò Rex Ieroboam *fecit duos vitulos aureos: posuitque vnum in Bethel, & alterum in Dan.* 3. Reg. 12. n. 28. & 29. Et tamen nemo ausus fuit illos vitulos labefacere ac demoliri. Nam peccata, quæ à populo fiunt, facilè corriguntur & castigantur: quæ fiunt à Regibus, incorrepta & impunita re- A linquuntur; nemine audente eorum licentiam refrænare. Item populus illum in deserto vitulum machinatus, pœnas dedit, easque grauissimas, tribus millibus supra viginti interemptis. Exod. 32. num. 28. At Rex Ieroboam, duos illos vitulos erigens & adorans, omnibúsque proponens adorandos, impunè fecit. Nempe, in populum debitam punitionem exercere nemo Iudicum veretur: tamen in Regem, vel leuissimam censuram impingere nemo audet: sic regia maiestate subditorum ora obturante, ne ad suos Reges criminandos aperiantur.

Reges impuniti, quia veritatem impatientes.

X. Immò, quos, vt peccatores, arguere oportebat; eosdem, vt Deos, adulatorio ritu mentiuntur. Ita Rabsaces suum Regem Sennacheribum multis B quidem flagitiis arguendum; tamen, vt cæleste quoddam Numen, ad eius gratiam captandam, venerabatur. Nam in ea legatione, quam misit ad Regem Ezechiam: *Dicite*, inquit, *Ezechiæ: Hæc dicit Rex magnus, Rex Assyriorum.* Isai. 36. num. 4. Vbi in primis Ezechiam, ne semel quidem appellat Regem. At verò Sennacheribum, semel atque iterum. Quasi præ Rege suo neminem regia dignitate, vel regio nomine dignum censeret. Deinde, cùm esset Hebræus transfuga ad idololatras, vt ipsi Hebræi testantur; nosséetque Prophetarum morem, suas prophetias exordientium ab illis verbis: *Hæc dicit Dominus*: vt illis auctoritatem conciliarent: voluit & ipse eundem in sua legatione ritum imitari, sic exorsus: *Hæc dicit Rex ma-* C *gnus, Rex Assyriorum.* Vt quem honorem Prophetæ vero Deo tribuebant; eundem ipse suo Regi deferre videretur. *In quo*, inquit ibi D. Hieronymus, *arrogantia consideranda Rabsacis, quod velut quædam contraria fortitudo, imitatur consuetudinem Prophetarum: vt quod illi solent in prologis ponere: Hæc dicit Dominus: quò auctoritatem & magnitudinem loquentis ostendant; iste nunc dixerit: Hæc dicit Rex magnus.* Itaque suum Regem, non vt peccatorem arguebat; sed vt Deum obseruabat. Eius gratiam vt captaret, libens ipse mendacium incurrebat.

Quibus vera loqui debent, iis homines blandiuntur.
In tantum crescit adulatio, vt eos Deos etiam mentiantur.
D. Hier.

XI. Ille quondam emptor Iosephi in Ægypto, Putiphar, dicitur *Eunuchus Pharaonis.* Gen. 39. n. 1. D Philo Hebræus lib. De Iosepho, interpretatur, *Præfectum coquorum.* Nec immeritò. Nam, vt coquus nihil habet prius & antiquius, quàm vt fercula ad sui domini condiat voluptatem; adeò vt dicat Epigrammatarius:

Nanque coquus domini debet habere gulam.

Adulator coquus, veritatis prædicator Medicus.
Philo.
Mart.

Ita Regis minister & familiaris nihil impensiùs curat, quàm vt Regi ad gratiam loquatur. Et statim ex vero discrimine inter Medicos & coquos, rectè colligit, quantùm inter se fallaces adulatores, & veraces monitores distinguantur: *Quid*, inquit, *inter Medicos & coquos intersit, quis non videt? Illi quidquid ad sanitatem conducit, etiamsi ægroto ingratum videatur, solum magno apparant studio. Hi contrà suauia curant, vtilia negligunt.* Non secùs, infert, veraces monitores, vera tantùm, siue grata, E siue ingrata sint, auribus ingerunt: fallaces adulatores, etiam falsa, dummodò grata sint, affabulantur. Verùm de hoc adulatorum grege se futurum negat optimus Philosophus: *Non me terrebit*, inquit, *vllum intentatum periculum; ne mors quidem. Mori malo, quàm simulare.* Et statim de Medico loquutus, *Ille*, inquit, *in ægroto nullam splendidioris fortunæ rationem habens: nec quòd claro genere natus, aut opulentus, denique Rex aut tyrannus sit: vnum hoc spectat, quomodo seruare queat hominem: & si fortè sectione, vstionéve opus videt; secat, vritque Principem suum ac dominum seruus ipse atque subditus.*

Discrimen inter coquum & Medicum.
Philosophus mori maluit, quàm simulare.

Quam

Quam Medici integritatem sibi proponens imitandam, *Ego*, inquit, *qui non vnum virum curandum suscepi; sed integram ciuitatem laborantem morbis grauioribus, contractis ex innatis concupiscentiis, quid agere debeo? Num prodita vtilitate publica, illius, aut illius aures mulcere adulatione illiberali, & ne seruo quidem decora? Emori praestat, quàm loqui ad gratiam, dissimulata veritate, & vtilitate neglecta.* Quam doctrinam optimis Poëtę Tragici, nescio cuius, senariolis illustrat:

Philosophi constantia in adulationem.

——Prius vel sydera
Terram subibunt, terra vel scandet polum,
Quàm mollis à me extorqueatur vox tibi.

Quasi diceret: Priùs totius naturæ ordo inuertetur, quàm meus ad vnam vocem assentatoriam animus inducatur.

XII. Grande igitur malum est, spe gratiæ colligendę falsum quidquam Regibus obtrudere: sed nescio, an deterius sit, metu alicuius nocumenti subeundi etiam verum reticere. Inter lætos Seraphinorum concentus, in tristes ploratus erupit Isaias: *Va mihi*, inquit, *quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum.* Isai. 6. num. 5. Vbi D. Hieronymus, *Plangit*, inquit, *se Propheta, quia non fuerit dignus laudare Dominum Sabaoth cum Seraphim. Non fuit autem ausus laudare Dominum, quia labia habebat immunda. Et propterea labia habebat immunda, quia non audacter Oziam impium Regem corripuit.* Quasi Deum laudare non possit, qui non audet, quando opus est, Reges ac Principes obiurgare. Immò à sua conscientia necesse est vt laceretur, qui alios, cùm opus est, vel leuiter perstringere reformidat. In cuius hominis typum dicebat Iob: *Quare tacens consumor?* Iob. 13. num. 19. Vbi Lyranus: *Prædicator*, inquit, *veritatis, tacens consumitur: quia à conscientia mordetur. Flagellat enim conscientia vsque ad consumptionem illum, qui homines, quando opus est, veritatis verbere non flagellat.*

Inter Seraphines tacet Isaias, quia tacuit veritatem.
D. Hier.
Lyran.
Prædicator tacens consumitur.

XIII. Nec immeritò: quia veritatis dissimulatio, aliquando est negatio: hoc est, non magis aliquando offenditur veritas, si negetur; quàm si occultetur. Vnde Christus Dominus, antequàm discipulos suos admoneret, ne veritatem negarent, dicens: *Qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Mat. 10. num. 33. monuit, vt veritatem prædicarent, dicens: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Ibid. num. 27. Vbi Auctor Operis imperfecti in Mat. hom. 25. *Vide*, inquit, *quoniam non solum ille transgressor est veritatis, qui palam denegat veritatem; sed etiam ille, qui propter timorem eorum, qui possunt occidere corpus, tacet veritatem.* Quare Eliu veritatis occultandæ timorem, alio timore æternæ mortis incurrendæ excludebat: *Loquar*, inquit, *& respirabo paululum; aperiam labia mea, & respondebo.* Et statim: *Nescio enim, quandiu subsistam: & si post modicum tollat me Factor meus.* Iob. 32. num. 20. & 22. Quasi diceret, interprete Lyrano: Vera loquar: quia aliàs pro ista taciturnitate condemnabor.

Qui propter mortem tacet veritatē, condemnatur.
Auct. Imp.
Lyran.

XIV. Huc pertinet illa Sapientis admonitio: *Pro anima tua*, inquit, *ne confundaris dicere verum.* Ecclesiastici 4. num. 24. Quod Iansenius ibi dupliciter exponit: *Pro vita tua corporali, vel pro vita tua spirituali.* Priori modo, sensus est: Pro vita tua temporali defendenda, à dicenda veritate ne desistas: hoc est, ne taceas veritatem, vt vitam tuam temporalem tuearis. Si tibi vnum è duobus periculis necessariò subeundum sit; aut amittendæ vitæ; aut occultandæ veritatis: illud prius subeas, non hoc posterius. Æquum enim est, vt veritatem habeas vel vita ipsa chariorem. Posteriori modo,

Veritas vita charior esse debet.
Ians.

A sensus est: Pro tua conscientia à peccato liberanda, verum dicere ne formides: hoc est, vt conscientię tuæ consulas, magna cum libertate verum loquere: si tacendo incurras culpam; caue, ne taceas: nullus te pudor, nullus timor, ad hanc ignauam taciturnitatem cum salutis tuæ periculo impellat. Et paulò pòst: *Ne reuerearis proximum tuum in casu suo, ne retineas verbum in tempore salutis.* Ibidem, num. 17. Hoc est, ne propter intempestiuum pudorem, aut timorem desinas corripere proximum tuum, quem vides in peccatum miserè corruisse; & speras in priorem statum per tuam correptionem erigendum. Hac dicendi libertate vsus Diuus Petrus non modò populum Israëliticum de nece Christi Domini acriter reprehendit. Act. 2. à
B num. 14. & Act. 13. à num. 12. Sed etiam totum Senatum Pontificum & Sacerdotum de eodem Deicidio liberè accusauit. Act. 4. à num. 8. Quod expendens D. Chrysost. hom. 28. in Genes. *Quod maius*, inquit, *miraculum illo quis quæreret; cum is, qui ante crucem, etiam abiecta puella minas ferre non potuit, nunc aduersus Iudæorum populum insurgit?* Sed de hac re in 1. Tom. Annot. 22. Sect. 1. & in hoc Tomo, cap. 3. Num. 15. plura inculcauimus.

Omnia pericula subeunda, vt conscientia cōsulatur.
D. Chrys.
D. Petri libertas ad loquendam veritatem.

XV. Ex difficultate, quam habent Principes ad veritatem audiendam, & subditi ad loquendam, facilè intelliges, quàm immortales laudes mereantur, & Principes, qui audiunt, & subditi, qui loquuntur. Ex quibus, vt alios prætermittam, quis satis dignè miretur Theodosium Imperatorem, & Ambrosium Episcopum Mediolanensem: hunc ad
C veritatem Imperatori dicendam constantissimum: illum ad audiendam libentissimum? Vt dubitare meritò possis, vter laudabilior censeatur: Episcopúsne, ob libertatem arguendi Imperatorem: an Imperator, ob humilitatem audiendi Episcopum. Itaque Ambrosius, & scriptis, & verbis, & factis acerrimè cum Imperatore expostulauit. Scriptis quidem, vt videre est libro 5. epistolarum, epistola 28. ad Theodosium: vbi factam Thessalonicensium cædem, in qua septem hominum millia Imperatoris iussu perierunt, grauiter incusans, *Accipe*, inquit, *Imperator auguste. Quòd habeas fidei studium, non possum negare; quòd Dei timorem, non diffiteor. Sed habes naturæ impetum, quem*
D *si quis lenire velit, citò vertes ad misericordiam: si quis stimulet, in maius exsuscitas, vt eum reuocare vix possis.* Vbi taxat Imperatoris ingenium in vtranque partem, vel clementiæ, vel iracundiæ nimiùm procliue. Et paulò pòst, *Dolori*, inquit, *est mihi, vt tu, qui pietatis inauditæ exemplum eras, qui apicem clementiæ tenebas, qui singulos nocentes non patiebaris periclitari, tot periisse non doleas innocentes.* Et statim: *Id tibi inuidit Diabolus, quod habebas præstantissimum: vince eum, dum habet adhuc, vnde possit vincere. Noli peccato tuo aliud peccatum addere:* scilicet, contumaciæ. Rursus in epistola 29. ad eundem Imperatorem, grauiter illi succenset, quòd pro Iudæis vindicandis, sæuierit in Christianos: *Hunc dabis*, inquit, *triumphum Iudæis de Ecclesia Dei?*
E *Hoc trophæum de Christi populo? Hæc gaudia perfidis? Hanc celebritatem Synagogæ? Hos luctus Ecclesiæ?* Et paulò pòst: *Si Iulianus non est vltus Ecclesiam, quia præuaricator erat: tu Imperator vlcisceris Synagogæ iniuriam, quia Christianus es?* Quasi diceret: Rem profectò indignissimam. Vbi totam epistolam amarissimis in Imperatorem obiurgationibus respergit. Iam verò ad scripta in Imperatoris absentia accesserunt & verba in præsentia. Nam, vt refert Theodoretus lib. 5. historiæ, cap. 17. Imperatori templum ingredi volenti, cum his verbis inter plura alia amarissima & minacissima

Ambrosij in dicendo libertas: Theodosij in audiendo humilitas.
D. Ambr.
Theodor.

sima

sima occurrit Ambrosius: *Quibus*, inquit, *oculis intueberis templum illius, qui est omnium Dominus? Quibus pedibus sanctum illud solum calcabis? Quomodo, quaeso, manus intusta cade & sanguine respersas extendere audebis, & eisdem sacrosanctum corpus Domini accipere? Aut quomodo venerandum eius sanguinem ori admouebis, qui furore ira iubente tantum sanguinem tam inique effudisti?* Tum verò Imperatori ad Dauidis exemplum prouocanti respondit

Paulinus. Ambrosius, vt refert Paulinus in eius vita: *Qui secutus es errantem, sequere poenitentem.* Tandem verò accesserunt & facta. Nam Imperatorem non solùm à templi aditu, sed etiam à communione fidelium exclusit: *Recede*, inquit, vt refert Theodo-

Theodor. retus citatus, *& ne conare noua scelere, scelus antè editum augere*, &c. En Episcopi libertas erga Imperatorem.

XVI. Sed quid ad haec bonus Imperator? An scriptis intumuit? an verbis excanduit? an factis implacabiliter infremuit? Nihil profectò minùs. Immò ad singulas Ambrosij obiurgationes humiliter acquieuit: & sua audiendi humilitate, Episcopi libertatem dicendi exaequauit, ne dicam, superauit: suam in domum se includens, donec patratum scelus diututnis lacrymis expiaret, & germana poenitentia aboleret. Vnde idem D. Amb. in oratione funebri de obitu Theodosij, sicut peccantem publice argueerat; ita poenitentem publice commendat: *Dilexi virum*, inquit, *qui magis arguentem, quàm adulantem probaret. Strauit omne, quo vtebatur, insigne regium. Defleuit in Ecclesia publicè peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat. Gemitu & lacrymis orauit veniam. Quod priuati erubescunt, non erubuit Imperator, publicè agere poenitentiam. Neque vllus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem.* Quid in Imperatore laudabilius esse potuit, quàm tam facile ad culpam suam, non modò audiendam, sed etiam reuocandam ingenium? Par fuit illa dicendi libertas, qua Macedo-

Macedonius ad dicendum liber: Theodosius ad audiendum humilis. nius vir sanctissimus in eundem Imperatorem vsus est; & par illa humilitas, qua idem Imperator suum prosequutus est admonitorem. Nam, cùm Antiocheni ciues statuam aeneam Placillae Imperatricis in Imperatoris opprobrium deturbarent, & per magnam vrbis partem traherent conuulsam & laceratam, Imperator grauiter commotus in seuerissimas iras exarsit, & ad saeuissimas poenas totam vrbem reposcit. Tum verò Macedonius, *Quid*, inquit, *Imperator, excandescis ob violatam Imperatricis imaginem aeneam, nec vereris viuas Dei imagines, homines, tam crudeliter violare?* Cui admonitioni tam humilis patuit Imperator, vt totam ex animo iracundiam missam faceret, & seuerissimam de poenis inferendis sententiam reuocaret. Qua de re lege Theodoretum lib. 5. Hist. c. 19.

XVII. Igitur Hebraei communem subditorum erga suos Principes reuerentiam imitati, ne molesti forent Samueli, scelera filiorum, quae sciebant patri molestissima futura, nuntiare non audebant: veriti, ne sibi illius inimicitiam conflarent; & ve-

Iusto nihil magis cordi est, quàm veritas. rum dicendo, eius odio subiacerent. Sed planè fallebantur. Quia Samueli nihil magis cordi erat, quàm veritas. Talem enim esse debere optimum quemque Principum, significauit olim Deus, eùm veritatem poni iussit in ea parte vestis sacerdotalis, quae cordi respondebat: *Pones*, inquit, *in rationali iudicij doctrinam & veritatem, qua erunt in pectore Aaron.* Exod. 28. num. 30. In quem locum

Philo. *Augustum est veritatis amictus.* Philo Iudaeus, lib. De Iudice: *Quid*, inquit, *in vita est aquè pretiosum, ac veritas, quam Vates sapiens inscripsit loco sacratissimo: ea parte vestis pontificia, vbi est principalis vis animae; vt Sacerdotem per hoc ornamentum augustiorem faceret.* Quasi augustissimus Princeps ille sit, qui veritatis audiendae fuerit amicissimus: & sicut corpus mente, ita mens veritate animetur.

ANNOTATIO XXXII.

CIRCA LITERAM.

Scelera filiorum Samuelis expenduntur.

TRIPLICITER peccabant filij Samuelis; sectando auaritiam; accipiendo munera; peruertendo iudicium: vt patet ex Litera, Num. 3. Quamuis Iosephus lib. 6. Antiq. c. 3. plura eis peccata tribuere videatur: *Relictis*, inquit, *paternis institutis, diuersissimam viam ingressi, muneribus corrupti iustitiam opprimebant: & in indicando non tam veritatis, quàm lucri respectum habebant: solutique in luxum ac delicias, tum Dei voluntatem, tum patris contemnebant.* Nec dubitauerim, in plura scelera abiisse, qui ex illis tribus capitalium criminum fontibus hauserunt. Verùm, quia in Litera tria duntaxat eorum peccata exprimuntur; ea tantùm in hac Annot. expendamus: vna tamen quaestione praemissa; quae illis fuerit occasio in haec flagitia corruendi. I. *Tria peccatorum genera filiorum Samuelis.* Ioseph.

SECTIO I.

Dignitas imperandi fuit Samuelis filiis occasio delinquendi.

NOn alia huius ruinae occasio quaerenda est. Altitudo dignitatis, ad quam Samuel filios erexerat, illis extitit vorago iniquitatis, in quam tandem corruerunt. Nam honorum fastigium solet esse saepenumerò praecipitium vitiorum. Floruerunt quidem virtutibus in priuata vita filij Samuelis; sed in publica dignitate constituti penitùs exaruerunt: seu, vt rectè D. Greg. ad hunc locum, *Steterunt*, inquit, *subditi: sed in culmine praelationis positi, Prophetae filij ceciderunt.* Atque hinc optimum desumit ad omnes religiosae perfectionis sectatores documentum: *Vt, si nobis*, inquit, *sub cura maiorum positis indesinens sancta vita studium, aut securitas magna conuersationis arridet; praeesse tamen aliis, non habeamus in appetitu desidery, sed in magnitudine timoris.* II. *Dignitatis altitudo, vorago iniquitatis.* D. Greg.

Grauissimè de hac re D. Chrysost. lib. 3. De sacerdotio, post medium, *Multos*, inquit, *ego noui, ex iis, qui se se perpetua continentia cohibuissent; & quorum corpora ieiuniis multis exhausta essent; donec solitariam vitam agere, ac suas duntaxat res curare licebat, Deo maximè acceptos fuisse, eosdemque in dies singulos coepta Philosophia auctuarium non paruum adiecisse: qui idem postquàm in hominum lucem venerunt, vulgi inscitiam emendari cogerentur; alij prorsus muneri illi administrando impares fuere: alij in ipso munere, dum perseuerare cogerentur; pristina vita cura atque auctoritate prorsus excussa, tum sibi detrimento maximo, tum aliis nulli prorsus vsui fuere.* Nec minùs eleganter D. Bernard. serm. 23. in Cantica, *Quàm multi*, inquit, *sub praeceptore quieti viuunt: quos, si iugo absoluas; vides, non posse quiescere, nec se vllo modo aequalibus seruare innoxios. Itemque innumeros cernes, simpliciter, ac sine querela inter fratres* III. *D. Chrys. In priuata vita florent mores, in publica dignitate marcescunt.* D. Bern.

conuersari, super fratres non solùm inutiliter, sed & insipienter & nequiter: minimè quidem egentes magistro, nec tamen idonei magisterio.

IV. At verò D. Petrus Damianus tom. 2. serm. 5. in eandem sententiam conspirans, *Nonnulli*, inquit, *antequam officij sacerdotalis culmen attingant, mites se & humiles in omnibus exhibent, excrescere in virtutibus student, bonis moribus pollent, & in omni se honestate sanctæ conuersationis exercent: mala nulli aliquando inferunt; illata verò sapienter ferunt: carnem suam assiduè ieiuniis & orationibus edomant, & cunctos in se vitiorum motus censura rigidæ seueritatis frænant. Sed, cùm pastoralis curæ iura suscipiunt; quidquid sanctitatis habuerant (vt ita, proh dolor! dicam) concambio miseræ permutationis amittunt: omne, quod piè vixeram, obliuiscuntur: ac decurrentium more fluminum, ad ima, absque vllo retentionis obstaculo, deuoluuntur: & veluti mali remiges, cùm ad alta pelagi, vento impellente, deuenerunt, quando, scilicet, maiori conamine opus est, in somnum se mortifera securitate resoluunt: vel potiùs, cùm gubernandæ nauis clauum suscipiunt; qui priùs cum cæteris strennè nauigauerant, iam in magisterio positi, in negligentiæ se torporem deiiciunt; & non solùm alios non custodiunt, sed semetipsos etiam infeliciter perdunt.* Hæc ille disertè & eleganter. His adde Papam Innocentium III. qui in libro 2. De contemptu seculi, cap. 30. satis ostendit, quanta morum mutatio fiat in eo, qui à vita priuata, quam rectè instituerat, ad publicam euasit: *Non curat*, inquit, *prodesse, sed gloriatur præesse: præsumit, se meliorem, quia creuit in superiorem. Priores dedignatur amicos, notos ignorat hesternos, comites contemnit antiquos, vultum auertit, visum extollit, ceruicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur.* Vides quàm diuersam viuendi rationem in priuata & publica vita teneat; vt non iam suos mores, sed se ipsum mutare, atque alius omninò homo fieri videatur?

D. Dam. Aliqui in honore constituti, quidquid virtutis habuerat, amittunt.

Subditus humilis, superbus superior constitutus.

V. Sed iam plures ad hanc rem illustrandam fontes aperiamus. De quodam Imperatore Romano, si rectè memini, Caligula, dici olim consueuit: *Optimus ad imperandum, nisi imperasset.* Quia optimam de illo ad imperandum opinionem, ipse imperando insigniter fefellit: & qui ante imperium optimas ad imperandum dotes præ se tulerat, post imperium omnes penitùs profligauit. Est enim imperium quoddam veluti incendium, quo virtutes magno labore partæ consumuntur. Vnde eximia videtur illa Vespasiani commendatio, si vera fuit; aut, si falsa, insignis quædam adulatio, qua Plinius secundus in eius Panegyrico vsus est: *Nec*, inquit, *quicquam mutauit in te fortunæ amplitudo; nisi, vt prodesse tantundem posses, vt velles.* Hoc est: Hanc solam in te fortuna mutationem fecit, vt benefaciendi voluntatem, quam semper habuisti, cum potestate, quam modò comparasti, exæquares. Commendatio quidem à vulgaribus longè augustior & excellentior. Nam bona voluntas, quæ in priuato homine extitit, plerunque in eodem iam Principe à magna potestate destruitur ac dissipatur. Mirum est, quod de Bucephalo, Alexandri equo, referunt profani Auctores, Plin. lib. 8. cap. 42. Curtius lib. 6. Plutarchus in Alexandro, & alij; eius, scilicet, generositatis & arrogantiæ fuisse, vt nudus seu ornatu equestri spoliatus quemlibet sessorem admitteret: phaleratus verò, & basilicè excultus atque ornatus, neminem, nisi Alexandrum, pateretur. Nempe ex ornatu regio intumescebat. Tales & illi, qui priuati, aliis humiliter substernuntur; ad publicos honores euecti, omnibus superbè dominantur. Vasculum rimas habens, dum vacuum est, eas non prodit: secùs, si impleatur. Sic in priuato homine moralia vitia delitescunt; quæ, si ad honores surgit, palàm deteguntur.

Qui ante imperium spem sui maximam faciunt, eam in imperio fallunt.

Plin.

Mutatio debet esse in Imperatoribus à Virtutibus ad virtutes ampliores.

Plin.
Curt.
Plut.

Prælatorum superbia exprimitur.

VI. Potest hæc doctrina pluribus exemplis illustrari. Lucifero quis arrogantior? At, vbi, quæso, illa arrogantia nata est, nisi in fastigio honorum, in quo se viderat à Deo collocatum? iuxta illud: *Eleuatum est cor tuum in decore tuo.* Ezech. 28. num. 17. seu, vt Polychronius interpretatur, *In regno tuo.* Quasi in regno, seu in regio honore vitiorum seges oriatur. Vnde subditur: *In iniquitate negotiationis tuæ polluisti sanctificationem tuam.* Ibidem, n. 18. seu, vt aliqui Rabbini eruunt ex Hebræo: *Polluisti palatium tuum.* Ac si in palatio, vbi sanctus esse deberet, profanus efficeretur. Nec parum congruit pœna meritis: *In terram*, inquit Deus, *proieci te: ante faciem Regum dedi te, vt cernerent te.* Vbi suprà, num. 17. Cur enim superbus in regno, ante Reges deiicitur, nisi vt Reges in suo regno nunquàm tumidi erigantur? Vnde D. Chrys. in Psal. 9. *Nemo*, inquit, *de potestate sibi magnificè placeat, nec intumescat. Locus enim est, & lubricus, & præceps, & eos, qui non attendunt facillimè subuertit.* Idem honorum apex fuit primis parentibus occasio ruinæ. Quod inde patet, quia priùs in Scriptura eorum imperium, quàm peccatum memoratur. Nam c. 1. num. 28. *Replete terram*, inquit Deus, *& subiicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Deinde verò cap. 3. sequenti, eorum contra Deum inobedientia refertur. Vt significetur ascensus ille ad honorem, fuisse illis occasio ad ruinam. Quò allusit Dauid, dicens: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit.* Psal. 48. n. 13. Quasi diceret, inquit D. Bernard. epist. 237. *Honor absorbuit intellectum.* Vnde videtur Protoplastus totam suæ ruinæ occasionem ex honore desumpsisse. Hanc de vtroque tam Angelo, quàm homine doctrinam Ropert. lib. 2. De victoria Verbi, c. 12. inculcauit: *Quid*, inquit, *nisi bonum Creatoris donum, in superbiam extulit, tam hominem, quàm Angelum?* Et statim: *Nimirum magna vtriusque celsitudo, illius in principatu Angelico, istius in propagando genere humano. Neuter pondus tanti honoris humiliter ferre potuit; vtpote vterque creatura leuis.* Ac tandem in fine capitis concludit: *Ecce comprobatum est ex duobus, scilicet, Angelo & homine, quia principatum omnium nullus humiliter ferre potest, nisi Deus increatus.*

In regio honore germinat vitiorũ seges.

Polych.

D. Chrysost.

Locus honoris lubricus, facilis ad ruinam.

Occasio ruinæ Angelis, & Adæ eius honore,

D. Bern.

Solus Deus principatum humiliter perferre potest.

VII. Si igitur supremos illos Principes, vnum hominum, alterum Angelorum, honorum grauitas depressit: quis in vertice dignitatis constitutus, sibi à præcipitio securus videatur? Bene D. Chrys. hom. 41. in Matth. vanum honoris aucupem deterret: *Non cogitas*, inquit, *quantam honores perniciem ignauis ac indiligentibus solent afferre. Extollunt enim ad inanem facilè gloriam: in tumorem atque superbiam & contemptum aliorum impellunt: desidiam augent: & ad hæc omnia ipsi etiam parua commoti aura deflorescunt. Quódque acerbius est, malorum præcipitia, in quæ honores detrudunt, perpetua sunt atque prærupta.* Saül, dum alienas asinas priuatus quærebat, singularibus moribus præstabat: vt patebit ex c. 9. n. 2. Vbi verò regios honores prægustauit, virtutes amisit. Quod expendens D. Greg. 1. p. pastoralis curæ, c. 3. *Plerunque*, inquit, *aduersitatis magisterio sub disciplina cor premitur: quòd si ad regiminis culmen eruperit; in elatione protinus vsu gloriæ permutatur. Sic Saül, qui indignum se priùs considerans fugerat; mox vt regni gubernacula suscepit, intumuit.* De qua re ad c. 15. Num. 17. plura dicam.

Honoris aucupum præcipitia.

D. Chrys.

D. Greg.

Saül solo principatu intumuit.

VIII. *Dauid, Rex, virtutũ omnium fecit iacturam.* *D. August.*

Dauid, dum priuatam & pastoritiam vitam ageret, virtutibus eminebat: vbi ad regiam potentiam euasit, virtutum fecit omnium iacturam. Vnde D. Aug. in Ps. 50. prope initium, *Quando*, inquit, *Dauid sanctus Saülem inimicum patiebatur; quando illis persequutionibus agitabatur; quando per diuersa fugiebat, ne in manus eius incideret: nõ cõcupiscebat alienã, non adulterata vxore occidit virum. Erat in infirmitate tribulationis suæ tantò in Deum intensior, quantò miserior videbatur. Vtile quiddam est tribulatio; vtile Medici ferramẽtum, tanquàm Diaboli tentamentum. Factus est securus, deuictis hostibus: pressura caruit, tumor excreuit.* Ad hæc ipse Dauid ante regnum delicatam habebat conscientiam: nam vbi præcidit chlamydem Saülis, statim pupugit cor suũ. 1. Reg. 24. n. 6. At verò post regnum, cauteriatam: nam iubens mortem Vriæ, exercitúmque audiens, nihil indoluit, nihil curauit. 2. Reg. 11. n. 25. Vnde D. Greg. proximè citatus, expendens hanc Dauidis in virum Vriam seueritudinem, & illam in vxorem Bethsabee mollitudinem; notat vtranque post regnum susceptum contigisse: cùm tamen ante regnum, neque in fœminam mollis fuerit, neque in militem seuerus: *Dauid*, inquit, *auctoris sui indicio penè in cunctis actibus placens, mox vt pressura pondere caruit, in tumorem vulneris erupit: factúsque est in morte Vriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ fuerat eneruiter fluxus. Et qui malis antè nouerat piè parcere, in bonorum quoque necẽ pòst didicit anhelare. Prius quippe ferire deprehẽsum persequutorẽ noluit: & pòst cum damno desudantis exercitus etiã deuotũ militem extinxit. Quem profectò ab electorũ numero culpa longiùs raperet: nisi hũc ad veniam flagella reuocassent.*

D. Greg. Dauidis conscientia delicata; post regnum cauteriata.

IX. *D. Greg.* *Potentia vitiis illaqueat.*

Eandem rem idem D. Greg. 3. p. pastoralis curæ, admonitione 27. iterum expendens, *Plerunque*, inquit, *etiam iustos, cùm temporalis potentia sustollit, velut in laqueum culpa comprehendit.* Et statim exemplum à Dauide desumens, *Dauid*, inquit, *Deo priùs amabilis, rectior fuit in seruitio, quàm cùm peruenit ad regnum. Seruus nanque* (hoc est, cùm esset seruus) *amore iustitiæ, deprehensum aduersarium ferire timuit. Rex autem* (hoc est, cùm iam esset Rex) *persuasione luxuriæ deuotum militem, etiam sub studio fraudis extinxit. Quis ergo opes, quis potestatem, quis gloriam quærat innoxiè: si & illi extiterunt noxia, qui hæc habuit non quæsita? Quis inter hæc sine magno discriminis labore saluabitur: si ille in his, culpa interueniente, turbatus est, qui ad hæc fuerat, Deo eligente præparatus?* Certè Diuus Ambrosius in Apolog. De Dauid, non procul ab initio, admiratus in Dauide non tam lapsum in concupiscentiam, quàm ad pœnitentiam regressum: *Peccauit*, inquit, *quod solent Reges: sed pœnitentiam gessit & fleuit; quod non solent Reges.* Et paulò pòst Regum licentiam prosequutus, *Quem mihi tu*, inquit, *reperias virum, qui in potestate constitutus non magis peccata sua diligat, culpam prædicet, crimina defendat? Qui putet, sibi quod non decet, non licere: qui se legibus obstringat suis; & quod per iustitiam non licet, nec per potestatem licere cognoscat?* Sic ille. Quasi diceret: Nullus omninò. Adeò omnes summam licentiam cum summa potentia coniungunt.

Nullus potestatem exercet innoxius. *D. Ambr.* *Peccare solent Reges, nõ pœnitere.*

X. *Salomon in regno naufragiũ passus est.* *D. Gregor.*

Iam verò Salomon, antequàm ad regnum veniret, *Puer*, inquit, *eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Sap. 8. n. 19. Idem ad regnum euectus, licentiæ & incontinentiæ totas habenas laxauit. 3. Reg. 11. à n. 1. Vnde D. Greg. loco proximè citato, volens cæteros Principes ex vnius ruina, sibi vt caueant, erudire: *Admonendi sunt*, inquit, *vt considerent; quia Salomon, qui post tantam sapientiam vsque ad idololatriam cecidisse describitur:* A *nihil in hoc mundo priusquàm caderet, aduersitatis habuisse memoratur. Sed concessa sapientia funditus cor deseruit: quod nulla, vel minima tribulationis disciplina custodiuit.* Vbi satis ostendit, extremum illud bonorum spiritualium naufragium, & maiorum scelerum infortunium, ex regia dignitate, præsertim coniuncta cum tanta felicitate Salomoni accidisse. Regem Oziam in Sacerdotis munus sacrilega temeritate irruentem sic arguit Scriptura: *Cùm*, inquit, *roboratus esset, eleuatum est cor eius in interitum suum, & neglexit Dominum Deum suum.* 2. Paral. 26. n. 16. Quem locum D. Chrys. hom. 3. De verbis Isaiæ, expendens, notat, in Scriptura, non solùm Oziæ superbiam, sed etiam superbiæ causam indicari: *Cùm*, inquit, *roboratus esset*; seu, vt B legit ipse Chrysostomus, *Cùm potens esset: eleuatum est cor eius:* vt nimia potentia, nimiam genuisse superbiam ostenderetur. *Non ferebat*, inquit (nempe, Rex Ozias) *principatus magnitudinem: sed quemadmodum ex edacitate nascitur ignea inflatio; ex inflatione gignitur febris; deinde ex febri plerunque mors: itidem & hic, ex actionum eminentia, nata est superbia; mox ex superbia nata est appetentia rerum ipsi non congruentium.* Et statim miseram iudicat Principum conditionem, non ambiendam quidem, antequàm habeatur; sed potiùs etiam, postquàm habita est, penitùs repudiandam: cùm ex alto honoris fastigio in magnum dedecoris præcipitium deuoluantur.

Nimia potentia, nimiam gignit superbiam.

XI. *Principes omnes voluntarij.*

Rectè quidem Dauid Principes appellat voluntarios; iuxta illud: C *Nolite confidere in Principibus.* Psalm. 145. n. 3. seu, vt est in Hebræo: *In voluntariis.* Quia Principes adeò sunt voluntarij, seu voluntati suæ obsequentes, vt quò inclinat voluntas, eòdem inclinet & potestas. Ex quo fit, vt quò plùs habent potestatis, eò minùs habeant sanctitatis: effræni, scilicet, voluntate totam potestatem in libidinis obsequium conferente, seu potiùs præcipitante: *Deiecisti eos*, inquit Dauid, *dum alleuarentur.* Psal. 72. n. 18. Vbi D. Greg. lib. 1. Regist. epist. 5. *Eleuatio*, inquit, *ipsa ruina est; quia dum gloria falsa subuixi sunt, à gloria vera euacuantur.* In eosdem quadrat illud: *Deficientes quemadmodum fumus deficient.* Psal. 36. n. 20. Nam, vt bene D. Gregorius citatus, *Fumus ascendendo deficit; & se se dilatando euaD nescit. Sic, videlicet, fit, cùm peccatoris vitam præsens felicitas comitatur: quia vnde ostenditur, vt altus sit; inde agitur, vt non sit.* Rectè quondam Eliu Iobum in suam regiam potestatem restituendum admonebat, dicens: *Non te superet ira, vt aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te.* Iob. 33. n. 18. Vbi Glossa illud, *Donorum*, interpretatur, *Honorum*, quibus facilè omnis potestas inclinatur. Quasi Eliu sic amicum suum Iobum alloqueretur: *Quia*, inquit, *vbique reuerentia coleris; caue, ne de eiusdem reuerentiæ fascibus extollaris. Quoniam omnis, qui temporaliter extollitur: eo ipso, quòd extollitur, inclinatur.*

D. Greg. Eleuatio ipsa, ruina est.

Omnis qui extollitur, inclinatur.

XII. *Reges anteà pastores, leones efficiuntur.*

Tanquàm pastores ad oues gubernandas, sæpenumerò homines accedunt: & inter ipsas oues inE felici quadam metamorphosi leones efficiuntur. Vnde est illud: *Vox vlulatus pastorum.* Et statim: *Vox rugitus leonum.* Zach. 11. n. 3. Quasi qui initio pastores mansueti videbantur; paulò pòst, suscepto imperio tumidi, leones truculenti redderentur. Sic Dauid, *Diuites*, inquit, *eguerunt.* Psal. 34. n. 10. Hebraïcè, *Leones:* quia huius seculi diuites, Principes ac Dynastæ, vbi principatum tenent, in feras leonibus sæuiores transformantur. Testis sit Iulianus Imperator, ante imperium agnus, post imperium leo. Vnde Diuus Cyrillus Alexandr. in epist. ad Theodosium Imperatorem

D. Cyril.

iatorem pro libris suis contra Iulianum, notat, eundem Iulianum, antequam regnare inciperet, numeratum inter fideles, nutritum in Monasteriis, eruditum in sacris Literis fuisse: sed postquam ad regnum accessit, prauorum hominum vsu, consuetudineque inductum, ad gentilitios ritus degenerasse; & linguam alioqui disertam, contra Christum Dominum, & sacrosancta Euangelia, & catholicam religionem acuisse. En, vt honores morent mores; & dignitatis augmentum fieri sæpè soleat virtutis detrimentum.

Honores mutarunt Iuliani mores.

XIII. Qui à vita priuata ad publicam conscendunt, non modò ex agnis leones efficiuntur; verùm etiam à prauis cupiditatibus, quæ in sublimiori fortuna liberiores sæuiunt, miserabiliter deuorantur. Iosephus, antequàm ad imperium totius Ægypti erigeretur, deploratus est à parente suo Iacobo pro occiso, & à fetis lacerato: *Fera*, inquit, *pessima comedit eum: bestia deuorauit Ioseph.* Genes. 37. n. 33. Non quidem sine mysterio, iuxta allegoriam Philonis in libr. De Ioseph: *A feris*, inquit, *circumuentus inducitur, quod huic* (id est, homini ad honores publicos erigendo) *insidiatur immanis bestia, vana gloria; corripere ac deuorare tales solita.* Quare quem quis amet, ab honoribus remotum velit. *Israël diligebat Ioseph super omnes filios.* Genes. 37. n. 3. At, cur non honorauit præ cæteris, quem præ cæteris amauit? Cur Iudam potiùs, quàm Iosephum regio honore insigniuit? Gen 49. n. 10. Respondet ad rem aliam Rupertus lib. 4. De operibus Spiritus sancti, c. 10. *Quia in dandis*, inquit, *benedictionibus non suam, sed Dei voluntatem debuit facere; non carnis affectum, sed Spiritus instinctum sequi dignum fuit.* Ita ille. Sed fortasse, quamuis suum sequeretur affectum, non propterea dilectissimo filio dignitatem regiam conferret: quia, quem præ cæteris amabat, eundem à sceleru incitamento, quale est imperium, remotiorem cupiebat: veritus, ne illam honoris vsuram maxima spiritualium bonorum iactura comitaretur.

Philo.
Vana gloria, vt bestia, Reges deuorare solet.

Rup.
Bonus Iudex non à sensu iudicat.

Quos præ cæteris amamus, eos ab honore remouemus.

XIV. In illo apologo, seu parabola, quam Ioatham filius Gedeonis habuit ad viros Sichem; dicuntur omnes arbores fructuosæ à regimine inter alias suscipiendo se excusasse. Oliua quidem, ne perderet sui olei pinguedinem. Ficus, ne desereret suorum fructuum suauitatem. Vitis, ne amitteret sui vini iucunditatem & lætitiam. Iudic. 9. à num. 8. Omnes, scilicet, quodammodo præuiderunt, non posse illam fructuum vbertatem in illa dignitate conseruari: sed omnia bona naturalia, pariter ac moralia, misericordiam, iustitiam, patientiam, mansuetudinem, benignitatem, cæteráque animorum & corporum ornamenta, in illo dignitatis fastigio ruitura. Quare prudenter maluerunt in priuata vita suis dotibus repleri; quàm in publica illis omnibus denudari. Singulare huius rei exemplum vt nobis Christus Dominus relinqueret; libenter quidem impositam sibi crucem baiulabat. Ioan. 19. num. 17. tamen oblatum sibi regnum humiliter refugiebat. Ioan. 6. num. 15. Vt significaret, Crucem nobis libenter amplectendam, in qua spirituales fructus feliciter proueniunt: regnum humiliter deserendum, in quo amplæ bonorum spiritualium messes exarescunt. Sic expendit D. Greg. in Pastorali, p. 1. c. 3. *Oblatam, inquit, gloriam culminis fugit; pœnam probrosæ mortis appetiit: vt membra eius discerent, fauere mundi fugere, terrores minimè timere, pro veritate aduersa diligere, prospera formidando declinare: quia & ista per tumorem sæpè cor inquinant; & illa per dolorem purgant: in istis se animus erigit; in illis autem, etiam quando se erexerat, sternit: in istis homo se obliuiscitur; in illis verò ad*

Reges in imperio, vt arbores, pomis omnibus nudantur.

Crux amplectenda, imperium deserendum.

D. Greg.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

A *sui memoriam, nolens etiam, coactusq; reuocatur: in istis sæpe & antè acta bona depereunt; in illis autem longi quoque temporis admissa terguntur.* Itaque sicut in depressis laborum vallibus felices virtutum segetes nascuntur: ita in prealtis honorum montibus bene nata virtutum semina exsiccantur.

XV. Hinc est, quòd D. Bern. in epist. 236. cum Romana Curia, ad quam scribit, acerbissimè expostulet, quòd à monastica humilitate ad pontificiam dignitatem suum Eugenium transtulerit, nec tam ad Ecclesiæ regimen, quàm ad propriæ salutis discrimen euocarit: *Parcat*, inquit, *vobis Deus. Quid fecistis? sepultum hominem reuocastis ad homines: fugientem curas & turbas, curis denuò implicuistis, & immiscuistis turbis. Fecistis nouissimum primum.* Matthæi 20. n. 16. *Et ecce nouissima illius periculosiora* B *prioribus.* Lucæ 11. n. 26. *Crucifixus mundo, per vos reuixit mundo. Et qui elegerat abiectus esse in domo Dei sui*, Psalm. 83. num. 11. *Ipsum vos in Dominum omnium elegistis. Cur consilium inopis confudistis?* Psal. 13. n. 6. *Cur pauperis hominis, & mendici, & compuncti corde, iudicium perturbastis?* Psal. 108. num. 16. *Currebat bene.* Galat. 5. n. 7. *Quid vobis visum est sepire vias eius, auertere semitas, gressus innoluere?* Oseæ 2. n. 6. *Quasi descenderet de Ierusalem, & non magis ascenderet de Iericho, sic incidit in latrones.* Lucæ 10. n. 30. *Et qui se tanquàm violentis quibusdam Diaboli manibus, carnis illecebris, & gloria* C *seculi potenter excusserat, non tamen valuit effugere manus vestras.* Et post multa eleganter de hac re, *Nisi Dominus*, inquit, *supponat manum suã*, Psal. 36. n. 24. *hen necesse est, obruatur & opprimatur onere insueto & nimio; quod etiam gigantibus, vt aiunt, vel ipsis quoque Angelicis humeris formidabile videatur.*

D. Bern.
Grauis D. Bernardi cum Romana Curia expostulatio.

Quæ mala homines consequantur.

Dominandi onus, angelicis etiam humeris formidabile.

XVI. Vnde in epist. 237. ipsum Eugenium non iam Monachum, sed Pontificem; nec iam suũ filiũ, sed cõmunem omnium parentem sic alloquitur: *Ego*, inquit, *etsi nomen patris deposuisti non timorem, sed non anxietatem, postremò nec affectum, nec viscera patris. Considero gradum, & casum vereor. Considero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi iacentis desuper. Attendo celsitudinem honoris, & è vicino periculum reformido.* Quibus verbis nõ obscurè insinuat, quantis casibus exponantur, qui ad altiores ho- D norũ vertices efferuntur. Et paulò pòst, *Accepisti*, inquit, *in altum, noli altum sapere, sed time.* Rom. 11. n. 20. *Ne fortè cõtingat sero miserabilem emittere vocem: A facie ira & indignationis tuæ eleuans allisisti me.* Ps. 101. n. 11. *Altiorem quippe locum fortitus es, sed non tutiorem. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste.* Gen. 28. n. 17. Sic ille. Terribilem semel atque iterum appellat locũ, quem fortasse aliquis sæpissimè desiderabilem & amabilem iudicasset. Tandè in lib. 1. De consideratione, ad Eugenium in prologo, *Non, inquit, quia pater pauperum factus, ideo non pauper spiritu es. In te hanc mutationem factam esse confido, non de te: nec priori statui tuo successisse promotionem, sed accessisse.* Quasi diceret: Quãuis Principes noua dignitate pristinam sanctitatem excludant: tamen de te mihi spes est, fore, ne virtu- E tem à dignitate excludi patiaris.

Qui ad honores efferuntur, multis casibus exponuntur.

Virtus à dignitate excluditur.

XVII. Quòd si nonnulli eximiæ sanctitatis viri in honore positi, non penitùs ruunt; tamen lentiùs volant. Vnde D. Petrus Damianus suprà citatus, *Ipsi*, inquit, *summe sanctitatis viri, suscepto cura pastoralis officio, etsi ad mala, quod absit, nullatenus proruunt: sæpe tamen ex ipsa boni perfectione, necessitate cogente, aliquantulum minuuntur.* Idem obseruat Seuerus Sulpitius Dialogo 2. cap. 5. Vbi refert, beatum Martinum Episcopum Turonensem dicere solitum, nequaquàm sibi in Episcopatu eam virtutum gratiam suppetere, quam priùs se ha-

D. Dam.
Iusti in honore, si non ruũt, lentiùs volant.

Sulp.

Bbb 2

D. Martinus, priuatus, duos suscitauit mortuos: Episcopus verò, vnum tantùm.

se habuisse meminerat. Quod ex eo Sulpitius confirmat, quòd Martinus, priuatus adhuc, duos mortuos ad vitam suscitarit: Episcopus verò factus, vnum tantùm. Iam verò D. Greg. epist. paulò antè citata, loquutus de sua pontificia dignitate: *In qua*, inquit, *sub colore Episcopatus, ad seculum sum reductus. In qua tantis terra curis inseruio, quantis me in via laica nequaquàm deseruisse reminiscor. Alta enim quietis mea gaudia perdidi, & intus corruens, ascendisse exterius videor. Vnde me à conditoris mei facie longè expulsum deploro.* Et plura in epistol. sequenti. De qua re ad caput 10. dicendi occasio redibit. In hoc igitur non tam imperio, quàm incendio, virtutes filiorum Samuelis conflagrarunt.

D. Greg.

SECTIO II.

Principum auaritia vituperatur.

I. Filij Samuelis declinantes post auaritiam, vt suam diutiùs potestatem conseruarent, suam potestatem amiserunt. Qui enim seruiunt nummis, digni non sunt, qui hominibus dominentur: immò neque Principi gloriosum est habere nummos; sed habentes suo imperio coërcere: iuxta illud Marci Curij apud Tullium in Catone, cui ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites cùm obtulissent, repudiati ab eo sunt. Non enim aurum habere præclarum sibi videri dixit: sed eis, qui haberent aurum, imperare. Turpis quidem est in quouis homine auaritia: sed in Principe turpissima; cùm hic non sibi, sed suis locuples à Deo efficiatur. Quare dum hi Principes post auaritiam abeuntes, a toto populo vituperantur, ac de imperio repelluntur; occasionem nobis præbent, arguendi eos Principes, qui sui muneris immemores auaritiam sectantur.

Præclarũ est non habere aurum: sed eis, qui habẽt, imperare.

II. Quid vilius, quid abiectius, quàm Dominum hominum, fieri pecuniarum mancipium? Rectè D. Ambros. lib. 2. Offic. cap. 14. *Decet*, inquit, *omnes censura frugalitatis; maximè eum, qui honore præstet: ne præeminentem virum thesauri possideant sui, & pecuniis seruiat, qui præest liberis. Illud magis decet, vt supra thesaurum sit animo, & infra amicum obsequio.* Nam amicis obsequi, pulchrum est ac liberale: pecuniis, sordidum ac seruile. Venerunt aliquando ad consolandum Iobum tres eius amici, sapientes ac Reges, ad quos Iob, *Nunc venistis*, inquit, *& modò videntes plagam meam, timetis.* Iob 6. num. 21. Quid, obsecro, timebant Reges; vbi non militares turmas, non hostiles ictus, non bellicas concertationes intuebantur? Optimè Lyranus ad rem præsentem: *Timebant, ne aliquid stipis à Iobo pro sublenatione sua peteretur.* Et confirmat hanc interpretationem ex Litera. Statim enim Iob, vt eos timore liberaret, adiecit: *Nunquid dixi: Afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi?* Ibidem, num. 22. Quasi diceret: Timorem pellite; vestram à vobis pecuniam, quam vita vestra habetis chariorem, non requiro. Quid humilius & indignius, quàm pallescere Reges, cùm ab illis non tam vita extorquetur, quàm pecunia efflagitatur?

D. Ambr. *Nihil vilius quàm fieri pecuniarum mancipium.*

Lyran. *Timent Reges, ne ab eis pecunia efflagitetur.*

III. Seruus Abrahæ Eliezer dedit Rebeccæ *inaures aureas, appendentes siclos duos, & armillas totidem pondo siclorum decem.* Gen. 24. n. 22. Quibus illa muneribus incredibiliter delectata, quasi opes nunquàm antea possessas, aut visas, fratri suo ostentabat. Sed, cur puella ex ditissimis orta paren-

A tibus, & magnis opibus assueta ad mediocria quędam munuscula sic exiliuit, & gaodio triumphauit? Origen. hom. 10. in Gen. dupliciter respondet. Primò, vituperans parentem Rebeccæ de auaritia: *Tanta*, inquit, *eius, aut negligentia, aut auaritia fuit, vt filiæ ornamenta non daret.* Quid auarius, quàm immensas opes possidere; & ne in splendorem quidem domus, & in cultum filiorum liberaliter dispensare? Secuodò, laudans prudentiam Rebeccæ: quòd quamuis pater ornamenta aurea ei offerret; ipsa nihilominùs aurum de profana domo negligeret, & ad aurum de domo sancta Abrahæ exultaret: *Rebecca*, inquit, *non vult de auro Batuelis ornari. Non sunt ei condigna ornamenta hominis barbari & imperiti. De domo Abrahæ requirit monilia: quia patientia (sic enim interpretatur Rebecca)*
B *de domo sapientis ornatur. Non potuerunt ergo aures Rebeccæ accipere decorem suum, nisi veniret puer Abrahæ, & ipse eas ornaret. Nec manus eius ornamenta recipiunt, nisi quæ miserit Isaac. Vult enim aurea in auribus suscipere verba, & aureos actus in manibus habere.* Sed hæc posterior respoosio mystica est, eò pertinens, vt externus corporis ornatus cum interna mentis lautitia commutetur; & solida virtutum ornamenta, fucatis diuitiarum coloribus præferantur. Illa prior literalem fortè sensum includit, ad rem præsentem confirmandam non parum accommodatum.

Orig. *Quam tenaces pecuniæ sint Reges?*

Aurum de sancta potiùs domo diligendum.

Virtus diuitiis præferenda.

IV. Dauid, quamuis fuerit Rex admodum liberalis; tamen aliquando typum gessit hominis auari.
C Nouum enim non est in Scriptura, vt optimis signis pessima significata, & vice versa, exprimantur: vt suo loco pluribus exemplis illustrabo. Hominem igitur auarum egit Rex alioqui liberalissimus; quando, scilicet, *desiderauit aquam de lacu.* 2. Reg. 23. n. 15. Nam, cum nemo ex militibus de aquæ penuria quereretur, aut sitim pateretur, solus Rex sitibundus exclamauit: *O si quis mihi daret potum aquæ de cisterna, quæ est in Bethlehem iuxta portam.* Vnde, quæso, Dauidi tam intempestiua sitis, nemine ex tam multis militibus sitiente? D. Ambros. lib. 1. De Iacob & vita beata, c. 1. sentit fuisse inordinatum appetitum, qualem Reges sæpenumerò patiuntur. *Cùm aliis*, inqoit, *defuisse non inueniamus; & multò minus Regi deesse potuerit: irrationabilem quandam concupiscentiam*
D *passus, desiderauit eam, quæ hostium erat circumfusione vallata. Vnde sine maximo periculo non facilè potuisset deferri.* Addo, hanc Dauidis sitim typicam fuisse, multas res significantem suis locis exprimendas; & inter alias miseram Principum auaritiam, semper ad plures, quàm habeant, opes adspirantium: ita vt, cùm priuati homines in sua mediocritate abundent; Principes in sua abundantia egeant, & propriis diuitiis parcant, vt deuorent alienas. Sed obiter aduerte, potum, quem desiderauit Dauid, fuisse de lacu: cœnosa enim est diuitiarum pulchritudo, quæ animos inficit, quamuis corpora venustet.

Reges aliorũ damno sibi delitias quærunt.

D. Ambr.

Reges, licèt multum habeant, plus sitiunt.

V. Ad hæc, cùm olim Abram & Lot nimiùm di-
E tescerent, nec posset eos capere terra: *Facta est rixa inter pastores gregum vtriusque.* Gen. 13. num. 7. Sed cur inter pastores potiùs, quàm inter agricultores, aliósque seruos, hæc de occupandis agris contentio facta est? Credo, quia illi pastores cæteros mundi Principes adumbrabant. Nam subditi sua paupertate contenti viuunt: Principes suas inter opes inopes pro alienis acquirendis præliantur. Vide D. Ambrosius lib. 1. De Abraham, c. 3. *Seculare*, inquit, *vitium, vt diuites terra non capiat. Nihil enim satis est diuitum cupiditati. Quantò ditior quis fuerit, tantò auidior ad possidendum*

Principes ac pastores semper de opibus præliantur.

Ambr.

dum est: extendere agri terminos cupit, & vicinum excludere. Moderatiores quidem sunt in hac diuitiarum appetentia priuati homines, quàm Primates. Accusatus aliquando apud Alexandrum Macedonem quidam pirata: interrogatus ab eo, cur mare infestaret: libere, & vt libuit, respondit, teste Cicerone, lib. 3. De Repub. & D. August. lib. 4. De ciuitate, c. 4. *Et cur tu,* inquit, *orbem terrarum? Sed, quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor: quia tu magna classe, imperator.* Quare peiores sine dubio sunt in regno auari Principes, quàm in mari auidi piratæ. Nam hi, licèt opum appetitu ferantur; tamen suppliciorum metu coërcentur: illis autem, inquit D. Aug. citatus, *non adempta cupiditas, sed addita impunitas.* Quæ sanè causa fuit, vt Lucanus lib. 10. sub initium, magnum Alexandrum appellet felicem terrarum prædonem. Nam loquutus de eius sepolchro, ita canit:

Cicer.

Peiores auari Principes, quã auidi piratæ.

Lucan.

Illic Pellæi proles vesana Philippi,
Felix prædo iacet terrarum. ———

Prædonem quidem vocat, propter ingentes prædas, quas toto orbe agebat: felicem verò, propter impunitatem, qua liberè prædabatur.

Alexander orbis prædo impunitus.

VI. Quis Achabo Rege cupidior, qui, cùm ingentes opes possideret, vnam tantùm pauperis vineam appetebat? Vnde D. Ambros. lib. De Naboth, c. 2. *O diues, inquit, nescis, quàm pauper sis! Quanto plùs habueris, plùs requiris. Inflammatur lucro auaritia, non restinguitur. Quasi quosdam gradus cupiditas habet: quò plures ascenderit, eò ad altiora festinat, vnde sit grauiùs ruina lapsuro.* Et statim comparans Regem Achab cum paupere Naboth, *Ille*, inquit, *regni opibus affluebat; & tamen cespitem pauperis flagitabat. Pauper nihil de possessionibus concupiuit diuitis. Quis igitur tibi pauper videtur? Qui contentus est suo: aut qui concupiscit alienum?* Sed vlteriùs attende, quò auarus Rex ab insana appetentia præcipitetur. Nam ad Naboth vicinum & inopem, *Da mihi*, inquit, *vineam tuam: daboq; tibi pro ea vineam meliorem.* 3. Regum 21. n. 2. Miseram regis auaritiam expende. Io primis diues à paupere emendicat, dicens: *Da mihi.* Quod D. Ambros. citatus expendens, *Hec*, inquit, *quàm abiecta, quàm vilia? Non habent enim humilitatis affectum, sed cupiditatis incendium.* Deinde commutationem offert: *Daboque tibi vineam meliorem.* Quod mirum alicui videatur. Nam, si auarus erat, cur meliorem vineam cum deteriore commutabat. D. Ambros. libr. De Naboth, cap. 2. *Diues, inquit, quod suum est, quasi vile fastidit: quod alienum est, quasi pretiosissimum concupiscit.* Quod paulò aliter sic explico. Quia auarus, licèt id, quod possidet, tenuissimum iudicet; tamen id ipsum, cùm dat, pretiosissimum credit. Vineam igitur, quam possidens, tenuem credebat; largiens, vberem iudicabat. Addo duas rationes. Vnam, quia fortè cum dolo promittebat: non, vt suam daret; sed, vt alienam extorqueret: quod posteà apparuit; cùm re vera alienam eripuit, & propriam non rependit. Alteram, quia, licèt illa vinea Naboth deterior esset; tamen erat Regi vicinior: auari autem Reges nihil prope se alienom esse patiuntur: ne sæpiùs videndo, sæpiùs torqueantur. Et propterea Achab *auertit faciem suam ad parietem.* Ibidem, n. 4. *Quia diuites*, inquit D. Ambros. citatus, c. 3. *velant faciem suam, ne videant vicinum iuxta se aliquid possidere.* Misera planè Regum cupiditas, qui nunquam propriis commodis saturantur, dum aliqua superesse aliena intuentur.

D. Ambr. Auarus vni quolibet paupere pauperior.

D. Ambr. Diues auarus à paupere etiam emendicat.

D. Ambr.

Auari ea solum, qua dat, reducunt pretiosissima.

Auari vicini boni torquentur aspectu. D. Ambr.

VII. Hanc Iudæorum Principum auaritiam arguens Propheta dicebat: *Repleta est terra argento & auro, & non est finis thesaurorum eius.* Isai. 2. n. 7. Sed, cur dicuntur thesauri Principum Israël, finem non habere: licèt enim ingentes, tamen infiniti non fuerunt? Optime D. Hieronymus ad eum locum, *Non est finis*, inquit, *thesaurorum eius: non, quòd thesauri finem non habeant, sed quòd possidentium animus non impleatur.* Rectè docet D. Augustinus serm. 25. De verbis Apostoli, maiorem esse hominum, quàm ferarum cupiditatem: *Cum ipse*, inquit, *belluæ habeant modum. Tunc enim rapiunt, quando esuriunt: parcunt verò prædæ, cùm senserint satietatem. Inexplebilis est sola auaritia diuitum: semper rapit, & nunquam satiatur.* Quod eleganter expressit Horatius lib. 1. ser. Satyr. 1. exemplo formicæ, quæ quidem æstiuo tempore ad sua cellaria implenda accommodato,

A

Possidentium animus nunquam impletur. D. Hier.

D. August.

Maior hominum, quàm ferarum cupiditas.

Horat.

B

Ore trahit, quodcunque potest, atque addit aceruo.

Nihilominus hyberno tempore redeunte, à suo quærendi & conuehendi labore feriata,

Non vsquàm prorepit, & illis vtitur antè
Quæsitis patiens: cùm te neque feruidus æstus
Dimoueat lucro; neque hyems, ignis, mare, ferrum,
Nil obstet tibi: dum, ne sit te ditior alter.

Auaro nihil obstat, vt comparet.

En humana cupiditas, ipso quoque belluino appetitu effrænatior. Quam enim belluæ rationis expertes appetentiam coërcent: homines rationis compotes profligant. Nescio, ao exaggeratiùs loquatur D. Bernard. Ferm. De conuersione ad Clericos, cap. 21. *Non priùs*, inquit, *satiabuntur corda hominum auro, quàm aura corpora saginentur.* Vides illum respirandi laborem, in singulis hominibus iugem ac perennem: vt nonquàm à duceoda aura, neque dies, oeque noctes interquiescant: At similis omninò est in singulis diuitibus ad congregandum aorum appetitus, vt nunquàm hæc eorum cupiditas expleatur.

C

D. Bernar. Vt homo aura nunquam satiatur, ita auarus auro.

Non minùs expressa est illa similitudo, qua vtitur D. Basilius hom. 21. in aliquot Scripturæ locos, auari appetentiã cũ ignis vehemẽtia comparaos. Nam, vt *ignis nunquam dicit: sufficit.* Prou. 30. n. 16. ita auarus nunquàm putat, sibi diuitiarum satis esse, quantascunque diuitias vndique conquitat: *Auaritia malum*, inquit, *stare nescit, sed ignis naturæ simile. Ignis enim, postquam incendium attigit, omnem properat absumere materiam. Nec priùs desistere poterit, quàm materia defecerit. Auarum autem quid retinere poterit? Igne vehementior est: omnia continuando finibus suis occupat; ea, quæ sunt vicini, sibi aufert. Mox vbi alium fortitur vicinum, & quæ illius sunt, ad se rapit. Non ob ea, quæ possidet, lætatur, sed ob ea, quibus caret, angitur. Neque iis, quæ congregauit, fruitur; sed cupiditate plura consequendi, se magis excruciat.* Eadem similitudine vtitur hom. 6. & 7. in diuites auaros. & Oratione 15. De auaritia. Itaque sicut ignis, quò plus pabuli, eò plus roboris acquirit, vt violentior grassetur; & quò plura vorat, eò insatiabilior helluatur: ita & auarus, quò plures opes congerit, eò pluribus congerendis appetentior incumbit. Denique D. Aug. lib. De salutaribus documentis, c. 30. ab ipsa inferorum cupiditate ducens similitudinem, *Auarus*, inquit, *inferno est similis. Infernus enim quantoscunque deuorauerit, nunquàm dicit: Satis est. Sic etsi omnes thesauri confluxerint in auarum, nunquàm satiabitur.* Concinit D. Basil. oratione 15. citata: *Nunquàm*, inquit, *auarus accipiendo satiatur: & vt Pluto infernus, nunquàm dicit, satis sibi esse; sic neque auarus illam vocem vllo tempore protulit, sufficit.* Vbi vterque sanctissimus Doctor alludit ad illum locum Salomonis: *Infernus & perditio nunquam implentur: similiter & oculi hominum insatiabiles.* Prou. 27. n. 20. Quid auaro infelicius, qui viuens infernum animo concludit; moriens inferno concludendus?

VIII. *D. Basil. Auaritia ignis naturæ assimilis.*

D

Auarus quò ditior, eò appetentior. D. Aug.

E

D. Basil. Auarus inferno maximè similis.

IX. *Auaritia totum sibi orbem acquirit.*

Vtinam terram tantùm desiderarent auari, non occuparent. Sed eam planè rapiunt violenti. Vnde illa Prophetæ in auaros Principes comminatio: *Va, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci.* Isai. 5. num. 8. Hoc est, qui domos vestris vicinas, & agros vestris conterminos vsurpatis. Et cùm semper vestræ possessiones, quantumcunque dilatentur, in alias vicinas incurrant; semper vestra cupiditas habet vlterius, quò procedat: *Vsque ad terminum loci.* Hoc est, vel vsque ad terminum terræ, quam totam vultis possidere: vel vsque ad terminum vitæ, quam totam vultis opes congregando dissipare. Hunc verò auaritiæ processum declarat D. Basilius ad eum locum sua illa similitudine incendij. Vt enim incendium ab vna domo, vel ab vna sylua in vicinam transfusum; & ab hac in proximam transmissum; & ab his in alias atque alias progressum; corripiendo priores, vehementius & insolentius fit ad corripiendas posteriores; nec vnquàm desinit euagari, quandiu se offert materia, qua euagetur: ita planè & auarus à propriis agris in vicinos proserpendo; & ab his in propiores desultando; & per hos in alios atque alios eodem vires acquirit in singulos dies auctiores, quibus io alienas possessiones liberior inuehatur. Nec minùs apta est alia à fluuiis inundantibus similitudo, qua vtitur idem D. Basilius homil. 7. in diuites auaros: *Velut flumina, inquit, ex paruis initiis excuntia, deinde paulatim incrementum intolerabile in processu accipientia, impetu demum violento, quidquid obiicitur, secum trahunt: sic & ij, qui in magnam prouehuntur potestatem, ex eo, quod iam aliquos oppresserunt, ad maiora continuò facinora, maioresq; iniurias progrediuntur. Potentia incrementum fit eis sceleris occasio maioris.*

D. Basil. *Auaritia incendio aptè comparatur, primò.*

D. Basil.

Auaritia effrænis nullis terminis cohibetur.

Cautum erat diuina lege, ne quis agrorum terminos commutaret, vt suos agros faceret longiores: *Non assumes*, inquit, *& transferes terminos proximi tui, quos fixerunt priores in possessione tua.* Deut. 19. num. 14. Et qui secus faceret, maledictionibus subiacebat: *Maledictus, qui transfert terminos proximi sui. Et dicet omnis populus: Amen.* Deuter. 27. n. 17. Quis tantam & culpam & pœnam non perhorresceret? Et nihilominùs Principes auari neutro ex his fræno coërcebantur; iuxta illud: *Facti sunt Principes Iuda, quasi assumentes terminum.* Oseæ 5. n. 10. seu, vt habent Septuaginta: *Transferentes terminum.* Auaritia enim nullis frænis, aut habenis inhibetur.

X. *Facilius inhibetur astrorum rapiditas, quàm auari rapacitas.*

Quis rapidior & concitatior currus, quàm solaris, quàm lunaris? Vtrunque tamen Iosuè vnica voce retinuit ac repressit. Ad eius imperium *Steterunt Sol & Luna*, inquit Textus, *obediente Domino voci hominis.* Ios. 10. n. 13. & 14. Nihilominùs auaritiam Achan ne seuerissimis quidem minis potuit Iosuè coërcere. Nam, illo grauissimè obtestante, vt cauerent omnes, ne quippiam de præda contingerent, &c. Ios. 6. n. 18. tamen Achan auaritia impellente, *tulit aliquid de anathemate.* Ios. 7. n. 1. Quasi sanctissimi Principis auctoritas & potestas plùs aduersùs astrorum rapiditatem, quàm aduersùs auarorum rapacitatem præualeret. Quod suprà Annotat. 19. Sect. 1. §. 9. ex D. Ambros. expendi. Qui subdit: *Sole itaque stante confecit Iesus triumphum; auaritia autem procedente, penè amisit victoriam.* Vbi meritò notat Ambrosius, auaritiæ vitio contigisse, vt victoria penè amitteretur: cùm sæpissimè contingat, vt dum victores prædæ incumbunt; victoria non modò penè, sed etiam penitùs amittatur. Quod ipse Diuus Ambrosius lib. 1. Offic. c. 39. rectè obseruat: *Frequenter, inquit, pulsis hostibus, inclinata in fugam aduer-*

Auaritia sæpè amittitur victoria. D. Amb.

A *sariorum acie; dum exuuiis cæsorum capitur præliator, inter ipsos, quos strauit, miserandus occubuit: & triumphis suis delecta legiones, dum spoliis occupantur, hostem in se reuocarunt, qui fugerat.* Tantum oritur non modò ciuilibus, sed etiam militaribus officiis ex auaritia nocumentum.

XI. *Auari non vno elemento contenti, vt reliqua aut.... mantes.* D. Ambr.

At, quibus tandem finibus auaritia circumscribitur? Singolæ animantes singula sibi poscunt elementa, quibus commorentur: auari terræ marique, vt maiores prædas faciant, dominantur. Vnde D. Ambros. lib. 5. Hexam. cap. 10. *Deficit*, inquit, *terra hominibus; sternuntur & maria. Rursus pro singulorum libidine inciditur terra, mare infunditur, vt insulas faciant, vt possideant freta: spatia maris sibi vendicant iure mancipij.* Sic ille. Vbi molB tò pluta de hac re. Hinc illa maris cum Sidone, Principe vrbe, emporióque amplissimo expostulatio. *Erubesce, Sidon, ait mare.* Isai. 23. n. 4. Vnde D. Ambrosius hanc prosopopæiam vberius prosequutus lib. De Helia, c. 19. *Fatigati, inquit, elementi vox ista est, dicentis: Erubesce, Sidon. Nec est meos fluctus negotiator arguis, cum sis ipse fluctibus inquietior. Erubesce, vel pudore, quoniam periculo non moueris. Verecundiores venti sunt, quàm vestra cupiditates. Illi habent otia sua; nunquàm vestra quarendi studia feriantur. Et cùm otiosa tempestas est, nunquàm vestra otiosa sunt nauigia. Versatur vnda sub remige, quando quiescit à flamine.* Quibus verbis qoid aptius, quid elegantius ad immoderatam diuitum cupiditatem arguendam dici possit, haud scio.

D. Ambr. *Eorum cupiditate mare etiam fatigatum ingemiscit.*

XII. *Notatur auaritia Hebræorum.*

C Sed, quæ, obsecro, rerum copia auaros animos saturabit? Hebræi de Ægypto egressi, totas Ægypti diuitias secum abripuerant. Exod. 12. n. 25. Et nihilominùs adhuc cupidi ad spolia Ægyptiorum de mari rubro in littus exeuntium adspirabant. Nam, postquàm Ægyptios mari rubro oppressos fluctus ad terram euomerunt, Hebræi ad eos diripiendos ac denudandos iouolarunt; nisi quidem Moyses acriter obstitisset, nihil de via capessenda vlterius curaturi. *Tulit Moyses*, inquit Textus, *Israël de mari rubro.* Exodi 15. nom. 22. vbi Lyranus, *Dicitur*, inquit, *Tulit: quia cum quadam violentia & importunitate fecit eos inde recedere. Erant enim cupidi, & ideò nimis intenti ad spolia Ægyptiorum* D *submersorum colligenda.* Ita Lyranus. Quid hoc est, boni Israëlitæ? Si quidquid auri, quidquid argenti, quidquid pretiosæ vestis in Ægypto erat, vobiscum pariter extulistis: cur modò ad laceras & attritas ac sale tabescentes vestes inhiatis? Nempe, saturari nunqoàm potest insana cupiditas acquirendi. Immò, vt bene D. Basilius hom. 7. in diuites auaros, *Non solùm*, inquit, *crescendo non expletur; sed ardentior redditur appetitus. Velut ebriis occasio sitiendi est vini copia & augmentum: sic & qui repentè ditatus est, plura possidens, plura concupiscit.* Et statim obseruat miseros auaros, non tam exhilarari propter diuitias iam acquisitas, quàm propter acquirendas excruciari.

Lyran.

Auari similes ebriis, qui quò plus bibit, plùs sitit. D. Basil.

XIII. *Auari magno vitæ periculo lucro inseruiunt.* Theodor.

Terram promissionis feliciter ingressus Israël, *Fecit Chananæos sibi tributarios, & delere noluit.* Iud. E 1. n. 28. At, cur acerrimos hostes non penitùs deleuit? Theodoret. ibi quæstione 6. duplicem reddit rationem: *In primis, inquit, propter ignauiam. Deinde ob immodicam auaritiam.* Sic ille. Hæc posterior ratio nostrum probè confirmat institutum. Nam, si Chananæos omninò extinguerent; non haberent, à quibus tributa reposcerent. Suo igitur lucro inseruire, quàm suum periculum effugere maluerunt. Adeò, quandio vita durat, habendi sitis inardescit. In deserto, qoo Israëlita vagabantur, *Erat*, inquit Moyses, *serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas, & nulla omninò aqua; qui eduxit*

rinos

Dipsas aspidis genus.

rinos de petra durissima. Deuter. 8. num. 15. Porrò dipsas, aspidis genus est, quæ latinè dicitur situla, à siti: vel quam ipsa patitur, cùm propter siccam, igneámque naturam, nullis queat fluentis irrigari & expleri. Vnde Lucanus lib. 9. circa medium, de fonte in Libycis arenariis inuento, subdit:

Lucan.

——Stabant in margine sicca
Aspides, in mediis sitiebant Dipsades vndis.

Quasi ne circumfusis quidem aquis ignea earum sitis extingueretur. Vel quam ipsa, inquam, patitur: vel quam ipsa ingerit hominibus à se morsis, teste D. Isidoro lib. 12. Etymolog. cap. 4. vbi de hac re loquutus: *Dipsades, inquit, vocantur serpentes nocentissimi; eò quod morsi ab eis continuò inarescant, & siti ardeant: quare potum incessanter haurientes, tandem crepant ac dissiliunt.* Quod Diuus Gregorius Nazianz. in carmine Iambico 22. ad opum amantes, ita cecinit:

D. Isid. Quos mordet, siti enecat.

D. Greg.

Est viperarum quodpiam dipsas genus,
Quas solitudo Pharia plures alit:
Perit bibendo, quisquis hac ictus fuit;
Aquis repertis, totus in eas irruens,
Quousque nimio turgidus potu crepet:
Vita cadente sæua sic cadit sitis.

Eiusmodi serpentibus auari aptè conferuntur.

Cum hoc igitur serpente non immeritò comparat D. Gregorius citatus, hominem auarum: vt enim ille sitim quandam inexplebilem, & in se patitur, & in iis, quos mordet, efficit, ita vt nullis aquis satientur, quousque tandem bibendo largiùs, quàm oporteat, rumpantur: ita planè & C auari nullis opibus expleri possunt; nec priùs eorum cupiditas, quàm vita terminatur.

XIV. *Auari malunt fame perire, quàm suis opibus defraudari.*

His auaritiæ morsibus percussi Israëlitæ in deserto; propriis opibus non contenti, alienas appetebant. Nam, cùm secum ex Ægypto eduxerint *oues, & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis.* Exod. 12. num. 38. quæ nouâ in dies fæturâ multiplicata vsque ad primum in Palæsthinam ingressum conseruarunt. Num. 32. num. 1. tamen in media solitudine, quasi fame tabescentes, suspirabant: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* Num. 11. num. 4. Ac si nullas tunc haberent, quibus vescerentur. Quis non miretur hos Tantalos, sitientes inter vndas; esurientes inter epulas? Quid moramini, ô Hebræi? D cur non mactatis has pecudes? cur non iugulatis hæc armenta? cur hos agnos, hœdos, vitulos, quos innumeros vobiscum de Ægypto extulistis, non occiditis? cur lauta conuiuia non instituitis? cur vestram appetentiam non expletis? cur ad carnes Ægyptiacas nihilò his suauiores suspiratis? Quia, scilicet, respondet ad eum locum Lyranus, *Propter suam auaritiam parcebant suis animalibus.* Malebant enim fame perire, quàm suas pecudes interimere; ne perderent pecunias ex pecudibus colligendas. Cui interpretationi concinunt verba, quæ sequuntur: *Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis.* Ibid. num. 5. Quasi illas epulas desiderarent; non quòd gratiores & suauiores essent; sed quòd gratuitæ, seu E gratis haberentur. Eadem commotus intemperantia Rex Achab, cùm mensa lautissima vteretur, tamen *proiiciens se in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem, & non comedit panem.* 3. Reg. 21. num. 4. Cuius inediæ rationem inculcans D. Ambr. citatus, c. 4. *Non manducauit, inquit, panem suum: quoniam quærebat alienum. Etenim diuites magis alienum panem, quàm suum manducant: qui raptu viuunt, & rapinis sumptum exercent suum.* En ille diues Euangelij, qui frugibus abundabat, & horreis indigebat: *Quid faciam,* in-

Lyra.

Auari, quod paruo cōstat, sibi optant in escam.

D. Ambr. Auaris solùm sapiunt opes aliena.

A quit, *quia non habeo, quò congregem fructus meos?* Luc. 12. n. 17. Vbi in primis consultat, quid sibi facto opus sit: quæ est propria pauperum deliberatio, non habentium, vnde sibi victum emendicent. Vnde D. Ambr. citatus, cap. 6. *Nónne hæc pauperis vox est, non habentis subsidia viuendi? Et quid faciam?* Deinde in tanta rerum copia ingenue fatetur, se inopia laborare: *Non habeo,* inquit, &c. Vbi rursus D. Ambr. *Clamat, inquit, se diues non habere. Paupertatis hic sermo est: de inopia queritur, abundans fructibus.* Quare in illum exclamans D. Petrus Chrysologus sermone 104. *Miserum, inquit, quem vbertas sterilem, abundantia anxium, inhumanum copia, diuitia fecère mendicum.* Scilicet, vt rectè obseruat D. Basilius homil. 6. in auaros B ditescentes, ex illa externa copia in mentis inopiam incidebat: horrea multitudine fructuum rumpebantur; animus non explebatur: terra se in illum liberalem; ille se in pauperes auarum exhibebat: & quos illa fructus effundebat largiter, ipse infeliciter congregabat. Denique addit Basilius: *Nondum habebat fructus; & iam illos egenis inuidebat.* Quid insanius ac dementius?

D. Ambr. Auari in tāta rerum copia, inopia laborant.

D. Chrys.

D. Basil.

Auarus egenorum inuidus.

XV.

At, quæ in illo auari corde febris tantam sitim excitabat? Illa profectò, ni fallor, illa vipera sitibunda, hoc est, Diabolus, qui eius animum obsidebat. Quæret aliquis, cum quo iste diues sua consilia tam sollicitus communicaret, dicens: *Quid faciam?* Diuus Basilius proximè citatus ait, hunc auarum, non alium, quàm se ipsum consultorem C quæsisse: & propterea turpiter errasse, destruendo horrea, quæ potiùs egenis reserari oportebat: *Ex te ipso, inquit, captas consilium? Planè imprudēti vteris consiliario.* Quam deinceps imprudentiam latiùs ostendit; & rursus Oratione 15. in auaros, fusiùs exequitur. Nihilominùs D. Petrus Chrysologus serm. 104. citato, docet, hunc diuitem suum cum Diabolo consilium communicasse: *Quem putas, inquit, interrogabat iste? Erat in illo alter: quia ad eius penetralia iam Diabolus possessor insederat: & qui intrauerat in cor Iuda, mentis eius tenebat arcanum.* Ita ille. Et statim ex malo consilio suscepto: *Destruam horrea:* colligit consiliarij prauitatem: *Euidenter, inquit, apparuit, qui latebat: quia à destructione incipit semper inimicus.* D *Agit, agit, vt quæ habes, destruas; & quæ concupieris, non reformes.* Itaque sic res habet, vt qui ab auaritia possidetur, à Diabolo possideri censeatur. Vnde filij Samuelis in Vulgata quidem dicuntur post auaritiam declinasse: sed in Chaldæo: *Post mammonam,* hoc est, *idolum falsitatis:* ac si mammona & auaritia nihil inter se distinguerentur. Ex quo fit, vt qui auaritiæ seruit, Diabolo seruiat, iuxta illud: *Auarus, quod est idolorum seruitus:* seu, vt in aliquibus Bibliis habetur: *Qui est idolorum seruus.* Ephes. 5. num. 5. Et propterea olim in deserto, ex auro, quod est auaritiæ nutrimentum, proiecto in ignem, egressus est ille vitulus, quem Israëlitæ pro Deo adorarunt. Exodi 32. num. 24. *Quo indicio,* inquit Diuus Ambro- E sius in priori Apologia Dauid, cap. 4. *claruit auri cupiditatem, materiam esse perfidiæ, & auaritiæ studio sacrilegia solere generari.* Immò, sicut Moyses in libro Genesis nihil dixit de creatione Angelorum, veritus, ne homines eorum pulchritudine decepti, Angelos pro Diis adorarent; vt Diuus Chrysostomus hom. 2. in Genesim. Theodoretus ibidem, quæst. 2. plurésque alij obseruant: ita nihil dixit de productione auri & argenti; veritus, ne homines hæc metalla, tanquàm Numina, venerarentur.

Auarus sibi ipsi imprudēs consiliarius.

D. Basil.

D. Chrysol. Auari consiliarius, Diabolus est.

Qui auaritiæ seruit, Diabolo seruit.

D. Ambr. Aurum materia idolorū & perfidiæ.

Tacetur aurum à Moyse, ne, vt Numē veneraretur.

XVI. Quare diuites auari, qui in regno Diaboli ver-

 santur,

Diuites non sunt apti regno Dei. fantur, apti non sunt ad regnum Dei. Vnde Christus Dominus per Isaiam cap. 61. num. 1. *Ad annuntiandum*, inquit, *mansuetis*: seu, vt habent Septuaginta: *Ad annuntiandum pauperibus misit me.* Sed, cur non etiam ad annuntiandum diuitibus, se missum fuisse dixit, cùm sine dubio ad omnium salutem missus fuerit? Respondet Isidorus Clarius Oratione 19. in Lucam, aptè ad rem præsentem: *Se, inquit, missum dicit ad euangelizandum pauperibus: perinde quasi diuites nihil ad hanc prædicationem pertineant. Et reuerà ita est. Nam causam diuitum pro re desperata posuit Dominus, cùm dixit: Facilius est, camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.* Lucæ 18. num. 25. Sic ille. Igitur, qui aurum coogregant, venenum potant; quo non solùm de temporaria, sed etiam de æterna vita deuoluuntur. Vt ostendi potest illo oraculo, quod olim de cœlo datum refert Henricus Gandauensis in quodam Quodlibeto apud Lyranum, Deut. 32. Narrat enim quo tempore Constantinus Imperator Ecclesiam amplissimis opibus donauit, hanc è cœlo vocem exauditam: *Hodie cecidit venenum in Ecclesiam Dei.* Quasi non minùs animi auro, quàm corpora veneno inficiantur. Obseruanda est in hanc rem illa moralis interpretatio, qua vtitur D. Thomas in cap. 8. Genes. seu quisquis ille est Commentator in Genesim, qui sub eius nomine circumfertur: nam expendens illa verba: *Videntes filij Dei filias hominum, quòd essent pulchræ; acceperunt sibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Genes. 6. num. 2. Et illa, quæ paulò pòst sequuntur: *Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæque genuerunt; isti sunt potentes à seculo viri famosi.* Ibid. n. 4. Hæc verba, inquam, expendens, moraliter ad rem præsentem interpretatur, qui fuerint filij Dei, quæ filiæ hominum, qui gigantes ex vtrisque generati: *A tempore, inquit, quo filij Dei, Clerici, scilicet, & Religiosi, videntes filias hominum, id est, villas & ciuitates & temporales diuitias earum; quòd essent pulchra, & quòd de facili generant multam & magnam prolem: acceperunt sibi pro libito vndequaque. Ex tunc orti sunt in terra gigantes, in magnis & mirabilibus super se ambulantes; qui potius videntur Reges, vel Marchiones, quàm Episcopi, vel Abbates. Et hi sunt fortes, vel potentes à seculo viri famosi. Et ideò, non mirum, si per eos erigatur imago bestia, & statua Babylonis, & terrena ciuitas dilatetur. Et præcipuè hoc timendum est, si filij euangelica paupertatis, prædictas filias hominum amplectantur & ambiant; ne ex eis generent Pseudochristos, & prodigia magna.* Ex qua interpretatione deducitur, quàm monstrosos erumpant in fœtus, qui diuitiis auarè congregandis incumbunt.

Isid. Clar. — *Gandau.* — *Lyra.* — *Aurū Ecclesiæ venenum.* — *Ex auaritia qua monstra oriantur.*

XVII. *Auarus etiā est, qui rapit aliena.* Quòd si diuitiarum possessores non leuiter periclitantur; quid raptores? Si debitas opes repetentes arguuntur; quid in indebitas inuolantes? Ad Christum Dominum quidam de turba iustam, vt videbatur, deferens litem, *Magister*, inquit, *dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem.* Lucæ 12. num. 13. Quem Christus Dominus grauiter à se repellens, *Homo*, inquit, *quis me constituit Iudicem, aut diuisorem super vos?* Ibidem, num. 14. Et vt ostenderet, totam illam causam quodam auaritiæ fuco tectam & illusam esse, subdidit: *Videte & cauete ab omni auaritia.* Vbi suprà, num. 15. Quod expendens D. Augustinus serm. 196. De tempore: *Non solùm*, inquit, *auarus est, qui rapit aliena: sed ille auarus est, qui cupidè seruat sua.* Atque hinc statim probè argumentatus ad rem præsentem, *Si sic*, ait, *culpatur, qui cupidè*

D. Aug.

A *conseruat sua: quomodo iudicaturus est te; cùm non solum seruas tua, sed etiam quæris aliena?* De diuite auaro dicitur: *Mortuus est & diues, & sepultus est in inferno.* Lucæ 16. n. 22. Quo ex loco simile argumentum deducit Diuus Augustinus De verbis Domini, serm. 24. *Si sic*, inquit, *moriuntur superbi rerum suarum conseruatores, & nihil inde pauperibus largientes: quomodo moriuntur, qui rapiunt aliena?* Guttulam postulabat hic auarus, qua refrigeraret linguam suam, gehennalibus flammis excruciatam. Vbi suprà, num. 24. Cuius tam atrocis pœnæ causam, seu culpam inquirens D. August. De verbis Apostoli, serm. 21. *Desiderauit*, inquit, *guttam, qui non dedit micam.* Et statim solenni vsus argumento: *Si hæc ergo*, inquit, *pœna est auarorum, qua*

B *pœna raptorum?* In extremo Iudicio Christus Dominus reprobos à se ablegabit illis verbis: *Discedite à me, maledicti, in ignē æternum.* Et statim tanti rationem supplicij assignās, *Esuriui enim*, inquiet, *& non dedistis mihi manducare*, &c. Matth. 25. n. 41. Ad quem locum D. Aug. serm. 20. De verbis Domini, efficaci argumentatione nostrum institutum concludens, *Si in ignem, inquit, mittitur, qui non dedit rem propriam; putas, vbi mittendus est, qui inuasit alienam? Si cum Diabolo ardere habet, qui nudum non vestiuit; putas, vbi arsurus est, qui expoliauit?* Sed de hoc argumento vide, quæ diximus in 1. Tom. Annot. 18. §. 4.

D. August. Si auari æter. nā cruciātur, quid diuitia rū raptores. — *D. Aug.* — *D. August. Æterni supplicij causa auaritia est.*

XVIII. *Auaritia vt pestis omnia populatur.* Vides, quanta sit auaritiæ pestis, quantum venenum, quæ tantum suis professoribus exitium C machinatur? Rectè igitur D. Chrysost. homil. 9. in Matth. ad finem, *Venenatissimos*, inquit, *auaritia morsus remedio congruente sanemus: & procul ab hac peste fugiamus.* Ita planè fugit Moyses. Nam, cùm reliqui Hebræi de Ægypto egressi, immensas opes secum exportarint, vt paulò antè diximus; Moyses nihil ampliùs secum tulisse dicitur, quam ossa Ioseph: *Tulit*, inquit Textus, *Moyses ossa Ioseph secum.* Exod. 13. num. 19. De quo proinde rectè Philo Iudæus lib. De præmiis & pœnis, ad finem, *Regnauit*, inquit, *Moyses non more aliorum, fretus copiis equestribus & pedestribus: sed Deo, cuius autoritate regnum acceperat.* Et statim: *Hunc solum memoria proditum est, sine auro argentóque, ac reli-*

D *quis opibus regnum administrasse, consilium perspicacis, non eaca opulentia: & vt nihil dissimulem, pro suo censu habentem quidquid Deus possidet.* Quo nescio, an quid grauius in laudem Moysis omnia temporalia lucra sperneotis dici potuerit. Quasi terrenatum opum contemptor, diuinatum possessor censeatur. Ab eadem peste longissimè recessit & Iosuë. Nam, cùm terram Promissionis inter filios Israëlis distribueret, nullam ipse sibi terræ portionem vsurpauit; sed tanquam pauper & mendicus, quam ab aliis petiit, accepit. *Dederunt*, inquit Textus, *filij Israël possessionem Iosue filio Nun in medio sui, iuxta verbum Domini: vrbem, quam postulauit Thamnath-Saraa in monte Ephraim.* Iosuē 19. num. 49. Vbi Theodor. quæst. 17. singularem

E Ducis parcimoniam & frugalitatem admiratus, eum facit verum Christi Domini, non tantùm nomine, sed & opere imitatorem: *Imitatus*, inquit, *est in eo modestiam Domini, qui extremam experius est inopiam; ita vt ne domum quidem haberet. Filius, inquit, hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Cùm autem eiusdem nominis Iosue, typus esset ipsius, partem sibi non impertiuit; sed eam, quæ oblata est, accepit. Docens eos, qui in aliquo magisterio sunt constituti, non suis commodis, sed vtilitati subditorum inseruire debere.* Vbi etiam aduerte, Iosuē non fertilem & vberem terræ partem; sed planè sterilem & infœcundam postulasse. Nam Saraa significat

D. Chrys. — *Philo. Solus Moyses, vtpote non auarus, omnia possidebat.* — *Iosuē singularis parcimonia Christi Domini nomine & opere imitator.* — *Theod.* — *Iosuē non fœcunda sibi elegit, sed infœcunda.*

significat ateſcentem, ſeu fœtentem, à verbo, סרח Sarah, quod eſt, corrumpere, ſeu fœtere. Vnde D. Hieron. epiſtol. 27. ad Euſtochium de Paulæ epitaphio, ante medium, loquutus de Paula ſingulas Terræ ſanctæ ſtationes perluſtrante, *Satis*, inquit, *mirata eſt, quòd diſtributor poſſeſſionum ſibi montana & aſpera delegiſſet.*

D. Hier.

XIX. Idem auri commercium veteres Patriarchæ, tanquàm contagium, effugerunt. Nam, cùm Rex Sodomorum ampliſſimam prædam bello partam Abrahæ offerret: Abraham manum auertit à terrenis opibus, & ad cæleſtes potiùs capiendas eleuauit: *Leuo*, inquit, *manum meam ad Dominum Deum excelſum, poſſeſſorem cæli & terræ; quòd à filo ſubtegminis, vſque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua ſunt.* Gen. 14. num. 22. In quem locum D. Ambr. lib. 2. De Abraham, c. 8. *Quaſi contagium*, inquit, *declinat intemperantiæ, quaſi labem vſfugit corporalium ſenſuum, delectationes mundi reiicit, quærens, quæ ſupra mundum ſunt: hoc eſt extendere manus ad Dominum.* Sic ille. Abrahamum imitatus fuit & Iacobus. Nam, cùm à Laban de furto argueretur, *Quam ob culpam meã*, inquit, *& ob quod peccatum meum ſic exarſiſti poſt me, & ſcrutatus es omnem ſupellectilem meam? Quid inuenisti de cunctâ ſubſtantia domus tuæ? Pone hîc coram fratribus meis*, &c. Geneſ. 31. n. 36. Quaſi diceret, inquit D. Ambroſius lib. 2. De Iacob & vita beata, cap. 5. *Omnia tua tanquàm contagium refugi.* Denique & Naboth argentum ſibi oblatum à Rege Achab repudiauit. 3. Reg. 21. n. 3. Nec immeritò, inquit D. Ambroſ. lib. De Naboth, cap. 3. *Quaſi quandam contagionem ſui pecuniam eſſe diuitis arbitretur.* Hi igitur terrenarum diuitiarum contemptores & oſores, iudicum digni erant; non autem filij Samuelis, qui poſt auaritiam declinabant. Nam ad imperandum illi à Deo requirebantur, *qui oderant auaritiam.* Exod. 18. num. 21. non autem qui auaritiam diligebant.

Qui auaritiã fugit contagium, cæleſtes opes adipiſcitur.

D. Amb.

D. Ambr.

D. Ambr. *Pecunia diuitis contagium eſt.*

Solum diuitiarum oſores imperio digni.

SECTIO III.

Non eſſe munera à Iudicibus accipienda.

I. Nihil eſt in Republica perniciosius, quàm Iudices δωροφάγοι, vt Heſiodus appellat, hoc eſt, munerum voratores. Patet in primis in filiis Samuelis, qui iudicium propter munera peruertentes, & ſe & Rempublicam perdiderunt. De quibus D. Petrus Dam. lib. 2. epiſtolarum, epiſt. 2. & in ordine 25. *Filij*, inquit, *Samuelis nullum aliud crimen habuiſſe leguntur; niſi, quia munera dilexerunt: & quia paternæ mũditia non ſequebantur exemplum, irrecuperabiliter amiſerunt plebis Iſraëliticæ principatum. Et notandum, quia, cum de illis Scriptura dicit: Declinauerunt poſt auaritiam, acceperunt munera: protinus intulit: Peruerterunt iudicium. Vicinum quippe eſt atque contiguum, vt poſt munus acceptum peruertatur etiam corrupto Cenſore iudicium.* Itaque munerum acceptio duo præcipuè mala Iudicibus afferre ſolet. Vnum, vt in iudiciis ferendis penitùs cæcutiant. Alterum, vt in peccatis arguendis penitùs obmuteſcant; aut ſaltem fallaciter adulentur. Vtrunque malum olim in lege exprimebatur: *Nec accipies*, inquit Deus, *munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba iuſtorum.* Exodi 23. n. 8. Et rurſum *Non accipies perſonam, nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba iuſtorum.* Deuter. 16. n. 19. Vbi vides, duas maximas virtutes, ſapientiam in iudiciis formandis, & iu-

Heſiod. *Nihil perniciosius, quàm Iudices munerum voratores.*

D. Dam.

Muneribus Iudices cæcutiũt & obmuteſcunt.

A ſtitiam in ſententiis ferendis, per munerum largitiones facilè corrumpi. Vnde rectè Salomon, *Xenia*, inquit, *& dona excæcant oculos Iudicum: & quaſi mutus in ore auertit correptiones eorum.* Eccleſiaſtici 20. num. 31. Quæ poſteriora verba difficiliora ſunt. Ianſenius è Græco legit: *Et quaſi frænum in ore.* Nam, ſicut equi fræno domantur, & in quam partem ſeſſor voluerit, inflectuntur: ita Iudices muneribus coërcentur; & in quam partem voluerint litigantes, ſe abduci patiuntur. At verò Lyranus & Dionyſius legunt: *Et quaſi rana in ore.* Et ſic interpretantur ex Strabone. Nam, quemadmodum, inquiunt, datur quoddam genus ranæ, quam Græci vocant καλαμίταν, *Calamitam*, quæ in os canis inſiliens, canem tacentem reddit,

Sapientia & iuſtitia muneribus corrumpuntur.

Lyran. Dionyſ.

Munera ſunt Iudicum ranæ, quæ eos reguat obmuteſcere.

B & latrandi eripit poteſtatem: ita planè & munera Iudices efficiunt mutos & elingues, ne quidquam aduersùs peccantes eloquantur. Alludere etiam potuerunt ad ranas Seriphias, ab inſula Seripho, vbi ranæ mutæ inueniri dicuntur: quaſi hi Iudices ore muneribus obſtructo, tanquàm ranæ Seriphiæ obmuteſcant. Et ſicut illæ ranæ monſtroſæ ſunt; quia præter naturam ad coaxandum quodammodo factam, perpetuò ſilent: ita & hi Iudices monſtri ſimiles habeantur; quia, cùm dicendo iuri vacare debeant, tamen reticendo priùs incumbunt.

Iudices, ſi ad veritatẽ obmuteſcunt, monſtri ſimiles.

Sed iam attende, quantas mentis oculis tenebras offundant, quæ Iudicibus munera offeruntur. Rectè quondam Eliu ad Iobum, *Non te*,

II. *Munera Iudicum metes excæcant.*

C inquit, *ſuperet ira, vt aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te.* Iob. 36. num. 18. Hoc eſt: Quantiſcunque muneribus obruaris; tamen vt palma contra pondus renitere, & nunquàm ab æquitate tuî muneris te inflecti patiaris. Nec immeritò iram cum hac munerum appetentia coniungit: quia, vt illa hominem excæcare ſolet, excæcatúmque in vindictam præcipitare; ita & hæc tanta mentem caligine obſcurat, vt in praua iudicia compellat. Hinc illud Sitacidis: *Multos perdidit aurum & argentum, & vſque ad cor Regum extendit & conuertit.* Eccleſiaſtici 8. num. 3. Vbi tanta auri & argenti vis ſignificatur, vt non ſolùm pauperum animos pertentet & expugnet: ſed etiam Principum ac Regum, qui mi-

D nùs auro indigent, inuadat; & interprete Lyrano, à veritate in falſitatem, eorum iudicium conuertat. Munera olim Sacerdotibus à populo tribuenda, priùs Deo in tabernaculo offerebantur; vt patet ex Leuit. 2. à num. 1. & ſequentibus: ne tam à populo, quàm à Deo Sacerdotibus data viderentur. At, quid opus erat huiuſmodi circuitu? Et cur non immediatè à populo in manus Sacerdotum tradebantur? Philo Iudæus in libro De præmiis & honoribus Sacerdotum, reſpondet, ne Sacerdotes accipiendo erubeſcerent: *Ne quis*, inquit, *è conſortibus exprobret accipienti ſuum beneficium: iubentur priùs in templum deferre munera: vt tum demum inde Sacerdotes deſumant. Nam, quiſquis non ab homine, ſed à Deo, nunquàm non in omnes benefico, munus accipit, ſaluo pudore accipit.* Optima quidem ratio ad oſtendendum, quantùm olim Deus ſuis Sacerdotibus conſuleret: cùm non ſolùm eorum indigentiæ ſubueniret; ſed etiam pudori & honori prouideret. Nihilominùs addo alteram ad rem præſentem: ſcilicet, ne Sacerdotes ab hominibus accipientes excæcarentur. Nam qui ab hominibus munera accipiunt; in definiendis eorum cauſis lumina quodammodo amittunt. Vt enim Diuus Gregorius Nazîanzenus in ſententiis teſtatur: *Munera faciunt, vt ſapientes quoque viri hallucinentur: atque vt aues laqueo, ſic homines auro capiuntur.*

Auri etiam Regum oppugnat animos. Lyran.

Philo.

Qua dona à Deo quis accipit, ſaluo pudore accipit.

E

Qui munera accipit, lumina amittit. D. Greg. Nazian.

tur. Qui verò à solo Deo munerantur, suam semper integritatem & perspicacitatem erga homines tuentur.

David Iudex oculatus paruis muneribus obcæcatur.

III. Quis oculatior in iudiciis ferendis quàm Dauid, qui super omnes docentes se, & super senes intelligebat? Psalm. 118. à num. 99. Et tamen parua quædam munuscula ei oblata à Siba adulatore ipsius Regis, & proditore domini sui Miphiboseth, oculos sapientissimi Regis excæcaront. *Apparuit*, inquit Textus, *puer Miphiboseth in occursum eius* (nempe, Dauidis) *cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis vuæ passæ, & centum massis palatharum, & vtre vini.* 2. Regum 16. num. 1. Hæc paucula & paruula munera tanto Regi Siba obtulit: & per summum nefas & mendacium addidit, Miphiboseth dominum suum, & Ionathæ filium de regno cogitantem in vrbe remansisse. Quis tam impudēs mendacium non statim deprehenderet: cùm Miphiboseth rebellionem contra Dauidem machinari, nec posset infirmus viribus, & vtroque pede claudus; nec vellet, plurimis à Dauide beneficiis obæratus? Nihilominùs Dauid Rex alioqui sapientissimus, quasi illis muneribus stultissimus redderetur, præcipiti sententia respondet: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* Ibidem, num. 4. Vbi Lyranus, *David*, inquit, *sanctus ex verbis & donis huius adulatoris & detractoris in tantum fuit deceptus; quod sine verborum eius examinatione dedit ei hæreditatem domini.* Qua in re non solùm Lyra, sed etiam D. Hieronymus, Magister historiæ, Hugo Cardinalis, Rabbanus, Dionysius, Abulensis, Caietan. & alij testantur, Dauidem contra iustitiam grauiter peccasse. Et quod deterius est, cùm posteà Miphiboseth venit ad Regem, & suam innocentiam ostendit, & Sibæ calumniam denudauit; adhuc Rex nihilo sanior effectus, in sua sententia permansit: *Quid*, inquit, *vltrà loqueris? Fixum est, quod loquutus sum. Tu & Siba diuidite possessiones.* 2. Regum 19. num. 29. Quid iniquius? Videbat litem pro Miphiboseth egregiè peroratam: & nihilominùs pro Siba iniquissimo veteratore sententiam ferebat. Et, vt ibi notat Lyranus, pessimum seruum, quem propter falsam accusationem suspendere debuisset; domino suo faciebat æqualem: adeò eius mentem oblata munuscula hebetarunt. Nam Miphiboseth immunis, hoc est, sine muneribus venerat; Siba prædictis muneribus oneratus.

Lyran. Præceps iudicium cæcitatē consequitur. D. Hier. Magist. hist. Hugo. Rab. Dionys. Abul. Caiet.

Nulla æquitas in iudice muneribus corrupto.

Lyra.

Proponitur dubium, & exponitur.

IV. Sed hinc oritur dubitatio. Nam, si Dauid totam Miphiboseth hæreditatem transtulerat in Sibam, dicens: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth*: & modò eandem sententiam ratam firmámque esse volebat, dicens: *Fixum est, quod loquutus sum*: cur statim addidit: *Tu & Siba diuidite possessiones*: supponens, se ab initio hanc diuisionem decreuisse, cùm tamen totam hæreditatem vni Sibæ dandam imperasset? Certè quid respondeam, apud Interpretes non inuenio. Dicet aliquis, fortè Dauidem, susceptis muneribus, adeò fuisse perturbatum, vt ad loquenda pugnantia quodammodo traheretur: seu potiùs ad iniustitiam addidisse mendacium. Nam, cùm anteà, parte inaudita, totum Sibæ tribuerit: *Tua sint omnia, quæ sunt Miphiboseth*: modò audita parte, significat, se tantùm dimidium tribuisse: & in eadem sententia etiam nunc perseuerare: *Fixum est, quod loquutus sum. Tu & Siba diuidite possessiones.* Atque adeò, cùm debuerit sententiam totam reuocare; eandem quodammodo totam, quasi non fuerit admodum iniqua, confirmare voluisse. Adeò eius mentem oblata munera non solùm in iniustitiam, sed etiam in mendacium præcipitarant. Vbi obiter aduerte, quod dicunt Hebræi apud traditionum Auctorem, Salomonis regnum à Deo fuisse diuisum, in Roboamum & Ieroboamum. 3. Reg. 12. à num. 20. in pœnam Dauidis, hæreditatem inter Miphiboseth & Sibam contra iustitiam diuidentis: vt per quæ peccat homo, per hæc & torqueatur. Sap. 11. num. 17.

Munera non solùm iniustitiā pariunt, sed mendacium.

Iudex iniquus eadem pœna genere punitur à Deo.

Inter filium & patrē munera amorem conciliant.

V. Hinc patet munerum efficacitas ad animos inflectendos. Addo alia non exigui ponderis argumenta. Ex geminis filiis Isaac, optimus erat Iacob, & pessimus Esau. Et nihilominùs *Isaac*, inquit Textus, *amabat Esau, eò quòd de venationibus illius vesceretur.* Genes. 25. n. 28. Vbi Oleaster, *Mirum*, inquit, *valde est, quòd etiam inter parentes & filios munera amorem gignant & augmentent.* Sed mirabilius fortasse est, magis valuisse apud patrem improbi filij munera; quàm probi mores, ad eius amorem obtinendum. Nam, cùm nihil sit bonis moribus amabilius, mirum planè est, lenia quædam munera maiorem improbo filio, quàm probo amorem conciliasse. Iacobus fratrem suum Esaü, tanquàm acerrimum hostem formidabat: *Timuit*, inquit Textus, *Iacob valdè, & perterritus*, &c. Genes. 32. num. 7. Et nihilominùs eundem, tanquàm beneuolentissimum sibi Deum deprehendit: *Vidi*, inquit, *faciem tuam, quasi viderim vultum Dei.* Genes. 33. num. 10. Vnde, quæso, tam subita mutatio? Credo, ex illis muneribus, quæ præmisit, dicens: *Placabo eum muneribus.* Genes. 32. num. 20. Munera enim terribilem hostem in amabilem Deum commutarunt. Laban & Batuel non coëgerunt seruum Abrahæ seruire pro Rebecca: sed statim *dimiserunt eam, imprecantes prospera.* Genes. 24. num. 59. Et nihilominùs Laban coëgit Iacobum seruire pro Rachele. Genes. 29. à num. 18. Vnde, quæso, hæc diuersitas: cùm tamen longè maior honor Iacobo, tanquàm consanguineo; quàm seruo Abrahæ, tanquàm alieno deberetur? Rationem facilè colliges ex Litera. Nam seruus Abrahæ valdè diues munera dederat Rebeccæ: *Protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos; & armillas totidem pondo siclorum decem*, &c. Genes. 24. num. 22. At verò Iacobus nimis pauper nihil dederat Racheli, vt ex Gen. 29. à num. 9. patet. Igitur munera offerenti præstatur honor, non offerenti denegatur.

Oleast.

Etiam inter fratres beneuolentiam augent.

Solis muneribus honor datur.

Etiā robusti animi muneribus succumbunt.

VI. Sunt quidem munera efficacissima ad animum etiam sapientis & probi viri in quamlibet partem inflectendum: adeò vt qui nullis persuasionibus acquiescit, paucis largitionibus expugnetur. Ad parentem Iacobum, in terra Chanaan adhuc commorantem, accesserunt eius filij de Ægypto redeuntes; & præclara de Iosepho nuntia tulerunt, quibus parentem ad pergendum in Ægyptum, & ad filium inuisendum non parum efficaciter inuitarunt: *Ioseph*, inquiunt, *filius tuus viuit: & ipse dominatur in omni terra Ægypti.* Genes. 45. num. 26. Quid verò Iacobus ad tam felicia præconia? Audiebat quidem, & libenter audiebat: *sed tamen non credebat eis*: & multò minus de sua in Ægyptum profectione cogitabat. Pergunt filij multa narrare de Iosepho, ac totius ordinem felicitatis, quam in Ægypto adeptus fuerat, explicare; & vt in Ægyptum eat filium inuitantem, & ad se vocantem inuisurus, multis rationibus suadere, quas, vt ex antecedentibus constat, iam inde ab Ægypto præmeditatas afferebant: nihilominùs pater stupenti similis hærebat; nec tam multis filiorum, aut assertionibus ad credendum, aut persuasionibus

bus ad eundum flectebatur. Quid igitut remedij, vt tandem Iacobus exoretur, & ad morem filio gerendum inducatur? Ecce tibi proferuntur in medium Ægyptiaca donaria, quæ Iacobo à Iosepho mittebantur. Quid factum? Sequitur in Litera: *Cúmque vidisset* Iacobus, *plaustra, & vniuersa, quæ miserat* Iosephus, *reuixit spiritus eius, & ait; sufficit mihi, si adhuc Ioseph filius meus viuit. Vadam, & videbo illum, antequam moriar.* Ibidem, num. 27. & 28. Igitur, qui persuasiones exclusit, largitiones admisit: non curauit verba, munera acceptauit: dictis restitit, donis succubuit: illis se præbuit inexorabilem, ab his se vinci & expugnari passus est. Nam, qui nullis verbis adduci potuit, vt patriam desereret, & in Ægyptum descenderet; paucis donis animum induxit, vt à patria exularet, & in Ægypto peregrinus versaretur. Adeò efficaciora sunt dona, quàm verba ad faciendam fidem, & ad animum in quamlibet partem impellendum.

VII.
Apostolos nō nisi Spiritus sancti dona foras ad prædicādum expulerunt.

Rem egregiè perpendit Guerricus Abbas ser. 1. de resurrectione Domini: & simile quid in Apostolis contigisse obseruat, quos non tam verba Christi Domini, quàm dona Spiritus sancti foras à cœnaculo ad Euangelium prædicandum expulerunt. Nam apparente Christo Domino, & cum illis familiariter colloquente; adhuc nihilominùs in cœnaculo timidi hærebant: descendente verò Spirito sancto, & eorum animos multis muneribus implente; foras ad orbem peragrandum intrepidi euolarunt. Rectè igitur Guerricus, postquàm Iacobi exemplo vsus est, cunctantis ad verba, festinantis ad dona, subdit: *Sic vtique in Apostolis parum profecerunt verba, donec munera acceperunt. Nam & ipse Iesus, cùm se eis præsentem exhibuit; non tam persuasit ostensione corporis, quàm aspiratione muneris. Cùm venit ad eos ianuis clausis, & stetit in medio eorum; illi conturbati & conterriti æstimabant se spiritum videre: cùm autem insufflauit in eos, dicens: Accipite Spiritum sanctum: vel cùm cælitùs misit eundem Spiritum; hæc vtique dona, resurrectionis & vitæ indubitata testimonia fuerunt & argumenta.* Et paulò pòst: *Apostoli, qui priùs dubitabant, etiam post intuitum corporis viuentis; post gustum Spiritus viuificantis, virtute magna reddebant testimonium resurrectionis. Adeò plus est corde Iesum concipere, quàm oculis videre, & auribus de ipso audire.* Igitur qui verbis non flectitur, donis facilè superatur. Nam Apostoli, qui videndo Christum Dominum, eiúsque præsentia fruendo, adhuc trepidabant; iidem Spiritus sancti muneribus ditati per mille pericula ad prædicandum intrepidi erumpebant.

Guerr.

VIII.
Hospes muneribus plenus, perhumaniter; vacuus, duriter excipitur.

Iosephus ad fratres suos primùm in Ægyptum ingressos, *Quasi ad alienos duriùs loquebatur.* Gen. 42. num. 7. Sed eosdem in Ægyptum posteà regressos, *Clementer resalutauit.* Geo. 43. num. 27. Quidnam, obsecro, illam duritiem in has blanditias emolliuit? Fortasse illa munera, quæ Iacobus, non quidem in prima profectione, sed in reditione deferenda curauit, dicens: *Sumite de optimis terræ frugibus in vasis vestris, & deferte viro munera.* Ibidem, num. 11. Hospes enim à muneribus vacuus duriter excipitur: muneribus verò plenus perhumaniter tractatur. Isaï filium suum Dauidem missurus ad Saülem, *Tulit asinum*, inquit Textus, *plenum panibus, & lagenam vini, & hædum de capris vnum, & misit per manum Dauid filij sui, Saüli.* 1. Regum 16. n. 20. Quid inde factũ? Sequitur: *At ille* (nempe, Saül) *dilexit eum nimis, & factus est eius armiger.* Ibid. n. 21. Quid, obsecro, hũc amorem erga iuuenem ignotum conciliauit? Non dubito fuisse magna ex parte illa munera, licèt modica; quibus Principes, præsertim cupidi & auari, facilè capiuntur. Quærenti Helisæo a Giezi, vnde veniret, respondit Giezi: *Non iuit seruus tuus quoquam.* 4. Reg. 5. num. 25. Quid ais, Giezi? nóune ad Naamanum cucurristi? & duo talenta argenti, ac duplicia vestimenta reportasti? Quid ergo mentiris domino tuo, quem Prophetam esse, seu videntem non ignoras? Respondet Diuus Petrus Damianus initio huius Sectionis citatus: *Dum argentum, Naaman offerente, perciperet, domini sui spiritum suspicabatur absentem.* Quod ita clariùs expono. Illa oblata munera Giezi oculos sic hebetarunt, vt etiam in re clarissima deciperetur: & magistrum prophetico lumine videntem, ad suum peccatum agnoscendum cæcutientem existimaret.

Munera gratiã conciliant & amorem.

D.Dam.
Munera maximã afferũt cæcitatem.

IX.
Homines etiã vitæ periculo munera non recusant.

Balaamum ad maledicendum populo Dei muneribus inuitabat Rex Balac dicens: *Quidquid volueris, dabo tibi,* &c. Num. 22. num. 17. Sed eundem Angelus Domini euaginato gladio ab eundo deterrebat: *Stetit Angelus in via contra Balaam,* &c. Ibidem, num. 22. Quid ergo Balaamus inter munera & pericula constitutus? Claudit oculos ad pericula, aperit manus ad munera: gladio pectus offert, dummodò auri fames auro saturetur. Addit Diuus Petrus Damianus, vbi suprà, Balaamum fuisse vnum ex amicis Iob, nomine Eliu. Iob. 32. num. 2. prophetico spiritu diuinitùs afflatum. *Dum tamen*, inquit, *auaritia paulatim declinasset in vitium: de Propheta factus Ariolus, de Ariolo conuersus perhibetur in Magum.* Sic ille. Vides, quid faciant munera? Etiam propheticum lumen solari quidem longè clarius & illustrius obscurant, & in infernas tenebras compellunt. Sed quis cæcior impio Domini proditore? *Qui*, inquit D. Petrus Damianus, *vt exigua summæ perciperet quantitatem, sub venalitate distraxit rerum omnium conditorem: & pro vilis amore pecuniæ, auctorem tradidit vitæ.* Et paulò pòst, *Ecce*, inquit, *quid vtilitatis conferat auaritia; quæ dum fidem hominibus tollit, Prophetam vertit in Magum; ex Apostolici culminis apice, mergit in Tartarum.* Quibus verbis cõcinunt illa Eliphaz Themanitis: *Congregatio*, inquit, *hypocritæ sterilis; & ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Iob. 15. num. 34. Quasi diceret: Omnes diuitiæ, quas congregat Princeps hypocrita, hoc est, nomine quidem Princeps, re autem pestis; steriles sunt & infœcundæ: cùm enim in aliorum vtilitatem non conferantur, penitùs sterilescunt. Et, quod deterius est, dum susceptis contra fas & ius muneribus auari Principes in hac vita locupletantur; æternis in futura ignibus deuorandi inuoluentur.

D.Dam.
Quæ ad præcipitia adducat auaritia.

Auaritia Deum prodidit, & Apostolum damnauit.

Diuitiæ steriles, & solũ ad pœnas fœcundæ.

X.
Munera aliquando linguam mutam efficiunt.

En, vt munera, mentis oculos claudant, & voluntatis affectus, quò libuerit, impellant. Sed, quàm facilè linguam moderentur; & nunc mutam, nunc disertam efficiant, attende. Demosthenes olim Athenis contra Milesios oraturus, pridie à Milesiorum Legatis multa pecunia, ne declamet, subornatur. Quid verò ille? Planè assentitur. Et in crastinum, ecce tibi foras prodit, collo multa lana circumuoluto, dicens, se hesterna nocte passum fuisse *συνάγχην*, *Synanchim*, id est, anginam, seu faucium morbum: & propterea à declamandi munere impeditum. Verùm quidam è plebe subodoratus id quod erat; verbis festiuè innouatis argutè lusit, Demosthenem, non *συνάγχῃ*, *Synachi*, sed *ἀργυράγχῃ* *Argyranchi*, hoc est, non angina, sed argentina laborare. Inter quatuor illa flumina, quæ de Paradiso

voluptatis

voluptatis effluebant: vnus, Phison nomine, *Ipse est*, inquit Textus, *qui circuit omnem terram Heuilath, vbi nascitur aurum: & aurum terra illius optimum est*. Genes. 2. num. 11. Vbi notanda est nominis etymologia. Nam Phison, interprete Diuo Ambrosio in Psalmum 1. idem est atque *oris commutatio*. Nec sine mysterio: vt significetur, vbi aurum nascitur, ibi oris commutationem inueniri: aurea enim claue lingua facilè clauditur, vel aperitur; & in quancunque velis partem commutatur. Quod expendens Diuus Ambrosius citatus, *Meritò*, inquit, *os illic commutatur, vt non teneatur promissorum fides; sed sit in ore dolus, vbi est aurum bonum. Auaritia enim fidem frangit; nec tenet verborum simplicitatem: ornamenta quoque pretiosa mentem animúmque commutant; vt aliud in pectore, aliud in sermone sit.*

Aurea claue lingua clauditur & aperitur.

D. Amb.

Auaritia fidem frangit.

A

B

XI. Quis ignorat, Aaronem fuisse Vatem disertissimum; cuius eloquentia Moysis infantiam supplebat? Et nihilominùs ad Hebræorum idololatriam sic obmutuit, vt elinguis videretur. Exod. 32. num. 5. Quis te, Oratorum optime, in tanta scelerum licentia, & morum peruersitate elinguauit? Vereor, ne fortasse fuerit illud aurum & argentum, quod Hebræi tibi in manus tradiderunt. Ibid. n. 3. Nam, vt bene D. Petrus Damianus vbi suprà, *Acceptis*, inquit, *muneribus, si contra datorem quid agere volumus; mox in ore nostro verba mollescunt, loquutionis acumen obtunditur, lingua quadã pudoris erubescentia præpeditur. Mens quippe percepti muneris conscia debilitat iudicialis censuræ vigorem; reprimit eloquentiæ libertatem. Nam etsi iudicij rectitudo funditus non adimitur; iudicandi tamen auctoritas eneruatur.* Mirum est, quanto verborum fuco, quanta fallacia, quantis simulationibus & ambagibus vsa fuerit quondam Dalila ad suum sponsum Samsonem decipiendum, Iud. 16. à num. 6. cui tamen integram & synceram fidem proximè & secundùm Deum seruare tenebatur. Quænam, obsecro, illam vis tantam impulit in perfidiam; & fœminã coniugalis thori consortem, sui fecit coniugis insidiatricem? Vis profectò illa fuit, non ferrea, sed argentea, quæ mulieris linguam vincere potuit, & in tam artificiosos dolos multipliciter versare. Nam, vt est in Litera, *Venerunt ad eam* (nempe, Dalilam) *Principes Philisthinorum, atque dixerunt: Decipe eum*; nempe, Samsonem, &c. *Quod si feceris, dabimus tibi singuli mille & centum argenteos.* Ibidem, n. 5. Hoc pretium expugnauit eius animum, & commutauit illius os; vt sponsi amorem contemneret, eúmque non solùm de vita tolleret, sed etiam cælesti gratia denudaret. Huc enim alludens D. Ambrosius lib. 2. Offic. cap. 26. *Influxit*, inquit, *pecunia in gremium mulieris; & à viro discessit gratia. Feralis igitur auaritia, illecebrosa pecunia, quæ habentes contaminat.* Certè illam Samsonis fortitudinem deberet Dalila, si posset, emere etiam amplissimo pretio: & nihilominùs illa eam vendidit abiectissimo. Tanta vis etiam parui auri ad Principum animos substernendos; eorúmque linguas, vt libuerit, frænandas & effrænandas.

Munera etiã ad idololatriã coërcendam elinguem reddunt.

D. Dam.

Pecunia coniugalẽ fidem frangere.

C

D

D. Ambr.

Muneribus res pretiosissima paruo stat.

E

XII. Tandem attende, quid olim acciderit illis satellitibus, qui ad Christi Domini sepulcrum excubabant: *Ecce quidam de custodibus*, inquit Euangelista, *venerunt in ciuitatem, & nuntiauerunt Principibus Sacerdotum omnia, quæ facta fuerant.* Matth. 28. n. 11. En resurrectionis hostes, facti sunt testes resurrectionis. Non sine diuino Numine. Nam, *Hoc pacto*, inquit Diuus Chrys. ibi, *annuntiatio suspicione caruit, a custodibus ipsis prolata. Veritas enim ab aduersariis declarata, illustris est.* Sed, quid deinde? Illi ipsi præcones veritatis copiosa pecunia subordinati, facilè inducuntur, vt fiant assertores falsitatis; & quæ verè dixerant, falsò recantent; & à discipulis raptum prædicent, quem à mortuis excitatum prædicarant. Nam, vt bene D. Gregor. Naz. in sententiis elegiacis ad finem: *Auro*, inquit, *loquente iners est omnis ratio: persuadet enim illud, etiamsi vocem nullam edat.* Hinc patet, quàm periculosa sit Iudicibus munerum susceptio: quod ex sequenti Sect. ampliùs patebit.

Veritas in hostili ore illustrior.

D. Chrys.

D. Greg.

Vbi aurũ loquitur, tacet omnis oratio.

SECTIO IV.

Non esse iudicium propter munera peruertendum.

I. CVm iis, qui muneribus corrupti, iudicia corrumpunt, grauiter expostulant non modò sacræ Literæ, sed etiam profanæ. Profanæ quidem: quia Persarum Rex Cambyses iniquo Iudici, & muneribus corrupto pellem detrahi iussit; eáque insterni tribunal, in quo filius sederet: vt paterni memor supplicij, paternum flagitium declinaret. Certè Romani lege duodecim tabularum hoc susceptorum munerum piaculum, non nisi morte expiandum decreuerunt. Sacræ verò: nam Dauid impios & viros sanguinum, vocat eos, *In quorum*, inquit, *manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.* Psal. 25. n. 10. Nam, si vel vna manus munera accipiat, vtraque iniquitates patrabit. Salomon eius filius, *Munera*, inquit, *de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij.* Prou. 17. num. 23. De sinu dicitur accipere, non de manu: quia, vt notat D. Hieron. epist. 22. De custodia virginitatis, *Non tam impetrat, quàm extorquet.* Vel de sinu accipit; hoc est, secretò & in tenebris: vt quò verecundiùs munera accipit; eò impudentiùs iudicia peruertat. Hinc illa comminatio diuina: *Væ, qui iustificatis impium pro muneribus: & iustitiam iusti aufertis ab eo.* Isai. 5. num. 23. Quo in loco postquàm Isaias singulis peccatoribus suum illud, *Væ*, impegit: *Væ qui coniungitis domum ad domum.* Et iterum: *Væ, qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam.* Et rursus: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis*: & sic de cæteris: vltimo loco tanquàm scelus omnium pessimum detestetur: *Væ*, inquit, *qui iustificatis impium pro muneribus*, &c. Sic olim, cùm Moyses præciperet, vt in monte Hebal singuli peccatores singulis maledictionibus scinderentur; postremus omnium maledicitur munerum susceptor: *Maledictus*, inquit, *qui accipit munera, vt percutiat animam sanguinis innocentis. Et dicet omnis populus: Amen.* Deut. 27. n. 25. Vltimo enim loco æquum est, vt maledicantur, qui vltimam iniquitatis lineam attigerunt.

Iudex munerũ acceptor, excoriatur.

Apud Romanos capite dãnabatur.

Quanta flagitia munera committunt.

D. Hier.

Munerũ acceptio, scelus omnium pessimum.

II. Quare & Michæas extremam suæ Reipublicæ malitiam ostensurus, *Principes*, inquit, *eius in muneribus iudicabant: & Sacerdotes eius in mercede docebant: & Propheta eius in pecunia diuinabant.* Mich. 3. num. 11. Qualia enim necesse erat, vt forent illa iudicia, in quibus non oculata ratio, sed cæca cupiditas dominaretur? Certè non solùm de humano iure, sed etiam de diuino detrahebant. Vnde est illa querimonia diuina in auaros iudiciorum peruersores: *Factum est iudicium & contradictio potentior.* Abacuc 1. num. 3. seu, vt est in Bibliis Sixtianis: *Contra me factum est iudicium, & Iudex accipit.* Ac, si ex eo, quòd Iudex muneribus corrumpatur; non solùm humana, sed etiam diuina iura peruertantur. Nec immeritò

Vbi cæca cupiditas, ibi extrema malitia dominatur.

Diuina & humana iura muneribus corrũpuntur.

A meritò Iudex ambitiosus munerum quæsitor & acceptor, *contradictio potentior* appellatur. Quia nihil est, quod legibus non modò humanis, sed etiam diuinis validius contradicat; quàm Iudex muneribus corruptus. Vnde Israëlitici Principes, qui, vt proximè diximus, in muneribus iudicabāt; leonibus ac lupis non modò in nocte, sed etiam in die grassantibus comparātur; iuxta illud: *Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes: Iudices eius lupi vespere, non relinquebant in mane.* Soph 3.n.3. Hoc est, luctis suis feruentes, non modò vespere, & in tenebris verecundè; sed etiam mane, & in luce, impudenter iudicia peruertebant.

Corrupti Iudices, vt lupi, apertè & occulte iudicantur.

III.

Venales Iudices à Philone seminale nuncupatur.

Philo.

Neque solùm detestandi sunt illi Iudices, qui ad iniustitiam exercendam munera accipiunt: sed etiam illi, qui ad iustitiam præstandam, non nisi acceptis muneribus, impelluntur. Vnde Philo Hebræus lib. De Iudice: *Muneribus*, inquit, *induci ad iniustitiam, est scelerati hominis: sicut seminali, non reddere ius absque opere pramio. Sunt enim quidam prætextati, inter iustos iniustósque medij, instituti ad tuendos oppressos ab oppressoribus; qui tamen non dignantur gratis ferre sententiam pro causa meliori: venales, mercenariíque Iudices.* Verùm, lenior mihi videtur hæc Philonis censura, quàm esse oportebat; dum semimalos appellabat, quos meritò sesquimalos posset appellare. Vnde Moyses, *Iustè*, inquit, *quod iustum est, persequeris.* Deuter.16. num.10. Vbi idem Philo citatus, *Salubriter*, inquit, *Moyses admonet, iustè administrandam esse iustitiam; subindicans, etiam iniustè eam administrari interdum, quoties Præsides inhiant muneribus.* Quare simpliciter iniustus est, qui non, nisi propter munera, iustitiam exercet. Adde, munerum susceptorem, licèt in iniustos effectus nunquàm prodeat; propter periculum tamen prodeundi, grauiter puniendum; iuxta illud: *Ignis deuorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Iob. 15. num. 34. Vbi non solùm, qui susceptis muneribus abutuntur: sed etiam qui simpliciter perfruuntur, ab igne deuorandi enuntiantur.

Grauiori tamen appellatione feriuntur.

Philo.

Simpliciter iniustus est, qui iustitiam ob munera non exercet.

IV.

Immò non solùm suscipientes, sed etiam diligentes munera, inter impios recensentur; & infideles, ac furones, quę sunt duo maxima crimina, appellantur. Vnde est illud: *Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones.* Isai. 1. num.23. Vbi Hieronymus: *Non dixit*, inquit, *qui accipiunt: hoc enim sæpe necessitate fit: sed, qui non putant amicos, nisi à quibus dona perceperint: nec eos considerans amicorum, sed manus: & eos sanctos indicant, quorum exhauriunt marsupium.* Itaque non tam susceptores munerum, quàm dilectores arguuntur: cùm illud aliquando sit necessitatis, hoc semper cupiditatis. Quo pacto Diuus Paulus non accusat possessores diuitiarum, sed amatores; iuxta illud: *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, & desideria multa inutilia & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* 1. Timoth. 6. num.9. Quod expendens Diuus Augustin. serm.205. De tempore: *Qui volunt*, inquit, *non qui sunt. Nam, qui sunt, sint: dummodo sint in operibus bonis. Qui verò nondum sunt, caueant, ne velint esse. Nam, qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli*, &c. Vbi innumera vitiorum abrupta proponuntur, in quæ miseri præcipitantur. Vnde tandem concludit Augustinus: *Auaritia est, velle diuitem esse, non iam esse diuitem.* Prohibetur igitur non tam diuitiarum possessio, quàm dilectio: sicut non tam munerum acceptio, quàm affectio in-

Non tam susceptores munerum, quàm dilectores infideles.

D. Hieron.

D. August.

Sine diuites, dummodò sint boni.

Auaritiæ definitio ex D. Augustino.

A terdicitur. Esto, vt aurum aliquando possideatur; nunquàm tamen auaritia ametur. Cùm boni Iudicis sit, munera non modò non amare, sed etiam odio habere: iuxta illud Legislatoris: *Prouide de omni plebe viros, sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* Exodi 18. num. 21. Non dixit: Qui aurum non capiant: sed, qui non ambiant. Cupere enim necessitatis esse potest: ambire tamen semper cupiditatis; vt proximè diximus.

Aurum capere, necessitatis; ambire, cupiditatis.

V.

Imitentur igitur Iudices supremum Iudicem Deum; de quo est illud: *Dominus Deus vester, ipse est Deus Deorum, & Dominus dominantium, Deus magnus, & potens, & terribilis, qui personam non accipit, nec munera.* Deut.10. n.17. Hoc est: Qui

B tam integrum in iudiciis se præstat, vt nullis muneribus inflectatur. Nec solùm illa non accipit: verùm etiam nec concupiscit; iuxta illud: *Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* 2. Paralip.19. num.7. vt cæteris Iudicibus suo præluceat exemplo. Quod sane Diuus Paulus arripuit, dicens: *Argentum & aurum, aut vestem nullius concupiui.* Act.20.num.33. Vt enim se faciliùs à muneribus accipiendis abdicaret; abdicare voluit & ab appetendis. Imitentur præterea Christum Dominum, qui cùm dixerit: *Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Hoc est: Quibus muneribus suum Iudicem corrumpet, subdit: *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui.* Matth.

C 16.num.27. Quasi diceret: Nullis omnino: quia Christum Dominum habet Iudicem, qui nullis se muneribus subornari patietur. Imitentur illos Angelos, qui in valle Mambre, omnia Abrahæ obsequia libenter admiserunt dicentes ad Abrahamum, hospitalia obsequia offerentem: *Fac, vt locutus es.* Genes. 18. num. 5. At verò in Sodomis omnia obsequia Lot, illos in domum suam inuitantis, repudiarunt, dicentes: *Minime; sed in platea manebimus.* Genes.19.num. 2. Nam illuc tanquàm priuati homines venerant, qui ingenua vrbanitate se officiosè tractari sinunt: huc autem tanquàm Iudices appulerant, qui debitam seueritatem præferentes, nullis se obsequiis vinci patiuntur.

Deus iudex incorruptus.

Vt munera non accipiat, non appetat.

Christus Dominus Iudex etiam incorruptus.

Angeli etiam Iudices fuere.

VI.

D Imitentur deinde Salomonem, qui *Porticum, in qua Tribunal erat, texit lignis cedrinis à pauimento vsque ad summitatem; & domunculam, in qua sederetur ad iudicandum, fecit simili opere.* 3. Reg. 7. num. 7. & 8. Vt ostenderet, quemadmodum cedrus nullum corruptionis vitium patitur: ita Iudicis animum nullis muneribus corrūpendum. Illum insuper imitentur, qui vult habitare in tabernaculo Domini, & requiescere in monte sancto eius. Is enim *pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit.* Psal. 14. n. 5. Nec immeritò: quia gradus ad æternam remunerationem, est temporalium munerum contemptus. Immò in hac vita nemo iucundiùs & abundantiùs Deo fruitur; quàm qui se

E conseruat à muneribus integrum & incorruptum. Vnde illud propheticum: *Qui proiicit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere*, &c. *Iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est: aquæ eius fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi eius*, &c. Isai. 33. n. 15. & 16. Nā, sicut munera excæcant oculos sapientū, & à fortiori stultorū, ne Deum agnoscant: ita munerum repudiatio oculos purgat & illustrat, vt veritatem perfectiùs attingant, & acutiùs Deum contemplentur. Quare Diuus Bernardus, De modo bene viuendi, ad sororem,

Salomon incorruptum iudicium exercebat.

Gradus ad gloriam est munerum contemptus.

Munerum repudiatio illustrat mentis oculos.

D. Bern.

cap.61.citatum Isai locum expendens, *Si munera*, inquit, *oculos sapientum excacant; etiam oculos seruorum Dei, ne Christus videatur, conturbant*. Et statim: *Non potest mens serui Dei ad contemplandum Deum esse libera, si adhuc terrenis cupiditatibus obscuratur*. Et paulò pòst: *Qui causa amoris Dei ab hominibus dona vanitatis & superfluitatis non recipit, Deum in maiestate sua videbit, & cum omnibus sanctis in decore illius in perpetuum gaudebit*. Hunc igitur in terrenorum munerum contemptu imitentur; vt in cælestium donorum fruitione consequantur.

Mens cupiditate libera, apta Dei contemplationi.

VII. Tandem imitentur vel ipsos Ethnicos, quorum quidam Iudices sine manibus, alij sine oculis pingebant: vt Plutarchus, Isidorus Siculus, Clemens Romanus, D.Basilius, pluresque alij testantur: significantes munera nec manibus capienda, nec oculis vsurpanda. Nam, qui manibus capiunt, à prauis affectibus capiuntur: & qui vel solis oculis vsurpant, etiam animis excæcantur. In quam curam Diabolus maximè incumbit, iuxta illud: *Terra data est in manus impij: vultum Iudicum eius operit*. Iob. 9.num. 24. Vbi Lyran.nomine, *Impij*, Diabolum intelligit, qui propterea totius terræ possessionem inuasit, vt terrenis muneribus Iudices excæcaret, excæcatósque in mille iniustitias præcipitaret. Ne igitur Iudices internis animorum oculis excæcarentur; sine corporeis oculis ab antiquis pingebantur. Adeò credebant, vel ipsi Ethnici, suscepta etiam per solos oculos munera incorruptis iudiciis aduersari: & propterea in Iudices minimè eligendos, qui se oblatis muneribus inescari paterentur. Qua de re optimum tulit iudicium Pontius ille Samnites apud Tullium 2. Offic. qui dicebat, si sibi nasci contigisset, quo tempore Romani dona accipere cœperunt, *Non fuisse passurum diutius eos imperare*. Ne, scilicet, munerum cupiditate abducti, à iudiciorum integritate auerterentur.

Iudices olim sine manibus, sine oculis pingebantur.

Lyran. *Diabolus terræ possessionem inuasit, vt Iudices excæcaret.*

Debent eligi Iudices seueri & incorrupti.

VIII. Postremò, meminerint Iudices, nihil esse iniquius, quàm à iustitiæ defensoribus iniustitias exerceri. Qua de re optimè Philo Iudæus lib. De Iudice. *Absurdum*, inquit, *fuerit, eos in culpa harere, qui iura præscribunt aliis; quandoquidem ab his potissimùm exemplum vitæ petendum est. Sicut enim ignis, quæcunque admouentur, calefaciens, ipse primùm innata sibi vi calet: nix contrà suapte natura frigida, infrigidat, & alia. Sic Iudex ipse debet esse plenus iustitia, si aliis eam administraturus est*. Ita ille. Nec aliter philosophatur Cassiod. lib. 12. variarũ epist.epist.2. *Nil vile*, inquit, *nil cupidum Iudices decet. Sit in nobis frons libera, vt aliorum possimus emendare peccata. Æquat crimen omnes, quos inquinat: & ideò dissimilis ab accusato debet esse, qui iudicat*. Vt totam hanc materiam concludam, duo propono Iudicum exempla, miram quandam antipathiam inter se inuicem habentia. Quorum vnum Cæsarius, alterum D.Antoninus prodiderunt. Igitur quidam Iudex, qui muneribus corruptus suas sæpè sententias corrumpebat, cùm hiante ore expiraret, sine lingua inuentus est. *Et meritò*, inquit Cæsarius, *linguam perdidit moriens, qui illam sæpè vendiderat viuens*. Alter, vt narrat D. Antoninus, quamuis Ethnicus, quia viuus semper veritatem amauerat, & linguam nullis muneribus vendiderat; mortuus in sola lingua multis annis animam conseruauit: donec, consulto Episcopo, baptizatus omninò decessit. Quasi non posset ante Baptismum in cineres corrumpi, qui viuus nullis muneribus corrumperetur. Sed de hac re ad cap.9. & 12. redibit sermo. Nunc ad historiam redeamus.

Nihil iniquius, quàm Iudicem iniustitiam exercere. Philo.

Cassiod.

Crimina omnes æquant, quos inquinant.

Cæsar.

D.Ant. *Exemplis duobus firmatur res.*

Num. IV. Congregati ergo vniuersi maiores natu Israël, venerunt ad Samuelem in Ramatha.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. **C***Ongregati ergo*, &c. Furor fit, læsa sæpiùs patientia: & nimis oppressa subiectio fit rebellio; vt ex hoc loco facilè innotescit. Nam Hebræi, qui diuturnas iniurias filiorum Samuelis hactenus pertulerant; tandem ferendo impares iugum excutiunt, & rebellionem meditantur. Igitur in hoc versiculo, huius rebellionis auctores & rationes expendamus. Auctores in Litera exprimuntur; scilicet, vniuersi maiores natu Israël. Conueniunt in primis maiores natu, tam ætatis, quàm dignitatis ratione: erant enim senes & Principes; ne tantæ rei nouitas, aut iuuenili imprudentiæ, aut populari inconstantiæ tribueretur. Conueniunt deinde non pauci, sed vniuersi: nam pauci viderentur in quandam inconsultam seditionem erupisse; vniuersi autem, non nisi in quandam prudentem definitionem conspirasse. Conueniunt tandem, non alienigenæ, sed Israëlitæ: *Maiores*, inquit, *natu Israel*. Nam alienigenis, tanquam hostibus aduersaretur Samuel: Israëlitis, tanquàm domesticis, assentiretur. Sed dubitabis, quænam fuerit hæc seniorum vniuersitas, quæ dicitur ad Samuelem congregata. Carolus Sigonius lib.6. De Republica Hebræorum, cap.4. triplicem seniorum ordinem distinguit. Quidam enim præerant vniuerso Israëli, quos Deus Moysi eligere præcepit: *Vt sustentent*, inquit, *tecum onus populi: & non tu solus graueris*. Num. 11. num. 17. Alij singulis Tribubus, quales fortasse illi, de quibus dicitur: *Dauid misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis*. 1.Reg.30.num.26. Tandem alij singulis ciuitatibus, de quibus dicitur: *Congregati sunt ad eum*, hoc est, ad Regem Iosiam, *omnes senes Iuda & Ierusalem*. 4.Regum 23. num. 1. Respondeo igitur ex singulis ordinibus, non omnes omninò, sed aliquos designatos, qui ad Samuelem conuenirent; & publica omnium vota atque studia deferrent: in quorum sententias cæteri conspirarent. Hæc de rebellionis auctoribus.

Patientia aliquando vertitur in furorem.

Quænã fuerit seniorum vniuersitas ad Samuelem congregata. Sigonius.

Superiori dubio respondetur.

II. Rationes verò nullæ in præsenti Num. exprimuntur: in sequenti accommodatiùs exprimendæ. Dubitandum tamen non est, antequàm Samuelem adirent, inter se congregatos, deliberasse de remedio, quo tantis malis in populo grassari cœptis, obuiam iretur: nullúmque accommodatius censuisse; quàm, vt mutata politica administratione aliquis in Regem crearetur. Plures in hanc sententiam rationes afferebant. Vnam, præsentem gubernationem, & ex Samuelis senectute parum fructuosam esse, & ex filiorum improbitate valdè perniciosam. Alteram, regiam maiestatem aptiorem esse, & ad tuendos ciues, & ad repellendos hostes: argumento, quòd cæteræ nationes in hoc regimen frequentiùs conueniant, eiúsque præsidio diutiùs conseruentur. Tertiam, non esse hoc regimen à populo Israëlitico alienum, cùm à Deo permissum sit. Deut. 17. num.14. vbi populo Regem constituere volenti à Deo dicitur: *Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum*. Neque solùm permissum à Deo sit, sed etiam præfinitum; iuxta illud ad Abrahamum: *Reges ex te egredientur*. Genes.17. num. 6. Et illud ad Iacobum:

Rationes seniorũ Israel ad Samuelẽ.

Non esse regimen ab eis alienum probatur.

bum: *Reges de lumbis tuis egredientur.* Genes. 35. num. 11. & illud ad Iudam: *Non auferetur sceptrum de Iuda.* Genes. 49. num. 10. Et proinde timendum non esse populi statum innouare, & ad regimen diuinitùs præmitum promouere. Hac igitur sententia omnibus certa ac definita; vlteriùs consultant, quo pacto ad exequutionem deducatur. Non placet, propria Regem auctoritate stabilire; ne Samuelem grauius offendant; & temerè agentes prauo aliquo affectu concitati videantur. Statuunt igitur vnum adire Samuelem in Ramatha, vbi ille maiorem anni partem morabatur; præsertim ex quo gubernandi laborem in filios reiecit: eique omnes suarum cogitationum rationes aperire. Pergunt itaque, & Samuelem conueniunt. Quid autem cum illo egerint, ex sequenti Num. parebit.

Num. V. Dixeruntque ei: Ecce tu senuisti; & filij tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis Regem, vt iudicet nos; sicut & vniuersæ habent nationes.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Dupliciter senectus Samuelis iudicare posset inepta ad regimen.*

Ecce tu senuisti, &c. Regem petituri duas rationes præmittunt, quibus inducti fuerint ad petendum; ex iis, quas superiori Num. inter se congregati excogitarant: cæteris, vel suppressis, vel ab Scriptore prætermissis. Prior est senectus Samuelis. Et potest dupliciter explicari. Primò, sic: Ita senuisti, vt non possis per te ipsum Rempublicam gubernare: tantum onus infirma senectute portare non valente. Secundò, sic: Ita senuisti, vt non possis filios tuos, per quos gubernas, in officio continere: impotentiam patris filiorum licentia superante. Cede igitur regimine in totum, & constitue nobis Regem, à quo Respublica commodiùs gubernetur.

II. *Senectus Samuelis contemptui habita.*

Hæc ratio ad ignominiam & contemptum Samuelis spectabat: nam eius ætas non erat adeò decrepita, vt non posset, & filiis, & Reipublicæ prouidere; vt patet, tum ex dictis Num. 1. huius capitis; tum ex rebus, quas posteà, viuente Saüle, strenuè peregit: nisi improbi homines consueta fastidirent, & nouis semper studerent; atque adeò nomine senectutis sanctissimum Iudicem, è suo munere deturbare niterentur. Immò, quamuis esset nimis effecta & effœta senectute; non propterea despicatui ac ludibrio haberi debuisset: ita Deo præcipiente: *Ne spernas hominem in sua senectute: etenim ex nobis senescunt.* Ecclesiastici 8. num. 7. Vnde Diuus Cyprianus epistola 38. Rogatianum Episcopum propter senectutem à quodam Diacono contemptum, exemplo Samuelis consolatur: *Cùm*, inquit, *Samuel Sacerdos à Iudæorum populo ob senectutem, sicut tu modò, contemneretur; exclamauit iratus Dominus: Non te spreuerunt, sed me. Et vt hoc vlcisceretur, excitauit eis Saül Regem, qui eos iniuriis grauibus affligeret; & per omnes contumelias & pœnas superbum populum calcaret & premeret, vt contemptus Sacerdos de superbo populo vltione diuina vindicaretur.* Simile quid accidit Diuo Gregorio Nazianzeno, quem eius aduersarij pertæsi nomine debilitatis, de munere episcopali deiecerunt; quos ille partim ironicè, partim manifestè perstringens, in Oratione De Episcopis, in 2. tomo, *Præclari*, inquit, *bonique collegæ mei inuidia rupti, & ad institutum suum perficien-*

D. Cypr. Rogatiani senectus illusa, Samuelis exemplo consolatur.

D. Greg.

Iustus improbo oneri est.

A *dum debilitatem meam assumentes, me amanter, scilicet, amantissimi homines, ablegarunt: quasi eiecto quodam onere de naue nimis grauata. Nam reapse, qui recte sapit, ac prudens est; non potest non improbis oneri esse.* Verùm, vt hoc obiter dicam, quod supplicium Gregorio Nazianzeno eius æmuli intulerunt; ipse præmium credebat: qui à toto Concilio Constantinopolitano pro ingenti laborum suorum præmio, nihil aliud postulabat, quàm vt à munere episcopali absolueretur: Sic enim in Oratione 32. precabatur: *Laborum*, inquit, *præmium mihi date. Quod tandem? Non quod nonnulli, fortasse ex iis, qui ad quiduis suspicandum facilè abducantur, existimarunt; sed quod mihi tutò postulare licet. Diuturnis laboribus* B *nos leuate ac recreate. Moueat vos hæc canities: sit apud vos honori nostra peregrinatio. Cernitis, quomodo corpus hoc se habeat, & tempore, & labore, & morbo confectum. Quid vobis timido & ignauo sene opus est; atque in dies singulos, vt ita loquar, non corpore tantùm, sed etiam curis moriente?* Itaque non expectabat Nazianzenus, vt sibi obiiceretur senectus; eam ipse causabatur, vt citiùs episcopali muneri renuntiare permitteretur. Nec dubito, eundem fuisse Samuelis animum; qui nihil magis, quàm secessum a publicis curis exoptabat. Quamuis Hebræi non tam eius laboribus condulentes, quàm propriis commodis consulentes, specie necessitatis, Samuelis sanctitatem contemnebant.

Senectutem causabatur D. Gregorius, vt ab Episcopatu absolueretur.

III. *Principes improbi rebellionis causa.*

C *Et filij tui*, &c. Posterior ratio est improbitas filiorum Samuelis; quorum tyrannidem cùm diu perpessi fuerint, non poterant illam ampliùs sustinere. Nam re vera Principes improbi seruos ad rebellionem cogunt. Vnde Lyranus in expositione morali huius loci, *Aliquando*, inquit, *pro malo regentium populus mouetur ad rebellionem & seditionem, ex quibus sequuntur maiora mala, quàm fuerit regentium rapina.* Ita ille. Hinc est illud Prouerbium, quod Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 11. & Senec. epist. 47. retulerunt, nimirum, *Totidem nobis hostes esse, quot seruos.* Et addunt: *Non habemus illos hostes, sed facimus; dum in illos superbissimi, contumeliosissimi, crudelissimi sumus.* Quod ne vnquàm accidat, rectè monet Clemens Alexand. lib. 3. D pædag. cap. 11. Ne quis sanæ mentis famulis, tanquàm iumentis vtatur: nam & hæc aliquando, si nimis stimulentur, calcitrabunt.

Lyran.

Macrob. Senec.

Principes superbi, hostes faciunt seruos.

D. Clem. Alex.

IV. D. Cypr. *Externo grauius domesticum bellum.*

At verò D. Cyprianus ad Demetriadem, prope medium, *Etsi*, inquit, *externa de Barbaris arma comprimantur: ferociùs & grauiùs de calumniis & iniuriis potentium ciuium, domestica impugnationis tela grassantur.* Accedit Diuus Hieronymus in epistol. 62. ad Theophilum, aduersùs Ioannem Ierosolymitanum: *Citò*, inquit, *indignatur libertas, si opprimitur. Nemo plus impetrat à libero, quàm qui seruire non cogit.* Et paulò pòst alludens ad Roboamum iniquissimum Regem, 3. Reg. 2. à num. 10. & ad Tarquinium superbum, vltimum è Regibus Romanorum: *Qui*, inquit, E *scorpionibus cædit, & lumbis patris habere se putat digitos crassiores, citò regnum mansueti David dissipat. Certe Romanus populus ne in Rege quidem superbiam tulit.* Et post pauca alludens ad locum Pauli, Ephes. 6. n. 4. *Bonis*, inquit, *parentibus prouidendum est, ne ad iracundiam prouocent filios suos, & nimietate duritiæ, etiam lenissimos, asperos esse compellant.* Deinde D. Petrus Damianus lib. 2. epistol. epistol. 18. in illud: *Dabo tibi Regem in furore meo*, &c. Oseæ 13. num. 11. *Dum*, inquit, *mundi Principes, non iura, sed lucra conseruant; subiectos quoque proclines in malum nulla legalium sanctionum*

D. Hier.

Ne Roma quidem Regem superbum tulit.

D. Dam.

Principum iniquitas sibi ipsis immittis. censura refrenat. Quasi ipsa Principum iniquitas, seruos nō modò in alias culpas, sed etiam in ipsorum Principum iniurias effundat; dum facile rescindunt, quæ ab illis decreta statuuntur. Sic igitur Hebræi filiorum Samuelis iniuriis stimulati, in eos recalcitrabant, eorúmque rigidum noperium à suis ceruicibus excutere nitebantur.

V. *Adulatores vitia in alios transfundūt.* Sed aduerte adulatorium planè Hebræorum artificium. Nam in primis patentem arguere non audentes, filios arguerunt. Sic olim Pharisæi non audentes accusare Christum Dominum, discipulos accusarunt: *Quare*, inquiunt, *discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? Non enim lauant manus, cùm manducant.* Matth. 15. num. 2. Sic Dauid non ausus impingere vllam timiditatis notam in Saülem, impegit in seruos, dicens: *Non concidat cor cuiusquam in eo.* Hoc est, in gigante, 1. Reg. 17. num. 32. Dicturus enim, non concidat cor tuum: vt ab hac etiam tacita contumelia in Regem abstineret, dixit: *Non concidat cor cuiusquam*: vbi supponit Regis quidem cor imperterritum esse; & ab aliis tantum terrorem deprecatur. Sic idem Dauid, ne Saülem in tentorio dormientem ignauiæ & inertiæ, cui indulserat, accusaret; milites eius accusauit, tunc dormientes, quando suo Regi custodiendo excubare oportebat: *Viuit Dominus*, inquit, *quoniam filij mortis estis vos, qui non custodistis Dominum vestrum.* 1. Reg. 26. num. 16. Sic & Sacerdos Achimelech non ausus dubitare de continentia Regis, dubitauit de continentia puerorum: *Si mundi sunt*, inquit, *pueri, maximè à mulieribus.* 1. Reg. 21. n. 4. Ne dubitando de Regis munditia, Regem offendere videretur. Sic denique Hebræi ad Pharaonem: *En*, inquiunt, *famuli tui flagellis cædimur: & iniustè agitur contra populum tuum.* Exod. 5. n. 16. Vbi Lyranus, *Non dixerunt*, inquit, *iniustè agis, ne Regem offenderent, vel honori Regio detraherent. Sed dicunt: Iniustè agitur.* Non audent igitur homines, præsertim adulatores, sua Regi crimina obiectare. Deinde accusaturi filios, non modò non accusarunt, sed etiam laudarunt patrem: *Filij*, inquiūt, *tui non ambulant in viis tuis.* Quasi dicerent: Viæ tuæ redolēt sanctitatem, quam filij tui procul ex animis eiecerunt, dum à viis tuis declinarunt. Ac si filios reprehendere non auderent, nisi priùs parentem commendarent: vt, si filiorum culpis parentis animus ægresceret, propriis laudibus leniretur. Philo in Antiquitatibus Biblicis legit: *Non ambulant in viis Domini*: quasi nullum inter vias Domini & Samuelis constituat discrimen.

Varijs Scripturæ firmatur exemplis.

Lyran.

Via iusti, via Domini sunt. Philo.

VI. *Grauiora scelera Samuelis patefacta probabilius est.* Sed quæres: Vtrùm singula filiorum crimina parenti exposuerint? Negabit aliquis: tum, quia id in Litera non exprimitur: tum, quia fortasse populus non auderet Samuelis animum omnibus filiorum sceleribus in lucem proditis exulcerare. Nihilominùs affirmarò censeo: præsertim, si de grauioribus & patentioribus criminibus sermo sit: tum, quia Iosephus lib. 6. Antiq. c. 3. ita sentire videtur, dicens, populum iniustitias filiorum omnes parenti exposuisse: tum, quia aliàs non esset legitima criminatio, si solùm diceret populus, filios non ambulasse in viis patentis, & nullius sceleris nominatim faceret mentionem: hæc enim accusandi insania reliqueabatur solis Pharisæis, Christum Dominum accusaturis, qui interrogati à Pilato, quam accusationem afferrent aduersùs hominem illum, responderunt: *Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Ioan. 18. n. 30. Vbi D. Chrysostomus hom. 62. *O dementiam!* inquit. *Quid non adduxistis in medium, quid fecerit, sed obtegistis?* Adeò enim erant arrogantes,

Ioseph.

D. Chrys. *Notatur arrogantia Iudæorum.*

A vt crederent, suam auctoritatem satis esse ad innocentem condemnandum; & ipsos tantùm dixisse, malefactor est, nullo prodito, nedum confirmato maleficio, sufficiens esse testimonium, vt reus in crucem ageretur.

VII. *Aliquorum sententia est, tria esse tantum crimina filiorum Samuelis.* Quæres vlteriùs: Vtrùm filij Samuelis plura crimina habuerint patenti exponenda, quàm illa tria, de quibus in Litera, & proxima Annot. dictum est? Negare videtur D. Petrus Damianus lib. 2. epistolarum, epistola 2. iam citata, dicens: *Filij Samuelis nullum aliud crimen habuisse leguntur, nisi, quia munera dilexerunt*, &c. quæ in Litera exprimuntur. Idem sentire videtur Theodor. quæst. 16. Nam inquirens, cur potiùs Heli pœnas luerit ob scelera filiorum, quam Samuel? Respondet:

D. Dam. Theodor.

B quia filij Samuelis vnum tantùm habuerant iniustitiæ peccatum: *Erat enim*, inquit, *iniustitia, quæ ab eis admittebatur, non impietas. Neque enim violarunt matrimonia, nec eiusmodi libidinibus iniuria affecerunt diuinum tabernaculum; neque ventri suo dabant primitias hostiarum, euerso ordine sacrificiorum. Eos autem solum accusat, quòd corrumperentur muneribus.* Ita ille. Nihilominùs non dubito, plura alia habuisse. Nam Iosephus citatus, postquàm illa crimina, quæ in Litera continentur, memorauit, subdit: *Solutique in luxum ac delicias, tum Dei voluntatem, tum patris contemnebant.* Vbi intemperantiam, incontinentiam, inobedientiam, plurāque alia peccata intelligere videtur. Sabellicus verò, *Non solùm*, inquit, *iuditia venditabant, sed*

Plura tamen esse probabilius, & probatur. Iosepli.

Sabell. *Oriuntur fundamentum ex natura auaritiæ.*

C *suam quoque libidinem ab aliena pudicitia parum custodiebant.* Neque leuis est coniectura. Nam *auaritia est radix omnium malorum.* 1. Timoth. 6. n. 10. Quod Patres aptis similitudinibus illustrāt. Nam D. Ambr. in Psalm. 61. ad finem, vocat auaritiam, *iniquitatis fomitem.* Vt enim ex paruo fomite magna incendia excitantur; ita ea auaritia innumera vitia oriuntur. D. Hier. in epist. 4. ad Rusticum, De forma viuendi, appellat malorum omnium *Charybdim.* Vt enim ab hac, magna nauigia hauriuntur: ita ab illa omnes virtutes abolentur, omnia scelera perpetrantur. D. Chrysost. homil. 20. in Genes. vocat *arcem omnium peccatorum.* Vt enim in arce omnia ad bellandum præsidia continentur: ita in auaritia omnia præsidia ad peccandum

D. Ambr.

D. Hier.

D. Chrysost. *Maior vitiorum copia in auaritia.*

D reponuntur. Vnde Iuuenalis Satyra 1. quærit: Vbi sit maior vitiorum copia? Et respondet: In auaritia.

Iuuen.

Et quando vberior vitiorum copia? quando
Maior auaritiæ patuit sinus.

Quare, cùm Samuelis filij post auaritiam declinatint; dubium non est, quin etiam reliqua flagitia sectarentur. Atque hæc de vtraque ratione, quæ hoc loco continetur.

VIII. *Regē, quàm Iudicem belli aptiorem credebant Hebræi.* Præter quas tertia exprimitur infrà cap. 12. n. 12. illis verbis Samuelis populum alloquentis: *Videntes*, inquit, *quòd Naas Rex filiorum Ammon venisset aduersum vos; dixistis mihi: Nequaquam: sed Rex imperet nobis*, &c. Hoc est: Propter metum impendentis belli, Regem postulatis. Quasi putarent Hebræi, Regem ad pugnandum pro illis in

E periculo constitutis, aptiorem esse, quàm Iudicē; & proptereà Regem Iudici præferrent. Quam rationem in Litera expressam, non videtur aduertisse in sua sacra historia Sulpitius. Dicit enim, Hebræos non ex belli metu; sed ex pacis otio inductos fuisse ad Regem postulandum: *Hostili*, inquit, *metu remoto, secundis tranquillisque rebus, corruptis cōsiliis, more vulgi, cui præsentia fastidio, insueta desiderio sunt, regium nomen cunctis ferè gentibus semper inuisum, populus desiderabat: planéque non sine exemplo amentiæ, præoptabat libertatem seruitio mutare.*

Sulp.

Ex otio prouenisse, Sulpitius sententia est.

mutare. Sentit igitur Sulpitius, hanc nouam Hebræorum mentem non ex bellico diſcrimine, quod inſtabat, ſed ex nimio otio, quo diffluebant, prouenisse: cùm tamen locus citatus ex cap. 12. manifeſtè repugnet. Quartam rationem affert

Abul.

Abulenſis ad hunc locum quæſt. 4. Hebræos poſtulaſſe Regem: tum propter maiorem dignitatem Regni; erat enim regimen illuſtrius & auguſtius, quo florentiſſimi populi vtebantur: tum

Ob maiorem regni dignitatem, ſentit Abulenſis.

propter maiorem cõmoditatem belli; Rex enim, ſicut maiorem habebat poteſtatem, quàm Iudex; ita & maiorem facultatem ad expellendos hoſtes; præſertim eo tempore, quo non tam vnus Samuel, quàm duo eius filij iudicabant Iſraëlem, qui fortaſſe priùs inter ſe ciuiliter diſſiderent, quàm hoſtem concorditer exturbarent. Quintam

Philo.

huius petitionis cauſam inſinuat Philo Biblicus, nempe, populi humilitatem, iudicantis, ſe indignum eſſe, qui à Propheta ſancto gubernaretur;

Ex humilitate credit Philo.

ideóque Samueli dixiſſe, vt ipſe refert: *Nos ſerui tui ſumus: & Rex noſter nobiſcum; quia nos indigni ſumus iudicari à Propheta.* Sed hanc cauſam populus à principio non habuit; vt facilè ex Litera colligitur: vbi hæc petitio non laudatur, vt humilis; ſed potiùs vituperatur, vt inſolens: quamuis demus Philoni, illam poſteà ſuæ culpæ eleuandæ ac minuendæ obtexuiſſe.

IX.

Scleribus ſtatim occurrendum.

Conſtitue nobis Regem, &c. En quid mali faciunt, qui ſcelerum medicinam remorãtur. Sicut enim, qui plagam etiam leuiorem in tempore non curat; cogitur poſteà ſerpente malo ad totum membrum amputandum: ita planè & Hebræi, qui ſuos Iudices peccare incipientes, vel per ſe, vel per Samuelem admonere non curarũt, eò deducti ſunt, vt eoſdem poſteà in totum abdicandos, magno

Carth.

ſtudio curarent. Vnde Carthuſianus: *Si nobiliores, inquit, iſti iuxta euangelica ſapientia documenta, primò admonuiſſent Iudices illos; vel patri eorum denuntiaſſent, vt filios ſuos corriperet; conſultiùs proceſſiſſent. Nunc autem ſtatim proceſſerunt ad depoſitionem illorum.* De qua re multa diximus in 1. Tom. Ann. 2. de correctione filiorũ Heli, latiùs diſſerentes.

X.

Primum dubium proponitur & exponitur.

Interim duo inquires. Vnum, vtrùm ſolum Regem, an etiam Iudices à Samuele poſtularint? Reſpondeo: etiam Iudices, propter illa Dei verba, populo in ſua captiuitate inſultantis: *Vbi eſt,* inquit, *Rex tuus? Maximè nunc ſaluet te in omnibus vrbibus tuis: & Iudices tui, de quibus dixiſti: Da mihi Regem & Principes?* Oſeæ 13. n. 10. Quo in loco

Ribera.

ſuppletum eſt, quod hoc loco deſideratur, vt Ribera ibi aduertit. Non enim ſolùm Regem; ſed etiam Iudices & Principes & Conſiliarios à latere, ſub Rege conſtitutos poſtularunt: qui quamuis hic non exprimantur; facilè tamen ſub ipſo Regis nomine intelliguntur. An verò poſtulantes Regem, certum aliquem deſignarint? dubi-

Abul.

Abulenſis ſententia non placet.

tari poteſt. Nam Abulenſ. q. 6. refert ex Ioſepho, poſtulaſſe vnum ex filiis ipſius Samuelis. Quod tamen ego apud Ioſephum non inuenio. Immò

Lorin.

Lorinus diligens Auctorum recognitor, Actor. 13. num. 21. negat, id à Ioſepho dictum eſſe; additque id repugnare querimoniæ totius populi de filiis Samuelis. Et quidem rectè: nam, ſi eos ambos à Iudicum munere excludebant; quo pacto alterum eorum in regiam dignitatem cooptarent? Accedit illa lex diuina de Rege eligendo: *Eum,* inquit, *conſtitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Deut. 17. num. 15. iuxta quam non permittebatur populo, Regem eligere; ſed eum ſuſcipere in Regem, qui à Deo eligeretur: vel ſaltem non permittebatur perſonam Regis eligendi deſignare: ſed Deo deſignanda relinquebatur, vt ex dicendis patebit.

XI.

Secundum dubium explanatur.

Alterum, quod inquires, eſt: Vtrùm Samuel legitimam habuerit poteſtatem creandi Regem, qui ab eo petebatur? Affirmabit aliquis, dicens, licèt Samuel hanc poteſtatem primò & immediatè non habuerit; accepiſſe tamen illam ab iis, qui habebant: quatenus omnes in Samuelẽ, tanquam arbitrum & electorem noui Regis, conſpirabant. In quibus autem fuerit hæc poteſtas, diſſidium

Annius.

Pined.

eſt. Nam Ioannes Annius Commentario 2. in lib. 1. Breuiarij Philonis, quem etiam citat Pineda lib. 2. De rebus Salomonis, c. 2. exiſtimat, fuiſſe

Eligendi poteſtatẽ apud ſeniores fuiſſe credunt aliqui, & probant.

penes illud Collegium ſeniorũ, iam inde à Moyſe in deſerto conſtitutum. Num. 11. à n. 16. quod appellabant *Sanedrim.* Et cõfirmat: quia Ioiada, ſummus Pontifex, & vnus ex illis ſenioribus, conſtituit Regem Ioas contra ſeditionem Athaliæ. 4. Reg. 11. n. 12. Sed neque hic Auctor eſt magnæ fidei; vt Pineda citatus aduertit: neque ratio, qua vtitur, vllius efficacitatis eſt: tum, quia illa, qualis

Eorum ſententia reiicitur.

qualis fuit, Regis Ioas conſtitutio, nõ tribuitur in Scriptura collegio Sanedrim; ſed Pontifici Ioiadæ: tum etiam, quia Ioiada nouum Regem non elegit; ſed legitimum regni ſucceſſorem, propter Athaliæ tyrannidem in tenebris deliteſcentem, manifeſtandum curauit, & armorum præſidio defendendum. Vnde Serarius noſter in Opuſculo,

Serar.

De duobus Rabbinis, c. 20. vbi diſſerit de tota illius Collegij poteſtate, hanc ad creandum Regem non aſſignat.

XII.

Sigon.

Alij apud populum fuiſſe autumant.

Suar.

Hac igitur opinione omiſſa, Carolus Sigonius lib. 7. De Republica Hebræorum, c. 3. totam hanc eligendi Regis poteſtatem penes populum fuiſſe arbitratur. Quod Suarius in impugnatione Anglicana. lib. 3. c. 3. §. 5. probabile exiſtimat; citans pro eadem opinione Cardinalem Bellarminum; ſeu potiùs eum ſic opinãtem ab Anglicani Regis cenſura defendens. Et confirmari poteſt primò ex

Probatur primò.

illis Dei verbis ad populum: *Eum conſtitues,* ſcilicet, Regem, *quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Deuter. 17. n. 15. Vbi illud, *Conſtitues,* non eſt idem, atque petes, ſeu poſtulabis Regem. Nã petitio Regis facta à populo, præceſſit illam Regis electionem, ſeu oſtenſionem à Deo factam; vt ex hoc loco patet: vbi priùs petitur Rex, quàm à Deo deſignetur. Conſtitutio autẽ ſatis apertè in Litera ſignificatur ſubſequutura: ergo eſt idem atque, propriè, Facies & creabis Regem, quem Deus à te faciendum deſignabit; vt verbis proximè ſequentibus magis declaratur, à quibus ſic argumentor ſecundò. Nam Deus in

Probatur ſecundò.

ea lege ſubdit: *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus.* Vbi per illud, *Regem facere,* declaratur illud, *Conſtitues,* proximè dictum; quaſi non ſit aliud, *Conſtitues,* quàm Regem facies. Deinde auferendo poteſtatem ad faciendum Regem externum, ſupponit ad faciendum naturalem: Nam, qui poteſtatem ſolam excipit ad Regem ex aliqua peregrina natione conſtituendum; planè illam ſupponit ad conſtituendum ex propria. Tertiò, ex illis verbis Samue-

Probatur tertiò.

lis ad populum: *Exclamabitis in die illa à facie Regis, quem elegiſtis vobis.* Infrà in hoc capite, num. 18. Nam, ſi populus legitimè elegit, poteſtatem habuit legitimam eligendi. Quòd ſi dicas, il-

Occurritur infirmæ obiectioni.

lud, *Elegiſtis,* non eſſe aliud, quàm, petiſtis, ſeu voluiſtis vobis dari Regem. Contrà: quia paulò inferiùs, hæc duo, electio & petitio, à Samuele diſtinguuntur, & populo tribuuntur: *Præſto,* inquit, *eſt Rex veſter, quem elegiſtis & petiſtis.* 1. Reg. 12. num. 13. Quaſi non ſolùm ipſe petierit, ſed reuerà elegerit. Quartò, ex eo loco: *Perrexit*

omnis populus in Galgala : & fecerunt ibi Regem Saül coram Domino. 1. Regum 11. oum. 15. Quid apertius? Neque enim videntur aliter euin Regem facere potuisse, quàm ei regiam potestatem conferendo.

XIII. *Altera obiectio facilè diluitur.* Quòd si obiicias, Samuelem, vngendo Saülem absque vllo populi conseosu, ac dicendo: *Ecce vnxit te Dominus super hereditatem suam in Principem.* 1. Reg. 10. num. 1. manifestè indicasse, regiam potestatem Saüli eollatam, non à populu, sed à Deo immediatè profectam esse. Facilè respooderi potest: illam vnctionem non fuisse signum potestatis collatæ, sed conferendæ: vt probari potest ex vnctione Dauidis, quem Samuel vnxit, 1. Reg. 16. num. 13. regnante adhoc Saüle; immò multis pòst annis regnaturo. Vnde per eam voctionem noo accepit Dauid regiam potestatem, sed per eam, quæ posteà facta est ab vniuersis Tribubus & seniotibus, quando venientes in Hebton, *Vnxerunt Dauid in Regem super Israël.* 2. Reg. 5. n. 3. Quare illa prior vnctio non fuit eollatio regiæ potestatis, sed tantùm sigoificatio quædam huius posterioris vnctionis, per quam conferenda erat illa regia potestas. Sic igitur & prima illa Saülis vnctio ante populi consensum, non significauit regiam potestatem collatam, sed conferendam: quando, scilicet, omnis populus à Samuele eongregatus in Masphath, suũ præbuit coosensum, & clamauit: *Viuat Rex.* Ita possunt pro hae parte eius Auctores non parum probabiliter argumentari.

XIV. *Suar. Alij penes Deum esse opinantur. Pineda.* Nihilominùs alij, quorum nonoullos refert Suarius citatus; immò probabiliter etiam sentire affirmat: & quorum opinionem, tanquàm veram supponit, lib. 3. De legibus, cap. 4. & ad quos Pineda, vbi suprà, propiùs accedit; dicont, potestatem creandi Regem in populo Hebræo solùm fuisse penes ipsum Deum: atque adeò neque Saülem, neque Dauidem, neque vllum aliom è Regibus Israel, à populo; sed immediatè à Deo regiam potestatem accepisse. Verùm, vt breoiter aperiã, *Quid hac in re sentiendũ proponitur.* quid sentiam. Dico in primis, in Regis constitutione, aliud esse designationẽ personæ in Regem promouendæ; aliud ipsam collationem regiæ potestatis: quo pacto etiam se res habet, vt exemplo rem illustrem, in iure patronatus; quod residet in Principe, etiam tempotali, ad personam designandam; non aotem ad potestatem eonferendam. Et in summo Pontifice eligendo, quem homines ad pontifieiam dignitatem aptissimum designant: & cui Deus immediatè confert pontificiam potestatem. Vnde fit, vt designatio personæ, & collatio potestatis apertè distinguantur.

XV. *Confirmatur amplius superior sententia. D. Thom.* Addo præterea, in quouis alio populo inesse ex natura rei vtranqoe potestatem, & designandi personam in Regem promouendam, & conferendi regiam potestatem, vt sumitur ex D. Thom. 1. 2. q. 90. art. 3. cui cæteri Theologi ibidem assentiuntur. Nam, sicut quælibet communitas ex natura rei potestatem habet se ad suum finem dirigendi; ita & eligendi illud principatus genus, quo speret talem finem accommodatiùs obtinendum: quamuis, eo semel electo, noo possit illud liberè & sine eausa reuocare: vt etiã in priuatis personis contingit; quæ postquàm legitimè paciscuntur, nõ possuot à suis pactis liberè & sine causa resilire. Qua de re vide *Suar.* Suar. citatũ c. 2. latè disserẽtem.

XVI. *Potestatem designandi personam in Regem sibi Deus reseruabat.* Taudem assero, io populo Israëlitico aliquid proprium ac peculiare inueniri, propter peculiarem fauorem, quo à Deo regebatur. Nam in primis potestatem desigoandi personam, quæ in Regem assumeretor, sibi Deus proculdubiò reseruauit, vt patet: tum ex lege Deuteronomij proximè citata; vbi Regis electio, hoc est, ioinimùm, designatio, penes Deum esse exprimitur: tum etiam ex Saüle & Dauide; quorum illum Samueli ostendit, 1. Reg. 9. n. 17. hunc autem eidem Samueli indicauit, 1. Reg. 16. num. 12. vt vterque in Regem crearetur. Neque populus ausus fuit personam in Regem assumendam designare. Ergo saltem designatio personæ ab ipso Deo immediate dependebat. Quod intelligendum est in primis de Regibus per electionem constitutis. *In successione Regum non requirebatur designatio.* Nam in iis, qui fiebant per successionem, oon requirebatur aliqua designatio humana, nisi fortè qua ostenderetur, quisnam esset filius primogenitus superstes: neque etiam diuina, diuersa ab ea, qua primus parens, seu aoctor regni cum iure successionis designatus erat. Nam vbi constabat, aliquem fuisse à Deo designatum in Regem cum iure successionis ad posteros, & eonstabat per aliquam designationem humanam, qoisnam esset eius filios primogenitus, vel simpliciter, vel saltem inter superstites; non reqoirebatur alia designatio, vt in Regem assumeretur. Verùm verò intelligenda sit hæc doctrina de omnibus Regibus Hebræorum per electionem coostitutis; an solùm de illis primis, per quos regius status inchoatus & confirmatus est; ex dicendis statim patebit.

XVII. *Potestatem etiam conferendi regiam potestatem penes Deum esse, probabilius.* De potestate conferendi regiã iorisdictionem, est maius dubium. Sed licèt probabile sit, eam fuisse penes populum Israëliticum; quemadmodum etiam erat sine dubio penes alios populos: probabilius tamen mihi est, fuisse à Deo sibi reseruatam propter peculiarem prouidentiam, qua illum populum gubernabat. *Probatur primò.* Et confirmatur primò, quia Deus propter hanc peculiarẽ prouidentiam limitauit populum Hebræum, ne designaret personã Regis eligendi, & ne admitteret Regem externum; vt patet ex citata lege Deuteron. cùm tamen ad vtrunque ex communi iure potestatem haberet. Ergo propter eandem prouidentiam credi potest, eundem populum limitasse; ne Regem ipse suum constitueret: seu, ne ipse regiam potestatem euipiam conferret, cum noo minùs ad hoc, quàm ad illud, illa peculiaris prouidentia requisita videatur: vt sic à Deo totus ille populus beneuolentiùs penderet. *Probatur secundò.* Secundò, quia Deus peculiari ratione se Regem illi populo præstabat, vt seqoẽti Num. ostendam. Ergo æquom non erat, vt in populo daretur legitima potestas, Deum à suo regno excludendi, & aliquem hominem cooptandi. *Probatur tertiò.* Tertiò, quia Samuel ex diuioo præcepto, & populo inconsulto, vnxit Saülem in Regem. 1. Regum 10. n. 1. Et rursus eodem modo vnxit & Dauidem. 1. Regum 16. n. 13. Hæc autem vnctio non fuit sola personæ designatio: tum, quia persona iam erat à Deo designata: tum, quia ad designandam personam non opus erat vnctione: erat igitur vera potestatis collatio. Ergo hæc à solo Deo, non autem ab ipso populo dependebat. *Aduersariorum obiectioni respõdetur.* Quòd si dicãt aduersarij, regiam potestatem non potuisse Dauidi conferri, viuente adhuc, & regnaote Saüle. Responderi potest, boc in primis vim non habere in vnctione Saülis, quæ facta est, nemine alio regnum obtinente: in vnctione verò Dauidis vim habere ex alio principio, quòd duo Reges immediati & adæquati in eodem regno se non compatiantur: non autem ex defectu consensus popularis; cùm etiam, hoc excluso, potestas regia Saüli collata fuerit; & Dauidi conferri posset, nisi obstaret illud impedimentum. Quamois non desint, qui existiment, Dauidi reuerà collatam fuisse, & consequenter Saüli ablatam. Sed hoc incertũ est, & fortasse minùs probabile: vt ad

eap.

Probatur quartò.

A cap.1 5. Num. 1. paulò fusiùs disputabo. Quartò, quia, licèt aliquando populus dicatur Regem elegisse, fecisse & constituisse; vt patet ex locis suprà citatis: id tamen facilè intelligi potest, vel de petitione, vel de solenni aliqua Regis manifestatione, vel de spontanea eiusdem regis acceptatione: cùm iam anteà fuerit Rex à Deo & electus, & designatus, & constitutus.

XVIII.

Probatur vltimò.

Quintò & vltimò, quia, si populus haberet potestatem constituendi Regem, Samuelem fortasse nõn adiret, postulans, vt eum constitueret: sed ipse suo iure ad eum constituendum vteretur; præsertim, cùm sibi persuaderet, sufficientem causam ex senectute Samuelis, & malitia filiorum eius desumptam ad regimen innouandum interuenire. B Quare, sicut patres eorum in deserto: *Dixerunt alter ad alterum: Constituamus nobis Ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Num. 4. num. 4. Ita ipsi de creando Rege inter se deliberarent, nec desisterent, donec opere complerent. Nam, quod dicit Abulens. quæstione 5. Hebræos per se ausos non fuisse Reipublicæ statum innouare; nisi consulto prius Samuele, ne illum grauiter offenderent, Deùmque ad graues pœnas prouocarent: nescio, an cum eorum impudentia & licentia cohæreat, qui sanctissimum virum, à quo tam multa susceperant beneficia, de suo principatu deturbare non dubitabant. Samuelem igitur adierunt: vt quod ipsi facere non poterant, ille tanquàm Propheta, & diuinæ mentis interpres exequeretur. C Sic enim alieno ministerio vti volebant, vt suum ipsi venenatum desiderium obuelarent: & non tam ipsi propria maleuolentia, quàm Samuel diuina auctoritate Regem constituere videretur: pessimum suæ fraudis & calliditatis exemplum ad suos posteros transmittentes; qui volentes, & non audentes auctoritate propria Christum Dominum interficere; Pilatum, vt interficeret, precabantur, dicentes: *Nobis non licet interficere quenquam.* Ioann. 18. num. 31. Et iterum: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori.* Ioan. 19. n. 7. Pilati flagitio suum tegere cupientes.

Abul.

Excusatio Abulensis non cohæret cum impudentia Hebræorum.

Hebræorum fraus & calliditas vituperatur.

XIX.

Deus post electionem Saülis & Dauidis, remisit potestatē eligendi Regem.

Itaque nulla sub id temporis erat in populo potestas ad Regem constituendum. An verò regio statu in persona Saülis iam introducto, & in persona Dauidis iam confirmato, adhuc inter Hebræos potestas eligendi penes solum Deum D seruaretur; ita vt etiam, necessitate vrgente, expectanda esset diuina electio, neque Rex iuxta commune ius ad plura populi suffragia creandus: quæstio est, quam in 1. Tomo, Annot. 3. Sect. 5. §. 3. & 5. prælibaui, & ad hunc locum breuiter definiendam remisi. Dico igitur, Deum post electionem Saülis & Dauidis, quos ipse per se immediatè elegit & constituit, vt diximus deinceps, non semper sibi reseruasse potestatem eligendi Regem inter Hebræos; sed iisdem remisisse, vt ipsi communi Gentium iure in eligendo Rege, quando necessitas vrgeret, vterentur. Moueor primò, quia Deum esse proprium & immediatum Regis electorem E in populo Israëlitico; erat ingens beneficium, quod in eum populum conferebat, vt per se patet: hoc autem beneficio se populus fecit indignum, cùm sua sponte Regem postulauit, antequàm Deus de politico regimine innouando quidquam definiret. Ergo deinceps dimisit illos Deus in desideria cordis eorum, & pares illos cæteris nationibus effecit, quibus tantæ prærogatiuæ iure superiores esse noluerunt.

Primum fundamentum.

XX.

Secundum fundamentū.

Secundò, quia, quamuis inter Hebræos nullus fortasse Rex inueniatur ab ipso populo absque vlla designatione diuina electus & constitutus; vt

A Pineda citatus fatetur: tamen aliquos inuenio ab aliis saltem humanis electoribus creatos. Nam Nechao Rex Ægypti, à Regno Iudaïco remouit Regem Ioachaz, eoque viuente, Regem constituit fratrem eius iuniorem Eliacim, quem Ioacim appellauit. 4. Reg. 23. à n. 33. Deinde Nabuchodonosor Rex Babylonis arcuit ab eodem Regno Iudaïco Regem Ioachimum prædicti Ioacimi filium, eóque superstite, Regem creauit Mathaniam eius patruum, quem Sedeciam nuncupauit. 4. Reg. 24. à num. 15. Vterque autem, nempe, Ioacim & Sedecias, verè & legitimè regiam exercuit potestatem. Ergo iam Deus sub id temporis sibi non reseruabat iurisdictionem immediatè & per se creandi Hebræos Reges; sed remittebat elec- B ctoribus, ad quos iure communi spectabat, quales tunc fuerunt illi duo externi Reges, iure victoriæ. Et in debitis circunstantiis iure communi requisitis, esse posset ipse populus, seu communitas; cui per se, & ex natura rei iurisdictio debebatur.

Pineda.

XXI.

Samuel nullā habuit potestatem creandi Regem.

Ex dictis patet, Samuelem non habuisse potestatem designandi, aut creandi Regem, neque ex se, vt palàm est; neque à populo acceptam, cùm eam populus sub id temporis non haberet. Vnde maiores natu Israël iniquam petitionem ad eum attulerunt, dicentes: *Constitue nobis Regem:* quia, vt plùs faceret, quàm posset, postulabant. Quòd si, vt Prophetam precabantur, vt ipse aliqua diuina auctoritate, quàm ad hanc innouationem haberet, vteretur: temerarij existebant, cùm eis neque de C tali auctoritate constaret, neque de sufficienti necessitate, ad vtendum illa, etiamsi daretur. Sed eorum culpa ex sequenti Num. magis patebit. Quod verò addunt: *Vt iudicet nos:* idem est, ac si dicant: *Vt regat nos:* seu, vt more regio nobis dominetur. Neque enim Regem duntaxat, vt iudicaret postulabant: nam ad iudicandum satis erant Iudices. Nihilominùs verbo iudicandi vti maluerunt; ne statim suam insaniam proderent; sed callidiùs dissimularent: neque Samuelem grauiùs offenderent; sed artificiosiùs inducerent, quò volebant. Sed de verbo iudicandi iterum ad sequentem Num.

Hebræi sub nomine Iudicis Regē callidè postulabant.

XXII.

Sicut & vniuersæ habent, &c. Aliarum nationum D afferunt exempla: vel, vt inducant Samuelem ad concedendum, quod petunt: vel, vt se excusent, quòd petierint, vt Abulensis aduertit. Nam siue aliarum gentium exemplo imprudens ille concederet; nec minùs imprudentes isti postularent. Vniuersas verò dicunt nationes figuratè pro plurimis: neque enim omnes sub Regibus viuebant, sed aliæ aliis principatus generibus vtebantur. Quamuis M. Tullius lib. 3. De legibus, sub initium, dicat, omnes antiquas nationes Regibus quondam paruisse: & Iustinus historicus lib. 1. scribat, *Principio rerum, Gentium, nationúmque imperium penes Reges fuisse.* Et fortasse omnium primus ante diluuium sibi hoc imperium vsurpauit Caïn, cùm dicitur ciuitatem condidisse. Gen. 4. num. 17. hoc est, communitatem, seu multitudi- E nem hominum congregasse, cui ipse, tanquàm Rex, dominaretur: vt D. Aug. lib. 15. De ciuit. cap. 8. interpretatur. Et post diluuium, omnium primus regnare dicitur Nemrod, Gen. 10. n. 10. quem D. August. lib. 16. De ciuit. cap. 4. existimat, fuisse conditorem Babylonis: in qua vrbe primum Regni sui solium collocauit. Vbi vides duos primos mundi Reges ante & post diluuium pessimos extitisse: ne quis tam amet illius status dignitatem, quàm iniquitatem reformidet.

Abul.

Vniuersæ, figuratè ponuntur, pro plurimis.

Tull.

Iustin.

Primi duo Reges ante & post diluuiū, Caïn & Nemrod, pessimi.

D. Aug.

D. August.

Nemrod conditor Babylonis.

XXIII.

Ab his fortasse consequentes Reges didicerunt, qui magna ex parte à Regibus in tyrannos

Tull. *Nomen Regis olim omnibus ferè gentibus inuisum.* Geneb.

degenetatunt. Vnde factum est, teste Marco Tullio in Antonium, vt regium nomen Græcis, pariter ac Latinis inuisum haberetur. Immò, vt ex Demosthene tefert Genebr. lib. 1. Chronologiæ, omnibus ferè Gentibus, quæ suauiùs, inquit Demosthenes, credebant, obedire legibus, quàm Regibus. Nam, qui legibus seruiunt, seruiunt tationi, quæ semper id, quod est optimum, intuetur: at verò, qui seruiunt Regibus, seruiunt voluntati, quæ sæpè in libidinem ac tyrannidem facessit. Vnde olim Deus Messiam Dauidis nomine significatum, mundo pollicitus, non solùm Regem, sed etiam pastorem appellauit, vt regij nominis inuidiam, pastoritij muneris beneuolentia temperaret: *Et seruus*, inquit, *meus Dauid, Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum.* Ezech. 37. n. 24. Quasi diceret, inquit D. Hieronymus ad eum locum: *Tanta erit clementia, vt non solùm Rex, sed & pastor appelletur: eò quòd superbum nomen imperij, pastoris vocabulo mitiget.* Hinc patet præpostera Hebræorum voluntas. Nam cæteris Gentibus suos Reges non tam amantibus, quàm odio persequentibus, ipsi Reges habere cupiebant, & nomen regium aliis nationibus inuisum & execrandum, ipsis videbatur iucundum & appetendum. Ita cæca hominum mens, non quò ratio ducit; sed quò passio impellit, præcipitatur.

Vnde Messias & Rex & pastor nuncupetur. D. Hier.

Num. VI. Displicuit sermo in oculis Samuelis; eò quòd dixissent: Da nobis Regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad Dominum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Hebræi peccarunt in petendo Rege.*

D*isplicuit sermo*, &c. Certum est, Israëlitas in petendo Rege, grauiter peccasse: vt patet ex Num. seq. *Non te abiecerunt, sed me.* Et ex cap. 12. num. 19. vbi populus hoc suum peccatum ingenuè confessus, *Addidimus*, inquit, *vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus Regem.* Et ex illis verbis Oseæ 9. num. 9. *Profundè peccauerunt, sicut in diebus Gabaa.* Vbi Rupertus lib. 4. peccatum Iudæorum negantium Christum Regem, & optantium Cæsarem, comparat cum hoc peccato eorundem conteinnentium Samuelem, & nouum Regem deposcentium. Item ex illis Oseæ 9. n. 15. *Omnes nequitia eorum in Galgal; quia ibi exosos habui eos. Propter malitiam adinuentionum eorum de domo mea eiiciam eos.* Vbi etiam fit allusio ad Iudæorum consilium, quod in Galgalis de constituendo Rege excogitarunt. Et rursum ex illis Oseæ 10. num. 9. *Ex diebus Gabaa peccauit Israël.* Vbi significatur hoc peccatum Iudæorum, regimen innouare cupientium, fuisse illis prima malorum omnium labes.

Rup.

Hoc peccatum est omnium malorum causa fuit.

II. *Videri non peccasse Israëlitas.*

Sed mirabitur fortasse aliquis, vllum in hac Regis petitione peccatum interuenisse; cùm olim à Deo præscriptum fuisse videatur, vt post ingressum in tertam Promissionis, de Rege constituendo deliberetur, vt videre est in illis verbis Legislatoris ad populum: *Cùm*, inquit, *ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi; & possederis eam, habitaueris que in illa, & dixeris: Constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitum nationes: eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Deutet. 17. n. 14. Vbi planè concedi videtur facultas constituendi Regis; dummodò ille ex filiis Israëlis eligatur.

A Quod igitur peccatum, optantes & petentes Regem, dici possunt commisisse? Duas inuenio responsiones. Vnam ex D. Aug. q. 26. Deut. Lyra ibidem, & Abulens. quæst. 7. qui dicunt, in loco Deuteronomij, non fieri vllam Regis eligendi concessionem; sed tantùm permissionem: & cùm peccatum à Deo permittatur; adhuc hanc noui Regis petitionem, peccaminosam esse potuisse. Alteram ex Paulo Burgensi, qui existimat, in illo Deuteronomij loco, fieri quidem concessionem Regis eligendi: sed cum certis conditionibus; quas, quia Hebræi non impleuerunt, addit, illos in petendo Rege grauiter peccasse. Eandem sententiam & Caietanus tam hîc, quàm in Deuteronomium, & Rupertus ad hunc locum, mihi innuere B videntur.

D. August. Lyran. Abul. *Duo Authorum responsa opponuntur.* Burg.

Caiet. Rup.

III. *Reiicitur secundum.*

Sed non video vllas conditiones in Deuteronomio requisitas, quas Hebræi hoc loco non impleuerint. Nam ibi tres tantùm conditiones requiruntur: neque enim liberè excogitandæ sunt aliæ, quæ in Litera non continentur. Vna, vt hæc Regis constitutio fiat post ingressum in terram Promissionis. Altera, vt Rex constituendus, seu declarandus à populo, priùs à Deo eligatur, seu designetur. Tertia, vt non sit externus, sed de filiis Israel; indigena, non alienigena. Omnes autem hæ conditiones hoc loco implentur; vt patet. Vnde, si ibi facta est concessio constituendi Regem sub his conditionibus, & earum nulla nunc desideratur; profectò Israëlitæ de constituendo Rege C licitè deliberarunt: quod tamen non est dicendum, siquidem petendo Regem, Deum contempserunt. Quare ad prioris sententiæ Auctores potiùs accedo, dicóque, hanc Regis constitutionem solùm fuisse à Deo permissam; & propterea induere potuisse aliquam malitiæ rationem, ob eámque Samueli displicuisse. Difficultas tamen est, in quo hæc malitia sita fuerit: Quod tunc demum patebit, cùm ostendetur ratio, propter quam Samueli displicuerit.

Approbatur primum.

IV. *Displicuit sermo Samueli, vt à recta ratione alienus.*

Displicuit igitur *sermo in oculis Samuelis*, &c. In Hebræo est: וַיֵּרַע הַדָּבָר *Vajeragh hadabar.* Quod Interlin. Regia vertit: *Et malum fuit verbum.* Sic & Septuaginta transtulerunt, καὶ ἦν πονηρὸν τὸ ῥῆμα, hoc est, *Et fuit prauus sermo.* Vbi significa- D tur, verbum non solùm fuisse ingratum & iniucundum Samueli; sed in se ipso malum, & à recta ratione alienum. Additur: *In oculis Samuelis*, hoc est, interprete Carthusiano, in intellectu & sapientia Samuelis. Et, quia Samuel sua tantùm, & non aliena prudentia iudicabat, illam petitionem esse malam; ausus non fuit illam statim condemnare, antequàm Deum consuleret: idcircò dicitur priùs orasse ad Dominum. Quod D. Gregorius rectè expendens: *Sancti*, inquit, *viri, qui omnipotenti Deo valdè displicere metuunt; in suis iudiciis faciles non sunt: sed cuncta priùs rationabiliter intus ordinant, vt ea foris in opere irreprehensibiliter disponant.* Et paulò pòst: *A viris spiritualibus nihil antè despicitur, quàm despiciendum esse per spiritualem mentis intuitum iudicetur.* E Sed iam ratio, cur hæc petitio Samueli displicuerit, expendatur: quę multiplex potest assignari.

Carth.

D. Greg. *Iusti iudicando faciles esse non debent.*

V. Caiet. *Causa, ob quam displicuit petitio Samueli.* *Prima ex Caietano,* Oleast.

Prima sit ex Caietano, dicente humana ratione & passione displicuisse Samueli hanc petitionem, quia redundabat in abiectionem ipsius & filiorum. Quamuis Samuelem ex eo laudet, quòd interna passione agitatus in externam impatientiam non eruperit; sed potiùs Deum adierit oratu- rus, vt prauos motus refrænaret. Eodem modo respondet Oleaster in expositione mor. ad cap. 27. Num. vbi laudat Moysen, qui de filiis suis in principatum

cipatum post suum interitum cooptandis, non curauit. & perstringit Samuelem, quòd ægre tulerit, suos filios à populo de successione in principatum remoueri.

Olcastri & Caietani ratio exploditur.

Verùm hanc rationem ideò non amplector, quia Samuel longè minùs de sua & filiorum suorum gloria, quàm de diuina cogitabat. Et quidem, quod attinet ad filios, mecum sentit Hugo Cardinalis: *Displicuit*, inquit, *sermo, quo Regem postularunt: non quo filios repudiabant.* Concinit Abul. q. 4. *Samuel*, inquit, *cùm vir iustus esset, non curasset nimis de filiorum suorum deiectione; dum tamen prouideretur publicæ vtilitati.* Et iterum q. 6. *Samuel*, inquit, *libenter tulisset, quòd filij sui perderent principatum; & transiret dignitas ad extraneos, dummodò Israëlitæ non petiissent Regem.* Scilicet, multò ægriùs ferebat Samuel, suos subditos incidisse in peccatum; quàm suos filios de principatu cecidisse. Vnde D. Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum, rectè notat, *Moysen & Samuelem filiis suis alios prætulisse; nec putasse liberos, quos videbant Domino displicere.*

Hugo. Abul.

Filios Samuel de regno cecidisse malebat, quàm in peccatum incidisse. D. Hier.

VI. *Displicuit sermo, nō ex ambitione, sed ex Samuelis æquitate.* Carth. D. Greg.

Quod verò attinet ad ipsum Samuelem, mihi fauent alij Patres & Interpretes. Nam Dionysius Carthusianus, *Displicuit*, inquit, *sermo, non ex ambitione, sed æquitate ad bonum commune: quia sciebat populo potiùs expedire quòd regeretur per Iudices.* At verò D. Greg. hoc loco de Samuele loquutus, *Sancti viri*, inquit, *cùm se à subditis contemni conspiciunt; non tam eis displicet, quòd contemnuntur; quàm quòd contemptores sui Deo non placent. Eorum quippe contemptu sua internæ gloriæ dari incrementa conspiciunt: sed augeri merita sua subditorum defectibus ingemiscunt, quos sic meritis vellent proficere: vt in æterna meritorum retributione, secum eos, quibus præsunt, habere potuissent.* Et hom. 15. in Ezech. multa proponens exempla Sanctorum, qui iniurias æquo animo tolerarunt: *Samuel*, inquit, *in cogitationem deducatur, qui de principatu deiectus à populo, cùm idem populus peteret, vt pro eo Domino preces effunderet, respondit, dicens: Absit à me hoc peccatum, vt cessem orare pro vobis. Culpam quippe vir sanctus perpetrare se credidit, si eis, quos aduersarios pertulerat vsque ad eiectionem, benignitatem gratiæ non reddidisset in prece.* Ita ille. Qui in vtroque loco satis ostendit, Samuelem nihil pro iniuriis propriis: sed pro diuina gloria fuisse commotum. Idem lib. 10. moral. c. 4. loquutus de charitate, qua veteres Patriarchæ illatas sibi iniurias tolerarunt, subdit: *Hæc Samuelem & in principatu humilem præbuit; & integrum in deiectione seruauit: qui, cùm persequentem se plebem diligeret; ipsi sibi testimonium extitit, quia culmen, ex quo deiectus est, non amauit.* Accedit D. Chrys. in priori homil. De latrone & Cruce, ad finem tertij tomi, vbi proponens multa exempla Sanctorum, qui pro suis inimicis orarunt: *Samuel*, inquit, *Propheta sustinuit iniuriam Iudæorum, &c. Et ille, qui exordinatus fuerat, quo contemptus ait: Mihi absit peccare peccatum intermittendi orare pro vobis Dominum. Peccatum arbitratur, minùs pro inimicis orare.* Et rursum hom. 2. in posteriorem Epistolam Timothæi, loquutus de illis Prælatis, qui subditorum iniurias æquo animo susceperunt, & inter eos numerans Samuelem, subdit: *Itaque illis contumelia, lucrum: honor verò, onus est.* Quibus verbis significat, Samuelem non modò non fuisse hac iniuria lacessitum: verùm etiam delectatum. Absit igitur, vt Samuel suis, aut filiorum iniuriis offensus, hanc Regis petitionem iniquè pateretur.

Prælati subditorum defectu sua augeri merita ingemiscunt.

Iusti non pro iniuriis, sed pro diuina gloria commouentur.

D. Chrys. *Iusti peccatū arbitrantur, pro inimicis non orare.*

Iustis contumelia, lucrū: honor, onus est.

VII. *Secunda ex Petro Damiano.*

Secunda ratio primæ affinis est, sed in meliorem sensum explicata. Doluit quidem Samuel propter suam deiectionem; non tamen quatenùs ea in proprium dedecus, sed quatenùs in publi-

A cum detrimentum redundabat. Ita docet D. Petrus Dam. lib. 5. epistolarum, epist. 12. vbi ostendit, homines etiam iustos, & minimè ambitiosos, vt Iosephum, Moysen, Iosuë & similes, aliquando oblatum imperium libenter amplecti; quando, scilicet, intelligunt, suam operam suis subditis profuturam: & eandem ob causam iniquè ferre, si ab imperio remoueantur; vt contigit Samueli: *Quid dicam*, inquit, *Samuel, qui quandiu non est ab ipso populo ex principatus arce deiectus, & excelsus videbatur in publico, & humilis erat in occulto: qui, videlicet, suscepti regiminis locum adeò inuitus deseruit; vt maioribus natu Israël sibi Regem petentibus, de eo protinus Scriptura dicat: Displicuit sermo in oculis Samuelis*, &c. Ita ille. Quasi diceret: Quamuis Samuel esset humilis; tamen ægrè tulit ab imperio B remoueri: non quidem, quòd ipse sua dignitate; sed, quòd populus sua vtilitate priuaretur: vel saltem doluit propter suam deiectionem, non, quòd illa in suum damnum redundaret; sed, quòd populi ingratitudinem & iniustitiam proderet & argueret, qui Iudicem, à quo tam multa beneficia accepisset, aspernaretur. Hanc rationem hoc posteriori modo explicatam Abul. q. 9. inter alias inculcat. Sed, quamuis hæc ratio ostendat, Regis petitionem propter circunstantiam ingratitudinis vitiosam fuisse, & propterea displicuisse Samueli: non tamen ostendit, fuisse malam in se ipsa, & prohibitam. Quare alia ratio quærenda est, ex qua intrinseca eius malitia colligatur.

D. Dam

Doluit Samuel, non ob suam dignitatem, sed ob populi vtilitatem.

Abul.

Reiicitur superior sententia.

VIII. *Tertia causa apponitur.*

C Tertia ratio. Displicuit sermo in oculis Samuelis, non tam propter ipsam petitionem, quàm propter rationem petendi. Petebant enim Regem, vt reliquis Gentibus similes efficerentur. Iniquum autem erat, populum, qui Deum colebat, velle similem esse populo, qui Deum ignorabat. Hanc assignant Dionysius, Caietanus, Lyra, Abulensis & alij. Eandem ob causam percussit olim Deus Ozam portantem in plaustro Arcam fœderis. 2. Reg. 6. num. 7. Nam, vt ibi Lyranus, *Peccauit*, inquit, *in hoc, quòd voluit assimilari Philisthæis in Arcæ deportatione.* Philisthæos enim Arcam in plaustro deportasse, in c. 6. dictum est. Nec immeritò displicet populus, volens similis esse Gentibus, quibus Deus valdè dissimilem eum fore præoptabat; D iuxta illud Balaami: *Populus solus habitabit, & inter Gentes non reputabitur.* Num. 23. num. 9. Quasi diceret: Tam diuersos mores à Gentibus colet, vt solus in mundo esse, & nullum cum Gentibus commercium habere videatur. Huc pertinet illa diuina prohibitio: *Noli lætari, Israël: noli exultare sicut populi.* Osee 9. n. 1. Vbi non prohibetur simpliciter lætitia & exultatio: sed talis, qualis à Gentibus haberi consueuit. Nam Gentes exultant de donis temporalibus: Deum verò donatorem contemnunt; seu, vt loquitur Rupertus ad citatum Oseæ locum: *Diligunt rem Dei, neglecto Deo.* At verò populus fidelis fruitur quidem temporalibus donis, sed de ipso donatore præcipuè lætatur. Absit igitur, vt sicut Gentes, donatore contempto, de E solis donis lætetur. Cæterùm Rupertus hanc populorum lætitiam ab Osea prohibitam, pressiùs limitat ad eam, quam de suis quique Regibus habebant: *Hæc lætitia*, inquit, *populorum, hæc exultatio est Gentium, Regem alium habere, quàm Deum. Et hac lætitia lætari, tali exultatione exultare voluit Israël; quando Regem Saülem expetiuit; quando sequutus est Ieroboam, relicta domo Dauid; quando Christum negauit, dicens: Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Meritò igitur displicuit Samueli ea petitio, qua populus Israëlis, non aliter quàm cæteræ Gentes, de suis Regibus exultare cupiebat. Quamuis adhuc

Dionys. Caiet. Lyran. Abul.

Deus populū suum idololatris similem esse non vult.

Rup. *Populus fidelis de bonis temporalium donatore præcipuè lætatur.*

adhuc alia ratio quærenda ſit, qua oſtendatur non ſola circunſtantia, ſed etiam ſubſtantia petitionis Samueli diſplicuiſſe.

Rup. *Quarta ex Ruperto ponitur & reiicitur.*

IX. Quarta ratio ex Ruperto. Diſplicuit Deo hæc petitio: *Quia*, inquit, *importuno tempore dixerunt: Da nobis Regem: cùm haberent Iudicem, iuſtè & regulariter iudicantem eos; non ambitionis vanitate, ſed in ſpiritu Dei, & ſermonis Domini veritate.* Sed hæc ratio ſolùm oſtendit, cur diſplicuerit Deo, qui agnoſcebat Samuelis ſanctitatem, eiúſque dignitati conſulebat; & vtilitatem ex ea capiendam à populo contemni iniquiſſimè patiebatur: non autem cur diſplicuerit Samueli, qui de rebus propriis non niſi humiliter iudicabat.

Quinta ex Brixiano non eſt adæquata.

Quinta ratio ex Iſidoro Clario: *Quia*, inquit, *ex tumultuario quodam, & inconſiderato animo, & non pro honore Dei, & conſeruatione iuſtitiæ poſtulauerunt Regem: & idcircò Deum offenderunt; præſertim, cùm magis fiduciam ſuam in homine collocauerint; quàm in Deo, qui toties eos ex magnis eripuit periculis.* Sufficiens quidem fuit hæc ratio, non tamen adæquata.

Sexta ſumitur ex eorum ſuperbia. Abul.

Sexta ratio ſumitur ex ſuperbia eorum. Nam, cùm eſſent illi ſuperbiſſimi, non niſi maximo Principi qualem eſſe Regem iudicabant, parere voluerunt. Ita tenet Abul. quæſt. 6. *Videbatur*, inquit, *eis indecorum, quòd, cùm ipſi eſſent magnus populus, non haberent Regem, quem putabant, magnum eſſe honorem populi.* Hinc illa Dei cum hoc populo expoſtulatio: *Iuxta paſcua ſua adimpleti ſunt, & ſaturati ſunt, eleuauerunt cor ſuum, & obliti ſunt mei.* Oſeæ 13. num. 6.

Rup.

Vbi Rupertus lib. 6. *Quia*, inquit, *terram optimam in poſſeſſionem acceperunt, cuius fructibus adimpleti, & diuites facti ſunt, elati in ſuperbiam Regem ſibi petierunt, nolentes audire vocem Domini & Samuelis.* Quaſi minùs glorioſum illis videretur, Iudici, quàm Regi obtemperare. Superba igitur petitio non potuit non & Deo & Samueli diſplicere: quamuis maior adhuc diſplicendi ratio mihi videatur in illa interueniſſe; vt ex dicendis patebit.]

Septima ex Lyrano. Abul. D. Chryſ. *Confirmatur ex D. Chryſoſtomo.*

X. Septima ratio. Diſplicuit ſermo, inquit Lyranus: *Quia diſplicuit malitia filiorum ſuorum, quæ vſque tunc latuerat ipſum.* Similiter reſpondet Abulenſis q. 5. Et poteſt confirmari ex D. Chryſoſtomo lib. 3. De prouidentia, vbi de Samuelis triſtitia loquutus, *Eius*, inquit, *filij, cùm iniqui & mali eſſent, atque ad culmen iniquitatis perueniſſent, & mœrore illum incredibili afficiebant, & ſibi præſtiti honoris hæredes eſſe non poterant.* Sic ille. Quamuis hæc ratio à Litera remotior & alienior mihi videatur. Nam, licèt dubitandum non ſit, Samuelem propter ſcelera filiorum grauiter doluiſſe: tamen hoc loco non agitur de hoc dolore; ſed de illo, quem concepit propter peccatum Hebræorum, Regem petentium. Et in quo illud peccatum conſtiterit, à nobis inueſtigatur.

Superior ratio paulò aliter explicatur. Dionyſ. Abul.

Poteſt igitur hæc ratio paulò aliter explicari. Doluit: quia Hebræi ad extremum remedium depoſitionis proceſſerunt; cùm tamen aliis ſuauioribus, correctionis & punitionis priùs vti debuiſſent. Hanc reddit Dionyſius: *Diſplicuit*, inquit, *eò quòd dixiſſent: Da nobis Regem: & non potiùs: Corrige filios tuos, vt iuſtè ſe habeant.* Eandem inculcat Abulenſis q. 9. in 3. & 4. ratione. Et illuſtrat exemplo Heli & filiorum eius, quos Deus non ſtatim ab imperio remouit: ſed ſemel atque iterum admonitos, ac minimè emendatos. Vnde iuſtitia diuina cingulo & pallio comparatur: *Erit*, inquit, *iuſtitia cingulum lumborum eius.* Iſai. 11. n. 5. Et rurſum: *Opertus quaſi pallio zeli*: id eſt, iuſtitiæ. Iſai. 59. num. 17.

Grauiora ſupplicia vltimò aſſumenda.

Nam, quemadmodum cingulum & pallium, non niſi poſt alias veſtes vltimò aſſumuntur: ita grauiora ſupplicia non ſunt adhibenda, niſi quando leniora remedia, priùs adhibita non proficiunt.

XI. *Octaua ratio myſtica.*

Octaua ratio myſtica eſſe poteſt. Diſplicuit ſermo petentium Regem, in typum eorum, qui pro Chriſto Rege poſtulauerunt Cæſarem. Ioan. 19. n. 15. aut eorum, qui Barabbam Chriſto Domino prætulerunt. Matth. 27. num. 21. aut eorum, qui nouiſſimis temporibus negantes Chriſtum, amplexuri ſunt Antichriſtum.

Rup. *Iudæi repellendo Chriſtum profundè peccauerunt.*

De quibus Rupertus lib. 2. in Num. cap. 22. *Quia*, inquit, *Deum ſuum, Regem ſuum fortiſſimum, Rhinoceroti ſimilem, de virginis ſinu factum, comprehenſibilem, ductúmque ad mortem reliquerunt, hoſtéſque illius facti ſunt: alium recepturi ſunt, id eſt; Antichriſtum, cuius in typum Saülem expetierunt.* Hoc fuit illud peccatum, de quo Oſeas cap. 9. num. 9. *Profundè*, inquit, *peccauerunt, ſicut in diebus Gabaa.* Hoc eſt: Sicut in vrbe Gabaa repellendo Samuelem: ita poſteà repellendo Chriſtum profundè peccauerunt. Vbi illa ſimilitudinis particula, *Sicut*, non adæquationem; ſed quandam proportionem ſignificat, cùm hoc poſterius peccatum Chriſtum repellentium, multò ſit atrocius ac deteſtabilius.

Quid ſit peccatum profundum.

Vnde hi ſoli peccatores dicuntur in ſacris Literis profundè peccauiſſe: tum propter calliditatem conſilij, quo vtebantur; in quos proinde quadrat illud Iſaiæ 29. num. 15. *Væ, qui profundi eſtis corde, vt à Domino abſcondatis conſilium.* Zelo enim iuſtitiæ furorem inuidiæ tegere voluerunt: niſi à Chriſto Domino tota eorum vafrities facilè denudaretur; iuxta illud: *Sicut aqua profunda, ſic conſilium in corde viri: ſed homo ſapiens exhauriet illud.* Prouerb. 20. num. 5. Tum propter abſurditatem & peruerſitatem eiuſdem ſceleris.

Inuidia Iudæorum Barabbam, non Ieſum appellantium.

Cui enim non diſpliceat hoc ſcelus Iudæorum? Quis tantum eorum facinus non exhorreſcat? Nocentiſſimum latronem Barabbam ad vitam expoſcebant: innocentiſſimum verò Saluatorem ac Regem ſuum Chriſtum Dominum ad mortem poſtulabant: *Tolle hunc*, inquiunt, *& dimitte nobis Barabbam.* Luc. 23. num. 16. Vbi Barabbæ nomen exprimentes; tamen Ieſu Nomen inuidiæ cauſa non expreſſerunt: mites in mortis reum; in Auctorem vitæ crudeliſſimi: ſcilicet, *excolantes culicem; camelum autem glutientes.* Matth. 23. n. 24.

D. Greg. *Quænam fuerit Iudæorum conſcientia, exprimitur.*

Quod D. Greg. lib. 1. mor. c. 6. aliàs 14. expendens: *Culex*, inquit, *ſuſurrando vulnerat; camelus autem ſponte ſe ad ſuſcipienda onera inclinat. Liquauerunt ergo Iudæi culicem; quia ſeditioſum dimitti latronem petierunt. Camelum verò glutierunt; quia eum, qui ad ſuſcipienda noſtra mortalitatis onera ſponte deſcenderat, extinguere clamando conati ſunt.*

XII. *Iudæi Chriſtum contemnendo, poſitiuam & Moſaicam legem violarunt.*

Iam verò in naturali Rege Chriſto Domino contemnendo, & externo Cæſare poſtulando, quanta fuit Iudæorum iniquitas ac peruerſitas? Neque enim ſolùm naturalem legem, ſed etiam poſitiuam & Moſaïcam, cuius ſe obſeruantiſſimos cultores profitebantur, violarunt. Naturalem quidem, vt patet, quia abſtulerunt ſuum Chriſto Domino ius; & Cæſari indebitum contulerunt. Moſaïcam verò, quia hæc præcipiebat, ne alienigena in Regem admitteretur: *Non poteris*, inquit, *alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus.* Deut. 17. n. 15.

D. Cyril.

Ipſi verò alienigenam ſibi Regem cooptabant: digni proinde, qui vel ab ipſo Moyſe, ſi tunc viueret, plecterentur. In tanti peccati pœnam fuit illa diuina comminatio: *Pro eo, quòd abiecit populus iſte aquas Siloë, quæ vadunt cum ſilenſio, & aſſumpſit magis Raſi, & filium Romeliæ: propter hoc ecce Dominus adducet ſuper eos aquas fluminis fortes, & multas, Regem Aſſyriorum, &c.* Iſai. 8. n. 6. & 7. Hoc eſt, interprete D. Cyrillo Alexandrino

Iudæi, quia Christum noluerunt, Tyrannis traduntur in pœnam.

drino: Quia Iudæi aquam Siloë,id est, missum, seu Messiam; non cum fastu & pompa; sed cum magna humilitate & paupertate ad eos descendentem contempserunt;& potiùs Cęsarem Augustum sibi in Regem apud Præsidem Pilatum cooptarunt: idcircò in externorum Regum tyrannidem, Assyriorum,Romanorum,infernorúmque tradentur; vt sub eorum misera seruitute vapulent,crucientur,torqueantur: *Perspicuum igitur est,* concludit D. Cyril. *qui aquam Siloam leniter fluentem,id est,Christum, siue Regnum Dei habere nolunt; his omninò Assyriorum Regem,hoc est,Satanam,insultaturum; & captiuos suo iugo suppositurum; & multiplicibus peccatorum laqueis constrictos seruos effecturum.*

XIII. *Iudæi externum petentes Regē, proprium amiserunt.*

Nec sine diuino Numine factum est,vt vbi culpam contraxerunt,ibi pœnam inuenirent. Peccarunt in petendo externo Rege,idcircò in amittendo proprio vapularunt. Hinc illa in populum Iudaïcum insultatio & sibilus: *Vbi Rex tuus, & Iudices tui, de quibus dixisti: Da mihi Regem & Principes?* Oseæ 13. num. 10. Quasi diceret: Nusquam parent: penitùs aboleuerunt. *Sicut mane transit,* inquit idem Propheta, *pertransiit Rex Israël.* Oseæ 11. num. 1. Vbi inter matutinum tempus & regnum Israël, quædam similitudo & dissimilitudo continetur. Similitudo quidem, quia vtrunque breuissimè transit. Oritur aurora, rident prata, gemmant flores,rutilant amnes,concinunt auiculæ, cælum terráque sereno quodam vultu exhilarantur. Sed paulò pòst, Sole mundi fastigium occupante: ecce tibi prata æstuant, marcescunt flores,ignescunt amnes,obmutescunt auiculæ, tota cœli, terræque facies deformatur. Ita planè regnum Israël initio quidem vigere, & virere, ac florere videbatur: sed paulò pòst hostilibus consumptum armis penitùs conflagrauit. Dissimilitudo verò,quia matutinum quidem tempus abit,sed redit: hesterna præteriit aurora,sed regreditur hodierna: huic abeunti aliis in posterum successuris. Non ita tamen regnum Israel: quia ita fnos collapsum in cineres disparuit, vt omnis resurgendi spes cum illo penitùs deperierit. Quod Rupertus eleganter expendens,& ex ipsa Litera deducens, *Citò,* inquit, *mane transit: veruntamen iterum reuertitur. Rex autem huiusmodi, siue regnum Israel non reuertetur ampliùs. Rectè ergo, cùm dixisset: Sicut mane transit: non contentus fuit, dixisse: Transit Rex Israël: sed omnimodum & irreuocabilem exprimens transitum: Pertransiit, inquit, Rex Israël.* Æquum enim erat,vt populus,qui naturalem Regem cum externo tyranno commutabat; & regno & Rege in æternum priuaretur.

Dissimilitudo & similitudo matutini temporis cum regno Israël.

Rup.

XIV. In huius rei typum dicitur filia Oseæ,id est,Synagoga,à regno tanquàm ab vbere materno ablactata: *Ablactauit,* inquit, *eam,quæ erat absque misericordia.* Oseæ 1. num. 8. Vt enim infans, qui ab vbere semel eripitur,nunquàm ampliùs vberi restituitur; immò quò magis in dies adolescit, eò ineptior efficitur,vt ad vbera reuertatur: ita populus Israëliticus suo regno semel destitutus, nunquàm ampliùs in illud remigrauit;& quò plura sui exilij tempora decurrunt,eò certior redditur,fore vt nunquàm ampliùs pristinum in statum reuocetur. Sic ad eum locum Rupertus obseruat: *Filia,* inquit, *ablactata perpetuitas est captiuitatis; cui nulla infunditur lactis alimonia, nulla consolatio de captiuitate soluenda.* Non sine mysterio D. Petrus, *Percutiens seruum Principis Sacerdotum,amputauit auriculam eius.* Matth. 26. num. 51. *Erat autem nomen seruo Malchus.* Ioan. 18. n. 10. Vbi Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. 1. Allegoriatum in Matthæum, obseruat, Malchum Hebraicè interpretari Regem: vt intelligamus, Regem Hebræorum miseram in seruitutem abiisse,& in perpetuæ seruitutis stigma & characterem,turpi mutilatione deformatum.

Synagoga perpetuò captiua, ad regnū nunquàm reuertitur.

Rup.

Theoph.

Synagoga in Malcho mutilata, regno priuatur.

XV. Sed vtinam solo Rege temporali,non autē æterno priuarentur Israëlitæ. At,proh dolor! ab æterno Rege, quem contempserunt, in æternum continentur. *Voca,* inquit Deus, *nomen eius, non populus meus: quia vos non populus meus; & ego non ero vester.* Oseæ 1. num. 9. Vbi quidem æternum Iudæorum à suo Rege Christo Domino diuortium atque exilium significatur: quo nullum esse potuit acerbius infortunium, vt ibi Rupert. obseruat: *Maximum,* inquit, *hoc miseriarum est incrementum, vt populus captiuus, idémque nullum habens præfixum soluendæ captiuitatis tempus, dicatur, & sit, quod dicitur à Deo: Non populus meus. Nam, si captiuus quidem esset populus, & corporalis eius captiuitas nunquàm solueretur; non tamen etiam secundum animam à Deo proiiceretur: esset tolerabile malum; & magna ex parte bene se haberet status, siue casus, captiuorum temporaliter gementium. Nunc autem malum irremediabile est: quia corpora visibilis Assyrius cepit & tenet; animas autem inuisibilis Assyrius decipit & possidet.* Vidua illa, quæ sæpiùs veniebat ad Iudicem, dicens: *Vindica me de aduersario meo.* Luc. 18. n. 3. interprete Theophilo citato lib. 3. Allegoriarum in Lucam, significabat Synagogam importunam Christi Domini apud Pilatum accusatricem, ac sæpiùs dicentem: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Ioan. 19. num. 15. Non immeritò autem appellatur vidua, vt eo, quem accusauit & crucifixit, viro suo in æternum destituta significetur: quod vel ipse Dominus testatur, dicens: *Quoniam ipsa non vxor mea, & ego non vir eius.* Oseæ 2. num. 2. Eò enim deuoluta est Synagoga, vt in perpetua viduitate suas miserias lamentetur. Quid miraris, ô Synagoga, si tuum Regem amiseris, quem abiecisti? Cùm enim Christus Dominus apud Nazaræos prædicaret: *Repleti sunt omnes in Synagoga, ira: & surrexerunt & eiecerunt illum extra ciuitatem.* Luc. 4. num. 28. In quem locum Diuus Ambrosius, *Retribuebant,* inquit, *mala pro bonis. Nam, cùm ipse per populos beneficia diffunderet, illi iniurias irrogabant. Nec mirum, si perdiderunt salutem, qui eiecerunt de suis finibus Saluatorem.* Itaque Iudæi suum Regem repellentes, à suo regno in æternum repelluntur,

Iudæi non solum temporalem Regem amiserunt, sed æternum.

Rup.

Æterni Regis amissio immedicabile malum.

Synagoga perpetuò vidua ærumnas suas lamentatur.

D. Ambr.

Iudæi salutem perdiderunt, dum Saluatorem eiecerūt.

XVI. Vltima ratio principalis, cur hæc petitio displicuerit Samueli, ex Theodoreto, Procopio, Seuero Sulpitio, Ruperto, tum hoc loco, tum aliis statim citandis, Lyra in suo Num. 5. & latiùs in 7. ad vltima verba huius capitis, Abul. q. 6. & sequentibus, Carthusiano, Caietano, & aliis, est, quia diuino honori detrahebant, hominem Deo præferentes. Nam Deus peculiarem illius populi Regem se præstabat: vt facilè potest illustrari. In primis ex Iosepho lib. 2. contra Appionem, vbi, cùm varias regiminum species descripsisset, Monarchiam per vnum, Aristocratiam per optimos, Democratiam per multitudinem; tandem addit, composito, seu innouato vocabulo, Theocratiam, per Deum; & hanc tribuit populo Israëlitico, qui à Deo immediatè regeretur: *Noster,* inquit, *Legislator in nullam harum administrationum intendens, Theocratiam instituit; vni in primis Deo imperio atque potestate assignata.* Deinde ex Scriptura. Nam Deus ad populum, *Mea est,* inquit, *omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale.* Exod. 19. n. 5. & 6. Quasi diceret: Quamuis ego totam terram mea teneam ditione; tamen peculiari ratione me vobis Regem exhibebo. Idem colligitur ex illis verbis,

Vltima ratio & præcipua apponitur.

Theod. Procop. Sulpit. Rup. Lyran. Abul. Carth. Caiet.

Deus peculiarem Iudæorū Regem se præstabat.

Ioseph.

Probatur ex Scriptura.

verbis, quæ immediatè antecedunt. *Eritis mihi in peculium de cunctis populis.* Oleaster ex Hebræo legit: *Eritis mihi thesaurus dilectus præomnibus populis.* At verò Lyranus: *Eritis mihi amicabilitas de cunctis populis.* Id est, inquit, *excellenter dilecti.* Et notat, significari per abstractum, vt excellentior amor ostendatur. Simile est illud Sapientis: *In vnanquanque gentem præposuit rectorem, & pars Dei Israël facta est manifesta.* Ecclesiastici 17. num. 14. Nam regimen illius populi, inquit ibi Lyranus, attribuebatur à principio ipsi Deo, modo speciali. Nec solùm erat Israël peculiaris Dei populus; sed vt talis palam agnoscebatur. Sic Deus ab initio alios populos aliis Regibus subiecit: *Pars autem Domini populus eius; Iacob funiculus hæreditatis eius.* Deut. 32. num. 9. Hoc est: populum Israëliticum non aliis Regibus, sed sibi vni gubernandum reseruauit.

Oleast. — *Lyran.* — *Deus Iudæos excellentiori amore prosequebatur.* — *Lyran.*

XVII. Concinit Balaamus, dicens de hoc populo: *Dominus Deus eius cum eo est, & clangor victoriæ Regis in illo.* Num. 23. num. 21. Vbi populo alium Regem non habenti, Deum assignat Regem: quasi ab illo peculiariter regeretur. Sed & Moyses ad populum, *Te*, inquit, *elegit Dominus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram.* Deut. 7. num. 6. Nam Deus, cùm suos aliis populis Reges tribueret; sibi ipsum suo populo Regem tribuebat. Quod prædixit Moyses, cùm in monte Sinaï Deum vidit Legislatorem: *Erit*, inquit, *apud rectissimum Rex.* Deut. 33. num. 5. Quasi diceret: Si populus in diuina lege obseruanda rectissimum se præstiterit, Deum in se gubernando Regem experietur. Vnde Dauid, *Lætetur*, inquit, *Israël in eo, qui fecit eum, & filiæ Sion exultent in Rege suo.* Psalm. 149. num. 2. Vbi Theodoretus: *Omnium quidem Deus vniuersitatis est Deus; propriè autem Israëlitarum Rex nuncupabatur. Cùm primùm igitur ingrati animi morbo laborarunt; alium Regem, vt esset eis, petierunt.* Hinc fortasse est illud: *Sedit Salomon super solium Domini in Regem.* 1. Paral. 29. num. 23. Vbi solium Israëliticum, Domini solium appellatur: quia illud Dominus, tanquàm legitimus Rex priùs occupabat; quod posteà propter iniquam populi petitionem aliis Regibus tradebat.

Deus vbi legis obseruantia, ibi Rex. — *Theodor.* — *Solium Israëliticum solium Domini appellabatur.*

XVIII. Eandem ob causam Gedeon oblatum regnum repudiabat. Nam, cùm omnes viri Israël ad eum dicerent: *Dominare nostri, tu, & filius tuus.* Iud. 8. n. 22. respondit ille: *Non dominabor vestri; nec dominabitur in vos filius meus: sed dominabitur vobis Dominus.* Ibidem, num. 23. Accepit quidem potestatem liberandi populum, quam Dominus Iud. 6. num. 14. ei detulerat; & tamen non accepit potestatem regnandi in Israël, quam illi modò homines detulerunt: tum, quia illa à Deo; hæc ab hominibus offerebatur: tum, quia illa erat laboriosa; hæc autem speciosa: tum denique ad tem præsentem, quia illa etiam ad homines; hæc autem ad solum Deum pertinebat, iuxta illud: *Israël potestas eius.* Psalm. 113. num. 2. Vnde olim in populo Israëlitico ante Saülem, nemo ausus fuit sibi nomen regium vsurpare; præter vnum Abimelech. Iudic. 9. num. 6. Quem proinde Abul. hoc loco quæst. 6. sacrilegum appellat; quasi regiam potestatem vsurpando, rem sacram violaret. Quare sacrilegij pœnas dederunt, qui in regiam dignitatem inuolarunt: vt patet in prædicto Abimelech, qui paulò pòst à fœmina vulneratus, & à suo armigero transfossus occubuit. Iud. 9. à num. 53. tum etiam in Saüle, qui contra Dei voluntatem in Regem expetitus, & sibi & suis posteris regnum amisit, iuxta illud: *Tolletur propter Agag Rex eius,*

Gedeon oblatum regnum, vt Dei proprium repudiauit. — *Homines speciosa eligunt, laboriosa contemnunt.* — *Abul. Ideò Abimelech sacrilegus, quia Regis sibi nomen vsurpauit.*

A *& auferetur regnum illius.* Numer. 24. num. 7. Vbi Rupertus lib. 2. cap. 22. *Quid*, inquit, *in tali, tantóque negotio, Regis huiusce meminit Spiritus propheticus? Videlicet, vt adstrueret, quòd præter Deum eius nemo iure sit Rex eius.* Quasi diceret: Proptereà describitur Saülis expulsio à regno, vt intelligatur illud regnum, ad solum Deum pertinuisse. Eódem respexit & Oseas cap. 11. num. 1. dicens: *Sicut mane transit, pertransiit Rex Israël.* Vbi etiam Rupertus aduertit, propterea regnum Israëlis pertransisse, quia ad hominem fuerat deuolutum: nam, si perseuerasset penes Deum, cuius erat proprium, immobile retineretur. Æquum enim fuit, vt Rex Saül, qui Deum à suo regno excluserat, excluderetur & ipse à suo; & cum sua posteri-
B tate in perpetuum aboleretur.

Rup. — *Rup. Ideo Saül à suo regno excluditur, quia Deum excluserat.*

XIX. Ratio verò, cur Deus esse voluerit peculiaris Rex illius populi, aut est illa, quam tradit Abulensis quæst. 7. aliorum, vt cùm Iudices fuerint exiguæ potestatis, non illi, sed solus Deus ab eo populo Dominus vocaretur. Aut est illa, quam tradit Rupertus lib. 4. in Apoc. cap. 5. vt in illo temporali regno Synagogæ, quod Deus peculiariter administrabat; repræsentaretur spirituale Ecclesiæ regnum, à diuino Spiritu peculiariter dirigendum, iuxta illud: *Fecisti nos Deo nostro regnum.* Apoc. 5. num. 10. Hoc est: Fecisti, vt non ab alio, quam à te ipso, Deo nostro, tanquàm à proprio Rege gubernaremur. Aut illa, quam addere possumus: scilicet, in gratiam & fauorem Christi Domini, ex eo populo nasciturí; quem proinde in
C populo libero, ac diuinæ tantùm seruituti subiecto nasci oportebat. Aut denique omnes simul, plurésque aliæ, quæ facilè possint excogitari. Igitur, cùm regnum Israëlis ad Deum, non solum tanquàm ad vniuersalem, sed etiam tanquàm ad particularem Regem pertineret; Hebræi alium Regem petentes, Deum, si non ab vniuersali dominio, saltem à particulari excludebant: vt Abulensis infrà ad cap. 12. quæst. 14. latiùs ostendit. Vnde factum est, vt contra Deum grauiter peccarent, & Samueli nimium displicerent. Quæ Paulus Burgensis contra hanc rationem latè opponit, tum ex dictis, tum ex doctrina Carthusiani & Thoringij facilè dissoluentur.

Assignantur causæ, cur Deus peculiaris Iudæorum Rex esse voluerit. — *Abul.* — *Rup.* — *Burgensis fundamenta soluuntur ex dictis.*

XX. D *Vt iudicet nos*, &c. En finis petendi Regem: *Vt iudicet*, inquiunt, *nos.* Nam, cùm viderent, filios Samuelis muneribus corruptos, à iudiciorum rectitudine defecisse, Regem habere voluerunt, qui sua integritate illorum defectus sarciret. Paulus Burgensis contendit, Hebræos petendo Regem ideò peccasse, quòd illum ad hunc finem petissent: scilicet, iudicandi cum summa & absoluta potestate, quæ sæpè in tyrannidem facessit. Probat: quia petebant Regem, vt iudicaret, sicut iudicabant & cæterarum nationum Reges, qui hac suprema & illimitata potestate vtebantur. Vnde, quamuis licitum esset, immò à Deo concessum, vt ipse putat, petere Regem, cum determinata potestate iudicantem; non tamen cum illa absoluta,
E & in meram pro ratione voluntatem abeunte. Sed contrà. Quia vel loquitur de potestate suprema, boc est, maiori, quàm iudiciaria; intra rationis tamen limites contenta: vel de potestate suprema omnes rationis limites liberè transiliente. Hanc posteriorem Hebræi in suo Rege non optabant: nam, si illam in filiis Samuelis refrænare cupiebant; quo pacto illam in nouo Rege paterentur? Illam priorem desiderare in Rege, quem petebant, ad iudicum licentiam coërcendam, seu postulare Regem cum illa potestate gubernantem, malum non erat; nisi alioqui peculiare ius diui-num,

Burg. — *Sententia Burgensis apponitur & probatur.* — *Burg.* — *Superior sententia refellitur.*

num,quod ad illud regnum habebat,offenderetur. A Non igitur peccabant Israelitæ petendo Regem, præcise, vt eos iudicaret: sed petendo Regem, quo regnante, Deus à suo peculiari regno excluderetur.

XXI.
Causa, cur Iudicem, non Regem postularont.

Cæterùm illud, *Vt iudicet nos*, non est idem, atque, vt proprio Iudicis munere fungantur: ad hoc enim munus nouum creari Regem non oportebat: sed idem, atque, vt imperet, vt regnet, vt potestate regia, maiori, quàm iudiciaria perfruatur. Verbo tamen iudicandi vti maluerunt: vel, vt malitiæ suæ venenum paulisper tegerent; vt superiori Num. aduertimus, & inuidiosum Regis nomen mitioris potestatis verbo colorarent: vel, vt præcipuas Regis partes exprimerent, quas in iudiciis exercendis, dirimendis litibus, ciuibúsque ad pa- B cem & concordiam reuocandis versari oportebat.

Præcipua Regis munia exprimuntur.

Ab hoc enim iudicandi munere, tanquàm à præcipuo illorum officio Dauid Reges appellat, dicens: *Erudimini, qui iudicatis terram.* Psalm. 2. n. 10. In eodem excelluisse Philippum Herodis fratrem, & Regem Trachonitidis regionis, scribit Ioseph. lib. 18. Antiq. cap. 6. Is enim, inquit, in sua ditione perpetuò versabatur: si quando tamen iter agebat; ibat cum paucis comitibus, subsequente sella, in qua solitus erat iura reddere: & si quis ex occursu opem eius inuocaret; sine dilatione mox ibi sella posita residens causam agnoscebat; aut sontem damnaturus, aut absoluturus innoxium. Vtinam hanc iudicandi assiduitatem, & integritatem cæteri Reges imitarentur. Haud dubiè publica ne- C gotia feliciùs procederent. Audio in Lusitania paucis antè temporibus, nobilissimum fuisse Magistratum, litigantium causis dirimendis tam assiduum; vt etiam, cùm mensæ accumberet, hoc sibi primum ferculum iuberet apponi, atramentum & calamum; quibus etiam inter prandendum, eorum, qui se adibant, negotia expediret.

Ioseph.

Philippi integritas commendatur.

Primum ferculum iudiciaiis mensa olim in Lusitania atramentum.

XXII.
Samuelis patientia laus maxima.

Et orauit Samuel, &c. Si quam laudem meruit vnquam Samuel, certè hoc vno facto meruit longè maximam. Nam à suo populo tam grauiter lacessitus, ac de suo principatu tam turpiter deiectus, nec pusillanimis succubuit, nec iratus excanduit, nec superbus infremuit: sed prudens & patiens, ac nullum turbationis indicium præseferens, Legatos interim dimisit: credo non sine re- D sponso, ne contemni se ab illo arbitrarentur; sed modestis verbis, & ad prudentię trutinam libratis: Rem, quam afferebant, esse magni momenti, non temerè, & ex tempore determinandam: sed diuturna cum Deo consultatione transigendam: abirent ipsi interim; se totam cum Deo rem communicaturum: & quidquid ipse faciendum præscripserit, facturum. Quibus dimissis, totum se ad orandum contulit. Sic olim Moyses à populo iurgāte & murmurāte grauiter prouocatus: *Clamauit ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? Adhuc paululum, & lapidabit me.* Exod. 17. n. 4. Sic Rex Ezechias à Rege Assyriorum per literas blasphemiæ plenas contra Deū, grauiter lacessitus: *Ascendit in domum Domini, & expandit eas coram Domino, & orauit in conspectu eius*, &c. 4. Reg. 19. n. 14. Sic & Sara Tobię vxor ab ancilla grauiter offensa, *Perrexit in superius cubiculum domus suæ: & tribus diebus & tribus noctibus non manducauit, neque bibit; sed in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum.* Tob. 3. n. 10. Sic Dauid vel sub eius typo Christus Dominus: *Aduersùm me, inquit, loquebantur, qui sedebant in porta; & in me psallebant, qui bibebant vinum: ego verò orationem meam ad te, Domine.* Ps. 68. n. 13. scilicet, conuertebam. Et rursum: *Detrahebant mihi: ego autem orabam.* Psal. 108. n. 4. seu, vt maiori

Iusti iniuriis lacessiti totos se ad orandum conferebant.

A emphasi legi potest ex Hebræo: *Ego autem oratio*, scilicet, eram. Quasi tanto se affectu in orationem effunderet, vt totus oratio videretur. Igitur sancti viri inter aduersariorum ictus confugiunt ad orationis scutum, quo muniantur: inter persequutorum procellas se recipiunt ad orationis portum, in quo placidissimè conquiescant.

Tanto affectu Dauid pro inimicis orabat, vt totus oratio videretur.

Sic & Samuel à populo tanta cum ignominia repulsus orauit ad Dominum. Quanto tempore, non exprimit Litera. Iosephus statim citandus significare videtur, totam noctem orando extraxisse. Sed quidquid sit de orationis extensione, certè intensionem non dubito fuisse maximam, vtpote in re tam graui. Orationis autem finis multiplex esse potuit. Nam orauit primò, vt sciret, an illa pe- B titio, sicut sibi displicuerat; ita & Deo displiceret: vt initio huius Num. ex D. Greg. dixi. Secundò, vt in magno mœrore constitutus, aliquod à Deo solatium emendicaret: quod D. Chrysost. homil. De Cruce & latrone, insinuat. Tertiò, vt quid sibi in re adeò noua faciendum esset, percontaretur; vt docent Carthus. & Abul. Immò D. Greg. *Quid*, inquit, *Dominum orauit; nisi vt sibi dignaretur ostendere, si tumultuantis populi petitioni assensum dare debuisset?* Addit verò Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 4. Samuelem hac Hebręorum petitione sic afflictum fuisse, *vt nec cibum, nec somnum præ cura caperet: sed per totam noctem se in lecto versaret, multa interim animo volutando.* Concinit D. Chrys. lib. 3. De prouidentia, vbi loquutus de tristitia, quam Samuel C hauserat ex malitia filiorum, subdit: *Successit huic mœrori, immò verò non successit, cum prior nondum quieuisset: sed adiectus est alius, Israelitarum, scilicet, iniustissima petitio, quæ in re ita concidit, vt ingenti consolatione indigeret.* Quam non aliunde, quàm ab oratione quærendam putauit: & reuerà accepit; vt ex sequenti Numero patebit.

XXIII.
Ioseph.
Samuelem totam noctem orando extraxisse credit Iosephus.

D. Chrys.
Multiplex orationis finis apponitur.
D. Greg.

Ioseph.

D. Chrys.

Num. VII. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem populi, in omnibus, quæ loquuntur tibi. Non enim te abiecerunt, sed me: ne regnem super eos.

D

EXPOSITIO LITERÆ.

I.
Quomodo Deus ad Samuelem sit loquutus?

D*ixit Dominus*, &c. Hæc loquutio esse potuit, aut externa, aut interna. Rursus externa, aut in forma aliqua visibiliter apparente & loquente, quod significat Iosephus lib. 6. Antiq. cap. 4. dicens, apparuisse ei *diuinitatem*: nempe, aliqua visibili specie indutam: aut in voce aliqua sensibiliter auditam; viso nemine, à quo ederetur: in quod Abulensis magis inclinat. Si verò fuit interna, aut esse potuit per immutationem phantasiæ; aut per solam immutationem intellectus: & vtrumuis, vel in somnio, vel in vigilia. De qua re E ne actum agam, quæ ad cap. 3. n. 4. dixi, consulantur. Vbi etiam ostendi, huiusmodi reuelationes, quamuis à Deo fieri dicantur; probabiliùs tamen ab Angelo locum Dei tenente, fieri consueuisse.

Ioseph.

Abul.

Reuelationes ab Angelo fieri probabilius.

II.
Potest esse petitio illicita, & concessio licita.

Audi vocem populi, &c. Hoc est: Assentire, morigerare, populo concede, quod efflagitat. Dubitant Interpretes, quo pacto Deus consenserit in hanc petitionem; si illa, vt diximus, peccaminosa fuit: Deus autem in peccatum nequeat consentire. Sed, vt breuiter respondeā. Non repugnat petitionem aliquam illicitam esse, & concessionem licitā: aut vice versa. Nā, si quis necessitate coactus petat pe-

 cunias

eunias sub vsuris ab vsuratio parato ad fœnerandum; licitè petet: ille verò illicitè concedet. Contrà verò, si quis ab alio depositum exigat ad peccandum: hic illicitè exigit, ille verò licitè reddit. Quod tunc contingit, quando res petita non est de se & intrinsecè mala; sed ex circunstantiis, quas induere poterit ex parte petentis, & non concedentis; aut vice versa: vnde petitio, & non concessio; aut è contrario, concessio, & non petitio, illicita reddetur. Sic igitur potuit Deus licitè concedere Regem, quem Hebræi illicitè postulabant. Quare Deus nunquàm cõsensit in hanc petitionem, quatenus mala erat; sed eam tantùm permisit: consensit nihilominùs in rem petitam, seu in constitutionem Regis, quia hæc quatenus à Deo fiebat, non erat mala. Et rem explicat Antonius Perez in sua Laurea Salmantina quæst. 5. cap. 2. exemplo Episcopi ordinantis indignum. Nam Episcopus peccatum sacrilegij committit: & nihilominùs Deus iustè imprimit characterem. Ita planè & populus peccauit, volendo Regem constituere: non autem Deus constituendo.

Deus in hanc petitionem nõ consensit, sed permisit.

Perez. *illustratur res exemplo.*

III. Sed quæstio est, cur Deus concesserit, quod iniquè petebatur? Ad quam soluendam duplex ratio potest assignari. Vna literalis, nimirum, in pœnam eorum, qui malè petebant. Quam Annot. sequenti paucis illustrabo. Altera mystica, nempe, vt per Saülem persequutorem, iter ad regnum Dauidi panderetur: gradus enim ad honorem, est labor; via ad gloriam, persequutio. Hanc tradit D. Aug. in titulum Psalmi 51. Et addit, in Dauide per Saülis persequutiones ad regnum ascendente, adumbrari Christum Dominum, per multas tribulationes in regnum cælorum intrantem: & in vtroque propositum nobis exemplum, ne ante pugnam adspiremus ad coronam: *Cùm*, inquit, *Dauidem Deus praelegisset & pradestinasset ad regnum, noluit ipsum antè regnum tenere, quàm à persequentibus liberaret. Vt etiam in hoc ipso figuraret nos: id est, corpus eius, cuius corporis caput, Christus. Porrò enim si ipsum caput nostrum sine primo peracto labore in terra; in cælo regnare noluit: neque leuare sursum corpus, quod deorsum accepit; nisi per tribulationis viam: quid audent membra sperare capite suo magis se esse felicia? Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quantò magis domesticos eius?* Matth. 10. n. 25. *Non ergo speremus molliorem viam. Qua præcessit, eamus: qua duxit, sequamur.* Ita ille. Quam rationem paucis illustremus.

Cur Deus iniquè petita concesserit.

D. Aug.

Gradus ad honorem labor, bellum ad coronam.

Non mollior ad cælum via speranda.

Gradus ad honorem, Labor: via ad gloriam, persequutio.

IV. CVm Deus aduersùs serpentem sententiam protulerit: *Terram*, inquit, *comedes omnibus diebus vitæ tuæ.* Genes. 3. n. 14. Cùm autem aduersùs hominem: *In laboribus*, inquit, *comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ.* Ibidem, n. 17. Serpens quidem, & homo dicitur, terram, seu ex terra manducaturus: sed homo quidem in laboribus, non autem serpens. Ratio mihi videtur: quia labores viæ sunt ad coronam: ad quam non serpens iam extra viam positus; sed homo adhuc in via constitutus adspirabat. Itaque serpens sicut ad coronam non tendebat: ita à laboribus, quæ sunt viæ ad coronam, aberrabat. Homo tamen, qui nitebatur ad coronam; ad labores, quibus illuc itur, trahebatur. Rem mihi videtur attigisse D. Ambros. lib. De Paradiso, cap. 15. *Adiectio*, inquit, *ista*, (nempe, *in laboribus*, seu, *in tristitia*, vt ipse legit) *discretionem facit. Discretio, quam vim habeat, considera. Bonum est mihi in tristitia magis terram manducare, quàm in delectatione. Nam tristitia secundùm Deum salutem operatur.* 2. Cor. 7. n. 10. Ita ille. Quasi diceret: Quia homo, & non serpens ad regnum cæleste adspirabat: idcircò homo, & non serpens per laborum tolerantiam, tanquàm per viam regiam incedebat.

Homini, non serpenti labores proponuntur: quia solus homo adspirat ad coronam.

D. Ambr.

Laborum tolerantia via regia.

V. Cùm vellet Rebecca, vt filius suus Iacobus fratri seniori imperaret, eum præmisit in Mesopotamiam, vbi pascendis Labani gregibus inter diurnos æstus, & nocturnos algores inseruiret: *Fuge*, inquit, *ad Laban fratrem meum in Haran*, &c. Genes. 27. n. 43. Nec immeritò. Sciebat enim ad honorem imperij, nullo aptiùs ex grado, quàm ex labore seruitutis ascendendum. Quod Philo Hebræus lib. 3. De vita Moysis, circa medium, expressit: *Qui fugit*, inquit, *laborem; fugit felicitatem. E diuerso, qui fortiter patientérque difficultates tolerat; ad beatitudinem properat. Nam fieri non potest, vt homo delicatus & effœminatus animo, corpore quoque labefactato quotidianis voluptatibus, virtuti domicilium prabeat.* Et, quod consequens est, necessariam ad imperandum virtutem consequatur. Idem Iacobus ad patriam ex Mesopotamia regressurus, non aliam, quàm laborum viam arripere curauit, certus, per solos labores ad veram felicitatem redeundum. Vnde Laban hoc eius consilium admiratus, *Cur*, inquit, *ignorante me fugere voluisti; nec indicare mihi, vt prosequerer te cum gaudio & canticis & tympanis & cytharis?* Genes. 31. num. 27. Putabat, scilicet, infidelis homo, potiùs iucundam, quàm laboriosam viam à Iacobo arripiendam. Sed errabat demens: nam Iacobus nihil magis, quàm prosperos viarum apparatus fugiebat: & hanc vnam ob causam, si aliæ deessent, insalutato hospite, recederet; ne cum pompa & fausta acclamatione proficisci cogeretur. Vnde D. Ambros. epist. 4. ad Irenæum, sic eum socero suo Labano respondentem introducit: *His, inquit, me delectari posse credidisti? his reuocari? Hæc sunt, quæ ego fugi, ne me talia sequerentur: ne quid de tuis accipiens abirem.* Et statim Diuus Ambrosius Iacobi mentem & consilium interpretatus: *Non enim*, inquit, *talibus deductoribus ad Ecclesiam Christi peruenitur; ad quam tendebat Iacob, fugiens vmbram inanium rerum; præferens insensibilibus simulacris, virtutum spirantem decorem; plausibilibus præponens seria.* Credidit igitur non immeritò Iacobus, nemini ad cæleste regnum viam per prospera, sed potiùs per aduersa muniendam.

Gradus ad imperium seruitutis labor. Philo.

Iacob ad patriam reuersurus non iucundam elegit viam, sed laboriosam.

D. Amb.

VI. Mirum, quàm asperam & difficilem viam strauerit olim Deus Iosepho ad principatum: nunc à fratribus denudato, & in cisternam veterem coniecto, Genes. 37. n. 23. nunc Ismaëlitis vendito, & in Ægyptum relegato. Ibidem, n. 28. nunc in carcerem incluso. Gen. 39. n. 20. & ferreis compedibus constricto. Psal. 104. n. 19. *Donec tandem afferret illi sceptrum regni; & potentiam aduersùs eos, qui eum deprimebant.* Sap. 10. n. 14. scilicet, per hos laborum gradus certissimus ad honores aditus aperitur. Quod D. Chrys. serm. De Iosepho, in 1. tom. rectè expendens: *Ioseph*, inquit, *accepturus totius prouinciæ dominatum, venũdatur in seruum, in famulum addicitur: suscipit seruitutis notam, quem Dominus preparabat ad gloriam.* Quasi non posset in gloriam emicare, nisi priùs ab ignominia premeretur. Hæc fuit diuina illa apud Dauidem promissio: *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Psal. 90. num. 15. Deus enim Iosephum per carceris squalorem ad Regni splendorem quodammodo manu duxit. Immò in singulis calamitatibus singulos ad gloriam gradus fabricauit. Vnde Pharao Iosephum ornaturus, *Tulit annulum de manu sua; & dedit eum in manu eius,*

Iosephus per laborum gradus ad regnũ ascendit.

D. Chrys.

Singula calamitates, singulis ad gloriam gradus.

eius, vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit: fecitque eum ascendere super currum suum secundum. Genes. 41. num. 42. At, cur tam multa vni præmia cumulauit? Credo, vt singula singulis laboribus, quos subierat, responderent. Nam, vt bene Rupertus lib. 8. in Gen. cap. 40.

Rup.

Pro compedibus, inquit, *in quibus humiliauerunt pedes eius, torquem aureum suscepit. Pro pallio, quo in manu adultera relicto, nudus effugit, stola byssina, Deo Iudice indutus est. Pro serui nomine, Regium gestat annulum. Et pro carceris humilitate super altum sedet imperij currum.* Addo, vt omnibus omnia respondeant, pro illo probro, quo à fratribus in contemptum, *Somniator*, dictus est; factum à Deo esse, vt in immensum laudis cumulum à Pharaone *Saluator Mundi* diceretur. Genes. 41. num. 45. Tam feliciter labores honoribus præludunt.

Præmia laboribus paria.

Iosephus olim dictus somniator, saluator Mundi dictus est.

VII. Voluit quondam Deus significare Moysi, Hebræos in Ægyptia laborum fornace non absumendos, sed inde auro similes inter flammas splendenti, puriores & elatiores euasuros. Quid ergo? ostendit rubum, aptissimum quidem ignis pabulum & nutrimentum; quem tamen ambiret flamma, non voraret. Exod. 3. n. 2. Cuius miraculi arcanum mysterium declarans Philo Hebr. lib. 1. De vita Moysis, *Quod*, inquit, *non exurebatur materia, portendebat non perituros, qui affligebantur inimicorum violentia: sed conatum eorum fore irritum; illos verò euasuros incolumes.* Et paulò pòst audire sibi videtur diuinum quoddam ex illo incendio oraculum, quod laborantes & æstuantes Hebræos in hunc modum adhortetur: *Nolite succumbere. Hæc vestra infirmitas est potētia, quæ punget, vulnerabitque plurimos. Qui delere cupiunt vos, inuiti seruabunt; tot mala illesi euadetis: & cùm maximè vastari videbimini, tunc maximè enitebit gloria vestra.* Vbi vides, per laborum flammas, gloriam non extingui, sed seruari; non minui, sed augeri; immò compendiariam ad honorem viam esse laborem. Prudenter idem Philo lib. De sacrificiis Abel & Caïn, non procul ab initio, laborem cum luce comparauit. Vt enim lux est medium omninò necessarium, vt color videatur: ita labor, vt honor comparetur: *Sicut*, inquit, *sine luce videre non possumus: hanc enim, ceu vinculum natura preparauit; quo coaptaretur colori oculus. Eodem modo animæ oculus nullam virtutis actionem potest attrectare; nisi à labore, ceu luce adiutus. Hic enim inter mentem, & bonum, quod mens desiderat, medius; illud ex vna parte, hanc ex altera trahens ad se; vtraque manu amicitiam concordiamque conciliat.* Et paulò pòst non minori elegantia & congruentia, laborem cibo simillimum esse dixit, *Nam sicut*, inquit, *à cibo tota vita pendet, vnà cum suis actionibus & affectionibus: ita etiam à labore pendet, quidquid in rebus bonum est.* Et statim optima vsus consequutione: *Ergo*, inquit, *quemadmodum, qui vitam sibi prorogare cupiunt, alimenta non negligunt: ita quotquot, quæ bona sunt, concupiscunt, laborem magni faciant.* Vbi etiam obiter aduerte quemadmodum cibus non modò nutrit, sed etiam sapit: ita & laborem, si eius vis perfectè cognoscatur, non modò vtilitatem conciliare, sed etiam voluptatem.

En rubo incombusto exprimuntur laboribus afflicti, sed non combusti.

Philo.

Inter laborum flammas non extinguitur gloria, sed seruatur.

Philo.

Cum cibo etiā confertur eleganter.

Labor non solùm vtilitatē conciliat, sed voluptatem.

VIII. Certè Iobus in se ipso expertus, quantam ad gloriam ex suis laboribus profecisset: *Ad dexteram*, inquit, *Orientis calamitates meæ illicò surrexerunt.* Iob. 30. n. 12. Vbi quæres, cur dixerit, suarum calamitatum turbines potiùs ad dextram, quàm ad sinistram contra se insurrexisse? Optimè respondet Gilbertus Diui Bernardi discipulus, & eiusdem in absoluendis Canticis successor, serm. 38. in Cantic. *Itare*, inquit, *ventum illum* (scilicet, tribulationum ac tentationum, quæ in illum detonuêre) *dextrum vo-*

Omnia in laboribus dextra & sinistra.

Gilb.

A *cauit; qui nihil ei quiuit sinistrum inferre: quia etiam corona gloriæ viro iusto comportauit augmentum; quando virtus probata enituit, & quando renouata excreuit.* Dextra igitur & felix est calamitatum procella; qua non homines de gloria in miseriam deturbantur, sed potiùs de miseria ad gloriam eriguntur. Idē Iobus suum ex laboribus ad gloriam augmentum non minùs disertè significauit, Deum in hunc modum alloquutus: *Auditu auris audiui te: nunc autem oculus meus videt te.* Iob 42. n. 5. Nam, cùm esset inter prospera huius vitæ blandimēnta, audire tantummodo Deum sibi videbatur: cùm autem inter aduersa persequutionum tentationúmque tormenta, etiam videre. Vbi rectè D. Greg. lib. 15. Moral. c. 4. *His verbis*, inquit, *apertè indicat;*

D. Greg.

Iobus inter labores Deum videre sibi videbatur.

B *quia quantò visus superior est auditu, tantò differt ab eo, quod priùs extitit, & hoc, quod postmodum per flagella profecit.* Itaque temporalibus bonis circunfusus, cælestis beatitudinis auditor tantùm erat, non spectator: at verò turbulentissimis malorum temporaliū tēpestatibus iactatus; beatissimæ illius gloriæ sibi videbatur, & possessor, & cōprehensor.

Iam verò Christum Dominum *Nónne oportuit pati, & ita intrare in gloriam suam?* Luc 24. n. 26. IX.
cùm tamen ei æterna gloria non tanquàm externo candidato, sed tanquam legitimo hæredi deberetur? Planè ita fuit. Vnde neque Angeli eum tanquàm Regem gloriæ salutarunt; priusquàm eundem, vt strenuum in sua passione bellatorē agnouerunt. Nam, aliis inquirentibus: *Quis est iste Rex*

Christus Dominus post passionē Rex gloriæ ab Angelis salutatur.

C *gloriæ?* Et aliis respondentibus: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Vtique in prælio passionis suę. Tum demū omnes mira consensione acclamarunt: *Eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.* Psal. 23. n. 8. & 9. Quod Tert. lib. De corona militis, cap. 14. rectè expēdit. Vbi de Christo Domino loquutus, *Fauos*, inquit, *post fella gustauit. Nec ante Rex gloriæ à cælestibus salutatus est, quàm Rex Iudæorum proscriptus in Crucem.* Sic ille. Quasi diceret: Priùs à Iudæis repudiatur, quàm ab Angelis adoretur: priùs subit Crucis acerbitatem, quàm Regni obtineat maiestatem: vt hæc dignitas ab illa humilitate, hæc gloria ab illo contemptu orta fuisse intelligatur. Et statim alludens ad

Tert.

D Psal. 8. n. 6. *Minoratus*, inquit, *à patre, modicum quid citra Angelos, & ita gloria & honore coronatus.* Quasi illa infra omnes Angelos humiliatio, via foret, qua supra omnes Angelos eueheretur. Si igitur hæres, ad quem sponte sua & sine labore venit hæreditas, pro illa consequenda laborauit, qua temeritate, seu dementia mercenarius, cui non nisi laboranti merces debetur, audeat otiosus ad gloriam adspirare?

Christi Domini passio via fuit, vt suprà Angelos eueheretur.

Grauissimas pœnas imprecatur Dauid illis, *Qui dixerunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.* Ps. 82. n. 13. Hoc est: Non pugnando, non laborando; sed sedendo & quiescendo, solo iure hæreditatis regnum cælorū acquiramus. *Deus meus*, addit Propheta, *pone illos, vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti.* Ibidem, n. 14. Neque enim mi- X.

Grauissimis suppliciis digni, qui nō per labores gloriā volunt hæreditare.

E noribus suppliciis digni sunt, qui æternam gloriam per labores & sudores, per cruces & per neces acquirendam, hæreditare volunt otiosi, non violenti expugnare: cùm tamen regnum cælorum vim patiatur, & violenti rapiant illud. Matth. 11. n. 12. hoc est, interprete Maldonato, non hæreditari, sed virtuti concedatur. Laborandum igitur est, & sub ingenti laborum pondere sudandum, vt tandem ad cælorum regnum penetretur. Bis se olim Dominus præbuit spectandum, semel quidem sub gloriosa specie: *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum*, &c.

Mald.

Isai. 6.n. 1. Iterum sub specie ignominiosa: *Non* A *est species ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aspectus.* Isai. 53.num.2. Diuus Bernardus ferm. 1. De verbis Isaiæ, has duas visiones inter se conferens, rectè monet, hanc ignominiosam viam esse ad illam gloriosam; prius nobis Deum humilem contemplandum & imitandum, quàm ad Deum sublimem videndum & possidendum accedamus. *Intuere*, inquit, *prius exaltatum in deserto serpentem, si videre desideras Deum in solio residentem. Ista te humiliet visio, vt illa exaltet humiliatum. Reprimat & sanet ista tumorem tuum, vt illa repleat & satiet desiderium tuum.* Et statim exprimens, quanta certitudine ab hac visione humilitatis, ad illam sublimitatis ascendatur: *Similis*, inquit, *eris illi, cùm videris eum, sicuti est. Esto & nunc similis ei; videns eum,* B *sicut propter te factus est. Si enim ne in humilitate quidem similitudinem eius abnuis, certa tibi sublimitatis quoque similitudo debetur. Nunquam ille socium tribulationis à communione gloriæ patietur arceri.* Sic ille. Et confirmat in primis exemplo latronis, quem Christus Dominus eodem die, quo habuit Crucis socium; habere voluit beatitudinis consortem. Deinde ex promissione Christi: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum.* Luc.22.n.28.& 29. Vbi eodem cum Christo donantur regno, qui easdem cum Christo tentationes tolerarunt. Tandem ex Pauli assertione: *Fidelis sermo: si commortui sumus, & conuiuemus; si sustinebimus, & conregnabimus.* 2.Tim.2.n. 12. Vbi illud, C *Fidelis sermo*, vim habet vehementis assertionis. Quasi iuratissimus testetur, sine dubio cum Christo victuros & regnaturos, qui Christi passionibus subesse voluerint.

D. Bern. *Vt Deum in gloria videamus, Deum in humilitate imitemur.*

Latro Crucis socius, gloriæ consors.

Qui simul Christo compatiuntur, simul Christo conregnabũt.

XI. Hinc est, quòd D.Paulus tribulationem appellat spem gloriæ: *Gloriamur*, inquit, *in spe gloriæ filiorum Dei: non solùm autem, sed & gloriamur in tribulationibus.* Rom.5.n.2.& 3. In quem locum D.Bernardus serm.17. in Psalm. *Qui habitat*, obseruans bis ab Apostolo gloriationem commendari, semel in spe gloriæ, & iterum in tribulatione, concludit, has gloriationes non esse diuersas, sed vnam atque eandem: *Non altera*, inquit, *gloriatio commendatur, sed additur, vbi spes gloriæ, vbi ipsa spei gloriatio requiratur: siquidem in tribulatione spes gloriæ, immò & ipsa in tribulatione gloria continetur, sicut spes fructus, & ipse fructus in semine est.* Ita ille. Vides, D quanta est inter semen & fructum naturalis connexio? Tanta igitur inter tribulationem & gloriam reperitur. Huius connexionis immemores filij Zebedæi, regni gloriam ambiebant; sed tribulationis viam non curabant. Quid ergo Christus Dominus? *Calicem*, inquit, *meum bibetis.* Matth. 20. n. 23. *Sic enim*, inquit D. Bernardus serm. 33. in Cantica, *ad gradum sunt reducti, per quem fuerat ascendendum.* Quasi diceret: Nesciebant planè, quid peterent, & multò minùs quid facerent. Nam ad summum fastigium adspirabant; & nihilominùs interpositos gradus non attingebant. Vt igitur ad E honorum fastigium euaderent, ad laborum gradus reuocabantur. Eodem modo D.Greg. hom. 27. in Euangelia interpretatur: *Ad viam*, inquit, *illos veritas reuocat, per quam ad celsitudinem venirent. Ac, si dicatur: Iam vos locus delectat celsitudinis; sed prius via exerceat laboris: per calicem enim pertingitur ad maiestatem. Si mens vestra prius appetit, quod demulcet; prius bibite, quod dolet. Sic, sic per amarum poculum confessionis peruenitur ad gradum salutis.* Accedit & Beda: *Cælestis*, inquit, *eos magister, quid primò quærendum esset, insinuans; reuocat ad viam laboris, qua ad brauium pertingere possint re-*

D. Bern. *Tribulatio gloriæ spes.*

D. Bern. *Filij Zebedæi gloriam affectantes, ad laborum gradus reuocantur.*

D. Gregor.

Per laborum calicem peruenitur ad maiestatem. *Beda.*

tributionis. Procul igitur à perfecta gloria aberrat: qui viam tribulationis non insistit. Egregiè verò notat Euthymius dixisse Christum Dominum: *Non est meum dare vobis.* Non quidem propter impotentiam, sed propter iustitiam: *Quia*, inquit, *gratis sibi dari primatum petebant.* Quod colligit ex verbo, *Dare*, cùm tamen ille primatus non tam per liberalem & gratuitam donationem; quàm per iustam ac debitam laborum retributionem ex iustitia conferatur. Ignari igitur sunt, qui nullo passionis calice prælibato, ad illam æternæ dulcedinis mensam se admittendos arbitrantur.

Euthym.

Iniustum sine labore, gloriæ primatum dare.

XII. Simile quid accidit cælesti Sponsæ: quæ tota ad terminum gloriæ intenta, & parum de via tribulationis sollicita, *Indica*, inquit, *mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie.* Cantic. 1. num. 7. Non dicit: Vbi ieiunes, vbi labores: sed, Vbi dulci cibo, & quieto somno potiaris. Quid ergo Sponsus? *Egredere*, inquit, *& abi post vestigia gregum; & pasce hædos tuos.* Ibidem, num. 9. Quasi diceret: Si ingredi cupis ad requiem, egredere prius ad laborem: neque enim ad illa beata otia, nisi per laboriosa negotia peruenitur. Quod mihi videtur D.Bern. serm. 38. in Cant. insinuasse: *Terribiliter*, inquit, *intonat in dilectam, non tanquam sponsus, sed tanquàm magister: & non quasi iratus; sed, vt territa purgaretur; purgata idonea redderetur huic ipsi, cui inhiat, visioni.* Quasi diceret: Instruit, vt magister, non esse appetendam gloriam maiestatis, antequàm via humilitatis arripiatur. Si inuenire desiderat locum pascuæ, prius locum pugnæ inuestiget; vanum esse ac præposterum, ambire præmia, & prælia recusare. Vide eundem Bernardum serm. 34. in Cantica, vbi similia inculcauerat. Cæterùm hoc magisterium à diuino Sponso, non semel atque iterum, sed sæpius exercetur, ne res tanti momenti leuiter inculcata contemnatur. Igitur dicenti Sponsæ: *Lectulus noster floridus.* Cant.1. n.16. respondet Sponsus: *Ego flos campi.* Cant. 2. num. 1. Illa inuitabat ad flores thalami, qui in otio & quiete possidentur: sed hic inuitat ad flores campi, qui in negotio & labore colliguntur; significans, non prius intrandum ad quietem, quam ad laborem exeundum: cùm via ad quietem non nisi per laborem muniatur. Sic exponit D. Bernard. serm. 47. in Cant. vbi quærens, cur Sponsus ad thalamum inuitatus, ad campum inuitarit? *Profectò*, inquit, *vt eam*, nempe, Sponsam, *ad tolerantiam animaret, cui nouerat, opus esse, si vellet piè viuere, persequutionem pati.* Et statim: *Semper & illa appetit quietem, & ille incitat ad laborem; denuntians ei, quòd per multas tribulationes oportet intrare in regnum cælorum.* Et paulò pòst: *Illa ergo monstrante lectulum, ille vocat ad campum, ad exercitium prouocat.* Itaque cælestis Sponsa beatitudinis auida, & viæ ad illam nescia, mittitur ad laborem, vt per illum ad beatitudinem rectà deducatur.

Sponsa requiẽ appetens, egredi iubetur ad laborem.

D. Bern.

Sponsa inuitat ad quietem, sponsus ad laborem.

D. Bern.

XIII. Quin etiam Moyses precatus à Deo, vt sibi faciem suam ostenderet, à Deo exaudiuit: *Videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.* Exod.33.n.23. Vbi D.Bernard. serm. 34. in Cantic. *Moyses*, inquit, *quoniam multùm præsumebat de gratia & familiaritate, quam inuenerat apud Deum; adspirabat ad quandam visionem magnam: accepit autem pro ea visionem longè inferiorem; ex qua tamen ad ipsam, quam volebat, posset aliquando peruenire.* Ita ille. Quasi Deus ita Moysem hortaretur: Erigi cupis ad gloriam visionis meæ: sed prius deprimi te oportet ad passionis meę humilitatem. Imitare patientem, vt perfruare regnante. Cogitas de termino: sed ostendo viam. Hac itur ad astra. Quare, qui

Qui vult erigi ad gloriã, deprimi debet ad humilitatem passionis Christi. *D. Bern.*

re, qui laborem fugiunt, & gloriam ambiunt, non minùs decipiuntur, quàm qui Romam adire velit, viam tamen illuc ferentem non intrare. Vnde D. Bernardus ſerm. 1. De natali ſancti Victoris: *Non recti planè*, inquit, *ſed peruerſi eſt animi, ante quærere gloriam, quàm exercere virtutem.* Quæ, ſcilicet, non cum labore exercetur. In quam rem explicans illud Dauidicum: *Quoniam gloria virtutis eorum tu es.* Pſalm. 88. n. 18. *Pulchrè*, inquit, *non eorum, ſed virtutis eorum gloria commendatur.* Quaſi gloria non tam homini, quàm virtuti; ſeu non tam deſideranti, quàm laboranti tribuatur. Vnde ſtatim ſubdit: *Virtus gradus eſt ad gloriam; virtus mater gloriæ eſt. Fallax gloria, & vana eſt pulchritudo, quam illa non parturiuit.* Quiſquis igitur ad gloriam contendit; de via illuc ferente, hoc eſt, labore, ne recedat.

D. Bern.

Virtus gloriæ mater.

XIV. Sed, ne diutiùs immoremur, vbi immorandi occaſio ſæpiſſimè recurret: meritò Saül ante Dauidem eligitur, vt hic per illius perſequutiones, regnum aſſequatur: & honores ex laboribus tempeſtiuo quodam ſatu generari intelligantur. Quòd ſi Romanus Vates lib. 1. Pharſ. adulatorio vſus ſchemate, benè collocata credidit bella ciuilia, per quę Nero ad imperium euaſit, ita canens:

Samuelis iniuria ſanctiſſimum ſibi Regem peperêre.

Quòd ſi non aliam venturo fata Neroni
Inuenêre viam, magnoq́; æterna parantur
Regna Deis, cælumq́; ſuo ſeruire Tonanti
Non, niſi ſæuorum potuit poſt bella Gigantum;
Iam nihil, ô Superi, querimur: ſcelera iſta nefáſque
Hac mercede placent.

Lucan.

Maiori iure potuit Iſraëliticus populus bene collocatas credere Saülis iniurias; quæ ſibi Dauidem ſanctiſſimum Regem peperêre. Sed quæres: Cur etiam Saül non habuit præuium perſequutorem, per quem ſibi viam ad regale faſtigium muniret? Ratio mihi videtur non difficilis. Quia regnum Saülis breue & lubricum futurum erat; quale inter epulas ac delicias emergit: Saül enim primùm in conuiuio declaratus fuit Rex à Samuele; vt ex ſequenti capite patebit. At verò regnum Dauidis futurum erat ſtabile ac diuturnum: quale profectò inter malleos & incudes, inter bellorum conflictus, inter laborum turbines conflatur.

Regnum ſtabile ac diuturnum, non niſi per labores.

XV. *Non te abiecerunt*, &c. Tertul. lib. 4. contra Marcionem, cap. 24. refert hæc verba, tanquàm dicta ad Moyſen: *Hoc*, inquit, *& Moyſi Creator: Non te contempſerunt, ſed me.* Sed planè fuit μνημονικὸν ἁμάρτημα, hoc eſt, memoriæ vitium, Moyſen pro Samuele reponentis. Quam in eum cenſuram eius Interpres Pamelius impingit. Caietanus ex Hebræo legit: *Non te abominati ſunt, ſed me.* Interl. Regia: *Non te faſtidierunt, ſed me.* Septuaginta: *Non te contempſerunt, ſed me.* Chaldæus: *Non te elongauerunt.* D. Chryſ. Homil. 1: De Cruce & latrone: *Non te exprobrauerunt, ſed me.* Vatablus: *Non te reprobant.* Volgata: *Non te abiecerunt.* Hanc enim ſignificandi latitudinem habere poteſt verbum מאס *Maas*, quod hoc loco ponitur. Non oportet autem hunc contemptum fuiſſe formalem, qualis committitur ex ſpeciali intentione contemnendi Deum, aut Prælatum: ſed materialem, qualis in quolibet peccato & inobedientia includitur, vt Caietanus aduertit.

Tert.
Perſtringitur obiter Tertullianus.
Pamel.
Caiet.
Varia loci huius lectio apponitur.
D. Chryſ.
Vatab.

XVI. Duplex tamen eſt circa hæc verba difficultas. Vna, quemnam abiectum ſignificent? ſolúmne Deum, an etiam Samuelem? Altera, quorſum dicantur? ad narrandum factum, an ad Samuelem conſolandum? Quod attinet ad priorem. Quamuis verba ſignificare videantur, ſolum Deum abiectum eſſe, non autem Samuelem: tamen eum ſenſum non efficiunt; ſed potiùs Samue-

Duplex quæſtio proponitur explananda.

A lem quidem abiectum eſſe, at verò Deum multò contumelioſiùs contemptum. Eſt enim frequens Hebraïſmus: vt cùm aliquid de vno, pluſquàm de altero dicitur, de hoc ſimpliciter negetur, de illo ſimpliciter affirmetur. Exempla paſſim occurrunt in vtroque Teſtamento. In veteri: *Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.* Exod. 16. n. 7. & tamen etiam erat contra Moyſen & Aaronem. *Memores eſtote Moyſi, qui Amalec confidentem in virtute ſua, &c. non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecit.* Iudith 4. n. 13. Et tamen etiam ferro, ſeu gladio Ioſue optimi bellatoris euertit. *Miſericordiã volui, & non ſacrificium.* Oſ. 6. n. 6. Cùm tamen Deus etiam ſacrificia ſibi fieri imperarit. In nouo: *Non vos eſtis, qui loquimini: ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Matth. 10.

En vulgari Hebraiſmo colligitur Deũ multò contumelioſiùs contemptum.

Probatur ex veteri & nouo Teſtamẽto.

B n. 20. Et tamen haud dubiè etiam diſcipuli loquebantur. *Mea doctrina non eſt mea; ſed eius qui miſit me.* Ioan. 7. num. 16. Et tamen etiam à Chriſto Domino tradebatur. *Infirmitas hæc non eſt ad mortem: ſed pro gloria Dei.* Ioann. 11. n. 4. Et tamen etiam ad mortem proceſſit. *Non es mentitus hominibus: ſed Deo.* Actor. 5. n. 4. Nec dubium, quin etiam hominibus mentitus fuerit. *Non volentis, neque currentis: ſed miſerentis eſt Dei.* Rom. 9. num. 16. Et tamen etiam humana voluntas diuinæ gratiæ cooperatur: *Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem: ſed aduerſus Principes & poteſtates, &c.* Epheſ. 6. n. 12. Et tamen etiam cum carne & ſanguine colluctamur. Sic igitur hoc loco: *Non*

C *te abiecerunt, ſed me.* Cùm tamen etiam Samuel abiectus fuiſſe minimè dubitetur: quamuis contemptus Dei adeò excedebat contemptum Samuelis; vt hic præ illo nullus fuiſſe videretur.

Dei contemptus Samuelis contemptũ in infinitum excedebat.

XVII. Duplicitet autem mihi videtur Deus à populo contemptus. Primò, immediatè, & in ſeipſo. Nam, cùm Deus particularem illius populi Regem ageret: vt præcedenti Num. oſtendimus petentes alium Regem, Deum proximè repudiabant; & proinde maximè contemnebant. Et quoad hoc rectè notat Caietanus, petitionem populi non fuiſſe directè contra Samuelem; quia ipſe Samuel non erat Rex, ſed potiùs contra ipſum Deum, regnantem ſuper Iſraël. Secundò, mediatè, & in ipſo Samuele contempto. Nam, qui of-

Deus immediatè contemptus, quia repudiatus.

Caiet.

Mediatè contempto Samuele.

D fendunt Legatum, aut miniſtrum Regis; etiam ipſum Regem offendunt. Et in hunc ſenſum exponunt hæc verba, non ſolùm vulgares Interpretes, Diuus Gregorius, Theod. quæſtione 16. Beda, Rupertus, Hugo Cardinalis, Dionyſius Carthuſianus & alij: ſed etiam Patres communiter, Diuus Ignatius Epiſt. 6. contra Magneſianos, Tertullianus 4. contra Marcionem, capite 24. Diuus Cyprianus epiſt. 18. aliàs 65. ad Cornelium, & in epiſtola 38. aliàs 65. ad Rogatianum, & epiſtola 66. aliàs 69. ad Florentium, Diuus Auguſtinus ſerm. 5. ad Fratres in eremo, in tomo 20. Diuus Chryſoſtomus in priori hom. De latrone & Cruce, in tomo 3. & homil. 2. in poſteriorem epiſtol. ad Timoth. Diuus Cyrillus Alexandrinus lib. 10.

D. Greg.
Theod.
Beda.
Rup.
Hug. Card.
Dionyſ. Carth.
D. Ignat.
Tert.
D. Cypr.
D. Auguſt.
In hoc vltimo ſenſu à Patribus explicatur locus.
D. Chryſ.
D. Cyril.

E in Ioan. cap. 36. Theod. in Pſalm. 144. ſub initium, Rupertus lib. 2. in Numer. cap. 22. & lib. 4. in Oſeam, cap. 9. & 10. & lib. 5. c. 11. & lib. 4. De victoria Verbi, cap. 23. D. Anaſtaſius Nicenus quæſtione 75. in Scripturam, Pacianus epiſtol. 3. ad Sympronianum, Cardinalis Bertrandus in libello pro eccleſiaſtica libertate, & in tract. De origine & vſu iuriſdictionum, quæſt. 3. Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus, in expoſitione Concilij Florentini, cap. 5. ſect. 13. & alij, qui ex his verbis oſtendunt, contempto Principe, etiam Deum contemni; vt Annot. 34. illuſtrabo.

Theod.
Rup.
D. Anaſt.
Pacian.
Bertr.
Gennad.

XVIII.

Duplex verborum sensus apponitur.

Quod attinet ad posteriorem difficultatem. Crediderim, hæc verba duplicem habere sensum. Vnum narratiuum, in quo grauitas huius peccati declaratur, quod non sisteret in vno Samuele: sed ab eo contempto in Deum refunderetur. Quasi diceret Deus: Audi vocem eorum; indulge eis, quod petunt: non quidem in eorum gratiam; sed in vindictam: quia grauissimè peccarunt; te quidem in primis; & in te vno, me quoque contemnentes. De quo sensu Annot. proximè citata differemus. Alterum, consolatorium, quo Deus mœrentem Samuelem consolatur. Nam Samuel in orationem fusus, suas Deo querimonias humiliter exposuit: quod etiam facere solent viri sancti: vt Abraham Genes. 15. num. 2. & 3. Moyses, Num. 11. n. 11. Iosue, cap. 7. n. 7. Helias, 3. Regum 17. n. 20. Iob. capite 30. à n. 20. Isaias cap. 63. n. 15. & alij frequenter. Immò aliquando cuiusdam obstinatæ duritiæ est non expostulare humiliter cum Deo in tribulationibus. Vnde apud Iobum reprehenditur impius, qui à Deo flagellatus, indurescit ad verbera, tanquàm mancipium contumax, & non mollescit in humiles querimonias, tanquàm filius ingenuus: *Non dixit*, inquit: *Vbi est Deus, qui fecit me, qui dedit carmina in nocte?* Iob. 35. numer. 15. Hoc est: Questus non fuit de Deo, dicens: Vbi est Deus omniũ conditor, & omnium consolator? Cur me aliquo solatio non demulcet? Nam, si ista diceret, inquit Diuus Gregorius lib. 26. Moral. c. 12. *Vim, quam patitur, temperaret: & per hoc, quod mansurum intus quæreret; id, quod foris transitorium sustinet, esse intolerabile non æstimaret.* Samuelem igitur, non, vt durum mancipium; sed, vt ingenuum filium suas apud Deum querimonias modeste & humiliter effundentem, consolatur Deus, dicens: *Non te abiecerunt, sed me.* Sic enim Iosephus libr. 6. Antiq. c. 4. D. Chrysost. hom. De Cruce & Latrone, Abul. q. 9. & Caietanus interpretantur.

Iusti suas Deo querimonias humiliter exponunt.

Impius reprehenditur, quia in tribulatione cũ Deo non expostulat.

D. Greg.

Ioseph. Abul. Caiet.

XIX.

Proponitur obiectio, & diluitur.

Sed obiicies: Samuel, & in vniuersum, omnes viri spectatæ probitatis & sanctitatis, ægriùs diuinas, quàm proprias iniurias patiuntur. Ergo Samueli de propriis iniuriis dolenti, cùm diuinæ in memoriam reuocantur, non aufertur dolor, sed augetur; non leuatur mœror, sed multiplicatur. Ergo illum Deus non consolatur, dum se pariter à populo contemptum profitetur. Respondeo, duplicem esse consolationem: vnam qua totus mœror abolerur, omnem illius causam extirpando: alteram, qua magna ex parte consopitur, alium grauiorem mœrorem ingerendo. Quo pacto & sensitiua cognitio dupliciter tolli potest: vel remouendo obiectum, quod sentiebatur, sic enim in totum sensatio aufertur: vel proponendo aliud sensibile vehementius & efficacius, cuius cognitione prioris cognitio attenuetur, vel minuatur. Motus enim maiores, teste Philosopho, obscurant minores: hoc est, sensibile intensius efficit, ne remissius agnoscatur. Igitur consolationem Samuelis non fuisse priori modo; quia mœroris causa non omninò tollebatur: sed posteriori; quia nouus ei mœror de diuinis iniuriis, isque multò acerbior & vehementior inferebatur; cuius sensus tãtus erat, vt nullus ei ad mœrorem de propriis iniuriis percipiendũ superesset. Itaque consolatur Deus Samuelem, non simpliciter mœrorem auferendo; sed per illapsum grauioris, sensum leuioris temperando.

Tantus est iusto de diuinis iniuriis mœror, vt de propriis quodammodo absorbeatur.

XX.

De peculiari, non vniuersali cura loquitur Deus.

Ne regnem super eos, &c. Scilicet, illo dominio immediato, & peculiari prouidentia, qua populum eatenùs administrabat. Neque enim excludi poterat ab illa vniuersali cura & potestate, quæ supremo Principi Deo naturaliter debetur; & A qua regnis omnibus dominatur. Obiicies, Deum neque ab illo peculiari dominio exclusum fuisse. Nam etiam post electionem Saülis, Israëliticum regnum, & Israëliticum soliũ Domini dicebatur, iuxta illud Dauidis: *Elegit Salomonem filium meum, vt sederet in throno Domini super Israël.* 1. Paral. 28. num. 5. Et illud: *Sedit Salomon super solium Domini in Regem.* 1. Paral. 29. num. 23. Dicitur autem regnum Domini, non quidem ab illo vniuersali dominio, iuxta quod omnia mundi regna Deo subiiciuntur: sed ab hoc peculiari, quo Israëlitas gubernabat. Ergo etiam tunc peculiarem & immediatum Regem in populum Israëliticum agebat. Respondeo, post electionem Saülis regnum Israëliticum potuisse adhuc denominari regnum B Domini ab illo peculiari & immediato dominio: non quòd tunc præsens esset; sed quòd anteà fuerat: quasi diceretur regnum, quod fuit Domini, vel quod etiam tunc præsens foret, nisi à rebelli populo excuteretur.

Obiectio quædam ponitur & exponitur.

XXI.

His verbis, quibus Deus ad Samuelis orationem & consultationem respondit, satis apertè ostendit, sibi quoque displicuisse populi petitionem, quæ Samuëli displicuerat; eámque malam atque iniquam, non minùs quàm Samuelem, iudicasse: *Quæ conuenientia iudicij*, inquit D. Gregorius, *in Sanctis oritur ex virtute charitatis.* Sicut enim affectu, ita & intellectu concordant. Vnde Apostolus, *Qui adhæret*, inquit, *Domino, vnus spiritus est.* 1. Cor. num. 17. Cùm igitur Samuel C Domino adhæreret, & in vnum cum illo spiritum quodammodo coalesceret: nil mirum, si in idem cum illo iudicium conspiraret.

D. Greg.

Iusti cum Deo semper in idẽ iudicium conspirant.

Num. VIII. Iuxta omnia opera sua, quæ fecerunt, à die, qua eduxi eos de Ægypto, vsque ad diem hanc: sicut dereliquerunt me, & seruierunt Diis alienis: sic faciunt etiam tibi.

EXPOSITIO LITERÆ.

I.

Iuxta omnia opera, &c. Dicendum, quæ fuerint hæc opera Hebræorum, quæ à Domino recensentur: & cur hoc loco recenseantur. D Quod ad primum attinet. Opera in primis fuerunt mala: quippe quibus conformis dicatur mala Regis petitio, qua Iudæi Samuelem ac Deum contempserunt. Deinde fuerunt tempore continua, quantitate plurima, qualitate pessima. Tempore quidem continua: vt patet ex hoc loco: *A die*, inquit, *qua eduxi eos de Ægypto, vsque ad diem hanc.* Et magis ex dicendis patebit. Quantitate verò plurima. Quia in secundo anno egressionis de Ægypto conqueritur Deus iam se à suo populo decies offensum. *Tentauerunt*, inquit, *me iam per decem vices: nec obedierunt voci meæ.* Num. 14. num. 22. Quas rebelliones sic enumerant Hebræi. Primam, ad mare rubrum, vrgente Pharaone, & populo de promissionibus diuinis diffidente: *Forsitan*, inquit, E *non erant sepulcra in Ægypto: ideò tulisti nos, vt moreremur in solitudine. Quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto?* Exod. 14. n. 11. Secundam, in Mara: vbi deficiente aqua, *Murmurauit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus?* Exod. 15. n. 24. Tertiam, in deserto Sin: vbi tacta desiderio ciborum, quos habebat in Ægypto, *Murmurauit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron. Dixerúntque filij Israël ad eos: Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti; quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate.*

Hebræorũ opera ex tempore, ex quantitate, ex qualitate grauia.

Hebræorum rebelliones recensentur. Prima, ad mare rubrum.

Secunda, in Mara.

Tertia, in deserto Sin.

Cur

Cur induxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame? Exod. 16. n. 2. & 3.

Quarta, in eodem loco

Quartam, in eodem loco: vbi, præcipiente Moyse, ne quis manna in crastinum reseruaret; ipsi *non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque mane.* Ibid. n. 20.

Quinta, eodē in deserto.

Quintam, in eodem deserto: vbi prohibente Domino, ne in Sabbato ad colligendum manna egrederentur; ipsi nihilominùs voluptate collecti cibi, & cupiditate colligendi inescati, *Egressi, vt colligerent; non inuenerunt.* Ibidem, n. 27.

Sexta, in Raphaim.

Sextam, in Raphidim: vbi populus, stimulante siti, *iurgatus contra Moysen, ait: Da nobis aquam, vt bibamus.* Exodi 17. n. 2.

Septima, in Horeb.

Septimam, in Horeb: vbi vitulum aureum conflantes *Dixerunt: Hi sunt Dij tui, Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Exod. 32. num. 4.

Octaua, in solitudine Pharan.

Octauam, in solitudine Pharan: *Vbi ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum.* Num. 11. num. 1.

Nona, in eodem loco.

Nonam, ibidem, *ad sepulcra concupiscentiæ.* Sic posteà nomen loco inditum ab euentu: vbi vulgus promiscuum simul cum filiis Israël, flagrans desiderio carnium, clamauit: *Quis dabit nobis ad vescendum carnes?* &c. Num. 11. n. 4.

Decima, eodē in deserto.

Decimam, in eodem deserto Pharan: vbi audientes, quæ de terra Promissionis exploratores retulerāt: *Murmurati sunt contra Moysem & Aaron cuncti filij Israel, dicentes: Vtinam mortui essemus in Ægypto, & non in hac vasta solitudine. Vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam,* &c. Num. 14. n. 2. & 3.

II.

Innumeræ Hebræorum rebelliones.

C Decies igitur contra Dominum intra duos annos rebellarunt. Et fortassè pluries. Nam illud, *Decies,* quamuis numerus certus & finitus sit; tamen à nonnullis figuratè accipitur pro incerto & indefinito: & cùm non possit pro paucioribus rebellionibus vsurpari, quàm decem; quia de his iam constat, vt vidimus; pro pluribus vsurpatur. Quòd si duorum annorum spatio, pluries, quàm decies, rebellarunt; quid dicendum de reliquis triginta octo annis, quos deinceps in deserto illo peragrando posuerunt? Certè Dauid, quasi tot rebellionum multitudinē nullo certo numero posset cōprehendere, admirabundus exclamat: *Quoties exacerbauerunt eum in deserto?* Psal. 77. n. 40. Quasi diceret: Quis tam multa peccata supputabit? Quis eorum numerum inibit? D Admirari possum tantorum scelerum multitudinem: non tamen ad calculos reuocare. Immò Deus ipse apud Dauidem, perpetuos eorum errores, hoc est, peccata, in deserto criminatur: *Quadraginta,* inquit, *annis offensus fui generationi illi, & dixi: semper hi errant corde.* Psal. 94. num. 10. Quasi in tota illâ peregrinatione quadragenaria, nunquàm ferè à peccando desisterent, nunquàm fatigarentur. Iam verò terram promissionis ingressi nihilo meliores ac saniores efficiuntur: *Induxit eos,* inquit Dauid, *in montem sanctificationis suæ,* &c. Psal. 77. num. 54. Vbi multis eos beneficiis, diuitiis ac deliciis cumulauit. Quid effectum? Sequitur: *Et tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelsum, & testimonia eius non custodierunt. Et auerterunt se, & non seruauerunt pactum: quemadmodum patres eorum conuersi sunt in arcum prauum. In iram concitauerunt eum in collibus suis, & in sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt.* Ibidem, à num. 56. Totam illam diuinorum beneficiorum multitudinem, suorum multitudine scelerum corruperunt.

Hebræi in peccando infatigabiles.

Iudæi Dei beneficia sceleribus corrumpebant.

III.

Hebræi impudentes idololatræ.

Tandem, fuerunt eorum peccata qualitate pessima. Nam, vt alia omittam peccata, in peccatum idololatriæ, quod est omnium atrocissimum frequentissimè ac impudentissimè corruerunt. A Semel quidem, Iosuë adhuc viuente; vt colligitur ex illis verbis: *Auferte Deos alienos de medio vestri.* Ios. 24. num. 23. Iterum, post mortem Iosuë, cùm in medio Chananæorum habitantes *Seruierunt Diis eorum.* Iud. 3. num. 6. Tertiò, post mortem Othonielis, cùm *addiderunt facere malum in conspectu Domini.* ibid. num. 12. malum vtique idololatriæ, quod paulò antè præcesserat, & tunc dicitur repetitum. Quartò: *Addiderunt filij Israel facere malum in conspectu Domini post mortem Aod.* Iud. 4. num. 1. Non aliud quidem frequentius, quàm idololatriæ, quod sæpiùs extinctum, sæpiùs suscitabant. Quintò, post mortem Barac: *Fecerunt,* inquit, *filij Israël malum in conspectu Domini.* Iud. 6. num. 1. sine dubio idololatrantes. Et B sic de cæteris Iudicibus, quibus ad principatum euectis Hebræi paulisper à Deorum cultu abstinebant: iisdem vita functis, ad eundem remigrabant, vt patet ex c. 2. n. 19. vbi dicitur populus, cùm Iudex creabatur, Deum colere; sed additur: *Postquam autem mortuus esset Iudex, reuertebantur, & multò faciebant peiora, quàm patres eorum, sequentes Deos alienos, seruientes eis, & adorantes illos.* Quæ igitur maior esse potuit illius populi infelicitas, quàm in peccata tam continua, tam frequentia, tam atrocia corruisse? Hæc itaque hoc loco recensentur.

Idololatria frequentia ostenditur variis Scripturæ locis.

IV.

Numerantur primò peccata Hebræorū, vt grauitas contemptus exprimatur.

Quod attinet ad secundum. Multiplex assignari potest ratio, cur hic ea peccata recenseantur. Prima, vt grauitas huius contemptus, quo Deum C & Samuelem abiecerunt, exprimatur. Nam, dum hic contemptus illis grauissimis & atrocissimis inobedientiæ & idololatriæ sceleribus confertur, iisque similis & conformis fuisse dicitur; satis apertè ostenditur, quantam deformitatem sortiatur. Sic Abulensis, tum hoc loco, tum paulò antè quæst. 7. §. *Item Deus.* exponit. Quasi diceret Deus: Non videatur tibi nouum hoc peccatum, cùm alia tam similia iam præcesserint. Vel: ne mireris hoc peccatum: quia illa scelerum monstra, quæ Hebræi ab initio edidêre; non poterant non tam deformem & infelicem fœtum parturire. Vel tandem: quid mirum, si diuturna & inueterata peccandi licentia tantam in impudentiam effundatur, quæ nullum habet peccandi D finem; sed peccata peccatis accumulat, & à paruis exordiens in maxima prorumpit? Improbitas enim, vt cecinit Satyrographus,

Abul.

Improbitas nullum peccandi finem facit.

——Fixa, & mutari nescia. Nam quis
Peccandi finem posuit sibi? quando recepit
Eiectum semel attrita de fronte pudorem?
Quisnam hominum est, quem tu contentum videris vno
Flagitio?

Sic igitur Hebræorum malitia, paucis ac paruis flagitiis non contenta, ab aliis in alia scelerum præcipitiis deuoluta, tandem in hoc profundum barathrum contemptus præcipitatur: qui proinde grauissimus, vtpote tantorum scelerum terminus, censetur.

V.

E Secundò, recēsentur hæc peccata, vt illa omnia scelera, quæ videbantur obliuione sepulta, ex occasione huius noui contemptus ad vindictam reposcendam significentur. Iuuat hanc responsionem D. Gregorius hoc loco, vbi sic exaggerat hoc peccatum, vt significet, propter illud cætera omnia Hebræorum peccata in memoriam reuocari; vtique, vt puniantur. *Iuxta omnia,* inquit, *opera sua, quæ fecerunt,* &c. *Summum namque crimen agnoscitur; ad cuius discussionem in Dei memoriam præterita cuncta peccata reducuntur.* Haud dubiè, vt pariter cum illis merito supplicio damnentur.

D. Greg.

A Quod quidem verum esse poterit de peccatis per veram pœnitentiam non deletis, quoad culpam, aut saltem quoad pœnam temporalem. Ad hæc enim citiùs punienda, potest Deus occasione alicuius noui peccati excitari. Nam, quæ omninò sunt obliterata, nunquam ampliùs reuiuiscunt: vt Diuus Thomas 3. parte, quæst. 88. art. 1. & cum illo cæteri Theologi communiter statuunt. Neque Deo ampliùs ad vltionem in memoriam reuocantur, iuxta illud de vero pœnitente: *Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor.* Ezech. 18. num. 22. Illa igitur peccata, quæ Deus propter pœnitentiam dissimulabat; spe pœnitentiæ per hanc nouam impudentiam sublata, Deo in memoriam punienda reuocantur.

D. Thom.
Peccata omninò obliterata non reuiuiscunt.

VI. Tertiò, recensentur hæc peccata ad solatium Samuelis. Hunc enim Deus superiori Num. consolatus fuerat, non tam auferendo mœrorem de propria iniuria, quàm inferendo mœrorem de diuina: vt huius posterioris iniuriæ sensu, ille prioris obtunderetur: quod ibi aduertimus. Nunc autem pergit consolari eundem Samuelem; etiam proprium illius mœrorem magna ex parte auferendo. Nam Samuel veritus, ne iniuria sibi facta, in pœnam alicuius culpæ à se commissæ permissa fuerit, non tam de pœna, quàm de culpa, si qua erat, tristabatur. Quid igitur Deus? vt ostendat eum innocentem, nec propter vllam culpam propriam dignum fuisse, vt tantam iniuriam pateretur; totam huius contemptus causam refundit in malitiam Hebræorum, eorum vetera flagitia replicando; & ostendendo, quanta olim temeritate in tot malefacta præcipites abibant, tanta etiam nunc diuinas leges violare; & non modò suum Iudicem Samuelem; sed etiam suum Regem, Deum contemnere, ac de suo principatu remouere. Quasi diceret Deus: Ne cogites, Samuel, te, propter aliquam culpam a te commissam, à tuo populo contemptum: nam & ego ab illo contemptus sum, cui nulla culpa potest inhærere. Sicut igitur me prorsus innoxium; ita & te culpæ expertem abiecerunt. Tota igitur huius abiectionis causa fuit, populi malitia, tam inueterata, vt à primo die egressionis ab Ægypto, vsque ad diem hanc in eo perseueret & insolescat: vt ex eorum factis, quæ recensui, palàm est. Ne igitur tristeris de tua culpa, quæ nulla est: sed potiùs de tua innocentia glorieris. Vnde colliges, quàm perfecta fuerit hæc consolatio. Nam mœrorem de culpa totum abstersit; cùm nullam fuisse supposuerit: mœrorem verò de propria ipsius Samuelis iniuria consopiuit; alium maiorem de ipsa diuina iniuria mœrorem ingerendo. Vnde sequitur:

Tertiò numerantur ad solatium Samuelis.

B C D

Quàm perfectum est Dei solatium.

VII. *Sicut dereliquerunt me*, &c. Patet ex his verbis id, quod superiori Num. diximus; non solùm Deum, sed etiam Samuelem fuisse contemptum: *Sicut*, inquit, *dereliquerunt me, &c. sic faciunt etiam tibi.* Difficultas tamen est, quòd ibi posuimus excessum quendam in contemptu diuino, ad contemptum Samuelis, dicentes, & ex ipso Hebraismo colligentes, multò contumeliosiùs Deum, quàm Samuelem fuisse contemptum. Hìc autem constitui videtur æqualitas: *Sicut*, inquit, *dereliquerunt me, &c. sic faciunt etiam tibi.* Sed facilis est responsio, aduerbium, *sicut*, inducere æqualitatem quodammodo in forma; non in gradu, vt loquuntur: hoc est, tam Deum, quàm Samuelem fuisse contemptum; non tamen pari modo, sed Deum multò grauiùs. Sic enim exponitur & illud: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Matth. 5. num. 48. Hoc est: Sit in vobis, & in Patre perfectio; quamuis vtrobique longè

Occurritur tacitæ difficultati.

E

A diuersi ordinis. Dubium tamen non est, quin etiam contemptus Samuelis grauissimus censeatur: vel ex eo, quòd cum ipso contemptu diuino, & nominatim cum cultu idolorum comparetur. *Sicut*, inquit, *dereliquerunt me, & seruierunt Diis alienis; sic faciunt tibi.* Qui enim suos Prælatos contemnunt, parum absunt à vero Deo contemnendo, & falsis Diis adorandis; iuxta illud Samuelis ad Saülem: *Quasi scelus idololatriæ est nolle acquiescere.* 1. Regum 15. num. 23. Quod paulò inferiùs ex Annotat. 34. clariùs patebit.

Confirmatur ex nouo Testamento.

Qui Prælatos contemnunt, à Deo contemnendo parum absunt.

ANNOTATIO XXXIII.

B

CIRCA LITERAM.

Cur Rex malè petitus; nihilominùs à Deo concedatur.



ANC difficultatem suprà num. 7. §. 3. proposuimus: & duplici responsione decidimus. Vna, mystica: quam ibi illustrauimus. Altera, literali: quam, quia nonnihil habet eruditionis, ad hunc locum, vberiùs illustrandam, seposuimus. Ea verò est, Regem malè petitum, à Deo concessum fuisse, in pœnam & vindictam petentium. Solet enim Deus, quæ malè petuntur, aliquando negare, vel in melius commutare, in gratiam & fauorem petentium: quando, scilicet, simplici animo ac minimè malo ad petendum feruntur: aliquando verò concedere, in pœnam & vindictam eorundem, qui petunt: quando ad eam petitionem ex prauo animi affectu incitantur. Quod duplici Sect. illustrabo. I.

Duo proponuntur illustranda.

C

SECTIO I.

Malè petita aliquando à Deo in petentium gratiam negantur.

D

HAnc partem, cùm ad hunc locum directè non pertineat, sed tantùm indirectè, & ex argumento à contrariis, quorum eadem est tractatio: vt perfecta seruetur antithesis, prætermitto quidem, sed breuiùs illustro. Igitur, quæ à Deo inutiliter petuntur: si petitio, ex simplici animo proueniat, aliquando vtiliter negantur; vel certè in melius conuertuntur. Dauid in tribulatione positus, *Clamabo*, inquit, *per diem, & non exaudies.* Psal. 21. n. 3. Vbi D. Augustinus, *Multi*, inquit, *clamant in tribulatione, & non exaudiuntur: vt intelligat homo, Medicum esse Deum; & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus, vreris, secaris, clamas: non audit Medicus ad voluntatē, sed audit ad sanitatem.* Igitur, qui inutilia petunt, vtiliùs repulsam patiuntur, quàm si voti compotes efficerentur. Idem Dauid, *Delectare*, inquit, *in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Psal. 36. num. 4. Non dixit, petitiones carnis tuæ, seu exterioris hominis, quæ à Deo vtiliter negantur: sed, *cordis*, seu interioris hominis, quæ vtiliter conceduntur. Sic obseruat Diuus Ambrosius ad eum locum: & confirmat rursum ex illis verbis: *Tribuat tibi Dominus secundum cor tuum, & omnes petitiones tuas confirmet.* Psal. 19. num. 5. Sic enim ille legit, *petitiones* II.

D. Aug.
Deus, vt Medicus, nō audit ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.

E

D. Ambr.

Petitiones cordis, non carnis à Deo implentur.

tiones tuas, pro, *Et omne consilium tuum*, quod est in eo versiculo. Desumens fortasse ex versiculo septimo, vbi est: *Impleat Dominus omnes petitiones tuas.* Notat igitur solas petitiones cordis nostri, seu secundùm cor nostruoi; quæ solæ dici debent petitioues nostræ; nam petitiones carnis, à nobis alienæ censeri debent: illas, inquam, solas à Deo implendas & confirmandas; idque tantummodo Dauidem exoptasse. *Qui*, inquit Ambrosius, *secundùm cor, ait, non secundùm appetentiam carnis: & illas petitiones, inquit, quæ prodeunt ex intimo corde, confirmet; non quæ ex carnis huius illecebra & voluptatibus diriguntur.* Vtiliter igitur à Deo negantur, quæ à nobis inutiliter petuntur.

III. Idem fuit sensus sanctissimi Patriarchæ Iobi, de Deo loquentis: *Cùm, inquit, inuocantem exaudierit me, non credo, quòd audierit vocem meam.* Cap. 9. num. 16. Vbi planè videbitur alicui pugnantia B loquotus; dum & se exauditum dicit, & rursus se non auditum credit. Sed omnem pugnam tollit D. Thomas ibi, lect. 3. *Contingit*, inquit, *quòd Deus hominem exaudit, non ad votum, sed ad profectum. Sicut Medicus non exaudit infirmum ad votum, postulantem amouere medicinam amaram: exaudit tamen ad profectum; quia per hoc sanitatem inducit, quam maximè infirmus desiderat.* Itaque hæc negatio, concessio est: quia tam vtiliter malè petita negantur; quàm vtiliter bene petita conceduntur. Diuus Paulus ter Dominum rogauit, hoc est, interprete D. Chrysostomo ad eum locum, sæpè Dominum rogauit, vt discederet ab eo stimolus carnis suæ, Angelus Satanæ, qui eum colaphizabat: & tamen nunquàm impetrauit, dicente Domino: *Sufficit tibi gratia mea.* 2. Cor. 12. num. 9. An contemnebat Dominus suum Apostolum, cuius orationem non audiebat? Minimè profectò. Immò potiùs maiori virtute cumulabat. Vnde D. August. epist. 121. cap. 14. *Nonnullis*, inquit, *impatientibus Dominus Deus, quod petebant, concessit iratus: sicut contrà, Apostolo negauit propitius.* Quod Apostolus non ignorans, repulsam modeste tulit. Immò alacriùs & festiuiùs exultauit, repulsam passus; quàm si voti sui compos redderetur, dicens: *Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.* Quasi diceret, inquit Chrysostomus hom. 30. in Gen. *Non solùm posteà liberari non requiro: sed etiam magna voluptate gloriabor in illis.* Et paulò antè: *Nam, cùm Deus, inquit, aliquid nobis negat; non minùs est, quàm si concessisset.*

D. Thom. Deus non exaudit ad votum, sed ad profectum.

D. Chrys.

D. August. In Deo aliquando concedere, ira est; negare, misericordia.

D. Chrys. Negatio aliquando non minus est, quàm concessio.

IV. Filius quidem, si à patre petierit panem, aut piscem, quo nutriatur; sine dubio impetrabit, vt ex parabola Christi Domini, Matth. 7. n. 10. satis constat. An verò, addit ibi D. Chrysostomus hom. 24. si petierit lapidem, quo lædatur; aut scorpionem, à quo mordeatur, obtinebit? Absit planè: vel eo tantùm nomine, quia filius est. Tantùm enim abest, vt parentis amor erga filium impellat ad concedendum, quod malè petitur; vt potiùs vrgeat ad negandum. Quis ergo putet, se à filiis Dei exclusum esse, quòd malè petendo, repulsam patiatur? Immò potiùs hinc speret, se inter filios Dei conscribendum; quòd eius inutilis postulatio frustretur. Sic enim D. Chrysostomus, *Etsi filius, inquit, sis; non tamen tibi sufficit, ad omne quod poposceris, impetrandum. Sed hoc ipsum est, quod obstat, quò minus accipias: quòd, cùm sis filius Dei, ea, quæ tibi non expediunt, deprecaris.* Ex filiis erant, & quidem intimis, Iacobus & Ioannes, non solùm in duodenarium Apostolorum numerum conscripti; sed etiam in ternarium illum, quem Christus Dominus cæteris anteposuit, selecti. Et

D. Chrys.

Parentis amor ad negandum vrget malè petita.

A tamen primarias sedes ad dexteram & ad sinistram in regno Christi Domini postulantes, audierunt: *Nescitis quid petatis.* Matth. 20. n. 22. Vbi Auctor Operis imperfecti, obseruans solos improbos ad sinistram Christi Domini in extremo Iudicio relegandos; rectè colligit, quanto iure de ignorantia notati fuerint, quòd etiam sinistrum locum postularint: *Nescitis, quid petatis.* Quasi diceret, inquit: *Ego vos vocaui ad partem dexteram de sinistra: & vos vestro consilio curritis ad sinistram.* Nescitis. Quid enim stultius esse potest, quàm nitentem ad summam felicitatem, sua sponte in extremam calamitatem præcipitari? Dum igitur Christus Dominus, quod tam malè petebatur, denegauit; quis dubitet non ex inuidentia, B sed ex beneuolentia processisse? Amatur quidem, vt filius; cui venenum, seu nocumentum, quod petit, denegatur.

Auct. Imp. Homines malum eligunt, & à Deo ad bonum reuocantur.

V. Christo Domino humanos affectus exprimenti, & calicem mortis suæ deprecanti, non annuit æternus Parens: sed potiùs integrum calicem propinauit. Luc. 22. num. 43. Non, quòd vlla tunc esset inter Patrem & Filium dissensio: sed, quòd futura pugna inter Deum & homines repræsentaretur: quibus tamen indulgentior blanditur, cùm inutilia postulantibus refragatur. Ita mihi videtur D. Leo serm. 5. De passione, totum hunc locum declarasse: *Demonstratum*, inquit, *est, quid possit à trepidante orari; & quid non debeat à medente concedi. Quia enim nos, quid oremus, sicut oportet, nescimus; & vtile nobis est, ne fiat plerunque, quod* C *volumus: Deus iustus & bonus, quando ea, quæ nocitura sunt, petuntur; negando miseretur.* Interrogarunt olim Apostoli Christum Dominum in cælum ascensurum: *Si in tempore hoc, restitues regnum Israël?* Act. 1. num. 6. Quid verò Dominus? *Non est vestrùm*, inquit, *nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* Ibidem, num. 7. Sed, quæ fuit, dicet aliquis, hæc excusatio? An Christus Dominus non sciebat, quia omnia dedit ei Pater in manus? Ioan 13. num. 3. Et quia data illi erat omnis potestas in cælo & in terra? Matth. vlt. num. 18. Quid ergo recurrit ad Patris potestatem; ac si ille eandem non haberet? D. Chrysostomus hom. 2. in Acta, optima similitudine rem D declarat: *Quemadmodum*, inquit, *cùm videmus infantem plorantem, semperque cupientem aliquid à nobis accipere, quo nihil illi opus est: tunc occultato, quod concupiscit; ostendimus illi manus vacuas, dicentes: Ecce non habemus. Itidem & ille fecit Apostolis.* Sic ille. Vt igitur nemo negabit, misericordem patrem, qui gladium abscondit, ne postulanti filio concedat: ita nemo dicet, Christum Dominum inexorabilem, cùm suam potestatem dissimulat; ne dare, quæ non prosunt, compellatur.

D. Leo. Deus tùm blanditur, cùm inutilia postulantibus refragatur.

D. Chrys. Christus cùm suam dissimulat potestatē, dissimulat in bonum.

Apta similitudine res explicatur.

VI. Sed quid est, quòd Christus Dominus statim, *Cùm hæc dixisset, videntibus illis, eleuatus est; & nubes suscepit eum ab oculis eorum?* Actor. 1. n. 9. Optimè D. Chrysostomus citatus: *Ne rursus, inquit, ipsum interrogarent, protinus assumptus est.* Et statim eaE dem similitudine pueri plorantis & postulantis, rem declarat. Nam, quemadmodum pater, si filius plorare & postulare pergat, proripit se, & abscondit; ne victus lacrymis, filio inutiliter postulanti, inutiliùs blandiatur: ita Christus Dominus, sciens Apostolos ab inutilibus precibus non desituros; protinùs ab eorum conspectu in cælum se recepit; ne diutiùs apud illos immoratus, importunis eorum precibus se exorari pateretur. Quæ fortasse causa fuit, cur Deus olim Mariam Aaronis sororem lepra puniturus, quàm primùm se ab illis proripuerit; iuxta illud: *Iratusque*

D. Chrys. Christus celeriter ascendit in cælum, ne ab inutilibus precibus exoraretur.

Deus aliquando se abscondit, ne inutilia concedat.

tùsque contra eos abiit. Num. 12. num. 9. Sciebat enim, Moysen pro Maria inutiliter precaturum. Ne igitur Moysis precibus inutilia petentis vinceretur; ab illius se conspectu quàm citissimè auertit. Tandem, cùm olim Christum Dominum Cruci affixum Iudæi precarentur, dicentes: *Si filius Dei es, descende de Cruce.* Matth. 27. num. 40. Immò & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & seniores, ad postulata adderent promissa, dicentes: *Descendat de Cruce, & credemus ei.* Ibidem, num. 41. Nihilominùs Christus non descendit: sed in Cruce vsque ad mortem perseuerauit. Cur, quæso, eorum votis non satisfecit? Iam verò, si Iudæorum fidem tanto pretio emptam requirebat; cur eam tunc gratis oblatam non acceptabat? D. Bern. serm. 1. in die sancto Paschæ, plures rationes accumulat, quæ omnes præsens institutum confirmant: nimirum, quòd malè à Iudæis petebatur, bene à Christo Domino negari. Primò, ne inconstantiæ exemplum posteris relinqueretur: *Cùm*, inquit, *saluus esse non poterit; nisi qui perseuerauerit vsque in finem: quantò minùs poterit esse Saluator?* Et statim in Diabolum inuehens: *Nouit*, inquit, *inique, quid cogites. Non tibi dabis occasionem surripiendæ nobis perseuerantiæ, quæ sola coronatur. Non faciet obmutescere Prædicatorum linguas, consolantium pusillanimes, & dicentium singulis: Tu locum tuum ne deseras. Quod sine dubio sequeretur: si respondere possent: quia Christus suum deseruit.* Hæc ille. Vbi plura in hanc sententiam. Secundò, ne illa ipsa, quam promittebant, fides destrueretur. *Eò quippe*, inquit, *tendebat malitiosa suasio; non vt ipsi crederent: sed nostra quoque, si qua erat fides in eum, omnimodis deperiret. Legentes enim: Dei perfecta sunt opera.* Deuter. 32. num. 4. *quando faterentur Deum, qui salutis opus reliquisset imperfectum?* Itaque, quod Iudæi malè petebant, Christus Dominus vtiliter denegabat. Vtinam illi tantum beneficium agnoscerent; & iis, quibus oportebat, obsequiis rependere conarentur.

D. Bern. *Ideò Christus de Cruce non descendit, quia id malè à Iudæis postulabatur.*

Christus Dominus constantiæ exemplum.

Christus Dominus fidei propugnaculum.

SECTIO II.

Quæ malè postulantur, aliquando à Deo in postulantium pœnam, conceduntur.

I. *Malè petita concedi maioris iracundiæ signum.*

HÆc assertio, quæ huius Annotationis caput est, satis confirmatur Saülis exemplo: quem Iudæi malè petentes; in suam perniciem & exitium, ab offenso Numine impetrarunt. Sed, vt altiùs ordiamur, aliis interim exemplis illustretur. Olim Israelitæ delicatissimè fastidiosi ad cælestes epulas nauseabant; & Ægyptias carnes appetebant. Ecce tibi voti compotes à Deo efficiuntur: non tam vt vana desideria satient; quam vt merita supplicia luant. Nam *adhuc escæ eorum*, inquit Dauid, *erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos: & occidit pingues eorum, & electos Israël impediuit.* Psal. 77. à num. 30. In quem locum D. Greg. lib. 15. Moral. cap. 12. *Maioris*, inquit, *iracundiæ est, cùm hoc tribuitur, quod malè desideratur.* Et statim obseruat, hos pessimos oratores, quò citiùs impetrarant, eò citiùs punitos. Quod optima similitudine declarat. Nam, *Et arbusta*, inquit, *quæ tardiùs crescunt; annosâ perdurant: & quæ in temporis breuitate proficiunt; celeriùs arescunt: & quasi cùm festinant ad esse; tendunt ad non esse.* Ita ille. Non aliter & qui sua mala desideria citiùs explent; sua merita supplicia celeriùs patiuntur.

D. Greg.

Optima similitudine res exprimitur.

II. *Misit Deus exploratores in Palæstinam in malum postulantium Hebræorum.*

Cùm olim Hebræi non procul abessent à terræ Promissionis ingressu, accesserunt ad Moysen dicentes: *Mittamus viros, qui considerent terram: & renuntient, per quod iter debeamus ascendere; & ad quas pergere ciuitates.* Deut. 1. num. 22. Qua in re iniquissimè postularunt: vtpote de diuinis promissionibus dubitantes, ac de diuina prouidentia diffidentes. Sed quid ad Moysen Dominus? *Mitte*, inquit, *viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filiis Israel.* Num. 13. num. 3. Quorsum verò Deus malè postulantibus acquieuit? Lyranus, *Fuit*, inquit, *permissio ad malum populi malè petentis. Sciebat enim Dominus, quòd per exploratores deciperentur.* Et planè ita fuit. Nam regressi exploratores, cæteros Hebræos, fictis mendaciis, ad rebellionem impulerunt. Hebræi verò contra Moysen rebellantes, Deum ad magna supplicia prouocarunt. Ita vt cùm in secundo anno ab exitu de Ægypto, terram Promissionis attingerent; subitò à Deo in solitudinem refunderentur; omnes in ea quadraginta annorum spatio morituri; vt Num. 14. à num. 33. habetur.

Lyran.

III. *Balaamo iniquè postulanti iter cum legatis Balac permittitur in pœnam.*

Postulauit olim à Deo Balaam, facultatem eundi cum Legatis Regis Balac, quò illi eum euocabant. Ad quem Dominus: *Noli*, inquit, *ire cum eis.* Num. 22. num. 12. Sed, cùm iterum importunus eandem precem iteraret: *Surge*, inquit Dominus, *& vade cum eis.* Ibidem, num. 20. Cur, quæso, Dominus, quod paulò antè negauerat, concedit? Aptè ad rem præsentem D. Anastasius Nicenus quæst. 32. in sacram Scripturam, *Quod*, inquit, *sæpè solet fieri à Medicis; qui nonnunquàm iubent abstinere à cibis noxiis: cùm autem ad eos propensi sunt ægroti, & quodammodo vim afferunt Medico, vt eis permittat sumere; tunc Medicus, vt qui semel non sit auditus, irascens permittit: scit enim, eos nolle corrigi. Hoc autem faciebat Deus, vt ita dicam, irascens.* Ita ille. Sic igitur Balaamo, tanquàm phrenetico venenum postulanti, venenum à Deo in sceleris supplicium propinatur. Illa enim ad Regem profectio, fuit misero Balaamo in multa scelera & infortunia prolapsio.

D. Anast.

IV. *Deus in Dæmonis supplicium permisit tentari Iobū.*

Cæterùm & humanus hostis à Deo aliquando postulauit facultatem offendendi Iobum: *Extende*, inquit, *paululum manum tuam, & tange cuncta, quæ possidet.* Iob. 1. num. 11. Quam Dominus libenter concessit: *Ecce*, inquit, *vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt.* Ibidem, num. 12. Immò Diabolo posteà in os & carnem Iobi facultatem postulanti; annuit Dominus, dicens: *Ecce in manu tua est.* Iob. 2. num. 6. Cur, obsecro, Deus tam liberalem se exhibuit erga hostem? Planè, quia sciebat, eam liberalitatem in supplicium Dæmonis euasuram. Vnde rectè D. August. tract. 6. in Epistol. Ioannis, in tomo 9. *Diabolus*, inquit, *petiit sanctum virum tentandum; & accepit. Exauditus est ad voluntatem, sed ad damnationem. Ideò enim concessus est iste tentandus, vt eo probato esset ille cruciandus.* Confert idem Diuus August. in Psalm. 85. hunc locum, in quo Diabolus impetrat, quod petit; cum illo, in quo Apostolus Deum precatus, repulsam patitur. 2. Corinth. 12. n. 9. Et subdit: *Exauditur Diabolus, & nō exauditur Apostolus. Exaudiuit eum, quem disponebat damnare: & nō exaudiuit eum, quem volebat saluare.* Quasi hæc repulsa Apostolo proficeret ad coronam: illa concessio Diabolo cederet ad maiorem cruciatum. Quam rem ibidem & in Psalm. 26. & lib. 5. contra Iulianum, cap. 3. & in epist. 121. De orando Deo, cap. 14. pluribus exemplis illustrat. Cui eius discipulus D. Prosper Aquitanicus lib. sententiarum, sent. 212. assentitur.

D. Aug.

Repulsa D. Pauli ei profecit ad coronam, Diabolo ad cruciatū.

Prosp.

Venio

V. Venio ad exemplum Saulis, quem Iudæi malè A
petierunt, & in suum proinde malum impetrarunt. ita docent communiter Interpretes, Diuus Greg. Dionysios, Lyra, & Abol. Ex quibus Lyra, *Talis*, inquit, *exauditio, magis est punitio*. Et Diuus Gregorius: *Petitus*, inquit, *Rex, conceditur pro vindicta*. Et paulò pòst: *Magna vindicta est, quando improba mens sic proicitur; vt, quod malè deliberat, agere permittatur*. Ad Interpretes multi ex Patribus addi possunt. Nam Origen. hom. 4. in Iudices: *Non semper*, inquit, *Princeps populi, & Ecclesiæ Iudex per Dei arbitrium datur: sed, prout merita nostra deposcunt. Si mali sunt actus nostri, & operamur malignum in conspectu Domini; dantur nobis Principes secundùm cor nostrum*. Et statim rem confirmat ex illo oraculo: *Ipsi regnauerunt, & non ex* B
me: Principes extiterunt, & non cognoui. Oseæ 8. num. 4. Quod de Saüle interpretatur: *Quem*, inquit, *ipse Dominus Regem fieri iusserat: sed quoniam non secundùm voluntatem Dei, sed secundùm peccatoris populi meritum fuerat electus; negat eum sua voluntate, vel consilio constitutum*. Idem Orig. lib. 9. in Epist. ad Roman. paulò post initium, ad illa verba ex cap. 12. *Quæ sit voluntas Dei*, &c. distinguit diuinam voluntatem beneplacentem & irascentem: *Dei quidem*, inquit, *voluntas semper bona est: sed non semper eius bona voluntate dispensari meremur, neque beneplacita & perfecta. V.g. vt vngeretur Saul in Regem; fuit quidem voluntas Dei, sed non beneplacita, neque perfecta: irascens enim populo, qui refutauerat, Deum habere super se Re-* C
gem, Regem eis hominem iussit institui.

D. Greg. Dionys. Lyran. Abul.

Saul Rex à Deo constituitur in vindictam Iudæorum.

Orig.

Confirmatur ex Osea.

Orig.

Duplex Dei voluntas, beneplacens & irascens.

VI. Diuus August. in Psalm. 51. sub initium: *Saül*, inquit, *Rex, non ad permanendum electus est à Domino, sed secundùm populi cor durum, & malum, datus ad eorum correptionem, non ad vtilitatem: secundùm illam sententiam: qui regnare fecit hominem hypocritam, propter peruersitatem populi*. Iob. 34. num. 30. Idem August. lib. 5. contra Iulianum, cap. 3. vocat Saülem *pœnam peccantium*: hoc est, datum in pœnam iis, qui Samuelem contempserant, & Regem postularunt. D. Cyprianus epist. 58. ad Rogatianum, loquutus de peccato populi, Samuelem contemnentis: *Vt hoc*, inquit, *vlcisceretur Dominus, excitauit eis Saül Regem, qui eos iniuriis grauibus affligeret: & per omnes contumelias &* D
pœnas, superbum populum calcaret & premeret, vt contemptus Sacerdos de superbo populo vltione diuina vindicaretur. D. Basil. in c. 1. Isaiæ ad illa verba ex Num. 26. *Et restituam Iudices tuos*, &c. inquirens, cur potiùs Iudices, quàm Reges Iudæorum restituendi promittantur? Respondet, iudices quidem restituendos: *Quia Reipublicæ administratio per Iudices liberior fuit*. Nam populus ab humana seruitute exemptus *solum Deum agnoscebat Regem*. Intelligit autem, per Iudices restituendos, duodecim Apostolos, iudicaturos duodecim Tribus Israël. At verò Reges non esse restituendos: quia *Regũ*, inquit, *institutio, propria illorum temeritate, & consilij prudentis inopia successit*. Vbi, quamuis non exprimat, Regem à Deo datum, in pœnam po- E
puli malè postulantis: tamen satis id insinuat, dum asserit, à populo temerè & imprudenter fuisse institutum, & propterea auferendum à Deo, nec ampliùs restituendum: Iudices nihilominùs, quos Deus in bonum illius populi regimen instituerat, tandem reuocandos; cùm duodecim Apostoli sedebunt super sedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Israël. Sic Basilius de hac re philosophatur.

Saül datus Rex ad correptionem populi non vtilitatem.

D. August.

Saul pœna peccantium.

D. Cypr.

D. Basil.

Duodecim Apostoli iudices Tribuũ Israel.

VII. Sanctus Sixtus III. Pontifex Maximus in libro De diuitiis, longè ab initio, Bonum definit:

S. Sixtus.

A *Quod à Deo principium sumpserit*. Non bonum verò: *Cuius exordium non Dei dignatione, sed humana præsumptione censetur*. Ex exemplo rem ostendens: *Vt Rex*, inquit, *Israël, quem non tam Dei voluntas, quam populi prauitate legimus ordinatum*. Vbi etiam significat, malè petitum Regem in malè petentis populi vindictam diuinitùs concessum. Clemens Alexandrinus lib. 3. Pædagogi, cap. 4. *Per Samuelem*, inquit, *Prophetam verbum protestans, petenti Regem populo, non humanum pollicetur Dominum; sed quendam insolentem minatur tyrannum, libidini & voluptati deditum*. Tyrannum autem, si non in potestate, saltem in vsu potestatis, quis dubitet in vindictam populi institutum? Clamat olim Deus, *Dabo*, inquit, *tibi Regem in furore meo,*
B *& auferam in indignatione mea*. Oseæ 13. num. 11. Quem locum licet alij de aliis Regibus Israël interpretentur: tamen Rupertus mihi videtur ad literam de Saüle interpretari. Quem Deus Regem dedit in furore suo; vt populum iniustè postulantem, iustissimè puniret: & abstulit in indignatione sua; vt de ipso iniquo punitore, æquissimè vlcisceretur. Vnde D. Hieronymus addit, pessimos Reges malè petentibus in furore datos: *Non, quòd Dominus*, inquit, *tales eos voluerit habere Reges: sed quòd dimiserit eos voluntatibus suis, vt comedentes & incrassati carnibus nausearent, & euomerent per nares suas; & odisse inciperent eos; quos tanto studio sequebantur*.

Boni & non boni definitio S. Sixti.

Clemens.

Saul populi Tyrannus in vindictam

D. Hier.

Deus iratus Saülem Regẽ fecit, vt puniret malè postulantes.

VIII. Nec mirum, Reges Israël datos à Deo in pœ-
C nam populi: cùm de aliis quoque Regibus Patres vniuersaliùs loquantur; idque pariter testentur. Permittuntur enim à Deo etiam in aliis populis fieri mali Reges; vt sub iis mali subditi puniantur. D. Irenæus lib. 5. c. 24. *Cuius*, inquit, *iussu homines nascuntur: huius iussu & Reges constituuntur; apti his qui in illo tempore ab ipsis regnantur. Quidam enim illorum ad correctionem & vtilitatem subiectorum dantur, & conseruationem iustitiæ. Quidam autem ad timorem & pœnam & increpationem. Quidam autem ad illusionem & contumeliam & superbiam*. D. Greg. lib. 25. Moral. c. 14. aliàs 20. expendens illud: *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*. Iob. 34. num. 30. illum hypocritam interpretatur Antichristum; *qui sanctitatem simulat, vt ad iniquitatem trahat*. Et statim
D ad rem præsentem, *Nullus*, inquit, *qui talem rectorem patitur, eum, quem patitur, accuset: quia, nimirum, sui fuit meriti peruersi rectoris subiacere ditioni. Culpã ergo proprij magis accuset operis, quam iniustitiam gubernantis*. In quam sententiam latè spatiatur D. Isidorus Hispalensis lib. 3. sententiar. cap. 48. ex verbis Apostoli: *Non est potestas, nisi à Deo*. Rom. 13. num. 1. rectè colligit, bonam malámque potestatem à Deo ordinari. *Sed bonam*, inquit, *propitio, malam irato*. Et vlteriùs pergens: *Reges*, inquit, *quando boni sunt, muneris est Dei; quando vero mali, sceleris est populi: secundùm enim meritum plebium disponitur vita rectorum*. Quod probans ex Iobo & Osea citatis, concludit: *Irascente Deo, ta-*
E *lem rectorem populi suscipiunt, qualem pro peccato merentur*.

D. Irenæus.

Reges à Deo in pœnam, vel vtilitatem constituuntur.

D. Greg.

Antichristus hypocrita.

D. Isid.

Bona & mala potestas à Deo ordinatur: bona in bonum, mala in malum.

IX. Rupertus lib. 1. De victoria Verbi, cap. 24. expendens illud Dei Oraculum ad Pharaonem: *Idcircò posui te, vt ostendã in te fortitudinẽ meam*. Exod. 9. n. 16. rectè aduertit, à Deo non fieri, vt quis sit malus; sed aliquando fieri, vt qui malus est, fiat Rex. *Hoc audiens*, inquit, *fidelis animus*, (scilicet, malum Regem à Deo propositum) *non suspicatur; quòd eundem Pharaonem malum esse voluerit, vel malum esse fecerit Deus. Sed ita intelligit, ac si diceret: Regem feci, vel esse volui te. Longè enim aliud est*,

Rupertus

Deum nõ permittit malum fieri, sed malũ fieri Regem.

est, fecisse hominem malum; & aliud, hominem, qui malus erat, excitasse, vel sublevasse in regnum. Quod malus est homo, à semetipso fit: quod autem, cum sit malus, in regnum ascendit; Dei ordinatione fit, aliquando propter probationem, vt manifesti fiant electi. Et quidem peccata populi malè eligentis, potissimum digna sunt, quæ per malum Regem electum puniantur. Vide D. Isidorus Pelusiota libro ptimo, epistola 35. *Qui temerè, inquit, ac sine indicio indignum hominem elegerunt, digni sunt, qui laborum suorum fructus edant: vt qui virtutem contempserint, atque improbitatem ita perspicuam elegerint.* Igitur Hebræi sibi ipsis tortores excitarunt, & suam in eligendo Rege temeritatem per ipsum Regem electum vindicarunt.

Qui malè eligunt, ipsa electione puniuntur. D. Isidor.

X. Sed, quanta fuerit hæc vindicta, nemo mihi videtur meliùs, quàm Dauid exaggerasse. Nam loquutus de Moyse & Aarone & Samuele, subdit: *Deus, tu propitius fuisti eis: & vlciscens in omnes adinuentiones eorum,* Psalm. 98. num. 8. Vbi prior versiculi pars satis est perspicua: quasi diceret: Tuam erga eos beneuolentiam semper ostendisti. Posterior aliquantulum subobscurior. Nam illæ adinuentiones, seu rebelliones, seu peccata eorum, intelligi possunt; vel actiuè, hoc est, peccata, quæ ipsi committebant; vel passiuè, hoc est, peccata, quæ à subditis contra ipsos committebantur. Priori modo, licèt minus ad rem præsentem, explicat D. Augustinus, asseritque, Deum propitium, pariter & punitorem se illis præstitisse: immò in nulla re magis, quàm in punitione suam erga eos beneuolentiam manifestasse: vt eos per temporales pœnas ab omni culparum macula expiaret. Quòd si à Diuo Augustino quæras, quænam fuerit culpa & pœna Moysis, Aaronis & Samuelis? Respondet, Moysen quidem, & Aaronem, propter illam suam diffidentiam, in aqua de petra educenda, damnatos fuisse ad mortem, ante ingressum terræ Promissionis, subeundam; vt ex Num. 20. num. 11. palam est. Samuelem autem propter occultam aliquam sui muneris negligentiam punitum fuisse ad vitam inter malos homines transigendam. Itaque illi duo ad oppetendam mortem; hic tertius ad vitam inter malos ducendam, condemnatur: & quidem pari supplicio: cùm sub eodem verbo, *Vlciscens*, proponatur; quasi non minor pœna fuerit, in mortem dari, quàm in vita inter malos retineri.

Deus in nullare magis, quàm in punitione, suã erga iustos beneuolentiã manifestat.

D. August.

Non minor pœna mori, quàm inter malos viuere.

XI. Posteriori accommodatè iam ad præsens institutum, explicant Theodoretus, Euthymius & Genebrardus. Dicuntque, Deum acerrimum fuisse vltorem omnium iniuriarum, quas Hebræi contra Moysen, Aaronem & Samuelem commiserunt. Et quidem adinuentiones, seu machinationes Hebræorum contra Moysen & Aaronem excitatæ, satis punitæ sunt, cùm Dathan & Abiron, eorumque sectatores, terra dehiscente hausti, viuique ad inferos descenderunt. Num. 16. à num. 31. machinationes verò Hebræorum contra Samuelem, eum de suo munere repellentium, & nouum potiùs Regem cooptantium, hoc loco puniuntur, cùm improbi machinatores sub tyrannide Saulis coërcentur: vt paulò superiùs ex Diuo Cypriano, aliisque Patribus ostendimus. Vbi vides, æqualiter punitos fuisse eos, qui Samuelem abiecerunt: & qui in Moysen & Aaronem rebellarunt. Nam Dauid æqualiter loquitur de omnibus, dicens: *Vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Et tamen illi ad inferos, hi in tyrannidem Saulis dati sunt. Quasi non esset minor pœna sub impio tyranno coërceri, quàm sub gehennalibus flammis cruciari. Itaque grauissimas pœnas

Theod. Euth. Genebr. *Æqualis pœna apud Orcũ cruciari, & sub impio Tyranno coërceri.*

loctuut Israelitæ, cùm Regem, quem tam auidè desiderabant, impetrarunt.

Neque nouum est, malos subditos per malos Principes à Deo puniri; vt ex dictis patet: & seorsim testatur Diuus Anastasius Nic. quæst. 15. in sacram Scripturam: *Euidens, inquit, est, quòd ex Principibus & Regibus alij quidem à Deo præficiuntur, tanquam digni eo honore: alij autem rursus cùm sint indigni, Dei permissione, aut voluntate; populo digno eorum indignitate.* Quod statim duplici confirmat exemplo. Vno, quia, cùm olim Phocas tyrannus deseuiret in innocentes, & quidam Monachus Constantinopolitanus cum Deo expostularet, dicens: *Cur, Domine, eum fecisti Imperatorem?* Responsum è cœlo est: *Quoniam non inueni peiorem.* Quasi Deus ad pessimam Rempublicam puniendam, pessimum Principem inquisierit: & cùm post multum inquirendi laborem peiorem Phoca hominem non inuenerit, tandem Phocam impetio donarit, qui superbissimos subditos despicatissimè tractando coërceret. Altero, quia, cùm aliquando Monachus quidam hypocrita, Angeli monitu cuiusdam corruptissimæ ciuitatis Episcopus crearetur, illéque ex nouo honore insolentior superbiret; rediens ad eum Angelus: *Cur, inquit, superbis, & magnifice tibi places, ò infelix? Non es creatus Episcopus, quòd dignus sacerdotio sis; sed quòd ciuitas talis tali digna erat Episcopo.* Ac, si non episcopalis dignitas ad honorandum improbum Præsulem; sed improbus Præsul ad castigandam improbam vrbem pertineret. Consule Pinedam, Iob. 34. num. 30. & Lorinum Ecclesiastes 10. num. 5. plura de hac re accumulantes.

XII. D. Anast. *Malis subditis per malos Principes punivntur.*

Tyrãni Phocæ firmatur exemplo, primò.

Confirmatur secundò Monachi cuiusdam euentu.

ANNOTATIO XXXIV.

CIRCA LITERAM.

Cur dicatur non Samuel, sed Deus ipse à populo abiectus.



I. Causa non est, quòd solus Deus abiectus fuerit: nam re vera & ipse Samuel abiectus est; vt in Litera ostendimus. Sed alia duplex. Vna, vt ostendatur, quanta culpa fuerit, abiecisse, vel contempsisse Samuelem: tanta nimirum, vt qui hunc contempserint, Deum contempsisse viderentur. Altera, vt magnum haberet Samuel in sua iniuria solatium, videns ipsum Deum contumeliosiùs abiectum: suæ namque sensum iniuriæ prorsus amitteret, qui diuinæ mœrore tangeretur. Vtranque rationem num. 7. & 8. literaliter explicatam, nunc ad mores paulò fusiùs illustrabo.

Duo mysticè proponuntur illustranda.

SECTIO I.

Prælatorum contemptores Deum contemnunt.

II. Pater in Samuele, quem Iudæi contemnentes, Deum contempserunt. Quod dupliciter intelligi potest. Primò, dispositiuè; ita vt, qui Prælatos suos cõtemnunt, ad Deum contemnendum paulatim disponantur. Secundò, concomitanter;

Dupliciter intelligitur, Deum contemnere, qui Prælatum contemnit.

D.Chryſ.

tanter; ita vt in ipſo Prælato contempto, ipſum quoque Deum contemnere iudicentur. Priorem ſenſum exprimere mihi videntur nonnulli Patres. Diuus Chryſ. hom.2. in poſteriorem ad Timoth. circa medium, Dei & Prælati cauſam ita coniunctam eſſe dicit, vt, qui Prælatum contemnit, ad Deum contemnendum facilè inducatur: *Qui honorat*, inquit, *Sacerdotem, Deum quoque honorat: qui verò Sacerdotem ſpernit, ad id ſenſim prolabitur; vt in Deum ipſum contumelioſus euadat.* Et ſtatim exemplis, ex cap. 14. & 16. & aliunde paſſim collectis, rem illuſtrat: *Hinc*, inquit, *Iudæi Deum ſpernere didicerunt; quia Moyſen contempſere: quia lapidibus illum impetebant.* Non aliter & D.

Qui Prælatū contemnit, diſpoſitiue ad Deum contemnendum inducitur.

D. Cypr.

Cyprianus in epiſtol. 66. ad Florentium, ex Prælatorum contemptu diuinum contemptum prouenire arbitratur: *Vnde*, inquit, *ſchiſmata & hæreſes obortæ ſunt, & oriuntur? Dum Epiſcopus, qui vnus eſt, & Eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur: & homo dignatione Dei honeratus, indignus hominibus iudicatur.* Quod iam in epiſt. 18. ad Cornelium de Hæreticis inculcauerat. *Neque enim*, inquit, *aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata; quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur. Nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex, vice Chriſti cogitatur.* Et rurſum in ſerm. De zelo & liuore, *Ad hæreſes*, inquit, *proſilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Epiſcopis inuidetur.*

Ex hoc fonte oriuntur hæreſes.

III. *Ex illo etiam manat idololatria.*

Immò & in idololatriam, quæ eſt extremum perfidiæ malum, & ſupremus Dei contemptus, C Prælatorum ſuorum contemptores deuoluuntur. Sic olim populus Iſraël ad Aaronem, *Fac*, inquit, *nobis Deos, qui nos præcedant.* Exod. 32. num. 1. Vnde vobis, ô Hebræi, hæc inſania; vt verum Deum contemnatis, & falſos adorandos poſtuletis? Planè, quia ſuum Prælatum contempſerunt, dicentes per ludibrium: *Moyſi huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Neque enim dixerunt: *Huic viro*: quaſi illum coram mortuum, & in feretro per aëra deportatum demonſtrarent: vt nonnulli Rabbini ſomniarunt, quos Lyra & Abulenſis, & nouiſſimè noſter Cornelius impugnant: ſed quia de illo loquebantur, inquit Abulenſis, tanquam de viro ignoto, vel de quo multùm non curabant. Quaſi vnius Prælati D contemptus gradus eis fuerit ad Deum contemnendum.

Rabbinorum ſomnia explodantur.

Lyran. Abul. Cornel.

IV. Poſteriorem verò ſenſum alij Patres expreſſerunt; iuxta quos non eſt ſenſus duntaxat, quòd Prælati contemptor ad Deum contemnendum paulatim tendat: ſed, quòd in ipſo Prælato contempto Deum contemnere cenſeatur: *Non te*, inquit, *abiecerunt, ſed me.* Hoc eſt: Non te ſolùm, ſed me pariter tecum. *Vt oſtendat*, inquit D.Greg. *quia in perſona electi Præſulis, ipſe ſuis ſubiectis præmineat. Ergo quàm reuerendi ſint optimi Paſtores ſanctæ Eccleſiæ, liquet. Ecce enim, dum fideliter Deo ſeruiunt, tanto ei amoris vinculo coniunguntur; vt quidquid eis ingeritur, diuinæ iniuriæ adſcribatur.* D.Ignatius in epiſt. 6. ad Magneſianos, *Decet*, inquit, *& vos obedire Epiſcopo, & in nullo illi refragari. Terribile* E *nanque eſt tali contradicere. Nec enim hunc fallit, qui videtur: ſed inuiſibilem fallere nititur, qui non poteſt à quoquam falli. Nā, ſi id fit: non ad hominē, ſed ad Deū redit contumelia. Samueli nanque dicit Dominus: Non te ſpreuerunt, ſed me.* Tertull. lib. 4. contra Marcionem, c. 24. obſeruat, illam legem diuinam, qua Ammonites & Moabites prohibentur intrare Eccleſiam Domini in æternum. Deut. 23. n. 3. Sed quam ob culpam; niſi quia Dominum Eccleſiæ grauiter offenderunt? In quo autem illum offen-

In ipſo Prælato contempto, contemnitur Deus.

D.Gregor.

D.Ignat.

Tertul.

Argumentum Tertulliani à fortiori apponitur.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

A derint, declarat ipſe Dominus: *Quia noluerunt*, inquit, *vobis occurrere cum pane & aqua in via: quādo egreſſi eſtis de Ægypto.* Ibid. n. 4. Itaque offendentes populum Dei, Deum ipſius populi cenſentur offendiſſe: *Ergo inde*, ait Tert. *manaſſe cenſebis illud Chriſti Domini ad Apoſtolos ſuos: Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Luc. 10. n. 16. Et illud Dei ad Moyſen, vt ipſe legit, ſeu, vt legendum eſt, ad Samuelem: *Non te contempſerunt, ſed me.* Quaſi diceret: ſicut olim Ammonites & Moabites Dei populum contemnentes, Deum contemnebant: ita à fortiori, quicunque Dei miniſtros contemnunt, Deum ipſum contemnere cenſentur.

V. D.Cypr. *Qui fratrem contemnit, Deum contēnit, multò magis qui Sacerdotem.*

Diuus Cyprian. epiſtol. 18. citata, ex illis verbis Chriſti Domini: *Qui dixerit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Matth. 5. num. 23. rectè B argumentatur, quid tandem fiet de illo, qui non fratrem, ſed patrem, ſed Sacerdotem, ſed Prælatum contempſerit? *Quomodo*, inquit, *poſſunt, cenſuram Dei vltoris euadere, qui talia ingerunt, non ſolùm fratribus, ſed & Sacerdotibus, quibus honor tantus de Dei dignatione conceditur, vt in ipſis contemptis, Deus ipſe contemptus cenſeatur; iuxta hunc locum: Non te abiecerunt, ſed me?* At verò Diuus Cyrillus Alexandrin. lib. 10. in Ioann. cap. 36. *Apoſtolorum*, inquit, *vexatio in eum aſcendit, qui illos in Apoſtolatus apicem euexit. Sic enim etiam ad Samuelem de filiis Iſrael dictum eſſe didicimus. Non te*, inquit, *ſed me contempſerunt. Periculoſum igitur nimium eſt, conuenientem honorem Sanctis non attri*C*buere, cùm eorum contemptus in illum tranſeat, à quo miſſi ſunt.* Eleganter de hac re Saluianus lib. 8. De prouidentia, *Sacrilegij*, inquit, *genus eſt, Dei odiſſe cultores. Sicut enim, ſi ſeruos noſtros quiſpiā cædat; nos in ſeruorum noſtrorum cadit iniuria: & ſi à quoquam filius verberetur alienus; in ſupplicio filij pietas paterna torquetur. Ita & cùm ſeruus Dei à quocunque læditur, Maieſtas diuina violatur: dicente idipſum ad Apoſtolos ſuos Domino: Qui vos ſpernit, me ſpernit. Benigniſſimus ac piiſſimus Dominus communem ſibi cum ſeruis ſuis honorē ſimul, & contumeliam facit: ne quis, cùm læderet Dei ſeruum, hominem tantùm à ſe lædi arbitraretur; cùm abſque dubio iniuriis ſeruorum dominicorum, Dei admiſceatur iniuria.* Hæc ille. Vbi, quamuis de quolibet Dei ſeruo loquatur: tamen D à fortiori intelligendus eſt de illis; qui Dei vices in terra gerunt. Et eodem modo alij Patres, quos in Litera, Numer. 8. citauimus, loquuntur. Igitur Patrum teſtimoniis ſatis conſtat, Prælatorum contemptores, Deum pariter contemnere.

D.Cyril.

Iuſtorū contemptus trāſit in Deum.

Odiſſe iuſtos ſacrilegij genus: multò magis Prælatos.

VI. *Iniurias Prælate factas, Deo fieri, probatur variis Scripturæ locis.*

Nec pauciora ad id probandum ex ſacris Literis teſtimonia petuntur. Nam Chriſtus Dominus, *Qui vos*, inquit, *ſpernit, me ſpernit.* Matth. 10. n. 40. D.Petr. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.* Act. 5. n. 4. D.Paulus: *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit.* Rom. 13. num. 2. Moyſes ad populum: *Non contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominum.* Exod. 16. num. 8. in quibus locis iniuriæ Prælatis factæ, Deo fieri dicuntur. Dauid, *Adſtiterunt*, inquit, *Reges terræ, & Principes conuenerunt* E *in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.* Pſalm. 2. num. 2. Quem locum interpretatur Lyranus de perſequutione Eccleſiæ facta per Romanos Imperatores: qui, quoniam in Eccleſiæ Principes ſæuiebant, in Deum & Chriſtum Dominum ſæuire dicebantur. De cœlo clamauit Chriſtus Dominus: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Act. 9. n. 4. Vbi D.Bern. ſerm. 1. De cōuerſione Pauli, *An*, inquit, *non perſequebatur Chriſtum, qui Chriſti membra trucidabat in terris?* Cùm exploratores terræ Promiſſionis populum ad rebellionem concitarent: *Murmurati ſunt contra*

Saluian.

Lyran. *Eccleſiæ perſequutores, Dei perſequuntores.*

D.Bernard.

Moysen & Aaron cuncti filij Israël. Num. 14. n. 2. Et nihilominùs paulò inferius Deus ad Moysen: *Vsquequò*, inquit, *detrahet mihi populus iste?* Ibidem, num. 11. Nam, *Si Prælati*, inquit D. Chrysost. suprà citatus, *iniuriis afficiantur; hoc in se Deus ipse perpetitur.* Eodem in cap. n. 9. Iosue & Caleb populo contra Moysen tumultuanti dixerunt: *Nolite rebelles esse contra Dominum.* Reddit rationem Lyranus: *Quia*, inquit, *rebellando Moysi, Domino rebellabant.*

Eo quod Prælatis fiunt, Deo fieri censentur. D. Chrys. Lyran.

VII. Alloquutus Deus Ecclesiæ suæ Principes, *Qui*, inquit, *tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. 2. num. 8. Hoc est, interprete Theodoreto: Qui accesserit ad perniciem vibi vestræ inferendam, mei oculi pupillam lædet. Vbi vrbem seruorum suorum, pupillam oculi sui vocat. Quasi non solùm Prælatorum mentes & corpora; sed etiam domus & tecta in diuiorum oculorum pupillis præferantur. Et qui illos tangit, etiam in parte doloris experte; Deum in pupilla minimam punctionem grauitet sentiente, vulneratę iudicetur. Quod Saluianus lib. 8. De prouidentia, paulò ante citatus rectè obseruauit: *Ad exprimendam*, inquit, *teneritudinem pietatis suæ, teneriimam partem humani corporis nominauit: vt apertissimè intelligeremus, cum tam parua Sanctorum suorum contumelia ledi, quàm parui verberis tactu humani visus acies læderetur.* Hinc est, quòd par pœna Prælatum & Deum offendenti statuatur. Nam & Maria murmurans contra Moysen, & Ozias sacrilegium committens contra Deum, lepra percutiuntur. Num. 12. n. 10. & 2. Paralipom. 26. num. 19. Ac si vtraque par culpa esset; & proinde pari pœna coërcenda. Immò aliquando grauiùs Prælatorum, quàm ipsius Dei iniuriæ puniuntur. Nam, qui vitulum in deserto adorarunt, per Leuitas iugulati ceciderunt. Exod. 32. num. 27. At verò, qui contra Moysen & Aaronem murmurarunt; viui ad inferos descenderunt. Num. 16. n. 31. Quis non videt, quantò sit horribilius hoc supplicium, quàm illud? Quasi peccatum contra Prælatum grauius quodammodo, quàm peccatum contra ipsum Deum vindicetur.

Theod. *Qui tuisset lædit, pupillā Dei lædit.* Salu. *Quantùm Deus læditur, minimè tollerans contumelia.* *Peccatum in Deū & Prælatum, pari pœna vindicatur.*

VIII. Patienter tulit Christus Dominus se colaphis cædi, Matth. 26. n. 67. & nihilominùs passus non est, Regem Ieroboam, erigentem manum contra Prophetam: nam statim *exaruit manus, quam extenderat.* 3. Reg. 13. num. 4. D. Chrys. in cap. 4. Isaiæ præclarè circa hanc rem, licèt ad aliud institutum philosophatur: *Christus*, inquit, *cum ipse quidem in faciem colaphis cederetur; in feruum, qui colaphum impegerat, nihil durius fecit. Ieroboam verò, cum extenta manu conaretur apprehendere Prophetam, à quo coarguebatur; manus illi exaruit. Per hæc te erudiens; vt, quæ tibi ipsi inuehuntur, cum mansuetudine feras: quæ verò in Dominum ingeruntur, multa cum vehementia vlciscaris.* Ita ille. Nam, sicut Deus iniurias sibi factas obliuiscitur; & eas, quæ nobis fiunt, acriter vlciscitur: ita vult, vt nos iniuriarum, quæ nobis inferuntur, memoriam deponamus; at iniurias verò, quæ contra ipsum Deum perpetrantur, vlciscendas, alacriter inuolemus. Sed ad rem præsentem, grauiùs Deus Prophetæ iniurias, quàm suas vindicauit; quasi illas, quàm has acerbiùs pateretur. Quis ergo in suo Prælato Deum non agnoscat, & vltorem non reformidet?

Vt Deus nostras iniurias vlciscitur, ita nos Dei vlcisci debemus. D. Chrysost. *Deus grauius vnius Prophetæ iniuriam, quàm suam vindicauit.*

IX. De Moyse dicitur: *Scripsit in tabulis verba fœderis decem.* Exod. 34. n. 28. Et rursus dicitur de Domino: *Scripsitque in tabulis iuxta id, quod priùs scripserat, verba decem.* Deut. 10. n. 4. Vides, vt idem effectus nunc Moysi, nunc Domino tribuatur?

A Rectè quidem. Nam quidquid à Prælato prodit, à Deo creditur prodiisse. Vnde D. Aug. quæst. 15. in Deut. hæc duo loca concilians: *Certa*, inquit, *necessitate compellimur, non Moysen subaudire, sed Dominum.* Hoc est, sub Moysis nomine Dominum ipsum intelligere. Sic enim sub Prælati persona Deus ipse repræsentatur. De Iacobo ad moriendum vicino dicitur: *Adorauit Israel Dominum conuersus ad lectuli caput.* Gen. 47. n. 31. Quem locum transferens D. Paulus: *Adorauit*, inquit, *fastigium virgæ eius.* Hebr. 11. n. 21. Hoc est: Adorauit supremam Iosephi potestatē, seu ipsum Iosephum in ipso fastigio adumbratum. Itaque Iacobus modò dicitur adorasse Dominum, modò adorasse Iosephum: quia, adorando Principem, Deum

D. August. *Quidquid Prælatus efficit, efficit Deus.*

B quoque adorasse censebatur. Rebecca mittens filium suum Iacobum in Mesopotamiam, subdit: *Postea mittam & adducam te inde huc.* Genes. 27. n. 45. Et tamen posteà non Rebecca, sed ipse Dominus Iacobum reuocauit, dicens: *Reuertere in terram patrum tuorum.* Gen. 31. num. 3. Quasi quod à matrefamilias, seu à Principe domus statuitur, ab ipso Deo efficiatur. Testes contra Naboth in iudicium adducti, dixeruot: *Benedixit Naboth Deum & Regem.* 3. Reg. 21. num. 13. Satis erat Regem nominare, tamen Deum quoque nomioare voluerunt; quia non poterat maledictum sistere in Rege, quin etiam in ipsum Deum refunderetur. Impij *dixerunt Deo, Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Iob. 21. num. 14. At,

Eadem sententia vtrisque tribuitur & Deo. *Prælatorum imperia & iniuria, Dei etiam sunt.*

C quando tantam in insaniam proruperunt, vt à se ipsis Deum propulsarent? Respondet Lyranus: Quando viros sanctos, & optimos monitores à se ipsis repulerunt. Quasi, qui hos contemnat, Deum quoque contemnere censeatur. Sed interim de hac re satis, iam alibi illustrata, & aliis passim locis illustranda.

Lyran.

SECTIO II.

Magnum solatium, Deum in tribulatione socium habere.

I. Dixi in Litera cum Iosepho, Chrysostomo & aliis, illa Dei verba ad Samuelem: *Non te abiecerunt, sed me:* eò spectasse, vt tristem ac mœ-

D rentem Samuelem consolaretur. Neque enim afflicto maior consolatio esse potest, quā si Deum in afflictione socium sortiatur. Quod breuiter illustro. Deus se afflicto socium testatus, apud Dauidem, *Cum ipse*, inquit, *sum in tribulatione.* Psal. 90. n. 15. vbi Diuus Bernardus serm. 17. *Et ego aliud interim requiram, quàm tribulationem?* Quasi nulla sit tantæ tribulationis diritas, quam huius communionis suauitas non emolliat. Ad Spōsam diuinus Sponsus, *Veni*, inquit, *de Libano, sponsa: veni de Libano.* Cant. 4. n. 8. in Hebræo est: *Mecum de Libano, sponsa: mecum de Libano.* Quasi diceret: Nulla te asperitas viæ deterreat, quam tanta comitatus suauitas demulcet. Chaldæus legit: *Mecum habitabis letus Israël.* Sed, vbi hæc erit habita-

D. Bern. *Nullus est tantus labor, quem Dei societas non emolliat.*

E tio? Nempe, vel in termino: quasi sub tanto viæ comite, certissima in termino requies promittatur. Vel in ipsa via: quasi ipsum iter, etsi laboriosum; tameo sub tam dulci comitatu, non minùs suaue, quàm ipsum æternæ quietis habitaculum existimetur.

Nulla viarū asperitas Christo comite.

II. Christus Dominus suos discipulos inter opprobria & contumelias consolaturus, *Si patrem*, inquit, *familias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius?* Matth. 10. num. 25. Vbi D. Hilarius can. 10. *Omnia*, inquit, *iniuriarū & contumeliarum*

Nullū maius solatium, quā Christo passionibus adæquari. D. Hilar.

genera

genera nihil nos terreant: gloria loco potiùs amplectentes, si Domino nostro vel passionum conditionibus adæquemur. Quasi non minur consulatio sit, Deum in passione nostra socium habere; quam nos a Deo io glorificatiooe sua socius admitti. Paulò ante dixerat Christus Dominus: *Non est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum.* Vt hinc persuaderet, labures quantumuis maximos, nec discipulo cum magistro, nec seruo cum domino recusandus: sed ex tam dulci cunsortio facile exorbendos. Quem locum Tertul. lib. de bonu martyrij, aduersùs Gnusticos, capite 8. rectè expendens, *Cùm magister*, inquit, *& Dominus ipse perpessus sit persequutionem & traditionem & occisionem; multò magis serui & discipuli eandem expendere debebunt: ne quasi superiores exempti de iniquitate videantur; quando hoc ipsum sufficere eis ad gloriam debeat, æquari passionibus Domini & Magistri.* Hæc ille. Neque enim laboriusum esse poterat cum Christo pati; sed planè gloriosum. Sic & in vltima Cœna suos discipulos cunsulatus, *Si mundus*, inquit, *vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Si me persequuti sunt; & vos persequentur.* Ioan. 15. n. 18. & 20. In quem locum D. Aug. tract. 87. in Ioan. *Cur ergo*, inquit, *se membrum supra verticem extollit? Recusas esse in corpore; si non vis odium mundi sustinere cum capite.* Concinit Tert. lib. de fuga in persecutione, cap. 14. *Non potest*, inquit, *qui pati timet, eius esse, qui passus est.* Et statim hurtatur Martyres, ne in cruciatibus formident: *Habemus*, inquit, *ipsum, qui pro nobis erit, sicut loquuturus in interrogatione; ita iuuaturus in passione.* Quòd si omnia tormentorum genera videri debent facilia membris, si à suo capite adiuuentur; quid, si cum suo capite simul patiantur?

Non laboriosum, sed gloriosum, cum Christo pati.

Tert.

Qui pro Christo, & cum Christo pati timet, Christi non est.

D. August.

Tert.

III.

Discrimen inter Patriarcharum labores & Apostolorũ.

Obseruatione dignissimum est illud discrimen, quod Christus Duminus inter veterum Patriarcharum & Apustulurum labures interposuit: *Alij*, inquit, *laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Ioan. 4. n. 38. Nam veteres Patriarchas asserit, simpliciter laborasse: Apostolos verò non tam laborasse, quàm in Patriarcharum labores introisse. Sed quu pacto, dicet aliquis, ista congruunt? Nam Apostolorũ labores multò sine dubio grauiores & atrociores fuêre, quàm Patriarcharum. Quis enim ex tuta hominum memoria, tot persecutiunes, tot exilia, tot verbera, tot flammas, tot rotas, tot cruces, tot neces, tot tormentorum genera sustiouit, quot Apostoli sustinuêre? Nemo planè. Cur igitur dicuntur soli Patriarchæ laborasse? Apustoli verò in eorum labores duntaxat introisse? D. Chrys. hom. 38. in Ioan. sumit hoc discrimen à præsentia præmiurum. Nam veteres Patriarchæ, seminando; Apustoli autem, metendo, quodammodo laborarunt. Sicut autem satiũ longiùs abest à fructu, quã messis, ita Patriarcharum labores longiùs aberant à præmiis vitæ æternæ, quàm labores Apustulurum. Labores igitur Patriarcharum duros ac difficiles reddebat absentia præmiorum: at verò Apostolorum labures, quamuis multò grauiores & acerbiores fuerint; tamen ipsa præsentia præmiurum, leues ac penè nullos efficiebat. Optima quidem ratio. Non inficiot. Sed addu ad rem præseorem, Patriarcharum labores sine exemplu Christi Domini cum illis pariter laborantis, grauissimos & molestissimos fuisse: labures autem Apostolurum, Christu Dominu comitante, & cum illis simul patiente, leuissimos, immò iucundissimos effectos. Quare, qui suns inter labores Christum Dominum socium nun habent; simpliciter laborant, ne dicam, la-

D Chrys.

Apostolorum labores præsentia præmij leues: Patriarcharum absentia difficiles.

Apostolorum labores Christo comite leues, Patriarcharum difficiles.

boribus obruuntur: qui verò Christum Dominum secum laborantem intueotur; quantacunque laburibus se committant, laborare sibi nun videntur, sed exultare.

IV.

Deus etiam per somnia comes, dura quæque & aspera emollit.

Dormiens olim Iacobus, incubuit lapidi, quem vigilans oleo perunxit. Genes. 28. n. 18. At, quorsum oleum lapidi infudit? Credo, vt significaret, nun fuisse sibi illum cubitum durum & asperum; sed potiùs mollem & iucundum, in quo cum Deu familiariter somniaret. Quòd si Deus, vel per somnia tantùm socius, omnem laborum duritiem sic emullit, vt durum saxum blãdo oleo blandius efficiat: quid solatij in vigilia præsens, & in passiooe compatiens præstabit? Vnde Diuus Hierooymus in epist. 1. ad Heliodorum, alludens ad hunc locum; ita illum ad monasticæ vitæ tolerantiam adhurtatur: *Paupertatem*, inquit, *times? sed beatos Christus pauperes appellat. Labore terreris? At nemo Athleta sine sudore coronatur. De cibo cogitas? Sed fides famem non timet. Super nudam metuis humum exesa ieiuniis membra collidere? Sed Dominus tecum iacet.* Quasi diceret: Hæc vna Dei societas, vt cæteræ absint coosolationes; quidquid tibi laboriusum accidere potest, demulcebit. Laborum pundere fatigatus Salomon, vel Salomonis typo totus orbis, diuinam à Deo sapientiam, hoc est, Æternum Verbum incarnandum precabatur. At quorsum? An, vt eum laborum pondere releuaret? Immò potiùs, vt cum eo sub eodem pondere laboraret: *Mitte*, inqoit, *illam de cælis sanctis tuis; & à sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret.* Sap. 9. num. 10. Non postulauit à laboribus eximi, sed in laboribus cum Deo sociari: sperans, multò sibi iucundius futurum, laborare pariter cum Deo, quàm sine Deo ab omni laboris molestia vacare.

D. Hieron

Deus indiuiduus laborũ socius.

Iucundius cũ Deo laborare, quàm sine eo delectari.

V.

Cum Christo mori, viuere est, & coronari.

Felicem morientium cum Christo societatem expendens Diuus Paulus, *Si mortui*, inquit, *sumus cum Christo, credimus, quia simul etiam viuemus cum Christo.* Rom. 6. n. 8. Vbi Diuus Chrysostom. hom. 11. quærit, quandu conferenda sit hæc vita? Et respondet: *Etiam ante coronam*: Hoc est: Antequàm ad æternam vitam perueniatur. Quasi ipsum mori cum Christo, non sit mori, sed viuere; immò & coronari. Vnde statim subdit: *Magna quidem corona, communionem habere cum Domino.* Quis ergo murtem cum Christo reformidet; quam cùm subit, corunatur? Bene D. Ambr. lib. 2. De Abraham, cap. 7. *Exercitata*, inquit, *mens non aquilarum profert imagines, nec dracones: sed in Cruce Christi, & in Iesu nomine progreditur ad prælium; hoc signo fortis, hoc vexillo fidelis.* Vbi alludit ad morem Romanorum & Ægyptiorum, qui sub auspicio aquilarum & draconum, quus pro Diis adorabant, & in vexillis præferebant; audentes & libentes in prælia ferebantur. At verò Christiani, Christu Domino non sulum auspice, sed etiam comite, in omnia vitæ pericula audentiores ac libentiores deuouentur. Quasi nihil difficultatis percipiant, vbi cum Deo socio patiuntur. Cælestem Sponsum inuitabat sponsa ad quietem contemplatiunis, dicens: *Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Cant. 1. n. 16. Vbi nihil memorat, nisi pulchram ædium structuram; sub qua pacatè ac tranquillè contemplentur: sed statim ab sponsu inuitatur ad laborem passionis, dicente: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Cant. 2. n. 1. Quibus verbis non solùm ad campum inuitat; sed etiam in campo se esse demonstrat: certus non recusaturam Sponsam laborem campestrem, si speret, se inter laborandum Sponsi sui consortio fruituram.

D. Chrys.

D. Ambr.

Crux Christi vexillum, sub quo nullum periculum.

Labor non timetur, si adsit solatium sponsi.

VI. *D.Bern.*

A Ita planè hunc locum commentatur D. Bern. ser.47.in Cant.paulò superiùs in Litera,n.7. citatus. Et subdit: *Nec putas cælestis Sponsus, quidquam persuasibilius fore illi ad ineundum certamen; quàm si se ipsum certamis, aut exemplum proponat, aut præmium.* Præmiom enim erat, quia flos ad coronandum aptus: exemplum, quia flos campi, qui locus idoneus est ad præliandũ. Et statim; *Vtrũque es mihi, Domine Iesu; & speculum patiendi, & præmium patientis.* Seu, vt paulò antè dixerat: *Pugnantis forma, & gloria triumphantis. Tu doces manus meas ad prælium exemplo virtutis tuæ: in caput meum post victoriam tuæ coronas præsentia maiestatis: siue, quia pugnantem te specto: siue, quia te expecto non solum coronantem, sed etiam coronam: in vtroque mirabiliter tibi me allicis, vterque funis vehementissimus ad* B *trahendum.* Vbi vides tantam esse consolationem patientis cum Christo; vt consolationi regnantis cum Christo comparetur: nec auidior deuota mẽs ad societatem regni, quàm ad societatem Crucis alliciatur. Vnde idem Sponsus, vt laboraturam Sponsam consolaretur; non præmittebat ad laborem, sed trahebat: *Surge*, inquit, *propera, & veni.* Cant.2.num.10. Vnde D. Bern. serm.85. *Nec parum*, inquit, *confortat, quod audit: Veni, & non Vade: per hoc se intelligens, non tam mitti, quàm duci; & secum pariter Sponsum venturum. Quid enim difficile sibi, illo comite, reputet?* Quod duplici confirmat oraculo. Vno: *Pone me iuxta te: & cuiusuis manus pugnet contra me.* Iob.17.nom.2. Altero: *Si ambulauero in medio vmbra mortis; non timebo mala,* C *quoniam tu mecum es.* Psalm.22. oum.4. Nihil igitur tam arduum ac difficile occurrit; quod, Deo comite, suaue ac iucundum non reddatur.

Nullum efficacius ad certamen, quàm Christi certantis exemplum.

Non auidiùs ad societatē regni, quàm Crucis mens allicitur.

D. Bern.

Nihil tam arduũ, quod Christo comite non sit iucundum.

VII. *Deus in carcere Iosephi comes.*

Traditus est olim Iosephus in carcerem, Gen. 39.num.20. sed cum illo Deus pariter includitur, iuxta illud: *Descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit eum.* Sap.10. num.13. Quid effectum? Sub tanto comite nullam in carcere molestiam capiebat: immò voluptati non mediocri vacabat. Nam, vt bene Philo Iudæus lib. De Ioseph, *Iam locus*, inquit, *non tam erat carcer, quàm disciplinæ meditatorium.* Quasi ex ergastulo, vbi flagitia puniuntur; quoddam gymnasium efficeretur, in quo illi diuina Oracula panderentur. De D Socrate in carcerem incluso rectè aliquando Philosophus Seneca in consolatione ad Heluilam, *Carcerem*, inquit, *intrauit Socrates, ignominiam ipsi loco detracturus: neque enim poterat carcer videri, in quo Socrates erat.* Si igitur carcer, in quo Socrates erat, palatium reddebatur: carcer, in quo Iosephus vnà cum Deo tenebatur inclusus; quid, nisi Paradisus videretur? Vnde D.Cypr. lib.4. epistol. epist.1. ad Martyres, ex veteri editione, *O beatum*, inquit, *carcerem, quem illustrauit vestra præsentia! O tenebras Sole ipso lucidiores, vbi constituta sunt Dei templa!* Vbi non tam Martyrum, quàm ipsius Dei præsentia; nec tam illa Dei templa, quàm ipse Dominus templorum, ex misero loco beatum efficiebat. Nam reuerà & Christus Dominus in carcere cum Martyribus claudebatur; E iuxta illud: *In carcere eram*, &c. Matth.25.num.36. Ibique vnà cum Martyribus & pugnabat, & triumphabat; iuxta illud Diui Cypriani De duplici martyrio, si eius est illud Opus: *Christus*, inquit, *summus fuit Martyr, hodiéque pugnat & vincit in Martyribus.*

Philo.

D.Cypr.

Christus cum Martyribus vinctus carcerem efficiebat templum.

D.Cypr.

Christus Dominus & pugnat & patitur in Martyribus.

VIII. *Christo comite, catenæ in torques vertuntur aureos.*

Iam verò illa vincula Iosephi, in quibus eum Dominus non dereliquit; ferrea esse desierunt, & aurea facta sunt, iuxta illud: *Dissoluta sunt vincula brachiorum illius.* Genes. 49. n.24. seu, vt ex Hebræo transferri potest: *Deaurata sunt brachia* A *illius.* Vnde rectè concludit D. Cyprianus lib.3. epistolar. epist. 25. de Martyrum vinculis loquutus: *Ornamenta sunt ista, non vincula: nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam.* Quid autem ferrum in aurum, & ignominiosos compedes in gloriosos torques commutabat, nisi iucundissima illa societas cum Deo in carcere, quam Iosephus, & posteà cæteri Martyres habuerunt? Iosephi exemplo, diuina in carcere societate perfruentis, excitat Diuus Ambros. lib. De Ioseph, cap.5. reliquos iustos ad carceris iniurias perferendas: *Non turbentur*, inquit, *innocentes, cum falsis criminibus appetuntur. Visitat Deus & in carcere suos, & ideò ibi est plùs auxilij, vbi est plùs periculi. Sed, quid mirum, si visitat* B *Deus in carcere positos, qui se ipsum in suis in carcere inclusum memorauit? In carcere, inquit, eram, & non venistis ad me.* Matth. 25. nom.44. Quò non penetrat diuina misericordia? Si igitur infernus, vbi Christus adfuit, redditus fuit latrooi, cælestis Paradisus: quo Paradiso terrestri pulchriorem carcerem non efficiet singulare illud Christi Domini cum Martyribus consortium? Futuros pro Christo Martyres prædicturus Isaias, summum omnium Martyrem Christum Dominum præmittit: *Iustus*, inquit, *perit, & non est qui recogitet in corde suo.* Hoc est, Christus Dominus moritur: & nemo, vt par erat, tanti beneficij recordatur. Et statim de aliis Martyribus, *Et viri*, inquit, *misericordiæ colliguntur; quia non est, qui intelligat.* Isai. C 57. oum.1. Hoc est: Et alij pro Christo Martyres occiduntur; neque sancta eorum memoria pro meritis celebratur. Sed, cur post Christum Dominum alios Martyres commemorat? Tertul. lib.3. aduersùs Marc. cap.22. *Præmittens*, inquit, *passum Christum; æquè iustos eius eadem passuros, tam Apostolos, quàm & deinceps omnes fideles prophetauit.* Quasi prædicens fore vt à Christo tanquam à semine fœcundissimæ Martyrum segetes pullularent. Addo non immeritò Prophetam priùs Domini, quàm seruorum passionem commemorasse; vt ipsos seruos Dominum in passione non modò ducem, sed etiam socium habituros consolaretur. Quis enim de sua passione doleret, si suum secum Dominum patientem obseruaret? D Quis suos labores sentiret, qui secum & pro se dolentem Dominum videret? Quis martyrium recusaret, quod cum Domino martyrium subeonte pateretur? Lege de hac re Tertull. lib. ad Martyres. cap.1.2.& 3. vbi multa eleganter.

D.Cypr.

D.Ambr.

Vbi plus periculi, ibi Deus plus auxilij tribuit.

Deus præsentia sua infernũ efficit Paradisum.

Tertul.

A Christo Domino, vt à semine pullulat Martyrum seges.

IX. *Christus priùs se in passionibus memorat, vt se & ducem & socium habere, Martyrum sit solatium.*

Moysi gregem suum ad interiora deserti minanti, *Apparuit Dominus in flamma ignis de medio rubi.* Exod.3. n.2. Et rem clariùs explicans Philo Hebræus lib.1. De vita Moysis, *E medio*, inquit, *promicabat forma quædam pulcherrima, nulli visibili similis, diuinum simulacrum, luce fulgens clarissima, vt suspicari posset, Dei esse imaginem.* At, cur Deus inter flammas & spinas se præbet spectandum, qui potiùs inter gemmas & flores spectandus videretur? Credo, ne Moyses in periculorum incen- E dia, & in laborum dumeta se coniicere dubitaret, Deo ibi sine dubio fruiturus. Quæ fortasse causa fuit, vt alias interim omittam, quas Theod. quæst.7. in Exodum, assignat, cur illi Deus calceamenta de pedibus soluere imperarit. Exod. 3. num. 5. Quasi diceret: Gradere nudis pedibus per spinas, ad me inter spinas commorantem accessurus. Quidquid ibi laboris tibi contigerit, scias mihi priùs contigisse. Quidquid verò immunitatis mihi aduenerit; non dubites, tibi quoque aduenturum: par ad vtrumque conditio spectabit. Quod maius esse poterat, non dico ad

Theod.

currendum,

…par Deo & patientia condata. currendum, sed etiam ad volandum in medias flammas ac spinas incitamentum? Consule Philoneos citatum de hac re latiùs disserentem.

X. *Tres pueri inter flammas lęti, filij Dei præsentia solatio.*

Illi tres pueri inter Babylonicas flammas mira animorum serenitate vtebantur: nam, cùm verum sit Ouidianum illud:

Ouid. *Carmina proueniunt animo deducta sereno.*

Tull. Et illud Tullianum: *Est enim alumna pacis eloquentia, & latis ac tranquillis rebus effloreſcit.* Quò alludens D. Hieronymus in epist. 51. ad Theophilum, D. Hieron. *Optimè*, inquit, *nosti iuxta veterem sententiam, non esse tristem eloquentiam.* Cùm, inquam, poëtandi, eloquendique facultas, non, nisi ex animo sereno & læto oriatur; illi tantam animorum serenitatem ac lætitiam præferebant, vt lucubrandis orationibus, pangendisque carminibus vacarent. Credo, non aliam ob causam; nisi, quia inter ipsos tres pueros aderat ille quartus, *Similis Filio Dei.* Dan. 3. num. 92. qui eos sua præsentia inter labores consolabatur. Nam, vt bene Rupertus ad eum locum, Rup. *Christus Dominus Laurentio inter flammas præsens adfuit.* *Quando*, inquit, *non adfuit Dei Filius agonizantibus seruis suis propter ipsum? Nónne cum piis Martyribus Filius Dei, & in flammis & in cæteris agonibus semper præsens fuit? Num, quia Laurentius igne assatus super craticulam emisit spiritum; ideo illi Filius Dei absens fuit? Immo præsentior illi fuit; & gloriosius in eo triumphauit, quàm si excussisset carbones, & ignitam craticulam, quasi ventum roris flantem fecisset.*

XI. *Deus pariter cum Iustis onus subit.*

Fideles in lege noua, inquit Sophonias cap. 3. num. 9. *Seruient ei humero vno.* At, cur non humero vtroque? Planè, quia Deus pariter cum illis onus subit, & illis vnum humerum subiicientibus, ille subiicit & alterum, vt laborem cum illis partiatur. Quo sensu Issachar, Christi Domini typus, *supposuit humerum suum ad portandum.* Genes. 49. num. 15. vt alterum humerum supponeret Christianus, & sub eodem vterque iugo laboraret, seu ab alterius vterque consortio leuaretur. Patuit hoc mysterium in Christo & Cyrenæo, Crucem ad Caluariæ montem, vel simul, vel successiuè baiulantibus. Luc. 23. num. 26. *Christus & Cyrenaus, vterque crucis baiulator.* Ne deficeret Christianus suæ Crucis baiulator, tantum habiturus in suorum laborum pondere adiutorem. *Deus cum populo suo pariter seruit, & redimitur.* Deus olim ad captiuum populum: *Seruire*, inquit, *me fecistis in peccatis vestris.* Isai. 43. num. 24. Quia, scilicet, populo in captiuitatem abducto, pariter Deus cum illo Babyloniis seruiebat: vt seruituris molestias sibi cum populo communicatas magna ex parte releuaret. Vnde Dauid, *Redemisti*, inquit, *tibi ex Ægypto gentem & Deum eius.* 2. Reg. 7. num. 23. Nam, si Deus cum populo suo è seruitute redimitur; signum est cum populo suo seruituti pariter subiacuisse: vt dum ipse pro sua parte, seruitutis onus ferret; populum magno labore exoneraret.

XII. *Deus templum Dauidis noluit, vt inter labores cum suis versaretur.*

Recusauit Deus templum, cui se Dauid extruendo offerebat. 2. Reg. 7. à num. 5. Et nihilominùs libenter accepit, quod Salomon ædificauit. 3. Reg. 6. à n. 1. Credo, quia sub Dauide bellatore nemo fixam ac tranquillam domum incolebat; sed omnes in tabernaculis & tentoriis habitabant: at verò sub Salomone pacifico, sua quisque domo pacificè fruebatur. Deus autem sicut cum populo quiescente, quiescere voluit: ita cum vagante ac peregrinante, vagari voluit, ac peregrinari, vt eius molestias præsens ac familiaris socius temperaret. Quod mihi videtur significasse ipse Deus, cùm templum Dauidicum recusauit, subdens: *Neque enim habitaui in domo, ex die illa, qua eduxi filios Israël de terra Ægypti, vsque in diem hanc: sed ambulabam in tabernaculo & in tentorio*, &c. 2. Reg. 7. num. 6. Quasi diceret: Non accipio domum, populo meo extra domum euagante: cum ipso peregrinante & laborante peregrinandum mihi est & laborandum, vt ex meo consortio omnes eius molestiæ leniantur. Non audebat Iacob in patriam redire; ne relinqueret bona, quæ in Mesopotamia possidebat; & ne incideret in mala, quæ à fratre suo Esau in patria formidabat. *Deus Iacobo via comitē se præbet, vt malorum tutamentum.* Ad quem Deus, *Reuertere*, inquit, *in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam: eróque tecum.* Genes. 31. num. 3. Se viæ comitem adiungit, in tutamentum malorum, quæ timebat; & in supplementum bonorum, quæ repudiabat. *Ostendens*, inquit D. Ambr. lib. 1. De Iacob & vita beata, cap. 5. *nihil ei deesse, cui adesset omnium plenitudo.*

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

XIII. S. Chrysost. *Christus Dominus passionum calicem simul potauit.*

Obtulit Christus Dominus filiis Zebedæi suū calicem bibendum; sed addidit: *Quem ego bibiturus sum.* Matth. 20. n. 22. vt austeritatem potionis, societate compotoris dulcoraret. Nam, vt bene D. Chrys. ibi hom. 66. *Alliciens inquit: Quem ego bibiturus sum; vt communicatione laborum cum ipso, promptiores redderentur.* Et potest illustrari exemplo Medici, qui videns ægrum fastidio laborantem, & à potione medicata haurienda refugientem, ipse priùs ebibit, suóque exemplo faciliorem reddit ad bibendum. Quod expendens D. Bern. serm. 11. ex paruis, S. Bern. *Illustratur Medici exēplo.* *Ipse*, inquit, id est, Christus, *tanquàm pius & laudabilis Medicus, priùs bibit potionem, quam parabat suis; id est, passionem & mortem sustinuit: & sic sanitatem immortalitatis accepit & impassibilitatis, docens suos, vt confidenter biberent potionem, quæ generat sanitatem & vitam.* Et quidem ita factum. Nam ex hoc Christi Domini in laboribus consortio, tantum laborantibus solatium confertur, vt sensus, qui paulò ante multa ad labores nausea torpebat, posteà mira quadam laborum appetentia suscitetur & acuatur.

XIV. *Christus Dominus labores expertus est, vt suorum labores consolaretur.*

De Christo Domino D. Paulus, *Didicit*, inquit, *ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Hebr. 5. num. 8. Didicit, inquam, non documento alterius, sed experimento proprio. At, cur voluit miserias experiri, nisi vt posset miseros consolari? Et ex consortio patiendi, patientium dolores permulcere. S. Bernard. Vnde D. Bernard. De gradibus humilitatis, ante primum gradum, *Per hanc*, inquit, *experientiā non illi scientia, sed nobis fiducia creuit.* Quam multas enim miseriarum passiones admittebat; tam multas miseris cōsolationes applicabat, quibus ad patiendum promptiores redderentur. Nec tantùm passibilia in terra, sed etiā impassibilis in cælo, laborantibus, quo id modo fieri potest collaborat; vt eos inter labores consoletur: *Cùm sederit*, inquit, *filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos*, &c. Matth. 19. n. 28. *Christus Dominus etiam in cælo laborantibus collaborat.* Quid est, *Cùm sederit*, de futuro? An Christus iam non sedet de præsenti? Sedet quidem: *nam assumptus in cælum sedet à dextris Dei.* Marc. 16. Sed loquitur de futuro; quia, licèt in se, & quoad dignitatem capitis, iam sederet; tamen adhuc cum suis membris stantibus & laborantibus in terra, stabat & laborabat, ne tanto destituti consortio & solatio frangerentur. S. Bernard. Vnde Diuus Bernardus in suis declamationibus, postquàm aliam huic difficultati adhibuit responsionem, adhibet & hanc: *An magis*, inquit, *audebimus dicere, & ipsum adhuc stare quodammodo, vtpote cuius nec dū sedes consummata videtur, nec dū pedibus eius scabello supposito, quod à Patre promissū est? Non quòd illi plenitudini quippiam desit; sed quòd membra caput expectet. Audeat hoc testari, qui meruit intueri. Ecce, ait Stephanus, video cælos apertos,* *Probatur D. Stephani euentu.*

& Filium hominis stantem, &c. Act.7.num.56. Sic A Bernardus.

XV. En, vt Christus Dominus nobis patientibus compatiatur, vt nos in nostris passionibus consoletur. Quid ergo nos Christo Domino patienti compati recusamus, vt eum in sua passione consolemur? Non parum vrget D.Hieron. hoc argumento Heliodorum, vt rebus humanis valere iussis, totum se in solitudinem conferat, sub Christo patiente patiendi palæstram ingressurus. Nam in epistola 1. quam ad illum dedit: *Filius*, inquit, *hominis non habet, vbi caput suum reclinet; & tu amplas porticus & ingentia tectorum spatia metiris.* Lege totam epistolam, in qua D.Hieronymus adhuc adolescens, quamuis iuuenili facundia declamet; tamen senili grauitate persuadet: &, quod est caput, diuina charitate inflammat. Acrius vrget Diuus Bernard. serm. 5. De omnibus Sanctis, vbi loquutus de Christo Domino, spinis coronato: *Pudeat*, inquit, *sectari gloriam membra, quibus caput suum tam inglorium exhibetur. Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum.* Sed de his alibi. Iam ad historiam redeamus.

Si nos Deus consolatur, eum simul cõpatiendo consolari debemus.
S. Hieron.
S. Bern.
Pudet Christo patiente delicias sectari.

Num. IX. Nunc ergo vocem eorum audi: veruntamen contestare eos, & prædic eis ius Regis, qui regnaturus est super eos.

C

EXPOSITIO LITERÆ.

I. NVnc ergo, &c. Duplicem rationem assignaui suprà Num.7. cur Deus voluerit, vt Samuel acquiesceret petitioni Hebræorum; illisque Saulem, pessimum Regem postea futurum, constitueret? Addo tertiam ex Diuo Gregorio etiam ad mores pertinentem: *Idcircò*, inquit, *reprobus Rex eligitur, vt electus successor eius, Rex Dauid, in eo cognosceret, quid cauere debuisset.* Nam sicut optimi Naucleri in tabula hydrographica descriptas habent omnes Syrtes & Charybdes, ac periculosa loca, in quæ naues aliquando impegerunt; vt inde maximè recedentes securi prætereuehantur: ita planè Deus voluit, vt Dauid haberet in D Saüle descriptos omnes casus, per quos tum ipse Saül, tum etiam alij Reges in extremam ruinam præcipitantur; vt eos præuidens & præcauens Dauid, felici cursu inter tot humana naufragia frueretur. Rem illustrat D.Greg. exemplo Angelorum: *Sic nimirum*, inquit, *& de illa Angelorum Curia legimus: quia de Apostata primo Angelo scribitur: Ipse est principium viarum Dei.* Iob.40.num.14. *Sed, qui ante omnia conditus est, per superbiam cecidit: & in eius ruina sancti Angeli didicerunt, qua virtute stare debuissent.* Et statim, *Omnipotens*, inquit, *Deus etiam tunc magna misericordia dona tribuit, cùm vindictam irrogat: quia, dum superbos punit, sanctos erudit; vt vnde illi deficiunt, iusti in suis profectibus adiuuentur.* Præcipit igitur Deus, vt E petenti Regem populo Samuel acquiescat; Regémque illis constituat, in quo habeat Dauid exemplum malorum, quæ fugiat; si non bonorum, quæ imitetur. Et aduerte, Deum semel atque iterum Num.7. & 9. præcepisse Samueli, vt audiret vocem populi: quasi Samuel aliquantulum recusasset, ac se difficilem præbuisset. Nam boni Prælati, licèt ad exequenda ea, quæ pertinent ad subditorum vtilitatem promptissimi ferantur; tamen ea, quæ ad illorum punitionem spectant, tardiùs exequuntur.

Ideò Saul malus eligitur, vt Dauid bonus in eo præcaueret.
S. Greg.
Illustratur res Angelorũ exemplo.
Iusti ea quæ ad punitionẽ spectant, tardiùs exequuntur.

A *Contestare eos*, &c. Hoc est, coram Deo, & hominibus testibus prænuntia illis ius Regis futuri. Frequens Hebraïsmus est: vt Oleaster in suis Hebraïsmis obseruat. Sic Dominus ad Moysen: *Contestare*, inquit, *populum, ne fortè velit transcendere terminos*, &c. Exod.19.num.21. Populus Bethuliæ ad Oziam: *Contestamur hodie cælum & terram.* Iudith 7.n.17. Dauid ad populum: *Audi, populus meus, & contestabor te.* Psal.80. n. 9. Apostolus ad Ephesios: *Contestor vos hodierna die, quia mundus sum a sanguine omnium.* Actor. 20. num. 26. Et passim alibi. Qui loquendi modus significat, aliquid coram testibus denuntiare & inculcare, vt res efficaciùs proponatur, & nulla posteà ignorantia simuletur. Quorsum verò hæc B contestatio? Respondent Hebræi apud Vatablum, vt eos à petendo Rege deterreret. Sic etiam D.Gregorius, *Audi*, inquit, *voces eorum, vt tamen ipsi prius de iure Regis, quem petunt, audiant, quod expauescant: & velut tunc male cœpta deserant; cum, quam sit res onerosa, cognoscunt, quam petebant.* Et infrà ad illa verba: *Noluit populus audire verba Samuelis*: Num. 19. eandem rationem inculcans, *In hoc*, inquit, *verbo ostenditur: quia ad hoc Propheta graue ius Regis exposuit, vt nequaquam peteretur.* Eodem modo Beda, Sulpitius, Caietanus & Abulensis exponunt. Accedit Diuus Hieronymus in cap.8. Oseæ: *Ideò*, inquit, *eis dura Regis exponit imperia; & filios eorum, ac filias, dicit Regibus seruituras; vt ad Dominum Regem clementissimum conuertantur.* Vt igitur Hebræi à petendo Rege desistant, quam graue futurum sit illius ius non immeritò prædocentur.

II.
Vt res efficacius proponatur, coram testibus proponitur.
Oleast.
Probatur varijs Scripturæ locis.
Vatab.
S. Greg.
Vt Hebræi à petendo Rege desistant, eius ius graue prædocentur.
Beda.
Sulp.
Caiet.
Abul.
S. Hier.

III. Eodem artificio vsus fuit aliquando D. Paulus: nam, vt homines à coniugali statu ad virginalem potiùs euocaret, seuerissimas matrimonij leges præmonstrauit: *Mulier*, inquit, *sui corporis potestatem non habet; sed vir: similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet; sed mulier.* 1. Cor. 7. n.4. In quem locum D.Chrysost. lib. de virginitate, cap.28. in 5. tom. *Cùm*, inquit, *de nuptiis videatur dicere; re tamen vera, tanquàm hamum vsitata piscator esca circumuestiens, sic in audientium aures inserit orationem, vt illo ipso sermone de nuptiis, eosdem à nuptiis deterreat. Nam, qui illud audit, D se per coniugium, non in sua; sed in vxoris esse potestate; confestim operam dabit, vt ab acerbissima seruitute liberetur; vel potius id primum cauebit, ne ipsum subeat iugum seruitutis.* Et statim cap. 29. sequenti, rem illostrat ex præsenti loco Samuelis: *Quemadmodum enim*, inquit, *is, quàm potuit subtilissimè apud imperitam multitudinem Regni leges exposuit, non vt Regem reciperent, sed ne reciperent: sic Paulus etiam connubij tyrannidem continenter inculcat, atque eo ipso sermone planiùs eos inde reuocare studet.* Iubetur igitur Samuel contestari, seu coram testibus admonere Hebræos de iure Regis, vt cùm illud seuerissimum fore nouerint, à petendo Rege deterreantur. Et quamuis Deus sciret, hanc contestationem nihil apud populum E profuturam, eam tamen adhibendã curauit: tum, quia diuina erga homines diligentia non semper propter humanam negligentiam impeditur; sed potiùs negligentibus sui curam, frequentissimè Deus se præbet sollicitum curatorem: tum, quia opus fuit, vt futurum Regis imperium Hebræi præcognoscerent, ne posteà vllam in petendo Rege ignorantiam causarentur: vt Abul. aduertit.

D. Paulus vt homines ad virginalem statum euocet, matrimonij damna enuntiat.
S. Chrys.
Confirmat D. Chrysostomus rem Samuelis euentu.
Diuina diligentia, ob futuram hominum negligentiam non impeditur.
Abul.

IV. Ex hac contestatione Caietanus diuinam benignitatem commendat: *Verè*, inquit, *benignus erga populum Deus, mandando adimpleri petitionem populi, sed prædeclarando ipso populo, omnis generis oppressionem*

Caiet.
Dei benignitas in populũ malè petentẽ commendatur.

oppressionem futuram eis à Rege: ne posteà pœnitentes dicerent, se nescisse oppressiones futuras. Itaque, licet Deus, tanquam seuerus vltor, in populi vindictam concesserit Regem, quem male petebat; nihilominus, tanquàm benignus altor, populo, ne male peteret; seu, vt à petendo desisteret, suadebat. Quo pacto & Christus Dominus, licèt ex iustissima sua prouidentia sacrilegam Iudæ proditionem permiserit, & absolutè prædixerit, dicens: *Amen dico vobis, quia vnus vestrûm me traditurus est.* Matth. 26. n. 21. Nihilominùs ex sua infinita misericordia adhuc proditorem à tanto sacrilegio deterrebat, proponendo quanta illum supplicia manerent, quanta infortunia sequerentur: *Væ autem*, inquit, *homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Ibidem, num. 24. Vt nihil prorsus intentatum relinqueret; quo, si non emolliret obduratum pectus proditoris, saltem suam erga eum beneuolentiam testaretur. Sic olim Deus grauiter comminatus, Iudæorum preces à se penitùs repellendas, dicens: *Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam.* Isai. 1. num. 15. tamen facilem se ostendens ad audiendum: *Lauamini*, inquit, *mundi estote*, &c. Ibidem, n. 16. Quod D. Chrys. enarratione in Isai. ad eum locum obseruans, quærit, cur Deus offerat medicinam iis, quos iudicat, *immedicabiliter ægrescere?* Respondet, Deum sæpenumerò intentando pœnam, ad pœnitentiam vocare; & denegando salutem, timorem exaugere: non quò spes abiiciatur; sed, quò potiùs excitetur. Quod pluribus illustrat exemplis. Sic igitur hoc loco Iudæos ira dimittit in desideria cordis eorum, vt eos nihilominùs statim ad meliorem mentem reuocet, & ad diuinæ legis obseruantiam reducat. Adde in hac ipsa contestatione, seu dissuasione, licèt diuina benignitas enitescat, dum reuocat populum à peccato committendo; tamen etiam diuinam seueritatem elucere, dum illi omnem excusationem peccati iam commissi intercludit. Cæterùm, quidnam sit hoc Regis ius, & cuius Regis sit? Num. 11. sequenti commodiùs explicabo.

Christus Dominus proditorem monet, vt suam erga eum beneuolentiam testetur.

Deus sæpè intentando pœnas ad pœnitentiam vocat.
S. Chrys.

Deus hoc etiā loco, omnem peccati excusationem intercludit.

Num. X. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum, qui petierat à se Regem.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Dixit itaque Samuel*, &c. Deum quidem audiuit Samuel nocturno tempore; populum autem admonuit matutino: vt Iosephus, Philo Biblicus & Sabellicus aduertunt. Nam reuelationes sub noctem frequentius haberi solent: sub auroram conciones. Retulit igitur Samuel ad populum, quidquid audiuerat à Deo de iure Regis. Quia tamen inutilis fieret repetitio, si semel scriberentur, quæ Samuel à Deo audiuit, & iterum scriberentur, quæ ad populum reddidit, cùm ea inter se nihil differrent: propterea præcedenti Numero tacentur audita, & sequenti memorantur relata; ex quibus illa innotescunt. Dicitur autem hoc loco populus Regem petiisse; cùm tamen suprà Num. 4. dicantur maiores natu Israël congregati fuisse ad petendum. Sed non est pugna. Vel, quia, quod Principes homines postularunt, posteà postularunt & populares. Vel, quia in id, quod soli Principes petierunt, censetur totus populus conspirasse. Vel tandem, quia etiam Principes dicuntur populus; quamuis à plebe distinguantur, vt cap. 6. num. 19. iam ostendi. Quòd si Seuerus Sulpitius dicit, hanc Samuelis orationem, habitam fuisse *ad plebem, insana voluntate* Regem postulantem; & D. Chrys. superiori n. citatus, *ad imperitam multitudinem:* adhuc rectè loquuntur etiam iuxta hanc tertiam interpretationem, quæ populum cum Principibus coniungit. Nam re vera Principes in morem plebis tumultuantes, plebeios ac seruiles animos videntur induisse, vnde plebis & imperitæ multitudinis nomine significari potuerunt.

Reuelationes sub noctem, conciones sub auroram haberi solent.
Ioseph.
Philo.
Sabel.

Quomodo intelligatur hoc loco populum Regem postulasse.

Sulp.
S. Chrys.
Sulpitius & Chrysostomus explicantur.

Num. XI. Et ait: Hoc erit ius Regis, qui imperaturus est vobis. Filios vestros tollet, & ponet in curribus suis: faciétque sibi equites & præcursores quadrigarum suarum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Hoc erit ius Regis*, &c. Quadruplex hoc loco difficultas de hoc Regis iure præmittenda. Prima, quidnam sit hoc loco ius Regis? In Hebræo est, מִשְׁפָּט *Misphat*, quod vocabulum plerunque significat iudicium, à verbo שָׁפַט *Saphat*, id est, iudicare. Aliquando verò significat morem & consuetudinem; vt patet primò ex illis verbis Ioseph ad pincernam Pharaonis: *Dabis ei calicem iuxta officium tuum, sicut antè facere consueueras.* Genes. 40. num. 13. Hoc est, iuxta consuetudinem tuam. In Hebræo est, כַּמִּשְׁפָּט *Camisphat*. Item ex illis Legislatoris: *Iuxta morem filiarum faciet illi.* Exod. 21. num. 9. vbi in fonte idem vocabulum habetur. Tandem ex illis Psalmographi: *Miserere mei secundùm iudicium diligentium nomen tuum.* Psal. 118. num. 135. Hoc est, secundùm consuetudinem, quam seruas erga diligentes te. Vbi etiam in Hebræo idem nomen reperitur. Vnde Genebr. in eum Psalmum sentit, ius Regis hoc loco positum, pro consuetudine Regis vsurpari. Similiter exponit & Vatablus. Nec alij Interpretes repugnant: & nouissimè Lorinus Psalmo citato: vbi pluribus Scripturæ testimoniis hanc interpretationem confirmat. Et concinit Græcum vocabulum δικαίωμα, quo Septuaginta vtuntur: hoc est, *Iustificatio*, vt in Latina Sixti editione habetur; seu, *consuetudo*, vt Vatablus interpretatur: quod nos in 1. Tomo, c. 2. num. 13. aduertimus. Et videtur mihi germana expositio. Nam, quæ Rex dicitur hoc loco sibi arrogaturus; nullo iure scripta perhibentur: sed solo vsu & consuetudine Regum introducta. Vnde quando dicitur inferiùs: *Loquutus est Samuel ad populum legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coram Domino.* 1. Reg. 10. num. 25. illa lex regni diuersa est ab hoc iure Regis: vt D. Greg. sentire potiùs videtur: & Abul. Lyra, Hugo ac Dionys. testantur. Nam illam legem exposuit Samuel ad docendum populum: hoc autem ius ad deterrendum, quod ad eum locum clariùs patebit.

Prima difficultas de iure Regis.

Ius Regis positum pro consuetudine credit Genebrardus
Geneb.
Vatabl.
Lorin.

Approbatur superior sententia.

D. Greg.
Abul.
Lyra.
Hugo.
Dionys.

II. Secunda difficultas. Vtrùm hæc Regis consuetudo iusta fuerit, an tyrannica? Lyra distinctione vtitur, asseritque, vrgente necessitate publica, iustam fuisse; tunc enim priuata bona pertinent ad ius Regis, pro bono communi dispensanda: non vrgente verò, fuisse tyrannicam; quia tunc non potest Rex priuata ciuium bona ad libitum dissipare. Hæc interpretatio displicet Abulensi, q. 19. & sequentibus. Immò ad marginem, si eius sunt illa verba, & non alterius cuiusquam Scholiastis, nimis acriter in illam inuehitur. *Hæc opinio*, inquit,

Lyra.
Secunda difficultas de hac consuetudine.
Proponitur sententia Lyr. & ab Abulensi nimis acriter reprehenditur.
Abul.

Nicolai est multum falsa: & satis periculosa animabus: quia præstat Principibus incentiuum rapinæ & tyrannidis. Ideò Confessores & Prædicatores euangelici fugiant ab ea, tanquam à peste. Nam ambitio & vorago cupiditatis Principum hodie tanta est, vt omnes fingant necessitatem: nec auaritiam suam totius Orbis terrarum dominio satiare possunt: & ob hoc bella inter se gerunt, propriis terminis non contenti. Et mille necessitatibus iusto Dei iudicio vndique circundantur. Ita ibi.

III. Nihilominùs dico, traditam distinctionem absolutè loquendo veram esse: & à D. Thom. 1. 2. q. 105. art. 1. ad quintum, ac cæteris Theologis communiter receptam: non tamen Regi, de quo hic sermo est, rectè applicatam: quia is sine dubio priuatis ciuium bonis, non ad publicam, sed ad propriam vtilitatem abutebatur. Vnde vlteriùs concludo, hoc ius, seu morem Regis, fuisse iniustum ac tyrannicum. Ita mihi videntur Patres significasse. Nam Clem. Alex. lib. 3. Pædag. c. 4. vocat hunc Regem, quendam insolentem tyrannum: *Non humanum*, inquit, *pollicetur dominum, sed quendam insolentem minatur tyrannum.* D. Hier. in c. 8. Oseæ sub initium, *dura huius Regis imperia* fuisse dicit. D. Greg. ad hunc locum *dura & importabilia seruitutis onera, & intolerabilia imperia* appellat. D. Cypr. epist. 38. sæpiùs citata, ait, Saulem *grauibus iniuriis afflixisse, & per omnes contumelias ac pœnas populum conculcasse.* D. Thom. proximè citatus docet, hoc Regis ius fuisse *iniquum ac tyrannicum*, quia suis subditis, tanquàm seruis dominabatur.

D. Thom. *Veram tamen esse statuendam.*

Hunc morem Regis fuisse tyrannicum, probatur ex Patribus. Clem Alex. D. Hier. D. Gregor. D. Cypr.

IV. Et potest facile confirmari. Primò, quia multa, quæ hoc loco dicitur Rex facturus, legi naturali aduersantur; vt ex sequentibus Numeris patebit: aut certè legi diuinæ contradicunt. Nam Rex dicitur ablaturus agros, vineas & oliueta à ciuibus, & daturus ea suis seruis & eunuchis: hoc autem est contra id, quod Deus decreuit, dicens: *Non accipiet Princeps de hæreditate populi per violentiam, & de possessione eorum: sed de possessione sua hæreditatem dabit filiis suis; vt non dispergatur populus meus vnusquisque a possessione sua.* Ezech. 46. num. 18. Item Rex dicitur hoc loco ex ciuibus facturus seruos; hoc autem repugnat illi decreto diuino circa Regem: *Non multiplicabit*, inquit, *sibi equos, nec reducet populum meum in Ægyptum.* Deut. 17. num. 16. Quasi diceret: Non coget populum meum ad seruitutem, quam in Ægypto patiebatur. Immò non licebat Regibus superbire in subditos, iuxta illud *Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos.* Ibidem, num. 20. Vbi fratres à Deo appellantur, quos hic Rex in seruorum numero reponebat. Ergo tyrannica fuit hæc in ciues, & in ciuium bona vsurpatio.

Confirmatur primò.

V. Secundò confirmatur ex Litera, quia infra Num. 18. dicit Samuel: *Clamabitis à facie Regis, quem elegistis.* Si autem hæc omnia à Rege iustè imponerentur; non haberent ciues, quid clamarent. Deinde, quia hoc ius dicitur Regis, non regni: quasi ad Regis potiùs, quàm ad regni vtilitatem spectaret: & potiùs ex voluntate Regis, quàm ex necessitate regni firmaretur. Quod ingeniosè aduertit Caietanus: *Attentè*, inquit, *annota, quòd dicendo ius, siue iudicium Regis, diminuendo rationem iuris & iudicij dicitur. Et non est sensus, quòd infra scripta sint iuris; sed iuris Regis: hoc est, erunt iuris, quia Rex volet esse ius.* Quasi ius Regis illud dicatur, quod à Rege non pro suo officio, sed pro suo arbitrio; non pro æquitate, sed pro voluntate institutum est, ac definitum. Ergo planè tyrannicum fuit hoc ius, saltem in vsu; vt nihil interim dicam de potestate, ad dubitationem quartam ea

Confirmatur secundò ex Litera.

Caiet.

Ius Regis significat arbitrium, non officium Regis.

A de re commodiùs dicturus. Nam, quod iustum est, potiùs ad regni, quàm ad Regis vtilitatem ordinatur. Hinc sumitur vulgare discrimen inter Regem ac tyrannum. Nam tyrannus, inquit Philosophus lib. 8. politic. c. 10. suum ipsius commodum spectat; Rex verò subditorum. Et facilè patebit, si quæ de vtroque communiter dicuntur, attendantur.

Discrimen inter Regem & Tyrannum.

VI. Nam de Rege quidem, Xenophon in memorabilibus Socratis, lib. 3. *Rex*, inquit, *eligitur, non vt se molliter curet: sed, vt per ipsum ij, qui elegerunt, bene beateq; agant.* At verò Seneca Philos. lib. 1. De clementia, c. 18. docet, non ciuium *seruitutem* Regi traditam, sed *tutelam*. Et c. 19. addit, *Rempublicam non esse Principis, sed Principem Reipublicæ.* Et c.
B 20. agens de Principe erga omnes indulgente, patientéque suarum iniuriarum ait, *nihil esse gloriosius Principe impunè læso.* Hinc Homerus Regem appellauit *Pastorem populorum.* Et Claudianus ad suum Honorium:

Tu ciuem, patremq; geras; tu consule cunctis,
Non tibi; nec tua te moueant, sed publica damna.

Xenoph. *Regis veri officium exponitur.* Seneca.

Homer. *Rex est populorum Pastor.*

Tyrannum verò appellat Philo Hebræus lib. De agricultura, hominem *suapte natura ciuitatibus inimicum.* At verò D. Hieronymus in epist. 8. ad Demetriadem De virginitate seruanda, tyrannum vocat, *Cerberum*, non modò tricipitem, sed etiam multorum capitum, omnia trahentem & lacerantem. Et rursus feram *Charybdim*, *Scyllamque* multis canibus succinctam, quæ nullis miserorum
C naufragiis saturatur. Sed Ezechiel leonem Gentium appellat: loquutus enim de Pharaone: *Leoni*, inquit, *Gentium assimilatus es.* Cap. 32. num. 2. Vt enim leo inter feras, ita Tyrannus inter Gentes maximè violentus existit. Consentit regius Vates, qui de tyrannis loquutus: *Diuites*, inquit, seu, vt est in Hebræo, leones, *eguerunt, & esurierunt.* Psal. 33. num. 11. Egentes & esurientes esse dicit, non quòd pauca habeant; sed, quòd plura concupiscant. Quare hoc discrimen inter Regem & tyrannum disertissimè constituit Philo Iudæus lib. 2. Allegoriarum: *Rex*, inquit, *aduersatur tyranno: quòd ille ius & æquum; hic iniquitatem introducit in Rempublicam. Ergo tyrannica mens mandat mandata infesta, tum animæ, tum corpori noxia, magnásque*
D *molestias inferentia, vitiosas actiones & voluptates, quæ nascuntur ex affectibus. Altera verò mens est Rex, qui non imperat tantùm, sed paret etiam: quando præcepta eius talia sunt, vt anima his adiuta, seu nauis per totam vitam prosperè nauiget, gubernante illo bono, peritóque gubernatore, qui non alius est, quàm vera ratio.* Plura de hoc discrimine Nicolaus Oresmius, Episcopus Lexoniensis, tract. De mutatione monetæ, c. 22. & 23. in tomo 9. Bibliothecæ secundæ editionis. Et ex eo fit, inquit Seneca suprà citatus, *vt in morbo Regis omnes metuant: in morbo tyranni omnes sperent.* Nam ex illius morte multa mala Reipublicæ proueniunt: ex morte huius multa bona oriuntur.

D. Hier. *Definitur Tyrannus à Philone.* *Tyrannus Cerbero, Charybdi, leoni assimilatur.*

Philo. *Discrimen Philonis inter Regem & Tyrannum.*

Oresm.

In morbo Regis omnes metuunt, in morbo Tyranni omnes sperant.

VII. Tertia difficultas. Cuius Regis fuerit hoc ius,
E seu hæc consuetudo sequentibus numeris describenda? Respondet Abulensis, non fuisse in primis Regis immediatè regnaturi, nempe Saülis. Nam Saül nusquam legitur oppressisse populum, saltem illis omnibus iniuriis, quæ statim describentur, vt ex dicendis patebit: sed fuisse Regum sequentium; non ita quidem, vt singuli Reges has omnes iniurias exercerent; sed ita vt alij aliis vterentur. Nam Salomon grauissimum iugum imposuit Reipublicæ, eámque durissimo imperio oppressit. 2. Reg. 12. num. 4. at verò eius filius Roboam paternam seueritatem non modò non imminuit,

Abul. *Tertia difficultas de Rege, cuius ius esse dicatur. Non esse Saülem existimat Abulensis.*

minuit, sed etiam auxit, dicens: *Pater meus aggrauauit iugum vestrum: ego autem addam iugo vestro. Pater meus cecidit vos flagellis: ego autem cadam vos scorpionibus.* Ibidem, n. 14. Et sic alij Reges alias in populum iniurias exercebant, suis singulas locis explicandas. Addiderim, opus non fuisse ad veritatem huius prædictionis; vt hæc ipsa, quæ hoc loco prædicuntur, posteà à Regibus Israel exercerentur: dummodò similia fierent. Nam hæc oratio figurata est, qua grauissima tyrannis, saltem in vsu, significatur, sine dubio futura. Res autem, in quibus illa tyrannis esset exercenda, exempli caussa proponuntur: & in exemplis non requiritur veritas.

Hæc prædictio hoc loco figurata est.

VIII. Quòd confirmari potest duplici exemplo. Primò, quia Dauid multa mala Iudæ proditori imprecatus & vaticinatus, inter alia dixit: *Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua.* Psal. 108. n. 9. Quòd tamen non potuit in Iuda, prout verba sonant, impleri; si ille vxore caruit, & in cælibatu vixit; vt Patres communiùs, D. Hieronymus, D. Chrysost. D. Basilius, Theod. Euthymios, & alij innuere videntur; nullos Iudæ filios propriè recognoscentes. Solùm igitur accumulantur imprecationes: non quòd omnes illi aduenerint; sed vt figuratè ac poëticè summa eius miseria significetur: vt ibi Genebrardus aduertit. Secundò, quia Baldad multa infortunia impiis hominibus prædicit, etiam in hac vita subeunda; vt labores, formidines, incendia, exilia, famem, paupertatem, interitum repentinum & similia: vt videre est Iob 18. à num. 5. Et tamen non omnia omnibus eueniunt: immò multi eorum, quandiu viuunt, *In labore hominum non sunt.* Psal. 72. num. 5. Sed potiùs *ducunt in bonis dies suos.* Iob. 21. num. 13. Ergo satis est, si extrema eorum infelicitas sub his signis poëtice ac tropicè significetur. Et fortasse eodem sensu Iobus filiis iam orbatus, ita sibi imprecatur: *Progenies mea eradicetur.* Iob. 31. num. 8. quia non hanc sibi plagam determinate imprecabatur; sed quamuis aliam sub illa intellectam: alioqui nugatoria esset imprecatio; qua orbatus filiis, vlteriùs orbari precaretur. Similiter hoc loco certæ iniuriæ pro incertis capiuntur.

Confirmatur primò ex malis Iudæ proditori vaticinatis.
D. Hier.
D. Chrys.
D. Basil.
Theod.
Euthym.
Geneb.
Confirmatur secundò ex impiorum imprecationibus.

IX. Quarta difficultas. Vtrùm hæc tyrannis, quam hactenus in solo vsu exercitam supposuimus, etiam in potestate fuerit. Hoc est: Vtrùm Hebræorum Reges non solùm in actus tyrannicos eruperint: sed etiam potestatem sibi ipsis indebitam violenter vsurparint? Respondeo, Reges duodecim Tribuum, & qui eis in regno duarum Tribuum successerunt; non fuisse quoad potestatem, tyrannos: quia Saül & Dauid legitimam regnandi potestatem à Deo susceperunt; vt patet ex hoc libro c. 10. num. 1. de Saüle, & c. 26. n. 13. de Dauide: quæ potestas in cæteros Reges de stirpe Dauidica natos legitima successione transmissa est. Ergo omnes legitimam regnandi potestatem habuerunt. Nec obstat, Hebræos contra Dei voluntatem Regem voluisse & petiisse. Quod enim ab hominibus temeraria præsumptione eligitur: aliquando à Deo ratum habetur, & in bonum commutatur: vt probat S. Sixtus in lib. De diuitiis: & præsenti confirmat exemplo: *Vt Rex*, inquit, *Israël, quem non tam Dei voluntate, quàm populi prauitate legimus ordinatum: quamuis posteà etiam Dei voluntas accesserit; dum humanæ fragilitatis iniquitatem clementi maluit lenitate corrigere, quàm iusta seueritate punire.* Et vlteriùs confirmat exemplo veterum hostiarum, quas olim Hebræi Dæmonibus malè sacrificabant: & posteà in diuinum cultum, Deo volente, transferebant. *Non, quòd Deus*, inquit, *animalium, aut cruore delectetur, aut carnibus: sed vt paulatim infirmum populum, & variis iniquitatum operibus deprauatum, disciplinarum suarum institutione formaret; noluit eos vsitatam consuetudinem, & longi temporis serie roboratam penitùs deponere, sed in bonum interim commutare.* Eodem exemplo vtitur D. Chrysost. enarratione in Isaiam ad illa verba: *Quis quæsiuit hæc de manibus vestris?* Isai. 1. num. 12. Vbi Deus significat, se vetera sacrificia nec voluisse, nec exegisse: cùm tamen ea toto Leuitico passim imperatit. *Vt discas*, inquit D. Chrysostomus, *quòd illa voluntas Dei non fuerit principalis, aut prægrediens: sed ab eorum infirmitate sumpserit exordium, quæ de his est, legislatio.* Itaque, quæ a Deo respuuntur; aliquando in hominum vtilitatem commutantur. Sic Reges, quos à suo populo primùm excludebat: posteà ad iustam populi punitionem cooptabat.

Quarta difficultas de Tyrannorum potestate.
S. Sixtus.
Quod ab hominibus temerè eligitur, aliquando à Deo ratum habetur.
Confirmatur hostiarum exemplo.
D. Chrys.

X. Maior diuersitas fuit in Regibus Israël, seu decem Tribuum; in quibus quadruplex ordo distingui potest. In primo fuit vnus nomine Iehu, numero decimus, constitutus per diuinam electionem. 4. Regum 9. num. 6. ac proinde tam ipsi, quam quatuor eius posteri & successores, Ioachaz, Ioas, Ieroboam & Zacharias, videntur legitimam regnandi potestatem, à Deo communicatam habuisse. In secundo fuerunt sex Reges, qui suos antecessores per vim occidendo regnum tyrannicè occuparunt. Ex quibus primus fuit Baasa, qui per vim occidit Regem Nadab filium Ieroboam. 3. Regum 15. num. 27. Secundus, Zambri, qui occidit Regem Hela. 3. Regum 16. num. 10. Tertius, Sellum, qui occidit Regem Zachariam. 4. Regum 5. num. 10. Quartus, Manahem, qui occidit Regem Sellum. 4. Regum 15. n. 14. Quintus, Phacee, qui occidit Regem Phaceiam. 4. Regum 15. n. 25. Sextus, Osee, qui occidit Regem Phacee. 4. Regum 15. n. 3. Qui omnes, & eorum filij, qui eis in regnum successerunt; videntur legitima regnandi potestate caruisse; nisi fortè Deus, aut populus ratam habuerunt eam potestatem, quam ipsi Reges ab initio violenter vsurparant: vt paulò ante ex S. Sixto dicebamus. In tertio fuit Amri, quem omnis Israël dicitur fecisse Regem. 3. Regum 16. num. 16. & filij, qui ei in regnum successerunt. Hi omnes, si potestas creandi Regem penes populum residebat, iuxta ea, quæ supra Num. 5. disseruimus, legitimam regnandi potestatem habuerunt. Sin autem populus non habebat potestatem creandi Regem, saltem auulsum à regno Iuda, & pro solo regno Israëlis; nec Amri, nec successores regiam potestatem habuerunt, nisi fortè Deus suppleuit id, in quo populus defecit. An verò populus Israëliticus habuerit potestatem creandi Regem separatim à regno Iuda, & pro solo regno Israelitico dubitari potest. Et dicendum, habuisse quidem, si regnum Israelis, Deo iam absolutè volente, à regno Iuda separatum erat, & per se seorsim constitutum: quia tunc nulla regno Iuda iniustitia fiebat; cùm ab illo auulsum Israëliticum per proprium Regem conseruabatur. Non habuisse tamen, si Deo tantùm permittente, hæc separatio existebat; quia tunc iniustè alter Rex à parte sui regni excludebatur. Vtrum verò ex his tenendum sit, ex dicendis patebit. In quarto tandem ordine fuit Ieroboam, & eius filius Nadab, qui ei successit. De filio non est, cur dicamus, cùm idem de illo, quod de patre dicendum sit?

Quadruplex ordo Regum Israël.
In primo legitima fuit regnandi potestas.
In secundo tyrannica.
In tertio potestas à populo data.
Dubium proponitur, & exponitur.

XI. De patre igitur Ieroboamo maior est dubitatio, an legitima regnum potestate obtinuerit? Et certum in primis est, illud non habuisse per successionem,

An Ieroboam in quarto ordine legitimã habuerit potestatem.

nem, quia non erat de stirpe Dauidica: neque per electionem populi; quia licèt hic in defectu legitimi Regis, possit Regem constituere; non tamen legitimo Rege viuente & existente, qualis tunc erat Roboamus, legitimus regni hæres, & parentis sui Salomonis proprius successor. Solùm igitur eam habere potuit per diuinam electionem. Et quidem sic eam habuisse, probant aliqui ex illo oraculo Ahiæ Prophetæ ad Ieroboamum: *Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem Tribus.* 3. Reg. 11. num. 31. Et paulò pòst: *Te autem assumam, & regnabis super omnia, quæ desiderat anima tua, erisq; Rex super Israël.* Ibid. n. 37. Quod paulò antè dixerat ipse Dominus Salomoni: *Scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo.* n. 11. Et postea Roboamo bellum contra Ieroboamum molienti opposuit se Deus per Semeiam Prophetam dicentem: *Hæc dicit Dominus: Non ascendetis, neque bellabitis contra fratres vestros filios Israel, &c. A me enim factum est verbum hoc.* 3. Regum 12. num. 24. Quibus omnibus verbis apertissimè ostendi videtur, Deum absoluta voluntate regiam potestatem Ieroboamo contulisse.

Eam ex diuina electione habuisse probant aliqui.

Contrà verò non fuisse Ieroboamum secundùm voluntatem diuinam electum ad regnum; sed potiùs, Deo repugnante, intrusum: & proinde legitima ad regnandum potestate caruisse, probant alij ex alio diuino Oraculo: *Ipsi regnauerunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognoui.* Oseæ 8. num. 4. Quem locum de Ieroboamo, eiúsque successoribus interpretantur D. Hieronym. D. Cyrillus, Theophylactus, Theodoretus, Ruffinus, Rupertus, Lyranus, & alij, quos ex nostris Ribera, & Castro citant, & sequuntur. Et ex eo non obscurè colligitur Ieroboamus, inuito Deo, regnum vsurpasse, nec proinde legitimam regnandi potestatem habuisse. Hinc Deus, teste Dauid, *Tribum Ephraim non elegit.* Psalm. 77. num. 67. scilicet, interprete Theodoreto: *Futuram tyrannidem prænidens: quandoquidem ex hac Tribu Ieroboam originem ducens, ex Dauidico regno decem Tribus abduxit.* Vbi tyrannidem palàm vocat eam potestatem, qua Ieroboamus vtebatur.

Non eam tamen habuisse contendunt alij.

D. Hier. D. Cyril. Theoph. Theod. Ruf. Rup. Lyran.

Theod.

XII. Vtraque pars, & testimonia Scripturæ, quibus vtralibet innititur, aliter ab aliis conciliantur. Primò, Ieroboamum ante prædictionem illam Ahiæ Prophetæ, contra Salomonem rebellasse, & regnum Israeliticum inuasisse; vt patet ex 3. Reg. 11. num. 26. & 31. proindéque illam rebellionem fuisse contra diuinam voluntatem: at verò regni concessionem posteà factam, à Deo volente processisse; & consequenter Ieroboamum iuxta illam legitimè regnasse. Sed contrà: quia in citato Oseæ locò dicitur Ieroboamus non modò rebellasse, sed etiam regnasse prætera diuinam voluntatem. Ergo in regno iam positus & constitutus, nondum iuxta diuinum placitum regnabat. Secundò, dicunt alij, in eo Oraculo Ahiæ Prophetæ, nullam regni promissionem inclusam fuisse; sed tantùm simplicem rei futuræ denuntiationem: proindéque Ieroboamum nullam inde regnandi potestatem suscepisse. Sed contrà: quia in eo Oraculo non solùm dicitur, *Regnabis, &c, Eris Rex*, quæ est quædam rei futuræ denuntiatio: sed etiam dicitur: *Scindam regnum, &c.* &, *Dabo tibi, &c.* Quibus verbis tam claré exprimitur promissio, vt clariùs exprimi non posse videatur. Tertiò tandem dicunt alij probabiliùs, illis verbis, *Scindam*, &, *Dabo*, non significari promissionem; sed tantùm permissionem: ita vt Deus non promittat, se daturum regnum Ieroboamo; sed permittat, vt Ierobamus illud inuadat & vsurpet. Ita D. Cyril. & Theophyl. quos sequitur Ribera. Sed, quia duplex permissio distingui potest: vna, qua Deus permittit actum, etiam malum; nullo modo illum volendo, sed tantùm non impediendo: altera, qua permittit actum, etiam bonum; non quidem illum nullo modo volendo; sed tantùm non volendo illum ex primaria intentione, quamuis alioqui eum velit ex intentione secundaria, & facta aliqua suppositione: quo pacto Deus dicitur permittere pœnam; quia non vult illam ex primaria intentione, sed ex secundaria, supposita culpa. Cum, inquam, hæc duplex permissio distinguatur: dubitari potest, vtra ea illis hoc loco interueniat? Et respondeo, vtramlibet interuenire potuisse. Si prior intercessit, nullo modo Deus regnum contulit Ieroboamo; sed pura permissione passus est, vt ille regnum vsurparet: vnde Ieroboamus iuxta hanc permissionem regnum sibi prorsus indebitum vsurpauit. Si posterior, aliquo modo contulit Deus Ieroboamo regnum, nempe, ex secundaria intentione; vt per eum puniret Salomonem: quare Ieroboamus iuxta hanc permissionem regiam habuit potestatem, non tyrannicam; & regnum sibi, non quidem ex secundaria, sed ex primaria tantùm intentione indebitum inuasit. Atque ex his facilè intelliges, quo pacto in 1. Tom. Annot. 3. Sect. 7. §. 10. regnum Israëliticum Ieroboamo indebitum appellauimus: quo loco nonnulli hæserunt; dubitantes, quo pacto regnum prophetico Oraculo promissum Ieroboamo, indebitum diceretur. Sed iam ex dictis intelligent, aut nullo modo promissum, sed tantùm permissum, & proinde prorsus indebitum fuisse: aut certè non fuisse ex primaria voluntate promissum; sed ex secundaria: & proinde fuisse primariò indebitum; licèt secundariò deberetur.

Vtriusque partis testimonia variè explicantur.

Obiectio contra superiora opponitur.

Alterum sententia reijcitur.

Alterum placitum videtur probabilius.

D. Cyril.

Theoph. Rib.

Duplex Dei permissio circa actum distinguitur.

Iuxta priorẽ, indebitum; iuxta posteriorem, debitũ regnum inuasit Ieroboamus.

Cur regnum Ieroboamo dictum indebitum.

Filios vestros tollet, &c. Aggreditur explicare ius Regis, seu potiùs iniurias Regis, quarum prima est, tollendos esse ciuium filios, & regnum curribus addicendos. Grauitas huius iniuriæ ostenditur, primò: quia fit cum violentia, dum filij, inuitis parentibus, auferuntur. Nam, *Tollere*, hoc loco violentiam significat, interprete Abulensi. Et potest confirmari ex Hebræo, vbi ponitur verbum לקח *Lacach*, quod aliquando significat, per vim & iniuriam eripere: vt patet Genes. 20. num. 3. *En morieris propter mulierem, quam tulisti.* Et Gen. 27. num. 36. *Primogenita mea antè tulit: & nunc secundo surripuit benedictionem meam.* Et Genes. 30. n. 15. *Parúmne tibi videtur, quòd præripueris maritum mihi; nisi etiam mandragoras filij mei tuleris?* Et aliis passim locis, in quibus ponitur verbum illud לקח Et per illud violentia & iniuria illata significatur. XIII.

Verbum, Tollo, violentiam significare probatur variis locis.

Secundò, quia hæc violentia exercetur in filios, quos parentes habent vel ipsa vita chariores. Monebat Sara Abrahamum, vt eiiceret *ancillam & filium eius.* Gen. 21. num. 10. Quid verò Patriarcha? *Durè*, inquit Textus, *accepit hoc Abraham pro filio suo.* Ibidem, num. 11. Non dixit pro matre, sed tantùm pro filio. Nam, vt rectè D. Chrysostomus hom. 46. in Gen. *Neque*, inquit, *de Agar mulieris curabat: sed erga puerum ita afficiebatur.* Quasi maiori charitate filium, quàm matrem prosequeretur. Pharao concedebat Hebræis facultatem exeundi de Ægypto, dummodo eorum filij in Ægypto relinquerentur. *Quomodo*, inquit, *dimittam vos, & paruulos vestros? Ite tantùm viri, & sacrificate Domino.* Exod. 10. num. 10. & 11. Vbi Oleaster, *Suadebat*, inquit, *paruulos relinquere: quia nouerat eos certò reuersuros, si paruulos suos reliquissent.* Ita ille. Quasi tantus esset parentum amor in filios, vt cum illis seruitutem, quàm libertatem sine XIV.

Maiori charitate viri filios, quàm matres prosequuntur.

D. Chrys.

Oleast.

Patres malũt cum filiis seruitutem, quã sine illis libertatem.

Abul.

sine illis præoptarint. Sic olim Danitæ contra Ephraïtas pugnaturi, ante se ire fecerunt paruulos suos. Iud. 18. num. 21. Et rationem reddit Abulensis: *Quia*, inquit, *consuetudo erat antiquorum, quando pugnaturi erant, ducere secum uxorem ac filios, & quidquid melius possidebant, vt incitati amore istorum pugnarent acriter, & non putarent propter quemuis sinistrum casum fugiendum esse: quia nihil boni supererat, ad quod fugere possent, relictis in bello chara vxore & dulcibus filiis.* Ita ille. Adeò parentes suos filios diligebant, vt pro illis à periculo liberandis nullum periculum formidarent.

Parentes pro filiis à periculo liberandis, nullum reformidant.

XV. Caïn olim, vt est in Litera, *Ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij sui, Henoch.* Gen. 4. num. 17. Dubitabis, cur non potiùs eam de suo nomine nuncuparit? Duplicem rationem assignat D. Thom. si ille est Auctor commentariorum in Genesim, qui sub eius nomine circunferuntur. Vnam: *Quia*, inquit, *ex maledictione Dei, & infamia facti sui, erat mundo odiosus; ne ex infamia eius ciuitas odiosa redderetur.* Hoc boni egit pessimus Caïn: noluit pessimi Auctoris nomen ad posteros transmitti. Alteram, ad rem præsentem: *Quia parentes*, inquit, *sunt magis solliciti de filiis, quàm de seipsis; ideò ciuitatem à filio denominauit.* Maluit sui filij nomen, quàm suum apud posteros viuere & vigere: ita pater filium amabat. Noë maledicturus filio suo Cham, maledixit eius filio Chanaan. Gen. 9. n. 25. Vbi D. Chrysostomus hom. 29. ad rem præsentem, *Neque hoc*, inquit, *absque ratione factum est: quia pater non minorem pœnam & cruciatum habuit, quàm filius: grauius enim est videre filios suppliciis affici; quàm si ipsi parentes iis fiant obnoxij.* Et eandem rationem inculcat D. Ambrosius de Noë & Arca, c. 9. *Qua ratione*, inquit, *cum filius eius Cham peccauerit: non ipsum, sed filium eius seruituti addixit? Fortasse ideo, quia plus afficitur miseriis filij sui.*

D. Thom.

Ex impiorum factis ciuitas redditur odiosa.

Caïn filij sui nomen suo anteponit.

D. Chrys.

Parentes non filios maledicunt, sed alios.

D. Ambr.

XVI. Heliseus audiens illos pueros sibi conuitiantes, ac dicentes: *Ascende, calue: ascende, calue.* 4. Reg. 2. num. 23. facilè intellexit, illud conuitium non tam à pueris malè educatis, quàm ab eorum parentibus malè educantibus profectum: & tamen non eorum parentes; sed ipsos filios duobus vrsis tradidit lacerandos. Ibidem, num. 24. Rationem reddit Iustinus Martyr q. 80. ad Orthodoxos, *Quia*, inquit, *puerorum clade parentes flagellauit.* Ac si patres filiorum pœnis, non minùs, quàm propriis torquerentur. Scitu dignum est, quod de Polycarpo quodam Siculo refertur: cùm magnis cruciatibus adigeretur ad crimen quoddam, de quo accusabatur, confitendum; semper immobilem & inexorabilem negasse. Sed, cùm Iudex nouum tormenti genus machinatus, præciperet, vt tandiu torqueretur eius filius, quousque pater confiteretur; statim pater, antequàm filius tormentum subiret, totum crimen detexisse: & interrogatum, cur inter filij cruciatus aperuisset, quod inter proprios celasset; respondisse: quia ægriùs sui filij tormenta, quàm sua propria sustinebat; cùm parentis animus magis esset in filio, quem amabat; quàm in proprio corpore, quod animabat. Grauiter igitur afficerentur Hebræi, si eorum filij malè tractarentur.

Parentes filiorum pœnis nō minùs quàm propriis torquentur.

Iustin.

Mirus parentis cuiusdam in filium amor.

XVII. Tertiò, grauis erat hæc iniuria: quia Hebræorum filij ad laboriosa & periculosa officia trahebantur. *Ponet*, inquit, *in curribus suis.* Vbi sermo est de curribus militaribus ac ciuilibus: nam de rusticalibus inferiùs dicetur. Et sensus potest esse duplex. Vnus. Vtetur filiis vestris, tanquàm equis ad trahendos currus: vt de Sesostre Imperatore Ægyptio retulerunt Alex. ab Alexan. lib. 6. gen. dierum, c. 6. & Diodorus Siculus lib. 2. c. 1. & Plin.

Quomodo intelligendum ponendos filios in curribus.

Alex. Diod. Plin.

lib. 33. c. 2. De quo etiam cecinit Lucanus lib. 10. circa medium:

Venit ad occasum, mundique ad extrema Sesostris;
Et Pharios currus Regum ceruicibus egit.

Lucan.

Sesostris Reges ad currum iunxit.

Et quid simile dicitur de Mario, qui in magnis cursibus & itineribus suos milites tam multis sarcinis portandis onerabat, vt in parœmiam abirent, qua *Mariani muli* dicebantur: vt apud Plutarchum in Mario, Alexandrum ab Alex. lib. 5. gen. dier. cap. 15. Erasmum in Adagiis, & alios, videre est. In hanc barbaram tyrannidem, vt hominibus pro equis vterentur, nonnulli Imperatores eruperunt. Vnde D. Petrus Damianus lib. 7. epistol. epist. 5. *Valerianus*, inquit, *Imperator in Mesopotamia cum Sapore Persarum Rege prælium commisit, & perdidit: qui, nimirum, ignobili apud Parthos seruitute consenuit; & quoad vixit, huic probrosa addictus est pœna, vt eiusdem prouinciæ Rex, incuruato eo, pedem ceruicibus imprimeret, & sic in equum arrogantia tumidus assiliret.* Huc alludens Plinius Iunior in suo Panegyrico, Traianum laudat, quòd non, vt alij superbi Imperatores, hominum humeris veheretur: *Priores*, inquit, *inuehi & portari solebant, non dico quadriiugo curru & albentibus equis; sed humeris hominum; quod arrogantius erat: tu sola corporis proceritate elatior aliis & excelsior, non de patientia nostra quendam triumphum; sed de superbia Principum egisti.* Sed & Philo Hebræus in lib. De Decalogo, sub initium, loquutus de vrbano fastu & sellis curulibus, *Quibus*, inquit, *impositas celsas Potestates, Diis æquas, officiosa turba assectarum prosequitur inuectas quadrigis mulorum, equorúmve; interdum etiam lectica gestatas, succollantibus hominibus, & ipso corporis habitu animum seruitute oppressum ostendentibus.* Vbi celsas Potestates appellat arrogantes illos profanósque Imperatores, qui se tanquàm humanos Ioues venerandos adorandósque hominibus exhibebant.

Plut. Alex.

Mary milites, Mariani muli dicebantur.

D. Dam.

Saporis Persarū Regis probrosa ignominia.

Plin.

Traiani modestia commendatur.

Philo.

Superbi Imperatores, celsæ potestates, dicuntur à Philone.

Cæterùm & in sacris Literis nonnulla sunt loca, quæ hanc superborum Regum tyrannidem redolere videantur. Nam Iobus mortis tyrannidem expressurus, *Calcet*, inquit, *super eum, quasi Rex, interitus.* Cap. 18. num. 14. Nam, sicut mors æquo pulsat pede pauperum tabernas, Regúmque turres: ita & Rex tyrannus summos pariter atque imos pedibus proterit & conculcat. Dauid miseram suorum captiuorum conditionem lamentatus, *Imposuisti*, inquit, *homines super capita nostra.* Psal. 65. n. 12. seu, vt ex Hebræo legi potest: *Equitare fecisti homines super capita nostra.* Nam Ægyptij & Babylonij Hebræorum in captiuitate commorantium, tanquàm equorum, ceruicibus insidebant. Huc pertinet illud cælestis sponsæ: *Anima*, inquit, *mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Cant. 6. num. 11. Hebræi apud Lyranum ita legunt: *Posuit me quadrigas populi Principis.* Et explicant de Synagoga. Quasi diceret: Mea peruersa voluntas effecit, vt Babylonij & Assyrij meis ciuibus pro quadrigis vterentur. Sed faciliùs possent hoc supplicium referre ad Reges ipsos Hebræorum, iuxta hanc Samuelis de iure Regis prædictionem. Sunt, qui dicant, ad hunc morem allusisse Isaiam, cùm explicaturus Hebræorum de Philisthinis victorias ac triumphos, dixit: *Volabūt in humeros Philisthiim.* Isaiæ 11. num. 24. Hoc est: sicut victores in equos insiliunt; ita & Hebræi in Philisthinorum humeros inuolabunt, à quibus more iumentorum portabuntur.

XVIII.

Tyrannus summos pariter & imos pedibus conculcat.

Misera Hebræorum in captiuitate conditio.

Lyran.

Babylonij Hebræis, vt quadrigis vtebantur.

Philisthini victi, victoris Israel iumenta.

Clariùs hanc barbaricam tyrannidem expressit illa Hebræorum in captiuitatem abeuntium de suis victoribus querimonia: *Ceruicibus*, inquiunt, *nostris minabamur: lassis non dabatur requies.* Thren. 5. num. 5. Hoc est: Tanquàm iugalia quædam iumenta

XIX.

Hebræi in captiuitate vt iumenta ducebantur.

iumenta magnis grauata sarcinis ducebamur. A Quem locum Chaldęus Paraphrastes dilucidè explanat: *Super iuncturam*, inquit, *ceruicis nostra oneratis sumus, quando pergebamus in captiuitatem. Vidit Nabuchodonosor impius Præfectos filiorum Israël, qui ibant vacui: & præcepit, vt consuerent libros legis, & vt facerent ex eis manticas; & impleuerunt eas lapillis, qui erant in ripa Euphratis, & onerauerunt eos super colla eorum.* In qua periphrasi videre licet, in primis captiuorum pietatem, quià à reliqua vacui supellectile, solos legis libros secum deportabant, quibus omnes captiuitatis molestias consolarentur. Cuius pietatis præcipuum exemplum ediderunt ipsi Hebræorum Principes & Præfecti, qui secum eos libros extulisse non obscurè insinuantur. Nam plebeiis hominibus, rerum ad pietatem religionémque spectantium incuriosis, soli Principes præcipuam illarum curam recordationémque habebant. Deinde admirari & execrari licet victoris tyranni impietatem, qui non solùm miseros captiuos, rerúmque omnium egenos præ se agebat: sed etiam tanquàm onerataria iumenta magnis ponderibus prægrauabat. Et quidem infelicior erat captiuorum, quàm iumentorum conditio: nam iumenta vtiles sarcinas ad suorum dominorum commoda subuectant: at verò captiui lapillorum inutile pondus, quo ipsi premerentur, nec suis dominis prodessent, baiulabant. Itaque superbi Principes miseras hominum ceruices deprimebant, iisque pro curribus vtebantur. Ad hos igitur vsus dicitur hoc loco Rex Israel suorum ciuium filios à parentibus ablaturus, & suis curribus C subiugaturus. Longè aliter boni Principes & Prælati: licèt enim potestate, omnium capitibus emineant, tamen humilitate omnium pedibus substernuntur. Quorum de numero D. August. qui serm. 62. De verbis Domini, *Nos*, inquit, *qui vobis videmur loqui de superiore loco; cum timore sub pedibus vestris sumus: quoniam nouimus, quàm periculosa ratio de ista quasi sublimi Sede reddatur.* Atque hæc de priori sensu. Posterior sequentibus verbis exponitur.

Capiuorum pietas, solos legis libros secū deportātium, commendatur.

Superba tyrannorum licentia perstringitur.

Iusti omnium capitibus eminentes, omniū pedibus substernuntur.
D. Aug.

XX. *Faciet sibi equites*, &c: Alter sensus præcedentium verborum, erat: Ponet filios vestros in curribus suis: non iam vt equos portaturos; sed, vt equites portandos; & vt aurigas, qui illos regant D & guberneut. Qui sensus præsentibus verbis clarior explicatur: *Faciet*, inquit, *sibi equites*, &c. Hoc est, ex filiis vestris constituet sibi equites, qui ex curribus falcatis depugnent, & præcursores quadrigarum, seu aurigas, qui eorum currus moderentur. Nam in curribus falcatis alij quidem cum hostibus certabant; alij verò equos dirigebant: vtrique magnis periculis expositi. Grauis igitur iniuria Hebræis inferebatur; dum eorum filij, seu ad pugnandum, seu ad gubernandum, curribus deputabantur, absque vlla Reipublicæ necessitate: sed solùm ad ostentationem regiæ maiestatis. Quo vno titulo regium nomen vel Romanis intolerabile videbatur: teste D. August. lib. 5. De ciuit. E cap. 12. *Romani*, inquit, *regalem dominationem non ferentes, annua imperia, binósque Imperatores sibi fecerunt: qui Consules appellati sunt à consulendo non Reges, aut Domini, a regnando atque dominando.* Et paulò pòst, *Fastus*, inquit, *regius non disciplina putata est regentis, vel beneuolentia consulentis; sed superbia dominantis.* Dicuntur igitur Reges Israël magno curruum & quadrigarum apparatu, magno equitum & aurigarum satellitio ad suam ostentationem, & ciuium offensionem incessuri: vt populus misera deterritus seruitute à Regibus postulandis auertatur.

Hebræi ut aurigæ curribus deputantur.

D. August.
Regium nomē cur Romanis inuisum.

Regum fastu & superbia deterrentur Hebræi, ne pòstulent.

Si quæras, quisnam Regum hanc iniuriam populo intulerit? Certum mihi est, non fuisse Saülem, qui adeò pauperem habuit Rempublicam, vt nullus in ea gladius, nulla hasta aliquando inueniretur. 1. Reg. 13. num. 22. nedum currus & quadriga. Item, non fuisse Dauidem. Licèt enim Dauid ceperit aliquando ex præda hostili mille quadrigas, & reliquis destructis ac dissipatis, centum sibi reseruarit, 1. Par. 18. num. 4. ad tuendam tegiam maiestatem & publicam vtilitatem necessarias: tamen non videtur illis ciues addixisse; sed hostes, quos pariter ceperat: vel si ciues; ea moderatione vsus est, vt suum ius nemini violaret. Quod de æquitate Dauidis facilè credi potest, ac debet. Coniicio igitur, fuisse Salomonem, qui contra illam legem diuinam: *Rex non multiplicabit sibi equos*, &c. Deut. 17. num. 16. *habebat quadraginta millia præsepia equorum currilium, & duodecim millia equestrium.* 3. Reg. 4. num. 26. *Et facti sunt ei mille quadringenti currus*, 3. Reg. 10. num. 26. quod etiam 2. Paral. 1. num. 14. & c. 9. num. 25. inculcatur. Tam multis igitur curribus regendis necesse erat, vt etiam ciues & eorum filij non sine violentia addicerentur: præsertim cùm Salomon Rex pacificus non haberet hostes, quos curribus deputaret. XXI.

Fuisse Salomonem, probabili coniectura existimatur.

Quamuis negandum non sit, multos ex his equitibus, spontaneos & eleganter excultos accessisse: de quibus Iosephus lib. 8. Antiq. c. 5. *His equis*, inquit, *deem addebant equites, flos iuuentutis, proceræ statura, promissióque capillitio conspicui, & tunicis è Sarrana purpura indui. Ad hæc, ramentis auri capillum quotidie spargebant: vt ad solarium radiorum contactum fulgor è capitibus eorum reflecteretur.* Ita ille. Sed mirum non est, sub Rege delicioso tantam fuisse quorundam equitum mollitiem. Mirandum tamen è molli & effœminato Rege, durissimam ac seuerissimam in subditos tyrannidem extitisse. De Salomone enim ad eius filium Roboamum, dicebant Israëlitæ: *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis*, 3. Reg. 12. num. 4. Mollissimus enim sibi Rex, aliis durissimus existebat: vt omnia præposterè agerentur. A Salomone igitur, & ab aliis Regibus, qui eius in multiplicandis curribus insaniam didicerunt, hæc Hebræorum filiis iniuria inferebatur. Familiare enim fuit hoc vitium Regibus Israël. Vnde Isaias c. 2. num. 8. *Repleta est*, inquit, *terra eius equis; & innumerabiles quadrigæ eius.* Et c. 31. num. 1. *Væ, qui descendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis sperantes, & habentes fiduciam super quadrigis, quia multæ sunt, & super equitibus, quia præualidi nimis.* Et similiter alij Prophetæ conqueruntur. Et quod deterius erat, saginabant equos; & equorum altores, seu curatores inedia consumebant. Quod expendens Philo Hebræus De agricultura, ad locum Deut. proximè citatum, *Vituperandi sunt*, inquit, *apud quos bruta iumenta honorantur: quorum ex ædibus equorum greges semper saturi procedunt: hominum verò eos deducentium nemini vel sportula succurrit, inopia solamen.* Similis est illa Tertulliani, lib. De corona militis, c. 13. indignatio in eos, qui publicos equos non modò saginabant, sed etiam coronabant. Et tamen *Dominus tuus*, inquit, *vbi Ierusalem ingredi voluit, nec asinum habuit priuatum.* Eleganter D. Bernar. epist. 42. introducit turbam pauperum, quęritantium in Episcopos ornandis equis, quàm pascendis egenis promiores: *Iumenta*, inquit, *gradiuntur onusta gemmis: & nostra non curatis crura nuda caligulis. Annuli, catenulæ, tintinnabula, & clauata quædam corrigia, multáque alia tam speciosa coloribus, quàm ponderibus pretiosa, mulorum dependent ceruicibus,*

XXII.
Multi Salomonis aurigæ spontanei.
Ioseph.

Salomon sibi mollissimus, aliis durissimus erat.

Insana curruum multiplicatio familiare Regibus vitium.

Philo.
Saginant equos, equites inedia absumunt.

Tertul.

D. Bern.
Episcopi ornandis equis, quàm pascendis pauperibus promiores, obiter perstringuntur.

terricibus, fratrum autem lateribus, nec semicinctia miserantes apponitis. Ex his patet huius grauitas iniuriæ, qua ciues opprimebantur, vt regij currus ornarentur. Sed iam alias expendamus.

Num. XII. Et constituet sibi Tribunos & Centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum & curruum suorum.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *ET constituet, &c.* Tria munera prædicuntur hoc loco imperanda, bellica, rustica, vrbana. Quod attinet ad bellica. *Costituet,* inquit, *Tribunos & Centuriones.* Pro Tribunis est in Hebræo: *Principes millium.* Vnde Septuaginta in Sixtianis transferunt, *Chiliarchos,* id est Præfectos millenarios. Pro Centurionibus est in Hebræo: *Principes quinquaginta.* Nec refert, si Latinus transferat, *Centuriones,* id est, Principes centum; quia sensum attendit, non verba: & intellexit hoc loco certa munera pro incertis vsurpari. Dubitabis: An hæc Tribunorum & Centurionum munera fuerint tantùm militaria, an etiam ciuilia? Respondeo, de vtroque genere esse potuisse. Nam ad populum in pace gubernandum etiam Tribuni & Centuriones creabantur: vt patet ex consilio Iethronis ad Moysen: *Constitue,* inquit, *Tribunos & Centuriones & Quinquagenarios & Decanos, qui iudicent populum omni tempore.* Exod. 18. n. 21. In vtroque igitur Reipublicæ statu, bellico & pacifico, dicuntur hi Magistratus à Rege constituendi.

[illegible] & mi. [illegible] exercenda.

II. Maior dubitatio est, in quo huius iniuriæ ratio ponatur? Nam hæc munia tam in bello, quàm in pace valdè gloriosa erant iis, quibus dabantur. Vnde Salomon honoris causa dicitur ea filiis Israël distribuisse: *De filiis autem Israël,* inquit Textus, *non constituit Salomon seruire quenquam: sed erant viri bellatores & ministri eius, & Principes & Duces & Præfecti curruum & equorum.* 3. Reg. 9. n. 22. Vbi hæc munera sine dubio liberalia, non seruilia fuisse significantur. In quo igitur opprimebantur ciues, dum his muneribus donabantur? Facilis est responsio ex Iosepho, sub his nominibus alia quoque planè seruilia intelligente, satellitum, cursorum & similium: ac tandem concludente: *Nihil est, quod non cogentur facere, more mancipiorum, qui pecunia parantur.* Nihilominùs Literæ insistendo, respondeo, hæc munera conferri posse; vel cum ciuibus, quibus Rex ea conferebat; vel cum populo, ad cuius gubernationem ea ordinabat. Priori modo erant ciuibus onerosa, interprete Abulensi, non secundùm se, sed secundùm temporis circunstantiam: quia etiam nolentes, & pacis otia præoptantes, militare cogebantur, aut à vita priuata, quam maximè amabant, ad publicam, quam oderant, trahebantur inuiti; vel fortasse, quia quantùm honorum dabatur ex vna parte, tantùm tributorum ex altera exigebatur. Erant enim Reges faciles ad inania titulorum nomina conferenda; & tenaces ad immensa tributorum onera imperanda. Quod planè contigit tempore Salomonis. Nam illi ipsi, quos Rex Salomon tam multis præfecturis exornarat, vt proximè diximus; accesserunt postea ad eius filium Roboamum, dicentes: *Pater tuus durissimum iugum imposuit nobis.* 3. Reg. 12. n. 4. Nam, vt ibi Lyranus exponit, honores dabat, sed pecunias extorquebat. Similis Romano Imperatori Vespasiano Augusto, qui, auctore Suetonio in

Videri honoris munia, non dedecoris.

Ioseph. Prima responsio ex Iosepho.

Secunda ex ipsa Litera deprompta.

Lyran.

A eius vita, c. 16. ciuibus, tanquàm spongiis vtebatur, & madefaciebat siccos, vt diuitiis expoliaret. *Creditur,* inquit Suet. *Procuratorum rapacissimum quemque ad ampliora officia ex industria solitus promouere, quo locupletiores mox condemnaret: quibus quidem vulgò pro spongiis dicebatur vti: quod quasi & siccos madefaceret, & exprimeret humentes.* Nec absimile est, quod de Rege Herode scribit Iosephus, eum magnis priuilegiis aliquot vrbes ornare solitum, vt easdem posteà magnis tributis oneraret. Nescio quid simile de Dionysio Tyranno dicere solebat Diogenes Cynicus, eum amicis vti pro vasculis. Nam plenos, inquit, euacuabat: vacuos abiiciebat. Sic igitur & Rex Israel quantùm conferebat honorum, tantùm extorquebat diuitiarum.

Aliqui muneribus cumulant, vt diuitiis spolient. Sueton.

Ioseph.

B Posteriori modo erant hæc munera vniuerso populo onerosa & iniuriosa. Primò, quia Rex eligebat Magistratus numero plures, quàm sat erat, fortasse, vt multorum sibi beneuolentiam conflaret, & voluntates deuinciret: vnde, cùm ex multorum definitionibus ac suffragiis causæ & lites penderent; oportebat, vt litigantes multos adirent, multorum limina pulsarent, in multorum manus pretia conferrent, ac denique huc illuc circumcursando, priùs exhaurirent opes, quàm finirent causas: immò priùs vitam profunderent, quàm victoriam obtinerent. Secundò, quia eligebat indignos: non quales Iethro monuit eligendos *viros sapientes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* Exod. 18. n. III.

Hæc munia erant onera ob electorum multitudinem.

Secundò, ob electorũ indignitatem.

C 21. Sed stultos, contemptores Numinis, osores veritatis, cupidos, suorum lucrorum aucupes & venatores, quibus proinde iudicantibus peruertebantur iudicia, abrogabantur leges, flagellabantur ciues, ius & fas à tota Republica exulabat. Vnde, qui iniquos Samuelis filios, tanquàm implacatam Charybdim fugiebant, in hos maligniores Iudices tanquàm in Scyllæam rabiem regerebantur. Tertiò, quia in suam vtilitatem, non in populi commoditatem hos Magistratus eligebat, obsequẽtes sibi potiùs, quàm populo consulentes: vt patet ex pronomine, *Sibi: Constituet sibi Tribunos & Centuriones:* qui Regi potiùs, quàm regno obsequantur. Iniquus enim Rex nolebat Magistratus, quorum æquissimo iudicio notaretur, reuocaretúrque à

Tertiò, quia in suam non populi vtilitatẽ eligebantur.

D malo: sed quorum adulatoriis suffragiis ad luxuriã & iniustitiam, cæteráque flagitia abuteretur. Ex quibus patet, quanta in populũ iniuria redũdaret, sub pessimis Iudicibus oppressum & vexatum: quanta bonis pernicies, quãta malis audacia crearetur; nam honores, qui virtutum præmia esse debent, fiebant incitamenta vitiorum; cùm non probis, sed prauis moribus emerentur: quanta denique sub iniquissimo Rege publicarum priuatarúmque rerum vorago panderetur.

Honores virtutum præmia sunt, aliquando vitiorũ incitamenta.

VI. *Et aratores agrorum suorum, &c.* Quod attinet ad munera rustica. Dicuntur Israëlitæ assumendi à Regibus in aratores & messores. Septuaginta addunt: *Et vindemiatores.* Nam magna pars diuitiarum, quibus Reges Israël potiebantur, terræ

Magna diuitiarum pars Regum Israël ex terræ fructibus erat.

E fructibus constabat. Vnde de Rege Ozia dicitur: *Quòd haberet multa pecora, tam in cãpestribus, quàm in eremi vastitate: vineas quoque habuit, & vinitores in montibus, & in Carmelo: erat quippe homo agriculturæ deditus.* 2. Par. 26. n. 10. Salomon verò, *Plantaui,* inquit, *mihi vineas, feci hortos & pomaria, & syluas lignorum germinantium. Possedi armenta & magnos ouium greges.* Eccles. 2. à n. 5. Denique Dauid iuxta Septuaginta dicitur habuisse *thesauros in agris, & in pagis, & in villis.* 1. Par. 27 num. 25. Hoc est, ex terræ frugibus, seu ex agricultura collectos. Et quidem veteres Patriarchæ diuitias

habebant amplas, sed non delicatas: vt videre est in Iobo c.1.n.13. Vbi inter eius opes, nihil, nisi pecuarium refertur. Quod D. Chrys. in catena Græca citatus rectè expendit: *Vide, inquit, hominem agrestibus diuitiis affluentem. Oues & boues, & quæ ex anni tẽporibus & agricultura percipiũtur, recensuit. Non in pretiosa materia gloriabatur; sed iis rebus, quæ indigentiæ modicè subuenirent, contentus erat. Hunc nobis Regem Scriptura proponit: non equorum mentionem facit, non auro conglutinatorum curruum: non argenti, atque auri thesauros meminit: non lapides pretiosos: non cæteras res, quibus hominum diuitiis inhiantium morbus inflammatur: sed illa enumerat, quæ ad vitæ necessitatem sunt accommodata.* Itaque Iobi diuitiis nihil erat cum deliciis commune: sed virilem in suis opibus splendorem sanctissimus Patriarcha retinebat.

D. Chrys.
Veteres Patriarchæ opes habebant amplas, sed non delicatas.

V. Eandem doctrinam latè prosequitur Orig. lib. 1. in Iobum: *Auri*, inquit, *& argenti, atque vestium non meminit: quia non habuit. Erat nanque hoc verè; vt priores* (scilicet, Heroës & Patriarchæ) *non tantùm in auro & argẽto sibi thesaurizarent; quantùm in pecoribus, & in quadrupedibus: non enim erant ita auri expetitores, sicut sumus omnes nos*, &c. Et paulò pòst rationem huius discriminis reddit, non contemnendam: *Quia*, inquit, *in fine est iam hic mundus; & mortuus est, iam properans ad defectum: ideò mens hominum inhiat his, quæ mortua sunt. Olim verò, vtpote adhuc incipiente seculo, & adhuc viuente mundo hoc; viua atque crescentia cupiebant homines pecora atque agriculturam.* Vnde tandem concludit: *Tales ergo diuitias habuit laudabilis ille Iob, castas, mundas, incoinquinatas, incontaminatas.* Et post pauca in hanc sententiam explicat illud Salomonis: *Beatus diues, qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abiit.* Ecclesiastici 31. num. 8. Diuitem enim non abeuntem post aurum, interpretatur esse illum, qui in pecoribus, ac terræ frugibus; non in auri, argentique aceruis suas diuitias constituat. Quamuis non neget etiam esse illum, qui aurum habens, tamen auarè non retineat, sed pauperibus liberaliter largiatur. Septuag. in Bibl. Sixtianis post enumeratos Iobi greges & armenta, addunt: *Et opera magna erant ei super terram.* Quod Origenes citatus explicat de agrorum frugibus: *Hæ nanque*, inquit, *erant antiquorum diuitiæ: hoc ab eis thesaurus reputabatur; area & torcular, oliueta & ficeta, atque vniuersa opera, quæ sunt in agro; quæ cum labore & sudore atque manuum callositatibus acquiruntur cum iustitia.* Itaque diuitiæ, quò minùs deliciosæ sunt, & magis operosæ, quales plerunque ex pascuis & agris colliguntur; eò minùs periculosæ & magis fructuosæ credebantur.

Orig.
Iob, thesauri, non aurum & argentum, sed pecora.
Qui simili modo thesaurisent, beati appellantur.
Diuitiæ, quò magis operosæ, eò minùs periculosæ.

VI. Cùm igitur Reges Israelis, vt diximus, agriculturæ vacarent; nonnulli eorum, qui iniusti erant, suos ciues ab vrbibus in agros, etiam per iniuriam, relegabant; omnia rustica officia in ipsorum Regum vtilitatem curaturos. Qui, inquam, iniusti erant. Nam cultores iustitiæ suos greges & agros sine vlla ciuium iniuria colebant: vt patet in Dauide, qui, quamuis singulis officiis rusticis singulos viros præposuerit, 1. Par. 27. à num. 26. non tamen inuitos, sed spontaneos, immò maximè idoneos eligebat. Vt ex eo colligit Lyranus, quòd super camelos constituerit, *Vbil Ismaëlitem*: & super oues, *Iaziz Agareum*, Ibidem, num. 30. & 31. *Nam Ismaëlitæ*, inquit Lyranus, *meliùs sciunt nutrire & custodire camelos, quàm Agareni. Agareni autem habitabant in tentoriis, & ideò meliùs poterant custodire oues, portando habitacula sua de loco ad locum, ad inueniendum pascua.* Ita ille. Vbi singularis Regis prudentia enituit. Sciens enim nihil inuita fieri Minerua, homines à natura maximè habiles ac propensos singulis muneribus præficiebat: cùm tamen imprudentes Reges & ineptos & inuitos operarios ad hæc munera destinando, & illis iniuriam facerent, & ipsi suas opes dissiparent.

Iusti Reges sine vlla ciuium iniuria colebant agros, non iniusti.
Lyran.
Prudentia est, à natura habiles ac propensos muneribus præficere.

VII. *Et fabros armorum*, &c. Quod attinet ad munera vrbana: dicuntur filij Hebræorum assumendi à Regibus in fabros lignarios & ferrarios: quorum illi currus, hi arma fabricarent. In Hebræo est: *Ad facienda vasa belli, & vasa curruum*: iuxta vulgarem Hebraïsmum, quo instrumenta quælibet, vasa appellantur: vt suprà cap. 6. Num. 8. latiùs ostendi. Hoc autem, quamuis vrgente necessitate, citra iniuriam fieri à Regibus potuisset: non tamen ad inanem regiæ maiestatis ostentationem. Potuit autem hæc iniuria contingere tempore Salomonis. Nam, cùm illi optimæ quadrigæ ex Ægypto afferrentur, 3. Reg. 10. n. 29. quarum ille deliciis tenebatur: voluit fortasse apud se optimos quadrigarum artifices habere; ne deinceps ab externis regionibus mendicare cogeretur. Item, cùm multa armorum genera fabricanda curarit; in quibus fuerunt ducenta scuta ex auro purissimo; & trecentæ peltæ ex auro probato. 3. Regum 10. num. 16. & 17. necesse erat, vt multos ad ea fabricanda opifices haberet.

Vasa in Scriptura vocantur instrumenta.
Hæc iniuria Salomone Rege potuit contigisse.

VIII. Vbi obiter nota, Salomonem Regem pacificum armis militaribus abundasse; vt significaret Christum Dominum, qui, quamuis fuerit *Princeps pacis*, Isai. 9. num. 6. tamen *gladium venit mittere in terram.* Matthæi 10. num. 34. Cui proinde recens nato Angeli non in pacificos choros, sed in bellicos cuneos militiæ cælestis conformati; pacem cecinerunt. Lucæ 2. num. 13. Vt & pacificum eius bellum, & bellatricem eius pacem mundo prædicarent. Nota prætereà, commemorata Salomonis arma fuisse omnia ex iis, quæ ad tegendum, non quæ ad lædendum fabrefiunt. Vt significarent, arma Christi Domini, non tam ad mouendum bellum, quàm ad firmandam pacem spectare. Vnde non alio gladio accinctus dicitur, quàm specie sua & pulchritudine sua. Psalm. 44. n. 4. & 5. quæ potiùs amorem conciliant, quàm timorem. Tandem nota, illa ipsa arma, quæ loco citato Reg. dicuntur *Scuta*: posteà 2. Paral. 9. n. 15. appellari *hastas*: quia ex ipso scuto quædam cuspis in morem hastæ prominebat. Nec sine mysterio. Nam arma patientiæ, quibus tegitur Christianus, si quiescentem hostem non impetunt, saltem configunt irruentem. Vnde Tertul. libr. 6. De patientia, c. 8. *Plus*, inquit, *improbum cædis sustinendo.* Vbi multa de hac re.

Christi Domini bellum pacificum, pax bellatrix.
Christi Domini arma nõ tã bello apta, quàm paci.
Patientia arma saltem lædunt irruentes.
Tert.

Num. XIII. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Filias quoque vestras*, &c. Hæc est alia iniuria à Regibus in Hebræos exercenda: eò grauior, quò periculosior est filiarum, quàm filiorum à parentibus abstractio: & eò acerbior, quò maior est parentum in filias, quàm in filios amoris teneritudo. *Faciet*, inquit, seu, vt est in Hebræo: *Capiet*, scilicet per violentiam, *filias vestras in vnguentarias.* Interlin. Regia vertit: *In pigmentarias.* Quæ nomina Abulensis negat esse synonyma: cùm pigmentariæ siccorum; vnguentariæ verò liquidorum odoramentorum confectrices dicantur. Nihilominùs nomen Hebræum, quod

Hæc iniuria eò maior, quò maior parentũ in filias amor.
Abul.
Pigmentariæ & vnguentariæ idẽ sunt.

quod hic ponitur, רקחת *Rakachoth*, indifferens est ad vtrúque significádum, a verbo רקח *Rokach*, id est, odoramenta quælibet, tam liquida, quam sicca temperare, seu commiscere. Vnde qui dicitur vnguentarius, Exod. 30. num. 25. & qui dicitur pigmentarius, Exod. 37. num. 29. vterque dicitur in Hebræo, רקח *Rokeach*, ab eodem verbo.

II. Quod verò ad rem attinet, improba fuit illa antiquitatis consuetudo, vt vnguentis atque odoramentis ad delicias vteretur. Quod nonnulli Patres iustissime carpunt. Nam Clemens Alexand. lib. 2. Pædagogi, cap. 8. *Oportet*, inquit, *viros in primis apud nos vnguenta non olere: sed vitæ probitatem. Spiret autem fœmina Christum, qui est regalis vnctio; non vnguenta.* Ita ille. Vbi laudat eas ciuitates, quæ vnguentarios, id est, vnguentorum artifices, à se procul expulerunt: *Ne virilitatem*, inquit, *ipsam effœminarent.* Et paulò pòst, *Sicut boues*, inquit, *funibus; ita etiam intemperans suffitibus & vnguentis & suaueolentibus coronarum odoribus trahitur.* At verò D. Hieron. lib. 2. aduersùs Iouinian. *Odores*, inquit, *& diuersa thymiamata, & amomum, & muscus, & peregrini muris pellicula, quòd dissolutis & amatoribus conueniant; nemo, nisi dissolutus, negat.* Consentit D. Ambrosius lib. De Helia & ieiunio, cap. 10. *Vnguento*, inquit, *se vngunt, qui corporis odoris gratiam quærunt. Sed & illa vnguenta libidinis illecebras mouere consueuerunt.* Acriùs sanè Diuus Chrysostomus concione 1. De Lazaro: *Te*, inquit, *non oportet olere vnguentum, sed spirare virtutem. Nihil immundius anima, quoties corpus talem habet fragrantiam. Corporis enim, ac vestium fragrantia, arguit intus latere animum graueolentem atque immundum. Cùm enim Diabolus aggressus deliciis eneruauerit animam, omnique vitiorum genere compleuerit; tum in corpore suæ corruptionis leibum obliuit vnguentis.* Quare D. Gregorius Nazz. Orat. 43. in nouam Dominicam, *Odoratus*, inquit, *te effœminauit: odorum suauitates fuge.* Vbi Nicetas, *Turpe enim est*, inquit, *& muliebre, atque à viro alienum, vnguentis & odorum suauitatibus vti.* Et statim ex immodico vnguentorum vsu mares effici salaciores, confirmat exemplo Commodi Imperatoris: *Ferunt enim*, inquit, *Commodum Imperatorem, cùm grassante aliquando peste, vnguentis vsus esset; ex ea re ad libidiné maiores flammas concepisse.* Quòd si vnguenta ad pestem corporis præcauendam adhibita, ditiorem libidinis pestem animo conciliarunt; quid vnguenta solius gratia voluptatis comparata? Abraham cum filiis Cethuræ suam communicare noluit hæreditatem. Gen. 25. n. 6. Rationem præsenti instituto accommodatam reddit D. Ambr. lib. 1. De Caïn & Abel, c. 6. quia Cetbura interpretatur *Odorifera*. Et statim, *Odore*, inquit, *aspersus, non fructu expletur.* Indigni enim sunt, qui ad cælestem hęreditatem admittantur, qui deliciosis odoribus perfundútur. Lact. Firmian. lib. 6. diuinar. Inst. c. 21. docet, *Turpe esse viro sapienti, si vnguento oblitus, ac floribus coronatus incedat: quod qui facit, vtique insipiens, ineptus & nihili est, & quem ne odor quidem virtutis attigerit.*

Perstringuntur odoramentorum deliciæ. D. Clem.
Odores amat improborum vita.
D. Hier.
D. Ambr.
D. Chrys.
Christianum nó olere oportet vnguentú, sed virtutem.
D. Greg.
Odoramentis vti fœmineum est.
Quæ mala afferant vnguenta ad voluptatem comparata.
D. Ambr.
Odoriferi cælesti hæreditate indigni.
Lact.
Sapiens vnguentis insipiens est.

III. Nec minùs hanc odorum & vnguentorum luxuriem profanæ literæ detestantur. Diogenes ille Cynicus cuidam calamistrato & vnguentato, *Caue*, inquit, *ne capitis odor sit vitæ fœtor.* Zeno, teste Laërtio in eius vita, cùm in circo hominum amicè fabulantium quendam vnguentarum animaduerteret: *Quis hic*, inquit, *mulierem oleat?* Vespasianus Imperator, vt refert Suetonius in eius vita, c. 8. adolescentulum quendam vnguento fragrantem, & ei pro impetrata præfectura gratias agentem, *nutu aspernatus, voce etiã grauissima increpuit: Maluissem allium oboluisses; literas q; reuocauit.* Philosophus

Laërt.
Capitis odor, vitæ fœtor.
Sueton.

A Aristippus, auctore Seneca lib. 7. De beneficiis, c. 25. *aliquando delectatus vnguento, Male*, inquit, *istis effœminatis eueniat, qui rem tam bellam infamauerunt.* Plin. lib. 13. natural. hist. c. 3. loquutus de vnguentis, *Hæc est*, inquit, *materia luxus e cunctis maxime superuacui.* Et rationem reddit, quia aliæ deliciæ paulisper durant: *Vnguenta*, inquit, *ilico expirant, & suis moriuntur horis.* Et paulò pòst Romanorũ luxuriam detestatur, apud quos vnguentis etiam castra patuerunt victrices aquilas, & militaria vexilla odoribus imbuentes. In quos proinde ironicè insultans, *Nimirum*, inquit, *hac mercede orbem terrarum corrupta deuicère aquilæ. Ista patrocinia quærimus vitiis; vt per hoc ius sumantur sub casside vnguenta.* Et B paulò pòst narrat quendam Plotium e primaria nobilitate proscriptum à Triumuiris, in Salernitana latebra, vnguenti odore proditum: *Quo dedecore*, inquit, *absoluta proscriptio est. Quis enim non meritò iudicet, perisse tales?* Ita ille. Quasi hominum commercio indignus esset, qui odoribus & vnguentis frueretur. Tandem Martialis lib. 2. epigr. 10. in correctis:

Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthume, semper:
Posthume, non bene olet, qui bene semper olet.

Senec.
Melior in viro allij odor, quã vnguentorũ.
Plin.
Romanorum etiam castra patebant vnguentis.
Qui odoribus vtuntur, hominum commercio indigni.
Mart.
Qui bene olet, non bene olet.

IV. Hic vnguentorum vsus frequentissimus fuit apud Hebræos: & quidem in bonam partem acceptus, si parcè adhiberetur. Sic enim Iudith *Lauit corpus suum, & vnxit se myro optimo.* Iudith 10. n. 3. Sic Susanna ancillas alloquuta, *Afferte*, inquit, *mihi* C *oleum & smigmata, & ostia pomarij claudite, vt lauer.* Dan. 13. n. 17. Sic Noëmi ad Ruth, *Lauare*, inquit, *& vngere.* Ruth 3. n. 3. Sic cælestis Sponsa, *Manus*, inquit, *meæ stillauerunt myrrham*, &c. Sic mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, *Attulit alabastrum vnguẽnti*, &c. Luc. 7. n. 37. Sic Christus Dominus ad ieiunantem: *Vnge caput tuum.* Matth. 6. n. 17. Et sic de aliis. Vnde Sponsa horũ auida vnguentorũ, ait: *Fulcite me floribus.* Cant. 2. n. 5. seu, vt habent Septuaginta: *Confirmate me in vnguentis.* Vbi D. Greg. Nyssenus orat. 4. vnguentorum nomine virtutes interpretatus, *O columnas*, inquit, *admirabiles! ò noua fulcra!* Et paulò pòst, *Qui fulciri*, inquit, *vult in vnguentis, constantiam in virtutibus consequi cupit.*

Apud Hebræos vnguentorum vsus, in bonã partem acceptus.
Probatur variis Testamenti locis.
D. Greg.

V. D In malam verò partem sumebatur vnguentorum vsus, si nimius & intempẽstiuus applicaretur. Sic Reges Israëlis de his deliciis notabantur. Nam ad Salomonem multa vndique aromata afferebantur. 3. Reg. 10. n. 10. & 25. Ezech. ostendit legatis Babylonis, *Domum aromatum, & aurum, & argentum, & pigmenta varia, vnguenta quoque*, &c. 4. Reg. 20. num. 13. Denique mortuo Asa: *Posuerunt eum*, inquit Textus, *super lectum suum plenum aromatibus & vnguentis meretriciis, quæ erant pigmentorum arte confecta; & combusserunt super eum ambitione nimia.* 2. Par. 16. num. 14. Et sic de aliis. Vnde oportebat, vt Reges his aromatibus condiendis haberent ancillas, quas suis parentibus aliquando per iniuriam extorquerent. Ad has ancil- E las mihi videtur allusisse Catullus, in suo Hendecasyllabo 13. ad Fabullum:

Vnguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt, Veneres Cupidinesque:
Quod cùm olfacies, Deos rogabis,
Totum vt te faciant, Fabulle, nasum.

Quin etiam Dauid ad has fœminas aromatum confectrices alludens, spiritualia obsequia Christo Domino à Christianis præstãda vaticinatur: *Myrrha*, inquit, *& gutta, & casia à vestimentis tuis à domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ Regum in honore tuo.* Psalm. 44. n. 9. Quasi diceret: Sicut olim Hebræorum filiæ suos Reges aromati-

In malã partẽ accipiebatur nimius & intempestiuus.
Ancillæ odoribus conficiendis præponebantur.
Catul.

Iusti virtutũ odoribus Deũ oblectantes.

bus & vnguentis delinebant ac deliniebant: ita & Regum filiæ, id est, iustorum animę te suauium virtutum odoribus oblectabunt. Eódem respexit & Sponsa de cælesti Sponso Christo Domino loquuta: *Oleum*, inquit, *effusum nomen tuum. Ideò adolescentula dilexerunt te. Trahe me post te, in odorem vnguentorum tuorum curremus.* Cant. 1. n. 2. & 3. Ac si diceret: Sicut olim virginum chorus cum myrothecijs & alabastris vnguentorum plenis suos Reges sequebantur: ita & te sanctarum animarum cœtus prosequetur. Quamuis in eo sit discrimen, quod ille virginum chorus suis odoribus Regem perfundebat: hic autem iustorum cœtus Christi odoribus p[...]ius ad Christum alliciendus dicebatur.

Iustorum animæ Christi odoribus perfusa trahuntur ad sequendum.

VI.

Et focarias, &c. Vox Latina a foco, circa quem mulier versatur, deducta, aut concubinam, aut coquam significat. Prior significatio celebris est in iure ciuili, l. 2. Cod. De donat. inter virum & vxorem. Et circa illam longissimè digreditur Abul. hoc loco, per duodecim supra ducẽtas quæstiones. Nec immeritò posset hic locus iuxta illam significationem explicari. Nam Dauid alienam rapuit vxorem. 2. Reg. 11. n. 4. Salomon verò septingentas habuit vxores, & trecentas concubinas. 3. Reg. 11. n. 3. Vnde ipse sumens numerum certum pro incerto, *Sexaginta*, inquit, *sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.* Cant. 6. n. 7. Et sic de aliis Regibus Israël, qui Rempublicam suis concupiscentiis maximè grauabant. Et confirmatur ea Clem. Alex. lib. 3. Pædagogi, c. 4. sub initium, vbi ait: Populo Regem petẽti promissum fuisse à Samuele quendam *insolentem tyrannũ, libidini ac voluptati deditum.* Neque deest cõiectura. Nam, cùm vnguenta libidinem irritent ac prouocent, vt ex proximè dictis patet, mirum non est, si post vnguentarias fœminas, focariæ, id est, concubinæ subsequantur, quæ dicuntur aspergere domos suas *myrrha, & aloe, & cinnamomo*, ad incautos iuuenes faciliùs seducendos, Prouerb. 7. n. 17. Hac posita interpretatione facile est colligere, quanta iniuria & tyrannide Reges Israëlitici suos ciues oppresserint ac vexarint. Nam, vt singulas focarias, seu concubinas locupletarent; singulos subditos emungebant. Et cùm focarias haberent innumeras; innumeros ciues expilabant: præsertim cùm non leuia munuscula, sed ingentia donaria in pellicum vsus conferrent: imitati fortasse Persarum & Syrorum Reges, qui in mundum muliebrem concubinarum, immò in singula earum ornamenta singulas vrbes integras tribuere consueuerunt; ita, scilicet, in earum gratiam decernentes; vt refert M. Tullius lib. 5. Action. in Verrem: *Hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat: hæc in collum: hæc in crines. Ita populos habens vniuersos, non solùm conscios libidinis suæ, sed etiam administros.* Sic ille. Vbi Verri, in quem declamabat, hanc attribuit iniustitiam, totam Prouinciam, cui præerat, expolianti; vt amicas suas, Pipam & alias, quas deperibat, magnis donariis cumularet. Huius consuetudinis Plato in Alcibiade primo, Plutarchus in Themistocle, Athenæus libro primo, Diodorus item libro primo, Manutius in Ciceronem citatum, & alij meminerunt. Immò & in sacris Literis res attingitur. Nam Rex Antiochus dicitur duas Ciliciæ vrbes Tharsum & Mallum in suæ concubinæ cultum & vsum contulisse: qua iniuria prouocati ciues in seditionem eruperunt; iuxta illud: *Cùm hæc agerentur, contigit Tharsenses & Mallotas seditionem mouere: eò quod Antiochi Regis concubinæ dono essent dati.* 2. Machab. 4. num. 30. Quis enim nobilis ciuis non indignaretur, in turpissimæ pellicis seruitutem mancipari; & sui municipij reditus in profanos vulus concubinæ cultus inaniter absumi? Aliquod huius consuetudinis vestigium cernitur in historia Esther, quæ ad Regem Assuerum adducta, *Præcepit Rex Eunucho, vt accelerares mundum muliebrem, & traderet ei partes suas.* Esther 2. num. 9. Hoc est, inaures, torques & armillas: insuper & partes suas, hoc est, annuos redditus, ex quibus illa ornamenta coëmerentur. Ex quibus patet, quanta in suas pellices liberalitate, seu potiùs prodigalitate Persarum Reges vterentur: cùm non solùm præsentes earum ornatus conferrent; sed ne futuri deessent, diligenter prouiderent. Eódem pertinent verba quæ sequuntur: *Expletis omnibus, quæ ad cultum muliebrem pertinebant.* Ibidem, num. 12. Hoc est, omnibus expensis & vectigalibus, quæ ad fœminea ornamenta requirebantur, procuratis. Tandem additur, quòd hæ regię concubinæ, *Ingredientes ad Regem, quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant.* Ibidem, num. 13. Vbi non solùm videntur Reges contulisse muliebres ornatus, sed etiam vectigales pecunias, ex quibus illi pararentur. Quæ profusa Regum largitas in concubinas; maximam in vexationem, immò & tyrannidem totius populi vergebat.

Per focarias possunt intelligi concubinæ.

Abul.

D. Clem.

Regia libidinis non leuis coniectura.

Improbi Reges suos ciues emungebant, vt suas pellices ditarent.

Tullius.

Plato. Plutarch. Athenæus. Diodor. Manutius.

VII.

Nihilominùs posterior significatio est huic loco propria ac literalis. Vnde Chaldæus pro focariis vertit *coquas*: atque ita legit Clem. Alex. proximè citatus: Sixtina & Interl. Regia, *Coquinarias*: Iosephus, *Colinarias*: Magister historiæ, *Coquestrias*: Vatabl. *Cupedinarias*. Et patet ex vocabulo Hebręo טַבָּחוֹת *Tabbachoth*, quod propriè significat *Coquas*, à verbo טָבַח *Tabbach*, id est, iugulare, seu occidere, seu coquere. Et sic explicant Interl. Hugo Card. Dionysius, Caiet. ac denique ipse Abulens. q. 235. Vndè patet, longissimam eius digressionem extra Literam aberrasse; & propterea à nobis penitùs prætereundam. Colligitur ex hoc loco lautities Regum Israël in epulãdo; qui, vt gulæ deseruirent, tam multis coquis vtebantur: à quibus pararentur suauiores ferculorum conditurę. Meritò, vt possint comparari cum Dionysio tyranno, qui, vt refert Herodotus lib. 1. sicut alij Reges bonarum artium inuentoribus præmia proponebant; ita ipse eos, qui nouas ferculorum suauitates excogitassent, amplis muneribus ditabat. Bene D. Ambr. lib. De Helia & ieiunio, c. 8. multa differens de nimio studio ferculorum, *Vacet*, inquit, *fumo non coquina, sed carnificina. Putes, prælium geri, non prandium curari: ita sanguine omnia natant: malè dominica seruitur gula, quæ semper expetit, nunquàm expletur.*

Per focarias tamen, intelligi coquas, magis Literæ consentaneum.

Clem.

Hugo. Dion. Caiet. Abul.

Notatur lautities conuiualis.

D. Ambr.

Dionysius tyrannus, præmia ferculorũ inuentoribus proponebat.

VIII.

Ruborem ingerit D. Chrysost. hom. 15. in posteriorem ad Cor. iis, qui nimias ferculorum delicias vndique conquirunt: *Erubescite*, inquit, *qui superfluis opus habetis artibus, & coquorum, & placentulariorum, & variè condientium cibos, & innumeris talibus aliis, vt viuatis.* De suo seculo queritur Phil. Hebr. lib. 5. De plant. Noë, ad finem. Nam pristina secula homines bonarum artium peritissimos, & omni virtutum genere excultissimos ferebant: *Nostra verò*, inquit, *ætas fert coquos & cupedinarios, tinctores & vnguentarios, magna curiositate semper nouum aliquem colorem, nouamue formam, aut odorem, aut saporem commiscentes in gratiam sensuum: vt Imperatorem suum oppugnent intellectum.* Non leuiter accusat idem Philo, libro De vita contemplatiua, nimiam conuiuiorum lautitiem, in quibus mensæ proponuntur *Plena omnium, quæ terra, mare, amnes, aërq́; ferunt; selectis suauissimis carnibus terrestrium, aquaticorum & volucrium, paratura simul ac conditura variantibus.* Sed multò grauiùs accusat inexplebilẽ conuiuarum edacitatem:

Qui

D. Chrys.

In conuiuiis delicatis rubore digni.

Philo.

Deliciæ conuiuales oppugnant intellectum.

Iunctabilis continuorum edacitas exprimitur.

D. Clem.

Ciborum varietas morborum causa.

A Qui, inquit, *vbi vsque ad fauces expleti nihil possunt amplius, edendo lassati, appetitu esuriunt.* Multa contra hos helluones videre est apud Clementem Alexandrinum, libro 2. Pædagogi, cap. 1. & post alia, *Antiphanes*, inquit, *Delius Medicus, vel vnam hanc dixit esse morborum causam ciborum varietatem.* Et paulò pòst, notat, multitudine ferculorum suam in singulis dulcedinem hebetari: *Corruptus*, inquit, *& constupratus est gustus, misera & infausta quadam condiendi arte, & inani in faciendis bellariis artificio.* Deinde verò per varia ferculorum genera, quibus auidi lurcones suffarcinantur, diuagatus concludit: *Videntur re vera hi insatiabiles & sollicisi ciborum indagatores ad delicias & voluptates suas mundum irretire, sibilantibus sartaginibus vndique circumstrepentes; & circa cochleare ac mortarium totam vitam* B *suam consumentes, edaces, atque adeo omniuori homines, materiam instar ignis apprehendentes.* Quę maior exprimi poterat intemperantium hominum auiditas? Sed de hac re in 1. Tomo, Annot. 18. Sect. 3. aliisque locis ibi citatis multa cumulaui.

Edaces igni apta similitudine comparantur.

IX.

Iusti cibis vtuntur ad necessitatem, non ad voluptatem.

D. Clem.

D. Hier.

Contrà verò iusti homines iis vtuntur cibis, quibus necessitati seruiant, non voluptati. Helias fugiens Iezabelem, *Respexit, & ecce ad caput suum subcineritius panis, & vas aquæ.* 3. Reg. 19. n. 6. Cur, obsecro, simplicem panem, & quidem *hordeaceum*, vt Clem. Alex. lib. 3. Pędagogi, capite 7. interpretatur, simplicémque aquam? Respondet D. Hieronymus epist. 22. ad Eustochium, De custodia virginitatis: *Re vera*, inquit, *non poterat Deus conditum ei merum mittere, & electos cibos & carnes contusione* C *mutatas.* Vbi aduerte, illud, *non poterat*, non esse, defectu potentiæ, sed congruentiæ: neque enim iusto viro lautius epulum congruebat. Eandem quæstionem proponit & soluit Tertul. lib. De ieiuniis, c. 9. *An difficile*, inquit, *Angelo fuerat, aliquem aliunde de conuiuio Regis ministrum cum instructissimo ferculo raptum ad Heliam transferre? Sed constitui oportebat exemplum, in tempore pressuræ & persequutionis xerophagias esse vincendum:* hoc est, aridis cibis. Et cum tota vita persequutio quædam sit, tota planè videtur modico & aspero victu transigenda.

Deus epulum Heliæ lautius non apposuit, non defectu potentiæ, sed congruentiæ.

Tertul.

X.

Danieli rustica epula offeruntur, quia iusto ciborum lautitiam recusant.

D. Hier.

Prophetam Abacuc cibos suis messoribus deferentem transtulit Angelus in Babylonem, vt eosdem cibos Danieli in lacum leonum incluso mi- D nistraret. Dan. 14. à num. 32. At, cur Danieli cibos de mensa regia pro diuino cultu recusanti, non cælestis aliquis cibus, sed messorum, ab Angelo ministratur? Rectè D. Hieronymus citatus, *Potuit*, inquit, *& Danieli de regiis ferculis opulentior mensa transferri: sed Abacuc ei messorum prandium portat; arbitror rusticanum.* Neque enim sanctissimus Propheta, nisi parcissimum cibum requirebat. Excepit aliquando Helisæus ad herbarum conuiuium filios Prophetarum: qui, cùm ciborum amaritudinem percepissent, exclamarunt: *Mors in olla, vir Dei. Et non potuerunt comedere.* 4. Reg. 4. n. 40. Quærit D. Hieronymus vbi suprà, cur Helisæus non expostulauerit cum suis coquis illas herbas agrestes tam male condientibus? Et respondet: E *Homo*, inquit, *Dei non iratus est coquis; lautioris enim mensæ consuetudinem non habebat.* Quæ fortasse ratio est, cur alij conuiuæ herbarum amaritudinem sentirent; non Helisæus. Huic enim illa ciborum insuauitas propter diuturnam consuetudinem iam dulcescebat. Sed de hac re plura ibi D. Hieron. & multò plura lib. 2. aduersus Iouinianum. Et nos in 5. Tomo, Annot. 8. Sectio. 5. & in præsenti, Annot. 27 Sectione 1. & 2. Ex quibus patet iniquitas Regum Israël, qui suauiores epulas per indebitas ciuium operas aucupabantur.

D. Hier.

Helisæus amaris herbis victitabat.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

XI.

D. Chrys.

A *Et panificas, &c.* Diuus Chrysostomus hom. 24. in posteriorem ad Corinthios, non dicit filias, sed *vxores*, faciendas esse, non focarias, aut panifices, sed *molendinarias*. Sic habet & Iosephus in editione Basileensi: *molarias*. Cæterum in Hebræo est אפות *Ophoth*, a verbo אפה, *aphah*, id est, coquere, præsertim panes in clibano. Vnde Interl. Regia, Chaldæus & Vatabl. vertunt, *Pistrices*, id est, fœminas pistoriam artem exercétes. Quamuis pistoria ars in eo distinguatur a panifica: quod hæc quunscũque panes etiã vulgares, illa verò delicatos & dulciarios elaboret. Vnde est illud Martial. de pistore.

Discrimen inter artem pistoriam & panificam.

Mart.

Mille sibi dulces operum manus ista figuras
Extruit; huic vni parca laborat apis.

Quas delicias Tiberius auersatus, omnia opera pi- B stoia in vrbe prohibuit: vt in eius vita, cap. 34. Suetonius testatur. Immò Antonius Imperator, vt refert Herodianus lib. 4. historiæ, panem temerè factum comesse dicitur. Nam tritico sua manu molito, massáque inde facta, & in carbonibus decocta vescebatur. Quasi crederet, nihil esse posse deliciosius, quàm etiam in communi cibo, qualis est panis, peregrinas delicias optare. Quod incredibiliter vituperat Clemens Alexandrin. proximè citatus. Vbi, postquàm delicatissimos illos ferculorum amatores multis nominibus condemnat: *Quin etiam*, inquit, *facilem & parabilem cibum, nempe, panem effœminant: quod frumenti est nutriens, excribrantes: vt quod est alimenti necessarium, fit probrum voluptatis.* Sic ille eleganter. Et paucis inter- C iectis, *Nullum*, inquit, *habet terminum delicata ingluuies. In liba enim & placentas, & bellaria prouecta est: merendarum, & earie appendicum multitudinem inueniens. At mihi quidem videtur homo, qui est huiusmodi, nihil esse aliud, quàm bucca & maxilla.* Lege ibi plura.

Herod.

Nihil deliciosius, quàm in communi cibo peregrinas delicias optare.

D. Clem.

Homo deliciosus bucca & maxilla tantum.

XII.

D. Hieron.

Deliciarum contemptus D. Hilarionis.

Sed, quid Hilarion, magnus ille eremi cultor? Hisne deliciis, non dico exquisitarum dapum, sed panum tenebatur? Nihil profectò minus. Is aliquando seruum quendam Constantij Imperatoris à Dæmone liberauit: vt narrat D. Hieronymus in eius vita. *Cùmque ille seruum*, inquit D. Hieronym. *curatum esset, simplicitate rustica septem auri libras offerens, hordeaceum ab eo panem accepit: audiens, quod, qui tali cibo alerentur, aurum pro luto ducerent.* Sic D Hieronymus. Quasi facilè diuitias contemnerent, qui panis delicias non amarent. De panum diuersitate multa tradit Vuolfaugus lib. 2. cap. 15. ad finem. Igitur Reges Israël sui panis delicias, etiam per iniurias totius Reipublicę ambiebant, dum ciuium filias sibi in panificas ac pistrices cooptabant; & primarias ac liberales fœminas ad humiles & ancillares artes, *verberum formidine*, vt loquitur Iosephus, compellebant. Ad hoc, fateor, vile ministerium se aliquando abiecit Sara, princeps alioqui fœmina. Quæ iubenti Abrahamo, ac dicenti: *Accelera, tria sata simila commisce, & fac subcineritios panes.* Gen. 18. n. 6. diligenter obtemperauit. Quam eius humilitatem D. Chrysostom. Orat. in illud Psalmi 41. *Noli timere, cùm diues fuerit ho-* E *mo, &c.* in 1. tomo, eleganter expendens. *Non quæsiuit*, inquit, *quid hoc sibi vellet? eóne ipsa illi nupsisset, vt eam ad pistrinum & panificium condemnaret; mulierem præsertim tot diuitiis abundantem?* Sed humile ministerium ipsa humilior exercuit.

Vuolf.

Ioseph.

Sara humilitas commendatur.

D. Chrys.

XIII.

Magna pistorum multitudo Ierosolymis.

Verùm, quam administrationem seruilem & ancillarem Sara studio charitatis & hospitalitatis incensa, sua sponte peragebat; eandem nobiles fœminæ sola verberum formidine, ob tyrannicum suorum Regum imperium obire cogebãtur. Vnde fortasse contigit, vt pistorum multitudo Ierosolymis augeretur; iuxta illud Ierem. 37. num. 20.

Præcepit Rex Sedecias, vt daretur ei, (nempe, Ieremiæ) *torta panis quotidie, excepto pulmento.* Seu, vt est in fonte, vt daretur ei torta panis quotidie, *de vico,* seu, *platea pistorum.* Atqoe adeò, quos pistores Romani imperatores propter suam parcimoniam ab vrbe expellebant; eosdem Israëlitici Reges ad suas delicias in vrbe multiplicabant: etiam liberalibus & ingenuis ciuibus ad sordidas artes ac vilia ministeria coactis. Quę quidem iniuriæ eò grauiores erant, quò artes viliores censebantur. Nam de his opificibus Marcus Tullius libro primo De officiis, *Omnes,* inquit, *in sordida arte versantur. Nec verò quidquam ingenuum habere potest officina, minimeque artes probandæ, quæ ministræ sunt voluptatum. Cetarij, lanij, coqui, fartores, piscatores, vt ait Terentius. Adde his, si placet, vnguentarios, saltatores, totúmque ludum talarium.* Sic ille. Cùm igitur omoes huiuscemodi artes abiectæ fuerint; qui ad illas ex meliori fortuna adigebantur, graui notabantur iniuria. Vide Carolum Sigonium lib. 2. De antiquo iure, c. 12.

Pastores olim Roma expulsi.

Tullius.

Nihil ingenuum in voluptatum officina.

Num. XIV. Agros quoque vestros, & vineas, & olíueta optima tollet, & dabit seruis suis.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. **A**Gros quoque, &c. Hactenus de iniuriis personalibus. Nunc de realibus. Igitur Reges suis bonis non contenti, dicuntur in aliena inuolaturi: planè in grauissimam totius populi vexationem, noo sine diuino permissu & instinctu. Vt Hebræi, qui filios Samuelis munera accipientes non tolerabant: Reges priuata ciuium bona per vim diripientes tolerare cogerentur. Hanc Regum cupiditatem ligna quondam sub quodam artificioso & typico apologo significarunt; cùm regnum ficui detulerunt. *Dixerunt enim ligna,* inquit Textus, *ad arborem ficum: Veni, & super nos regnum accipe.* Iud. 9. n. 10. At, quid ficui cum Rege, vt ipsa præ cæteris arboribus suscipiendo arborum regno eligatur? Non parum quidem. Nam, vt rectè ibi Montanus, *Nulla,* inquit, *ex omni plantarum genere auaritiæ studium aptius refert, quàm ficus: cuius ad exugendum vndique humorem, & frequentissime radices, & nonnullæ adeò longè deprehenduntur, vt ad puteos & fontes, ac paludes longo interuallo distantes pertineant: adeò etiam sagaces, vt intra domos loca quærere, subire, atque obtinere didicerint, in quibus lagena, hydria, cæteraq; aquaria vasa statuuntur, ibique soleant diutiùs hærere.* Non aliter & Reges alienas opes ardentes sitiunt, ad eásque corripiendas in mille manus & brachia dilatantur, in publicas & priuatas ædes se insinuant; loculos, crumenas, thesauros, quidquid abditum & repositum est, tentant, palpant, adoriuntur.

Regum proprium est aliena diripere.

Montan.

Regnum ficui offertur, quia nulla ex arboribus auaritiā aptiùs refert.

II. Eadem fortasse causa est, cur etiam viti oblatum fuerit regnum à cæteris arboribus: *Veni,* inquiunt, *ad vitem, & impera nobis.* Ibidem, n. 12. Nam, quemadmodum vitis latissimè serpit, &, vt loqoitur Marcus Tullius in Catone, *clauiculis suis, quasi manibus, quidquid est nacta, complectitur.* Seu, vt loqoitur Tertullianus libr. De anima, cap. 19. *Si quid attigerit, vltrò amabit: & quidem vitiosiùs amplexabitur: de suo ingenio, quàm de tuo arbitrio properat esse secura.* Hoc est, non expectat, vt à suo ipsa colono religetur; sed per se ipsam natiua qoadam industria, quidquid nanciscitur, amplexatur; vt firmior sustentetur. Ita planè & Reges omnia diripiunt, vt possint suarum possessionum fines la-

Tullius.

Ideò etiā viti defertur, quia quidquid est nacta, complectitur.

Tert.

A tiùs propagare; suámque dignitatem contra hostium iniurias tueri. Vnde illa prophetica comminatio: *Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis, vsque ad terminum loci. Nunquid habitatis vos soli in medio terræ?* Isai. 5. n. 8. ad quam alludens D. Ambrosius lib. De Naboth, cap. 1. *Quousque,* inquit, *extenditis, diuites, insanas cupiditates? Nunquid soli habitatis super terram? cur eiicitis consortem naturæ? In commune omnibus diuitibus & pauperibus terra fundata est. Cur vobis ius proprium, soli diuites, arrogatis.*

D. Ambr.

Diuites omnia expetunt, ac si soli essent terræ habitatores.

III. Ad hanc Principum rapacitatem coërcendam præcipiebat Deus, vt Regi Israëlis tantùm prædiorum assignaretur, quantùm ad congruentem eius sustentationem sufficeret: ne ipse alicuius in-

B digentiæ prætextu in alienas fortunas inuolaret: *De terra,* inquit, *erit ei possessio in Israël: & non depopulabuntur vltra Principes populum meum.* Ezech. 45. n. 8. Quid enim esse poterat iniquius, quàm propriis affluere, & alienis inhiare? proptereà statim additur: *Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiat vobis, Principes Israël: iniquitatem & rapinas intermittite, & iustitiam & iudicium facite: separate confinia vestra à populo meo. Ait Dominus Deus.* Ibidem, n. 9. Quibus vltimis verbis confinium discriminatio præcipitur; ne inde aliqua alienorum inuasio subsequatur. Quòd si in confinio sui popoli prædantur: quid si in illius medio grassentur? *Principes eius,* inquit idem Propheta, *in medio illius, quasi lupi rapientes prædam.* Ezech. 22. num. 27. Neque enim

C minores prædas agent rapaces Principes inter ciues, quàm voraces lupi inter agnos. Non minùs apta est illa translatio, qua Nabuchodonosor dicitur, *Aquila magnarum alarum plena plumis.* Ezech. 17. num. 3. Seu, vt habent Septuaginta: *Plena vnguibus.* Quia, quot sunt in aquila plumæ, quibus ipsa tegitur: tot sunt in Rege vngues, quibus aliena rapit. Sub eadem metaphora dicitur & Pharao, ibidem, num. 7. *Aquila grandis, magnis alis, multisque plumis:* seu, vt iterum transferunt Septuaginta, *multis vnguibus.* Haod dubium, quin propter rapacitatem; vt ibi D. Hieronymus interpretatur. Vnde non immeritò D. Augustinus lib. 4. De ciuitate, cap. 4. *Remota,* inquit, *iustitia, quid*

D *sunt regna, nisi magna latrocinia? Quia ipsa latrocinia quid sunt, nisi parua regna?* Sed de hac re paulò antè Annot. 32. Sect. 2. latè disserui.

Olim Regi fines assignabantur, ne in alienos irrueret.

Rapaces Principes suos voraces lupi.

Reges aquilæ multis vnguibus ob rapacitatem.

D. Hier.

D. August.

Regnum nihil aliud, quàm latrocinium.

IV. Igitur Reges Israël à suis ciuibus, agros, vineas & olíueta, eáque optima auferebant: deteriora fortasse prædia suis possessoribus relinquentes; vt aliquam pietatis, liberalitatísque speciem simularent: optima verò, vt est in Litera, vsurpantes. Nec refert, in Hebræo esse טובים *Tobim*; & in Græco, ἀγαθὰ, hoc est, *bona,* in positiuo. Nam Hebræus superlatiuis caret. Græcus ad verbum transtulit. Latinus sensum ipsum respexit, & expressit; significans non mediocria prædia, sed optima à Regibus Israëlis capienda, ad quæ magis cupiditas inardescit. Quò fortasse allusit Samuel, cùm Saüli futurum regnum prænunciaoit dicens: *Et cuius*

E *erunt optima quæque Israël?* Cap. seq. n. 20. Quasi animo præuideret, optima quæque illiùs populi à Regibus, tanquàm à feris pessimis depascenda ac deuoranda. Additur in Litera: *Et dabit seruis suis.* Ex quo non mediocriter crescit iniuria, & ciuium patientia irritatur. Nam, si Rex in suos vsus ciuium bona conferat, modestiùs ferent boni ciues: si ad alienos transferat, iniquissimè patientur. Vt iterum sequenti Numer. expendam. Vbi etiam, qui Reges ciuium bona abstulerint: & in quos seruos contulerint, obseruabo.

Reges optima quæque vt feræ depascuntur.

Num.

Num.XV. Sed & segetes vestras, & vinearum reditus addecimabit; vt det Eunuchis, & famulis suis.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Proponitur dubium & expositur.* SEd & segetes, &c. Dubitabis: Si præcedenti Num. dicuntur Reges Israel agros & vineas ablaturi: quo pacto dicuntur hoc loco soluoi decimaturi? Respondeo, distinguendo, vel personas, vel possessiones. Personas quidem, quia ab aliis totos agros & vineas extorquebant: ab aliis verò solos agrorum & vinearum reditus addecimabant. Possessiones verò, quia optimas quidem in integrum vsurpabant: at verò ex mediocribus, decimam tantùm fructuum partem exigebant. Vnde omnes subditos, & in omnibus bonis defraudabant. Cæterùm verbum decimandi, quo vtitur Latinus Interpres, quamuis aliquando significet decimas soluere: vt patet Matth. 23. n. 23. & Luc. 11. n. 42. & idem significet verbum עשר *Ghasar*, quod est in fonte: vt patet Gen. 28. num. 22. & Deut. 24. num. 22. tamen hoc loco significat decimas exigere: est enim ambiguæ significationis: sicut apud Latinos, *Fæneror*, significat, vsuras soluo, & vsuras exigo.

Decimare, aliquando decimas exigere significat.

II. *In quo consistat huius iniuriæ magnitudo.* Magnitudo huius iniuriæ in hoc consistit; quòd in lege veteri erat præceptum diuinum positiuum soluendi decimas Sacerdotibus & Leuitis: vt patet Exod. 22. num. 29. Leu. 27. num. 30. Numer. 18. num. 21. Deuter. 12. num. 6. non autem Regibus: indignissime igitur Reges eas sibi vsurpabant. Et declaratur ampliùs, quia vel Reges Israel decimas Sacerdotibus dèbitas in se ipsos transferebant; & sic Sacerdotes suo iure defraudabant: vel hæreditates à Sacerdotibus semel decimatas, iterum decimabant; & sic populum nimiùm opprimebant: vtrumuis autem facerent, manifestam iniustitiam operabantur. Ex hac iniuria alia sequebatur. Nam Deus præceperat, vt omnes septimo quoque anno cessarent à suis agris colendis, eósque in vsus pauperum cedere paterentur: vt patet Exod. 23. num. 10. & Leuit. 23. num. 3. Quid ergo Reges Israël, ne ipsi suis decimis fraudarentur? Agros colere permittebant: & fortasse præcipiebant. Quid iniquius, quàm violari diuinas leges; ne regiæ opes minuerentur? Colligitur hæc violatio ex diuina punitione, qua Hebræi in Babylonicam seruitutem abducti sunt. Quòd enim in libertate positi contra legem diuinam agros coluerint, in captiuitatem abripiuntur, vt agri suis cultoribus orbati ferientur: & qua in re deliquerant Israëlitæ, in patria commorantes, eadem in exilium auecti puniantur. Id enim Deus significauit de illa captiuitate loquutus: *Tunc*, inquit, *placebunt terræ sabbata sua, cunctis diebus solitudinis suæ; eò quòd non requieuerit in sabbatis vestris, quando habitabatis in ea.* Leuit. 26. num. 34. & 35. Quasi Deus, quas agrorum ferias ab spontaneis hominibus non potuerit impetrare; ab inuitis voluerit extorquere.

Reges diuinas violant leges, ne propria minuantur opes.

III. *Tot annos puniuntur homo, quot annos peccat.* Addunt aliqui, Hebræos non sine mysterio Septuaginta annos in captiuitate positos à patria exulasse: quia totidem annos contra legem diuinam suos agros in patria exercuerant. Quod colligunt primò, ex loco Leuitici citato, vbi videntur agrorum feriæ in captiuitate, cum eotundem cultura in libertate, quando eos coli non licebat, exæquari: hoc est, tot annos tempore captiuita-

A tis quieuisse agros; quot libertatis tempore, arati & seminati fuerant, contra diuinam legem, eos colere prohibentem. Secundò, ex illis verbis sacræ historiæ de populo Hebræo loquentis: *Ductus*, inquit, *in Babylonem, seruiuit Regi, & filiis eius, donec imperaret Rex Persarum, & celebraret terra sabbata sua: vsque dum complerentur septuaginta anni.* 2. Paral. 36. num. 20. & 21. Vbi illud, *Donec celebraret terra sabbata sua:* & illud, *Vsque dum complerentur septuaginta anni*, significare videtur; annos captiuitatis, in quibus agri quiescebant, tandiu multiplicari; donec annis libertatis, in quibus agri contra diuinam prohibitionem colebantur, æquarentur: seu propterea populum Israeliticum septuaginta annos in captiuitate B perseuerasse; quòd totidem annos contra legem diuinam patrios agros excoluisset. Quæ interpretatio, si vera est, necesse fuit, vt à primo Rege Saule, vsque ad vltimum Sedeciam quadringenti nonaginta anni interfuerint: quorum septima pars illos septuaginta annos complectitur. Et certè Theodoretus, cuius est hæc expositio, ita censuit quæst. 37. in locum Leuitici suprà citatum: *Septuaginta*, inquit, *annos seruierunt in Babylone. Atqui à regno Saülis, vsque ad captiuitatem, numerantur quadringenti nonaginta anni: quorum septimam partem faciunt septuaginta. Hoc ergo vult dicere: Septuaginta annos terra manebit inculta, & non seminata; vobis terram alienam incolentibus: propterea quòd vnà cum reliquis etiam sabbati præ*C*ceptum transgressi estis.*

Hebræi Dei præceptum in libertate transgressi, in captiuitate puniuntur. Theod.

IV. Si vera esset hæc expositio, non parum diuinam iustitiam illustraret, quæ paria peccatis supplicia rependeret; & septuaginta annos transgressionis, totidem seruitutis compensaret: vt quot annos populus agros colendo indebitos fructus percepit; totidem ab agris exulando, famem & inopiam pateretur. Nihilominùs probari mihi non potest hæc expositio: tum, quia incertum est, an à Saüle vsque ad Sedeciam quadringenti nonaginta anni interfluxerint; cùm alij plures annos, alij pauciores constituant, vt suo loco ostendemus: tum, quia dici non potest, omnes Hebræorum Reges, etiam illos sanctissimos, Dauidem, Iosiam & Ezechiam, perpetuos diuinæ legis trāsD gressores extitisse, nec vnquàm in septimo anno à colendis agris cessasse: cùm constet, eos in gratia, atque adeò in magna diuinæ legis obseruantia vixisse, & de vita commigrasse; & certè hoc peccatum à nemine illis vnquàm obiiciatur. Solùm igitur probabile est, aliquos Reges transgressos fuisse illam legem intermittendi agriculturam septimo quoque anno, vt semper alienos agros possent decimare; & propter hanc transgressionem fuisse populum in captiuitatem abductum, vt agri continua aratione fatigati, tandem iuxta diuinam legem feriarentur. Sed, quidquid sit de hac iniuria, quantùm ad septimum annum, quo terram quiescere oportebat: certum est, Reges Israëlis in alienos agros & vineas & præE dia inuolasse, & decimam fructuum partem inde collegisse.

Superior expositio Theodoreti reiicitur.

Quid in hac re probabile statuitur.

V. Quæres: Quinam fuerint illi Reges, qui alienas possessiones inuaserunt? Constat in primis de Achab, vnius pauperis vineam rapiente. 3. Regum 21. à num. 1. qui fortasse alios imitatus est: & quem posteà multi hodiéque imitantur. Nam, vt bene Diuus Ambrosius libro De Naboth, capite primo. *Quotidie*, inquit, *Achab nascitur: & nunquàm huic seculo moritur. Si vnus occidat: assurgunt plurimi. Plures, qui rapiant; quàm qui amittant.* Qua hyperbole quænam fingi potuit ele-

D.Ambr. *Multi sunt Achabi alienorum raptores.*

gantior? Fateor tamen, non omnes Reges Israëlis se in has iniurias effrænasse. Nam Dauid, vt notat hoc loco Diuus Gregorius, sacrificaturus Deo in area Ornam Iebusæi, *Da mihi*, inquit, *locum areæ tuæ, vt ædificem in ea altare Domino: ita vt quantum valet argenti, accipias, & cesset plaga à populo.* 1. Paralipomenon 21. n. 22. Recusante verò Ornam pretium, & aream gratis offerente, rursus Dauid: *Nequaquam*, inquit, *ita fiet: sed argentum dabo, quantum valet. Neque enim tibi auferre debeo.* Ibid. num. 24. Nam, vt ibi Diuus Gregorius: *Regio*, inquit, *illo tyrannorum iure non vti voluit.* Nolebat enim optimus Rex de subditorum bonis ditescere: sed potius de suis bonis suos subditos ditare.

D. Greg.

Boni Regis est ditare alios, non de aliis ditescere.

D. Greg.

VI. *Videt Eunuchis & famulis suis*, &c. En atrocitas huius iniuriæ, vt superiori Num. attingebam. Nam, si Reges ciuium bona in suos tantum vsus & sumptus, licèt æquo maiores vsurparent; tolerabilior esset iniuria, cùm aliquid maiestati regiæ indulgendum & ignoscendum videretur: cùm tamen nudarent ciues, vt locupletarent seruos; quis tantam ferret iniquitatem? Quis tam insolentem tyrannidem sustineret? Inuehitur Seneca Philosophus lib. 1. De Clementia, cap. 18. in quendam Pollionem, qui murænas, quibus vesceretur, sanguine humano saginabat. Hanc tyrannidis speciem illi Reges incurrebant, qui ciues eneruabant, vt seruos, quibus vtebantur, roborarent. Atque adeò nec in ciues erant iusti; nec in seruos liberales: quia hos alienis diuitiis implebant; illos propriis denudabant. Incidit aliquando & Dauid in hanc iniuriam, quamuis alias æqui rectique tenacissimus extiterit. Nam hæreditatem abstulit principi Miphiboset, & transtulit in seruum Sibam, cui dixit: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboset.* 2. Regum 16. num. 4. Sed statim permisit Deus, vt tantam Dauidis in vnum Principem iniustitiam, grauissima ab vno seruo iniuria compensaret. Egrediens enim Semei, *Mittebat lapides contra Dauid*, & maledicebat Regi, dicens: *Egredere, egredere, vir sanguinum, & vir Belial.* Ibidem, num. 7. Postulabat enim diuina iustitia, vt qui vnum seruum iniustè locupletaret, per alterum grauissimè puniretur. Quòd si Dauid, alioqui iustissimus sic peccauit: quid alij Reges? Non defuerunt profectò, qui illius sequerentur iniustitiam: vtinam non deessent, qui illius imitarentur pœnitentiam. Dicuntur autem hi serui fuisse Eunuchi, de quibus deinceps agendum.

Aliqui Reges vt vestirent seruos, exuunt ciues.

Senec. Pollionis cuiusdã notatur crudelitas.

Qui seruum locupletat, iusto Dei iudicio per aliũ punitur.

Triplex Eunuchorum ordo.

VII. CÆterum de Eunuchis longior esse posset hoc loco disputatio: quam, quia ab aliis statim citandis latissimè tractatam inuenio, breuissimè perstringam. Igitur Eunuchus vocabulum Græcum est, à nomine, εὐνὴ, id est, *cubile*, & à verbo, ἔχω, id est, *custodio*. Quasi custos cubilis, seu cubicularius, seu ad cubiculi ministerium deputatus. Est autem Eunuchorum triplex ordo. In primo sunt illi: *Qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.* Matth. 19. num. 12. Hoc est, qui firmo continentiæ voto, vel proposito, omnes carnis concupiscentias secuerunt. Neque enim Christus Dominus, interprete Diuo Chrysostomo hom. 63. in Matth. loquitur de his, qui abscindunt membra, sed qui prauas cogitationes interimunt: seu, vt loquitur Diuus Augustinus lib. De sancta virginitate, cap. 24. *Qui se ipsos non in corpore, sed in ipsa concupiscentiæ radice castrantes; cælestem & Angelicam vitam in terrena mortalitate meditantur.* De quibus Tertullian. lib. De cultu fœminarum,

Eunuchi etymon apponitur

D. Chrys.

D. August.

Tert.

A cap. 9. *Multi*, inquit, *se spadonatui assignant, propter regnum Dei, tam fortem & vtique permissam voluptatem sponte ponentes.* Hos Christus Dominus cæteris Eunuchis anteponit. Nam, vt eum loquentem introducit Diuus Hieronymus lib. 1. contra Iouinianum: *Mihi*, inquit, *illi Eunuchi placent, quos castrauit non necessitas, sed voluntas. Libenter illos in meos sinus recipio, qui se castrauerunt propter regna cælorum, & ob Dei cultum noluerunt esse, quod nati sunt.* Sic & D. Basilius lib. De vera virginitate, hos voluntarios Eunuchos non mediocriter commendat. Nam alios natura, alios humana eunuchizauit industria: hos autem bona, propriáque voluntas virginitati consecrauit: vnde quod illi præmium non merentur, hi feliciter

Primum Eunuchorum genus est eorum, qui voto continentiæ se obstringunt.

D. Hier.

D. Basil.

B consequuntur. De his proinde explicat illud: *Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis*, &c. *Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum: & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Isai. 56. num. 4. & 5. Quasi diceret: Non arbitrentur virgines, eò quòd prole careant, nomine carituros. Melius enim per virginitatẽ, quàm per posteritatem nomen consequentur: nam ab hac diuturnum, fateor, sed tandem periturum, nec sublimius quàm humanum accipient nomen; ab illa sempiternum, & planè Angelicum reportabunt. Sic Bas. paraphrasticè commentatur: *Nomen*, inquit, *æternum dabo eis: quod illis supra nepotum progeniem sufficiet, nec vnquam deficiet.*

Virgines melius per virginitatem, quã posteritatem, nomen consequitur.

C Et statim de filiis carnalibus, qui suo nomine paternum conseruant, *Tamen & ipsi*, inquit, *conditione mortali omninò deficient. Quod autem à me datur Eunuchis nomen pro omni successione generis illis perpetuò sufficiet.* Et quidem multò sublimius, nam parentum nomen sæpè infamat filios, filiorumque parentes: virginibus autem tam illustre nomen confertur, vt Angeli nuncupentur. *Pro humano enim*, inquit, *nomine, Angelorum immortalium eis nomen dabo, quod non deficiet: vt ipsi sibi in æterna vita, pro successione generis sufficientes, & locum inter Angelos habeant, & nomen pro eximiæ virtutis splendore indelebile.* Sic ille. Vbi plura de hac re.

Æternũ virginum nomen est.

VIII. In secundo ordine sunt illi, qui execti dicun-

D tur, euirati, emasculati & feminares, vel semiuiri. Et, vt loquitur D. Gregor. Nazianz. Orat. funebri in laudem D. Basilij, *Qui inter mulieres viri sunt; inter viros mulieres.* Immò potiùs nec viri, nec mulieres. Vnde est illud Ouidianum in quendam Eunuchum:

Secundũ Eunuchorum genus.

D. Greg.

Similes Eunuchi nec viri, nec mulieres.

Hei mihi, quod dominam, nec vir, nec fœmina
seruas.

Ouid.

Et illud quod Claudianus lib. 1. in Eutropium nugatur:

Claud.

——*Nubas, ducásve licebit,*
Nunquam mater eris, nunquam pater.——

Hi verò, vel à natura, vel ab arte fiunt. Qui à natura sunt, continentiam sine merito colunt. Nam, vt bene Auctor Operis imperfecti in Matth.

Auct. Imp.

E hom. 32. *Illa est*, inquit, *gloriosa continentia, non quam transgredi non potest necessitas debilitati corporis, sed quam complectitur voluntas sancti propositi.* Et statim distinguens Eunuchos per naturam, & per gratiam factos: *Illos*, inquit, *tenet necessitas: hos autem coronat voluntas.* His similia refert Diuus Epiphanius, & alij Patres apud D. Anastas. Nissenum, quæst. 79. in Scripturam, asserentes eos, qui ex vtero nascuntur Eunuchi, nullam habere mercedem continentiæ, quam non voluntate, sed necessitate colere censeantur. Vnde Diuus Gregorius Nazianzenus Oratione 31. cum his loquutus

Gloriosam continentiam voluntas efficit, non necessitas.

D Epiph. Anast. Niss.

D. Greg.

tus Eunuchis, *Ne admodum*, inquit, *magnificè de vobis sentiatis, qui a natura Eunuchi estis. Bonum enim, quod à natura proficiscitur, laudem non meretur. Quæ igni gratia est, quod vrit? quæ aquæ, quòd deorsum fertur? quæ niui, quòd frigida sit? quæ Soli, quòd luceat?* Et statim liberam tantùm voluntatem laude dignam esse ostendens: *Hoc*, inquit, *mihi largire, vt quæ recta sunt, velis. Largieris autem, si caro conditus, spiritualis efficiaris, si à plumbea carnis mole tractus atque depressus, à ratione in altum sublenerîs: si humilis creatus, cælestis inueniaris: si carni, quasi vinculis quibusdam, adstrictus, superior carne appareas.* Itaque non qui necessitate naturæ, sed qui libertate spiritus ad continentiam feruntur, laudem & lauream merentur. Vnde Isaias cap. 56. n. 4. loquutus de Eunuchis, à Deo coronandis: *Qui*, inquit, *elegerint, quæ ego volui*, &c. *dabo eis locum & nomen*, &c. vbi notandum verbum illud, *Elegerint*. Neque enim diuina præmia necessariæ passioni, sed liberæ electioni conferuntur: vt ad eum locum D. Basilius de vera virginitate, obseruat.

Diuina præmia non necessitati, sed libertati conferuntur.

IX.

Causa cur fiant arte Eunuchi.

Qui autem sunt ab arte, fieri solent, vel propter necessitatem alicuius ægritudinis curandæ: vel propter fidelitatem alicuius gynæcæi custodiendi: vel propter commoditatem canoræ vocis conseruandæ: vel propter voluntatem frænandæ carnis, coërcendæ lasciuiæ, & libidinis amputandæ: vel tandem propter voluptatem libidinis cum minori suspicione & maiori licentia exercendæ. Vt fecisse quendam Leontium Arianæ hæreseos sectatorem, D. Athaoasius io epistola ad Solitarios, & Socrates lib. 2. histor. capit. 12. testantur. Priores tres causæ honestiores sunt. Quarta est bono zelo, sed non secundum scientiam procedit. Hanc enim censuram in Origen. impingit D. Hier. epist. 59. ad Pammachium & Oceanum de erroribus Origen. *Magnus*, inquit, *vir ab infantia, & verè Martyris filius. Voluptates in tantum fugit, vt zelo Dei; non tamen secundum scientiam, ferro truncaret genitalia.* Longè grauior est censura, qua Diuus Chrysostomus homil. 63. in Matthæum pungit eos, qui se ipsos exsecant: *Qui*, inquit, *se incidit, Dei creaturæ apertè detrahit, Manichæorum ora recludit.* Quasi non omnes creaturas bonas esse, sed aliquas malas; & proinde non à bono auctore Deo, sed à malo principio Dæmone profectas fateatur. Et paulò pòst, *Membrorum*, inquit, *incisio diabolica fraudis, ac inuentionis opus à principio fuit: vt operi diuino detraheretur, vt rationale animal læderetur. Vt non voluntati, sed naturæ totum tribuentes, largas sibi ad peccandum portas homines reserarent.* Ita Diuus Chrysostomus diabolicum detegit stratagema: Volebat enim Diabolus, vt nonnulli homines falsa quadam pietate & simplicitate delusi, se ad continentiam seruandam exsecarent: quò cæteris omnibus faciliùs persuaderet, non posse continentiam integris membris custodiri, nec lasciuiam à libero arbitrio refrænari. Non igitur probandi sunt illi Eunuchi, qui carnem suam exsecant; sed qui concupiscentiam suam iugulant. De his enim loquutus Dominus, vt paulò antè retuli: *Dabo*, inquit, *eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Isai. 56. num. 5. Inter quos Eunuchos Diuus Hieronymus non immeritò enumerat sanctissimum illum non sectorem corporis, sed cultorem mentis Ioannem Euangelistam: *Talem*, inquit, *fuisse Eunuchum, quem Iesus amauit plurimum, Euangelistam Ioannem, ecclesiastica tradunt historia; qui recubuit supra pectus Iesu; qui Petro tardiùs ambulante, elatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum; qui in secreta diuinæ se natiuitatis immergens, ausus est dicere, quod cuncta sæcula nesciebant: In principio erat Verbum*, &c. Et statim illos alios Eunuchos carnis excisores condemnans, *Facessat igitur*, inquit, *omnis cauillatio Iudæorum, & risui præbere se cesset, aperiens seminiris regna cælorum: cùm pudicitia non in debilitate sit corporis, sed in animi voluntate.* Cæterùm, postrema causa, ob quam se homines exsecant, adeò turpis est, vt totum hoc hominum genus pessimè infamet. Vnde Constantius Imper. qui Eunuchis maximè fauit, pessimè audiuit: teste D. Gregor. Naz. Orat. in Heronem: vbi docet Eunuchos, *nec virorum, nec mulierum numero censendos.* Et statim io Imperat. Constantium acerrimè inuehitur, qui magnam his auctoritatem ac potestatem deferebat. Immò & in cæteros Imperatores Romanos, si qui fuerunt, *Qui muliebres*, inquit, *homines, & inter viros virorum nomine indignos, sexúque dubios, impietate autem certos, virorum officiis præficiebant.* Sed & D. Athan. cit. vehementer insectatur Leontium Episcopum, qui, cùm se ipsum incideret, vt in suarum deliciarum prostibulo licentiùs volutaretur, eò impietatis deuenit, vt à Christo ad Arium deficeret. Quasi impius suorum membrorum sector, non posset non ab Ecclesia resecari. Immò & Ariana hæresis magnum ab his Eunuchis præsidium comparabat: vt idem refert Athanasius. Nam homines naturâ steriles Deum naturâ infœcundum eligebant: & qui nullam edebant prolem, Deum sterilem optabant. Hos igitur Eunuchos tanto odio prosequebatur Constantinus Imperator, vt eos omnibus honorum insignibus exauctoraret, vt refert Card. Baron. tom. 2. & 3. ex Ruf. Lampr. & aliis. Nec immeritò; cùm iisdem diuina Oracula passim aduersentur: vt patet Deut. 23. num. 5. Iob. 36. num. 14. Sap. 3. num. 14. Eccles. 20. num. 2. & cap. 30. num. 21. & passim alibi. Vnde Claud. lib. 1. in Eutropium Coosulem Eunuchum, multa commemorans portenta, subdit:

Grauiùs à D. Chrys. castigantur.

Se exsecare stratagema diabolicum.

Postremum Eunuchorum genus infamat.

Eunuchi à sacris arcentur altaribus.

D. Athan.

Socrat.

Qui frænādæ carnis ergo castrantur, grauiter corripiuntur.

D. Hier.

D. Chrys.

D. Hier.

D. Ioannes Eunuchus virginitatis cultor.

Celerius ad Christū cucurrit; altius ad Deum euolauit.

Constantius Eunuchorum fautor pessimè audiuit.

D. Greg.

D. Athan.

Leontius ob se turpitudinis causa exsecauit, ab Ecclesia exulauit.

Eunuchi Arianæ hæresis fautores, &c.

Baron.

Claud.

Omnia cesserunt, Eunucho Consule, monstra.

Idcircò à sacris altaribus eos arcent ecclesiasticæ leges cap. *Si quis pro ægritudine.* & c. *Si quis à Medicis.* Ab vrbibus eos expellunt ciuiles, L. *Eiusdem legis.* & L. *Lege Cornelia.* A bellicis honoribus & oneribus eos remouent militares, vt videre est apud Vegetium lib. 1. cap. 7. vnde Claudianus lib. 1. in Eutropium:

Claud.

Tu potes alterius studiis hærere Mineruæ,
Tu telas; non tela pati.

Hoc est, potes exercere munus vnius Mineruæ textricis; non alterius bellatricis. Et paulò inferiùs fœminas Eunuchis anteponit. Nam, cùm illarum imperium multæ nationes patiantur: horum tamen sceptris, nullæ, si prudentes sint, subiiciuntur.

Sumeret illicitos etenim si fœmina fasces,
Esset turpe minùs. Medis, leuibúsque Sabæis
Imperat hic sexus; Reginarúmque sub armis
Barbariæ pars magna iacet. Gens nulla probatur,
Eunuchi quæ sceptra ferat.

Et paulò pòst, singularia fœminarum facta prosequutus, tandem miram Eunuchorum & inertiam & ignauiam nil laude dignum molientium insectatur:

——Quid nobile gessit
Eunuchus? quæ bella tulit? quas condidit arces?

Eunuchis fœminæ præferuntur.

Vnde infelices eos vocat ille alius Poeta apud D. Hieronym. in cap. 56. Isaiæ:

D. Hier.

Nec

Necnon infelix ferro truncata iuuentus,
Atque execta virum.

Tandem Iustinianus Imperator seuerissimè prohibuit homines in posterum execari: vt refert Cardin. Baron. tom. 7. anno Christi Domini 259. ne mascula hominum virtus in fœminas turpiter emolliretur.

Baron. *Iustinianus homines vetuit execari.*

X. D. Hier. *Sub his Eunuchis adulteri delitescunt.* D. Gregor.

Sed & Patres in hoc hominum genus acerrimè inuehuntur. Nam D. Hieronym. lib. 1. aduersùs Iouinianum de Eunuchis & Spadonibus loquutus: *Sub quibus*, inquit, *nominibus adulteri delitescunt.* Castissimi enim simulantur; sed impurissimi deprehenduntur. D. Gregorius Nazianzenus proximè citatus, *Quid*, inquit, *omnes in vitium præcipites fertmini: vt deinceps idem sit, aut Eunuchum, aut impium vocari? Tandem aliquando viris vos adiungite, virilem aliquem affectum habete, gynecæa fugite, ne ad nominis turpitudinem, prædicationis turpitudo accedat.* In cuius loci scholio Nicetas ex Marcellino lib. 16. *Si Numa*, inquit, *aut Socrates bona quædam dicerent de Spadone, à veritate desciuisse arguerentur.* Adeò enim erant probrosæ & contaminatæ famæ, vt ne veracissimis quidem hominibus, quales Numa & Socrates fuerunt, in eorum gratiam dicentibus fides haberetur. Vehementiùs adhuc Diuus Basilius epist. 87. *Ignominiosum*, inquit, *illud, ac modis omnibus perniciosum Eunuchorum genus, nec fœmineum, nec masculinum, insaniens in mulieres, inuidiosum, vilis pretij, animo feroci, effœminatum, ventri deditum, auri cupidum, sæuum, inconstans, illiberale, stabularium, insatiabile, furiosum, &, quod amplius dicendum est, cum ipsa statim generatione, ferro damnatum.* Et paulò pòst fictam eorum continentiam & apertam lasciuiam exprimens, *Isti*, inquit, *frustra quidem casti manent per ferrum: insaniunt vero absque fructu propter suam turpitudinem.* Sic alij & sacri & profani Auctores passim loquuntur.

Nicet. *Nulla fides Eunuchorum laudibus adhibenda.* D. Basil. *Grauis in Eunuchos animaduersio.*

XI. *Tertium Eunuchorum genus.*

In tertio tandem ordine sunt illi, qui multùm gratia & authoritate valēt apud Regem, qui Regis consiliis adhibētur, qui præcipuis muneribus præficiuntur, qui denique in Hebræo, סריסים, *Sarisim*, id est, Principes appellantur. Hi enim Eunuchi dicuntur, non quòd execti sint; sed ducta ab his similitudine: quia sicut execti intimis Regum cubilibus custodes aderant; ita & hi præcipuis Regum negotiis præponuntur. Talis erat Putiphar apud Pharaonem, Genes. 37. num. 36. Vagao apud Holofernem, Iudith. 12. num. 10. Egeus apud Assuerum, Esther 2. num. 3. Abdemelech apud Nabuchodonosorem, Ierem. 38. n. 7. Præpositus bellatorum apud Sedeciam, Ierem. 52. n. 25. Asphenez apud Nabuchodonosorem, Dan. 1. n. 3. Vir Æthiops apud Reginam Candacem, Act. 8. n. 27. Et sic alij apud alios. De quibus omnibus Helias Cretensis in Orat. 9. Nazianz. *Scriptura*, inquit, *Spadones & Eunuchos appellare solet etiam eos, qui Eunuchi non sunt: sed eorum locum ac fidem obtinent. Vnde etiam Chaldæus vno vocabulo & Spadonem, & eum, qui heris suis fidem præstat, nuncupat: quandoquidem Eunuchorum nationis potissimùm creduntur, tum præstantissima quæque Regum opes, tum ipsa etiam Regum salus.* Ex quibus patet, quamuis Eunuchi secundi ordinis semiuiri, infœcundi, imbellésque dicantur; tamen hos integros & perfectos viros dici posse; vt patet in Eunucho Nabuchodonosoris, Ierem. 38. num. 7. & in Eunucho Reginæ Candacis, Act. 8. n. 27. quorum vterque vir Æthiops appellatur: & hic posterior, vt notat D. Hieron. lib. 1. contra Iouinianum, *Ob robur fidei viri nomen obtinuit.* Item coniugio habiles esse, vt patet in Putiphare, qui vxorem habuit, Genes. 39. num. 7. & fortasse filiam, Gen. 41. num. 45. si hic est ille idem, cuius filiam Iosephus vxorem duxit: vt Hebræi, consentiente D. Hieronymo, arbitrantur. Tandem bello quam aptissimos, vt patet in Eunucho Sedeciæ, *qui erat Præpositus super viros bellatores.* Ier. 52. n. 25. Itaque & Principes viri apud suos Reges Eunuchi dicebantur. Nec obstat aliquando in sacris Literis distingui: vt videre est, 4. Reg. 24. num. 12. *Principes eius, & Eunuchi eius.* 1. Paral. 28. n. 1. *Omnes Principes Israel, &c. cum Eunuchis.* Ierem. 29. num. 2. *Eunuchi & Principes Iuda.* Non obstat, inquam, Eunuchos à Principibus distingui: quia potuit esse sermo de veris Eunuchis secundi ordinis: aut certè aliqua synonymia concedenda, qualis nonnunquàm in sacris Literis reperitur. De his omnibus consule ex nostris Pererium in cap. 37. Genes. Disp. 9. Lorinum Act. 8. num. 27. Castr. Ierem. 29. num. 2. Maldon. Ierem. 38. num. 7. & Dan. 1. num. 3. Sanctium in Dan. prolegomeno 2. & alios. Præsentem igitur locum, certum est, intelligi non posse de Eunuchis primi ordinis, quos adhuc calamitosum illud seculum ignorabat; & multò minùs Regum palatia nutriebant, sub lege gratiæ feliciter nascituros. De mediis intelligere videntur Hugo & Dionysius: de vltimis, Abul. & Mariana: de vtrisque intelligi posse non dubito: sed præcipuè de vltimis, qui propterea à famulis, qui sunt inferioris conditionis, in Litera distinguuntur. Famulos autem à seruis distinguit Philo lib. Quòd omnis probus sit liber: quia famuli seruiunt *meliore conditione.* Hos igitur improbi Reges ex alienis bonis locupletabant.

Helias Cret. *Hi Eunuchi gratia & autoritate apud Reges plurimum valent.* D. Hier. *Sunt coniugio habiles.* D. Hier. *Occurritur tacitæ obiectioni.* *Bello quam aptissimi.* Perer. Lor. Castr. Mald. Sanct. *De quo Eunuchorum genere præsens locus intelligendus.* Hugo. Dion. Abul. Mar.

Num. XVI. Seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Regum maiestas in magna famulorum pompa sita est.*

SEruos vestros, &c. Alias prosequitur iniurias populo à Regibus inferendas. Vna est, quòd Reges suorum satellitum gregibus non contenti, alienos seruos & ancillas sibi vendicabunt: quod fortasse facient: tum, vt regia negotia diligentiùs curentur: tum, vt solis Regibus ab omnibus seruiatur: tum etiam, vt ipsi Reges ad maiorem pompam ac fastum, plura secum ferant agmina famulorum. Quæ vltima expositio inde colligitur, quod non solùm memoret seruos, & ancillas ad seruitium, sed etiam iuuenes optimos, seu, vt est in Hebræo, *electos*, & elegantes ad comitatum: vel etiam, vt Chaldæus interpretatur, *pulchros.* Quasi tumidi Reges foras non prodirent, nisi magno famulorum examine stipati; illud Salomonis suam in superbiam & arrogantiam interpretantes: *In multitudine populi, dignitas Regis; & in paucitate plebis, ignominia Principis.* Prou. 14. num. 28. Cùm tamen auctoritas regia multò magis ab interno virtutum ornatu, quam ab externo famulorum satellitio desumatur.

In magno virtutum ornatu sitā esse oportebat.

II. D. Chrys. *Insolens Regum apparatus grauiter à Diuo Chrysostomo reprehenditur.*

Hunc insolentem apparatum D. Chrysostomus hom. 40. in priorem ad Corinth. grauiter reprehendit: *Quò*, inquit, *familiares tot alis? Herum vnum, vno seruo contentum esse decebat: immò vno seruo tres heros. Eos reputa, qui nullum omninò habent; & ministerio tamen expeditiore coluntur. Sic enim comparauit Deus nos, vt esse sibi quisque minister idoneus posset; quin etiam proximo. Dubitas? Paulum*

igitur

igitur audi: Necessitatibus meis, inquit, & eorum, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Act. 20. n. 34. *Ille Orbis præceptor, & vir cælis planè dignus, seruire mortalibus innumeralibus veritus non est. Tu nisi multos post te seruorum greges trahas, turpe putas: haud videns, hoc esse, quod te vehementer deturpat. Huc manus condidit Deus, huc pedes, ne seruis, scilicet, egeremus. Examina seruorum quid sibi volunt?* Sic ille eleganter & efficaciter ad saciêdam ſidem.

III.
D. Chrysf. *Ad eleemosynas superflui sumptus ablegandi.*

Nescio, an efficacioribus vtatur argumentis idem D. Chrysost. hom. 28. in Epistol. ad Hebræos, ad hanc ex seruorum multitudine ostentationem penitùs abdicandam. Vt enim eleemosynam persuadeat, à qua aliqui se excusant, suam inopiam causati; monet; vt superflui sumptus abscindantur: quibus absciſſis non defuturum, quod pauperibus erogetur. Explicans autem quinam sint superflui sumptus: *Sine quibus*, inquit, *viuere valemus; illa superflua sunt, & frustra vsurpantur. Viuere poterimus, etiamsi duos tantùm seruos habeamus. Nónne sunt plurimi, qui sine seruulis viuunt? Qualem ergo nos excusationem habere possumus, quibus non sufficiunt duo serui?* Et statim sibi obiicit, nescio quam alicuius intemperantis verecundiam: *Sed pudor*, inquit, *est, si cum duobus seruulis matrona procedat.* Verùm facilè obiectionem retorquet: *Non est pudor*, inquit; *sed magis pudor est cum plurimis ambulare.* Et paulò pòst, *Factus est istud, & vana gloria: illud autem philosophiæ, & honesta moderatio. Matronam quippe non ex numerositate seruorum condecet conspicuam esse. Quæ nanque vel virtus, vel laus est, seruos plurimos possidere? Hoc quippe ad animam non pertinet. Quod autem ad animam non pertinet, nullum ostendit libertatis, vel honestatis, indicium.* Sic ille. Vbi plura de hac re; quam vno, vel altero illustrare libet exemplo.

Superflui sumptus qui sint, explicatur.

Obiectio sibi soluit Diuus Chrysostom.

IV.
D. Chrysf. *Qui paruo viuuntur comitatu, Angelis similes sunt.*

Quis inter res creatas nobilior Angelo? Qui tamen nullo cinctus seruorum comitatu incedit. Pulchrè Diuus Chrysostomus vbi suprà, *Dic mihi*, inquit, *nónne Angeli soli totum mundum circumeunt, & pedisequis nullis egent? Non propterea nobis inferiores existunt?* Quasi diceret: Minimè. Vbi latiùs ostendit, eò propiùs quempiam ad Angelorum dignitatem accedere; quò longiùs à seruorum examine recedit. Quæ familia, obsecro, illustrior quàm Noë, ex qua totus mundus, diluuio sepultus, repullulauit? Et tamen nullum dicitur seruum, nullam ancillam, nullum mancipium haboisse. Nam ad Noë Dominus, *Ingredere*, inquit, *tu, & omnis domus tua in arcam.* Genes. 7. num. 1. At quota fuit, tota domus? Sequitur in Litera: *Ingressus est Noë, & Sem, & Cham, & Iaphet filij eius, & vxor illius, & tres vxores filiorum eius cum eis in arcam.* Ibidem, num. 13. Vbi parentes, filij, nurus; octo, scilicet, animæ numerantur. Nulli serui, nulli ministri, nulli satellites, nullæ ancillæ, nullæ pedisequæ, nulla mancipia describuntur. Quasi tanta esset in clarissima familia parcitas; vt nullis seruis, aut certè propè nullis vteretur.

Noë parcitas in familia commendatur.

V.
Nullus seruus Abrahamo officiosior.

Abrahami domo quænam, obsecro, lautior, quæ opulentior? Et tamen nullus in ea seruus, qui famuletur, occurrit: soli familias parentes, ac filij, seruilibus muneribus occupantur. Nam pater ipse Abraham *Cucurrit in occursum* hospitum: deinde *festinauit in tabernaculum.* Rursum *ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum:* præterea mensam instruxit, & paratas epulas *posuit coram eis.* Tandem inter prãdendum *ipse stabat iuxta eos.* Genes. 18. à num. 2. Quis inueniri posset tam officiosus seruus, qui plura ministrando exequeretur? Rectè Chrysf. hom. 41. *Videat*, inquit, *in extrema senecta iuuenilem alacritatem, & senem, quasi iuuenem exultantem; & putantem, se inuenisse thesaurum quendam, hospitum aduentu.* Deinde Sara materfamilias, accelerauit, & *tria sata simile commiscuit*, & fecit *subcinericios panes.* Ibidem, n. 6. vt nullum ancillare munus in hospitum gratiam præteriret. Nam, vt bene D. Ambrosius lib. 1. De Abraham, cap. 5. *Bonus maritus*, inquit, *exortem religiosi muneris esse non patitur vxorem, nec auarè sibi totum munus vsurpat.* Tandem filius, qui vnicus adhuc erat in illa familia, Ismael, seruile ministerium non refugit. Pater enim vitulum, quem de armento tulerat, *dedit puero, qui festinauit, & coxit illum.* Vbi suprà, num. 7. Ad quem locum

A

D. Chrysf. *Thesaurus est hospitum aduentus.*

D. Ambr.

Sara humilibus in muneribus ancillaribus laudatur.

B

Hebræi apud Lyranum, *Iste puer*, inquiunt, *fuit Ismael, filius Abrahæ, cui pater tradidit cibum parandum, vt eum assuefaceret hospitalitatis operibus.* Itaque in toto illo ministerio, sedulóque hospitio nullus famulus intercessit: solus pater, & mater, & filius seruilia obsequia præstiterunt. Quamuis enim Abraham plures famulos haberet; nempe, *vernaculos trecentos decem & octo.* Genes. 14. num. 14. tamen eos non ad propriam auctoritatem tuendam; sed ad illorum inopiam subleuandam sustentabat: nec, vt Dominus, seruorum obsequiis; sed vt serui, domini subsidiis vterentur. Absit igitur, vt sanctus Patriarcha magno satellitio, & longo famulorum examine ad pompam & fastum cingeretur, qui seruilibus ministeriis non minùs quàm obsequentissimus quisque seruulos occupatur.

Lyran.

Seruos habebat Abraham, vt eorum inopiam subleuaret.

C

VI.
Veteres Patriarchæ à seruorum fastu aliení.

Ab hoc seruorum fastu cæteri Patriarchæ maximè abhorrebant. Nam Isaac adhuc puer, tanquàm seruus mercenarius, humeris ferebat ligna holocausti, etiam inter duos iuuenes, patris sui seruos constitutus. Genes. 22. num. 3. & 6. non solùm in mysterium, vt significaret Christum Dominum inter duos latrones suam crucem baiulaturum; quemadmodum ille inter duos seruos suis humeris deferebat illam lignorum struem, in qua erat sacrificandus: sed etiam ad patris frugalitatem exprimendam, qui filio, tanquàm seruo, vteretur. Ipse Isaac senex effectus filium suum Esaü, tanquàm famulum, ad venatum exercendum præmittebat. Genes. 27. num. 3. Rebecca filium suum Iacobum ad hœdos de grege captandos. Ibidem, num. 9. Quasi in amplissima familia his ministeriis obeundis alij serui non adessent. Ipsa Rebecca selectissima virgo more ferentis aquam mulierculæ ad fontem cum hydria pergebat. Genes. 24. num. 15. Rachel primaria puella pascebat gregem patris sui. Genes. 29. num. 9. Iacobus Princeps cum Deo, quatuordecim annos curandis Labani gregibus inuigilauit. Genes. 29. num. 20. & 27. Hanc artem eius filij Principes populorum ab optimo parente hæreditarunt. Genes. 37. num. 2. Gedeon totius Israëlis Iudex constituendus, purgabat triticum in area. Iud. 6. num. 11. Saül creandus rex quærebat asinas. 1. Regum 9. num. 3. Et Rex factus agebat boues. 1. Regum 11. num. 5. Et sic de cæteris. Cauere igitur debent optimi Principes, ne inani fastu ac pompa de seruorum multitudine glorientur.

Isaac, Christi inter duos latrones typus erat.

D

In amplissimis olim familiis omnes seruilia munia exercebant.

E

VII.
D. Dam. *Seruorum copia, insania est.*

Hanc seruorum copiam vocat D. Petrus Damianus lib. 2. epist. epist. 2. & in ord. 23. *Deliræ ambitionis insaniam.* Dum insani domini de seruorum numero gloriantur: *Clientium*, inquit, *turba diuiditur. Alij siquidem domino suo reuerenter assistunt, nutúmque eius, si quid fortè iubeatur, curiosa nimis, velut rimatores syderum, obseruatione custodiunt.*

Alij

Alij Marthæ ministerio dediti, velut hirundines, inquieti per diuersa discurrunt. Quòd si ad seruorum multitudinem nimius eorum cultus & elegantia accedat: maior in dominos, præsertim ecclesiasticos, ignominia refundetur. Vnde Diuus Bernardus lib. 4. De consider. ad Eugenium Papam, sub fine: *Discant*, inquit, *à te Coëpiscopi tui, comatulos pueros, & comptos adolescentes secum non habere. Certè inter mitratos discurrere calamistratos nō decet.* Et maior adhuc ex hac seruorum intemperantia ad fœminas censura spectabit: vt monuit Diuus Hieronymus epistola 9. ad Saluinam: *Non ambulet*, inquit, *iuxta te calamistratus Procurator: non histrio fractus in fœminam: non cantoris diabolici venenata dulcedo: non iuuenis cultus & nitidus.* Ad hæc, quot seruos habent superbi Principes; tot nutriunt suæ famæ corrosores & obtrectatores. Vnde Diuus Hieronymus epist. 47. De vitando suspecto contubernio, *Querulum*, inquit, *seruulorum genus est; & quantacumque dederis, semper eis minus est. Non enim considerant de quanto, sed quantum detur: doloréque suum solis, quod possunt, obtrectationibus consolantur.* Miseri igitur Reges, qui dum quærunt, de quibus glorientur, inueniunt, à quibus corrodantur. Vtinam in eis faceret temperantia, quod in nonnullis facere solet auaritia: hæc enim facilè persuadet, vt seruorum multitudo ad vnum tantùm redigatur. Vnde Diuus Bernardus serm. 36. in Cantic. describens vitiorum currus; & plures singulis aurigas attribuens; soli currui auaritiæ vnum assignat, quem vocat, *habendi ardorem.* Et rationem reddens, *Sola quidem*, inquit, *auaritia, quoniam conducere plures non patitur; vno contenta est seruitore.* Si igitur cupiditas Regibus tam vtiliter consulit, cur vtiliùs non consulet frugalitas; & superfluos seruorum greges penitùs non abscindet?

D. Bern. Episcopos nō decet pueros alere calamistratos.

D. Hieron. Non debent etiam fœminæ talibus vti seruulis.

D. Hier.

Quot serui, tot dominorū corrosores.

D. Bern. Auriga auaritiæ, habendi ardor.

Sola auaritia paruo comitatu contenta.

VIII. *Et asinos auferet*, &c. Altera iniuria est, quòd omnia genera animalium, ad humanum obsequium comparata, auferent à ciuibus suis; & eorū laboribus in suis operibus vtentur: vt sic deficiant opes ciuium, & solorum proficiant opes Regum; ad quas in maius promouendas omnium labor animalium transferatur. Hæc omnia animalia clariùs Septuaginta expresserunt, loco iuuenum optimorum, transferentes, *καὶ τὰ βουκόλια ὑμῶν τὰ ἀγαθά*, hoc est, *Et armenta boum vestra bona.* Nam, cùm in Hebræo inuenirent nomen, בחורים *Bechurim*, id est, *electos*, à verbo, בָּחַר *Bachar*, id est, *eligere*: quamuis illud nomen ad iuuenes sæpè transferatur; tamen, quia de iuuenibus ac seruis iam satis dictum erat; ad greges, seu armenta transferre maluerunt: sic omnium animalium genera clariùs exprimentes. Nihilominùs illa omnia animalia, quæ à iuuando iumenta appellantur, nimirùm, equi, cameli, boues & similia, intelligit Hebræus hoc loco per nomen חמורים, *Chamorim*, & Latinus per *asinos*: quia hoc animal est maximè laboriosum: &, vt loquitur D. Basil. in cap. 1. Isai. *Gestandis oneribus natum*: & proinde suis dominis in primis vtile. Nam, Plinio teste, lib. 8. cap. 43. quæstus, qui ex illo aliquando sumitur, optima prædia exuperat. Et propterea fortasse Iacob filio suo Issachar magnas diuitias precaturus, *Issachar*, inquit, *asinus fortis, supposuit humerum suum ad portandum.* Genes. 49. num. 14. sed, vt habet Chaldæus Paraphrastes; *Issachar diues in facultatibus, subiicietque prouincias populorum.* Licèt enim aliqui illud in hac translatione mysterium agnoscant; quòd ille, qui in hoc seculo diues & potens est; aliquando asininam stoliditatem imitetur; tamen ad rem præsentem

Omnia animalium genera hoc loco intelligi probabile.

Sola tamen labori nata intelliguntur.

Plin.

Diues aliquando stolidus vt asinus.

A illud aliud potest inculcari; quòd ille, qui instar asini fortis est in laboribus subeundis, patiénsque in humeris ad onera subiiciendis, magnis opibus augeatur, & amplis prouinciis dominetur. Vnde rectè nos ad hanc patientiam hortatur Diuus Bernard. serm. 7. in Psal. *Qui habitat*, &c. *Scio*, inquit, *similitudinem aliquam iumentorum, homini commendari: sed plane non eam, quæ in insipientia, sed patientiæ imitatione consistat.* Quasi, qui hanc habeat patientiam, maximam opulentiam assequatur.

Qui fortis est ad labores, magnis augetur opibus.

D. Bern. Homini iumentorum patientia, non insipientia imitanda.

IX. Sed illud obiter obserua, in asino cum magna laborum tolerantia magnam ciborum appetentiam coniunctam esse. Hoc enim significauit Isaias cap. 1. num. 3. dicens: *Cognouit bos possessorem*
B *suum, & asinus præsepe Domini sui.* Nam, vt bene D. Basilius ad eum locum, *Obserua*, inquit, *quia testimonio istius Scripturæ probatur, bouem præ asino pleniorem obtinere intelligentiam. Bos enim suum nouit possessorem; asinus autem præsepe. Id docente Scriptura, quod animal sit suffarcinando ventri deditissimum; ideóque locum agnoscat suæ tantùm voluptati destinatum.* Tales fuerunt & Iudæi cum Gentibus comparati. Nam Gentes, instar bouis, cognouerunt possessorem suum; iuxta illud: *Omnes Gentes, quascunque fecisti, venient & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt nomen tuum.* Psalm. 85. num. 9. At verò Iudæi, more asini, solùm præsepe Domini sui cognouerunt. Ad quos proinde Christus Dominus: *Amen, amen dico vobis; quæritis*
C *me, non quia vidistis signa; sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis.* Ioann. 6. num. 26. Quasi conuiuia donantem non attenderent; sed ad sola conuiuia spectarent.

D. Basil.

Iudæi, vt iumenta, suffarcinando ventri nati.

Iudæi conuiuia, non donantem attenderunt.

X. Quod igitur ad rem attinet. Reges Israël magnum sibi lucrum ex hoc animalium genere sperantes, ea sibi omnia vsurpabant, & ponebant in opere suo. Sic enim est in Vulgata: *Et ponet in opere suo.* Nihilominùs Septuaginta habent: *ἀποδεκατώσει εἰς τὰ ἔργα αὐτοῦ*, hoc est, *Addecimabit ad opera sua.* Quibus verbis significant, non omnia animalia in totum auferenda; sed tantùm addecimanda: hoc est, decimam illorum partem abripiendam, ne pauperes coloni omnium suorum animalium præsidio penitùs priuarentur. Quæ
D esset tolerabilior iniustitia. Verùm in Hebræo, saltem in hoc versiculo, non est, יַעְשֹׂר *Iaghsor*, id est, *decimabit*, à verbo עָשַׂר *Ghasar*: sed וְעָשָׂה *Voghasah*, hoc est, *Et ponet*; seu, *faciet*, à verbo עָשָׂה *Ghasah*, hoc est, *Facere*, seu, *aptare*, & *congregare.* Vnde iuxta fontem & Vulgatam dicendum, eò Regum tyrannidem euasuram, vt omnia prorsus animalia à suis ciuibus auferant, vt in suos vsus omnibus vtantur: Septuaginta verò Interpretes ex verborum similitudine, vnum pro altero reposuisse; עָשַׂר *Ghasar*, id est, *Decimare*; pro עָשָׂה *Ghasah*, id est, *Facere*, seu, *ponere*, seu, *constituere*: vel saltem ita hunc locum ex antecedentibus & consequentibus, vbi ponitur verbum decimandi, interpretatos esse.

Decimam partem animalium Reges ablaturos significatur.

Omnia penitùs ablaturos colligitur.

E

Num. XVII. Greges quoque vestros addecimabit; vósque eritis ei serui.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. GReges quoque, &c. Duas alias iniurias commemorat. Priorem, quòd greges ouium decimabunt Reges Israël; hoc est, decimam ex gregibus partem vsurpabunt. Nam, sicut anteà agrorum

Regna iustitia stant, tributis & iniustitia ruūt.

rom & vinearum; ita modò gregum decimas dicuntur collecturi: ne vllas prorius ciuium possessiones a tributis immunes superesse paterentur. Sed nesciebaot iniqui Reges, quò plura ciuibus tributa imponebantur, eò maiora suo regno exitia nascitura. Celebre est illud, quod ex

Oresm.

Aristotele refert Nicol. Oresmius tract. De mutatione monetæ, cap. 22. Cùm olim Theopompus Lacedæmoniorum Rex, multa tributa populo remisisset, ab antecessoribus imposita; vxori ploranti atque impropetanti; quòd regnum filio relinqueret multò pauperius & exilius, quàm à maioribus acceperat; Regem sapientissime respondisse: *At relinquo diuturnius.* Rectè quidem: nam regna virtute perstant: iniustitia dituuntur & labefiunt. *Perierunt*, inquit Dauid, *propter iniquitatem suam.* Psalm. 72. num. 19. Et eius filius Salomon, *Malignitas*, inquit, *euertet sedes potentium.* Sap. 5. oum. 24. Concinit & illud: *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias & iniurias.* Ecclesiastici 10. num. 8. Non sine mysterio ouium balatus, boúmque mugitus Saülis peccatum prodiderunt, & apud Samuelem quodammodo accusarunt; iuxta illud Samuelis: *Et quæ est hæc vox gregum, quæ resonat in auribus meis, & argumentorum, quam ego audio?* 1. Reg. 15. num. 14. Vt Rex, qui in rapiendis gregibus diuioum præceptum violarat, ab ipsis gregibus diuinam vltionem quodammodu postulantibus accusaretur, ac tandem ad supplicium traheretur.

Qui rapiis gregibus Dei præceptum violat; ipsis gregibus ad supplicium trahitur.

II. *Vósque eritis*, &c. Posterior iniuria, quæ hoc loco commemoratur, est; quòd Reges suis ciuibus, tanquàm seruis, seu potiùs mancipiis, vtentur. *Vos*, inquit, *eritis ei serui.* In qua vna iniuria cæterarum omnium atrocitates continentur: vt Vatablus interpretatur. Nihil enim in hac vita durius ac molestius seruitute; cùm hominem dimidia sui parte mutilet ac detruncet. Cui enim perit libertas, dimidia pars sui perit, vt Vlysses apud Homerum lib. 7. Odyssææ testatur. Quin etiam sola seruitus vel ipsa morte grauior iudicatur. Vnde Cointus Smyrnæus lib. 13. Paralipomenon, seu, Derelictorum, in fine, refert, Priami filiam Laodicen, ruente Troia, *ad æthera manus sustulisse, Deos immortales precatam: vt terra ipsi dehisceret, priusquàm seruilia ad opera manum admoueret.* Et voti compotem factam, subito terræ hiatu absorptam euanuisse. Nescio quid insolentius aliquando egit Eleazarus quidam Iudæus, qui, vt refert Iosephus lib. 7. De bello Iudaïco, cap. 28. Castellum munitissimum; Massadam, cum strenua sicariorum manu, quibus ipse præstabat Ducem, aduersùs Romanorum obsidionem fortiter tuebatur. Sed, cùm de victoria desperaret, certóque intelligeret, omnes se à Romanis expugnandos, & in seruitutem abducendos; longam orationem præmisit de immortalitate animæ, ac de gloriosa morte ignominiosæ seruituti præferenda: qua sic omnes excitauit, vt sexaginta viri supra nongentos in mutuas cædes corruerent, & omnes se ad vnum interimerent; ne Romanorum seruituti subderentur: malentes mori liberos, quàm seruos viuere; ipsis Romanis admirantibus obstinatos animos tam faciles ad mortem, quam difficiles ad seruitutem.

Nihil seruitute, in vita durius.
Vatab.
Hom.
Smyr.
Seruitus vel ipsa morte grauior iudicatur.
Ioseph.
Magna Iudæorum multitudo sibi manus attulit, ne seruisset.

III. Adde & exempla puerorum ac fœminarum, mortem seruituti præferentium; quæ narrat Philo Hebræus in libro, Quòd omnis probus sit liber: & inter alia, *Celebratur*, inquit, *Laconis pueri mira quædam ingenuitas. Captiuus enim abductus à quodam Antigoni milite, liberalia quidem non recusauit*

Philo.
Confirmatur variis puerorum & fœminarum exemplis.

A *ministeria: seruilia verò negauit se exhibiturum; quòd abhorreret a seruitio. Præsenti vita violentam mortem prætulit, vt feliciorem: & desperata redemptione libens sibimet manus intulit. Narrant Macedones, etiam Dardanas mulieres, quæ seruitutem credebant miseriam turpissimam; suos pueros, quos in vlnis baiulabant, proiecisse in fluminis gurgitem, acclamando: Vos certe non seruietis. Polyxenam quoque Tragicus Euripides inducit, contempta morte, curam libertatis gerere; dum sic loquitur: Liceat mori me liberam.* Hæc ille. Et concludit, pueros ac mulierculas, illos ætate, has sexu fragiles, natiuu libertatis amore sic teneri, *Vt ne*, inquit, *hanc amittant, ad mortem, tanquam ad immortalitatem, properent.* Eodem libertatis amore inflammati Israelitæ, clamabant olim in solitudine, dicentes: *Vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam, ne vxores ac liberi nostri ducantur captiui.* Num. 14. n. 3. Quasi potius ducerēt perire in deserto, quàm seruire in terra Promissionis. Sic & Saül, non verbo tantùm, sed etiam facto testatus est, decoram mortē ignominiosæ seruituti præoptandam. Nam & ipse *arripuit gladium suum, & irruit super eum.* 1. Reg. 31. n. 5. Rationem reddit D. Ambr. in Psal. 37. *Ne captiuus*, inquit, *senex viueret filiis & regno superstes.* Quasi voluntariam mortem violentæ præponeret seruituti. Quòd si quis dicat, miseris & abiectis dominis seruire, miserum & abiectum esse: at verò Regibus & Principibus, honorificum & gloriosum: planè fallitur. Imò D. Chrysost. homil. 59. in Matthæum, rectè probat, calamitosius & infelicius esse, Regi, quam priuato homini, etiam obscuro & humili seruire. Et probat: quia Regum serui maioribus patent odiis & insidiis; multorum sibi conflant inuidiam; multorum maleuolentiam incurrunt: à quibus periculis, qui priuatis dominis seruiunt, eripiuntur. *Non est*, inquit, *æquale, abiectum habere dominum, & Regi seruire: cuius aures multorum verbis exposita sunt, & ipsi modò hi, modò illi persuadent. Quare, quamuis nullius sibi mali conscius sit, qui Regi seruit; omnes tamen suspectos habet, tam pares, quam sibi subiectos; & tam amicos, quàm inimicos.* Contrà verò, qui priuato domino seruit, neminem formidat. *Quoniam isti*, inquit, *nemo est, qui inuideat: quique velit isto expulso ad eandem se intrudere seruitutem.* Cùm tamen eum, qoi Regi proximus est, molti veliot à loco, quem obtinet, deturbare: misera igitur est omnis seruitus; & ea, quæ Regibus præstatur, multò miserrima.

B · C · D (marginal section letters)

Fœminæ amore libertatis ad mortē, vt ad immortalitatem properant.
Iudæi in deserto mortem optant, vt effugiant seruitutem.
S. Amb.
Saul gladio incumbit, ne viueret captiuus.
D. Chrys.
Qui seruire Regibus, gloriosum putat, fallitur.

Sed de hac re plura diximus cap. 4. num. 9. Igitur Reges Israël dura seruitute populum opprimentes, manifestè se tyrannos demonstrabant. Nam, vt bene Philo de specialibus legibus: *Decet*, inquit, *dominos non abuti sua potestate contra famulos, cauerèque ab insolentia, contemptu atque sæuitia: nam ista non sunt indicia placidi animi: sed impotentiæ tyrannicæ, exercentis licentiam pro arbitrio.* Et D. August. lib. 1. De sermone Domini in monte, cap. 39. in 4. tomo, *Non oportet*, inquit, *Christianum sic possidere seruum, quomodo equum: quamuis fieri possit, vt maiori pretio valeat equus, quàm seruus.* Non immeritò indignatur Philosophus Seneca epistol. 47. ad Lucilium, in dominos suis seruis iniurios, illúdque prouerbium passim iactantes: *Totidem esse hostes, quot seruos.* In hos, inquam, indignatur, dicens: *Non habemus illos hostes, sed facimus: nec tanquàm hominibus quidem, sed tanquàm iumentis abutimur.* Quare amicum rectè monet, vt seruis se non durum & immitem præbeat, sed facilem & clementem: exemplo maiorum suorum, qui, vt dominis inuidiam,

IV.
Philo.
Tyranni est potestate abuti in famulos.
D. August.
Senec.
Domini seruos non accipiunt hostes, sed faciunt.

niuidiam, seruis contumeliam auferrent, *illos patresfamilias*, hoc, *familiares* appellabant. Immò diem festum instituebant, quo serui non modò herilem admittebantur ad mensam, sed etiam honores gerere. & ius dicere in familia, tanquam in pusilla quadam Republica permittebantur. Prudenter igitur docet, seruos habendos à dominis, vt conseruos: si nimirum cogitent, *tantundem in vtrosque licere fortunæ*: hoc est, parem esse fortunæ in dominos ac seruos potestatem. Deinde & in sermonem, & in consilium, & in conuictum admittendos. Et paulò pòst, *Quidam*, inquit, *cœnent tecum, quia digni sunt; quidam, vt sint. Si quid enim in illis ex sordida conuersatione seruile est, honestiorum conuictus excutiet.* Ex quibus patet, quàm deploranda fuerit Hebræorum conditio sub Regibus Israël, à quibus, non vt homines, sed vt mancipia, immò vt iumenta tractabantur.

Domini in seruos debent esse faciles & clementes.

Par fortuna in dominos & seruos.

Num. XVIII. Et clamabitis in die illa à facie Regis vestri, quem elegistis vobis: & non exaudiet vos Dominus in die illa; quia petistis vobis Regem.

EXPOSITIO LITERÆ.

ET *clamabitis*, &c. Duo prædicit Samuel, haud dubiè, quin prophetico spiritu, vt rei euentus confirmauit. Vnum, futuram totius populi pœnitentiam. Prædicit enim, fore vt, qui modò Regem postulant, eundem posteà magnis clamoribus detestentur, experti, se ab illo Rege non defendi, vt putabant, sed potiùs mille periculis exponi, mille iniuriis lacerari. Quo pacto in fabulis dicuntur columbæ sibi accipitrem in Regem contra miluum cooptasse: sed posteà magnas strages ab ipso accipitre subiisse. Vnde illud poëticum:

Postulati Regis pœnitentia prædicitur à Samuele.

Accipitrem milui pulsurum bella columba
Accipiunt Regem, qui magis hoste nocet.

Sic & arbores mystico illo apologo sibi thamnum in Regem elegerunt, à quo tamen miserabiliter conflagrarunt, dicente: *Egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros Libani.* Iud. 9. num. 15. Vnde quem vt Regem eligebant, mox vt hostem detestabantur. Quod sicut in figno contigit, ita & in re significata. Nam Abimelech illo in rhamno adumbratus, cui fratres Regnum contulerunt; posteà fratribus incendium admouit: septuaginta ex illis super lapidem vnum interfecit. Ibidem, n. 5. Vnde Sichimitæ, quem anteà in Regem omnibus votis cooptarunt; posteà, vt hostem, omnibus diris & execrationibus deuouerunt. Vbi suprà, à num. 23. Non aliter & Hebræi dicuntur hoc loco clamaturi contra Regem, quem postularunt: *Clamabitis*, inquit, *in die illa, à facie Regis vestri.* Hoc est, interprete Vatablo, *Propter iniurias, quibus afficiet vos Rex vester.*

Homines aliquando eligunt Regem, quem postea vt hostem detestantur.

Causa clamoris Hebræorum.

Vatab.

II. Sed, quænam fuit illa dies, in qua hic clamor à toto populo erupit? Respondeo non fuisse vnam tantùm, sed multiplicem, iuxta multiplices illius populi in suos Reges seditiones ac rebelliones, diuersis temporibus erumpentes. Vnde Chaldæus vertit: *Clamabitis in tempore illo*: vt longiur rebellionum spatium, quàm vnam diem significaret. Igitur sub primo Rege Saüle, statim rebellarunt. *Et despexerunt eum*, inquit Textur, *& nõ attulerunt ei munera.* 1. Reg. 10. num. 27. Sub Dauide, omnes Tribus, vna excepta Tribu Iuda, pro Isboseth

Quodnam fuerit hoius clamoris tempus.

A contra Dauidem conspirarunt. 2. Reg. 2. à num. 8. Hoc tumultu consopito, alius periculosior erupit; cùm, scilicet, *toto corde vniuersus Israël* sequebatur Absalonem. 2. Reg. 15. num. 13. Vix hæc tempestas posuerat, cum alia, nescio an atrocior, desæuiit; viro quodam Belial, nomine Seba, contra Dauidem buccinante ac dicente: *Non est nobis pars in Dauid, neque hereditas in filio Isai. Reuertere in tabernacula tua, Israël. Et separatus est omnis Israël a Dauid*, &c. 2. Reg. 20. n. 1. & 2. Sub Rege Salomone, quantas contra illum tragœdias excitarunt tres illi infensissimi hostes, Adad, Razon & Ieroboam? 3. Reg. 11. à num. 15. Iam verò Salomonis filio Roboamo in regnum succedente, *Recessit Israël à domo Dauid vsque in*

Diuersæ Hebræorum rebelliones in Reges suos.

B *præsentem diem.* 3. Reg. 12. num. 19. Consequentes Reges tam in Regno Iuda, quã in Regno Israel, turbulentissimæ totius populi seditiones, vel in solio coöturbarunt, vel à solio expulerunt; vt in primo Tomo, Annot. 3. Sect. 7. aduerti; & ex tota Regum historia planiùs constabit.

III. Immò post Christi Domini aduentum non cessabat ille populus contra Reges sibi à Romanis impositos tumultuari. Nam in primis cum Hyrcanus & Aristobulus fratres de Regno Iudæorum obtinendo contenderent; actiùs ipsi Iudæi de vtroque excludendo apud Pompeium contendebant: vt Iosephus lib. 14. Antiq. c. 5. testatur. *Aiebant enim*, inquit Iosephus, *se nolle esse sub Regibus; quòd patrium institutum habeant, vt sub Dei pa-*

Etiam post Christi aduentum contra Reges tumultuabantur.

Ioseph.

C *ream Sacerdotibus. Hos autem duos, esse quidem è Sacerdotum genere: sed velle principatum gentis in aliam formam traducere, vt eam in seruitutem subigant.* Vbi nescio, quar leges patrias mentiuntur, vt Regibus, quos petierant, reluctentur. Cum item Archelaüs, mortuo Herode, ad Iudæorum regnum adspiraret; efficaciter Iudæi obstiterunt. Nam Romæ apud Cæsarem facta dicendi copia in Herodem, Archelaï patrem iam defunctum, tanquàm in impiissimum, non Regem, sed tyrannum declamarunt: eius sæuitiem 10 viuos tantam fuisse; vt ea, qua vsus fuerat in mortuos, quos occiderat, clementia videretur. Denique Herodem, non vt hominem regnasse; sed, vt truculentissimam bestiam in omnes desæuiisse. Deinde eius

Declamatio Hebræorum in Herodem & filio Archelaum.

D filium Archelaum, nihilo fore parenti suo dissimilem, certissimis argumentis deprehendi, cùm vix à patre designatus in regni successorem, nec dum à Cæsare confirmatus, vt oportebat; tamen ita in omnes sæuire cœperit, & humanum sanguinem sitire, vt tria millia ciuium, in templo, quò se receperant, quasi pro victimis Deo iugularit. Quare obnixè petere & obtestari, ne regnum Archelao committeretur; sed potiùs, vt mutata Reipublicæ forma, posthac sine Regibus sibi agere liceret, & solis Romanis Magistratibus, qui Syriæ præessent, obtemperare. Quæ omnia Iosephus lib. 17. Antiq. cap. 12. alias 17. latius describit. Vides, vt contra ipsos, quos petierunt, Reges, iuxta hoc Samuelis oraculum, reclama-

E rint?

IV. Adde, & contra ipsum Cæsarem, quem solum paulò antè Regem agnouerant, dicentes: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Ioan. 19. num. 15. mutato consilio paulò pòst insurrexisse. Nam, vt refert Iosephus lib. 7. De bello Iudaico, cap. 29. multi Iudæorum euersa patria Alexandriam confugientes, ibique res nouas ad libertatem recuperandam machinantes; tandem ad sexcentos capti sunt: *Quorum*, inquit Iosephus, *non est, qui duritiam non obstupescat. Omni enim genere tormentorum, & vexatione corporum in eos excogitata,*

Iudæi Cæsari sponte sua præstantes, nullis suppliciis fatentur Regem.

Ioseph.

cogitata, ob hoc solummodò, vt Cæsarem Dominum faterentur; nemo cessit, neque dicere velle visus est: sed omnes illa necessitate validiorem sententiam conseruauêre; tanquam brutis corporibus, non animis, etiam cruciatus, ignémque susciperent. Maxime verò puerorum ætas, miraculo spectantium fuit. Nec enim vel eorum quisquàm commotus est, vt dominum Cæsarem nominaret: vsque adeò corporum infirmitatem vis audacia superabat. Quis non credat tam præposteram Iudæorum pœnitentiam in eorum vltionem contigisse? Vt qui paulò antè sua sponte, & nemine impellente, vnum Cæsarem in Regem admittebant, iidem paulò pòst, nullis minis ac pœnis adduci possent; vt eum, suum dominum faterentur. Vere igitur Samuel: *Clamabitis à facie Regis, quem elegistis.*

Audacia, corporum superat infirmitatem.

V. *Et non exaudiet,* &c. Secundò, prædicit Samuel diuinam audientiam totius populi clamoribus defuturam. Quamuis enim auris diuina non solùm audire soleat clamorem oris, sed etiam *præparationem cordis.* Psal. 10. n. 17. Nihilominùs vociferationes eorum, qui non voluntate, sed necessitate clamabant; meritò repellebat: præsertim cùm ipsi sua sponte se in eas angustias coniecissent; nec optimis Samuelis consiliis obtemperassent. Qui enim Deum non audit, quo iure optare debet, vt à Deo audiatur? Hunc enim Talionem merentur peccatores diuinis admonitionibus rebelles, iuxta illud: *Quia vocaui, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.* Prou. 1. à num. 24. Vbi par pari refertur: & surdæ peccatorum aures, surdis Dei auribus puniuntur. Vnde sequitur: *Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me: eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint.* Ibidem, n. 28. & 29. Vbi Deus suas aures obturare dicitur, non ad quorumcunque peccatorum orationes; sed eorum potissimùm, qui aures suas ad diuinas monitiones obturant: vt peccatorum hominum surditas, vltoris Dei surditate vindicetur. Hinc illa pœnæ cum culpa proportio, quam Deus surdis peccatoribus comminatur: *Sicut,* inquit, *non audierunt; sic clamabunt, & non exaudiam: dicit Dominus exercituum.* Zach. 7. num. 13. Vbi nota, qui Deum etiam leniter insusurrantem non audiunt, eos ne fortiter quidem clamantes à Deo exaudiendos. Ad hæc, de populi surditate conquestus Dominus, *Putrescere,* inquit, *faciam populum istum pessimum, qui nolunt audire verba mea.* Ierem. 13. n. 10. Sèd, quæ pœna in peccatores diuinis vocibus surdescentes statuitur; nisi, vt ipsi quoque diuinas aures suis precibus surdas experiantur? *Cùm ieiunauerint,* inquit, *non exaudiam preces eorum: etsi obtulerint holocautomata & victimas, non suscipiam ea.* Ierem. 14. n. 12. Vbi peccatorum surdescentium preces, etiam cum ieiuniis & sacrificiis coniunctæ, quæ proinde efficaciores esse solent, à diuinis auribus excluduntur.

Prædicitur à Samuele Hebræos à Deo non exaudiendos.

Surda peccatorum aures, surdis Dei auribus puniuntur.

Qui Deū vel leniter loquētē nō audiūt, non exaudiuntur vel clamantes.

VI. Saül, cæterique Dauidis persequutores, ac diuini Numinis contemptores, postquàm Prophetarum voces ita respuerunt, vt penitùs obsurduisse viderentur: tandem & ipsi necessitate compulsi, *Clamauerunt, nec erat, qui saluos faceret: ad Dominum, nec exaudiuit eos.* Psal. 17. n. 42. Iustissima punitio; vt Deum non audientes, à Deo non audirentur. Quoties, quæso, Esaü salubres præceptiones contempsit, qui non vacando in tabernaculis, doctrinæ studebat; sed vagando in agris, venatui insudabat? Genes. 25. num. 27. Negligens igitur doctrinæ auditor, ne à Deo quidem auditus fuit: *Non enim,* inquit Apostolus, *inuenit pœnitentiæ locum, quamuis cum lacrymis inquisisset ea.* Hebr. 12. n. 17. Antiochus Rex sæpiùs à Deo de sua superbia admonitus, adeò non audiuit, vt potiùs *nullo modo à sua malitia cessarit.* 2. Mach. 9. num 6. Quam pœnam merebatur tam stultus & impius surdaster, nisi, vt magnis Deum clamoribus deprecatus, minime audiretur? iuxta illud: *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consequuturus.* Ibidem, num. 13. Sæpissimè Christus Dominus Iudæos ad se vocabat; quem illi pertinacissimè respuebant: vt impleretur in eis prophetia Isaiæ, apud Matth. 13. num. 15 *Nequando videant oculis, & auribus audiant.* Quæ igitur opportunior pœna manere posset diuini verbi contemptores, nisi, vt illi, qui Dominum clamantem non audiebant; ad Dominum clamantes non audirentur? Vnde illud: *Quæretis me, & non inuenietis.* Ioan. 7. n. 34. Et iterum: *Quæretis me, & in peccato vestro moriemini.* Ioan. 8. n. 21.

Iusta punitio Deum nō audientes, à Deo non audiri.

Confirmatur res variis exemplis.

VII. Tandem Iudas, qui Dominum sæpiùs clamantem non audiuit, indignus fuit, vt eius clamor, in quem aliquando erupit, audiretur. Dixit enim: *Peccaui tradens sanguinem iustum.* Matth. 27. n. 4. Sed hæc eius oratio facta est ei in peccatum. Psal. 108. num. 7. vt rectè obseruat D. Chrys. serm. 4. De passione, in fine tom. 3. Nam, *Vbi,* inquit, *pœnitentia festinanti ad portum, ibi incidit in æternū, & sine reparatione naufragium.* Itaque, qui Deum in tempore clamantem non audiunt, nec ipsi à Deo clamantes audiuntur: vt patet hoc loco in Hebræis, qui Samuelem benignè suadentem, vt à Rege petendo abstinerent, audire noluerunt; sed statim dicuntur posteà precaturi, vt à Regis, quem petierant, tyrannide eximantur, nec tamen à Deo exaudiendi. Quamuis enim Deus semper exaudiat eos, qui pro suis culpis debitè precantur: non tamen eos, qui precantur pro pœnis temporalibus, quas ipse decreto absoluto præfiniuit, quod non licet immutari. Cùm igitur, supposita populi petitione, absolutè à Deo decretum fuerit, vt Hebræi vsque ad Christum natum sub Regibus tenerentur: frustra ipsi ab hoc iugo liberari voluerunt & postularunt, Deo illorum preces repellente. Sed totum hoc ius Regis ad mores paucis illustremus.

Iudas in tēpore non audiens, supplex non auditur.

S. Chrys.

Quæ preces à Deo non exaudiantur.

ANNOTATIO XXXV.

CIRCA LITERAM.

Quanto inter se discrimine seruitus sub peccato, & sub Christo distinguantur.

I. IVs Regis hactenus explicatum, sub quo Hebræi à suis Regibus opprimendi erant, mysticè significabat tyrannicas peccati leges, quibus peccatores infeliciter subiiciuntur, longè dissimiles ab iis, quibus Christi serui suauiter religantur. Illorum enim seruitus durissima est, horum suauissima, quæ propterea debeat, non seruitus, sed libertas appellari, vt in hac annotatione breuiter ostendemus.

Sectionis argumentum.

SECTIO I.

Vera sub peccato seruitus; sub virtute libertas.

II. Tert. *Christi serui, libertas estimandi libertas, seruitus.*

REm disertè expressit Tertull. lib. De corona militis, cap. 13. *Si veram*, inquit, *putas seculi libertatem, redisti in seruitutem hominis, quam putas libertatem: amisisti libertatem Christi, quam putas seruitutem*. Vbi satis significat, sub peccato, non nisi seruitutem; sub virtute, non nisi libertatem inueniri. Et quidem veram esse sub peccato seruitutem, nec Philosophus quidem naturalis ignorauit. Nam Plato lib. 9. De República, *Quoties*, inquit, *peccas, toties te velut catena reuinctum, nequissimo & spurcissimo domino pro mancipio tradis*. Qua in re, vt in cæteris quoque Philo platonizat. Nam in libro, Quòd omnis probus sit liber, duplicem constituit seruitutem; vnam, corporis; alteram, animi. *Et corporibus*, inquit, *dominantur homines; animis autem affectus & vitia*. Et paulò pòst, hanc posteriorem sentit esse veram seruitutem: *Nam, qui*, inquit, *humili seruilique animo, humilibus seruilibusque negotiis dat operam, verè seruus est*. Et ad finem libri: *Serui & verbenones sunt omnes, quotquot, non hominibus, quod leuius est; sed rebus vilissimis, mero aliisque coquorum ac cupediariorum curiositatibus in gratiam ventris dant operam*. Et quidem Cynicus ille Diogenes, apud eundem Philonem, conspicatos quendam seruum manumissum, noua felicitate exultantem, gratulantésque amicos, *Miratus est fatuum eorum iudicium*; quasi crederent à seruitute exiisse, qui prauis affectionibus nondum renuntiasset.

Plato.

Philo.

Qui à prauis affectionibus non recedit, à seruitute non recedit.

III. Sed quid apertius illo Christi Domini oraculo? *Omnis*, inquit, *qui facit peccatum, seruus est peccati*. Ioann. 8. num. 34. In quem locum D. Ambr. lib. De Ioseph, cap. 4. *Seruile*, inquit, *est omne peccatum, libera innocentia. Quomodo enim non seruus omnis auarus, qui pro exiguo pecuniæ lucello se ipsum auctionatur? Quomodo non & ille seruus, qui subditus est libidini? Primùm suis ardet incendiis, & peccati sui facibus exuritur; suscipit omnes metus; insidiatur somnis singulorum; vt vnius cupiditate potiatur, fit seruus omnium. Seruit igitur, ac miseram quidem seruitutem, qui ipse sibi dominos facit; ipse vult habere, quos timeat*. Primus locus Scripturæ, in quo serui nomen auditur, ille est, in quo Noë filio suo Cham maledixit, dicens: *Maledictus puer Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis*. Gen. 9. num. 25. Quod Diuus August. lib. 19. de ciuit. cap. 15. rectè expendit: *Conditio*, inquit, *seruitutis iure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquàm Scripturarum legimus seruum, antequam hoc vocabulo Noë iustus peccatum filij vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura*. Idem Diuus Augustin. quæst. 153. in Genes. duplicem seruitutis causam inducens, *Seruum*, inquit, *hominem homini vel iniquitas, vel aduersitas dominari fecit. Iniquitas quidem, sicut dictum est: Maledictus Chanaan: erit seruus fratribus suis. Aduersitas verò, sicut accidit ipsi Ioseph*. &c. Sed vide, quantò efficacior seruitutis causa sit iniquitas, quàm aduersitas. Nam aduersitas leuissimam & breuissimam in seruitutem Iosephum tedegit; nulla ad eius posteros seruitutis nota deriuata. At iniquitas non solùm Cham, sed etiam eius filium Chanaan; immò & totam eius posteritatem in perpetuam & maledictam quandam seruitutem deturbauit. Totus enim huius seruitutis ordo à

S. Ambr. *Omnis peccator miseram seruit seruitutem.*

Peccator iure seruus dicitur.

S. August.

S. Aug.

Seruum facit, vel iniquitas, vel aduersitas, diuerso modo.

A maledicto seruo exordium sumpsit: vt in totam posteritatem dissemmanda maledictio significaretur.

Accedit D. Ambros. in epist. ad Coloss. cap. 4. sub initium, vbi expendens, omnes à Deo conditos fuisse liberos, multos à peccato factos fuisse seruos, subdit: *Apud Deum*, inquit, *hic seruus habetur, qui peccauerit. Denique peccati causa Cham seruus audiuit: Maledictus puer Chanaan: seruus seruorum erit fratribus suis. Cuius sententiæ veteres assensêre: ita vt definirent, omnes prudentes esse liberos: stultos omnes esse seruos: quia prudens abstinet à peccatis; stultus subiicit se peccato*. Quis ergo dubitet de misera peccatorum seruitute, quæ diuino pariter atque humano calculo confirmatur? Iam verò Diuus Chrysost. hom. 29. in Gen. B expendens, et peccatum Cham, quod non fuit omnium grauissimum, miserrimam seruitutem in eius auctorem inductam fuisse, rectè argumentatur, quantò miserior & infelicior seruitus per grauiora peccata inducatur: *Qui seruilem*, inquit, *nuditatem euulgauit, maledicto se fecit obnoxium, & excidit ab honore, quem parem huius cum fratribus, condemnatus, vt illis seruiret. Quid patientur, qui peccata fratrum euulgant: & non solum non contegunt & excusant; sed magis ea faciunt manifesta?* Haud dubiè, sicut per peccatum seruitus, ita per grauius peccatum miserior seruitus inferetur. Tandé D. Greg. Nazianz. Orat. 16. post medium, *O ingentem*, inquit, *stultitiam! O singularem vecordiam!* Eorum, scilicet, qui non cogitant, paupertatem & seruitutem, simul cum vitio, in hominum genus irrepsisse. Et subdit: *Qui hominem primum creauit, liberum eum, suique arbitrij reliquit, solo mandati lege coërcitum, atque in Paradisi deliciis opulentum. Libertas porrò, & diuitiæ in solo mandati obseruatione sita erant: quemadmodum contrà paupertas & seruitus in illius violatione*. Quam deformis filia erit seruitus; quæ à tam monstroso parente nascitur peccato?

IV. S. Ambr. *Homines nascuntur liberi, à peccato fiunt serui.*

S. Chrys.

Grauior seruitus grauioribus peccatis.

S. Greg.

C

Paupertas, & seruitus in praecepti violatione.

Credebant olim Iudæi, liberos se esse; tum ex illo oraculo diuino: *Nunquid seruus est Israel, aut vernaculus?* Ierem. 2. n. 14. tum, quia patre Abrahâ ingenuo ac libero gloriabantur. Vnde Christo Domino veram illis libertatem promittenti, si D crederent; cum stomacho respondebant: *Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vnquàm: quomodo tu dicis: Liberi eritis?* Ioan. 8. num. 33. Vbi D. Hier. in locum Ieremiæ citatum: *Sed nesciebant*, inquit, *quòd omnis, qui facit peccatum, seruus peccati fit, & seruiat vnusquisque ei, à quo vincitur. Nati ergo de amico Dei Abraham, vitio suo facti sunt, quasi filij Cham, cui dictum est: Maledictus Chanaan, seruus erit fratribus suis*. Abraham duas habuit vxores, vnam Ægyptiam, & seruientem, nimirum Agar; alteram Hebræam, & imperantem, nempe, Saram: quæ non solùm in domesticos & familiares, verùm etiam in ipsum dominum & patremfamilias Abrahamum exercebat dominatum; iuxta illud Dei oraculum ad Abrahamum: *Omnia, quæ* E *quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius*. Gen. 21. n. 12. Vnde, quæso, Sara tantam meruit potestatem in virum? Cùm potiùs, iuxta præceptum Apostoli, *Mulieres viris suis subditæ* esse debeant, *sicut Domino*. Ephes. 5. n. 22. Respondet egregiè D. Amb. lib. 2. de Abraham, c. 5. *Quæ*, inquit, *seruitio delictorum se exuit; principatum habuit, non seruitium*. Rectè quidem. Nam, qui non peccat, non potest seruire: sicut, qui peccat, non potest imperare.

V. *Iudæi per naturam liberi, serui per peccatum.*

D. Hieron.

Qui non peccat, seruire non potest; qui peccat, non potest imperare.

D. Ambr.

Suam non ignorabat seruitutem Rex Antigonus, qui, vt refert Ælianus lib. 2. var. hist. c. 20. filium alloquutus, *An non nosti*, inquit, *fili mi, regnum*

VI. Ælian. *Quomodo regnum sit nobilis seruitus.*

regnum

regnum nostrum esse nobilem seruitutem? Quod ille fortasse dicebat, vt significaret, se suorum subditorum commodis seruire: sed verius proculdubiò posset dicere; vt ostenderet, se suis appetitionibus, tanquam mancipium suis heris, obtemperare. De Herode Ioseph. lib. 17. Antiq. c. 10. *Vir*, inquit, *in omnes ex æquo sæuus, iræ seruus, iuris dominus.* Nempe, solis legibus quibus obedire oportebat, imperabat: & prauis appetitionibus, quibus imperare tenebatur, obediebat. Rectè D. Aug. lib. 4. De ciuit. c. 3. *Malus*, inquit, *etiamsi regnet, seruus est: nec vnius hominis; sed, quod est grauius, tot dominorum, quot vitiorum.* Misera quidem seruitus, tam multis acta sub tyrannis. At verò D. Isidor. lib. 3. De summo bono, cap. 58. *Quilibet*, inquit, *rectè faciendo, Regis nomen tenet; sed peccando, amittit.*

Ioseph.
Malus Rex tot dominorũ seruus, quot vitiorum.
D. August.
D. Isid.

Improba illa Ægyptia, quæ Iosepho pro seruo emptitio vtebatur, quando serui sui castitati insidiata est; non appellatur domina; saltem iuxta Septuaginta: sic enim transferunt, & rectè quidem, ex Hebræo: *Iniecit vxor domini eius oculos suos in Ioseph.* Genes. 39. n. 7. At, cur non dicitur, Iniecit domina eius oculos suos in Ioseph? Respondet quidem egregiè ad præsens institutum Diuus Ambros. lib. vno de Ioseph, c. 5. *Rectè quidem*, inquit, *vxor domini; non ipsa domina dicitur; quia non potuit extorquere, quod voluit imperare. Nam quomodo domina, quæ dominandi non habebat affectum? quæ disciplinam dominæ non tenebat? quæ seruulis libidinis incentiua præstabat? Ille dominus, qui amantis non excepit faces; qui lenocinantis vincula non sensit; quem nulla mortis formido perterruit; qui maluit liber criminis mori, quàm potentiæ criminosæ eligere consortium.*

Domina dicitur quæ peccato seruus.
D. Ambr.

VII. Dauid de peccatoribus loquutus, *Dominabuntur*, inquit, *eorum iusti in matutino.* Psal. 48. n. 15. sed vtinam soli iusti, nobilissimi domini, & nõ etiam praui affectus, vilissimi, crudelissimique tyranni peccatoribus dominarentur. At, proh dolor! virtus pariter ac vitium eis dominantur. Vnde D. Chrys. ad eum locum: *Talis*, inquit, *est rerum natura, vt vitium virtuti seruiat, eámque formidet ac pertimescat: licet illud sit versum, exercitatúmque, ac præclarè instructum: hæc vero nuda, & per se ipsam decertans.* Et statim sibi obiciens præposteram rerum conditionem; videmus enim sæpè seruire bonos, imperare improbos: respondet, bonos in sua illa seruitute veram gerere libertatem, quia non seruiunt vitiis; improbos in hoc suo imperio miserã ducere seruitutem; quia vitiis famulantur. Et proposito exemplo rem illustrat: *Vxor*, inquit, *Putipharis Ægyptia, nunquid erat Regina? nunquid toto Ægypto præerat? nunquid maximam habebat potestatem? Quid verò Ioseph? Num seruus? Num captiuus? Num famulus emptitius? Illa igitur aduersus adolescentulum, non omnem aciem instruxit: sed ipsa descendit in aciem. Quis ergo tunc erat seruus? Quis liber? Illáne, quæ precabatur: & non homini, sed improbissimæ animi perturbationi seruiebat? An is, qui contemnebat sceptrum, coronam, purpuram? Illa quidem repulsam passa recessit, & alij rursus animi morbo mancipata est, nempe, ira, quæ ratione non regitur. Hic exiit capite redimito coronis innumerabilibus, & in ipsa seruitute libertatem magis resplendentem ostendens. Nihil est enim æquè liberum, vt virtus: nihil æquè seruum, vt vitium.*

Virtus simul & vitium peccatoribus dominantur.
D. Chrys.
Iusti in seruitute liberi: iniusti in libertate serui.

VIII. De eadem re D. Greg. lib. 27. Moral. c. 5. *Quid*, inquit, *Ioseph castius, qui ad desiderium petulantis dominæ, iugo luxuriæ premi non potuit etiam captiuus. Et quidem hominibus exitit seruus; sed contra dominantem nequitiam, & in seruitio liber fuit.* Verùm non solùm vna fœmina primaria, sed etiam am-

D. Gregor.
Ioseph in seruitute libertas commendatur.

A

plissima quædam Regina, si quando peccat, seruire iudicatur. Hinc est, quòd Ieremias literaliter quidem Ierosolymam vrbium Reginam; mysticè verò quamuis animam; etiam Regum atque Imperatorum lamentetur: quòd illa hostium, hæc autem vitiorum imperio subiiciatur. *Princeps*, inquit, *prouinciarum facta est sub tributo.* Thren. 1. n. 1. Ad quem locum D. Hieron. *Mysticè*, inquit, *plangitur anima fidelis hominis, quæ quondam plena fuit numerositate virtutum: & imperabat diuersis affectibus, dominans concupiscentiis carnis: postea autem a malignis spiritibus flammis libidinis succensa, destituta Angelorum solatio, & carens diuino consortio, tot seruit sceptris dedita, quot vitiis.* Quæ durior & infelicior ruina, quam ex tanto dominatu

B

in tantam seruitutem præcipitari?

Anima iusti, si peccat, ex dominatu, in miseram abit seruitutem.
D. Hier.

IX. Age, & Pharaonem ac Iosephum inter se compara. Quis hoc infirmior? Quis illo potentior ad primam speciem videatur? Et tamen, quia Pharao parebat vitiis, Ioseph autem vitiis imperabat; hic Regis, ille serui nomen merebatur. Vnde D. Ambr. lib. De Ioseph, c. 4. *Seruiebat*, inquit, *Ioseph, regnabat Pharao; beatior huius seruitus, quàm regnum illius. Denique tota Ægyptus collapsa esset fame; nisi regnum suum consilio seruuli subdidisset.* Compara item Regẽ Achab, & Prophetam Heliam. Achab, tanquàm seruus abiectus trepidabat: Helias, tanquam dominus imperiosius minabatur. 3. Reg. 21. n. 20. Vnde, quæso, despicabili Prophetæ tanta vis animi, & potenti Regi tanta deie-

C

ctio? Credo, quia Helias peccatis imperabat: at verò Achab peccatis seruiebat. Et propterea Helias ad Regem, *Venundatus*, inquit, *es, vt faceres malum.* Quasi diceret: Vt peccares, tuam regiam libertatem in miseram seruitutem abiecisti; ac te de potente Rege in venale mancipium transformasti. Ac si non posset idem homo & regnare, & peccare: sed necessariò abiiciendum esset regnum ei, cui peccatum esset admittendum. Quare rectè concludit Diuus Ambr. lib. De Naboth, cap. 2. *Captiua est igitur opulentia, paupertas libera. Seruitus, ac miseram quidem seruitutem, qui seruitus erroris, seruitis cupiditati: seruitis auaritiæ, quæ expleri non potest; gurges quidem insatiabilis est; rapidior, cum illata demergit.*

Iosephi seruitus beatior Pharaonis regno.
D. Amb.
Helia magna vis animi ex peccatorum imperio. Achabo ex seruitio infirmitas.
D. Ambr.
Opulente captiui, pauperes liberi.

D

X. Hinc est, quòd Dauid diuites ac potentes significet esse, suarum diuitiarum non tam dominos, quàm seruos: *Nihil*, inquit, *inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Psal. 75. n. 6. In quem locum D. Ambr. lib. cit. De Naboth, c. 15. *Bene*, inquit, *viros diuitiarum appellauit, non diuitias virorum; vt ostenderet, eos non possessores diuitiarum esse: sed à suis diuitiis possideri. Possessio enim possessoris esse debet: non possessor possessionis. Quicunque igitur patrimonio suo, tanquàm possessione non vtitur; qui largiri pauperi, & dispensare non nouit: is suarum seruulus est, non dominus facultatum: quia aliena custodit, vt famulus; non tanquàm dominus, suis vtitur.* Concinit D. Cypr. lib. 2. epist. epist. 2. iuxta veterem editionem: vbi loquutus de diuite

E

auaro, quem non tam aurum, quàm peccatũ onerabat: *Suspirat*, inquit, *ille in conuiuio, vigilat in pluma: nec intelligit miser, speciosa sibi esse supplicia: auro se illigatum teneri: & possideri magis, quam possidere diuitias.* Huc referri potest illud Tert. lib. De habitu muliebri, c. 7. de barbaris quibusdam populis, hoc quidẽ nomine sapientibus: *Qui auro*, inquit, *vinctos in ergastulis habent, & diuitiis malos onerant; tantò locupletiores, quantò nocentiores.* Et lib. De cultu fœminarum, c. 10. *Aurũ ipsum*, inquit, *cuius vos gloria occupat, cuidã genti ad vincula seruire, referunt Gentilium Literæ.* Hoc enim exemplum di-

Diuites non diuitiarum domini, sed serui.
D. Ambr.
D. Cypr.
Auri possessores ab auro possidentur.
Tertul.
Aurum nocentium catena.

uina prooidentia inter homines esse voluit; vt illo quodammodo typicè demonstraret, diuites non tam esse liberos, quam seruos: dum enim auro, tanquam liberi, potiuntur; prauo auri affectu, tanquàm serui vinculis, retinentur.

XI. D. Bernard. *Si terrena contemnuntur, omnia possidentur.*

Eleganter D. Bernard. serm. 21. in Cantica philosophatur; dum sentit, à singulis fidelibus dici posse illud, quod a Christo Domino dictum est: *Ego si exaltatus fuero a terra; omnia traham ad meipsum.* Ioan. 12. num. 32. Hoc est, si terrena omnia contempsero; omnia possidebo: hæc enim insequentem fugiunt; fugientem insequuntur. Et statim, *Auarus*, inquit, *terrena esurit, vt mendicus; fidelis contemnit, vt dominus.* Atque hinc ad diuitiarum contemptum adhortatus, subdit ad rem præsentem: *Si non vales* (scilicet, res terrenas abiicere) *fatere, te pecuniæ tuæ non dominum esse, sed seruum; custodem, non possessorem. Conformaris crumenæ tuæ, tanquàm seruus dominæ suæ; cum crescente marsupio tuo, crescis pariter animo; & cum decrescente, decrescis.*

Crumena, diuitū domina.

Quæ miserior seruitus, quàm sicut mare Lunæ; ita diuitem seruire crumenæ: & sicut mare à Luna trahitur, & retrahitur; ita diuitem à crumena tristari & hilarari? Hoc quidem discrimine.

Crumena cū Luna apta similitudine confertur.

Nam Luna, cum paribus spatiis crescat ac decrescat, seu ascendat & descendat; paribus quoque interuallis mare implet & euacuat, effundit ac refundit: at verò crumena cum inæquales patiatur vicissitudines, & in aliis quidem semper plena sit, in aliis semper vacua, in aliis vix impleatur, cum statim exhauriatur; inæquali quoque seruitutis tyrannide suos vexat; semper diuites perpetua sollicitudine, semper pauperes perpetua cupiditate; copiam cum inopia alternantes, alterno quoque lætitiæ & tristitiæ dominatu. Igitur peccatores dominorum quidem nomen habere possunt: onus autem & laborem seruulorum.

Tertul. *Irridendi diuitiarū serui, dū dominorū nomine gloriantur.*

Irridet quidem Tertull. lib. 1. contra Marcionem, cap. 7. illos seruos, qui nihil aliud a suis dominis, quam nomina mutuantur: *Quanti*, inquit, *nequam serui, Regum nominibus insultant, Alexandri & Darij & Holophernis? nec tamen ideo Regibus, id quod sunt, detrahetur.* Ita ille. Sed magis mihi videntur irridendi peccatores; qui, cùm miseram seruorum conditionem habeant, vano tamen dominorum nomine gloriantur.

XII.

Peccatoris imaginem præferebat olim in Lege veteri leprosus, qui ad Sacerdotem expiandus sistebatur. *Habebit*, inquit Textus, *vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, contaminatum ac sordidum se clamabit.* Leu. 13. num. 45. Totus hic habitus ad peccatoris conditiones repræsentandas compositus erat: vt Orig. Procop. Isich. Lyranus, cæterique Interpretes ostendunt; & nos etiam suprà Annot. 25. Sect. 1. aduertimus.

Peccatores simulati & tecti perniciosi. Orig. Procop. Isich. Lyran. Theod.

Sed interim solùm quæro, cur habere caput apertum iubeatur? Theod. quidem q. 17. in Leuit. respondet: *Vt notus sit*, inquit, *& ne fiant impuritatis participes, qui accedunt ad illum.* Vnde colligi potest, quàm perniciosi sint peccatores, si tecti & obuoluti aliorum hominū consortio immisceantur. Quos proinde D. Paulus diligenter cauere præcipiebat, dicens: *Denuntiamus vobis, fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate.* 2. Thess. 3. n. 6.

Peccatores vt serui aperto capite incedunt.

Sed vlteriùs addo ad rem præsentem, propterea leprosos, hoc est, peccatores aperto capite stare iussos; quia hic est habitus proprius seruorum, qui coram dominis suis capita non operiunt, vt debitam illis seruitutem præstare videantur. Contrà verò Moyses Deum in rubo alloquuturus: *Abscondit faciem suam.* Exod. 3. n. 6. Hoc est, caput operuit: in signum veræ libertatis, quam Israelitæ habituri erant, cùm de Ægyptiaca seruitute exirent, & cæteri fideles, cùm seruituti diabolicæ renuntiarent.

XIII. *Peccator iusto ad seruitutē designatur.* Philo.

Isaac filium suum seniorem Esaü seruituti addixit, iuniorem Iacobum libertate donauit: hunc dominum, illum seruum constituit, dicens: *Fratri tuo seruies.* Gen. 27. n. 40. Nec immeritò: quia senior se in peccati tradiderat seruitutem. Vnde Philo Hebræus lib. 2. Allegoriarum, post mediū, alloquutus Esaü prauatum mancipium cupiditatum, *Te ipsum*, inquit, *subiugasti affectuum vehiculo, aurigante insipientia. Nunc quidem seruus es molestorum herorum & intolerabilium, qui non solent quenquam manumittere. Quod si eos fugitiuus deserueris: excipiet te amator seruorū Dominus cum certa spe futuræ libertatis: nec vnquam exhibebis heris prioribus.* Et confirmat ex diuino præcepto ad Moysen allegoricè explicato:

Confirmatur ex diuino præcepto.

Non trades domino suo seruum, qui ad te confugerit: habitabit tecum in loco, qui ei placuerit, & in vna vrbium tuarum requiescet: ne contristes eum. Deut. 23. num. 15. Itaque qui peccato indulget, miseram abiicitur in seruitutem: qui virtuti studet, beatam educitur in libertatem. Molestissimè verò patitur Deus, vt qui à diabolica seruitute in diuinam libertatem se asseruit; rursus ab hac in illam refundatur. Sed hæc ex dicendis adhuc illustriùs patebunt.

SECTIO II.

Sub peccato, durissimè; sub virtute, suauissimè seruitur.

I. *Seruitus sub peccato, quàm sub homine durior.* D. Bern.

SEruitus sub peccato tam dura est, vt seruitute sub homine, quæ alioqui est durissima, vt suprà n. 17. aduerti, multò durior iudicetur. Nam sub hac corpora tantùm; sub illa, etiam animi domantur. Non dubitat D. Bernardus lib. 1. De consider. ad Eugen. Papam, hanc sub peccato seruitutem, cæterarum omnium grauissimam appellare: *An non*, inquit, *seruus, cui dominatur iniquitas? Et maximè. Nisi tu forte indignius iudices, hominem tibi, quam vitium dominari.* Quasi hoc iudicium, omnium, quæ à sano homine formari possent, absurdissimum iudicaret.

D. August.

Vnde D. Aug. lib. 19. De ciuitate, c. 15. *Feliciùs*, inquit, *seruitur homini, quàm libidini; cùm sæuissimo dominatu vastet corda mortalium, vt alias omittam, libido ipsa dominandi.*

Si sub vno peccato seruitus dura, quid sub multis.

Quòd si vna tantùm dominandi libido eum, cui insidet, miseram trahit in seruitutem; quam miserè seruiet, cui multæ libidines, auaritia, inuidia, luxuria, cæteræque animorum pestes dominantur?

II. *Peccator innumeris subiicitur dominis.*

Atque hinc durities seruitutis sub peccato illustrari potest, primò. Nam seruus vni domino seruit; cuius satisfacere voluntati si difficile sit, certe impossibile non videtur: at peccator innumeris cupiditatibus subiicitur, quas omnes explere nequit, quamuis innumeras in curas distrahatur. Illum pullum, quem Dominus ad se afferri iussit, vt in eo Ierosolymam ingrederetur; inuenerunt Apostoli *ligatum ante ianuam, foris in biuio* Marc. cap. 11. num. 4. seu, vt legit Diuus Ambr. lib. 7. in Lucam, *Foris in transitu.*

D. Ambr. *Qui vni Deo non seruit, multis vitiis, vt Tyrannis, subiicitur.*

Vbi pluribus verbis significatur, satis apertus & peruius fuisse locus ille, in quo ille pullus ligabatur. Non sine mysterio, vt significetur peccati seruus, palàm & in propatulo expositus, omnibus cupiditatibus ac libidinibus, tanquàm pluribus dominis, coercendus. Vnde Diuus Ambros. citat. *Misera*, inquit,

inquit, *seruitus, cui vagum ius est. Plures enim dominos habet, qui vnum non habet.* Quasi diceret: Qui vni Deo non seruit; necesse est, vt pluribus vitiis, tanquam immanissimis tyrannis, subiiciatur.

III. D. Ambr. *Suspius solius Dei est: peccator pluribus famulatur.*

Dauid salutem à Deo impetraturus, *Tuus sum ego*, inquit, *saluum me fac.* Psal. 118. num. 94. Vbi D. Ambros. ser. 12. notat, hanc vocem facilem esse, & multorum videri; sed plane paucorum esse: *Satis rarus est*, inquit, *qui possit dicere: Tuus sum.* Et in huius assertionis ratione reddenda longior diuagatur: *Non potest*, inquit, *dicere secularis: Tuus sum. Plures enim dominos habet. Venit libido, & dicit: Meus es; quia ea, quæ sunt corporis, concupiscis. Venit auaritia, & dicit: Meus es; quia argentum & aurum, quod habes, seruitutis tuæ pretium est. Venit luxuria, & dicit: Meus es; quia vnius diei conuiuium, pretium tuæ vitæ est. Venit ambitio, & dicit: Plane meus es; nescis, quòd ideo imperare aliis te feci, vt mihi ipse seruires? Nescis, quòd ideo potestatem in te contuli, vt mea te subiicerem potestati? Veniunt omnia vitia, & singula dicunt: Meus es. Quem tanti competunt, quam vile mancipium est?* Ita ille, dilucidè ac disertè.

IV. *Ecclesiastici cùm vni Deo seruire debeant, Diabolo subiiciuntur.*

Sed quid? Solúsne secularis, non potest dicere: *Tuus sum ego?* Vereor planè, ne & Ecclesiastici ab hac professione iactanda impediantur: & dum singuli dicunt Deo: *Tuus sum ego:* audiant à Diabolo: *Meus es tu.* Certè Iudas, qui non modò vniuersali fidelium Ecclesia, sed etiam peculiari Apostolorum Collegio tenebatur; si Christi Domini seruum se iactatet, facilè à Dæmone confutaretur. Nam, vt bene D. Ambros. citatus paulò antè dis-

S. Amb. *Peccator non Iesu, sed Diaboli est.*

seruerat: *Venit, & introiuit in eum Satanas, & cœpit dicere: Non est tuus, Iesu; sed meus est. Ea, quæ mea sunt, cogitat; quæ mea sunt, in pectore suo voluit: tecum epulatur, & mecum pascitur: à te panem accipit, à me pecuniam; tecum bibit, & mihi tuum sanguinem vendit: tuus est Apostolus, & meus mercenarius.* Quem igitur à vero domino falsi tyranni, hoc est, à Christo vitia, miseram in seruitutem abstraxerunt; hunc illi Ecclesiastici imitantur, qui cùm vni Deo seruire debeant, innumeris vitiis subiiciuntur.

V.

Secundò, patet huius seruitutis acerbitas; quia seruus hominis aliquando à labore feriatur: peccati seruos nunquam à labore requiescit. Vnde D. Ambros. lib. de Naboth, c. 6. *Qui seruit*, inquit, *peccato, semper in laqueis, semper in vinculis est; nunquàm liber à compedibus, quia semper in criminibus. Quam misera seruitus seruire peccatis? Natura ipsius nescit munia, nec somni ipsius nouit vices, aut cibi fungitur suauitate.* Et confirmat ex illo Salomonis oraculo: *Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire.* Ecclesiastes 5. num. 11. Nam, *excitat eum*, inquit D. Ambs. *cupiditas: excitat cura peruigil aliena rapiendi, torquet inuidia, mora vexat, sterilitas prouentuum infœcunda perturbat, sollicitat abundantia.* Sic ille. Vbi plura eleganter. Hos labores seruientium peccato significauit Ieremias c. 9. num. 5. *Vt iniquè*, inquit, *agerent, laborauerunt.* Et clariùs cap. 16. n. 13. *Seruietis*, inquit, *Diis alienis, die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem.* Quod typicè significauit Hebræorum labor in Ægypto; qui de nocte coquebant lateres, de die paleas colligebant, ne vnquàm à laboribus vacarent. Exod. 5. à num. 7. Vnde est illud: *Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi & tenebræ & pœnæ.* Ecclesiastici 21. n. 11. Nam, licet Iansenius vias lapidibus complanatas, faciles ac felices interpretetur, quas impij in hac vita sine offensione decurrunt: tamen Glossa & Lyranus legunt, vias lapidibus complantatas & scrupeas, asperas ac difficiles interpretantur: quas improbi in hac vita terunt; vt ipsi apud inferos

D. Ambr. *Peccati serui à labore nunquam feriantur.*

D. Ambr.

Nulla peccati seruorū quies, nec de die, nec de nocte.

Ianf. *Peccatorum via aspera & difficilis.* Lyran.

A confitentur: *Lassati*, inquiunt, *sumus in via iniquitatis & perditionis: ambulauimus vias difficiles.* Sap. 5. num. 7. Vnde Dauid, *Contritio*, inquit, *& infelicitas in viis eorum.* Ps. 13. num. 3. In quem locum Auctor Operis imperfecti in Matt. hom. 28. *Putas*, inquit, *quod peccatores istius mundi non laborant? Vere maiores labores & sollicitudines habent, quam serui Dei.* Et paulò pòst rationem reddit: *Nam etsi corpore*, inquit, *non grauantur; anima tamen eorum grauata sunt.* Quod potest ex D. Paulo confirmari dicente: *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum: gloria autem & honor & pax omni operanti bonum.* Rom. 2. num. 9. Quam tribulationem adeò grauem esse docet D. Chrys. hom. 5. ad eum locum, vt dicat: *Si quis est, qui sensu ac mente præditus*

B *sit, is certè gehennæ pœnam tolerare malit, quam aduersò Deo stare. Dei offensio nullo non supplicio grauior est.*

Auct. Oper. imp. *Peccatores plùs laborant, quàm serui Dei.*

Confirmatur ex D. Paulo.

VI. *Peccatoribus perpetua laborum vicissitudo.*

Perpetuam laborum vicissitudinem, quibus hominum serui opprimuntur, significauit Christus Dominus, dicens: *Quis vestrum*, inquit, *habens seruum arantem, aut pascentem, qui regresso de agro, dicat illi: Statim transi, & recumbe. Et non dicat ei: Para, quod cœnem, & præcinge te, & ministra mihi, donec manducem & bibam: & post hæc, tu manducabis & bibes?* Luc. 17. n. 7. & 8. Quæ durior & importunior seruitus fingi potest? Nam tota die inter rutalia opera fatigatus, maiorem noctis partem inter coquinaria & conuiualia ministeria consumit. Quas seruitutis molestias, multò quàm dici

C possint grauiores eleganter explicat D. Petrus Chrysolog. serm. 61. citata Christi Domini verba interpretatus: *Seruus*, inquit, *post vigilias antelucanas, post totius diei varios & duros labores, post trepidantes & anxios concursus, & parat domino suo cœnam, & cinctus, quod parauerat, subministrat: nec est elatus, quia fecit; sed cum deuotione singula faciens contremiscit. Apponit domino suo cibos multiplices arte tota totius saporis conditos: ipse autem semicoctam, nec salitam forsitan cœnulam gustaturus. Porrigens crebra pocula, varios calices, vina mutat, ad longissimi conuiuij fabulas longiores stat fixus, stat moueri nesciusstat, cui lassescere non licet seruienti. Et cum dominus tam partem noctis in somnem deducit, peragit*

D *inquietem: seruus colligit, curat, ac curat, ponit, componit, reponit, & sic in rebus necessariis immoratur, vt nihil sibi, aut parum noctis ad escam reseruet, & soporem. Post hæc omnia, nisi præuigilet in crastinum, & dominum præuenerit dormientem, fessus, indefessus manicabis ad verbera, ad præsentem pœnam nihil hesterno ei subuenit de labore; quia quidquid dominus indebitè, iracūdè, libens, nolens, oblitus, cogitans, sciens, nesciens, circa seruum fecerit, iudiciū, iustitia, lex est; imperantis ira, subdito ius est; & ad libitum domini, vocem non habes conditio seruitutis.* Tota hæc acerbissima sub homine seruitus; typus est illius seruitutis, quæ sub peccato transigitor. Si enim homo hominem in sua seruitute quiescere non sinit; sed perpetuis vexat imperiis, & iniquissimis ministeriis iugiter defatigat: quo frui otio, quam habere re-

E quiem peccatum quolibet tyranno durius ac dirius suos seruos patietur?

D. Chrysol.

Dura sub homine seruitus exprimitur, vt typus seruitutis sub peccato.

VII. *Peccati serui perpetuam patitur famem.*

Tertiò, Grauior est seruitus peccati, quàm hominis. Nam seruus hominis, vt plurimùm, suo pabulo, suo demenso non fraudatur: immò, vt possit laborare, cibo necessario expletur, & tanquàm bos ad præsepe satiatur. Quod significauit Legislator, dicens: *Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas.* Deut. 25. n. 4. Nam, si boui laboranti de cibo necessario prouidetur, quis dubitet homini seruo multò magis prouidendum? At verò seruos peccati cogitur perpetuam seruare famem.

Testis sit ille prodigus, in cuius regione *facta est fames valida, & ipse cœpit egere.* Luc. 15. num. 14. Vbi D. Petrus Chrysol. ser. 1. *Luxuriæ*, inquit, *ventri, gulæ, fames tortor apponitur: vt ibi vltrix pœna sæuiat; vbi pœnalis reatus exarserat.* Addit Euang. *Et cupiebat implere ventrem de siliquis; quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Ibidem, num. 16. Vbi rursus D. Petr. Chrysol. citatus, *Quàm crudele*, inquit, *ministerium! quia neque conuiuit porcis, qui viuit porcis. Miser, qui porcorum deficit & esurit in saginam. Miser, qui squallentis cibi cupit, nec impetrat qualitatem.* Quasi diceret: Porcinam quidem egit vitam, & tamen ne porcino quidem victu saturatur.

D. Chrys.

Prodigus porcinā egit vitam, & non saturatur vt porcus.

VIII. In hos peccati seruos inuehitur Ieremias, dicens: *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis.*
B Thren. 4. num. 5. Intelligo, præ fame, vt saturitas fame excipiatur. Ad eandem famem referunt D. Thom. & Carthusianus id, quod sequitur: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Nam, quos anteà in seruitute Dei, cælestis gratia saginabat; eosdem posteà in seruitute peccati, miseranda quædam esuries adeò torquebat, vt ad stercora, hoc est, ad cœnosas quasdam abiiceret voluptates. Quos proinde Israëlitæ mysticè significarunt, tanta fame in obsidione Samariæ laborantes; vt quartam partem cabi stercoris columbarum quinque argenteis mercarentur. 4. Reg. 6. n. 25. Non minùs esuriebant illi peccati serui, de quibus Iob, *Mandebant*, inquit, *herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum.* Iob.
C 30. num. 4. Quibus epulis quid insuauius? Immò, quid durius & asperius? Non solùm enim non reficiebant comedentem; verùm etiam pungebant. *Nam arbor iuniperi*, inquit ibi D. Gregorius, *pro foliis punctiones habet. Sic quippe hirsuta sunt, quæ profert; vt spinis similia contrectantem pungere valeant. Spina verò est omne peccatum: quia dum trahit ad delectationem, quasi pungendo lacerat mentem.* His igitur non tam epulis, quàm aculeis vtebantur peccatores. Et quod est longè deterius, vt ibidem addit Iob n. 7. *Inter huiuscemodi lætabantur; & esse sub sentibus, delicias computabant.* Quid miserius, quam suas miserias non modò non sentire: sed etiam de illis exultare? Quod Ieremias lamentatur. Nam sub nomine peccatoris, *Inebriauit*, inquit, *me*
D *absynthio.* Thren. 3. num. 15. Vbi D. Greg. cit. *Humanum*, inquit, *genus absynthio est ebrium: quia & amara sunt, quæ pro huius vitæ amore tolerat; & tamen eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis, ignorat.*

Iusti aliquando abundantes, in peccato misera fame cruciantur.

D. Thom. Carth.

Misera Hebræorum fames in obsidione Samariæ.

D. Greg.

Peccatum vt spina mentem lacerat.

D. Greg.

Peccatores vt ebrij dulcia & amara non discernunt.

IX. Similia sunt, quæ refert D. Bernard. ser. quodam De obedientia, patientia & sapientia, ad illa verba paulò antè citata: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora.* Thren. 4. num. 5. *Hoc*, inquit, *maximè Propheta deplorat, oblitas propriæ conditionis ingenuas creaturas, tantam dissimulare miseriam; nec modò reputare, quod tolerant; sed tanquàm bona magna complecti, quo paulò minùs extrema sunt mala.* Hæc peccati mancipia pessimis cibis inhiantia præ fame, vidit aliquando D. Bernard. vt ipse in
E suis Declamationibus testatur: *Vidi ego*, inquit, *aliquando quinque viros, quidni phreneticos arbitrer? Primus siquidem buccis tumentibus marinam masticabat arenam. Secundus, sulphureo adstans lacui, exhalantem teterrimum fœtidissimúmque gestiebat haurire vaporem. Porrò, tertius fornaci incubans vehementer accensæ, micantes scintillas, hiantibus excipere faucibus, satagebat. Quartus, supra pinnaculum templi residens, leuioris auræ spiritum aperto attrahebat ore; & si quo minùs influere videretur, flabello sibi ventum ipse ciebat; ac si totum speraret aërem deglutire. Quintus seorsim positus ridebat cæteros; ipse quoque ridendus, & maximè. Proprias enim carnes incredibili quodam studio sugere laborabat, nunc manus, nunc brachium, nunc alias partes applicans ori.* Sic ille. Quibus verborum inuolucris D. Bernard. varia peccatorum genera significauit. Nam primus ille, cupidos: secundus, voluptuarios: tertius, iracundos: quartus, ambitiosos: quintus tandem homines de suis rebus maximè gloriantes, sibique placentes repræsentat, qui semper esuriunt terrena bona; nunquam satiuntur.

D. Bern.

Iniusti extrema mala vt bona complectuntur.

D. Bern.

Varia peccatorum figura fame tabescentium.

X. Quartò. Grauior est peccati, quàm hominis seruitus. Nam seruus hominis aliquid mercedis ex suis laboribus lucratur: *Dignus est enim operarius mercede sua.* Luc. 10. num. 7. At verò seruus peccati; nihil omninò. Vnde est illud: *Nabuchodonosor Rex Babylonis seruire fecit exercitum suum, seruitute magna aduersus Tyrum: omne caput decaluatum, & omnis humerus depilatus est; & merces non est reddita ei, neque exercitui eius.* Ezech. 29. num. 18. Vbi planè, vt notat D. Hieronymus, immensus labor militum Tyrum oppugnantium exprimitur. Nam assiduitate gerendi galeas decaluabantur capita, & assiduitate vehendi cophinos terræ ad aggeres extruendos, humeri atterebantur. Et nihilominùs nihil mercedis ex tanto labore reportarunt. Nam expugnata vrbe, nihil in ea pretiosum, & suo labore dignum repererunt: quia Tyrij de salute sua desperantes, quidquid pretiosæ supellectilis habebant, partim tradiderant igni, partim terra obruerant, partim in mare demerserant, partim ad vicinas Insulas fugientes secum in nauibus exportarant. Itaque Babylonij cum tanto periculo certantes, & cum tanto labore seruientes, nihil vtilitatis in vrbe iam capta receperunt. Et, quod iniquius est, ab ipso Rege, pro cuius honore certabant, & in cuius gratiam animas suas in apertum discrimen profundebant, nihil præmij reportarunt. Non aliter & peccator; facit quidem sumptum, sed non fructum; seruit, sed non lucratur.

Peccatoribus in seruitute nulla merces.

D. Hier.

XI. Laborauit quidem Esaü, & sudauit in venando; immò & in faciendo pulmento, quo sciebat, patrem suum delectari: & tamen paternam benedictionem, quam ex suo labore ac sudore sperabat, non recepit. Gen. 27. num. 3. & 30. Quam tamen Iacob domi residens indefessus, non venando feras, non coquendo cibos; sed tantùm ad gregem pro hœdis, animi gratia excurrendo, comparauit. Ibidem, num. 14. & 27. Nempe, quia Iacobus pietati; Esaü verò iniquitati seruiebat: quarum illa suos filios coronat; hæc sua mancipia contemnit. Quare rectè Salomon de peccatore: *Quid ergo*, inquit, *prodest ei, quod laborauit in ventum?* Ecclesiastes 5. num. 15. Quasi, qui peccato seruit, labores suos ventis irritos donet. Eandem rem eleganter expressit & Oseas, dicens: *In aranearum telas erit vitulus Samariæ. Quia ventum seminabunt, & turbinem metent.* Oseæ 8. num. 6. Vitulus Samariæ, interprete Theophylacto, est peccatoris labor, qui in telas aranearum, hoc est, in nugas inanes prorsúsque inutiles facessit. Ventum autem seminant, inquit Rupertus, qui inutilia opera exercent; ex quibus non nisi magna detrimenta, nempe, turbines & tempestates colliguntur. Et aduerte, sicut ex parua semente, magna oritur messis: ita ex vento, qui est spiritus remissior, turbinem, qui est vehementior, oriri. Nam ex vento, seu labore, quem homines in hac vita peccando tolerant; immensos labores, seu cruciatus colligunt in futura, iuxta illud: *Ignis & sulphur & spiritus procellarum, pars calicis eorum.* Psal. 10. n. 6. vt à cruciatibus in cruciatus transire ex hac vita in futurā peccatores videātur.

Pietas iustos coronat absque labore: iniquitas verò contemnit iniustos.

Irritus peccatorum labor.

Rup.

Peccatores ventum seminantes colligunt procellas.

Quintò

XII. Quintò & vltimò. Molestiùs peccato, quàm homini seruitur: quia seruus hominis ad abiecta quidem compellitur ministeria: at verò seruus peccati ad prauas trahitur actiones, humana libertate indignas. Vnde D. Paul. acerrimè expostulat cum Corinthiis, quòd se ad praua opera per suos dominos abduci paterentur: *Libenter*, inquit, *suffertis insipientes, cùm sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit.* 2. Cor. 11. num. 19. & 20. Quasi diceret: Mirum, quòd homines alioqui sapientes, in tantam insipientiam deuoluantur; vt libenter ferant peccati seruitutem, & prauis appetitionibus, improbísque hominibus ad malum patienter obediant, à quibus deuorantur opes, & captiuantur corpora, ac multis criminibus, tanquam verberibus, mentes flagellantur. Ad quem locum D. Chrys. hom. 24. *Quid*, inquit, *hoc dominio acerbius, quando & spes vestras, & libertatem, & honorem auferentes, neque sic sunt mansueti, neque in seruorum ordine vos manere sinunt; sed quouis venalitio mancipio contemptiùs vobis abutuntur.*

Peccatores trahuntur ad res humana libertate indignas.

D. Chrys. *Peccatores non serui, sed venalia mancipia.*

XIII. Certè D. Bernardus lib. 1. De consider. ad Eugenium, commendat quidem patientiam seruorum Dei, sed hanc Corinthiorum maximè condemnat. Nam Eugenium alloquutus, *Magna*, inquit, *virtus patientia, sed non hanc tibi ad ista optauerim. Interdum impatientem esse probabilius. Tunc approbes illorum patientiam, quibus Paulus dicebat: Libenter suffertis insipientes, &c? Non laus, sed sugillatio erat quorundam mansuetudinis, qui quasi datis manibus pseudoapostolis, à quibus seducti erant, ad quæque ipsorum peregrina & praua dogmata trahi se patientissimè ferrent.* Præpostera igitur est patientia, qua homines ad peccati seruitutem se trahi patiuntur. Longè præstaret, si huius seruilitatis conditionibus subiici minimè paterentur. Quare Iobus, sicut sanctissimè patiens fuit, ita & sanctissimè impatiens. Nam ad pœnas impulsus, sanctissimè tolerabat: sed ad peccata prouocatus, sanctissimè resistebat, & qui flagellatus à Dæmone, patientissimè obmutuit; tentatus ab vxore, impatientissimè, vt ita loquar, exclamauit: *Quasi vna de stultis mulieribus loquuta es.* Iob. 2. num. 10. Vbi Lyranus: *Vir sanctus*, inquit, *quamuis afflictiones proprias patienter sustinuerit: tamen iniuriam Dei absque reprehensione sustinere non potuit: quia iniuriæ propriæ sunt tolerandæ, diuinæ autem vindicandæ.* Huius ergo tam atrocis seruitutis leges fugiendæ sunt, ac detestandæ.

D. Bern. *Mala patientia, qua homines ad peccati trahuntur seruitutem.*

Lyran. *Iniuria propria toleranda: diuina vindicanda.*

XIV. Quod attinet ad Christi seruitutem, qua tenentur virtutis professores, quis illius suauitatem non miretur? Ille prodigus miseram peccati seruitutem expertus, *Ibo*, inquit, *ad patrem meum.* Luc. 15. num. 18. Nam, vt ibi D. Petrus Chrysol. serm. 1. *Est*, inquit, *penes patrem dulcis conditio, libera seruitus, absoluta custodia, timor latus, blanda vltio, paupertas diues, secura possessio.* Quid hac blandius & iucundius seruitute? Idem prodigus ad patrem regressus, *Fac me*, inquit, *sicut vnum de mercenariis tuis.* Vbi suprà num. 19. Ad quem locum D. Petrus Chrysol. serm. 2. *Hoc petit*, inquit, *quia qui penes extraneum, seruam senserat libertatem; penes patrem, credit sibi futuram liberam seruitutem.* Passeribus, qui in foro veneunt dipondio, comparantur à Christo Domino eius serui. Luc. 12. n. 6. Hos enim Diabolus vendit, tanquàm vilissimos seruos ad perditionem: Christus, tanquam amantissimos filios redimit ad salutem. De qua re Diuus Ambrosius ad eum locum, *Sunt quædam*, inquit, *nostrorum nundinæ delictorum. Aut venundamur sub peccato, aut redimimur à peccato. Christus nos redimit; aduersarius vendit: ille auctionatur ad mortem; hic redimit ad salutem.* Quæ felicior seruitus, quàm ea, in qua mortis reus ad salutem vindicatur? Ligatus erat ille pullus asinæ, quem Dominus iussit ad se adduci: sed priùs, *Soluite*, inquit, *illum, & adducite.* Luc. 19. num. 31. Quod D. Amb. ibi rectè expendens, *Alieni*, inquit, *alligant, vt possideant; iste soluit, vt teneat. Vehementiora enim iura nouit esse, quàm vincula.* Iura, inquit, charitatis, quibus suos sibi seruos deuincit; quàm vincula seruitutis, quibus alieni domini sua mancipia constringunt.

Seruitutis Dei suauitas exprimitur. D. Chrysol.

Cum Diabolo serua libertas: cum Deo seruitus libera.

D. Ambr. *Quæ sint delictorum nundinæ.*

D. Ambr.

XV. De huius vinculis seruitutis, tanquam veræ libertatis, gloriabatur D. Paulus dicens: *Ego Paulus vinctus Christi Iesu.* Ephes. 3. num. 1. Quem locum D. Ambros. in Psal. 45. obseruans, *Christus*, inquit, *quos alligat, liberat; quos adstringit, absoluit.* Et paulò pòst: *Quod sub aliis contumelia est, sub Christo gloria est.* Cur enim tam glorioso domino seruiens humilis & abiectus seruus non glorietur? Nam, vt egregiè idem D. Ambr. serm. 12. in Psal. 118. *Æquitate*, inquit, *Domini leuatur iniuria seruitutis.* Concinit Philo Hebræus lib. De Cherubin: *Seruire*, inquit, *Deo maxima est gloriatio; non modo libertate maior: sed & diuitiis & principatu & omnibus rebus, quas mortales admirantur, pretiosior.* Nec sibi dissimilis est, in lib. Quòd omnis probus sit liber, vbi referens illud Sophocleum: *Deus mi Princeps, non vllus mortalium.* Et hoc oraculum, quasi Apollineum, ac planè diuinum commendans: *Re vera*, inquit, *solus liber est, qui solum Deum sequitur. Immò, vt equidem sentio, imperium habet in terrestria, tanquam immortalis, summique Regis mortalis vicarius.* Philonizat quidem D. Ambros. lib. 8. in Lucam. Nam ad illa verba Christi Domini: *Regnum Dei intra vos est.* Luc. 17. num. 21. rectè monet, vt quicunque ad regnum adspirat, *sit seruus in Domino. Ea enim parte, quam participamur seruitute, participamur & regno.* Non sine mysterio Christus Dominus de vtero matris suæ, exiuit seruus, & dominus: seruus, iuxta illud: *Formans me ex vtero seruum sibi.* Isai. 49. num. 5. Dominus autem, iuxta illud: *Qui natus est Rex Iudæorum.* Mat. 2. num. 2. vt nouum mundo regnum, nouam induceret seruitutem: hanc Regum, illud seruorum: in illa Reges seruiret, in hoc serui dominarentur. Vnde D. Amb. Præfat. in Psal. 35. *Aduerte*, inquit, *mysterium. Ex vtero Virginis, idem & seruus exiuit, & Dominus: seruus ad operandum: Dominus ad imperandum, vt regnum Deo in hominum mentibus radicaret.* Et statim: *Bona seruitus, quæ omnes liberos facit. Bona seruitus, quæ nomen super omne nomen acquisiuit.* Quid hac seruitute gloriosius, in qua tam libera potestas, tam præclara dignitas confertur? Timent homines in seruitute Dei, laborem, onus, iugum, crucem: Sed hunc ab illis timorem depellit Diuus Bernardus in suis declamationibus: *An non*, inquit, *facilis in præcepto labor, onus leue, iugum suaue, crux inuicta?* Et confirmat ex Dauide: *In via*, inquit, *testimoniorum tuorum delectatus sum, sicut in omnibus diuitiis.* Psalm. 118. num. 14. seu, vt magis exaggerat Chaldæus: *Sicut in suprema omnium fortuna.* Quasi nihil in terris fingi possit, aut dignitate, aut vtilitate, aut suauitate, cum hac vna seruitute conferendum.

Pro Christo alligati, liberi verò sunt. D. Ambr.

Quod sub aliis contumelia, sub Christo gloria.

Solus liber est Dei seruus.

D. Ambr. *Dei serui regno potiuntur.*

D. Ambr. *Noua sub Christo seruitus, noua dominatio.*

D. Bern. *Omnis Christiana seruitutis timor, iugi suauitate eximitur.*

XVI. Diuus Ioannes hanc seruitutem Christo Domino gratulatus, *Fecisti*, inquit, *nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes; & regnabimus super terram.* Apoc. 5. num. 10. Vbi expende illud, *Regnabimus super terram.* Nam, si diceret, *Super cælum*, minùs mirandum esset: cùm regnum seruorum Dei in cælum differendum videatur. At *Super terram*? Res mira.

Christi serui summæ conditione: dignitate verò Reges & amici.

mira. Nam, qui se perpetuæ Christi Domini seruituti in terris consecrauerant; quo pacto dicuntur in terris regnaturi? Respondet optimè Rupertus ad eum locum: *Contentur*, inquit, *omnes redempti, & verum dicunt; quia sunt serui eius, qui eos redemit: sed ipse, qui redemit, non seruos, sed amicos, non subseruientes, sed conregnantes facit ut dicit. Quid multa? Conditione sua sunt serui emptitij, dignatione illius vocantur & sunt amici.* Sic ille eleganter. Et nescio, an elegantiùs expendat, non fuisse dictum, *in terra*, sed, *super terram. Quia sancti*, inquit, *conditione in terra sunt; sed vita & conuersatione super terram, & super terrena membra sua tenent principatum.* Quæ igitur felicior seruitus esse potest, quàm illa, in qua & qui seruit, & cui seruitur, æquo iure dominantur? Non sine mysterio Christus Dominus, *Venite*, inquit, *ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. num. 28. At, quomodo reficiet? *Tollite*, inquit, *iugum meum super vos.* Quasi in iugo diuinæ seruitutis, perfecta consolatio & refectio includatur. Vnde D. Ambros. lib. De Helia & ieiunio, cap. 22. *Suscipite*, inquit, *iugum Christi: nolite timere, quia iugum est: festinate, quia leue est. Non conterit colla, sed honestat. Quid dubitatis? Quid procrastinatis? Non alligat ceruicem vinculis, sed mentem gratia copulat. Non necessitate constringit, sed voluntatem boni operis dirigit.* Quid faciliùs hac seruitute, quæ tantùm abest, vt addat, vt potiùs minuat labores, immò potiùs extinguat?

Rup.

Iusti omnia possident, utpote terrena contemnunt.

D. Ambr.

XVII. Daturus olim Deus legem Moysi, *Ego*, inquit, *sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis.* Exod. 20. num. 2. vbi notat Orig. hom. 18. tunc primùm dici Hebræos eductos fuisse de domo seruitutis; quia tunc primum ad montem Sina, hoc est, ad montem diuinæ legis, seu diuinæ seruitutis accesserant. Quandiu enim diuinam seruitutem non subibant, veram libertatem non possidebant. In sola igitur seruitute diuina, vera libertas comparatur; quia in hac tantùm secularia negotia repudiantur; & quædam quasi vincula profanæ seruitutis exuuntur. *Nam negotia seculi*, inquit Origenes, *& actus carnis, domus est seruitutis: sicut è contrario relinquere secularia, & secundùm Deum viuere, domus est libertatis.* Hæc Orig. Iacob, inscio Laban socero suo, de illius domo aufugit. Gen. 31. à num. 17. At, cur priùs abeundi facultatem non postulauit; & salutato tandem hospite recessit? Optimè quidem D. Amb. epist. 4. *Multorum*, inquit, *dominorum mancipio se subiicere non debuit; vt ab eo, tanquam seruulus, dimitteretur.* Quasi diceret: Laban mancipium erat, quia seruiebat peccato; Iacob verè liber, quia seruiebat Deo: non debuit igitur liber subiici seruo; præsertim in iis, quæ ad Deum pertinebant. Vides, vt, qui seruitutem Dei seruit, veram libertatem habere censeatur?

In illa Dei pti... seruitute, vera libertas comparatur.

Orig.

D. Ambr.

Iusti utpote liberi, nemini subiiciuntur.

XVIII. Suam libertatem, peccando, amisit Eua, & in miseram peccati abiit seruitutem. Quid remedij, vt ex hac seruitute euaderet, & in pristinam libertatem rediret? *Sub viri*, inquit Deus, *potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Genes. 3. num. 16. Quasi illa seruitus, esset vera libertas. Quod planè in Christo & in Ecclesia multò apertiùs innotescit, vt D. Amb. lib. De Paradiso, c. 14. interpretatur. Agens enim de hac Euæ seruitute sub Adamo: *Designatur*, inquit, *Ecclesiæ ad Christum futura conuersio, & religiosi seruitus sub dita Dei verbo, qua multo sit melior, quàm seculi huius libertas. Hæc igitur seruitus, Dei donum est.* Ex quibus patet, eum, qui peccato seruit, libertatem amittere; qui Deo seruit, libertatem recuperare. Imiter ea, quæ Isaac

Amissa libertas in sola Christi seruitute reparatur.

D. Ambr.

A filio suo Esau benedictionis loco precatus est, vnum fuit: *Fratri tuo seruies.* Gen. 27. num. 40. Quasi hæc illum seruitus ad veram libertatem reuocaret; præsertim, si in fratre, quem videbat, Christo Domino, quem sperabat, deseruiret. Vnde D. Ambros. citatus, *Per hanc*, inquit, *seruitutem, qui per gulam primitias suas antè venaiderat; & studio venationis agrestis, gratiam benedictionis amiserat; credidit se ipso futurum esse meliorem; si typum Christi veneraretur in fratre. Hac enim seruitute pollet populus Christianus.* Gloriosa igitur est, sub Christo seruitus, quam qui seruiunt, potiùs liberi quàm serui appellantur. Immò non tam libertate, quàm ipsa filiatione vtuntur. Vnde ille prodigus à sua illa infausta peregrinatione regressus, non dixit: Domine, peccaui in cælum, & coram te: sed potiùs: *Pater peccaui in cælum, & coram te.* Luc. 15. num. 18. Quod D. Chrys. hom. 10. in Epist. ad Romanos, rectè expendit. *Neque enim*, inquit, *sic ille lætatur, cùm, Dominus; vt cùm, Pater, audit: neque cùm, seruum; vt cùm filium habet: atque adeò hoc mauult, quàm illud. Propterea omnia ille fecit, ac ne vnigenito quidem pepercit, vt adoptionem filiorum reciperemus: vt non tanquam Dominum solum, sed tanquam patrem se amaremus.* Si igitur Christus Dominus parentis loco potiùs, quàm Domini haberi vult, pariter etiam vult, vt nos potiùs filiorum, quàm seruorum loco habeamur. Ex quibus omnibus colligitur, quam duriter Diabolo in peccato; quàm suauiter Christo in gratia & perfectione seruiatur. Iterum ad historiam.

Peccatores ad Christi seruitutem, vt ad veram libertatem reuocantur.

D. Ambr.

B

D. Chrys. *Deus vult vt filiorum, non seruorum loco habeamur.*

C

Num. XIX. Noluit autem populus audire vocem Samuelis, sed dixerunt: Nequaquàm: Rex enim erit super nos.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Noluit populus audire*, &c. Non est sermo de externa auditione. Quamuis enim insignes peccatores aliquando voces bene monentium penitùs excludant, & tanquam aspides surdæ obturent aures suas, Psalm. 57. num. 5. ne diuinos audiant incantatores, vt paruit in Concilio Sacerdotum; qui, ne audirent Stephanum: *Exclamantes voce magna continuerunt aures suas.* Act. 7. num. 57. hoc est, obturauerunt, ne vtiliter hortantem auscultarent. Nihilominùs id hoc loco non videtur contigisse: quia nemo Samuelem dicentem interpellauit: sed omnes, quousque peroraret, corporeis saltem auribus attentissimè auscultarunt: vt ex eo facilè colligitur, quòd statim ad illius dicta, vtpote audita & intellecta, responderunt. Sermo igitur est de interna auditione: *Noluit*, inquit, *populus audire vocem Samuelis.* Hoc est: Noluit eius dictis aut credere, aut acquiescere. Vbi incredibilis Hebræorum, vel contumacia, vel perfidia demonstratur. Nam, si non crediderunt Samueli, diuinitùs prophetanti, fuerunt perfidi: præsertim, cùm eius spiritus propheticus satis perspectus fuerit & exploratus, iuxta illud: *Et cognouit vniuersus Israël à Dan, vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel Propheta esset Domini.* Suprà c. 3. num. 20. Si autem crediderunt, & nihilominùs Regem habere præoptarunt, fuerunt contumaces: quia, vt habet Abulensis q. 10. Regem contra Dei intentionem à Samuele declaratam pertinacissimè petierunt. Vt deinceps ex eorum responsione clariùs patebit.

D

Peccatores aures obturant, ne vtiliter monentes audiant.

E

Noluit audire, hoc loco, est Samuelis dictis non acquiescere.

Abul. *Hebræorum perfidia & contumacia.*

Sed dixerunt: Nequaquam. Siue in Hebræo *Lo*, id est, II.

Imprudentes & impudentes temerè & rusticè respondent.

id est, *Non*: siue in Græco, *οὐχὶ*, id est, *minime*: siue in Latino, *Nequaquam*, attendatur: certè rusticitatis & temeritatis est plena responsio. Nam, qui prudenter & humaniter aliquid negant à mollioribus verbis ordiuntur, vt tandem repulsa leuior ac benignior videatur: at verò imprudentes & impudentes, non nisi meros lapides loquuntur, vt statim iusta petitio iniustissimè repellatur: *Nequaquàm*, inquiunt. Et duplicem sensum habere potest.

Primus responsionis sensus ex perfidia.

Vnum: Nequaquam erit, quod prædicis. En perfidia. Et cùm Samuel tria prædixerit; nimirum Regem fore tyrannum: & populum posteà clamaturum à Deo pro Rege auferendo: & Deum clamores populi non auditurum: ipsi nihil horum crediderunt; aut certè vnum ex altero negarunt in hunc modum: Regem, non fore tyrannum: & si sit, non esse recusandum ampliùs à populo, sed patienter sustinendum: & si recusetur, non esse clamorem populi à Deo repellendum; sed elementer auscultandum. Hunc sensum D. Gregor. expressit: *Magna*, inquit, *duritia fuit, illi non acquiescere, quem nouerant, ea tantùm, quæ Domino reuelante didicerat, imperare. Nam, qui, Nequaquam, dicunt; profectò id negant, quod audiunt.*

D. Greg.

III. Alterum sensum: Nequaquàm desistemus à Rege petendo; quamuis omnia, quæ prædicis, vera sint. En contumacia.

Secundus ex contumacia esse potest.

Videntes enim, & scientes, quæ ex Rege mala sequerentur, ab eo nihilominus petendo non desistebant, ne à suo iudicio tantisper inflecterentur. Hunc etiam sensum expressit D. Gregorius: *Magna*, inquit, *temeritatis extitit, contra Dei voluntatem, Regem petere, magna duritia, consilijs Prophetæ vinci non posse.* Et paulò pòst loquens de hac iterata Regis petitione: *In ea*, inquit, *mali propositi consummatio est, & inconuertibilitas voluntatis.* Ex vtroque sensu elici potest huius sceleris magnitudo. Quam posteà Propheta exprimens, *Profundè*, inquit, *peccauerunt, sicut in diebus Gabaa.*

D. Greg.

Peccatum in vtroque sensu grauissimum.

Oseæ 9. num. 9. Nam ibi sermo est de peccato populi contra domum Dauidis rebellantis, & Ieroboamum in Regem assumentis. 3. Reg. 12. n. 20. Quidquid enim sit de peccato Ieroboami, de quo suprà, Num. 12. §. 11. & sequentibus latiùs disseruimus: certè populus, cui de Oraculo diuino ad Prophetam Ahiam non constabat, & quem odium in Roboamum legitimum Regni successorem peruigebat, non est dubium, quin præcipiti quadam temeritate ad nouum Regem Ieroboamum constituendum se effrænarit. Hoc igitur populi peccatum comparat Propheta cum eo, quod factum est in diebus Gabaa: hoc est, Ruperto interprete, in diebus Saulis, qui erat oriundus ex Gabaa: quando, scilicet, populus, Deo contempto, alium Regem pertinacissimè postulauit. Et vtrunque peccatum dicitur profundum, hoc est, grauissimum: quasi illius pondere totus populus in profundum barathrum mergeretur.

Rup.

IV. Eandem huius sceleris grauitatem significauit idem Propheta, dicens: *Ex diebus Gabaa peccauit Israël, ibi steterunt.* Oseæ 10. num. 9. In quem locum Rupertus, pro *diebus Gabaa*, quæ fuit Saülis patria, iterum intelligit dies Saulis; in quibus Hebræi grauiter peccarunt, hominem pro Deo in Regem cooptantes.

Rup.

Hebræi grauiter peccarunt, Saulem pro Deo in Regem postulantes.

Et notandum illa verba, *Ex diebus Gabaa*, pertinere ad exaggerandam huius sceleris magnitudinem: quasi hoc vnum peccatum fuerit initium reliquorum: & reliqua omnia, quæ ante hoc commissa fuerant, cum hoc vno comparata, nulla fuisse viderentur. Et sicut bellorum excidia ab vno aliquo infelicissimo, quale fuit, v. g. Troianum, infelicissima denominari incipiunt: ita & Hebræorum peccata ab vno ali-

A quo grauissimo, quale fuit illud in diebus Gabaa, grauissima nuncupantur. Deinde nota illud, *Ibi steterunt*, pertinere ad significandam Hebræorum contumaciam in suo Rege postulando. Non enim semel tantùm eum postularunt: sed à Samuele grauiter deterriti, in sua nihilominus petitione obstinati persistiterunt.

In hoc peccato, & omnis causa, & Hebræorum contumacia prænotatur.

V. Quantum verò Deus huius sceleris magnitudinem detestatus fuerit, non obscurè significauit per Isaiam. Nam pollicitus in typum nouæ Ecclesiæ, Ierosolymam a se in pristinum statum instaurandam; inter alia beneficia, quæ promittit, hoc vnum addit: *Et restituam*, inquit, *iudices tuos, vt fuerunt priùs; & Consiliarios tuos, sicut antiquitus. Post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis.* Isai. 1. n. 26.

In noua Ecclesia Regum non meminit Deus, quia se Regem pollicetur.

Vbi B in primis notandum, nullos in noua Ierosolyma, hoc est, in noua Ecclesia, Reges commemorari; sed tantùm Iudices & Consiliarios. Planè in odium Regum, quos populus cum grauissimo peccato postulauit. Quod D. Basilius ad eum locum rectè expendens, *Cur*, inquit, *transmissis Regibus commeminit Iudicum: etiamsi inter Reges nonnulli principatum populi obtinuerint cum laude? An, quia Reipublicæ administratio per Iudices liberior fuerit, quod populus solum Deum agnoscebat Regem? Tandem Regum institutio propria illorum temeritate, & consilij prudentis inopia successit. Equidem cùm tot beneficijs cumularentur; oportebat, eos reuocari ad pristinam illam, & beatam viuendi constitutionem. Quare non Reges, sed Iudices se instituturum est pollicitus; cupiens & hac parte eis gratificari libertatem vitæ.* Hæc ille.

D. Basil.

C Itaque Deus in odium Regum, & in fauorē Iudicum; hos, non illos nouæ Ecclesiæ promittit. Quia Iudices diuina ratio præfecerat; Reges autem humana temeritas intruserat. Quasi non posset nouæ Ecclesiæ felicitas sub Regibus, sed sub Iudicibus florere. Magnum igitur peccatum esse oportuit illorum, qui Reges totius calamitatis baiulos in Rempublicam inuexerunt: & Iudices totius felicitatis custodes à Republica exterminarunt.

Nouæ Ecclesiæ felicitas in odium Regū, sub Iudicibus florere prædicitur.

VI. Deinde expende illud: *Et Consiliarios tuos.* Vbi D. Basilius, *Hic rursus*, inquit, *pollicetur se eis præbiturum, non qui pro potestate imperet; sed qui consilium det, vt incolumem seruet proprij arbitrij libertatem. Regis enim peculiare munus est, imperio vrgere subiectos: Consiliarij autem, persuadere cupientibus*

D. Basil.

Prælati potiùs suasores, quàm Reges esse debent.

D *nosse, quæ conducant. Quapropter munificus Deus Consiliarios præstituit. Ne ergo vnusquisque nostrum se ipsum existimet, quasi Princeps sit; sed quasi Consiliarius à Domino sit datus in populi salutem.* Ita ille. Vbi veteri exemplo monet Ecclesiæ Prælatos, vt malint esse Consiliarij vtiliter suadentes; quàm Principes superciliosè imperantes. Quanta igitur fuit dementia illorum, qui imperiosos Reges ad seruitutem impellentes; beneuolis Consiliariis libertatem conseruantibus præferebant? Tandem obserua illud: *Vocaberis ciuitas iusti*, seu, *iustitiæ*, vt iuxta Septuaginta legit D. Basilius. Nam, quandiu erat sub Regibus, superbè ac tyrannicè imperantibus; erat totius iniustitiæ sentina: posteà verò

D. Basil.

E ad Iudices reuocata; promittitur futura totius sanctitatis, religionísque metropolis. Item, secundùm Vulgatam, cùm ad Iudices redierit, dicitur vocanda *ciuitas iusti*; quia Deus in ea Rex iustissimus imperabit: sub Regibus verò dici posset ciuitas iniusti, quia iniquissimi tyranni in ea dominabantur: immò ipsi Dæmones in ea colebantur: nam, admissis Regibus, idololatria subintrauit.

Noua Ecclesia sub Iudicibus omnis iustitiæ metropolis.

Eius Rex iustus Deus: alij cæteri iniusti dominantur.

D. Greg.

Vnde D. Gregor. hoc loco, *Illi quidem*, inquit, *contra Domini voluntatem Regem petierunt; sed à regia dignitate postea actum est, vt populus, qui Deum abiecerat, idola coleret, simulacra adoraret. Quàm reuerenda*

A *renda ergo sint maiorum consilia, cernimus, si hoc sollicitè consideramus: quia, qui ea despicere ausi sunt, hoc se non prouiderunt agere; vnde tam profundo erroris pelago demergi potuissent.* Vide, quanti faciendi sint salubres admonitiones, cùm ex contemptu consiliorum in cultum idolorum decidatur. Insania igitur fuit hæc in petendo Rege contumacia; quæ tandem in idololatriam erupit. Vnde non multò pòst ipsi Hebræi suum peccatum agnouêre, dicentes: *Addidimus vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis Regem.* Infra cap. 12. numer. 19.

Ex bonorum consiliorum contemptu oritur idololatria.

VII. *Rex enim erit super nos.* Paulò antè num. 5. Regem postularunt Hebræi. Nunc autem de tyrannica eius conditione admoniti, postulare tyrannum, conuincuntur: vt Clemens Romanus B lib. 10. Recognitionum, mihi videtur significasse; dicens, hunc populum magis sibi tyrannos quæsiuisse, quàm Reges. Atque adeò, dum in suo peccato persistunt, in maiora absurda deuoluuntur. Igitur ab initio existimantes, se habituros Regem; Regem postulabant: nunc autem audientes, se habituros tyrannum; postulant nihilominùs & tyrannum. *Rex*, inquiunt, *erit super nos.* Quasi dicerent: Quamuis sit ille, quem hactenus descripsisti, iniquus, iniustus, tyrannus: hic nobis dominetur. Tyrannis subiici malumus, quàm Iudicibus subiacere. Mira contumacia! Aliter: Adeò sua eos temeritas excæcabat, vt Regem crederent, quem tyrannum fore ex Propheta sanctissimo, tanquàm ex diuino Oraculo audiebant. *Rex*, C inquiunt, *erit super nos.* Quasi dicerent: Non quidem, vt tu nobis læuus aruspex ominaris, tyrannus nobis aliquis continget, iniquus & iniustus, a quo grauiter opprimamur: sed potiùs erit super nos Rex, facilis, benignus, mansuetus, à quo suauiter gubernemur. Mira perfidia! Itaque iuxta priorem sensum contumaces: iuxta posteriorem infideles extiterunt.

Hebræi in peccato perseuerantes, in maiora deuoluuntur.
Clem.
Hebræorum cæcitas exprimitur.

Num. XX. Et erimus nos quoque sicut omnes Gentes: & iudicabit nos Rex noster: & egredietur ante nos; & pugnabit bella nostra pro nobis.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Erimus nos quoque*, &c. Triplicem deceptionem incurrunt hoc loco Israëlitæ. Primam, quia putabant, sibi laudi fore, si essent sicut omnes Gentes, habentes hominem Regem: qui tamen erant super omnes Gentes, dum ipsi soli ex omnibus Gentibus solum Deum Regem agnoscebant. Vnde prima laus, quam populo Israëlitico tribuit Propheta Balaam, fuit, quòd à cæteris Gentibus distingueretur: *Populus*, inquit, *solus habitabit, & inter Gentes non reputabitur.* Numer. 23. num. 9. Quasi diceret: Tanta est illius dignitas, vt vnicus & singularis in mundo esse videatur. Sic & E Moyses, *Habitabit*, inquit, *Israël confidenter, & solus.* Deut. 33. n. 28. Quasi reliquæ Gentes præ hoc populo nullæ censeantur. Hic igitur populus cæteris Gentibus superior; sua temeritate excæcatus, gloriosum se fore putabat, si reliquis Gentibus par efficeretur. *Erimus*, inquiunt, *nos quoque sicut omnes gentes.* Et quod Oseas c. 7. n. 7. grauiter deplorabat: *In populis ipse commiscebatur.* Id est, qui per singularem Dei beneficentiam à cæterorum populorum gregibus erat egregius; ipse se per suam ignauiam cum cæteris gregarium efficiebat. Denique, quod Dauid lamentabatur: qui per quandam peculiarem prouidentiam a prophanis aliarum Gentium ritibus separati erant & exempti; tandem per suam propriam dementiam: *Commisti sunt inter Gentes, & didicerunt opera eorum.* Psal. 105. num. 35. nec altiorem cæteris Gentibus conditionem, in quam a Deo vocabantur, sortiri voluerunt: *Erimus, sicut omnes Gentes.*

Tripliciter Hebræi decipiuntur.
Israël omnibus superior, excæcatus par cæteris effici præoptabat.

A Quod intellige dictum, vel per quandam contumaciam in hunc modum: Si omnes gentes habent non tam Reges, quàm tyrannos, a quibus potiùs vexentur, quàm gubernentur, nos quoque earum conditionem libentes patiemur. Cur, quod multi ferunt, non feramus? præsertim, cum ex ipsa laboris communione, communis labor B minuatur? Vel per quandam perfidiam: ac si dicerent: Si non omnes Gentes tyrannis subiciuntur, sed nonnullæ ab æquissimis Regibus gubernantur: cur nobis spes non adsit; fore vt & nos, sicut & aliæ Gentes mitissimos & iustissimos Reges sortiamur? Vtrouis modo argumententur, grauiter decipiuntur: aut tyrannos habere, per nimiam contumaciam cupientes: aut non habituros, per nimiam perfidiam existimantes.

Iudæorum vel perfidia, vel contumacia hoc loco intelligitur.

II. *Et iudicabit nos Rex noster*, &c. En altera deceptio. Quia putabant, rem ciuilem meliùs per Regem administrandam. *Iudicabit*, inquiunt, *nos*: seu, vt alij vertunt: *Vindicabit*, seu *liberabit nos.* Hæc enim omnia significat verbum שפט *Saphat*, quod hoc loco ponitur. Et possunt omnes signifi- C cationes ad rem ciuilem pertinere, si non de vindicta ex hostibus, sed de liberatione à calumniis forensibus intelligatur. Itaque Regum proprium est, iudicia exercere & in eis subditorum causas ac lites definire. Vnde Dauid Deum precabatur, vt hanc suo filio Salomoni potestatem largiretur: *Deus*, inquit, *iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis.* Psal. 71. num. 2. Nec aliud ipse Salomon à Deo postulabat: *Dabis*, inquit, *seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit.* 3. Reg. 3. num. 9. immò ad hunc finem iudicandi, creatum fuisse Regem Salomonem, Regina Saba non dubitabat: *Dominus*, inquit, *constituit te Regem, vt faceres iudicium & iustitiam.* 3. Regum 10. num. 9. Vnde illa Dei ad Regem Sedeciam eiúsque Prin- D cipes præceptio: *Audi verbum Domini Rex Iuda*, &c. *Tu, & serui tui*, &c. *Hæc dicit Dominus: Facite iudicium, & iustitiam: & liberate vi oppressum de manu calumniatoris, & aduenam, & pupillum, & viduam nolite contristare.* Ierem. 22. num. 2. & 3. Incumbere igitur debent boni Reges ad componendas lites, ad amicandos subditos, ad pacem & tranquillitatem totius Reipublicæ procurandam. *Sunt enim*, inquit Philo Hebræus libro De creatione Principis, *boni Principes, publici parentes ciuitatum & gentium; nec cedunt pietati naturalium. Contrà, qui in subditorum detrimentum abutuntur potentia: nequaquàm Principes, sed hostes appellandi sunt.* Nec solùm per alios iudicia exercere de- E bent, sed etiam per se ipsos, saltem in causis grauioribus; vt Iethro Moysi inculcabat: *Quidquid*, inquit, *maius fuerit, referant ad te: & ipsi minora tantummodo iudicent.* Exod. 18. num. 22. Cui muneri profani quoque Reges & Imperatores diligentem operam nauabant. Quorum multa exempla refert ad hunc locum Rangolinus. Illa celeberrima ac simillima, quæ de Adriano Dion vitus Cassius, de Demetrio Plutarchus, in eorum vitis retulerunt. Nam, cùm vtrumlibet in itinere transeuntem ad audientiam fœmina interpellaret, & vterque negaret, otium sibi esse ad audiendum; liberè fœmina respondit: *Noli ergo imperare.*

Regum est exercere iudicia, & populi lites definire.
Confirmatur Dauidis & Salomonis exemplo.
Principes publici ciuitatum parentes.
Philo.
Rang.
Dion.
Plutarc.
Probatur etiā Regum profanorum exemplis.

perare. Significans, indignum esse imperio, qui ad audiendos subditos otium non haberet: seu non debere aliis imperare, qui non posset supplices audire. Quo responso adeò neuter offensus est: vt potiùs ad eam audiendam aures statim admoueret. Proprium igitur Regum est, suorum causas subditorum recognoscere ac definire.

Regno indignus, qui ad audiendos subditos otium non habet.

III. Hoc fortasse iudicio ducti Israelitæ, Regem postulabant. Sed plane fallebantur: quia in eos Reges inciderunt, qui peruertebant iudicia, & rem ciuilem per innumeras iniurias conturbabant, iuxta illud: *Principes tui, infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Isai. 1. n. 23. Ex quibus etiam Dauid alioqui iustissimus & æquissimus aliquando iudicium corrupit; cùm Miphiboseth Ionathæ filium de sua hæreditate deiecit, dicens ad eius seruum, Sibam, veteratorem peruersum, & falsum calumniatorem: *Tua sint omnia, quæ fuerunt Miphiboseth.* 2. Reg. 16. n. 4. Immò de temeritate suæ sententiæ iam certus, adhuc eam in integrum reuocare noluit: sed plurimùm mutilauit quodammodo, & truncauit, dicens: *Tu & Siba diuidite possessiones.* 2. Reg. 19. n. 29. Adeò in sui peruersitate iudicij persistebat: vt se totum ab eo diuelli minimè pateretur. Magnus igitur fuit error Hebræorum, postulantium Regem, qui se iudicaret: à quo tamen per iniqua iudicia pessimè tractabantur.

Israëlitæ in corruptos Reges inciderũt.

Dauid, alioqui iustissimus, etiam corrumpitur.

IV. *Et egredietur ante nos*, &c. Hæc est tertia deceptio. Et potest dupliciter explicari. Primò, copulando hæc verba cum præcedentibus, eáque ad ciuilem administrationem referendo, sic: *Egredietur ante nos:* ad ciuilia munera subeunda. Primò, ad quemlibet tumultum, qui in Republica eruperit, tranquillandum. Secundò, ad quamlibet difficultatem, quæ circa commune bonum occurrerit, definiendam. Tertiò, ad lustrandum regnũ, & obeundas prouincias, & in singulis indicendo vadimonia, & exercendo iudicia, & litigantium causas componendo. Quod fortasse dicebant, cum tacita allusione ad filios Samuelis: eorum ignauiam vituperando, qui desides in Bersabee morabantur; quin regnum, ad visitandas vrbes, & dirimendas lites, & pacificandos populos peragrarent. Quartò, ad optimum virtutis exemplum omnibus præbendum: quæ etiam in te filiis Samuelis tacitè exprobrabant, quasi dicerent: Filij tui nulla nobis proponunt ad virtutem incitamenta: sed multa potiùs offendicula ad ruinam: non enim ambulant in viis tuis; sed declinant post auaritiam, accipiunt munera, & peruertunt iudicium. Regem igitur postulamus, qui suis exemplis tuorum filiorum scandala compenset: qui egrediatur ánte nos, & se nobis ducem præstet ad beatam vitam, suísque moribus nostros instituat & informet. Sed hac in te quis non videt, quàm insigniter decepti fuerint Israelitæ? Nam Reges, quos postularunt, multò maiori ex parte desides fuerunt & ignaui, pessimisque moribus instituti. Nec de malis à Republica depellendis, nec de bonis aggregandis, nec de lustrando regno, nec de moribus excolendis cogitarunt: sed plerique sui potiùs, quam Regni curatores, se suósque omnes perdiderunt; vt ex tota Regum historia, & interim ex primo Tomo, Annotatione 3. Sectione 7. patebit.

Duplex verborum sensus.

Quibus moribus Iudæi Regem institutum requirebant.

Reges tamen pessimis moribus imbutos adepti sunt.

V. Secundò potest explicari hæc deceptio, coniungendo hæc verba cum sequentibus, eáque ad bellicam administrationem referendo in hunc modum: *Egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis.* Quasi dicerent: Erit verè Rex, quem postulamus, tam in processu ad bellandum, quàm in conflictu bellandi. In processu quidem: quia *egredietur ante nos.* Non enim ignauus ad extremum agmen se remittet, sed ad primum intrepidus præuolabit: bellaturos non sequetur, sed præibit: non ire iubebit suos milites, sed venire: à tergo non impellet, sed à fronte inuitabit. Hoc est plane munus regium; vt ad bellum non tantùm mittat, sed etiam vadat: immò euntibus præcurrat; vt sequenti Tomo, c. 11. vberiùs illustrabo. In conflictu autem, quia *pugnabit bella nostra pro nobis.* Neque enim inter delicias vnguentatus requiescet; sed inter medios hostes armatus decertabit. Bella nostra, id est, quæ nostro periculo & labore subeunda erunt; ipse suo subire non dubitabit. Vel bella nostra, id est, quæ ad nostram vtilitatem spectabunt, ipse, tanquàm si ad suam tantùm spectarent, fortiter exercebit. Denique pugnabit pro nobis: vel belli laborem à nobis in se ipsum transferendo; ita vt non nos pugnare videamur, sed ille: vel belli vtilitatem à se ipso in nos totam deriuando; ita vt nullum ex bello lucrum percipere videatur ille, sed nos. Sic Hebræi ratiocinabantur. Sed, quis non videt, quàm apertè fallerentur? Nam eos sortiti sunt Reges, quorum multi, vt verbis vtar Tertul. lib. De corona militis, c. 5. erant *in pace leones, in prælio cerui.* Et vt interim de aliis taceam, Saül prouocatus à Golia ad monomachiam, nequaquam egrediebatur ante alios; immò potiùs *stupebat & metuebat nimis.* 1. Reg. 17. num. 11. Et rursus cum Philisthæis congressus, belli pondus non sustinuit; sed deseruit, à sagittariis in fuga vulneratus. 1. Reg. 31. n. 3. Vnde D. Gregor. hoc loco, loquutus de Saüle: *Cum tantus*, inquit, *ac talis vir carnali fortitudini relinquitur, bella perdidit, quæ pugnaturus acceperat, & vitam pariter amisit. Samuel autem, qui seculi potentia sublimis non extitit, qui humiliter non solum Deo, sed etiam hominibus ministrauit; de exterioribus quoque bellis trophæa potenter exhibuit.* Populus suo iudicio pertinaciter adhærescens, insigniter aberrabat; dum credebat suos Reges omnia belli pericula pro suorum ciuium salute strenuè subituros.

Qua virtute Hebræi Regẽ ad bellum requirebant.

Reges tamen in bello ceruos sunt consequuti.

D. Greg.

Humiles etiã in bello trophæa erigunt.

Num. XXI. Et audiuit Samuel omnia verba populi, & loquutus est ea in auribus Domini.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. ET *audiuit Samuel*, &c. Verbum, *Audio*, apud Latinos, & verbum שמע *Schamagh* apud Hebræos, propriè quidem significat percipere voces, figuratè autem obedire. Priorem significatum habet in præsenti numero: posteriorem in sequenti. Vnde nihil mirum, si Samuel, qui modò dicitur audiisse verba populi, posteà eadem audire iubeatur: quia sensus est, vt ille, qui modò verba sensu percepit: ea posteà opere ipso exequeretur. Egit autem hoc loco Samuel partes boni Prælati, ac prudentis viri. Boni quidẽ Prælati audiendo populum: sicut Moyses à mane vsque ad vesperam populum audiebat. Exodi 18. n. 13. Nam iniquus Princeps supplicibus ad se venientibus non solùm obturat aures, sed etiam occludit fores. Patet in Pharaone, quem Moyses adiit domo egredientem, Exodi 7. n. 15. nam, si adiret domi commorantem, fortasse vel à primo limine arceretur. Patet etiam in Saüle, quem Ionathas alloqui decreuit in agro deambulantem. 1. Regum 19. num. 3. nam ad eum domi sedentem, fortasse liberum aditum non inueniret.

Audio, & voces percipere, & obedire significat.

Iniqui Reges venientibus aures obturant, fores occludunt.

inuenitet. Prudentis autem viri partes egit, nihil omninò respondendo, antequàm de responsione maturiùs deliberaret: immò cum Deo quid respondendum esset, consultaret. Nam populus stultè & iracundè Regem postulabat; prudens autem vir neque respondet stulto, iuxta illud: *Ne respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Prouerb. 26. n. 4. Neque etiam iracundo, iuxta illud: *Cum iracundo ne facias rixam: & cum audace non eas in desertum.* Ecclesiastici 8. num. 19. Prudenter igitur Samuel non audiuit; & fortasse prudentiùs non respondit, antequàm Deum consuleret, vt verba priùs trutinasse, & bis ad limam, quàm semel ad linguam retulisse videretur.

Vir prudens insulso Deo nihil agit.

II. *Et loquutus est ea, &c.* Chaldæus vertit: *Et ordinauit ea ante Dominum.* Quasi populus furore percitus in verba tumultuaria & incondita eruperit, quæ proinde Samuel tranquillatus in bonum aliquem ordinem redegerit; priusquàm ad diuinas aures deportaret. Vel etiam ordinauit: quia nimio charitatis affectu, cuius proprium est, res malè digestas ordinare; illa verba sic composuit, vt populum quoad posset, excusaret à culpa: ac Deum mitigaret, reuocarétque à pœna. Vel tandem, quod simplicius est, & ad Literam propiùs accedere videtur; ordinauit ea, hoc est, ex ordine retulit, quæcunque à populo audierat.

Charitatis proprium mala verba componere & excusare.

III. Sed, cur dicitur Samuel loquutus fuisse ea verba in auribus Domini? Credo, duplici mysterio. Primo, vt magna Samuelis familiaritas cum Deo significetur. Vnde D. Greg. *In eorum*, inquit, *auribus loquimur, apud quos magna familiaritatis gratiam habemus. Sancti autem viri, quia omnipotenti Deo in magni amoris vinculo coniuncti sunt, ei in auribus loquuntur: quia diuinæ propitiationis eius auditum tantò fiducialius exposcunt; quantò apud eum misericordiam, impetrando locum sublimiùs acceperunt.* Igitur, quò quis familiarior Deo est, eò propior accedit, & in aures eius insusurrat. Nam publicanus tanquàm ignotior, stans à longè clamabat. Luc. 18. n. 13. Ioannes autem, vt familiarior, recumbens in sinu ad aures loquebatur. Ioann. 13. n. 25. Item mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix: *Stans retrò secus pedes eius vnguento vngebat.* Luc. 7. num. 38. Eadem verò facta iam Euangelij prædicatrix: *Accessit ad eum habens alabastrum vnguenti, & effudit super caput ipsius.* Matth. 26. num. 7. Quia, vt notat Origen. lib. duarum homiliarum in Cantica, hom. 1. suis obstricta delictis, vix pedes attingebat: sed ab iisdem misericorditer absoluta, etiam caput familiariter tractabat. Denique, cùm Moyses & Septuaginta seniores ascendere ad Dominum iuberentur; additum est: *Adorabitis procul: solúsque Moyses ascendet ad Dominum: & illi non appropinquabunt.* Exod. 24. n. 1. & 2. Nam, quò Moyses erat Deo familiarior; eò propiorem accessum ad eum alloquendum obtinebat.

Samuelis magna cum Deo familiaritas.
D. Greg.
Quò quis familiarior, eò ad Deum propiùs accedit.
Orig.
Varijs rei illustratur exemplis.

IV. Ex hac autem loquendi & audiendi familiaritate inter hominem ac Deum, quid, obsecro, nisi mira quædam & petendi libertas, & concedendi liberalitas consequatur? Vnde Dauid: *Oculi*, inquit, *Domini super iustos: & aures eius in preces eorum.* Psalm. 33. num. 16. Nam, sicut preces Samuelis dicuntur esse in auribus Domini, ad ostendendam Samuelis cum Deo familiaritatem; ita hic dicuntur aures Domini esse in precibus iustorum, ad significandam Dei erga iustos liberalitatem. Quod rectè expendens Saluianus lib. 2. De prouidentia, sub initium: *Quod*, inquit, *Scriptura ait, aures Domini in precibus semper esse iustorum, non audientia tantùm Dei, sed quædam quasi obedientia Dei designatur.* Quasi Deus adeò promptus sit ad audiendas iustorum preces: vt non modò audire, sed etiam obedire; non modò concedere, quod petunt, sed etiam facere, quod imperant, quodammodo videatur. Vtinam tam promptè nos Deo, quam nobis ipse Deus, obediamus: *Quam beati essemus omnes*, addit Saluianus, *si quam promptam erga nos Dei audientiam legimus; tam promptè ipsi Deum audire vellemus?* Igitur Samuel Deo intimus in auribus Domini loquebatur: & aures Dei erga Samuelem beneuolentissimi, in eius precibus quiescebant.

Magna Dei in iustos liberalitas.
Salu.
Dei ad preces iustis audientia ac obedientia.
Prompta Dei audientia promptam à nobis exigit obedientiam.

V. Secundò, dicitur loquutus in auribus Domini, hoc est, in secreto cubiculo, & clauso ostio, ad vitandam iactantiam hypocritarum: *Qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus.* Matth. 6. num. 5. Longè aliter sancti viri, de quibus Diuus Gregorius hoc loco: *In auribus*, inquit, *Domini loquuntur: vt dum hominum testimonia orantes fugiunt, ab eo, qui occulta respicit, celeriùs audiantur. Nam peruenire ad Deum oratio nequaquam potest, quæ ex intentione promitur, vt ab hominibus agnoscatur.* De hac re eleganter Diuus Bernardus serm. 86. in Cantica: *Orare*, inquit, *volentes iubemur intrare cubiculum, ne coram orantibus laus humana orationis furetur fructum, frustretur effectum.* Et paulò pòst, expendens illa verba Ieremiæ: *Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum.* Thren. 2. num. 19. vbi Propheta fidelem animam ad nocturnas excubias, secretámque ab omnibus arbitris contemplationem adhortatur: *Quàm secura*, inquit, *ascendit de nocte oratio, solo arbitro Deo, sanctóque Angelo, qui illam superno altari suscipit præsentandam? Quam grata & lucida, verecundo colorata rubore? Quam serena & placida, nullo interturbata clamore, vel strepitu? Quam denique munda atque syncera, nulla respersa puluere terrenæ sollicitudinis, nulla aspicientis laude, seu adulatione tentata? Propter hoc ergo Sponsa, non minus verecundè, quàm cautè, & lectuli secretum petebat, & noctis, orare volens. In lectulo, inquit, meo per noctes quæsiui, quem diligit anima mea.* Cant. 3. num. 1. Hæc Bernardus. Igitur Samuel, ne suam cum Deo familiaritatem ostentaret, in auribus Domini, hoc est, in secreto loco, & remotis arbitris loquebatur. Adde, loquutum fuisse in auribus Domini, seu in secreto: non solùm ad suam iactantiam fugiendam; sed etiam ad suorum infamiam vitandam. Nam, cùm ea oratio populi peccata contineret; secretò orare voluit, ne peccata vulgarentur. Quod nescio, an D. Gregorius hoc loco insinuarit: *Fortasse*, inquit, *in auribus Domini loqui dicitur: quia dum sancti viri pro peccatoribus obsecrant; preces, quas pro eis Deo offerunt, hominibus non reuelant.* Sic aliena peccata sancti viri tegenda curant, vt etiam Deo cautissimè & occultissimè communicent, ne ab aliis audiantur.

Oratio iusti in secreto ad vitandam iactantiam.
D. Greg.
D. Bern.
Iactantia orationis furatur fructum.
Oratio de nocte minimùm secura.
Iustorum cura in aliorum peccatis occultandis.
D. Greg.

Num. XXII. Dixit autem Dominus ad Samuelem: Audi vocem eorum, & constitue super eos Regem. Et ait Samuel ad viros Israel: Vadat vnusquisque in ciuitatem suam.

EXPOSITIO LITERÆ.

I. *Dixit Dominus ad Samuelem, &c.* Duplex hoc loco proponitur responsio. Vna, Dei ad Samuelem. Altera, Samuelis ad populum. De priori satis dictum est Num. 7. nisi quòd concessio ibi facta: *Audi vocem populi, &c.* erat sub conditione: nimirum,

Duplex responsio Dei & Samuelis.

nimirum, si populus, audito Regis iure, à sua petitione non destitisset: modò verò sublata ea conditione, quia reuera populus non desistebat, transit in absolutam: ac proinde fit cum maiori indignatione diuina, quia populi malitia impudentior se expanderat. Vult igitur Deus fieri Regem, non quidem fauendo postulantibus, sed irascendo; quòd & malè petierint, & Samuelis consiliis non acquieuerint. Sic etiam & per Dauidem populo aliquando indulsit ad voluntatem, non tamen ad vtilitatem: *Et non audiuit*, inquit, *populus meus legem meam: & Israël non intendit mihi: & dimisit eos secundùm desideria cordis eorum. Ibunt in adinuentionibus suis.* Psal. 80. n. 12. & 13. Audit Deus, à quo non fuerat auditus. Sed populus Deum non audiendo peccauerat. Deus autem populum audiendo castigat. Quia, vt loquitur ibi D. Augustinus, *donauit eos sibi*. Hoc est, permisit, vt suam quisque voluntatem expleret. Quod autem atrocius supplicium esse potest; quàm, vt quisque sibi, tanquàm pessimo domino subiiciatur? Quare hæc indulgentia diuina potiùs deprecanda est, quàm exoptanda.

Deus aliquando indulget ad voluntatem, non ad vtilitatem.

D. Aug. *Nullum atrocius supplicium, quàm tradi propria voluntati.*

II. In eos certè, qui diuino imperio parere noluerunt, noluit Deus grauiorem pœnam decernere, quàm vt ipsi proprio arbitrio deseruirent. *Mutauerunt*, inquit Apostolus, *gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* Rom. 1. n. 23. Hoc est, verum Deum abiecerunt, & vanos sibi cooptarunt. Quid ergo Deus? Quo supplicio tantum sacrilegium frænauit? *Propter quod*, addit Apostolus, *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum.* Ibidem, n. 24. Quasi pœnarum satis darent, qui nolentes diuinæ voluntati indulgere, suæ propriæ indulgere permitterentur. Quæ fuit communis omnium gentium punitio; iuxta illud Apostoli: *Dimisit omnes gentes ingredi vias suas.* Act. 14. n. 15. In suorum scelerum pœnam, suis blandiri studiis, suis suffragari affectibus, suis appetitionibus obsequi permittuntur. Sed de hac re suprà Num. 7. latissimè diximus. Interim quæret aliquis, cur Samuel Deum precatus non fuerit, ne tantum malum in populo permitteret: vt Moyses Exod. 32. n. 31. Dauid 2. Reg. 24. n. 17. Isaias cap. 63. n. 15. & alij passim Prophetæ præstiterunt, qui suis precibus impendentia populo supplicia propulsarunt? Respondeo: vel, quia diuinam voluntatem absolutam esse cognouit; cui resistere nefas est. Vel, quia timuit, ne vlla ambitionis suspicio daretur, si ipse pro regio statu auertendo, & iudiciario conseruando precaretur: quasi vellet ipse, se suósque filios in sua præfectura diutiùs tueri & conseruare. Vel tandem, quia iudicauit, hoc supplicium aptissimum esse ad populum coërcendum, eúmque ad meliorem frugem reuocandum. Et sicut præstò aderat ad deprecanda noxia supplicia; ita ad vtilia libenti animo suscipienda, se suúmque populum exponebat.

Eorum pœna qui Deo non obediunt, est sibi obedire.

Causa cur Samuel Deum nõ fuerit precatus, vt tantum malum à populo auerteret.

III. *Vadat vnusquisque*, &c. Quod attinet ad posteriorem responsionem: *Vadat*, inquit Samuel; seu, vt habent Septuaginta: *Recurrat vnusquisque in ciuitatem suam.* Nec plura respondisse dicitur. Sed reuerà, aut plura respondit, vt sentire videtur Caietanus; aut certè nutu ac gestu significauit, illos à Deo exauditos esse, & Regem sine dubio accepturos. Aliàs non recederent; sed petendo Regi insisterent importuni. Sed quare illos dimisit? Respondent communiter Interpretes: quia Rex creari non poterat, nisi quem Deus priùs designasset. Deut. 17. n. 15. Quando autem fieret ea designatio, incertum erat; proinde ne diu expectarent, abire iussos: *Vadat vnusquisque*, &c. Quæ fortasse

Caiet. *Cur populus in ciuitates suas abire iubeatur.*

A verba solennia fuerunt, quibus comitia soluebantur: quemadmodum apud Romanos potestas recedendi à concilio, Iudicibus fiebat, solenni vocabulo, *ilicet*; hoc est, ire licet.

Recedendi potestas solenni olim vocabulo concedebatur.

IV. Addi potest ad mores, vt diuinæ fiant reuelationes, opus esse, vt profani homines procul absistant. Vnde Moyses oraturus pro Pharaone, *Egressus*, inquit, *a te, orabo Dominum.* Exod. 8. n. 29. Nam, vt ibi Lyranus, *Præsentibus*, inquit, *idololatris nolebat orare.* Immò posteà idem Moyses, *Cùm egressus*, inquit, *fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum.* Exod. 9. n. 29. Nolebat orare intra muros: *Erat enim ciuitas*, inquit Lyra, *plena idololatria.* Idcircò olim, quando tabernaculum erat in medio castrorum, Deus cum Moyse parciùs agebat: postquàm verò Moyses, *Tollens tabernaculum, tetendit* B *extra castra procul.* Exod. 33. n. 7. *Tunc loquebatur Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.* Ibidem, n. 11. Quasi illo improborum hominum concursus diuinam cum Moyse familiaritatem impediret. Sic Moyses & Aaron, oraturi Dominum, priùs *dimissa multitudine*, ingressi sunt *in tabernaculum fœderis.* Num. 20. n. 6. Neque enim æquum erat, vt praua illa hominum multitudo diuinis Oraculis petendis ac reddendis interesset. Sic & Dauid, *Declinate*, inquit, *à me, maligni: & scrutabor mandata Dei mei.* Psal. 118. n. 15. Nam in consortio hominum improborum non poterat vacare diuinæ legi. Hinc est, quòd Deus multa reuelaturus Abrahæ: *Eduxit eum foras, & ait illi: Suspice cœlum*, &c. Gen. 15. n. 5. Quasi C intra domesticos, vbi multi aderant familiares, diuina mysteria nemini panderentur. Denique & Christus Dominus: *Dimissa turba, ascendit in montem solus orare.* Matthæi 14. n. 23. Nostrum planè in exemplum, inquit ibi D. Chrys. hom. 51. *Vt tam à tempore, quàm a loco trãquillitatem orandi quæramus. Tranquillitatis quippe mater eremus est, quietis portus, omnis perturbationis expultrix.* Igitur Samuel cum Deo familiariter acturus, à se hominum tumultum ablegauit. Vnde D. Gregorius hoc loco, *Cùm*, inquit, *spiritualia discutere volumus, necesse est, vt ab intentione nostra carnalia remoueamus: quia mens interna non penetrat, quam exteriorum actuum puluis cæcat. Dum igitur Propheta Domini, omnem populum abire ad propria loca præcipit;* D *à se vtique tumultum carnalium repellit: vt eo spiritualia, quæ disponenda sunt, clariùs videat; quò mentis eius aciem terrenorum actuum intentio non obscurat.* Paulò aliter Beda, illos dimissos ait, vt quisque in domum cordis sui se recipiens, quid contra diuinam voluntatem gesserit, attentiùs meditaretur. Atque hæc de tota Litera huius Capitis: cuius extrema pars superest ad mores breuiter illustranda.

Lyran.

Improborum cócursus cum Deo familiaritatem impedit.

Non inter familiares diuina panduntur mysteria.

D. Chrys.

D. Greg.

Ad orationẽ carnalia remouenda.

Beda. *Bedã appensior explicatio.*

ANNOTATIO XXXVI.
CIRCA LITERAM.
Obstinata peccandi voluntas.

E SATIS patuit in Hebræis, Regem petentibus. Primò, quia Samueli iniquam futuri Regis conditionem prædicenti minimè crediderunt. Secundò, quia salubria eiusdem Prophetæ monita pro nihilo æstimarunt. Tertiò, quia ne propriis quidem incommodis deterriti à suo peccato desistere voluerunt. Quartò, quia vel propria commoda suis affixi sceleribus repudiarunt. Quintò, quia sui tenaces propositi in nullum non facinus præcipites abierunt. Singula singulis Sectionibus illustrabo.

I. *Obstinata in peccato voluntatis causa.*

SECTIO I.

Peccatores obstinati nullis Prophetarum Oraculis credunt.

II. *Gentilitium Iudæorum vitium, nullis credere Prophetarum Oraculis.*

PEssima hominum conditio, qui suis peccatis ita adhærescunt, vt nullis inde viribus auellantur: suis prauis affectibus tam pertinaciter affiguntur, vt nulla eos Oracula, aut consilia, aut supplicia, aut præmia, aut ipsa scelerum præcipitia à peccato reuocent ac retardent. Et vt à primis ordiar; sunt, qui nullis Prophetarum Oraculis ad credendum moueantur. Exemplo sint Hebræi hoc loco, qui, cùm scirent Samuelem esse verum Dei Prophetam, iuxta illud ex cap. 3. n. 20. *Cognouit vniuersus Israel à Dan vsque Bersabee, quod fidelis Samuel Propheta esset Domini*: & ab eo audirent durissimas & iniquissimas leges, sibi à Rege, quem eligebant, imponendas: nihilominùs, obstinatis & incredulis animis respondetunt: *Nequaquam*, scilicet, erit, quod prædicas: immò iustissimo & beneuolentissimo Rege in posterum vtemur. Quæ potuit esse obstinatior perfidia? Fuit hoc planè gentilitium ac genuinum vitium Iudæorum; vt nihil minùs crederent, quàm quod à Prophetis traderetur. Vocatur Ierosolyma in sacris Literis, vallis saxosa & inculta. Loquutus enim Moyses de Christo Domino sub typo vnius

Ierosolyma dicitur vallis ob profundã scelerum voraginem.

vitulæ sacrificandæ: *Ducent eam, inquit, ad vallem asperam atque saxosam, quæ nunquàm arata est, nec sementem recepit.* Deut. 21. num. 4. Hoc est: Ducent Christum Dominum Ierosolymam, quæ, licèt duplici fundata monte, Moria & Sion, altior emineret, tamen vallis dicebatur, interprete Lyran. propter lapsum in profundam scelerum voraginem, in qua iacebat: aspera atque saxosa, propter duritiem & rebellionem contra Prophetas, quibus non modò non credebat; sed etiam hostiliter aduersabatur, iuxta illud Christi Domini: *Ierusalem, Ierusalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos, qui ad te missi sunt.* Matth. 23. num. 37. Tandem inculta, nunquàm arata, nunquàm seminata: quia, licet crebris versaretur aratoribus, crebris sationibus excoleretur; hoc est, crebris instrueretur Oraculis, crebris informaretur documentis; tamen adeò incredula remansit, vt nullis fidei coloribus tincta, nullis pietatis seminibus imbuta videretur.

Lyran. Dicitur etiam saxosa, quia Prophetas lapidabat.

III. *Ierosolyma idolis subdita, humilis facta est.*

Eandem vrbem appellat Isaias c. 22. n. 1. vallem visionis: *Omnis, inquit, vallis visionis.* Vallem quidem propter scelerum vilitatem: *Ierusalem*, inquit Glossa, *quondam domina gentium, ciuitas Regis magni, nunc despectiuè dicitur vallis: quia humilis facta est & vilis, subdita illis idolis.* Consentit Procopius: *Vallem*, inquit, *dixit; vt ex illo vitæ genere excelso, quo vtebantur ante, excidisse, & in profundo iam vitiorum vallibus iacere doceat.* Vallem verò visionis appellat, hoc est, prophetiæ, quæ multiplex in ea vrbe personabat. Nam Ierosolyma, vt loquitur Diuus Hieronymus, erat quoddam *Prophetarum seminarium*: & frequentissima in ea à Prophetis Oracula pandebantur. Sed quid in ea vibe tot Prophetarum responsa præstiterunt? Sequitur: *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa, ad fletum & ad planctum, ad caluitium & ad cingulum facci: & ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus & bibamus, cras enim moriemur.* Ibidem, à num. 12. Exectanda planè, vel perfidia, vel dementia! Qui tam multis Prophetarum Oraculis ad pœnitentiam vocan-

Procop.

A tibus, vel non crediderunt, vel credentes suo potiùs genio & voluptati seruire maluerunt. Ita vt, cùm in vnam partem Prophetæ inuitarent, ipsi in oppositam reniterentur. Quæ fuit illa Dei cum hoc populo expostulatio: *Expectaui, vt faceret iudicium, & ecce iniquitas; & iustitiam, & ecce clamor.* Isai. 5. num. 7. Adeò Prophetarum vocibus non acquiescebant, vt potiùs in contrarias partes resilirent; vndeque auerterentur, eò recurrerent: & quò impellebantur, inde se auferrent. Quæ pronior & contumacior esse potuit ad sua scelera voluntas?

Nullis Prophetarum dictis acquiescebant Iudæi, sed in contrarias abibant partes.

IV. Si quis erat in lege veteri tam instrenuus & ignauus seruus, vt nollet è seruitute exire, libertatéque donari; seueriorem in seruitutem cogebatur: *Offeret eum, inquit Moyses, dominus Diis, & applicabitur ad ostium, & postes: perforabitq́ue aurem eius subula, & erit ei seruus in seculum.* Exod. 21. n. 6. Populum Israeliticum hic seruus designabat. Cui non verbum, sed ferrum, aures aperiebat. Hoc est, qui tam obstructas aures gerebat ad oracula Prophetarum: vt ad audiendum oporteret, prius illas ferro, hoc est, multis supplicijs reserari. Immò ne vulneratus quidem, & flagellatus audiebat. Vnde D. Ambr. serm. 13. in Psal. 118. *Dum aurem, inquit, suam subula pertundit, audire non potuit, vulneratam aurem gerens. Non legis, sed stultitiæ subula cruentauit aurem suam. Maluit in ferrum, quam in verbum credere.* Et paulò pòst docet, non subula, sed gladio, quod est verbum Dei, aurem illi fuisse perforandam: vt diuina mysteria libertate donatus audiret, quæ perfidiæ mancipium respuebat. Non sine mysterio Diuus Petrus *percutiens seruum Principis Sacerdotum, amputauit auriculam eius.* Matthæi 26. n. 51. Mysterium verò duplex esse potuit. Vnum, vt Malchus ille, qui interpretatur Rex, & Regem Iudæorum repræsentabat, aure amputata, quod est seruitutis signum significaret, Regem Iudæorum in vilissimum seruum, & abiectissimum mancipium, infidelitatis & impietatis abiturum. Sic exponit Theophilus Patriarcha Antiochenus lib. 2. Allegoriarum in Matthæum: *Is, inquit, cui auricula ablata est, Malchus dicebatur: id est, Rex quondam populi Iudæorum: seruus factus est impietatis Iudaicæ.* Ita ille. Alterum, vt aure corporea truncaretur, qui aure spirituali ad auscultanda prophetica Oracula carebat. Adeò enim ille populus ad cœlestia Oracula obsurdescebat: vt ne aures quidem audiendi habere videretur.

Iudæi adeò obstructas habebant aures, vt ferro essent opus.

B

D. Ambr.

C

Iudæorũ Rex vile infidelitatis mancipium.

Theoph.

D

Qui verba Dei nõ audit, auribus truncatur in pæna.

V. Locus, in quo Ioannes Baptismum pœnitentiæ prædicabat, desertum dicebatur: *Vox clamantis in deserto.* Marc. 1. num. 3. Rationem reddit idem Theophilus ibi: *Vt significaretur terra Iudæa à sancto Spiritu derelicta.* Addo, vt ostenderetur Ioannes nihilò magis in confertissimo populo auditus, quàm si in deserto prædicaret. Desertus item dicebatur locus ille, in quo Christus Dominus turbas multas mirabili conuiuio excepit, Marc. 6. n. 35. Vbi Theoph. citatus, *Locum*, inquit, *desertum Iudaicum populum dicit: qui ob incredulitatem suam desertus est ab Spiritu sancto. Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Matth. 23. num. 38. Sed illa quoque ratio accedit: quia in eo loco Christus Dominus, vt loquitur Marcus Euangelista, *Cœpit illos docere multa.* Et tamen quasi in deserto loqueretur, à nemine audiebatur. Innumera sunt Prophetarum Oracula, quæ insolentes Iudæorum aures respuebant. Celeberrimum est illud Dauidicum de Christo Domino: *Postula à me, & dabo tibi Gentes, hæreditatem tuam, & possessionem tuam, terminos terræ.* Psalm. 2. n. 8. Cuius perspicuitatem expenderet

Theoph. Iudæa ab Spiritu sancto derelicta.

E

Iudæa, quia verbum Dei non audiebat, solitudo dicta est.

Theodo

Theod.

Theodoretus, Iudaïcam surditatem lamentatur: *Iudaorum, inquit, perspicuam deplorare mihi in mentem venit: quia audientes vaticinationem, qua plane terra finium meminit; & scientes, neminem suorum Regum, tantum imperium possedisse; sed solum Dominum Christum ex Dauide secundum carnem prognatum: hallucinantur mentis oculis; atque vaticinationem loquentem palpant, vt caci parietem.* Sed, quid mirum aliis Prophetis non habuisse fidem, qui Prophetarum Domino fidem denegarunt? Hoc certe nomine omnibus maledictionibus obruendi; quòd ne suo quidem Messiæ crediderunt. Vnde Moyses, cùm innumeras maledictiones Iudaïco populo impingendas recenseret; hanc vnam, tanquam omnium grauissimam, vltimo loco adhibuit: *Et erit vita tua, quasi pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vita tua.* Deut. 28. num. 66. Vbi Gloss. *Nihil peius, inquit, inter maledicta, qua Iudais acciderunt; quàm videre vitam suam, id est, Filium Dei pendentem, & non credere ei.*

Iudaorum maledictio grauissima fuit Christo in Cruce pendenti non credere.

VI.

Adde, non solùm Oracula, sed etiam miracula in fidei confirmationem præstita, à Iudæis pertinaciter repulsa. Vnde Moyses ad vniuersum populum, *Vos vidistis, inquit, vniuersa, qua fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti, &c. signa illa, portentáque ingentia.* Deut. 29. n. 2. Et statim: *Et non dedit vobis Dominus cor intelligens: & oculos videntes, & aures, qua possint audire, vsque in prasentem diem.* Ibidem, n. 4. Quasi nec tam multis miraculis, quorum testes fuerant oculati, ad fidem ducerentur. Moyses aquam de petra mirabiliter educturus, *Tulit virgam, qua erat in conspectu Domini, sicut praceperat ei.* Num. 20. n. 9. Notat Lyranus, hanc virgam fuisse illam Aaronis, quæ paulò ante fronduerat & floruerat. Num. 17. n. 8. Immò etiam, cùm illam Moyses ad percutiendam petram præferebat; si vera est Rabbinorum opinatio; adhuc suos flores, frondes ac fructus conseruabat. Vnde quęstio existit: Cur ad aquam de petra educendam virga illa suis ornata floribus, suis induta frondibus, suis grauata fructibus adhiberetur? Credo, vt ex præcedenti miraculo in virga facto, fides haberetur subsequenti in petra faciendo: neque dubitarent Hebræi, duram illam rupem in vberes fontes soluendam esse; videntes siccam illam virgam in virides frondes erupisse. Sed quid Hebræi? suæ perfidiæ tam pertinaciter adhærebant; vt de priori miraculo certi, adhuc nihilominùs de posteriori dubitarent. Vnde ad illos Moyses, *Audite, inquit, rebelles & increduli. Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere?* Numer. 20. num. 10. Quæ maior esse potuit in perfidia obstinatio? Præsens miraculum experti; futurum, vt impossibile, iudicabant.

Iudai non solum Oracula, sed miracula respuebant.

Lyran.

Iudaorũ perfidia in fide miraculis adhibenda.

VII.

Peiores in hac parte, quàm Gentiles, qui paucioribus inducti miraculis ad fidem trahebantur. Quod D. Chrysostomus homil. 4. De laudibus Pauli, pluribus illustrat exemplis: *Quoties, inquit, Iudai vocem audierunt de calo, in nouo & in veteri Testamento; nec tamen facti sunt idcirco meliores? Nam in veteri, Iudai post mille miracula, pro Deo, vitulum, quem fecerant, adorauerunt.* Exod. 32. n. 6. *At verò Hierichuntina meretrix, qua nihil omninò ex mirabilibus viderat; ostendit tamen fidem in exploratorum susceptione mirabilem.* Ios. 2. num. 9. Obstinatior igitur populus Israeliticus in sua infidelitate permansit, quàm mulier gentilis. Hanc enim, audita tantùm miracula; illos, ne visa quidem ad fidem impulerunt. Pergit Chrysostomus: *In terra, inquit, repromissionis Iudai, signa cernentes, permanebant lapidibus duriores. Niniuita verò Ionam solum videntes, crediderunt & egerunt pænitentiam,*

D. Chrys.

Iudai Gentilibus peiores.

Variis res illustratur exemplis.

D. Chrys.

A *& venturam super se iram Dei conuersione pepulerunt.* Ion. 3. num. 5. Atque hæc in veteri Testamento. *In nouo etiam*, addit Chrysostomus, *sub prasentia ipsius Christi, latro quidem, cum crucifixum cerneret, adorauit: Iudai verò, qui eum spectauerant mortuos suscitantem, & vinxerunt & affixerunt Cruci.* Hæc Chrysostomus. Et plura adhuc per exempla spatiatur. Itaque pertinacissimè Hebræi suæ infidelitati adhærescunt. Vnde Christus Dominus Bethsaïdæ visum cæco redditurus: *Apprehensa manu caci, eduxit eum extra vicum.* Marc. 8. num. 23. Vbi Diuus Chrysostomus homil. 9. in Marcum: *Non eum, inquit, curat in ipso viculo; sed extra vicum: non enim sanari potest, & videre in lege; sed in Euangelio.* Et paulò pòst: *Cacus ille,*
B *quandiu in Synagoga est, & in Litera, sanari non potest, nisi foras adducatur.*

D. Chrys.

Patum est Gentilibus cæciores & surdiores Iudæos extitisse; cùm vel ipsis Dæmonibus tenaciores suæ perfidiæ videantur. Nam Dęmones videntes miracula, quæ à Christo Domino fiebant; & potestatem, quam in ipsos exercebat, & qua de obsessis corporibus egredi cogebantur: *Exibant à multis, clamantia & dicentia: Quia tu es Filius Dei.* Luc. 4. n. 41. Iudæi verò multorum miraculorum spectatores, adduci non poterant, vt Filium Dei confiterentur. Vnde D. Ambrosius in locum citatum Lucæ, contumacem Iudæorum perfidiam admiratus: *Populus, inquit, negat, quem Dæmones confitentur. O peior magistro discipulorum hareditas!* Tan-
C dem, vbi nulla erat credendi ratio; leuiter ac temerè credebant: vbi multiplex, obstinatè ac pertinaciter negabant. Ad credendam Baptistæ resurrectionem, nullum eos miraculum impellebat: *Quia Ioannes quidem signum fecit nullum.* Ioannis 10. n. 41. Et nihilominùs eam firmissimè credebant, dicentes: *Quia Ioannes Baptista resurrexit à mortuis.* Marc. 6. n. 14. Ad credendam verò Christi Domini resurrectionem, innumera suadebant miracula; non solùm prætetita, vt signum Ionæ Prophetæ, Matthæi 12. n. 39. Sed etiam præsentia; quia cæci videbant, claudi ambulabant, leprosi mundabantur, mortui resurgebant. Matthæi 11. n. 5. Et tamen eam constantissimè negabant; spargentes in vulgus, Christi Domini corpus non
D exiisse de sepulcro redinuiuum; sed furto à discipulis sublatum. Matth. 28. n. 13. Quod expendens Beda in capite 6. Marci citatum, *Quanta, inquit, Iudaorum, quantus contra Dominum malitia furor extiterit, ex omnibus penè locis Euangelij docemur. Ecce enim Ioannem, de quo dictum est, quia signum fecit nullum; à mortuis potuisse resurgere, nullo attestante, credebant. Iesum autem virum approbatum à Deo virtutibus & signis, in cuius morte elementa tremuerunt; resurrectionem verò atque ascensionem Angeli, Apostoli, viri ac femina certatim pradicabant, non resurrexisse, sed furtim esse ablatum credere maluerunt.*

VIII.

Iudai ipsis Dæmonibus tenaciores.

D. Ambr.

Dæmones Christum confitentur, negant Iudai.

Iudaorum in fide inconstantia exprimitur.

Beda.

Obstinatissimum in suo peccato fuisse Iudam proditorem, quis negabit? Cuius animum saxo duriorem nulla potentiæ ac beneuolentiæ signa à
E Christo Domino exhibita mollire potuerunt. Sed nescio, an cæteri Iudæorum greges in sua contumacia vlteriùs prodierint, ac suæ infidelitati pertinaciùs adhæserint? Nam Iudas tandem suæ stimulo conscientiæ punctus, propriam malitiam, & Christi innocentiam confessus est, dicens: *Peccaui, tradens sanguinem iustum.* Matth. 27. n. 4. Et referens triginta argenteos, iniquam rescindere voluit pactionem; vt restituto venditionis pretio, venditum à se Dominum recuperaret. At verò Iudæi nullum de sua malitia, nullum de Christi innocentia testimonium prębuerunt, eadem semper

IX.

Iudas Iudais proditore duriores.

in perfidia obcæcati. Et quod iniquissimum fuit; pretium venditionis recipientes, Dominum remittere venditum noluerunt. Quam proteruiam & neqoitiam D. Ambr. in Luc. lib. 10. c. 21. sub finem, grauiter execratus: *In pecuniariis*, inquit, *causis refuso pretio ius soluitur. Hi* (scilicet Iudæi, Principes Sacerdotum, & seniores) *pretium recipiunt, & sacrilegium persequuntur, ac pertinacibus studiis funestam sibi vindicant sanguinis auctionem, cum refunderet venditor sacrilegy mercedem.* Quid proteruius & procacius, quam rescindere pactionem; & nihilominùs emolumentum ex ea subsequutum pertinaciter retinere? Sed hæc ex sequentibus clariùs illustrabuntur.

D. Ambr. Iudæorũ proterua pretiũ recipientium, & Christum Dominũ non remittentium.

A

B

SECTIO II.

Peccatores obstinati nullis Prophetarum persuasionibus flectuntur.

I. TAntam in dementiam abeunt obstinati peccatores, vt siue Prophetarum Oraeulis credant, siue non eredant; tamen nollis eorum persuasionibus flectantur. Testes appello eos ipsos, de quibus hoc loco agitur, Israëlitas. Apud quos Samuel diuinam in eloquentiam effusus, aptissimè ad persuadendum exorsus est, aptissimè perorauit: sed non potuit exorare. Nam totus ille populus suis præposteria optatis mordicùs adhærescens, *Tanquàm dura silex, aut stet Marpesia cautes*, omnes rationum vires improba animorum obstinatione retorquebat. Immò nescio, an durior cautibus, & asperior rupibus, bene suadentem repulerit Samuelem. Nam cautes & rupes, & præaltis fundatos radicibus scopulos, vnius Orphei eloquentia non solùm emolliisse dicitur; sed etiam suis sedibus conuulsisse. At verò contumaces & proteruos Iudæorum animos, ne diuina quidem Samuelis ad dicendum vis tantisper domuit, aut paulisper inflexit: sed in sua semper insania perseuerantes, obstinatissimè dixerunt: *Nequaquam*, scilicet, desistemus à petendo Rege: frustra dicendo fatigaris: fixa nobis est seotentia: quidquid in contrarium eoneris, retinenda.

Iudæorum in credendo obstinata duritas.

Vug.

C

D

II. Tenet hæc insania contumaces peecatores, optimis admonitionibus repellendis paratissimos, ne à suis ipsi sceleribus repellãtur. Vnde D. Chrys. hom. 19. in Gen. *Quemadmodum*, inquit, *incurabilia vulnera, neque austeris medicamentis cedunt, neque lenientibus: ita & anima semel captiuasi se peccato cuipiam obnoxiam fecerit, & considerare noluerit, quæ sibi sunt vtilia; etiamsi quis innumera inculcet illius auribus, nihil proficiet; sed quasi mortua essent aures, nullam ex admonitione suscipit vtilitatem; non quia non potest, sed quia non vult.* Meritissimum in obstinatum peccatorem supplicium decreuit Christus Dominus: *Expedit*, inquit, *ei, vt suspẽdatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Matth. 18. n. 6. Vbi non solùm in profundum maris præcipitari iubetur: sed etiam præcipitari mola ad collum alligata; ne inde vnquàm subsiliat, & in apertas auras extrahatur. Vt qui cœno peccatorum pertinaciter inhæsit: in profundo maris irreuocabiliter absumatur. At, cur meminit seorsim molæ asinariæ; cùm tamen alio quouis pondere oppressis facilè demergi potuisset? Credo, vt significaret, huiusmodi peccatorem vixisse similem iumento, molam versanti in pristrino. Vt enim hoc iumentum opertis oculis agitur, & in iisdem semper vestigiis circumuoluitur: ita & ille peccator cæcis oculis in sua desideria fertur, & iisdem semper in sceleribus oberrat; nec videt, quàm parum proficiat, qui à suis nunquàm peccatis remouetur. Ita ferè D. Ambr. libr. 8. in Luc. capite 18. vbi loquutus de populo Iudaico suis erroribus pertinaciter affixo: *Nonne*, inquit, *tibi videtur tanquã molam asinariam voluere, quandiu in imperitia sua errore versatur, aperta mentis cæcitate ita suffusus, vt vultum animi erigere ad Deũ, & oculos cordis aperire nõ nouerit? Et ideo sine vlla alacritate vestigiis in se sæpè redeuntibus, seruitus vsui laborat alieno.* Quid infelicius, quàm nolle à periculosis locis enauigare: sed inter peccata, tanquàm inter Scyllam & Charybdim, alternis agitationibus collidi, & ab vno in aliud contorqueri, & vnde priùs exierat, eòdem miserabiliùs relabi?

D. Chrys.

Peccatorum contumacia salubris admonitiones repellentium.

I

Peccatores in profundo æterno demersi nunquàm emergunt.

E

D. Ambr. Peccatores, vt pistrini iumenta, cæco feruntur impetu.

III. Sed, vt res fiat illustrior, obstinatas peccatorum mentes in exemplum adducamus. Caïnum malè sacrificantem, & fratri sun nequiter inuidentem, monuit olim Deus, ne peccata peccatis cumulando, obstinatior efficeretur. *Peccasti?* inquit: *Quiesce.* Gen. 4. n. 7. iuxta Septuaginta. *Quasi diceret*, inquit D. Chrys. hom. 18. ad eum locum: *Peccasti, & grauiter peccasti: sed non punio propter delictum. Misericors enim sum, & nolo mortem peccatoris: sed vt magis conuertatur & viuat. Igitur quiesce. Ne addas priori peccato grauius aliud; neque consilium aliquod immedicabile arripias, ne te ipsum maligno Dæmoni captiuum tradas.* Quid verò Caïn? non ab homine, sed ab ipso Deo per tam salubria monita reuocatus, contumacior obduruit: *Et repulso medicamento*, addit D. Chrys. *in fratricidij profundum se præcipitauit.* Sed non vnam tantùm reiecit monitionem: aliam quoque ad eius animum molliendum aptiorem repudiauit. Nam, cùm totus Caïni liuor in Abelem ortus fuerit ex timore; ne sibi seniori fratec iunior præponeretur: statim Deus ad illum, iuxta eosdem Septuaginta citato loco: *Ad te*, inquit, *conuersio eius, & tu ipsius dominaberis.* Quasi diceret, inquit Diuus Chrysostomus, vbi supra: *Ne putes, licet tuum auersatus sim sacrificium ob prauam mentem: fratrisque oblationem acceptam habuerim ob sanam intentionem; quod ideò primatu te destituam, & primogenituræ dignitatem à te auferam. Nam tu illum dominaberis. Atque post hoc peccatum permitto, vt primogenituræ priuilegiis gaudeas, illumque sub tua potestate & dominio esse iubeo.* Quo ex loco diuinam bonitatem admiratur, commendàrque D. Chrysost. quòd tam præsentem ægrotanti animo attulerit medicinam; & laboranti inuidia, totam inuidiæ causam eripuerit: vt, hac sublata, in fraternam beneuolentiam rediret. Sed, quid apud obstinatum animum tam apposita ad persuadendum oratio effecit? Protsus nihil. Quod D. Chrysostomus lamentatus, *Post tantam curam*, inquit, *& tanta remedia, nihil commodi amplius inde sensit. Tantum valet mentis peruersitas, & malitia excellentia.* Igitur totas furori laxauit habenas implacatus animus: *Et consurrexit aduersùs fratrem suum Abel, & interfecit eum.* Genes. 4. num. 8. Sed, ecce tibi tertia admonitio, qoa Deus Caïnum familiariter alloquutus, *Vbi est*, inquit, *Abel frater tuus?* Ibidem, n. 9. Audi, ô Caïn, non Iudicem, sed parentem, ad suam te misericordiam benignissimè inuitantem. Nam, vt bene Diuus Ambrosius lib. 2. De Caïn & Abel, cap. 9. *Vult te*, inquit, *prouocare ad pœnitentiam Deus, vult de se sperari indulgentiam.* Quid nihilominùs Caïn? Pertinaciter impudens, *Nescio*, inquit. Vbi D. Ambros. citatus, *Contumaciam*, inquit, *prodit hic sermo.* Nec immeritò. Nam, qui culpam negat, non agnoscit: qui non agnoscit, non detestatur; immò iterum faceret, si non fecisset. Quis igitur non execretur tam obstinatum peccatoris

Caini peccato adhærentis contumacia.

D. Chrys.

Peccator vtili admonitione redditur contumacior.

Deus vt bonus Medicus inuidia Caini medicamentũ obtulit: sed in cassum.

Obstinatus peccatoris animus Dei misericordia non mollitur.

D. Ambr.

peccatoris animum, qui ne tam multis quidem admonitionibus diuinis inflectatur?

IV. Non minùs proterui & procaces fuerunt sub prima orbis exordia multi alij peccatorum greges, qui diuinas admonitiones & comminationes penitus contemnebant. Nam, cùm Deus grauiter minaretur, dicens: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: eruntque dies illius centum viginti annorum.* Genes. 6. num. 3. statim sequitur: *Gigantes autem erant super terram in diebus illis: isti sunt potentes à seculo viri famosi.* Ibidem, num. 4. Aderant comminationes diuinæ, sed comminationum contemptores non deerant: illi, videlicet, gigantes, qui suis peccatis tam pertinaciter adhærebant, vt nullis persuasionibus ab illis se abduci paterentur. Rem egregiè expendens Diuus Chrysostomus homil. 22. in Genes. *Vt discamus*, inquit, *quod illi post indignationem & minas & tanti temporis longanimitatem, quam ipsis in pœnitentiam dederat; non solum nihil profecerunt: sed in iisdem moribus perseuerarunt, dicit: Isti sunt potentes a seculo*, &c. Et statim, minimam ex tam seria monitione & pia miseratione vtilitatem admiratus, *Vidisti*, inquit, *ingratitudinis excellentiam? Vidisti stupidas & doloris sensu carentes animas? Neque pœnæ timor, neque longanimitatis tempus arcuit illos à malis operibus: sed semel in praeceps deiecti, & mentis oculo excæcati, a mala concupiscentia, quasi ab ebrietate quadam demersi, redire vltro noluerunt.* Misera peccatorum conditio, quos effrænis peccandi libido beneficiis non modò gratiæ, sed naturæ denudauit: vt neque oblatam miserationem deligerent; neque illatam comminationem timerent: sed vtranque contemnentes, cæci, surdi & insani redderentur.

Instat Deus minas; & nihilominus peccator perseuerat.

D. Chrys.

Peccatores Dei monitiones contemnentes, cæci redduntur & insani.

Concupiscentia, ebrietas est.

V. Nec minor tenuit obstinatio illos omnes, quos sæpiùs Noë de futuris pœnis admonebat: nec tamen à præsentibus culpis auocabat. Arcam Dominus fabricari iussit, in qua Noe, eiúsque familia de aquis diluuij saluaretur. Gen. 6. num. 14. In cuius fabrica Noe centum annos collocauit: nam quingentesimo ætatis anno opus aggressus; sexcentesimo absoluit: vt ex cap. 5. num. 31. & ex cap. 7. num. 6. inter se collatis facilè colligetur. Sed, cur tam longæ moræ in vna arca fabricanda extrahuntur? Rectè D. Chrysost. hom. 24. *Volebat*, inquit, *Deus, illos quoque, qui tam grauiter peccauerant, fabricatione arcæ admoneri, vt secum cogitarent, quæ fecissent; resipiscendóque indignationem non experirentur.* Ex quibus verbis credibile est homines illius temporis, eam fabricam, eámque molem admiratos, sæpiùs Noë adiisse, sæpiùs interrogasse, quorsum euaderet tam insana substructio; quorsum tam sollicita fabricantium studia collimarent. Noë verò disertissimè prædixisse, diluuium propediem affuturum, cuius aquis totus orbis multis priùs peccatis obrutus, tandem obrueretur. Sed, quid effecit tam frequens ac vehemens admonitio? Planè nihil, vt rectè obseruat Diuus Chrysostom. citatus: *Verùm hæc*, inquit, *illis nullam vtilitatem attulerunt: non, quia non potuerunt, sed, quia noluerunt.* Et paulò pòst eorum stupiditatem, non modò insanam, sed lapideam admiratus: *Cùm tot annis*, inquit, *audissent, quòd ante fores esset interitus; neque sic à malitia cessarunt.*

Noë centum annos in arca fabricanda consumpsit, vt homines ad pœnitentiã reuocaret.

D. Chrys.

D. Chrys.

Peccatores ad monita stupidi & lapidei.

VI. Sed maior adhuc ex iis, quæ sequuntur, peccatorum obstinatio colligitur: *Ego pluam*, inquit Dominus, *super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Gen. 7. n. 4. Vbi D. Chrys. citatus rectè obseruat, has in diluuio inducendo moras prudentissimè à Deo collocatas, vt homines per singulas horas, vt à suis peccatis resipiscerent, admoneret: *Num erat*, inquit, *ei possibile, vt vno die totam pluuiam induceret? Quid, inquam, vno die? Vno momento posset. Sed hoc ideaita opera facit; volens simul & timorem incutere, & occasionem præstare, qua possent pœnam, quæ iam in foribus esset, effugere.* Itaque lenta illa, & paulatim procedens inundatio, erat lenta quædam, & paulatim procedens exhortatio: vtinam tam efficax, quàm verax. Nam insensati peccatores nullis minis flectebantur. Quo ruitis miseri in peccata? En cœlum ruit in plagas. Absit, inquiunt illi. Tempestas est; detonabit; serenitas redibit. Sed videte, quot sata læta, boúmque labores, multiplicans imbribus atterantur. Risus, inquiunt, & ludibria; redeunte Sole, suus quamprimùm satis vigor ac vitor restituetur. Atqui, iam vrbes eluuionibus patent; iam domus tempestatibus nutant. Nugæ profectò, inquiunt, & vana somnia: sua pluuiis decliuitas fiet: tota foras inundatio auertetur. Sed, proh malum! Ecce tibi camporum planities fiunt æquora; non pedibus terenda, sed nauibus sulcanda. Nil timendum, inquiunt. Superant colles: vnde licebit iacentes & defluentes aquas despectare & irridere. Ast, ô infortunium! In ipsos collium vertices exundat mare. Vbi tuta fides? vbi statio secura? Ad alta, exclamant, ad alta montium capita enitendum. Illas arces circumlatrare poterit mare: non superare. Sed, heu suprema clades! Illuc refusis vndis, cœlum vndique, & vndique pontus. Ac tota spes salutis obstinatis peccatoribus aufertur. Quo igitur in asylo, vestra vos, ô miseri, contumacia tueatur? Vna superest arca, ad quam recurrite. Vel potiùs vna superest pœnitentia, ad quam redite. Verùm obstinata malitia ita miseros tenuit & excæcauit; vt, sicut in peccatis contumaciter vixerant, ita in peccatis contumaciter morerentur. Nemo enim dicitur se ad arcam recepisse: nemo, quem certò sciamus, ad pœnitentiam prouocasse: vt extrema in peccato obstinatio, extremum corporis in pelago, & extremum animæ in barathro naufragium pateretur.

S. Chrys.

Deus in diluuio inducendo moram facit, vt homines illud per pœnitentiam effugerent.

Sermo eloquentissimus peccatorum contumaciã ostendens.

Qui in peccatis contumaciter viuunt, similiter moriuntur.

VII. Posterior fuit tempore, sed nescio, an improbitate prior obstinatio eorum, qui de turri Babel ædificanda cogitarunt. Veteris enim contumaciæ pœnam experti, & nouam nihilominus contumaciam exorsi, quid mirum, si contumaciùs peccare censeantur? Triplici igitur ex capite eorum irreuocabilis cõtumacia arguetur. Primò quidem mysticè. *Quia inuenerunt campum in terra Sennaar, & habitauerunt in eo.* Genesis 11. num. 2. Vbi Philo Iudæus libr. De confusione linguarum, pro terra Sennaar, id est, excussa, terram impiam & iniquam, & ab omni virtutis germine excussam interpretatus; notat vlteriùs, hos homines non fortuitò venisse in hunc campum; sed quæsitum inuenisse: nec obiter pertransisse; sed diutiùs habitasse, atque hinc obstinatum eorum ad peccandum animum subodoratur: *Obserua*, inquit, *quòd non ait, eos venisse in campum, in quo manserint; sed quæsitum inuenisse: vtique postquam dispexerunt, vbinam esset locus ad insaniam commodissimus. Ita est profectò. Insipiens non aliunde accipit; sed ipse sibi quærendo mala inuenit: non contentus his, per quæ misera natura malè incedit; sed cumulans ea malis artibus & exercitiis.* Et statim: *Atque vtinam paulò ibi commoratus, migraret aliò. Nunc autem dicit Scriptura, quòd habitarunt ibi, tanquàm in patria: non tanquàm inquilini regionis externæ. Leuius enim malum fuisset, si postquam in peccata inciderunt; pro alienis ea, peregrinisque habuissent; non pro cognatis ac domesticis.*

Turris Babel ædificatores contumaciùs peccarunt.

Philo.

Gigantũ habitatio in terra Sẽnaar ostendit peccatorum in peccata perseuerantiam.

Leuius malũ, si in illo peccator non perseuerat.

VIII.

Peccatores nullis pœnis à peccatis se coërcent.

Secundò, arguitur hæc peccandi obstinatio; quia dixerunt: *Celebremus nomen nostrum, antequam diuidamur in vniuersas terras.* Gen. 11. n. 4. Vbi supponebant, se diuidendos, propter hanc sui nominis celebritatem inaniter affectatam: & nihilominus nomen suum celebrare disponebant; tam propensi obstinatique ad culpam, vt nullius pœnæ metu ab illa retraherentur. Quod Philo citatus rectè obseruans, acriter in eos inuehitur: *Scitis, inquit, fore vt dissipemini, cur igitur peccatis? Sed fortasse morem insipientium Scriptura proponit; qui etiam maximis pœnis non obscure, sed manifeste impendentibus, ab iniuriis non temperant.*

Philo.

Tam obstinatè in peccato feruntur homines, vt incipientes, iam absoluisse videantur.

Tertiò, arguitur hæc proterua deliberatio: quia tam obstinatis animis ad peccandum ferebantur; vt, antequam peccatum absoluerent, iam absoluisse viderentur. Vnde est illud: *Descendit Dominus, vt videret ciuitatem & turrim, quam ædificabant filij Adam.* Gen. 11. n. 5. Septuaginta de præterito plusquàm perfecto transferunt: *Quam ædificauerant filij hominum.* Hanc verò translationem sequutus Philo, vbi suprà, *Etiamsi*, inquit, *cœptis frustrati, non potuerunt ad destinatum impietatis suæ finem peruenire: nihilominus, ac si cogitatum facinus perpetrassent, damnandi sunt. Et hoc est, quod ait, absolutam turrim ab eis, quamuis penderet adhuc, dicens: Dominus descendit, vt viseret ciuitatem & turrim, non quam ædificaturi erant, sed quam ædificauerant.* Illa enim certa definitàque sententia peccandi, nihilo ab ipsa peccati exequutione quodammodo differebat. Quia obstinatum animi propositum difficillimè solet ab ipso facto resilire. Quod vel ipse Dominus significauit, dicens: *Cœperunt hoc facere; nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Ibid. num. 6. Hoc est enim contumacium hominum ingenium, vt bona opera incipientes, statim inchoata & pendentia relinquant; mala verò semel aggressi, pertinaciter absoluant, & ad exitum perducant.

Philo.

Quodnam sit contumacium hominum ingenium.

IX.

Sodomitæ contumaces, vt Diabolo agitati, iustum suasorem auersantur.

Par ad Sodomitas contagio, par in peccatis obstinatio transfusa est. Nam, cùm eos Lot de sua malitia grauiter admoneret; & vt ab ea desisterent, vehementer hortaretur: ipsi quidem suæ impudentiæ tenaces, nec audire loquentem, nec videre præsentem voluêre; sed minabundi in optimum suasorem: *Recede*, inquiunt, *illuc.* Gen. 19. n. 9. Hoc est: Facesse, & amoue te hinc in latebras & in tenebras, in quibus te nec audiamus, nec videamus. Et rursus: *Ingressus es, inquiunt, vt aduena: nunquid vt iudices? Te ergo ipsum magis, quàm hos affligemus.* In quem locum D. Chrysost. hom. 43. *O grauem*, inquit, *ebrietatem! ô immodicam desipentiam! Quasi à Diabolo exagitati, & eo ducatum præbente; ita contra iustum insurgunt.* Et paulò pòst: *O excellens ingratitudo! oportebat erubescere, oportebat reuereri consilium iusti: verùm, sicut insani etiam Medicum impetere conantur; ita & illi.* De hoc fermento Sodomitarum erant illi generi ipsius Lot, quos ille quidem monuit, sed non permouit; vt de vrbe, diuinas minas fugituri, egrederentur. Immò *visus est eis, quasi ludens loqui.* Ibid. num. 14. Seu, vt habet D. Chrys. *ridicularia loqui.* Et addit, eorum ingentem proteruiam admiratus: *Cùm audirent à iusto terribiles illas minas: quasi subsannabant; putabant deliramenta esse, quæ dicebantur.* Tam pertinax voluptatum amor in eorum animis inoleuerat; vt quisquis eos inde vellet abstrahere, hoc ipso illis ebrius & insanus videretur.

D. Chrys.

Similes, iustorum monita, deliramenta putant.

X.

Hebræorum contumacia semper in vetitum nitebatur.

Sed, quid illa Hebræorum contumacia contumacius? Nam hortante Caleb, vt ad terram Promissionis ascenderent, *Nequaquam*, inquiunt, *ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est.* Num. 13. n. 32. Contrà verò suadente Moyse, ne ascenderent contra Amalecitas, *illi contenebrati ascenderunt.* Num. 14. num. 44. Quasi mira pertinacia obstinati semper in vetitum niterentur. Vbi Rabbanus lib. 2. cap. 11. *O mira*, inquit, *proteruitas humanæ mentis, & horrenda stultitia excæcati cordis! Mandat Deus promissionibus suis credere, & de sua potentia confidere, & sic terram possidendam intrare: humana stultitia renuit credere; & iussis spernit obtemperare salubribus. E contrario denuntiat eis Deus, suùmque auxilium eis denegat: ut illi contenebrati contra voluntatem Dei, eum volunt inuadere.* Quid absurdius & contumacius, cùm modò refugientes, modò aggredientes bellum, diuino semper imperio reluctentur? Vtrique planè grauiter puniti: priores quidem in vastam solitudinem reducti; vbi quadraginta annorum spatio omnes interiêre; posteriores autem in hostium potestatem traditi, à quibus extrema internecione deleti, suæ pœnas dedêre temeritatis. In hos contumaces peccatores, nullis Prophetarum vocibus acquiescentes acriter inuehitur Ieremias cap. 5. num. 21. *Audi*, inquit, *popule stulte; qui non habes cor; qui habentes oculos, non videtis; & aures, & non auditis.* Nec immeritò. Quia multis à Deo propositis & spectaculis & Oraculis, nihilò magis ad pietatem inflectuntur, quàm si nihil videre, nihil audire videantur. Et statim etiam turbulentissimo elemento mari, eorum contumaciam anteponens, *Posui*, inquit, *arenam terminum mari; præceptum sempiternum, quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt; & intumescent fluctus eius, & non transibunt illud. Populo autem huic factum est cor incredulum & exasperans: recesserunt, & abierunt: & non dixerunt in corde suo: Metuamus Dominum Deum nostrum.* Ibidem, à num. 22. Vbi videre est, quo pacto illi vndarum vortices ab alto insurgentes conglobentur, & in littus properantes, extremam terris eluuionem minitari videantur: qui tamen, cùm ad mollissimum arenæ vallum impingunt; penitùs franguntur, & leniter restagnant, supremi Imperatoris nutui obtemperantes.

Rabban.

Vtrius tamen contumaciæ pœnas dederunt.

Contumaces mente capti, corde, oculis, auribus.

Hebræorum contumacia procelloso mari antepositum.

XI.

Mare terminos non egreditur, peccatores egrediuntur.

Longè igitur violentior peccatorum obstinatio, quæ nullis diuinarum legum monitionibus coercetur. *Mari posuit Deus*, inquit ibi Theodoretus, *non murum adamantinum, sed arenam leuissimam: dum tamen exagitatur & turbatur, non egreditur fines; ad quos, dum propius accedit, retrorsum vergit. At hi*, hoc est, Israelitæ, *ratione dignati, irrationalitatem amplexi sunt.* Et, quod consequens est, effræni quadam contumacia perciti, terminos sibi à Deo præfixos transgrediuntur. Licentiùs igitur insaniunt peccatores, quàm vel ipsa expertia rationis elementa. Hanc iterum maris erga diuinum præceptum obedientiam exprobrauit olim Deus Iobo; vel sub eius nomine, peccatori ad peccandum audaci & contumaci: *Circumdedi*, inquit, *illud*, id est, mare, *terminis meis: & posui vectem & ostia: & dixi: Vsque huc venies; & non procedes amplius, & hîc confringes tumentes fluctus tuos.* Iob. 38. num. 10. & 11. Quod Tertullianus lib. De Trinitate, cap. 1. expendens, rectè obseruat, Deum facili quodam aggere arenarum hoc implacatissimum elementum circumdedisse: *Quo, cùm frequens, inquit, fluctus, & ex alto sinu spumans vnda venisset; rursum in se rediret, nec terminos concessos excederet, seruans iura præscripta. Vt diuinas leges tantò magis homo custodiret, quantò illas etiam elementa seruassent.* Execranda igitur hominum ad sua scelera propensio, & pertinax voluntas, quam nulla

Theod.

Tertull.

Homines ab elementis diuinam legem custodire docentur.

nulla diuini Iuris repagula coërceant: cùm tamen vastissimi & turbulentissimi elementi minas, leuis quidam arenarum agger frangat & contundat.

XII. *Iuda proditoris cōtumacia exprimitur.*

In hanc contumaciam sic obduruit improbus illo proditor Iudas, vt ne ipsius quidem præceptoris & Redemptoris sui verbis, aut emolliretur ad pœnitentiam, aut à contumacia frænaretur. Nam, cùm illud Oraculum Christi Domini: *Vnus vestrûm me traditurus est.* Matthæi 26. num. 21. nimia tristitia cæteros discipulos occuparet; & in posterum ab epulis inhiberet: proditorem tamen nec à cibo, nec à peccato, nec ab inuerecundia, quam habebat, retardauit. Vnde D. Leo serm. 7. De passione, loquutus de cæteris Apostolis, *Contristati sunt*, inquit, *non de conscientia reatu, sed de humanæ mutabilitatis incerto: timentes, ne minus verum esset, quod in se quisque nouerat; quàm, quod ipsa veritas prænidebat. Tu autem in hac trepidatione Sanctorum, abuteris Domini patientia: & abscondi te tua credis audacia. Addis impudentiam sceleri, nec signo euidentiori terreris: cùmque se à cibo alij, in quo indicium Dominus posuerat, continerent; tu manum non retrahis à parapside, quia animam non auertis à crimine.* Quid obstinatius, quam non modò à peccato non resilire; sed etiam peccandi studium, dato signo, impudenter manifestare?

D. Leo. Iusti ad delicti nomen expauescunt, nihil commouetur iniusti.

XIII. *Contumaces Diabolo peiores.* D. Ambr.

Nescio, an minùs contumax, & minùs impudens fuerit aliquando Diabolus, ad malè agendum? Nam hic, consummata omni tentatione apud Christum Dominum, *Recessit ab illo vsque ad tempus.* Luc. 4. num. 13. Veritus saltem, ne si pugnare pergeret, contumeliosiùs vinceretur. Vnde Diuus Ambrosius ad eum locum, *Vides*, inquit, *ipsum Diabolum non esse in studio pertinacem, cedere vera solere virtuti. Et si inuidere non desinat; tamen instare formidat: quia frequentiùs refugis triumphari.* Itaque Diabolus, si non amore virtutis, saltem timore pœnæ & ignominiæ, ab externo opere malo coërcetur: at verò Iudas, & qui illum sequuntur, peccatores obstinati, nullo nec amore, nec timore à peccando retardantur. Tales illi, qui prædicantem Stephanum, ne audirent, *continuerunt aures suas.* Act. 7. n. 57. seu, vt est in fonte: *Obturauerunt aures suas*: non aliam ob causam, vt notat Diuus Augustinus serm. 99. De diuersis, nisi, *vt in sua duritie perseuerarent.* Et, quod euidentius est obstinatarum mentium argumentum, addit D. Augustinus, *Cùm cœli ianuæ aperirentur; ipsas Iudæi mentes claudebant.* Vt vel ipsis orbibus cælestibus, qui *solidissimi, quasi ære fusi sunt.* Iob. 37. num. 18. duriores viderentur.

Peccatores aures obturant, vt in suo peccato perseuerent. D. August.

Iudæi cœlo ære fuso duriores.

SECTIO III.

Peccatores obstinati, ne propriis quidem detrimentis à peccando deterrentur.

I. *Probatur in primis Hebræorum exemplo.*

Sic insaniunt peccatores, sic prauis cupiditatibus adhærent, sic in suis peccatis obdurescunt, vt quantacunque illis, aut vitæ, aut libertatis, aut diuitiarum detrimenta proponantur, nisi resipiscant, & ad meliorem frugem reuocentur; tamen ipsi non desistant: immò sub quolibet pœnæ damno perire malint; quàm ab vno malo culpæ, cui inseruiunt, resilire. In hanc proculdubiò contumaciam abierunt Israëlitæ, quos Samuel grauiter, vehementérque præmonuit de maximis vitæ, libertatis, diuitiarúmque incom- A modis, sub Rege, quem postulabant, subeundis: illi tamen in prauum affectum obdurati mortem & ignominiam & paupertatem subire maluerunt, quàm ab illo suo præpostero studio & iniqua contentione retardari. Quæ iam omnia ex Litera innotescunt.

II.

Tales fuerunt illi peccatores, quorum contumaciam Propheta apud Dominum accusans, *Percussisti*, inquit, *eos & non doluerunt: attriuisti eos, & renuerunt accipere disciplinam: indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Ier. 5. num. 3. Vbi Theodor. obseruat, Deum à leuioribus suppliciis exorsum, ad grauiora deuenisse: primò quidem percutiendo, quod est leuius; deinde atterendo, quod est grauius. *Attamen*, inquit, B *neutrum illis profuit: quia ferreo erant animo.* Quod etiam significauit Dauid loquutus de Deo, obstinatos peccatores ab inueteratis culpis euocante: *Contriuit*, inquit, *portas æreas, & vectes ferreos confregit.* Psalm. 106. num. 16. Vbi Cassiodorus per portas æreas & vectes ferreos intelligit diuturnas peccandi consuetudines: quæ homines arctissimè constringunt, nec exire patiuntur: vt non immeritò & ipsi ferreo esse animo videantur. Adde, & plusquàm ferreo. Nam ferrum cùm ictibus tunditur, attenuatur ac dilatatur: horum autem corda nullis suppliciis emolliuntur: nullis pœnis ad pietatem reuocantur. Vnde D. Chrysost. homil. 24. in Genes. horum peccatorum contumaciam lamentatus, *Doleo*, inquit, *& lugeo*, C *quia video in nobis tantam virtutis raritatem; malitiam autem quotidie inualescere. Neque moratur gehennæ timor nostrum in mala cursum: neque regni desiderium adhortari sufficit, vt in via virtutis ambulemus.* Quàm præcipiti igitur animorum contumacia in peccata rapiuntur, qui ne gehennæ quidem metu à peccatis retardantur?

Theod. *Peccatores, vt ferrei, nec leuibus, nec grauioribus mouentur suppliciis.*

Cassiodor.

Non ferreo, sed plusquàm ferreo animo sunt.

D. Chrys.

A peccatis nec gehennæ metu retardantur.

III. *Vitæ discrimen subire malunt, quàm resipiscere.*

Age verò, singula pericula paulò antè memorata, quibus obstinati peccatores se exponunt, ne à suis peccatis reuocentur, expendamus. In primis vitæ discrimina subire malunt, quàm à suis peccatis resipiscere. Acerrima fuit illa Dei expostulatio cum Israëlitico populo suis peccati pertinaciter inhærente: *Hæc dicit Dominus: Nunquid, qui cadit, non resurget? Et qui auersus est,* D *non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa? apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti.* Ierem. 8. num. 4. 5. Quasi diceret: Si cadentes surgere nituntur; & errantes à via, reduci in viam concupiscunt: quæ est ista Hebræorum obstinatio, vt iacere malint in cœno suorum peccatorum, quàm erigi in cœlum: & euagari extra viam salutis, quàm ad viam reuocari? Et statim: *Nemo, quod bonum est, loquitur. Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens: Quid feci? Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.* Ibidem, num. 6. Quæ omnia significant obstinatissimam ad peccandum voluntatem. Sed extremis verbis magna cum emphasi peccator in ma- E lum ruens, cum equo ad prælium currente comparatur. Vt enim equus, dato belli signo, gestit, exilit, procurrit, ac toto impetu in prælium exardescit; nec vllis vitæ periculis, quæ passim ab hostibus ostenduntur, à suo cursu inhibetur: ita peccator, cui altè sedet in animo propositum peccandi, quælibet vitæ pericula facilè superat & transgreditur, vt sui tandem voti compos efficiatur. Septuaginta contumacem peccatorem non solùm componunt equo, sed etiam anteponunt: *Currens*, inquit, *defecit à cursu suo, velut equus defessus in hinnitu suo.* Supple: Peccatores autem à suis

Peccatores magis iacere cupiunt in cœno, quàm erigi in cœlū.

Apta similitudine equo bellatori conferuntur.

suis peccatis, seu in cursu ad sua peccata non deficiunt, non defatigantur. Atque ita exponit

Theod. *Eorum cõtumacia equinæ anteponitur.*

Theodoretus: *Voce Græca*, inquit, hoc est, iuxta Græcam editionem, *intelligendum est, nullum esse tempus, aut satietatem cursus. Nam equus impetu vtens & hinnitu, exhausto labore sudat: hi verò nullam malorum capiunt satietatem.* Igitur equus, ne in medio cursu exanimatus deficiat; paulisper sistit & conquiescit. Peccatores autem obstinati, quamuis sciant, se in medio conatu præ lassitudine morituros; tamen vlteriùs pergunt, & pertinaciùs conantur.

IV. *A voluptatẽ pestilentia nõ recedunt.*

Vbi, quæso, mors certior incurritur, quàm in loco pestilentia infecto? Et nihilominus peccator suis sceleribus inhærens, sedet in cathedra pestilentiæ. Psalm. 1. num. 1. Quia à voluptatibus corporeis, in quibus mors certissima grassatur, non recedit, quasi dicens: Moriamur, dummodò voluptatibus saturemur. Et notandum verbum sedendi, per quod D. Ambrosius ad eum locum,

D. Ambr. *Per verbum sedendi, in peccato perseuerantia significatur.*

intelligit pertinaciam in peccato: *Vnde iniquitas*, inquit, *in talento plumbeo sedet.* Zachariæ 5. num. 7. *Eò quòd fixa in peccato, se ab eo separare non possit: etenim inueterati in errore; & studiosè flagitiis inhærentes, sedere dicuntur.* Quod probat duplici versiculo: *Surgite, postquam sederitis.* Psal. 126. num. 2. Hoc est: Postquam diu vestris peccatis desedistis; tandem surgite, & ab ea planè fatigatione sedentaria vos auferte. Rursus: *Sederunt Principes, & aduersùm me loquebantur.* Psal. 118. num. 23. Hoc est: Cunctando & perseuerando in malitia, linguas suas in probra & contumelias acuebant. Et statim: *An ignoramus*, inquit, *quòd tantam vim habeat inueterata consuetudo peccandi, vt excludat naturam? Quæ, cùm sit medicabilis ad salutem: tamen corroborata tempore, passionibus immedicabilis innititur.* Vnde statim monet, ne primæ pueritiæ peccata, si quæ incurrimus, in iuuentutem protrahamus: sed antequàm adolescant, amputemus: tantùm abest, vt ferendi sint illi, qui vsque ad senectutem in peccatis suis computrescere voluerunt; &, vt loquitur ipse Ambrosius: *Luxuriem corporis nec albenti erubuêre canitie; & vsque ad senectutis ætatem, viam produxêre maculosam.*

Nec matura canities eos ab immatura peccandi licentia frenat.

Igitur, qui diuturna in consuetudine peccandi obduratur, sedet in cathedra pestilentiæ: & quamuis hæc certam omnibus mortem minitetur; tamen obduratus peccator ab ea non resilit, malens pestilentia extingui, quàm à sua culpa separari.

V. Hebræi de Ægypto egressi, & ad mare rubrum delati, cùm viderent diuisum mare; & viam inter aquarum cumulos stratam; nec dubitarent tam insolentem viam in sui fauorem diuinitùs apertam: tamen eam arripere trepidarunt, & suæ hac trepidatione *Irritauerunt Deum.* Psal. 105. num. 7. de illius patrocinio diffidentes, qui se illis tam singularem patronum exhibebat. Immò, nisi Moyses exemplo suo præiret, & incognita illa vada fidens animi tentaret; vt Iosephus lib. 2. Antiq. cap. vltimo testatur; & post eum Naason, eiúsque filius Aminadab de Tribu Iuda intrepidi aggrederentur; vt Hebræi apud Genebrard. in Psalm. citatum arbitrantur: totus in littore hæreret exercitus, pauore consternatus, à Pharaone, eiúsque militibus miserabiliter concidendus. Itaque vitæ periculum etiam pro vitæ remedio subire non audebant. Verùm Ægyptij, qui ponè sequebantur, idem periculum intuentes; nec existimantes tantum miraculum in sui gratiam diuinitùs effectum; nihilominùs intrepidi irruerunt: & vt suum in Hebræos odium explerent, suum adire periculum non dubitarunt. Quid obstinatius ac pertinacius, quàm proprio exitio se exponere voluisse, vt extremum suis aduersariis exitium machinarentur? Qua de re D. Augustinus sermone 89. De tempore: *Ægyptiorum*, inquit, *turma inter maritimos fluctus alienum iter ingressa, aqua vindice puniuntur. Quos in medium marini alueí sinum desperata traxit audacia.* Igitur efficaciùs mouit Ægyptios insana cõtumacia, quàm germana obedientia Hebræos: hæc enim in mortis periculum Hebræos non omninò impellebat; in quod illa Ægyptios temerè præcipitabat.

Dei irritãt, de illius patrocinio diffidentes.

Ioseph.

Ægypty pertinaces vitæ periculo diuisum mare ingrediuntur.

S. August.

Magis mouet contumacia, quàm diuina obedientia.

VI. *Hebræi mortem potius eligebãt contra Dei voluntatem, quàm vitam secundum illam.*

Hebræi ad repugnandum Deo, adeò erant obstinati, vt mallent vitam propriam amittere, quam legem diuinam obseruare. Iubebat eos Dominus de Ægypto in solitudinem egredi: ipsi verò potiùs in Ægypto mori cupiebant. *Vtinam*, inquiunt, *mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti*, &c. *Cur induxistis nos in desertum istud?* &c. Exod. 16. num. 3. Iubebat eos Dominus de solitudine in terram Promissionis ingredi; ipsi verò in solitudine mori præoptabant: *Vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in terram istam.* Num. 14. num. 3. Itaque potiùs mortem contra Domini voluntatem, quàm vitam secundùm Domini voluntatem eligebant. Quid peruersius & obstinatius, quàm pro diuina lege violanda vitam profundere velle: cùm pro eadem lege veneranda & obseruanda, millies vitam profundere oporteret? Vnde Tertullianus libr. ad Martyres,

Tertul.

cap. 5. non immeritò eos notat, qui mori appetunt, vt vanam gloriam aucupentur. Et idem est, vt quibuscunque aliis inordinatis appetitionibus obsequantur: *Omnia*, inquit, *sæuitiæ & cruciatus certamina iam apud homines affectatio quoque, & morbus quidam animi conculcauit. Quot otiosos affectatio armorum ad gladiũ locat? Certe ad feras ipsas affectione descendunt, & de morsibus, & de cicatricibus formosiores sibi videntur. Iam & ad ignes se auctorauerunt, vt certũ spatium in tunica ardente conficerent.*

Aliqui occidi patiuntur, vt vanã gloriã aucupentur.

Vbi, interprete Pamelio, alludit ad Herculem, qui, vt suam diuinitatem probaret, ignem ingressus est: sed combustus & vstulatus egrediens, suam vanitatem confirmauit. Plora de hac re Tertull. De quo nos alibi copiosiùs.

Pamel. *Confirmatur Herculis exemplo.*

D. August.

D. August. lib. 50. homiliarum, hom. 11. peccatorem comparat cum ægro lethargico: vt enim hic ita obstinatus est ad dormiendum, vt mori malit, quàm euigilare, tantum in vigilia laborem, tantam in somno suauitatem experitur; ita ille adeò est ad peccandum obfirmatus, vt mortem malit incurrere, quàm à peccato abstinere. Atque idem est de aliis ægrotis, qui prauis humoribus afficiuntur. Nam, qui febri æstuat, aliquando mauult mori, quàm sitire: qui fastidio laborat, mauult mori, quàm manducare; & sic de cæteris. Ita & peccator mortem subire mauult, quàm suos appetitus non explere.

Peccator obstinatus cum ægro lethargico apté cõparatur.

VII. *Peccatores contumaces libertati præferunt seruitutem.*

Iam verò libertatis iacturam libenter patiuntur peccatores obstinati; dummodò in suis peccatis hærere permittantur. Malunt sub peccato turpiter seruire, quàm sub Christo feliciter regnare. Tales Hebræi hoc loco, de quibus proinde

D. Gregor.

D. Gregorius, *Iura*, inquit, *hominum proponuntur contemnentibus iura Dei: & his, qui mitia & salubria diuinitatis consilia spreuerant; dura & importabilia humanæ seruitutis onera prædicuntur: vt ex his secum rationem facerent, quàm intolerabilia essent imperia hominis, eis qui non tam imperantis, quàm monentis Dei consiliis obedire noluissent.* Vbi vides, quàm fuerit obstinata Hebræorum insania, qui ignominiam seruitutis sub tyranno, quem postulabant; gloriæ libertatis sub Deo, præferebant.

Quid

VIII.
Inuitantur ad libertatē, & nihilominus in seruitute perseuerant.

Quid seruo illo abiectius, & in sua seruitute obstinatius, qui à domino suo manu missus; adhuc nihilominus ignominiosam seruitutem, potius quam gloriosam libertatem exoptabat, dicens: *Diligo Dominum meum, & uxorem, ac liberos: non egrediar liber.* Exod. 21. n. 5. Talis profectò & peccator, qui sub misera peccati seruitute positus ad beatam Christi libertatem inuitatur: & nihilominus, contempta libertate, suam retinet & amplectitur seruitutem: dignus plane, cui auris perforetur, vt illi seruo fieri consueuit, in pœnam tam præposteræ & obstinatæ voluntatis: vt ibi Theodoretus q. 45. obseruat: *In dedecus*, inquit, *eius, qui postposita libertate seruitutem amplectitur, signum hoc accipere iussit.* Consentit Lyranus: *Hæc pœna*, inquit, *& verecundia fit ei, eo quod non vult vti libertate à Deo sibi data.* Æquum enim est, vt in pudore viuat: qui in honore viuere, recusauit. Sed, cur auris potissimum iubetur perforari? Lyranus, *Perforatur*, inquit, *auris magis, quam aliæ partes; quia per illam partem intellexit, vel intelligere debuit legem de libertate.* Addo: quia auris est sensus disciplinæ; quam qui non recipit, sed potius seruitutem libertati anteponit; non immeritò aure punitur, vt rudis & ignarus & stultus ac totius disciplinæ expers in posterum censeatur.

Theodor.
Digni quibus in pœnam perforetur auris.

Lyran.

Aure, vt sensu disciplinæ, puniuntur.

IX.
Dei seruitus suauis, humana importabilis.

Hos peccatores Deus iusto iudicio permittit à vera libertate penitus discedere, & à desideriis suis in miseram abduci seruitutem. Sic olim tradidit Hebræos in seruitutem Sesac Regis Ægypti: *Seruient*, inquit, *ei; vt sciant distantiam seruitutis meæ & seruitutis regni terrarum.* 2. Paralip. 12. num. 8. Vbi Lyranus, *Seruitus*, inquit, *Dei suauis est, & consolabilis: seruitus autem humana, dura & quasi importabilis.* Expressior est in filio prodigo huius peruersæ obstinationis imago, qui veram sub indulgentissimo patre libertatem contempsit, & miseram sub durissimo tyranno seruitutem elegit. *Adhæsit*, inquit Textus, *vni ciuium regionis illius: & misit illum in villam suam, vt pasceret porcos.* Lucæ 15. num. 15. & 16. De qua re Diuus Petrus Chrysologus sermone 2. *Ecce*, inquit, *quid faciat cupiditas ad censum preceps: ciuem in peregrinum, filium in mercenarium, locupletem in egenum, liberum mutauit in seruum: iunxit porcis, à patre pijssimo quem seiunxit; vt seruiret cœnoso pecori, qui pietati sanctæ parere contempsit.* Et quidem Diuus Ambrosius rectè expendit verbum illud, *Adhæsit:* & ea eo non modò laboriosam, sed etiam periculosam colligit seruitutem: *Qui hæret*, inquit, *in laqueo est.* Vt enim passer, vbi pabulum quærit, ibi laqueum inuenit: ita infelix peccator, vbi iucundam sperat libertatem, ibi periculosam incurrit seruitutem.

Prodigi libertas miserā in seruitutem transit.
D. Chrys.

D. Ambr.
Peccati seruitus non laboriosa modò, sed periculosa.

X.
Peccatores omnes prodigūt diuitias, vt suos expleant appetitus.

Tandem, diuitias omnes facilè prodigunt ac dilapidant peccatores obstinati, dummodò suos præposteros expleant ac saturent appetitus. Proni erant & effrænes Israëlitæ ad vitulum fabricandum, quem loco Numinis adorarent: quid verò Aaron, vt ab hac eos insania coërceret? *Tollite*, inquit, *inaures aureas de vxorum, filiorúmque & filiarum vestrarum auribus; & afferte ad me.* Exod. 32. num. 2. Ad hunc enim scopum collimasse Aaronem, vt furentem populum reprimeret, & venenum idolatriæ veneno auaritiæ curaret, testatur Theodoretus quæst. 66. *Primum*, inquit, *eorum impetum verbis reprimere tentauit: vt autem vidit, eos nulla ratione adduci posse; postulauit à mulieribus ornamenta aurea; affectum affectu repellens: nempè, cupiditatem pecuniæ & ornamentorum, opponens insano Dæmonum cultui.* Consentit D. Augustinus quæst. 141. in Exod. *Quòd*, inquit, *Aaron iubet inaures demi ab auribus vxorum atque filiarum, vnde illis faceret Deos; non absurdè intelligitur, difficilia præcipere voluisse, vt hoc modo eos ab illa intentione reuocaret.* Oleaster non solum inaurium meminit, sed etiam monilium: *Iussit*, inquit, *sibi inaures afferri: vt populus dispendium monilium considerans, à peccato cessaret.* Quod fortè desumpsit ex Tertull. libr. contra Iudæos, cap. 1. vbi non solùm meminit monilium, sed etiam annulorum. Quin etiam D. Ambrosius epist. 56. ad Romulum, annulos cum inauribus recenset. Certum igitur est, optima quæque ornamenta ab Aarone postulata; vt ea offerendi difficultatem augeret. Immò hanc difficultatē pluribus circunstantiis exaggerare voluit Aaron, vt obstinatos ad idololatriam animos refrænaret. Prima, quia non postulauit argentum, sed aurum: quod erat pretiosius. Secunda, quia non quodcunque aurum postulauit; sed inaurium: quod, vt habet Interl. *Erat purius & charius.* Tertia, quia non quascunque inaures, sed vxorum & filiorum ac filiarum postulauit; quas non poterant non in medium difficillimè conferre; ne grauiter offenderent, quos singulariter amabant; vt Lyranus obseruauit. Et nihilominus populus sic erat ad idololatriā obfirmatus, vt his difficultatibus non obstantibus; quidquid iusserat Aaron, quàm primùm exequerentur. Addit verò Abulensis quæst. 10. has inaures, inuitis filiis ac filiabus, saltem paruulis, nondum in parentum studium conspirantibus, ereptas esse: & fortasse tanta violentia, vt priùs cruentarentur aures, quàm inaures auferrentur. Sic Hebræi ad idololatriam proni, contumaces ac præcipites ferebantur; vt nec indulgendum filiis, quos vnicè diligebant; nec parcendum pecuniis, quas auarissimè conseruabant, existimarent.

Theod.
Veneno auaritiæ, idololatriæ curatur venenum.

D. August.

Oleast.
Gula auaritia potest homines à peccato coerceri.
Tert.

D. Ambr.

Non potuit obstinatos tamen Israëlitas ab idololatria retardare.
Lyran.

Abul.

XI.

Non minor fuit in prodigo filio ad sua scelera obstinatio: quia non tantum ornamenta aurea, sed omnem omninò substantiam, quam à patre postulauerat, *dissipauit, viuendo luxuriosè.* Luc. 15. num. 13. Cuius prodigam effusionem perstringens D. Petrus Chrysol. serm. 1. *Congregauit*, inquit, *bona patris: & abiit longè plus mente, quam loco: vt dato, non accepto pretio, misera se traderet seruituti.* Nam alij mercenarij, seruiendo, lucrantur; hic autem suas opes dissipando, seruiebat: tam pertinax in peccati seruitutem ferebatur, vt pro illa stipendiū, non exigere, sed soluere videretur. Nihilo moderatior Esaü, tam vile sui ventris mancipium, vt pro vna esca venderet primogenita sua: *Et sic accepto pane, & lentis edulio comedit & bibit, & abiit paruì pendens, quòd primogenita vendidisset.* Genes. 25. num. 34. Quis non miretur tam præcipitem ad suum appetitum explendum auiditatem: vt pro tantulo victu, tantum à se patrimonium alienaret? Certè hæc vna cupiditas sua eum fecit primogenitura indignum; vt Procopius interpretatur. Qui enim tam vili appetitui seruiebat: dignus non erat, qui sublimiori fortuna vteretur. Maiori intemperantia vsus Adam, totas terrestris Paradisi diuitias ac delicias, pro vno pomo distraxit ac dissipauit. In quem proinde inuehitur Tertull. lib. aduersus Psychicos, cap. 3. *Facilius, inquiens, ventri, quam Deo cessit: pabulo potiùs, quam præcepto annuit: salutem gulæ vendidit.* Recordatione dignum est, quod refert Plutarchus in Apophthegmatis, Lysimachum in Thracia cum Dromacheta decertantem; tandem sitis vi adactum, se suúmque exercitum pro vno aquæ cyatho hosti tradidisse: sed postquàm bibit, suámque seruitutem, in quam se coniecerat, agnouit,

D. Chrys.
Obstinati animi prodigus, pretio emit seruitutem.

Quàm cæca explendi appetitum auiditas.

Procop.

Tert.
Adamus, vt suum expleret, sibi potiùs paruit, quàm Deo.
Plutarch.

agnouit, doloris impatientem exclamasse: *O Dij, quam parue voluptatis causa me ipsum ex Rege seruum effeci!* Sic aliquando serò sapiunt peccatores, cùm in prauas appetitiones effusi, bonorum suorum temporalium, & quod deterius, spiritualium iacturam experiuntur, & pro vili quodam emolumento, immensa quædam detrimenta subiisse indignantur.

Sera pœnitentia post bonorum omnium iacturam.

SECTIO IV.

Peccatores obstinati, ne propriis quidem commodis ad suorum scelerum pœnitentiam inducuntur.

I. PEssima hæc est peccatorum obstinatio, vt nec per damna à peccatis resipiscant; nec per commoda ad pœnitentiam inducantur: sed vtrouis modo, siue duriter, siue leniter tractentur; suis semper sceleribus pertinaciter adhærescant. Tales fuerunt Israelitæ, quos Samuel deterrere voluit ab illo nouo statu sub Rege, quem postulabant; proponendo illis innumera detrimenta sub eo deuoranda: & quos inuitare voluit ad statum sub Iudicibus, in quo Deo Iudice, seu Rege fruebantur; proponendo illis innumera emolumenta, quæ in eo, vt eatenus experti fuerant, in posterum obtinerent. Et nihilominùs nec malorum metu, nec bonorum spe suam contumaciam exuerunt. Similes profectò Regi Achabo, quem Helias, nec per supplicia, nec per beneficia à peccandi contentione reuocauit: vt rectè obseruat D. Ambr. in enarratione Psal. 35. ad illa verba: *Noluit intelligere, vt bene ageret. Debuit*, inquit, *intelligere Achab: quòd Helias vero Deo seruiebat; cùm videret in verbo Heliæ clausum cœlum tribus annis, & tribus mensibus: & ad preces eius pluuias esse demissas, vt arida omnia rigarentur. Sed noluit intelligere, ne perfidiam condemnaret, sequeretur fidem.* Igitur in præcedenti Sect. illustrata est Hebræorum contumacia, non curantium damna, quæ illis sub nouo Rege incurrenda Samuel prænuntiabat. In præsenti eorundem contumacia ostendetur, contemnentium ea commoda, quæ illis sub Iudicibus fruenda Samuel proponebat.

Confirmatur primò Hebræorum exemplo.

D. Ambr.

Confirmatur secundò exemplo Achabi.

II. Sic igitur mihi videtur Samuel suos Hebræos à præpostera Regis petitione dehortatus. Vter status, ô Hebræi, vobis beatior ac fortunatior videtur? Illéne, quem sub Deo Principe nunc habetis: an ille, quem sub Rege homine in posterum speratis? Quis, obsecro, nisi prorsus amens, dubitabit, quantò Deus excellentior est homine; tantò hunc statum sub Deo Principe feliciorem quodammodo esse, quàm illum sub Rege homine transigendum? In vno quidem Deo seruitis; in altero autem homini seruietis. Hæc seruitus sordida est, & indecora: illa tam honesta & gloriosa, vt nihil in hac vita honestius ac gloriosius inueniri posse videatur. Cur igitur gloriosam sub Deo seruitutem contemnitis, & indecoram sub homine desideratis? Cuius argumenti vis vt illustrior euadat; paulisper expende, quanta sit diuinæ seruitutis gloria & honestas. Ne Poeta quidem eatenus hoc ignorauit, dicens:

Inducitur Samuelis cum Hebræis colloquium.

Libertas nulla est melior, maiórve potestas,
Quàm seruire Deo.

Quanta sit diuinæ seruitutis gloria ostenditur.

Vnde quicunque Dei seruus est & dicitur; augustiori, quàm dici potest, titulo insignitur. Moyses olim apud suum populum magna potuit Infamia laborare, duplici nomine: vno, ex culpa incredulitatis, quam incurrit: altero, ex pœna capitali, quam sustinuit in deserto, quin ad Terræ promissæ ingressum admitteretur; iuxta illud: *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Num. 20. num. 12. Quæ igitur gloria tantam Moysis infamiam elueret & oblitteraret? Nulla profectò aptior, quàm si Dei seruus diceretur. Bis igitur Dei seruus appellatur: semel, Deuter. 34. num. 5. *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino.* Iterum, Iosu. 1. num. 2. Vbi Dominus ad Iosue: *Moyses*, inquit, *seruus meus mortuus est.* Quasi diceret, vt Caietanus in locum Iosuè citatum obseruat, *Mortuus est in statu seruitutis mea: quidquid erat, quidquid operabatur, meum erat: seruus enim, totum, quod est, Domini est.* Qui igitur propter culpæ & pœnæ infamiam à Deo alienus putaretur; propter excellentem huius nominis gloriam iustissimus existimatur. Vnde D. Chrys. hom. 1. in Epist. ad Romanos, *Iudæi*, inquit, *omnes serui erant: sed præcipuè Moyses, vita & moribus elucescens.*

Moyses bis vocatur seruus Dei, vt hoc nomine tota vitæ infamia aboleatur.

Caiet.

D. Chrys.

III. Suam Deo operam ad templum ædificandum præstabat olim Dauid: quam Dominus tamen non admisit; renuntians ei, vt hanc curam deponeret: hoc obsequium non ab ipso Rege Dauide, sed ab eius filio Salomone exhibendum. Quis hæc audiens non putaret, Dauidem à diuina beneuolentia cecidisse, cuius munus Deus non acceptasset? Quis Regem, vt à Deo reiectum non despiceret, cuius donum despicabile Deo videretur? Vnde fieri necesse erat, vt bonus alioqui, pius & religiosus Rex, non vulgari infamia, sed plane vehementi premeretur. Quid ergo Deus, vt Regem ab hac infamiæ nota vendicaret? Seruum suum appellauit. Nam ad Prophetam Nathan: *Vade*, inquit, *& loquere ad seruum meum David.* 2. Reg. 7. num. 5. certos, hoc nomine, quidquid infamiæ Dauid contraxerat, facile eradendum; & quidquid tristitiæ, seu doloris hauserat, illicò temperandum. Quod rectè Theodoretus ad eum locum quæst. 22. expendens: *Primùm quidem*, inquit, *eum deliniit appellatione seruitutis. Est autem summus honor nominari seruum Dei.* Tanta enim est huius appellationis gloria, tanta dignitas, tantus splendor, vt facilè omnes cuiuscunque infamiæ tenebras illustret, & omnes cuiuscunque tristitiæ molestias abstergat. Danielem, Rex Darius in lacum leonum inuitus inclusit; & inclusum alloquutus, *Daniel*, inquit, *serue Dei viuentis.* Daniel. 6. num. 20. Vbi Theodoretus, *Ipsum*, inquit, *non suum, sed Dei seruum appellat.* Credo, quia, cùm Danielem iniqua & indigna patientem consolari vellet & honorare; alium modum, quo id perficeret, non inuenit aptiorem, quàm Dei seruum nuncupando. Nam, vt bene Diuus Ambrosius libr. De Paradiso, cap. 4. *Religiosa*, inquit, *seruitus subdita Dei verbo, multo melior est, quàm seculi libertas.* Vnde Danielem non tam Regi, quàm Deo seruientem Babylonius lacus includebat, *captiuum quidem casu, animo vero ac proposito liberum.* Vt Diuus Basilius homil. 8. in diuites auaros testatur. Tanta Danieli ex hac Dei seruitute dignitas & vtilitas contingebat.

Deus Dauidem seruum appellat, vt eum ab aliquali infamia liberaret.

Theod.

Seruum Dei nominari maximus honor.

Theod.

Danieles solatium fuit vocari seruum Dei.

D. Ambr.

Dei seruitus melior, quàm seculi libertas.

D. Basil.

IV. Parem tribus pueris honorem impertiit aliquando Nabuchodonosor. Nam, cùm in caminum inclusos, & inter flammas illæsos intueretur; accedens ad ostium fornacis ait: *Sidrach, Misach & Abdenago, serui Dei excelsi, egredimini, & venite.*

Nihil seruis Dei impossibile est.

D. Chrys.

& venite. Dan. 3. num. 93. Vbi D. Chrys. hom. 8. in Epist. ad Ephesios, miratur in primis Regis imperium, egredi iubentis, quos igneus murus includebat; sed statim ad potestatem diuinæ seruitutis recurrens, omnia seruis Dei possibilia esse testatur: *Quomodo*, inquit, *vocas eos? Iam praueniens dixi: Serui Dei altissimi: seruis enim Dei omnia possibilia sunt. Nam, si quidam, quòd hominum serui sint, in rebus ipsorum non parum possunt, dominantur & disponunt: multò magis serui Dei.* Deinde singularem illius appellationis suauitatem expendens: *Suauissima*, inquit, *voce illos appellauit: hoc ipso illos potissimum blandiendo veneratus est. Si enim ideò ignem ingressi sunt, vt serui Dei manerent; non potuit illis vox alia suauior esse, quàm hæc ipsa. Nam non ita gauisi fuissent, si vel Reges eos, vel Orbis dominos vocasset; atque quod dixit, Serui Dei altissimi.* Vbi nota, hanc appellationem nō modò suauissimam esse, sed etiā nullo non pretio, seu nullo non periculo comparandam: siquidem hi tres pueri, vt D. Chrysost. obseruat, fornacem ignis ardentis libentes ingressi sunt, vt hanc diuinæ seruitutis appellationem quodammodo mercarentur.

Trium puerorū flāmas superauit nomē seruorū Dei.

D. Chrys.

V.

Dauid, cùm se gloriosum prædicabat, serui Dei nomen vsurpabat.

Sed & Dauid, vt se humiliter gloriosum prædicaret, sibi non tam Regis, quàm serui Dei nomen vsurpauit. Sic enim Psalmum 35. inscripsit: *In finem seruo Domini ipsi Dauid.* Vt de nulla re magis, quàm de hac diuina seruitute gloriari videretur. Quam proinde sæpiùs gloriabundus præferebat: *O Domine*, inquiens, *quia ego seruus tuus sum: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Psalm. 115. num. 16. Vbi se non modò seruum, sed etiam ancillæ filium appellat: vt se non modò voluntate, sed etiam quasi natura seruum, seu vernaculum significaret. Quasi diceret, inquit Diuus Chrysost. *A multis retrò seculis, à tempore maiorum meorum dicatus sum tuæ seruituti.* Vt enim Dei seruitus gloriosa est; ita gloriosior, quæ antiquior ac diuturnior. Vnde Diuus Paulus, vt notat idem Diuus Chrysost. *Posuit in Timotheo pro maximo ornamento* hanc diuinæ seruitutis antiquitatem: *Recordationem*, inquit, *accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta; quæ & habitauit primùm in auia tua Loide, & matre tua Eunice: certus sum autem, quod & in te.* 2. Timot. 1. n. 5. Quasi nulla esset syncerior & gloriosior Dei seruitus, quàm quæ à maioribus traheretur. Immò & ipse D. Paulus, vt se diuinæ legis professorem non nuperum ac nouitium; sed diuturnum ac veteranum indicaret: *Hebræus*, inquit, *ex Hebræis.* Phil. 3. num. 5. Vt enim multùm ex hac seruitute diuina: ita plurimùm ex illius antiquitate gloriabatur. Hinc Moyses suum populum hortabatur, dicens: *Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Ægypti; vt haberet populum hæreditarium.* Deut. 4. num. 20. Id est, inquit ibi Lyran. *immobiliter sibi adhærentem: sicut hæreditas est possessio immobilis.* Nā seruus mercenarius, qui temporarius est; & qua facilitate admittitur, eadem & dimittitur: tanti faciendus non est, quanti hæreditarios, qui in perpetuam se domini consectat seruitutem. Quo alludens Parœmiastes, *Amicum tuum*, inquit, *& amicum patris tui ne dimiseris.* Prou. 27. n. 10. Hoc est, amicum antiquum, & seruum veteranum. Hic enim dignior est, qui à suo domino beneuolentiùs tractetur. Hanc igitur ob causam se Dauid non modò seruum, sed etiam ancillæ filium nuncupabat: vt quò diutiùs, eò gloriosiùs diuinam seruitutem coluisse videretur.

Nō modò voluntate, sed natura seruū se profitebatur.

D. Chrys.

Dei seruitus quò antiquior, eò nobilior.

Quid seruus hæreditarius, quid mercenarius?

Seruus veteranus dignior, qui beneuolentius tractatur.

VI.

D. Paulus ad nobilissimum populum hoc nobilissimum titulum vsurpabat.

Iam verò D. Paulus hunc suis Epistolis titulum præfigebat, præsertim in Epistola ad Romanos: *Paulus seruus Iesu Christi.* Hoc sanè mysterio, vt

A nobilissimo populo nobilissimum titulum proponeret: ne Romanorum fastus ex contemptibili Doctore in doctrinæ contemptum deueniret: sed potiùs ex Prædicatoris dignitate, dignitatem prædicationis veneraretur. Quod D. Chrys. in hom. 8. ad Ephesios iam citata, rectè expendens, *Paulus*, inquit, *cū scriberet vrbi adeò magnæ, Orbis, videlicet, dominium gerenti, & de magnis dignitatibus glorianti ac superbienti; tanquàm quod ad illius dignitatem responderet: immò, quod multò esset maius incomparabiliter, & consulatum excederet, & regnum, & Orbis principatum; hoc posuit, nempe, Paulus seruus Iesu Christi.* Quasi ex tituli huius splendore illa vana Romanorum iactantia deprimeretur. Sic & Iacobus suam Epistolam exorsus, *Iacobus*, inquit, *Dei & Domini nostri Iesu Christi seruus.* Iacob. 1. num. 1. Vt ab hoc titulo suam maximam dignitatem inculcaret. In quem locum Didymus, *Sicut mortales*, inquit, *gloriam hominum appetentes, in suis conscriptionibus, dignitates, quas putant habere, præponunt: ita sancti viri in epistolis, quas scribunt ad Ecclesias; principaliter proferunt, se seruos esse Domini nostri Iesu Christi; æstimantes hanc appellationem supra regna totius mundi consistere.* Mitto alia loca, quæ ad hanc rem confirmandam, facilè occurrent. Ex quibus patet, quantam gloriam obtineant, qui in Dei seruitutem consecrantur.

D. Chrys.

Solo Pauli titulo tota Romanorum maiestas deprimebatur.

D. Iacobus hoc nomine suam etiam dignitatem inculcauit.

VII.

Ex dictis colligitur Hebræorum in peccato obstinata voluntas.

Vnde facilè colligitur obstinata Hebræorum in suis sceleribus voluntas: quibus cùm tam gloriosa sub Deo seruitus proponeretur, nihilominus eam potiùs abiecerunt, quàm suam effrænatam libidinem seruiendi homini Regi, quem totis studiis postulabant. Quid insanius & obstinatius, quàm gloriosam seruitutem cum ignominiosa commutare? Inter alia, quæ in suo Cantico, Barac & Debora cecinerunt; illud mysterio non caret: *Noua bella elegit Dominus.* Iud. 5. n. 8. Sixtiana & Complutensia exemplaria longè aliter: *Elegerunt Deos nouos*; seu, vt alij habent: *Deos vanos*: fortassè propter similitudinem Græci vocabuli, vna tantùm diphthongo differentis: nam *κενὸς*, id est, nouus; at verò *κενὲς*, id est, vanus: quod etiam suo mysterio non vacat; cùm nouitas & vanitas, sicut voce, ita & sensu, parum distinguantur. Addunt D. August. quæst. 30. & Theodoretus q. 11. *Elegerunt Deos nouos, sicut panem hordeaceum.* Vbi Theodoretus stultam electionem expendens, *In quo*, inquit, *summam illorum amentiam per similitudinem arguit: vt enim compos mentis non habetur is, qui triticeis panibus hordeaceos anteponit; ita supra modum stupidus est, qui falsos Deos vero Deo præfert.* Immò D. August. rectè addidit, longè intolerabiliùs insanire eos, qui vanos Deos præ vero eligerent, quàm qui hordeaceum panem præ triticeo optarent: *Cùm panis*, inquit, *hordeaceus, quamuis sit in comparatione tritici, panis abiiciendus; tamen etiam ipse pascat, & vitale alimentum sit: Dij autem noui, quos dicuntur elegisse, qui defecerunt à Deo viuo; non possint in alimentis animæ deputari, sed potiùs in venenis.* Non minori vitio obstinatæ voluntatis excæcantur, qui gloriosa Dei seruitute penitùs contempta, semetipsos in vilissimam hominum, immò Dæmonum abiiciunt clientelam.

Stupidus est & insanus, qui falsos Deos vero Deo præfert.

D. August.

Theod.

S. August.

Discrimen inter falsos Deos & Deū verum.

VIII.

Nihil amentius, quàm Deū abiicere, & sub peccati tyrannide viuere.

Optima illa est Apostoli præceptio: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius.* Rom. 6. n. 12. Hoc est: Non eligatis vobis peccatum in Regem, qui vobis sponte volentibus ac lubentibus dominetur. Quid enim amentius esse potest, quàm mitissimum Regem Deum abiicere; & durissimum tyrannum

peccatum, seu Dæmonem præoptare? Quam peruersitatem D. Chrys. hom. 11. ad eum locum maximè detestatus: *Non dixit*, inquit, *ne tyrannidem agat, quod ipsum necessitatis est; sed ne regnet, quod est voluntatis. Etenim absurdum planè, atque indecens est, ad cælorum Regnum vocatos pro Regina peccatum habere: vocatos, vt cum Christo regnent, peccati captiuos esse malle. Perinde ac si quis diadematè à capite abiecto; intemperiis actæ mulieri, mendica, ac pannosa seruientem seruire velit.* Absit igitur, vt quis proposito sibi regno cælorum, in quo regnet; se abiiciat in regnū vitiorum, in quo vnctus & captiuus teneatur. Serui quōdam dominorum suorum nomina frontibus inscripta præferebant. Vnde Plinius lib. 18. cap. 3. loquutus de atuis, quæ olim ab Imperatoribus; suo verò tempore à seruis colebantur: ab hoc signo ita seruos describit: *At nunc*, inquit, *eadem illa vincti pedes, damnati manus, inscripti vultus exercent.* Et Philosophus Seneca epist. 35. ostendens, se nullius sectæ Philosophiæ seruum esse, nulli se magistro, tanquàm domino addixisse: *Non enim me*, inquit, *cuiquam mancipaui; nullius nomen fero.* Vnde serui *literati* dicebantur, teste Rhodigino, lib. 7. cap. 31. quibus hæ in frontibus literæ inurebantur. Igitur malarum serui cupiditatum, frontibus suis præferunt, vt loquitur Philo Hebræus lib. Quòd mundus sit incorruptibilis, sub initium, *Vitiorum stigmata vix eluibilia.* Vnde draco ille polycephalos, seu multorum capitum, hoc est, Diabolus, seu Antichristus, seu quisquis alius tyrannus, super capita sua gerebat *nomina blasphemiæ*. Apocal. 13. num. 1. Hoc est, nomina vitiorum, quibus tanquàm vile mancipium seruiebat. Contrà verò, qui Deo seruiunt, eius nomen in frontibus gerunt. Sicut olim Summus Sacerdos in lamina aurea, super tiaram pontificiam, *Sanctum Domino*, hoc est, nomen Dei ineffabile præferebat. Exod. 28. num. 36. vt se seruum illius, cuius nomine insignis erat, profiteretur. Sic Apostolus à Deo eligitur: *Vt portet*, inquit, *nomen meum.* Act. 9. n. 15. & quæcunque terrarum euagetur, ex Domini sui nomine fidelis eius seruus agnoscatur. Sic tandem in cælesti Curia felicia illa Virginum agmina habebant *nomen eius, & nomen Patris eius scriptum in frontibus suis.* Apoc. 14. n. 1. vt gloriosum Domini nomen eximium seruorum gloriam coronaret. Itaque sui quisque Domini nomine insignitur. Quanta igitur insania, vt malint peccatores obstinati, Dæmonis, quàm Dei nomine consignari: & se non tam Dei, quàm Dæmonis, ac peccati seruos profiteri?

S. Chrys. — *Serui olim dominorum nomina præferebant, in fronte.* — *Plin.* — *Senec.* — *Rhod.* — *Serui literati ad est, literis inusti.* — *Qui peccato seruiunt eius nomina gerunt in frontibus, vt stigmata.* — *Dei serui sā-ctissimum nomen eius in fronte portant.*

IX. Prima opera Regis Ioachin cùm Scriptura in compendium, seu epilogum conferret, *Reliqua autem*, inquit, *verborum Ioachin, & abominationum eius, quas operatus est, & quæ inuenta sunt in eo, continentur in libro Regum Iuda & Israël.* 2. Paralip. 36. num. 8. Vbi Lyranus, Magister historiæ, Peretius lib. 1. in Danielem, sub initium, & alij ex Hebræis referunt, in cadauere huius Regis inuentas fuisse quasdam notas impressas, & quædam stigmata inusta in honorem Deorum suorum, quorum ipse adhuc viuens se stigmaticum seruum profitebatur. Quid miserius & infelicius, quàm Regem diademate coronatum, eò se abiecisse, vt stigmaticum Diaboli mancipium redderetur. Contrà verò Diuus Paulus, *De cætero*, inquit, *nemo mihi molestus sit: ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Galat. 6. num. 17. Hoc est, vulnera, plagas, vibices, cicatrices, quas pro Domini sui amore fortiter & constanter tolerabat. De his enim non minùs, quàm

Rex Ioachin fertur idolorum stigmaticus. — *Lyran.* — *Mag. hist.* — *Per.*

A de laureis & coronis, gloriabatur. Quod expendens D. Chrysostomus: *Non dixit*, inquit, *habeo stigmata, sed porto; tanquàm aliquis glorians de trophæis, signisque regalibus.* Si igitur Rex Ioachin & Paulus comparentur, ille Dæmonis, hic Iesu stigmata præferentes; quis non videt, quantò felicior & gloriosior Paulus censeatur? Paulus sub Christi seruitute gloriabundus exultat: Ioachin sub Diaboli tyrannide perpetuo mœrore contabescet. Quis ergo sic insaniat, & suis peccatis sic pertinaciter adhæreat, vt malit sub infami tyrannide seruire, quàm sub gloriosa seruitute triumphare?

D. Chrys. — *Rex Ioachin & Paulus inter se conferuntur.*

X. Nihilò Rex Achaz minùs insaniit, dum verum Deum, sub quo feliciter regnare poterat, contempsit, & malos Dæmones elegit in Deos, sub
B quibus atrociter vapulabat. Templum Domini propriis ornamentis denudauit, vt iis palatium Regis Assyriorum locupletaret. Sed neque à variis Regibus, neque à falsis Diis, auxilium, quod sperabat, impetrauit. Vtrunque enim Scriptura expressit: *Achaz*, inquit, *spoliata domo Domini, & domo Regum & Principum; dedit Regi Assyriorum munera: & tamen nihil ei profuit.* 2. Paralip. 28. num. 21. Nec immeritò. Nam, qui profanum cultum diuino antepofuit; qui domesticos exuit, vt alienos indueret; qui maluit externo Regi laboriosè seruire, quàm suis subditis gloriosè imperare; dignus planè fuit, qui suorum beneuolentiam amitteret, & externorum non inueniret. *Insuper*, addit Textus, *& tempore angustiæ suæ auxit con-*
C *temptum in Dominum. Immolauit Diis Damasci victimas percussoribus suis, & dixit: Dij Regum Syriæ auxiliantur eis; quos ego placabo hostiis, & aderunt mihi: cùm è contrario ipsi fuerint ruina ei & vniuerso Israël.* Ibidem, num. 22. & 23. Vbi vides obstinatum peccatorem, eò insaniæ & contumaciæ prolapsum esse, vt contempto Deo benefactore suo, Dæmones percussores suos honoraret. Verberari à Dæmone malebat, quàm à Deo coronari: illa flagella adorabat, hæc dona fastidiebat. Miserum sanè caput, quod sua sic insania excerebrabat; vt mallet sub diabolicis plantis crudeliter tundi, quàm inter diuinas vlnas molliter foueri.

Rex Achaz, idolis seruiēs, nullum ab eis auxilium impetrauit. — *Obstinatus Achab, maluit à Dæmone verberari, quàm à Deo coronari.*

XI.
D Quem tam peruersa insania abripuit, acriter pungit illa prophetica interrogatio: *Vbi sunt Dij, quos fecisti tibi? Surgant, & liberent te, in tempore afflictionis tuæ.* Ierem. 2. num. 28. Et illa rursus prophetica irrisio: *Cùm clamaueris, liberent te congregati tui. Et omnes eos auferet ventus, tollet aura.* Isai. 57. num. 13. Tandem illa, quæ ad hunc locum propior accedit, vehemens expostulatio: *Vbi est Rex tuus? Maximè nunc saluet te in omnibus vrbibus tuis: & Iudices tui, de quibus dixisti: Da mihi Regem, & Principes.* Oseæ 13. num. 10. Quibus locis meritò arguitur peccatorum obstinata duritiès, qui ad vanas spes sub Diabolo implendas anhelabant; & res ipsas sub vero Deo possessas contemnebant: tandem suo malo experti, se mise-
E rabiliter, & veris possessionibus exutos, & vanis promissionibus frustratos. Absit ergo, vt qui Deo seruiunt, & illius diuitiis abundant, ad Diabolum transfugiant, sub perpetuis eius miseriis opprimendi. Absit, vt qui apud Deum conquiescunt, à fructu frumenti, vini & olei multiplicati, adhuc vlteriùs perperam cupidi, inanium rerum desideriis teneantur, dicentes: *Quis ostendet nobis bona?* Psalm. 4. num. 6. Quod non nisi ab ingratissimis hominibus dici potest, vt ibi Theodoretus obseruat: *Quoniam*, inquit, *etiam in manibus Dei munera ferentes, & magnificè eius bonis se dele*

Vanas sub Diabolo esse hominū spes, variis probatur locis. — *Maxima ingratitudo est diuinis beneficiis affluentes, inanium rerum teneri desiderio.* — *Theod.*

se delectantes; vt nihil recipientes, dicere audent: Quis ostendet nobis bona? Quid enim ingratius, quàm possessa Dei beneficia contemnere; & promissa à Diabolo lucra desiderare?

SECTIO V.

Peccatores obstinati in nullum non facinus effusis habenis effrænantur.

I. *Probatur primo Hebræorum exemplo.*

VLtima humanæ prauitatis & obstinationis linea, hæc est, vt à nullo scelere abstineant peccatores; in nullum non facinus præcipites effundantur. In hanc mihi videntur hoc loco Israëlitæ excurrisse: quos nulla rationis & persuasionis fræna comprimere & retardare potuerunt, quominùs liberè transilirent; & quò temeritatis impetus ferret, euagarentur. Vtinam tam multi non essent, in quibus hæc proteruia & contumacia expressa cerneretur. Sed, proh dolor! innumeri propè sunt, qui in tam prauum peccandi affectum obdurruerunt; quorum nonnullos breuiter perstringam.

II. In primis, illos ante diluuium peccatores ad peccandum obstinatissimos & effrænatissimos fuisse, sacra testatur historia: *Videns autem*, inquit, *Deus, quòd multa malitia hominum esset in terra; & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum* C *omni tempore*, &c. Genes. 6. n. 5. Vbi D. Chrysost. homil. 22. duplex signum vniuersale expendit: *Cuncta cogitatio, & omni tempore.* Et in vtroque magnam emphasim positam esse dicit; quòd nulla prorsus cogitatio vacaret à crimine; nullum tempus à peccato abiret immune. Deinde obseruat, non de nihilo dici cogitationem *cordis*; sed multum esse momenti in hoc verbo: *Non enim*, inquit, *ex subreptione hoc illis accidit; sed in corde cogitant, & per singulas horas voluunt; & magno studio omnem suam vitam in hoc impendunt.* Quod Theod. quæst. 47. in Genes. clariùs expressit, transferens: *Vnusquisque meditatur in corde suo studiosè ad mala peragenda vniuersos dies*, &c. Et locum statim commentatus, *Diuinus*, inquit, *sermo non simpliciter peccatum eorum damnat; sed cura & studio quæsitam iniquitatem reprehendit.* Et rationem reddit: Quia, qui à nequitia per mentis ignauiam vincuntur; quandam habent excusationem: *Qui verò*, inquit, *declinant ad malitiam, subseruire facientes affectionibus rationem; vt etiam excogitent alias nequitiæ ideas, & hoc non semel, aut bis, sed per totam vitam: qua venia digni sunt?* Itaque tam proni & effusi erant ad peccandum; vt ne momento quidem à peccato interquiescere viderentur.

D. Chrys. *Peccatorum nulla cogitatio, nullum tempus à peccato immune.*

Theod.

Dãnat Deus peccata cura & studio quæsita.

III. *Peccatores velut effrænes equi feruntur in peccata.*

Nihilò moderatiores fuerunt viri Sodomorum, pro quibus liberandis de potestate quatuor Regum, à quibus victi fuerant, vnus Abraham acriter decertauit: *Reduxitque*, inquit Textus, *omnem substantiam, & Lot fratrem suum*, &c. Gen. 14. n. 16. Septuaginta addunt: *Reduxit omnem equitatum Sodomorum.* Vnde supponunt, Pentapolitanos illos ciues multis equis abundasse. Nec sine mysterio. Nam equi effrænatos in sua scelera peccatores repræsentant, iuxta illud: *Equi amatores & emissarij facti sunt. Vnusquisque ad vxorem proximi sui hinniebat.* Ierem. 5. num. 8. Igitur Sodomorum ciues equis abundabant; in symbolum prauarum cupiditatum, quas habebant, à quibus effrænatè; tanquàm fusis habenis, in sua scelera ferebantur. Rem egregiè notauit, & mysticè expendit D. *Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.*

A Ambros. lib. . De Abraham, cap. 7. *Reduxit omnem equitatum*, &c. *Hoc est*, inquit: *Habenas tenuit, frænarationis imposuit, reuocauit culpam, strauit errorem.* Et statim effrænatum appetitum cum equo conferens: *Equus enim*, inquit, *stare nescit, velox ad impetum, ceruicem exaltans suam, hinniens ad libidinem. Quid tam simile peccati? Feratur enim primo culpa impetu, & omnem recti cogitationem praueniens: motuque immaturo exilit, vt tam difficile ratio reuocare possit. Fertur in praeceps, & ascensorem eius proiicit in mare istud huius seculi, ceruice tumida recusans iugum correctionis.* Infelix sine dubio peccatorum conditio, qui belluinam non modò stoliditatem; sed etiam ferocitatem ac tementatem imitantur.

D. Ambr. *Effrænatus appetitus cũ equo aptè confertur.*

IV. Ad idem mysterium indicandum pertinebat B illa lex de boue cornupeta occidendo: *Si bos*, inquit, *cornu percusserit virum, aut mulierem, & mortui fuerint; lapidibus obruetur, & non comedentur carnes eius.* Exod. 21. num. 28. Et multò magis ea pœna infligebatur, si bos non semel tantùm, aut casu; sed frequenter & indomitæ naturæ impetu percussisset: vt statim apertius declaratur: *Si bos*, inquit, *cornupeta fuerit ab heri & nudius tertius*, &c. Ibidem, n. 29. Hoc est: si diuturno ferociendi vsu fuerit assuetus. Cuius legis seueritas instituta est in odium homicidij, vt Interpretes communiter aduertunt. Vnde Theod. q. 49. *Lex*, inquit, *iubet occidi taurum cornupetam; vt ex animalibus irrationalibus doceat homines rationales, quam graue scelus habeatur homicidium.* Eius verò carnes C & a communi & à sacro conuiuio arcebantur; ea de causa, vt notat Philo Hebr. lib. De specialibus legibus: *Quia non est*, inquit, *purus cibus hominis, animal, quod interfecit hominem.* Quasi periculum esset, ne cibus homicidio infectus vllam contagionis labem in hominem comedentem transferret, qua & ipse corrumperetur. Vel etiam ea de causa, interprete Lyrano, vt ex iactura illius carnis nullis vsibus applicatæ, sed in putredinem abire permissæ, dominus bouis, qui eius ferociam non compresserit ac frænauerit, punitetur. Itaque ad detestandum homicidium, iuxta communem Interpretum sensum, tota huius legis seueritas spectabat. Addo, eò etiam pertinuisse, vt obstinati peccatoris licentiam & contumaciam D condemnaret. Quid enim similius tauro cornupetæ, quàm homo ad peccandum effrænatus? Nam, vt ille nullis vinculis coërcetur: sed mugitus in prælia, teste Mantuano, 12. Æneid.

Bouẽ assiduè cornupetam occidi iubet Deus.

Theod. *Quàm graue sit homicidij scelus?*

Philo. *Cur caro bouis hominem occidentis interdicentur?*

Lyran.

Homo ad peccandum effrænus boui similis cornupeta.

Virg.

Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat
Arboris obnixus trunco, ventósque lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.

Ita planè & hic sæuit, ferocit, inuehitur, præcipitatur, nullis humani ac diuini Iuris repagulis in officio continetur. Paribus igitur ille bos, & hic peccator digni sunt pœnis, qui pares in tumultus, & paria in præcipitia ferebantur.

V. Hæc illa fuit Absalonis contumacia, sic in parricidium propensi, vt nulla eum, aut diuina lex, aut naturalis vix à tumultuando ac rebellando in B parentem refrænaret; vt videre est, 2. Reg. 15. à n. 10. Vnde D. Chrysostomus ser. De Absalon, in 1. tomo, iuuenem contumacem, non tam gratiæ quàm naturæ ipsius ore quodammodo alloquutus: *Vbi iam*, inquit, *solatium patres, vbi præsidium genitores inuenient, si filios senserint parricidas? Aut quando externa tuta sunt, si domestica nobis obsistunt? Bestiæ & muta pecudes pietatis iura conseruant: & quibus natura denegat rationem, non tamen denegat pietatem.* Atque hinc optimum exemplum ad illum contumacem animum emolliendum mutuatus, *Cessa iam*, inquit, *ab isto scelere, cessa: ne te*

Absalonis in parricidium propensio exprimitur.

D. Chrys.

Natura quibus denegat rationem, non negat pietatem.

 boni

boni omnes semper exhorreant: ne audaces ex te, quod non nouerant, discant. Cessa, inquam: ne quis post te tantum facinus perpetrare, te vtatur auctore. Cur mundo nouum facinus tradis? Cur doces, quod natura non nouit? Cur cupis, quod pietas ipsa horrescit? Verùm tota hæc in vanum abiit persuasio. Solas aures pepulerunt hæ voces, in animum non irrepserunt. Vnde pergit Diuus Chrysostomus: *Parricida furor non minuitur, non frænatur. Ardescit in peius, in maius accenditur. Cupit facinus conceptum festinanter implere: desiderat scelus dispositum instantissime perpetrare. Properanti ad nefas tarda sunt cuncta: properantem ad facinus videntur remorari disposita. Cupit parricidium antè complere, quàm gerat: festinat patrem ante intercipere, quàm occidat. Timet differre vel modicum: ne aut ira remorata deficiat: aut furia dilata languescat.* Hæc ille, sicubi alias, elegantissimè.

Similes, non semper sceleris authores.

D. Chrys.

Effrenata peccatoris celeritas eleganter exprimitur.

VI. Hunc in peccatorem sic in scelera obduratum inuehitur Eliphaz, dicens: *Abominabilis & inutilis homo, qui bibit, quasi aquam, iniquitatem.* Iob. 15. num. 16. Sed, quid est, quasi aquam, iniquitatem bibere? An facilè peccare? quia aqua faciliùs bibitur, quàm esca manditur: immò & minori pretio, quàm vinum comparatur? Ita plerique Interpretes. Sed aptiùs ad rem præsentem ex Lyrano, sicut aquam, iniquitatem bibere, est, effusè sine vllo timoris fræno, in omne facinus præcipitari: *Iniquitatem*, inquit, *sicut aquam, bibit, qui committit peccata absque fræno timoris. Ille enim, qui bibit vinum, quia timet inebriari, bibit temperatè: sed bibens aquam; hoc non timet: propter hoc non curat de tali temperamento.* Abominabilis igitur est peccator, qui nullo metu à peccando coercetur; sed summa licentia ad omne flagitiorum genus euagatur. Expressiùs hunc peccatorem suis coloribus depinxit idem Eliphaz paulò inferiùs: *Tetendit*, inquit, *aduersùs Deum manum suam: & contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit aduersùs eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est.* Iob. 15. num. 25. & 26. Vnde, interprete Olympiodoro, rectè comparat hominem ad peccandum obstinatum, cum milite fortiter animato ad pugnandum. Vt enim hic in eodem semper vestigio consistens præliatur; nec inde vllis hostium viribus dimouetur; aut, si mutandus est locus, nunquàm retrorsum cedit; sed potiùs semper prorsum irruit audax contra omnia arma, contra omnia iacula intrepidus: ita & ille malo semper proposito adhærescens, obstinatissimè peccat, nunquàm in melius reuocari se sinit; quidquid minarum, quidquid terrorum obiiciatur, facilè transilit & contemnit. Cum ipso Deo admonente & corripiente & puniente, nimis impudenter & pertinaciter contendit.

Homines qui facilè labuntur in peccata.

Lyran.

Iniquitatem sicut aquam bibere, est esse effrenem in peccando.

Olymp.

Effrenati peccatores cũ milite fortiter armato in bello comparantur.

VII. Abrahamum singularis erga Deum reuerentia & obedientia eò perduxit; vt Deo vnicum filium, quem vnicè diligebat; si non effectu ipso, saltem affectu immolarit. Genes. 22. num. 10. Sed obstinata peccatorum voluntas omnia recta deprauantium; & optimis exemplis ad pessima scandala abutentium, plus in malum defecit, quàm germana pietas in bonum profecisset. Nam hæc vnum Deo, illa plures Diabolo immolauit, iuxta illud: *Immolauerunt filios suos & filias suas dæmoniis. Et effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.* Psal. 105. n. 37. & 38. Vbi Lyranus, hanc obstinatissimam ad peccandum voluntatem detestatus: *Vehementia*, inquit, *fuit peccati idololatria in filiis Israël, qui non solùm immolabant Dæmoniis animalia, sed etiam prolem suam,*

Pietas Abraha vnũ Deo obtulit filiũ: peccatorum impietas Diabolo plures.

Lyran.

A

quam naturaliter diligunt & conseruant bruta animalia, quantumcunque ferocia. Execranda profectò ad peccandum procliuitas, quæ nullum non facinus, siue diuinæ legi, siue naturali appetitui contrarium aggrediatur. Vnde Dauid, *Astitit*, inquit, *omni viæ non bonæ.* Psalm. 35. num. 5. Dicitur in primis assistere, vt alij atque alij interpretantur; vel, quia de malo gaudet; vel, quia ad malum propendet; vel, quia malo patrocinatur; vel, quia in malo pertinaciter & immobiliter perseuerat. *Quasi iam dudum*, inquit ibi Diuus Ambrosius, *in via nequitiæ diuturna statione permaneat.* Deinde, quod deterius est, non vni tantùm malo, sed omni viæ non bonæ dicitur assistere & inhærere, quasi in plura corpora quodammodo diuidatur, vt per plura flagitia temerarius euagetur.

Bruta homines aliquando superant humanitate.

Quid sit assistere omni via non bona.

D. Ambr.

B

Et quidem non dicitur assistere termino non bono, sed viæ non bonæ: quia in quantiscunque peccatis perseueret, adhuc non quiescit, sed quasi in via esse videtur, vt ad multa alia progrediatur.

Peccator in plura corpora diuiditur, vt plura flagitia committat.

VIII. Celebre fuit illud supplicium, quod olim Christus Dominus templi profanatoribus inflixit. Nam ad illos de templo eiiciendos, fecit *quasi flagellum de funiculis.* Ioannis 2. num. 15. seu, vt legit D. Augustinus. Tract. 10. in Ioan. *De resticulis.* Et rationem mysticam reddit: *Etenim*, inquit, *vnusquisque in peccatis suis restem sibi texit.* Hoc est: Peccata peccatis in restem, qua stranguletur, annectit. Et confirmat ex Propheta: *Væ his qui trahunt peccata sua, sicut restem longam.* Isai. 5.

Peccator restẽ de peccatis nectit, qua strangulatur.

D. August.

C

n. 18. Sic enim legit D. Aug. quod paulò aliter in Vulgata reperitur. Et statim ad rem præsentem, de scelerum multiplicatione, quam obstinati peccatores efficiunt, interpretatur: *Quis*, inquit, *facit restem longam? Qui peccato addit peccatum. Quomodo adduntur peccata peccatis? Cum peccata, quæ facta sunt, cooperiuntur aliis peccatis. Furtum fecit. Ne inueniatur, qui fecit; quærit Mathematicum. Ecce duo peccata. Cum ad Mathematicum prohiberis accedere; blasphemas Episcopum. Ecce tria peccata. Cum audis: mitte illum foras de Ecclesia, dicis: Duco me ad partem Donati. Ecce addis quartum. Crescit restis. Time restem.* Ita eleganter Augustinus. Sed, proh nefas! cùm peccata sic multiplicentur; nihilominùs à peccatoribus ignorantur.

D. August.

Peccata multiplicãtur, &, quod peius est, ignorantur.

D

Quia impij de commissis peccatis tam parum curant, ac si nullum commisissent. Vnde Dauid sub Christi Domini typo, *Congregata sunt*, inquit, *super me flagella, & ignoraui.* Psal. 34. num. 15. seu, vt legit D. Aug. citatus: *Et nesciebam.* Quod statim explicat: *Flagellatus est flagellis Iudæorum: flagellatur blasphemiis falsorum Christianorum: multiplicant flagella Domino Deo suo, & nesciunt.* Hoc est: Non curant, non cogitant, non reuocant. Sic in malis actionibus inolescunt; vt natura in malitiam transiisse videatur.

D. August.

Per vitia natura in malitiam transiisse videtur.

IX. Nescio quid hac in re mihi insolentius occurrit. Nam, etiam cùm iudicium instat, cùm supplicium impendet, cùm Iudex minatur, cùm carnifex sæuit, cùm denique peccata reprimi & amputari debuerant; tunc maximè augentur & cumulantur. Quæ potuit esse effusior & obstinatior ad peccandum audacia & proteruia? Res patet in villico iniquitatis: qui, antequàm ad reddendam rationem villicationis suæ citaretur; res domini sui negligenter agebat: sed ad iudicium vocatus, bona omnia domini sui licentiùs & audaciùs dissipabat; dum sua debitoribus debita in apertam domini fraudem ac detrimentum remittebat: vt videre est Luc. 16. num. 5. Quod Diuus Petrus Chrysolog. serm. 126. eleganter expendens,

E

Peccatores aliqui, etiam cũ pœna impendet, licentiùs & audaciùs peccant.

D. Chrysol.

dens, *Villicus*, inquit, *reddendæ rationis tempore plùs ardet in fraude; quàm tempore villicationis anhelauit in luxu. In articulo discussionis plùs dominicum in dispendium sauit; quam diebus suis fudit & dispèrdidit actionis. Et qui antè substantiam vacuauerat dissipando; vacuando chirographa, quod remanserat, plus euertit. Nec curat, vnde possit sarcire, quod deerat: sed quod remansit, quemadmodum minorare possit, excogitat:* Ita ille acutè ac luculeotè.

X.

In Iudicem peccatorum vitia cumulantur.

Quid? Quòd non solùm habenas sceletum laxat, cùm maximè contrahendæ videbantur; sed in ipsum Iudicem, eùm iam puniturus vrget, procacior insolescir: & vbi cauere debuerat, ne puniretor; ibi licentiùs & impudentiùs committit, vnde grauiùs & atrociùs puniatur: patet in eo, qui in distributione talentorum, vnum tantùm accepit, quo negotiaretur. Is enim de lucro à patrefamilias reqoisitus, & quòd nullum egerit, obiurgatus, tantùm absuit, vt veniam peteret, & misericordiam implotatet, & in lacrymas pœnitentiæ suæ indices solueretur, vt potiùs dominum suom argueret, & procaciter accusaret, & tanqoàm desidiæ suæ causam & aoctorem proteruè criminaretur: *Domine*, inquit, *scio, quia homo durus es: metis vbi non seminasti, & congregas, vbi non sparsisti: & timens abij, & abscondi talentum tuum in terra. Ecce habes, quod tuum est.* Matth. 25. num. 24. Quid impudentius? Vbi erant abolenda peccata, multiplicantur. Leuiter à domino suo accusatus, ipse dominum suum grauiter accusat; & factus reus, totum reatum in suum regerit aoctotem. Rem expendens Diuus Hieronym. *Qui simpliciter*, inqoit, *debuit confiteri & orare patremfamilias, è contrario calumniatur, & dicit se prudenti fecisse consilio.* Sed vchementior D. Chrysostom. homil. 41. in Genes. de hoc pessimo negotiatore conqoestus: *O malitiam*, inquit, *famuli! ô immensam ingratitudinem! Nam, non solùm contempsit, & nihil negotiatus est talento sibi concredito; sed & pro talento accusationem attulit. Ita enim solet malitia. Obtenebrat rationem, & eum, qui semel à via est auersus, in praceps ferri facit.*

Leuiter à iudice accusantur, & iudicem grauiùs accusant.

S. Hieron.

S. Chrys.

Malitia rationem solet obtenebrare.

XI.

En, quò præceps libido peccandi abducat. A nullo quidem peccato timida reprimitur, in omne facious temeraria relaxatur. Et, quod deterius est, *Cùm in profundum peccatorum venerit, contemnit.* Prouerb. 18. num. 3. In hoc se barathrum Iudæi præcipitarunt. Nullis Samuelis persuasionibus adducti, vt à pessimo consilio postulandi noui Regis, ad saniorem mentem prioris gubernationis retinendæ & conseruandæ reuocarentur: sed in prauum affectum adeò obstinati, vt mallent, sub pessimo tyranno, quem eligebant, laborare & seruire, quàm sub Deo, quem Regem clementissimum habebant, conquiescere & regnare. Libet in hoc extremo Opere, detestari tantum facinus, execrari tantum oefas, taoi insignem malitiam & contumaciam abiurare, & cum Iacobo palàm confiteri: *In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea. Maledictus furor eorum, quia pertinax; & indignatio eorum, quia dura.* Genes. 49. n. 6. & 7. Absit, vt falsum Regem & verum tyrannum eligamus. Libet potiùs Regem nostrum Dominum Iesum, vnum è millibus, seu potiùs vnum ex omnibos eligere. Nam, vt bene D. Bernardus serm. 28. in Cantica: *Millia millium cum dilecto, & decies centena millia circa dilectum, & nemo ad dilectum.* Quasi diceret: Licèt inter plurimos versetur; vnus tamen est præ omnibus, & eligendus, & diligendus: cùm nemo sit illi, non dico, exæquandus; sed neque comparandus. Ad hunc ergo venerabondi dicamus, vt Hethæi ad Abrahamum: *Princeps Dei es apud nos.* Genes. 23. n. 6. Vt Israël ad Gedeonem: *Dominare nostri, quia liberasti nos.* Iud. 8. num. 22. Vt Amasaï ad Dauid: *Tui sumus, ô David, & tecum, filij Isai. Pax, pax tibi: & pax adiutoribus tuis.* 1. Paralip. 12. num. 18. Hunc denique omnibus votis atque studiis amplectamur: & vt cælestes chori, Regem Regum, & Dominum dominantium faustis acclamationibus salutant; ita nos illi gloriam, illi honorem, illi Regnom & imperium in omnem æternitatem decantemus.


Peccatores in profundum peccatorum venient, & contemnunt.

A similis Hebræorũ infamia cauendũ Christiano.

D. Bernard.

Christus Dominus, vt verus Rex, vnus præ omnibus eligendus & adorandus.

FINIS.







INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC SECVNDO Volumine obiter explicantur.

Prior numerus paginam, posterior columnam, litera columnæ locum indicat.

VETVS TESTAMENTVM.

Ex Genesi.

28. Isaac

10. Non

31. Ado

Ex libro Exodi.

12. In

20. Non

20. Non enim videbit me homo, & viuet. 457.2.d
22. Et stabis supra petram, cúmque transibit glo-
23. ria mea, &c. * videbis posteriora mea. 422.2.d
23. Faciem autem meá videre nó poteris. 592.2.e
Cap. 34. 2. Esto paratus mane, vt ascendas statim in monte Sinai, &c. 81.1.e
4. Et de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, &c. 81.2.a
28. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes. 496.2.a
28. Et scripsit in tabulis verba fœderis decem. 602.1.e
29. Cúmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas, &c. 345.1.a
29. Et ignorabat, quòd cornuta esset facies sua, &c. 45.2.d
Cap. 35. 20. Egressáque omnis multitudo filiorum Israel de cóspectu Moysi obtulerūt, &c. 374.1.c
35. Ambos erudiuit sapientia, vt faciant opera. 406.1.e
Cap. 36. 2. Cúmque vocasset eos Moyses, &c. Et qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus. 79.1.e
5. Plus offert populus, quàm necessariū est. 374.1.d
Cap. 37. 4. Vectes quoque fecit de lignis Setim, quos vestiuit auro, &c. 545.2.a
7. Quos posuit ex vtraque parte propitiatorij. 545.2.c
Cap. 39. 1. De Hyacintho verò, & purpura, &c. fecit vestes, quibus indueretur Aaron. 446.1.e

Ex Leuitico.

Cap. 1. 3. Si holocaustum fuerit eius oblatio, ac de armento masculum immaculatum offeret. 425.a.d. & 426.1.a. & 445.2.c. & 510.2.a
4. Ponétque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit. 440.1.a
12. Diuidéntque membra, caput, &c. & imponent super ligna, &c. 511.1.a
15. Offeret eam Sacerdos ad altare, &c. & retorto ad collum capite. 89.2.e
17. Non secabit, neque ferro diuidet eam. 300.2.d
Cap. 2. 2. Vnus tollet pugillum plenum similæ, & olei, &c. 301.2.b. & 573.2.d
11. Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, &c. 443.1.b
Cap. 3. 17. Omnis adeps, Domini erit, * iure perpe-
18. tuo. 301.2.c
Cap. 4. 3. Si Sacerdos, qui vnctus est, peccauerit, &c. 364.1.e
12. Offeret extra castra in locū mundū, &c. 495.2.e
27. Quòd si peccauerit anima per ignorantiam, &c. vt faciat quidquam de iis, quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat. 264.1.b
Cap. 6. 4. Anima conuicta delicti reddet * omnia,
5. quæ per fraudem voluit obtinere. 488.2.a
6. Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum, &c. 365.2.a
18. Mares tantū stirpis Aarō comedēt illud. 445.2.c
25. Ista est lex hostiæ pro peccato in loco, vbi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. 491.1.a
27. Quidquid tetigerit carnes eius, sanctificabitur. 455.2.b
Cap. 7. 7. Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto, &c. 394.1.a
Cap. 9. 24. Et ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum, &c. 511.2.d
Cap. 10. 1. Arreptísque thuribulis, Nadab & Abiu filij Aaron, posuerunt ignem, &c. 376.1.d
6. Capita vestra nolite nudare, & vestimenta vestra nolite scindere, &c. 402.2.e
7. Oleū quippe sāctæ vnctionis est super vos. Ibid.

Cap. 11. 29. Nec quoque inter polluta reputabuntur de his, quæ mouentur in terra, mustela, &c. 324.1.a
Cap. 13. 20. Plaga enim lepræ orta est in vlcere. 377.2.d
45. Habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste contectum, &c. 229.2.d. & 487.1.e. & 630.1.d
Cap. 16. 4. Tunica linea vestietur, feminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona linea, &c. 209.1.b
Cap. 17. 8. Qui obtulerit holocaustum, siue victi-
9. mam, * & ad ostium tabernaculi non adduxerit eam, &c. 179.1.b. & 393.1.c. & 508.2.e
Cap. 18. 3. Iuxta morem regionis Chanaan, ad quā ego introducturus sū vos, nō agetis, &c. 424.2.e
Cap. 19. 3. Vnusquisque patrem suum, & matrem suam timeat, &c. 64.2.d
Cap. 21. 11. Ad omnem mortuum non ingredietur omninò, super patre quoque suo, & matre non contaminabitur. 403.1.a
15. Ne commisceat stirpem generis sui. 406.2.a
21. Omnis, qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis, non accedet offerre hostias Domino, &c. 438.2.e
Cap. 22. 14. Qui comederit de sanctificatis per ignorantiam, addet quintā partem, &c. 462.1.c
22. Si cæcum fuerit, si fractum, si cicatricē habēs, &c. non offeretis ea Domino, &c. 438.2.b
27. Septē diebus erunt sub vbere matris suæ: die autē octauo & deinceps offerre poterūt. 510.2.a
Cap. 23. 3. Sex diebus facietis opus: dies septimus, quia sabbati requies est, vocabitur sanctus. 619.1.d
Cap. 24. 3. Ponétque eas Aaron à vespere vsque ad mane coram Domino. 23.1.b
14. Educ blasphemum extra castra, &c. & lapidet eum populus vniuersus. 65.1.e. & 141.1.a
Cap. 25. 23. Terra quoque non vendetur in perpetuum, quia mea est. 71.2.b. & 362.1.e
Cap. 26. 1. Non facietis vobis idolum, & sculptile, &c. 516.2.a
1. Nec insignē lapidē ponetis in terra vestra. 78.1.d
3. Si in præceptis meis ambulaueritis, & mandata mea custodieritis, &c. 160.2.b
5. Comedetis panem vestrū in saturitate. 308.1.c
6. Auferam malas bestias: & gladius non transibit terminos vestros. ibid.
7. Persequimini inimicos vestros, & corruent coram vobis. 155.1.e. & 160.2.b
14. Quòd si non audieritis me, nec feceritis, &c. 160.2.b
17. Ponam faciem meam contra vos. Ibid.
34. Tunc placebunt terræ sabbata sua cunctis die-
bus, &c. 619.1.d
35. Eò quòd non requieuerit in sabbatis vestris, quando habitabatis in ea. Ibid.
36. Dabo pauorē in cordibus eorū, in regionibus hostium terrebit eos sonitus folij, &c. 107.2.d
Cap. 27. 2. Homo, qui votum fecerit, & spoponderit Deo animam suam, &c. 350.2.b
30. Omnes decimæ terræ, &c. Domini sūt. 619.1.c

Ex Numer.

Cap. 1. 53. Leuitæ per gyrum tabernaculi, figent tentoria. 9.2.c
Cap. 3. 6. Applica tribum Leui, & fac stare in conspectu Aaron, &c. 231.1.d
10. Aaron, & filios eius constitues super cultum sacerdotij. 308.2.e
10. Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. 455.2.b. & 462.1.b
31. Et custodiant Arcam, mēsámque, &c. 427.1.c

crum in Iſraël.160.2.a
21. Dominus Deus eius cum eo,& clangor victoriæ Regis in illo.588.1.b
23. Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael. 357.1.e
Cap.24.3.Irruente in ſe ſpiritu Dei.310.1.c
4. Dixit homo cuius obturatus eſt oculus,&c.Qui cadit,& ſic aperiuntur oculi eius.325.2.b
7. Tolletur propter Agag Rex eius, & auferetur regnum illius.588.1.e.& 2.a
17. Orietur ſtella ex Iacob,& conſurget virga de Iſrael,&c. 309.1.b.& 397.1.e
18. Iſrael verò fortiter aget. 309.1.b
Cap.25.4. Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra Solem,&c.89.1.e
7. Quod cùm vidiſſet Phinees filius Eleazari, &c. arrepto pugione,&c.519.1.d
9.Occiſi sũt viginti quatuor millia hominũ.431.1.e
12. Do ei pacem fœderis mei, * & erit tam ipſi,
13.quàm ſemini eius pactũ ſacerdotij,&c.529.1.d
17. Hoſtes vos ſentiant Madianitæ & percutite eos. 225.2.e
Cap.27.12. Aſcende in montem iſtum Abarim,& contemplare inde terram,&c.392.1.d
13. Cùmque videris eam, ibis & tu ad populum. Ibid.1.e
14. Quia offendiſtis me in deſerto Sin,&c.Ibid.
16. Prouideat Dominus Deus ſpirituum omnis
17. carnis,hominem, &c. * Ne ſit populus Domini ſicut oues abſque Paſtore.357.1.a.& 542 1.c.& 543.2.a.& 548.1.d
18. Tolle Ioſue filium Nun,virum, in quo eſt ſpi-
19. ritus, &c. * Et dabis ei præcepta cunctis videntibus,& partem gloriæ tuæ.63.2.a
Cap.28.26. Dies etiam primitiuorum quando feretis nouas fruges Domino,&c.377.2.d
Cap.31.2. Vlciſcere priùs filios Iſraël de Madianitis,& ſic colligeris ad populum tuum.73.1.e
3. Armate,inquit,ex vobis viros ad pugnam, qui poſſint vltionem Domini expetere.73.1.a
6. Vaſa quoque ſancta, & tubas ad clangendum tradidit ei.164.1.b
7. Omnes mares occiderunt. 473.2.c.& 489.1.e
8. Et Reges eorum,&c.489.1.e
14. Iratúſque Moyſes Principibus exercitus, &c.
15.* ait:Cur fœminas reſeruaſtis?346.2.c
17. Ergo cunctos interficite, quidquid eſt generis maſculini,&c.473.2.c
46. Et ſuſceptum intulerunt in tabernaculum teſtimonij,in monumentum,&c.370.1.c
Cap.32.5.Precamúrque,ſi inuenimus gratiam coram te,&c.348.1.b
Cap.33.1.Egreſſi ſunt de Ægypto per turmas ſuas in manu Moyſi,& Aaron.341.1.d.& 40.1.d
4. Et ſepelientibus primogenitos, quos percuſſerat Dominus,&c.349.2.b
Cap.35.6. De ipſis autem oppidis,quæ Leuitis dabitis,ſex erunt in fugitiuorum auxilia ſeparata. 363.2.d
11. De ipſis autem vrbibus, quæ ad fugitiuorum ſubſidia ſeparantur,tres erunt,trans Iordanem, &c. 492.1.b
Cap.36.7. Omnes enim viri ducent vxores de tribu,& cognatione ſua.406.2.a
9. Nec ſibi miſceantur tribus,&c. Ibid.

Ex Deuteronomio.

Cap.1.1.Hæc ſunt verba,quæ loquutus eſt Moyſes ad omnẽ Iſrael,&c.vbi aurũ eſt primũ.348. 2. a
10. Dominus Deus veſter multiplicauit vos, &c. 371. 2. c
22. Mittamus viros,qui conſiderent terram,& renuntient,&c. 598. 2.a
Cap. 2. 27. Tranſibimus per terram tuam,publica gradiemur via,&c.388.2.e
Cap.4.2. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor,nec auferetis ex eo.139.2.b.& 415.1.b
6. En populus ſapiens,& intelligens,&c.139.1.a
7. Non eſt alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes ſibi, ſicut Deus noſter, &c. 139.1.a.& 297.1.e
12.Vocem verborum eius audiſtis,& formam penitus non vidiſtis. 30.2.a
17. Similitudinem omnium iumentorum,&c. vel auium,&c.369.2.d
20. Vos autem tulit Dominus, & eduxit de fornace ferrea Ægypti, vt haberet populum hæreditarium.649.1.d
24. Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt. 304.1.c.& 345.2.d.& 454.2.e
Cap.5.28.Bene omnia ſunt loquuti.65.1.d
Cap. 6. 3. Audi,Iſraël,&c.119.1.d
4. Dominus Deus noſter,Dominus vnus eſt, &c. 299.2.c
5. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,&c.79.1.b.& 299.2.d
6.Eruntque verba hæc,&c.in corde tuo,* & nar-
7. rabis ea filiis tuis.316.2.e
Cap.7.1.Cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in terram,&c.& deleuerit gentes multas coram te,Hethæum,&c 376.2.e
3. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo.593.1.b
6. Te elegit Dominus Deus tuus,vt ſis ei populus peculiaris,&c.588.1.a
20. Crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat,atque diſperdat,&c.324.2.d
25.Non concupiſces argentum,& aurum,de quibus facta ſunt,&c.370.1.b.& 474.2.b
Cap.8.15.Erat ſerpens flatu adurans,& ſcorpio,ac dypſas,& nullæ omnino aquæ,&c.570.2.e
Cap.10.4.Scripſitque in tabulis iuxta id,quod priùs ſcripſerat verba decem. 602. 1. e
9 Vbi Aaron mortuus ac ſepultus eſt,pro quo ſacerdotio functus eſt Eleazar.&c.552.1.b
17. Dominus Deus veſter, ipſe eſt Deus eorum, &c.qui perſonã nõ accipit,nec munera 577.2.a
Cap.12 4.Non facietis ita Domino Deo veſtro,ſed ad locum quem elegerit,&c. venietis.393.2.c
6.Et offeretis in loco illo holocauſta,& victimas, &c.619.1.b
8.Non facietis ibi, quæ nos hic faciemus hodie, &c.514 2.b
Cap. 13. 6. Si tibi voluerit perſuadere frater tuus,
8. &c.eamus,& ſeruiamus diis alienis,&c. * non acquieſcas ei,&c.401.1.c
15. Statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij,&c.370.1.c
16. Quidquid etiam ſupellectilis fuerit, congregabis in medio platearum,&c.Ibid.
Cap. 14. 21. Non coques hœdum in lacte matris ſuæ. 508.2.e
Cap.15.19.Non operaberis in primogenito bouis, & non tondebis primogenita ouium.146.2.d
Cap.16.19. Non accipies perſonam, nec munera: quia munera excæcant oculos ſapientum, & mutant verba,&c.573.1.e
20.Iuſtè quod iuſtum eſt, perſequeris.578.2.e
Cap. 17. 14. Conſtituam ſuper me Regem ſicut habent omnes,&c.578.2.e.& 583.1.d.584.1.e
15.Eum cõſtitues,quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrũ.581.1.e.& 2.c.& 584.1.a
15. Non poteris alterius gentis hominem Regem facere,&c.586.2.e

Ex Iosue.

Cap.7.1.

Ex libr. Iudicum.

Ex Ruth.

Ex 1. Regum.

23. Quasi

Ex 2. Regum.

Ex 3. Regum.

15. Transtulit

Ex Eccleſiaſte.

Ex Canticis Canticorum.

3. Intro

Ex Sapientia.

Ex Eccleſiaſtico.

Ex Iſaia.

15. Cùm

20. Coan

12. Pone



INDEX
LOCORVM NOVI TESTAMENTI.

Ex Matthæo.

Ex Ioanne Euangelista.

Ex Actis Apostolorum.

Ex Epistola Pauli ad Romanos.

Ex 1. ad Corinthios.

Ex 2. ad Corinthios.

Ex Epistola ad Galatas.

Ex Epistola ad Ephesios.

Ex Epistola ad Philippenses.

Ex Epistola ad Colossenses.

Ex Epistola 1. ad Thessalonicenses.

Ex 2. ad Thessalonicenses.

Ex 1 ad Timotheum.

Ex 2 ad Timotheum.

Ex Epistola ad Titum.

FINIS.





INDEX
RERVM, QVÆ IN HOC SECVNDO Volumine continentur.

Prior numerus paginam, posterior columnam, litera columnæ locum designat.

ACHAB.

ADAM.

ADIVRATIO.

ADMONITIO.

ADORATIO.

ADVENTVS.

ADVLATIO, ADVLATOR.

ADVLTERIVM, ADVLTER.

ÆDIFICARE.

ÆGYPTII, ÆGYPTVS.

ÆTAS.

ÆTERNITAS.

ÆTHIOPS.

AFFECTVS.

AFFLICTIO.

AGAR.

AGNVS.

ALEXANDER.

ALTARE.

AMBITIO, AMBITIOSVS.

AMORRHÆVS.

AMICITIA, AMICVS.

AMOR.

ANANIAS.

ANNA.

ANGELVS.

ARCA NOE.

ARCHISYNAGOGVS.

ARCVS.

ASINVS.

ASPECTVS.

ASTAROTH.

ASTROLOGIA.

AVARITIA, AVARVS.

10 Tanta

11 Non

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 2.

CHRISTIANVS.

CIBVS.

CINIS.

CIRCVNCISIO.

CIVITAS.

CLAMOR.

CLERICVS.

COELVM.

54 Post

CONFESSOR.

CONIVGIVM, CONNVBIVM.

CONSANGVINITAS, CONSANGVINEI.

CONFIDENTIA.

CONSCIENTIA.

Mala conscientia cruciatus.

Bona conscientia tranquillitas.

CONSIDERATIO.

CONSILIVM.

Franc. de Mendoça in Lib. Reg. tom. 1.

Aliorum consilia vitanda.

Impiorum consilia.

CONSOLATIO.

CONSTANTIA.

Inconstantia.

CONSTANTIVS.

CONSVETVDO.

CONTEMPLATIO.

CONTINENTIA.

CONTRITIO.

CONSVETVDO.

16 Dago

DAMNVM.

DANIEL.

DAVID.

DEBORA.

DECIMÆ.

DELICIÆ,VOLVPTAS.

DELICATVS.

DETRACTOR, DETRACTIO.

DEVS.

INDEX RERVM.

129 Iucun

DEXTERA.

DII.

DIABOLVS, DÆMON.

DIES.

DIGITVS.

DIGNITAS.

DISCIPVLVS, DISCERE.

DISCORDIA.

DIVINI.

DIVISIO.

DIVITIÆ; DIVES.

INDEX RERVM.

23 In

H

HABITVS.

HÆREDES.

HÆRETICI, HÆRESIS.

HEBRÆI.

HELI.

11 Ex

HOSPES.

HOSTES.

HVMILITAS.

HYPOCRITA.

I

IACOB.

IACTVRA.

ICHABOD.

IDOLOLATRIA, IDOLA.

IECHONIAS.

IEIVNIVM.

IEHOVA.

IEPHTE.

IEREMIAS.

IEROBOAM.

IESVS.

IGNATIVS.

IGNIS.

IGNORANTIA.

IMAGO.

IMPERATOR, IMPERIVM.

INDEX RERVM.

2 Ioseph

IVDAS REX.

IVDAS PRODITOR.

IVDEX.

IVDICIVM.

IVDICII DIES.

3 Iudicij

7 Inter

INDEX RERVM.

LEX.

LIBERALITAS.

LIBERTAS.

LIBIDO.

LINGVA, LOQVI.

LOCVS.

LOT.

LVCERNA.

LVCIFER.

LVCTVS.

LVSITANI.

LVXVRIA.

17 Samson

LEX.

LIBERALITAS.

LIBERTAS.

LIBIDO.

LINGVA, LOQVI.

LOCVS.

LOT.

LVCERNA.

LVCIFER.

LVCTVS.

LVSITANI.

LVXVRIA.

17 Samson

M

MACHABÆI.

MAGDALENA.

MAGI.

MAGISTER.

MALCHVS.

MALEDICTIO, MALEDICERE.

MALITIA, MALVM.

MADIANITÆ.

MANNA.

MANVS.

MANSVETVDO.

MARE.

MARIA DEI GENITRIX.

INDEX RERVM.

113 B.Vir

INDEX RERUM.

31 Cum

MORTIFICATIO.

MOYSES.

MVLIER.

MVNDVS.

MVNERA.

Munera amicos faciunt.

Honores conciliant.

Omnia corrumpunt.

MVRES.

MVRMVRATIO.

N

NAAMAN.

NABVCHODONOSOR.

NATIVITAS.

NAVIS.

NICODEMVS.

NILVS.

NINIVE.

NOBILITAS, IGNOBILITAS.

NOE.

6 Cur

NOMEN.

NOVITAS.

NOVITII.

NOX.

NVNTIA, NVNTIVS.

NVTRIX.

O

OBEDIENTIA, INOBEDIENTIA.

63 Impru

OCCASIO.

OCVLVS.

ODIVM.

ODOR.

OLEVM, VNGVENTVM.

OPES.

OPPROBRIVM.

OPVS.

ORATIO.

24 Deus

PATIENTIA, IMPATIENTIA.

PATRIA.

PATRIARCHA.

PAVLVS.

PAVPERTAS, PAVPER.

PECCATVM.

PHILIP

PHILIPPVS.

PHILISTHINI.

PHILOSOPHVS.

PHINEES.

PIETAS.

PIGRITIA, PIGER.

PILATVS.

PISCES.

PLAGA.

PLVVIA.

POENA.

PRÆDICATOR.

PRÆDICATIO, AVDITOR.

PRÆLATVS.

122 Qui

PRÆMIVM.

PRÆSIDIVM.

PRÆSEPE.

PRÆSVMPTIO.

PRECATIO.

PRETIOSVM.

PRIMOGENITVS.

PRINCIPES.

PRODIGVS, FILIVS.

PROPHETA, PROPHETIA.

5 Prophe

PROPITIATORIVM.

PROVIDENTIA.

PRVDENTIA.

PSALMVS.

PVDOR.

PVERITIA, PVER.

PVGNA.

Q

QVADRAGESIMA.

QVERIMONIA.

QVIDAM.

QVIES.

R

REBECCA.

RACHEL.

INDEX RERVM.

2 Reue

104 Popu

REGNVM.

RISVS.

ROMA, ROMANI.

ROSA.

RVBEN.

RVTH.

S

SABBATVM.

SACERDOS, SACERDOTIVM.

SACRA.

SERVI

SVPERSTI

INDEX RERVM.

SVPERSTITIO.

SVPERNATVRALE.

SVPPLICIVM.

SVSPICIO.

T

TABERNACVLVM.

TANGO.

TEMPERANTIA.

TEMPLVM.

TENTATIO.

FINIS.